JUS ECCLESIASTICUM UNIVERSUM,

BREVI METHODO AD DISCENTIUM Utilitatem explicatum,

SEU LUCUBRATIONES CANONICÆ

IN QUINQUE LIBROS DECRETALIUM GREGORII IX. PONTIFICIS MAXIMI,

IN QUIBUS PRÆCIPUÆ, QUÆ TUM IN THEORIA, tum in Praxi occurrunt, difficultates ſolvuntur, allatis etiam contra ſentientium fundamentis, & horum ſolutionibus.

AUTHORE

R. P. FRANCISCO SCHMALZGRUEBER

SOCIETATIS JESU, SAC. THEOLOGIÆ, ET SS. CANONUM DOCTORE, horumque antehac in Alma, & Electorali Univerſitate Ingolſtadiana Profeſſore Ordinario, & Primario, nunc Epiſcopalis Univerſitatis Dilinganæ Cancellario.

TOMUS TERTIUS.

NEAPOLI, MDCCXXXVIII.

Proſtant

VENETIIS,

APUD JOSEPHUM BORTOLI.

ELENCHUS TITULORUM LIBRI TERTII DECRETALIUM.

TITULUS I.

De Vita, & Honestate Clericorum.

TITULUS II.

De Cohabitatione Clericorum, & Mulierum.

TITULUS III.

De Clericis conjugatis.

TITULUS IV.

De Clericis non residentibus in Ecclesia, vel Præbenda.

TITULUS V.

De Præbendis, & Dignitatibus.

TITULUS VI.

TITULUS VII.

De Institutionibus.

TITULUS VIII.

TITULUS IX.

TITULUS X.

TITULUS XI.

TITULUS XII.

TITULUS XIII.

De rebus Ecclesiæ alienandis, vel non.

TITULUS XIV.

De Precariis.

TITULUS XV.

TITULUS XVI.

TITULUS XVII.

De Emptione, & Venditione.

TITULUS XVIII.

De Locato, & Conducto.

TITULUS XIX.

De Rerum Permutatione.

TITULUS XX.

De Feudis.

TITULUS XXI.

De Pignoribus, & aliis Cautionibus.

TITULUS XXII.

De Fidejussoribus.

TITULUS XXIII.

De Solutionibus.

TITULUS XXIV.

De Donationibus.

TITULUS XXV.

De Peculio Clericorum.

TITULUS XXVI.

De Testamentis, & Ultimis Voluntatibus.

TITULUS XXVII.

De Successionibus ab Intestato.

TITULUS XXVIII.

De Sepulturis.

TITULUS XXIX.

De Parochiis, & alienis Parochianis.

TITULUS XXX.

De Decimis, Primitiis, & Oblationibus.

TITU-

TITULUS L.

Ne Clerici, vel Monachi Sæcularibus Negotiis ſe immiſceant.

CLERUS SÆCULARIS, ET REGULARIS, SEU Decretalium Gregorii IX. Pont. Maximi

LIBER III.

Post examinatum Processum Judicialem sequitur de Actibus, & Juribus Clericorum, quos tum proprios, tum communes cum Laicis habent. In quinque Partes commodè dividi Liber hic potest. *Prima* continebit actus, & obligationes Clericorum respectivè ad Beneficia, quæ ipsis conferuntur. *Secunda* perpendet eorum pacta, atque contractus. *Tertia* illorum dominium, & cætera Jura examinabit. *Quarta* de Regularium statu, Juribus, obligationibusque discurret. *Quinta* denique Jura, privilegia, & actus enumerabit, quæ vel Ecclesiis competunt, vel in iisdem exercentur.

PARS I.

De Actibus, & Obligationibus Clericorum respectivè ad Beneficia Ecclesiastica.

Ria Pars ista continet. 1. enumerat aliquas qualitates in Beneficiariis requisitas, ut tum Beneficia capere, & retinere, tum fructus eorum possint percipere. 2. Descendit ad ipsa Beneficia Ecclesiastica, & postquam Beneficii naturam, varietatem, & alias qualitates descripsit, ad modum hæc acquirendi, conferendique digreditur. 3. Denique de horum, bonorumque, ex quibus reditus Beneficiarii capiunt, administratione discurrit.

TITULUS I.

De Vita, & Honestate Clericorum.

Ab hac Legislator noster initium capit, quia ante omnia requiritur in Clericis; cùm enim eorum vita, ut *Trid. sess.* 22. *c.* 1. *de reform.* indicat, sit quasi speculum, & norma vivendi toti populo, necessarium est, non tantùm nihil in iis esse, quod pusillos offendat, sed omnia talia, quæ cunctos ædificent, atque animarum salutem promoveant. Portò hæc Vitæ, Morumque Honestas, tantopere Clericis, præsertim Sacerdotibus, curam animarum habentibus, necessaria, duplex est, Interna, & Externa: de utraque sigillatim agendum est.

§. I.

De Clericalis Vitæ Honestate Interna.

SUMMARIUM.

1 *Hæc consistit primò in rectitudine intentionis.*
2 3 *Qualitas hujus describitur.*
4 *An promovendus ad Beneficium Parochiale debeat etiam habere animum illud perpetuò retinendi?*
5. *An si illud recepit sine animo sacerdotii intra annum suscipiendi fructus ex illo perceptos restituere debeat ante sententiam?*
6 *An intentio recipiendi Sacerdotium adesse debeat etiam in receptione Dignitatum, quibus animarum cura connexa est?*
7 *Quid dicendum de recipiente Beneficium simplex, quod Ordinem Sacrum annexum habet.*
8 9 *Qualem culpam committat, qui recipit Beneficium simplex, quod non habet Ordinem Sacrum sibi annexum?*
10 11 *An, & quomodo peccet is, qui primam Tonsuram, & minores Ordines recipit sine intentione in Clericatu perseverandi?*
12 *Quanta in Clerico requiratur animi puritas?*
13 14 *Quomodo in Ministro Sacramenti sit necessaria fides, & probitas?*
15 *Aut status Gratiæ?*
16 17 *An idem Status Gratiæ requiratur etiam ad exercendos alios actus Ordinum, qui non sunt confectio Sacramenti?*
18 19 *An Clericus peccati mortalis sibi conscius Sacramenti administrationi teneatur præmittere Confessionem Sacramentalem?*

Vitæ Clericalis Honestas interna tria exposcit maximè, rectitudinem intentionis, animæ, & conscientiæ puritatem, ac reliquas Virtutes tum Theologicas, tum Morales.

Quæritur 1. in quo consistat *Rectitudo intentionis?* 1
Resp. Rectitudo intentionis in eo consistit, ut Clericus ad Ordines, & Beneficia Ecclesiastica se promoveri curet non tam consequendi alicujus emolumenti temporalis, sed obeundi officii sui spiritualis, & Gloriæ Divinæ promovendæ gratia; horum enim intuitu Beneficia, & Dignitates Ecclesiasticæ conferuntur *c. fin. de Rescript. in* 6. & *L. generaliter* 52. §. *eos tamen* 1. *C. de Episc. & Cleric.* Hinc *Trid. sess.* 23. *c.* 4. *de reform.* non tantùm Ordinibus, sed etiam prima Tonsura initiari vetat illos, *de quibus probabilis conjectura non est, eos, ut fidelem DEO cultum præstent, hoc vitæ genus elegisse.*

Et ne vagus sit à Clericatu ad vota sæcularia transitus, *c. cùm in cunctis* 7. §. *inferiora de Elect. c. ut Abbates*

1. *de ætat. & qualit. &c. licèt* 14. *de elect. in* 6. hi, qui Dignitates, & alia Beneficia Ecclesiastica canonicè consecuti sunt, sub pœna hæc amittendi jubentur SS. Ordines illis annexos suscipere. Imò *c. commissa* 35. *de elect. in* 6. statuitur, ut qui ad Ecclesias Parochiales sine Sacerdotii suscipiendi intentione promoti sunt, fructus ex iis provenientes teneantur restituere.

Excipitur, nisi intentionem mutent, & Ordine illo initientur; nam tunc fructus etiam ante animi mutationem perceptos non tenentur restituere, ut contra Sot. *l.* 10. *de Just. q.* 5. *art.* 6. communis DD. habet sententia, & non obscurè indicatur *c. commissa cit.* ubi *V. cæterùm* dicuntur restituendi fructus, nisi ejusmodi Beneficium recipiens, *mutata voluntate*, ad Sacerdotium intra annum *promotus fuerit*. Igitur si mutaverit voluntatem, restituere non tenebitur.

2 Dub. 1. qualis debeat esse intentio promovendi ad Beneficium Parochiale? Resp. 1. promovendus ad Beneficium Parochiale debet habere intentionem seriam, & certam suscipiendi Presbyteratum, & permanendi in Statu Clericali, ut patet ex Juribus *citt.* Hinc qui Beneficium tale suscipit, dubius adhuc, an ad Ordines SS. promoveri velit, malè agit, & ad restituendos, quos percepit, fructus tenetur, nisi deposito dubio, intra annum SS. Ordinibus initietur, aut saltem propositum eos suscipiendi habeat, ut contra Garc. *de Benefic. p.* 3. *c.* 4. *n.* 48. & 49. tradit Lud. Lopez *Instruct. p.* 1. *c.* 255. *col.* 7. Sanch. *L.* 7. *de Matr. D.* 45. *n.* 10. Pal. *tr.* 13. *D.* 4. *p.* 7. *n.* 5. & sumitur ex *c. commissa cit.* ubi simpliciter requiritur voluntas suscipiendi Presbyteratum, is autem, qui dubitat, dici non potest habere hanc voluntatem, ergo &c.

2 Intentio hæc suscipiendi Presbyteratum non debet necessariò esse absoluta, sed sufficit etiam conditionata, e. g. nisi ante Sacrum Ordinem susceptum Clericalis status minùs convenire videatur, nisi Primogenitus frater moriatur sine hærede, nisi opulentum, &c. ad familiam conservandam opportunum Matrimonium sese offerat &c. Navarr. *Man. c.* 25. *n.* 118. Garc. *c.* 4. *cit. à n.* 46. Less. *l.* 2. *de Just. c.* 34. *n.* 131. Sanch. *D.* 45. *cit. n.* 10. Laym. *l.* 4. *t.* 2. *c.* 14. *n.* 9. Pirh. *hic n.* 106. Vviest. *n.* 19. & alii apud istos. Ratio est, quia ejusmodi conditionata intentio sæpe valde rationabilis est, nec reprobatur ab Ecclesia, imò approbatur, saltem tacitè, dum renuntiationes, ex hujusmodi causa factas, sine difficultate admittit, quòd iis non rarò magna bona promoveantur.

3 3 Non est necessarium, ut intentio illa suscipiendi sacerdotium sit constans; nam etsi postea intentionem Clericus mutet, modò intentio seria fuerit, fructus, saltem ante animi mutationem perceptos, restituere non tenetur, *ut l. cit.* tradunt Nav. *n.* 118. Less. *n.* 134. Sanch. *n.* 11. Pal. *n.* 9. Vviest. *n.* 25. & ratio est, quia circa hos fructus fraus nulla commissa est. Dixi *saltem ante animi mutationem perceptos*; nam de perceptis post animi mutationem, distinguendum est, an fraus aliqua in mutatione hac intervenerit, an verò non; nam si primum contigerit, & hoc probatum fuerit, fructibus, à mutatæ voluntatis tempore perceptis, & ipso Beneficio privari possunt. *Si secundum*, non tenebitur restituere fructus, etiam illos, quos intra annum ita percepit, ut cum *citt.* DD. tradit P. Vviest. *hic n.* 26.

4 Dub. 2. an promovendus ad Beneficium Parochiale debeat etiam habere animum illud perpetuò retinendi? Affirmant hoc aliqui apud Sanch. *D.* 45. *cit. n.* 12. Ducuntur, quia assumens Beneficium quasi contrahit Matrimonium Spirituale cum Ecclesia, in qua recipit Beneficium. Ergo sicut contrahens Matrimonium carnale tenetur habere animum perpetuò manendi cum uxore, ita & recipiens Beneficium tenetur habere animum perpetuò manendi in Ecclesia, in qua recipit Beneficium.

Sed dicendum, non esse opus, ut suscipiens hujusmodi Beneficium velit in eo permanere, sed satis esse, si habeat animum suscipiendi requisitum Ordinem, & beneficio inserviendi, etsi intendat illud permutare, vel resignare. Ita Navar. *Cons.* 24. *de Præb. & Dign. n.* 2. Sanch. *n.* 12. Less. *n.* 136. Pal. *n.* 11. Vviest. *hic n.* 27. Ratio est, quia Beneficium recipiens non tenetur illud perpetuò retinere: & si eidem deserviat, & satisfaciat oneribus annexis, quamvis, offerente se occasione commoda, permutare illud intendat, in hoc non decipit Ecclesiam, neque notabile illi detrimentum affert. Aliud foret, si animum deserviendi Beneficio non haberet, nam iste perinde, ac is, qui non residet, fructus ex illo provenientes deberet restituere, ut exploratum est ex *c. commissa cit. V. cæterùm.*

Ad Argumentum adversæ partis negatur paritas inter Matrimonium carnale, & spirituale; nam Matrimonium carnale est vinculum perpetuum, quale non est Matrimonium spirituale.

Dub. 3. an, qui Parochiale Beneficium sine Sacerdotii intra annum recipiendi intentione acceptat, fructus, ex illo provenientes & perceptos restituere debeat ante sententiam? *Ratio dubitandi est*, quia Beneficii collatio ei facta jure subsistit; aliàs qui mutata voluntate, intra annum initiatur Sacerdotio, ubi collatum cum perceptis fructibus sine nova collatione retinere non posset. Ergo & fructuum acquirit dominium, Si autem dominium illorum habet, iisdem non privatur ante sententiam declaratoriam criminis, cùm jus quæsitum habeat, & hoc jure nemo privetur ante sententiam declaratoriam criminis. Ergo &c. 5

Sed hoc non obstante, probabiliùs fructus ex Beneficio sine Sacerdotii intra annum suscipiendi voluntate percepti ante omnem sententiam restituendi sunt, ut rectè Gloss. *fin. in c. commissa* 35. *de elect. in* 6. Franc. *ibid.* §. *porrò n.* 2. Rebuff. *prax. Benef. tit. de non promot. intr. ann. n.* 15. Gutier. *qq. Can. l.* 2. *c.* 5. *n.* 20. Sanch. *D.* 45. *cit. n.* 3. Less. *c.* 34. *num.* 100. Pal. *p.* 7. *n.* 6. Vviest. *hic num.* 23. Ratio est, quia Beneficium, & fructuum hujus dominium non aliter conceditur Clerico, quàm sub conditione intentionis recipiendi Ordinis sacri & Sacerdotii intra annum, vel purgandæ fraudis, & voluntatis per actualem Sacerdotalis Ordinis intra annum receptionem mutandæ. Igitur cùm intentio hæc defuerit, & fraudis purgatio, ac voluntatis mutatio intra annum secuta non fuerit, tam fructuum dominium, quàm ipse Beneficii titulus, sic disponente Lege, evanescit, cùm certa sit Juris *maxima*, deficiente conditione, etiam actum conditionatum deficere.

Ex quo patet ad Argumentum oppositum: dicendum enim titulum Beneficii, & fructuum ex eo perceptorum dominium hoc casu Beneficiario non esse quæsitum absolutè, sed sub conditione memorata: hinc ut extinguantur, alio opus non est, quàm ut conditio ista deficiat.

Dub. 4. an supradicta intentio recipiendi Sacerdotium adesse debeat etiam in receptione Dignitatum, 6 quibus animarum cura connexa est, ita ut si aliquam ex his recipias non intendens promoveri, tenearis & Dignitatem dimittere, & fructus restituere, non exspectata sententia? Affirmat Vasq. *de Benef. c.* 2. §. 3. *n.* 33. ex ratione, quòd hæ dignitates Parochialibus Beneficiis æquiparentur, & cùm etiam ipsa sub conditione recipiendi Ordinem Presbyteratus annexum conferantur, eadem de istis, quæ de illis videatur esse ratio.

Sed verius est, etsi moraliter peccet ita sibi collatam Dignitatem recipiens, non tamen teneri illum aut Dignitatem dimittere, aut fructus restituere ante omnem sententiam. Ita Pal. *tr.* 13. *D.* 4. *p.* 7. *num.* 12. cum communi DD. Ratio est, quia in odiosis extensio de casu expresso ad non expressum facienda non est. Versamur autem hìc in materia odiosa, cùm agatur de privatione, & restitutione fructuum. Igitur cùm *cap. commissa & cap. licèt citt.* solùm fiat mentio de Ecclesiis Parochialibus, ab his ad Dignitates, etiam Curatas, quippe quæ propriè Beneficium Parochiale non sunt, extensio fieri non debet.

Ad Rationem in contrarium nego, quòd eadem sit ratio Dignitatum & Beneficiorum Parochialium; nam differentiam inter hæc, & illas sufficienter Jus ipsum indicat, dum ad illas promoti, si intra annum ad Sacerdotium moniti non ascendant, *à Trid. sess.* 24. *cap.* 12. *de reform.* iisdem privari jubentur; at Parochialia recipientes, etiam nulla monitione præcedente, ipso Jure privati asseruntur *capit. commissa*, & *c. licèt citt.*

Dub. 5. quid dicendum de recipiente Beneficium simplex, quod Ordinem Sacrum annexum habet, si illud re- 7 cipiat absque animo recipiendi illum Ordinem? Hunc ad restitutionem fructuum obligant Jacob. de Grassis *decis. Cas. consc. l.* 2. *c.* 97. *n.* 55. Garc. *de Benefic. p.* 3. *c.* 4. *n.* 38. & alii apud istum, ex ratione, quia talis non minùs committit fraudem, quàm ille, qui sine animo recipiendi Sacerdotium recipit Beneficium Parochiale, ut proin dispositio *c. commissa*, & *c. licèt citt.* videatur porrigi etiam ad Beneficia simplicia.

Sed dicendum, ita recipientem Beneficium simplex ad fructus ex eo perceptos restituendos non obligari. Ita Gutier. *l.* 2. *can. qq. c.* 5. *num.* 24. Azor *p.* 2. *l.* 6. *c.* 9. *q.* 7. Sanch. *l.* 7. *de Matr. D.* 45. *n.* 13. Pal. *tr.* 13. *D.* 4. *p.* 7. *n.* 12. Vviest. *hic n.* 21. Ratio est, quia in *c. commissa*, & *c. licèt citt.* solùm est sermo de Beneficiis Parochialibus. Igitur dispositio illorum ad simplicia extendi non debet, præsertim cùm longè minor inveniatur culpa

in re-

in receptione Beneficiorum simplicium, quàm Curatorum.

8 Dub. 6. qualem culpam committat is, qui recipit Beneficium simplex animo non ascendendi ad Ordines, sed potiùs relinquendi Statum Clericalem, postquam aliquo tempore fructus illorum perceperit? Satis convenit inter DD. peccaturum graviter, si Beneficium ejusmodi ex Jure, constitutione, fundatione, aut consuetudine Ordinem Sacrum annexum habeat; quia in re gravi caret intentione observandi Jus.

At si nullum Ordinem Sacrum annexum habeat, triplex sententia est; nam 1. Sot. *l.* 10. *de Just. q.* 5. *art.* 6. *col.* 4. Navar. *Miscell. de Orat.* 44. *n.* 2. *edit.* 2. Tolet. *l.* 3. *sum. c.* 18. *n.* 4. & *l.* 5. *c.* 5. *n.* 5. putant illum peccare mortaliter; quia decipit Ecclesiam, quæ ei Beneficium non conferret, si sciret, illum cum hac intentione istud assumere.

2 Sanch. *l.* 7. *de Matr. D.* 45. *num.* 19. Less. *l.* 2. *de Just. c.* 34. *n.* 132. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 14. *n.* 12. in hujusmodi intentione solùm agnoscunt peccatum veniale, si recipiens habeat voluntatem Beneficio inserviendi, ejusque obligationibus satisfaciendi, saltem, si aliquo honesto fine, e. g. studiorum causa, ducatur. *Rationem* dant, quia talis intentio aliquo modo repugnat Beneficiorum Ecclesiasticorum institutioni, quippe quæ instituta sunt, ut conferantur iis, qui Statum Ecclesiasticum sincerè amplectuntur animo serviti. Digno se perpetuò dedicandi, nisi nova justa causa eum statum mutandi emergat: proinde cùm sit debiti ordinis, & finis perversio, à culpa excusari non potest; ad gravem autem non ascendit, cùm nullo Jure naturali, vel positivo recipiens Beneficium obligetur perseverare in Clericali Statu.

9 3 Garc. *p.* 3. *de Benef. c.* 4. *n.* 43. & Pal. *tr.* 13. *D.* 4. *p.* 7. *n.* 16. putant in tali intentione per se nullam committi culpam; quia nulla est culpa, ubi nulla est alicujus præcepti violatio. At nullum est præceptum positivum, vel naturale obligans Beneficiatum ex susceptione Beneficii ad perseverandum in Statu Clericali: Imò potiùs à Jure liber transitus ad nuptias Beneficiatis conceditur, modò Beneficia à se obtenta relinquant *c. diversis* 5. & *c. Joannes* 7. *de convers. conjugat.*

Ex quo cadit ratio, & argumentum secundæ sententiæ, petitum ex perversione Ordinis, & finis à Jure intenti. *Ad argumentum primæ sententiæ* respondet Palao, in hac intentione Ecclesiam non decipi, neque justè esse invitam, cùm eam habens non intendat aliquid contra id, quod ab Ecclesia est dispositum; Beneficium enim datur ad sustentandum Beneficiatum in Statu Clericali eo tempore, quo Beneficium habuerit, non tamen cum obligatione, ut semper Beneficium retineat, & statum incompatibilem non accipiat.

10 Dub. 7. an, & quomodo peccet is, qui primam Tonsuram, & minores Ordines recipit sine intentione in Clericatu perseverandi? Iterum non conveniunt DD. nam aliqui cum Laym. *l.* 5. *tr.* 9. *c.* 7. *n.* 2. *in fin.* ab omni culpa talem absolvunt, si id ex rationabili causa faciat, ad id opinandum inducti exemplo Rectorum Academicorum, in una, & altera Universitate ea solùm intentione minores Ordines, aut primam saltem Tonsuram, recipere solitorum, ut essent capaces Jurisdictionis in Clericos exercendæ. Contrà mortaliter peccare existimant alii, præcipuè mota paritate cum eo, qui Religiosi Ordinis Novitiatum ingreditur animo non profitendi, sed ad sæculum redeundi.

Tenenda via media, & cum Navar. *Man. cap.* 25. *n.* 108. Sanch. *l.* 7. *de Matr. D.* 45. *n.* 17. Bonac. *D.* 8. *de Sacram. q. un. p. ult. in fin.* Dian. *p.* 1. *tr.* 8. *resol.* 10. Vviest. *hic n.* 17. dicendum, sic recipientem primam Tonsuram, aut minores Ordines excusari quidem à peccato mortali, plerumque tamen non vacare culpa veniali.

11 Et quidem quòd culpæ saltem venialis reus sit, non obscurè insinuat Trid. *sess.* 23. *c.* 4. *de reform.* ubi *prima Tonsura initiari* prohibet illos, *de quibus probabilis conjectura est, eos potiùs sæcularis Judicii fugiendi fraude*, & Ecclesiastici fori privilegio fruendi animo, *quàm ut DEO fidelem cultum præstent, hoc vitæ genus elegisse*: quibus verbis suscipientes Tonsuram alio, quàm fidelem cultum DEO præstandi animo apertè arguit fraudis, ac deceptionis; hæc autem utique non vacat culpa, ergo &c. *Neque* contrarium probat exemplum Universitatum à primæ sententiæ fautoribus adductum; quia ab eo usu in illis Academiis recessum est, & ubi earum Rectores Ecclesiastici non sunt, Jurisdictio in Clericos ferè in illarum Procancellarios, Sacræ Facultatis Decanos, aliasque Personas Ecclesiasticas transiit.

Quod verò culpa ista mortalis non sit; inde constat; quia nullum habetur præceptum, quod recipientem primam Tonsuram, aut Ordines Minores obliget ad hoc, ut in Clericatu suscepto persistat. Cum Novitio Religionis nulla est paritas; hic enim in re gravi decipit Prælatum, qui non intendit aliquem admittere ad Novitiatum, Institutum, & Secreta Religionis cognoscenda, & vitæ Regularis communionem, quàm eum, qui in illa, quam præ se fert, Vocatione constans fore speretur. Accedit, quia talis magnis expensis nutritur in Novitiatu, nullo operæ suæ pretio. Tam gravis, & tam præjudiciosa deceptio non est receptio Tonsuræ, vel minorum Ordinum sine animo permanendi in Clericatu.

Quæritur 2. quanta in Clerico requiratur animi, & conscientiæ puritas? Resp. hanc oportet esse maximam, ita, ut ab omni labe, seu culpa graviore immunes sint: & hoc meritò ob triplicem rationem. 1. Ob sublimitatem status, in quo consistunt; quia sunt Ministri Christi, & dispensatores Mysteriorum DEI 1. *Cor.* 4. *v.* 1. 2. Ob finem, quem sibi præfixum habent; nam ex officio suo imprimis deputati sunt ad laudandum, & intercessione sua placandum DEUM: non autem est speciosa laus in ore peccatoris. *Eccl.* 15. *v.* 9. & peccatis mortalibus irretitus iram DEI potiùs provocat, quàm placat. 3. Ob sanctitatem functionum; nam sanctam, & immaculatam DEO Hostiam offerunt, & sumunt, quam oblaturus, & sumpturus decet, ut sit sanctus, innocens, impollutus, & segregatus à peccatoribus. *Hebr.* 7. *v.* 26. 12

Dub. 1. quomodo fides, & probitas Ministri necessaria sit ad Sacramentorum administrationem? Resp. distinguendum inter valorem, & licentiam; nam Fide certum est, ita definiente Trid. *Sess.* 7. *can.* 12. *de Sacram.* ad horum valorem, Fidem, & probitatem Ministri internam non requiri: & ratio est, quia vim causandi gratiam sanctificantem habent ex opere operato, & Christi, non ministri meritis. Hinc si Sacramenti substantialia, materia & forma cum debita intentione à Ministro adhibeantur, Sacramentum administrabit validè, quantumvis Minister in peccatum mortale, vel etiam Hæresim lapsus sit. 13

Ut verò licitè administrentur, extra casum necessitatis requiri, ut Minister positus sit in statu gratiæ, est omnium doctrina cum S. Thom. 3. *p. q.* 64. *art.* 5. & constat ex *can. omnia* 78. *caus.* 1. *q.* 1. *can. fin. caus.* 15. *q.* 8. *c. fin. de cohabit. Cler. & mul.* Ratio est, quia Clerici eo ipso, quòd ex officio suo sint publici Ministri Christi, & dispensatores Sacramentorum novæ Legis, magnam irreverentiam tam in ipsum Christum, quàm in Ordinem & officium suum committunt, quando sancta tractare indignè, & dum ipsi peccatorum sordibus inquinati sunt, sanctissimorum Christi Meritorum thesaurum dispensare temere præsumunt.

Conf. ex antiqua Lege, in qua severissima commi- 14 natione removebantur à Divino Ministerio, qui quacunque corporis macula, aut immunditia aliqua inquinati erant, & tamen sacrificia illa tantùm umbra fuerunt sacrificii novæ Legis. Igitur longè magis decet sanctos, & immaculatos esse Ministros Mysteriorum novæ Legis.

Dixi autem, *extra casum necessitatis*; nam casu, quo urgeret necessitas, & Baptismus conferendus esset statim morituro, nec Minister, in statu peccati mortalis constitutus, confiteri posset, aut etiam contritionem elicere sine periculo, ne baptizandus interea moreretur, eo, inquam, casu Sacerdotem ipsa Sacramenti celeriter administrandi necessitas à peccato excusaret, & purgaret irreverentiam, Christo, & Sacro Ordini inferendam, ut benè notant Conick *q.* 64. *art.* 6. *dub.* 1. *n.* 22. Laym. *l.* 5. *tr.* 1. *c.* 5. *n.* 8. Pal. *tr.* 18. *D. un. p.* 5. *n.* 9. Vviest. *hic n.* 32.

Dub. 2. de quibus Ministris Lex ista existendi in sta- 15 tu gratiæ, dum administratur Sacramentum, intelligenda sit? Distinguunt aliqui inter Ministros, qui ex officio proprio, ad quod per ordinationem specialiter deputati sunt, Sacramentum administrant, & inter eos, qui illud administrant per accidens solùm, Ministro proprio deficiente, ut si Laicus in necessitate administret Baptismum; nam priores solùm, non verò posteriores asserunt obligari ad statum gratiæ procurandum, antequam administrent Sacramentum.

Sed probabiliùs obligatio hæc se extendit ad quoscunque Ministros, etiam Laicos, ita, ut quandocunque Sacramentum aliquod, sive ex proprio officio, ad quod per Sacram Ordinationem deputati sunt, sive pro-

proprio Ministro deficiente, per accidens publice, aut privatim administraturi sunt, statum gratiæ procurare teneantur, & si illud in statu peccati mortalis scienter administrent, graviter peccent. Ita Navar. *in can.* 1. §. *Sacerdos dist. 6. de Pœnit. num.* 10. Vasq. *D.* 136. *c.* 3. *n.* 38. Petr. Ledesm. *de Matr. q.* 42. *art.* 3. §. *ad ult.* Pal. *p.* 5. *cit. n.* 9. *& trib. seqq.* Vviest. *hic n.* 31. nec immeritò; ratio enim videtur esse universalis, quia sc. fit gravis irreverentia Christo, si personam ejusdem repræsentare, & thesaurum meritorum illius dispensare præsumat DEI hostis, & Diaboli mancipium; unde etsi graviùs peccent, qui ex officio hujusmodi Sacramenta administrant, non tamen per hoc cæteri à peccato mortali fiunt liberi.

16 Dub. 3. an immunitas conscientiæ à peccato mortali Clericis necessaria sit ad alios actus Ordinum exercendos, qui non sunt confectio Sacramenti? Consentiunt DD. non peccare mortaliter, qui actus Ordinum minorum in peccato mortali exercet.

Controversia solùm est de actibus propriis majorum Ordinum, uti est collatio primæ tonsuræ, consecratio Chrismatis, vel Altarium, ministerium Levitarum in Sacrificio Missæ, prædicatio Verbi Divini, benedictio nuptiarum, olei, aquæ &c. Sylv. *V. Clericus* 2. *num.* 2. *in fin.* Navar. *Man. c.* 25. *num.* 72. Cajet. *in* 3. *p. q.* 64. *art.* 3. *ad* 1. & alii putant, hos actus sine gravi peccato in eo statu exerceri non posse. Desumunt hoc ex *c. fin. de temp. ordin.* ubi *Sacerdotes, & alii Clerici, qui per reatum adulterii &c. bonum conscientiæ rectæ perdiderunt, monendi dicuntur, & sub interminatione Divini Judicii obtestandi, ut in testimonium suæ damnationis in susceptis Ordinibus non ministrent. Conf.* exemplo Ozæ, repentina morte percussi ob indecentem contactum Arcæ. atqui non minor infertur Deo irreverentia per ministerium Diaconi, vel Subdiaconi peccati mortalis sordibus inquinati. ergo &c.

17 Sed probabilius per non Sacramentales Ordinum functiones, in statu peccati mortalis factas, scandalo cessante, non peccatur mortaliter. Ita Sot. *in* 4. *dist.* 1. *q.* 5. *art.* 6. & *dist.* 24. *q.* 1. *art.* 4. *ad* 1. Suar. *in* 3. *p. D.* 16. *sec.* 3. Vasq. *ibid. D.* 136. *num.* 50. Valent. *tom.* 4. *D.* 3. *q.* 5. *p.* 3. Coninck *q.* 64. *art.* 7. *dub.* 1. *num.* 39. Bonac. *D.* 1. *q.* 3. *p.* 3. §. 1. *n.* 4. Pal. *tr.* 18. *D. un. p.* 6. *n.* 2. Vviestn. *hic num.* 33. Ratio est, quia cùm functiones istæ Sacramenti alicujus confectionem, vel administrationem non contineant, non videtur gravis irreverentia committi in Christum: sed neque committitur ejusmodi irreverentia contra Ordines, quorum exercitium, & actus sunt; quia functiones istæ ad sanctificationem ex opere operato, conferendam non tendunt.

Neque obest *c. fin. cit.* nam intelligendum est secundùm materiam subjectam, & qualitatem ministerii. *Ad Conf.* ex plurium DD. sententia Oza peccatum mortale non commisit, licet incautus ejusdem contactus ad augendam reverentiam Arcæ temporali morte a Deo punitus sit.

18 Dub. 4. an Clericus peccati mortalis sibi conscius Sacramenti administrationi præmittere teneatur Confessionem Sacramentalem, vel satisfaciat, si ante illam eliciat Contritionem? Resp. distinguendo inter sumptionem Eucharistiæ, & conf. antecedentem illius confessionem à Sacerdote, & inter reliqua Sacramenta. De his enim nihil Jure definitum reperitur, & conf. sufficiet, si eorum Minister statum gratiæ per Contritionem reparet. At celebrationi Missæ Sacerdos, in statu peccati mortalis constitutus, Confessionem Sacramentalem præmittere debet, prout constat ex Trid. *sess.* 13. *c.* 7. & patet ex *Decreto Alexandri VII. edito* 18. *Mart.* 1666. ubi contrarias Propositiones duas, unam numero 38. alteram 39. damnavit.

19 Controversia fieri potest de Jure, quo introductum est illud præceptum: ad quod cum communi, & veriore sententia dico illud descendere ex Jure Divino. Ita Sot. *in* 4. *dist.* 12. *art.* 4. Covar. *in c. Alma p.* 1. §. 1. *num.* 8. Suar. *sect.* 2. *cit. concl.* 3. Vasq. *D.* 207. *à num.* 40. Vviest. *hic num.* 35. & hoc teste alii præcipui nominis TT. Ratio est, quia, ut ex Trid. *c.* 7. *cit.* patet, Ecclesia declaravit, illis verbis Apostoli, *Probet autem seipsum homo &c.* ab Apostolo proponi præceptum de Confessione Sacramentali præmittenda celebrationi Missæ, & Communioni. Apostolus autem hoc præceptum non proponit ut conditum à se; quia dicit, *Ego enim accepi à Domino*, quæ verba ad omnia subsequentia videntur referri. Ex quo sequitur, præceptum hoc etiam per consuetudinem contrariam tolli non posse.

§. II.

De Honestate Vitæ Clericalis Externa.

SUMMARIUM.

20 *Morum ac Vitæ integritas, in Clerico requisita, exigit primò, ut sit extra omnem suspicionem incontinentiæ.*
21 *Secundò, ut fugiat crapulam, & ebrietatem.*
22 *Tertiò, ut sit alienus ab omni Avaritia.*
23 24 *An, & quid Judex à partibus possit accipere?*
25 *Quibus casibus?*
26 27 *An consuetudine induci possit, ut aliquid accipere liceat?*
28 29 *An ex causa redimendi vexam tale aliquid dare?*
30 *De restitutione acceptorum.*
31 *Clerici habitum, & tonsuram Clericalem debent gerere.*
32 *Non comam nutrire, vel barbam.*
33 *Nec arma militaria gerere.*
34 *Vestitus qualitas.*
35 *Probabiliùs gestatio annuli prohibetur etiam Doctoribus Clericis.*
36 37 *Casus, quibus Habitum, & Tonsuram Clericus licitè, vel saltem impunè non defert.*
38 39 *An etiam Clerici minores teneantur deferre habitum, & tonsuram?*
40 *An reassumens habitum, & tonsuram privilegium Fori amissum recuperet?*
41 *Quid si post habitum dimissum deliquisset.*
42 *An consuetudine induci possit, ut Subdiaconi v. g. Clericaliter non incedant?*
43 *An Clericus arma prohibita gestans, iis spoliari à Sæculari Magistratu possit?*
44 *Obligatio Clericorum in ordine ad Divina Officia.*
45 46 *Negotia, officia, & exercitia prohibita Clericis.*
47 *An talibus intendens, privilegium fori amittat ipso Jure?*

EXterna Vitæ Clericalis Honestas etiam ipsa præcipuè tria exposcit, 1. Morum, & conversationis integritatem. 2. decentiam habitus externam. 3. exercitium munerum, atque officiorum, convenientium Statui Clericali. Vvagn. *hic not.* 2. Pith. *ibid. princ.* Vviest. *n.* 37.

Quæritur 1. in quo consistat morum, ac vitæ integritas juxta SS. Canones in Clericis requisita? Resp. hæc maximè in tribus consistit. 1. ut, præsertim si in Sacris sint constituti, non solùm continenter, & castè vivant, sed etiam ita cautè, ut extra omnem suspicionem incontinentiæ, & intemperantis animi sint, prout statutum habetur *C. ut Clericorum* 13. *h. tit.* Ratio est, quia nihil est à purissimis, & mundissimis illis Ministeriis Divinis, quibus mancipantur, alienius, quàm polluta conscientia. Hinc sine manifesta, & rationabili causa Monasteria Monialium sub pœna depositionis frequentare prohibentur, ut habetur *c. Monasteria* 8. *h. tit. c. un. princ. de stat. regul. in* 6. quod innovavit Trid. *sess.* 25. *c.* 5. *de Regular.* auxitque, dum statuit, ut deinceps nemini, cujuscunque conditionis, aut sexus fuerit, sub pœna Excommunicationis, ipso facto incurrendæ, intra septa Monasterii Monialium ingredi liceat absque facultate in scripto impetrata ab Episcopo, aliove Superiore, cui Monasterium subjectum est, quam licentiam ipse dare non possit, nisi in casibus necessariis. Laym. *l.* 4. *tr.* 5. *c.* 12. *n.* 1. *& seqq.* Multo magis iisdem Clericis vitanda est familiaritas cum aliis fœminis; tritum namque adagium est: *Mare, ignis, & mulier tria mala; sed tamen minus tempestuosum est mare, ignis minus inflammat, in muliere omnia nocent. Excipiuntur* Sacerdotes, Diaconi, & Subdiaconi Orientales; nam hi etsi post susceptum Sacerdotium, vel Diaconatum contrahere amplius Matrimonium nequeant, uti tamen Matrimonio possunt, quod ante susceptum Sacerdotium, vel Ordinem Sacrum contraxerunt, ut notat Gloss. *fin. in c. ut Clericorum cit.* & dicetur *infra Tit.* 3. 20

2. Fugienda est Clericis crapula, & ebrietas, quæ omnium vitiorum fomes, & nutrix est *can. fin. dist.* 35. & mentis aciem hebetat, ejus exilium inducit, & libidinis est incentivum *c. a crapula* 14. *h. tit.* Ut verò a periculo se inebriandi sint remotiores. 1. inhibetur illis, ne ad bibendum se incitent, & usus ad æquales haustus provocandi, ac fœcundiores calices exhauriendi aboleri jubetur, adjecta pena, ut si commoniti non destiterint, 21

terint, ab officio, & beneficio suspendantur, prout habetur *c. citt.* Intelligi autem hoc debet, quando periculum est inebriationis; nam secluso isto periculo, ad æquales haustus potatio, quæ causa honoris, & votivæ salutis pro Principibus, & amicis fit, licita est, ut advertit Vall. *hic n.* 7. Zypæus *ibid. num.* 9. Schamb. *n.* 6. 2. iis interdicitur, ne edendi aut bibendi causa tabernas ingrediantur, nisi itineris necessitate compulsi *can. non oportet* 2. *& duob. seqq. dist.* 44. *cap. Clerici* 15. *h. tit.* In istis autem Canonibus non est constituta pœna contrarium facientibus & ideo relicta videtur arbitrio superioris, ut consideratis personarum qualitate, actuum frequentatione, videntium scandalo, majorem, vel minorem injungat. 3. non permittuntur convivia accedere, præsertim nuptialia, ubi majores illecebræ, & sæpe Bacchus, & Venus conviviantur *can. Presbyteri* 19. *dist.* 34. *can. convivia* 6. *& seqq. dist.* 44.

22 3. Clerici ab omni avaritia maximè alieni sint, oportet; nam qui festinat ditari, non erit innocens *Prov.* 28. Imo avaro nihil est scelestius, nihilque iniquius, quam amare pecuniam. *Eccl.* 10. Quare ad vitium hoc evitandum Ecclesia 1. iisdem sustulit potestatem condendi Testamenta *c. quorundam* 1. & passim *de Testam.* 2. negotiationis exercitium, & præcipuè usurarum, sub pœna Excommunicationis, iisdem prohibuit *c. Clerici* 2. *& c. fin. h. tit.* 3. Cambia, quæ maximè spe lucri ineuntur, interdixit *arg. cap. ex parte* 18. *in fin. de Censib.* 4. Auri, & argenti Alchymici confectionem, usumque vetuit. *Extrav. spondent. un. de crim. falsi. int. comm.* 5. Judices gratis judicare voluit, non acceptis litium Decimis, nec earum quota, *c. cum ab omni* 10. *h. tit.* Hæc satis certa.

23 Dub. 1. utrum Judex acceptare saltem licitè possit munera, si hæc liberaliter, & spontè eidem offerantur? Resp. distinguendum inter Judicem Ordinarium, & delegatum. Judex Ordinarius, sive Ecclesiasticus, sive sæcularis non potest illa accipere, etiam spontè oblata, sed eorum acceptio, & multo magis exactio utroque Jure gravissimè est interdicta, Canonico quidem *c. cùm æterni* 1. *de sent. & re judic. in* 6. *& c. statutum* 11. §. *insuper* 4. *de Rescript. in* 6. Civili autem *L. solent* 6. §. *fin. ff. de Offic. Proconf. l. un.* §. *donationes* 1. *C. de contract. Judic. l. venales* 7. *C. quand. provoc. non est necess.* Ubi sententia lata ob mercedem irrita esse dicitur. *Ratio est*, quia Judices Ecclesiastici Ordinarii habent Beneficia, & alios redditus Ecclesiasticos, quibus onera officio suo annexa sustineant; sæcularibus autem ex publico salaria, & stipendia numerantur, ob quæ ex Justitia obligantur ad Justitiam ministrandam partibus, officium illorum implorantibus. Et hinc, si Judex etiam sæcularis accipiat munus, tanquam mercedem, & pretium, peccat contra Justitiam, Ecclesiasticus verò etiam committit Simoniam: & uterque ad restitutionem tenetur.

24 Difficultas major est de Delegato, an pro labore judicandi munus, aut salarium à partibus litigantibus possit accipere? Verùm hæc commodè ope distinctionis solvitur; nam Delegatis à Papa permissum est accipere esculenta, & poculenta, si talia illa sint, quæ spectata tam accipientis, quàm dantis conditione sint modica, & spontè, ex mera liberalitate sine ulla exactione, vel petitione, etiam indirecta, offerantur, ut adeò suspicio esse non possit, ea oblata esse vel in compensationem laboris judicandi, aut animo Judicii pervertendi *cap. statutum* & §. *insuper citt.* Cæteri verò Delegati, spectato Jure communi, nihil omnino possunt accipere, sed expensas, & victualia ab Ordinario delegante iisdem præstanda sunt, ut contra Gloss. *in* §. *insuper cit. V. moderatas*, & Abb. *in cap.* 10. *h. tit. num.* 13. advertit Gloss. *in cap.* 10. *cit. V. præter expensas*, Bartol. *ibid. n.* 9. Wagn. *in Exeges.* Pirhing *n.* 8. & colligitur ex *c. statutum cit.* §. *assessorem*, ubi decernitur, si Judex Ordinarius assessorem assumat, salarium huic non à partibus, sed ab ipso Ordinario, qui ejus auxilio utitur, solvendum esse. Igitur similiter, si alicui causam deleget, expensæ, & victualia solvenda erunt à delegante.

25 Dub. 2. quibus casibus Judex vel delegatus, vel Ordinarius accipere aliquid possit à litigantibus? Resp. quatuor maximè excipiuntur apud DD. quorum *primus* locum habet in Delegatis Papæ, qui, ut *n. præc.* dictum est, possunt accipere esculenta, & poculenta levia.

Secundus procedit etiam in Delegatis cæteris, quando extra domicilium suum ad causam cognoscendam proficisci debent; nam tali casu moderatas expensas itineris æqualiter à partibus litigantibus, quarum commune negotium geritur, si pauperes non sint, accipere permittuntur §. *insuper cit.* & Gloss. *ibid. V. moderatas*, Abb. *in c.* 10. *h. tit. n.* 13. Imol. *n.* 3. *&* 12. Vivian. *in rat.* Barb. *n.* 3. Laym. *n.* 1. & ratio est, quia nemo suis stipendiis cogitur militare.

Tertius, & *quartus* denique etiam conveniunt Judici ordinario: *unus* illorum est, quando Judex ex Beneficio, & redditibus Ecclesiastici s congruam sustentationem non habet; nam tunc à partibus accipere potest salarium pro suo munere exequendo, ut *l. citt.* advertunt Abb. *n.* 11. Barb. *n.* 9. ex ratione paulò antè allata: *alter*, quando Judex ad celeriorem causæ expeditionem in se suscipit laborem extraordinarium, & adhibet diligentiam, ad quam ex officio suo non obligatur; nam istius compensationem aliquam admitti posse cum Navarro, & Sanchez docet Wiest. *hic n.* 45.

Dub. 3. an per consuetudinem introduci possit, ut Judices Sæculares, eorumque Assessores à partibus pro labore aliquid certum loco salarii exigere, & accipere possint? Resp. affirmativè, si id, quod solvitur, sit moderatum: secus, si immoderatum quid exigatur, vel irrationabiliter; tunc enim id nulla consuetudine introduci potest, quòd per hoc præbeatur occasio pervertendi Justitiam, ut rectè advertit Laym. *in c.* 10. *h. tit. n.* 4. Pirh. *hic n.* 9. 26

An idem dicendum etiam de Judice Ecclesiastico? difficultas est: & affirmativam videtur suadere argumentum à pari; potest enim per consuetudinem legitimè præscriptam introduci, ut fideles aliquid solvere teneantur Parocho pro administratione Baptismi, & aliorum Sacramentorum, vel pro funere, licèt ad hanc ex Officio teneatur, & alioquin sufficientes redditus pro sustentatione habeat. *Sed non est paritas* cum casu nostro; nam memoratæ oblationes continent causam pietatis, & ideo faciliùs per consuetudinem firmari possunt, quàm eæ præstationes, quæ fiunt pro munere judicandi, quippe quæ non pietatem, sed potiùs turpitudinem continent, seu præseferunt ex parte exigentium, aut accipientium.

Hinc dicendum, casu, quo Judici Ecclesiastico aliunde ex Beneficiis, vel aliis stipendiis de congrua sustentatione provisum est, non posse introduci ulla consuetudine, ut ille, saltem si Ordinarius sit, pro labore judicandi aliquid accipiat à partibus Salarii loco, *arg. c.* 10. *cit.* & docet *ibid.* Abb. *n.* 4. *&* 10. Laym. *n.* 4. *&* 5. Molin. *de Just. tr.* 2. *D.* 84. *n.* 8. Pirh. *hic n.* 9. idque tum ob periculum perversionis Judicii, & Justitiæ, tum propter speciem mali, à qua Ecclesiastici, utpote qui cæteris esse exemplo debent, abstinere sollicitiùs debent. Dixi autem *Casu, quo Judici aliunde de congrua sustentatione provisum est*; nam si istam non habeat, introduci consuetudine potest, ut aliquid accipiat à partibus, tanquam stipendium ad sustentationem vitæ. Addidi, *saltem si ordinarius sit*: nam quoad Delegatos faciliùs hujusmodi consuetudo introduci potest, cùm hi salarium, vel stipendium ob causas speciales, ad quas delegantur, non accipiant. 27

Dub. 4. quid dicendum de redemptione indebitæ vexationis, quæ à Judice v. g. causæ cognitionem, vel sententiam differente, infertur? Resp. hic distinguendum est inter acceptionem, & oblationem. *de prima* certum est eam esse illicitam; quia non potest aliquid accipi pro eo, quod aliàs debetur ex Justitia. Atqui Judex habet obligationem Justitiæ ad sententiam justam ferendam, & cognitionem causæ non protelandam. Ergo &c. 28

De *secunda* diffident inter sese DD. Negant enim aliquid à partibus eo casu licitè offerri posse Gloss. *in can. qui rectè* 66. *V. exspectat in fin. caus.* 11. *quæst.* 3. Sot. *l.* 4. *de Just. q.* 7. *art.* 1. *ad* 2. Salicet. *in l.* 1. *ff. de condict. ob turp. caus. n.* 1. Desumunt hoc 1. *ex l. utputa* 2. *ff. tit. cit.* ibi. *Hic quoque crimen contrahit; Judicem enim corrumpere videtur*: & *Novell.* 114. *c.* 1. cujus principio litigantes ex quacunque causa Judici munera offerre prohibentur. 2. quia qui ex tali causa aliquid offert Judici, ejusdem peccato cooperatur. 3. quia ad redimendam hanc Judicis vexationem supersunt alia remedia, nempe recusatio, vel appellatio.

Sed verius dicitur id parti licitum esse. Ita Gloss. *in c. cùm ab omni* 10. *V. abstinere h. tit.* Abb. *ibid. n.* 7. Imol. *n.* 9. Joan. Andr. *n.* 8. Barb. *n.* 12. Wiest. *hic n.* 47. & alii ab *citt.* Ratio est quia id turpe, & illicitum non est spectato Jure naturali, quod sui defensionem permittit omnibus: quam cùm Jus positivum non tollat, sequitur etiam licitam esse Jure positivo.

Neque contrarium probant Argumenta Opinionis oppositæ. *Ad* 1. textus ille, & ejus ratio non procedit in foro interno, ubi non præsumptionibus, sed veritate statur: in foro externo tum solùm locum habet, quando ex circumstantiis non satis probatur intervenisse corruptionem; nam nisi hoc satis constet, in dubio 29

bio præsumitur datum Judici in malum finem, i. e. pro eodem corrumpendo, & sollicitando ad ferendam sententiam pro ipso dante. *Ad* 2. non omnis cooperatio ad peccatum illicita est, præsertim si coacta, sive necessitate extorta sit; liquet ex solutione usurarum, quæ permissa est ob Religionem Juramenti, aut aliam necessitatem. *Ad* 3. illa Juris remedia non sunt adeò certa in sui executione, imò plurimùm in hoc respectu dubia, cùm pendeant ex arbitraria probationum admissione, & ex aliis, quæ solent cujuslibet litis eventum dubium reddere: hinc rationi consonat, ut aliud remedium quæratur, quod non ita dubium sit, sed adeò certum, ac ipsummet damnum ex iniquitate Judicis indubitanter imminens.

30 Dub. 5. an, & quando, quæ data sunt Judici, ab hoc restitui debeant? Resp. distinguendum, quo animo dentur: Vel enim coactè dantur, vel spontè. *Si coactè*, repeti possunt, & restitui debent; quia petita cum injuria, nec accipiens acquisivit rei datæ dominium. *Si sponte*, videndum, an data sint tanquam pretium ex pacto pro sententia pro dante lata, an solùm liberaliter, & merè gratuitò. *Si primum*, iterum restitutioni obnoxia sunt; quia non potest aliquid accipi pro eo, quod aliàs debetur ex Justitia. atqui Judex habet obligationem Justitiæ ad ferendam justam sententiam. Ergo &c. Restitutio tamen fieri debet, non danti, sed fisco; dans enim ob turpitudinem commissam in emptione sententiæ Jure privatur re à se data. *Si secundum*, quamvis nec sic data Judex possit accipere, ut eo liberior sit in pronuntiando, ante condemnationem tamen restituere non tenetur aut danti, aut cuilibet alteri: quia cùm liberaliter data sint, datio fuit voluntaria, & conf. nisi aliunde accipiens inhabilis sit ad accipiendum dominium, hoc in ipsum translatum est. Barbos. *in c.* 10. *h. tit. n.* 6.

31 Quæritur 2. qualis debeat esse Habitus, & Vestitus Clericorum. Resp. 1. Clerici in sacris constituti, & Beneficiarii, etiamsi minoribus Ordinibus tantùm initiati sint, vestem, & coronam, seu tonsuram Ordini suo congruentem deferre debent *c. Clerici* 15. *Clem.* 2. *eod.* & Trid. *sess.* 14. *c.* 6. *de reform.* ubi rationem addit, *ut per decentiam habitus extrinseci morum honestatem intrinsecam ostendant.* Adduntur *citt.* textibus gravissimæ pœnæ; nam si in hoc transgressi fuerint Clerici, puniuntur Suspensione ab Ordinibus, officio, ac Beneficio: & si semel correpti in hoc denuo deliquerint, etiam per privationem Officiorum, & Beneficiorum coercendi dicuntur. Ex quo sequitur, habitum, & tonsuram non ferentem peccare mortaliter; quia Excommunicatio, Suspensio &c. non infertur, nisi ob peccatum mortale.

32 2 Clerici neque Comam, neque barbam nutrire debent, prout statutum est *c. Clericus* 5. *hoc tit.* & si nutriant, etiam inviti ab Archidiaconis suis tonderi possunt *can. Clerici* 22. *dist.* 23. & *c. Clericus* 7. *h. tit.* & si admoniti, ut tonsuram ferant, non pareant, excommunicari jubentur *c. si quis* 4. *eod.* Quos Canones consuetudo sic explicat, ut prohibitum sit Clericis nutrire comam more profano; nam si capilli ad aures usque ferantur, imò si longiores etiam sint, formam tamen ab aliis viris honestis, etiam Laicis usitatam non excedant, ejusmodi Clericus nec Excommunicationem ipso facto incurret, nec per sententiam Judicis propterea excommunicari, vel aliter puniri potest, ut rectè notant Vvagn. *in c.* 5. *h. tit. in Exeges.* Vall. *hic n.* 17. Zoes. *n.* 9. Pirh. *n.* 21. Vviest. *n.* 48.

33 3 Interdicta est Clericis gestatio armorum militarium *c. Clerici* 2. *h. tit.* & contrarium facientes excommunicantur, non tamen ipso facto, nisi sint Religiosi; nam hi, si arma teneant intra septa Monasterii absque licentia Superioris, ipso facto sunt excommunicati. *Clem. ne in agro* 1. §. *quia verò de Stat. Monach.* *Excipitur*, quando justa est causa ferendi arma, v. g. in obsidione, vel itinere per loca infesta latronibus; nam tali, vel alia simili causa urgente, tam Religiosis, quàm Sæcularibus Clericis arma gestare licet impune. Abb. *in c.* 2. *h. tit. n.* 8. Vivian. *ibid. in ration.* Henr. Boich. *n.* 7. Barb. *num.* 5. Gonz. *n.* 8. Vagn. *in Exeg.* Vall. *hic n.* 16. Pirh. *n.* 22. Engl. *n.* 14. Konig *n.* 20. Vviest. *n.* 49.

34 Dub. 1. qualis debeat esse vestis Clericorum? Resp. hæc maximè conformanda est consuetudini, & usui cujusque Regionis *can. si quis virorum* 15. *dist.* 30. Hac præcisa, debet 1. esse talaris, prout statutum est à Sixto V. *Const.* incipit *Sacrosancta edita* 18. *Januar.* 1589. 2. non virgata, vel partita, h. e. diversos colores, aut flores panno intextos, vel per artem superinductos habens, ut statuitur *c. Clerici* 15. *h. titul.* & cum Glossa, & aliis explicat *ibidem* Barbos. 3. color ejusdem non sit rubeus, viridis, aut violaceus; quamvis enim hic posterior olim quibuscunque Clericis in usu fuerit, ut notat Baronius *ad annum Christi* 393. *n.* 48. nunc tamen communis Ecclesiæ usus obtinuit, ut colore violaceo Episcopis relicto, cæteri Clerici utantur fusco, seu nigro. *Excipiuntur* quidam Regulares, qui colore utuntur præscripto à sua Regula, & S. R. E. Cardinales, quibus Innocentius IV. in Lugdunensi Concilio anno 1240. rubri galeri, & purpuræ usum concessit, ut testis est Piasecius *Prax. Episc. p.* 2. *c.* 3. *art.* 2. *n.* 29. 4. Clerici non gerant fibulas, aut corrigias auri, vel argenti ornatum habentes: item non utantur manicis, & sotularibus consutitiis, frænis, sellis, pectoralibus, calcaribus deauratis *c. Clerici* 15. *h. tit.* 5. annulos in digitis gestare non debent, nisi sint Episcopi, vel in Ecclesiastici Officii dignitate constituti. Abb. *in c. Clerici cit. in Addit. lit. E.*

Extendunt nonnulli exceptionem istam etiam ad Doctores Clericos, & fundantur, quia annulus unum est ex Insignibus, quibus inaugurantur Doctores, dum creantur: & confirmatur ex *Clem.* 2. *de Magistr.* ubi Doctoratus, vel Magisterium honor, adeoque Dignitas dicitur. Ego extensionem istam limito ad illos, qui sunt Professores scientiarum in Academiis, quibus Jurisdictio, vel Superioritas aliqua in Studiosos competit; de cæteris autem puto probabiliùs negandum cum Laym. *in c.* 15. *cit. n.* 4. Pirh. *hic n.* 18. Schamb. *n.* 10. *Ad Argumentum contrarium* dico, illud probare nimium; nam Doctoribus in inauguratione sua etiam confertur torques aureus, quem tamen in publico gestare non possunt Clerici ex recepta Ecclesiæ consuetudine. *Ad Conf.* Doctoratus in Ecclesia honor, non Dignitas est, nisi latè; nam propriè loquendo Dignitas Ecclesiastica habet adjunctam aliquam Superioritatem, aut Jurisdictionem, vel saltem Officium, seu administrationem rerum Ecclesiasticarum, qualem non habet Doctor. 35

Dub. 2. quibus casibus Habitum, & Tonsuram Clericus licitè, vel saltem impune non deferat? Resp. hujusmodi casus complures sunt. 1. Si hoc una tantùm vice contingat; quia ut pœnas non delati habitus competentis Jure latas incurrat Clericus, requiritur, ut perseveranter non ferat, ita, ut publicè, ac communiter existimetur Laicus. Farin. *prax. crim. q.* 8. *n.* 68. Piasec. *art.* 2. *cit. n.* 30. Vall. *hic n.* 15. Zypæus *n.* 7. Pirh. *n.* 19. Sannig *c.* 3. *n.* 6. 36

2 Si habitum Clericalem deferat, sed non tonsuram; quia in tali locus non foret pœnæ à Jure statutæ, quamvis aliter arbitrio Judicis puniri possit. Gloss. *in Clem.* 2. *V. & tonsuram h. tit.*

3 Si ratione paupertatis habitum Ordini suo congruentem gestare non possit. Engl. *n.* 9. *hic*, Pirh. *de for. compet. n.* 98. cum *citt.*

4 Si habitum Clericalem domi suæ, & in occulto non gestet. Ugolin. *de Offic. Episc. c.* 12. *n.* 3. Barbos. *l.* 1. *Jur. Eccl. c.* 40. *n.* 3. *& seqq.* & *in Clem. cit. n.* 2.

5 Si eundem dimittat ob probabile periculum vel illum non deferat, quia est spoliatus ab hostibus, aut latronibus. Gloss. *in Clem. cit. cas.* cum *citt.* 37

6 Si in itinere sit constitutus; tunc enim Clerici portare vestes breviores possunt: imò etiam aliàs sufficit, quòd pallium pertingat ad talos, toga verò tegat genua. Barbos. *l. cit. n.* 30. *&* 37. Zyp. *n.* 6.

7 Ex justa causa ad fructum animarum majorem ferendum, aut scandalum vitandum possunt Religiosi habitum suæ Religionis exuere, vel eundem aliis vestibus superinductis occultare. Gloss. *in c.* 11. *h. tit. V. professi*, Abb. *ibid. n.* 1. Imol. *n.* 1. Joan. Andr. *n.* 1. Barb. Vivian. Vvagnereck &c.

Dub. 3. an etiam Clerici, prima Tonsura, aut minoribus tantùm initiati, habitum Clericalem & deferre teneantur? Resp. cum distinctione: vel enim habent Beneficium aliquod, vel non habent. *Si primum*, omnino tenentur, ut patet ex *Clem.* 2. *h. tit.* & Trid. *sess.* 14. *c.* 6. *de reform.* quod innovavit Sixtus V. *in Bulla*, quæ incipit *Cum Sacrosancta*, qua sancivit, omnes Clericos Beneficiatos, & Pensionarios, etiamsi nullum jus in Beneficio, sed tantùm ad Beneficium habeant, non deferentes habitum Clericalem, ipso Jure suis Beneficiis privatos esse. *Excipitur*, si alicubi constans, & multi temporis sit, ut in Minoribus constituti, qui Canonicatus v. g. obtinuerunt, in quibus vel investiti adhuc non sunt, vel residentiam non fecerunt, nec fructus percipiunt, habitum Clericalem non gestent; nam hi, licèt honestius facerent, habitum Clericalem deferendo, ob non receptam Bullam memoratam excusari possunt, ut monet Engl *hic n.* 8. *fin.* Konig. *ibid. n.* 22. 38

Si

Si secundum, absolutè quidem ad habitum deferendum non obligantur, si tamen eundem non deferant, privilegio Clericali non gaudent, prout de *privilegio Fori* consentiunt omnes. De *Canonis privilegio* est controversia. Etiam hoc ab ipsis amitti existimat Suar. *de Censur. D.* 22. *s.* 1. *num.* 11. Fill. *tom.* 1. *tract.* 16. *cap.* 1. *num.* 298. Laym. *l.* 1. *Theol. tract.* 5. *p.* 2. *c.* 5. *num.* 3. *vers. tertio*. Engl *hic num.* 9. unde juxta hos ille, qui percutit Clericum minorem non incedentem Clericaliter, Excommunicationem Canonis Sedi Apostolicæ reservatam non incurret. *Rationem* dant quia privilegium Canonis facilius amittitur, quàm privilegium fori, cùm hoc Divini, illud autem Ecclesiastici tantum Juris sit.

39 Sed esto, non eodem Jure utrumque privilegium sit introductum, quod multi verisimilius negant, Canonis tamen privilegium hujusmodi Clerico non adimi docent Navarr. *l.* 5. *cons.* 24. *de privil. edit.* 2. Clar. §. *fin. q.* 36. *num.* 19. Garc. *de Benef. p.* 2. *c.* 3. *num.* 5. *in fin.* Molin. *tract.* 3. *de just. D.* 54. *num.* 9. Gonzal. *in Reg.* 8. *Cancell. gloss.* 5. §. 5. *num.* 7. Pignatell. *tom.* 3. *consult.* 7. *num.* 79. Konig *hic n.* 23. Vviest. *ibid. n.* 54. & declaravit S. Congr. Card. teste Gonz. *c. cit.* Ratio est, quia neutro privilegio excidit ante Trid. istud autem ad prædictas conditiones solum restrinxit privilegium Fori, ut proinde privilegium Canonis videatur relictum sub dispositione Juris antiqui *arg. l. præcipimus* 32. *C. de appellat.* Accedit, quia Tridentinum, ubi privilegiis Clericorum derogare intendit, id exprimit, ut abunde elucescit ex *sess.* 23. *cap.* 6. *de reform.* ubi expressit, Clericos conjugatos nullis aliis Clericorum privilegiis gaudere, præterquam Canonis, & Fori, & his tantum, servatis quibusdam conditionibus.

Ad Rationem oppositum sentientium dico, illationem à privilegio Fori illegitimam esse; quia imprimis Canonis privilegium ab eo diversum, istiusque privatio, tanquam odiosa, restringenda potiùs, quam extendenda est *arg. reg. odia* 15. *de R. J. in* 6. Denique privilegium Canonis magis necessarium est, quàm Fori, cum Clericalis Status magis inhonoretur Clericum percutiendo, quam eum conveniendo coram Judice sæculari. Denique privilegio Canonis nulli præjudicatur, sicut privilegio Fori; hoc enim aliquo modo derogat potestati Curiæ Sæcularis.

40 Dub. 4. an Clericus in Minoribus, habitum cum Tonsura Clericali semel dimissum reassumens, recuperet privilegium Fori? *Negativam* tuetur Avendanno *l.* 1. *de exeq. mandat. Reg. cap.* 22. *num.* 15. Fundatur, quia illorum dimissio, si stabilis sit, & nulla necessitate, vel alia causa urgente facta, est quædam renuntiatio privilegii Clericalis, sed hac semel facta, non est amplius locus pœnitentiæ, cùm *quod semel placuit, amplius displicere non possit*, juxta *Reg.* 21. *in* 6. ergo &c.

Sed defendenda est affirmativa sententia, quam etiam tenent Clar. §. *fin. q.* 36. *n.* 15. Farin. *prax. crim. q.* 8. *n.* 66. Pirh. *de for. compet. n.* 98. Vviest. *hic n.* 55. & alii ab his *citt.* sicque declaratum à S. Congr. refert Barbos. *Remiss. Concil. ad sess.* 23. *cit. c.* 6. *num.* 6. Colligitur ex *Clem.* 1. *hic*, ubi Clerici ob habitus dimissionem &c. Clericale privilegium amittere dicuntur, *quamdiu præmissis institerint*, qua clausula apertè insinuatur, eos si à præmissis destiterint, privilegium Clericale recuperaturos.

Ad Argumentum Avendanni dico, Clericos minores habitum non deferentes Clericale privilegium perdere, non ob renuntiationem illius (quia, ut constat ex *c. si diligenti* 12. *de for. compet.* huic privilegio renuntiare non possunt) sed ob non servatam conditionem requisitam, ut eo privilegio Clericus gaudeat: unde si servare denuo conditiones requisitas incæperit, denuo gaudebit privilegio Clericali.

41 Dub. 5. an si ejusmodi Clericus minor, postquam privilegium fori per habitus dimissionem amisit, commiserit delictum, postea reassumpto habitu, privilegium amissum recuperet? Negat cum aliis Sanch. *l.* 7. *de Matr. D.* 46. *n.* 4. & 10. ex ratione, quia cujus fori delinquens sit, desumendum est ex tempore delicti *arg. l. quoties* 1. *ff. de pœnis*, qua statuitur, ut ea pœna quis afficiatur, quam subiret, si sententia lata esset tempore delicti. Sed Clericus iste tempore delicti subjectus erat Jurisdictioni sæculari. ergo ab ista est puniendus.

Sed verius etiam iste, si habitum, & tonsuram Clericalem bona fide reassumat, recuperat privilegium fori, ut præter alios docet Decian. *tr. crim. tom.* 1. *l.* 4. *c.* 9. *n.* 100. Farin. *prax. q.* 8. *n.* 66. Pirh. *de for. compet. n.* 98. Vviest. *hic num.* 56. Ratio est, quia privilegium hoc minoribus Clericis conceditur, dummodo Beneficium habeant, aut si isto carent, habitum, & tonsuram deferentes deserviant alicui Ecclesiæ &c. igitur quamdiu, & quandocunque hoc bona fide observant, illo gaudent per *Clem.* 1. *cit.* junct. Gloss. *V. quamdiu. Conf. arg. l. hos accusare* 12. *princ. ff. de accus.* ubi prohibetur accusari Legatus de crimine ante Legationem commisso. Ergo nec Clericus coram Judice sæculari permittendus est accusari de crimine commisso ante Clericatum assumptum, vel habitum, & tonsuram Clericalem reassumptam; nam hoc si fecerit, jam apparet persona Ecclesiastica habens omnia, quæ à Jure ad privilegium fori Ecclesiastici requiruntur.

Neque adversatur *l. quoties cit.* quia in casu, quo dubitatur de privilegio Clericali, non Jus Civile, sed Canonicum considerandum est.

Dub. 6. an per diuturnam consuetudinem induci possit, ut Subdiaconi v. g. Clericaliter non incedant? Resp. posse; nam per diuturnum non usum potest abrogari Lex positiva humana, si non usus in se implicitè contineat quasi actum contrarium dispositioni Legis, ut tradit Abb. *in c. Joannes* 7. *de Cleric. conjug. num.* 9. sed non deferre habitum, & tonsuram Clericalem est quasi actus contrarius Legi, seu Canoni præcipienti delationem; quia juxta *Reg.* 121. *ff.* is, *qui non facit, quod facere debet, videtur facere adversus ea, quæ non facit*: proinde accedente bona fide, si nim. sit communis persuasio in populo Subdiaconos in tali loco non esse obligatos ad deferendum habitum, & tonsuram Clericalem, potest induci via præscriptionis consuetudo contraria. 42

Veruntamen, ut bene notat Pirh. *tit. de Cler. conjug. num.* 24. *in fin.* Ordinarius loci potest per novum statutum, quod Juri communi Canonico conforme sit, v. g. in Synodo Diœcesana conditum, talem consuetudinem iterum abrogare, & sic pristinam Legem, vel Canonem reducere in observantiam.

Dub. 7. an Clericus arma gestans, quæ Lege, vel Statuto Sæculari simpliciter, vel certo tempore, aut loco prohibita sunt, spoliari iisdem à Ministris Curiæ Sæcularis possit? Affirmat Clar. §. *fin. q.* 36. *num.* 26. & Covar. *l.* 2. *var. c.* 20. *n.* 18. Rationem dant, quia ejusmodi Statutum concernit utilitatem publicam, & SS. Canonibus non adversatur, ut proinde etiam Clerici eodem obligentur. Sed esto, eosdem obligari, coactio tamen ad ejus observantiam, & Coercitio Clerici transgressoris solius Ecclesiasticæ, non sæcularis est potestatis, quod Clerici à Jurisdictione Sæculari utroque Jure exempti sint *cap. nullus* 2. *c. si diligenti* 12. *de for. Compet. Auth. statuimus C. de Episc. & Cleric.* 43

Hinc dicendum, ejusmodi Clericum, nisi in flagranti crimine, aut istius machinatione deprehendatur, aliaque via non supersit, qua injuria, vel damnum ab eo inferendum impediri possit, armis, etiam specialiter prohibitis, jussu Sæcularis Magistratus spoliari non posse. Ita Ugolin. *de potest. Episc. c.* 13. §. 12. *n.* 3. Guazzin. *p.* 1. *defens.* 20. *c.* 9. *n.* 11. Marta *de Jurisdict. p.* 4. *cent.* 1. *cas.* 7. *per totum*, Vasq. *in* 1. 2. *D.* 167. *c.* 4. *n.* 31. Barbos. *in c. Clerici* 2. *h. tit. n.* 6. Gonzal. *ibid. n.* 7. Pignatell. *tom.* 5. *consult.* 5. *num.* 70. & plurimi alii ab hoc *citt.* *Excipitur*, nisi à Prælatis propriis ter moniti non paruerint; tunc enim, cum privilegium fori ipso facto amiserint, à Judice Sæculari justè iisdem auferentur arma, ut notat Gonzal. *loc. cit.*

Quæritur 3. quæ sit obligatio Clericorum in ordine ad Divina officia? Resp. de his SS. Canones statuunt, ut illa sedulò, industriè, eaque, quæ illorum dignitatem, ac Numinis, cui per illa inservitur, Majestatem decet, gravitate obeant. 44

Quod ut eo certiùs obtineatur, statutum est 1. *can. præter hoc* 6. *dist.* 32. *can. necessaria* 3. *caus.* 12. *q.* 1. *can. in omnibus* 34. *de consecr. dist.* 5. *c. quoniam* 9. *h. tit.* ut in communi, & in una domo vivant, in uno dormitorio dormiant, & in Refectorio reficiantur: unde etiam dicebantur Canonici, seu Regulares; quia sub una Regula vivebant. Sed ab hac vivendi ratione in Capitulis tam Cathedralibus, quàm Collegiatis, sciente, & tolerante Pontifice, per contrariam consuetudinem jam pridem recessum est, ut notat Gloss. *in c. quoniam cit. V. in una domo*, Host. *in Summ. hic n.* 1. Zoes. *n.* 13. Pirh. *n.* 11.

2. *C. ut Laici* 1. *h. tit.* constitutum est, ne Clerici, dum Sacra faciunt, permittant populum intra cancellos ad Altare, vel extra in Choro consistere, ut sic liberius Sacra Officia exerceant, & intendere Divinis valeant. Gloss. *in c.* 1. *cit. V. ut Laici*, Abb. *ibid. n.* 1. Imol. *n.* 1. Laym. *n.* 2. Barbos. *n.* 1. & *seqq.* Vall. *num.* 18. *hic* Pirh. *num.* 12. Addidi, *dum Sacra faciunt*; nam extra celebrationem illorum Laici non prohibentur orandi causa Chorum ingredi: idem iisdem licet sub Missæ Sacrificio communicandi causa, vel ad Altare offerendi. Laym. *l. cit.* imo pro-

propter consuetudinem cohonestari potest, ut Laici, præsertim viri, tempore Sacrorum Officiorum in Choro sint, ita tamen, ut Clericos psallentes confabulatione, aut risu non interturbent.

3. *c. ut quisque 3. h. tit.* ordinatur, ut quilibet Parochus Socium habeat Clericum, qui cum ipso cantet Epistolam, vel Lectionem legat, Doctrinam Christianam juventuti, & rudi populo tradat &c. intellige, si Parochus habeat sufficientes redditus, & ipse Curæ Parochiali non sufficiat.

45 Dub. 1. quæ negotia, officia, & exercitia sint prohibita *Clericis*? Resp. de his Regula generalis est, ne Clerici officia, munera, & commercia, præsertim quæ Statui Clericali adversantur, vel Ecclesiasticis functionibus impedimento sunt, exerceant, prout statuitur *c. Clerici 15. h. tit. & toto tit. Ne Cleric. vel Monach. &c.* alias post monitionem tertiam quoad bona sua privilegium Clericale perdant *c. fin. h. tit.*

In specie vero prohibetur Clericis 1. ne Mimis, Histrionibus, & Joculatoribus intendant *c. Clerici cit.* imò Clerici, qui se Goliardos, Buffones, Joculatores, vulgo *Gauckler, Schalchs Narren Meister Singer* faciunt, si artem hujusmodi ignominiosam per annum, vel postquam ter moniti sunt, breviore tempore exerceant, infames fiunt, omnique etiam Canonis privilegio ipso Jure privantur *c. un. h. tit. in 6.* quod plerique extendunt etiam ad Clericos in Sacris constitutos; quia littera indistinctè loquitur.

2. Præcipitur Clericis, ut carnificum, i. e. lanionum, & tabernariorum muneribus abstineant, ut habetur *Clem. Diœcesanis 1. h. tit.* ubi publicè, & personaliter officia hæc exercentes, si nominatim, seu propriis nominibus expressis, & tertiò moniti ab iis non desistant, aut illa resumant, conjugati quidem utrumque privilegium Clericale, Canonis nempe, & fori; non conjugati verò solum quoad res suas amittunt, nisi incedant ut Laici; ita enim incedentes, quamdiu præmissis institerint, privilegio Clericali excidunt etiam quoad personas suas, possuntque coram Magistratu seculari conveniri, & percutiens illos Excommunicationem non incurrit ex Decreto Concilii Viennensis *in Clem. 1. cit.* relato.

46 3. Vetatur Clericis lusus alearum, & taxillorum, ut habetur *cap. Clerici 15. h. tit.* & jam antè statutum fuit *can. 41. Apostolorum.* Intelligitur autem eo nomine omnis lusus varietate fortunæ consistens, quique casu potius, quam arte dirigitur, ut notat Imol. *in cap. 15. cit. n. 4.* Vall. *n. 10.* Zypæus *n. 2.* Pirh. *n. 25.* Hinc ille, qui magis arte, quam fortuna regitur, ut est lusus conorum, latrunculorum &c. Clericis non prohibetur, sicut nec omnis ille, qui consistit in ingenio, aut virtute corporis, Henric. Boich. *in c. 15. n. 8.* Barbos. *ibid. n. 7.* Konig. *num. 15.* Porro transgressores hujus præcepti, ut *citt.* DD. cum aliis notant, delinquunt mortaliter: intellige, si frequenter, & publicè, ac cum scandalo populi ludant; nam si raro, moderatè, ob recreationem, & sine scandalo ejusmodi ludos exerceant, licitè faciunt, nisi Lex Diœcesana illos prohibeat. Laym. *l. 3. Theol. tr. 4. cap. 21. n. 1. & 2.* Engl *hic n. 12.* Schambog. *n. 13.*

4. Prohibentur vanæ, & lascivæ Musicæ in Officiis Divinis. *Extr. un. int. comm. hoc tit.* item exhibitio ludorum theatralium, & scenicorum in templis, si profani, & multo magis, si inhonesti sint *cap. cum decorem 12. h. tit.* Ludi tamen honesti, & maximè pii, qui ad devotionem excitant, hoc textu non prohibentur etiam in templis exhiberi, ut notat Gloss. *in cap. cit. V. monstra larvarum.* Abb. *ibid. num. 1. in fin.* Imol. *n. 6.* Gonz. *num. 9.* Barb. *num. 6.* Laym. *num. 1.* Vvagnereck *in Exeg. ibid.* Pirh. *hic num. 26.* Vvieft. *num. 58.*

47 Dub. 2. an Clericus in sacris constitutus, si insuper habita Ecclesiæ monitione, joculatorem, lanionem &c. agere pergat, & factus sit incorrigibilis, fori privilegium amittat ipso jure. Affirmant Clar. *§. fin. quæst. 36. n. 34.* Scaccia *l. 1. de Judic. c. 11. num. 55. & 56.* Farin. *prax. crim. q. 8. n. 51.* Negant Felin. *in c. cùm non ab homine 10. de Judic. num. 10.* compluresque alii, & probari hoc videtur ex *c. cit.* ubi Clerici omnino incorrigibiles Magistratui Sæculari traduntur (utique per sententiam) non verò ab hoc, quasi ipso Jure privati essent, statim apprehenduntur.

Tenenda est via media, & distinguendum inter sententiam declaratoriam incorrigibilitatis, & condemnatoriam. *Prima necessaria* est, ut in hujusmodi Clericum, tanquam Jurisdictioni suæ subjectum, curia sæcularis possit procedere *arg. c. cùm secundum 19. de Hæret. in 6.* non autem opus est sententia condemnatoria, ut rectè Pal. *tract. 11. D. un. p. 6. num. 8.* Pirh. *hic num. 32. not.* 4. Schamb. *num. 15.* Vvieftner *num. 60.* & colligitur ex *Clem. 1. h. tit.* ubi asseritur eos privilegium Clericale eo ipso amittere: quæ verba privationem ipso jure inflictam denotant; ubi autem ipso jure inflicta est pœna, non est opus sententia condemnatoria, sed sufficit declaratoria commissi criminis. ergo &c.

§. III.

De Probatione Clericatus.

SUMMARIUM.

48 *Qui Clericum se esse asserit, illud debet probare.*
49 *Modi, quibus probari Clericatus potest.*
50 *Quando dubium est de Clericatu, id discutere debet solus Judex Ecclesiasticus.*

Quæritur 1. an qui se Clericum asserit, id probare debeat? Resp. affirmativè. Sumitur ex *can. Presbyteri 2. dist. 68. can. legum 9. caus. 2. quæst. 1.* tradit Decius *in cap. 17. de rescript. num. 13.* Ripa *in cap. 2. de Judic. num. 4.* Decian. *tract. crim. l. 4. cap. 9. num. 117.* Mascard. *de probat. concl. 302. num. 13.* Gomez *in Reg. de annal. possess. q. 58.* Konig *hic num. 10.* Vvieftner *n. 7.* Ratio clara est, quia Clericatus homini neque communiter inest, cum omnes nascantur Laici, & tales esse plerique perseverent; qualitas autem, quæ neque à natura, neque communiter inest, non præsumitur, sed ab allegante probanda est, ergo &c. 48

Quæritur 2. quomodo probandus sit Clericatus? Resp. varios istum probandi modos existere, ut videre est apud Mascard. *de Prob. concl. 302. & quatuor seqq.* Garc. *p. 7. de Benef. c. 1. à n. 138.* Sperell. *decis. 17. à n. 21.* Konig. *n. 10. hic.* Vvieftner *à n. 8.* 49

Et 1. quidem per litteras Formatas, ut vocant, sive Authenticas Episcopi, testificantis ejusmodi Clerico collatam primam Tonsuram, vel Ordinem. 2. per Librum Ordinatorum reservatum in Archivio Episcopali, cùm ex eo, tanquam ex Originali Litteræ testimoniales susceptorum Ordinum transumantur. 3. per attestationem Notarii, seu Instrumentum publicum de ipso Clericatu confectum. 4. ex confessione partis adversæ, præsertim quoad præjudicium ipsius confitentis. 5. testimonio unius etiam testis omni exceptione majoris, attestantis se Ordinationis actui interfuisse: quod intelligendum de probatione extrajudiciali, non præjudicante tertio e. g. ad licentiam impetrandam pro celebranda Missa; in Judicio enim, in quo lis est super Beneficio e. g. non admittitur unius testimonium, sed Clericatus per duos saltem testes, vel aliter probari debet, ut notat P. Vvieftner *hic n. 8.* 6. ex diuturna possessione, ut si per testes, vel aliunde constaret, aliquem longo tempore pro Clerico habitum, vel in Beneficio Missas celebrando, Evangelium vel Epistolam solemniter cantando inserviisse; nam hæc probatio, licèt non sufficiat ad Beneficium Ecclesiasticum obtinendum, tamen sufficit ad eum in obtento manutenendum. Honor. *hic n. 2. 7.* per famam, seu communem existimationem, vel solam in casibus, ubi leviores probationes sufficiunt, vel adminiculatam, ubi requiritur probatio plenior, uti fit, quando illegitimus dicit se esse Clericum; nam iste Clericum se probare debet per litteras dispensatorias in defectu natalium, neque sufficit communis reputatio, aut possessio habitus Clericalis, cùm non præsumantur illegitimo collati Ordines, nisi antea fuerit dispensatum. Honor. *l. cit.* 8. ex delatione habitus, & tonsuræ Clericalis, præsertim diu continuata; quia ista quasi possessionem, & præsumptionem Clericatus indicat; & talis quis esse præsumitur, qualis exteriori habitu reperitur, donec contrarium probatum fuerit. Sed hoc iterum procedit solùm, quando agitur de modico præjudicio; nam quando de magno, ut cùm Beneficium tali est conferendum, accedere debent alia adminicula. Mascard. *concl. 302. citat. n. 1. 9.* ex aliis argumentis, & indiciis, seu conjecturis, & aliquando etiam solo juramento asserentis, quando sc. de nullius præjudicio agitur, nec alia probatio suppetit. Rota *p. 7. dec. 159. n. 11.* Engl. *de Cler. pereg. n. 2.* Konig. *hic n. 10. in fin.*

Porro quantum singula ex memoratis efficaciæ ad probandum habeant, Judicis erit, considerata qualitate, & circumstantiis, in quibus probatio petitur, arbitrari.

Quæritur 3. cuinam Judici competat Clericatus discussio, si dubitetur num is, qui e. g. ob delictum ab executoribus Judicis Sæcularis captus est, sit Clericus? Videtur hoc casu de Clericatu cognoscere posse Judicem 50

Sæcu-

Sæcularem. 1. quia ita habet consuetudo, & praxis plerorumque Orbis Christiani Tribunalium, prout de Gallia attestatur Guido Papæ *decis.* 138. de Hispania Covar. *pract. c.* 33. *n.* 1. de Regno Neapolitano, & Sicilia Carol. de Grassis *de effect. Clericat.* 1. *n.* 1258. de Ducatu Mediolanensi Clar. §. *fin. q.* 36. *n.* 21. de aliis alii. 2. quia quilibet Judex cognoscit, an sua sit jurisdictio *l. si quis ex aliena* 5. *ff. de Judic.* 3. quia quæstio, an quis sit Clericus, est quæstio facti, quæ nihil spiritualitatis continet, & coram Judice etiam Laico tractari potest.

Sed clara in contrarium videtur esse decisio *c. si Judex* 12. *de sent. Excomm. in* 6. ubi Bonifacius VIII. apertissimis verbis statuit, discussionem Clericatus, si malefactor, captus à Judice Laico, se Clericum asserat, ad solum Judicem Ecclesiasticum pertinere, vocato tamen Judice Sæculari, vel alio, cujus interest: & additur ratio; *quia de Ecclesiastico, & Spirituali* nempe tali casu mixtim agitur de quæstione facti, & juris, neque separari ab ea potest ipse Clericatus, dum principaliter ejus titulus controvertitur. Ita Clar. §. *fin. q.* 36. *n.* 14. Covat. *pract. qq. c.* 33. *n.* 1. Stephan. Gratian. *Discept. for. c.* 190. *n.* 13. *& seqq.* Zerol. *prax. Episc. p.* 1. *V. Clericus n.* 3. Carol. de Grassis *l. cit. n.* 1257. Petr. Barb. *in l. Titia* 35. *ff. solut. Matr. n.* 29. Aug. Barb. *in c. si Judex cit. n.* 2. Oliva *for. Eccl. p.* 1. *q.* 26. *n.* 24. Pirh. *tit. de for. compet. n.* 106. Wiestner *ib. n.* 182. Konig *hic n.* 11. Intelligi autem hoc debet solùm de cognitione judiciali; nam summaria aliqua, & perfunctoria cognitio, ut judex sciat, an reus sit in possessione Clericatus, Sæculari judici permissa est, ut rectè Petr. Barbos. *l. cit. n.* 29. Oliva *n.* 25. Wiestner *n.* 183. & colligitur ex *c. si Judex cit.* §. *& si notorium*, ubi Papa, dum dicit à Curia Sæculari statim remittendum, si notorium fuerit, quòd idem malefactor sit Clericus, non obscurè concedit judici Sæculari aliquam saltem summariam cognitionem, & informationem super notorietate, fama, & communi reputatione.

Neque obstant argumenta allata in contrarium. *Ad* 1. quod in Regnis prædictis observatur, specialibus privilegiis summorum Pont. imputandum est; nam absque ejusmodi privilegio consuetudo repugnans Ecclesiasticæ immunitati est corruptela, ut sæpiùs decisum esse à S. Congreg. Card. affirmat Pignatell. *tom.* 2. *consult.* 44. *n.* 1. *Ad* 2. id locum non habet, quando opponitur exceptio concernens aliquid Spirituale, ut hìc fit; nam eo casu quiescit potestas sæcularis, & ad judicem Ecclesiasticum devolvitur articulus de dubio Clericatus. *Ad* 3. de quæstione facti in re Spirituali cognoscere judex sæcularis tum solùm potest, quando illa nihil habet admixtum juris; nam si admixta sit juris quæstio, utriusque cognitio ad judicem Ecclesiasticum remitti debet, ne causarum continentia dividatur. Videatur *Lib.* 2. *tit.* 10. *à n.* 12.

TITULUS II.

De Cohabitatione Clericorum, & Mulierum.

HOnestati Vitæ, cui studere Clerici debent, plurimùm repugnat incontinentia, ut *Tit. prior. n.* 15. vidimus. De hac eosdem reddere suspectos solet cohabitatio, & familiaritas cum mulieribus: hinc ut à lapsu, & à lapsus periculo, ac suspicione remotiores sint, meritò Titulus hic priori subjungitur.

§. I.

De Cohabitatione Clericorum cum Mulieribus licita, & illicita.

S U M M A R I U M.

1 *Non licet Clerico cohabitare cum mulieribus, præterquam cum iis, de quibus suspicio incontinentiæ nulla esse potest.*
2 *Etiamsi affines sint, nisi in primo, vel secundo gradu.*
3 *Consanguineas in* 1. *&* 2. *gradu secum habere potest etiam Episcopus.*
4 *Si suspicio incontinentiæ absit.*
5 *Clerici concubinarii non possunt cogi ad abjurandas concubinas.*
6 *Harum Judex competens de Jure communi est Ecclesiasticus.*

1 QUæritur 1. an, & quatenus Clericis liceat, vel non liceat cohabitare cum mulieribus? Resp. Regula universalis est, prohibitam esse Clericis cohabitationem in una domo cum mulieribus quibuscunque, de quibus incontinentiæ suspicio esse potest *can. interdixit* 16. *dist.* 32. *can. oportet* 23. *& seqq. dist.* 81. *cap. inhibendum, & cap. fin. hoc tit.* Trident. *sess.* 25. *cap.* 14. *de reform.* Ratio est, quia conversatio cum illis ad lapsum provocat, cùm dicantur *exurere conscientiam viri secum habitantis*, ut loquitur S. Hieronymus relatus *can. Hospitiolum* 17. *dist.* 32. *cit.*

Excipiuntur 1. personæ in primo, vel secundo gradu consanguinitatis conjunctæ, ut mater, avia, amita, matertera, soror, neptis, sive filia fratris, aut sororis; nam cum his, modò personas suspectas secum non teneant, cohabitare Clericis licet; ut habetur *can. interdixit cit. can. cùm omnibus* 27. *& can. fœminas* 31. *dist.* 81. *cap.* 1 *nobis* 9. *hoc tit.* ubi etiam ratio redditur; quia in his *naturale fœdus* (i.e. conjunctio sanguinis) *nihil permittit sævi criminis suspicari*, cùm incestuosam copulam natura abhorreat.

2 Permittitur Clericis habitare in eadem domo cum iis, quæ de hujusmodi conjunctarum mulierum familia sunt, ut sunt illarum famulæ, & pedissequæ; item cum uxoribus, quas filii eorum acceperunt jam ordinatis parentibus, sicut etiam cum filiabus, & uxoribus servorum *can. cum omnibus cit.*

3 Denique non prohibentur in servitium suum assumere, & cohabitare etiam cum extraneis fœminis, si provectioris ætatis sint, honestæ famæ, & extra suspicionem incontinentiæ. Alagona *in c.* 1. *hoc tit.* Vall. *eod. n.* 1. Zoes. *n.* 2. Pirh. *n.* 3. Konig *n.* 4. Wiest. *n.* 1. & satis indicatur *can. interdixit cit.* ibi, *aut etiam eas idoneas personas, quæ fugiant suspiciones*; quod confirmat communis Germaniæ praxis, & plurium Diœcesium Statuta, per quæ assumptio talium in famulatum Clericis permittitur, modo non sit 40. annis minor, & alias immunis ab incontinentiæ suspicione.

Quæritur 2. an sicut cum consanguineis, ita etiam cum affinibus cohabitare Clerici licite possint? Resp. non posse. Patet ex textibus *citt.* ubi dum Clericis prohibetur cohabitatio cum mulieribus, nominatim excipiuntur consanguineæ, non autem affines; & ratio est, quia constat majus esse fœdus, seu conjunctionem naturalem inter consanguineos, quàm affines, cùm illi per se immediatè conjuncti sint, isti per accidens tantùm, sivè mediantibus consanguineis conjungantur. Pirh. *hic num.* 4. 2

Excipiendæ tamen sunt mulieres in primo gradu affinitatis conjunctæ, v.g. Noverca, nurus, aut uxor fratris defuncti; vel etiam in secundo gradu, si alter alteri reverentiam debeat, uti est uxor defuncti patrui, vel avunculi: his enim permittendum videtur, ut cohabitent, si aliunde nulla sit suspicio incontinentiæ; tum quia in his videtur pugnare eadem ratio, quæ consanguineis, quam ob causam in veteri Lege *Levit.* 18. etiam inter tales personas conjunctio carnalis prohibita fuit, tum quia *can. interdixit cit.* Clericis permittitur cohabitatio etiam cum aliis personis idoneis, si suspicio in illis nulla sit.

Quæritur 3. an licentia cohabitandi personis conjunctis sanguine se extendat etiam ad Episcopos, & alios similes Prælatos Sæculares Ecclesiasticos? Negat Gloss. *in can. legitur* 25. *V. mea dist.* 81. ubi ait, Episcopum nullam mulierem ne quidem matrem, aut sororem secum habere posse. Consentit Imol. *in c.* 1. *hoc tit. n.* 5. & expressè habetur *Auth. Episcopo C. de Episcopo & Cler.* ubi Episcopus, si mulierem secum habere probetur, jubetur ab Episcopatu dejici. 3

Verùm hæc Juris Civilis dispositio, cùm sit de materia Ecclesiastica, curanda non est: sed attendendæ Sanctiones Canonicæ, in quibus cùm nulla talis prohibitio reperiatur facta Episcopis, & aliis similibus Prælatis, ideo dicendum, etsi omnino honestius, & magis consultum sit, ut hujusmodi fœminas conjunctas, non intra domum Episcopalem, sed in domo alia separata habeant, & alant, idque maximè propter alios Clericos cum Episcopo commorantes, casu tamen, quo suspicio incontinentiæ, & scandali periculum abest, licitè eosdem posse intra eandem domum, sed in conclavibus distinctis cohabitare matri, & aliis fœminis in primo, vel secundo gradu conjunctis cum ipsarum ancillis, atque pedissequis. Abb. *in cap.* 1. *hoc tit. num.* 3. Pith. *hic n.* 5. Schamb. *n.* 2. nam & olim in antiqua Ecclesia Episcopi, & alii Sacerdotes cum uxoribus suis, tanquam sororibus, in eadem domo, & in separatis cubiculorum mansionibus degebant, easque alebant, ut constat ex *can. Episcopus* 6. junct. Gloss. *V. sequestratio dist.* 77.

Quæritur 4. quousque Clericis cohabitatio cum mulieribus sibi conjunctis sit licita? Resp. non aliter esse licitam, quam si periculum incontinentiæ, & ejusdem suspicio absit; nam si lubricæ, & incontinentis vitæ suspicionem, 4

nem, & scandali occasionem præbeant, etiam illarum cohabitatio, licèt alias à SS. Canonibus, permissa, Clericis est prohibita, ut rectè monent Abb. *in c.* 1. *hoc tit. n.* 1. Imol. *ibid. num.* 1. & 4. Vivian. *in Ration. V. etiamsi sit mater*, Barbos. *num.* 4. Gonzal. *n.* 4. Val. *hic n.* 2. & constat ex *c. inhibendum* 1. *cit.* ubi etiam ratio datur; *quia instigante Diabolo & in illis scelus perpetratum reperitur, aut etiam in pedissequis earundem.*

Neque dicas, hoc modo nullum esse discrimen inter conjunctas sanguine, & extraneas; nam adhuc latum discrimen inter has, & illas interjicitur: consanguineæ enim, tametsi juvenes sint, non sunt suspectæ, ideoque cohabitare possunt Clerico ordinariè, & per se loquendo, nisi per accidens adsint tales circumstantiæ, & indicia, ut locus sit suspicioni sive propter ipsasmet consanguineas, sive propter famulas, & socias, quæ esse cum illis solent. Contrà extraneæ eo ipso solent esse suspectæ, quia juvenes sunt, ideoque cohabitatio illarum prohibita est Clericis Jure Canonico. Abb. *in cap.* 1. *hoc tit. num.* 2. & *in cap.* 9. *eod. n.* 3. Pirh. *hic n.* 3. Konig. *n.* 3.

5 Quæritur 5. utrùm Clerici Concubinarii, in SS. Ordinibus constituti, compelli possint non solùm ad dimittendas concubinas, vel alias personas suspectas, sed etiam ad Juramentum præstandum de iis non amplius recipiendis? *Rationem dubitandi* facit textus *can. ab isto* 9. *caus.* 35. *q.* 6. ubi Clerici in sacris constituti uxores, cum quibus matrimonium sacrilegè defacto contraxerunt, abjurare coguntur. 2. *c. ex litterarum* 2. *qui Cleric. vel vovent.* ubi commendatur Episcopi Cenomanensis prudentia, quòd fecerit Subdiaconum, qui mulierem aliquam conjugem sibi copulavit, eandem abjurare. 3. *c. ad abolendam* 9. *de Hæretic.* ubi abjuratio Hæresis præcipitur, perjurii periculo non obstante.

Sed clara est decisio *c. Clericos* 3. *hoc tit.* ubi Alexander III. ejusmodi Clericos ad abjurationem concubinarum, sive earum dimissionem cum Juramento de iis non amplius recipiendis compelli vetuit. Ratio est, quia Juramentum est remedium subsidiarium quod adhiberi non solet nisi deficientibus aliis mediis æquè commodis, & efficacibus ad propositum finem obtinendum. Talia autem non deficiunt; nam suspensione, excommunicatione, depositione, &c. ad has deferendas compelli possunt: quæ proinde media, cùm æquè commoda sint ad eos abstrahendos à scelere, meritò Pontifex *l. cit.* abjurationi prætulit ad vitandum periculum perjurii verisimiliter incurrendi, cùm durum sit assueta relinquere, præsertim vitia carnis ob magnam istius fragilitatem.

Neque contrarium probatur ex textibus allatis in ratione dubitandi. *Ad* 1. & 2. dico Matrimonium hujusmodi, sicut consensu temere est contractum, ita dissensu distrahendum *arg. c. omnis* 1. *de R. J.* nullo autem modo meliùs constare de dissensu interno potest, quàm Juramento delato, & præstito. *Ad* 3. etiam constare Ecclesiæ debet de deposita Hæresi: unde non est paritas cum nostro casu.

6 Quæritur 6. quis sit Judex competens fœminarum, si delinquant cum Clerico contra decorem Ordinis Clericalis? Resp. de Jure communi subjiciuntur Jurisdictioni Judicis Ecclesiastici ob sacrilegium, quod ipsæ cum Clerico peccando committunt. Abb. *in c.* 2. *h. tit. num.* 5. Imol. *ibid. n.* 3. Barb. *n.* 4. Honor. *hic n.* 3. Pirh. *n.* 6. Schamb. *n.* 3. Patetque ex universali doctrina; nam generaliter, si plures simul delictum committant, omnes ab eodem Judice puniendi sunt, ne continentia causarum dividatur juxta *l. nulli* 10. *C. de Judic.* & si Clericus delinquat cum Laico, uterque reus coram Judice Ecclesiastico, velut digniore, sortitur forum ratione delicti, ut plures docent apud Menoch. *de arbitr. cas.* 371. *n.* 12. & 13.

Dixi, *de Jure communi*; nam in praxi istud non observatur, cùm passim Judices sæculares contra mulieres suspectas, & concubinas delinquentes cum Clericis procedere soleant, ut cum Menoch. *cit.* advertit Laym. *l.* 4. *tr.* 9. *c.* 4. *n.* 10.

§. II.

De Pœnis Clericorum cohabitantium fœminis.

S U M M A R I U M.

7 8 *Pœna Clericorum Concubinariorum.*
9 10 *Requisita, ut incurrantur.*
11 12 *Quinam istis tangantur?*
13 *Non tenentur fructus Beneficiorum suorum restituere ante sententiam declaratoriam criminis.*
14 15 16 *Nec incurrunt suspensionem propriè dictam.*
17 18 *Quomodo vitari debeant in Divinis Officiis?*
19 *An fructuum nomine, quibus privantur, etiam intelligantur Distributiones?*

Quæritur 1. quæ pœnæ statutæ sint Clericis, qui cohabitant cum mulieribus suspectis, aut omnino concubinarii sunt? Resp. Olim diversis coercebantur pœnis, nec unus, idemque in iis infligendis semper servatus est ordo. Hodie circa eosdem observanda sunt potissimùm Decreta pœnalia Tridentini, ut patet ex *Bulla Pii V. edita* 1566. ubi Diœcesium ordinariis in virtute sanctæ Obedientiæ præcipit, ut districtè illa observari faciant. Porro ordo adversùs eosdem procedendi describitur à memorata Synodo *sess.* 21. *c.* 6. & *sess.* 25. *c.* 14. *de reformat.* & est sequens. 7

1 Jubet eos moneri, & quidem monitione speciali in personam, ut notat Gallemart *ad c.* 14. *cit. n.* 2. unde non sufficit generalis per Edictum, aut in Synodo facta, licèt aliàs hæc trinæ monitionis vim habeat.

2 Si ita moniti non abstinuerint, ipso facto privati sunt tertia parte fructuum, obventionum, & proventuum Beneficiorum suorum quorumcunque, & pensionum, quæ fabricæ Ecclesiæ, aut alteri pio loco pro arbitrio Episcopi applicentur.

3 Si in delicto eodem cum eadem, vel alia fœmina perseverantes, nec secundæ monitioni paruerint, eo ipso amittunt fructus, & proventus omnes, prædictis locis applicandos: atque insuper à Beneficiorum suorum administratione, quamdiu Ordinario videbitur, suspendi debent. 8

4 Si ita suspendi nihilominus eas non expellant, aut cum iis versentur, jubentur Beneficiis, Pensionibus, & Officiis Ecclesiasticis quibuscunque perpetuò privari, atque insuper ad ea, & ad Dignitates, ac honores quoscunque inhabiles reddi, donec post manifestam vitæ emendationem eorum superioribus cum illis ex justa causa videatur dispensandum.

5 Si etiam sic puniti, à scandalosis hujusmodi commerciis non destiterint, sed vel intermissum consortium repetant, vel alias hujusmodi scandalosas mulieres sibi adjungere ausi fuerint, præter prædictas pœnas Excommunicationis gladio plectantur.

Quæritur 2. quid requiratur, ut incurrantur, & rectè infligantur hæ pœnæ? Resp. 1. is, cui infligitur pœna à Trid. taxata, debet esse verè Concubinarius. Talis esse dicitur ille Clericus, qui concubinam vel domi suæ, vel etiam extra illam alibi instar uxoris continuò retinet, & assiduam cum ea tenet consuetudinem. Barb. *in c.* 4. *h. tit. n.* 5. Vvagn. *in c.* 6. *eod. not.* 3. Zypæus *hic n.* 6. Pirh. *n.* 13. Unde pœnæ istæ non cadunt in eum, qui simplicem incontinentiam commisit absque qualitate concubinatus, ut declaratum est à Cardd. apud Jo: Gallemart *ad c.* 14. *cit. princ.* & ratio est, quia pœnæ, cùm odiosæ sint, restringi debent. 9

2 Monitiones, quæ fieri debent, ad incurrendas, & infligendas pœnas contra Clericos concubinarios latas, debent esse speciales in personam factæ, ut notavi *num. præc.* & requiruntur etiam in Clerico concubinario notorio; nam nec iste absque trina monitione prævia Beneficiis privari debet, ut cum aliis docent M. Ant. Genuens. *prax. Archiep. Neapol. c.* 30. *n.* 4. Garç. *de Benef. p.* 11. *c.* 10. *n.* 186. Barbos. *in c.* 4. *h. tit. n.* 6. Vvagn. *in c.* 6. *eod. not.* 5. Vallens. *hic n.* 3.

3 Crimen concubinatus debet esse aut publicum notorietate facti, aut sufficienter probatum per testes; nam si Clericus tantùm de fornicatione suspectus sit, licèt pro ratione delicti, ex quo suspicio promanavit, puniri possit, ad suspensionem tamen à Beneficiis, ad eorundem privationem, ad depositionem à Dignitate & Prælatura procedi adversùs illos non debet, etiam trina monitione præmissa, ut bene notat Abb. *in c.* 2. *h. tit. num.* 2. Vivian. *ibid. in ration.* Vall. *hic n.* 3. Pirh. *num.* 15. *not.* 3. Konig *num.* 8. & ratio est, quia universaliter, quando Judex ex præsumptionibus procedit, nisi illæ sint urgentissimæ, & ex actibus valde propinquis delicto, mitigare sententiam debet, neque imponere pœnam potest, quam mereretur delictum plenè probatum. 10

4 Denique æquum est, ac conveniens, ut Episcopus Clericos concubinarios, aliosque delinquentes non statim excommunicet, sed priùs leviores pœnas, & Censuras iis infliget, veluti Suspensionis, Interdicti, ut patet ex *c. Clerico* 3. *h. tit.* & notat *ibid.* Abb. *n.* 3. Vall. *n.* 3. Pirh. *n.* 11. nisi crimen sit nimis atrox, aut valde perniciosum.

Quæritur 3. quosnam Clericos pœnæ relatæ tangant? Resp. tangunt Clericos concubinarios omnes, si Benefi- 11

neficium habeant, & infra gradum Episcopalem sint positi. Estque perinde, sive sint constituti in Majoribus Ordinibus, sive in Minoribus; nam etiam hi pœnas istas incurrunt, cùm latæ sint propter indecentiam status. *Neque obstat*, quòd Jura, quibus pœnæ hæ imponuntur, tantùm faciant mentionem de Clerico in sacris constituto; nam hoc solùm indicat, quòd hic graviùs sit puniendus. Pirh. *hic n.* 8.

Dixi autem 1. *Clericos concubinarios*; nam, ut *n.* 9. annotavi, pœnæ istæ non afficiunt eos, qui simplicem solùm incontinentiam commiserunt: & ratio est, quia Concilium loquitur de eo Clerico, qui consuetudinem habet cum muliere lasciva; hanc autem non censetur habere, qui semel tantùm deliquit cum aliqua, sed requiritur, ut saltem bis id fecerit. ergo &c. Proceditque hoc, considerato Jure communi; nam ex praxi plurium Germaniæ nostræ Curiarum Episcopalium etiam in Clericos fornicarios tantùm, etsi concubinarii non sint, seu assiduitatem consuetudinis cum muliere soluta non habeant, iisdem tamen pœnis, quæ in concubinarios per Trid. statutæ sunt, animadvertitur: idque rectissime, ut quo graviùs punitur hoc scelus, eò magis refrœnetur perversa vivendi licentia.

12 Dixi 2. *si Beneficium habeant*; nam ii, qui nulla Beneficia, vel Pensiones Ecclesiasticas obtinent, juxta Trid. *c.* 14. *cit.* si post monitiones in delicto, & contumacia perseverent, juxta delicti qualitatem pœna carceris, suspensione ab Ordine, inhabilitate ad Beneficia, & aliis modis juxta *SS.* Canones puniri jubentur.

Dixi 3. *si infra Gradum Episcopalem sint positi*; nam Episcopi, si à tali crimine non abstineant, & à Synodo Provinciali moniti, se non emendent, ipso facto suspensi sunt: & si perseverent, deferri debent ad summum Pont. qui pro qualitate culpæ etiam per privationem, si opus erit, in eos animadvertat, ut iterum statuit laudata Synodus *c.* 14. *cit. in fin.*

13 Quæritur 4. an statutam à Concilio privationis pœnam Clericus concubinarius incurrat, ita, ut fructus amissos statim, & ultro restituere teneatur? Resp. probabiliùs non teneri, antequam per sententiam declaretur reus criminis concubinatus. Ita Garc. *p.* 11. *de Benef. c.* 10. *n.* 190. Farin. *prax. crim. q.* 138. *n.* 66. Engl *hic n.* 4. *in fin.* Vviest. *ibid. n.* 10. & colligitur ex ipso Synodi Decreto, quo jubentur fructus ejusmodi, ipso Jure amissi, fabricæ Ecclesiæ, vel alteri pio loco applicari arbitrio Episcopi, utique Clericum criminis reum priùs declarantis. Accedit praxis Clericorum concubinariorum, qui fructus nunquam restituunt, priusquam sententia Judicis Ecclesiastici declarentur criminis concubinatus rei.

Ratio est, quia, ut *arg. c. cùm secundum* 19. *de Hæretic. in* 6. docet Covar. *de sponsal. p.* 2. *c.* 6. §. 8. *n.* 8. & 10. & *Lib.* 5. *c.* 37. ampliùs explicabitur, defacto præter Censuras, Irregularitates, & amissionem Juris exigendi debitum carnale conjugi incestuoso inflictam, vix ulla, imò spectata saltem consuetudine, nulla pœna est, quæ re, sive Jure quæsito ita privet, ut sententia saltem criminis declaratoria nequeat exspectari, *Declaratoria*, inquam; nam condemnatoria opus non est, utpote quæ tali casu lata est ab ipsa Lege, & statim afficit delinquentem: hinc fit, ut postquam Declaratoria criminis commissi lata est, ejusdem reus restituere teneatur fructus, non tantùm, quos percepit à sententia lata, sed etiam, quos percepit ante illam post crimen patratum; quia hæc natura Declaratoriæ est, ut retrotrahatur ad tempus commissi criminis.

14 Quæritur 5. utrum Clericus concubinarius ipso Jure incidat in suspensionem propriè dictam? Convenit inter DD. concubinarium Clericum, sive notorium, sive occultum, sicut etiam quemlibet cujusvis alterius peccati mortalis conscium incurrere suspensionem impropriè dictam, quæ, licèt Censura non sit, ante peractam pœnitentiam tamen illicitam reddit Sacramentorum administrationem, & perceptionem, ut clarè habetur *c. fin. h. tit.*

Controversia solùm est de suspensione propriè dicta, quæ est Censura, & pœna Ecclesiastica, ex cujus violatione incurritur Irregularitas, seu inhabilitas ad Beneficia, & Officia Ecclesiastica. Hanc ipso facto incurri à Clerico concubinario, saltem notorio, contendunt Abb. *in c.* 4. *h. tit. n.* 3. & *in c.* 7. *eod. n.* 7. Vivald. *in candel. aur. tit. de suspens. à n.* 19. Clar. §. *fornicatio n.* 4. & §. *fin. q.* 75. *n.* 3. Garc. *p.* 7. *de benefic. c.* 14. *à n.* 11. Bellet. *Disquis. Cler. p.* 1. *tit. de Discipl. cleric.* §. 5. *n.* 45. ubi refert sic decisum à S. Congr. Concil. Moventur 1. *can. si qui sunt* 15. *dist.* 81. ubi Concubinatus sub Censura Interdicti personalis, vel potiùs Suspensionis ab Ordinibus prohibetur. 2. *can. præter hoc* 5. *dist.* 32. ubi Concubinarii Missa audiri prohibetur. 3. præcipuè *c. fin. h. tit.* ubi cavetur, Clericum, si in fornicationem lapsus sit, suspensum non esse, nisi peccatum hujusmodi sit notorium. ergo si notorium est, suspensionem incurret.

Sed his non obstantibus, probabilius est, ab hujusmodi concubinario, aut fornicario, etiam notorio, suspensionis veram Censuram, saltem hodie, non incurri ipso Jure. Ita Covar. *in Clem. si furiosus p.* 1. §. 1. *n.* 5. Garc. *de Benef. p.* 7. *c.* 14. *n.* 19. Gutier. *qq. can. l.* 2. *c.* 7. *n.* 85. Suar. *de censur. D.* 31. *sect.* 4. *n.* 10. Laym. *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 5. *c.* 4. *n.* 11. Fagn. *in c. fin. h. tit. n.* 23. & *seqq.* Gonzal. *ibid. n.* 2. Barb. *n.* 4. Vvagn. *not.* 2. Pirh. *hic n.* 17. Engl. *n.* 6. Konig *n.* 10. Vviest. *n.* 13. & colligitur 1. ex Trid. quod *sess.* 25. *c.* 14. *de reform.* dum pœnas Clerici concubinarii dictat, utitur verbis *suspendantur*, & *juxta SS. Canones puniantur*, quæ cùm sint comminatoria, & actionem Judicis significent, indicant ante sententiam ipso Jure pœnas istas non incurri. 2. ex usu, & consuetudine Ecclesiæ, quæ ejusmodi suspensionem Jure ipso incurrendam non agnoscit. 3. ex ratione, quia ut primùm Clerici concubinarii, aut fornicarii pœnitent, cessat ista suspensio, ut colligitur ex quæstione *c. fin. cit.* proposita Pontifici: *Quæsitum est*, ait, *de Clericis in fornicationem prolapsis, si eorum sit officium, priusquam pœnituerint, audiendum?* quod non convenit Censuræ suspensionis, quæ absolutione indiget. ergo &c. 15

Textus in contrarium allegati parum juvant; præterquam enim, quòd Canones *citt.* etsi statuissent suspensionis Censuram ipso Jure incurrendam, in hac parte per consuetudinem, vel dispositionem Tridentini abrogati sint, ut apud P. Konig *hic n.* 10. cum aliis testis est Cæsar de Panimoli *decis.* 149. *n.* 5. ex iis nequaquam probatur, hoc casu incurri Censuram propriè dictam; nam *Ad* 1. ibi non de suspensione, sed de Interdicto sermo est, quo Clerico fornicario prohibetur ingressus Ecclesiæ. *Ad* 2. Clerici concubinarii in Divinis, præsertim in celebratione Missæ, vitari jubentur, non quòd malitia, & peccato indignè celebrantis Sacrificium inquinetur, sed ut ita à peccatis alii quidem absterreantur, ipse verò ad pœnitentiam perducatur. *Ad* 3. textus ille intelligi debet de Censura impropriè dicta, quo modo accepta denotat simplicem prohibitionem vitandi scandalum, quod oriretur, si Clericus notoriè concubinarius, non acta pœnitentia, Sacris operaretur. 16

Quæritur 6. an, & qualiter Sacerdos, vel Clericus concubinarius, seu fornicarius vitandus sit in Missis, & aliis Officiis Divinis? Resp. cum distinctione: Vel enim crimen concubinatus notorium est, vel nondum est notorium. *Si nondum notorium est*, non est vitandus Clericus concubinarius, ne fortè contingat aliquem aspergi infamiæ nota, qui bonus est *c. vestra* 7. & *cap. fin. h. tit. Si notorium sit*, videlicet aut notorietate facti, aut Juris per sententiam, vel confessionem in Jure factam, iterum distinguendum est inter Jus antiquum, & novum; nam olim secundùm antiquos Canones tenebantur fideles eum vitare, neque poterant concubinarii, aut fornicarii Missam audire, vel Sacramenta ab ipso percipere. *can. nullus* 5. *cap. præter hoc* 6. *dist.* 32. *cap. vestra*, & *cap. fin. citt.* 17

At hodierno Jure juxta Extravagantem Concilii Constantiensis, quæ incipit *Ad evitanda*, non tenentur Fideles à Concubinarii, vel fornicarii etiam notorii Missa abstinere, eumque vitare in Officiis Divinis. Suar. *de censur. D.* 31. *sess.* 4. *n.* 16. Laym. *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 5. *c.* 4. *n.* 11. & *l.* 4. *tr.* 5. *c.* 4. *n.* 4. Fagn. *in c. vestra cit. n.* 17. Barbos. *in c. fin. cit. n.* 3. Pirh. *hic n.* 19. Engl. *num.* 7. *Proceditque* hoc, etiamsi suspensio, quam notorius concubinarius ipso Jure incurrit, esset propriè suspensio, ut cum *cit.* advertit Vvagn. *in c. fin. cit. not.* 3. Ratio est, quia per *Extrav. cit.* nunc solùm vitandi sunt Excommunicati nominatim, ac publicè denuntiati, & notorii percussores Clericorum: & eadem ratio est de suspensione. igitur etsi Clericus hujusmodi concubinarius esset propriè suspensus, non tamen esset vitandus, quamdiu toleratur ab Ecclesia, & ab officio per Judicis sententiam non suspenditur, vel suspensus declaratur. 18

Dixi, *non tenentur*; nam si velint, possunt fideles à concubinario notorio tolerato abstinere, & nolle ad ejus Missam audiendam venire; quia per prædictam Constitutionem nullus factus est favor ipsis Excommunicatis, vel suspensis.

Quæritur 7. an quando Tridentinum, ut *num.* 7. relatum est, dicit Clericos, si post primam monitionem concubinas, vel alias suspectas mulieres non dimittant, ipso facto privari tertia parte fructuum, hoc fructuum nomine comprehendantur etiam Distributiones quotidianæ? 19

Affirmant aliqui cum Riccio *prax. decis.* 307. *n.* 7. Monet. *de Distribut. p.* 3. *q.* 10. *num.* 56. Barbos. *in c.* 4. *h. tit, n.* 5. Pirh. *hic n.* 13. Sed contrarium tenet Garc. *de Benef. p.* 11. *c.* 10. *num.* 186. *vers. nona*, testaturque ita declaratum à Cardd. Ratio est, quia versamur in materia pœnali, quæ juxta *Reg. odia* 15. *in* 6. est strictæ interpretationis.

TITULUS III.

De Clericis Conjugatis.

ACtum est præcedente Titulo de illicita cohabitatione Clericorum cum mulieribus; nunc de alia, Jure Divino, & naturali licita per Matrimonium, quod pariter prohibitum est Clericis, cùm simul Divinis obsequiis, & carnalibus voluptatibus, ac desideriis vacare non possint. Quia verò non eodem rigore, nec indiscriminatim omnibus Clericis connubia ab Ecclesia sunt interdicta, hinc distinguendum inter Clericos in Minoribus solùm Ordinibus constitutos, & inter eos, qui Majoribus initiati sunt. Quare sit

§. I.

De Clericis Minoribus Matrimonia ineuntibus.

SUMMARIUM.

1 *Clericus in Minoribus constitutus Matrimonium potest contrahere.*
2 *Sed eo contracto, ad Beneficia Ecclesiastica obtinenda fit incapax.*
3 *Ita, ut eidem etiam non prosit Regula de triennali possessione.*
4 5 6 *Ante obtenta amittit ipso Jure.*
7 *Si sponsalia de præsenti, seu Matrimonium contraxerit, etsi ratum solummodo.*
8 *Et intelligi hoc debet de quibusvis Juribus ad Beneficia.*
9 10 *Item de Pensionibus, assignatis titulo Clericali.*
11 12 13 14 *Si Matrimonium ex aliquo defectu nullum sit, privatio hæc non inducitur.*
15 16 17 *Cum Clerico conjugato ad Beneficia obtinenda, vel retinenda dispensare solus Pontifex potest.*

1 QUæritur 1. an Clerici, qui in Minoribus Ordinibus tantùm constituti sunt, dimisso Clericatu, Matrimonium possint contrahere, & si possunt, an possint omnes? *Rationem dubitandi* facit *can.* 25. *Apostolorum*, ubi dicuntur *Lectores, & Cantores tantùm*, si velint, *nuptias contrahere* posse, ex quo sequi videtur, quòd Acolythis id non sit permissum.

Sed Juris certi, & indubitati est, id licitum esse Clericis his, in quocunque Ordine minore sint constituti; ita enim apertè constat ex *can. siqui* 3. *can. placuit* 13. & *can. seq. dist.* 32. *can. quia tua* 8. *vers. siqui verò caus.* 12. *q.* 1. *c. siqui* 1. *h. tit.*

Proceditque hoc, etiamsi is, qui Ordines minores suscipit, eos suscipiat, existimans, etiam ipsis annexum esse Votum solemne continentiæ, ut rectè notat Pirh. *l.* 4. *tit.* 6. *n.* 4. Ratio est, quia talis non intendit per se, & principaliter Votum Castitatis emittere, sed solùm quatenus illud annexum putabat Ordinibus minoribus; cùm ergo non sit annexum, nullo Voto obligatus erit.

Neque obstat *can. cit.* dicendum enim, quòd in eo, & similibus Canonibus Lectorum, & Cantorum appellatione contineantur omnes Clerici inferiores Subdiacono, ut sic Jura Juribus concordentur. Et esto, hoc dici non possit, est tamen eadem de omnibus ratio. Nec scrupulum movere debet dictio *Tantùm*; hæc enim, ut ex Everhardo advertit Sanch. *l.* 7. *de Matr. D.* 31. *n.* 6. ita excludit extranea, & dissimilia, ut includat similes casus, in quibus est eadem ratio.

2 Quæritur 2. an Clericus in minoribus Ordinibus constitutus, si contrahat Matrimonium, capax, & habilis sit ad Beneficia Ecclesiastica obtinenda? Rationem dubitandi aliquam facit *Vers. siqui cit.* ubi Clericis extra SS. Ordines constitutis, uxores ducentibus, dicuntur assignanda stipendia.

Verùm hoc non obstante, dicendum est, Clericos etiam minores, si uxores duxerint, ad Beneficia Ecclesiastica obtinenda redditos esse inhabiles, & si quæ antea obtinuerint, iis esse privatos. Consentiunt in hoc omnes, nemine discrepante, ut testis est Sanch. *l.* 7. *de Matrim. D.* 42. *n.* 14. & patet ex *c. siqui* 1. *c. quòd à te* 3. & *c. diversis* 5. *h. tit.* Ratio est, quia Clericus conjugatus in omnibus habetur ut Laicus, exceptis casibus expressis *c. un. h. tit. in* 6. sed Laicus non est capax Beneficii Ecclesiastici *c. cùm adeo* 17. *de rescript.*

Additur *c. diversis cit.* triplex alia congruentia. 1. quia in Clericorum *conversatione Cithara cum Psalterio malè concordat*, i. e. Laicalis conversatio cum Clericali ministerio, ut explicat Gloss. *in c. cit. V. Cithara*. 2. quia qui alligatus est uxori, ut Apostolus loquitur, cogitat, quomodo placeat uxori, & sic divisus est, quasi in duo, ac minùs aptus ad serviendum Ecclesiæ. 3. quia per tales rerum Ecclesiasticarum substantia perire solet; periculum enim est, ne ea, quæ Ecclesiæ sunt, filiis, ac nepotibus largiantur. Hinc meritò *c. siqui h. tit. in princ.* statuitur, ut ejusmodi Clerici, si Matrimonium contraxerint, per Ecclesiasticam Censuram compellantur ad Beneficia Ecclesiastica, si quæ habuerint, relinquenda.

Estque hoc ita verum, ut etiam ipsis non prosit *Regula de triennali possessione*, qua prohibetur is, quamdiu 3
possedit Beneficium, postea super ea possessione molestari, licèt illa regula juventur etiam inhabiles, ut Excommunicati, Irregulares. *Ratio differentiæ est*, quòd Excommunicatus, & Irregularis non sit omnino incapax Beneficii; quamvis enim illud eo tempore obtinere non possint, at antea obtento non privantur, sed retinere illud possunt: at verò Clericus conjugatus, quia, ut dixi, in omnibus habetur pro Laico, hoc ipso incapax redditus est ad Beneficium Ecclesiasticum tam acquirendum, quàm retinendum.

Ad textum in Ratione dubitandi allatum, ut cum communi eundem explicat Sanch. *l.* 7. *de Matr. D.* 42. *n.* 19. *fin.* dicendum ea Jura postea correcta, vel intelligenda esse de stipendio temporali, quod ex miseratione ad sublevandam inopiam, vel ob laborem, & ministerium Ecclesiæ ab ipsis exhibitum eisdem assignatur.

Quæritur 3. an Clerici minores, si Matrimonium 4
contrahant, Beneficia Ecclesiastica amittant ipso Jure, an verò solùm per sententiam Judicis iisdem privandi sint? Posterius nonnulli tenent cum Carrer. *l.* 3. *de sponsal. c.* 3. & Rodriq. *Summ. tom.* 1. *c.* 123. *n.* 1. *edit.* 2. ex quorum sententia, ut tali casu inducatur actualis privatio, requiritur sententia Judicis condemnatoria. Fundantur 1. textu *c. siqui* 1. *c. quod à te* 3. *h. tit.* ubi dicitur, *Si Clerici infra Subdiaconatum uxores acceperint, ipsos ad relinquenda Beneficia Ecclesiastica compellendos, iisque privandos esse.* igitur non sunt privati ipso Jure, & facto; nam verba *compellere, privare, spoliare &c.* sententiam Judicis primùm ferendam denotant. 2. siquis ab initio sit habilis ad Beneficium obtinendum, illud non perdit, etsi postea fiat inhabilis e. g. Irregularis, cùm ergo Clericus in minoribus tempore, quo obtinuit Beneficium, fuerit inhabilis, non perdit illud ratione conjugii subsequentis, per quod inhabilis fit ad obtinendum. 3. concubinarii ante sententiam, saltem declaratoriam criminis, ut *n.* 13. *tit. præc.* dixi, non tenentur restituere fructus, nec alii Clerici cedere Beneficiis, quæ amiserunt ob alia crimina *arg. c. secundùm* 19. *de Hæretic. in* 6. 4. imò communis sententia habet non vacare Beneficium ante sententiam, quamvis Canon statuat, ipso Jure amitti, addatque clausulam *Absque alia declaratione.*

Sed his non obstantibus, dicendum, ab hujusmodi 5
Clericis, si Matrimonium, saltem validè, ineant, Beneficia Ecclesiastica ante obtenta ipso Jure, & facto amitti: & hinc 1. si ita privatus Beneficio reditus ex eodem aliquos percepit, restituere illos tenetur à die, quo contraxit Matrimonium. 2. si illud permutet, vel resignet in favorem alterius, postquam Matrimonium ita contraxit, permutatio, vel resignatio nulla est. 3. ipsum Beneficium, post contractum Matrimonium, tanquam vacans, ab alio imperrari, & huic saltem quoad titulum validè conferri potest. Ita Glossa *in c.* 1. *h. tit. V. relinquenda*, Joan. Andr. *ibid. num.* 6. Abb. *num.* 4. Alegon. *in Gloss.* Imola *num.* 4. & 5. Gonzal. *in cap.* 5. *tit. eodem num.* 2. Sequuntur Garc. *p.* 11. *de Benef. cap.* 8. *n.* 1. Less. *l.* 2. *c.* 34. *n.* 112. Sanch. *l.* 7. *de Matrim. D.* 42. *n.* 4. Barbosa *de Offic. Episcop. alleg.* 57. *num.* 202. Vallens. *de Benef. l.* [illegible] *tit.* 19. *n.* 2. Honor. *hic num.* 2. Zoes. *n.* 15. Pirh. *n.* 11. Konig. *n.* 10. Wiest. *n.* 4. Ratio est, quia Matrimonium validum est incompatibile cum Beneficio Ecclesiastico, ac proinde, cùm Clericus sciat, vel scire debeat, quòd simul Beneficium retinere, & uxorem habere non possit, hoc ipso, quòd uxorem duxerit, censetur tacitè, & ipso facto renuntiasse Beneficio suo. *Conf.* quia sub ea tacita conditione confertur Clerico Beneficium, ne statum incompatibilem assumat, si Beneficium retinere velit, talis status est

est Matrimonii, ergo eo assumpto, hoc ipso, tanquam deficiente conditione, statim perdit Beneficium.

6 Neque obstant argumenta opposita in contrarium. *Ad* 1. textus illi, ut cum communi eosdem explicat Sanch. *l. cit. n.* 19. intelligendi sunt de spoliatione, & privatione, non ipsius Juris, sive Tituli, sed solius possessionis Beneficiorum, si hæc post Matrimonium initum adhuc retineant; nam ad ea dimittenda compellendi sunt, quòd injustè, & defacto solùm illa retineant. *Ad* 2. id verum est, quando quis excluditur à Beneficio ob inhabilitatem personæ; non verò, quando id perditur ob renuntiationem tacitam, prout perditur in casu præsenti, ut bene cum *cit.* Sanchez observant Pirh. *n.* 12. Schamb. *n.* 8. *Ad* 3. negatur paritas: in casibus objectionis bene attenditur sententia (saltem declaratoria, quia in iisdem privatio Beneficii inducitur ut pœna criminis, ad quam ex communi doctrina ante sententiam nemo tenetur in conscientia; at in casu nostro, ut paulò antè dictum est, privatio Beneficii non ex crimine tanquam pœna (neque enim Clericus minor contrahens Matrimonium peccat) sed ex propria Beneficiarii voluntate tanquam tacita resignatio oritur. *Ad* 4. eadem est responsio; nam communis illa sententia tantùm procedit, quando privatio Beneficii pœnalis est.

7 Quæritur 4. quousque extendi debeat memorata privatio Beneficiorum? Resp. 1. intelligi debet de solo Matrimonio; nam per contractum Sponsalium de futuro Clerici in minoribus constituti ipso Jure Beneficia Ecclesiastica non amittunt. Abb. *in c.* 1. *h. tit. n.* 5. Garc. *p.* 11. *de Benef. c.* 8. *n.* 19. Sanch. *l.* 7. *de Matrim. D.* 42. *n.* 1. Less. *l.* 2. *de Just. c.* 34. *n.* 114. Barbos. *in c. cit. n.* 11. Pirh. *hic n.* 14. & ratio est, quia per sponsalia de futuro non assumitur status plenè incompatibilis cum Beneficiis, sed illa tantùm sunt via ad statum incompatibilem obtinendum.

2. Intelligi debet non tantùm de Matrimonio consummato, sed etiam de rato tantùm; quia per hoc, quamdiu non dissolvitur, jam inducitur status incompatibilis cum Beneficio. Estque hoc verum, ut Beneficium sic amissum hujusmodi Clericus etiam non recuperet, licèt ante consummatum Matrimonium uxor sit mortua, vel Religionem ingressa; quia jus semel extinctum non reviviscit, etsi causa cesset, per quam extinctum est *can. quàm periculosum* 8. *caus.* 7. *qu.* 1. *Clem. gratiæ* 4. *de rescript.* Abb. *in c.* 1. *h. tit. n.* 6. Imol. *ibid. n.* 4. Garc. *l. cit. n.* 3. Sanch. *n.* 6. Vall. *hic* §. 2. *n.* 1. Zoes. *n.* 16. Honor. *n.* 2. Pirh. *n.* 13. Konig. *n.* 8. Vviest. *n.* 6. Hinc, ut dissoluto Matrimonio ejusmodi Clericus conjugatus Beneficia amissa recuperet, opus habet nova collatione.

8 3. Intelligi debet non tantùm de Beneficiis, sed etiam de Gratiis exspectativis, accessu, regressu, & quibusvis aliis Juribus Spiritualibus ad Beneficia Ecclesiastica, quæ ante initum Matrimonium Clericis ex collatione, nominatione, præsentatione competebant; vacant enim ipso Jure, instar Beneficiorum. Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 57. *n.* 205. Garc. *l. cit. n.* 2. Sanch. *n.* 7. cum aliis suprà. Ratio est, quia Beneficia primùm obtinenda, & ad ea competentia Jura faciliùs amittuntur, quàm jam obtenta, & possessa, cùm jus in re fortius sit, quàm jus ad rem.

Addidi tamen, per Matrimonium amitti Jura ad Beneficia; nam aliæ gratiæ, quæ jus ad Beneficia nullum tribuunt, uti est dispensatio cum illegitimo ad obtinendum Beneficium, per contractum Matrimonii non amittuntur; quia talis dispensatio solùm aufert impedimentum, & dispensatum restituit capacitati naturali, cui status Matrimonii non repugnat. Sanch. *n.* 9. Et hinc sequitur, quòd talis, cum quo sic dispensatum est, soluto Matrimonio, non habeat opus nova dispensatione in impedimento natalium; sed potest vi priùs obtentæ dispensationis Beneficium obtinere.

9 Quæritur 5. an per Matrimonii contractum Clericus minor Matrimonium contrahens etiam amittat Pensiones, quas antea obtinuit ab Ecclesia? Resp. distinguendum inter Pensiones, quæ assignatæ sunt Clerico in minoribus constituto pro Ministerio merè temporali, & inter eas, quæ eidem sunt assignatæ titulo Clericali.

Priores Clericus Matrimonium contrahens non amittit; quia dantur tanquam Laico: proinde per mutationem Status Clericalis in Laicalem non vacant, cùm nulla sit earum cum statu Laicali incompatibilitas Sanch. *l.* 7. *de Matr. D.* 44. *n.* 4. adeoque casu, quo Clericus ante contractum Matrimonii pensionem aliquam ab Ecclesia habuit, quia fuit Advocatus Ecclesiæ, Sacrista, Cantor, Organœdus &c. post Matrimonii contractum hæc officia continuando meritò pro iis, tanquam laboris stipendium, pensionem sibi assignatam percipit.

10 Alia ratio est de *posterioribus pensionibus*; seu assignatis Clerico ex titulo Clericali; nam hæ, ut Beneficia, etiam ipsæ per contractum Matrimonii à Clerico celebratum amittuntur. Sanch. *l. cit. n.* 5. Barb. *de Offic. Episc. alleg.* 57. *n.* 206. Vall. *hic* §. 2. *num.* 1. Zoes. *n.* 19. Honor. *n.* 2. Pirh. *n.* 13. Konig *n.* 8. Vviest. *n.* 5. & alii apud istos. *Ratio* est manifesta; quia Pensiones Ecclesiasticæ Beneficiis subrogantur, subrogatum autem sapit naturam ejus, cui subrogatur, igitur cùm Clericus conjugatus incapax sit Beneficii Ecclesiastici, etiam incapax erit Pensionis Clericalis.

Excipiuntur 1. Milites Lauretani, & alii quidam Ordinum Militarium, quibus ex speciali privilegio summorum Pont. concessum est, ut retinere possint Pensiones Ecclesiasticas, etiamsi Matrimonium contrahant, si illud contrahant cum unica, & Virgine. Barbos. *in c.* 1. *h. t. n.* 6. Vvagn. *ibid. not.* 2. Pirh. *n.* 13.

Excipiuntur 2. etiam alii, quibus à Summo Pont. ex justa causa e. g. Paupertatis, hujusmodi Pensio concessa est; quia incapacitas hæc in Clericis conjugatis ad pensiones est tantùm Juris Ecclesiastici, quo superior Pontifex est, tanquam Legislator Lege à se condita. Sanch. *n.* 9.

Excipiuntur 3. illi, quibus à Pont. concessa pensio est, ut illa duret toto tempore, quo victurus est pensionarius; nam tales retinere eandem poterunt, etiam post contractum Matrimonium, ex tacita Pontificis voluntate. Sanch. *n.* 7.

11 Quæritur 6. an Clericus in minoribus constitutus Beneficia, pensiones Ecclesiasticas, & similia Jura ipso facto amittat etiam per contractum Matrimonii, quod ob defectum, vel impedimentum aliquod invalidum est? Abb. *in c. Joannes* 7. *h. tit. n.* 7. & 8. Imol. *ibid. n.* 24. Barbos. *n.* 8. & *alleg.* 57. *num.* 207. Less. *l.* 2. *de Just. c.* 34. *n.* 113. Garc. *de Benef. p.* 11. *c.* 8. *n.* 7. & communis aliorum ferè sententia putat ea amitti etiam hoc casu, quo Matrimonii contractus est irritus ex defectu consensus. Fundantur maximè hac ratione, quia ex intentione Clericorum contrahentium Matrimonium assumptus est status incompatibilis, adeoque Juris interpretatione Beneficio ipso facto renunciatum intelligitur *arg. c. nuper* 4. *de Bigam.* ubi propter affectum, seu intentionem cum opere subsecuto quis inter Bigamos reputatur: & certè in Jure frequens est, ut non ad validitatem, & veritatem rei; sed potiùs ad effectum operis subsecuti attendatur. 2. per adeptionem secundi Beneficii, si curatum illud sit, vacat primum ipso Jure *c. relatum* 4. *de Cleric. non resid.* & *c. cùm singula* 32. *de Præb. in* 6. estque hoc verum, etsi adeptio secundi sit irrita, ut statuitur *c. eum qui* 18. *eod.* non alia ex ratione, quàm quòd per adeptionem secundi ob incompatibilitatem cum primo censeatur primum haberi pro derelicto. atqui non minùs incompatibilem cum Beneficii retentione statum ingreditur ille, qui contrahit Matrimonium. ergo &c. 3. Episcopus propria authoritate ab uno Episcopatu ad alium transiens, priore excidit, licèt non potiatur posteriore *c. quando* 3. *de translat. Episc.* ergo pari modo Clericus minor Beneficio excidet, quantumvis conjugium, quod inivit, non subsistat, & dicta conjuge non potiatur.

12 Sed etsi relata sententia communior sit, verior tamen est negativa, quam cum aliis defendunt Sanch. *l.* 7. *de Matr. D.* 43. *num.* 3. Pal. *tr.* 13. *D.* 6. §. 8. *num.* 9. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 14. *n.* 7. *vers. dixi autem*. Vall. *de Benef. l.* 1. *tit.* 19. *n.* 3. Schamb. *hic n.* 10. Konig. *num.* 11. Vviest. *n.* 8. *Proceditque*, quocunque ex titulo, sive ob defectum consensus, sive ob omissam solemnitatem per Trid. requisitam, sive ob consanguinitatis, aut aliud impedimentum dirimens conjugium irritum sit.

Ratio est 1. quia SS. Canones, quando Beneficiorum privationem in Clerico Matrimonium contrahente inducunt, loquuntur de Matrimonio valido, ut constat ex *c. siqui* 1. *h. tit.* ubi Clerici ejusmodi, sicut ad Beneficia relinquenda, ita ad uxores retinendas compelli jubentur; hoc autem alterum fieri nequit, quando matrimonium invalidè contractum est. ergo &c.

2 In Matrimonio invalido cessat ratio, ob quam Jure Ecclesiastico inducta est privatio Beneficiorum; nam Beneficiis Ecclesiasticis Clericus conjugatus privatur, quia uxori, & carnis voluptatibus operam dare, & Divinis obsequiis vacare simul non potest. at Clericus, qui Matrimonium iniit, quod publicè constat invalidè contractum esse, ab obsequiis Divinis per hoc suum Matrimonium non impeditur, cùm eidem jus ad usum nullum præbeat.

13 3 Si Matrimonium invalidè contractum à Clerico in Minoribus constituto induceret ipso Jure privationem Beneficii priùs obtenti, induceret illam vel in pœnam delicti, vel ob incompatibilitatem status, vel ob tacitam renuntiationem, vel ob aliam Juris positivi dispositionem. Nullum ex his dici potest. *Non primum*; quia vel scit subesse impedimentum, vel nescit; si nescit, illud bona fide ineundo non peccat; si scit, peccat quidem, sed tunc privatio Beneficii est pœna, quæ ante sententiam criminis declaratoriam non incurritur. *Non secundum*; quia per Matrimonium invalidè contractum, cùm nullum inducat vinculum, Clericus illud contrahens uxori non obligatur. *Non tertium*, quia tacita renuntiatio non habet majorem vim, quàm expressa. atqui hæc non inducit privationem Beneficii, nisi facta sit in manibus legitimi Prælati, seu Superioris *c. nisi* 10. & *c. quod in dubiis* 8. *de renunt.* ergo nec Matrimonium vim habebit renuntiationis validæ, nisi & ipsum legitimè sit contractum. *Non quartum*; quia nullus est Canon, qui Matrimonio invalidè contracto privationem Beneficiorum ipso Jure annectat. Et hinc in hujusmodi Clericis locum habebit *Reg.* 52. *in* 6. *Non præstat impedimentum, quod de Jure non sortitur effectum.* cùm ergo tali casu Matrimonium contractum nullum sit, ipso Jure privationem Beneficiorum non inducet.

Dixi *ipso Jure*; nam per sententiam Judicis ita contrahens Beneficio privandus est, nisi ex justa causa cum eo dispensetur. Schamb. *n.* 10.

14 Neque obstant rationes dubitandi allatæ. *Ad* 1. per Matrimonium invalidum non est assumptus status incompatibilis cum Beneficio, ut patet ex Probationibus allatis. *Ad* 2. tum solùm Clericus contrahens Beneficium antea possessum pro derelicto habere censetur, quando contraxit Matrimonium cum effectu vinculi: quod in nostro casu non contingit. *Ad* 3. etsi in aliis quibusdam casibus reperiatur dispositum, ut sola attentatio facti sufficiat, non tamen sequitur, idem dicendum in casu nostro; & ratio est, quia Canon ita disponens pœnalis est, & consequenter ad casus expressos extendi non debet. Eadem est responsio ad exemplum de Bigamis in prima ratione dubitandi allatum.

15 Quæritur 7. an Episcopus cum Clericis conjugatis dispensare possit ad Beneficia obtinenda, vel retinenda? Rationem dubitandi facit textus *c. Joannes* 7. *h. tit.* ubi supponitur cum Clerico conjugato ad Beneficium obtinendum; vel antea obtentum retinendum dispensari posse: quod frustra diceretur, si dispensare cum eo solus Pontifex posset, cùm de hoc aliunde constet, eum dispensare posse in omni Jure Ecclesiastico. *Conf.* Episcopus ad Beneficium obtinendum, & obtentum retinendum dispensare potest cum deposito ab Ordine, & Officio *can. Salonitanæ* 24. *dist.* 63. item cum homicida, & irregulari *c. ad audientiam* 12. *de homicid.* ergo etiam dispensare potest cum Clerico conjugato. *Prob. Conf.* nam dispensare cum deposito, homicida irregulari plus est, quàm dispensare cum Clerico conjugato. atqui cui licet, quod est plus, licet utique, quod est minus: ergo &c.

16 Sed multò meliùs dicitur, solum Pontificem posse dispensare, ut conjugatus qualecunque Beneficium obtineat. Ita Abb. *in c. Joannes* 7. *h. tit. num.* 7. Selva *de Benef. p.* 1. *q.* 7. *num.* 17. *&* 18. Sylv. *V. Beneficium* 3. *q.* 4. *num.* 8. Flamin. *de Resign. l.* 4. *q.* 2. *num.* 28. Sanch. *l.* 7. *de Matr. D.* 42. *n.* 18. Vall. *hic* §. 2. *n.* 8. Pirh. *n.* 20. Konig *n.* 9. Vviest. *n.* 9. Sumitur 1. ex *c. diversis* 5. *h. tit.* ubi Clericus conjugatus Beneficio, quod ipsi Episcopus scienter contulit, asseritur spoliandus, non per ipsum Episcopum, qui illud contulit, sed per Superiorem ejusdem, videlicet Archiepiscopum. atqui si Episcopus dispensare cum Clerico conjugato posset ad Beneficium aliquod obtinendum, vel obtentum retinendum, hoc fieri nequaquam deberet; quia hoc ipso, quòd Episcopus scienter ejusmodi Clerico Beneficium contulisset, cum ipso tacitè & ipso facto dispensasse præsumeretur. ergo &c. 2. Episcopus non potest dispensare contra Decreta SS. Canonum, nisi id expresse ei concessum sit; inferior enim Legem Superioris non potest tollere. atqui secundùm SS. Canones Clerici conjugati in ordine ad res Ecclesiasticas, seu Beneficia censentur ut Laici. ergo sicut cum his Episcopus ad obtinendum Beneficium dispensare non potest, ita nec cum Clericis conjugatis. 3. Clerici conjugati non admittuntur ad Ecclesiasticas administrationes *c. sanè* 2. *h. tit.* ergo neque ex dispensatione Episcopi capaces sunt Beneficii; quia etsi simplex tantummodo sit, datur solum ratione administrationis, vel officii Ecclesiastici *c. proposuit* 6. *de fil. Presbyt. c. conquerente* 6. *de Cler. non resid.*

Ad rationem dubitandi oppositam dico, textum illum intelligi debere de dispensatione non Episcopi, sed Papæ, ut eundem interpretantur Gloss. *fin. ibid.* Barbos. *num.* 3. Gonz. *num.* 1. Sanch. *num.* 18. *cit.* Pirh. *num.* 20. Konig. *num.* 9. Vviest. *num.* 9. *Neque obstat*, quòd de dispensatione Papæ hoc per se clarum sit; quia non est novum in Jure pro majori claritate aliqua statui, quæ independenter à tali constitutione aliunde certa sunt: ostenditur enim per tale statutum, impedimentum hoc, quod inducitur per Matrimonium, esse absolutè dispensabile. *Ad Conf.* Regula *cui licet cit.* non procedit in materia exorbitante, qualis est materia dispensationis, nec licet inferre à casibus permissis ad non permissos, tametsi casus non permissi sint majores, & graviores permissis; est enim decantatissima Regula, *Quæ à Jure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda*, ut habetur *Reg.* 28. *in* 6. 17

§. II.

De Clericis Majoribus Matrimonia ineuntibus.

S U M M A R I U M.

18 *Clericus in Majoribus constitutus nec licitè, nec validè contrahit Matrimonium.*
19 *Quod verum est etiam in Græca Ecclesia.*
20 *Post contractum Matrimonium in Latina Ecclesia ad Ordines non admittuntur, nisi consentiat uxor, & votum continentiæ edat.*
21 *In Græca usus Matrimonii licitus ipsis est.*
22 23 24 *Non in Latina.*
25 26 27 *Cœlibatus Clericis Majoribus injunctus est Jure Ecclesiastico tantùm.*
28 29 30 31 *Quo Votum Continentiæ SS. Ordinibus annexum est.*
32 *Potuit Ecclesia hoc Votum annectere Ordinibus.*
33 34 *Pœna Clericorum, qui suscepto S. Ordine contrahunt Matrimonium.*
35 36 37 *De facto illud solùm contrahendo, privationem Beneficiorum non incurrunt ipso Jure.*

Quæritur 1. an, & quomodo Matrimonium incompatibile sit cum SS. Ordinibus? Resp. distinguendum inter Matrimonium contrahendum, & contractum. *Matrimonio contrahendo* SS. Ordines ita obstant, ut Clerici, qui in his constituti sunt, nec licitè, nec validè contrahere illud possint, ut apertè desumitur ex *c. si qui* 1. *h. tit. c. de Diacono* 1. *qui Cler. vel vov.* & definitum est à Trid. *sess.* 24. *can.* 9. In quo dispar est ratio cum Clericis, qui constituti sunt solùm in Ordinibus minoribus: & ratio disparitatis est, quia in Majoribus constituti propinquiùs ad Altaris accedunt ministerium: hinc etiam major in iis sanctitas, & puritas requiritur, cùm Ordinem Sacrum ineundo perpetuò se consecrarint Deo. 18

Estque Lex ista universalis omnino, etiam Clericos Ecclesiæ Græcæ obligans, nam nec isti, postquam aliquando in Sacris sunt constituti, ducere ampliùs uxores possunt, ut notavi *Tit.* 1. *num.* 20. Eadem Lex etiam, saltem quoad Sacerdotes, est antiquissima? nam ut Laym. *l.* 5. *tr.* 9. *c.* 11. *num.* 5. notat, his nunquam concessum fuit post susceptum Sacerdotium uxorem ducere. Dixi, *Saltem quoad Sacerdotes*, nam Diaconis, & Subdiaconis, si in susceptione Ordinis continentiam non promiserunt, quibusdam in locis videtur permissum fuisse uxores ducere, ut non obscurè colligitur de Diaconis ex Concilio Ancyrano *c.* 10. de Subdiaconis verò ex Greg. I. *l.* 1. *Epist.* 42. *ad Petrum Diaconum.* Vide Gratian. *super can. de Syracusanæ* 13. *dist.* 28. 19

Si verò loquamur *de Matrimonio contracto*, istud quidem Græcæ Ecclesiæ Clericis nequaquam obstat, quin promoveri adhuc ad Ordines Majores possint, in Latina tamen Ecclesia suscipiendis Ordinibus impedimentum objicit, ita, ut ad eos Clerici conjugati nequaquam admittantur, præterquam si perpetuam continentiam voverint, & unicam, eamque Virginem uxorem duxerint; prout statuit Alexander III. *c. sanè* 2. *h. tit.* *Proceditque hoc* etiam de minoribus Ordinibus; nam neque ad istos admitti possunt præter casum proximè exceptum. Abb. *in c. sanè cit. num.* 3. & ratio est, quia minores Ordines ordinariè conferuntur in ordine ad Majores suscipiendos. Imò iisdem etiam negatur prima Tonsura, quippe quæ tantùm confertur tanquam dispositio ad Ordines. *Neque obstat*, quòd *c. cit.* Pontifex tantùm dicat *Sacros Ordines*; nam, ut cum communi textum hunc explicat Pirh. *hic. n.* 2. nomen SS. Ordinum hic latè accipiendum est, prout comprehendit omnes Ordines etiam minores. 20

Quæ-

21 Quæritur 2. an, & quomodo SS. Ordines obstent licito usui Matrimonii? Resp. distinguendum inter Clericos Græcæ, & Latinæ Ecclesiæ. *Græcæ Ecclesiæ Clerici*, si Matrimonium ante Clericatum, vel Subdiaconatum contraxerint, eo uti non prohibentur etiam post susceptum Presbyteratum *can. aliter* 14. *dist.* 31. *c. olim* 6. *hic*, & *c. quæsitum* 7. *de pœnit. & remiss.* Quoad *Latinæ Ecclesiæ Clericos* videndum, an cum uxoris suæ consensu, an sine illo Ordines SS. susceperint; nam *si primum*, non tantùm possunt, sed etiam compelluntur cohabitare suis uxoribus, utpote quas jure per Matrimonium sibi acquisito spoliare non potuerunt, prout fusiùs dicetur *Lib.* 4. *tit.* 6. *Si verò alterum*, Matrimonii usus iisdem penitus est interdictus: hinc etiam uxores eorum vel Castitatem vovere, vel omnino Religionem profiteri debent.

22 *Dubium* moveri potest, an aliquando permissum fuerit in universali Ecclesia post susceptum Presbyteratum uti uxoribus priùs ductis? Trahunt hoc aliqui in controversiam, & pro hoc allegant 1. Concilium Nicænum, in quo, ut Socrates *l.* 1. *Hist. c.* 11. & Sozomenus *l.* 1. *c.* 23. testantur, suasore Paphnutio, decretum fuit, ut Sacerdotes, qui ante susceptum Presbyteratum uxores duxerant, à conjugii usu non prohiberentur. 2. *can.* 5. *Apostolorum*, ubi statuitur, ne Episcopus, aut Presbyter, vel Diaconus uxorem suam prætextu Religionis abjiciat, sub pœna Excommunicationis, & Depositionis. 3. *Synodi Constantin. 6. can. 6.* & 13. ubi constitutis in Sacro Ordine (Episcopis exceptis) permittitur Matrimonio uti, quod ante Ordinationem legitimè contraxerunt, ita tamen, ut tempore, quo secundùm vices in Ecclesia ministerio fungi debent, ab uxoribus abstineant.

23 Sed retinenda antiqua, & certa doctrina, usum Matrimonii nunquam fuisse permissum passim post susceptum Presbyteratum, sed in Ecclesia Latina semper vetitum, & etiam in Græca, ubi Canones Ecclesiastici sinceri manserunt. Ita Laym. *l.* 5. *tr.* 9. *c.* 11. *n.* 5. Gonzal. *in c.* 1. *h. tit. n.* 4. confirmantes id plurium SS. PP. testimoniis. Accedunt antiquissimorum Conciliorum Decreta, Agathensis *c.* 16. Eliberitani *c.* 33. Carthaginensis 5. *c.* 3. Arelatensis 2. *can.* 2. Turonensis 1. *c.* 2. Arvernensis *c.* 11. Lugdunensis *c.* 1. Aurelianensis 2. *c.* 8. Aurelianensis 4. *c.* 17. *&c.*

24 Neque contrarium probant Argumenta opposita. *Ad* 1. Scriptores illi fuerunt Sectæ Novatianæ, & sicut alia plura, ita etiam hoc mendacium posteriotitati obtruserunt. Certè, quæ mens Concilii Nicæni fuerit, satis indicat *can.* 3. ubi Episcopis, Diaconis, & iis, qui in Clero sunt, interdixit, ne in domos suas inductas haberent mulieres, præter matrem, sororem, aut amitam, sive eas, quæ omnem suspicionem effugiunt; si autem in Sacris constituti potuissent ex uxoribus suis liberos procreare, tunc nec periculum talis suspicionis fuisset, nec observatio ejus Canonis conveniens, aut possibilis, ut advertenti patebit. *Ad* 2. intelligendus Canon ille est de sustentatione, & præstatione alimentorum uxori facienda, si quam ante Clericatum duxerint. *Ad* 3. canon ille fuit unus ex centum, & duobus illis, quos decem annis post Constantin. *cit.* Orientales conscripserunt in Trullo, qui proinde, quia à Summo Pontif. nunquam fuere confirmati, vim Juris non habent. Consuetudo Orientalis Ecclesiæ, ut Sacerdotes uti uxoribus antea ductis possent, invaluit primùm post Trullanam illam Constitutionem, quæ cùm facilè tolli non potuerit, tandem in usum Matrimonii tanquam Orientalibus licitum consenserunt etiam Summi Pontif. Laym. *cap.* 11. *cit. num.* 9.

25 Quæritur 3. quo Jure Divino, an humano Clericis Latinæ Ecclesiæ Cœlibatus injunctus sit? Non desunt, qui cùm Major. *in* 4. *dist.* 24. *q.* 2. Vvaldensf. *de Sacram. c.* 28. *& seq.* & aliis apud Sanch. *l.* 7. *de Matr. D.* 27. *num.* 4. existimant esse Juris Divini: quorum unicum hoc fundamentum est, quòd ab ipso nascentis Ecclesiæ exordio continentiæ Lex in Divinorum ministris, præsertim Sacerdotibus, fuerit observata, nec extet exemplum, vel Constitutio, qua Clericis permissum fuerit post Clericatum uxorem ducere, etsi quandoque in Ecclesia Græca, ut dictum est, fuerit toleratum, ut uxoribus ante ductis uterentur: unde colligunt hanc Legem latam à Christo, & promulgatam à S. Paulo 2. *Tim.* 1. *v.* 4. ibi, *Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus.*

26 Sed hoc non obstante, altera, & verior sententia est, Cælibatum SS. Ordinibus nec Divino, nec Naturali, sed solùm humano Ecclesiastico Jure annexum esse. Ita S. Thom. 2. 2. *q.* 88. *art.* 11. *in Corp. fin.* Cajet. *tom.* 1. *opusc. tr.* 28. Azor. *p.* 1. *l.* 13. *c.* 12. *q.* 1. Suar. *tom.* 3. *de Relig. l.* 9. *c.* 13. Bellarm. *l.* 1. *de Cleric. c.* 18. & 19. Sanch. *l.* 7. *de Matrim. D.* 27. *num.* 5. Laym. *l.* 5. *tr.* 9. *c.* 11. *n.* 1. Abb. *in c.* 6. *h. tit. num.* 5. & *in c.* 12. *eod. num.* 5. Barbos. *ibid. num.* 5. Gonz. *num.* 3. Zoes. *hic num.* 3. Engl *num.* 33. Vviest. *num.* 17. & hoc teste plerique alicujus nominis, & notæ DD. Colligitur ex *can. Presbyteris* 8. *dist.* 27. & Trid. *sess.* 24. *can.* 9. *de Matr.* ubi vis dirimendi Matrimonium, quam Ordo Sacer habet, refunditur in Legem Ecclesiasticam, & SS. Canonum definitiones. *Ratio est* 1. quia aliàs usus Matrimonii antea legitimè initi Græcis, sive Orientalibus permitti non potuisset, cùm Jus Divinum, & Naturale ab humana potestate relaxari nequeat §. *sed naturalia* 11. *Inst. de J. N. G. & C.* & *can. sunt quidam 6. caus.* 25. *q.* 1. 2. si Matrimonium Clericis in majore aliquo Ordine constitutis esset Jure Divino prohibitum, id constaret ex aliquo loco Scripturæ, vel Concilii, dicentis id esse Juris Divini, atqui nullus habetur hujusmodi locus; nam textus Apostoli suprà allegatus præceptum Divinum non probat, cùm multa in ejus Epistolis passim reperiantur, quæ solùm sunt præcepta humana. 3. nec obligationem hanc Juris Naturalis, & Divini probat aliqua efficax ratio; nam etsi Ordo Sacer suapte natura afferat quandam congruentiam, & decentiam Castitatis, Matrimonium autem muniis, & officiis Ecclesiasticis impedimento sit, non tamen sequitur, quòd Ordo, & Matrimonium, ejusque usus inter se pugnent; aliàs nec Græcis Sacerdotibus usus iste fuisset permissus.

27 *Proceditque* hoc etiam de Statu Episcopali; nam neque Episcopi aliter ad continentiam obligantur, quàm ratione Ordinis Sacri, cui ex præcepto Ecclesiastico annexa est continentia: & hinc si Episcopus tantùm esset electus, & confirmatus, & nondum in Sacris constitutus, non teneretur ratione Status ad Castitatem. Sanch. *l.* 7. *de Matr. D.* 27. *n.* 7. Ratio est, quia Status conjugalis non habet repugnantiam cum ministeriis Episcopalibus, sed tantùm ex quadam decentia, & honestate oportet Episcopum à conjugio abstinere, quod secluso Jure Ecclesiastico, non transit in præceptum.

Ad fundamentum adversæ sententiæ observantia, à temporibus Apostolorum ad nos usque prorogata non probat obligationem Cœlibatus ex Jure Divino descendere, sed solùm, quòd primordia sua, & originem trahat ex Apostolorum instituto, & traditione.

28 Quæritur 4. utrum obligatio, qua tenentur Clerici SS. Ordinum ad continentiam servandam, oriatur ex mera constitutione Ecclesiæ præcipientis continentiam, an etiam ex Voto, quod Ecclesia annexuit Ordini Sacro? *Primum* affirmat Scot. 4. *dist.* 37. *q. un.* §. *dico igitur*, Imol. *in Clem. ad nostram de Hæret. num. ult.* Joan. de Lignano *de Cleric. conjug. c.* 2. Gutier. *qq. can. l.* 2. *c.* 7. *num.* 45. Valent. *de Cælib. c.* 2. *paulò post princ.* Desumunt hoc ex *can. Presbyteris* 8. *dist.* 27. *c. à multis* 9. *vers. verùm de Diacono* 1. *in fin. qui Cler. vel vov.* & Trid. *sess.* 24. *can.* 9. qui textus omnes Legis Ecclesiasticæ expressè meminerunt, nulla mentione facta de Voto.

29 Contrà ex solo Voto oriri obligationem istam contendunt Cajet. *in Opusc. tom.* 1. *tr.* 27. *q. un.* §. *quoad secundum.* Vvaldensf. *de Sacramental. c.* 66. *num.* 2. Sot. *l.* 7. *de Just. q.* 4. *art.* 2. *vers. de tertia propositione*, Bellarm. *Contr. l.* 1. *de Matr. c.* 21. *paulò post princ.* §. *impedimenta*, Azor. *p.* 1. *l.* 13. *c.* 12. *q.* 6. & *c.* 14. *q.* 10. Sanch. *l.* 7. *de Matr. D.* 27. *n.* 10. & plurimi alii ab hoc citt. Sumitur ex *c. cùm olim 6. h. tit. c. un. de Vot. in* 6. & *Extrav. antiquæ Joann. XXII. eod.* ubi mentio fit Voti in Latina Ecclesia annexi SS. Ordinibus: quod nunc quidem à suscipiente illos emittitur tacitè, quòd silentium ejus pro consensu reputetur *can. Diaconus* 1. *dist.* 27. & *can. Diaconi* 8. *vers. quicunque dist.* 28. olim verò præstabatur expressè *can. quanquam* 6. *dist.* 23. *can. quando* 3. & *can. præterea* 7. *dist.* 28. Unde in hac sententia Clericus in majoribus constitutus, si adversùs Castitatem peccet, committet Sacrilegium, & licèt ad Matrimonium validè contrahendum absque justa causa à Pont. dispensari possit (quia Ordo Sacer Matrimonium contrahendum solùm dirimit Jure Ecclesiastico) non tamen dispensari poterit, ut Voto continentiæ non ligetur, & licitus sit ei Matrimonialis contractus.

30 Videtur Controversia hæc dirimi ope distinctionis posse: Vel enim Clericus suscipiens Sacrum Ordinem scit ei annexum esse continentiæ Votum, vel hoc ignorat. *Si primum*, multùm interest, an ita suscipiens adversùs obligationem Continentiæ non protestetur, an verò in promotione expressam intentionem habeat non se obligandi ad continentiam; nam *in priori casu* adstrin-

ſtringetur ad Caſtitatem obligatione Religionis ex Voto, quod ita ſuſcipiendo Ordinem Sacrum cenſetur tacitè emiſiſſe. *In poſteriori* autem ad continentiam ſolùm obligabitur ex conſtitutione Eccleſiæ, non verò ex Voto; quia Votum eſt Lex privata, quam quiſpiam ſibimet voluntariè ponit: conſ. repugnat naturæ Voti, ejus obligatione adſtringi aliquem, qui expreſſam intentionem habet non obligandi ſe Voto.

31 *Si verò ſecundum contingat*, & ſuſcipiens Sacrum Ordinem neſciat eidem annexum eſſe Votum continentiæ, videndum, an talis ſaltem ſciat, ſe ſuſcipere ſacrum Ordinem, vel etiam hoc ignoret; nam *ſi hoc poſterius*, in foro externo quidem cogetur ſervare continentiam (quia ea ignorantia non præſumetur probabilis) in interno tamen continentiam ſervare non obligabitur, quòd non ſuſceperit Sacrum Ordinem voluntariè. *Si verò poſterius*, licèt durante ſua invincibili ignorantia, excuſetur ab obligatione in actu 2. obligabitur tamen in actu 1. quia Lex ſemel legitimè promulgata omnes obligat. An verò is obligetur tali caſu ex ſolo Eccleſiæ præcepto, an verò etiam ex Voto, litigant inter ſe DD. Azor. *p.* 1. *l.* 13. *c.* 14. *q.* 10. affirmat ſecundum, & id ſibi valde placere aſſerit Sanch. *D.* 27. *cit. n.* 11. *in fin.* ex ratione, quia eo ipſo, quòd ſciens, & volens SS. Ordinibus initiatus ſit, licèt ignorarit Votum annecti, emiſerit Votum tacitè; qui enim unum ſciens ac prudens efficit, & vult, efficit, & vult ſubinde ei annexa, ſicut qui ſuſcipit officium Prætoris, ſuſcipit etiam onera annexa officio Prætoris.

32 Quæritur 5. an Eccleſia potuerit Votum continentiæ tacitùm annectere SS. Ordinibus? Ii, qui ſordibus delectantur, ut plerique Hæretici, negant id potuiſſe Eccleſiam, quòd Matrimonium ſit Juris naturæ, & proptereà ab inferiori prohiberi non poſſit. Eſt tamen Catholica ſententia, ac proptereà indubitata, quòd Eccleſia hoc potuerit; licèt enim neminem cogere ad continentiam, quippe quæ meri conſilii eſt, ipſa poſſit, poteſt tamen ſacro Ordini apponere conditiones, & Leges juſtas, quæ iſti ſtatui competunt, & juxta quas vivere debet is, qui Ordines vult ſuſcipere.

Porro ad obligationem hanc inducendam multiplex cauſa movit Eccleſiam. 1. Exemplum Chriſti, & Apoſtolorum, cæterorumque ejus Diſcipulorum, qui poſt vocationem ſuam non ſolùm non duxerunt alias uxores, ſed etiam ductas reliquerunt: quod exemplum ſecuti ſunt omnes Epiſcopi, & Presbyteri ab iis ordinati. Gonzal. *in c.* 1. *h. tit. n.* 3. 2. Ut Divina puriùs, ac ſanctiùs tractarent; ſi enim in veteri Teſtamento miniſtrantes Deo in ſacrificiis, & Panes propoſitionis comedentes ſanctificari, i. e. ab uxoribus abſtinere oportuit, quanto magis in nova Lege ab iiſdem, & omni immunditia abſtinere decet eos, qui in ſacrificio incruento immaculatam Deo Hoſtiam offerunt, & ſanctiſſimo Chriſti Corpore, ac Sanguine quotidie reficiuntur? 3. ut tanto liberiùs ſerviant Deo, & ad Divina ſeriò tractanda fierent expeditiores, quanto ſæcularibus negotiis, curis, & ſollicitudinibus, quas uxores, & liberi creant, minùs implicantur. 4. ut fidelibus Laicis majori venerationi eſſent, eoſque non verbo tantùm, ſed inculpatæ etiam, ſanctæque converſationis exemplo abſtraherent à vitiis, & ad virtutem pellicerent. 5. Denique ut reditus ſibi ab Eccleſia aſſignatos ſtuderent impendere non ad dotandos, & ditandos liberos, ſed ad exercendam in pauperes liberalitatem, & hoſpitalitatem in peregrinos.

33 Quæritur 6. quæ ſit pœna eorum, qui poſt ſuſceptum liberè Sacrum Ordinem, inſuper habito Voto continentiæ, & præcepto illius, temerè præſumunt uxores ducere? Reſp. præterquam quòd Matrimonium ita contractum invalidum ſit, de Jure Canonico graviſſimæ in eos ſtatutæ pœnæ ſunt, antiquo quidem *Tolet.* 8. *c.* 6. jubentur ejuſmodi fœminæ recludi in Monaſteriis, ut ibidem ſub gravibus pœnitentiæ oneribus uſque ad finem vitæ degant; Neocæſar. *c.* 1. Presbyterum uxorem ducentem deponi, fornicantem, vel adulterantem extra Eccleſiam abjici, & inter Laicos redigi ad pœnitentiam mandat. Sed hæ, & aliæ Juris antiqui pœnæ hodie exoleverunt, & loco illarum nunc

1 Clerici, qui in ſubdiaconatu, & aliis ſuperioribus ordinibus uxores accepiſſe noſcuntur, ad dimittendas illas, & pœnitentiam de ſcelere commiſſo agendam per ſuſpenſionis, & Excommunicationis ſententiam compellendi ſunt *c. ſiqui* 1. *verſ. ſed ſi h. tit.* imò facto ipſo Excommunicationem incurrunt, *Clem. un. de conſang. & affinit.* à qua tamen, quia Jure reſervata non eſt, abſolvi poſſunt ab Epiſcopo, ut in *Clem. cit.* notat Gloſſ. *V. obtinere*, Barboſ. *ibid. n.* 24. Schamb. *hic num.* 2. Vvieſt. *num.* 22.

2 Fiunt Irregulares, ut nec in ſuſceptis ordinibus miniſtrare, nec ad altiores aſcendere poſſint *can. Monachum* 32. *cauſ.* 27. *q.* 1. ibi, *nunquam Eccleſiaſtici gradus officium ſortiatur.* Poteſt tamen Epiſcopus in ea Irregularitate diſpenſare, ut patet ex *c. de Diacono* 1. & *ſeq. qui Cler. vel vov.* dummodo talis Clericus doleat de peccato ſuo, & pœnitentiam injunctam peragat, abſitque ſcandalum aliorum; Barboſ. *in c.* 4. *h. tit. num.* 1. *Excipitur*, niſi cum vidua, vel corrupta contrahat; quia tunc contrahit Irregularitatem Bigamiæ interpretativæ, in qua Epiſcopus diſpenſare poteſtate Ordinaria nequit. 34

3 Redduntur ſuſpecti de Hæreſi, ita, ut contra eos procedi poſſit per Inquiſitores ſacri Officii. Diaz. *pract. crim. canon. c.* 80. *num.* 3. Cæſar. Panimoll. *deciſ.* 65. *n.* 6. Vivian. *in c.* 4. *h. tit.* Vvagn. *ibid. in Exeg.* Konig *hic num.* 6.

4 Incurrunt etiam pœnam ſtupri, ſi Virginem ſub figura, & prætextu Matrimonii violarint, quamvis verba de præſenti, & benedictiones præceſſerint. Farin. *prax. q.* 138. *n.* 99. *cum citt.*

5 Denique Beneficiis, ſi quæ habent, privantur *can. decernimus* 2. *can. de iis* 5. *can. Presbyter* 9. *diſt.* 28. Sed hinc ulteriùs oritur

Quæſtio 7. an Clericus, in Majoribus conſtitutus, ſi Matrimonium de facto contrahat, privationem Beneficiorum, quæ habuit, incurrat ipſo Jure, an verò iis ſolùm privandus ſit per ſententiam? *Prius* Affirmant Abb. *in c.* 1. *h. cit. n.* 7. Ancharan. *ibid. n.* 2. Zabarell. *nu.* 2. Sylv. *V. Clericus* 2. *n.* 2. *Verſ. primò ſi contrahat*, Covar. *p.* 2. *de Sponſal. c.* 6. §. 3. *n.* 5. *prope finem*, Azor. *p.* 1. *l.* 13. *c.* 13. *q.* 6. *verſ. ſed quæſtio eſt*, Farin. *prax. q.* 138. *num.* 98. Fundantur 1. quia talis Clericus, quantum eſt in ſe, aſſumpſit ſtatum incompatibilem cum Beneficio, & conſ. huic ipſo facto renuntiaſſe cenſetur, ut dictum eſt *ſupra n.* 5. 2. Clericus ejuſmodi, ſi poſt SS. Ordines Matrimonium ineat, contrahit Bigamiam ſimilitudinariam, & ſi prima mortua, ducat aliam, interpretativè Bigamus efficitur, licèt propter talis Matrimonii invaliditatem non ſit verè Bigamus. Igitur etiam Beneficio ipſo facto privabitur, ſicut illo ipſo facto privatur Clericus in minoribus conſtitutus, ſi validè contrahat Matrimonium. 3. Si is, qui habet unum Beneficium Curatum, alterum Curatum per vim accipiat, ſeu ſe in illud intrudat, licèt adeptio ſecundi ſit irrita, tamen ipſo Jure vacat primum, & amittitur, *c. eum qui* 18. *de præbend. in* 6. ubi ratio redditur, quia non decet, ut invaſor melioris conditionis ſit, quàm is, qui juſtè accepit Beneficium. Hæc autem argumentatio ſimiliter locum habet in Clerico conſtituto in Sacris, ſi Matrimonium temere, & invalidè præſumat contrahere. Igitur ne melioris conditionis ſit, quàm qui validè contrahunt matrimonium, ſicut iſti, ita & ipſe Beneficiis poſſeſſis ipſo Jure debet excidere. 35

Verùm his non obſtantibus, probabilius eſt, Clericum in Sacris conſtitutum, ſi Matrimonium invalidè contrahat, ipſo Jure Beneficiis ſuis non privari. Ita Gloſſ. *fin. in c.* 1. *h. tit.* Imol. *ibid. num.* 24. Abb. *num.* 7. Garc. *de Benef. p.* 11. *c.* 8. *num.* 17. Sanch. *l.* 7. *de Matrim. D.* 42. *num.* 4. Leſſ. *l.* 2. *c.* 34. *num.* 115. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 14. *num.* 7. Pal. *tr.* 13. *D.* 6. *p.* 3. §. 8. *num.* 14. Barboſ. *de Offic. Epiſc. Alleg.* 57. *num.* 207. Pirh. *hic num.* 13. Schambog. *n.* 10. Konig. *num.* 7. Vvieſt. *num.* 24. & colligitur ex *c. ſiqui* 1. *h. tit.* ubi Alexander III. diſcrimen ſtatuit inter Clericos Majorum, & inter Clericos Minorum Ordinum: & *primos* quidem, ſi Matrimonium inierint, jubet compelli ad Beneficia ſua relinquenda; *poſteriores* autem ſolùm dicit per ſuſpenſionis, vel etiam Excommunicationis Cenſuras cogendos ad dimittendas uxores ſic ductas, & pœnitentiam agendam. atqui fruſtra eſſet Suſpenſionis Cenſura, ſi Beneficium ipſo Jure fuiſſet amiſſum; nam Suſpenſio ſupponit habitum. ergo &c. *Conf.* ſi Clericus in SS. Ordinibus exiſtens, & ducens uxorem ipſo Jure privatus eſſet Beneficiis, tunc vel iis privatus eſſet per aſſumptionem ſtatus incompatibilis, adeoque propter tacitam renuntiationem, vel in pœnam delicti. *Non primum*; quia cum Matrimonium ſit irritum, illud contrahens non poteſt verè dici aſſumpſiſſe ſtatum incompatibilem cum Beneficio; non *ſecundum*; quia talis Conſtitutio pœnalis in propoſito caſu non extat. ergo &c. 36

Ex hoc patet *ad* 1. & ſequitur, quòd ita contrahens non renuntiaverit Beneficio ſuo abſolutè, & voluntate efficaci; voluntas enim, & conatus inefficax, cùm de contrahendis pœnis, & impedimentis agitur, pro facto non habentur, niſi in Jure expreſſum ſit. Sperell. *deciſ.* 137. *à num.* 29. Pirh. *hic num.* 19. Vvieſt. *numer.* 24. *Ad* 2. quòd Bigamia ſimilitudinaria contrahatur à Clerico, matrimonium de facto, & invalidè contrahente, 37

habe-

habetur expressum Jure; quod verò Clericus, in Majoribus constitutus, ipso Jure amittat Beneficia, si Matrimonium defacto, & invalidè contrahat; nusquam est Jure expressum. *Ad* 3. Leges Pœnales, etiam ob paritatem rationis extendi ad diversos Casus non debent, nisi necessitas cogat, quòd nimirùm aliàs iniquitas, aut contradictio Jurium, aut aliud absurdum sequeretur: tale autem nihil sequitur in nostro casu, sed potiùs omnia Jura clamant, id, quod nullum est, nullum producere defectum.

§. III.

De Privilegio Clericali in ordine ad Clericos conjugatos.

SUMMARIUM.

38 *Clerici in majoribus constituti Matrimonium defacto contrahendo adhuc gaudent privilegiis Clericalibus.*
39 *Constituti in minoribus tantùm tunc, quando conditiones à Trid. præscriptas servant.*
40 *Referuntur hæ conditiones.*
41 42 43 *His instructi privilegio fori gaudent solùm in criminalibus.*
44 *Apprehendere tamen illos, & incarcerare Judex sæcularis super causa Civili nequit.*
45 *Privilegium Canonis & fori non amittunt exercendo negotiationem aliàs prohibitam Clericis.*
46 *Amissum recuperant iterum vivendo Clericaliter.*
47 *Etiam Matrimonio nondum soluto.*
48 *Delictum à Clerico commissum ante depositionem habitus pertinet ad forum Ecclesiasticum.*

38 QUæritur 1. utrum Clericus conjugatus adhuc gaudeat Privilegiis Clericalibus? Resp. distinguendum hìc esse inter Clericos Majorum, & Minorum Ordinum. *In Majoribus Ordinibus constituti* vel contrahunt Matrimonium invalidè, & defacto tantùm, vel illud contrahunt validè, quia cum iisdem est dispensatum. *Si primum*, nullum amittunt privilegium ipso Jure, sed potiùs dimissis uxoribus ita ductis, coguntur redire ad Clericatum *c. siqui* 1. *h. tit. Si secundum*, ita contrahens privilegia Clericalia perdit; quia non ampliùs habetur pro Clerico, sed abstrahitur omnino, & deponitur à statu Clericali, ut notat Vall. *hìc* §. 3. *num.* 6.

39 *Clerici in minoribus Ordinibus constituti*, quamdiu uxoribus suis cohabitant, solùm gaudent privilegio Canonis, & fori, si tamen conditiones à Trid. præscriptas habent; cæteris verò privilegiis Clericalibus exuuntur: hinc non minùs, ac alii Laici ad tributa, collectas, vectigalia, gabellas, aliasque exactiones sæculari Magistratui solvendas obligantur *c. ex parte* 9. *h. tit.* quia quoad hæc habentur ut Laici *c. Joannes* 7. *eod.*

Dixi autem, *Quamdiu uxoribus suis cohabitant*; nam, ut rectè Vall. *hìc* §. 3. *num.* 5. monet, si Clericus conjugatus cum una, & virgine separetur ab uxore communi consensu, & legitimo modo ordinetur, immunitate Clericali gaudebit ex integro perinde, ac cæteri non conjugati; quia talis reputatur ab Ecclesia non tanquam conjugatus, sed tanquam viduus continens, & civili quodam modo quoad usum, & societatem Matrimonii, uxor illi quasi mortua censetur.

40 Addidi, *si tamen conditiones à Trid. requisitas habent*; nam si istas non habeant, etiam privilegio Canonis, & fori privabuntur. Sunt autem conditiones à Trid. *sess.* 23. *c.* 6. *de reform.* requisitæ sequentes 1. ut contraxerint cum una, eaque virgine. 2. Ut habitum, & tonsuram deferant. 3. Ut alicui Ecclesiæ ex Episcopi deputatione serviant. Debent autem hæc omnia simul concurrere; nam unico ex his deficiente, etiam istis privantur, ut habetur *c. Joannes cit. Proceditque hoc* etiam citra admonitionem, vel declarationem Judicis; quia ista privatio non imponitur ut delicti pœna, sed ob defectum conditionis requisitæ. Hinc ut liberrimum hujusmodi Clericis est gestare habitum & tonsuram, ita in arbitrio eorundem est gaudere, vel non gaudere his privilegiis; neque enim compelli ab Episcopo possunt, ut tanquam Clerici incedant *c. Joannes cit. Excipe*, nisi ex dispensatione Pontificis officium, & Beneficium Ecclesiasticum habere permittantur; tunc enim Jure compelli possent ad habitum, & tonsuram Clericalem ferendam *c. cit.*

41 Quæritur 2. in quibus causis privilegio fori gaudeant Clerici conjugati, conditionibus suprà positis instructi? an in criminalibus solùm, an etiam in Civilibus? In utrisque eos gaudere hoc privilegio, defendunt Franc. *in c. un.* §. *& cùm num.* 4. *h. tit. in* 6. Riccius *p.* 4. *Decis. Neapol. Cur.* 330. *num.* 5. Bonac. *de Censur. in Bull. Cen. D.* 1. *q.* 16. *p.* 3. *num.* 3. & probabile affirmat Barbos. *alleg.* 12. *num.* 25. dubitat Passerin. *in c. un. h. tit. in* 6. *n.* 43. *in fin.* Nituntur 1. textu *c. un. cit.* ubi postquam dictum est, *non posse hujusmodi Clericos trahi ad Judicium Sæculare, sive criminaliter, sive civiliter*, subditur, *sive etiam pecunialiter nullatenus condemnari*: quæ verba ne otiosa sint, videntur intelligi debere de causis merè Civilibus; nam de criminalibus jam ante dictum est. 2. *Dicto cap.* adduntur verba, *Pro commissis ab eis excessibus*. Atqui verba hæc comprehendunt etiam illum, qui contrahendo promisit aliquid, & promissum non implet; is enim verè excessum committit, ob quem convenitur. 3. Concilium Parisiense relatum *c. nullo* 2. *de for. compet.* absolutè prohibet Judicibus Sæcularibus quemcunque Clericum condemnare, nec distinguit inter causas Civiles, & Criminales, inter Clericos non conjugatos, & conjugatos. Igitur etiam ad hos extendi debet dispositio illius, nisi per aliud Jus recentius sit correcta: non est autem correcta; quia *c. un. cit.* quod prima facie aliquam ejus correctionem videtur continere, potiùs est ejusdem declaratio, ut patet ex ejusdem verbis, *Et cùm juxta Concilium Parisiense nullus Clericus distringi, aut condemnari debeat à Judice Sæculari, præsenti declaramus Edicto.* Neque obstat, quòd *c. un. cit.* videatur strictiùs loqui; quia juxta Regulam, quæ sumitur ex *Clem.* 7. & ibi Gloss. *V. de consuetudine de Elect.* Constitutio declarans deber recipere omnes interpretationes, quas recipiebat Constitutio declarata. Ergo &c. 4. *Trid. sess.* 23. *c.* 6. *de reform.* Clericos conjugatos Clericis non conjugatis voluit esse pares in illis requisitis. ergo similiter gaudent privilegiis. 5. Aliàs melior esset conditio Clerici conjugati delinquentis, & per furtum v. g. acquirentis, quàm innocentis, qui accepit ex mutuo; hic enim potest coram Judice Sæculari conveniri, non item prior.

42 Sed his non obstantibus communior & Juris rigore attento, verior sententia DD. habet, hujusmodi Clericos conjugatos in solis criminalibus causis, sive criminaliter, sive civiliter intententur, gaudere privilegio fori Ecclesiastici. Ita Joan. Andr. *in c. un. cit. n.* 2. Ancharan. *ibid. not.* 4. Abb. *in c. Joannes* 7. *h. tit. n.* 3. Imol. *ibid. n.* 4. & *in c. ex parte* 9. *eod. n.* 3. Sylv. *V. Clericus* 1. *q.* 6 Covarr. *pract. c.* 31. *n.* 6. Azor. *p.* 1. *l.* 13. *c.* 14. *q.* 16. *vers. si tertiò quæras*, Suar. *defens. fid. l.* 4. *c.* 28. *n.* 2. Farin. *prax. q.* 8. *n.* 7. Sanch. *l.* 7. *de Matr. D.* 46. *n.* 22. Laym. *l.* 4. *tr.* 9. *c.* 8. *n.* 5. Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 12. *n.* 25. Leuren. *for. Benef. p.* 1. *s.* 2. *c.* 2. *q.* 307. Gonzal. *in c.* 9. *h. tit. n.* 3. Vall. *hìc* §. 3. *n.* 1. Zoes. *n.* 21. Vviest. *n.* 12. & ita declarasse S. Congr. Concil. referunt Fagn. *in c. proposuisti n.* 28. *de for. compet.* & Barbos. *in c.* 6. *Trid. cit. n.* 44. Colligitur ex *c. un. cit.* ubi expressè habetur ejusmodi Clericos trahi non posse ad Judicium Sæculare pro delictis ab eis commissis, & additur, in cæteris nullo eos gaudere privilegio. *Ratio*, ob quam Pontifex solas causas criminales excepit fuit, ut consuleret honori, & reverentiæ Ordinis Clericalis; indecentius autem est in causa criminali, in qua agitur ad vindictam publicam, Clericum subdi foro Sæculari, quàm in causa Civili, in qua agitur de restitutione debiti. *Excipitur*, nisi alicubi sit consuetudo, ut hujusmodi Clerici sint exempti etiam in causis merè Civilibus, ut est in Regno Neapolitano. Passerin. *in c. un. cit. n.* 43.

43 Neque obstant rationes, & fundamenta Adversariorum. *Ad* 1. verba illa otiosa non sunt, sed adduntur declarationis causa; poterat enim dubitari, utrum non Judex Sæcularis Clericum pro delicto condemnare possit pecunialiter: quod dubium tollitur per verba *citt.* ut adeo sensus illorum sit, hujusmodi Clericos pro delictis à Judice Sæculari ne quidem mulctari posse pecunia: quem sensum satis indicat in *c. cit.* adjecta ratio, *ne per unam viam concedatur iisdem judicibus, quod per aliam denegatur*; quæ ratio nequaquam stringeret, si vox *pecunialiter* accipi deberet in ordine ad Causas Civiles. *Ad* 2. licèt is, qui Contractum non implet, committat peccatum, non tamen propriè committit delictum, vel excessum; excessus enim, & delictum propriè appellantur in causa criminali, quæ ex se ad vindictam publicam tendit. Sanch. *D.* 46. *cit. n.* 24. *Ad* 3. *c. un. cit.* non tantùm est declaratio Concilii Parisiensis, sed simul generalitatem ejus restringit, ita, ut sensus ejusdem sit, *Etsi Concilium Parisiense indistinctè statuerit, nullum Clericum subdi foro Judicis Sæcularis; at quoad Clericum conjugatum declaramus id solùm accipiendum esse imposterum in criminalibus.* Sanch. *l. cit. Ad* 4. etsi Concil. Trid. Clericos conjugatos pares esse voluerit in requisitis, noluit tamen pares esse in privilegiis; quod ex eo colligitur; quia respectu illorum innovat Constitutionem *c. un. cit. Ad* 5. ratio discriminis, ut dictum est,

est, fuit decentia, & honor Status Clericalis, cui voluit Pontifex hoc modo consulere.

44 Quæritur 3. an sicut Judex Sæcularis juxta dicta causas merè Civiles Clericorum conjugatorum potest cognoscere, ita etiam super iisdem possit illos capere, & in carcerem conjicere? Non conveniunt Patroni proximè confirmatæ sententiæ. Affirmat Sanch. *l. 7. de Matr. D. 46. num. 23.* cum Montalv. Covar. Gutier. ex ratione, quia si aliquid obstaret, quo minùs in causa merè Civili Clericus conjugatus à Judice Sæculari capi, & incarcerari posset, obstaret privilegium Canonis, quo gaudet hujusmodi Clericus, & quo sub pœna Excommunicationis prohibetur, ne violentæ manus injiciantur Clericis. atqui hoc non obstat; nam manus istæ non possunt dici violentæ, sed potiùs justæ, utpote cùm in ea causa Sæcularis sit Judex competens.

Negativam tamen communiùs defendunt DD. & inter hos Ancharan. *in c. un. h. tit. n. 4. not. 4.* Franc. *ibid. §. & cùm n. 2.* Sylv. *V. Clericus 1. q. 6.* Farm. *q. 8. n. 7.* & sic declaratum à S. Congr. Card. Concil. testis est Fagnan. *in c. proposuisti n. 28. de for. compet.* & Passerin. *in c. un. cit. n. 44.* ob cujus Declarationis authoritatem judico posteriorem istam probabiliorem. *Confirmari* potest congrua hac ratione; quia de Jure communi personæ Clericorum sunt exemptæ à Jurisdictione Laicorum, neque per hoc, quòd SS. Canones eos Judici Sæculari subdiderint in causis realibus, & merè civilibus, etiam subdiderunt ipsorum personam, ut illam possint distringere.

45 Quæritur 4. an Clericus conjugatus, servans omnes conditiones requisitas, amittat privilegium Canonis, & fori, si negotiationibus vacet? Affirmant Joan. Andr. *in c. un. h. tit. in 6. num. 3.* Clar. *§. fin. q. 36. n. 12.* Farin. *prax. q. 8. n. 93.* & alii apud Sanch. *l. 7. de Matr. D. 46. n. 25.* Videtur sumi ex *c. Joannes 7. h. tit.* ubi dicitur, quòd tonsura illius, qui sæcularia negotia exercet, videatur in Ministerii, sive Status Clericalis vituperium, seu opprobrium redundare.

Sed verius, & probabilius est non amittere. Ita Franc. *in c. un. cit. §. & cùm n. 5.* Ancharan. *ibid. num. 2. not. 2.* Sylv. *V. Clericus 3. q. 3.* Covar. *pract. qq. c. 31. n. 8. vers. sextò*, Azor. *p. 1. l. 13. c. ult. q. fin. vers. si iterum*. Sanch. *D. 46. cit. n. 26.* Vallens. *hic §. 3. n. 6.* Pirh. *n. 32. Ratio est*, quia nusquam in Jure Canonico reperitur expressum, quòd Clerici conjugati non possint exercere licitè negotiationem honestam victus causa.

Neque obstat *c. Joannes cit.* ibi enim sermo est de Clericis non conjugatis, in quibus dispar est ratio; nam isti cùm Statum Clericalem, & conversationem absolutè profiteantur, indecens est, si sæcularibus negotiis, etiam aliàs licitis, & honestis, se immisceant: at non ita indecens est, ut Clerici conjugati, quippe qui magis accedunt ad Statum Laicorum, quàm Clericorum, hujusmodi negotiis operam dent.

46 Quæritur 5. an Clericus in Minoribus, qui Matrimonium contraxit cum una, & virgine, si tonsuram, & vestes Clericales, quas deposuerat, mortua uxore reassumat, & iterum incipiat vivere Clericaliter, privilegia Clericalia amissa recuperet? Resp. affirmativè, modò conditiones à Trid. requisitas omnes observet. Ita Abb. *in c. Clericus 6. de Vit. & Honest. n. 4.* Covar. *pract. qq. c. 31. n. 8. vers. 5. in fin.* Clar. *§. fin. q. 36. num. 18.* Barbos. *in L. Titia 35. ff. solut. matrim. n. 33.* Azor. *p. 1. l. 13. c. ult. q. fin. vers. ultimò si quæras*, Sanch. *D. 46. cit. n. 30.* Passerin. *in c. un. cit. n. 33. & 46.* Vall. *hic §. 3. n. 5.* Zoes. *n. 21.* Pirh. *n. 31.*

Ratio est, quia privatio ista privilegiorum Clerico in Minoribus constituto, uxorem virginem ducenti, non est injuncta in pœnam per modum alicujus depositionis, sed ideo, quòd alium statum incompatibilem, & Clericatui repugnantem assumpserit. Igitur soluto Matrimonio, adeoque impedimento remoto, privilegia redire poterunt, cùm fundamentum eorum, nempe Ordo Clericalis, remanserit.

Neque obstat *Regul. quod semel placuit 21. in 6.* aliique textus, qui in contrarium afferri solent; nam tantùm procedunt, quando privilegia Clericalia sunt omnino extincta, ut si Clericus Bigamus fiat, non autem, quando solum suspensa sunt, dum habitus, & tonsura non reassumitur.

47 Quæritur 6. an privilegia, Clericis conjugatis competentia, recuperet etiam, quando Matrimonium nondum solutum est per mortem uxoris, si habitum, & tonsuram reassumat, & de Episcopi deputatione alicui Ecclesiæ deserviat? Resp. probabilius recuperaturum. Ita Gloss. *in Clem. 1. V. quamdiu de Vit. & honest.* Clar. *§. fin. q. 36. n. 15.* Farin. *prax. q. 8. n. 66.* Passerin. *in c. un. h. tit. in 6. n. 30. & 44.* Barbos. *alleg. 12. n. 28. &c.* & colligitur 1. ex *c. un. cit.* ib. *Eos gaudere nolumus privilegio Clericali*, quæ verba indicant, tales Clericos privari privilegiis solùm quoad eorum usum, & exercitium, non autem quoad proprietatem, ergo reassumpto habitu, & tonsura, tanquam sublata causa privationis, iis fruentur iterum. 2. Ex *c. Clericus 6. de Vit. & honest.* ubi de Clerico, qui dimissa tonsura, uxorem duxerat, dicitur, ut iterum tondeatur. Non autem in alium finem retonderi jubetur, nisi ut recuperet privilegium Canonis, & fori. 3. *à pari*; nam Clericus Macellarius, aut tabernarius privilegio Clericali privatur, quamdiu iisdem officiis institerit, ut dicitur *Clem. 1. de Vit. & honest.* igitur ut isti, ita & conjugati recuperabunt privilegium Canonis, & fori, si iterum Clericaliter vivant.

Excipitur, si talis Clericus habitum, & tonsuram reassumpsisset in fraudem, ut si postquam patravit delictum, & propter illud à Magistratu Sæculari jam est captus, habitum reassumeret; nam eo casu reassumptio illum non juvaret. Imol. *in c. Joannes 7. h. tit. n. 17. in fin.* Fagn. *ibid. n. 6.* Passerin. *in c. un. cit. n. 31.* estque teste Fagn. *l. cit.* decisum à Sacr. Congr.

Quæritur 7. an Clericus, si ante conjugium deliquit, post conjugium autem habitum, & tonsuram non deferat, respectu illius delicti gaudeat privilegio fori? Resp. gaudere etiam in casu, quo omnino postea privaretur privilegiis Clericorum, ut in specie *c. un. de Bigam. in 6.* Sanch. *D. 46. cit. n. 4.* Passerin. *in c. un. cit. n. 19.* Zoes. *hic n. 23.* Pirh. *ibid. n. 28. vers. infertur secundò.* Ratio est, quia quoad fori competentiam attendi debet tempus, quo delictum est commissum *arg. l. 1. ff. de pœnis.* 48

Neque obstat, quòd *c. un. cit.* Bigami dicantur nudari omni privilegio Clericali; nam hoc tantùm intelligendum est quoad delicta postea commissa, non verò præcedentia. Barbos. *ad l. Titia 35. ff. solut. matr. n. 33.*

Disputant hic aliqui, an privilegio fori gaudeant etiam uxores, & liberi Clericorum conjugatorum: sed de hoc dictum satis est *Libr. 2. tit. 2. n. 87.*

TITULUS IV.

De Clericis non residentibus in Ecclesia, vel Præbenda.

AD vitæ honestatem, quæ in Clericis desideratur, pertinet non tantum, ut in victu, vestitu, & conversatione decenter se habeant, fœminarum commercia fugiant, castè, & continenter vivant, de quibus Titulis præcedentibus actum est; sed etiam, ut in iisdem Ecclesiis, ac Titulis Beneficiorum suorum resideant, & officium ratione Beneficii debitum præstent. Hinc meritò ad priores Titulos præsens de residentia Clericorum jungitur.

§. I.

De Obligatione ad Residentiam.

SUMMARIUM.

1 2 3 *Residentiæ Clericalis Definitio.*
4 5 *Obligat ad exercendos actus annexos Beneficio.*
6 *Alia vera est, alia ficta.*
7 8 9 *Jure communi spectato, ad eam obligantur omnes obtinentes Beneficium aliquod.*
10 11 12 *Locus, ubi quisque residere debeat.*
13 14 15 16 *Tempus, quo obligantur residere.*
17 18 19 *Ad absentiam etiam duorum mensium Parochis necessaria est licentia Episcopi.*
20 21 *Quanto tempore residere in qualibet debeat, qui in diversis Ecclesiis duos habet Canonicatus.*
22 23 24 *An in Canonicatu suo residere debeat Episcopus, quem ex Dispensatione in alia Ecclesia obtinet?*

QUæritur 1. quid sit *Residentia*? *Resp. est mansio, seu commoratio assidua in Ecclesia, seu loco Beneficii, causa servitii Ecclesiastici personaliter præstandi.* Ita quoad rem omnes, & in his Laym. *l. 4. tr. 2. c. 6. num. 1.* Illsung. *tr. 5. D. 2. n. 209.* Vall. *hic n. 1.* Zoes. *num. 1.* Pirh. *n. 1.* Konig *n. 1.* Wiestner *n. 1.* 1

Dixi 1. *Mansio, seu commoratio assidua.* Nam, ut rectè notat P. Wiestn. *l. cit.* spectato Jure communi, non sufficit, ut Beneficiarius in loco Beneficii resideat per intervalla, sed residentia debet esse assidua: quod intellige, non physicè, quasi nunquam possit abesse à loco Beneficii, sed moraliter. Et hinc licèt aliquoties, aut etiam sæpius, nec sine culpa à Divinis absit, modò potissima ex parte anni, & ferè semper in loco Beneficii maneat in Choro & Capitulo interdum, præsertim cùm vocatur, & auxilio

lio illius opus est, se sistat, Horasque Canonicas privatim recitet, fructus Grossos jam lucratur, licèt non Distributiones quotidianas respondentes tempori absentiæ, Vviest. *l. cit. n.* 2. *Ratio est*, quia qui aliquantisper tantùm absunt, ex Canonum doctrina abesse non videntur, quia statim reversuri sunt *arg. l. divortium* 3. *ff. de divort.* ibi *si brevi reversa uxor est, nec divortisse videtur*.

2 Dixi 2. *in loco Beneficii*. Ita residere dicitur Episcopus, si commoretur in Ecclesia sua Cathedrali, vel saltem in Diœcesi; Canonicus, si Cathedrali, vel Collegiatæ suæ ita adsit, ut in dies per seipsum inservire & Divino Officio interesse possit; Parochus, si in domo sua Parochiali, vel si talem non habet, intra fines Parochiæ suæ habitet. Fagn. *in c.* 30. *de Præb. n.* 12. Leo *Thes. for. Eccl. p.* 2. *c.* 2. *n.* 18. Pignat. *tom.* 7. *Consult.* 4. *n.* 8. Proceditque hoc, etiamsi major pars populi longè ab Ecclesia degat, & minor propè, adhuc enim Parochus habitare debet prope Ecclesiam suam Parochialem, ut notat Barbos. *ad Trid. sess.* 23. *c.* 1. *de reform. n.* 46. cum aliis. *Excipitur*, si domus alia, e.g. paterna, vel cognatorum, ita propinqua foret, ut ex illa ipse Administrationi Sacramentorum, & cæteris Curæ indigentiis præsto esse possit æquè bene, acsi in domo Parochiali habitaret; nam in hac si degeret, sciente & tacente Episcopo, tutus foret in conscientia. Leuren. *for. Eccl. p.* 1. *q.* 371. *n.* 1.

3 Dixi 3. *causa servitii Ecclesiastici*; nam si Clericus personaliter quidem moretur, seu versetur in loco Beneficii sui, sed officium, propter quod datur Beneficium, nunquam præstet, e.g. Canonicus ad Chorum, vel Capitulum nunquam veniat, non censetur residere; quia frustranea est ejus residentia, quippe quæ finem, & effectu suo omnino caret. Sylv. *V. residentia princ.* Ex quo sequitur, ejusmodi Canonicum, salva conscientia, etiam non posse percipere fructus ratione residentiæ competentes.

Dixi 4. *personaliter præstandi*; ex quo solvitur, quod solet.

Quæritur 2. an satisfaciat obligationi suæ Beneficiarius, si in loco Beneficii quidem resideat, sed actus Beneficio annexos exerceat solùm per alios? Resp. non satisfacere; nam residentia propriè dicta laboriosa est, non otiosa, ut colligitur ex *c. relatum* 4. & *c. conquerente* 6. *h. t.* & notat Covar. *l.* 3. *var. c.* 13. *n.* 3. Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 53. *n.* 20. Vviest. *hic n.* 2. *Neque obstat*, quòd aliàs per communem Juris regulam quisque facere per alium possit, quod per seipsum potest; nam Regula hæc solùm procedit, quando non est electa industria personæ: non verò, si hæc electa sit, sicut electa intelligitur in collatione Beneficii *c. is cui* 12. *de Offic. Deleg. in* 6. tunc enim requiritur opera personæ constitutæ, non alterius, & qui actum, ad quem obligatur, præstat per alterum, non satisfacit; quia opera unius non est opera alterius *l. si non sortem* 26. §. *libertus* 12. *ff. de condict. indebit.* ergo &c.

Hinc, ut Parochus satisfaciat obligationi suæ, non sufficit, si actus ministerii sui exerceat per Capellanos, vel Vicarios suos, sed necessarium omnino est, ut ad minimum aliquoties, & maximè, si Parochiani postulaverint, per seipsum Curam animarum peragat, & Sacramenta administret, ut colligitur ex *c. relatum cit. c. extirpandæ* 30. §. *qui verò de Præb.* & Trid. *sess.* 23. *c.* 1. *de reform.* dum inculcans debitum Pastoralis Curæ inculcat Residentiam, qua pascat, & regat.

Idem dicendum etiam de Canonicis tum Cathedralium, tum Collegiatarum, Ecclesiarum; nam etiam hi, ut debitum officii sui expleant, non tantùm in loco Ecclesiæ suæ residere debent materialiter, sed Horas etiam frequentare, imò, spectato Jure communi, etiam psallere per seipsos debent, ut infra *num.* 81. dicetur. Dixi, *spectato Jure communi*; non enim damnanda est consuetudo, qua Canonici, modo in Choro præsentes sint, pro residentibus, & præsentibus habentur, licèt non per se, sed per substitutos Vicarios psallant. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 6. *n.* 2. Less. *l.* 2. *de Just. c.* 34. *n.* 185. Zypæus *hic n.* 28. Pirh. *n.* 6. Vviest. *n.* 3. *Ratio est*, quia decantatio, præsertim si figurata sit, sic magis decens, & accurata est, cùm ipsi Canonici plerumque aut nesciant canere, aut malè canant.

6 Quæritur 3. quotuplex sit Residentia, & obligatio residendi? Resp. Residentia duplex est, Vera, & Ficta. *Vera est*, quando Beneficiarius verè, & realiter præsens est in loco Beneficii, & per seipsum, seu personaliter exercet officium, seu Ministerium Spirituale, propter quod datur Beneficium. *Ficta* dicitur, quando absens à loco Beneficii fictione Juris habetur pro præsente, saltem in ordine ad lucrandos fructus grossos, vel etiam Distributiones quotidianas. Barbos. *ad Rubric. h. tit. n.* 9. Pirh. *hic n.* 2. Konig *n.* 2.

Obligatio residendi & ipsa duplex est, ut ex Innoc. *c. fin. h. tit.* notat Navar. *l.* 3. *cons.* 4. *n.* 4. *in* 2. *edit.* Laym. *num.* 2. Pirh. *l. cit. Una est* solùm ad lucrandos fructus; nam in multis Ecclesiis Canonici, seu Capitulares ad residendum simpliciter non obligantur, sed tantùm sub conditione, si velint lucrari fructus: quo casu si non resideant, etsi fructus percipere ex Beneficio nequeant, non tamen peccant, neque per hoc privantur voce Activa, vel passiva in electionibus, & aliis actibus. *Altera* eaque strictior, & magis propria necessitas residendi est, ad præstandum servitium Ecclesiæ, & quidem personaliter, ut *n. præc.* dictum est, non per alios, maximè si Beneficium Curatum fuerit; videtur enim electa industria personæ, quæ, ut ibi dictum, per alium non suppletur: unde consuetudo sub annuo censu committendi aliis Ecclesias dicitur enormis, & improbatur *c. quoniam* 3. *ne Prælat. vic. suas &c.*

1 Quæritur 4. quinam obligentur ad personalem residentiam in suis Ecclesiis? Resp. Jure communi spectato, ad residentiam personalem obligantur omnes obtinentes Beneficium aliquod. Et imprimis quidem Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Præpositi, Priores, Parochi, & alii Curati *c. ex gestis* 2. *& c. quia nonnulli* 3. *h. tit.* estque statutum in Trid. *sess.* 6. *cap.* 1. & *sess.* 23. *cap.* 1. *de Reform.* Ratio est, quia Pastor gregi suo invigilare debet, eumque pascere, & regere, non illum committere alteri mercenario. 7

2 Omnes, qui Dignitatem, seu Personatum, administrationem, vel officium in aliqua Ecclesia obtinent. Sumitur ex textibus *citt.* Ratio est, quia ad Ecclesiæ cujusque necessitatem, ac decorem spectat, ut non destituatur præsentia illarum personarum, quibus collatæ sunt Dignitates, seu Personatus, ut rectè advertit Pirh. *hic n.* 3.

3 Canonici Cathedralium, & Collegiatarum Ecclesiarum, & quicumque in his Præbendam, vel portionem habent *c. cùm ad hoc* 16. *h. tit.* & Trid. *sess.* 24. *c.* 12. *V. præterea de reform.*

4 Obtinentes alia Beneficia, etiam simplicia tantùm *c. quia nonnulli cit. c. conquerente* 6. *h. tit. c. adhæc* 13. *de Præbend.* Ratio est, quia etiam simplex Beneficium datur propter ministerium, & officium, Ecclesiasticum.

Dixi autem, *Jure communi spectato*; nam consuetudine hic rigor Juris quoad Canonicatus, & Beneficia simplicia non parum diminutus est: quoad Canonicatus quidem; quia defacto in multis Ecclesiis, præsertim Germaniæ nostræ, Canonici tantùm medio anno, alibi tribus solùm mensibus, in quibusdam uno certo die v.g. S. Michaelis residere tenentur, quo tempore, si Divinis intersint, lucrantur reditus totius anni. Garc. *p.* 3. *de Benef. c.* 2. *num.* 330. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 6. *n.* 2. Leuren. *For. Benef. p.* 3. *q.* 110. *n.* 2. *fin.* Illsunh. *tr.* 5. *D.* 2. *n.* 209. Engl *hic* §. 2. *n.* 8. *vers. si igitur*, Pirh. *ibid. n.* 6. 8

Quoad Beneficia cætera simplicia autem consuetudo passim obtinuit, ut in multis eorum non resideatur, sed Beneficiatus v.g. Capellanus ad tria Sacra in Capella hebdomadatim dicenda obligatus, nisi fundatio, statutum, vel specialis usus aliud exigat, obligationi huic per alium satisfacere queat, prout cum aliis rectè advertit Garc. *l. cit. à n.* 3. qui *n.* 8. addit, ita fuisse resolutum à Sacr. Congr.

Addidi, *Omnes obtinentes Beneficium*: quod nomen, cùm hic versemur in materia odiosa, utpote obligationem imponente, strictè accipi debet, & non extendendum est ad Clericos, habentes solùm Præstimonia, h. e. quasi stipendia temporalia, quæ subsidii loco v. g. ad studia prosequenda dantur; nam hi, licèt ad Horas Canonicas, vel Officium B.V. privatim recitandum obligentur, ut in Ecclesia tamen, unde Præstimonia ista habent, residere per se non tenentur, nec illi deservire vel per se, vel per Vicarium. Garc. *c.* 2. *cit. n.* 2. Azor. *p.* 2. *l.* 7. *c.* 6. *n.* 2. Laym. *c.* 6. *cit. n.* 2. Vall. *hic n.* 2. Zoes. *n.* 3. Pirh. *n.* 9. Vviest. *n.* 6. Et ratio est, quia cùm hæc Præstimonia ex sua institutione non videantur habere ullum servitium annexum, præter lectionem Horarum, non videntur quoque requirere residentiam. 9

Quæritur 5. quo in loco Beneficiarius residere debeat, ut obligationi residendi satisfaciat? Constat ex *n.* 1. *&* 2. residentiam debere esse in loco Beneficii. Consequenter 10
1. Episcopus residere tenetur in sua Ecclesia Cathedrali, seu in Civitate, in qua Ecclesiam suam Cathedralem habet,

bet, ut decretum fuit in Conc. Carthag. 5. *cap.* 5. de quo *can. placuit* 21. *caus.* 7. *quæst.* 1. his verbis, *Placuit, ut nemini sit facultas, relicta principali Cathedra, ad aliquam Ecclesiam in Diœcesi constitutam se conferre, nisi,* ut ait Glossa, *causa visitandi. Excipitur;* quando vel causa rationabilis, vel specialis Diœcesium consuetudo suaserit, ut resideant extra Civitatem Episcopalem in loco vicino, prout Archiepiscopi, & Electores Colonienses residere solent Bonnæ, Trevirenses Hermansteinii, vel Confluentiæ, Episcopi Constantienses Marisburgi, Augustani Dilingæ &c.

11 2 Parochus tenetur habitare in ædibus Parochialibus; vel si propriam domum non habeat, debet aliquam conducere, saltem intra limites Parochiæ ex Declaratione Sacr. Congr. Cardd. apud Fagn. *in cap.* 30. *de Præbend. num.* 12. Ex quo sequitur, non satisfacere, si in vicino aliquo oppido moretur, & singulis diebus festis, ac Dominicis ad Parochiam suam excurrat, ut bene notat, & Declaratione Cardd. firmat Garz. *p.* 3. *de Benef. cap.* 2. 179. Proceditque hoc, ut idem Garc. *l. cit.* monet, etiamsi diebus ferialibus abesset causa docendi. *Excipit* Pignatell. *tom.* 7. *consult.* 4. *num.* 18. si Parochia sit tenuis, & paucarum animarum; nam in hujus Parocho ait tolerari posse, si non resideat in Parochia, quousque per unionem simplicis alicujus Beneficii, vel alio modo suppleatur ejus congrua, dummodo accedat illuc ad celebrandum diebus festis, & quando vocabitur pro Sacramentorum administratione: si tamen Episcopus nolit tolerare, Parochus tenebitur obedire, ut à *S. Congr. super Episc.* 16. *Jan.* 579. decisum refert Pignat. *l. cit.*

12 3 Casu, quo unus, idemque Clericus duo Beneficia ad residentiam obligantia obtinet, distinguendum est, an unum alteri annexum sit per unionem, & incorporationem, an verò citra istam Clericus illa ex Pontificis dispensatione obtineat. *Si primum,* residere personaliter debet in majori, & principali Ecclesia; in altera verò Ecclesia, quæ ipsi accessoriè unita est, etsi Parochialis sit, sufficiet si eidem deserviat per Vicarium *cap. extirpandæ* 30. §. *qui verò de Præb.* Barbos. *ad Trid. sess.* 22. *cap.* 3. *de reform. in* 6. Pirh. *tit. de Præbend. num.* 39. Konig *hic num.* 11. Ratio est, quia accessorium sequitur naturam principalis, & sic Canonicatus, seu Præbenda Canonicalis sit dignior Beneficio Curato sic annexo. *Si secundum,* considerandum, an utrumque Beneficium sit Curatum, vel utrumque simplex, vel unum Curatum, alterum simplex. *Si Curatum unum, alterum simplex est,* residere in Curato debet; quia hoc casu non tam dignitatis Beneficii, quàm necessitatis animarum ratio est habenda ex *Const. Pii V.* quæ incipit, *Cupientes*, *edita Idibus Julii* 1568. Garc. *p.* 12. *de Benef. cap.* 2. *num.* 40. Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 53. *num.* 83. Pirh. *de Præbend. num.* 39. Konig *hic num.* 12. Vviest. *ibid. num.* 13. Si utrumque Curatum, vel utrumque simplex est, residere debet in digniore; aut si dignitas sit æqualis, in frequentiore; si verò etiam frequentia utriusque par, sed unum in Civitate, alterum extra illam situm sit, in civitate potiùs, quàm extra hanc residere debet. Garc. *p.* 3. *de Benef. cap.* 2. *num.* 179. Pal. *tract.* 13. *D.* 5. *p.* 2. *num.* 2. Barbos. *alleg. cit. num.* 73. In dubio de frequentia, & dignitate tam Beneficii, quàm loci in quo situm est, in arbitrio Beneficiati erit, residere, ubi voluerit, ut cum *citt.* notat Pignatell. *tom.* 7. *consult.* 4. *num.* 20.

13 Quæritur 6. ad quod tempus Episcopi, Parochi, & alii Clerici ab Ecclesiis suis licitè abesse possint? Respond. 1. Episcopi sine gravi causa, ex æqua tamen, & si sine detrimento gregis, id fieri possit, singulis annis, sive continuè, sive interruptè, à suis Ecclesiis Cathedralibus esse possunt ad duos, vel summum ad tres menses, prout declaravit S. Synodus Trid. *sess.* 23. *cap.* 1. *vers. quoniam autem de reform.* ubi duo adjungit: *unum* est, ut præsentes esse curent Festis anni solemnioribus, sc. Adventus, Quadragesimæ, Nativitatis, Paschatis, Pentecostes, & Corporis Christi, nisi Episcopalia munia in sua Diœcesi eos aliò vocent; quia tamen laudata Synodus ad præsentiam his diebus Episcopos solùm hortatur, & monet, ideo, ut bene advertit Pal. *p.* 2. *cit. num.* 1. non videtur peccaturos mortaliter, si in sua Diœcesi residentes illis temporibus à suis Ecclesiis aliquando absint. *Alterum est,* ut si per longius tempus abesse velint, duo concurrant, videlicet justa causa, & licentia, quæ petenda est vel à Summo Pont. vel à Metropolitano, vel hoc absente, ab antiquiore suffraganeo, atque in scriptis dari debet. *Excipitur,* si periculum sit in mora, aut absentiæ causa sit notoria, ut si Episcopus, qui simul est Princeps Imperii, ad Comitia vocatus compareat, tunc enim licentiæ petitione opus non est, ut rectè Less. *l.* 2. *de Just. cap.* 34. *num.* 156. Leo *Thesaur. p.* 2. *cap.* 2. *num.* 8. Leuren. *for. Benef. p.* 1. *quæst.* 373. Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 53. *num.* 5. Zoes. *hic num.* 8. Engl §. 1. *num.* 2. Konig *num.* 5. Vviest. *num.* 26.

2 In Abbatibus, & aliis Prælatis Episcopo inferioribus distinguendum est, an sint exempti à Jurisdictione Episcopi, an verò huic sint subditi. *Si exempti sunt,* & Jurisdictionem quasi Episcopalem cum animarum cura exercent, etiam ipsis duo, vel tres menses absentiæ conceduntur; quia hi Episcoporum nomine & ipsi veniunt. *Si subditi sunt Episcopo,* eisdem permittuntur duo menses. Tambur. *de Jur. Abb. tom.* 1. *D.* 14. *quæst.* 5. *numer.* 1. & 2. An ad bimestrem istam absentiam necessaria sit licentia Superioris, diffident inter sese DD. Navar. *in Man. cap.* 25. *numer.* 121. *in fin.* putat eam non esse necessariam, sed sufficere, si habeant justam causam: meliùs affirmat Tambur. *num.* 2. *cit.* & videtur sententia hæc conformior Trid. quod *cap.* 1. *cit. vers. eadem omnino* de Curatis inferioribus Episcopo, quales hoc casu sunt etiam Prælati non exempti, decernit, ut, quandocunque eos abesse contigerit, id fiat, *causa priùs per Episcopum cognita, & probata.* 14

15 3 Canonici, aliique provisi de Dignitatibus, Præbendis, & Portionibus in Ecclesia Collegiata, vel Cathedrali abesse possunt per tres menses, & non ad longius tempus sine Superioris, cui subsunt, licentia, ut statutum est à Trid. *sess.* 24. *cap.* 12. *vers. præterea de reform. Excipitur,* si aliter habeant Ecclesiarum dictarum statuta, Constitutiones, & consuetudines, vel etiam voluntas Fundatorum; quia Trid. non censetur his voluisse derogare. *Proceditque hoc* non tantùm casu quo dicta Statuta &c. longius residentiæ tempus exigunt, ut apertè *l. cit.* probat Trid. sed etiam quando brevius per ea sufficit, modò hujusmodi Statuta à Sede Apostolica confirmata sint, prout Declaratione Cardd. & Oraculo Apostolico confirmat Fagn. *in cap. licet de Præbend. num.* 58. & 59. Porro ut Canonici, aliique de Præbendis &c. provisi in Ecclesiis Cathedralibus, vel Collegiatis ad tres menses abesse possint, non est necessarium ipsis allegare causam, vel licentiam Episcopi obtinere; quia etiam sine omni causa licitè abesse sic possunt, & tamen fructus integros totius anni percipere, ut cum aliis rectè monet, & Declarationibus Cardd. firmat Garc. *p.* 2. *de Benef. cap.* 2. *num.* 314. & 315. nam ideo permittit Trident. istam absentiam trium Mensium, ut Præbendati possint capere aliquam recreationem à labore, ne nimis dura sit residentia. Episcopo tamen incumbit, ut attendat, ne simul omnes, vel major Canonicorum pars discedat, & ita Ecclesia debito servitio destituatur, aut etiam ne in præcipuas solemnitates hujusmodi absentia trium mensium incidat. Barbos. *alleg.* 53. *num.* 118. & 119. Unde casu, quo Ecclesia patitur ministrorum defectum, etiam privilegiati super absentia per subtractionem proventuum Beneficii residere coguntur, ut rectè Gonzal. *in cap.* 16. *h. tit. num.* 2. & *seqq.* quia privilegium non conceditur in detrimentum Divini Cultus.

4 Parochi, aliique curam animarum habentes singulis annis abesse possunt non nisi per duos menses; ultra duos verò hos menses abesse non possunt, nisi ex gravi causa, & licentia ab Episcopo impetrata in scriptis, ac constituto loco sui Vicario, ab ipso Ordinario approbando, cum debita mercedis assignatione. Trident. *sess.* 23. *cap.* 1. *vers. eadem omnino de reform.* Pirh. *hic num.* 19. & 49. Konig *numer.* 7. Vviest. *num.* 18. 16

Quæritur 7. an etiam ad absentiam duorum mensium necesse sit, ut à Parochis licentia Episcopi impetretur? Negant Navarr. *Man. cap.* 25. *num.* 121. Azor. *p.* 2. *l.* 7. *cap.* 4. *quæst.* 10. & complures alii apud Garc. *p.* 3. *de Benef. cap.* 2. *num.* 19. qui putant ad hujusmodi absentiam, quæ se ultra duos menses non extendit, sufficere conscientiam justæ causæ. Colligi etiam videtur ex *can. præsentium* 3. *caus.* 7. *quæst.* 1. ubi non requiritur licentia Episcopi ad hujusmodi absentiam brevem. atqui hoc Jus nuspiam correctum legitur Jure novo vel Tridentini, vel alio. igitur etiam post Trid. licentia Episcopi ad illam absentiam non est opus. *Conf.* nam Trid. *sess.* 23. *cap.* 1. *de reform.* ad trimestrem absentiam ab Episcopis nihil aliud exigit, quàm justam illius causam, & postea subdit, eadem, quæ de Episcopis dicta sunt, etiam de Parochis, aliisque inferioribus Curatis accipienda esse. 17

Sed probabilior est affirmativa sententia, quam etiam tenent Garc. *cap.* 2. *cit. num.* 22. Barbos. *de Offic. Episc.* 18

Episc. alleg. 53. *n.* 96. Less. *l.* 2. *de Just. c.* 34. *n.* 159. Leo *Thesaur. p.* 2. *c.* 2. *n.* 9. Fagnan. *in c. relatam h. tit. n.* 20. Pignatell. *tom.* 7. *cons.* 4. *n.* 4. Matthæucc. *in Official. Cur. Eccl. c.* 36. *n.* 10. *&* 11. Engl *hic* §. 1. *n.* 7. Konig *n.* 8. Vviest. *n.* 25. & colligitur ex Trid. *c.* 1. *cit.* ubi Sacra Synodus generaliter decernit, *quandocumque* (quæ vox comprehendit omne tempus) Parochos, aliosque Curatos *abesse contigerit*, id fiat *causa prius per Episcopum cognita*, *& probata*, & juxta DD. *citt.* inter absentiam ad duos menses, & eam, quæ illos superat, solùm hoc discrimen datur, quòd ad hanc requiratur causa gravis, & licentia ab Episcopo data in scriptis, ad illam verò sufficiat data oretenus, & causa justa, licèt gravis illa non sit, veluti recreationis, aut visitandi propinquos.

19 *Excipitur*, si tempus sit modicum; nam ad modicum tempus Parochus, vel alius Curatus inferior abesse potest, etiam non petita licentia ab Episcopo: & ita consuetudine in multis Diœcesibus invaluit, teste Konig *hic n.* 9. Ratio est, quia qui aliquantisper, seu ad modicum tempus solùm absunt, ex veteri Canonum sententia non videntur abesse; parum enim secundùm Canones, & Leges pro nihilo reputatur, modò interim Ecclesia notabile damnum non patiatur. Porro quòd tempus modicum censeri debeat, vel non, respectu diversorum locorum, statutorum, ac personarum diversimodè æstimari debet. Securissimum igitur erit, ut notat Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 6. *n.* 7. *fin.* in hac re cujusque Diœcesis Statutum, vel consuetudinem sequi.

Ad Argumentum contrarium *can. præsentium cit.* Parochis non permittit bimestrem absentiam sine Ordinarii licentia, sed solùm enuntiat, quòd ob ejusmodi absentiam ex causa infirmitatis Beneficio privari non debeant. *Ad Conf.* Trid. *l. cit.* non facit omnimodam paritatem inter Episcopos, & Parochos, aliosve inferiores Curatos quoad tempus Residentiæ, sed tantùm quoad culpam, & pœnam, si non resideant tempore à Jure præscripto, ut legenti apparebit.

20 Quæritur 8. quanto tempore in singulis Ecclesiis residere teneatur Canonicus, qui in diversis Ecclesiis Cathedralibus duos Canonicatus obtinet? *Certum est*, spectato Jure communi, sine dispensatione neminem obtinere posse duos Canonicatus; sunt enim propter personalem residentiam novem mensium, quam Tridentinum *sess.* 24. *c.* 12. *de reform.* ab his requirit, Beneficia incompatibilia.

Procedit igitur quæstio solùm de casu, quo dispensatum est, ut duos simul Canonicatus habere liceat: ubi distinguendum est, an dispensatum sit simpliciter super dualitate Canonicatuum tantùm, an verò etiam expresse super residentia, & percipiendis utrobique fructibus. *Si primum*, nihil de residentia videtur remissum, sed singulis annis hujusmodi Canonicus ex illo duntaxat Canonicatu fructus percipiet, in quo per novem menses residentiam fecerit. Honor. *h. t. n.* 14. Konig *hic num.* 16. contra Zoes. *ibid. n.* 9. *Si secundum*, attendendum erit ad particularia locorum statuta, quæ variant, dum in quibusdam Cathedralibus, & Collegiatis Ecclesiis pro residentia assignantur quatuor, in aliis quinque, in nonnullis sex menses.

21 Rectè tamen *l. cit.* advertit Konig, hujusmodi Statuta non esse effrenatè accipienda, quasi licentiam præbeant reliquo tempore non residendi; sic enim repugnarent Tridentino, ac per id abrogata forent: sed intelligenda sunt, supposita dispensatione de non residendo, & lucrandis nihilominus fructibus, ita, ut hos lucretur talis Canonicus, si per tempus à singulis Ecclesiis requisitum in iisdem resederit, nisi Pontifex aliter disposuerit; cùm enim iste plenissimam omnium Beneficiorum administrationem habeat, Statutis locorum non ligatur, sed super residentia vel omnino dispensare, vel terminum, ac tempus residendi, quod voluerit, valet præscribere: oportet tamen, ut istud in litteris dispensationis expressum sit; alias enim dispensatio intelligenda erit secundum particularia locorum Statuta, quibus, si à se, vel antecessoribus approbata aut confirmata fuerint, ipse nullatenus censetur derogare, aut ea evertere.

22 Quæritur 9. utrùm Episcopus, qui extra suam Diœcesin ex dispensatione Sedis Apostolicæ Canonicatum in aliqua Ecclesia obtinet, fructus ex hoc lucrari possit, etiamsi solùm resideat in sua Ecclesia Cathedrali? Affirmant Barbos. *in Trid. sess.* 23. *c.* 1. *de reform. num.* 20. Pignatell. *tom.* 7. *cons.* 4. *num.* 27. & hoc teste rescriptum est à S. Congr. Conc. 5. *Cal. Aug.* 1565. *in Cretensi*: & videtur hoc etiam probare ratio: quia alioquin dispensatio de retinendo Beneficio, vel Canonicatu præter Episcopatum foret inanis, & omnino otiosa.

Sed his non obstantibus, tenenda est negativa sententia. Ita Felin. *in c. at si Clerici* 4. §. *de adulteriis n.* 16. *de Judic.* Rebuff. *in prax. tit. dispensat. de non resid. num.* 60. *& seqq.* Honor. *hic n.* 13. *&* 14. Konig *n.* 17. Scamb. *n.* 13. *Ratio est* 1. quia habere Episcopatum simul cum Canonicatu, & percipere utrobique fructus sine residentia in alterutro sunt duo diversa. à diversis autem ad diversa non fit illatio, præsertim in materia dispensationis, quæ quia odiosa est, strictam interpretationem patitur. 2. Id colligitur *ex c. fin. de rescript. in* 6. ubi Pontifex revocat Indulgentias perpetuas, aliquibus personis concessas, de percipiendis fructibus Beneficiorum suorum, Distributionibus duntaxat quotidianis exceptis, sive in Scholis essent, sive in Ecclesiarum suarum altera residerent, aut in Romana Curia moram traherent; consl. supponit opus esse speciali indulgentia ad hoc, ut is, qui in una Ecclesiarum suarum residet, lucretur fructus in altera, in qua non residet. 3. Suffragatur universalis Germaniæ, ac notoria observantia, immemoriali temporis usu stabilita, vi cujus sine ulla personarum distinctione, respectu, & qualitate, etiam Episcopi, si non resideant, & deserviant, fructibus destituuntur. Est autem consuetudo optima interpres Legum, imò pro Lege servatur *l. de quibus* 32. *ff. de LL.* 23

Ad fundamentum sententiæ oppositæ dico, Declarationes Cardd. ut vim habeant, debere exhiberi Authenticas, quales tamen paucæ ex impressis sunt, quippe quæ jam sæpius Romæ damnatæ, tanquam adulterinæ, sunt, ut rectè monet Zypæus *l.* 1. *consult. Canon. tit. de Elect. con.* 1. *n.* 5. Deinde esto, authentica sit Declaratio ab Adversariis allegata, opponi eidem potest exceptio de non usu, utpote quæ etiam Constitutionibus tum Canonicis, tum Civilibus opponi potest. *Ad Conf.* etsi dispensatio se non extendat ad fructus percipiendos, non tamen propterea inutilis redditur; nam 1. ita dispensatus, si in una Ecclesia residet, ad residentiam in altera adstringi sub pœna privationis nequit, prout tamen alii possunt, qui dispensationem non habent. 2. Taliter dispensatus, si ob motus bellicos, aeris inclementiam, persecutionem inimicorum, aut corporis debilitatem in uno loco, seu Episcopatu residere, ac manere nequit, ad alterum potest habere refugium. 3. Si Statuta utriusque Ecclesiæ tam diuturnam residentiam non exigant, explens tempus, per Statuta utriusque requisitum, potest percipere fructus utriusque. 24

§. II.

De Origine Obligationis residendi, & pœnis non residentium.

S U M M A R I U M.

25 *Beneficiarii simplices ad residentiam obligantur Jure tantum Ecclesiastico.*
26 27 *Curati, & Episcopi Divino.*
28 29 *Quomodo tolli obligatio hæc possit dispensatione?*
30 31 32 33 34 *Quomodo consuetudine?*
35 36 *Pœna decreta in Episcopos non residentes.*
37 38 *In Parochos, & alios Curatos.*
39 *In Abbates, & Præpositos Regulares.*
40 *In Canonicos, & Portionarios.*
41 *In conferentes Beneficium non valenti residere.*
42 *Episcopi, & cæteri curati fructus per absentiam amissos in pias causas applicare ante omnem sententiam debent.*
43 *Quid si illegitimè discedenti impedimentum incidat, ne possit redire.*
44 *Modus citandi absentem.*
45 *Quando loco trinæ citationis sufficiat una Peremptoria?*

QUæritur 1. quo Jure Clerici Beneficiati teneantur ad residentiam? Beneficiarios, qui Beneficia tantum simplicia obtinent, Jure solùm Ecclesiastico ad residendum per seipsos teneri, in confesso est apud omnes. 25

Dubium procedit de Episcopis, Parochis, & aliis Curatis, an Ecclesiastico solùm, ut priores, an verò etiam Divino Jure ad residentiam obligentur? Ecclesiastico solùm teneri docuit Ambrosius Catherinus in Apologia contra Sotum, & Mirandam, sequentibus persuasus Argumentis, 1. Quia quòd Jure Divino obligentur, nullus textus, vel præceptum in S. Scriptura extat. 2. Diœceses, & Parochiæ institutæ sunt, non à Christo, sed ab Ecclesia. Igitur Ecclesia tanquam in re à se instituta, disponere, Clericum à residentia liberare, & Parochiam uni designa-

signatam alteri regendam potest committere. 3. Ecclesia circa residentiam Clericorum multa determinat. Igitur ipsius institutione est introducta. 4. Pontifex potest in residentia dispensare cum Episcopis, & Parochis, quod non posset, si obligatio residendi in iisdem esset humana altior *arg. can. inferior* 4. *dist.* 21. *&c. cum inferior* 16. *de major. & obed.* 5. Obligatio ad personalem residentiam tolli per consuetudinem potest. Atqui consuetudo prævalere non potest adversùs ea, quæ Jure Divino, & Naturali præcepta sunt. 6. Solent non raro Ecclesiæ Parochiales uniri Dignitatibus, Personatibus, vel Monasteriis, quin tamen illi, quibus unitæ sunt, in his resideant, cùm ejusmodi Ecclesiæ administrari soleant per constitutos Vicarios. 7. Si Diœcesis sit valde ampla, ita, ut Episcopi cura tanto populo regendo non sufficiat, solet eidem dari Coadjutor, per quem Episcopus exercere Curam censetur. ergo Juris Divini non est populum sibi creditum per seipsum regere.

26 Sed his non obstantibus, est antiqua & vera sententia, quæ affirmat Episcopos, & reliquos Clericos Curatos ad residentiam obligari Jure Divino. Ita Covar. *l.* 3. *var. c.* 13. *n.* 9. Sot. *l.* 1. *de Just. q.* 3. *art.* 1. Cævall. *Opin. comm. contra comm. q.* 585. *n.* 1. *& seqq.* Garz. *p.* 3. *de Benef. c.* 2. *n.* 16. Azor. *p.* 2. *l.* 7. *c.* 4. *q.* 1. Monet. *de commut. ult. volunt. c.* 4. *n.* 95. Lotther. *l.* 3. *de Benef. q.* 27. *n.* 37. Less. *l.* 2. *de Just. c.* 34. *n.* 153. Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 53. *n.* 2. *& ad Trid. sess.* 23. *c.* 1. *de reform. n.* 3. Pal. *tr.* 13. *D.* 5. *p.* 1. *n.* 2. Pignatell. *tom.* 4. *consf.* 17. *n.* 18. Leuren. *for. Benef. p.* 3. *q.* 367. Van-Espen *Jur. Eccl. p.* 1. *tit.* 3. *c.* 3. *n.* 1. Illsung *tr.* 5. *D.* 2. *n.* 210. Vall. *hic n.* 2 Zypæus *n.* 7. Zœs. *n.* 2. Pirh. *n.* 11. Konig *n.* 4. Vviest. *n.* 8. & apertè innuitur per Trid. *sess.* 23. *c.* 1. *de reform.* ubi ait, quòd *præcepto Divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est; oves suas cognoscere, pro his Sacrificium offerre, Verbique Divini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium exemplo pascere*: quæ omnia absentes præstare nequeunt. 2. Præceptum Divinum est, quod continent Verba Christi, *Pasce oves meas*, & illa Apostoli 2. *Timoth.* 4. *v.* 28. *Tu verò vigila, in omnibus labora, ministerium tuum imple*: quæ verba explicans Trid. *sess.* 6. *c.* 1. *de reform.* Episcopos, Parochos, aliosque Curatos monitos esse vult, ut gregi suo invigilent, eidem assistant, illumque non deserant, atqui verbum *assistere* ultrà vigilantiam, & sollicitudinem Pastoralem, verbo *Invigilare* expressam, denotat, & exigit præsentiam corporalem, & verbum *deserere* propriè acceptum talis præsentiæ subtractionem, ac recessum significat, ut rectè observat Fagn. *in c. ex parte* 8. *h. tit. n.* 31. ergo &c. 3. Quilibet Jure Divino, & naturali tenetur ritè præstare officium, quod suscepit, præcipuè quando ob tale officium stipendium accipit. Episcopus autem non potest ritè, ac rectè præstare officium suum, nisi resideat. ergo &c.

27 Argumenta in contrarium allata levia sunt. *Ad* 1. etsi Episcopis & Parochis residentia personalis non injungatur per verba Scripturæ expressa, quæ præcipiant, ut in Ecclesiis suis resideant, sufficienter tamen illa iisdem injungitur per verba illa iis æquipollentia, quales sunt textus *n. præc. citt.* quibus jubentur vigilare pro grege suo, eundem pascere &c. neque enim pastores pascendi officium ritè præstant, nisi præsentes sint. *Ad* 2. esto, divisio, & institutio Diœcesium, ac Parochiarum ab Ecclesia facta sit, hac tamen supposita, obligatio residendi Episcopis, ac Parochis injuncta est à Christo, cùm, uti dictum, debitum muneris Pastoralis curam, & vigilantiam præsentiis exigat. *Ad* 3. licet in individuo Ecclesia circa residentiam quoad tempus, & alia multa determinet, hoc tamen nihil impedit, quo minùs illa in genere, & prout abstrahitur à casibus particularibus, sit Juris Divini, sitque secundùm illam rationem genericam immutabilis, prout in simili de Immunitate Ecclesiastica respondet Ægid. Ranbeck *Panopl. libert. Eccl. D.* 1. *c.* 2. *n.* 41. *& seqq. Ad* 4. constabit responsio *ex duobus n. seqq. Ad* 5. itidem de vi consuetudinis circa residentiam Episcoporum, & aliorum Curatorum patebit ex *n.* 30. *& seqq. Ad* 6. non repugnat præcepto Divino, sed vel maximè conforme est, ut ubi Cura satis administrari non potest per unum, in societatem Ministerii assumatur Vicarius *Ad* 7. idem de Coadjutore dicendum.

28 Quæritur 2. an dispensatione tolli aliquando obligatio residendi possit? Resp. distinguendo inter Beneficia simplicia, & curata. *In Beneficiis simplicibus* indubitatam est, tolli dispensatione obligationem residendi posse; quia hæc, ut *n.* 25. dictum est, solo Jure Ecclesiastico introducta est.

Difficultas est in *Beneficiis Curatis*, in quibus dixi, obligationem residendi esse Juris Divini; nam in his quæ Juris Divini sunt, disponere, vel dispensare Ecclesia nequit, cùm universalis sit regula, quòd inferior non possit legem Superioris tollere. Verùm hæc difficultas solvi debet in materia Voti, & Juramenti; nam & horum obligatio Juris Divini, imò naturalis est, quia tamen obligatio hæc Juris Divini ob mutatas circumstantias in particulari aliquo casu; vel persona nonnunquam cessat, idcirco potestas à Christo Pontifici, & aliis Ecclesiæ ministris data est, ut declarare possint mutatam materiam, vel circumstantiam Voti, vel Juramenti; & propterea ista hic, & nunc non obligare; Quare ad quæstionem

Dicendum, duplicem in Ecclesiæ Pastoribus residendi obligationem dari, unam introductam Jure Divino, imò & naturali, alteram Jure Ecclesiastico. Illa non omnino absoluta est, sed aliquo modo conditionata, nisi occurrant circumstantiæ, quæ Curatum à residentia personali liberent: & hinc istis occurrentibus modò commisso gregi provideatur per Vicarium doctrina, & authoritate præstantem, ut nullum sit animarum periculum, cessabit eo casu obligatio residendi ex præcepto Ecclesiastico, quod magis quidem absolutum est, quàm illud Divinum, quia recessum ab Ecclesia Curatis probet etiam, quando causa justa est recedendi, nisi illa à Superiore Ecclesiastico approbata sit, est tamen ab Ecclesia dispensabile, cùm sit Jus proprium, quod à Legislatoris voluntate pendet. Responsio hæc est ad mentem S. Thom. 2. 2. *q.* 185. *art.* 5. *in Corp.* & consentiunt Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 6. *n.* 3. *vers. bene autem*, Fagnan. *in c. ex parte* 13. *h. tit. n.* 57. *& seqq.* Leuren. *for. Benef. p.* 3. *q.* 121. Pirh. *hic n.* 12. Schambog. *n.* 5. Vviest. *n.* 10. *Conf.* 1. ex praxi quotidiana, qua Pontifex circa residentiam dispensare solet, præsertim in casu, quo concedit, ut unus, idemque obtineat simul duos Episcopatus, vel Parochias; licèt in utraque simul residere nequeat. 2. Ex Indultis Apostolicis, quibus Beneficia Curata sæpe uniri solent Monasteriis, aliisque piis locis cum jure percipiendi fructus, licèt ipsa Cura ex permissione Pontificis non per Parochum principalem personaliter, sed per Vicarios vel temporales, vel perpetuos administretur. 3. Ex more Ecclesiæ, quo suadente vel amplitudine Diœcesis, aut Parochiæ, vel debilitate Coadjuti, eidem additur Coadjutor, per quem ille Curam Pastoralem exerceat.

Quæritur 3. an per consuetudinem induci possit, ut Prælati, aliique Clerici non teneantur personaliter residere in Ecclesiis, vel Beneficiis suis? Resp. iterum hìc distinguendum esse inter Beneficia simplicia, & Curata. *In Beneficiis simplicibus* consuetudo liberare ab obligatione residendi Beneficiarium potest, ut cum communi monent Rebuff. *prax. tit. dispensat. de non resident. num.* 8. Azor. *p.* 2. *l.* 7. *c.* 3. *q.* 1. *vers. quæres itidem*, Zœs. *hic n.* 4. Pirh. *n.* 16. Schamb. *n.* 6. *Ratio est*, quia habentes Beneficium simplex tantùm obligantur Jure humano, & Ecclesiastico ad residentiam; potest autem consuetudo mutare Jus humanum, & ab ejus observantia liberare. Et ita in omnibus ferè Ecclesiis obtinuit, ut personalis residentia in Beneficiis simplicibus non requiratur, sed Clerici, etiam in titulum hæc obtinentes, quamvis absentes, fructus percipere possint, dummodo alii substituantur, qui loco ipsorum Ecclesiis deserviant. Imò per consuetudinem quorundam locorum inductum est, ut in hujusmodi Beneficiis simplicibus etiam per Vicarium residere non sit necesse. Pirh. *n.* 17. 30

Excipiuntur 1. Canonicatus Cathedralium, & Collegiatarum Ecclesiarum; nam quoad hos consuetudo inserviendi per substitutum, & percipiendi fructus in absentia sublata est per Trid. *sess.* 24. *c.* 12. *vers. præterea de reform.* Verùm hæc Constitutio, ut *suprà num.* 15. dictum est, in multis locis non est usu recepta. 31

Excipitur 2. si aliud constet ex mente Fundatoris: debet tamen illud Fundator disertis verbis exprimere; aliàs censebitur se conformasse dispositioni Juris communis, seu universalis consuetudinis, secundùm quam Beneficia simplicia residentiam non requirunt. *Proceditque hoc*, etsi Fundator in Beneficii erectione disposuerit, ut contingente vacatione, conferatur alicui, qui celebret tot Missas in mense, vel hebdomade; adhuc enim talis Beneficiarius satisfacere per substitutum potest, neque ab Episcopo cogi poterit, ut per seipsum celebret: imò ne quidem necessarium erit, ut sit Sacerdos. *Ratio est*, quia verba illa, *Tot Missas celebret*, solùm designant onus Beneficio impositum, quod per alium expleri potest, non verò imponunt obligationem aut Sacerdotii, aut celebrandi per ipsummet Capellanum.

Excipitur 3. si ejusmodi consuetudo paulatim tenderet in notabile damnum alicujus Ecclesiæ, quia sic caret idoneis, & necessariis ministris; nam tali casu Episcopus condendo novum Statutum ejusmodi consuetudinem

nem abrogare potest, requisito prius consensu Capituli, quem si hoc neget, potest Episcopus nihilominus procedere, & per Statutum consuetudinem tollere. Pirhing *n.* 17. *cit.* Ratio est, quia consuetudo talis non habet majorem vim, quàm privilegium; igitur sicut istud, quando incipit Ecclesiæ, vel Reip. perniciosum esse, revocari potest, ita ex eadem ratione etiam tolli consuetudo, non obstante dissensu Capituli; quia hoc bonum Ecclesiæ impedire non potest.

32 *Quod ad Beneficia Curata attinet*, certum est, nulla consuetudine, ne quidem immemoriali, introduci posse, ut eorum Rector nec per seipsum, nec per Vicarium in eodem resideat, & ex communi notat Abb. *in repetit. c. extirpandæ* 30. §. *qui verò de Præbend. n.* 31. Ratio est, quia talis consuetudo est irrationabilis, & cedit in damnum Ecclesiarum, & animarum periculum continet; nemo enim gregis curam gerere potest, nisi præsens sit, vel aliquem habeat loco sui præsentem, aut saltem ita in propinquo, ut commodè, & sine periculo advocari possit.

Dubium est, an per consuetudinem induci possit, ut Parochi, aliique Curati non teneantur personaliter residere in Ecclesiis, vel Beneficiis suis Curatis, sed Pastorale Officium exerceant per Vicarium? Negat Fagn. *in c. ex parte* 8. *h. tit. n.* 22. *& seqq.* & *in c. cùm omnes* 6. *de Constit. n.* 6. & fundatur. 1. Quia Beneficiatus Curatus, ut *suprà n.* 11. dictum est, est obligatus Jure Divino, & Naturali, ut curam per seipsum exerceat. Sed consuetudo Juri Divino, & Naturali derogare non potest. 2. In Pastore, cui animarum cura commissa est, electa censetur opera, & industria personæ. Sed ubi industria personæ electa est, non potest commissio fieri alteri. 3. Ex Trid. quod *sess.* 23. *c.* 1. *de reform.* dicit ejusmodi consuetudinem, etiam immemorialem, esse irrationabilem, & potiùs pro corruptela habendam.

33 Sed his non obstantibus, dicendum posse per consuetudinem, saltem immemorialem, ex justa causa induci, ut Parochi, & alii, qui curam animarum habent, non teneantur residere personaliter, sed curam administrent per Vicarium sive temporalem, sive perpetuum, modò Ecclesia, ex absentia Rectoris principalis notabile damnum spirituale non patiatur. Ita Abb. *in c. extirpandæ* 30. §. *qui verò de Præb. n.* 8. & *in Repet.* §. *qui verò cit. n.* 13. *limit.* 3. Layman. *l.* 4. *tr.* 2. *cap.* 6. *n.* 3. Pignatell. *tom.* 1. *conf.* 30. *n.* 23. Leuren. *for. Benef. p.* 3. *q.* 121. *& p.* 1. *q.* 368. Pirh. *hic n.* 14. Ratio est, quia quidquid induci potest per privilegium, induci etiam potest per consuetudinem, cùm æquivaleat privilegio. Sed per privilegium Papæ induci potest, ut Rector Ecclesiæ Parochialis non teneatur exercere curam animarum per seipsum, sed hoc possit per alium, sicut defacto Jure communi statutum est, ut id fiat per Vicarios perpetuos. Ergo etiam induci id potest per consuetudinem, saltem immemorialem.

34 Ad Argumenta oppositæ sententiæ non est difficilis responsio. *Ad* 1. dico, præceptum Divinum obligare Curatos ad personaliter residendum tantùm casu, quo per alium non æquè benè, vel meliùs Pastorale Officium exerceri potest: & huic ne quidem per consuetudinem immemorialem derogari potest, ut bene probat Argumentum. At quando alius æquè bene, vel meliùs exercere Officium Pastorale potest, obligatio residendi est solùm Juris Ecclesiastici, contra quod prævalere consuetudo, saltem immemorialis potest. *Ad* 2. cùm dicitur in Pastore animarum censeri electam industriam personæ, intelligendum est, quòd is non possit sine justa, & gravi causa alterius opera uti, vel alium substituere, ut patebit ex dicendis infrà de causis excusantibus ab assidua residentia personali Pastorum. *Ad* 3. ea solùm consuetudo corruptela esse censenda est, quæ à residentia personali Pastorem contendit eximere, quando illam salus animarum exigit.

35 Quæritur 4. quæ pœnæ decretæ sint Episcopis non residentibus? Resp. de his Sacra Synodus Tridentina decernit sequentia. 1. Si ultra tres menses, justis, & rationabilibus causis cessantibus, ab Ecclesia sua absint, præter reatum peccati mortalis, pro rata temporis non faciunt fructus suos, ita, ut tuta conscientia, alia etiam declaratione non secuta, illos sibi retinere non possint, sed vel ipse, vel ipso cessante, Superior Ecclesiasticus Ecclesiæ, vel pauperibus loci applicare debeat, prohibita quacunque conventione, aut compositione, & non obstantibus quibuscunque privilegiis. Ita statuitur *sess.* 23. *c.* 1. *de reform. vers. si quis autem*, Less. ubi *l.* 2. *de Just. c.* 34. *num.* 157. *in fin.* additum aliquid existimat Decreto *sess.* 6. *c.* 1. *vers. si quis de reform.* ubi Episcopi per sex menses absentes quarta, & si per alios sex menses abessent, altera tantùm quarta parte fructuum privabantur, cùm vi hujus Decreti fructus omnes pro rata absentiæ amittant.

2 Si privatione fructuum non moveantur, sed Episcopus aliquis amplius annum à sua Ecclesia illegitimè absit, eundem Metropolitanus, Metropolitanum verò absentem Suffraganeus Episcopus antiquior residens, sub pœna Interdicti ingressus Ecclesiæ eo ipso incurrenda, per litteras, vel nuntium Romano Pontifici denuntiare tenetur, ut hic in eundem pro gravitate contumaciæ animadvertere, & Ecclesiæ de utiliori Pastore providere possit. Ita laudata Synod. *sess.* 6. *cap.* 1. *vers. quodsi de reform.* 36

3 Vi *Constitutionis Pii IV.* incipit, *In suprema edita* 7. *Cal. Dec.* 1564. & invenitur in Trid. *sess.* 6. *cit. c.* 2. Episcoporum, si, dum ab Ecclesia illegitimè absunt, moriantur, bona, cujusque quantitatis sint, tanquam spolia ad Cameram Apostolicam pertinent. Ad cujus executionem idem Pius IV. in quodam *Motu proprio*, incipit, *Cùm tam per Sacrosanctum*, & invenitur in Trid. *l. cit.* Auditorem suæ Cameræ Judicem designavit.

Quæritur 5. quæ pœnæ sint decretæ in Parochos, 37
& alios Curatos, si ab Ecclesiis, & Ovibus suis ultra duos menses sine rationabili, & justa causa, absque Ordinarii sui licentia absint? Resp. hi similiter peccant graviter, & pro rata temporis fructus non faciunt suos, sicut Episcopi, ut habet Trid. *sess.* 23. *c.* 1. *vers. eadem omnino de reform.* qui proinde fructus Ecclesiæ Parochiali propriæ, vel ejus loci pauperibus, si tales ibi sint, applicandi erunt. Garz. *p.* 3. *de Benef. c.* 2. *n.* 31. Quodsi privatione fructuum non absterreantur à negligentia, sed per Edictum citati, etiam non personaliter, contumaces fuerint, Sacra Synod. *vers. eadem omnino cit.* arbitrio Ordinariorum relinquit, an contra eos per Censuras Ecclesiasticas, fructuum subtractionem, sequestrationem, vel privationem Beneficii procedere velint.

Quodsi ad privationem Beneficii procedere Ordina- 38
tus velit, non opus est, ut hoc faciat per sententiam, sed ipso facto Beneficium illegitimè absenti, postquam monitus est, ut resideat, & non venit, auferri, & alteri conferri potest. Garc. *c.* 2. *cit. n.* 130. Ratio est, quia in facto notorio non requiritur ordo Juris, sive Processus Judiciarius *c. ad nostram* 21. *de Jurejur.* atqui notorium est, Beneficiario prohibitam esse absentiam sine causa à Beneficio, præsertim si Curatum sit, ergo, si postquam personaliter, vel per Edictum monitus est, non veniat, ipso facto contra eum procedi potest, ita tamen, ut postea, si Beneficiarius redeat, & justam causam absentiæ suæ alleget, & probet, restituendus sit. Et hinc consultum est, non statim procedere ad depositionem, sed prudenter faciet Superior, si etiam, postquam monitus est Beneficiarius absens, ut redeat, aliquamdiu exspectet, donec clarè appareat, quòd contumaciter, & temerariè absit, vel quod Beneficium pro derelicto habeat, eique tacitè renuntiet, ut rectè advertit Pirh. *hic num.* 53.

Quæritur 6. quam pœnam incurrant Abbates, & Præ- 39
positi Regulares, si ultra duos, vel tres menses absque justa, & rationabili causa absint? Resp. hi peccant quidem mortaliter, in absentiæ tamen pœnam fructibus privari non possunt, cùm ob Votum Paupertatis in Religione editum reditus propriè non habeant, sed omnia acquirant Monasterio *Auth. ingressi C. de SS. Eccl.* non debet autem ex Præpositi sui delicto Ecclesia, vel Monasterium damnum sentire *can. si Episcopum* 3. *caus.* 16. *q.* 6. & *Regul. delictum* 76. *in* 6.

Quare aliis modis, & pœnis horum absentia juxta Ordinis cujusque Regulam, & usum receptum plectenda erit, uti observat Less. *l.* 2. *de Just. c.* 34. *n.* 168. Similiter dispositio Juris de Curatorum ab Ecclesiis suis absentia, & decretæ in sic absentes pœnæ solùm intelligendæ sunt de Curatis Sæcularibus; nam in Regularibus, etsi etiam curam in Ecclesiis Monasterio suo unitis exerceant, locum non habent, sed puniendi & ipsi juxta Ordinis sui Statuta, & Regulas sunt, si in officio suo defecerint. Ratio est, quia Superiores Regulares in administratione Monasteriorum, & Cura Religiosorum sibi subditorum à Synodo relinquuntur suorum Ordinum Statutis, & Regulis.

Quæritur 7. quid decretum sit circa Canonicos & 40
alios, qui in Ecclesia Cathedrali, vel Collegiata Dignitatem, Canonicatum, Præbendam, aut Portionem obtinent, & ultra tres menses sine legitima facultate non resident? Resp. de his S. Synodus *sess.* 24. *c.* 12. *vers. præterea de reform.* statuit, ut primo quidem anno priventur dimidia parte fructuum, quos ratione etiam Præbendæ, ac residentiæ fecit suos: & si iterum eadem usus fuerit negligentia, privetur omnibus fructibus, quos eodem anno lucratus fuit: durante verò post duos annos

annos contumacia, & si legitimè monitus non redierit, contra eum juxta SS. Canonum Constitutiones procedatur etiam ad privationem Beneficii *c. ex parte* 8. *c. inter* 10. *c. ex tuæ* 11. *& c. fin. h. tit.* & declaratum est à S. Congr. teste Pignatell. *tom.* 1. *consult.* 164. *n.* 2.

Estque hic modus procedendi essentialis, ita, ut casu, quo Episcopus, non observatis his gradibus, à Concilio præscriptis, deveniret ad privationem Beneficii, hæc futura sit nulla. Garc. *p.* 3. *de Benef. c.* 2. *n.* 154. Barbos. *in cap.* 10. *cit. n.* 2. Vvagn. *ibid. not.* 2. Matthæucc. *Offic. Cur. Eccl. c.* 36. *n.* 9. estque Barbos. teste decisum à Rota *in una Salmatina* 15. *Dec.* 1567.

41 Quæritur 1. quæ sit pœna conferentis Beneficium Curatum, vel Dignitatem ei, qui non potest personaliter in eo residere? Resp. privandus est pro illa vice potestate conferendi Beneficium, vel Dignitatem illam *c. quia nonnulli* 3. *h. tit.* per sententiam sc. ut notat Abb. *ibid. n.* 8. non autem privatus est ipso facto.

Unde disparitas est inter casum, quo ad Prælaturam, vel Dignitatem eligitur persona indigna, seu inhabilis propter defectum ætatis, scientiæ, morum, natalium &c. & inter casum, quo Beneficium Curatum, vel Dignitas confertur personæ aliàs habili, sed non potenti residere; nam *inprimo* eligentes potestate eligendi, & Episcopus tali electioni consentiens, vel ejusmodi personæ conferens Prælaturam, vel Dignitatem potestate conferendi pro illa vice ipso Jure privatus est per *c. cùm in cunctis* 7. §. *fin. de elect.* at verò *in secundo*, & nostro casu pœna privationis non ipso facto, sed per sententiam incurrendæ taxata est. in utroque autem, in primo quidem ipso facto, in secundo post sententiam latam potestas conferendi devolvetur ad Superiorem Prælatum, qui illud Beneficium, vel Dignitatem conferre debebit alteri personæ habili, & potenti residere, ut cum eodem Abb. advertit Pirh. *hic n.* 47.

42 Quæritur 9. an Episcopi, & cæteri Curati fructus propter absentiam amissos Ecclesiæ, vel pauperibus applicare debeant ante omnem sententiam? *Ratio dubitandi* est, quia exceptis Censuris, Irregularitatibus, & amissione Juris exigendi debitum conjugale, in conjuges incestuosos lata, vix ulla pœna ante sententiam, saltem criminis declaratoriam, debetur *arg. c. cùm secundum* 19. *de Hæret. in* 6.

Sed hoc non obstante, est certa sententia, Episcopos, cæterosque Curatos, & Beneficiatos ante omnem sententiam obligari ad dictos fructus applicandos Ecclesiæ, vel pauperibus. Ita Covar. *l.* 3. *var. c.* 13. *n.* 9. Vasq. *Opusc. de Benef. c.* 4. §. 2. *n.* 153. Garz. *p.* 3. *de Benef. c.* 2. *à n.* 26. Azor. *p.* 2. *l.* 7. *c.* 6. *q.* 6. Less. *l.* 2. *de Just. c.* 34. *n.* 157. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 6. *n.* 6. *in fin.* Barbos. *in Trid. sess.* 23. *c.* 1. *vers. siquis autem de reform. n.* 18. Pal. *tr.* 13. *D.* 5. *p.* 3. *n.* 3. Leuren. *for. Benef. p.* 1. *q.* 389. *n.* 3. Illsung *tr.* 5. *D.* 2. *n.* 210. Matthæucc. *Offic. Cur. Eccl. c.* 36. *n.* 9. & apertè statuit Trid. *l. cit.* ibi, *Alia etiam declaratione non secuta*. Ratio est, quia prædicti fructus nondum percepti, atque idcirco non planè, imò nec absolutè debiti sunt, sed sub conditione residentiæ. igitur si conditio hæc deficiat, obligatio restituendi urget ante omnem sententiam.

Ex quo patet ad rationem dubitandi; nam privatio ista non est præcisè pœna, sed sequitur ex natura conditionis, qua non posita, non debetur promissum sub illa conditione. Adduntamen cum *cit.* Laym. P. Pirh. *hic n.* 74. *in fin.* & P. Vviest. *ibid. n.* 23. hoc Trid. Decretum quoad non requisitam Declarationem in tanto rigore receptum non videri, saltem, si constituto Vicario, non negligatur Cura animarum, & Ecclesia damnum non patiatur.

43 Quæritur 10. an Beneficiarius, si postquam sine justa causa, & absque licentia sui Prælati discessit à Beneficio impedimentum eidem incidat, quominus redire possit, v. g. ob periculum pestis grassantis in loco Beneficii, vel hostium incursum &c. privari Beneficio possit? Resp. non posse. Ita Innoc. *in c. inter* 10. *h. tit.* Vivian. *ibid. vers. sed dicès prope finem*, Pirh. *hic n.* 55. *Ratio est*, quia impedimentum superveniens excusat à pœna decreta in eos, qui citati non se sistunt: cujus ulterior ratio est, quia absens debet priùs moneri, ut redeat; monitio autem non potest obligare impeditum redire.

Proceditque hoc non tantùm, quando adest impossibilitas physica, & absoluta redeundi, sed etiam quando moralis, seu difficultas non levis, spectatis circumstantiis personæ, loci &c. nam sicut difficultas excusat à mora, ita etiam à pœna decreta ob moram. Bartol. *in l. continuus* 137. §. *illud n.* 7. *ff. de V. O.*

Duo tamen, ut hujusmodi difficultas interveniens excuset, requiruntur. *Primum* est, ut impedimentum hoc non sit voluntarium, seu affectatum, & procuratum, ne culpa sua prosit authori. Bartol. *in l.* 2. §. *simili modo ff. siquis cautionib. in Judic. sistend. Alterum*, ut propter impedimentum superveniens non possit venire; nam si Beneficiarius citatus ad præfixum terminum comparere non ampliùs potuisset, etsi non supervenisset impedimentum, non erit excusatus, ut cum Imol. *in c. inter cit. in fin.* rectè advertit Pirh. *l. cit.*

Quæritur 11. quomodo citandus sit Beneficiarius à loco Beneficii sui absens, ut veniat ad residendum? Resp. si sciatur, ubi sit, citandus est personaliter per nuntium, aut litteras ad ipsum missas, ut ex communi docet Abb. *in c.* 11. *h. tit. n.* 3. *not.* 3. Garc. *p.* 3. *de Benef. c.* 2. *num.* 155. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 6. *n.* 4. Pignatell. *tom.* 1. *consult.* 164. *num.* 1. & sufficit una citatio, si hæc ad notitiam illius pervenit: imò etiam sufficit simplex revocatio, seu monitio, ut *l. citt.* advertunt Abb. *n.* 10. Garc. *num.* 155. Pirh. *hic n.* 57. Si citandus latitet, vel ignoretur, ubi sit, vel ita longè distet, ut commodè personaliter citari non possit, citandus est per tria Edicta publica affixa in valvis Ecclesiæ, dato post cujuslibet Edicti publicationem termino competente ad comparendum, spectata qualitate personæ, & loci distantia, ut cum *citt.* docent Vivian. *in c.* 11. *cit. vers. si nescitur*. Gonz. *ibid. n.* 4. Pal. *tr.* 13. *D.* 5. *p.* 3. *n.* 11. & colligitur ex textu *c.* 11. *cit.* ibi *In eorum Ecclesiis.* 44

Ratio autem, cur priore casu sufficiat una personalis citatio, requiratur autem trina per Edictum in casu posteriore, est, quia siquis personaliter citatus non veniat, etsi venire possit, verè contumax reputatur; constat enim, quòd nolit venire: cons. casu, quo simpliciter, & de plano proceditur, ut fit in nostro, alia citatio non requiritur. At verò siquis citetur per Edictum, cùm certò sciri non possit, an citatio reipsa pervenerit ad notitiam absentis citati, is tantùm fictè, & præsumptivè fit contumax; proinde meritò statutum est, ut fiat trina citatio per Edictum, & sic defectus personalis citationis suppleatur.

Quæritur 12. an loco triplicis memoratæ citationis sufficiat una Peremptoria, si in hac tantum temporis assignetur pro uno termino, quantum aliàs pro tribus? Videtur sufficere; quia etiam aliàs una peremptoria æquivalet tribus simplicibus. Sed distinguendum est cum Imol. *in c. ex tuæ* 11. *h. tit. n.* 4. & dicendum sufficere unam, si absque proclamatione Præconis publicatio citationis tantùm fiat per Edictum affixum ad Ecclesiæ valvas; quia tunc non citiùs perveniet citatio ad notitiam citati, si tria edicta per 10. dierum intervalla affigantur, quàm si unum, adjecto termino peremptorio, continuis 30. diebus affixum prostet. 45

At ubi ex consuetudine præmittitur proclamatio per vocem Præconis in loco publico, una pro tribus non sufficit; quia si ter fiat, citiùs illius rei notitia perveniet ad absentem, quàm si semel tantùm fiat proclamatio; fortè enim amicus citati, qui non interfuit primæ citationi, aderit in secunda, & tertia, & poterit hoc citato denuntiare.

§. III.

De Causis excusantibus à Residentia.

SUMMARIUM.

46 *A Residentia excusat Christiana Charitas.*
47 48 49 *Urgens necessitas.*
50 51 *Obedientia debita, quando Beneficiarius occupatur in servitio Papæ, vel Episcopi sui.*
52 53 *Quinam in hujusmodi servitio occupari possint?*
54 55 *An, & quando Canonici Collegiatarum Ecclesiarum?*
56 *An suos Clericos ita occupare possint etiam Prælati inferiores.*
57 *An Legatus Papæ?*
58 *Num à residentia excusentur Clerici inservientes Principi Sæculari?*
59 *Quibus casibus ratione utilitatis Ecclesiæ, vel Reip. excusetur Clericus à residentia?*
60 *Requisita, ut Clericus causa studiorum à sua Ecclesia abesse & fructus tamen possit percipere?*
61 62 63 *An privilegium hoc etiam Curatis competat.*
64 65 *An Ordinarius debeat dare licentiam Beneficiariis, ad studia abire volentibus?*
66 67 68 *Quis licentiam hanc dare possit?*
69 70 *An justa causa excusans sit residentia* 40. *annorum?*
71 72 *An, & quos fructus lucretur Beneficiarius ingressus Novitiatum?*
73 *Quid de eo, qui juravit, se continuò in Ecclesia residere velle?*

A Trid. *sess.* 23. *c.* 1. *vers. nam cùm de reform.* quatuor enumerantur causæ, quæ à Residentia excusare Bene-

Beneficiarium possunt. 1. Christiana Charitas. 2. urgens necessitas. 3. debita obedientia. 4. evidens Ecclesiæ, vel Reip. utilitas.

46 Quæritur 1. quando Beneficiarium à Residentia excuset *Christiana Charitas*? Resp. casus ejusmodi multos posse contingere, v. g. si Episcopus, vel alius Curatus à Diœcesi, vel Parochia sua discedat ad Provinciam aliquam, vel Diœcesim ab Hæresi convertendam, vel à periculo istius liberandam, si ad pacem inter Principes, & Magnates componendam, si ad tollendas graves inimicitias, vel ad succurrendam alii necessitati spirituali proximorum. Videatur Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 6. *n.* 4. Barb. *de Offic. Episc. alleg.* 53. *n.* 6. Vallens. *hic n.* 7. Pirh. *n.* 22. Konig *n.* 21. Vviest. *n.* 27. Ubi tamen duo sunt necessaria, 1. ut absentia ejusmodi non cedat in notabile damnum commissi gregis, quippe cùm Curatus ex Justitia obligatus sit ad subveniendum suis ovibus, non item aliis. Barbos. *l. cit. n.* 6. *&* 9. 2. ut ejusmodi absentia fiat cum licentia Papæ quidem, vel Metropolitani, si ex tali causa absit Episcopus; Episcopi verò, si absit Curatus inferior subjectus Episcopo, nisi ultra annum absuturus esset; tunc enim opus esset dispensatione Papæ, qui, ut tetatur Laym. *in c. licèt* 14. *de elect. in* 6. *num.* 2. & supponit Fagnan. *in c. fin. de Magistr. n.* 17. *Vers. partem*, extra casus *c. cùm ex eo* 34. *de elect. in* 6. & urgentis necessitatis, facultatem dispensandi pro longiore tempore in residentia, aut ejus obligationem interpretandi inferiorum nulli concessit.

47 Quæritur 2. quando censeatur esse *necessitas adeo urgens*, ut excuset à residentia? Resp. à DD. sex maximè casus enumerantur. Et quidem 1. est hostilis incursio *arg. can. Pastoralis* 42. *caus.* 7. *q.* 1.

2 Capitales inimicitiæ, quas Parochus, vel Beneficiatus habet cum domino, vel Præfecto loci; tunc enim à loco Beneficii per aliquod tempus abesse potest, donec discordia sit composita: debet tamen eo casu Episcopus constituere Vicarium idoneum, qui loco Parochi inserviat Ecclesiæ. Gloss. *fin. in c. ult. h. tit.* Azor. *p.* 2. *l.* 7. *c.* 4. *Vers. ad secundum caput*, Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 53. *n.* 89. Pignatell. *tom.* 7. *consult.* 4. *n.* 16. *&* 17. Vallens. *hic n.* 7. Zoes. *n.* 9. Pirh. *n.* 23.

3. Insidiæ à loci domino, vel plebe infesta, aut aliis sceleratis structæ, ita, ut tutò Episcopus in Civitate Episcopali residere nequeat; nam eo casu Episcopus (idem de Parocho) recipere se in alium locum tutum suæ Diœcesis, vel non procul à Diœcesi potest. Pignatell. *tom.* 4. *consf.* 17. *n.* 45. & hoc teste decisum est *à S. Congreg. in Marsicana* 1591.

48 4 Corporis infirmitas, si Parochus adeo infirmus sit, & in loco suæ Ecclesiæ Parochialis defectu Medicorum, aut Medicinarum curari non possit; tunc enim, potest ab Ordinario eidem dari dilatio trium, aut quatuor mensium, ut in locis viciniòribus, maneat sanitatis causa, ita tamen, ut ab Ordinario in Parochia constituatur Vicarius cum congrua portione ex reditibus Parochialibus. Barbos. *alleg. cit. n.* 91. & habetur *can. præsentium* 3. *caus.* 7. *q.* 1. & *c. ad audientiam* 15. *h. tit.* ibi, *Illis exceptis, quos infirmitas excusat.*

5 Aeris intemperies; potest enim tunc etiam Episcopus discedere ad alium locum suæ Diœcesis, qui sit puri aeris, modò vadat ad Cathedralem temporibus præscriptis à Concilio *sess.* 23. *c.* 1. *de reform.* nec removeat Vicarium, & Tribunal à Civitate. Pignatell. *consf.* 17. *cit. n.* 46. & hoc reste declaratum est à Sacr. Congr. quia Episcopus in qualibet parte Diœcesis residere potest.

49 6 Sæviens pestis, seu contagio, ob quam Beneficiarius vel in loco residentiæ, si ibi grassetur, manere nequit, vel ad eum è loco, ubi moratur, & pestis sævit, transire non licet. Vall. Pirh. Vviest. *l. citt.* & alii apud istos, qui tamen addunt, istud de Parochis, aliisque Curatis solùm procedere, si dum corpore absunt, animo tamen, sive providentia præsentes ovium necessitati prospiciant per idoneos Vicarios, aut Viros Religiosos substitutos; alias etiam non obstante propriæ vitæ periculo tenebuntur subsistere apud gregem suum ex doctrina Salvatoris: *Bonus Pastor animam suam ponit pro ovibus suis*. Joan. 10. *v.* 11. quamvis ut eo casu pestiferis Sacramenta administrare per alios possint, iisdem concesserit S. Congr. *Decreto edito die* 23. *Sept.* 1576. idque pro commoditate Parochianorum, qui sani sunt, quique verisimiliter conversari nollent cum Parochis ad peste infectos euntibus. Pignat. *consf.* 17. *cit. à n.* 35.

7 Nonnulli addunt causam piæ peregrinationis, maximè ex Voto, cum licentia Prælati susceptæ. Verùm contrarium dicendum est cum Garc. *p.* 3. *de Benef. c.* 2. *num.* 394. Barbos. *alleg.* 53. *cit. n.* 22. Leuren. *for. Benef. p.* 1. *q.* 387. & *q.* 411. Pirh. *hic n.* 23. eò, quòd peregrinatio, etiam ex Voto suscepta, non sit ex causis Jure expressis, excusantibus à residentia, vel præsentia ultra tempus absentiæ à Trid. permissum, ad lucrandos fructus Præbendæ juxta Declarationem *Cong. Conc.* apud eundem Garciam.

Quæritur 3. quando Beneficiarios à residentia excuset *Obedientia debita*? Resp. duo in Jure nostro reperiuntur casus, in quibus illa excusationem legitimam præstat, & absentibus, licèt non ad distributiones, ad fructus tamen grossos, ratione Præbendæ percipiendos, jus potestatemque præstat. 50

Primus est, quando Beneficiarius mandato Papæ, & Sedis Apostolicæ servitio est occupatus *c. cùm dilectus* 14. & *cap. ad audientiam* 15. *h. tit.* Ratio est, quia cùm Ecclesia Romana sit universalis, ideo, qui ei serviunt, censetur etiam inservire, & prodesse aliis Ecclesiis particularibus, ut notat Imol. *in cap. cùm dilectus cit. n.* 3. eò, quòd honor, & utilitas Ecclesiæ universalis redundet in alias Ecclesias particulares subjectas *c. bonæ* 2. *de postul. Prælat.* unde dici solet Clericum residentem Romæ ubique residere. *Proceditque hoc*, etsi ostendatur contraria constitutio Episcopi, vel Capituli; quia inferior Papa non potest aliquid disponere, vel statuere contra Jus commune Canonicum, neque valet statutum, per quod superioris potestas, & Jurisdictio impeditur, nisi Superior tale Statutum scienter approbet, ut docet Bartol. *in l. omnes* 9. *n.* 27. *ff. de J. & J.* Dixi autem, *Mandato Papæ*; nam hi soli tanquam præsentes reputantur, non verò illi, qui propria voluntate, & principaliter ob suum commodum, vel lucrum in Curia Papæ versantur, ut sunt Notarii &c. *arg. l. Reip.* 36. & *l. non verè* 41. *ff. ex quibus caus. major.* Sylv. *V. residentia quæst.* 7. *dict.* 2. Rebuff. *prax. Benef. titul. dispens. de non resid. numer.* 32. *&* 33. Pirhing *hic numer.* 25. *not.* 2. & alii communiter.

Secundus casus est, quando Beneficiarius simplex, vel Canonicus Cathedralis Ecclesiæ abest ab Ecclesia sua causa servitii Episcopo suo exhibendi. Patet *ex c. ad audientiam cit.* cui consonat Trid. *sess.* 24. *cap.* 12. *in fin. de reform.* Ultra duos tamen Canonicos ex Cathedrali Ecclesia Episcopus in servitio suo occupare non potest. Abb. *in cap. de cætero* 7. *h. tit. n.* 3. unde si plures velit, requiritur consensus Capituli: quem tamen denegare non debet, si ita suadeat necessitas, vel utilitas Ecclesiæ, & sine notabili damno Ecclesiæ Cathedralis, quia alioquin abundat Canonicis, id fieri possit. Pirh. *hic n.* 20. *not.* 2. Adde, quòd nec duos Canonicos Episcopus secum habere possit, si idcirco Cultus Divinus, & necessarium ministerium Ecclesiæ impediretur. 51

Dub. 1. quinam Clerici Beneficiarii occupari possint in servitio Papæ, vel Episcopi, ut fructus Præbendarum suarum etiam absentes lucrentur? Resp. Soli Canonici, & Beneficiarii simplices, non autem Episcopi, vel alii Curati, nisi id exigat necessitas, aut major utilitas publica. Et quidem, quòd Episcopi Curatos extra eorum Curam, & cum Curæ detrimento ad negotia, vel servitia Episcopalia, puta Vicarii, Visitatoris, Secretarii, Fiscalis, & hujusmodi non possint assumere, extat aperta Declaratio Cardd. apud Joann. Gallemart ad Trid. *sess.* 23. *c.* 1. *de reform. n.* 7. Quòd nec Pontifex, seclusa necessitate, vel majore utilitate publica, istud possit, cum Cajet. Sot. Vasq. advertunt Azor *p.* 2. *l.* 7. *c.* 4. *q.* 3. *vers. quinta causa*, Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 6. *n.* 5. *vers. ad tertium*, Barbos. *in c.* 14. *h. tit. num.* 3. Leuren. *for. Benef. p.* 1. *q.* 386. *n.* 1. *& seqq.* Zoes. *hic n.* 9. Pirh. *n.* 25. *not.* 3. Vviest. *n.* 29. *&c.* & colligitur ex *c. cùm dilectus*, & *c. ad audientiam cit.* quæ loquuntur solùm de Canonicis. Ratio disparitatis est, quia Canonici, & alii Beneficiarii simplices, ut sæpiùs dictum est, ad residendum solùm Jure positivo, & Canonico obligantur, in quo Pontifex hoc ipso, quòd sciens mandet eos sibi inservire, censetur tacitè cum ipsis dispensare; at Episcopi, & Curati alii, ut pariter dictum est, ad residentiam obligantur Jure Divino, in quo Papa sine gravi, & justa causa dispensare non potest. 52

Extenditur etiam ad S. R. E. Cardinales; nam ne hi quidem ex causa officii sui in Curia præstandi excusantur ab obligatione residendi in suis Diœcesibus, ut notat Azor *c.* 4. *cit. q.* 7. Laym. *n.* 5. *cit.* Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 53. *n.* 10. Pignatell. *tom.* 4. *consf.* 17. *n.* 4. Vvagn. *in c.* 2. *h. t. in Exeges.* Pirh. *hic n.* 39. Vviest. *n.* 29. & clarè habetur in Trid. *sess.* 23. *c.* 1. *cit. vers. ne verò ea*, ubi Sacra Synodus etiam Cardinales Episcopos, sicut alios Pastores, ad residentiam in Ecclesiis suis obligat. *Excipiendi* tamen sunt sex Episcopatus Romæ vicini, qui à Car-

a Cardinalibus in Urbe residentibus administrari facilè possunt, & ferè solent. Laym. *l.cit.*

Addidi, *Nisi id exigat necessitas, aut major utilitas publica:* nam si alii idonei desint, Papa licitè potest Episcopum aliquem constituere Curiæ Romanæ Camerarium vel Vice-Cancellarium, aut Summum pœnitentiarium, vel Auditorem Rotæ &c. facultate ei concessa, ut ab Ecclesia sua absit. Azor *c.* 4. *citat. q.* 5. *in fin.* Pirh. *num.* 39. *cit.* Ratio est, quia tunc Ecclesiæ universalis necessitas, vel major utilitas absentiam cohonestat; publicum enim bonum præferendum est privato, adeoque etiam bonum Ecclesiæ universalis bono Ecclesiæ particularis. Similiter cum Parochis, & aliis Curatis in Residentia potest dispensare Episcopus, si vel utilitas Ecclesiæ, in qua curam animarum exercent, vel necessitas Prælati, aut ipsius Ecclesiæ ita postulet. Pirh. *n.*41.

54 Dub. 2. utrum Episcopus in servitio suo occupare possit etiam Canonicos Ecclesiarum Collegiatarum? Non convenit inter DD. Barbos. *in c. de cætero* 7. *h. titul. num.* 4. Monet. *de distrib. p.* 2. *quæst.* 8. *num.* 6. Leuren. *p.* 1. *quæst.* 405. *num.* 3. Vvagn. *in cap.* 7. *cit. not.* 2. concedunt hoc de Canonicis quibuscunque in Diœcesi: idque quia Trid. *sess.* 24. *c.* 12. *de reform.* inter Canonicos non distinguit; nec ratio suadet Decretum hoc restringi ad solos Canonicos Cathedrales. Accedit, quia Canonicorum copia, & præsentia propter suam dignitatem magis necessaria est Ecclesiis Cathedralibus, quam Collegiatis.

Sed opposita sententia magis videtur consona rationi, & Juri, juxta quam Decretum illud Tridentini de solis Canonicis Cathedralis Ecclesiæ intelligendum est. Ita Abb. *in cap.* 15. *hoc titul. num.* 8. Gonzal. *in capit.* 7. *eodem num.* 6. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *capit.* 6. *num.* 6. Pirh. *hic num.* 30. Vviest. *numer.* 31. Ratio est, quia ne Decretum hoc sit correctorium Juris communis, referendum est *ad cap. de cætero* 7. & *cap. ad audientiam* 15. *h.tit.* atqui utrumque illud Capitulum, quando dicunt Canonicos, ex causa obsequii Episcopo præstandi absentes, quoad fructuum perceptionem habendos pro præsentibus, solùm loquitur de Cathedralium Ecclesiarum Canonicis, igitur de his solis etiam intelligendum est Trid. nec privilegium istis concessum, utpotè à Jure communi exorbitans, ad cæteros Canonicos extendendum est. Accedit, quòd specialis ratio suaserit, id concedi Canonicis Ecclesiarum Cathedralium; nam hi tanquam membra cum Episcopo suo tanquam capite immediatè constituunt unum corpus *c. novit.* 4. *de his, quæ à Prælat. &c.* & huic arctiùs, quàm Canonici Collegiatarum Ecclesiarum junguntur, eique in negotiis Diœcesium spectantibus adesse præ illis tenentur.

55 *Excipiendi* tamen sunt duo casus, in quibus Canonici etiam Collegiatarum Ecclesiarum, aliique Beneficiarii simplices in servitio Episcopi occupati, & fructus Præbendarum suarum absentes possunt percipere.

Unus est, si hoc suadeat urgens necessitas, quia ad tale obsequium ex Cathedralibus Canonicis non potest haberi idoneus, vel communis utilitas Diœcesis, quia talis Beneficiarius, aut Canonicus Collegiatæ præ cæteris ad hoc idoneus, & industrius esse censetur. Ita cum Abb. & Laym. *l.cit.* advertit Garc. *p.* 3. *de Benef. cap.* 2. *num* 370. & ratio est, quia nemini officium suum debet esse damnosum *c. cùm non deceat* 30. *de elect. in* 6.

Alter est, si alicubi contrarium obtinuit consuetudo: quæ tamen, ut cum aliis bene advertit P. Vviest. *n.* 31. *cit.* non debet extendi ad casum, quo absentia illorum minueret cultum Divinum, & necessaria Ecclesiæ ministeria impediret; nam tali casu, ut 38. *num. in fin.* dixi, etiam Cathedrales Canonici abesse nequeunt.

56 Dub. 3. an etiam alii Prælati inferiores Episcopo, v. g. Ecclesiarum Collegiatarum Rectores, Canonicos suæ Ecclesiæ assumere possint, & occupare in suo obsequio, ita, ut absentes etiam Beneficii sui fructus percipiant? Affirmant Abb. *in c.* 7. *h. tit. num.* 3. Rebuff. *prax. Benef. tit. disp. de non resid. num.* 45. Garz. *p.* 3. *de Benef. c.* 2. *num.* 381. Vagn. *in c.* 7. *cit. not.* 4. quia textus *c. de cætero cit.* generaliter loquitur, & eadem videtur esse ratio.

Sed videtur distinguendum cum Pirh. *hic num.* 31. *not.* 5. inter Prælatos exemptos, seu immediatè subjectos Pontifici, & inter non exemptos. *De illis* concedi potest; quia talis Prælatus Jurisdictionem quasi Episcopalem in subditos suos habet, & æquiparatur Episcopo, atque absolutè loquendo est Ordinarius suæ Ecclesiæ.

De aliis meliùs negatur; quia nullum reperitur, vel afferri potest Jus, quo ipsis concessa sit talis licentia assumendi unum, vel plures ex suis Capitularibus cum privilegio percipiendi fructus Beneficiorum suorum, etiam in absentia.

Excipitur, si necessitas, vel utilitas Ecclesiæ istud exigat; nam ex tali causa poterit etiam Prælatus non exemptus saltem unicum Canonicum Ecclesiæ suæ in Adjutorem suum, sive pro obsequio suo assumere, ut cum Navarr. advertit Pirh. *l.cit.* Ratio est, quia Prælatus quilibet, & Capitulares faciunt unum corpus, tanquam caput cum membris; ideoque par est, ut membra adjuvent suum caput, si hoc opera eorum indigeat.

Dub. 4. utrum Legatus Papæ Canonicos Cathedralium, vel Collegiatarum Ecclesiarum suæ Provinciæ possit assumere in servitium suum cum eo privilegio, ut etiam absentes pro præsentibus habeantur quoad fructus percipiendos? Affirmare videntur communiter DD. teste Abb. *in c. cùm dilectus* 14. *h. tit. n.* 6. argumento ducto à paritate cum Papa, & Episcopis: cùm non obstet *c. sanè* 9. *de privileg.* ubi privilegia prohibentur in consequentiam trahi ob rationis identitatem; quia hoc non privilegium, sed Jus est. 57

Sed meliùs, spectata ratione, defenditur negativa cum Abb. *n.* 6. *cit.* Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 6. *n.* 6. *vers. sed nunquid*, Pirh. *hic n.* 32. quia revera in Legato Apostolico non pugnat eadem ratio, quæ in Papa, & Episcopis, aliisque Prælatis. *Non in Papa*; quia huic ex suprema potestate, quam obtinet in Ecclesia, multa licent, quæ non licent ejusdem Legatis. *Non etiam in Episcopis, & aliis Prælatis*; quia his unum, vel alterum Canonicum in obsequio suo occupare permissum est, quòd cum Canonicis suis unum Corpus efficiant, ideoque obsequium, quoad præstant Canonici Prælato suo, censeantur quasi propriæ Ecclesiæ præstare, talis conjunctio autem, vel unio non apparet inter Legatum Papæ, & Capitulares Collegiatæ, vel Cathedralis Ecclesiæ.

Dub. 5. num à residentia excusentur Clerici, qui inserviunt Principibus Sæcularibus? Affirmant Joan. Selva *de Benef. p.* 4. *q.* 6. & Hier. Cævall. *Specul. opin. comm. contr. comm. q.* 585. *n.* 7. & favet horum opinioni *Novell.* 123. *c.* 9. qua Episcopis conceditur, ut per annum in Curia commorati possint. 58

Sed verior videtur negativa, quam defendunt Garc. *p.* 3. *de Benef c.* 2. *num.* 389. Azor *p.* 2. *l.* 7. *c.* 4. *q.* 6. Dian. *p.* 2. *tr.* 1. *resol.* 5. *in fin.* Barb. *de Offic. Episc. alleg.* 53. *n.* 17. Konig *hic n.* 24. Vviest. *n.*38. Proceditque hoc etiam casu, quo hujusmodi Principi Sæculari legitur circa hoc concessum fuisse speciale privilegium, quale concessum esse Regi Franciæ testantur Buerius *decis.* 17. & Rebuff. *in Concord. de Collat. p.* 1. quia hujusmodi privilegia si quæ ab Ecclesia Principibus ante Trid. tributa sunt, per hoc Concilium *sess.* 6. *cap.* 2. *de reform.* & *Constitutionem Pii IV. editam* 13. *Cal. Mart.* 1565. sunt revocata, vel certè de eo casu intelligi debent, quo Regnum sine alicujus Episcopi, vel Clerici præsentia commodè administrari non posset; tunc enim æquitas, & necessitas suadet, ut Pontifex propter bonum commune Reip. in residentiæ obligatione dispenset.

Neque obstat *Novell. cit.* quia Imperator circa res, quæ Clericos, & Ecclesias attinent, disponere nihil potest.

Quæritur 4. quibus casibus ratione *Utilitatis Ecclesiæ, vel Reip.* excusetur Clericus à residentia? Resp. quinque plerumque enumerantur casus. 1. si absit ad defendenda Jura sui Canonicatus, vel Ecclesiæ, vel litem super iis prosequendam *c. ex parte* 13. *h. tit.* Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *cap.* 5. *numer.* 5. *vers. ad quantum*, Barbos. *alleg.* 53. *n.* 14. Leuren. *for. benef. p.* 1. *q.* 382. *n.* 1. & 2. Pirh. *hic n.* 33. Konig *n.* 22. Vviest. *n.* 32. 2. si absit vocatus ad Synodum Generalem, Provincialem, aut Diœcesanam. Azor *p.* 2. *l.* 7. *c.* 4. *q.* 4. *vers. ad quartam cum reliquis supra*. 3. si Elector, aut Princeps Ecclesiasticus propter officia Dignitati annexa interesit Comitiis. Engl. *hic* §. 1. *n.* 2. & 6. Konig *l.c.&c.* 4. si exigente Imperii, vel Provinciæ evidenti utilitate obeant munus Oratoris, aut Legati *c. cùm parati* 19. junct. Gloss. Vers. *in legatione, de Appell.* Barbos. *Alleg. cit. n.* 15. 5. si Clericus Beneficiarius ab Ecclesia sua absit studiorum causa; potest enim interim in absentia Præbendæ suæ fructus percipere *c. relatum* 4. *c. tuæ* 12. *h. tit. c. fin. de Magistr.* Trid. *sess.* 5. *c.* 1. *de reform.* Et communicatur privilegium hoc tam docentibus, quàm discentibus, his quidem pro annis quinque, illis autem, quamdiu voluerint. *c. fin. de Magistr. cit.* Leuren. *for. Benef. p.* 1. *q.* 379. *n.* 1. 59

Dub. 1.

60 Dub. 1. quid requiratur, ut Clericus studiorum causa à sua Ecclesia abesse possit, & fructus tamen percipere? Resp. 1. debet dare operam Theologiæ, vel Juri Canonico; nam ut ratione aliorum Studiorum. Philosophiæ, aut Humaniorum abesse possit, & tamen lucrari fructus, requiritur licentia Episcopi. Leuren. *p.* 1. *cit. q.* 380. *num.* 1. Zoes. *hic num.* 9. Pirh. *n.* 30. *not.* 1.

2 Studiis istis se impendere debent in aliqua Universitate, vel publica Schola, non item in villa, seu loco privato *c. tuæ* 12. *h. tit.* si, ut *c. cit.* innuit, locus ille talis sit, in quo vel nullum, vel non competens est Studiorum exercitium; nam si in tali loco Studia vigeant, adeoque finis, & utilitas, ob quam privilegium hoc Clericis studentibus concessum est, obtineri possit, gaudebunt illo, qui ibi student, sive locus ille sit civitas, sive villa, sive castellum; non enim cathedra facit Magistrum, sed Magister cathedram, ut cum Host. bene notant Abb. *in c. tuæ cit. n.* 4. Vivian. *ibid. vers. si tamen*, Garc. *p.* 3. *c.* 2. *n.* 55. Pirh. *hic n.* 38. nisi oppositum in praxi receptum sit, quæ proinde servanda est.

3 Qui ita absunt, necesse est, ut in his Studiis se exerceant; non enim sufficit, si ibi tantùm morentur, & aliis rebus vacent, potando, saltando, ludendo, vel ut linguam peregrinam addiscant; quia verba Legis, seu Constitutionis intelligi debent cum effectu, ita, ut finem intentum consequantur, quem finem non consequeretur Ecclesia, si Studiorum causa absentes nihil minùs agerent, quàm ut Studiis se impenderent. Hinc S. Carolus *in Conc. Mediol.* 1. *p.* 2. *c.* 27. statuit, ut ii, qui Studiorum causa absunt, singulis sex mensibus Episcopo scriptum sui Doctoris exhibeant, quo ipsos in eo Studii genere proficere attestetur. Van-Espen *Jur. Can. p.* 1. *tit.* 7. *c.* 10. *n.* 8.

61 Dub. 2. an hoc privilegium concessum sit etiam Clericis Curatis? Resp. Jure antiquo certum esse, quòd privilegium istud iisdem competat: patet ex *cap. cùm ex eo* 34. *de Elect. in* 6. ubi Bonifacius VIII. Episcopis concessit facultatem dispensandi cum promotis ad Parochiales Ecclesias, ut in Studiis, si idonei sint, usque ad septennium morari valeant, modò provideant, ut interea Cura animarum, per idoneos Vicarios administretur.

Controversia est, an Constitutioni huic sit derogatum à Trid. *sess.* 23. *c.* 1. *de reform.* Affirmativam defendunt Garc. *p.* 3. *de Benef. c.* 2. *n.* 80. *& seqq.* & plures alii. Suadent eandem duæ Declarationes Cardd. quas allegat Garc. *l. cit.* ex quibus constat ademptam Episcopis potestatem licentiam dandi Parochis, ut quinquennio Studiorum causa abesse possint, & interim fructus percipiant: imò Fagnan. *in c. fin. de Magistr. n.* 27. *V. partem negativam* ait, Sanctissimum ad quæstionem sibi propositam, an Ordinarius possit licentiam concedere Parocho, ut in publica Universitate Studiis S. Theologiæ, vel Canonum vacare possit, jussisse, ut Episcopus ab ejus licentiæ concessione abstineat. *Conf.* nam juxta Trid. *sess.* 24. *c.* 18. *de reform.* Ecclesiis Parochialibus providetur per concursum. atqui per concursum promoti ad has Ecclesias non habent opus, ut Studiorum causa ab Ecclesiis suis absint; quia jam idonei inveniuntur de præsenti.

62 Sed etsi sententia hæc ob memorata Argumenta sit valde probabilis, ut propterea Pal. *tr.* 7. *D.* 3. *p.* 9. §. 9. *n.* 9. putet eam in judicando, & consulendo servandam, non minùs tamen probabile est, posse Ordinarium Parocho studere volenti hanc licentiam concedere, non obstante Trid. & supra dicta S. Congr. declaratione. Ita cum Pal. *l. cit.* docent Selva *de Benef. p.* 4. *q.* 6. Zerol. *prax. Episc. p.* 1. *V. studium* §. *ad septennium*, Less. *l.* 2. *de Just. c.* 34. *num.* 163. Fagnan. *l. cit. num.* 11. Wiest. *hic n.* 33. imò privilegia per *c.* 34. *cit.* & *c. fin. de Magistr.* concessa à Trid. Clericis docentibus, vel discentibus Theologiam, aut Jus Canonicum, videntur potiùs firmata, & roborata per ea, quæ habentur *sess.* 5. *c.* 1. *de reform. in fin.* ibi: *Docentes verò ipsam S. Scripturam* (aut Jus Canonicum juxta dicta *n.* 60.) *dum publicè in Scholis docuerint, & Scholares, qui in ipsis Scholis studens, privilegiis omnibus de perceptione fructuum, Præbendarum, & Beneficiorum suorum, in absentia à Jure communi concessis, plenè gaudeant, & fruantur.* *Conf.* ex eodem Trid. quòd cùm *sess.* 6. *c.* 2. *de reform.* Parochos, non obstante quovis privilegio, vel indulto, ad residentiam cogi jussisset, subdit, *Indulgentiis verò, & dispensationibus temporalibus, ex veris, & rationabilibus causis tantùm concessis, & coram Ordinario legitimè probandis, in suo robore permansuris.* atqui causam Studii esse veram, & rationabilem causam liquet ex *cap. cùm ex eo cit.* quod ad marginem adnotatur à Trid. *l. cit.* ergo &c.

Neque obstant allata in contrarium; præterquam enim quòd de Declarationibus istis, ut monet Pal. *l. cit. n.* 10. *in fin.* non constet authenticè, plerisque Germaniæ nostræ Ordinariis illæ non nocent; fundantur enim in Concursu, qui in plerisque Germaniæ Diœcesibus receptus non est, ut proinde cesset ratio illarum Declarationum, & *conf.* integra maneat Ordinarii, saltem Germaniæ, potestas dandi licentiam Parochis, & aliis Curatis ad prosequenda sua Studia. Ad responsionem illam Pontificis dico non satis constare, quòd illa emanarit, aut sufficienter promulgata sit; ait enim Fagn. Vers. *partem cit.* se in libris publicis apud se asservatis (utique manuscriptis solùm) eam legisse: unde non apparet, qua ratione sit Authentica. 63

Dub. 3. an Ordinarius debeat dare licentiam Beneficiariis, quando ad Studia adire volunt? Resp. affirmativè, modò id patiatur status Ecclesiæ, & Theologiæ, vel Juri Canonico operam dent in celebri Gymnasio, atque insuper 30. annis sint minores. Et quidem *de Beneficiariis non curatis* non est dubium: imò in his ne quidem requiritur licentia Episcopi, vel Prælati, si quinquennio tantùm studiorum causa abesse velint; cùm ea facultas, seu privilegium à Papa Jure communi concessum sit, ut proinde tam studentes, quàm docentes eadem uti sine alia licentia ab Episcopo impetrata possint; ut tradit Gloss. *in cap. fin. de Magistr. V. licentia*, Lotter. *quæst.* 27. *num.* 151. *& seqq.* Leuren. *for. Benef. p.* 1. *quæst.* 380. *num.* 2. Pirh. *hic num.* 34. 64

De Curatis respondendum est secundùm sententias diversas à *n.* 61. relatas. Qui putant potestatem licentiam dandi his ad recedendum à Beneficiis suis causa studiorum Episcopis à Trid. revocatam non esse, idem de his affirmant, quod supra dictum de Beneficiariis simplicibus: adeo, ut si Episcopus impedire velit, ne Curatus, qui non sufficienter in his disciplinis instructus est, & aliàs ad studia ista idoneus, iisdem operam dare possit, tanquam gravatus appellare valeat, quandoquidem indultum alicui à Jure beneficium non est ipsi auferendum juxta *Reg.* 16. *in* 6. 65

Quod multo magis procedit in Curatis disciplinas istas docere volentibus; quia docendo plus Ecclesiæ prosunt, quandoquidem facere idoneos Ministros Ecclesiæ melius est, quàm ministrare. Laym. *cap.* 6. *cit. num.* 5. Pirh. *num.* 34. *hic*, ubi tamen monet Episcopo id intimandum, casu, quo Beneficiatius, qui docet, vel studet, Curatus est, ut idoneum Vicarium substituere possit.

Dub. 4. quis casu, quo præter causam legitimam requiritur licentia non residendi, sive ab Ecclesia, seu loco Beneficii residendi, dare Beneficiario eandem possit? Resp. in genere loquendo licentiam dare potest is, qui necessitatem residendi imponit, ut ait Rebuff. *prax. Benef. tit. dispens. de non resid. n.* 75. nam qui condemnare potest, is absolvendi etiam potestatem habet; & qui ligare potest, etiam potest solvere. 66

In specie facultatem non residendi concedere potest 1. *Pontifex:* & quidem in *Beneficiis simplicibus* etiam ad longum tempus, vel etiam in perpetuum; quia ut *suprà num.* 25. dictum est, obligatio in his residendi est introducta Jure Ecclesiastico tantùm, quo major est Pontifex: neque opus est justa causa, ut validè sic dispenset; quia obligatio tota ex arbitrio illius pendet. *In Beneficiis Curatis* ut validè dispenset Pontifex, requiritur justa causa; quia talis dispensatio est in Lege Superioris, nempe DEI, adeoque si sine justa causa fiat, est irrita, sicut in Juramentis, & Votis. Azor. *part.* 2. *l.* 7. *cap.* 4. *quæst.* 3. §. *quinta causa*, *Vers. porro.*

2 *Episcopi*, & *similes Prælati* licentiam non residendi Parochis, & aliis Curam animarum habentibus tantùm possunt dare ad tempus, dum causa excusans datur, quæ, si infra bimestre sit duratura, debet esse justa; si verò ultra bimestre se extensura sit, gravis, ut patet ex *n.* 6. *&* 7. Transitque potestas ista, Sede vacante, ad Capitulum, ut bene advertit Pirh. *hic n.* 43. Sede non vacante, Capitulum dispensare circa residentiam solùm potest, quando obligatio non est à Jure communi, sed statuto à se facto introducta; nam quilibet Legislator dispensare potest in Lege sua. 67

3 *Quoad alios Prælatos inferiores Episcopo* distinguendum est inter eos, qui Ordinariam in Clericos sibi subjectos potestatem habent, & inter eos, qui tali potestate, & Jurisdictione quasi Episcopali in Clericos unitarum sibi Ecclesiarum carent: hi Parochis, & Beneficiariis Ecclesiarum suarum licentiam ab istis recedendi dare nequeunt, sed peti ista, darique ab Episcopis debet; prio- 68

priores verò dare hanc potestatem possunt ad tempus, sicut Episcopi, quia his quoad usum Jurisdictionis æquiparantur, & nomine Ordinariorum passim in Jure veniunt.

69 Quæritur 5. an præter quatuor hactenus relatas causas adhuc aliæ sint, ex quibus abesse ab Ecclesiis Clerici Beneficiarii possint, & tamen fructus percipere? Et quidem 1. *dubitatur*, an justa causa excusationis sit residentia 40. annorum in aliqua Ecclesia, vel Beneficio? Videri posset esse justa causa *arg. l. un. C. de Profess. qui in Urb. &c.* ubi qui 20. annis legit, Comiratus dignitatem consequitur. Sed hoc argumentum parùm urget, tum quia à diversis non fit illatio, tum quia etsi *in l. cit.* accedat titulus Canonicatus, non tamen in ea dicitur, quòd post tale tempus à legendo liberetur Doctor, ita, ut tamen capere lucrum possit. Quare cùm desit textus in hac materia liberans à residentia, sed contrà passim Jura requirant, & mandent residentiam, dicendum, secluso speciali Statuto, nullos annos à residentia liberare.

70 *Secluso*, inquam, *speciali Statuto;* nam si Statutum aliquod in Ecclesia aliqua communi consensu conditum sit, quo cavetur, Canonicum, vel Beneficiarium, qui per 40. annos diligenter Divinis interfuit, posse Beneficii sui fructus, & distributiones quotidianas percipere, licèt ipse Divinis non intersit, tale Statutum valebit, & liberabit à residentia; ut bene advertit Garc. *p.* 3. *de Benef. cap.* 2. *num.* 344. Stephan. Gratian. *Discept. for. cap.* 298. *num.* 19. Piasec. *prax. Episc. p.* 2. *cap.* 3. *num.* 9. *vers. de senio*, Barbos. *alleg.* 53. *num.* 56. Passerin. *in cap. un. h. tit. in* 6. *num.* 169. Leuren. *for. benef. part.* 1. *quæst.* 193. *num.* 11. Pignatell. *tom.* 1. *consult.* 130. *numer.* 27. & hoc teste decisum est à Sacr. Congreg.

71 Dub. 2. an Beneficiati Religionem ingressi tempore Novitiatus fingantur residentes, & annuos fructus lucrentur? Certum est lucrari fructus, si tales sint, qui etiam absentibus debentur, modò per alium Beneficio deserviatur. Procedit dubium de iis fructibus, qui tantùm debentur præsentibus, & residendo lucrifiunt. In affirmativam propendet Konig *hic num.* 26. ex ratione, tum quòd ita absens studiorum causa fructus istos lucretur, cùm tamen causa Religionis sit favorabilior; tum quòd talis Novitius adhuc retineat Beneficium, & Jura illius.

72 Ego magis inclino in negativam, quam etiam defendunt Franc. *in cap.* 4. *de Regular. in* 6. *num.* 6. Garc. *p.* 11. *de Benef. cap.* 9. *num.* 31. cum plerisque aliis, ex ratione, quia licèt hic absit ex justa causa, ista tamen non est ex illis Legalibus, quæ ita absenti Jus fructus percipiendi tribuunt, cùm hoc nusquam sit Jure cautum.

Ad 1. *Argumentum* pro affirmativa adductum nego paritatem; nam causa Studiorum est approbata à Jure in ordine ad percipiendos fructus grossos, qualis tamen in ordine ad istum finem non est Novitiatus. *Ad* 2. sufficit, quòd hujusmodi Novitius retineat jus eligendi, præsentandi &c. quæ Beneficio, quod adhuc habet, annexa sunt: imò quod etiam percipiat fructus, qui ab absente lucrifieri possunt. Ad eos, qui lucrifiunt à præsentibus, ut illos etiam ipse lucrifaciat, necesse est, ut fictione saltem Juris sit præsens; quæ tamen fictio in Jure pro tali Novitio non invenitur.

73 Dub. 3. an is, qui juravit, quòd continuò in Ecclesia sua residere velit, si postea ex aliqua de causis relatis se absentet, incurrat perjurium? Resp. negativè; quia pro residente haberi debet, ut constat ex *cap. ex parte* 13. *h. tit.* & notat ibidem Alagona, Wagnereck, & alii. *Ratio est*, quia Juramentum præstitum circa materiam Juris communis intelligi debet secundùm limites materiæ subjectæ, ita, ut ad plus non obliget, quàm Jus requirat. atqui Jus commune non requirit residentiam ita strictè, quin ob plures causas Beneficiarius abesse possit, ut hactenus vidimus. ergo &c.

Neque obstat *cap. ad nostram* 7. *de Jurejur.* ubi dicitur, quòd Juramentum impleri debeat in forma specifica, & non in casu ficto tantùm; nam hoc intelligendum est, quando Juramentum præstitum est in favorem tertii, & hic pateretur detrimentum, si non impleretur in forma specifica. In casu nostro, etsi sic absentis præsentia ficta sit, non tamen præsumitur cedere in detrimentum Ecclesiæ ipsa absentia, quia supponitur licita. Pirh. *hic num.* 46.

§. IV.

De Distributionibus Quotidianis.

SUMMARIUM.

Quæritur 1. quid sint *Distributiones Quotidianæ*? Resp. *sunt portiones Ecclesiasticorum redituum, quotidie distribui solitæ, iis tantùm Clericis, qui statutis horis intersunt Divinis officiis*. Laym. *l.* 4. *tract.* 2. *cap.* 7. *princ.* Barbos. *in Trid. sess.* 24. *cap.* 12. *de reform. num.* 73. Passerin. *in cap. un. h. tit. in* 6. *num.* 7. Mentio de istis fit *cap. un. cit. cap. licèt* 32. *de Præbend. Extrav. nonnullæ* 11. *eod. int. comm. Clem.* 2. *de ætat. & qual. & alibi*. 74

Dicuntur *Quotidianæ;* quia, quotidie distribuuntur vel potiùs, quia distribuuntur iis, qui quotidie Divinis intersunt: interdum dicuntur *Victualia*, quia dantur pro victu inservientium actu in Divinis Officiis: passim verò nuncupantur *Præsentiæ*; quia ob præsentiam dantur. Plerumque solvuntur in pecunia, alicubi in certis mensuris frumenti, & vini.

Introductæ sunt favore Cultus Divini in Ecclesiis conservandi, & augendi, ut planum est ex *c. un. cit.* & *ibi* notat Gloss. *in princ.* ad cujus studium in Clericis excitandum Trid. *sess.* 21. *c.* 1. *de reform.* præcepit, ut *in Ecclesiis tam Cathedralibus, quàm Collegiatis, in quibus nullæ sunt Distributiones quotidianæ, vel ita tenues, ut verisimiliter negligantur, tertia pars fructuum, & quorumcunque proventuum, & obventionum, tam Dignitatum, quàm Canonicatuum, Personatuum, Portionum, & Officiorum separetur, & in Distributiones quotidianas convertatur*. Quam tamen, licèt saluberrimam Constitutionem, non ubique in praxim deductam, notat Laym. *l.* 4. *tract.* 2. *cap.* 7. *num.* 1. *quæst.* 2. 75

Arguunt quidem DD. aliqui criminis Simoniæ Canonicum illum, qui Distributionum lucro inductus, Divinis interest, aliàs non interfuturus. Sed etsi sordities hæc magna sit, non tamen apparet, quomodo in hac specie facti committatur Simonia, cùm Distributiones istæ pro ministeriis Spiritualibus, non ut pretium ex pacto, prout ad Simoniam requiritur, sed ut temporale stipendium pro victu, & labore dentur. Barbos. *Jur. Eccl. l.* 3. *cap.* 18. *num.* 12. & 13.

Dub. 1. quomodo Distributiones quotidianæ distinguantur à fructibus Præbendarum, & Beneficiorum? Resp. si Fructuum nomen accipiatur latè, & merè genericè, etiam distributiones quotidianæ sub illorum nomine veniunt; quia sic acceptorum fructuum nomen significat quoscunque proventus, quos Clericus occasione Beneficii sui percipit. Quod verò hoc Fructuum nomen, ut plerumque solet, sumatur specificè, plurimùm ab illis Distributiones quotidianæ differunt; nam Fructus in hac significatione sunt proventus annui, qui in fixo consistunt, & Canonicis propter annuam residentiam dantur absque respectu ad singulas in Choro præsentias; Contra Distributiones quotidianæ non consistunt in fixo, sed cùm ratione interessentiæ in Divinis dentur, ab aliquibus plures, ab aliis pauciores percipiun- 76

piuntur, prout quisque frequentior, vel remissior in Divinis fuit.

77 *Ex quo sequitur* 1. Distributiones istas communiter non venire nomine fructuum, sive redituum Beneficii, cùm inter se distinguantur, sicut species oppositæ *c. fin. vers. in illis de concess. Præbend. Extrav. cùm nonnullæ* 11. *vers. præterea de Præbend. int. com.* Laym. *l.* 4. *tract.* 2. *c.* 7. *n.* 2. *vers. sunt verò*, Barbos. *Jur. Eccl. l.* 3. *c.* 18. *n.* 8. Passerin. *in cap. un. h. tit. in* 6. *n.* 9. Pith. *hìc n.* 79. Konig. *n.* 36. *Sequitur* 2. si alicui concessum sit privilegium, ut absens possit percipere fructus Beneficii, non propterea vi hujus privilegii eundem capacem redditum ad percipiendas Distributiones quotidianas, ut cum *citt.* advertit Gloss. *in cap. un. cit. V. adfuerint*, Azor. *p.* 2. *l.* 7. *c.* 7. *quæst.* 2. Gonzal. *in c.* 7. *h. tit. n.* 8. quia non creditur Pontifex privilegio suo comprehendere voluisse Distributiones cum damno, & præjudicio tertii, siquidem in illis locum habet jus accrescendi, & decrescendi. *Sequitur* 3. si quis condemnatus esset, ut restituat fructus Beneficii, eum vi talis sententiæ non teneri ad restituendas Distributiones. Azor. Gonz. Passerin. Pirh. Konig. *l. citt.* *Sequitur* 4. si quis ob delictum privatus sit fructibus Beneficii, non censeri per hoc privatum Distributionibus. Azor, aliique *citt. Sequitur* 5. si pensio sit imposita Beneficio, non intelligi impositam Distributionibus. Azor, & *reliqui supra*.

78 Duplex tamen Exceptio hìc addenda est. *Una est*, nisi aliud Papa exprimat, prout fieret, si in privilegio absenti dato diceret eundem non tantùm pro residente, sed etiam pro Divinis interessente habendum; nam vi talis privilegii ita absens posset etiam percipere Distributiones, licèt Pontifex istarum nomen non expressisset, eùm sufficienter hoc expresserit æquivalenter sub nomine interessentiæ. *Altera est*, si Beneficium nullos alios haberet fructus, quàm Distributiones; nam tunc ne elusoria fiat dispositio circa fructus facta, fructuum nomine etiam Distributiones comprehenderentur, ut optimè advertit Illustrissimus Petra *tom.* 4. *comment. fol.* 347. *num.* 29. & 30.

79 Dub. 2. quibus debeantur Distributiones quotidianæ? Resp. Regulæ generalis instar habetur, Distributiones quotidianas illis duntaxat Clericis deberi, qui statis horis Officiis Divinis intersunt. Sumitur ex *c. un. h. tit. in* 6. & Trid. *sess.* 24. *c.* 12. *vers. distributiones verò de reform.* Ratio est, quia, ut dictum est, *n.* 75. institutæ sunt ad Cultum Divinum augendum per præsentiam, & frequentiam ministrorum. Unde ad istas lucrandas non sufficiet residentia in loco Beneficii, si talis Canonicus, vel Clericus ab Officiis Divinis absit; quia Distributiones non ratione residentiæ, sed interessentiæ dantur: & hinc, qui Divinis non interest, easdem lucrati non potest, ut habet textus, & Gloss. *in cap. un. h. tit. in* 6. *V. adfuerint*; Abb. *in c. licèt* 32. *de Præbend. num.* 3. Covar. *l.* 3. *var. cap.* 13. *num.* 3. Fagn. *in cap. licèt cit. num.* 41. Passerin. *in c. un. cit. num.* 28. & *seqq.* Vail. *hìc num.* 8. Zoes. *n.* 11. Pirh. *n.* 81. Konig. *num.* 29. Vviest. *num.* 45. & alii apud istos.

Proceditque hoc, etiamsi absint ex legitima causa, & propterea percipiant fructus grossos; nam distributiones non possunt percipere, nisi casu, quo in Distributionibus quotidianis consisterent omnes Ecclesiæ reditus; tunc enim percipient etiam Distributiones, dempta tertia parte, quæ inservientibus accrescit. Fagn. *in c. de cætero* 7. *h. tit. n.* 29. Honor. *hìc num.* 25. *prope finem*, & novissimè Illustrissimus Petra *tom.* 3. *comment. fol.* 547. *num.* 26. ubi testatur sic declaratum à Cardd.

80 Dub. 3. an Canonici, & alii Præbendati, ut recipere Distributiones quotidianas possint, teneantur psallere, seu cantare in Choro, vel contrà sufficiat, si privatim, vel domi Horas recitent, psallentibus autem assistant in Choro?

Primum requiri, & alterum non sufficere magno numero contendunt DD. & inter hos Azor. *p.* 1. *l.* 10. *cap.* 11. *quæst.* 5. Suar. *tom.* 2. *de Relig. l.* 4. *de Hor. Canon. cap.* 12. *num.* 10. Less. *l.* 2. *de Just. cap.* 34. *n.* 184. Laym. *l.* 4. *tract.* 2. *c.* 7. *n.* 6. Barbos. *Jur. Eccl. l.* 3. *c.* 18. *n.* 80. & *seqq.* & *in Trid. sess.* 24. *c.* 12. *de reform. n.* 118. Pal. *tr.* 7. *D.* 3. *p.* 4. *num.* 5. Tambur. *de Jur. Abb. tom.* 2. *D.* 10. *qu.* 3. *num.* 4. *prope finem*, Passerin. *in cap. un. h. tit. in* 6. *num.* 37. & alii apud Gonzal. *in cap.* 7. *h. tit. num.* 5. & insinuatur per Trid. *sess.* 24. *cap.* 12. *de reform.* ibi: *Omnes verò Divina per se, & non per substitutos compellantur obire Officia -- atque in Choro, ad psallendum instituto, Hymnis, & canticis DEI nomen reverenter, distinctè, devoteque laudare.*

81 *Contrarium* tamen docent Cajet. *Summ. V. Horæ Canonicæ*, Petr. Navar. *de restit. l.* 2. *c.* 2. *dub.* 3. *num.* 217. & *seqq.* Garc. *p.* 3. *de Benef. cap.* 2. *n.* 514. Bonac. *de Hor. Canon. D.* 1. *quæst.* 3. *p.* 2. §. 1. *n.* 17. & alii plures, juxta quos Distributiones quotidianas lucrantur, etiam qui intersunt tantùm Horis Canonicis, & ipsi illas voce submissa recitant. Consonat textus *cap. licèt* 32. *de Præbend.* & *cap. un. h. tit. in* 6. ubi sola præsentia commendatur, non autem psallendi obligatio injungitur.

Ego judico, priorem sententiam veram esse, spectato Jure scripto, secundam, spectata consuetudine, quæ passim obtinet, ut Canonici Distributiones capiant, licèt non ipsi psallant, sed hoc fiat per Capellanos, seu Vicarios constitutos. Leuren. *for. Benef. p.* 1. *quæst.* 418. Gonzal. *in cap.* 7. *h. tit. num.* 5. *circa fin.* Pirh. *hìc num.* 99. Engl. *ibid.* §. 2. *num.* 6.

Dub. 4. quibus accrescant Distributiones quotidianæ, quas Canonici ob absentiam in Divinis amittunt? Difficultatem faciunt duo textus Concilii Trid. in speciem contrarii, primus *sess.* 21. *cap.* 3. *de reform.* ubi decernitur, distributiones, pro diei præsentia assignatas, inter eos, qui Divinis interfuerint, proportionaliter dividendas. Alter *sess.* 22. *cap.* 3. *de reform.* ubi statuitur, ut obventuræ absentibus, si Divinis interfuissent, applicentur fabricæ vel alteri pio loco. 82

Verùm hæc contrarietas componi potest, si distinctio fiat inter duplicem casum, *unum*, quo pro his ex communibus Beneficiorum reditibus detracta, vel ex fundatione, aut fidelium voluntate e. g. pro Anniversario defuncti assignata est certa portio, in illos distribuenda, qui certa die Officio Divino intersunt; *alterum*, quando ex propriis, & distinctis à mensa Capitulari fructibus quarundam Dignitatum, vel Officiorum pars aliqua v. g. tertia, detracta est, ut per modum distributionis detur iis, qui illas Dignitates, & Officia obtinent, si præsentes sunt.

In hoc secundo casu portio, ab absentibus amissa, non accrescit præsentibus, sed Ecclesiæ fabricæ, vel alteri pio loco applicanda erit, & de hoc casu loquitur Trid. *sess.* 22. *c.* 3. *cit.* *In primo casu* absentium portio accrescit præsentibus, ut quia ob illorum absentiam laborem majorem subeunt, etiam remuneratio major fiat: & de hoc casu censetur loqui Trid. *sess.* 21. *cap.* 3. *cit.* 83

Excipitur tamen, nisi Ecclesiæ Statuto, vel usu aliud receptum sit; cùm enim clara Juris decisio hìc deficiat, optimè consuetudo singulorum locorum attendetur, ut notat Engl. *hìc* §. 2. *num.* 14. *in fin.* *Item excipiendum est*, nisi statuta sit certa portio danda singulis, e. g. medius florenus; nam tali casu absentium portiones remanebunt apud massam Ecclesiæ, in ejus utilitatem convertendæ. Garc. *p.* 3. *de Benef. c.* 2. *n.* 444.

Dub. 5. an Distributiones absentium lucrentur etiam illi, qui ex justa causa infirmitatis, corporalis necessitatis, vel evidentis Ecclesiæ utilitatis absentes sunt? Affirmat Matthæucc. *in Offic. Cur. Eccl. cap.* 44. *num.* 24. & pro se adducit sententiam S. Congr. Cardd. & videtur istud probari 1. quia ex justa causa absens habetur pro præsente. Sed si præsens esset, lucraretur Distributiones, non solùm proprias, sed etiam aliorum illegitimè absentium. ergo etiam justa ex causa absens. 2. Trid. *sess.* 21. *cap.* 3. & *sess.* 24. *cap.* 12. *de reform.* videtur Distributiones absentium concedere iis, qui percipiunt proprias. Proprias autem sic absentes percipiunt. ergo &c. *cap. un. h. tit. in* 6. sic impeditis conceduntur Distributiones, quas perciperent, si interessent Divinis. atqui si his interessent, perciperent Distributiones absentium. Ergo &c. 84

Sed dicendum, spectato Jure communi, & seposita contraria praxi, quam in Hispaniæ Ecclesiis vigere affirmat Pal. *tract.* 7. *D.* 3. *p.* 8. *num.* 7. probabilius esse, sic absentes, illegitimè absentium distributiones non lucrari. Ita Bonac. *D.* 2. *de Hor. Canon. quæst.* 7. *p.* 1. *in fin.* Barth. à S. Fausto *l.* 3. *de Hor. Can. quæst.* 91. Barbos. *l.* 3. *Jur. Eccl. cap.* 18. *num.* 90. Pal. *l. cit. num.* 8. Pirh. *hìc num.* 101. Vviestner *num.* 58. Ratio est 1. quia id nullo Juris textu exprimitur. 2. Quia absentium portiones, ut à Congr. declaratum esse affirmat Garc. *p.* 3. *de Benef. cap.* 2. *num.* 465. accrescunt deservientibus. Sed hi, qui ex causa infirmitatis, vel alia, quamvis legitima, absunt, non deserviunt Ecclesiæ. ergo &c. 3. Soli illi, qui verè præsentes sunt, non verè, qui fictè, majorem laborem ex aliorum absentia obeunt. ergo conveniens est, ut verè præsentibus, non verò fictè absentium portiones accrescant.

Excipit Passerin. *in cap. un. h. tit. in* 6. *num.* 129. *in fin.* si Canonicus absit ex utilitate Ecclesiæ; quia ex hujus servitio damnum pati non debet, & esse pejoris conditionis, quàm alii, cùm ille non minùs inserviat Ecclesiæ, quàm illi, qui sunt in Choro præsentes. 85

Neque contrarium probant Argumenta opposita. *Ad* 1. dico

1. dico pro præsentibus haberi ad lucrandas Distributiones proprias, non aliorum; cùm enim privilegium ipsis concessum odiosum sit, quippe cedens in diminutionem Cultus Divini, ad quem augendum illæ sunt introductæ, hinc ad Distributiones ab aliis amissas extendi non debet *arg. Reg. Odia* 15. *in* 6. *Ad* 2. Trid. absentium Distributiones concedit iis, qui lucrantur proprias, non tamen omnibus, sed si intersint Divinis. *Ad* 3. textus ille plus non evincit, quàm quòd ita impeditis pars sua obvenire debeat.

86 Quæritur 2. quæ sint causæ, ob quas Distributiones quotidianæ absentibus quoque dari, & competere possint? Resp. *c. un. h. tit. in* 6. tres assignantur, videlicet infirmitas, justa, & rationabilis corporis necessitas, & evidens Ecclesiæ utilitas.

Dub. 1. qualis debeat esse infirmitas, ut ob illam absens lucrari Distributiones possit? Resp. 1. debet esse gravis, talisque, quæ impediat, ne Clericus ad Ecclesiam, & Divina Officia sese conferre possit, ut si laboret podagra, vel alio morbo corporis, si medicinam sumpserit, si venæ sectione usus fuerit &c. Monet. *de distrib. p.* 2. *quæst.* 6. *à num.* 8. Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 53. *n.* 169. Leuren. *for. Benef. p.* 1. *quæst.* 412. *n.* 1. Pal. *tract.* 7. *D.* 3. *p.* 9. §. 1. *n.* 1. Gonz. *in cap.* 7. *h. tit. n.* 7. Vall. *hic num.* 9. Pirh. *num.* 85. Konig. *num.* 31. Vviestner. *num.* 46. Proceditque hoc de infirmitate non solùm illa, quam quis actu patitur, sed etiam, quam timere potest, & vitare cupit, ut cum Barbos. *l. cit.* advertit Pignatell. *tom.* 1. *cons.* 130. *num.* 15. Et hinc Pal. *l. cit. n.* 2. & Bonacin. *D.* 2. *quæst.* 5. *p.* 1. *n.* 3. excusant eum, qui laborat infirmitate de facto quidem levi, ob accessum tamen ad Chorum habitura incrementum grave; nam tali casu morbus levis ob periculum incrementi gravis etiam ipse gravis efficitur.

87 2 Requiritur, ut tali infirmitate detentus, dum integra ipsi valetudo stetit, frequentare Chorum, & adesse Divinis consueverit; nam si adesse non consuevisset, infirmitas non censeretur dare causam absentiæ, & proinde sic absens, etiam durante infirmitate, Distributiones non acciperet, ut contra Petr. Navarr. *l.* 2. *de restitut. cap.* 2. *dub.* 3. *num.* 238. cum communi docent Abb. *in cap.* 15. *h. tit. num.* 5. Covar. *l.* 3. *var. c.* 13. *num.* 8. *vers.* 6. Vivian. *in cap. un. h. tit. in* 6. *vers. etiam quoad infirmos*, Azor. *p.* 2. *l.* 7. *cap.* 7. *quæst.* 11. Pal. §. 1. *cit. num.* 4. Barbos. *Alleg. cit. num.* 167. Pirh. *hic numer.* 68. Konig *num.* 32. *Excipit.* Bonac. *p.* 1. *cit. num.* 12. nisi hujusmodi Clericus, qui antea non solebat interesse Divinis, in infirmitate mutaret mentem, & haberet firmum propositum interessendi; nam tali casu post propositum ita conceptum unica absentiæ causa foret infirmitas.

88 3 Requirunt aliqui, ut talis Clericus præsens sit in loco Beneficii; nam si extra illum existens infirmetur, negant, Distributiones lucrari. Sed meliùs cum Monet. Bonac. Barbos. distinguit Pal. *num.* 6. dum id verum esse concedit de eo, qui absque legitima causa à loco Beneficii abest; de illo autem, qui ex legitima causa discessit, præcisa contraria consuetudine, negat, cùm eo casu infirmitas sit vera causa absentiæ.

4 Requirit Prob. *in cap. un. h. tit. in* 6. *num.* 17. apud Covar. *num.* 8. *cit. vers.* 7. ut morbus talis non ex propria Clerici culpa evenerit: sed contra communem, quæ cum Covar. *vers. cit.* Azor. *quæst.* 11. *cit.* Laym. *l.* 4. *tract.* 3. *cap.* 7. *n.* 2. *vers. alterum*, Barbos. *alleg.* 53. *cit. num.* 168. Pirh. *hic num.* 85. Schambog. *n.* 2. Konig *num.* 32. etiam illi distributiones concedit, qui in ejusmodi infirmitatem propria sua culpa incidit, nisi eo fine ab eo sit procurata, ut abesse possit. Ratio est, quia *cap. un. cit.* distributiones generaliter conceduntur infirmis, & voluntarium illud in causa, tanquam nimis remotum, hic à Jure non attenditur.

89 Dub. 2. quando censeatur adesse rationabilis, & justa necessitas, ut illam patiens excusetur ab assistentia Chori, & nihilominus Distributiones lucrari possit? Resp. tunc, quando aut absolutam impotentiam interessendi habet, aut talem, ut eidem ex assistentia Chori grave damnum vitæ, honoris, aut fortunæ immineat; nam ut Pal. *tract.* 7. *D.* 3. *p.* 9. §. 2. *num.* 1. notat, Ecclesia, tanquam pia Mater, credi non potest obligare suos ministros cum tam gravi eorum damno, aut emolumento privare illos, qui ex tam justa, & rationabili causa ab Officiis Divinis absunt.

In specie autem justam hujusmodi causam habere censetur 1. qui propter senium, aut ob decrescentes corporis vires arbitrio Judicis Divinis interesse nequit. Azor. *p.* 2. *l.* 7. *cap.* 7. *quæst.* 12. Laym. *l.* 4. *tract.* 2. *cap.* 7. *num.* 2. Barbos. *Alleg.* 53. *num.* 164. Leuren. *p.* 1. *quæst.* 412. *num.* 1. Gonzal. *in cap.* 7. *h. tit. num.* 7. Passerin. *in c. un. eod. in* 6. *num.* 91. & hoc teste declaratum est à Cardd. decisumque à Rota.

2 Qui est valetudinarius, ut Medici judicio domi 90 continere se debeat, aut alio se conferre ad officientis sibi aeris inclementiam fugiendam. Monet. *de Distribut. p.* 2. *cap.* 2. *quæst.* 6. *num.* 10. Pal. *p.* 9. §. 2. *num.* 2. *vers. primo*, & *vers. seq.* Pirh. *hic num.* 47. Konig. *num.* 33.

3 Qui in loco illo habet inimicum, cujus reconciliationem facilè obtinere non potest, & à quo timet grave damnum, si assistat Divinis, ut contingit, si in urbe grassetur bellum &c. Monet. *de Distrib. p.* 2. *cap.* 2. *quæst.* 5. *num.* 71. & *seqq.* Bonac. *D.* 2. *quæst.* 5. *p.* 2. *n.* 8. Pal. §. 2. *cit. num.* 2. *vers.* 6. cum reliquis *suprà*.

4 Qui à Choro, vel Beneficii loco abest ob timorem pestis grassantis in illo loco: quod tamen negat Passerin. *in c. un. h. tit. in* 6. *n.* 93. dicens, sic declaratum esse à S. Congr. quia hoc periculum commune est omnibus, ut adeo non videatur esse rationabile, eandem esse rationem eorum, qui in communi periculo adsunt, cum iis, qui, ut illud fugiant, interesse Divinis nolunt.

5 Qui impeditus fuit à Capitulo, aut etiam expulsus, quo minùs cum aliis interesset Choro; si enim sine sua culpa hæc patiatur Clericus, debebuntur ei Distributiones, quas aliàs præsentia sua percepisset, ne sine culpa inferatur alicui gravamen. Leuren. *quæst.* 412. *cit. num.* 3. & 4. Zoes. *hic num.* 13.

6 Idem dicendum de injustè incarcerato. Steph. Gratian. *Discept. for. cap.* 806. *num.* 13. Covar. *l.* 3. *var. c.* 13. *n.* 8. *vers. undecimò*, Quarant. *V. distributiones vers. de Canonico*, Monet. *qu.* 5. *cit. n.* 80. Pal. §. 2. *cit. n.* 3. Barbos. *alleg. cit. n.* 178. cum aliis *suprà*. *Nec refert*, sive in loco Beneficii, sive alibi detineatur, ut rectè advertit Fagn. *in cap. licèt de Præb. num.* 153. contra Covar.

7 Neque excluditur à Distributionibus quotidianis, 91 qui injustè bannitus, in exilium missus, vel excommunicatus, suspensus, aut interdictus est ob eandem rationem; quia sc. corporali necessitate impeditur, quo minùs præsens in Choro sit, timore sc. gravioris mali. Covar. *l. cit. vers. duodecimò*, Garc. *p.* 7. *de Benef. cap.* 13. *num.* 120. Barbos. *alleg. cit. num.* 174. & *seqq.* cum *citt.*

Ut tamen hi Distributiones quotidianas lucrentur, necesse erit, ut, quando tali necessitate non impediebantur, Choro interesse consueverint, ut cum *citt.* rectè monet Matthæucc. *in Official. Cur. Eccl. cap.* 44. *n.* 26. nam si aliàs interesse non fuit solitus, ex hoc, quòd absens privetur Distributionibus, damnum non percipit ratione impedimenti: imò si non privaretur, Excommunicatio: incarceratio &c. licèt injusta, afferret eidem lucrum, quod non est rationis.

Dixi autem, Incarceratum, bannitum, Excommu- 92 nicatum &c. injustè percipere Distributiones posse; nam an eas percipere etiam possit Excommunicatus, suspensus, incarceratus &c. justè, controversia moveri potest. *Videtur posse*, nam, ut *n.* 88. dictum est, eas percipit, qui à Divinis abest ob infirmitatem culpa sua contractam. igitur illas non perdet is, qui crimen commisit, ob quod in carcerem conjicitur; quia non impeditur proximè à præsentia in Choro ob culpam, sed ob pœnam ex culpa resultantem, videlicet incarcerationem, quam ipse vitare nequit.

Sed tenenda est sententia negativa, quam etiam defendunt Covar. *l.* 3. *var. cap.* 13. *num.* 8. *vers. duodecimò*, Garc. *p.* 7. *de Benef. cap.* 13. *num.* 97. & *seqq.* Suar. *de Censur. D.* 13. *sess.* 2. *n.* 16. & 20. Barbos. *Jur. Eccl. l.* 3. *c.* 18. *n.* 72. 74. & 76. Pal. *tract.* 7. *D.* 3. *p.* 9. §. 2. *n.* 4. Zoes. *hic num.* 14. Pirh. *num.* 88. & 89. Vieft. *num.* 48. & colligitur ex *cap. Pastoralis* 53. *fin. de Appellat.* ubi Papa ait, Excommunicato proventus Ecclesiasticos meritò subtrahi, cui Ecclesiæ communio denegatur; nomine autem proventuum Ecclesiasticorum contineri quotidianas Distributiones, decidit Bonifacius VIII. *Extrav. un. vers.* & *quia non occurrit de Decim. int. comm.* Ratio est, quia talis, præsertim si in potestate ejusdem sit, dimissa contumacia mereri veniam, sibi imputare debet, quòd à Divinis Officiis arceatur; nam si ab hac recederet, & satisfacere paratus esset, absolveretur, vel si absolutio indebitè negaretur, ipse quoque lucraretur Distributiones, sicut eas lucratur, qui injustè excommunicatus est.

Ad rationem dubitandi nego paritatem; nam infirmis *c. un. h. tit. in* 6. generaliter, & sine ulla distinctione inter morborum causas, conceduntur Distributiones; incarceratus autem, suspensus, excommunicatus, si absint, percipere illas duntaxat possunt ratione justæ, & rationabilis necessitatis corporalis. atqui qui justè incarcerati, vel censurati sunt, & propterea Divinis adesse nequeunt, non possunt dici abesse ex tali

causa,

causa, ut rectè advertit Monet. *de Distrib. p.* 2. *cap.* 5. *num.* 82.

93 Dub. 3. qualis debeat esse utilitas Ecclesiæ, ut absenti jus tribuat percipiendi Distributiones? Resp. 1. debet esse utilitas evidens; nam dubia utilitas, cessante consuetudine, non concedit jus lucrandi Distributiones, cùm æquum non sit, ut Ecclesia Distributiones concedat ob absentiam fortè sibi damnosam. Pal. *tr.* 7. *D.* 3. *p.* 9. §. 3. *num.* 1.

2 Debet esse gravis utilitas; nam levis à gravi obligatione Divinis Officiis assistendi non excusat. Pal. *num.* 1. *cit.*

3 Debet esse utilitas Ecclesiæ non alienæ, sed propriæ, vel saltem, ut probabiliùs DD. sentiunt, universalis; nam hujus utilitas, cùm communis sit, in omnes particulares Ecclesias redundat, ut proin, qui in ejus utilitatem abest, abesse censeatur ob utilitatem Ecclesiæ suæ.

94 4 Requirunt aliqui, ut sic occupatus in negotio Ecclesiæ suæ sit præsens in loco Beneficii. Ita Covar. *l.* 3. *var. c.* 13. *n.* 8. *vers. octavò*, Gutier. *qq. Can. l.* 1. *cap.* 1. *n.* 144. persuasi textu *c. cùm non deceat* 30. *de elect. in* 6. ubi Clerici accedentes Sedem Apostolicam pro negotiis suarum Ecclesiarum consequuntur fructus illarum, non tamen Distributiones. Sed quia *c. hoc* loquitur in casu speciali absentiæ ob instructionem electionis, *c. un. h. tit. in* 6. autem indistinctè Distributiones ob Ecclesiæ utilitatem absenti attribuit, ideo meliùs cum Pal. *l. cit. n.* 2. dicitur absentiam à loco Beneficii non abesse, si illa in utilitatem propriæ Ecclesiæ cedat.

5 Adjungunt alii, ut Distributiones lucretur in negotiis Ecclesiæ occupatus, requiri, quòd eadem negotia extra tempus Divini Officii non potuerint expediri; nam si expediri potuerunt alio tempore, Beneficiarius verò illa expediat tempore Divinorum Officiorum, negant ei Distributiones deberi. Sed quia *c. un. cit.* privilegium lucrandi Distributiones non limitatur ad eos, qui negotia pro utilitate Ecclesiæ suscepta nulla via prævenire, aut postponere tempori Officiorum Divinorum potuere, ideo dicendum etiam tali casu absentem illas lucrari, cùm negari nequeat, eum tempore Officiorum Divinorum in evidenti Ecclesiæ utilitate occupatum fuisse.

95 *Sed quæres*, quandonam utilitas Ecclesiæ sit ita gravis, & evidens, ut absens Distributiones lucrari possit? Resp. hoc definiendum judicio virorum prudentum, & timoratæ conscientiæ, ut benè advertit Pal. §. 3. *cit. num.* 2.

In specie sic abesse censetur 1. quia Romam mittitur, ut negotia Ecclesiæ suæ agat, vel alio in loco abest; ut defendat Jura suæ Ecclesiæ, Capituli, Beneficii. Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 53. *num.* 171. *& seq.* Bonac. *D.* 2. *qu.* 5. *p.* 2. §. 3. Pal. *l. cit. num.* 10. Passerin. *in cap. un. h. tit. in* 6. *num.* 114. Pirh. *hic n.* 91. Wiest. *numer.* 49.

2 Qui visitat Ecclesiam, Jura, & reditus Præbendæ suæ, v. g. Archidiaconus Archidiaconatum suum; nam tali visitatione detentus lucratur fructus Præbendæ, cujus Jura, & reditus visitat, licèt Divinis eo tempore non intersit. Azor. *p.* 2. *l.* 7. *cap.* 7. *quæst.* 10. *fin.* Barbos. *in c. un. h. tit. in* 6. *num.* 12. Passerin. *ibid. num.* 112. Leuren. *for. Benef. p.* 1. *quæst.* 404. *num.* 3. Zoes. *num.* 12. *hic*, Pirh. *num.* 91. Dixi, *Præbendæ suæ, cujus jura visitat*; nam si Archidiaconus e. g. habet simul Canonicatum, dum visitat Archidiaconatum, non lucratur Distributiones Canonicatus, nisi hic accessoriè sit annexus Archidiaconatui; quia tunc visitatio non cedit in utilitatem Canonicatus. Garc. *p.* 3. *de Benef. cap.* 2. *numer.* 338. Pal. *l. cit. num.* 9. Leuren. *num.* 4. Pirh. *num.* 91. *cit.*

96 Qui Præbendam habet, cui cura animarum annexa est; nam hic, si per seipsum incumbere illi velit pro tempore, quo in Ecclesia Curata resederit, tanquam præsens in Ecclesia Cathedrali, vel Collegiata haberi debet, & conf. Distributiones lucratur, ut decretum est à Trid. *sess.* 22. *cap.* 3. *de reform.* quod intellige, si Canonicatui, vel alteri Præbendæ Ecclesia Parochialis unita, seu incorporata sit; nam de Canonicis habentibus Ecclesias Parochiales extraneas, seu non unitas, hoc non procedit, ut declaratum est à Sac. Congr. Cardd. Trident. Interpp. apud Joan. Gallemart *ibid. num.* 8.

4 Qui ab Episcopo, vel Capitulo mittitur ad visitanda ejus nomine Limina Apostolorum, aut eundem in hac causa comitatur. Ita à Sixto V. *constit.* 17. *& Congr. Concil.* sæpiùs decisum refert Garc. *p.* 3. *de Benef. cap.* 2. *num.* 349.

5 Qui à Capitulo mittitur tanquam Legatus ad Pont. vel Principem ad gratulandum de felici aliquo eventu, quando consuetudo est has fieri Legationes. Bonac. *num.* 11. Pal. *num.* 5. *cit.*

6 Qui à Capitulo mittitur ad Concilium Generale, vel Provinciale tanquam Theologus, Canonista, vel Ecclesiæ suæ Procurator. Bonac. *D.* 2. *de Hor. Canon. qu.* 5. *p.* 3. *num.* 13. Monet. *de Distribut. p.* 2. *quæst.* 11. *n.* 91. Barbos. *Alleg.* 53. *n.* 158. *Pal. n.* 5. *cit.*

7 Qui ab eodem deputatur ad recipiendas rationes 97 redituum, & bonorum Ecclesiæ, Pal. *num.* 6. Leuren. *num.* 7. Pirh. *n.* 91.

8 Qui est Vicarius Generalis, non Episcopi (nam hic potiùs censetur servire Episcopo) sed Capituli, Sede vacante; cùm enim Ecclesiæ sit magis commodum, ut Jurisdictio exerceatur per unum deputatum Vicarium, quàm per totum Capitulum, Officio isto fungens censetur abesse ob utilitatem Ecclesiæ suæ. Garc. *l. cit. num.* 358. Pal. *num.* 7.

9 Obses datus ab Ecclesia, aut etiam Repressaliorum causa captus; quia ob causam Ecclesiæ abest. Monet. *num.* 56. Pal. *num.* 12. Barbos. *num.* 165.

Neque obstat hactenus dictis *c. cùm non deceat* 30. *de elect. in* 6. quod Ecclesiarum suarum utilitatem, & negotia prosequentes dicuntur quidem Beneficiorum suorum fructus integrè percipere, *Quotidianis tamen distributionibus exceptis, &c. de cætero* 7. *h. tit.* ubi Canonicis in Episcopi obsequio absentibus Beneficiorum suorum fructus quidem conceduntur, Victualia tamen, seu Distributiones expressè negantur; dici enim potest Distributiones sic absentibus non deberi Jure communi, quod continent textus *citt.* deberi tamen ex consuetudine, quam *c. un. cit.* approbat Bonifacius VIII. & ita textus istos conciliat Gloss. *in c. un. cit. V. utilitas in addit.* Joan. Andr. *ibid. n.* 4. Covar. *l.* 3. *var. cap.* 13. *n.* 8. *V. octavo*, Azot. *p.* 2. *l.* 7. *cap.* 7. *quæst.* 14. *&c.*

Quæritur 3. an præter tres casus hactenus relatos 98 ii, qui Divinis Officiis non intersunt, recipere Distributiones quotidianas possint? Et quidem 1. dubitatur, an ex privilegio possit aliquis à residentia Chori excusari, & Distributiones in absentia consequi? Resp. posse, sed tantùm per privilegium concessum à Summo Pont. nam inferior in lege Superioris dispensare non potest. Pal. *tr.* 7. *D.* 3. *p.* 9. §. 10. *n.* 2. qui tamen *n.* 3. excipit, si dispensatio solùm fieret ad breve tempus, & ex causa rationabili; hujus enim potestatem ipse concessam fatetur Episcopis.

Tale privilegium habet 1. Pœnitentiarius Ecclesiæ Cathedralis, qui aliis in Choro psallentibus, in Ecclesia excipit confessiones pœnitentium ex Decreto Trid. *sess.* 24. *c.* 8. *in fin. de reform.* & probabiliùs etiam alii Clerici illum ob multitudinem pœnitentium adjuvantes. Monet. *de Distribut. p.* 2. *quæst.* 11. *n.* 68. Pal. *tr.* 9. *cit.* §. 5. *num.* 3. Barbos. *alleg.* 53. *num.* 160. Passerin. *in c. un. h. tit. in* 6. *num.* 116.

2 Canonicus assistens Episcopo in Ecclesia Cathedrali, aut aliis Civitatis locis Pontificalia exercenti ad præscriptum Trid. *sess.* 24. *cap.* 12. *Vers. omnes verò de reform.* & declaratum est à Cardd. teste Fagnan. *in cap. licèt de Præbend. num.* 168.

3 Missam tempore, quò horæ dicuntur, jussu Superioris, & non præcisè suo lubitu, & devotione celebrans, nisi etiam huic Distributiones consuetudo concedat. Leo *Thes. for. Eccl. p.* 2. *c.* 2. *n.* 25. *&* 26. Barbos. *alleg. cit. n.* 134. Passerin. *n.* 69. *&* 163. 99

4 Habens Præbendam Magistralem, vel Lectoralem, cùm in propria Ecclesia concionatur, aut legit; nam hic Distributiones lucratur non tantùm pro tempore, quo concionatur, aut legit, sed etiam pro toto die, quo ad concionem dicit, aut legit, prout concessit Gregorius XIII. & declaratum est à S. Congreg. teste Pal. *p.* 9. *cit.* §. 6. *n.* 1. Passerin. *in cap. un. cit. n.* 115. Matthæucc. *Offic. cur. Eccl. cap.* 44. *num.* 32. Petra *tom.* 4. *comment. fol.* 257. *num.* 53. *& seqq.*

5 Addunt aliqui Auditores Rotæ ex privilegio Clementis VIII. incipit *Convenit* edito *Non. Aug.* 1525. & Inquisitores contra hæreticam pravitatem ex privilegio Pauli III. & S. Pii V. Sed contrarium tenet Passerin. *l. cit. num.* 62. & adducit eandem Bullam Clem. ubi Pontifex expresè negat Auditoribus Rotæ non residentibus, posse percipere Distributiones quotidianas; unde ut has in absentia percipiant, alio privilegio debent esse muniti. Et idem dicendum de Inquisitoribus, prout declaratum est à Cardd. teste Passerin. *l. cit. n.* 63. Petra *tom.* 3. *comment. fol.* 187. *num.* 15.

Dub. 2. utrum Statuto induci possit, ut fructus, & 100 distributiones quotidianas lucrentur etiam illi, qui tribus mensibus, vel ultra illos absunt, pro tempore, quo absunt? Resp. distinguendo, an Statutum hujusmodi factum

ctum sit ab ipso Fundatore Ecclesiæ, an à Capitulo, vel ab Episcopo, seu Ordinario. *Si primum*, tale Statutum valet, prout declaratum est à Cardd. teste Monet. *de Distrib. p. 2. qu.* 13. *à n.* 33. Pal. *p. 9. cit.* §. 11. *n.* 2. *&c.* Ratio est, quia SS. Canones fundationes non immutant, sed illas relinquunt intactas, ne alii à similibus fundationibus avertantur. *Si secundum*, teste eodem Pal. *n.* 3. communis omnium doctrina est, tale Statutum esse invalidum; quia inferior adversùs Superiorem nequit statuere. igitur cùm à Concilio Trid. statutum sit, ut tribus tantùm mensibus Præbendati abesse valeant, & his quidem fructus duntaxat, non autem Distributiones lucrentur, Statutum huic dispositioni contrarium erit invalidum.

101 Patitur tamen doctrina ista limitationes aliquas. Et 1. quidem, si Statutum tale sit confirmatum à Sede Apostolica ex certa scientia, & cum cognitione causæ; tunc enim valet, non quidem ratione statuentis, sed ex Pont. confirmante. 2. si causa sit urgens, nec cogitata per Canones, & Pontifex facilè non possit consuli; sed tunc non tam Statutum, quàm dispensatio vocari debet. 3. si dubium sit, an concessio per Statutum facta non jam comprehendatur sub illa, quæ fit à Jure; tunc enim valebit Statutum, tanquam declaratio Juris dubii. 4. si Ecclesia non habeat Præbendas distinctas à distributionibus; quia tunc potiùs sunt fructus Præbendæ, conf. debentur iis, quibus in absentia Jure communi, vel speciali fructus debentur. 5. quando ex communibus proventibus Capituli, seu ex Mensa Capitulari, ut vocant, aliqua pars deducitur, vel olim deducta fuit pro quotidianis Distributionibus; nam tali casu, ut notat Pirh. *hic n.* 94. probabile est, Statuto, vel consuetudine induci posse, ut, qui ex justa causa absentes sunt, etiam Distributiones percipiant. Rationem dat, quia Distributiones istæ in locum Præbendæ succedunt, conf. naturam istius faciunt. Videatur Pal. §. 11. *cit.*

102 Dub. 3. an possit induci consuetudine, ut absens distributiones lucretur? Resp. distinguendo inter consuetudines, quæ viguerunt ante Trid. & inter illas, quæ post illud inductæ sunt. *Priores* à laudata Synodo *sess.* 24. *c.* 12. *de reform.* sublatas fuisse pro certo haberi debet teste Pal. *tr.* 7. *D.* 3. *p.* 9. §. 12. *n.* 1. dubitat tamen de immemoriali, ex ratione, quod consuetudo immemorialis non censeatur sublata, nisi Constitutio, consuetudinem tollens, ejusdem mentionem expressam faciat; quod tamen non fit à Trid. *l. cit. Posteriori*, seu post Trid. inducta consuetudine jus distributiones percipiendi tribui absenti posse aliis *citt.* affirmat Pal. *dict.* §. 12. *n.* 1. si ex honesta, & rationabili causa fiat; nec sine ratione; nam consuetudine induci potest, quod potest induci per privilegium, atqui privilegio induci potest, ut absentes Distributiones quotidianas lucrentur. igitur etiam hoc obtineri potest per consuetudinem.

103 Talis censetur 1. consuetudo, qua in aliquibus Ecclesiis conceditur Jubilæum absentiæ iis, qui per 40. annos Ecclesiæ inservierunt, ut non tantùm fructus, sed etiam Distributiones possint percipere; nam, ut *n.* 70. dictum est, id introduci potest per speciale Statutum; nec ratio deest, ut sic ostendatur gratitudo pro tam continuo, & perseveranti servitio.

2 Similiter rationabilis erit consuetudo, qua Distributiones conceduntur Canonicis, qui ex legitima, seu à Jure approbata causa, & ad breve tempus à Choro absunt; quia hæc consuetudo honestari potest ex eadem causa, qua honestatur concessio fructuum. Covar. *l.* 3. *var. cap.* 13. *num.* 5. Laym. *l.* 4. *tract.* 2. *cap.* 7. *num.* 3. Pal. §. 12. *cit. num.* 5. Fagnan. *in cap. licèt de præb. num.* 95. *&* 134. Pignatell. *tom.* 1. *conf.* 130. *num.* 3. *& seqq.* Leuren. *for. Eccl. p.* 1. *quæst.* 421. *num.* 5. Pirh. *hic num.* 84. Konig. *num.* 34.

104 3 Sustinenda videtur consuetudo, qua Beneficiarius rediens ex itinere, quod ob negotia Ecclesiæ peragenda instituit, per duos, vel tres dies lucratur Distributiones, etsi ad Divina Officia non accedat; quia post laborem est quiescendum, & ideo sic quiescens negotia Ecclesiæ adhuc videtur agere, Azor. *p.* 2. *l.* 7. *cap.* 7. *quæst.* 5. *Verf. quæres* 2. Passerin. *in cap. un. cit. num.* 167. Leuren. *num.* 5. *cit.* Pirh. *num.* 84. quod extenditur etiam ad profecturum, ita, ut concedantur ei duo, vel tres dies pro præparatione ad iter, quibus pro præsente in Choro habeatur etiam in ordine ad lucrandas Distributiones, ut cum *citt.* monet Pal. §. 12. *cit. n.* 16. *Verf. quod dictum est.*

4 Non minùs introduci potest consuetudo, ut unus Canonicus tempore, quo obligatus est servitio Chori, possit substituere Canonicum alium pro eo tempore non obligatum, & sic distributiones lucrari; quia tali casu Cultus Divinus non imminuitur, sed Chorus frequentatur per substitutum, sicque obtinetur finis, ob quem distributiones sunt introductæ. Pal. §. 12. *cit. num.* 13. Pignat. *tom.* 1. *consult.* 130. per totam, & *num.* 23. citat Bonac. *D.* 2. *quæst.* 1. *p.* 5. *num.* 1. & *qu.* 5. *p.* 6. *num.* 17. attestantes, ita esse usu receptum Romæ. *Neque obstat*, quod tale Statutum fieri nequeat ex Declaratione Card. apud Barbos. *de Canon. & Dignit. cap.* 31. *n.* 4. negatur enim paritas; quia Statutum contra Legem Superioris non admittitur, admittitur autem consuetudo contra Jus.

5. Etsi honestius sit, ipsique juri magis conveniens, ut pro singulis Horis Canonicis, & Missa Conventuali distributiones constituantur, valida tamen est consuetudo, quæ in quibusdam Ecclesiis obtinuit, ut in quibusdam tantùm horis, v. g. in Matutino, & in Missæ Sacrificio Distributionum partitio fiat, sicque qui ibi adest, etsi in cæteris non compareat, Distributiones lucretur. Barbos. *Jur. Eccl. l.* 3. *cap.* 18. *n.* 33. Leuren. *p.* 1. *for. Benef. quæst.* 416. *num.* 2. Pignatell. *consult.* 130. *cit. n.* 9. Pirh. *hic n.* 98.

Dub. 4. utrum Distributiones quotidianæ Canonicis, qui sunt in servitio Papæ, vel Episcopi, aut alia ex causa legitimè impediti sunt, debeantur jure communi, præcisa speciali consuetudine, statuto, vel privilegio? 105
Videntur competere. 1. quia absens ex justa causa non dicitur abesse *cap. ex parte* 13. *h. tit.* præsertim si ob utilitatem publicam absit. 2. infirmi, & servientes propriis Prælatis æquiparantur *cap. ad audientiam* 15. *cod.* sed infirmi tempore infirmitatis lucrantur Distributiones, ut dictum est *n.* 86. 3. tam fructus grossi, quàm etiam Distributiones quotidianæ designantur in stipendium Clericalis officii; ergo sicut occupati in servitio Episcopi lucrantur fructus grossos, ita etiam lucrabuntur Distributiones.

Sed dicendum, eos quidem lucrari fructus grossos, 106
non autem Distributiones quotidianas. Ita aliis *citt.* Gonzal. *in cap.* 7. *h. tit. n.* 3. & constat ex *cap. licèt* 32. *de Præbend. cap. fin. de Rescript. in* 6. *cap. cùm non deceat* 30. *de elect. eod. cap. un. h. t. in* 6. Trid. *sess.* 24. *cap.* 12. *de reform.* ex quibus textibus patet, Distributiones deberi solùm ratione interessentiæ in Divinis Officiis, conf. iis, qui his non intersunt, non debentur, nisi speciali privilegio muniti sint.

Neque contrarium evincunt rationes dubitandi. *Ad* 107
1. aliud est aliquem haberi pro præsente, aliud pro interessente in Divinis Officiis; nam residens in loco Beneficii pro præsente habetur pro toto anno, etsi aliquoties, imò sæpe non intersit Divinis: & hinc etsi fructus grossos lucretur, non tamen percipit Distributiones quotidianas, nisi pro tempore suæ interessentiæ. *Ad* 2. infirmi ad percipiendas Distributiones muniti sunt privilegio, quo non sunt muniti alii, utcunque legitima ex causa absint: unde cùm privilegia trahi non debeant in consequentiam, ab infirmis ad cæteros impeditos non debet fieri illatio. *Ad* 3. negatur paritas; nam fructus grossi deferuntur ratione Beneficii, conf. hos lucratur Beneficiarius, modò in Beneficio resideat eo modo, quo jus requirit; at Distributiones, inspecta natura sua, debentur tantùm ratione interessentiæ, ut proinde qui Divinis non interest etiam inculpabiliter, nisi ex privilegio pro interessente habendus sit, easdem lucrari nequeat.

Dub. 5. an qui in eadem Ecclesia ex privilegio, vel 108
consuetudine obtinet duo Beneficia, v. gr. Præposituram, & Canonicatum, sicut alicubi in Germania nostra solet, simplices tantùm, an verò duplices Distributiones quotidianas debeat recipere? Negant deberi duplices Lud. Gomez *tract. de Exspectat. n.* 54. Azor. *p.* 2. *l.* 7. *c.* 7. *q.* 13. *prop. fin.* Monet. *de Distrib. p.* 2. *qu.* 4. *num.* 6. Zoes. *hic n.* 16. Honor. *n.* 23. Passerin. *n.* 25. & hoc teste responsum est à Sac. Congreg. *die* 7. *Maji* 1602. & Rota *in Seguntina Canonicatus* 6. *April.* 1609. Facit huc 1. textus *l. si plures* 9. *princ. ff. de pact.* ubi dicitur esse difficile, ut unus homo duorum vices sustineat; id quod præcipuè in hac personali præsentia obtinet. 2. Distributiones quotidianæ non dantur ratione Beneficii, sed ratione officii, & muneris, quod quis facit in Ecclesia. ergo duplices distributiones non debentur ei, qui licèt duo Beneficia habeat in eadem Ecclesia, duo tamen munera, & officia simul non obit. 3. talis non magis præsens est, nec plus laborat, quàm qui Præpositus, vel Canonicus tantùm est.

Verùm his non obstantibus, duplices eo casu Distributiones interessenti deberi, affirmant Abb. *in cap. cùm olim* 12. *de sent. & re Judic. num.* 12. Felin. *ibid. n.* 2. Covar. *l.* 3. *var. cap.* 13. *n.* 6. Hojeda *de incompat. Benef. p.* 1. *cap.* 12. *à n.* 15. Vasq. *de Benef. c.* 4. *num.* 22. Barbos. *Jur. Eccl. l.* 3. *c.* 18. *n.* 31. Leuren. *p.* 1. *qu.* 415. & *part.* 3. *quæst.*

quæst. 136. Pirh. *hic num.* 100. Vviest. *num.* 52. *Ratio est*, 1. quia potest quis duplici munere fungi, modò exercitium unius non repugnet alteri, vel alterius usum impediat, ita est de munere Præpositi, & Canonici. ergo &c. 2. talis verè Officiis Divinis præsens est, non tantùm, ut Præpositus, sed etiam ut Canonicus. igitur utroque titulo, conf. duplices Distributiones eidem debentur. 3. si quis in eadem Ecclesia duplicem Dignitatem, vel Præbendam habet, vocem in Electionibus, & cæteris actibus Capitularibus duplicem habere potest *cap. cùm olim cit.* ergo etiam is, qui simul est Præpositus, & Canonicus, si præsens in Choro sit, duplices Distributiones percipiet, cùm jure diversarum personarum gaudeat.

109 In contrarium allata non multùm urgent. *Ad* 1. textus ille intelligendus est, quando jura, & munera diversorum inter se pugnant; si verò non pugnant inter se invicem, nihil prohibet, plura jura, & munera in eandem personam concurrere, ut colligitur ex *l. tutorem* 22. *ff. de his, quæ ut indign. Ad* 2. etsi talis munus, & officium suum non obeat dupliciter, obit tamen illud ut persona duplex: conf. cùm personali assistentiæ debeantur Distributiones, ei, qui assistit in Choro ut persona duplex, debebuntur Distributiones duplices. *Ad* 3. licèt talis non magis sit præsens physicè, quàm is, qui est Præpositus tantùm, tamen est magis præsens moraliter, cùm fungatur duorum munere: quod præsertim locum habet, ubi Canonici in Choro præsentes non per seipsos, sed per Vicarios psallunt.

110 Dub. 6. an absens à Choro distributiones lucretur, si alii Canonici, quibus distributiones absentium competunt, illas eidem donent, vel remittant? Resp. Distinguendo, an Distributiones illæ præsentibus jam obvenerint, an primùm sint obventuræ. *Si primum*, nihil prohibet, eas absentibus donari liberaliter; quia jus illarum præsentibus jam plenè quæsitum est, adeo, ut donare illas, vel alienare in quemcunque possint. Azor. *p.* 2. *l.* 7. *c.* 7. *qu.* 9. *vers. quæres.* Vivian. *in cap. un. h. tit. in* 6. *vers. & qui aliter.* Leuren. *p.* 1. *qu.* 421. *n.* 2. *fin.* Pirh. *hic n.* 102. Schamb. *n.* 15. Vviest. *n.* 55.

111 *Si secundum*, non possunt illas donare, vel remittere absentibus; nam hoc expresse prohibuit Trid. *sess.* 24. *c.* 12. *de reform.* ibi, *Distributiones verò, qui statis Horis interfuerint, recipiant; reliqui, quavis collusione, aut remissione exclusa, his careant:* & ratio sic statuendi fuit, quia alioquin daretur occasio Canonicis se absentandi à Choro sub specie remissionis, seu condonationis, & recuperationis Distributionum. *Proceditque* hoc non tantùm de remissione antecedente amissionem Distributionum, sed etiam de illa, quæ amissionem earum ob neglectam in Divinis præsentiam sequitur, si antecedat actualem ipsarum acquisitionem à præsentibus, ut bene advertunt Garc. *p.* 3. *de Benef. c.* 2. *n.* 427. *& seqq.* Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 53. *n.* 140. Pal. *tract.* 7. *D.* 3. *p.* 9. §. 13. *n.* 6. & his testibus decisum est à S. Congreg. Patet ex Trid. *cap.* 12. *cit.* ubi exclusam vult quamlibet remissionem, & collusionem. ergo non excludit tantùm remissionem Distributionum amittendarum, sed etiam amissarum.

TITULUS V.

De Præbendis, & Dignitatibus.

Cum æquum sit, ut Clerici residentes in Ecclesiis suis, etiam de Altari, cui serviunt, vivant, ne in opprobrium Ordinis Clericalis vel mendicare, vel negotiari cogantur, idcirco iisdem conferuntur Præbendæ, & Dignitates.

§. I.

De Præbendarum, & Dignitatum Ecclesiasticarum Natura & Origine.

S U M M A R I U M.

1 *Vocis Præbendæ diversa acceptio.*
2 *Definitio Præbendæ, seu Beneficii.*
3 4 5 *Explicatio hujus definitionis.*
6 *Signa, unde cognoscitur, quòd aliquid sit Beneficium.*
7 *An Beneficium sit Commenda?*
8 *Capellania?*
9 *Præstimonium?*
10 *Quid dicendum de Hospitalibus?*
11 12 *Et Præceptoriis, seu Commendis Ordinum Militarium?*

Quæritur 1. quid nomine *Præbendæ* hoc loco veniat? 1
Resp. *Præbenda* à *Præbeo* dicitur, quia præbet Ministris, & Officialibus Ecclesiæ alimoniam suam. Sic genericè accepta duplex est, *Temporalis*, & *Spiritualis*. *Illa* est, quæ sive Clerico, sive Laico ex reditibus Ecclesiasticis datur pro labore, seu officio temporali, v. g. Cantori, Æditup, Advocato, Magistro &c. *Ista* verò est jus percipiendi proventus Ecclesiasticos ratione Canoniæ, vel officii Spiritualis. Et iterum dupliciter potest accipi, videlicet aliquando *specificè* & *strictè* pro præbenda annexa Canonicatui sive Cathedralis, sive Collegiatæ Ecclesiæ. Aliquando *genericè*, & *latè* pro Beneficio Ecclesiastico qualicunque: & in hoc sensu Præbenda, & Beneficium Ecclesiasticum, saltem inferius, convertuntur. *Inferius*, inquam; nam si propriè velimus loqui, *Præbendæ* nomen Beneficia inferiora solùm includit, Majora autem *Dignitates* dicuntur. Hinc in præsenti Rubrica signatè ponitur *De Præbendis & Dignitatibus*, non obscurè innuendo Præbendam distingui à Dignitate. Sæpe tamen Beneficium, & Præbenda cum Dignitate confundi solent: & in hoc sensu.

Quæritur 2. quid sit *Præbenda*, seu *Beneficium Ecclesiasticum*? Resp. *Est jus perpetuum percipiendi reditus ex bonis Ecclesiasticis propter aliquod servitium spirituale, authoritate Ecclesiæ constitutum.* Ita Garc. *de Benefic. p.* 2. *cap.* 2. *num.* 2. Azor. *p.* 2. *l.* 3. *cap.* 1. *qu.* 2. Less. *l.* 2. *de Just. cap.* 34. *num.* 1. Laym. *l.* 4. *Theol. tr.* 2. *cap.* 1. *n.* 1. Pal. *tract.* 13. *D.* 1. *p.* 1. *n.* 1. Vallens. *de Benef. l.* 1. *tit.* 1. *n.* 12. Barbos. *Jur. Eccl. l.* 3. *cap.* 4. *num.* 8. cum communi cæterorum. *Beneficium* appellatur; quia nemini in particulari stricto Jure Justitiæ debetur, sed est gratuita concessio, sive gratia. 2

Dicitur 1. *Jus;* quia Beneficium numeratur inter res incorporales. Debent autem in Beneficio duplicis generis Jura distingui. *Unum*, quod est simpliciter, ac per se spirituale, videlicet jus officii, seu potestas exercendi muneris Spiritualis, quatenus id Ecclesiæ Ministro competit. *Alterum* secundum se temporale est, quia ad reditus temporales porrigitur, quos percipiendi potestatem tribuit; dicitur tamen etiam ipsum spirituale, quia tale est in radice, quæ spiritualis est, cùm oriatur ex Officio Spirituali, propter quod Beneficium datur Clerico. Pal. *p.* 1. *cit. num.* 2. Hæc duo Jura separari à se invicem possunt; nam fieri potest, ut quis Jus spirituale, e. g. Canoniam habeat; etsi nullos accipiat reditus; contrà fieri sæpe solet, ut quis habeat reditus Ecclesiasticos, non tamen ob munus spirituale, sed aliam ob causam, v. g. ad litterarum studia; ad bellum contra Infideles, in remunerationem meritorum, propter officium cantandi &c. Laym. *cap.* 1. *cit. num.* 3. *vers. porro.*

Dixi 2. *Percipiendi reditus;* nam hoc solum Jus Beneficium formaliter constituit, non prius officii, quippe quod solùm est fundamentum illius, & causa. Ex quo *sequitur* 1. posse dari Canonicum sine Præbenda; Canonicum enim non Præbenda, sed titulus per collationem Juris spiritualis acquisitus facit: patet ex definitione Canoniæ, seu Canonicatus, Canonia enim, ut Gonzal. *in c.* 1. *h. tit. n.* 12. Zoes. *hic n.* 3. Schambog. *n.* 2. Engl. *n.* 1. *vers. dico* 1. cum aliis rectè advertunt, est Jus Spirituale, quod ex electione, collatione, vel institutione, & receptione alicujus in Canonicum oritur, ac tribuit stallum, sive sedem in Choro, ac vocem, & jus suffragii in Capitulo, siquidem in Sacris sit constitutus. *Sequitur* 2. Canonicum talem, qui Præbendam non habet, Canonicum quidem verè esse, Beneficiarium tamen dici non posse; quia jus percipiendi reditus, in quo ratio Beneficii consistit, solùm remotum habet. *Sequitur* 3. posse in aliqua Ecclesia esse majorem numerum Præbendarum Canonicalium, quàm Canonicorum, & contra horum majorem, quàm Præbendarum; fieri enim potest, ut Præbenda aliqua competat alicui non Canonico, & contrà Canonicus aliquis nullam Præbendam habeat. Gloss. *in capit.* 25. *vers. tredecim Præbendarum* junct. *Addit. hoc titul. in* 6. Ancharan. *ibidem in princip.* Pirh. *hic numer.* 269. 3

Dixi 3. *Perpetuum:* quæ vox duobus modis explicari potest: *uno*, ut sit perpetuum in ipso Beneficiato, ita, ut huic, postquam ipsi legitimè collatum est, auferri sine gravi, & legitima causa nequeat; *altero*, ut perpetuum duntaxat sit in ipso Beneficio, quatenus collatori quidem liberum sit illud auferre, non aliter tamen, quàm ut ablatum uni illud alteri conferat. Utro ex his duobus modis Jus percipiendi reditus perpetuum esse debeat, difficultas est: *primo modo* debere esse perpetuum, videtur colligi ex *can. fin. dist.* 70. ibi: 4

In qua Ecclesia quilibet titulatus est, in ea perpetuò perseveret, & urget etiam ratio; nam Pensiones, & Vicariæ temporales ex eo solùm capite à ratione Beneficii excluduntur, quòd Jus percipiendi reditus ex Beneficio titulo Spirituali quidem, sed non perpetuum tribuant. *Contra altero modo* perpetuum esse ad Beneficii constitutionem sufficere, DD. consensus evincit, qui Beneficiorum numero adscribunt Beneficia Manualia, & Regularia, licèt revocari ad nutum possint, & nullum jus perpetuum Beneficiario tribuant: imò, ut *cap. si gratiosè 5. de rescript. in 6.* innuitur, Beneficia omnia temporalia fieri à Papa possunt. Verùm hæc difficultas ope distinctionis resolvi potest, si dicatur, ad rationem Beneficii simpliciter talis sufficere, ut tribuat jus perpetuum secundo modo; ut verò sit Beneficium strictè, prout illud communiter accipiunt SS. Canones, requiri, ut tribuat jus perpetuum primo modo. Ita Azor. *p.* 2. *l.* 3. *cap.* 26. *quæst.* 12. Less. *l.* 2. *de Just. cap.* 34. *numer.* 3. Laym. *l.* 4. *tract.* 2. *cap.* 1. *num.* 1. Vall. *de Benef. l.* 1. *tit.* 1. *num.* 6. Pal. *tract.* 13. *D.* 1. *p.* 1. *num.* 5. Leuren. *for. benef. p.* 1. *sess.* 1. *cap.* 1. *quæst.* 4. Illsung. *tract.* 5. *D.* 2. *num.* 173. Pirh. *hic num.* 3. Schambog. *n.* 3. Vviest. *num.* 6. & novissimè Clariss. P. Schmier *tract. de person. reb. & Jurib. Eccl. p.* 2. *cap.* 3. *num.* 8. *& duobus seqq.* Neque aliud probant Argumenta opposita; nam 1. *can. fin. cit.* solùm loquitur de Beneficio strictè dicto, quod in Titulum confertur. 2. Pensiones, & Vicariæ temporales à ratione Beneficii in hoc aberrant, quòd nec in se perpetuæ sint, sed vel per mortem, vel per ablationem arbitrariam omnino cessent. 3. Beneficia Manualia, & Regularia contra in numero Beneficiorum connumerantur; quia etsi Beneficiato jus perpetuum nullum tribuant, in se tamen perpetua sunt, & licèt auferri pro arbitrio possint, ablata tamen necessariò debent conferri alteri.

5 Dixi 4. *Ex bonis Ecclesiæ;* nam bona immobilia, & alia dominia, ac Jura, ex quibus Beneficiorum percipiuntur reditus, ad particulares quasque Ecclesias pertinent; sunt enim bona Universitatis: eorum verò administratores, & curatores sunt Episcopi, aliique Ordinarii Ecclesiarum tum Sæcularium, tum Regularium Rectores, ut docet S. Thom. 2. 2. *qu.* 43. *art.* 8. *in Corp.*

Dixi 5. *Ratione Officii Spiritualis;* quo fit, ut siquis ex bonis Ecclesiæ proventus, & reditus annuos colligat, atque percipiat, non ob aliam causam, nisi tanquam mercedem pro temporali aliquo, profanoque ministerio, is nequaquam Beneficiarius, aut Beneficio provisus dici possit.

Dixi 6. *authoritate Ecclesiæ constitutum*; neque enim ulli Laico competit potestas ejusmodi reditus percipiendi jus annectendi perpetuò Officio Spirituali. Less. *cap.* 34. *cit. num.* 4. Pal. *p.* 1. *cit. num.* 3. Pirh. *num.* 6. Konig *num.* 20. Vviest. *num.* 3. Ex quo sequitur, tametsi aliquis sive Laicus, sive Clericus privatus certas Missas, vel Anniversarium etiam in perpetuum fundarit, eisque stabiles assignarit reditus, nisi tamen Episcopi, vel alterius Ordinarii authoritas intercedat, eam fundationem non Beneficium Ecclesiasticum, sed piam solummodo donationem, aut Legatum fore, nec Beneficii nomine comprehendi, quoties in Jure, vel litteris Papalibus de Beneficio mentio fit. Barbos. *Jur. Eccl. l.* 3. *cap.* 4. *num.* 15. Van Espen *Jur. Eccl. p.* 2. *tit.* 18. *cap.* 1. *num.* 22. Engl. *hic numer.* 1. *vers. dico* 4. Vviest. *num.* 3. *cit.*

6 Quæritur 3. unde dignoscatur aliquid esse Beneficium Ecclesiasticum? Resp. dignosci ex variis, ut refert Vallens. *l.* 1. *de benef. tit.* 1. *num.* 7. 1. Ex persona providentis, seu conferentis, puta, si consueverit conferri authoritate Episcopi, vel alterius Prælati Ecclesiastici; nam Beneficia Ecclesiastica Jure communi non nisi authoritate Episcoporum, aliorumque Ecclesiæ præfectorum tribuuntur *cap. Messana* 56. *de elect.* 2. Ex persona ejus, cui confertur, veluti quia confertur soli Clerico; nam Beneficium, ut dictum est, Spirituale est, ac proinde Laicus ejus incapax. 3. Ex onere Spirituali ipsi annexo; quia, ut dixi, Beneficium datur propter officium, & ministerium Spirituale. 4. Ex modo providendi, ut quia in titulum datur, item purè, & sine pacto, modo, vel conditione, quæ ex natura Beneficii non insit, nec pro commodo, seu pretio temporali, ut infrà *num.* 74. *& seqq.* dicetur. 5. Ex stabilitate Juris ad redituum perceptionem, quod Jus in Beneficii collatione acquiratur; nam ut *num.* 4. dictum est, Jus istud debet esse perpetuum saltem ex natura sua, & in se, quamvis si Beneficium sit Manuale, perpetuum illud non sit in ipso Beneficiario. Ex quibus omnibus facilè solvuntur dubia, quæ sequuntur.

Dub. 1. an *Commenda* sit Beneficium? Resp. distinguendo; nam duplex Commenda est, una *Perpetua*, qua Ecclesia, vel Beneficium alicujus Clerici custodiæ, administrationi, & curæ committitur in perpetuum, seu quamdiu is vivit. Altera *Temporalis*, qua Beneficium, vel Ecclesia commendatur solùm ad certum tempus, v. g. quamdiu Rector ejusdem abest, vel donec loco defuncti, vel depositi alius novus instituatur. De *priore*, nempe *Perpetua*, non est dubium, quòd sit Beneficium, vel saltem Beneficio æquiparetur, ut rectè Gonzal. *in Reg.* 8. *cancell. Gloss.* 5. §. 8. *à num.* 1. Barbos. *Jur. Eccl. l.* 3. *cap.* 9. *à num.* 22. Konig *hic numer.* 26. Vviest. *numer.* 9. & novissimè Clar. P. Schmier *de pers. reb. & Jur. Eccl. p.* 2. *cap.* 3. *num.* 24. Ratio est, quia ejus concessio vim, & effectum Tituli præbet, adeo, ut hujusmodi Commendatarius, non secus, ac verus Rector, jus omne in Beneficio ita sibi commendato habeat, possitque non tantùm fructus ex illo percipere, sed etiam illud in favorem tertii resignare, permutare, possessiones, & bona illius locare &c. 7

Secus dicendum de *posteriore*, seu *Commenda temporali;* nam licèt Commendatarius Beneficii sibi commendati Jura ad tempus exercere, & de fructibus ejus portionem sibi assignatam detrahere possit, Titulum tamen, & Jus in re ex tali Commenda nullum acquirit; & propterea etiam resignare talem commendam in alterius favorem nequit, sed si retinere illam non velit, solummodo in Superioribus manibus simpliciter dimittere eandem potest. Flamin. *de Resign. l.* 2. *qu.* 17. *num.* 6. & 7. Barbos. *cap.* 9. *cit. num.* 18. P. Konig *n.* 26. P. Vviest. *num.* 10. P. Schmier. *num.* 23.

Dub. 2. an *Capellania* sit Beneficium? Resp. *Capellania*, prout illam cum communi definit Vasq. *in* 3. *p. D.* 234. *num.* 25. est onus annuatim, vel hebdomadatim, unam, vel plures Missas celebrandi in certa Ecclesia, vel Altari. Sunt duplicis generis; nam quædam, interveniente authoritate Episcopi, vel alterius Superioris Ecclesiastici, quasi Episcopalem potestatem habentis, authoritate fundatæ, erectæque sunt; aliæ sine hac, sola fundatorum nominatione, seu vocatione conceduntur Clericis. Illæ *Collativæ*, hæ *Electivæ*, seu *Simplices* appellantur. 8

Posteriores, seu *Simplices Capellaniæ*, etsi à Clericis, ex fructibus eorum Ecclesiasticis fundatæ sint, & collatæ etiam in perpetuum, aliaque omnia ad Beneficium requisita habeant, Beneficia tamen non sunt; quia authoritate Ecclesiastica erectæ, & constitutæ non sunt. Azor. *p.* 2. *l.* 3. *cap.* 8. *quæst.* 3. Laym. *l.* 4. *tract.* 2. *cap.* 4. *num.* 6. Vallens. *l.* 1. *de benef. tit.* 1. *num.* 9. Pal. *tract.* 13. *D.* 1. *p.* 6. *num.* 1. Barbos. *Jur. Eccl. l.* 3. *cap.* 5. *numer.* 3. Leuren. *for. Eccl. p.* 1. *sess.* 1. *cap.* 3. *quæst.* 86. *num.* 2. Pirh. *hic num.* 15. Engl. *num.* 3. Vviest. *numer.* 11. & novissimè P. Schmier *p.* 2. *cit. cap.* 3. *num.* 20.

Quoad *Priores*, seu *Collativas* est distinguendum: Vel enim authoritate Ecclesiastica intercedente collatæ sunt in Titulum perpetuum, vel solùm revocabiliter. *Si primum*, propriè, & strictè dicta Beneficia sunt. *Si secundum*, Beneficia quidem sunt, sed minùs propriè, & strictè dicta, prout cum *citt.* advertit Konig *hic n.* 25. & patet ex dictis *num.* 4.

Dub. 3. utrum *Præstimonia* sint Beneficium? Resp. *Præstimonia*, seu, ut alii vocant, Præstimoniales pensiones sunt stipendia, seu proventus annui de bonis Ecclesiasticis detracti: ex primæva, & antiqua sua institutione deputabantur in sustentationem Juvenum in studiis versantium, vel aliorum pro fide, ac Religione decertantium; nunc ex plurium Ecclesiarum consuetudine Canonicis, & aliis Clericis præstari solent. Azor. *p.* 2. *l.* 3. *cap.* 7. *quæst.* 1. Gonz. *Gloss.* 5. *cit.* §. 2. *à num.* 3. Barbos. *Jur. Eccl. l.* 3. *cap.* 8. *num.* 1. Pirh. *hic num.* 12. Vviest. *num.* 13. & communiter cæteri. 9

An Beneficiis accensenda sint, controvertitur inter DD. Sed lis hæc componi ope distinctionis potest, qua cum *citt.* utuntur Hojeda *de incompat. Benef. p.* 2. *cap.* 8. *num.* 12. Flamin. *de Resign. l.* 2. *quæst.* 1. *à num.* 124. Vallens. *l.* 1. *de Benef. tit.* 1. *num.* 10. P. Konig *hic num.* 27. P. Schmier *cap.* 3. *cit. num.* 21. *&* 22. Vel enim talia sunt, ut Laicis æquè, ac Clericis, & his sine spiritualis obsequii obligatione concedi possint, vel contrà spirituale obsequium annexum habent, & in Titulum perpetuum conceduntur.

Si primum, indubitatò Beneficii Ecclesiastici nomen non merentur, ut patet ex definitione Beneficii *n.* 2. tradità. *Si secundum*, Beneficiis accensenda esse ex eadem definitione constat: atque de his intelligi debent Constitutiones Apostolicæ, quibus irritæ referuntur collationes, & concessiones super Præstimoniis, Ecclesiis

Paro-

Parochialibus, & aliis quibuscumque Beneficiis Ecclesiasticis vacaturis factæ *c. fin. princ. de concess. Præbendar.*

10 Dub. 4. quid dicendum de Hospitalibus? Resp. etiam in his est adhibenda distinctio; nam aliqua ex illis Ecclesiæ, aut alteri Beneficio accessoriè unita sunt, alia sine hujusmodi unione per se consistunt. *De prioribus* certum est, quòd Beneficiorum comprehendantur numero; quia accessorium sequitur naturam sui principalis *per Reg. Accessorium* 42. *de R.J. in* 6. Et idem dicendum, si Beneficiis æquè principaliter unita sint, ut cum Rebuffo rectè advertit Gonz. *in Reg.* 8. *gloss.* 5. §. 4. *num.* 16. Vall. *tit.* 1. *cit. num.* 11. Pirh. *tit. de Relig. domib. n.* 16. & *hic n.* 12. Vviest. *n.* 6.

Quoad posteriora altera distinctio est adhibenda; nam si talia sint, ut ex fundatione, vel ordinatione publica conferantur Clericis tantùm per viam electionis à Superiore confirmandæ, iterum non est dubium, quòd Beneficii nomine venire debeant, ut ex Beneficii definitione liquet. Si verò sint talia, ut vel promiscuè pro Clericis, & Laicis, vel solùm pro istis sint ordinata, rursus certum est, Beneficia nequaquam esse, etsi Ecclesiastica authoritate erecta sint, & Ecclesias, Capellas, Cæmeteria &c. habeant; quia per hoc loca quidem Religiosa fiunt, non tamen Beneficia, de quorum essentia est, ut Clericis tantum conferri possint. Selva *de Benef. part.* 1. *q.* 3. *num.* 9. Rebuff. *de Nominat. q.* 15. *num.* 16. Garc. *par.* 1. *de Benefic. c.* 3. *num.* 1. Pal. *tr.* 13. *D.* 1. *p.* 7. *n.* 4. Vallens. *de Benef. l.* 1. *tit.* 1. *num.* 11. Barbosa *in Clem.* 2. *h. tit. num.* 2. Pirh. *hic num.* 16. Vviest. *n.* 15. & colligitur ex *Clem.* 2. *cit.* ubi negatur Litteras Apostolicas, expeditas super provisione Clericorum de Beneficiis, porrigi ad Hospitalia: imò hujusmodi Hospitalium gubernatio *Clem.* 2. *de Relig. Domib.* §. *ut autem* prohibetur conferri Clericis, sed jubetur committi aliis providis, idoneis, & boni testimonii viris; ut proinde, qui illa obtinent, non Beneficium, sed officium duntaxat, & administrationem ad instar Tutorum, & Curatorum habere censeri debeant, ut dicitur §. *cit.* & *l. orphanotrophos* 32. *C. de Episc. & Cler.*

11 Dub. 5. an Beneficia sint Præceptoriæ, seu Commendæ Ordinum Militarium S. Joannis Jerosolymitani, S. Mariæ Teutonicorum &c. quæ Equitibus istorum assignari solent, ut ex reditibus, qui ex bonis earum proveniunt, partem aliquam convertant in peregrinorum receptionem, curam ægrorum, aut egenorum Eleemosynas, aliam impendant in certos sui Ordinis usus, residuum sibi sumant in stipendium sustentationis, & mercedem laboris, ac operæ suæ?

A Beneficiorum numero illas excludunt Tholos. *Synt. l.* 15. *c.* 34. *n.* 2. Mandos. *in Reg.* 16. *Cancell. q.* 51. *n.* 3. Barbos. *Jur. Eccl. l.* 3. *c.* 7. *num.* 9. & alii ab his *citt.* & videtur istud probari ex triplici ratione. 1. Quia in hujusmodi Præceptoribus, & Commendatariis nullus Ordo, etiam Minor, & ne quidem Tonsura exigitur, ut proinde tanquam Laici incapaces Beneficiorum sint. 2. Quia Præceptoriæ, & Commendæ istæ non conferuntur ratione officii Spiritualis, sed operæ tantum, & servitii temporalis, sc. militiæ, & administrationis bonorum. 3. Quia etiam non conferuntur in Titulum perpetuum, sed auferri possunt.

12 Sed dicendum, etsi dictæ Commendæ, & Præceptoriæ non sint Beneficia strictè dicta, esse tamen Manualia. Ita Rebuff. *de Nominat. q.* 15. *num.* 16. Flamin. de *Confident. qu.* 17. *n.* 2. Garc. *p.* 1. *de Benef. c.* 4. *à n.* 1. Corras. *p.* 1. *de Benef. c.* 3. *n.* 2. Lotter. *de Benef. l.* 1. *c.* 36. *n.* 3. Vallens. *l.* 1. *tit.* 1. *n.* 12. P. Vviest. *hic n.* 18. & novissimè Clariss. P. Schmier *de Perf. reb. & Jur. Eccl. p.* 2. *c.* 3. *n.* 25. *&* 26.

Neque aliud probant Argumenta opposita. *Ad* 1. licèt hi Equites, & Commendatores, quòd Ordinibus, & prima Tonsura careant, propriè non sint Clerici, sunt tamen personæ Ecclesiasticæ, quia Religiosi sunt *c. cùm & plantare* 3. *de privil. Ad* 2. quamvis opera, quam præstant Ecclesiæ, & ob quam Commendæ hujusmodi ipsis conceduntur, sit temporalis, finem tamen Spiritualem habet; quia conceduntur pro Fidei, & Religionis Christianæ adversus ejusdem hostes defensione. *Ad* 3. quòd Commendæ istæ auferri Commendatariis possint, non impedit, quin Manualia saltem sint, cùm ex institutione sua sint perpetuæ, & postquam uni ablatæ sunt, alii necessariò conferri debeant.

§. II.

De Varietate Beneficiorum Ecclesiasticorum.

SUMMARIUM.

13 *Divisio Beneficii in Sæculare, & Regulare.*
14 *In dubio potiùs censetur esse sæculare.*
15 16 17 18 *Requisita, ut Beneficium Sæculare via præscriptionis migret in Regulare, & vicissim.*
19 20 21 22 *Quibus casibus Beneficio Sæculari præfici possit Clericus Regularis, & vicissim?*
23 24 25 26 *An adhuc hodie Regulares absque dispensatione Apostolica capaces sint Ecclesiarum Parochialium Sæcularium?*
27 28 29 *An & quatenus Regulares administrare possint Parochias Monasteriis suis unitas?*
30 *Beneficium Simplex quid?*
31 32 *Duplex sub se continet Beneficia Curata, Officia, Personatus, & Dignitates.*
33 *Advertenda circa Beneficia Duplicia.*
34 *Divisio Beneficii in Manuale, & Titulare.*
35 *In dubio Sæcularia Beneficia præsumuntur esse Titularia.*
36 *Exceptiones.*
37 *Revocatio Manualis fieri validè absque causa potest.*
38 *Divisio Beneficii in Collativum, Electivum, & Mixtum.*
39 *In Patrimoniale, & non Patrimoniale.*

Plures Beneficiorum Divisiones sunt, ut videre est apud Azor. *p.* 2. *l.* 3. *c.* 1. *q.* 4. Tholos. *Synt. l.* 17. *c.* 3. Garc. *p.* 1. *de Benefic. c.* 6. & alios. Ego celebriores aliquot, & in praxi frequentiùs occurrentes seligam. Igitur

Dividitur 1. Beneficium in Sæculare, & Regulare. 13
Sæculare est, quod Clericis Sæcularibus, h. e. nullam alicujus Ordinis Religiosi Regulam professis conferri debet, ac solet. *Regulare*, quod conferendum tantùm est Religiosis, & per hos administrandum, ut sunt Abbatia, Prioratus, Canonicatus Regularis, & aliquando Parochiæ. Azor. *p.* 3. *l.* 3. *c.* 1. *q.* 4. *p.* 1. *de Benef. cap.* 6. *n.* 11. Hinc nata est communis Regula, juxta quam beneficium Sæculare regulariter prohibetur conferri Clerico Regulari, & vice versa beneficium Regulare Clerico Sæculari, ut colligitur ex *can. in bona* 22. *caus.* 16. *q.* 7. *cùm de Beneficio* 5. & *c. cùm singula* 32. *h. t. in* 6. *Clem.* 1. *de Elect.* Ratio est, quia minus conveniens est, ut homines dispares professionis, vel habitus simul in iisdem Ecclesiis socientur.

Dub. 1. quale præsumendum sit esse beneficium aliquod, Sæculare, an Regulare? Resp. in dubio censetur beneficium esse potius Sæculare, quàm Regulare, ut notat Gonzal. *in Reg.* 8. *Cancell. gloss.* 7. *num.* 1. Garc. *p.* 1. *de Benef. c.* 6. *n.* 12. Sanch. *l.* 7. *mor. c.* 29. *n.* 11. Less. *l.* 2. *de Just. c.* 34. *num.* 8. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 4. *n.* 3. *vers. denique addendum*, Vallens. *de Benef. l.* 1. *tit.* 2. *num.* 6. Barbos. *in c.* 5. *h. tit. in* 4. *n.* 14. Passerin. *ibidem num.* 7. Et hinc, qui asserit beneficium aliquod Regulare esse, in dubio probare illud debet, ut cum *citt.* rectè advertunt Pal. *tr.* 13. *D.* 1. *p.* 2. *num.* 2. Pirhing *num.* 8. Vviest. *num.* 19. Probari autem hoc potest ex triplici capite. 1. Ex prima institutione, sive litteris fundationis, in quibus ita cautum reperitur, ut beneficium aliquod conferatur tantùm Regularibus, & ab his administretur. 2. Ex privilegio, ex quo nonnullæ Parochiæ Regularia beneficia effecta sunt, dum pleno jure alicui Monasterio, vel Domui Religiosæ subjectæ sunt. Dixi *pleno Jure;* nam ad hoc, ut Beneficium aliquod Regulare sit, non sufficit, quòd ejus collatio, vel Præsentatio ad Regulares spectet, neque quòd ipsi Religioni, vel Monasterio quocumque modo unitum sit (quia hæc omnia etiam Sæculari Beneficio possunt competere) sed necessarium est, ut etiam per Regulares administretur. Pal. *n.* 2. Passerin. *n.* 6. 3. Ex præscriptione legitima *c. cùm de Beneficio cit.* 14

Dub. 2. quid requiratur, ut via præscriptionis Beneficium Sæculare transeat in Regulare, aut vicissim? Resp. 1. requiritur possessio pacifica per legitimum tempus continuata. Et quidem ad hoc, ut Sæculare transeat in Regulare, quadragenariam exigi facilè concedunt DD. omnes. Ut verò Regulare transeat in Sæculare, aliqui cum Gomez *de Expectat. n.* 106. volunt sufficere decennalem ex ratione, quia, ut *num. præced.* dictum est, quælibet Beneficia in dubio præsumuntur Sæcularia; quælibet autem res faciliùs revertitur ad primævum statum, quàm ut eundem exuat. ergo &c. 15

Sed

Sed parum stringit hoc argumentum; nam multa Beneficia initio statim ex fundatione sunt Regularia, quæ proinde, dum mutantur in Sæcularia, ad primævum suum statum non redeunt: & esto, fuerit hujusmodi Beneficium initio Sæculare, dum superveniente præscriptione, mutatum est in Sæculare, status ille primævus ita extinctus fuit, ac si nunquam fuisset. Dicendum igitur probabilius etiam tunc requiri possessionem quadragenariam, quando Beneficium Regulare transit in Sæculare. Ita Tholos. *Synt. l.* 17. *cap.* 3. *n.* 7. Azor. *p.* 2. *l.* 3. *c.* 26. *q.* 3. Garc. *p.* 7. *de Benef. c.* 10. *n.* 35. Gonz. *ad Reg.* 8. *Cancell. gloss.* 7. *num.* 36. Sanch. *l.* 7. *mor. c.* 29. *num.* 17. Pal. *tr.* 13. *D.* 1. *p.* 3. §. 4. *n.* 3. Barbos. *Jur. Eccl. l.* 3. *c.* 4. *num.* 45. *&* 46. Leuren. *for. Benef. p.* 1. *f.* 1. *c.* 2. *num.* 38. & colligitur ex *c. cùm de Beneficio* 5. *h. tit. in* 6. Ratio est, quia universim adversus loca sacra, & Religiosa non completur præscriptio, nisi 40. annorum spatio *c. de quarta* 4. *c. ad aures* 6. *de præscript. Auth. quas actiones C. de SS. Eccl.*

16 2 Requiritur, ut possidentes tale Beneficium in eo sint instituti; nam sine institutione Beneficium obtineri non potest. *Reg. Beneficium* 1. *in* 6. Neque sufficit institutio qualiscumque, sed requiritur. 1. Ut instituti in eo sint, tanquam Rectores ejusdem; neque enim suum statum amittere Beneficium potest, si unus, vel plures illud rexissent solùm ut Vicarii, vel conductitii Clerici. Pal. §. 4. *cit. num.* 5. Passerin. *v.* 32. & ratio est, quia Vicarius possidet Beneficium non suo, sed alieno nomine; cons. pro se non potest statum illius præscribere. 2. Ut Clericus Sæcularis Regulare Beneficium administraverit tanquam Sæcularis, & Regularis Sæculare tanquam Regularis; nam si Regularis præficiatur Ecclesiæ Sæculari, non ut Regularis, sed instar Clerici Sæcularis, Status Beneficii Sæcularis etiam quadragenaria possessione non immutabitur. Pal. *n.* 5. *cit.* 3. Ut beneficium Sæculare Regulari, & vicissim non sit collatum ex dispensatione; dispensatio enim statum non mutat: cons. nec possessio, quæ illi innititur. Pirh. *hic n.* 122. & *ibi citt.*

17 3 Requiritur bona fides, & titulus. Et quidem, quòd bona fides sit necessaria, clarum est; quia malæ fidei possessor nullo unquam tempore præscribit. Quoad Titulum videndum est, an beneficium, quod ex natura sua est Regulare, transeat in Sæculare, aut vicissim, an verò quòd ex natura sua est Sæculare, ut Parochiale, ex Regulari redeat ad statum Sæcularem, & quod ex natura sua est Regulare, ut Abbatia, Præpositura, Prioratus &c. in Monasterio, redeat ad statum Regularem. *Si primum*, præter 40. annorum possessionem pacificam opus est Titulo, cùm sine hoc talis beneficii non habeatur legitima possessio, vel si Titulus non adsit, opus est tempore immemoriali, quo inducatur præsumptio Tituli. *Si secundum*. Titulo non est opus, sed hic supponitur, cum facile res quæque ad statum suum primævum redeant.

18 4 Secundum aliquos requiritur, ut Beneficium conferatur animo, & intentione velut imprimendi alium statum Beneficio, dicendo, *Confero tibi Beneficium Sæculare*. Sed ut bene advertit Passerin. *in c.* 5. *hoc tit. in* 6. *n.* 24. hoc cum requisito *prioris num.* non videtur concordare; videtur enim tolli bona fides, si conferens, & collatarius sciant Beneficium sibi collatum ut Regulare Sæculare esse, nisi in potestate conferentis sit facere Regulare, quo casu præscriptione non est opus, cùm eo momento Regulare efficiatur. Oportet quidem, ut conferens intendat Regularitatem, quia oportet, ut intendat conferre Beneficium ut Regulare; sed non est necesse, ut sciens statum Beneficii imprimere eidem velit statum contrarium. Videantur de his latius Garc. *p.* 7. *de Benef. cap.* 10. *à n.* 34. Sanch. *l.* 7. *mor. c.* 29. *à n.* 16. Pal. *tr.* 13. *D.* 1. *p.* 3. §. 4. *n.* 5. Barbos. *l.* 3. *Jur. Eccl. c.* 4. *n.* 68.

19 Dub. 3. utrum Beneficiis Sæcularibus præfici possint Clerici Regulares, aut vicissim Regularibus Beneficiis Sæculares? Dixi *supra n.* 13. fere, & ordinariè Sæcularibus Beneficiis præficiendos Clericos Sæculares, & Regularibus Regulares: unde colligitur contrarium fieri ex rationabili causa posse.

Et 1. quidem potest Beneficium Sæculare conferri Clerico Regulari, & vice versa Clerico Sæculari Beneficium Regulare per plenitudinem potestatis Papalis *c. cùm de Beneficio* 5. *hoc tit. in* 6. notat Ancharan. *ibid. n.* 3. Garc. *p.* 7. *de Benef. c.* 10. *n.* 38. Pal. *tr.* 13. *D.* 1. *p.* 3. §. 4. *n.* 1.

20 Si urgeat necessitas, ut fieret casu, quo Ecclesia, sive Conventus Regularis ita defecit, ut consideratis circumstantiis loci, temporis, & personarum per Regulares reformari, & regi non possit; nam eo casu Episcopus in eo instituere potest Clericos Sæculares *c. inter quatuor* 5. *de Relig. domib. cap. Abbate* 25. *in fin. de V. S.* & tradit Rebuff. *prax. Benef. tit. de Dispens. cùm Regular. n.* 40. Garc. *p.* 7. *de Benef. c.* 10. *n.* 16. Pal. *p.* 3. *cit.* §. 1. *n.* 11. Laym. *l.* 4. *tr.* 3. *c.* 4. *num.* 3. Pirh. *hic n.* 116. E contrario potest Episcopus ex rationabili causa Ecclesiam, sive Collegium Clericorum Sæcularium conformare ad statum Regularem, ut constat ex *c. ad audientiam* 4. *de Eccl. ædif.* & notat Abb. *ibid. n.* 6. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 4. *n.* 3. Wiest. *hic n.* 23. *Ratio est*, quia convenientius est Beneficium gubernari per Clericos diversæ professionis, quàm omnino gubernatione destitui, vel malè gubernari: & necessitas non habet Legem.

3 Regulares, etiam Monachi, promoveri possunt ad Dignitatem Episcopalem sive in Sæculari, sive in Regulari Ecclesia, *c. nullus* 28. *de Elect. in* 6. *Clem.* 1. *in fin. eod.* quod aliqui extendunt etiam ad Prælaturas in Ecclesiis Collegiatis Sæcularibus, sed melius negatur cum Suar. *tom.* 4. *de Relig. l.* 3. *c.* 19. *n.* 27. Pal. *tr.* 13. *D.* 1. *p.* 3. §. 1. *n.* 7. *&* 8. Pirh. *hic n.* 117. nam Canonica Regula est Beneficia Sæcularia Clericis Sæcularibus, & Regularia Regularibus conferenda esse: item Religiosos ad Sæculares Ecclesias assumendos non esse *c. super eo* 9. *de Regular.* à qua Regula non est recedendum, nisi exceptio habeatur in Jure expressa, cujusmodi tamen nulla reperitur quoad Prælaturas in Ecclesiis Collegiatis Sæcularibus. Quod multo magis verum est in Regularibus Ordinum Mendicantium; nam hos ad Ecclesias Cathedralibus inferiores sine licentia Summi Pont. postulari, vel assumi non posse, expresse habetur *Extrav. un. de Postul. int. comm.* 21

4 Olim, si necessitas, aut utilitas postulabat, Parochiis etiam Sæcularibus præfici potuerunt Religiosi. ut constat ex *can. in Parochia* 31. *can. cùm pro utilitate* 34. *caus.* 16. *q.* 1. idque favore salutis animarum, quæ per Regulares tum videbatur sollicitius procuranda. Dixi *Parochiis*; nam Beneficiorum Sæcularium simplicium v. g. Canonicatus ne quidem spectato Jure antiquo, capaces fuerunt Regulares *c. super eo* 9. *de Regular. c. quod Dei timorem* 5. *de stat. Monach.* Abb. *ibid. n.* 5. Garc. *p.* 7. *de Benef. c.* 10. *n.* 28. Sanch. *l.* 7. *Mor. c.* 29. *num.* 72. 75. *&* 76. Petra *tom.* 2. *comment. fol.* 9. *n.* 30. *& seqq.* & hoc teste declaratum est à Sacr. Congreg. *Ratio est*, tum quòd in Beneficiis simplicibus favor salutis animarum cesset, propter quem concedebatur promotio Regularium ad Beneficia Parochialia; tum ne daretur iisdem occasio otii, & vitæ mollioris contra professionem Regularem. Neque potest in hoc Episcopus dispensare; quia non reperitur hæc facultas ipsi concessa in Jure, ut cum Abb. *l. c.* communiter advertunt DD. Addidi *olim*; nam gravior controversia, & celeberrimum inter Scriptores hodiernos 22

Dubium est 4. an Regulares adhuc hodie absque dispensatione Apostolica capaces sint Ecclesiarum Parochialium Sæcularium? Tres invenio diversas sententias. *Prima* generaliter capacitatem hanc adstruit Regularibus. Ita Abb. *in c. quod Dei timorem* 5. *de Stat. Monach. num.* 7. *& seqq.* Less. *de Just. l.* 2. *c.* 34. *num.* 6. Tambur. *de Jur. Abbat. tom.* 3. *D.* 9. *q.* 8. *n.* 5. Bordon. *de Jur. Paroch. n.* 51. Murga *de Benef. q.* 2. *n.* 4. Engl. *privil. Monast.* 45. Konig *hic n.* 17. & novissimè Clariss. Pater Schmier *de Person. reb. & Jur. Eccl. p.* 2. *c.* 3. *n.* 34. *& seqq.* quod probant 1. ex Trid. *sess.* 14. *c.* 11. *de ref.* ubi statuit, ut omnis Religiosus, ex alio Ordine translatus, etiamsi Canonicorum Regularium fuerit, ad Beneficia Sæcularia, etiam Curata, existat omnino incapax. igitur qui non ita translati sunt, eorum capaces sunt; quia exceptio firmat Regulam in casibus non exceptis. 2. Regulares citra dispensationem promoveri possunt non solùm ad Episcopatus, ut *n.* 21. dictum est, sed etiam, ut plurimi volunt, ad quaslibet Prælaturas Sæculares *c. quorundam* 24. *vers. circa Religiosos*, *c. nullus* 28. *vers. ad dignitatem de elect. in* 6. *Clem. cùm rationi* 1. *eod.* igitur nihil impedit, quin assumi etiam citra dispensationem ad Beneficia Curata possint. 3. consuetudo jus parit, & Legem abrogat. atqui consuetudo obtinuit, ut Regulares admittantur ad Beneficia Sæcularia absque ulla dispensatione Pontificia, obtenta duntaxat licentia Superioris sui, ut Konig *l. cit.* Schamb. *hic num.* 25. aliique supra testantur. ergo &c. 23

Secunda sententia distinguit inter Canonicos Regulares, & alios Religiosos; istos enim negat hodie præfici Ecclesiis Parochialibus absque Apostolica dispensatione posse, de prioribus concedit. Ita Gonzal. *in Regul.* 8. *Cancell. gloss.* 7. *n.* 55. *vers. cæterum in* 2. *edit.* Zypæus *de Instit. consult.* 1. *n.* 3. Pennott. *l.* 2. *Histor.* 24

tripart.

tripart. Can. Reg. c. 12. *n.* 7. Vvieft. *hic n.* 26. & alii relati apud Barbof. *l.* 3. *Jur. Eccl. c.* 4. *n.* 73. Pignatell. *tom. confult.* 44. *n.* 1. Petra *tom.* 2. *comment. fol.* 11. *n.* 38. Fundantur 1. textu *c. quod Dei timorem* 5. *de ftat. Monach.* ubi poftquam Innocentius III. dixit: *Concilio Lateranenfi cautum effe de Monachis, ne finguli per villas, & oppida per quafcumque Parochiales ponantur Ecclefias*, exceptos voluit effe Canonicos Regulares; quia *Regulæ inferviunt laxiori*; ut proinde ipfi relicti videantur fub difpofitione Juris antiqui, de quo, ut *n.* 22. dictum eft, etiam reliqui Regulares capaces erant Ecclefiarum Parochialium, & tantùm opus fuit licentia fui Prælati, 2. Trid. *feff.* 14. *c.* 11. *de reform.* ubi, dum decernit, Canonicum Regularem, translatum ad alium Ordinem, non effe capacem Beneficii Sæcularis curati, tacitè innuere videtur, non translatum effe capacem. 3. Declaratione S. Congreg. Cardd. Interpp. Trid. quæ, ut refert Fagn. *in c. quod Dei timorem cit. n.* 15. edita fuit *die* 27. *Oct.* 1575. in hæc verba: *Concilium non prohibuit, quin Canonici Regulares poffint uti Jure veteri, nifi quando tranflati:* cui confonat alia recentior edita 1602. in eumdem fenfum, ut videre eft apud Pignatell. *conf.* 44. *cit. n.* 2.

Tertia fententia, & meo judicio cæteris præferenda univerfaliter negat, hodie, feclufis fpecialibus privilegiis, quemquam Regularem abfque difpenfatione Pontificia ad Beneficium Parochiale Sæculare affumi poffe. Ita Quarant. *Summ. Bullar. V. Canonicus Regularis*, Gavant. *Man. Epifc. V. Canonici Regulares*. Corrad. *Prax. difpenf. l.* 2. *c.* 1. *num.* 18. *verf. & ego verò*, Tondut. *q. Benef. tom.* 1. *c.* 80. *per totum*, & fignanter *n.* 14. & 15. Card. de Luca *de notat. difc.* 25. *n.* 6. Pignatell. *tom.* 1. *confult.* 44. *per totam*, & maximè *à n.* 23. Monacell. *Append. decif. Sacr. Rot. decif.* 27. *num.* 2. & 3. Thomaffin. *p.* 1. *de Benef. l.* 3. *c.* 22. *n.* 9. *verf. anno verò*. Vincent. Petra *tom.* 2. *comment. fol.* 12. *n.* 39. aliique plurimi ab his *citt. Probatur* ex Declaratione Cardd. *edita* 8. *Jul.* 1581. ubi S. Congregatio ex mente Gregorii XIII. declaravit Regulares, etiam Canonicos, etiam de licentia fui Generalis, abfque permiffu Summi Pont. ad Beneficium Curatum affumi non poffe. Neque dici poteft, Declarationem iftam, licèt ex mente Gregorii editam, quòd fuper ea Lex, vel Conftitutio aliqua publicata non fit, morte ejufdem Pont. exfpiraffe; præterquam enim, quòd dictam Declarationem in vim Legis hodiedum obfervet Rota, ut patet *in Leodienf. Parochialis* 11. *Dec.* 1693. §. *non obftante coram Pio*, apud Petram *l. cit. num.* 40. eadem Declaratio, ut idem ibidem refert, cum Pignatell. *conf.* 44. *cit. n.* 25. & 26. pluribus aliis Declarationibus roborata eft: præfertim per *Decretum S. Congr. Epifc. & Regul. editum juffu Clementis X.* 17. *Mart.* 1671. ubi contra eos, qui Authorum ex adverfo ftantium affertioni innixi ad talia Beneficia obtinenda abfque difpenfatione Apoftolica afpirare aufi funt, incapacitas Regularium ad Beneficia fine Apoftolica difpenfatione obtinenda denuo ftatuta eft: quod Decretum, cùm tefte Monacell. *l. cit.* per viam Legis univerfalis emanaverit, & publicè in confuetis Urbis locis affixum omnibus innotuerit, omnem fuper hoc dubio quæftionem removiffe videtur. *Conf.* ex indulto fpeciali, quo S. Pius V. ad preces Philippi II. Hifpaniarum Regis *fub die* 3. *Mart.* 1567. conceffit Regularibus cujufcumque Ordinis, ut in partibus Indiarum de licentia Superiorum fuorum Parochi officium exercere poffent; quo indulto utique nequaquam fuiffet opus, fi Regulares de Jure communi Parochialis Curæ capaces forent, & Apoftolica difpenfatione non indigerent.

26 Neque obftant allata in contrarium. Nam 1. Sacr. Congregatio, ut cum communi fupponit Pignatell. *conf.* 44. *cit. n.* 27. habet vim interpretandi Authenticam, ut adeo Lex Trid. intelligenda fit in eo fenfu, in quo Cardinales Trid. Interpp. illam intelligendam volunt; voluere autem illi intelligendam de incapacitate abfoluta, includendo etiam in hac Canonicos Regulares, ergo &c. 2. quid fentiendum de capacitate Regularium ad Prælaturas fæculares inferiores Epifcopatu, dictum eft *num.* 21. Quoad Epifcopatum negatur paritas; nam quod hujus capaces fint Regulares, habetur ex difpofitione Juris, de Ecclefiis Parochialibus verò invenitur contrarium. 3. imprimis afferta ab Adverfariis praxis fc tenet dumtaxat ex parte Beneficiorum Parochialium unitorum Monafteriis, quæ proinde mere Sæcularia non funt: & fi fuiffet etiam quoad merè Sæcularia, per dicta Sacr. Congregat. Decreta fuiffet abolita. De iifdem Parochiis unitis, ne neceffe fit fine caufa admittere antilogiam, intelligi etiam poteft Decretum Sacr. Congregat. *num.* 24. *in fin.* allegatum. Verùm cum de unitis Parochiis fpecialis fit difficultas, hinc ulterius

Dub. 5. an, & quatenus Regulares adminiftrare per feipfos poffint Parochias Ecclefiis, vel Monafteriis fuis unitas? Refp. diftinguendum inter Parochias, quæ intra, & eas, quæ extra Monafteria illorum exiftunt. *Quoad priores* jus commune *cap. in Ecclefiis* 1. *de Capell. Monach.* Regulares à Cura earum arcet. Sed ut bene advertit Illuftr. Petra *tom.* 2. *Comment. fol.* 15. *n.* 43. textus ifte ad Canonicos Regulares non porrigitur, quia de Monachis loquitur; imò etiam quoad alios Regulares jam ante Trid. Jus illud in defuetudinem abiit. Nec improbat eam confuetudinem S. Synodus, fed potius capacitatem Regularium ad illas fupponit, dum *feff.* 25. *c.* 11. *de Regular.* Regulares, curam animarum in iifdem exercentes, in concernentibus dictam Curam fubjicit Ordinario, ut bene arguit laudatus Petra *l. cit.* 27

Quoad pofteriores, feu *exiftentes extra Monafteria* diftinguendus eft modus unionis, an fc. Ecclefiæ illæ Monafteriis fimpliciter folum, & quoad temporalia tantùm unitæ fint, an verò plenè, nim. quoad temporalia fimul, & fpiritualia. *Si prius*, feclufis fpecialibus Ordinum, vel Monafteriorum privilegiis, obtineri illæ à Regulari nequeunt, etiamfi Monafterium jus præfentandi ad eas habeat, fed funt ab Epifcopo deputandi Sacerdotes Sæculares in Vicarios perpetuos, vel amovibiles, à Superioribus Regularibus nominandi, cum congrua fructuum portione ipfius Epifcopi arbitrio affignanda ad præfcriptum Trid. *feff.* 7. *c.* 7. *de ref. Ratio eft*, quia hujufmodi unio non mutat Beneficium Sæculare in Regulare, fed fi Sæculare fuit, etiam poft unionem Sæculare manet: conf. ut Regularis illud obtineat, opus habet difpenfatione Apoftolica, ut dictum eft *n.* 26. & notat Petra *l. cit. n.* 46. 28

Si pofteriùs, non requiritur permiffio Apoftolica, fed abfque hac ex privilegiis Regularium plerorumque, vel communicatione illorum pro adminiftratione talis Ecclefiæ deputari Regularis poteft, ut pluribus allegatis advertit Petra *l. citt. num.* 44. qui affertionem iftam adductis etiam Cardd. Declarationibus roborat. *Ratio eft*, quia per ejufmodi unionem extinguitur in tali Ecclefia prior Titulus, ipfaque fit Membrum Monafterii, & Beneficium Regulare: conf. conferibile Regulari. 29

Dividitur 2. Beneficium tum Sæculare, tum Regulare in Simplex, & Duplex. *Simplex eft*, quod nullam Jurifdictionem, curam animarum, vel adminiftrationem, aut fpecialem præeminentiam fibi annexam habet, fed ad folam affiftentiam in Choro, vel Altaris fervitium obligat. Tales funt 1. Canonicatus tum Sæculares, tum Regulares. 2. Beneficia eorum, qui in Ecclefiis Cathedralibus præter Canonicos portiones integras, vel dimidias habent. 3. Præftimonia, quæ fpirituale obfequium annexum habent, & in Titulum conceduntur. 4. Capellaniæ collativæ, de quibus *num.* 8. & fimilia. 30

Duplex Beneficium dicitur, quod fpecialem aliquam qualitatem, fc. præeminentiam, adminiftrationem, Jurifdictionem, vel Curam animarum adjunctam habet. Horum quatuor funt genera. 31

1 *Beneficia propriè curata*, quibus qui provifi funt, præter obligationem ad Horas Canonicas, & Altaris fervitium, nomine proprio, & ex obligatione Officii fui adminiftrant Sacramenta, & in foro interno confcientiæ Jurifdictionem exercent, qualia funt Parochiæ, Plebanatus, Vicariæ, aut Commendæ perpetuæ Ecclefiarum Parochialium, aut Curatarum.

2 *Officia*, quæ habentes adminiftrationem rerum Ecclefiafticarum, fine eminentia tamen, & Jurifdictione obtinent: tale eft Officium Primicerii, Sacriftæ, feu Thefaurarii, Cuftodis &c.

3 *Perfonatus*: Talem habere dicuntur, qui præeminentiam Sedis in Choro, præcedentiam in Proceffionibus, prioritatem Suffragii in Capitulo fine Jurifdictione fori externi, & adminiftratione propriè dicta habent.

4 *Dignitates*: hanc obtinentes præeminentiam ferè cum Jurifdictione fori externi, & adminiftratione propriè dicta habent. In duplici & ipfæ reperiuntur genere; nam quædam earum funt fublimiores, & *Majores* vocantur, ut Epifcopatus, Archiepifcopatus, Primatia, Patriarchatus, Cardinalatus, & aliis omnibus Superior Papatus. Hæ communi appellatione Beneficiorum, præfertim in pœnalibus, aliifque ftrictæ interpretationis Canonibus comprehendi non folent, cum fint culmina Beneficiorum, & Dignitatum. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 4. *n.* 4. Barbof. *Jur. Eccl. l.* 3. *c.* 4. *n.* 50. Konig *hic n.* 34. 32

Aliæ verò *Minores* dicuntur, quales funt Dignitates

res recentis proximæ, v. g. Præpositutæ saltem in Germania, Decanatus Cathedrales, Archidiaconatus, Abbatiæ, & aliæ Prælaturæ tam Regulares, quàm Sæculares. Neque interest, an illi, qui eas habent, intitulati in hujusmodi Prælaturis sint, an verò illas solùm ad tempus gerant; nam & Priores Conventuales, seu qui in totam Congregationem Regularium Jurisdictionem habent, licèt ad tempus duntaxat sint, ut fit in Ordine S. Dominici, Eremitarum S. Augustini, Servorum B. V. &c. Dignitatem habere censentur, ita, ut Rescripta Apostolica Delegationis dirigi ad illos possint. Videantur Azor *p.* 2. *l.* 3. *c.* 1. *q.* 5. Pal. *tr.* 13. *D.* 1. *p.* 4. *à n.* 1. Vallens. *de Benef. l.* 1. *tit.* 2. *n.* 4. Barbos. *l.* 3. *Jur. Eccl. c.* 4. *n.* 47. Pirh. *à n.* 9. Vviest. *n.* 30.

33 Porro circa Dignitates, & universim Beneficia duplicia duo sunt advertenda, *Primum est*, quòd nomine Dignitatum in Rescriptis, & reservationibus Papalibus, ac universim in materia strictæ interpretationis intelligantur solæ Dignitates minores, non verò Episcopatus, & aliæ superiores; nam hæ specialem mentionem merentur Konig *hic num.* 39. *Secundum est*, in dubio Beneficium omne præsumi simplex, & non curatum; quia qualitas, præsertim multiplex, prout Curatum exigit, regulariter non præsumitur, sed probari debet. Garc. *p.* 1. *de Benef. c.* 6. *n.* 8. Gonzal. *in Reg.* 8. *gloss.* 6. *n.* 91. Leuren. *for. Benef. p.* 1. *s.* 1. *c.* 2. *q.* 32. *n.* 3. Pal. *l. cit. n.* 7. Vall. *n.* 3. Pirh. *n.* 12. Vviest. *n.* 27. Konig *n.* 6.

34 Dividitur 3. Beneficium in Manuale, & non Manuale. *Manuale* est, quod confertur quidem in Titulum, sed revocabiliter, ita, ut ad conferentis libitum auferri, vel à Patrono revocari possit. *Non Manuale*, seu, ut alii vocant, *simpliciter Titulare* verò illud dicitur, quod confertur in Titulum perpetuum, ita, ut semel legitimè collatum Beneficiato, nisi ex justa, & Jure expressa causa, auferri nequeat Azor. *p.* 2. *l.* 3. *c.* 1. *q.* 4. *vers. quintò dividitur*, Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 4. *n.* 5. Pal. *p.* 2. *cit. num.* 4. Vallens. *num.* 9. Pirhing *num.* 13. Vviestner *num.* 31.

35 Dub. 1. qualia in dubio præsumi debeant esse Beneficia, Manualia, an Titularia? Resp. in dubio Beneficia Sæcularia præsumi debent esse Titularia, Regularia verò, si nec Curata, nec Electiva sint, Manualia. Garc. *p.* 1. *de Benef. c.* 4. *n.* 6. Pal. *tr.* 13. *D.* 1. *p.* 5. *n.* 17. Pirh. *n.* 14. Konig. *n.* 9. Vviest. *num.* 31. *Ratio est*, quia Beneficia singula præsumuntur instituta secundùm Jus commune, & propriam ipsorum naturam. atqui Beneficia Sæcularia, suapte natura, & Jure Ordinario sunt Titularia; sunt enim perpetua, & irrevocabilia, nisi ex causis Jure expressis. *can. præcepta* 12. *dist.* 55. *can. satis* 7. *dist.* 56. *can. fin. dist.* 70. Contrà Beneficia Regularia pleraque secundùm Jus ordinarium, & ex natura sua ratione voti obedientiæ sunt Manualia, ita, ut illa obtinentes amoveri inde ad nutum possint. ergo &c.

36 Dixi *secundùm Jus commune & ordinarium*; non enim repugnat qualitas Manualitatis Beneficio Sæculari, sed hanc acquirere vi primæ suæ institutionis, vel si institutum est ut Titulare, perpetuitatem commutare cum Manualitate Privilegio Papæ, vel consuetudine immemoriali potest. Addidi, *Si nec Curata, nec Electiva sint*; nam Regularia Beneficia, quæ per electionem conferuntur, item quæ curam animarum annexam habent, non sunt ad nutum Abbatis revocabilia: & ratio est, quia prima conferuntur à Capitulo; posteriora constituuntur authoritate, & consensu Episcopi, ac proinde ad tollendum ejusmodi Beneficium possessori opus est horum consensu, & justa causa.

Porro ex hoc ipso, quòd Manualitas de Jure ordinario insit Beneficio Regulari, perpetuitas Sæculari, in impetratione Beneficiorum ea qualitas necessariò exprimenda non est; quia Papæ Jus commune præsumitur cognitum *c. licèt* 1. *de Const. in* 6. Laym. *c.* 4. *cit. n.* 6. Pirh. *n.* 15.

37 Dub. 2. an revocatiò Beneficii Manualis ita libera sit, ut neque Jure expressam, neque aliam rationabilem causam exposcat? Non desunt, qui cum Cævall. *Opin. comm. contr. q.* 425. *in fin.* putant ejusmodi revocationem absque causa rationabili factam omnino invalidam esse, colliguntque hoc 1. ex textu *c. cum ad Monasterium* 6. *Vers. tales de Stat. Monach.* & *Clem. un. Vers. præmissa de supp. negl.* ubi dum Abbati conceditur potestas Religiosum à Beneficio removendi, & ad Claustrum revocandi, additur, *Cùm oportuerit*, quod causam justam, & rationabilem significare videtur. 2. qui absque legitima causa Beneficiatum removet, malitiosè procedit. sed non est credendum, malitiis hominum favere Jura. 3. sic spoliatus potest implorare officium Judicis, ut restituatur, ut factum testatur Gonz. *in Reg.* 8. *Cancell. gloss.* 5. *§.* 6. *n.* 42.

His Argumentis id tribuo, ut concedam, causam rationabilem exigi quidem ad honestatem revocationis, sine ipsa tamen factam ipso Jure subsistere. Ita Garc. *p.* 1. *de Benef. c.* 2. *à n.* 87. Gonz. *in Reg. cit. gloss.* 5. *§.* 6. *n.* 46. Suar. *tom.* 4. *de Relig. l.* 3. *cap.* 19. *n.* 21. Sanch. *l.* 7. *mor. c.* 29. *n.* 111. Pal. *tr.* 13. *D.* 1. *p.* 5. *n.* 3. Leuren. *for. Benef. p.* 1. *s.* 1. *c.* 2. *q.* 72. *n.* 2. & 3. Vviest. *hic num.* 33. & novissimè Clariss. P. Schmier *p.* 2. *de Reb. Eccl. c.* 3. *n.* 58. *& duob. seqq. primam responsionis partem* probant Argumenta pro adversa opinione allata; *pro secunda* ratio sumitur ex ipsa Beneficii Manualis natura, quæ talis est, ut obtineri, & possideri nequeat, nisi pro tempore, quo id non fuerit revocatum. igitur hoc ipso, quòd revocatum sit, jus retinendi illud, vel possidendi amittitur *arg. l. statu* 11. *Vers. Stichum ff. de Legat.* 2. ubi pro Regula traditur, quòd possessio data pro tempore limitato, isto transacto, cesset.

Ad Argumenta contraria facilis est responsio. *Ad* 1. verbum *Oportet* non semper ad valorem, sed sæpe solùm aliquid ad decentiam, & honestatem actionis requisitum denotat. *Ad* 2. argumentum id solùm probat revocationem sic factam illicitam esse. *Ad* 3. ad summum supplicare sic spoliatus potest Superiori, ut ex officio impediat malitiosam revocationem, non autem, ut factam tollat, nisi id suadeat utilitas populi, prout factum est in casu allato.

Dividitur 4. Beneficium in Collativum, seu Liberum, Electivum, & Patronatum, seu Mixtum. *Collativum* dicitur, quod à Prælato Ecclesiastico, vel alio collatore liberè, h. e. nulla præcedente electione, nominatione, præsentatione, cùm, & quibus libuerit, modò idonei sint, confertur. 38

Electivum, quod per Suffragia Capitularium, accedente postea Prælati, seu Superioris Ecclesiastici confirmatione, vel admissione, obtinetur. Talia, ut P. Vviest. *hic n.* 34. notat, propriè sunt solæ Prælaturæ, sive Dignitates Pastorales: adeoque, ut Beneficium aliquod propriè Electivum sit, duo requiruntur. *Unum* est, ut sit Prælatura: *alterum*, ut electio ad id facta à Superiore Ecclesiastico confirmanda veniat; nam quæ confirmatione Superioris non indigent, etsi ad ea electio fiat, potiùs collativa, quàm electiva sunt, cùm ad ea facta electio vim liberæ collationis habeat. Garc. *p.* 1. *de Benef. c.* 6. *n.* 23. Vallens. *de Benef. l.* 1. *tit.* 2. *n.* 8. Vviest. *hic num.* 34.

Patronatum demum, seu *Mixtum* illud Beneficium dicitur, quod per præviam Patronorum præsentationem, & subsequentem Episcopi, vel alterius Prælati Ecclesiastici institutionem obtinetur: quo modo plerique Parochi, Vicarii perpetui, & Capellani institui solent. Azor. *p.* 2. *l.* 3. *c.* 1. *q.* 4. *Vers. sextò dividitur.* Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 10. *n.* 1. Garc. *c.* 6. *cit. n.* 14. Pirh. *hic n.* 16.

In dubio Beneficium potiùs Collativum, seu Liberum esse præsumitur, quàm electivum, aut Patronatum; quia electio, & præsentatio non sunt qualitates propriæ, sed accidentariæ, & extrinsecæ Beneficiorum; & per eas præjudicatur liberæ provisioni Ordinariorum, ad quos collatio primævo jure spectabat. Konig *hic num.* 8.

Dividitur 5. Beneficium in Patrimoniale, & non Patrimoniale. *Patrimoniale* dicitur vel à patrimonio, quia fundatum est à patribus, avis Majoribus ex suo patrimonio ea conditione, ut filiis, & aliis descendentibus suis conferatur, quamdiu dignus ex iis aliquis fuerit, qui illud acceptare velit; vel à patria, quia vi fundationis conferendum est Clerico ex certa patria, Parochia, civitate, oppido, castro, &c. oriunda, si talis idoneus inveniatur. 39

Reliqua, quæ tali qualitate affecta non sunt, dicuntur *Non patrimonialia*. Et quia qualitas ista est extrinseca Beneficio, is, qui asserit Beneficium aliquod Patrimoniale esse, illud probare debet. Gonz. *in Reg.* 8. *gloss.* 9. *§.* 1. *n.* 3. Vall. *l.* 1. *c.* 2. *n.* 10. Pirh. *hic n.* 16. *in fin.* Vviest. *n.* 35.

§. III.

De Collatione Beneficiorum.

S U M M A R I U M.

40 *Collatio quid, & quotuplex?*

41 42 43 *Enumerantur, qui potestatem conferendi Beneficia habent.*

Modus

44 45 *Modus triplex, quo Papa Beneficia conferre potest, ac solet.*
46 47 *Quæ in hoc sit potestas Episcopi?*
48 49 50 51 52 *Ad quem spectet collatio Præbendarum, Canonicatuum, & Dignitatum &c. Ecclesiæ Cathedralis, & Collegiatæ?*
53 *An Beneficia vacantia in propria Diœcesi Episcopus conferre possit, existens extra illam?*
54 55 *Quis præferri debeat, quando unum, & idem Beneficium collatum est duobus, uni à Papa, alteri ab Episcopo?*
56 57 58 *An potestas conferendi beneficia competere possit etiam Laicis?*
59 60 *An possessori Juris conferendi?*
61 *Qualitates in Collatorio requisitæ.*
62 *Quod jus huic acquiratur per collationem acceptatam?*
63 64 *Et nondum acceptatam?*
65 66 *An Episcopus Collatorio possit præfigere terminum ad collationem acceptandam?*
67 68 69 *An ad obtinendum beneficium, & ejus possessionem necessaria sit præsentia illius, cui confertur?*
70 71 *An beneficium conferri possit Novitio Religionis?*
72 73 *An in beneficio succedere aliquis possit etiam jure consanguinitatis?*
74 75 76 77 *Quomodo fieri debeat collatio Beneficiorum?*
78 79 *An valeat facta sub modo, pacto, onere?*
80 81 *An possit aliquis recipi in Canonicum sine Præbenda?*
82 *Qua forma debeant conferri Beneficia Parochialia?*
83 *An modum conferendi Beneficia debeat etiam observare Papa?*

40 INter modos acquirendi Beneficia est *Collatio*, quæ definiri potest, quod sit *assignatio, seu concessio Beneficii vacantis facta ab habente potestatem, v. g. ab Ordinario.* Van Espen *J. E. U. p. 2. tit.* 21. *c.* 2. *n.* 1. Duplex est; *Voluntaria*; seu *Libera*, & *Necessaria*; seu *Obligatoria*. *Prior* ita dicitur, quòd licet conferre Beneficium sit præcisum, & necessarium, voluntarium tamen, & liberum sit Collatori illud conferre huic, vel alteri. Barbos. *in c.* 9. *h. tit. num.* 8. Unde etiam Donatio appellatur *c. quia diversitate* 5. *de conceß. Præb. c. consultationibus* 4. *de donat*, & *c. fin. de Offic. Vicar. in* 6. *Posterior* autem *Necessariæ* nomen accepit, quia Collator eam facere tenetur, non tantùm simpliciter, sed etiam certæ personæ, quæ ipsi per præsentationem, vel nominationem alterius, aut aliorum proposita est, modò illa idonea sit. Hæc propriè *Institutio* dicitur: de qua quia locus proprius discurrendi occurret *infra Tit.* 7. hinc in præsenti Collatio Libera duntaxat examinanda venit.

41 Quæritur 1. quibus jus, & potestas Beneficia Ecclesiastica conferendi competat? Resp. 1. potestas ista, eaque amplissima respectu Ecclesiarum, & Beneficiorum Ecclesiasticorum omnium totius Orbis competit *Summo Pontifici*; quia sicut universalis omnium Ecclesiarum est Pastor, ita supremus etiam, & universalis est omnium Beneficiorum collator, prout constat ex *c. licèt* 2. *h. tit. in* 6. & *Clem.* 1. *in fin. ut lit. pend.*

2 Proximum à Pontifice inter ordinarios Beneficiorum Collatores, quoad ea, quæ suæ Diœcesis sunt, locum obtinent *Episcopi*, & *his Superiores*, videlicet Archiepiscopi, Primates, Patriarchæ. Neque opus est, ut talis Episcopus sit consecratus, modò sit confirmatus, & litteræ Apostolicæ, confirmationem continentes, ostensæ fuerint Capitulo; quia Collatio non est actus Ordinis, sed Jurisdictionis, vel potius Officii Episcopalis, quo fungi Episcopus statim post Confirmationem potest *c. transmissam* 15. *de Elect.* Garc. *p.* 5. *de Benef. cap.* 4. *num.* 242. *& seqq.* Leuren. *p.* 2. *for. Eccl. s.* 3. *cap.* 2. *quæst.* 667. *num.* 1. *in fin.* Van Espen *J. E. U. p.* 2. *tit.* 21. *c.* 1. *num.* 24. Zoes. *hic n.* 11. Vviest. *n.* 47.

3 Cum Episcopis, & quibusvis Ordinariis in Beneficiorum conferendorum potestate de Jure communi concurrit *Legatus à Latere*, ita, ut inter ipsum, & illos in Provincia Legationis suæ sit locus præventioni *cit. si à Sede* 31. *h. tit. in* 6. & *cap. fin. de offic. Legat. eod. l.* 1. Quod verum est saltem extra Germaniam; nam in hac ejusmodi Legatorum juri verisimiliter derogatum est, ut bene notat P. Vviest. *l.* 1. *Decret. tit.* 30. *n.* 24.

42 4 Potestas hæc competit *Prælatis pleno Jure exemptis*, h. e. quoad territorium, Clerum, & populum; nam in hoc suo Territorio obtinent Jurisdictionem quasi Episcopalem, & veniunt nomine Ordinarii. conf. etiam Beneficia, in eodem sita, conferre possunt, nisi collatio eorum Jure speciali ad alium spectet: Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 10. *n.* 4. Leuren. *for. Benef. p.* 2. *s.* 3. *c.* 2. *q.* 718. *n.* 2. *in fin.* Pirh. *hic n.* 86. Engl *n.* 61. Vviest. *n.* 51.

5 *S. R. E. Cardinales* ex privilegio, quod à Summo Pont. amplissimum acceperunt, quamvis non Episcopi, sed Presbyteri duntaxat sint, aut Diaconi, liberè conferre possunt omnia Beneficia Ecclesiarum, quia vel Jure Tituli, vel Commendationis habent, non obstantibus exspectativis, aut reservationibus, nisi vacent in Curia: nec de illis disponit Papa, nisi expressus Cardinalis consensus accedat. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 25. *q.* 5. Leuren. *p.* 2. *for. Benef. ser.* 3. *c.* 2. *quæst.* 639. *num.* 2. Pirh. *hic num.* 86. Vviest. *lib.* 1. *Decr. titul. num.* 24. Dixi *ex privilegio*; nam de Jure Ordinario collatio Beneficiorum, quæ sunt in Ecclesiis Urbis, ad Papam pertinet, cùm ipse sit Urbis Episcopus. Azor. *l. cit.* Hinc illa etiam actu confert casu, quo Cardinalis, in cujus Ecclesia vacant, absens ab Urbe est sine consensu Papæ.

6 Ex simili privilegio, vel consuetudine, aut potiùs præscriptione potestatem aliqua Beneficia conferendi obtinuerunt *alii quidam Prælati*, etsi alias non habeant Jurisdictionem Ordinariam *cap. ex tenore* 13. *de conceß. Præb. cap. fin. de Instit.* & *ibi* Abb. *n.* 2. Azor. *c.* 25. *cit. q.* 20. Pirh. *n.* 86. *cit. in fin.* Debet autem præscriptio hæc esse quadragenaria cum Titulo, vel immemorialis, si fiat contra Episcopum, intra cujus Diœcesim Beneficia hujusmodi sita sunt *c. Episcopum* 1. *de præscription. in* 6. Pal. *tr.* 13. *D.* 2. *p.* 27. *n.* 3.

7 Aliquando collatio Beneficiorum ad *Canonicos* spectat: quod tribus modis fieri potest, ut colligitur ex *c. fin. h. tit. in* 6. 1. *Conjunctim*, seu *capitulariter*, ita, ut collatio Beneficii spectet ad totum Capitulum, & illi sit conferendum, in quem major pars consenrit. 2. *Per Turnum*, ita, ut singuli Canonici, unus post alterum, ordine antiquitatis servato, in certis mensibus vacantia Beneficia, vel Canonicatus conferant, nomine, & authoritate Capituli, cujus vicem repræsentant. 3. *Titulo singulari*, si jus conferendi Beneficium sit annexum certo officio, præbendæ, vel Dignitati: quo casu Beneficium ita vacans proprio, & singulari nomine confert is, qui Officium &c. tale habet. 43

8 Conferre Beneficia potest, *Capitulum*, *Sede Episcopali vacante*: cujus tamen potestas variè limitabitur *infra Tit.* 9. 9. *Generalis Vicarius tum Capituli, Sede Vacante, tum Episcopi* cum limitatione tamen, de qua dictum *Libr.* 1. *Tit.* 28. *n.* 22. *&* 24. 10. Sequester Prælaturæ, vel Dignitatis, quæ jus conferendi quædam Beneficia sibi annexum habet: de quo *Libr.* 2. *Tit.* 17. *n.* 30. *&* 31.

Dub. 1. quomodo Pontifex Beneficia Ecclesiastica conferre possit, ac soleat? Resp. tres potissimum modos DD. referunt, ut videre est apud Rebuff. *prax. tit. de devolut. n.* 46. Less. *l.* 2. *de Just. c.* 34. *n.* 45. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 10. *num.* 2. Leuren. *p.* 2. *for. Benef. ser.* 3. *c.* 3. *q.* 513. *n.* 1. *& seqq.* Illsung. *tract.* 5. *D.* 2. *num.* 182. Et quidem. 44

1 Illa conferre aliquando solet *Jure præventionis*, dando alicui Gratiam Exspectativam, aut Mandatum de providendo, seu mandando alicui conferri Beneficium, quod proximè est vacaturum; hujus enim collatione Papa prævenit alios jus conferendi habentes, ut collationes ab his, etiam ignorantibus, factæ cedere, & provisio Apostolica, tanquam prior, & potior anteferri debeat *c. dudum* 14. *h. tit. in* 6. Laym. *n.* 2. *cit.* Leuren. *n.* 3. *Excipiuntur* Beneficia Juris Patronatus ex fundatione, dotatione, vel constructione Laicis competentis; cùm enim hujusmodi Patronos prævenire sua collatione Papa non soleat, Litteræ provisionis Apostolicæ, super iis expeditæ, subreptitiæ forent, si Patronatui isti speciali mentione non derogarent.

2 *Jure Concursus*; nam Papa sicut in Jurisdictione, ita etiam in conferendis Beneficiis quibuscumque cum Episcopis, & aliis Collatoribus inferioribus concurrit, ita, ut si Beneficium vacet in quacumque Diœcesi, non tantum Episcopus, aliusve Collator Ordinarius illud conferre possit; sed etiam Summus Pont. & sic inter hunc, & illos præventioni locus sit, quique prior contulerit, ejus collatio præferatur. Rebuff. *l. cit. n.* 47. Garc. *p.* 5. *de Benef. c.* 1. *n.* 8. Lotter. *l.* 2. *q.* 22. *n.* 62. Laym. *c.* 10. *cit. n.* 2. *vers. secundo*, Barbos. *in c.* 14. *cit. n.* 8. Leuren. *n.* 1. *cit.* Illsung. *n.* 183. Engl. *hic num.* 7. 45

Pirh.

Pith. *n.* 78. Vviest. *num.* 44. Ratio est, quia Pontifex etsi aliis potestatem Beneficia conferendi dederit, sibi tamen reservavit majorem. Notat tamen Leuren. *l.cit.* *q.* 514. *n.* 2. Pontificem potestate ista raro uti, & non nisi ex magna causa.

3 *Jure Devolutionis*, postquam jus conferendi Beneficium, propter culpam, aut negligentiam inferioris collatoris, quòd is illud vel non intra legitimum tempus contulerit, vel indigno contulerit, ab hoc ad Sedem Apostolicam translatum est, ut dicetur *infra Tit.* 8.

46 Dub. 2. qualem potestatem conferendi Beneficia habeant Episcopi? Resp. his Jure communi data est potestas conferendi Beneficia omnia suæ Diœcesis, nisi specialiter excepta sint, ut patet ex *can. regenda* 4. *caus.* 10. *q.* 1. *can. omnes Basilicæ* 10. *can. nullus* 11. *caus.* 16. *q.* 7. *cap. in Ecclesiis* 1. *de Capell. Monach.* & *c. cùm ex injuncto* 12. *de Hæret.* qui textus generales sunt, & indistinctè loquuntur. Et hinc siquis alius sibi vendicet jus conferendi Beneficia in Diœcesibus illorum sita, probare debet hanc potestatem sibi competere Jure speciali, cùm, ut vidimus, Episcopi super collatione illorum intentionem in Jure communi fundatam habeant. Garc. *p.* 5. *de Benef. cap.* 1. *num.* 52. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *capit.* 10. *num.* 4. Barbos. *de Offic. Episcop. allegat.* 52. *numer.* 1. Leuren. *p.* 2. *for. Benef. s.* 3. *cap.* 2. *q.* 665. Van Espen *J. E. U. p.* 2. *tit.* 21. *c.* 1. *num.* 2. 5. & 6. Engl *hic num.* 61. Vviest. *num.* 46.

47 *Excipitur* 1. si Beneficia ejusmodi Provisioni Apostolicæ sint reservata: de qua reservatione *infra* §. 6. 2. Si collatio illorum alteri cuidam ex privilegio, maximè Apostolico, privativè ad Episcopum competat, v. g. Abbati, Præposito, Decano, Capitulo &c. 3. Si jus conferendi ab Episcopo ob hujus negligentiam, vel culpam ad Superiorem, v. g. Archiepiscopum sit devolutum; quamvis enim Archiepiscopus alias in collationem Beneficiorum, quæ in Diœcesibus Suffraganeorum suorum sita sunt, immiscere sese non possit, nec debeat, potest tamen, & debet in casu devolutionis ad sese factæ. 4. Si idem jus ab aliquo consuetudine, vel potius præscriptione obtentum sit; nam sicut in aliis omnibus, ita etiam in Beneficiorum provisione attendendus est usus singularum Ecclesiarum, cùm nonnisi de puncto disciplinæ agatur, quæ pro tempore, & locorum varietate varia esse potest. Van Espen *cap.* 1. *cit. n.* 21. 5. Si Beneficium, situm in una Diœcesi, accessoriè unitum sit Beneficio alterius Diœcesis; nam tale Beneficium conferri debet ab Episcopo illius Diœcesis, in qua situm est Beneficium, cui unitur; quia Ecclesia unita evadit inferior, altera superior, & Prælatus superioris evadit Prælatus utriusque. Frances *de Eccl. Cath. c.* 8. *num.* 108. Gonz. *Gloss.* 5. § 7. *n.* 24. Leur. *qu.* 673. Secus, si æquè principaliter facta sit unio; tunc enim per utrumque Episcopum provideri debet, prout DD. *citt.* notant.

48 Dub. 3. ad quem spectet collatio Præbendarum, Canonicatuum, & Dignitatum &c. Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiatæ? Resp. etiam quoad hoc attendenda esse specialia certarum Ecclesiarum, vel personarum privilegia, statuta, consuetudines, fundationes &c. nam aliquando hujusmodi Canonicatuum, & aliorum Beneficiorum collatio pertinet ad Episcopum, & Capitulum simul, ut videre est *c. un.* §. *cum verò ne sed vac.* & *c. postulastis* 15. *de concess. Præb.* aliquando ad solum Episcopum, vel ad solum Capitulum. Et exercetur potestas ita ab utroque diversimode; nam aliquando unam vocem habet Capitulum, alteram Episcopus, ita, ut vox, seu suffragium solius Episcopi valeat tantum, quantùm vox Capituli, vel totius, vel majoris ejusdem partis: ac proin si in discordia contulerint, & Episcopus uni, Capitulum verò, vel major illius pars contulerit Beneficium alteri, tunc neutra collatio valeat, etiamsi ad suffragium Episcopi aliqui Canonici accesserint, sed minor pars. Garc. *p.* 5. *de Benef. c.* 4. *n.* 28. & 29. Barbos. *l.* 3. *Jur. Eccl. c.* 13. *n.* 103. Van Espen *p.* 1. *Jur. Eccl. tit.* 21. *c.* 1. *n.* 12. Engl *hic n.* 66. Pirh. *n.* 87. *not.* 1. Contrà non raro hujusmodi Canonicatus, & præbendæ ab Episcopo, & Capitulo conferuntur alternativè per Turnum. Garc. *c.* 4. *cit. num.* 72.

49 Nec minùs varius est modus procedendi ad collationem Canonicatuum & Præbendarum, quando illa competit soli Capitulo; nam aliquando illos conferre debet cum consilio Episcopi *c. un. cit.* §. *ubi vero* aliquando conferre illos potest, Episcopo, & ejus consilio non requisito. *c. cum Ecclesia* 31. *de Elect.* Item interdum collatio à Capitulo fit capitulariter, interdùm à singulis per turnum, ita, ut singuli potestatem hanc habeant secundùm antiquitatem procedendo. Gloss. *in c. fin. V. statuto h. tit. in* 6. Garc. *p.* 5. *c.* 4. *n.* 72. Pal. *tr.* 13. *D.* 2. *p.* 27. *n.* 3. Van-Espen *num.* 12. & *seqq.* Pirh. *num.* 84. Vviest. *numer.* 48.

De Jure communi, & præscindendo à contraria consuetudine, collatio Canonicatuum, & Præbendarum Ecclesiæ Cathedralis pertinet ad Episcopum, & Capitulum simul, ita, ut Episcopus æqualem vocem cum Capitulo habeat. Ita Mandos. *ad Reg.* 18. *q.* 14. *n.* 2. Gonz. *ibid. gloss.* 45. *n.* 36. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 25. *q.* 9. Lotter. *l.* 2. *q.* 21. *n.* 81. Garc. *p.* 5. *c.* 4. *n.* 17. Pal. *tr.* 13. *D.* 2. *p.* 27. *n.* 2. Vall. *l.* 1. *de Benef. tit.* 9. *n.* 4. Leuren. *p.* 2. *for. Benef. q.* 670. *n.* 1. Card. de Luca *de Benef. Disc.* 1. *n.* 26. Engl *hic n.* 66. Zypæus *n.* 4. estque pluries decisum à Rota teste Garc. *l. cit. n.* 14. quod maximè verùm est, quando dicti Canonicatus, & Præbendæ erectæ sunt ex bonis communibus, prout præsumitur in dubio, ut rectè advertit Pal. *l. cit.* Idem dicendum de Dignitatibus Ecclesiæ Cathedralis; nam hæ de Jure communi non electivæ, sed collativæ sunt, ut notat Garc. *l. cit. n.* 24. & *duob. seqq.* ne plus Juris in iis habeat Capitulum, quàm in Præbendis, cùm tamen deberet habere minus. Ratio utriusque asserti est, quia tam Episcopi, quàm Capituli interest, Canonicos, aut Dignitate præditos Clericos habere gratos, & acceptos; quod autem ad omnes pertinet, ab omnibus approbari debet. 50

Eadem ferè distinctio adhibenda est quoad reliqua Beneficia inferiora, in Ecclesiis Cathedralibus consistentia, ut sunt Portiones, & dimidiæ Portiones; nam si sunt de gremio Capituli ex aliqua consuetudine, jureve speciali, saltem quoad mensæ communis participationem, eodem modo ad simultaneam Episcopi, & Capituli provisionem pertinent. Secus, si sunt extranea à Capitulo; tunc enim ab ipso Episcopo, absque Capitulo, & hujus consensu provideri possunt. Garc. *p.* 5. *c.* 4. *n.* 25. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 25. *q.* 9. Pal. *tr.* 13. *D.* 2. *p.* 27. *n.* 2. Clericat. *de Benefic. Discord.* 20. *n.* 4. Quod à fortiori in Capellaniis ibidem existentibus dicendum est. 51

In Ecclesiis Collegiatis, iterum à consuetudine præscindendo, secundùm dispositionem Juris communis jus præsentandi, seu eligendi ad Canonicatus & Præbendas illarum competit earum Capitulo, & hujus Prælato immediato, si talem habeat; jus tamen instituendi, vel confirmandi spectat ad Episcopum. Gonz. *Gloss.* 45. *n.* 47. Garc. *n.* 64. Azor. *q.* 9. *cit.* Vallens. *n.* 10. Pal. *n.* 2. Leuren. *q.* 672. estque teste Lotterio decisum à Rota. 52

Dub. 4. an Beneficia, vacantia in propria Diœcesi, conferri possint ab Episcopo existente extra Diœcesim suam? *Ratio dubitandi est*, quia Episcopus Beneficia conferre nequit existens Romæ, ut teste Covar. *l.* 3. *var. c.* 20. *n.* 9. praxis docet, idque conformiter Juri Cæsareo, quo statuitur, quòd quamprimum Proconsul Urbem ingressus est, deponat imperium; nam minoris apud majorem cessat Jurisdictio. Accedit, quia Episcopus Jurisdictione contentiosa nuspiam uti potest extra Diœcesim suam. 53

Sed his non obstantibus, dicendum, quòd Episcopus Beneficia conferre possit, etiam extra Diœcesim suam. Ita Gloss. *fin. in c. novit.* 7. *de Offic. Legat.* Azor. *p.* 2. *l.* 6. *cap.* 25. *quæst.* 12 Piasec. *prax. Episc. p.* 2. *cap.* 5. *art.* 3. *n.* 87. Pith. *hic n.* 87. *not.* 2. Vviest. *num.* 49.

Paritas in ratione dubitandi instituta inter Proconsulem, & Episcopum potiùs nobis favet; nam licèt nec Episcopus, nec Proconsul extra territorium suum existens uti possit Jurisdictione contentiosa, uti tamen uterque potest Jurisdictione voluntaria: & hujus actus (si tamen actus Jurisdictionis est) est collatio Beneficiorum, cùm peragatur sine judiciali cognitione, & strepitu.

Dub. 5. quis præferri debeat, quando unum, & idem Beneficium collatum est duobus, uni à Papa, alteri ab Episcopo? Resp. distinguendo: Vel enim scitur, cui priùs collatum illud sit, vel dubium de illo est. *Si primum*, præfertur ille, cui priùs collatum est juxta *n.* 45. *Si secundum*, videndum, an aliquis illorum sit in possessione Beneficii, vel neuter. *Si prius*, melior est conditio Collatarii possidentis Beneficium, à quocunque hoc ei collatum sit juxta *Reg. in paci* 65. *in* 6. *Si posterius*, præferri is debet, cui collatio à Papa facta est, propter istius majorem prærogativam, & ampliorem potestatem, prout statutum habetur *c. si à sede* 31. *h. tit. in* 6. & notant Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 10. *n.* 2. *vers. secundò*, Pal. *tr.* 13. *D.* 2. *p.* 13. *n.* 3. Barbos. *in c. si à Sede cit. n.* 9. Leur. *p.* 2. *for. Benef. s.* 3. *c.* 1. *q.* 518. *n.* 1. & 2. 54

Van-

Van-Espen. *J. E. U. p.* 2. *tit.* 21. *c.* 2. *n.* 21. *&* 22. Engl *hic num.* 7. Pirh. *n.* 79. & 81. *not.* 1. Vvieſt. *n.* 44. Et idem dicendum eſt de eo, cui Beneficium contulit Legatus à Latere, ut cum *citt.* notat Pirh. *n.* 80.

55 *Excipitur*, ſi in Reſcripto Apoſtolico ſola dies appoſita ſit, non tantùm dies, ſed etiam hora, qua Beneficium collatum eſt, vel ea per teſtes probari poſſit; nam tali caſu in dubio, cui prius illud collatum ſit, neutro poſſidente, collatio Ordinarii, licèt inferioris, præferenda eſt collationi Papæ, vel Legati à Latere, ut notat Gloſſ. *in c. ſi à ſede cit. V. nec appareat*, Rebuff. *de pacific. poſſ.* 5. *n.* 299. Caſſador. *deciſ.* 20. *de Præbend.* Gonzal. *ad Reg.* 8. *proœm.* §. 3. *à num.* 100. Barboſ. *de Offic. Epiſc. alleg.* 57. *n.* 15. & *in c.* 31. *cit. n.* 7. Pal. *p.* 13. *cit. n.* 4. Pirh. *n.* 80. *not.* 2. Vvieſt. *n.* 44. Ratio eſt, quia per horæ expreſſionem tempus magis determinatur, & ejus probatio certior fit, quàm ſit illa, quæ horæ expreſſione caret.

56 Dub. 6. an poteſtas Beneficia conferendi poſſit competere etiam Laicis? Certa eſt negativa de Jure communi, quamvis de Jure, & privilegio ſpeciali, à Pont. conceſſo, poteſtas iſta competere iiſdem poſſit. *Ratio eſt*, quia poteſtas iſta ſpiritualis eſt, quæ à Jure Laicis denegatur *c. decernimus* 2. *de Judic. Dubium procedit*, an poteſtas iſta competere iiſdem poſſit vi conſuetudinis, aut præſcriptionis? *Videtur* competere poſſe hac via, quia, ut modò dictum eſt, poteſtas iſta ex ſpeciali privilegio, & indulto Apoſtolico iiſdem poteſt competere, pro quo exemplum eſt in Regno Galliæ, ubi Rex jure Regaliæ habet Eccleſiarum Paſtore viduatarum cuſtodiam, & confert Beneficia, quæ in iiſdem, dum viduatæ ſunt, vacant, teſte Tholoſ. *Syntagm. l.* 17. *cap.* 7. *n.* 19. ſed conſuetudo, ſaltem immemorialis, vim privilegii habet. Ergo, etiam conſuetudine, ſeu præſcriptione obtinere Laici jus Beneficia conferendi poſſunt.

57 Sed hoc non obſtante, certa eſt ſententia negativa, quam etiam tenent Lotter. *l.* 1. *q.* 4. *num.* 39. Garc. *p.* 1. *de Benef. c.* 2. *num.* 36. *&* 37. Barboſ. *in c.* 34. *h. tit. num.* 2. Leuren. *p.* 2. *for. Benef. ſ.* 3. *cap.* 2. *q.* 726. *num.* 2. Zoeſ. *hic num.* 8. *&* 9. Engl *n.* 3. Pirh. *n.* 90. Schamb. *num.* 14. Vvieſt. *num.* 41. & noviſſimè Clariſſ. P. Schmier *p.* 2. *de reb. Eccl. c.* 3. *num.* 149. *Ratio eſt*, quia Laicus; ſecluſo privilegio, nec poſſeſſionem, nec quaſi poſſeſſionem juris conferendi Beneficia ob Spiritualitatem ſuam habere poteſt *arg. c. ſacroſancta* 51. *de Elect.* ſine poſſeſſione autem non procedit præſcriptio. *Reg: ſine poſſeſſione* 3. *de R. I. in* 6. *Conf. à pari:* nam, ut *lib.* 1. *tit.* 6. *à num.* 4. dictum eſt, Laicus etiam per Præſcriptionem immemorialem acquirere nequit poteſtatem eligendi ad Beneficia, & Prælaturas Eccleſiaſticas ob ſpiritualitatem ſuam. atqui jus conferendi Beneficia magis ſpirituale, & potentius eſt, quam jus eligendi; cùm per electionem electo tantum acquiratur jus ad rem, per collationem vero acceptatam, ut infra *n.* 62. dicam, jus in re. ergo &c.

58 *Proceditque* hoc, ut Laici Beneficia Eccleſiaſtica conferre nequeant non tantum in perpetuum, ſed ne quidem ad tempus, ſive ut manualia, cùm etiam iſta ſint verè Beneficia Eccleſiaſtica in Spirituali jure conſiſtentia, quod Laici dare non poſſunt. Suntque illi, qui à Laicis collata ſibi Beneficia acceperunt, excommunicati. *can. ſiquis* 16. *cauſ.* 16. *q.* 7. & collatio irrita eſt *c. quod autem* 5. *de Jur. patron.* ubi etiam exprimitur ratio; *quia pro non dato habetur, quod ab illo datur, qui non poteſt de Jure donare.* Excipitur, ſi cum tempore immemoriali concurrat etiam fama privilegii à Sede Apoſtolica aliquando obtenti; nam etſi hoc caſu Laicus lapſu talis temporis jus conferendi non acquirat, hoc tamen lucratur, ut in poſſeſſione ſua, & exercitio juris conferendi tamdiu ſit relinquendus, donec conſtet de falſitate iſtius famæ. Leur. *qu. cit. n.* 3. Vvieſt. *n.* 41. *in fin.* & apud hunc Felin. Alex. de Nevo, Laym.

Ad rationem dubitandi dico, conſuetudinem etiam immemorialem vim privilegii non habere in iis, quæ ſine privilegio poſſideri nequeunt.

59 Dub. 7. an is, qui eſt in poſſeſſione Juris conferendi Beneficia, licitè, & validè ea conferre poſſit, ita, ut ab eo, qui ejuſmodi poſſeſſor fuit, proviſus, à Beneficio removeri nequeat etiam caſu, quo poſtea pronuntiatur, proprietatem, ſive ipſum jus conferendi penes alium fuiſſe? *Ratio dubitandi* eſt, quia proprietas, cùm de ea conſtat, abſorbet poſſeſſionem *c. cùm dilectus* 6. *de cauſ. poſſeſſ.* & fructus extantes reſtituendi ſunt proprietario, poſſeſſorem vincenti, ut dictum *l.* 2. *tit.* 13. *n.* 49.

Sed hoc non obſtante, tenenda eſt affirmativa, videlicet ab eo, qui bonæ fidei poſſeſſor eſt, validè, & licitè exerceri hoc jus, nec proviſum ab illo, ſi collationem ſibi factam acceptavit, removendum etiam, poſtquam apertum eſt vitium poſſeſſionis. Ita Gonz. *ad Reg.* 8. *gloſſ.* 45. §. 2. *à n.* 4. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 25. *q.* 16. Garc. *p.* 5. *de Benef. c.* 5. *à num.* 1. Lotter. *l.* 1. *q.* 45. *num.* 2. Vall. *l.* 1. *de Benef. tit.* 13. *num.* 1. *& ſeqq.* Pal. *tr.* 13. *D.* 2. *p.* 28. *n.* 1. Leuren. *p.* 2. *for. Benef. ſ.* 3. *c.* 2. *q.* 729. *n.* 1. Zoeſ. *hic n.* 41. Pirh. *n.* 88. Vvieſt. *n.* 54. *Ratio eſt*, quia fructus ad bonæ fidei poſſeſſorem ſpectant §. *ſi quis à non domino* 35. *Inſt. de rer. diviſ.* & *l. bonæ* 48. *ff. de acquir. rer. domin.* ſed collatio Beneficiorum eſt quaſi fructus juris conferendi. ergo ad bonæ fidei poſſeſſorem ſpectat: & conſ. ab iſto facta, & à proviſo acceptata collatio ſubſiſtit, quantumvis poſtea conſtet proprietatem ad alium pertinuiſſe.

Ex quo ſequitur, eum, cui talis bonæ fidei poſſeſſor 60 Beneficium contulit, præferendum illi, cui à proprietario, ſeu vero collatore Beneficium eſt conceſſum, ut cum *citt.* notat Covar. *pract. c.* 14. *num.* 2. dicens, ſic apud omnes receptum. Neque neceſſe eſt, ut jam obtinuerit poſſeſſionem Beneficii; quia per collationem acceptatam jam acquiſivit jus in re, ſicut per Inſtitutionem Garc. *n.* 57. *&* 58. Pal. *n.* 2. Vall. *n.* 2. Leur. *n.* 6. Item nihil intereſt, an collatio à tali poſſeſſore juris conferendi facta ſit ante, vel poſt conteſtationem litis, motæ ſuper proprietate iſtius juris; quia lite pendente, in poſſeſſoris præjudicium nihil eſt innovandum, nec bonæ fidei poſſeſſor poſſeſſionis commodo privandus eſt. Garc. *p.* 5. *cit. c.* 6. *n.* 22. Pal. *n.* 3. Leur. *n.* 4.

Ad rationem dubitandi, quando dicitur, quòd proprietas abſorbeat poſſeſſionem, id intelligendum eſt de actibus futuris, non præteritis; nam poſtquam conſtiterit, quòd proprietas penes alium, quàm poſſeſſorem ſit, ſolùm irriti fiunt actus, qui poſt vitii detectionem fiunt, ii autem, qui facti ſunt ante illius detectionem, remanent validi.

Quæritur 2. quibus Beneficia Eccleſiaſtica conferri 61 poſſint, vel non poſſint? Reſp. ut alicui Beneficium Eccleſiaſticum conferri poſſit, 1. requiritur, ut promovendus ad Beneficium ſit *natus ex legitimo Matrimonio;* nam illegitimi ſine diſpenſatione Beneficia obtinere non poſſunt ut dictum eſt *Lib.* 1. *tit.* 6. *n.* 16. *verſ.* 3. *illegitimè nati*, & *Tit.* 17. *à n.* 1. 2. *requiritur conveniens ætas;* nam pueri non ſunt idonei ad Beneficia Eccleſiaſtica obtinenda *c. ſuper* 35. *h. tit.* Quænam autem requiratur ætas ad ſingula Beneficia, dictum eſt *Libr.* 1. *tit.* 14. *à n.* 1. 3. *Clericatus;* nam, ut, quis capax ſit Beneficii Eccleſiaſtici, debet eſſe initiatus ſaltem prima Tonſura, & ſic relatus in numerum Clericorum *c. cùm contingat* 11. *de ætat. & qual. c. ex litteris* 6. *de tranſact. c. in Eccleſia* 2. *de Inſt.* & ratio eſt, quia Beneficium fundatur in officio ſpirituali, ob quod confertur, cujus Laicus non eſt capax. An autem, & qualis Ordo ad ſingula Beneficia requiratur, dictum eſt *Libr.* 1. *tit.* 14. *à n.* 13. 4. *Competens litterarum ſcientia*, quæ diverſa eſſe debet pro Beneficiorum diverſitate, prout exponitur *Tit.* 14. *cit. à n.* 24. 5. *Decens vitæ honeſtas, & morum probitas*, ut nempe promovendus non ſit criminoſus, infamis, ligatus Cenſura, Irregularis &c. de quo dictum *Tit.* 14. *à n.* 28. 6. Denique ad Beneficia, ſaltem Curata, aſſumendus eſt dignior, ut pluribus oſtenſum *Tit. cit. à n.* 36. Poſſuntque his qualitatibus, quæ de Jure communi requiruntur in promovendo, ſtatuto, fundatione, conſuetudine ſuperaddi aliæ, e. g. ut ad certum Beneficium non admittantur, niſi qui ſunt de certa familia, ex certa patria, certo gradu inſigniti; vel ut qui aſſumuntur ad Canonicatus in Eccleſiis Cathedralibus, ſint Nobiles, & Illuſtres &c. de quo *relato Tit.* 14. *à n.* 32.

Dub. 1. an, & quale jus per Collationem alicui fa- 62 ctam acquiratur in Beneficio? Reſp. diſtinguendo: Vel enim is, cui collatum eſt Beneficium, illud acceptavit, vel non acceptavit. *Si acceptavit*, collatio eidem tribuit jus in re, & quaſi dominium collati ſibi Beneficii, etiam ante ſecutam poſſeſſionis apprehenſionem, ut habetur *c. ſi tibi abſenti* 17. *h. tit. in* 6. & *cap. fin. de conceſſ. præb. eod.* eo prorſus modo, quo jus in re acquiritur præſentato per Inſtitutionem, electo per confirmationem, poſtulato per poſtulationis admiſſionem. Paſſerin. *in cap.* 16. *h. tit. in* 6. *num.* 17. Van Eſpen *J. E. U. p.* 2. *tit.* 21. *cap.* 2. *n.* 4. Clariſſ. P. Schmier *p.* 2. *de Reb. Eccl. c.* 3. *n.* 156. Poterit igitur is, cui ſic collatum eſt Beneficium, ſi alius violentè illud detineat, id ſibi ab eo vindicare, & pro ejus juribus agere ſtatim à collatione ſibi facta, prout ſumitur ex *c. ſi tibi cit.* & notat *ibid.* Franc. *n.* 3. Pirh. *hic n.* 55. Vvieſt. *n.* 37. *Neque obſtat*, quòd in aliis rebus ſolus conſenſus non ſuffi-

sufficiat ad acquirendum dominium illarum, sed insuper requiratur traditio, & apprehensio rei *l. traditionibus* 20. *C. de pact.* quia in rebus Spiritualibus, uti sunt Beneficia; faciliùs acquiritur jus in re, quàm in rebus corporalibus, ut tradit Ancharan. *in c.* 17. *cit. not.* 11. Barbosa *ibid. n.* 5. Pirh. *n.* 55. *cit.*

Si verò Collatarius Beneficium sibi collatum nondum acceptavit, major est difficultas. Videtur enim, antequam collationi consenserit, nullum eidem acquiri jus; ex ratione, quia, ut *n.* 40. dixi, Collatio libera est quædam donatio, donatio autem ante acceptationem factam à donatario nullum jus eidem tribuit, sed revocari potest à donatore, quando libuerit, licèt expresso istius consensu sit facta *l. absenti* 10. *ff. de donat.* & *l. qui absenti* 38. *ff. de acquir. possess.*

Sed dicendum, hujusmodi collatione, antequam acceptetur, non quidem acquiri jus in re Beneficio, acquiri tamen jus ad rem, ita, ut Episcopus, vel alius Collator ejusdem conferre illud alteri nequeat, donec is, cui sic collatum est, ipse collationi dissenserit, & jure per collationem sibi quæsito se abdicaverit. Ita statuitur *c. si tibi cit.* & notat *ibid.* Franc. *num.* 10. Barbos. *n.* 1. & *seqq.* Passerin. *n.* 6. & 12. Pal. *tr.* 13. *D.* 2. *p.* 1. *n.* 12. Leur. *p.* 2. *for. Benef. q.* 3. *c.* 3. *q.* 794. *n.* 1. Clariss. P. Schmier *p.* 2. *de reb. Eccl. c.* 3. *n.* 150. P. Pirh. *hic num.* 55. *not.* 2. P. Wiestner *n.* 38. Proceditque hoc, ut neque sub conditione, *Si à priore Collatario non acceptetur*, collatio fieri alteri possit, ut notat Gloss. *in c. si tibi cit. V. personam.* Ratio est, quia collatione facta, Episcopus, vel alius Collator functus est officio suo, cujus ratione Beneficium conferre potest, & tenetur; ut adeo locus sit Regulæ *c. in litteris* 9. *de Offic. deleg.* & *l. Judex* 55. *ff. de re jud.*

64 *Ad Rationem dubitandi*, licèt collatio Beneficii libera censeatur esse quædam donatio respectu Collatarii, quòd respectu ejusdem sit concessio merè liberalis, utpote ante collationem nullum habentis jus ad Beneficium sibi collatum; non tamen est propriè donatio respectu Collatoris, cùm ab hoc non ex mera liberalitate, sed ex officii obligatione descendat. Accedit, quia donatio propriè dicta est concessio rei, quam donator habet ut propriam, & ut talem sibi retinere posset. atqui collator non potest Beneficium retinere sibi, sed necessariò conferre illud alteri debet. ergo &c.

65 Dub. 2. an Episcopus, vel Collator Beneficii præfigere Collatario terminum possit, intra quem collationem acceptet? Resp. posse. Ita cum aliis Barbos. *in c.* 17. *cit. n.* 9. Passerin. *ibid. n.* 18. & *duob. seqq.*

Difficultas est, an Collatarius, transacto termino sibi statuto, adhuc consentire possit? Videtur non posse ex paritate cum electo, qui si intra 30. dies à Jure sibi statutos in sui electionem non consensit, post illos in eandem consentire ampliùs utiliter nequit.

66 Sed dicendum, etsi hoc casu collator non teneatur ampliùs exspectare, sed lapso termino, Beneficium alteri conferre possit; si tamen alteri nondum contulit, Collatarium collationi sibi factæ utiliter adhuc consentire posse. Ita Gloss. *in c. si tibi cit. V. terminum*, Franc. *ibid. n.* 12. Barbos. *n.* 10. & 16. Passerin. *n.* 23. & *seqq.* Pirh. *hic n.* 56. Wiest. *n.* 39. quibus consentit Clariss. P. Schmier *p.* 2. *de reb. Eccl. c.* 3. *n.* 155. *Quod collator ampliùs expectare non teneatur*, patet inde; quia hoc ipso, quòd Collatarius intra illum terminum non consentiat, censetur dissentire, & electioni sibi factæ renuntiare, ut rectè advertit Passerin. *l. cit. n.* 18. cum aliis. *Quod vero utiliter adhuc consentire possit*, ratio est, quia quando actus pendet ex alterius voluntate, & Lex non assignat certum tempus ad declarandum consensum, vel dissensum, etsi terminus ab homine præfigi possit, tamen post terminum elapsum, si res adhuc sit integra, consensus præstari potest, ut rectè monet Gloss. *V. terminum cit.* neque enim quis prohibetur mutare consilium, quando alteri non fit præjudicium *arg. Reg. mutare* 33. & *ibi* Gloss. *V. mutare de R. J. in* 6.

Ex quo patet responsio ad rationem dubitandi; nam 30. dierum terminus electo ad consentiendum electioni præfixus à Jure est *c. quam sit* 6. *de elect. in* 6. cujus terminus omnino fatalis est.

67 Dub. 3. an ad obtinendum Beneficium, & ejus possessionem necessaria sit præsentia illius, cui confertur? Resp. dupliciter posse absenti conferri Beneficium, & primò quidem nulla interveniente persona, deinde verò interveniente aliqua persona, quæ loco Beneficiarii acceptet, & consentiat collationi. *Si primo modo collatio fiat*, non acquiritur ita proviso Jus in re, donec iste acceptaverit collationem, ut dictum est *n.* 63.

Si secundo modo, interest, an persona illa interveniens habeat speciale mandatum sibi datum à principali ad Beneficium suo nomine acceptandum, an verò tali mandato careat.

68 *Si prius*, & hic nomine principalis Beneficii collationem acceptet, collatarius acquirit jus in re per collationem à Collatore, & acceptationem à suo Procuratore factam, ut constat ex *c. accedens* 24. *h. tit.* & notat *ib.* Abb. *num.* 3. & *duob. seqq.* Vivian. *c. eod. vers. distingue tamen.* Barbos. *in c.* 17. *tit. eod. n.* 11. Passerin. *n.* 11. Vall. *l.* 1. *de Benef. tit.* 6. *n.* 7. Leuren. *p.* 2. *for. Benef. q.* 3. *cap.* 3. *q.* 797. *n.* 2. Pirh. *hic n.* 111. *not.* 1. & alii passim. Satis autem speciale mandatum erit, si sit datum ad acceptandum Beneficium saltem in genere, & indeterminatè, videlicet cùm aliquod vacaverit, vel se occasio obtulerit. Wagn. *in c.* 24. *cit.* Passerin. *n.* 11. *cit.* & apud hunc alii. Neque opus est, ut Procurator cum tali mandato sit Clericus; quamvis enim id tutius, & usitatum sit, absolutè tamen etiam Laicus esse Procurator in causa hac potest *arg. c.* 1. *de Procurat. in* 6. quia jus spirituale Beneficii non acquiritur ipsi Laico præsenti, sed per ipsum, velut per canalem, seu exhibentem nudum ministerium transit in ipsum dominum, seu principalem, ut notat Joan. Andr. *in c.* 24. *cit. n.* 2. Abb. *ibid. n.* 6. Vivian. *vers. nunquid autem*, Passerin. *in c.* 17. *h. tit. in* 6. *num.* 11. *in fin.* Clericat. *de Benefic. Discord.* 90. *n.* 8. Schamb. *hic num.* 22.

Si posterius contingat, & Beneficium acceptatum sit ejus nomine ab alio, qui speciale ab ipso mandatum non habuit, v. g. à Procuratore generali, negotiorum gestore, vel ejus amico, non acquiritur absenti jus in Beneficio, nisi postea re intellecta, id, quod suo nomine gestum est, ratum habeat *l. si ego* 24. *junct.* Gloss. *V. imputare ff. de negot. gest.* & tradit Franc. *in c. si tibi cit. n.* 3. Leuren. *n.* 1. Pirh. *n.* 110. cum aliis suprà. Et quidem quòd ante ratihabitionem hoc casu jus in re Collatario non acquiratur, patet ex generali Juris principio, quòd sine animo non acquiratur alicui dominium, vel jus aliquod. Quòd verò Jus in re Collatarius acquirat, si collationem postea habuerit ratam, infertur inde, quia hoc casu aliud nihil defuit, quàm ejus consensus, qui per ratihabitionem suppleri potest, etiam in his, quæ speciale mandatum requirunt *c. fin. de Jurejur. in* 6. 69

Proceditque hoc etiam in aliis electionibus, & provisionibus, quibus confertur Sæcularis Dignitas, vel administratio ex necessitate, sive obligatione officii, ut bene advertit Pirh. *l. cit.*

Dub. 4. an Beneficium conferri possit Novitio Religionis? Resp. distinguendo inter Beneficia Sæcularia, & Regularia. 70

Sæcularia eidem conferri possunt, quamvis non deceat, ut contra Gloss. *in c. beneficium* 4. *vers. conferendum de Regular. in* 6. docent Garc. *p.* 7. *Benef. c.* 10. *num.* 5. & 6. Sanch. *l.* 7. *de moral. cap.* 4. *num.* 22. Pal. *tr.* 13. *D.* 1. *p.* 3. §. 3. *n.* 5. Leuren. *for. Benef. p.* 1. *q.* 1. *c.* 2. *q.* 48. Pirh. *hic num.* 123. & alii apud istos. *Ratio est*, quia Novitius est adhuc sui juris, & proprii retinendi capax. *Ex quo sequitur*, 1. hujusmodi Novitium Beneficium suum, quod ante ingressum in Religionem adeptus est, commutare cum alio posse non minùs, ac alius Clericus Sæcularis potest, ut *l. citt.* advertit Sanch. Leuren. &c. 2. eundem acceptare posse de novo sibi collatum sive Curatum, sive simplex: neque ex hoc, ut quidam volunt apud Sanch. *l. cit.* argui posse, quòd renuntiet Religioni; quia neutrum cum statu Novitii est incompatibile. 3. si Beneficium vacet, quod ex fundatione debetur primogenito e. g. ex certa familia, isque sit Novitius, illud Beneficium non posse conferri alteri, sed cum Novitio, ut dictum est, decenter non conferatur, exspectandum usque ad illius Professionem, vel tempus, quo potest renuntiare bonis, constituto interea Vicario in Beneficio; quia Novitius ex vi fundationis acquisivit jus ad rem, quo spoliari non debet. Sanch. *n.* 23. Pal. *n.* 6. Leur. *l. cit.*

Quoad Regularia distinguendum est inter Beneficia, quæ administrationem habent, & alia. *Ad priora* Novitius promoveri non potest, maximè ad Prælaturas Episcopatu inferiores *c. nullus* 28. *de Elect. in* 6. Ratio congruentiæ est, quia *non debet in Magistrum assumi, qui formam discipuli vix assumpsit, neque aliis præfici, qui subesse non novit*, ut habetur *c. cùm in Magistrum* 49. *de Elect. De Posterioribus* aliud constitutum est Jure antiquo, aliud novo. Antiquo Jure nec ista Noviriis conferri poterant; possunt autem novo Trid. *Sess.* 14. *c.* 10. *de Regul.* ubi permittuntur Beneficia Regularia vacantia conferri nondum professis, imò & iis, qui habitum nondum susceperunt, modò eundem suscipere, & professionem emittere velint, & ad hoc se obligent, 71

gent, Sanch. *l. cit. n.* 24. Barbof. *Jur. Eccl. l.* 3. *c.* 4. *n.* 36. *&* 37. Van-Efpen *J. E. U. p.* 2. *tit.* 18. *c.* 3. *à n.* 13.

72 Dub. 5. An in Beneficio fuccedere aliquis poffit etiam jure confanguinitatis? *Refp.* non poffe, prout conftat ex *c. ut nullus* 1. *h. tit.* Ratio eft, quia cùm bona Ecclefiaftica fint à Fidelibus DEO oblata pro fuftentatione Miniftrorum Ecclefiæ, hinc fequitur, quòd Clerici jus Præbendæ, feu Beneficii non à defuncto Beneficiario per fucceffionem, fed ab Ecclefia, feu Prælato ejus per Canonicam Inftitutionem, vel Collationem habere debeant. Abb. *in cap.* 1. *cit. n.* 3. Vivian. *ibid. in Ration.* Barbof. *n.* 1. *&* 2. Gonz. *n.* 5. *& feqq.* Pirh. *n.* 51. *Proceditque* hoc, ut non folùm prohibita fit fucceffio ex Teftamento, vel ab inteftato, fed etiam omne id, quod vel fpeciem, aut fimilitudinem talis fucceffionis præ fe fert, ut bene notat Pirh. *n.* 52.

Et hinc 1. illicitum eft pactum de fuccedendo alteri in Beneficio Ecclefiaftico poft mortem ejufdem *cap. nulla* 2. *de conceff. Præb.* quia pactum de futura fucceffione etiam Jure Civili non valet *l. fin. C. de pact.* 2. non minùs irritum eft pactum, quo aliquis in Ecclefia inftituitur ea conditione, ut poft mortem ejus alius certus v. g. confanguineus illius fuccedat *c. accepimus* 5. *de pact.* 3. fimili ratione non poteft filius, etfi legitimè natus, in eodem Beneficio immediatè fuccedere patri *cap. veniens* 5. & *c. feq. de fil. Presbyt.* 4. non poteft, vivente Prælato, vel alio Beneficiato, de fucceffore fubftituendo tractatus inftitui, etiamfi paulò poft moriturus fit *c. bonæ* 36. §. *electionum de elect.* 5. neque etiam Epifcopo, vel fimili Prælato Coadjutor dari poteft cum poteftate fuccedendi *can. petiifti* 17. *cauf.* 7. *q.* 1. Trid. *feff.* 25. *c.* 7. *de reform.* excepta plenitudine poteftatis Papalis, per quam hæc omnia fieri poffunt.

73 Ratio horùm omnium eft, quia fecundùm Canones Ecclefiæ, & Beneficia Ecclefiaftica, non per fucceffionem quafi hæreditariam, fed per Canonicam Electionem, aut Inftitutionem obtineri debent, & quidem non antequam illa vacent: ideoque & promiffiones de Beneficio nondum vacante prohibitæ funt, ut *infrà Tit.* 8. dicetur.

Neque obftat, quòd Jus Patronatus, licèt & ipfum fpirituale fit, jure fucceffionis ad hæredes, & proximos agnatos cum bonis hæreditariis tranfeat; nam in primis jus conferendi magis fpirituale eft, & propinquiùs connexum cum Spirituali, quippe cùm per collationem acceptatam acquiratur jus in re. Deinde jus Patronatus ex fpeciali gratia conceffum eft Laicis eo fine, ut excitentur fideles ad fundandas, & dotandas Ecclefias *c. quoniam* 3. *de Jure patronatus:* qui finis magis obtinetur, fi jus hoc à Laico femel obtentum ad ejus hæredes tranfeat. Abb. *in c.* 1. *cit. num.* 4. Wagnereck *ibid. in Exegef.* Pirh. *hic n.* 52.

74 Quæritur 3. quomodo fieri debeat Collatio Beneficiorum? Refp. ut rite fiat, plura requiruntur. Nam 1. debent conferri *gratis*, h. e. nullo interveniente pretio, præmio, mercede, vel aliquo, quod fit pretio æftimabile *can. fiquis* 3. *can. fiquis objecerit* 7. & *can. feq.* §. *igitur* junct. Gloff. *V. Ecclefiafticam cauf.* 1. *q.* 3. aliàs committeretur Simonia, quæ fi ex utraque parte completa fit, facit irritam Collationem, ut dicetur *Lib.* 5. *Tit.* 3. *de Simon.*

2 *Liberè*, i. e. non per vim, aut metum. *c. Abbas* 2. & *c. feq. de his, quæ vi &c.* nam collatio Beneficii, ut *n.* 40. dictum, eft veluti liberalis quædam donatio, quæ coactionem excludit. Ex quo confequitur, quòd neque debeat effe ob-vel fubreptitia; quia ob-& fubreptio tollit confenfum liberum, ac proinde vitiat conceffionem gratiæ *c. fi motu* 23. *h. tit. in* 6. *c. ad aures* 8. & *c. conftitutus* 19. *de refcript.*

3 *Palàm*, i. e. præfentibus teftibus faltem duobus, qui de facta provifione teftari poffint, ut fraudibus, & litibus occurratur. Bene tamen hic notant Azor *p.* 2. *l.* 6. *c.* 26. *q.* 4. Leuren. *p.* 2. *for. Benef. f.* 3. *c.* 3. *q.* 773. Pirh. *hic n.* 60. collationem etiam fine teftibus, clàm, & fecretò factam valere; quia nullo Jure reperitur expreffum, quòd collatio Beneficii debeat palàm, feu publicè fieri: unde quoad hoc collatio differt ab Electione, in qua forma *c. quia propter* 42. *de. Elect.* fervari debet; hæc enim, ut valeat, publicari debet.

75 4 *In Scriptura*. Azor *p.* 2. *l.* 6. *capit.* 26. *q.* 5. Pal. *tr.* 13. *D.* 2. *p.* 13. *n.* 5. *& duob. feqq.* Van-Efpen *J. E. U. p.* 2. *tit.* 21. *c.* 2. *n.* 8. Pirh. *hic n.* 62. & concordat hodierna praxis, quæ non folet quenquam ad poffeffionem Beneficii in vim factæ collationis admittere, nifi Litteras collationis, quas *Patentes* vocare folent, in forma expeditas afferat, & exhibeat. Sed hoc iterum tantùm requiritur ad faciendam fidem, quando de collatione facta dubium aliquod oriretur; nam etiam fine fcriptura facta eft valida, prout DD. *citt.* cum aliis notant. *Neque obftat*, quòd *Extrav. injunctæ* 1. *de Elect. int. comm.* ad obtinendum Beneficium, & ejus poffeffionem requiratur, ut quis Litteras Apoftolicas collationem continentes impetret; alioquin collationem fore irritam. Nam Conftitutio hæc locum duntaxat habet in collatione Beneficiorum facta à Papa, vel ejus Legato, non autem ab Ordinariis locorum inferioribus, de quorum collatione faciliùs conftare poteft. Zoef. *hic n.* 53. cum *citt.*

5 *In perpetuum* vel fimpliciter, ut fit in Beneficiis propriè dictis, quæ conferuntur ad vitam Collatarii, vel faltem ad nullum certum, & determinatum tempus, ut Beneficia Manualia, quæ licèt ad nutum auferibilia fint, nunquam tamen conferuntur pro certo, & determinato tempore, fed pro indeterminato, & incerto, ac proinde de fe perpetuò; nam tempus incertum pro perpetuo quodammodo habetur. Azor *p.* 2. *l.* 6. *c.* 26. *q.* 7. Pal. *tr.* 13. *D.* 2. *p.* 27. *n.* 2. Leuren. *for. Benef. p.* 2. *f.* 3. *c.* 2. *q.* 774.

6 *Non conditionatè*, ut colligitur *c. in electionibus* 2. *de Elect. in* 6. qui textus, licèt loquatur folùm de Electione, & Poftulatione, locum tamen habet etiam in collatione, feu alia provifione Beneficii, ut tradit Gloffa communiter recepta *ib. V. incerta*, Franc. *n.* 4. Pirh. *hic n.* 63. Ratio eft, quia Electiones, & Collationes Beneficiorum numerantur inter eos actus legitimos, qui fecundùm Legis præfcriptum fieri debent abfolutè, & fimpliciter, ita, ut nec conditionem, nec diem recipiant. *Reg.* 50. *in* 6. *Proceditque* hoc, five conditio Collationi addita fit de futuro, five de præterito, aut præfenti; nam fub quacunque conditione, fi extranea illa fit, facta collatio Beneficii irrita redditur ob incertitudinem, quam fibi adjunctam habet. Joan. Monoch. *in c.* 2. *cit. num.* 5. *&* 6. Franc. *ibid. num.* 5. Pal. *D.* 3. *p.* 1. *num.* 7. Pirh. *hic num.* 64. Dixi, *Si extranea illa fit*; nam fub intrinfeca, quæ fuaptè natura, five ipfo Jure imbibita eft, ut *Confero tibi Beneficium, fi vacet, fi es idoneus &c.* facta collatio valet, ut *l. citt.* advertunt Azor *q.* 3. Pal. *n.* 4. Leuren. *q.* 769. Pirh. *n.* 64. Ratio eft, quia per talem conditionem nihil additur, vel demitur actui, cui adjicitur, fed quod implicitè continetur, explicatur. 76

7 *Non alternativè, feu disjunctivè*, v. g. *Confero Beneficium Titio, vel Cajo* arg. *c. in electionibus cit.* junct. Gloff. *V. incerta*; quia fic voluntas conferentis redditur incerta, & dubia, ex cujus tamen voluntate collatio vim habet. 77

8 *Non unum, idemque duobus*, ut habetur *c. tua* 20. *h. tit.* *Proceditque*, five id fiat, ut fimul, & conjunctim illud poffideant; five ut unus obtineat ftatim, alter verò fub exfpectatione ejufdem Præbendæ exiftat: *primum* effet divifio unius Beneficii in duo, quæ Jure Canonico regulariter prohibita eft; alterum effet Gratia Exfpectativa ad proximam Vacaturam, quæ jam fublatæ funt *c. nulla* 2. *de conceff. Præb.*

9 *Sine diminutione*, prout dicetur *Tit.* 12.

10 Denique Beneficium conferendum debet effe vacans, ut explicabitur *Tit.* 8.

Dub. 1. an valeat Collatio Beneficii facta fub modo, Pacto, onere? *Refp. ad* 1. Modi eandem ferè rationem effe, quæ conditionis; nam diftinguendum eft, an modus talis à natura infit, vel non. *Si hoc fecundum*, collatio erit invalida ex ratione, quæ contra conditiones extraneas *n.* 76. allata eft. *Si primum*, e. g. *Confero tibi Beneficium Parochiale, ita tamen, ut obligatus fis intra annum fufcipere Sacerdotium*, collatio fub tali modo facta eft valida, ob rationem fuprà allatam pro conditione appofita. Azor *p.* 2. *l.* 6. *c.* 26. *q.* 3. Garc. *p.* 8. *de Benef. c.* 2. *n.* 12. Pirh. *hic n.* 65. & alii paffim. 78

Ad 2. id, quod dictum eft de Conditione, & Modo, etiam dicendum de Pacto; nam fi collationi Beneficii, aut refignationi adjectum fit pactum aliquod, continens id præcisè, quod Jure communi requiritur, & tacitè ineft, ut fi Collator dicat, *Confero tibi Beneficium eo pacto, ut idoneum te huic adminiftrando facias*, vel refignans, *Refigno tibi Beneficium eo pacto, ut fructus Beneficii refignati ufque ad amiffionem refignationis ad me pertineant*, collatio, *&* refignatio valet, ut *l. citt.* notant Garc. *n.* 15. Pirh. *n.* 65.

Ad 3. diftinguendum eft inter onus temporale, & fpirituale. *De* onere temporali, an, à quo, & in quantum imponi poffit, examinabitur infrà *Tit.* 12. *Quoad onus fpirituale*, multum intereft, an illud imponatur, antequam Beneficium alicui conferatur, an verò in ipfa collatione per modum adjectæ conditionis, modi, aut pacti. *Si prius*, ab Epifcopo imponi poteft, & ftatui, ut Beneficiarius deinceps docere debeat S. Scripturam, habete 79

bere Catechesin &c. utque tale onus deinceps ad quemcunque Beneficii possessorem transeat *c. significatum* 11. *h. tit.* Gloss. *ibid. in Notat.* non tamen id possunt inferiores Episcopo; quia non possunt naturam, & institutionem Beneficiorum per nova Statuta mutare. Abb. *in c.* 11. *cit. n.* 2. Pirh. *hic num.* 67. *Si posterius*, hujusmodi onus novum neque ab Episcopo imponi potest, ut cum aliis advertit Gloss. *in c. quia nonnullis* 3. *V. item nunquid. de Magistr.* contra Joan. Andr. & Abb. *ibid. in fin.* Ratio est, quia Beneficia Ecclesiastica debent conferri purè, & simpliciter, sine omni pactione, & conventione *c. fin. de pactis.*

80 Dub. 2. an possit aliquis licitè recipi in Canonicum sine Beneficio, vel Præbenda? Resp. ex causa posse, prout patet ex *c. relatum* 9. *h. tit.* & *c. cùm M.* 9. *de Constit.* ibi, *In Canonicos receperunt, nullis Præbendis assignatis eidem.* Ratio est, quia Præbenda non est de substantia Canonicatus. Proceditque hoc maximè, quando in aliqua Ecclesia nullus est certus numerus Canonicorum, certæ autem, & distinctæ sunt Præbendæ, ut notat Abb. *in c. relatum cit. n.* 2.

Porro ita receptus ex hac sua receptione duos favores habet. *Unus* est, quòd etsi Præbendam non habeat, de Jure communi tamen, & nisi contrarium obtineat consuetudo, quæ ubique servanda est, debeat habere stallum in Choro, vocem in Capitulo, & Distributiones quotidianas *c. dilectus* 19. *h. tit.* quia verè jus Canoniæ habet, & cons. omnia Jura Canonicalia, *Excipitur*, nisi receptus sit cum addito, quòd recipiatur tanquam supernumerarius; nam sic receptus non habet Jus integrum Canoniæ, sed solùm præparatorium quoddam ad jus integrum aliquando obtinendum. Abb. *in cap. cùm M. cit. n.* 31. Pirh. *n.* 32. *not.* 2. Schamb. *n.* 8.

81 *Alter favor est*, quòd sic receptus non diu debeat esse sine Præbenda; cùm enim, ut *n. præc.* dixi, locum habeat in Choro, & vocem in Capitulo, aliisque oneribus Canonicorum subsit, decens est, ut etiam Beneficium habeat, cujus alatur reditibus, ex principio generali, quod Beneficium detur propter officium. *Ex quo sequitur*, quòd ita receptus, si deinde Præbenda Canonicalis vacaverit, Judicis officio implorato, petere possit, ut ea sibi conferatur, prout sumitur ex *c. dilectus cit.* & notat Abb. *ibid. num.* 7. *Proceditque* hoc, etiamsi receptus sit supra numerum; nam etiam huic conferri debet Præbenda proximè vacatura, cùm ita receptus, extincta supernumeraria Canonia, quam habuit, tali casu ingrediatur in numerum antiquorum Canonicorum. Pirh. *n.* 33. *not.* 5. *Neque obstat*, quod talis Canonicus non habeat jus determinatè ad Præbendam primò vacaturam; habet enim ratione Canonicæ jus saltem in genere ad aliquam Præbendam, vel ut Præbenda proximè vacatura potiùs sibi, quàm alteri, qui jus Canoniæ non habet, vel post ipsum in Canonicum receptus est, conferatur.

82 Dub. 3. qua forma conferri debeant Beneficia Parochialia? Resp. hæc ex præscripto Trid. *sess.* 24. *c.* 18. *de Reform.* conferri debent per Concursum, ita, ut ille, qui in eo inventus fuerit dignior, obtineat Beneficium. Secus, collatio censebitur irrita, & siquidem jus conferendi pertinuit ad Episcopum, illud ad Sedem Apostolicam devolvetur. *Excipitur*, ubi modus Beneficia conferendi per concursum vel non est inductus, vel si aliquando inductus est, exolevit, prout defacto exolevit in multis locis, in quibus proin Collationes, etiam sine concursu factæ, sunt validæ.

Imò etiam in iis locis, in quibus usus Beneficia per concursum conferendi viget, non semper forma per concursum illa conferendi est necessaria. Et 1. si Beneficium Parochiale sit Juris Patronatus Laici; nam ad hæc præsentatus, si idoneus repertus fuerit, à Collatore est instituendus. 2. Si permutetur cum alio Parochiali, vel simplici, aut resignetur in favorem tertii; nam resignatario, modo aptus sit, præ aliis est conferendum. 3. Si sit perpetuò unitum alicui Dignitati, Canonicatui, vel Monasterio. 4. Si Cura illius pertineat ad Ecclesiam Cathedralem, vel Collegiatam, & per plures alternatim, ac per hebdomades administretur. 5. Si nemo se velit ad concursum offerre, vel gravia dissidia, aut lites ex concursu sint timendæ &c. Pal. *tr.* 13. *D.* 3. *p.* 2. §. 5. *à n.* 2.

83 Dub. 4. an formam, & modum hactenus descriptum in Beneficiis conferendis debeat etiam observare Papa? Resp. negativè; sed locum hactenus dicta solùm habent in Collatoribus inferioribus Papa. Hinc enim; cùm supremam, & plenissimam potestatem habeat in Beneficiis, idcirco liberrimè de iis disponere quoad ea, quæ Juris positivi sunt, potest, ut rectè notant Azor *p.* 2. *l.* 6. *c.* 25. *q.* 1. & *c.* 26. *q.* 1. Less. *l.* 2. *de Just. cap.* 34. *n.* 45. Leuren. *p.* 2. *for. Benef. f.* 3. *c.* 3. *q.* 512. *num.* 1. Illsung *tr.* 5. *D.* 2. *n.* 182. Pirh. *hic n.* 74.

Adeoque potest 1. conferre Beneficia non tantùm vacantia, sed etiam non vacantia, & dare ad hæc gratias exspectativas, ut infrà dicetur *Tit.* 8. 2. Potest illa conferre non tantùm absolutè, sed etiam sub conditione de futuro, & suspensiva; item sub modo, etiam qui de Jure non inest. 3. Non tantùm in perpetuum, ut alii Collatores, sed etiam ad tempus. 4. Non tantùm singula singulis, sed etiam unum duobus, idque vel copulativè, vel alternativè, prout voluerit. 5. Imò pro arbitratu suo potest uni Beneficium adimere, & alteri dare, & quidem validè etiam sine justa causa.

§. IV.

De Pluralitate Beneficiorum.

S U M M A R I U M.

84 *Divisio Beneficiorum in Compatibilia, & Incompatibilia.*
85 *Probantur dari Compatibilia.*
86 87 88 *Enumerantur, quæ sunt incompatibilia.*
89 *Quid de Beneficiis Sæcularibus simplicibus uniformibus sub eodem tecto?*
90 91 *Quid de difformibus?*
92 93 *Quid de pluribus sub diverso tecto?*
94 95 96 97 *An possit aliquis eum Beneficio simplici, ad congruam sustentationem sufficiente, retinere aliud non sufficiens?*
98 99 100 101 *Quid circa obtentionem plurium Beneficiorum possit consuetudo?*
102 103 *An quis absque dispensatione obtinere, & retinere possit plura Beneficia simplicia, quam duo?*
104 *Ex qua causa SS. Canones pluralitatem Beneficiorum horreant?*
105 106 107 108 109 *Tempora diversa, quibus prohibita illa fuit?*
110 111 *Quænam Beneficia vacent ipso Jure per adeptionem alterius?*
112 113 114 *Quæ non vacent?*
115 116 117 118 *An ipso Jure etiam vacet simplex per adeptionem alterius simplicis?*
119 120 121 *An vacent omnia priùs obtenta?*
122 123 124 125 126 127 *Requisita, ut priùs obtentum vacet ipso Jure?*
128 129 130 *Casus, quibus vacatio hæc non inducitur.*
131 132 *Quando Beneficium primum vacare incipiat?*
133 *Ita vacans Collator Ordinarius intra sex menses debet conferre alteri.*
134 *Aliàs ad proximum superiorem devolveretur.*
135 *In possessionem tamen Beneficii sic collati, non potest mittere, nisi possessore vocato.*
136 *Et causa summariè cognita.*
137 *Casus, quibus plura Beneficia obtineri absque dispensatione possunt.*
138 139 140 *Causæ justæ dispensandi in Beneficiorum pluralitate.*
141 *Pontifex in hac dispensandi potestatem habet amplissimam.*
142 *Valetque ejus dispensatio, etiam facta sine causa justa.*
143 *Sententiæ diversæ circa sic dispensatum.*
144 145 146 *Potestas Episcopi in hoc puncto.*
147 *Legati à Latere, Capituli Sede vacante, Vicarii Generalis &c.*
148 149 *Notanda circa hanc dispensationem.*

Communis apud DD. Beneficiorum divisio est, qua alia dicuntur Incompatibilia, alia Compatibilia. 84
Compatibilia dicuntur illa, quæ vel nullam, vel non incompossibilem residentiam exigunt, ideòque simul obtineri, & retineri possunt, uti sunt duo Canonicatus, si tales sint, ut ex Statuto, aut recepta consuetudine sufficiat in uno residere tres duntaxat, vel sex menses, in altero totidem. *Incompatibilia* appellantur, quæ vel Jure naturali, vel Jure communi Ecclesiastico, vel ex consuetudine, Statuto, aut Fundatione continuam residentiam personalem exigunt, ideoque simul obtineri, vel retineri, saltem sine dispensatione non possunt. Atque hæc iterum in duas species dividuntur, in ea sc. quæ Incompatibilia sunt *in primo genere*, & ea, quæ *in secundo* tantùm sunt Incompatibilia. *Priori modo incompatibilia* sunt, quæ ita sibi invicem adversantur in eadem persona, & subjecto, ut obtento secundo, va-

do, vacet hoc ipso primum. *Posteriori* illa, quæ in eadem persona quidem se licitè non compatiuntur, non tamen sibi invicem adversantur, ut altero obtento, prius Beneficium hoc ipso vacet: Hæc Subdivisio hodie videtur sublata per Trid. cujus Decreto, ut infra *n.* 116. dicam, omnia Beneficia, quæ ratione etiam residentiæ tantùm sunt incompatibilia, facta sunt incompatibilia absolutè, & primum, secundo obtento, ipso Jure vacat.

85 Quæritur 1. an de Jure communi dentur aliquà Beneficia inter se compatibilia in eodem subjecto? Videtur nulla hujusmodi existere ex *can. sanctorum* 2. *dist.* 70. *can. Clericus* 1. *caus.* 21. *q.* 1. *c. quia nonnulli* 3. *de Cleric. non resid. c. quia in tantum* 5. *h. tit.* & *Extrav. Joann. XXII. execrabilis eod.* quibus aliisque Juribus dicitur, duo, aut plura Beneficia Jure communi simul haberi non posse. *Et confirmatur* ex *c. conquerente* 6. *c. inter quatuor* 10. *c. cùm ad hoc* 16. *de Cleric. non resid.* ex quibus colligitur, quod omne Beneficium requirat personalem residentiam, ac proinde secum invicem sint incompatibilia.

Sed dubitari non potest, quin in Jure aliqua Beneficia habeantur pro Compatibilibus inter se; id enim apertè supponitur 1. *c. gratia* 7. *de rescript. in* 6. ibi, *Utrumque tamen, si talia sint Beneficia, quæ simul nequeant de Jure teneri, habere non potes.* 2. *Clem. gratiæ* 4. *eod.* ubi sic dicitur: *Aliud Beneficium pacificè assequaris, quod simul de Jure cum Dignitate, vel beneficio virtute dictæ gratiæ tibi debito retinere non posses.* 3. *Trid. sess.* 7. *c.* 4. *de reform.* ibi, *Quicunque de cætero plura Curata, aut alia incompatibilia beneficia Ecclesiastica recipere, ac simul retinere præsumpserit &c.* Hinc solummodo examinandum restat; quænam Beneficia compatibilia sint, & quænam incompatibilia.

86 *Qua in re certum est* 1. non posse ab eodem sine dispensatione Apostolica simul obtineri, vel retineri duos Episcopatus, duas Abbatias, duas Vicarias perpetuas, & cætera Beneficia Curata *can. unio* 3. *vers. sed & hoc caus.* 10. *q.* 3. *can. Clericus* 1. *caus.* 21. *q.* 1. *cum seqq.* Azor *p.* 2. *l.* 6. *c.* 11. *q.* 5. Rebuff. *prax. tit. de dispens. ration. ætat.* §. *incompatibilia n.* 1. & *duob. seqq.* Fagn. *in c. cùm jam dudum* 5. *h. tit. n.* 39. & *seqq.* Gonz. *in c.* 28. *eod. num.* 9. Barb. *Jur. Eccl. l.* 3. *c.* 13. *n.* 172. Pirh. *hic num.* 130. Ratio perspicua est, quia singula ex hujusmodi Beneficiis, & Prælaturis residentiam perpetuam personalem exigunt; idem autem in pluribus Ecclesiis simul residere non potest. *Exceptio* triplex est. 1. Si unum hujusmodi Beneficiorum Curatorum conferatur in Titulum, alterum in Commendam temporalem. 2. Si unum sit Curatum actu, alterum habitu tantùm. 3. Si unum sit alteri annexum accessoriè, nam in his casibus incompatibilitatem, in ultimo etiam distinctionem perdit, cùm in casu unionis sic factæ Beneficium accessoriè unitum cum principali censeatur facere unum solummodo Beneficium. Videatur Less. *l.* 2. *de Just. c.* 34. *n.* 147. & 148. Gonz. *in c.* 28. *h. tit. n.* 12. Vvagn. *ibid. V. beneficium not.* 1. Leuren. *p.* 3. *for. Benef. s.* 1. *c.* 2. *q.* 116. & *seq.* Van-Espen *J. E. U. p.* 2. *tit.* 20. *c.* 2. *n.* 22. Pirh. *num.* 133.

87 *Certum est* 2. non posse aliquem absque dispensatione Apostolica simul obtinere duas Dignitates, vel Personatus. Ita statuitur *c. dudum* 54. *de Elect. c. ad hæc* 17. & *c. de multa* 28. *h. tit. Extrav. execrabilis Joan. XXII. eod.* & notant Fagnan. *in c. ad hæc cit. n.* 1. Gonzal. *in c. de multa cit. n.* 9. Vivian. *in c.* 13. *h. tit. princ.* Barbos. *ibid. n.* 1. Vagn. *in c.* 14. *eod.* Pirh. *n.* 128. qui rectè notat id procedere non tantùm de Dignitatibus pluribus in eadem, sed etiam in diversa Ecclesia ob incompatibilitatem residentiæ, quam perpetuam de Jure exigunt hujusmodi Dignitates, & Personatus.

88 *Certum est* 3. ab eodem Religioso sine dispensatione non posse obtineri simul duo, aut plura Beneficia Regularia, ut habetur *c. cùm singula* 32. *h. tit. in* 6. *Proceditque* hoc, etiamsi illa non in uno, sed in diversis Monasteriis, licèt ejusdem Ordinis, sita sint, nisi unum accessoriè sit unitum alteri, prout iterum constat ex *c. cit.* §. *prohibemus*: & ratio est, quia si Religiosus duo Beneficia in diversis Monasteriis in titulum haberet, esset sub diversa obedientia, & diversis Prælatis contra *c. fin. de Religios. Domib.* Et extendi hoc etiam debet ad Canonicos, & Clericos Regulares, etsi *c. cit.* Pontifex solùm utatur nomine Monachi. Ratio est, quia ex Regula generali, ut notat Navar. *Commen.* 3. *de Regular. num.* 41. ea, quæ Jure communi statuuntur de Monachis, quamvis odiosa sint, & pœnalia, etiam de Canonicis, & Clericis Regularibus statuta censentur, si in iis eadem ratio locum habeat, prout in præsenti contingit.

89 Dubium 1. est, an aliquis obtinere, & retinere simul possit duo Beneficia Simplicia Sæcularia? Resp. distinguendo: Vel enim illa Beneficia sunt sub eodem tecto, & in eadem Ecclesia, aut in diversis.

Si primum; videndum, an uniformia illa sint, an verò difformia. *Si uniformia*, ut sunt duo Canonicatus, unus, idemque illa in eadem Ecclesia simul obtinere non potest, ut ex communi docent Azor *p.* 2. *l.* 6. *c.* 11. *q.* 1. Garc. *p.* 11. *de Benef. c.* 5. *n.* 5. 182. Laym. *l. tr.* 2. *c.* 8. *n.* 5. Vall. *l.* 3. *de Benef. tit.* 3. *n.* 3. Gonz. *in c.* 28. *h. tit. num.* 8. Leuren. *p.* 3. *for. Benef. s.* 1. *c.* 2. *q.* 129. Pirh. *hic n.* 131. & sumitur ex *c. de multa* 28. *h. tit. vers. hoc idem*, ibi, *In eadem Ecclesia*, *c. litteras* 9. *de concess. Præbend.* & *Clem. fin. h. tit.* Ratio est, quia per obtentionem duorum Beneficiorum uniformium sub eodem tecto imminuitur numerus Canonicorum, adeoque Cultus Divinus. Estque hoc verum, ut hoc etiam non permittatur jure accessionis, ut statutum habetur *Clem. si juxta* 6. *h. tit.* nec valet consuetudo contraria, ut ex *c. consuetudinem* 1. *de consuet. in* 6. dicam *infrà num.* 98. Et hinc, si Præbendatus, seu Canonicus Dignitatem, vel Personatum adeptus sit in Eadem Ecclesia, cui similis Præbenda, sive Canonicatus, qualem antea habuit, annexus sit, prior Canonicatus, & Præbenda ipso Jure vacat. Abb. *in cap.* 9. *de concess. Præb. numer.* 2. Vall. *tit.* 3. *cit. num.* 15. *vers. unde habens*, Leuren. *c.* 2. *cit. q.* 130. Pirh. *hic num.* 136.

Si verò difformia sint, modò singula ad sustentationem congruam non sufficiant, nec ratione servitii incompatibilia sint, non obstante; quòd sint sub eodem tecto, & Ecclesia, retineri simul absque dispensatione possunt. Ita Navar. *cons.* 21. 24. & 26. *h. tit.* Garc. *p.* 11. *de benef. c.* 5. *n.* 235. Less. *l.* 2. *de Just. c.* 34. *n.* 144. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 8. *num.* 7. Pal. *tr.* 13. *D.* 6. *p.* 3. §. 6. *num.* 6. Vall. *l.* 3. *de benef. tit.* 4. *n.* 3. & suffragatur *c. eam te* 7. *de Rescript. c. cùm olim* 12. *de re judic. c. super eo* 6. *h. tit. in* 6. ipsumque Trid. quod dum *sess.* 24. *c.* 17. *de reform.* non habenti Beneficium ad sustentationem sufficiens permittit conferri alterum simplex sufficiens, non distinguit inter Beneficia sub eodem tecto, & sub diverso. Ratio est opposita, quia per hujusmodi collationem duorum Beneficiorum difformium sub eodem tecto, cùm utriusque obligationi unus idemque satisfacere possit, cultus Divinus non minuitur per collationem duorum Beneficiorum uniformium. 90

Et hinc 1. unus, idemque simul esse potest Præpositus, vel Decanus alicujus Ecclesiæ, & simul in ea habere Canonicatum, ut patet ex *c. consuetudinem* 1. *de consuet. in* 6. & tradit Navar. *conf.* 21. & 24. *h. tit.* Vvagn. *in c.* 13. *eod. in Exeg.* 2. Rector, seu Parochus alicujus Ecclesiæ præter Rectoriam, seu Beneficium Curatum simul retinere potest Capellaniam in eadem Ecclesia existentem: Navar. *conf.* 16. *numer.* 1. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 8. *numer.* 2. *vers. circa pœnalem*, Pirh. *hic num.* 137. Konig *num.* 11. 3. Probabile est, posse aliquem simul habere duas Capellanias in duobus Altaribus ejusdem Ecclesiæ cum onere, ut in uno Altari bis v. g. in hebdomada celebret, in altero ter aliis diebus. Navar. *l. cit.* Garc. *p.* 11. *c.* 5. *num.* 229. Laym. *c.* 8. *cit. num.* 7. Pirh. Konig. *l. citt.* Ratio est, quia etsi uno nomine generali Capellaniæ appellentur, revera tamen non sunt Beneficia uniformia, sed difformia censenda, cùm distincta onera, seu officia in diversis Altaribus habeant. 91

Si secundum, & quæstio sit de duobus Beneficiis in diversis Ecclesiis, iterum distinguendum, an ambo requirant residentiam personalem incompossibilem, an verò ratione residentiæ compatibilia sint. *Si prius*, obtineri simul non possunt, ut ex communi docet Abb. *in Rep. c. extirpandæ* 30. §. *qui verò n.* 30. *h. tit.* Rebuff. *prax. tit. de dispens. rat. ætat.* §. *incompatibilia n.* 5. Garc. *p.* 11. *c.* 5. *n.* 261. Vivian. *in c.* 18. *vers. sed nunquid h. tit.* Laym. *c.* 8. *cit. n.* 6. Pirh. *hic n.* 132. Vviest. *num.* 202. & constat ex Trid. *sess.* 24. *c.* 17. *de reform.* Ratio est, quia unus, idemque officio, duobus hujusmodi Beneficiis annexo satisfacere non potest, hoc ipso, quòd simul esse nequeat in duobus locis. 92

Si posterius, videndum, an utrumque illorum ad sustentationem congruam sufficiat, vel non sufficiat. *In hoc secundo casu*, duo simul obtineri, retinerique, etiam absque dispensatione posse, communis sententia est apud DD. *citt.* Colligitur ex Trid. *l. cit.* & habetur ex Declaratione Cardd. apud Joann. Gallemart *ibid. n.* 3. *In primo casu* tenenda est negativa; quia incompatibilia sunt, etsi personalem residentiam non requirant, ut iterum ex communi docent Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 62. *num.* 8. Vivian. *in c.* 18. *cit. vers. sed nunquid.* Passerin. *in c.* 19. *h. tit. in* 6. *num.* 3. Vviestner *hic numer.* 197. Sumitur ex *can. fin. dist.* 70. *can. Clericus* 1. & *can. seq. caus.* 21. *q.* 1. 93

c. cum adeo 17. de rescript. c. quia in tantùm 5. & c. seq. h. tit. c. is cui 19. & c. cum singula 32. in 6. & clariùs ex Trid. c. 17. cit. ubi contrariam consuetudinem perversionem Ecclesiastici Ordinis appellat, & statuit, ut imposterum unum duntaxat Beneficium Ecclesiasticum singulis conferatur, siquidem ad vitam ejus, cui confertur, honestè sustentandam sufficiat. Sed hinc oritur controversia, &

94 Dub. 2. an possit aliquis cum Beneficio simplici, ad congruam sustentationem sufficiente, obtinere, & retinere simul aliud simplex ad sustentationem non sufficiens, & quoad residentiam, ac servitium compatibile? Hojeda *de incompatib. Benef. p. 2. cap. 19. num. 1.* Zerol. *prax. Episc. p. 4. V. beneficium nu. 2.* Flamin. *de resign. l. 5 q. 6. n. 116.* Garc. *p. 11. c. 5. n. 319.* Vvjest. *hic n. 198.* tenent universaliter negativam, sive deinde sufficiens obtinuerit ante insufficiens, sive insufficiens ante sufficiens: putantque id procedere non tantùm tunc post publicata Decreta Synodi Trid. sed etiam de Jure obtinuisse jam ante laudatam Synodum, ex ratione, quòd etiam tali casu, dum unus plurium officia occupat, Cultus Divinus minuitur.

95 Alii distinguunt inter casum, quo quis primò obtinuit Beneficium insufficiens, & inter casum, quo obtinuit primò Beneficium sufficiens. *Si primum*, putant obtineri, & retineri cum illo Beneficium aliud sufficiens deinde collatum posse, neque ad hoc opus esse dispensatione Apostolica, vel Episcopi. Ita Azor *p. 2. l. 6. c. 10. q. 3.* Pal. *tr. 13. D. 6. p. 3. §. 6. n. 13.* Fagn. *in c. cùm jam dudum 18. h. tit. n. 57. & 58.* Barbos. *in c. 28. eod. n. 18. vers. sed pro declaratione*, & *Jur. Eccl. l. 3. c. 13. n. 179.* Schamb. *hic n. 36.* Pirh. *n. 186.* Rationem dant, quia qui habet primum non sufficiens, justè petit secundum ad congruam sui sustentationem; nam hoc Tridentinum ipsi permittit. ergo etsi secundum per se solum sufficiat, non tamen ideo debet privari primo insufficiente; quia quod legitimè factum est; pœnam non meretur.

96 *Si secundum*, non potest post illud obtinere secundum Beneficium insufficiens, & si hoc obtineat contra Canones, primum ipso Jure vacat, ut *loc. citt.* notant Pal. *n. 10.* Fagn. *n. 49. & 58.* Barbos. *in c. cit. n. 24.* Thomassin. *p. 2. de benef. l. 3. c. 8. num. 8.* & sumitur ex Trid. *l. cit.* ubi decernitur, quòd unum tantùm Beneficium singulis conferri debeat. *Neque obstat*, quòd, ut *n. præc.* dictum est, is, qui obtinet Beneficium insufficiens, petere possit secundum, etsi illud per se sit sufficiens: nam istud petens, Jure petit; non autem Jure petit aliud Beneficium, qui jam habet unum ad congruam sustentationem sufficiens.

97 Quidquid sit de Jure communi, in multis Provinciis jam invaluit consuetudo, vi cujus Beneficium simplex ad sustentationem sufficiens obtinenti aliud insufficiens confertur à Diœcesium Ordinariis, neque ab his obligatur ad priùs obtentum dimittendum: neque consuetudinem hanc improbat Rebuff. *prax. tit. de Dispens. ad plura n. 29.* & Garc. *c. 5. cit. n. 273.* & hæc ubi viget, non est opus dispensatione, ut *l. cit.* notat Rebuffus; quia tali casu consuetudo dispensat.

98 Dub. 3. quid circa obtentionem, & retentionem plurium Beneficiorum possit consuetudo? Resp. hic iterum distinguendum esse inter Beneficia in eadem Ecclesia, & in diversis Ecclesiis. *Quoad primi generis beneficia* videndum, an Beneficia illa sint uniformia, an difformia. Ut quis simul absque dispensatione Sedis Apostolicæ obtineat, vel retineat duo Beneficia *Uniformia* in eadem Ecclesia e. g. duas Dignitates, vel Personatus, duo Officia, duos Canonicatus &c. nulla consuetudine, etiam immemoriali, induci potest, prout patet ex *consuetudine 1. de consuet. in 6.* ubi talis consuetudo, tanquam *SS. inimica Canonibus*, & *corruptela*, quæ *de ambitionis radice processerit*, reprobatur, & ratio additur; quia *unum Officium vix dignè valet aliquis adimplere.*

99 *In Difformibus* altera distinctio est adhibenda; nam Dignitas cum Personatu, vel Officio absque dispensatione Papali simul retineri non potest; potest tamen absque hac obtineri in eadem Ecclesia Dignitas, vel Personatus, aut Officium cum Præbenda Canonicali, ubi consuetudine ita inductum est. *Primum* expressè statuitur *c. consuetudinem cit.* ibi, *Vel eorum alterum cum reliquo.* *Secundum* constat ex *c. eam te 7. de Rescript.* & docet Garc. *p. 11. de benef. c. 5. n. 245. & seqq.* Azor *p. 2. l. 6. cap. 11. q. 2.* Vall. *l. 3. de benef. tit. 4. n. 6.* Barbos. *in c. 13. h. tit. n. 2.* Leuren. *for. benef. p. 3. s. 1. c. 2. q. 136.* Pirh. *hic n. 140.* & teste Garc. *l. cit. n. 246.* decisum est à S. Congr. *in una Valentina* 1593. his verbis: *Consuetudini permittenti, quòd in eadem Ecclesia Dignitates cum Præbendis Canonicalibus teneantur, non est derogatum per Trid. sess. 24. c. 17.*

Quoad beneficia secundi generis, videlicet *existentia in diversis Ecclesiis* distinguendum iterum est inter Curata, & Simplicia; nam ut duo, vel plura *Curata beneficia* unus simul obtineat in diversis Ecclesiis, nulla valet consuetudo inducere, ut docet Abb. *in Repet. c. extirpandæ 30. §. qui verè num. 36. h. tit.* Rebuff. *prax. tit. de dispens. de non resid. num. 66.* Leur. *c. 2. cit. q. 121.* Pirh. *hic num. 141.* quia talis consuetudo nimis esset Ecclesiis, & animabus damnosa, & hinc *c. de multa 28. h. tit.* reprobatur, & *præsumptio*, ac *cupiditas* appellatur. *Excipitur*, ubi per consuetudinem immemorialem inductum est, ut in beneficiis Curatis non requiratur residentia personalis, sed administrari illa per Vicarium idoneum possint; nam eo casu duo beneficia Curata simul obtineri, & retineri poterunt, ut docent Navarr. *conf. 21. de Cler. non resid. n. 4.* junct. *conf. 24. hoc tit.* Laym. *l. 4. tr. 2. c. 8. n. 11.* Leuren. *q. 121. cit.* Pirh. *l. cit.* & constat ex praxi Germaniæ, ubi ex recepta passim consuetudine Parochiæ solent conferri Præpositis, Decanis, & Canonicis Cathedralium Ecclesiarum, constituto in iis Vicario perpetuo, & assignata ipsi competente sustentatione. Monet tamen *loc. cit.* Layman, ne passim, & sine justa causa hoc fiat; hoc enim repugnaret Juri Divino, contra quod consuetudo prævalere non potest. 100

De Beneficiis simplicibus minor est difficultas; nam, ut Navarr. *conf. 24. cit. num. 1. not. 4.* testatur, ubique est consuetudo, ut quis plura Beneficia simplicia obtinere possit. Neque obstat, etsi illa residentiam personalem exigant; nam per consuetudinem tolli potest obligatio residendi. Et verum est hoc probabiliter, etiamsi unum beneficium sufficeret ad honestam sustentationem Clerici, ut contra Fagnan. *in c. quia in tantum hoc tit. n. 18.* post Innoc. & Navarr. notat Garc. *cap. 5. cit. n. 272.* & probatur ex contrario fundamento; quia multitudo beneficiorum non habentium curam animarum non est prohibita Lege naturali, & Divina, sed tantùm Ecclesiastica, contra quam consuetudo prævalere potest. Sed hinc 101

Dub. 4. an quis absque dispensatione Apostolica obtinere simul, & retinere possit etiam plura beneficia Simplicia, quàm duo? Resp. olim dispensare poterat Episcopus, ut quis plura, quam duo Beneficia in diversis Ecclesiis obtineret, si duo prius obtenta simul sumpta non præbebant honestam sustentationem, ut docet Abb. *in c. 28. hoc tit. num. 19.* Nunc verò non potest ampliùs, ut notat Fagnan. *in c. cùm jam dudum hoc tit. num. 63.* Barbos. *in c. 28. cit. n. 24.* Thomassin. *p. 2. l. 3. c. 8. num. 8.* & declaratum est à Cardd. apud Joann. Gallemart *in Not. ad Trid. sess. 24. c. 17. de reform. n. 3.* ubi dicitur: *Episcopus potest conferre secundum Beneficium, si primum non sufficit ad sustentationem; sed si duo non sufficerent, non potest conferre tertium absque dispensatione Apostolica.* *Excipitur*, nisi ubi hoc per rationabilem, & legitimè præscriptam consuetudinem inductum est; nam talem consuetudinem, modo non nimis multa hujusmodi beneficia coacerventur, non reprobat Garc. *p. 11. c. 5. n. 273.* aliique DD. 102

Majus dissidium inter eosdem est, an vi consuetudinis conferri eidem possint tria Beneficia difformia sub eodem tecto, dispensatione Apostolica non petita? Negant Franc. *in cap. consuetudinem 1. de consuet. in 6. n. 7.* Imol. *ibid. n. 8.* Garc. *p. 11. c. 5. n. 238.* Marc. Ant. Genuens. *c. 64. n. 4. & 5.* Vallens. *l. 3. tit. 4. n. 4.* Fagn. *in cap. litteras de concess. præb. n. 3.* & alii ab his *citt.* Desumunt hoc ex *c. consuetudinem cit.* ubi consuetudo obtinendi plura Beneficia in eadem Ecclesia, tanquam *SS. inimica Canonibus*, & *corruptela* generatim rejicitur. 103

Contrarium tamen sentiunt Navar. *conf. 16. h. t. n. 3.* Zerol. *prax. V. conformitas*, Lælius Zecchus *de Republ. n. 4. de Benef.* & non obscurè approbat Laym. *l. 4. tr. 2. c. 8. n. 7. in fin.* juxta quos jus conferendi tertium Beneficium in eadem Ecclesia, sed difforme vi consuetudinis immemorialis Episcopo potest competere, quando duo antè obtenta non sufficiunt ad sustentationem congruam. *Rationem* dat P. Vviest. *hic n. 204.* quia potestas conferendi Beneficium tertium, si duo ad sustentationem congruam non sufficiunt, potest Episcopo competere per privilegium Apostolicum, ut nemo facilè inficias ibit. atqui isti consuetudo immemorialis æquivalet. ergo &c.

Neque obstat *c. consuetudinem cit.* quia hujus textus, consuetudinem tanquam corruptelam reprobans, solùm loquitur de Dignitatibus, Personatibus, Administrationibus, & Officiis, non de Beneficiis Simplicibus, & ad sustentationem insufficientibus.

Dub. 5.

04 Dub. 5. ex qua causa SS. Canones Beneficiorum pluralitatem ita horreant? Resp. *c. quia in tantum 5. hoc tit.* plures afferuntur. 1. enim ex ambitionis radice oritur. 2. præbet ansam dissolutionis tum in minoribus, tum in vestibus, & aliis. 3. dat licentiam vagandi ab una Ecclesia ad alias, etiam longè dissitas. 4. continet periculum animarum; quia peccatum est plura Beneficia simul obtinere sine causa justa, & dispensatione legitima. 5. imminuit Cultum Divinum; quia singula suum Officium habent, & ex prima sua institutione assiduitatem, sive residentiam, & servitium personale exigunt *c. cùm adeo 17. de Rescript. c. cùm ad hæc 13. hic* non potest autem unus quis pluribus Ecclesiis, sicut par est, simul servire. 6. denique multa alia incommoda invehit, quæ recensentur *Extrav. un. Joan. XXII. princ. hoc tit.* inter quæ non minimum est, quòd habentes plura Beneficia ad vitæ sustentationem non necessaria, vendicent, & approprient sibi stipendia plurium, & occupent locum Clericorum pauperum, qui aliàs in illis Beneficiis instituerentur. Hinc rectè S. Bernardus, relatus à S. Thom. *quodl. 9. art. 15.* dicebat, quòd *qui non unus, sed plures est in Beneficiis, non unus, sed plures futurus sit in suppliciis.*

05 Quæritur 2. an, & quo Jure per assecutionem Beneficii secundi vacet prius incompatibile? Resp. hìc distingui debent quatuor tempora ante Concilium Trid. ut notat Abb. *in cap. 3. de Cler. non resid. n. 4.* Azor *p. 2. l. 6. c. 13. q. 1.* Garz. *de Benef. p. 11. c. 5. à n. 1.* Pal. *tr. 13. D. 6. p. 3. §. 6. n. 1.* Vall. *l. 3. de Benef. tit. 1. n. 7.* Barbos. *in c. 7. hoc tit. n. 4.* Gonz. *in c. de multa 28. eodem n. 7.* Pirh. *hic n. 145.*

Primum tempus est ante Concilium Lateranense habitum sub Alexandro III. quo tempore siquis duas Parochias, duas Dignitates, vel alia Beneficia incompatibilia simul obtinebat, non vacabat primum ipso Jure per assecutionem secundi, nec qui utrumque retinere præsumeret, secundo privabatur ipso facto, sed dabatur ei optio, ut, quod vellet, retineret, alterum dimitteret, prout constat ex *c. referente 7. & c. præterea 14. hoc tit.*

6 *Secundum* est tempus ipsius Concilii Lateranensis sub Alexandro III. in quo sublata optione memorata, statutum fuit, ut is, qui secundo obtento, non dimittebat primum, isto privaretur, non quidem ipso Jure, sed per sententiam Judicis, prout refertur *c. quia nonnulli 3. de Cleric. non resid.* & notat *ibid.* Abb. *n. 4. cit.*

Tertium tempus est Concilii Lateranensis sub Innocentio III. in quo, prout refertur *c. de multa 28. hoc tit.* constitutum fuit, ut quicunque post obtentum unum Beneficium Curatum, alterum Curatum acceperit, Beneficio Curato priùs obtento ipso Jure privatus sit; sin autem illud retinere contenderit, etiam secundo privetur. Et additur de collatore, quòd is eo casu prius Beneficium Curatum conferre possit, cui meritò conferendum judicaverit, & si ultra sex menses illud conferre distulerit, non solùm collatio ad alios devolvatur, sed etiam tantum de suis proventibus Ecclesiæ illi, cujus est beneficium, dare teneatur, quantum à tempore vacationis ipsius perceptum fuerit.

7 *Quartum tempus* est *Extrav. Joann. XXII.* quæ incipit *Execrabilis hoc tit.* in qua *vers. qui verò* statuitur denuo, quòd is, qui Beneficium Curatum, Dignitatem, vel Personatum receperit, si antè simile aliud obtinebat, postquam secundum pacificè possederit, vel possidere potuisset, si voluisset, priùs obtento ipso Jure privatus sit: & simul præcipitur, ut illud sine mora in manibus Ordinariorum dimittat; alioquin ipso Jure privandum etiam secundo, & non tantùm ad SS. Ordines suscipiendos, sed etiam ad obtinendum quodcunque Beneficium Ecclesiasticum inhabilem fore: additur præterea ipsa beneficia sic dimissa, quæcunque illa sint, reservari Papæ, & Sedis Apostolicæ dispositioni, ita, ut siquis de illis quavis authoritate, vel quocunque modo disponere attentet, illud irritum sit.

8 Hoc postremum Jus confirmavit etiam Concilium Tridentinum *sess. 7. c. 4. de reform.* ut proinde defacto is, qui ejusmodi duas Dignitates, Personatus, aut Beneficia Curata retinere simul præsumeret, ipso Jure etiam secundo excideret, non tantùm primo.

Neque his adversatur, quòd idem Concilium *sess. 24. c. 17. de reform.* statuat, ut qui plures Ecclesias Parochiales, aut unam Cathedralem, & alteram Parochialem obtinet, una tantùm retenta, alteram intra sex menses dimittere teneatur, quod dari videtur electio inter utramque, prout dabatur ante Lateranense celebratum sub Alexandro III. ut dictum est *n. 105.* Nam dicendum, statutum hoc *c. 17. cit.* concernere solùm eos, qui ejusmodi Ecclesias *in præsenti*, hoc est, tempore ipsius Concilii obtinuerunt; circa alios verò, qui ejusmodi postea sunt assecuti, procedere debet Decretum *c. 4. allegati*, prout bene advertit Garc. *p. 11. de Benefic. c. 5. n. 77.* Vall. *l. 3. tit. 1. n. 7.* Pirh. *hic n. 149. vers. porro*, Wiest. *n. 188.*

Discrimen tamen est faciendum inter vacationem primi, & secundi beneficii; nam quamvis utrumque ipso Jure vacet, secundum tamen ante sententiam declaratoriam dimittere non est necesse, sed quamvis ejus titulus sit amissus, possessio tamen retineri potest, donec quis, causa cognita, per sententiam privatus beneficio illo declaretur. Gloss. *in c. licèt 28. V. te non vocato hoc tit. in 6.* Less. *l. 2. de Just. c. 34. n. 143.* Wiest. *n. 190.* *Ratio est*, quia vacatio primi beneficii introducta est ob incompossibilitatem, secundi autem in pœnam retentionis indebitæ; pœna autem ante sententiam declaratoriam, etsi Jure lata, non incurritur. 109

Dub. 1. quænam beneficia vacent ipso Jure per adeptionem alterius? Resp. 1. per adeptionem Episcopatus, si is, qui ad eum promotus est, confirmatus sit, & bonorum administrationem pacificam, ac consecrationem acceperit, ipso Jure vacant omnia beneficia priùs obtenta, etiam simplicia, imò & pensiones, ut dictum *lib. 1. tit. 6. n. 83. vers. 4. postquam.* 110

2 Per assecutionem secundi Beneficii, etiam simplicis, vacat ipso Jure priùs obtentum in eadem Ecclesia uniforme, ut docet Abb. *in c. litteras 9. de concess. præb. n. 4.* Vallens. *l. 3. de Benef. tit. 3. n. 4.* Wiest. *hic n. 191.* & patet ex Trid. *sess. 7. c. 4. de reform.* ubi id, quod ab Innoc. III. in Concilio Lateranensi relato *cap. de multa, & Extrav. citt.* statutum est, ad omnia Beneficia de Jure incompatibilia porrigit. 111

3 Per assecutionem alterius Beneficii curati, ipso Jure vacat Curatum priùs obtentum, prout sumitur ex textibus *citt.* item ex *c. licèt 28. hoc tit. in 6. Clem. 3. & Extrav. Execrabilis §. qui verò tit. eod.* Intelligitur autem hìc nomine Beneficii Curati non solùm id, quod curam animarum in foro interno annexam habet, sed etiam, quod in externo tantùm, ut est Archidiaconatus, Decanatus Cathedralis &c. ut notat Abbas *in c. de multa cit. n. 24.*

4 Idem dicendum casu, quo quis consequitur Beneficium Curatum cum Dignitate, Personatu, vel Officio sine Cura, vel duas Dignitates, Personatus, aut Officia sine Cura; nam per adeptionem secundi vacat ipso Jure primò obtentum *cap. de multa, & Extrav. Execrabilis cit.*

Contrà 1. per adeptionem Abbatiæ, vel alterius Beneficii non vacat Episcopatus, sed potiùs collatio alterius Beneficii, vel Dignitatis Episcopo facta non tenet, ut notat Abb. *in c. cùm nostris 6. de concess. præb. n. 4.* Garc. *p. 11. de benef. c. 5. n. 43. & seqq.* Laym. *l. 4. tr. 2. c. 8. n. 3. vers. quartò*, Pirh. *hic n. 164.* Wiest. *n. 189.* Ratio est, quia præterquam quòd Episcopatus propria authoritate sine speciali licentia Papæ non possit deseri *cap. inter corporalia 2. de transl. Episc.* Episcopatus in materia odiosa ob specialem prærogativam, & excellentiam nomine generali Dignitatum, & personatuum non comprehenditur *c. de multa 28. hoc tit.* 112

2 Non vacat ipso Jure Canonicatus, vel Episcopatus, si quis ex Canonico, vel Episcopo fit Cardinalis; nam retinere Canonicatum; vel Episcopatum simul cum Cardinalatu potest. Laym. *in c. 53. de elect. n. 1.* Pirh. *hic n. 164.* imò ut Pirh. *l. cit.* notat, si Beneficium aliquod residentiam personalem non exigat, conferri hoc illi post assumptionem ipsius ad Cardinalatum potest. Secus, si exigit; tunc enim opus est dispensatione Papæ, ut unà cum Cardinalatu retineri possit.

3 Nec cætera Beneficia per adeptionem Episcopatus, nec Episcopatus ipso Jure vacat per adeptionem alterius Beneficii aliàs compatibilis, si Episcopatus ille solùm sit Titularis, in terris infidelium situs, quales conferri solent Episcoporum aliorum Suffraganeis; nam hi priùs obtenta cum tali Episcopatu retinere, & alia de novo consequi possunt. Navar. *cons. 14. de Elect. edit. 1.* Azor *p. 2. l. 6. c. 16. q. 12.* Garc. *p. 11. c. 6. n. 24.* Laym. *l. 4. tr. 2. c. 8. n. 4. vers. excipe primò*, & novissimè Illustrissimus D. Præpositus Frisingensis *tom. 1. conf. 12. n. 1. & seqq.* 113

4 Si duæ Ecclesiæ Parochiales, vel duæ Dignitates alicui collatæ sint eodem tempore, ita, ut constare non possit, cujus possessionem priùs acquisiverit, neutra vacat ipso Jure, sed probabile est, his provisum dimittere posse ex duobus Beneficiis, quod malucrit. Imol. *in c. quia nonnulli 3. n. 12. de Cleric. non resid.* Alex. de Nevo *ibid. q. ult. n. 22.* Fagn. *in c. referente 7. hoc tit. n. 9.* Pirh. *hic n. 146.* *Ratio est*, quia *c. de multa cit.* solùm loquitur de casu, quo unum Beneficium obtinetur post alterum,

conf. casus, quo duo obtinentur eodem tempore, relinquitur sub dispositione Juris antiqui, isto autem per *c. referente cit.* dabatur optio dimittendi, quod Beneficiarius ipse maluerit. ergo &c.

114 5 Si secundum Beneficium sit simplex, & cum priùs obtento ratione residentiæ secundùm loci consuetudinem compatibile, per ejus adeptionem non vacat ipso Jure obtentum priùs. Abb. *in c. fin. de Cleric. non resid. n.* 4. Azor *p.* 2. *l.* 6. *c.* 13. *q.* 4. Gonz. *ad Reg.* 8. *gloss.* 15. *n.* 26. Barbos. *alleg.* 62. *n.* 3. Pal. *tr.* 13. *D.* 6. *p.* 3. §. 6. *n.* 11. Pirh. *hic n.* 169. Ratio est, quia talis utrique Beneficio deservire potest. Proceditque hoc, etsi utrumque ad congruam sustentationem sufficiat; nam etsi talis primo privari debeat ab Ordinario, privationem illius tamen per consecutionem alterius ipso Jure non incurrit, ut docet Gonz. *Gloss.* 15. *cit. n.* 26. & confirmat Decisione Rotæ, ac praxi recepta. Gravior Controversia, &

115 Dub. 2. est, an Beneficium simplex per adeptionem alterius simplicis ipso Jure vacet, si hoc cum illo ratione personalis residentiæ sit incompatibile? Negant ipso Jure vacare primum Sayr. *flor. decis.* 38. *de Præbend.* Flores de Mena *q.* 13. *à n.* 5. Less. *l.* 2. *de Just. c.* 34. *n.* 144. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 8. *n.* 3. *vers. circa pœnalem*, Van-Espen *J. E. U. p.* 2. *tit.* 20. *cap.* 4. *n.* 8. Zoes. *hic n.* 58. *vers. quantum ad incompatibilia*, Pirh. *nu.* 146. & 170. *Rationem dant*, quia non est recedendum à Jure antiquo, nisi quatenus illi per Jus novum reperitur specialiter derogatum *l. præcipimus* 32. *fin. C. de Appell.* atqui, spectato Jure antiquo, is, qui accepit plura Beneficia ob personalem residentiam, vel aliam causam incompatibilia, neutrum ipso Jure amisit, sed alterum, quod maluerit, dimittere debuit, ut constat ex *c. referente* 7. & *c. præterea* 14. *hoc tit.* neque hoc Jus correctum reperitur, nisi quoad Beneficia Curata, Dignitates, & personatus *c. de multa* 28. *hoc tit.* & *Extrav. un. Joan. XXII. eod.* ergo quoad Beneficia simplicia, etiamsi ratione residentiæ incompatibilia sint, adhuc dispositio Juris antiqui tenet, & cons. non vacat primum obtento altero simili, sed si utrumque ad honestam sustentationem seorsim sufficiat, alterutri renuntiare tenebitur is, qui illa obtinuit.

116 Sed meliùs primum simplex vacare ipso Jure per adeptionem alterius simplicis ratione residentiæ incompatibilis defendunt Abb. *in c. fin. de Cleric. non resid. n.* 5. Hojeda *de incompat. Benef. p.* 1. *c.* 9. *n.* 5. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 13. *q.* 2. Riccius *prax. decis.* 393. *edit.* 1. *aliàs resol.* 332. *n.* 12. *edit.* 2. Garc. *p.* 11. *de Benef. c.* 5. *à n.* 83. Gonz. *ad Reg.* 8. *gloss.* 25. *à n.* 16. Pal. *tr.* 13. *D.* 6. *p.* 3. §. 6. *n.* 3. dicens id pro certo tenendum. Fagn. *in cap. de multa cit. n.* 3. asserens, ita hodie tenendum indubitanter, Val. *l.* 3. *tit.* 3. *n.* 4. Barbos. *in c.* 28. *hoc tit. n.* 7. & *l.* 3. *Jur. Eccl. c.* 13. *n.* 173. Leuren. *p.* 3. *for. Eccl. f.* 1. *c.* 2. *q.* 110. *num.* 2. & *q.* 123. *n.* 2. Pignatell. *tom.* 10. *consult.* 156. *num.* 10. Thomassin. *p.* 2. *l.* 3. *c.* 8. *n.* 8. Vviest. *hic n.* 193. Sumitur ex Trid. *sess.* 7. *c.* 4. *de reform.* ubi Constitutio *cap. de multa* 28. *cit.* extenditur etiam ad alia quæcunque incompatibilia Beneficia Ecclesiastica, & statuitur, ut *quicunque de cætero plura Curata, aut alia incompatibilia Beneficia Ecclesiastica, quocunque modo, & titulo, contra SS. Canones, & præsertim contra hujus Constitutionis* (nempe *c. de multa*) *dispositionem recipere, ac simul retinere præsumpserit, beneficiis ipsis ipso Jure privatus existat.*

117 Respondent quidem Adversarii, hoc textu sub nomine Beneficiorum incompatibilium, per quorum receptionem Concilium prius habita vacare decernit, intelligi posse Dignitates, & Personatus non curatos, vel Beneficia uniformia sub eodem tecto, ut ita evitetur correctio Juris antiqui, & ultra illud non fiat extensio. Sed contrarium pluries declaratum est à Cardd. ut videre est apud Garc. *c.* 5. *cit. n.* 84. Ex pluribus ibi allatis unam adduco ordine sextam, quæ sic habet: *Congregatio censuit, in residentiam requirentibus, aut aliàs quomodocunque incompatibilibus, etiamsi Canonicatus sint, vel Portiones, induci vacationem primi ipso Jure per adeptionem secundi pacificè possessi per Decretum Concilii Trid. sess.* 7. *c.* 4. *juxta dispositionem c. p. de multa de Præbend.*

118 Ex quo patet responsio ad Argumentum contrarium; dicendum enim, per Textum Trid. *cit.* dispositionem *c. de multa* extendi etiam ad Beneficia simplicia ratione residentiæ incompatibilia, ut sensus proin sit: Beneficia quæcunque incompatibilia per assecutionem secundi vacent ipso Jure, prout vacare per Constitutionem *c. de multa* declaratum est Beneficia Curata, cujus dispositionem ipsum Concilium voluit extendi vigore præsentis Canonis ad quæcunque incompatibilia.

Dub. 3. an casu, quo quis post duo, vel tria Beneficia incompatibilia dispensativè obtenta, postmodum aliud incompatibile sine legitima super hoc impetrata dispensatione acceptat, ex priùs obtentis vacent omnia, an unum tantùm, an nullum? Videtur vacare nullum; quia collatio tertii Beneficii absque dispensatione non valet, prout sumitur ex *c. ordinarii* 3. *vers. in conferendis de Offic. Ord. in* 6. & ex Trid. *sess.* 24. *c.* 17. *de reform.* quod dum tribuit Ordinariis facultatem conferendi ad summum duo Beneficia, cons. prohibet collationem tertii, & tacitè illam irritat, atqui, ut habet *Reg.* 52. *in* 6. non præstat impedimentum, quod de Jure non sortitur effectum, ergo &c. 119

Sed retinenda est sententia Gloss. *in Clem. si plures* 3. *V. adepta hoc tit.* Garc. *p.* 11. *de benef. c.* 5. *n.* 169. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 13. *q.* 10. Vall. *l.* 3. *tit.* 2. *n.* 14. Pirh. *hic num.* 172. Vviest. *n.* 194. & dicendum, vacare omnia priùs obtenta, quamprimum ultimum pacificè obtentum fuerit, aut si per Beneficiarium steterit, quo minùs possessionem pacificam illius obtineret. Patet ex *Clem. si plures cit.* quæ etsi expressè tantùm loquatur de Dignitatibus, & Beneficiis Curatis, propter identitatem tamen rationis etiam ad Beneficia alia incompatibilia extendi debet, ut de Personalibus notat Gloss. *ibid. V. Dignitates.* 120

Ad rationem dubitandi dico in nostro casu specialiter constitutum esse, ut priora Beneficia post ultimi sine dispensatione invalidè obtenti possessionem ipso Jure vacent, ne sit melioris conditionis, qui acceptat collationem tertii illicitam, quàm qui licitam. Neque hoc novum est in Jure; nam etiam obtentio Beneficii per injustam intrusionem invalida est, & tamen *c. eum qui* 18. *hoc tit. in* 6. statuitur, ut siquis post obtentum unum Beneficium Curatum per vim, aut injustam intrusionem obtineat aliud Curatum, prius obtentum ipso Jure vacet: quod ipsum ad Dignitates, & Beneficia non Curata extendunt Gloss. *ibid. in notat.* Franc. *n.* 2. Azor *c.* 13. *cit. q.* 1. Garc. *cap.* 5. *cit. n.* 24. Mandos. *ad Reg.* 1. *Cancell. q.* 14. Barbos. *l.* 3. *Jur. Eccl. c.* 13. *n.* 172. Leuren. *p.* 3. *f.* 1. *c.* 2. *q.* 127. *n.* 2. 121

Dub. 4. quid requiratur, ut prius Beneficium per adeptionem alterius incompatibilis vacet ipso Jure? Resp. 1. requiritur, ut secundum Beneficium non tantùm sit collatum, & acceptatum, sed etiam pacificè possessum, vel saltem ut penes Beneficiarium steterit, quo minùs pacificè illud possederit. Ita Gloss. *in cap. commissa* 35. *V. pacificam Elect. in* 6. Abb. *in cap. de multa* 28. *h. tit. n.* 16. Garc. *p.* 11. *de Benef. c.* 5. *n.* 123. Azor *p.* 2. *l.* 6. *c.* 16. *q.* 9. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 8. *n.* 3. *vers. secundò advertendum*, Pal. *tr.* 13. *D.* 6. *p.* 3. §. 6. *n.* 20. Barbos. *Jur. Eccl. l.* 3. *c.* 13. *n.* 173. Van Espen *J. E. U. p.* 3. *tit.* 20. *c.* 4. *n.* 9. & 10. Clericat. *de Benef. discord.* 30. *n.* 1. & *seqq.* & *discord.* 45. *n.* 55. Fagn. *in c. de multa cit. à n.* 9. Vvagn. *ib. vers. quicunque receperit.* Passerin. *in cap.* 26. *eod. in* 6. *n.* 13. Zoes. *hic n.* 58. *vers. dicta*, Pirh. *num.* 155. Vviest. *n.* 195. & novissimè Illust. D. Præpositus Frisingensis *tom.* 1. *cons.* 12. *n.* 1. & *seqq.* 122

Dixi *pacificè*; nam si ultimò obtentum litigiosum sit, privationem Beneficii priùs obtenti non inducit, ut notant DD. *citt.* cujus ratio est, quia alioquin talis Beneficiarius bis puniretur, sc. amissione prioris Beneficii, & periculo etiam amittendi posterius propter litis, & possessionis ambiguæ ancipitem aleam. Addidi, *Si ultimò obtentum litigiosum sit*; nam si primum litigiosum sit, illud vacabit per possessionem secundi pacificè possessi, cùm tali casu jam cesset ratio supra allata, ut cum *cit.* advertit Less. *l.* 2. *de Just. c.* 34. *n.* 141. Addit tamen idem Lessius, quòd siquis obtento titulo unius Beneficii absque possessione accipiat secundum litigiosum, & postea antequam incipiat esse pacificus possessor secundi, obtineat pacificam possessionem primi, non ideo amittat secundum litigiosum; quia id Jure statutum non est. *Neque obstat*, quòd per pacificam possessionem secundi, ut paulò antea dictum est, vacet primum, & sic videatur esse eadem ratio; nam jura pœnalia restringenda, non amplianda sunt etiam ex rationis identitate ultra verborum proprietatem: qualis extensio fieret, si hoc casu adepta pacifica possessione primi, vacaret secundum litigiosum; nam jura solùm statuunt vacare primum per adeptionem pacificam secundi. 123

Porro non censetur pacificam possessionem adeptus is, qui statim & in continenti, seu in limine legitimæ possessionis turbatus fuit, vel lis eidem mota. Gloss. *in V. pacificam cit.* Abb. *in c. de multa n.* 16. Garc. *n.* 110. Et sufficiunt etiam molestiæ extrajudiciales, & de facto, ut cum aliis notat Barbos. *c.* 13. *cit. n.* 174. Censetur autem possessionis turbatio in continenti fieri, si intra annum fiat, 124

fiat, vel meliùs secundùm alios intra duos menses lis superveniat. Pirh. *n.* 155. *cit.*

125 2 Requiritur, ut quis habeat pacificam possessionem non tantùm quoad titulum, & exercitium Curæ, vel Officii annexi Beneficio, sed etiam bonorum, & fructuum Beneficii, vel majoris partis illorum; si enim fructus posterioris Beneficii aut nullos, aut saltem secundùm majorem partem non percipiat, quia ex privilegio, Statuto, vel ex alia causa fructus illi ad tempus reservantur alteri, non vacat interim prius Beneficium, ut *loc. citt.* advertunt Abb. *n.* 16. Garc. *n.* 123. Azor *q.* 9. *vers. quærat*, Less. *n.* 141. Laym. *vers. secundò*, Pal. *n.* 22. Barbos. *n.* 74. Passerin. *n.* 1. *& seqq.* Zoes. *vers. dicta*, Pirh. *n.* 156. Vviest. *n.* 195. & alii communiter. Constat ex *c. si tibi absenti* 26. *hoc tit. in 6.* Ratio est, quia talis non censetur plenè, & perfectè obtinere alterum Beneficium, igitur cùm in jure æquiras maximè spectanda sit *l. in omnibus* 90. *ff. de R. I.* eaque juri stricto præferenda *l. placuit* 8. *C. de Judic.* meritò casus iste sub dispositione juris generalis, & communis non continetur.

126 Dixi, *non vacare interim Beneficium*; nam si postea Beneficiarius alterius Beneficii fructus percipere incipiat, prius obtentum debebit dimittere; quia hujus vacatio tantùm suspensa est usque ad perceptionem fructuum secundi. Joan. Andr. *in c. si tibi cit. n.* 3. Ancharan. *ibid. not.* 3. Franc. *n.* 2. Pirh. *n.* 157. Addidi, *Si Fructus reservantur alteri*: aliud foret, si aliqui fructus, e.g. primi anni reservarentur ipsi Beneficiato post mortem applicandi; cùm enim hoc non impediat, quo minùs fructus sint ipsius Beneficiati, etiam non impediet Beneficii priùs obtenti vacationem, ut notant Garc. *n.* 137. Pal. *n.* 23. Vviest. *n.* 197.

127 3 Requiritur, ut utrumque Beneficium sit collatum in perpetuum, seu Titulum, seu Commendam, ut tradit Abb. *in c. de multa* 28. *hoc tit. n.* 22. *concl.* 5. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 8. *n.* 4. *vers. quartò advertendum*, Barbos. *in c. de multa cit. n.* 5. Pirh. *hic n.* 158. Vviest. *n.* 196. Ex quo sequitur, per acceptationem Vicariatus Episcopi non per Dignitatem, vel Beneficium Curatum priùs obtentum; quia Vicariatus Episcopi non est Dignitas perpetua, cùm Vicarius ad nutum Episcopi amoveri possit: & idem dicendum de quacunque Vicaria, vel Commenda temporali, ut rectè DD. *citt.*

128 Dub. 5. quibus casibus per adeptionem pacificam Beneficii secundi non vacet incompossibile priùs obtentum? Resp. plures hujusmodi casus enumerat Abb. *in c. de multa* 28. *h. tit. à n.* 13. Zecchus *de Rep. Eccl. c. de Benef. n.* 4. §. *in primo capite*, Garc. *p.* 11. *cap.* 5. *à n.* 100. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 8. *n.* 3. *vers. secundo advertendum*, Vall. *l.* 3. *de Benef. tit.* 8. Pirh. *hic n.* 159.

Et 1. quidem, si Papa dispensaverit, ut utrumque simul retineri possit. Proceditque hoc, etsi non fuerit sufficiens causa dispensandi, vel ipsa dispensatio subreptitiè obtenta sit; nam etsi eo casu ex tali dispensatione non acquiratur jus ad Beneficium secundum, facit tamen dispensatio, ne impetrans ipso jure privetur primo. Garc. *c.* 5. *cit. n.* 22. Gomez. *in Reg. de annali q.* 14. & hoc testè sæpe est approbatum à Rota. *Ratio est*, quia collatio secundi Beneficii ita subreptitiè impetrati est nulla, ideòque inducere effectum privationis non potest. Interim tamen in pœnam criminis ita impetrans dispensationem per sententiam Judicis privari potest.

129 2 Siquis subito iracundiæ calore motus, recipit secundum Beneficium incompatibile, & in eo se institui petit, sed mox pœnitentia ductus ei renuntiat; nam tali casu non vacat primum *arg. can. divortium* 21. *dist.* 1. *de pœnit.* ubi ex *l. divortium* 3. *ff. de divort.* dicitur: *Quidquid in calore iracundiæ vel fit, vel dicitur, non priùs ratum est, quàm si perseverantia apparuerit judicium animi fuisse.* Imò ut *l. c. n.* 16. generaliter advertit Abbas, possessio valde brevis secundi beneficii nunquam sufficit, ut vacet primum.

3 Si is, qui alterum beneficium incompatibile obtinuit, in primo beneficio expensas fecit ex bonis suis Patrimonialibus; tunc enim cogi non potest, ut primum dimittat, nisi ipsi priùs expensæ restituantur *arg. can. quicunque* 2. *caus.* 12. *q.* 3. imò, ut notat Abb. *l. cit. n.* 14. tali casu etiam hæres ipsius ab intestato hujusmodi expensas potest repetere, nisi ex conjecturis appareat, quòd eas Beneficiarius fecerit in favorem Ecclesiæ sine animo repetendi.

130 Si Episcopus primi beneficii nolit ratam habere collationem secundi, sed Clericum suum repetat; nam beneficiatus beneficio suo renuntiare non potest, etiam indirectè, recipiendo aliud beneficium, sine consensu Superioris, seu Prælati sui, qui non tenetur renuntiationem habere ratam juxta *c. admonet* 3. *de renunt.*

5 Si unum beneficium sit alteri accessorium v. g. Archidiaconatus, cui accessoriè unita est Ecclesia Parochialis *c. super eo* 6. *hoc tit. in* 6. quia talis non censetur habere duo beneficia, cùm id, quod alteri accessorium est, per unionem cum illo sit suppressum, & extinctum. Vallens *l. cit. n.* 4.

6 Si unum detur in Titulum, & alterum in Commendam temporalem *c. nemo de elect. in* 6. Vall. *n.* 5.

Dub. 6. quando vacare incipiat beneficium primum per assecutionem alterius incompatibilis? Resp. vacare incipit eodem instanti, quo illud habens adeptus est pacificam possessionem secundi, quamvis dimittere illud reipsa non teneatur, nisi post duos menses numerandos à die possessionis ita captæ. Ita Lotter. *l.* 3. *q.* 23. *n.* 20. Garc. *p.* 11. *c.* 5. *n.* 114. *&* 116. Pal. *tr.* 13. *D.* 6. *p.* 3. §. 6. *n.* 3. Clericat. *de benefic. Discord.* 30. *n.* 10. & *Discord.* 45. *num.* 56. Card. de Luca *de benef. disc.* 54. *n.* 6. *&* 7. 131

Pars prima colligitur ex *c. licèt* 28. *hoc tit. in* 6. ubi disponitur, quòd statim à die habitæ possessionis pacificæ secundi beneficii incompatibilis possit alteri conferri primum beneficium. Sed collatio primi beneficii non posset fieri alteri, nisi prius vacasset *c. qui in virorum* 1. & *c. seq. de concess. Præbend.* ergo &c. *Conf.* ex *Declar. Gregorii XIII.* relata apud Fagn. *in c. non sine num.* 36. *de Arbitr.* per quam, cùm dubitaretur, an beneficium primum vacans per assecutionem secundi incompatibilis esset reservatum, vel non, Sanctitas sua decrevit, quòd si possessio secundi collati ab Ordinario capta sit in mense reservato, primum sit reservatum Sedi Apostolicæ, & à solo Papa conferendum; secus autem, si dicta possessio secundi beneficii capta fuerit in Mense Ordinarii. Neque ad vacationem inducendam opus est sententia Declaratoria, sed absque hac conferri sic vacans alteri potest juxta expressos textus *c. licèt cit.* §. *is cui*, *& notat.* Clericat. *de benef. discord.* 80. *n.* 10.

Pars secunda originem suam debet æquitati Canonicæ, qua Beneficiario, postquam secundum beneficium incompatibile acquisivit, permissum est, ut primum per duos menses, & de facto retineat, ne si fortè insurgant molestiæ super secundo, ipse remaneat privatus utroque. Unde molestiis non supervenientibus, rata est vacatio usque ab initio captæ possessionis. Et hanc ob causam Dataria solet conferre idem primum beneficium ante lapsum duorum Mensium. Card. de Luca *disc.* 54. *cit. n.* 9. Clericat. *n.* 12. Et in hoc sensu intelligendi sunt DD. dum dicunt primum beneficium non vacare intra duos menses à die captæ possessionis secundi; nam hi loquuntur de vacatione corporali possessionis primi beneficii, quæ consistit in facto, non autem de vacatione beneficii quoad Titulum, quippe quæ sequitur ipso Jure post pacificam possessionem secundi obtentam. Neque novum est in Jure, ut vacet beneficium, non autem ejus possessio; est enim quid facti, à quo non pendet beneficii Titulus, per quem jus in re acquiritur, etiamsi non habeatur possessio. 132

Dub. 7. quod sit Officium Episcopi, vel Collatoris in casu vacantis hoc modo beneficii? Resp. hic post obtentam possessionem pacificam secundi beneficii, primum vacans conferre intra sex menses alteri idoneæ personæ potest, ac debet, etiam irrequisito possessore, prout constat ex *c. licèt* 28. *hoc tit. in* 6. & colligitur ex *c. de multa sæpiùs cit.* ibi, *Liberè conferat*, i. e. illo non monito, vel vocato, ut explicat Joan. Andr. *ibid. n.* 10. *V. liberè*, Imol. *n.* 6. Abb. *n.* 3. Pirh. *n.* 151. *Ratio est*, quia regulariter is, qui habet jus, seu potestatem rem alteri conferendi, vel in alium transferendi, potest hoc jure suo uti, non obstante alterius possessione, seu detentione, juxta *Reg.* 26. *ff.* ubi Ulpianus, *Qui potest*, inquit, *invitis alienare, multo magis & ignorantibus, & absentibus potest.* 133

Dixi, *Intra sex menses*: qui numerari debent non à tempore receptionis secundi beneficii, sed notitiæ vacationis *c. quia* 5. *de concess. Præbend.* Proceditque hoc etiam in aliis casibus, in quibus Ecclesia, vel beneficium ipso Jure vacat. Innoc. *in c. de multa cit. vers. quantum ad hoc*. Quodsi Episcopus, ad quem spectat collatio, intra sex menses non conferat, jus conferendi devolvitur ad proximum Superiorem, & ipse tenetur tantundem ex suis proventibus assignare illi Ecclesiæ, cujus beneficium conferre distulit, quantum ex fructibus illius, durante vacatione constiterit esse perceptum *c. de multa cit.* vel si proprios proventus non habeat, aliter punietur ad arbitrium Judicis, Gloss. *in c. de multa cit. V. proventibus*, Joan. Andr. *ibid. n.* 12. *vers. additur*, Pirh. *hic n.* 151. 134

Addidi, *Conferre potest*, *& debet*; in possessionem autem corporalem beneficii collati eum, qui contulit, 135

tali casu non debet inducere, nisi priùs vocato possessore, sive eo, qui prius Beneficium per adeptionem secundi amisisse censetur, prout statuitur *c. licèt cit.* & ratio *ibidem* additur, *quia forsan ipsi jus potest competere retinendi. Excipitur* 1. nisi certum, & indubitatum sit possessorem, seu detentorem primi beneficii nullum habere jus retinendi illud; tunc enim absque illius citatione, vel causæ cognitione novus provisus, cui beneficium illud collatum est, mitti in possessionem illius debet *arg. c. cit.* ubi dicitur ideo possessorem esse vocandum, quia forsan ipsi jus retinendi potest competere. ergo si ei nullum jus competat, non debet vocari, neque opus est causæ cognitione. *Excipitur* 2. nisi collationem beneficii alteri factam præcesserit monitio, seu citatio possessoris, & causæ cognitio; tunc enim potest provisus mitti in possessionem, non citato ulteriùs possessore. Joan. Monach. *in cap. licèt cit. n.* 1. Laym. *n.* 1. Pirh. *n.* 161.

136 Porro cognitio ista debet fieri summariè, & de plano sine figura, ac strepitu Judicii, juxta *Clem.* 2. *de Judic.* Et sufficit, si is, cui facta est collatio, probet eam factam esse, nec requiritur, ut eam probet esse Canonicam; quia præsumitur esse Canonica, & legitima. Neque etiam admittitur contra eam quælibet exceptio impediens collationis effectum, seu immissionem in possessionem beneficii, ut notat Lapus *in c. licèt cit. n.* 4. Ancharan. *ibid. not.* 7. Pirh. *n.* 161. *cit. Ratio est*, quia cùm etiam Appellatio interposita à collatione beneficii non suspendat, nec impediat ejus effectum, multo minùs id poterit Exceptio opposita. *Excipitur* 1. si opponatur crimen junctum cum infamia. 2. Si opponatur exceptio subreptionis, vel alia, per quam negatur petentem possessionem habere Canonicum titulum in Beneficio. 3. Si sit manifesta, vel in continenti probari possit.

Quæritur 3. de dispensatione in pluralitate Benefi-
137 ciorum. Et 1. quidem dubitatur, quibus casibus liceat plura Beneficia obtinere simul absque dispensatione? Resp. quatuor casus refert Vallens. *l.* 3. *de Benef. tit.* 8. 1. Quando primum ad honestam sustentationem non est sufficiens; nam tunc obtineri potest secundum non requirens residentiam, ut patet ex Trid. *sess.* 24. *c.* 17. *de reform.*

2 Si Ecclesia Cathedralis, aut Parochialis, vel Dignitas sit valde pauper, aut debitis gravata; tunc enim eam obtinenti Beneficium saltem simplex, & compatibile conferri potest: imò, ut rectè infert Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 8. *n.* 4. *vers. excipe secundò*, priùs obtentum ei relinqui; quia cui licet, quod plus est, licet etiam minus. plus autem videtur esse posse post obtentum Episcopatum, vel Parochialem Ecclesiam beneficium de novo consequi, quàm retinere antè obtentum: ergo &c. Aliud dicendum de Curatis, & incompatibilibus; nam hæc aliud simile obtinenti, licèt illud tenue, & ad sustentationem insufficiens sit, jam post Decretum Trid. *sess.* 24. *c.* 17. *de reform.* conferri non ampliùs possunt, nisi fortè in casu, quo duæ Parochiæ sibi ita vicinæ sint, ut unus utrique satisfacere possit, nec facilè inveniri possent, qui uni soli deservire vellent. Vall. *tit.* 8. *cit. n.* 3.

3 Quando unum est accessoriè annexum alteri. Et 4. quando unum datum est in Titulum, alterum in Commendam temporalem, ut dictum est suprà *Numer.* 130.

138 Dub. 2. quæ sint causæ justæ dispensandi in pluralitate Beneficiorum? Resp. tres enumerantur, ut videre est apud Abb. *in c. de multa* 28. *h. tit. n.* 7. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 12. *q.* 2. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 8. *n.* 2. Vallens. *l.* 3. *de Benef. tit.* 9. *n.* 2. Leuren. *p.* 3. *for. Benef. f.* 1. *c.* 2. *q.* 122. Pirh. *hic n.* 191. Konig *n.* 18. & sumitur ex *can. tali* 17. *caus.* 1. *q.* 7.

Prima est *Ecclesiæ necessitas*, ob quam quandoque uni plura beneficia supra necessariam vitæ sustentationem conferri possunt, si desint idonei Ministri, v. g. in locis, in quibus Hæretici se beneficiis intrudere conantur. Quò reducitur, si beneficium priùs obtentum ad sustentationem congruam non sufficiat; nam eo casu alterum conferri ab Episcopo potest etiam nulla dispensatione mediante, ut dictum est *n. præc.* tertium, & quartum verò saltem à Summo Pont.

139 Secunda *Utilitas Ecclesiæ*, si quis solus putetur magis profuturus Ecclesiæ, etiam absens, sua authoritate, potentia, prudentia, doctrina, quàm alius præsens, vel alii plures. Sic Gregorius M. ut patet ex *l.* 2. *Epist. c.* 32. quemdam Episcopum, Agnellum nomine, ob certam Ecclesiæ necessitatem duos Episcopatus habere voluit. Sic defacto in Germania Filiis Principum interdum conferuntur plures Ecclesiæ Cathedrales, etiam ante ætatem, ut Ecclesiæ adversùs Hæreticos faciliùs defendantur.

Tertia *Prærogativa meritorum*: ob hanc causam *c. de multa* 28. *h. tit.* dicitur, circa sublimes, & litteratas personas, cùm ratio postulaverit, per Sedem Apostolicam dispensari posse: & *Extrav. Execrabilis Joan. XXII. eod.* cùm Pontifex statuisset, ne quis acciperet plures Dignitates, personatus, Officia, & Beneficia, quibus inest cura animarum, excipit S. R. E. Cardinales, qui universali Ecclesiæ serviendo singulatum commoditatibus se impendunt; ac Regum Filios, qui propter sublimitatem, ac generis claritatem sunt potioris prærogativa gratiæ attollendi. 140

Dub. 3. quam potestatem dispensandi in pluralitate Beneficiorum habeat Pontifex? Resp. habet amplissimam, ob generalem Administrationem illorum, quæ eidem Jure Divino competit. Adeoque dispensare potest non tantùm ad duo, sed etiam ad plura beneficia; nec tantùm ad inferiora, & simplicia, sed etiam ad Curata, Personatus, & Dignitates; estque perinde, sive illa sint sub diverso, sive sub eodem tecto, uniformia, seu difformia, prout colligitur ex *c. de multa* 28. *h. tit. in fin. c. licet* 2. *eod. in* 6. *in Clem.* 1. *ut lit. pend.* estque praxi quotidiana receptum. 141

Difficultas est duplex. 1. An valeat dispensatio circa pluralitatem beneficiorum à Pont. facta, si facta sit sine justa causa. 2. An ita dispensatus retinere illa simul licitè possit. 142

Ad 1. Less. *l.* 2. *de Just. c.* 34. *n.* 152. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 8. *n.* 2. Gonzal. *in c.* 28. *cit. n.* 4. Leuren. *p.* 3. *f.* 1. *c.* 2. *q.* 115. Van-Espen *J. E. U. p.* 3. *tit.* 20. *c.* 5. *n.* 5. *& seqq.* cum communiori DD. contra Azor *p.* 2. *l.* 6. *c.* 12. *q.* 7. Pal. *tr.* 13. *D.* 6. *p.* 3. §. 6. *n.* 26. & alios quosdam docet, ejusmodi dispensationem quidem esse illicitam, sed tamen validam, nisi obreptio aliqua intervenerit ex parte impetrantis.

Et quidem *quòd illicita sit*, patet, quia Papa non est dominus beneficiorum, sed dispensator, qui non potest pro arbitrio dispensare bona Ecclesiis relicta, sed tantùm in utilitatem earum. *Quòd autem valida sit*, colligitur ex eo, quia his provisus ad nullum illorum Jure naturæ inhabilis est.

Ad 2. duplex est sententia. Less. & Laym. *l. citt.* putant ita provisum bona conscientia hujusmodi beneficia retinere non posse, sed obligari ad resignanda illa, quæ secundùm statum suum eidem non sunt necessaria, vel in quibus justa causa dispensandi non intervenit; absolvunt tamen illum à restitutione fructuum interim perceptorum, si obligationibus beneficiorum illorum saltem per Vicarium satisfecit. Contrà Sanch. *l.* 2. *Cons. c.* 2. *dub.* 6. docet, eum quidem peccasse procurando dispensationem, & beneficia hujusmodi recipiendo, retinere tamen illa licitè posse, si per se, vel per substitutos ea bene administret, & consulat damnis inde pullulantibus: & rationem dat, quia accepit ab eo, qui poterat legitimè conferre, & qui sciens, ac prudens illa contulit: quod confirmari potest ex eo, quia tali casu dispensando, & recipiendo plura beneficia solùm peccatur contra Justitiam distributivam, cujus violatio ad restitutionem non obligat. 143

Dub. 4. an, & in quibus beneficiis dispensare possit Episcopus? Resp. distinguendo, an sint beneficia compatibilia, an verò incompatibilia. *Si primum*, duo, vel plura, ubi consuetudo legitimè præscripta sic habet, ut dictum est *n.* 102. *&* 103. conferre Episcopus etiam sine dispensatione potest, dummodo ita provisus iis indigeat ad honestam vitæ sustentationem. 144

Si secundum, iterum distinguendum, quo Jure sint incompatibilia; nam *si Diœcesano tantùm*, Episcopus in pluralitate illorum dispensare potest. *Si verò communi*, non potest, præterquam in causa magnæ necessitatis, vel publicæ, & evidentis utilitatis; tunc enim, si Pontif. adiri nequeat, & periculum sit in mora, dispensare Prælatus Pontifice inferior ad pluralitatem beneficiorum incompatibilium poterit, quamvis, ut rectè notant Less. *l.* 2. *c.* 34. *n.* 150. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 8. *n.* 9. Pirh. *hic n.* 185. Wiest. *n.* 211. rarissimè ejusmodi casus accidat, ut non petita dispensatione Pontificis, plura beneficia sit necesse conferre. Ita cum *citt.* Azor *p.* 2. *l.* 6. *c.* 12. *q.* 6. Pal. *tr.* 13. *D.* 6. *p.* 3. §. 6. *num.* 28. Barbos. *in c.* 28. *h. tit. n.* 18. *vers. per Sedem*, & *num.* 22. Gonzal. *ibid. n.* 3. Leuren. *p.* 3. *f.* 1. *c.* 2. *q.* 120. Van-Espen *c.* 5. *cit. n.* 11. Colligitur ex *c. de multa cit.* ibi, *Cùm ratio postulaverit, per Sedem Apostolicam poterit dispensari:* ubi Gloss. *V. per sedem* à sensu contrario infert, per alios in talibus non posse dispensari; quia quod de uno conceditur, de alio negatur, & quod de uno negatur, de alio conceditur. *Ratio est*, quia Episcopus, & alii inferiores Prælati non possunt dispensare contra Jus Pontificium. 145

Ex quo

146 Ex quo sequitur solum Pontificem dispensare posse, 1. Ut quis obtineat plures Dignitates, Personatus, & Beneficia Curata. 2. Ut quis obtineat duo, vel plura beneficia uniformia sub eodem tecto. 3. Ut obtineat, & retineat duo, vel plura difformia sub eodem, vel alia quæcunque, etiam simplicia, sub diverso tecto, si primum ad sustentationem honestam fuit sufficiens. Quorum omnium ratio est, quia beneficia hæc de Jure communi sunt incompatibilia.

147 Dub. 5. quam potestatem dispensandi in pluralitate beneficiorum habeat Legatus à latere, Capitulum Sede Episcopali vacante, Vicarius Generalis Episcopi, Reges, & Principes, quibus jus conferendi beneficia per speciale privilegium Apostolicum competit?

Resp. 1. *Legatus à Latere* dispensare potest quoad pluralitatem beneficiorum in Provincia sibi demandata ex iisdem causis, & in iisdem beneficiis, in quibus dispensare potest Episcopus respectu Ecclesiarum subjectarum Jurisdictioni suæ. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 12. *q.* 9. Vivian. *de Benef. l.* 3. *tit.* 9. *num.* 4. *& duob. seqq.* Barbos. *in c.* 28. *n.* 18. *vers. cùm in hoc*, Pirh. *hic n.* 189.

2 *Capitulum, Sede vacante*, non potest dispensare, ut unus plura simul obtineat beneficia. Azor. Pirh. *l. citt.* quia tantùm habet Jurisdictionem necessariam. Non est autem necessarium uni plura conferre, vacante Sede; sufficiet enim, si interea habenti unum commendet alterum, dum Episcopus eligatur.

3 *Vicarius Generalis* opus habet speciali commissione Episcopi, ut in beneficiorum pluralitate dispensare, & uni plura conferre possit. Azor. Pirh. *l. citt.*

4 Quod multo magis procedit de Regibus, & Principibus; nam etsi ex concessione Ecclesiæ nonnunquam beneficia conferre possint, duo tamen, vel plura nequeunt sine speciali Romani Pontif. authoritate. Azor. *l. cit.*

148 Dub. 6. quid circa dispensationes in pluralitate beneficiorum notandum sit? Resp. 1. petens illam in supplicatione debet facere mentionem de beneficio priùs obtento, etsi modicum illud sit; aliàs dispensatio non proderit, sed erit ipso Jure nulla, prout statuitur *c. non potest* 21. *in princ. h. tit. in* 6. & notant Franc. *ibid. n.* 2. Barbos. *n.* 1. Passerin. *n.* 2. *& seqq.* Pirh. *n.* 193. & alii communiter. *Ratio est*, quia expressio talis qualitatis requiritur quasi forma legitimæ postulationis, & reticentia illius dispensationem tanquam subreptitiam vitiat. *Proceditque* hoc, etsi constet, qualitate illa expressa, Papam adhuc gratiam illam fuisse concessurum, ut cum aliis notat Covar. *l.* 1. *var. c.* 20. *n.* 5. *vers. verùm.*

2 Si quis Indultum Apostolicum accepit ad obtinenda, & retinenda plura beneficia, uno ex his dimisso, non potest vi illius Indulti recipere aliud, & retinere illud cum altero non dimisso. Barbos. *nu.* 1. *cit.* Passerin. *num.* 24. Pirh. *num.* 196. & habetur *c. non potest cit. vers. illud autem. Ratio est*, quia quamprimum talis duo beneficia obtinuit, jam gratia dispensationis impleta est, & ideo ad alia tertia, vel quarta vice vacatura extendi non debet.

3 Si alicui de beneficio provideatur, adjecta clausula, *Non obstante, quòd jam alìud Beneficium habeat*, non ideo dispensatum censeri debet ad retinendum unum cum altero; sed clausula illa hoc solùm operatur, ut impetratio secundi beneficii non debeat censeri subreptitia, ut rursum deciditur *c. non potest cit. vers. cùm verò*, & notant Barb. *n.* 1. *cit.* Passer. *n.* 25. Schamb. *hic n.* 37.

149 Dub. 7. quousque extendi debeat dispensatio facta ad pluralitatem beneficiorum? Resp. cùm odiosæ dispensationes sint, rescripta illatum sunt strictæ interpretationis.

Extenduntur tamen ad ea, quæ inseparabiliter accessoria, seu connexa sunt, ita, ut sine iis dispensatio effectum non sortiretur. Gloss. *in c. quia in tantum* 5. *V. plures h. tit.* Abb. *ibid. n.* 4. Fagn. *n.* 20. *& seqq.* Pirh. *hic n.* 198. Adeoque dispensatus, ut possit retinere duo beneficia, quæ continuam residentiam personalem, adeoque incompatibilem exigunt, etiam dispensatus censeri debet super ipsa residentia, ut in uno eorum residere sufficiat.

Dixi, *Quæ inseparabiliter sunt accessoria, seu connexa*; nam ad ea, quæ sunt accessoria contingenter, seu quæ separati possunt, non extenditur dispensatio. Rebuff. *prax. tit. de dispens. ad plur. Benef. n.* 76.

§. V.

De Beneficiorum Unione, Divisione, & Dismembratione.

SUMMARIUM.

Quæritur 1. quid, & quotuplex sit beneficiorum Unio? Resp. *Unio est duorum, vel plurium beneficiorum, aut Ecclesiarum ab Episcopo, vel alio legitimo Superiore Ecclesiastico facta annexio.* Ita Rebuff. *prax. tit. de Union. benef. n.* 1. Sanch. *l.* 7. *mor. c.* 29. *n.* 145. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 9. *n.* 1. Pal. *tr.* 13. *D.* 6. *p.* 12. §. 1. *n.* 1. & alii passim: *Ecclesiarum* nomine comprehenduntur Episcopatus, *Beneficiorum* autem quæcunque alia beneficia, Dignitates, Personatus, & officia: & ratio diversæ hujus nomenclationis est; quia, ut supra *n.* 32. monui, Episcopatus, & Dignitates his majores regulariter non veniunt nomine Beneficii, cum sint culmina Beneficiorum, & Dignitatum. 150

Unio Ecclesiarum, & Beneficiorum sic definita duplex dividitur. Una *Perpetua*, cùm duæ Ecclesiæ, vel Beneficia authoritate Prælati Ecclesiastici in perpetuum connectuntur; altera *Temporalis*, quæ fit ad tempus v. gr. ad vitam ejus, in cujus favorem fit, & eo mortuo exspirat. Corrad. *prax. Benef. l.* 2. *c.* 13. *num.* 28. Leuren. *for. Benef. p.* 3. *q.* 879. *num.* 1. Clericat. *de Benef. discord.* 75. *num.* 4. *Posterior* non est propriè dicta Unio, sed potiùs dispensatio, seu reservatio, per quam reservatur Beneficium illi, in cujus favorem fit unio, ut notat Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 28. *q.* 17. & *l. citt.* docent Corrad. *num.* 39. Rebuff. *num.* 9. Laym. *num.* 1. Pal. *n.* 7. Hinc in dubio non præsumitur facta Unio temporalis, sed perpetua. Censetur autem hæc posterior fieri. 1. quando exprimitur, ut duret perpetuò *c. exposuisti* 33. *h. tit.* 2. quando dicitur *Ad perpetuam rei memoriam*, vel *ad beneplacitum Sedis Apostolicæ c. si gratiosè* 5. *de Rescript. in* 6. 3. si fiat contemplatione Ecclesiæ, quæ nunquam moritur *c. si gratiosè cit.* & *c. novit* 1. *ne Sed. vac.* 151

Potestque hæc Ecclesiarum, & Beneficiorum Unio fieri tribus omnino modis, ut notat Gloss. *in c. novit cit. V. uniendo*, Rebuff. *n.* 11. *& seqq.* Azor. *c.* 28. *cit. q.* 2. Garc. *p.* 12. *de Benef. c.* 2. *n.* 7. Sanch. *n.* 156. Pal. *n.* 3. Leur. *q.* 880. *a n.* 1. Pirh. *hic n.* 201. 152

Et 1. quidem, si ex duobus Beneficiis fiat unum, ex duabus Parochiis una Parochia, ex duobus Episcopatibus

bus unus Episcopatus, ita, ut ambo in unum veluti corpus tertium, & distinctum coalescant. Hic unionis modus, ut Pirh. *n.* 201. *cit.* notat, non est in frequenti usu. *Effectus* illius est, ut privilegia, uni Ecclesiæ data, etiam alteri competant, & si contraria sint, meliora, & favorabiliora retineantur, reliqua cessent; item si Ecclesiæ sic unitæ sint Cathedrales, vel Collegiatæ, per unionem hujusmodi fit, ut Canonici, qui sunt in una Ecclesia, sint etiam Canonici in altera, & faciant unum corpus. Azor. *q.* 2. *cit.* Garc. *n.* 10. *&* 11. Pal. §. 1. *cit. n.* 4. Leuren. *q.* 880. *cit. n.* 3. Vvieft. *l.* 5. *Decret. tit.* 31. *num.* 5. Jacob Emerix *decis.* 1204. *n.* 34.

153 *Secundus* modus est, quando una Ecclesia, vel Beneficium subjicitur alteri tanquam superiori, eidemque unitur velut accessorium principali. Hic uniendi modus usitatissimus est, & frequentissimus. *Effectus* illius decem enumerat Clericat. *de Benef. discord.* 75. *& seqq.* plures Leuren. *p.* 3. *cit. q.* 883. *Præcipuus est*, quod per eam Beneficium sic unitum quasi extinguatur, quia assumit naturam, qualitates, & privilegia Beneficii principalis, cui adhæret. Rebuff. *n.* 12. Sanch. *n.* 146. Laym. *n.* 2. *vers. alter modus*, Pal. *n.* 4. Leur. *n.* 2. Clericat. *n.* 5. Pirh. *num.* 202. Vvieft. *n.* 6. Jacob. Emerix *decis.* 1296. *n.* 7. Ex quo proin

Sequitur 1. si Exempta Ecclesia uniatur alteri non exemptæ, exemptam jus exemptionis amittere; & vicissim si non exempta uniatur exemptæ, jus exemptionis acquirere: item si Ecclesia Sæcularis accessoriè uniatur Regulari, Sæcularem fieri Regularem, & vice versa. Azor. *q.* 2. *cit.* Pal. *n.* 7. Pirh. *n.* 202. Monacel. *p.* 3. *Append. decis.* 12. *n.* 3. *Ratio est*, quia hujus unionis ea natura est, ut titulum Ecclesiæ unitæ tollat, eamque faciat membrum, & quasi prædium Ecclesiæ, cui facta est unio. Garc. *c.* 2. *cit. n.* 12.

154 *Sequitur* 2. quod Beneficium accessorie unitum non vacet mortuo, vel remoto Rectore principali; quod enim est extinctum quoad nomen; & titulum, vacare non potest. Garc. *n.* 15. *&* 16. Rebuff. *n.* 12. Pirh. *n.* 202. Solùm ergo vacabit mortuo principali Rectore illud Beneficium, cui unitum est, & cum quo unum Beneficium factum est. *Conf.* nam Beneficium ita unitum, ut suprà dictum est, fit quasi prædium illius Beneficii, vel Ecclesiæ, cui unitum est, ac proin semper penes illam manet, & ab ipsa tanquam persona ficta possidetur, id autem Beneficium, quod legitimum possessorem habet, non vacat. ergò &c.

Sequitur 3. per hujusmodi unionem auferri collationem Beneficii ita uniti, & potestatem id conferendi; cùm enim Beneficium nullum conferri possit, nisi vacet, consectaneum est, ut postquam per unionem impedita est ejus vacatio, etiam impediatur illius collatio. Gonzal. *ad Reg.* 8. *gloss.* 5. §. 7. *n.* 20. Card. de Luca *de Paroch. disc.* 12. *n.* 13. Leur. *q.* 883. *cit. n.* 5. Clericat. *discord.* 16. *n.* 3. Hinc apud DD. commune dictum est, nihil magis repugnare unioni, quàm suppositio collativi status. Lotter. *l.* 1. *q.* 28. *num.* 104. Cleric. *disc.* 16. *n.* 3. Procedit autem hoc tantùm, quando effectum suum jam fortita est unio, & is, cui facta est unio, mortuo beneficii uniti possessore, consecutus est possessionem illius, nam si effectum nondum fortita est, potest Episcopus illum suspendere, & prorogare post mortem illius Clerici, cui vult illud conferre, & ideo adhuc habet potestatem id conferendi. Clericat. *Disc.* 13. *cit. n.* 3.

155 *Sequitur* 4. in impetratione beneficii solius principalis mentionem debere fieri, non autem accessoriè uniti. Garc. *n.* 20. *& seqq.* Azor. *q.* 20. Rebuff. *n.* 14. Laym. *n.* 2. *cit. coroll.* 1. Van Espen *J. E. U. p.* 2. *tit.* 29. *c.* 1. *n.* 11. & ratio clara est, quia jam non possidetur in titulum beneficii, sed tanquam prædium beneficii principalis: & hinc sicut capta possessione Castri, etiam capta censetur possessio prædiorum ad Castrum illud pertinentium, ita capta possessione Ecclesiæ, seu beneficii principalis, cui facta est unio, etiam capta censetur possessio beneficii sic uniti. Garc. *n.* 22. Pal. *n.* 6. Leur. *n.* 5. *cit.*

Sequitur 5. Si Ecclesia Parochialis accessoriè, & perpetuò sit unita Dignitati, vel Canonicatui, in recipiente illam sufficere ætatem, quæ ad Dignitatem, & Canonicatum, cui sic unita est illa Ecclesia, requiritur; quia beneficia Curata, sic unita transeunt in naturam Simplicium, proùt teste Leuren. *n.* 2. Sacra Congr. Concil. Trid. censuit, & cum aliis monent Garc. *n.* 26. Laym. *coroll.* 2. Pal. *n.* 7.

Sequitur 6. non debere, nec posse (seclusa plenitudine potestatis Papalis) beneficium dignius accessoriè uniri minùs digno e. g. Ecclesiam Parochialem Capellaniæ; quia non decet, ut magis dignum subjiciatur minùs digno. Rebuff. *num.* 17. Laym. *coroll.* 3. Pirh. *num.* 202.

156 Tertius Unionis modus est, si duo beneficia, videlicet duæ Ecclesiæ Cathedrales, vel Parochiales æquè principaliter uniantur, ita, ut ambæ propriam naturam, qualitates, & privilegia sua retineant, & neutra Ecclesia alteri subjiciatur, vel adhæreat, sed utraque proprios reditus habeat, & titulum suum retineat, sub eodem tamen Episcopo, vel Rectore, qui Ecclesiæ utrique præficitur, & in utraque intitulatur, sicut factum est in casu *c. novit* 1. *ne Sed. vac.* & *notat* Gloss. *in c. & temporis* 48. *V. unire cauf.* 16. *q.* 1. Rebuff. *prax. tit. de Union. n.* 15. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 28. *q.* 2. Garc. *p.* 12. *de Benef. c.* 2. *n.* 37. Sanch. *l.* 7. *mor. c.* 29. *n.* 146. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 9. *n.* 2. *vers. tertius modus.* Pal. *tr.* 13. *D.* 6. *p.* 12. §. 1. *num.* 4. Jacob. Emerix *decis.* 1025. *num.* 7. & *decis.* 1094. *per totam*, Joan. Emerix *decis.* 44. *n.* 5. Leuren. *p.* 3. *for. Benef. q.* 880. *n.* 2. & *q.* 884. *n.* 1. *&* 2. Van-Espen *J. E. U. p.* 2. *tit.* 29. *c.* 1. *n.* 12. Pirh. *hic n.* 203.

157 *Effectus Unionis* istius non est alius, quàm ut Rector unius Ecclesiæ sit etiam Rector alterius. Garc. *p.* 12. *de Benef. c.* 2. *n.* 37. De cætero enim in omnibus fere unio ista operatur contrarium iis, quæ operatur Unio accessoria. Nam

1 Quælibet ex Ecclesiis ita unitis Jura, privilegia, & qualitates retinet, quas singulæ habuerunt, antequam unirentur. Rebuff. *n.* 15. Garc. *n.* 37. Pal. *n.* 9. Leuren. *q.* 884. *n.* 2. Ratio est, quia vi talis Unionis beneficia sic unita non inter se, sed tantùm in persona Rectoris communicantur, ita, ut duo quidem maneant beneficia, sed unus illorum Rector.

2 Reditus utriusque distincti manent, prout manent distincti earum Tituli. Sequitur ex *præced.* Et hinc, si in harum Ecclesiarum una sit constituendus Vicarius, is ex istius tantum, non ex alterius Ecclesiæ unitæ proventibus ali debet. Pal. Leuren. *l. cit.* Et hoc procedit, etiamsi prioris Ecclesiæ proventus ad Vicarium alendum non sufficiant: cùm enim unio hæc distinctionem tollat, etiam obligationem non imponet, ut una succurrat alteri.

158 3 Beneficium sic principaliter unitum verè vacat, & ideo conferri, resignari, & permutari potest, sed non unum separatim ab altero, cui ita unitum est; aliàs dissolveretur unio, quam dissolvere, si perpetua sit, neque Beneficiarius beneficia sic unita obtinens, neque Collator, nisi is, qui fecit unionem, potest. Pal. *n.* 9. *cit.* Leuren. *n.* 3. Pirh. *n.* 203.

4 Si alterum eorum sit Curatum, vel aliàs incompatibile, impedit assecutionem alterius similis, & hoc obtento, nisi dispensetur, ambo sic principaliter unita vacant. Garc. *c.* 2. *cit. n.* 41. Pal. *n.* 8. Leur. Pirh. *l. citt.*

5 Si Ecclesiæ ita unitæ sunt Cathedrales, vel Collegiatæ, Canonici unius non fiunt Canonici alterius, cum separata, ut dictum est, maneant Ecclesiæ utriusque jura; casu tamen, quo Electio facienda est, celebrari illa ab omnibus communiter, seu ab utroque Collegio simul debet in loco, de quo in Unione conventum est, vel in digniore, si de loco non sit specialis conventio. Azor. *c.* 28. *cit. q.* 2. Garc. *n.* 48. Leur. Pirh. *l. citt.*

159 6 Similiter si beneficia sic unita Patronata sint, Patroni unius efficiuntur etiam Patroni alterius, ita, ut qui habuerit majorem partem vocum respectu unius, illam habere censeatur etiam respectu alterius. Jacob Emerix *decis.* 987. *n.* 7.

7 Si beneficia æquè principaliter unita subsint diversis Episcopis, vel ad diversos collatores spectent, neuter eorum jus conferendi amittit, prout tamen ammittitur ex parte Beneficii uniti accessoriè, sed utriusque collatoris, & Episcopi consensus ad collationem, vel confirmationem requiritur. Garc. *num.* 47. Azor. *q.* 2. Laym. *vers. tertius modus.* Van Espen *nu.* 13. Pirh. *n.* 203.

8 In impetratione alterius beneficii, vel Ecclesiæ æquè principaliter unitæ de utroque mentio fieri debet contra id, quod fit in accessoriè unitis, ubi solùm opus est fieri mentionem de principali. Garc. *num.* 43. Azor. *q.* 20. Pal. *num.* 8. Laym. Van Espen, Pirh. *l. cit.*

160 Quæritur 2. qualis sit unio, favorabilis, an odiosa? Resp. Uniones de Jure communi esse odiosas, & restringendas; quia per illas diminuitur Cultus Divinus; & quia unio duorum beneficiorum, & Ecclesiarum est contra Jus commune, cùm quælibet Ecclesia debeat suum proprium habere Rectorem *c. quia nonnulli* 3. *h. tit.* Leuren. *p.* 3. *for. Benef. q.* 882. *n.* 1. Card. de Luca *de Benef. Disc.* 19. *n.* 13. Magis tamen favorabilis est unio æquè principalis, quàm accessoria, & subjectiva; quia minùs præjudicialis. Carol. Ant.

Ant. de Luca *in Observat. ad annot.* 8. §. 1. *tom.* 2. *Ventriglia n.* 1. Card. de Luca *ad Trid. Disc.* 8. *num.* 30. *& de Regular. D.* 25. *num.* 4. Leur. *l. cit. n.* 2. Hinc cùm semper præsumptio capienda sit, quæ minùs est præjudicialis, in dubio unio censebitur facta æquè principaliter, donec contrarium probetur, ut notat Gonzal. *ad Reg.* 8. *Cancell. gloss.* 5. §. 7. *n.* 134. Rebuff. *tit. de union. num.* 20. Pal. *tr.* 13. *D.* 6. *p.* 12. §. 1. *num.* 11. Pignatell. *tom.* 1. *cons.* 223. *num.* 13. Leuren. *p.* 3. *q.* 881. *num.* 1. Card. de Luca *Disc.* 25. *cit. num.* 4. Jacob. Emerix *decis.* 1185. *num.* 9. Joan. Emerix *decis.* 11. *num.* 3. *&* 7.

161 Ad dignoscendum autem, an unio facta sit accessoriè, an verò æquè principaliter, hæ Regulæ observandæ sunt. 1. & ante omnia inspiciendus est Unionis tenor. Ex hoc accessoriè unita judicabitur Ecclesia, si in Rescripto Unionis inveniantur verba, *Ecclesiam; vel Beneficium illi Beneficio unimus, annectimus, incorporamus.* Contrà æquè principaliter unita censebuntur, si dicatur: *illud & illud Beneficium annectimus*. Carol. Ant. de Luca *l. cit. n.* 3. & communiter cæteri.

2 Si ex litteris Unionis nihil colligi possit, attendendum, an ex beneficiis sibi unitis unum sit dignius; nam minùs dignum semper præsumitur unitum accessoriè, & non æquè principaliter magis digno, ita, ut magis dignum trahat ad se minùs dignum, ut *arg. c. quod in dubiis* 3. *de consecr. Eccl. vel Altar.* §. *si tamen alienam purpuram* 26. *inst. de rer. divis.* & *l. quæ Religiosis* 43. *ff. de R. V.* colligit Gonzal. §. 7. *cit. n.* 129.

162 3 Si non appareat, quodnam sit magis dignum, recurrendum erit ad denominationem, sive attendendum, num ex uno beneficio duntaxat proveniat denominatio, & illud judicabitur principaliter unitum, alterum accessoriè, cùm semper à digniore, & potiore fiat denominatio. Gonz. *l. cit. n.* 132. Pal. *n.* 11. Leur. *n.* 2.

4 In consilium vocanda est observantia; hæc enim, tanquam optima Legum interpres, removebit in parte hac dubium. Gonz. *n.* 135. cum *citt.*

5 Denique cessantibus his omnibus, præsumendum, ut *suprà n.* 160. dixi, unionem factam æquè principaliter Gonz. *n.* 134. cum *citt.*

163 Ne verò in his conjecturis erretur, bene notanda sunt sequentia. 1. si Præbenda Canonicalis annexa sit Dignitati, Personatui, vel Officio ejusdem Ecclesiæ, licèt hæc digniora sint, quàm Canonicatus, vel Præbenda simplex Canonicalis, non per hoc tamen censendum statim, annexam esse accessoriè, per viam incorporationis, & suppressionis, sed potiùs, nisi aliud constet, censeri unitam æquè principaliter, ita, ut duo beneficia maneant, sed unus amborum Rector, ut rectè advertit Pal. *n.* 12. & inde patet, quòd Præbenda ita unita Dignitati &c. cum alia simili sit incompatibilis, quod non fieret, si titulus ejusdem per unionem esset extinctus, sic enim Dignitas habens annexam Præbendam Canonicalem, & alia similis Præbenda forent beneficia difformia, quæ sub eodem tecto, ut *n.* 99. dictum est, obtineri simul absque dispensatione possunt.

164 2 Ex hoc, quòd Ecclesia una in alteram superioritatem aliquam, vel respectivè subjectionem habeat, non statim inferri posse hanc priori annexam esse accessoriè; quia id referri ad protectionem, vel Jus patronatus, tributum, vel censuationem potest, circa omnem etiam unionem. Card. de Luca *Disc.* 25. *de Regular. n.* 4.

3 Plurimùm in re hac valere consuetudinem, quæ, ubi secundum Jus est, Juris dubii interpres est; ubi contraria eidem, illi derogat. Leur. *q.* 881. *cit. n.* 3.

165 Quæritur 3. quæ beneficia, & Ecclesiæ sibi invicem uniri possint? Resp. hìc considerandam qualitatem ejus, quod unitur, tum illius, cui fit unio.

Nam 1. Beneficium regulariter non debet uniri, nisi beneficio. Corrad. *prax. benef. l.* 2. *c.* 8. *n.* 79. *&* 80. & hoc teste responsum est à Cancellaria Apostolica, quæ, cùm peteretur fieri unio certo alicui altari pro paramentis ejusdem Ecclesiæ, noluit fieri unionem, si Altare illud non foret beneficium, sed permisit, beneficium, de quo uniendo agebatur, supprimi, & facta suppressione, fructus illius applicari dicto Altari in memoratum finem. *Excipiuntur* Hospitalia, Seminaria, & alia Collegia pia; nam his in eorum dotem, augmentationem, conservationem, pro propagatione Fidei, vel juventutis ad scientias instructione uniri beneficia, saltem simplicia permisit Trid. *sess.* 23. *c.* 18. *de reform.*

166 2 Faciliùs uniuntur beneficia Simplicia, quàm Parochialia: imò hæc Monasteriis, Abbatiis, Dignitatibus, & Præbendis alicujus Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiatæ, aut aliis beneficiis Simplicibus, Hospitalibus, & Militiis ab Episcopis uniri vetat Trid. *sess.* 24. *c.* 13. *de reform.* adeo, ut neque pars fructuum ex Parochiis; prædictis Ecclesiis, aut Præbendis applicari possit sine licentia Papæ, ut colligitur ex *sess.* 25. *c.* 16. *de reform.* & Card. Declaratione firmat Garc. *p.* 12. *de Benef. c.* 2. *n.* 87. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 9. *num.* 5. *princ.* Choppin. *de Sacr. Polit. l.* 2. *nu.* 14. Van Espen *p.* 2. *tit.* 29. *c.* 2. *n.* 13. Excipit Gonz. *ad Reg.* 8. *gloss.* 5. §. 7. *num.* 47. uniones, quæ fiunt pro fundatione, augmento, vel conservatione Collegiorum, aliorumve piorum locorum, erectorum ad Fidei Catholicæ defensionem, aut propagationem, & bonarum artium cultum. Sed verisimiliùs alii cum Pal. *tr.* 13. *D.* 6. *p.* 12. §. 3. *num.* 18. negant, tum propter generalitatem textus unionem beneficiorum Parochialium indiscriminatim prohibentis; tum quia *sess.* 23. *c.* 18. *de reform.* Concilium hujusmodi locis expresse permittit uniri beneficia simplicia, igitur hoc ipso Curatorum unionem prohibet *arg. l. si inter* 15. *ff. de Except. rei judic.* junct. Gloss. *in Clem.* 2. *V. directè contrariis de testib.* Unde dum hodie vides passim Parochialia beneficia unita, & incorporata Collegiis Regularium, has uniones crede factas vel ante Trid. authoritate Episcopali, vel post illud interveniente authoritate Papali.

3 Quamvis ob paupertatem, & in aliis casibus à Jure 167
permissis quandoque uniri Parochialis Ecclesia cum alia Parochiali possit, ex his tamen faciliùs uniuntur, quæ viciniores sibi sunt; quia ob majorem inter se contiguitatem unus utrique cum incommodo, & difficultate minore deservire potest. Van Espen *n.* 16.

4 Faciliùs admittitur unio Canonicatus cum Dignitate, aut Parochiali beneficio existente in eadem, quàm in diversa Ecclesia. Van Espen *n.* 17. & habet praxis, urgetque ratio proximè assignata.

5 Non est uniendum beneficium unius Diœcesis cum beneficio alterius Diœcesis. Trid. *sess.* 14. *c.* 9. *de reform.* Neque beneficium unius Regni cum beneficio alterius Regni ob incommoda non exigua, quæ timeri debent, si duobus supremis Principibus eadem Ecclesia esset subjecta. Van Espen *n.* 19. Hinc ad eam faciendam requirendus esset Regis alterius consensus. Rebuff. *tit. de Union. num.* 28.

6 Non possunt Episcopi unire beneficia liberæ collatio- 168
nis Patronatis, ut his accedant, & subjiciantur. Trid. *sess.* 25. *c.* 9. *vers. insuper de reform.* cum duplici tamen exceptione. *Una est*, si Patronatus Juri renuntietur, vel inducatur alternativa, ut beneficium una vice libere, altera ad præsentationem Patroni conferatur, ut à S. Congr. declaratum; testis est Franc. Leo *Thesaur. for. Eccl. p.* 2. *c.* 16. *n.* 14. *Altera*, si animarum cura, quæ sine congrua dote sustineri non potest, & dos sufficiens aliunde haberi nequit, præcellere debeat incommodo, quod ex hac unione ob liberam collationem sublatam nascitur, nam tunc sine dubio locus est Legi, *Salus populi suprema ex esto*. Zypæus *de excess. Prel. consult.* 5. *prope fin.* Van Espen *n.* 21.

7 Non debet Episcopus beneficium unire Mensæ suæ, 169
aut Capituli, etiam de consensu Capituli; quia sic Episcopus, & Capitulum authoritatem præstaret in facto proprio. Gloss. *in Clem.* 2. *V. Capitulo de reb. Eccl. non alien.* Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 29. *q.* 17. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 9. *num.* 6. Pal. *tr.* 13. *D.* 6. *p.* 12. §. 2. *num.* 6. Pirh. *tit. de reb. Eccl. non alien. n.* 9. *not.* 5. Clericat. *de benef. discord.* 48. *num.* 44. & *discord.* 76. *n.* 23. *Excipitur* triplex casus. 1. si unio tantùm in consequentiam, & indirectè cederet in utilitatem Capituli, vel Episcopi unientis, ut si unio fiat fabricæ Ecclesiæ Cathedralis, vel Seminario Clericorum. Garc. *c.* 2. *cit. n.* 169. Laym. *n.* 7. *cit.* 2. si unio fiat ipsis Canonicorum Præbendis distributivè acceptis ad earum augmentum, quia tenues sunt. Garc. *n.* 170. Laym. *n.* 6. Pal. *n.* 6. *fin.* Leur. *p.* 3. *q.* 891. *num.* 2. Pignat. *tom.* 1. *cons.* 108. *num.* 2. & hoc teste declaravit sæpius S. Congr. 3. si alicubi consuetudo præscripta sit, ut Episcopus etiam sine Capituli consensu facere uniones beneficiorum possit, tunc enim nihil obstat, quin ea sua authoritate Mensæ Capitulari directè uniat. Laym. *l. citt.*

Quæritur 4. quis potestatem habeat uniendi beneficia? 170
Certum est, potestatem hanc præ aliis competere Summo Pontifici: & quidem ea se extendit 1. ad quæcunque beneficia tum majora, tum minora, & Ecclesias quascunque ob plenariam, & amplissimam potestatem, quam ipse in administratione beneficiorum, bonorumque Ecclesiasticorum habet *c. licèt* 2. *h. tit. in* 6. Rebuff. *prax. tit. de union. n.* 23. Laym. *l.* 4. *tr.* 8. *c.* 9. *num.* 2. *vers. potestas uniendi*, Van. Espen *J. E. U. p.* 2. *tit.* 29. *c.* 1. *n.* 18. Pirh. *n.* 204. *hic*, & alii communiter. 2. ad Ecclesias Cathedrales, & Metropolitanas *c. sicut* 8. *de Excess. Prælat.* Imò has, & Dignitates in Cathedralibus post Pontificalem majores, & Principales in Collegiatis de Jure communi unire solus ipse, non alius, vel Episcopus, vel alius Superior Ecclesiasticus potest. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 28. *q.* 6.

Sanch. *l. 7. mor. c. 29. n.* 150. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 9. *num.* 3. Pal. *tr.* 13. *D.* 6. *p.* 12. §. 2. *n.* 1. Fagn. *in c. sicut cit. num.* 3. Vviest. *l.* 5. *tit.* 31. *n.* 10. Pirh. *hic n.* 205. 3. Ad quemcunque modum Unionis: circa quod tamen

171 *Notandum* 1. est, per Unionem, etiam Papæ authoritate factam, non auferri Episcopo potestatem visitandi Ecclesiam, vel Beneficium unitum, subditos puniendi &c. quia unio censetur fieri, salvo jure Episcopi, in cujus Diœcesi Ecclesia, vel Beneficium unitum situm est, cùm Papa cuilibet Jura sua inviolata servare intendat, non derogare, ut dicitur *c. quia Monasterium* 2. *de Relig. Domib.* & notat Gloss. *fin. ibid.* Laym. *n.* 2. *cit. in fin.* Pirh. *n.* 205. *cit.* 2. Ob eandem rationem etiam Papa, licèt ex plenitudine potestatis posset, non tamen solet Ecclesias, aliaque Beneficia unire aliis, non requisito consensu Episcopi, seu Ordinarii, & Capituli Cathedralis, vocatisque iis, quorum interest. Pirh. *de reb. Eccl. non alien. n.* 0. *not.* 4. 3. Etsi Papa, ut *n. præc.* dictum est, unire possit etiam Ecclesias Cathedrales, rarò tamen istud de facto fit; frequentiùs verò contingit, ut Ecclesia, quæ priùs nullius Diœcesis fuit, & Jurisdictionem ordinariam in Clerum, & populum habuit, erigatur in Cathedralem, & unico contextu principaliter uniatur antiquæ Cathedrali ad sopiendas discordias, quæ inter hanc, & illam oriebantur. Card. de Luca *ad Trid. Disc.* 8. *n.* 4. *&* 5. Leuren. *p.* 3. *for. Eccl. q.* 896. *n.* 1.

172 Dubium est 1. an & qualem potestatem uniendi Beneficia, & Ecclesias habeat Episcopus? Resp. huic Jure communi potestas competit perpetuò, citra præjudicium tamen, uniendi Ecclesias, & Beneficia omnia suæ Diœcesis, non exempta ab ejus Jurisdictione *c. sicut* 8. *de excess. Prælat.* Rebuff. *prax. tit. de union. n.* 22. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 28. *q.* 6. Sanch. *l.* 7. *mor. c.* 29 *n.* 147. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 9. *n.* 3. *princ.* Garc. *p.* 12. *de Benef. c.* 2. *n.* 162. Barbos. *Jur. Eccl. l.* 3. *c.* 16. *n.* 54. Pal. *tr.* 13. *D.* 6. *p.* 12. §. 8. *n.* 2. Leur. *p.* 3 *for. Eccl. q.* 901. *n.* 1. Pirh. *hic n.* 205.

Dixi 1. *Ecclesias, & Beneficia omnia suæ Diœcesis.* Quod *extenditur* 1. etiam ad Beneficia reservata, modò reservata non sint perpetuò; hæc enim ab Episcopo alteri Beneficio uniri non possunt, ut rectè infert Pal. *l. cit. n.* 5. & ratio clara est; quia unio effectum habere nequit, quamdiu durat reservatio. ergo nunquam habebit effectum, si reservatio duret perpetuò, sicque eo casu inutiliter fiet. *Extenditur* 2 ad beneficia, ob negligentiam, vel ignorantiam prædecessorum devoluta ad Papam. Azor. *c.* 28. *cit. q.* 15. Sanch. *n.* 149. Laym. *n.* 3. Garc. *n.* 91. Pal. *n.* 3. Passerin. *in c.* 17. *h. tit. in* 6. *num.* 17. Van Espen *J. E. U. p.* 2. *tit.* 29. *c.* 3. *n.* 20. Pirh. *hic num.* 206. *Extenditur.* 3. ut unire possit non tantùm Ecclesiam Sæcularem alteri Sæculari, sed etiam Regulari, aut alteri loco Religioso, quamvis exempto, modò Ecclesia, quæ unitur Episcopo unienti subjecta, & in ejusdem Diœcesi sita sit; ut constat ex *Clem.* 2 *de reb. Eccl. non alien. c. consultationibus* 4. *de donat.* & notant Garc. *l. cit. n.* 77. Sanch. *num.* 148. Pal. *n.* 6. Pirh. *n.* 206.

173 Dixi 2 *Citra præjudicium tamen*; nam Episcopus unione sua jus suum alteri quæsitum eidem auferre non potest. Hinc 1. si uniatur Beneficium viventis, ea unio primùm effectum sortietur post cessum, vel decessum Rectoris possidentis: qui proinde non obstante hac unione, Beneficium illud in favorem tertii resignare poterit. Garc. *n.* 214. Flamin. *l.* 2. *de resign. q.* 9. *n.* 7. Tondut. *qq. Benef. p.* 3. *c.* 156. *num.* 6. Leur. *p.* 3. *q.* 886. 2. Si Episcopus uniat Beneficium devolutum ad Papam, ea unio effectum non habebit, antequam Papa illud contulerit, & is, cui contulerit, Beneficio illo cesserit, vel decesserit; nam si haberet effectum, antequam illud conferretur à Papa, tolleretur eidem jus per devolutionem ipsi quæsitum, cùm facta unione, Beneficium extinguatur, ita, ut ampliùs conferri nequeat. Azor. *q.* 15. Pal. *n.* 3. Pirh. *n.* 206. 3. Si uniat Beneficium, super quo alius ex provisione Apostolica Gratiam Exspectativam habet, unio non habebit effectum, nisi post obitum exspectantis, vel postquam illo Beneficio fuerit privatus, vel ipse sponte illud dimiserit. Rebuff. *n.* 31. Azor. *q.* 17. Sanch. *n.* 150. Pirh. *n.* 206. Vviest. *tit. de excess. Prælat. n.* 11. 4. Si uniat Beneficium, quod obtinet aliquis ex Familiaribus Papæ, effectum unio illa non habebit, donec Beneficium illud iterum vacaverit per mortem, vel depositionem instituti à Papa, quia cùm illud sit vacaturum in Curia, casu, quo vacaverit, ad id conferendum jus quæsitum Papæ est: quo proinde per unionem non potest exui. Azor. Sanch. Pirh. *l. cit.* quibus accedit Laym. *n.* 4. 5. Idem denique dicendum de Beneficiis aliis reservatis Papæ; nam ea unire Episcopus cum effectu nequit, nisi postquam illa per mortem, vel cessionem ejus, cui Papa jure reservationis ipsa contulit, vacaverint, & sic jus conferendi redierit ad Episcopum. Ita *cit. suprà.*

Dixi 3. *perpetuò*; nam ad tempus solùm, & vitam 174
Beneficiati Episcopus unum Beneficium unire non potest alteri. Azor. *q.* 17. Laym. *n.* 1. Pal. *n.* 7. Van Espen *n.* 4. Pirh. *n.* 205. & colligitur ex Trid. *sess.* 7. *c.* 4. & *sess.* 25. *c.* 17. *de reform. Ratio est*, quia Unio temporalis, ut *n.* 151. dictum est, non nisi nomine tenus est unio, reipsa verò quædam dispensatio, seu Juris relaxatio. Deinde ejusmodi Uniones temporales sunt odiosæ, quippe contra, vel saltem præter formam Juris, per quas non Ecclesiis, sed personis providetur, & in effectu duo Beneficia conceduntur, ita, ut is absit ab altera Ecclesiâ toto vitæ suæ tempore.

Dixi 4. *non exempta ab Episcopi Jurisdictione*; Exempta enim Episcopus unire non potest. Rebuff. *n.* 22. Sanch. *n.* 152. Laym. *n.* 3. *princ.* Van Espen *n.* 22.

Dub. 2. an, & qualem potestatem Beneficia uniendi habeat Capitulum Cathedrale, Sede Episcopali vacante? 175
Ratio dubitandi est, quia duo Beneficia uniri nequeunt, nisi conferatur unum ei Ecclesiæ, cui conjungitur. Sed Capitulum, Sede vacante potestatem conferendi Beneficia nullam habet. ergo nec uniendi.

Verùm non rectè istud concluditur, quod triplici ratione ostenditur. 1. Enim Episcopus non potest conferre Beneficia spectantia ad collationem inferioris Ordinarii, & tamen potest ea unire. ergo nec Capitulo Sede vacante oberit defectus potestatis conferendi. 2. Beneficium nondum vacans non potest conferri, & tamen alteri uniri potest. *Clem.* 2. *de reb. Eccl. non alien.* 3. Non idem Jus est de conferendo, & uniendo: nam conferre est voluntatis, & liberalitatis; at unire est necessitatis, cùm, ut *infrà n.* 181. dicam, unio fieri non debeat, nisi ob necessitatem, vel utilitatem Ecclesiæ.

Quare dicendum, Sede vacante, Capitulum Cathedrale unire posse Beneficia, quæ alioquin Episcopus poterat, dummodo per illam unionem Juri Episcopali nihil derogetur. Ita Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 28. *q.* 9. Rebuff. *prax. tit. de Union. num.* 36. Garc. *p.* 12. *c.* 2. *num.* 67. Sanch. *l.* 7. *moral. c.* 29. *num.* 155. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 9. *num.* 6. *princ.* Pal. *tr.* 13. *D.* 6. *p.* 12. §. 2. *n.* 11. Van Espen *J. E. U. p.* 2. *tit.* 29. *c.* 3. *num.* 24. Pirh. *hic num.* 207. Schambog. *n.* 40. *Ratio est*, quia ut dictum est paulò antea, potestas uniendi est Jurisdictionis non voluntariæ, sed necessariæ, quæ juxta *c. un. de major. & obed.* ad Capitulum Sede vacante transit. 176

Addo tamen, hanc uniendi potestatem competere Capitulo, dummodo non sibi, vel Mensæ suæ eam Unionem faciat. Garc. *n.* 68. Pal. *n.* 13. Barbos. *alleg.* 66. *n.* 5. Leuren. *p.* 3. *for. Benef. q.* 908. *num.* 2. & teste Garc. decisum est à S. Congr. *Ratio clara* est ex *num.* 169. ubi dixi, quòd Capitulum Sede plena non possit in sui favorem præstare consensum ad unionem; quia id esset authorizare proprium factum, & quasi in propria causa Jus dicere. Igitur multo minùs poterit sibi Beneficia unire Sede vacante.

Dub. 3. quid possit Legatus Pontificius circa Uniones Beneficiorum? Resp. distinguendum inter Legatos natos, Legatos Nuntios, & Legatos à Latere. *Primis* potestas uniendi Beneficia competit in Diœcesi sua, in qua sunt Episcopi. *Secundis* eam potestatem communiter DD. negant cum Garc. *p.* 12. *c.* 2. *n.* 66. Pal. *tr.* 13. *D.* 6. *p.* 12. §. 2. *n.* 16. Leur. *p.* 3. *de for. Benef. q.* 905. *n.* 2. ex ratione, quod nec Beneficia conferre possit. *De postremis* inter DD. est controversia. 177

Negant hanc potestatem Legatis istis competere Host. *in c. fin. de conf. util. & inut. n.* 1. Joan. Andr. *ibid. num.* 2. Frid. de Senis *cons.* 195. ex ratione; quia Jure communi *c. sicut* 8. *de Excess. Prælat.* videtur potestas ista concedi soli Episcopo: imo *c. fin. cit.* videtur unio à Legato facta reprobari. Deinde per ejusmodi Unionem derogatur Juri Episcopali, cum ejusmodi Beneficia, quia per unionem suppressa, ab Episcopo conferri ampliùs nequeant.

Sed meliùs potestatem uniendi Beneficia Legatis à Latere competere defendunt Abb. *in c.* 8. *de Excess. Prælat. num.* 5. *&* 6. Rebuff. *prax. tit. de Union. num.* 24. Garc. *p.* 12. *c.* 2. *num.* 65. Sanch. *p.* 7. *mor. c.* 29. *num.* 158. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 28. *qu.* 8. Lotter. *l.* 1. *qu.* 28. *num.* 116. *&* 117. Tondut. *qq. Benef. p.* 3. *c.* 200. *n.* 16. Barbos. *alleg.* 66. *n.* 12. Pal. *tr.* 13. *D.* 6. *p.* 12. §. 2. *num.* 15. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 9. *num.* 6. *vers. quarto*, Leuren. *p.* 3. *for. Benef. q.* 905. *num.* 1. Vviest. *tit. de Excess. Prælat. num.* 14. Pirh. *hic num.* 207. *Ratio est*, quia Legati à Latere sunt Ordinarii Provinciæ sibi demandatæ, & in ea cum Episcopo concurrentem potestatem habent, etiam (saltem extra Germaniam) quoad collationem Beneficiorum *c. officii* 1. *in fin. de Offic. Legat. in* 6. & *c. si à Sede* 31. junct. Gloss. *V. Legatorum h. tit. in* 6. Quod intellige de Unione perpetua; nam ad tempus, seu ad vitam tantùm unire non potest, nisi ad hoc habeat à Papa specialem facul- 178

cultatem. Gambat. *de potest. Legat. l.* 5. *n.* 127. Garc. *n.* 84. Leur. *n.* 1. *cit.*

Neque adversantur textus allegati in contrarium; nam *priori* sub nomine Episcopi venit, qui prǽditus est Jurisdictione Episcopali, cùm potestas uniendi competat etiam Episcopo confirmato solùm, non consecrato. *Posteriore* textu non reprobatur unio, vel collatio à Legato facta, sed prætensio Clericorum Beneficiatorum, qui occasione collationis sibi à Legato factæ volebant esse exempti à Patriarcha cum diminutione Juris huic competentis. *Ad rationem* adjectam dico, per unionem in Ecclesiis, vel Beneficiis unitis nullum perire Jus Episcopale, cùm utrique providere etiam post unionem possit Episcopus.

179 Dub. 4. quam potestatem uniendi Beneficia habeat Archiepiscopus, Vicarius Generalis Episcopi, & cæteri Prælati inferiores Episcopo? Resp. 1. *Archiepiscopus* unire potest Ecclesias, & Beneficia suæ Diœcesis, sicut Episcopus in sua, non tamen potest ea unire in Diœcesibus suorum Suffraganeorum, ut constat ex *c. sicut* 8. *in fin. de excess. Prælat.* Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 28. *q.* 7. Rebuff. *prax. de Union. n.* 29. & 30. Sanch. *l.* 7. *mor. c.* 29. *n.* 156. Barbos. *l.* 3. *Jur. Eccl. c.* 16. *n.* 58. Pal. *tr.* 13. *D.* 6. *p.* 12. §. 2. *n.* 17. Pirhing *hic n.* 207. Leur. *q.* 904. *n.* 1. *Ratio est*, quia in Diœcesibus Suffraganeorum suorum Jurisdictionem non habet, nisi in certis casibus Jure expressis, inter quos præsens non invenitur. *Excipit* Ventriglia *tom.* 2. *annot.* 8. §. 1. *n.* 2. si id exigat causa legitima, qualis foret, si Episcopus legitimè interpellatus negaret unionem facere; tunc enim ab ipso appellari posset ad Metropolitanum, & hic unire Beneficium, cùm proprium sit Appellationis negotium suspendere, & devolvere.

180 *Resp.* 2. *Vicarius Generalis Episcopi* non potest unire Beneficia, nisi id specialiter ab Episcopo ipsi commissum sit; quia nec Beneficia conferre potest sine speciali commissione, quod est minus. Rebuff. *n.* 37. Azor. *q.* 10. Sanch. *n.* 153. Pith. *n.* 206.

Resp. 3. quoad *Prælatos Episcopo inferiores* distinguendo: nam qui habent Jurisdictionem quasi Episcopalem in Ecclesias sibi plenè subjectas, unire Beneficia possunt; non autem possunt hoc cæteri, qui simili Jurisdictione instructi non sunt, nisi id habeant ex speciali concessione, privilegio, vel præscriptione. Azor. *q.* 11. Rebuff. *n.* 32. & *seqq.* Garc. *num.* 71. & *seqq.* Sanch. *n.* 160. Laym. *n.* 6. *vers. porro*, Pal. §. 2. *n.* 18. Barbos. *in c.* 8. *de Excess. Prel. n.* 7. Fagn. *ibid. num.* 17. Van Espen *n.* 26. Pirh. *hic n.* 207. *in fin.*

181 Quæritur 5. quid requiratur ad unionem Beneficiorum legitimè instituendam? Resp. 1. requiritur justa causa; nam sine hac unio per Ordinarium facta est ipso Jure nulla. Garc. *p.* 12. *de Benef. c.* 2. *n.* 113. Ventrigl. *tom.* 2. *annot.* 8. §. 2. *n.* 21. Lotter. *l.* 1. *q.* 28. *n.* 142. Cassador. *decis.* 8. *n.* 6. *de concess. Præb.* Joan. Emerix *decis.* 174. *n.* 7. Leuren. *p.* 3. *q.* 909. *n.* 1. Idem dicendum, si facta sit ex causa quidem, sed quæ deinde appareat esse falsa, argumento sumpto à paritate cum re minoris, quæ si alienata sit ex causa, & postmodum liqueat eam esse falsam, non obstante, quòd Decreto Judicis facta sit alienatio, non intelligitur exiisse de dominio minoris *l. magis puto*, 5. §. *manet* 15. *ff. de reb. eor. qui sub tutel.* &c. Imò hoc casu nulla est unio, etiamsi facta sit à Summo Pont. non quidem ob defectum causæ, qua unio à Papa facta ad valorem non indiget, sed ob vitium subreptionis; quia in Rescriptis Unionum à Papa emanatis semper subintelligitur Clausula, *Si causæ veræ sunt*. Garc. *n.* 115. Leuren. *n.* 2. & alii ab his *citt.*

182 2 Ut præcedat aliqua causæ cognitio, ut colligitur ex *Clem.* 2. *de reb. Eccl. non alien.* aliàs subreptitia erit, & ipso Jure nulla, nisi justitia causæ probetur. Rebuff. *n.* 43. & *Reg.* 1. *de Union. Gloss.* 9. Lott. *l.* 1. *q.* 28. *n.* 146. Barbos. *Jur. Eccl. l.* 3. *c.* 16. *num.* 39. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 9. *num.* 9. Pal. *tr.* 13. *D.* 6. *p.* 12. §. 2. *num.* 20. Sanch. *l.* 7. *mor. c.* 28. *num.* 162. Leur. *p.* 3. *q.* 911. Van Espen *J. E. U. p.* 2. *tit.* 29. *c.* 2. *num.* 5. Pirh. *hic num.* 210. Et hoc adeo verum est, ut etiam à Papa sine prævia causæ cognitione factæ uniones in partibus revocentur secundùm *Reg.* 21. *aliàs* 22. *Cancell. de Union.* & cum *citt.* advertit Vviest. *tit. de Excess. Prælat. num.* 15. Clericat. *de Benef. discord.* 16. *n.* 8.

183 3 Ut vocentur ii, quorum interest, sive in quorum præjudicium unio cedere potest juxta *Reg. quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet*, quæ est 29. *in* 6. aliàs similiter ipso Jure irrita est talis unio. Azor. *q.* 14. Sanch. *n.* 163. Laym. *n.* 9. Pal. *n.* 21. Van Espen *c.* 3. *n.* 3. Pirh. *hic num.* 210. Vviest. *de Excess. Prælat. num.* 16. Clericat. *de Benef. discord.* 16. *n.* 8. Joan. Emerix *decis.* 44. *n.* 3. & hoc teste decisum est à Rota. *Excipitur*, si Unio fiat à Papa in forma *Gratiosa*; tunc enim non requiritur clausula *Vocatis vocandis*. Rebuff. *ad Reg. de Union. cit. gloss.* 10. Van Espen *l. citt.*

4 Ut exprimatur annuus valor secundùm communem æstimationem Beneficii uniendi, & ejus, cui annectitur, secundùm *Reg. Cancell.* 21. *cit.* alioquin enim constare non potest unionem esse necessariam, vel utilem. Pal. *n.* 28. Leur. *q.* 925. *n.* 1. Van Espen *c.* 3. *cit. n.* 17. & *duob. seqq.* Verùm hoc procedit solùm, si petatur fieri unio à Papa, vel ejus Legato, qui ignorat valorem Beneficii; secus, si ab Ordinario, cui valor Beneficii satis perspectus esse præsumitur. Rebuff. *ad Reg. cit. gloss.* 5. Sanch. *n.* 178. Pal. *num.* 28. Leuren. *num.* 1. *cit.* Pirh. *hic n.* 211. Vviest. *de excess. Præl. n.* 18. 184

Dub. 1. quænam sint causæ justæ, quæ unioni faciendæ intervenire necessariò debent? *Resp. c. exposuisti* 33. *h. tit.* duæ afferuntur. *Prima* est evidens necessitas Ecclesiæ, Talis contingere censetur 1. si Præbendæ sint adeo tenues, ut non reperiantur, qui velint Ecclesias, vel Beneficia acceptare, præsertim Canonicatus in Ecclesia Cathedrali, & ita Ecclesia debito servitio, seu necessariis Ministris destituatur *can. unio* 3. *caus.* 10. *q.* 3. Clem. 1. §. *adhæc de stat. Monac.* Trid. *sess.* 21. *c.* 5. *de reform.* ubi ob paupertatem Parochialium conceditur Episcopo potestas uniendi illas. 2. Si Ecclesia unienda ab hostibus sit desolata, vel destructa *c. quia Monasterium* 2. *de Relig. Domib.* 3. Si alteri vicina sit, & restant pauci de populo, aliis mortuis peste, vel bello dissipatis *can. & temporis* 48. *caus.* 16. *q.* 1. 4. Si status ejus sit deformatus, & disciplina in ea observetur *arg. c. relatum* 7. *ne Cleric. vel Monach.* 185

Altera causa est magna Ecclesiæ utilitas: quod fieri potest in duplici casu. 1. Si non reperiuntur idonei alii, & Ecclesiæ, præsertim Cathedrali, utiles Clerici, qui in ea institui, & servire velint. Azor *q.* 14. Rebuff. *n.* 39. Laym. *n.* 8. *vers. causæ*, Sanch. *n.* 161. Pal. §. 2. *n.* 19. Pith. *n.* 209. 2. Si evidens sit augmentum Divini Cultus. Sanch. Pal. *l. citt.* juxta quos manifestè constare censebitur, quòd adsit sufficiens causa uniendi Beneficia Conventibus Religiosorum, si eorum unione augeatur Cultus Divinus. Ob merita personæ dispensari quidem potest, ut quis duo simul, vel plura obtineat Beneficia incompatibilia, ut dictum est *n.* 140. uniri tamen ob illa duo Beneficia nequeunt. Abb. *in c. exposuisti cit. num.* 5. Laym. *num.* 8. *cit. in fin.* Pirhing *n.* 209. 186

Dub. 2. quorumnam consensus requiratur ad unionem Beneficiorum faciendam? Resp. 1. requiritur, ut accedat consensus Capituli Cathedralis si unio fiat ab Episcopo, imò si à Legato à Latere, quando jure Ordinario istud facit, & non tanquam Delegatus Sedis Apostolicæ *c. pastoralis* 7. *de donat.* *Clem.* 2. *de reb. Eccl. non alien.* Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 28. *q.* 12. Garc. *p.* 14. *c.* 2. *n.* 145. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 9. *n.* 9. Pal. *tr.* 13. *D.* 6. *p.* 12. §. 2. *n.* 24. Barbos. *alleg.* 66. *n.* 29. Sanch. *l.* 7. *mor. c.* 28. *n.* 164. & 166. Clericat. *de Benef. discord.* 16. *n.* 8. Pirh. *hic n.* 210. *Ratio est*, quia unio est veluti alienatio quædam, in qua consensus Capituli intervenire debet: *Excipitur*, si in contrarium stet consuetudo immemorialis, vel quadragenaria cum titulo; hæc enim videtur esse præscriptio, cons. excusat Episcopum ab obligatione requirendi consensum Capituli. Garc. *n.* 152. Pal. *n.* 25. Leuren. *q.* 914. *n.* 9. 187

2 Requiritur consensus Abbatis, vel alterius Prælati inferioris, ad quem talis Ecclesiæ, vel Beneficii administratio, vel collatio aliàs pertinet. Sanch. *n.* 167. Laym. *n.* 9. Leur. *q.* 917. Van Espen *c.* 3. *n.* 8. *Ratio est*, quia ipsi per unionem jus administrandi, vel conferendi aufertur.

3 Si Beneficium sit patronatum, requiritur consensus Patroni. Azor. *q.* 12. Sanch. *n.* 168. Laym. *num.* 9. Pal. *n.* 22. Pith. *n.* 211. Van Espen *n.* 9. & indicat Trid. *sess.* 24. *c.* 15. *de reform.* ibi, *Cum Patronorum consensu*. *Ratio est*, quia Patrono per unionem præjudicium fit, cùm jus Patronatus per eam amittat. Proceditque hoc probabilius, etiamsi sit Patronatus Ecclesiasticus, & unio fiat per Legatum à Latere, ut bene notat Pal. *n.* 22. *cit. vers. solùm*, & rationem dat; quia esto, data sit Legatis à Latere potestas derogandi huic Patronatui, non tamen inde infertur, quòd data sit etiam ad extinguendum Beneficii Patronati titulum, & ut jus Patronatus cum Beneficio unito extinguatur. 188

Dub. 3. quid circa horum consensum sit notandum? Resp. 1. Consensus à Canonicis præstari debet non sigillatim, & singulariter, sed ab iis simul in unum congregatis, prævio tractatu, & discussione causæ, propter quam unio fieri prætenditur *c. tua* & 8. *ibi* Gloss. *V. tractatus de his*, 189

lis, quæ fiunt à Prælat. Lott. l. 1. q. 28. num. 153. Leur. p. 3. q. 913. Clericat. de Benef. Discord. 16. num. 8. & discord. 76. num. 25. Quod tamen intelligendum solùm, quando unionem facit Episcopus; nam Legatus à Latere tractatu isto non indiget, multò minùs Papa, cùm istius authoritas omnes solemnitates, conf. etiam defectum consensus Capitularis suppleat. Card. de Luca de Benef. Disc. 45. n. 9.

2 Sufficit, si Patroni, vel Prælati inferioris consensus subsequatur unionem: quod etiam Garc. n. 147. Sanch. n. 165. Pirh. 210. putant procedere de consensu Capituli; quia universaliter satis est, consensum eorum, quorum interest, subsequi. Contrarium tenet Leur. q. 914. n. 8. Clericat. discord. 16. n. 8. juxta quos consensus Capituli intercedere debet in ipso actu: quod etiam verius esse existimat Pal. §. 2. cit. n. 26.

3 Si Capitulum, aut alii, quorum interest, sine justa causa consentire nollent, poterunt ad id à Papa compelli: imò etiam ipsis invitis potest Episcopus unionem facere, si causa evidens necessitatis adsit: quamvis aliàs, si justa causa contradicendi subsit, etiam unius contradictio sufficiat ad impediendam unionem. Rebuff. Reg. 21. Cancell. gloss. 11. n. 3. Azor. q. 12. Sanch. n. 164. Laym. nu. 9. Pal. n. 25. vers. secundò, ubi addit videri priùs compellendos, quoad fieri potest, ut consentiant.

190 Dub. 4. an pro valore unionis requiratur consensus Beneficiati, seu Rectoris Ecclesiæ, vel Beneficii ab Episcopo uniendi, Defensoris ejusdem, dum nimirum uniendum est Beneficium tempore vacationis, Plebis, vel Domini loci? Resp. negativè. Ita Abb. in c. consultationibus 4. de donat. n. 2. Azor. p. 2. l. 6. c. 28. q. 12. Garc. p. 12. c. 2. n. 214. & seqq. Sanch. l. 7. mor. c. 28. n. 163. Laym. l. 4. tr. 2. c. 9. n. 9. Pal. tr. 13. D. 6. p. 12. §. 2. n. 23. Pignatell. tom. 1. consult. 80. num. 10. Leuren. p. 3. q. 918. & tribus seqq. Van Espen c. 3. cit. n. 14.

Ratio est 1. de Rectore immediato Beneficii; quia cùm unio non sit sortitura effectum, donec Beneficium uniendum per mortem; vel aliter vacaverit, conf. per eam possessori nullum fit præjudicium. 2. De Defensore Beneficii vacantis; quia nec hujus interest fieri, vel non fieri unionem: & constitutio ipsius requiritur pro dismembratione, & divisione Beneficii, illiusque alienatione, non verò pro ejus unione. 3. De Plebe, & Domino loci; quia nihil, quod unionem justè impediat, allegaturi præsumuntur.

Quodsi tamen Rector Beneficii uniendi, hujus vacantis defensor, Plebs, vel Dominus loci se unioni opponant, audiendi sunt, & causa, quam allegant, examinanda, ut loc. citt. advertunt Azor. Garc. Sanch. Leur.

191 Quæritur 6. quid juris, seu potestatis habeat Prælatus, vel ejus Monasterium, Ecclesia Cathedralis, aut Collegiata, cui Ecclesia Parochialis, vel aliud Beneficium est incorporatum, seu unitum? Resp. distinguendum, an quoad temporalia solùm, adeoque non pleno jure unitum, & incorporatum sit tale Beneficium, vel Ecclesia, an verò etiam quoad Spiritualia, & conf. pleno jure: & si pleno, an ita unitum sit, ut etiam populus ab Episcopo Diœcesano exemptus sit, & in Spiritualibus etiam subjectus Prælato Monasterii, vel Capitulo, quod est plenissimo Jure incorporatam esse Ecclesiam; an verò Parochia incorporata sit quidem Monasterio, vel Capitulo etiam quoad Spiritualia, ita tamen, ut populus subjectus maneat Episcopo Diœcesis, quæ est incorporatio Jure pleno, sed non plenissimo.

192 Si primum, & incorporatio facta sit quoad temporalia tantùm (quod in dubio præsumi debet, cùm semper ea capienda sit interpretatio, qua minùs præjudicatur Ecclesiæ. Pignatell. tom. 1. conf. 136. numer. 15.) Monasterium, vel ejus Abbas, aut Capitulum, cui incorporatio redituum Parochialium facta est, nihil ferme juris habet sive circa personam Presbyteri, qui est positus in Parochia, sive circa curam populi: ac proinde sine consensu Episcopi, cui populus subjectus est, in Ecclesia sibi unita nec instituere Presbyterum potest, nec institutum destituere. Abb. in c. 3. num. 6. de privil. Laym. c. 2. n. 7. de suppl. negl. Prælat. Leuren. p. 2. for. Benef. q. 718. n. 5. Pirh. hic n. 216. imò non est necesse eo casu, ut præsentatio Presbyteri ad Monasterium, vel Capitulum, cui facta est incorporatio, spectet: & si habet jus præsentandi, Episcopo Diœcesano præsentare debet ab eo instituendum, prout constat ex c. in Lateranensi 31. h. tit. Dixi, Nihil ferme juris; non enim nullum jus Abbas, vel Monasterium, aut Capitulum eo casu habet, sed siquidem jus Patronatus in Ecclesia unita habeat, ratione istius, & unionis, qua Ecclesia illa quoad temporalia ipsi unita est, à Rectore, aut Vicario illius exigere rationem administrationis temporalium potest, ut constat ex c. Lateranensi cit. non tamen hoc jus competit Patrono Laico. Abb. in c. cit. n. 3. Pirh. hic n. 216.

Si secundum, & Ecclesia Parochialis plenissimo Jure incorporata sit Monasterio, vel Capitulo Cathedrali, tunc potest Monasterium, vel Abbas ejusdem, aut Capitulum independenter ab Episcopo loci presbyteros, aut Vicarios in Ecclesia unita instituere, & destituere, eos visitare, rationem administrationis ab ipsis exigere, aliaque facere, quæ ad jus Ordinarii spectant. Barbos. in c. 31. h. tit. n. 4. Wagn. in c. 12. eod. not. 1. Passerin. in c. 1. dict. tit. in 6. n. 8. & 10. Leuren. q. 718. cit. n. 3. Pirh. hic n. 217. & constat ex c. quoniam 21. de privil. & ratio est, quia tunc Episcopo in Ecclesiam sic unitam nullum Jus Episcopale competit, sed ipse Abbas, vel Capitulum, cui unita est, personam Ordinarii habet. Sic tamen unita Ecclesia nunquam præsumitur, sed probari debet: nec unio hæc ab Episcopo fieri potest, sed à solo Papa, ut l. citt. advertit Pirhing, additque rationem, quia Episcopus, & quicunque alius prælatus Officium, sive Jurisdictionem sibi commissam, sine consensu Superioris committentis, abdicare non potest. Imò nec Papa Ecclesiam parochialem censetur ita donare, & incorporare Monasterio, vel Religioni, ut cum Innoc. & Joan. Andr. idem Pirhing notat ex ratione, quia grande periculum esset, si Episcopus populo Sacramenta administrare non posset, quæ alius prælatus non potest, sicut est confirmare, SS. Ordines conferre, Ecclesias, & Altaria consecrare &c. 193

194 Si Tertium, & Ecclesia parochialis unita sit Monasterio, vel Capitulo pleno quidem Jure, sed non plenissimo, tunc istud idoneum Vicarium Episcopo præsentare debet, ab ipso examinandum, & instituendum in Ecclesia unita: neque hoc casu refert, utrum Monasterium secundùm se exemptum sit, vel non exemptum. Laym. in c. 1. cit. num. 7. in fin. Barb. l. cit. num. 1. Passerin. n. 9. Leur. n. 4. Pirh. n. 218. & novissimè Clericat. de Benef. Discord. 75. n. 20. quia per deputationem Curati non agitur de providenda Ecclesia unica, sed de providendo populo, qui reperitur habitare sub illa Cura, & Episcopo subjectus manet, cujus interest, ut Sacerdos habilis ad eundem populum regendum deputetur. Eritque Vicarius iste, sive perpetuus ille, sive temporalis sit, etiam Religiosus Ordinis Exempti, quoad ea, quæ ad Curam animarum, & Sacramentorum administrationem pertinent, subjectus Jurisdictioni Episcopi Diœcesani, ita, ut ab eo visitari, & corrigi possit, juxta Decretum Trid. sess. 25. c. 11. de Regular. junct. Declaratione Cardd. ibid. n. 1. apud Joan. Gallemart. Ratio est, quia Exemptus ratione rei non exemptæ subjacet Jurisdictioni Ordinarii, ut ait Innoc. in c. cùm Capella 16. in fin. de privil. ergo si Parochiani subjecti sint curæ, & Jurisdictioni Episcopi, etiam Rector Parochiæ in iis, quæ Curam spectant, subjectus erit. Verùm de his plura suo loco.

Quæritur 7. qualis Vicarius poni debeat ab Episcopo in beneficio non plenissimè unito? Resp. poni potest etiam perpetuus, talisque ordinariè debet, nisi ipsis Ordinariis pro bono Ecclesiarum Regimine aliter expedire videbitur, ut loquitur Trid. sess. 7. c. 7. de Reform. Et hoc verum est, etiamsi antea semper Vicarium temporalem, ad voluntatem Prælati, Monasterii, vel Capituli, cui unita est, amovibilem Ecclesia talis habuerit. Laym. in c. 2. n. 8. de suppl. negl. Prælat. & in qq. Canon. de Elect. Prælat. q. 207. Barbos. in c. 31. h. tit. n. 1. Passerin. in c. 1. n. 9. eod. in 6. Leuren. p. 3. q. 718. n. 4. Clericat. de Benef. discord. 75. n. 20. Pirh. hic n. 218. 195

Excipiuntur complures casus, in quibus Ordinarius Vicarium perpetuum non potest apponere, sed temporalem etiam nominatum à Prælato Monasterii, seu Conventus, cui beneficium unitum est, si post examen inventus idoneus fuerit, approbare debet. Et 1. quidem, quando à tempore immemoriali unio facta est, & ex tunc constat, beneficium ita unitum semper fuisse administratum per Vicarium ad nutum amovibilem; quia Tridentinum nulli consuetudini derogat, nedum immemoriali, quæ ad sui derogationem speciali mentione indiget. Contrarium tamen defendit Garc. part. 11. de Benef. cap. 2. num. 7. referens ita decisum a S. Congr. 2. si per viam pacti, & concordiæ, à Sede Apostolica approbatæ, cum clausula de serviendo beneficio per Vicarium ad nutum amovibilem facta est unio; quia Tridentinum non derogat his pactis, & concordiis, cùm ad eorum derogationem sit opus mentione ipsorum speciali. 3. si pro bono pacis, & cessatione litium, rectaque 196

bene-

beneficii gubernatione expediret nihil innovari, sed institui Vicarium ad nutum amovibilem; quia Trid. id non liberæ Episcopi voluntati relinquit, sed usum est verbis denotantibus arbitrium boni viri, ibi, *Nisi ipsis Ordinariis pro bono Ecclesiarum regimine aliter expedire videbitur*. 4. quando ex privilegio remunerationis gratia concesso beneficium esset unitum cum clausula ponendi Vicarium ad nutum amovibilem; quia in generali privilegiorum derogatione, quam Concilium *l. cit.* ponit, non includuntur privilegia remunerationis gratia concessa alicui. 5. quando ex privilegio Pontificio post Trid. concesso unitum est Beneficium Parochiale cum clausula instituendi Vicarii temporalis; quia cum Trid. nequierit Pontificiam potestatem restringere, dum derogavit privilegiis, intelligi debet de privilegiis ante illud Decretum concessis. 6. quando beneficium unitum est Monasterio Monachorum, aut Mendicantium, prout *cit.* Trid. Decretum restrinxit S. Pius V. in quodam *Motu proprio*, incipit *Ad exequendum*, *edito* 15. *Nov.* 1567. 7. denique quando particulariter, & per se fuit unita Vicaria perpetua; quia in ea constituendo Vicarium perpetuum dissolveretur unio talis Vicariæ. Videantur Flores de Mena *Var. q.* 10. *à n.* 41. Sanch. *l.* 7. *moral. c.* 22. *n.* 109. Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 72. *n.* 190. Pal. *tr.* 13. *D.* 6. *p.* 12. §. 3. *n.* 4. Leuten. *p.* 1. *for. Benef. q.* 114. & alii ab his *citt.*

197 Extra hos casus, quando Ordinarius in Ecclesia, quæ Regularibus unita est, ponere intendit Vicarium perpetuum, ubi prius fuerat temporalis, Pal. §. 3. *cit. num.* 5. *& seqq.* sequentia eidem advertenda tradit. 1. non facilè fundationem, statutum, stylum circa beneficium unitum alteret, nisi ex causa, quæ juxta prudentis arbitrium in utilitatem beneficii uniti cedat. 2. prius debet Vicariam perpetuam erigere, & Beneficium constituere. 3. mutatio ista fieri debet in Visitatione, quamvis verius contrarium esse existimet Pal. *num.* 8. 4. ad eam vocari debent ii, quorum interest. 5. si his videatur expedire, ab erectione, & designatione Vicarii perpetui potest appellari: quæ tamen appellatio, ut idem Pal. *n.* 9. putat, habebit solùm effectum devolutivum, non suspensivum.

198 Quæritur 8. an, & quomodo Unio facta probari debeat? Certum est eam probandam ab eo, qui factam asserit; quia unire quid facti est, & odiosum, tum quia per eam minuitur numerus Ministrorum, tum quia est quædam alienationis species, eò, quòd beneficium unitum per ipsam unionem quodammodo supprimatur, aut ut minùs ita alteretur, ut primævam suam naturam, & conditionem amittat.

Modi eam probandi varii apud DD. inveniuntur. 1. & efficacissimè per litteras Unionis. 2. si hæ sint amissæ, per testes, qui dictam scripturam viderint. 3. per Instrumenta antiqua, in quibus facta unio, seu talia beneficia unita adstruuntur. 4. ex diuturnitate temporis; nam si beneficium ab immemoriali tempore sine collatione propria, & ut unitum alteri possessum fuit, in dubium revocari non debet, tametsi modò titulus, aut Instrumentum unionis exhiberi nequeat. 5. ex confessione partis, si hæc aliis conjecturis, & adminiculis adjuvetur; nam tunc etsi probatio hæc probabiliùs non sufficiat ad unionis Canonizationem, seu ad declarandum beneficium esse unitum, sufficiet tamen ad imponendum parti illi perpetuum silentium ad non impugnandam ampliùs unionem. Videantur Garc. *p.* 12. *c.* 2. *à n.* 226. Pal. *tr.* 13. *D.* 6. *p.* 12. §. 4. *n.* 3. Leur. *p.* 3. *q.* 932. *per totam.*

199 Quæritur 9. à quo, & ex quibus causis unio Ecclesiarum, vel beneficiorum semel facta dissolvi, seu revocari possit? Resp. Regulæ generalis loco est, illum dissolvere unionem posse, qui potuit illam facere, juxta illud, *Quod jussit, vetuitque Prætor, contrario imperio tollere potest l. quod jussit* 14. *de re judic.* Et hinc 1. ut unire, ita etiam unitas dissolvere Ecclesias Cathedrales potest solus Pontifex, ut colligitur ex *c. novit* 1. *ne Sed. vacant.* ibi, *Authoritate Apostolica indulgentes &c.* & notat *ibid.* Fagn. *n.* 34. *&* 37. Pirh. *tit. cit. n.* 5. *not.* 2. 2. Episcopus dissolvere potest uniones beneficiorum sibi subjectorum: & hoc procedit non tantùm, quando illæ factæ sunt ab Episcopo, sed etiam quando à Papa, vel ejus Legato, nisi ex plenitudine potestatis Pontificiæ factæ sint. Rebuff. *tit. de union. revocat. num.* 15. *&* 16. Azor *p.* 2. *l.* 6. *c.* 29. *q.* 5. Garc. *p.* 12. *c.* 2. *num.* 302. *& duob. seqq.* Leur. *p.* 3. *q.* 936. *num.* 2. Van Espen *J. E. U. p.* 2. *tit.* 29. *c.* 4. *num.* 5. Pal. *tr.* 13. *D.* 6. *p.* 12. §. 4. *num.* 4. Pirh. *hic num.* 221. quia Papa uniendo noluit tollere potestatem Ordinarii. 3. fieri dissolutio ista potest, ob easdem rationes, ob quas fieri potest ipsa unio, si sc. eandem fieri aut necessitas, aut utilitas Ecclesiæ evidens suadeat: imò sufficit, si causa, ob quam unio facta est, cesset; & aliquando etiam, quamvis ea non cessaverit, si alia causa superveniat, quæ prævaleat causæ unionis, suadeatque illius revocationem potiùs esse faciendam, quàm unionem tolerandam. Rebuff. *num.* 1. *& seqq.* Azor. *q.* 4. Garc. *n.* 305. Leur. *q.* 937. Van Espen *n.* 2. *& seqq.* Pirh. *l. cit.* & alii apud istos, 4. ut rite fiat, requiritur causæ cognitio, consensus Capituli, vocatio eorum, quorum interest unionem non dissolvi. Rebuff. *n.* 25. *& seqq.* Azor. *q.* 6. Garc. *n.* 307. *&* 308. Pal. *nu.* 4. Leur. *q.* 938. Van Espen *n.* 8. ubi notat, in dissolutione unionis minùs exactam causæ cognitionem faciliùs tolerari, quàm in facienda unione, quòd illa, utpote beneficia ad primævum, & naturalem statum educens, sit favorabilis.

Effectus hujus revocationis est, quòd Ecclesia unita 200
post revocationem unionis redeat in illum statum, in quo fuerat ante unionem: adeoque si priùs erat sine Cura, erit talis etiam post revocationem; si sæcularis, manebit Sæcularis, & vicissim si Regularis fuit, manebit Regularis; item si Monasterium per unionem cum Ecclesia Cathedrali erectum fuit in Ecclesiam Cathedralem, etiam soluta unione, manebit Monasterium & desinet esse Ecclesia Cathedralis. Rebuff. *num.* 78. Garc. *n.* 309. Fagn. *in c. novit num.* 43. *&* 44. Pirh. *ne Sed. vac. n.* 5. *not.* 2. Jacob Emerix *decis.* 1025. *num.* 20. *& seqq.* Rota *decis.* 406. *n.* 19. *p.* 26.

Quæritur 10. quid sit *Dismembratio* beneficii, & quid 201
requiratur, ut legitimè fiat? Resp. *Dismembratio* tunc fieri dicitur, quando manente unitate beneficii, pars bonorum, vel fructuum ab eo aufertur, & alteri beneficio, vel Ecclesiæ, quæ tenues reditus habet, ad hujus fabricam, vel Ministrorum sustentationem applicatur. Garc. *p.* 12. *de Benef. c.* 3. *num.* 1. *&* 2. Tondut. *qq. Benef. p.* 3. *c.* 156. *num.* 17. Pal. *tr.* 13. *D.* 6. *p.* 9. §. 10. *num.* 1. Pirh. *hic num.* 222. Schamb. *ib. num.* 43. Leur. *q.* 946. Facere illam, justa causa hoc exigente, Episcopus potest, ut colligitur ex *c. avaritiæ* 10. *h. t.* per argumentum à sensu contrario; nam ibi dicitur, quòd Religiosi, quibus est incorporata Parochia, sine consensu Episcopi non possint diminuere portiones assignatas ipsorum Vicariis. igitur cum consensu Episcopi illud poterunt ex justa causa. Gloss. *in c.* 10. *cit. V. reditus*, Barbos. *ib. n.* 1. Laym. *c.* 9. *cit. n.* 3. *princ.* Pirh. *hic n.* 223. Schambog. *n.* 44. Debet autem causa talis esse, quæ moralem necessitatem, & evidentem Ecclesiæ utilitatem indicet, & quidem talem, ut eidem aliàs opportunè provideri non possit. Card. de Luca *de Regular. Disc.* 27. *n.* 4. & *de Paroch. Disc.* 34. *n.* 3. Leuren. *q.* 953. Unde citra istam præcisè, quia Ecclesia Parochialis habet pinguiores reditus, non potest Rectori ejusdem obtrudi Adjutor cum dismembratione eorum. Leur. *l. cit.*

Præter justam causam Episcopus, ut ritè faciat dis- 202
membrationem, adhibere debet solemnitates ferè easdem, quæ aliàs requiruntur ad rerum Ecclesiasticarum alienationem; quia species ejusdem est. In specie vocandus est Rector Beneficii dismembrandi. 2. requirendus consensus Ecclesiæ, vel Collegii, cujus Canonicatus, vel Beneficium est dismembrandum. 3. si Ecclesia, vel Beneficium dismembrandum sit vacans, petendus consensus Defensoris. 4. vocandi Patroni, si Patronatum, & Parochiani, si Parochiale sit. 5. consentire in eandem debet etiam Capitulum Cathedrale, idque, etiamsi Beneficium dismembrandum non spectet ad Cathedralem, nec ei subjectum sit. 6. probabiliùs præmitti debet tractatus Episcopi cum Capitulo super dismembratione facienda; nam hic probabiliùs etiam requiritur ad unionem, ut dixi *suprà num.* 189. Videatur Lotter. *l.* 1. *q.* 28. *à num.* 5. Ventriglia *tom.* 2. *annot.* 8. §. 2. *à num.* 15. Corrad. *prax. Benef. l.* 3. *c.* 2. *num.* 2. Pal. *tr.* 13. *D.* 6. *p.* 12. §. 10. *num.* 1. *& seqq.* Card. de Luca *de Benef. Disc.* 45. *n.* 4. & *de Jur. Patron. Disc.* 66. *num.* 10. Leuren. *p.* 3. *q.* 954. *per totam.* Pirh. *hic n.* 223. *&* 224.

Dixi autem, *ab Episcopo solemnitates has adhibendas*; 203
nam quando à Pontifice fit dismembratio, sufficit, si adsit justa causa, neque solemnitates Juris positivi ad eam requiruntur, cùm istas Authoritas Papalis suppleat. Lotter. *l. cit. n.* 160. Card. de Luca *disc.* 45. *cit. n.* 9. Leur. *q.* 950. *n.* 2. Et idem est in dismembratione facta nomine Papæ per Delegatum Apostolicum, si tamen iste ad illum actum specialem delegationem habeat, quòd Papa demandando actum cum Juris dispositione incompatibilem, implicitè Juri derogare, aut in eo dispensare censendus sit. Card. de Luca *numer.* 11. Addidi *adhibendas* sollemnitates ferè easdem, quæ ad alienationem rerum Ecclesiasticarum requiruntur; non enim requiruntur

tur omnes, & in specie non requiritur beneplacitum Apostolicum, quod per *Extrav. Ambitiosæ* aliàs requiritur ad alienationem prædictam. Card. de Luca *de Regular. Disc.* 64. *n.* 9.

204 Quæritur 11. quid sit *Divisio* Beneficiorum, & quo pacto Beneficia Ecclesiastica dividi, & secari in duo possint? *Resp. Divisio*, aut *Sectio Beneficii* tunc fieri dicitur, quando ex uno Beneficio fiunt duo, vel plura Beneficia, ex una Parochia duæ Parochiæ, ex uno Canonicatu duo Canonicatus, ex una Capellania duæ Capellaniæ, ita, ut divisis fructibus, duo imposterum Parochi, duo Canonici, duo Capellani instituantur. Garc. *p.* 12. *de Benef. c.* 4. *n.* 1. Pal. *tr.* 13. *D.* 6. *p.* 9. §. 10. *n.* 3. Leuren. *p.* 3. *for. Benef. q.* 957. Pirhing *hic num.* 222. Schamb. *n.* 43. Permittitur hæc Episcopo quoad Beneficia sibi subjecta, si adsit justa causa, & legitimæ conditiones. *c. vacante* 26. *h. tit.* Garc. *num.* 3. Pal. Leuren. *l. citt.* cum aliis passim; nam aliàs prohibita est in Concil. Turonens. relato *c. majoribus* 8. *h. tit.* & notat Pirhing *n.* 225. & ratio prohibitionis est, quia per divisionem alteratur, & mutatur status Ecclesiæ, quod sine justa causa fieri non potest.

205 Porro causa justa, & legitima divisionis est unica, nim. quòd seclusa illa, obligationibus Beneficio incumbentibus satisfieri non possit. Pal. *n.* 4. Leur. *q.* 958. *n.* 1. Hinc sequitur, non esse divisionem faciendam 1. præcisè ideo, quòd multiplicatione Beneficiatorum augendus sit Cultus Divinus, si numerus illorum, qui defacto sunt, obligationibus suis implendis sufficiat, Lotter. *l.* 1. *q.* 28. *n.* 62. Lambertin. *de Jur. Patron. l.* 2. *p.* 1. *q.* 12. *art.* 7. Pal. *num.* 4. *cit.* Leuren. *n.* 2. *Neque* 2. ut extinguatur lis, & inter litigantes concilietur concordia; hæc enim alia via obtineri possunt, absque eo, quòd Beneficia dividantur, per reservationem videlicet pensionis, ut cum *citt.* advertit Garc. *p.* 12. *de Benef. c.* 4. *n.* 4. & hoc teste resolutum est *in Calagurritana Beneficii de Ondategni*. *Neque* 4. quòd Parochia multitudine parochianorum abundet, si seclusa divisione, omnibus illis administrari possunt Sacramenta ab ipso Rectore, aliisque in adjutorium assumptis. Barbos. *ad Trid. sess.* 21. *c.* 4. *de reform.* Pal. *l. cit.* Leuren. *n.* 4. & sumitur ex ejusdem Synodi textu allegato, ubi disponit, ut, antequàm ad divisionem procedatur, *Episcopi - - - in Ecclesiis Parochialibus - - - in quibus populus ita numerosus sit, ut unus Rector non possit sufficere Ecclesiasticis Sacramentis ministrandis, & cultui Divino peragendo, cogant Rectores, vel alios, ad quos pertinet, sibi tot Sacerdotes ad hoc munus adjungere, quot sufficiant ad Sacramenta exhibenda, & cultum Divinum celebrandum*: adeoque hoc remedium prius tentandum.

206 Præter justam causam duæ requiruntur conditiones, ut divisio hæc legitimè fiat ab Ordinario. *Una est*, ut quælibet portio, quæ per divisionem Beneficiariis assignata est, iisdem ad congruam sustentationem sufficiat; aliàs tenebitur Episcopus redintegrare Præbendam divisam, ut habetur *c. vacante* 26. *cit.* & notat *ibidem* Barbos. *n.* 1. possuntque provisi in Præbendis ita divisis ad redintegrandum præbendas actionem instituere contra Episcopum. Gloss. *in c. cit. V. integrare*; Abb. *ibid. n.* 2. *not. ult. & n.* 4. Pirh. *hic n.* 228. Integratio autem ista fieri poterit ex reditibus abundantibus aliorum Beneficiorum vacantium, ut statuitur *c. cit.* Si verò nec ex Beneficio aliquo vacante, nec alio simili modo, videlicet ex bonis Ecclesiæ, vel Capituli communibus, præbendas integrare possit Episcopus, tenebitur interim novis Beneficiatis providere ipse ex mensæ suæ reditibus, siquidem in culpa fuit, illegitimè dividendo Beneficium. Joan. Andr. *in c. cit. V. quæ vacare*, Abb. *ibid. n.* 3. Pirh. *n. cit.*

207 *Altera est*, ut Episcopus, vel alius habens potestatem dividendi, intendat eligere, sive promovere duos ad duo jura, & Beneficia de novo creata, seu erecta *c. dilecto* 25. *vers. præterea*, & *ibi* Gloss. *V. augmentare*, Abb. *in c. vacante cit. n.* 2. *not.* 1. Pirh. *hic num.* 233. nam unus Beneficium simul duobus conferre non potest: si secus fieret, collatio, seu receptio foret irrita, ita, ut neutri jus acquiratur, ut patet ex *c. dilecto cit. c. tuæ* 20. *eod.* & notat *ibidem* Vivian. *in Ration.* Gonzal. *num.* 2. Vvagn. *in Exeg.* Pirh. *hic num.* 230. 231.

208 Solemnitates requisitæ pro Divisione ferè eædem sunt, quæ requiruntur, in Dismembratione. Unde ad faciendam vocandi sunt etiam Rector Beneficii dividendi, & parochiani, de quorum parochia dividenda agitur: qui, si justa causa divisionem exigente, restiterint Episcopo dividere volenti, poterit nihilominus iste, etiam invitis ipsis ad divisionem procedere, prout constat ex Trid. *sess.* 21. *c.* 4. *de reform.* ibi, *Etiam invitis Rectoribus*: his tamen, si divisione hac gravatos se putent, superest remedium Appellationis, ad Sedem Apostolicam quidem, si eam Episcopus fecit ut Sedis Apostolicæ Delegatus, ad Metropolitanum autem, si tanquam Ordinarius: Appellatio tamen ista effectum non suspensivum, sed devolutivum habebit. Palao *n.* 6. Leurentius *q.* 969.

§. IV.

De Beneficiorum Reservatione.

S U M M A R I U M.

209 *Definitio Reservationis, & Beneficii reservati.*
210 *Discrimen à Beneficio Affecto.*
211 *Modi, quibus fieri affectum potest.*
212 *Casus, quibus Affectio locum non habet.*
213 *Potest Pontifex reservare Beneficium sibi.*
214 *Causæ reservandi.*
215 216 *Effectus reservationis.*
217 218 *Varietas.*
219 220 221 222 223 *Reservationes Corpore Juris communis clausæ.*
224 225 *Reservationes contentæ in Extravagantibus.*
226 *&c. In Regulis Cancellariæ.*
232 233 234 *In Concordatis Germaniæ.*
235 236 *In his aliqua reservantur ex persona possessoris.*
237 238 239 240 *Aliqua ex modo, quo vacant.*
241 242 243 *Alia ex qualitate ipsius Beneficii.*
244 *Aliæ reservationes.*
245 *Quæ tamen probabiliter in Germania locum non habent.*
246 *Definitio Annatarum.*
247 *Prima earum species.*
248 *Secunda.*
249 *Tertia, & quarta.*
250 251 252 *Justissimè exiguntur.*
253 254 255 *Casus, quibus per adeptionem Episcopatus Beneficia priùs obtenta non sunt reservata Summo Pont.*
256 *Inter quos non est casus, quo priùs habitum ex dispensatione Pontificis retinetur.*
257 258 *An reservatæ sint Dignitates, & Beneficia vacantia per privationem ob crimen ipso Jure inductam?*
259 260 261 *An Cathedralis Ecclesiæ Decanus, aut Canonicus electus in Episcopum, antequam confirmetur, Decanatum, vel Canonicatum suum resignare valeat in manibus Capituli?*
262 263 264 *An id facere possit post obtentam confirmationem?*
265 266 267 268 269 *Quinam obligentur Concordatis Germaniæ?*
270 271 272 273 *An Concordatis derogari, vel contraveniri ab alterutra Concordantium parte possit?*
274 275 276 *An derogari iisdem possit per consuetudinem?*

QUæritur 1. quid sit *Reservatio* Beneficiorum? 209
Resp. *Reservatio propriè dicta* est *alicujus Beneficii Ecclesiastici vacaturi per habentem ad id potestatem ad se facta avocatio*. Ita Æneas de Falconib. *de reservat. q.* 1. *princ. n.* 1. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *cap.* 34. *q.* 1. Lotter. *l.* 1. *q.* 26. *n.* 1. Pal. *tr.* 13. *D.* 2. *p.* 15. *n.* 1. Vall. *l.* 1. *de Benef. tit.* 7. *n.* 6. Chokier *ad Reg.* 1. *Cancell. n.* 12. Leuren. *p.* 2. *for. benef. q.* 522. *n.* 2. Pirh. *hic n.* 317. Schamb. *n.* 47. Vviest. *nu.* 55. Ac proinde ea beneficia *Reservata* dicuntur, quorum collationem Superior, præcipuè Summus Pontifex, ita sibi vendicat, ut inferioris collatoris manus liget, quo minùs ab ipso ea validè conferri possint *c. si eo tempore* 45. *de Elect. in* 6. *cap. licèt* 2. *h. tit. in* 6. & *Extrav. ad Romani* 14. *inter comm. eod.*

Dub. 1. quid sint *beneficia Affecta*, & quomodo *Reservatio* differat ab *Affectione*? Resp. in superficie rem intuentibus videtur quidem Affectio concordare cum Reservatione; nam & ipsa potestatem conferendi beneficia sic affecta Collatori inferiori aufert: differt tamen quamplurimùm; nam 1. Reservatio fit per actum verbis expressum, quo Papa declarat se beneficium suæ dispositioni reservare; Affectum verò fit ipso facto, ex quo tacita reservatio oritur, ut cùm Papa apponit manum Beneficio ad effectum id conferendi. Gonzal. *ad Reg.* 8. *Cancell. gloss.* 52. *num.* 2. Barbos. *l.* 3. *Jur. Eccl. cap.* 13. *num.* 43. Claud. la Croix *l.* 4. *Theol. Mor. num.* 521. cum *citt.* 2. bene- 210

beneficium reservatum nunquam amplius conferre inferior Collator potest; affectum verò, licèt pro illa vice ab alio, quàm Papa conferri nequeat, postquam tamen provisio Papæ effectum est consecuta, si rursus vacaverit, conferri iterum à Collatore ordinario potest. Azor *p.* 2. *l.* 6. *cap.* 34. *q.* 5. Gonz. *ad Reg.* 8. *gloss.* 52. *n.* 4. Pal. *p.* 15. *cit. n.* 4. Leur. *p.* 2. *q.* 523. 3. Affectio habet locum etiam in aliis, quàm beneficiis, ut in Ordinibus; nam ordinatus à Papa Ordines superiores recipere nequit ab alio Episcopo *c. cùm in distribuendis* 12. *de temp. ordin.* in cognitione causæ, quam si Papa cognoscere cœperit, aut commiserit alteri, à Judice inferiore avocata censetur. Vide la Croix *l. cit. n.* 522.

211 Porrò beneficium pluribus modis fieri affectum potest. 1. Si Papa alicui det beneficium in Commendam; nam tunc per obitum Commendatarii affectum manet, ita, ut tunc solus Papa illud conferre possit. 2. Si mandet alicui provideri de beneficio proximè vacaturo. 3. Si quis resignet beneficium, aut etiam jus ad rem in manus Papæ, etiam mense Ordinarii, & Papa resignationem accipiat. 4. Si Papa Electoribus præcipiat, ne ad Electionem procedant. 5. Si in provisione apponat Decretum, ut in manibus suis resignetur; nam si resignetur, ut supra dixi, est affectum. 6. Si ipse beneficium aliquod alicui conferat. Proceditque hoc, etsi collatio ob latens impedimentum Clerici, vel ob subreptionem impetrationis sit invalida, ut communiter DD. notant contra Abb. *in cap. inter* 11. *n.* 10. *de Excess. Prælat.* qui putat casu, quo Papa ejusmodi beneficium non reservavit, postquam semel collatum est invalidè à Pont. vel hujus Delegato, potestatem conferendi redire ad Ordinarium Collatorem ex ratione, quia Papa tantùm intendit providere certæ personæ, quæ cùm non fuerit capax Beneficii, adeoque causa cesset, etiam cessabit affectio. Vide Garc. *p.* 5. *de Benef. c.* 1. *à n.* 138. Azor *p.* 2. *l.* 6. *c.* 34. *q.* 5. Gonz. *ad Reg.* 8. *gloss.* 52. *à n.* 11. Vall. *l.* 1. *de Benef. tit.* 7. *n.* 11. P. la Croix *l.* 4. *cit. num.* 524.

212 Contra Affectio locum non habet. 1. Si Papa manum apposuit ad alium effectum, quàm conferendi, e. g. ad imponendam pensionem. 2. Si conferre voluit, quia falsò narratum fuit, quòd reservatum sit, cùm tale non esset. 3. Si conferre illud voluit ex causa permutationis, resignationis in favorem tertii; ob delictum Beneficiati, & antequam actu conferat, vacet illud per obitum. 4. Si Beneficium sit Juris Patronatus Laicalis, aut mixti. 5. Si ex tali manus appositione resultaret præjudicium Concordatorum. 5. Si Ordinarius prior contulit Cajo, & Papa posterior Titio, Cajus autem sibi collatum acceptare nolit. 7. Si appositio manus semel sit sortita effectum per provisionem secutam. Vide Gonzal. *à num.* 38. la Croix *num.* 525. Leuren. *q.* 525.

213 Dub. 2. an Pontifex possit reservare beneficium aliquod sibi, aut illud per manus appositionem affectum reddere? Resp. affirmativè. Estque hoc omnino indubitatum, cùm ipse amplissimam habeat potestatem disponendi de beneficiis Ecclesiasticis, ut constat ex *c. licet* 2. *h. tit. in* 6. & *Clem.* 1. *in fin. ut lit. pend.* quam nullum Concilium tollere, vel restringere potest. Et quamvis ex arbitrio, & voluntate ejusdem pendeat, an beneficium aliquod reservare velit, aut Affectum reddere, tamen ita moderatè hac sua potestate utitur, ut numquam id faciat sine justa causa.

214 Porro causa Reservationes beneficiorum inducendi potuit esse multiplex. 1. Et præcipuè, ut constaret, quòd omnium Dignitatum, & beneficiorum Ecclesiasticorum plenissima dispositio pertineat ad Rom. Pontificem, qui dum potestatem conferendi illa concessit Episcopis, aliisque Prælatis inferioribus, penes se majorem retinuit *c. dudum* 14. *vers. nos igitur h. t.* 2. Ut Papa haberet ampliorem facultatem subveniendi Clericis egentibus recurrentibus ad Sedem Apostolicam, remunerandi eos, qui de Ecclesia benè meriti sunt, & vel ipsi, vel Antecessoribus suis servierunt, gratificandi Magnatum precibus, quas pro aliis, ut beneficia iisdem conferantur interponunt. Gloss. *in Extrav. un. Joann. XXII. V. reservamus h. tit.* 3. Ut Ecclesiarum, & Ecclesiasticarum personarum toto Orbe existentium major esset communicatio cum Ecclesia Romana omnium Matre, dum non solum in Spiritualibus, sed etiam in temporalibus beneficiorum proventibus ab ea dependent, & influxum accipiunt *can. per principalem* 21. *caus.* 9. *q.* 3. 4. Denique fortassis etiam, ut tolleretur confusio, aliaque haud sanè levia incommoda, quæ oriebantur sæpe ex eo, quòd idem beneficium à Papa simul, & Ordinario inferiore jure Concursus conferretur duobus, sicque orirentur lites inter provisos, nonnumquam etiam ad incommoda, istarum præveniendi Ordinarii collationes præcipitarent, sine delectu personarum. Vide Chokier, *ad Regul.* 8. *num.* 9. Leur. *q.* 525. Engl *hic n.* 8. Pirh. *n.* 319. Vviest. *n.* 58.

Dub. 3. quis sit *Effectus* Reservationis Beneficiorum? 215
Resp. Reservatio ligat manus inferioris Collatoris, ita, ut hic conferre illud non possit amplius, & casu, quo iste defacto Beneficium reservatum confert, si quidem reservationi adjectum sit Decretum irritans, collatio sit nulla, ut statuitur *c. si Beneficia* 20. *h. tit. in* 6. & notant *ibi* DD. Proceditque hoc, etsi talis collatio facta sit ex ignorantia sive Juris, sive facti, ut habetur *c. cit.* & advertit *ibidem* Gloss. *V. ab iis*, Lotter. *l.* 2. *q.* 26. *à num.* 3. Barbos. *l.* 3. *Jur. Eccl. c.* 13. *num.* 41. Leuren. *p.* 2. *q.* 527. *num.* 1. Pirh. *hic n.* 320. Engl *ibid. num.* 8. Konig *tit. de concess. Præb. n.* 17. Estque hoc ita verum, ut ejusmodi collatione quidem titulum coloratum provisio præbeat, ut cum *citt.* advertit Chokier *ad Reg.* 1. *Cancell. n.* 15. *&* 18. Nicolarts *ad Concordat. tit.* 1. *dub.* 2. §. 5. & patet ex *Decreto Clem. VII.* incipit, *Admonet*, ibi, *Declaramus prætensas collationes --- nullum titulum, vel colorem tribuisse, aut in futurum tribuere, &c.* Rationem dat Chokier *l. cit. num.* 19. *&* 20. quia tali casu non solum possessio Beneficii reservati est nulla, sed etiam detentio illius omni adminiculo Juris caret, utpote quæ vitiatur à Decreto irritante.

Ex quo sequitur 1. sic promotum ab Ordinario Collatore ad Beneficium reservatum Superiori, si eodem spolietur, de spolio non posse agere, ut bene notant DD. *citt.* & ratio patet, quia agens de spolio debet habuisse rei spoliatæ possessionem. *Sequitur* 2. etsi Ordinarius resignationem Beneficii reservati acceptare possit, ab eodem tamen Beneficium illud non posse conferri alteri, sed pro ejus collatione recurrendum ad Papam. Chokier *l. cit. num.* 16. citans Simonett. *q.* 49. additque ex Granucio *in addit. ad Simonett. num.* 3. idem esse de permutatione. *Sequitur* 3. siquis ignorans ad Beneficium reservatum ab Ordinario Collatore promotus est, & prius possessum dimisit, comperta nullitate collationis, modò Beneficium de novo sibi ita collatum absque difficultate dimiserit, ad prius suum Beneficium libere reverti eundem posse, etsi hoc alteri interea collatum fuerit, ut expresse dicitur *cap. si Beneficia cit.* & additur *ibidem* ratio, *ne talis ignorantia eis (cùm sint sine culpa) præjudicialis existat.* Secus dicendum, si sciverit reservationem à Papa factam, vel postquam ignoravit, ostenso postea vitio, difficilem se exhibuit in novo Beneficio dimittendo; tunc enim, ut iterum *c. cit.* statuitur, non recuperat prius dimissum, quia ipse in culpa est, quæ meritò pœna hac plectitur. 216

Addidi autem in Responsione, *Si Reservationi Decretum irritans adjectum sit:* sola enim reservatio, sine Decreto irritante, non impediret, quo minùs Ordinarius inferior Beneficium validè conferre possit, cùm utrumque requiratur copulative. Ancharan. *in c. si Beneficia cit. not.* 2. *vers. sed hic quæro*, Franc. *ib. n.* 1. *not.* 2. Pirh. *hic n.* 320.

Quæritur 2. quotuplex sit Reservatio Beneficiorum? 217
Resp. duæ constituuntur species Reservationis, Generalis scilicet, & Specialis. *Generalis* vocatur, per quam non reservantur certa Beneficia, nec pro certis personis, sed Beneficia in communi, veluti omnia Beneficia, quæ sunt unius rationis, & generis, e. g. omnes Ecclesiæ Parochiales, Metropolitanæ, Cathedrales, omnia Beneficia alicujus Regni, vel Diœcesis, omnes Dignitates majores &c. *Specialis* dicitur, qua reservantur certa Beneficia: quod multipliciter fieri potest. Et 1. quidem *ratione loci*, ut cùm reservantur Beneficia certæ Ecclesiæ. 2. *Ratione certæ qualitatis*, cùm certa dignitas v. g. Præpositura reservatur. 3. *Ratione personæ*, si Papa jubeat Beneficium certæ Ecclesiæ conferri Titio, cùm vacaverit.

Utraque subdividi potest 1. in *Temporariam*, dum 218
nimirum Papa reservat sibi collationem Beneficii ad beneplacitum; & *Perpetuam*, dum eam reservat Sedi Apostolicæ, suisque in Pontificatu successoribus. 2. *In Fixam, & Continuam*, ut est primarum Dignitatum, & Beneficiorum possessorum à Collectoribus, Subcollectoribus, Officialibus Sacræ Sedis &c. & in *Discontinuam, incertam, & eventualem*, qualis est illa ratione mensis, vel ratione loci, in quo contingit vacatio. 3. In *Clausam corpore Juris communis*, & *eam, quæ est extra Corpus Juris communis. Prior* juxta verisimiliorem dicitur illa, quæ in Decretalibus, vel Clementinis continetur. *Posterior*, quæ in Extravagantibus, Regulis Cancellariæ, Decretis aliis Apostolicis, & specialibus Con-

Concordatis cum Sancta Sede continetur. Qualia Concordata inter Nicolaum V. Pont. & Fridericum III. Imper. ac Principes Germaniæ Ecclesiasticos, & Sæculares inita sunt anno 1447. *per Constit.* incipit *Ad Sacram*; inter Leonem X. & Franciscum I. totius Galliæ Regni nomine 1516. *per Constit.* incipit *Primitiva*; inter eundem Leonem, & Sigismundum Bathorium Poloniæ Regem pro Polonia, quæ Concordata speciali *Constit.* incipit *Cùm singularem* edita 5. *Calend. Decembr.* 1526. cum ampliatione confirmavit Clemens VII. His præmissis.

219 Dub. 1. quæ sint resevationes Corpore Juris communis clausæ? Resp. hæc verisimilius unica est, & continetur *c. licèt* 2. *statutum* 3. *c. præsenti* 34. *h. tit. in* 6. & *Clem. si duobus* 1. *ut lit. pend.* His Juribus Pontificis collationi reservantur Beneficia vacantia *apud Sedem Apostolicam*, vel *in Curia Romana*. *Vacare* autem *apud Sedem*, seu *in Curia*, quod probabiliùs idem est, illud Beneficium dicitur, quod vacat in loco, in quo causarum, atque litterarum Apostolicarum audientia, & expeditio est, ut notant Garc. *p.* 5. *de Benef. c.* 1. *numer.* 388. Lotter. *l.* 2. *q.* 27. P. Vveff. *ad Concord. numer.* 26. P. Vvex *Ariadn. p.* 1. *tab.* 17. *membr.* 1. *numer.* 1. P. Vviestner *hic numer.* 80. Durat reservatio hæc tempore unius mensis numerandi à die vacationis; nam si intra hunc de beneficiis ita vacantibus Sedes Apostolica non provideat, eo elapso ab Ordinariis Collatoribus illa conferri valent, perinde acsi nulla unquam reservatio obstitisset, ut habetur *c. statutum cit.* & notat Faber *lib.* 1. *de fin. for. tit.* 2. *de fin.* 32. Chokier *ad Reg.* 1. *Cancell. n.* 23.

220 *Excipiuntur*, & Reservationi huic non subjacent 1. *Beneficia Manualia*, seu ad nutum revocabilia, sive Regularia illa sint, sive sæcularia; quia in odiosis nomine beneficii non comprehenduntur. Garc. *p.* 5. *cap.* 1. *num.* 510. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 11. *num.* 1. *vers. porro*, Vall. *l.* 1. *tit.* 7. *num.* 13. Engl *hic n.* 8. *vers. Beneficia quoque*, Pith. *ibid. n.* 325. Konig *de concess. præb. n.* 24. *vers. cæterum*, Illsung *tr.* 5. *D.* 2. *num.* 184. Jacob Emerix *decis.* 73. *num.* 1. & *decis.* 92. *n.* 1. Leuren. *p.* 4. *q.* 534. *n.* 3.

2 *Beneficia*, quæ sunt *Juris Patronatus Laicalis*, si qualitatem istam non tantùm ex privilegio, præscriptione, aut præsumptione in privilegio fundata, sed ex fundatione, constructione, dotatione habeant; quia Papa Juri patronatus sic quæsito non censetur derogare, nisi id specialiter exprimat. Garc. *num.* 57. Laym. *n.* 2. *princ.* Barbos. *in c.* 1. *h. tit. in* 6. *num.* 12. Passerin. *in c.* 2. *eod. n.* 2. & 11. Engl *n.* 8. *cit. vers. est verò*, & *n.* 12. *vers. item prout*, Pirh. *n.* 324. Leur. *n.* 4.

221 3 *Beneficia Regularia*; quia in odiosis non censentur comprehensa; nisi exprimantur: quod tamen non fit in textibus citt. Gonzal. *ad Reg.* 8. *gloss.* 8. *n.* 11. Barbos. *allegat.* 57. *n.* 29. Leur. *n.* 5. Idem *dicendum* de iis, quæ mensæ Prælatorum, vel Monasteriorum pleno Jure in perpetuum sunt incorporata; quia nunquam vacare censentur, ut dictum est *n.* 154.

222 4 *Beneficia Ecclesiæ non numeratæ*, seu *receptivæ*, h. e. in qua non est certus numerus beneficiorum, & Præbendarum; quia defuncto Beneficiato nec ipsa vacant, sed cum eo exspirant, & extinguuntur. Garcia, Laym. Illsung. *citt.*

5 *Beneficia* resignata ex *causa permutationis*, & juxta probabilem ex quacumque alia causa; quia nec ipsa propriè censentur vacare. Laym. Vall. Pirh. Illsung *citt.*

223 6 *Beneficia*, quæ *vacant in Urbe*, & ad eos pertinent, qui in Urbe degunt, sed Curiam non sequuntur; quia hæc Papa confert jure non reservationis, sed ordinario, tanquam proprius Episcopus Urbis. Pal. *tr.* 13. *D.* 2. *p.* 16. *n.* 9. Barbos. *in c.* 1. *cit. n.* 14. Passerin. *l. cit. n.* 13. Leur. *n.* 9.

7 Beneficia, quæ ex consuetudine conferenda sunt *Magistris Theologiæ*, aut *Doctoribus Juris Canonici*; & secundum quosdam *Beneficia Patrimonialia*. Vallens. Pirh.

8. Beneficia *Parochialia*, vacantia, Sede Apostolica vacante; nam eo tempore istorum reservatio cessat, & libera de illis dispositio spectat ad Collatores Ordinarios *c. si Apostolica* 35. *h. tit. in* 6. ubi ratio additur, *ne ipsarum vacatio diutina periculum animabus afferat*: quæ ratio cùm procedat etiam in casu, quo beneficium Parochiale vacat, vivente adhuc Pont. hinc etiam ad istum casum dispositionem *c. cit.* extendit Emerix *decis.* 1030. *n.* 5. ubi ait, ita sæpiùs decisum à Rota: cui tamen contradicit communior.

224 Dub. 2. quænam beneficia sint reservata per Constitutiones Extravagantes? Resp. his tum antiquæ Reservationes confirmatæ, tum novæ introductæ sunt; nam 1. Bonifacius VIII. *Extrav. piæ* 1. *h. tit.* reservat provisioni Sedis Apostolicæ Dignitates, Personatus, Ecclesias, aliaque Beneficia Ecclesiastica, apud eandem Sedem vacantia, decernitque irritum, quod secus per quemcumque quacumque authoritate scienter, vel ignoranter attentatum fuerit: quæ tamen reservatio intelligi debet juxta determinationem *c. statutum* 3. *c. præsenti* 34. *h. tit. in* 6. & *Extravag. ad Regimen* 13. *eod.* ut cum Vivian. *in Extrav. piæ cit. in fin.* notat Pirh. *hic n.* 339.

2 *Extrav. Execrabilis* 4. *h. tit.* statuitur, ut qui deinceps receperint Dignitatem, vel Personatum, vel Officium, aut aliud Beneficium curam animarum habens, si antea simile Beneficium obtinebant, illo non solùm ipso Jure privati sint post obtentam pacificam possessionem secundi, sed etiam ex tunc statim dimittere primum coram Ordinario debeant; alias etiam secundo ipso Jure priventur: ipsa verò Beneficia vacatura, vel dimissa ibidem sibi reservat Pontifex, ita, ut siquis alius de iis disponere præsumat, illa dispositio sit irrita.

3 Benedictus XII. *Extrav. ad Regimen cit.* provisioni Sedis Apostolicæ reservat. 1. Patriarchales, Archiepiscopales, & Episcopales Ecclesias; item Monasteria, Prioratus, Dignitates, Officia, & Beneficia quæcumque, etiam consueta conferri per electionem, aut quemvis alium modum, si apud Sedem Apostolicam vacaverint. 2. Vacantia per depositionem, privationem, translationem, consecrationis susceptionem; Electionis, aut Postulationis cassationem, muneris renuntiationem, Authoritate Apostolica inductam. 3. Vacantia per obitum Cardinalium, Legatorum, & aliorum Sedis Apostolicæ Officialium. 4. Vacantia per promotionem ad Dignitates majores, Patriarchalem, Archiepiscopalem, Abbatialem, authoritate Pontificia factam, postquam sic promoti pacificam possessionem Dignitatis collatæ acceperint. 225

4 Paulus II. *Extrav. ult. h. tit.* decernit omnia, & singula Beneficia, per Romanos Pont. hactenus reservata, vel imposterum reservanda, ac etiam quovis modo vacantia, vel vacatura, per ejusmodi reservationem remansisse, vel remanere semper affecta, nullumque de illis, præter Romanum Pont. illa vice quovis modo disponere posse, & quidquid contra attentatum fuerit, decernit irritum.

Dub. 3. quæ reservationes sint factæ in Regulis Cancellariæ? Resp. in his plures sunt factæ.

In I. Regula renovantur reservationes *Extrav. ad Regimen*, & *Extrav. Execrabilis*, & reservantur Papæ omnia Beneficia vacantia & vacatura in utraque hac *Extrav.* reservata. Et extenditur hæc reservatio 1. ad Beneficia, quæ Officiales Sedis Apostolicæ ibi expressi tempore, quo Officiales essent, obtinebant, licèt ante obitum Officiales esse desierint. 2. Ad Beneficia, quæ Notarii ejusdem Sedis, etiam dimissis ipsis Officiis, & quandocumque fuerint assecuti. 3. Ad Beneficia omnia tam obtenta, quàm obtinenda, de quibus Ordinarii, aliique Collatores contra Decreta, & formam Concilii Trident. dispósuerunt, vel in posterum disponent; v. g. si contulerint Beneficium carenti legitima ætate, aut non habenti qualitates ab eodem Concilio requisitas &c. Intellige, si scienter hoc fecerint; secus, si per justum errorem facti, ut quia adhibita debita diligentia, Ordinarius existimavit provisum habere debitam ætatem, & alia requisita. Et ratio disparitatis est, quia reservatio facta est in odium Ordinariorum, disponentium de Beneficiis contra Decreta Concilii, quod odium cessat, cùm cessat culpa. Chokier *ad Reg.* 1. *cit. n.* 11. 226

In Regula II. reservantur Pontifici 1. Omnes Ecclesiæ Patriarchales, Primatiales, Archiepiscopales, Episcopales, & Monasteria Virorum, si Monachis sint destituta, vel commendari solita, & valorem 200. flor. auri communi æstimatione non excedant. 2. Beneficia omnia, quæ ad collationem Episcoporum, vel Abbatum, aut aliorum Collatorum spectant, & post obitum, resignationem, translationem, privationem illorum, vel alias quomodocumque vacaverint, usque ad provisionem Successorum, Apostolica authoritate faciendam, & adeptam ab eisdem successoribus pacificam possessionem. Hæc Regula locum non habet in Germania, ubi Episcopatus sunt electivi, & Beneficia, quæ Sede vacante vacant, conferuntur à Successore. Cessat etiam reservatio ista in Gallia per Concordata, & Jus Regaliæ, quo Sede Episcopali, vel Archiepiscopali vacante, Rex Ecclesiæ vacantis proventus administrat, Beneficiaque ipso facto, vel Jure vacantia, quamdiu Ecclesia sua Pastore viduata est, confert. Chokier *ad Reg.* 2. *num.* 13. 227

In Regula III. quæ in Recentioribus adjecta est, extenditur, & ampliatur *Extrav. Execrabilis cit.* ac pro- 228

rohibetur, ne qui ſecundum Beneficium incompati-ile cum priori accepit, illud in fraudem Apoſtolicæ ſervationis, nulla de eo facta mentione, reſignare æſumat.

In Regula IV. antiquitus *III.* reſervantur 1. Omnes Dignitates majores poſt Pontificales in Cathedralies Eccleſiis, nec non Principales in Collegiatis, ſi va-us Eccleſiis, nec decem florenorum auri communi æſtimatione exce-orem decem florenorum auri communi æſtimatione exceant. Quod intellige de una tantùm in ſingulis Ecleſiis, nempe quæ prima, ſeu principalis eſt, quocunque nomine donetur. *Excipitur*, ſi in una Eccleſia luæ, vel plures ſint Dignitates æquè præcipuæ; nam unc affirmandum omnes reſervatas eſſe, quia cùm eſervatio ſuprà dicta effectum habere debeat, & nulla ppareat ſpecialis ratio, ob quam potiùs unam Digniatem, quàm aliam reſervatio illa afficiat, omnes comrehendere debet, præcipuè cùm verba Legis omnibus apari poſſint. Mandoſ. *ad Reg.* 3. *cit.* Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 34. *q.* 10. *verſ. quæres deinde*, Garc. *p.* 5. *de Benef. c.* 1. *n.* 265. Leur. *p.* 2. *q.* 546. *n.* 2. 2. Reſervantur Prioratus, Præpoſituræ, & aliæ Dignitates Regulares Conventuales, & Præceptoriæ generales Ordinum quorumcumque, ſed non Militarium, &c. quæ reſervatio ut locum habeat, duo obſervari debent. *Unum* eſt, ut Dignitates iſtæ ſint perpetuæ; nam temporales, quæ ad nutum Superiorum auferri poſſunt, ut Ordinum Mendicantium; non reſervantur. Garc. *l. cit. num.* 272. Chokier *ad Reg. cit. numer.* 25. Barboſ. *alleg.* 57. *n.* 104. Pal. *tr.* 13. *D.* 2. *p.* 19. *num.* 6. *Alterum*, ut non regantur per Abbates (de his enim agit Regula ſecunda) ſed per Præpoſitos, & Priores, quorum electio non ſit à Religioſis ſimul congregatis, quales ſunt, quæ dari in Commendam ſolent. 3. Reſervantur Beneficia quæcumque, quæ Papæ, vel Cardinalium Familiares, & Commenſales, familiaritate durante, obtinebant, aut obtinent, aut obtinebunt: ad quod tamen requiritur, ut familiaritas hæc duraverit aliquo tempore, quo Regulæ hæc locum habent; nam ſi duraverit Sede Papali vacante, reſervationem non inducit, quia Papa mortuo, Regulæ Cancellariæ exſpirant.

2 *In Regula V.* alias *IV.* reſervantur generaliter Beneficia omnia Eccleſiaſtica, quæ quicumque Collectores, vel Subcollectores fructuum Cameræ Apoſtolicæ debitorum in quacumque Civitate, vel Diœceſi, durante hoc eorum Officio, obtinebant, & in quibus, ſeu ad quæ jus tunc eis competebat. Et ſufficit ſola deputatio ad hoc Officium, etſi ad illud deputatus non exercuerit poteſtatem Officii; imò licèt iſtud nondum acceptaverit, vel ſibi datum reſciverit. Mandoſ. *ad hanc Reg. q.* 4. Chokier *n.* 19. *&* 20. Leuren. *q.* 548. *numer.* 3. Aliud dicendum de familiaritate; quia hæc conſenſu utriuſque partis tantum contrahitur, ſicut Societas.

In Regula VI. olim *V.* reſervantur Beneficia Curialium quorumcunque, quos, dum Curia Romana de loco in locum transfertur, eam ſequendo decedere contigerit, in quocumque loco, quantumcunque etiam remoto à dicta Curia: quibus ultimis particulis extenditur Conſtitutio *c. præſenti* 34. *h. tit. in* 6. ubi Beneficia Curialium reſervantur ſolùm, ſi deceſſerint in loco remoto ad duas dietas.

o *In Regula VII.* reſervantur Beneficia Cubiculariorum, & Curſorum Summi Pont. intelliguntur autem hic etiam Cubicularii extra Muros, ſeu honoris cauſa nuncupati, prout teſte Pal. *tr.* 13. *D.* 2. *p.* 21. *n.* 2. declaravit Urbanus VIII. Et patet ex Regulis Cancellariæ innovatis per poſteriores Pontt. ubi hoc loco adjecta leguntur hæc verba: *Cubiculariorum etiam honoris nuncupatorum.*

In Regula VIII. reſervantur Canonicatus, Præbendæ, Dignitates, Perſonatus, & Officia in Baſilica Principis Apoſtolorum, S. Joannis Lateranenſis, ac B. Mariæ Majoris in Urbe Eccleſiis: nec non Beneficia quæcumque, ad collationem, proviſionem, præſentationem, ſeu quamvis aliam diſpoſitionem Sanctæ Rom. Eccl. Cardinalium, ratione Epiſcopatus Cardinalatui annexi, aut Tituli, vel Diaconiæ ad ipſos ſpectantia, ſi abfuerint Roma ſine cauſa legitima: ſecus, ſi ex cauſa legitima, & cum licentia Papæ; nam horum Beneficia non reſervantur, ut notat Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 36. *q.* 10. *Reg.* 7. §. *quæres*, Barboſ. *alleg.* 57. *n.* 136. Pal. *p.* 21. *cit. n.* 5. Vvagn. *ad hanc Reg.* Engl *n.* 25. *hic*, Pirhing *num.* 352.

31 *In Regula IX.* diſpoſitioni Papæ reſervantur Beneficia omnia, qualitercumque qualificata, menſe Januario, Februario, Aprili, Majo, Julio, Auguſto, Octobri, & Novembri aliter, quàm per reſignationem in manus Ordinarii, quomodocumque vacantia, ad quorumcunque diſpoſitionem (non tamen Cardinalium, aut aliorum, ſub certis Concordatis comprehenſorum) pertinentia &c. Epiſcopis tamen, qui reſederint in ſua Eccleſia, alternativa menſium in collatione indulgetur. Verùm de hac reſervatione dicetur §. *ſeq.*

Porro reſervationes iſtæ non extenduntur ultra vitam Summi Pont. qui Regulas has curavit promulgari; nam illo mortuo, etiam iſtarum exſpirat vis, & authoritas, donec à recens electo Summo Pont. denuo promulgentur. Unde Beneficia vi earum alias reſervata, ſi Sede Apoſtolica vacante vacent, liberè conferunt Epiſcopi ordinaria ſua poteſtate, quæ per mortem Pontificis vinculo reſervationis ſoluta eſt. Gonzal. *ad Reg.* 8. *gloſſ.* 12. *num.* 1. Chokier *ad Reg.* 1. *num.* 23. Leuren. *p.* 2. *q.* 539. *num.* 3.

Dub. 4. quænam Beneficia reſerventur Papæ in Concordatis Germaniæ? Reſp. in his renovantur, & con- 232
firmantur Reſervationes factæ *in Extrav. Execrabilis*, & *Extrav. ad Regimen citt.* Et quidem prior, cùm nulla ei adjecta ſit modificatio; vi Concordatorum ſervari in Germania debet ex integro; poſterior non niſi ſub modificatione, quæ multiplex in memoratis Concordatis additur, ut videre eſt apud Chokier *Reg.* 1. *n.* 23. Vvagn. *ad Concord.* §. 1. *n.* 1. *& ſeqq.* Leuren. *p.* 2. *q.* 598. *num.* 2. Pirh. *hic n.* 357.

Nam 1. per *Extrav. ad Regimen cit.* reſervantur Beneficia etiam vacantia per ſuſpenſionem muneris Conſecrationis; non item in Concordatis Germaniæ.

2 *Extrav. cit.* reſervantur à Benedicto XII. Bene- 233
ficia, quibus Joannes XXII. ejus anteceſſor manum appoſuit: eadem non reſervantur in Concordatis, imò non potuerunt reſervari, quippe cùm laudatus Benedictus plus, quàm 100. annis ante Nicolaum V. Bullæ Concordatorum authorem, fuerit mortuus, & ſic nemo amplius ſuperſtes fuerit ex iis, de quorum Beneficiis Joannes XXII. aliquid diſpoſuerat.

3 In *dicta Extrav.* indiſtinctè reſervantur Beneficia Officialium Sedis Apoſtolicæ vacantia per illorum obitum; at verò in Concordatis Germaniæ id reſtringitur ad tempus, quamdiu ipſi dicta Officia actualiter tenent, ut adeo, ſi prius illa deponant, quàm moriatur, reſervatio ipſorum Beneficiorum ceſſet juxta Conſtitutiones *Paſtoralis* editam ab Eugenio IV. *pridie Calend. Novemb.* 1441. & Pii IV. incipit *Laudanda* editam *Cal. Febr.* 1458.

4 *In eadem Extrav.* inter Officiales, quorum Digni- 234
tates, Beneficia, & Officia, ſi vacent, reſervata ſunt, abſolutè ponuntur Commenſales, & quilibet alii Capellani Pontificis; at verò in Concordatis ponuntur Officiales quidam certo numero, & qualitate, videlicet Vicecancellarius, Camerarii, ſeptem Notarii, Auditor Litterarum contradictarum, Auditores cauſarum Palatii Apoſtolici, Correctores, centum, & unus Scriptores Litterarum Apoſtolicarum, & viginti quatuor Pœnitentiariæ ejuſdem Sedis, 25. Abbreviatores, nec non veri Commenſales Papæ, & alii 25. Capellani præfatæ Sedis in Epitaphio, h. e. Syllabo, ſeu albo Curialium deſcripti.

5 In Concordatis reſervantur Papæ Eccleſiæ, ac Beneficia authoritate Litterarum Apoſtolicarum collata, vel impoſterùm conferenda cum limitatione duplici, ſi *immediate* collata ſint, & niſi virtute gratiæ Exſpectativæ aſſecutio fiat: quarum neutra ponitur in *Extrav. cit.* & fortè ideo in Concordatis additur, ne ordinarii Collatores nimium gravarentur, ſi non poſſent Beneficia vacantia per aſſecutionem pacificam alterius Beneficii incompatibilis, virtute Gratiæ Exſpectativæ alicui collati, aliis liberè conferre. Pirh. *hic num.* 357. Leur. *q.* 598. *num.* 2.

Quæritur 3. quænam Dignitates, & Beneficia in ſpe- 235
cie per Concordata Germaniæ ſint reſervata Summo Pontifici? Reſp. hæc ad tres ſpecies reduci poſſunt; nam aliqua reſervantur ratione perſonæ, quæ ipſa poſſederat, alia ratione modi, quo vacant, alia ex qualitate ipſius Dignitatis, vel Beneficii, quod reſervatur.

Ex perſona poſſeſſoris reſervantur 1. Dignitates, & Beneficia Eccleſiaſtica vacantia per obitum alicujus S. R. E. Cardinalis, ubicumque decedat. *Concord.* §. *placet nobis*. Hinc ſi etiam in Germania noſtra Epiſcopus Cardinalis obeat, Capitulum Cathedrale Succeſſorem eligere non poteſt, niſi de Indulto ſpeciali ſibi providerit. Branden *ad Concord. q.* 6. *num.* 11. Eſtque Indultum hoc ita neceſſarium, ut ſine illo celebrata Electio viribus careat, & caſſanda ſit, prout caſſata olim fuit in Conſiſtorio Apoſtolico apud Branden *l. cit. num.* 12. Electio, quæ vacante per obitum Sereniſſimi Philippi S. R. E. Cardinalis ex Domo Bavarica aſſumpti Sede Ratisbonenſi, à Canonicis ibidem celebrata fuerat in favorem Sigiſmundi Friderici Fuggeri, cui tamen propter merita perſonæ, quantumvis nulliter electæ, Sanctiſſimo de dicta

dicta Ecclesia placuit providere. Hinc laudatissimus mos est, quem vigere intelligo in Cathedrali Ecclesia Passaviensi, in qua se quilibet Canonicus, pro casu, quo Episcopus factus, cum tempore assumetur ad Purpuram, se obstringit, quòd antequam istam admittat, procurare Roma Indultum Papale velit, ne Dignitas Cardinalitia impedimento sit liberæ Electioni post ejus mortem: quem morem etiam tenuit *glor. mem.* Reverendissimus, & Eminentissimus Princeps, ac Dominus Joannes Philippus Cardinalis Lambergius, cui proinde Jure per Indultum ab hoc impetratum sibi quæsito Reverendissimum Capitulum Cathedrale ad eam Cathedram nuperrimè elegit successorem Reverendissimum, & illustrissimum Dominum Raymundum Ferdinandum Comitem de Rabatto, Infula ista dignissimum, quem Deus Opt. Max. diu sospitet.

236 2 Dignitates, Beneficia, & Officia, quæ vacant per obitum Officialium Sedis Apostolicæ cum limitatione expressa *Concord.* §. *placet cit.* & relata *supra num.* 234. Atque hanc ob causam, mortuo in Urbe Francisco Orano S. Palatii Auditore, tres Præpositurae, quas in Diœcesi Leodiensi obtinuit, quantumvis alias electivæ essent, ab ipso Summo Pont. collatæ sunt. Branden *q. 6. cit. num. 6.*

3 Beneficia Commensalium non fictorum, & titularium, quod statuitur *Extrav. ad Regimen*, & *Regul. Cancell.* 4. sed prout per *Concord.* §. *placet cit.* limitata est, verorum dumtaxat, & quidem non Cardinalium, ut habetur *cit. Reg.* 3. sed Papæ tantum: quales ultra Officiales *n.* 234. relatos, sunt Sedis Apostolicæ Referendarii, Protonotarii, Auditores Rotæ, Cubicularii, Secretarii, Subdiaconi, Acolythi, & alii Officiales, qui ex Palatio Apostolico panem, seu victum habent, & in eo Summo Pontifici deserviunt, ac custodiam habent, sive in eodem Palatio habitent, & comedant, sive non.

4 Dignitates, ac Beneficia quorumcumque Sedis Apostolicæ Legatorum, Collectorum fructuum, & proventuum Cameræ Apostolicæ debitorum, & in terris Romanæ Ecclesiæ Rectorum, ac Thesaurariorum deputatorum, seu missorum, ubicumque eos, antequam ad Curiam Romanam redierint, seu venerint, ab humanis rebus eximi illos contigerit. §. *placet cit.*

237 *Ex modo, quo vacant*, reservantur Beneficia, & Dignitates, quæ vacant apud Sedem, seu in Curia §. *placet cit.* Ex hoc capite reservantur

1 Dignitates, etiam Episcopales, & Beneficia quæcumque eorum, qui cujuscumque negotii causa ad Curiam Apostolicam accedunt, aut ab ea recedunt, si vel extra illam in loco aliquo, ultra duas dietas, seu octo, aut decem milliaria Germanica non remoto, moriantur §. *placet cit.* Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *cap.* 11. *num.* 1. *vers. quarto.*

2 Beneficia Curialium, qui dum Curiam ab uno loco in alterum translatam sequuntur, in itinere, & loco ultra duas dietas non remoto moriuntur. Estque perinde, sive infirmitatis, sive peregrinationis, sive etiam recreationis, aut alia quavis ex causa ibi fuerint, modò domicilium proprium ibidem non habeant; quia isti ex animi destinatione, aut negotiorum, seu causarum qualitate continuant Curialitatem. Vagn. *in c.* 34. *vers. si eos h. tit. in* 6. Engl *n.* 10. *hic not.* 3. Konig *tit. de conceß. Præbend. num.* 18.

238 Vacantia per resignationem factam in manibus Papæ. Proceditque hoc, etiamsi facta sit mediante Procuratore extra Curiam Papæ constituto. Vall. *l.* 1. *de Benef. tit.* 7. *n.* 9. Barbos. *in c.* 34. *n.* 2. *h. tit. in* 6. Passerin. *in c.* 2. *eod. n.* 7. & 9. Engl *hic n.* 9. *vers. attamen in fin.* Konig *l. cit. n.* 19. *Ratio est*, quia Beneficium, cui Papa resignationem ejus admittendo manus apposuit, in Curia vacasse intelligitur. Gonz. *in Reg.* 8. *gloß.* 52. *n.* 7. Barbos. *alleg.* 57. *n.* 22. Vviest. *hic n.* 83. qui cum aliis reservationem hanc etiam extendit ad casum, quo Beneficium aliquod resignatum est in manibus Episcopi proprii in Curia existentis.

239 4. Vacantia per depositionem, privationem, translationem Episcopi, vel Beneficiati ab una Ecclesia ad aliam siquidem depositio, privatio, & translatio facta sit authoritate Sedis Apostolicæ §. *placet cit.* quia Beneficium ibi vacare intelligitur, ubi fit actus, quo inducitur privatio. Franc. *in c. præsenti* 34. §. *sanè n.* 4. *h. tit. in* 6. Garc. *p.* 5. *de Benef. c.* 1. *num.* 73. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 11. *num.* 1. *vers. quinto*, Barbos. *alleg.* 57. *num.* 24. Ex hac causa superioribus annis Capitula Cathedralia Ratisbonense, & Frisingense, dum Ecclesiæ ipsorum per Serenissimi Electoris Coloniensis Principis, & Episcopi sui ad Leodiensem Ecclesiam translationem Pontificia authoritate factam vacabant, ad Episcopi electionem procedere non potuissent, nisi eligendi facultas ex speciali Sedis Apostolicæ gratia eisdem fuisset indulta. Vviest. *hic num.* 87.

5. Dignitates, & Beneficia eorum, qui authoritate Apostolica promoti sunt ad Patriarchales, Archiepiscopales, vel Episcopales Ecclesias, aut Monasteriorum Regimina §. *placet cit.* Neque refert, etsi Ecclesiæ istæ electivæ sint, sicut in Germania Capitulum Cathedrale habet jus eligendi Episcopum; siquidem per Electionem talem non censetur vacare Beneficium prius habitum ab Electo, sed primùm accedente confirmatione Papali, & adepta possessione, Laym. *num.* 1. *cit. vers. secundo.* Extenditur §. *placet cit.* reservatio hæc etiam ad Prioratus, Dignitates, Personatus, & alia quæcunque Beneficia, à Papa, sive Litterarum Apostolicarum authoritate immediatè obtenta; nam per assecutionem pacificam istorum prius obtenta, si incompatibilia sint, & dispensatio non impetretur, vacant in Curia, & Sedis Apostolicæ dispositioni sunt reservata.

Denique *ex qualitate Dignitatis, vel Beneficii specialis* reservantur 1. Ecclesiæ Archiepiscopales, & Præfecturæ Monasteriorum exemptorum, & immediatè subjectorum Summo Pontifici; nam etsi in his per concordata Germaniæ §. *item placet* libera permittatur Electio, triplex tamen quoad illa *in* §. *cit.* reservatio ponitur. Nam 1. *ibidem* Pontifex indistinctè sibi reservat in his Ecclesiis Confirmationem Electionis à Capitularibus factæ, cum plenitudine potestatis, aliquando loco personæ electæ aliam digniorem, & utiliorem substituendi, ex causa tamen rationabili, & evidenti, ac de Cardinalium consilio. 2. reservat easdem provisioni Apostolicæ Jure devolutionis, si illi, penes quos erat, Sede, vel Ecclesia vacante, Successorem eligere, intra præscriptum tempus, quod regulariter est trimestre *c. ne pro defectu* 42. *de Election.* Electionem non celebraverint, vel celebratam intra tempus Jure præfixum non præsentaverint, vel præsentaverint quidem, talem tamen, quæ minùs Canonica fuerit. 3. eidem Apostolicæ provisioni reservat dictas Ecclesias, nec non dignitates, Beneficia, & officia Ecclesiastica quæcumque, sive Sæcularia, sive Regularia, ad quæ aliqui in Concordia, vel discordia electi sunt, vel postulati, si eorum electio cassata, vel postulatio repulsa, aut etiam ab ipsis facta renuntiatio à Sede Apostolica acceptata fuerit, ut habetur *Extrav. ad Regimen cit.* quæ quoad hoc per Concordata Germaniæ non fuit modificata, vel restricta, ut ostendit Pirhing *hic num.* 360.

2 In quavis Ecclesia Cathedrali reservatur Summo Pontifici Dignitas proxima Episcopali, & in quavis Collegiata illa, quæ ibi est principalis, nisi per speciale privilegium exemptæ sint. *Concord.* §. *de cæteris*. Porro quænam in Ecclesiis Cathedralibus sit proxima Episcopali, & in Collegiatis principalis, desumendum est ex cujusque patriæ consuetudine, ut bene notat Gloss. *antiqua in Reg.* 3. *Cancell.* Azor. *p.* 2. *c.* 34. *q.* 19. *vers. item Dignitates*, Chokier *ad Reg.* 3. *cit.* P. Vveiss. *ad Concord. num.* 25. P. Vviest. *hic n.* 103. In Gallia teste Azor. *l. cit.* major Dignitas est Decanatus; in Germania Præpositura. Illsung. *tr.* 5. *D.* 2. *n.* 186. *n.* 19. & 20. Et hinc per Concordata Germaniæ Pontifici reservatæ sunt omnes Præposituræ tum Cathedralium, tum Collegiatarum Ecclesiarum; ubi verò in Collegiatis nulla existeret Præpositura, vicem principalioris Dignitatis obtinebit Decanatus, ac proinde ipse erit reservatus Pontifici. Nicolarts *ad Concord. tit.* 1. *dub.* 1. §. 10. 2

Dixi, *Nisi per speciale privilegium exemptæ sint*. Nam ita exempta est. 1. Præpositura Cathedralis Ecclesiæ Augustanæ, quæ ex Indulto Alexandri VI. ex ejus Capitularium electione obtinetur. Branden *ad Concord. q.* 12. *n.* 2. 2. Monasteriensis Vvestphaliæ ex privilegio concesso per Paulum V. 1618. P. Vvex *Ariadn. p.* 1. *tab.* 17. *membr.* 1. *n.* 6. P. la Croix *l.* 4. *n.* 507. 3. Elvacensis, quæ cum adhuc Regularis erat, electiva fuit, & nunc etiam postquam in Sæcularem transiit, Sede Apostolica indulgente, talis manet. P. Vviest. *hic num.* 104. 4. Præposituræ omnes tum Cathedralis, tum Collegiatarum Ecclesiarum Civitatis, & Diœcesis Leodiensis; nam hæ electivæ sunt vigore Concordatorum, & Indultorum Eugenii IV. & aliorum Summorum Pont. quæ indulta confirmavit Urbanus VIII. *Constitutione*, incipit, *Clerum Leodiensem* edita *Cal. April.* 1626. modò intra 30. dies, à die vacationis numerandos, Electio fiat, & confirmatio petatur à S. Sede infra 6. menses à die Electionis computandos. Chokier *ad Reg.* 3. *num.* 16. Branden *num.* 2. *cit.* Nicolarts *dub.* 1. *cit.* §. 12. la Croix *l.* 4. *n.* 507. 5. Præposituræ, seu primæ Dignitates Ecclesiarum Bavariæ extra Civitates Episcopales, quæ vigore Juris, seu privilegii specialis conferuntur ad nominationem Serenissimorum 24

m Ducum, & Electorum illius Provinciæ. Verum Privilegia Ecclesiis istis concessa, ut bene advertit vex n.6. cit. intelligi debent procedere, modò non de, quàm ex Concordatis, talis Dignitas sit reservata Pontifici, uti foret in casibus suprà tactis.

uæritur 4. an præter Reservationes hactenus relatas dentur aliæ, & quantum istæ Germanos obligent.

Ad 1. affirmativè; sic enim 1. per Bullam S. Pii incipit *cum ex Apostolatus officio* reservantur Beneficia quæcumque propter Hæresis crimen vacantia. 2. per Bullam ejusdem Pii V. incipit *Romanum Pontificem* Beneficia vacantia propter crimen Simoniæ, & simoniacas resignationes, sive, ut loquuntur, Beneficia in confidentiam accepta. 3. Parochiæ non collatæ secundum formam Trid. *sess.* 24. *c.* 18. *de reform.* eodem Pont. per Bullam incipit *in conferendis*. 4. Beneficia resignata, quorum publicatio non, ut oportebat, facta in Ecclesia Beneficii, & Cathedrali præsente, culo juxta formam præscriptam à Gregorio XIII. in Bulla incipit *Humano vix judicio*. 5. Beneficia offendentis litigantes in Curia Romana, eorumque Advocatos, Judices & testes, sive litigetur circa causam profanam, sive circa Beneficialem, sive offensio fiat minis, sive verberibus, aut invasione juxta Constitutionem Alex. VI. incipit *In eminentia*. De quibus vide Chokier *ad Reg.* 1. 23. *vers.* 24. *Casus*, *& seq.* Engl *hic n.* 17. *vers. tertiò*, *& seqq.* Konig. *de conceß. Præb. n.* 24.

Ad 2. de hoc latè disputat Engl *n.* 18. & tandem inclinat in negativam: cui assentiuntur P. Konig *l. cit.* la Croix *l.* 4. *n.* 152. *vers. nec* 2. *obstat*, P. Schmier *p.* 2. *de reb. Eccl. c.* 3. *n.* 183. & videtur hoc sumi ex *Concordatis* §. *de cæteris* 5. ubi Pontifex Nicolaus V. diserte promisit, quòd extra casus ibidem expressos in mensibus Ordinariorum collationem impedire minimè velit, *Reservatione*, inquit, *aliave quavis dispositione*, *Authoritate nostra factis; vel faciendis*, *non obstantibus quibuscumque*. Additque *in fine cit.* §. Hanc constitutionem *duraturam deinceps*, *usque dum in futuro Concilio de consensu Nationis Germanicæ aliter fuerit ordinatum*: quod sanè circa prædictas Bullas haudquaquam factum fuisse constat. *Neque obstat*, quòd Pontifex, ut cuivis Legi à se sancitæ, ita etiam Concordatis derogare possit, ut *infra num.* 271. dicam; nam etsi hoc simpliciter verum sit, non tamen solet, nec censetur iisdem derogare velle, nisi expressè mentionem illorum faciat.

Ex his, quæ in Concordatis continentur, una adhuc referenda superest non quidem Beneficii, sed fructuum reservatio, per modum pensionis solvendæ Sedi Apostolicæ. Pensiones istæ *Annatæ* vocantur. Definiri possunt, quòd sint pensiones, sive certæ quantitates pecuniæ, quæ de Episcopatuum, aliarumque Dignitatum, & Beneficiorum Ecclesiasticorum vacantium fructibus primi anni, & ratione eorum Cameræ Apostolicæ solvuntur. Fagnan. *in c. Præterea* 1. *ne Prælat. vices & c. n.* 8. Leuren. *p.* 2. *for. Benef. q.* 601. *n.* 1. Wvex *Ariadn. p.* 1. *tab.* 17. *membr.* 2. *princ.* la Croix *l.* 4. *n.* 674. Pirh. *hic n.* 365. Wviest. *ibid. n.* 145. A Fagnan. *l. cit. n.* 9. quatuor distinguuntur.

247 *Prima*, quæ etiam propriè, & specificè *Annata* dicitur, est dimidia pars fructuum primi anni Cameræ Apostolicæ solvenda de Beneficiis inferioribus, & Regularibus, quæ à Papa non consistorialiter conferuntur, si eorum valor, sive reditus annuus 24. florenos auri de Camera, sive Ducatos excedat secundùm ejusdem taxam: quæ tamen ita moderata est, ut Germaniæ, & Hispaniæ Canonicatus omnes, etsi verus reditum valor ad 1000. Ducatos ascendat, in Camera tamen, non nisi 24. Ducatis æstimentur. Hinc ex illis Annatæ non solvuntur. Chokier *ad Reg.* 61. *n.* 21. Zypæus *l.* 1. *consult.* 6. Nicolarts *tit.* 2. *Dub. un.* §. 2. & hoc teste multoties est decisum à Rota: imò eo casu nihil omnino penditur, nisi quod pertinet ad Bullæ expeditionem. Wvagn. *ad Concord.* §. *placet similiter vers. de fructibus not.* 2. & *vers. quæ valorem not.* 1. Leuren. *p.* 2. *q.* 601. *n.* 3. & 4. Pirh. *hic n.* 365. *not.* 2. Wviest. *n.* 148.

248 *Secunda* species *in Concord.* §. *placet similiter* ab Italis *Communia Servitia* appellantur, quòd non, ut prior, integra, relinquatur Summo Pontifici, sed dimidium tantum ipsi, alterum dimidium Cardinalibus præsentibus obveniat, ut observat Fagn. *l. cit. n.* 11. *in fin.* Solvitur de Prælaturis *Consistorialibus*, sic dictis, quòd à Pontifice in Consistorio Cardinalium, rogatis eorum sententiis, conferantur. Tales in Germania nostra sunt Archiepiscopatus, Episcopatus, & aliæ Prælaturæ Principales tam Regulares, quàm Sæculares, Sedi Apostolicæ immediatè subjectæ, ut Campidunensis, Fuldensis, Elvacensis &c. Annatarum istarum nomine de Jure pendi debe-

rent fructus integri, qui primo anno ex Episcopatu, vel Prælatura hujusmodi percipiuntur, ex benignitate tamen Apostolica taxa in Libris Cameræ ita moderata est, ut quintam partem annuorum fructuum fere non excedat. Et quidem solvi hæc debet non tota in uno anno, sed dimidia primo, altera dimidia secundo. Et quando Prælatura bis eodem anno, aut sæpius vacat, non plures, sed una tantùm Annata solvenda est: nec onus solvendi ad successorem transit. Estque paratus Pontifex vi Concordatorum §. *placet similiter cit.* ad taxam hanc mitigandam, si appareat, quòd Beneficia aliqua excessivè taxata sint.

Tertia Annatarum Species vocantur *Servitia minuta*. Eo nomine veniunt portiones illæ, quæ secundum proportionem taxæ fructuum Episcopalium, vel Abbatialium inter certos Papæ Ministros, & Officiales distribuuntur. *Minuta* dicuntur, tum quia sunt minutæ partes Annatæ, tum quia dividuntur inter minores Ministros. Fagnan. *l. cit. n.* 12. 249

Quarta denique *Quindennia* appellantur. Sunt dimidia pars fructuum unius anni Cameræ Apostolicæ singulis 15. annis solvenda de Beneficiis quibusdam unitis, aut ex speciali privilegio liberatis à reservatione. Ejusmodi Quindennia hodie solvuntur de Præpositura Augustana, quòd cùm aliarum instar esset reservata, speciali Indulto Papæ, ut dictum est, *n.* 243. facta sit electiva. Fagn. *l. cit. num.* 13. Wvagn. *vers. de fructibus cit. not.* 3. Pirh. *hic n.* 365. *not.* 3. Wviest. *n.* 149.

Adversùs Annatarum istarum exactionem non solum Hæretici (quod mirum esse non debet) debacchati sunt semper, sed etiam ex Catholicis fuerunt quidam, qui earum tum antiquitatem, tum honestatem, & Justitiam cum Acephali Concilii Basileensis Patribus impugnarunt. 1. enim originem earum aliqui ipsorum tribuunt Joanni XXII. vel Bonifacio IX. 2. arguunt exactionem illarum criminis Simoniæ, quòd videatur Spirituale, aut Spirituali annexum dari pro pretio temporali. 3. addunt eandem repugnare Juri Divino, quo jubemur, quæ *gratis accepimus*, *gratis dare*, Matth. 10. *v.* 8. & Ecclesiæ Ministris, ac præcipuè ejusdem Prælaris præcipitur ab omni mali specie abstinere 1. *Thess. c.* 5. *v.* 21. 250

Sed his non obstantibus, indubitatum est, Annatarum solutionem, & exactionem non tantùm non inhonestam, sed etiam rationabilem, & omnino necessariam esse, ut fusè ostendit Fagn. *in c. præterea cit. à num.* 14. Card. Pallav. *Hist. Conc. Trid. l.* 2. *c.* 8. *n.* 4. Vagn. *ad Concord.* §. *placet* 4. *vers. de fructibus not.* 1. & *vers. quæ valorem not.* 2. Nam 1. per Annatas in inferioribus Prælatis conservatur memoria originis suarum Ecclesiarum, ac Dignitatum, eorumque erga Ecclesiam Romanam subjectio, & observantia debita. 2. Pontifex ad gubernationem universalis Ecclesiæ indiget assistentia Cardinalium, auxilio Officialium Curiæ Apostolicæ, & aliorum Ecclesiæ Ministrorum, ad quorum sustentationem Annatæ cedunt. 3. Papæ tanquam universalis omnium Patris est remunerari, & præmiare bene meritos de Rep. Christiana, & levare miserorum inopiam: in quorum finem cùm proprii reditus non sufficiant, meritò auxilium petit à subditis sibi Ecclesiis. 4. ad ipsum pertinet fidei propagatio inter infideles, conservatio inter Hæreticos, quod fieri sine maximis expensis nequit: quas utique Pontifex exigere à subditis sibi Ecclesiis eodem Jure, ut à Diœcesanis suis Episcopus subsidium Charitativum potest. 5. denique ad Sedem Pontificiam in publicis Ecclesiæ necessitatibus, præsertim quando bellum cum fidei Christianæ hostibus geritur, commune solet esse refugium, ad quas sublevandas Annatæ, & aliæ proventiones Pontificiæ serviunt, & applicantur, prout passim in Historiis occurrunt exempla, & nostra memoria fecit Beat. record. Innocentius XI. qui ad prosequendum ultimum bellum Turcicum Romanæ Ecclesiæ ærarium penè exhausit. 251

Ea, quibus Annatæ impugnantur, levis momenti sunt. *Ad* 1. longè antiquior Annatarum origo est, quàm ut à Joanne XXII. & Bonifacio IX. ortum duxerint; quod inde constat, quia, ut Fagn. *in c. cit. num.* 43. & Oicoiarts *ad Concord. tit.* 2. *dub. un.* §. 1. cum aliis attestantur, approbatæ sunt in Concilio Viennensi, quod illis Pontt. fuit longè antiquius. *Prima* Annatarum species *n.* 247. relata Bonifaciana quidem à dicto Pont. appellatur, non tamen, quasi ipse eam induxisset, sed quia cùm antea fructus primi anni peterentur integri, ipse instituit, ut dimidii solùm peterentur. *Ad* 2. in Annatis periculum Simoniæ est nullum; petuntur enim à Papa, & solvuntur ab inferioribus Prælatis non pro collatione, aut confirmatione in Beneficio vel Prælatura, sed in recognitionem supremæ, & universalis pore- 252

potestatis, quam Pontifex habet in Beneficia, quæ cum originem suam ipsi debeant, & cura Sedis Apostolicæ gubernentur, æquum est etiam, ut sustentationem tum ipsi, tum Ministris ejus necessariis præbeant: ad eum fere modum, quo in veteri Testamento Summo Sacerdoti à minoribus Sacerdotibus solvebantur Decimæ Decimarum. *Ad* 3. ex modò dictis patet gratis adhuc concedi Dignitates, & Beneficia Ecclesiastica; à mali specie Annatarum exactionem absolvit usus, & finis, in quem petuntur.

253 Quæritur. 5. quænam sit observantia Concordatorum quoad Reservationes in iis comprehensas? Ac 1. quidem *dubitatur*, an universim reservata sint Pontifici Beneficia, quæ per adeptionem Episcopatus, aut alterius Dignitatis, vel Beneficii, Papæ authoritate factam, vacant? Resp. negativè; patitur enim reservatio hæc suas exceptiones.

Et 1. quidem excipiuntur Beneficia, quæ vacant per assecutionem pacificam Dignitatis, vel alterius Beneficii Ecclesiastici virtute gratiæ expectativæ à Sede Apostolica obtentæ, & sortitæ effectum; talia enim, licèt *Extrav. ad Regimen cit.* reserventur, in Concordatis tamen Ordinariorum liberæ collationi relinquuntur §. *placet cit.*

254 2 Beneficia promotorum ad Episcopatus Titulares in partibus infidelium, quales in Germania nostra sunt eorum, qui Episcoporum vices in Pontificalibus agunt, & vulgò Suffraganei nominantur; quia horum Beneficia per promotionem ad hujusmodi Episcopatus non vacant, nec reservantur, cùm istorum possessionem, & administrationem non habeant. Chokier *ad Reg.* 1. *num.* 23. Pal. *tr.* 13. *D.* 2. *p.* 17. *n.* 3. *vers. quintò*, Nicolarts *ad Concord. tit.* 1. *dub.* 1. §. 24. Leuren. *p.* 2. *q.* 543. *num.* 11. Engl *hic n.* 16. *vers. unde Episcoporum*, Vviest. *hic n.* 94. la Croix *l.* 4. *num.* 510.

3 Promotorum ad unum ex quatuor Episcopatibus, Gurcensi, Chiemensi, Seccoviensi, & Lavantino, quos ex speciali Sedis Apostolicæ Indulto confert Archiepiscopus Valisburgensis; cum enim hi Episcopatus non conferantur immediatè à Pontifice, non comprehenduntur sub Dignitatibus à summa Sede collatis, conf. nec cum istis Pontifici reservantur. Engl *n.* 16. *cit. vers. non possum*, Vviest. *hic n.* 95. & novissimè Clariss. P. Schmier *p.* 2. *de reb. Eccl. cit.* 3. *n.* 168.

255 4 Promotorum vi Precum Primariarum Imperatoris; nam horum Beneficia, si quæ per talem promotionem vacarent, cùm promotio ista non dicatur facta immediatè authoritate Litterarum Apostolicarum, Pontifici reservata non essent, sed reciderent in manus Ordinarii Collatoris, potest alterius vi Precum dictarum obtenti adeptam pacificam & fructiferam possessionem, ut Jure jam veteri statutum erat *c. de multa* 28. *h. tit.* & *cap. si tibi* 26. *in* 6. Vvex. *p.* 1. *Ariadn. tab.* 17. *membr.* 1. *n.* 4.

5 Denique, prout volunt Pal. *tr.* 13. *D.* 2. *p.* 17. *n.* 3. Engl *hic n.* 16. *vers. notat verò*, Leur. *p.* 2. *q.* 543. *n.* 12. *n.* 96. Vvex *n.* 4. *cit.* Beneficia, quæ promoti ad Episcopatus authoritate Apostolica, ex Papæ dispensatione retinent, saltem si dispensatum sit ad perpetuò retinendum. Rationem dant 1. quia dispensatio ejusmodi vim novæ collationis habet: & sic reservatio, tamquam jam sortita effectum suum, exhauritur. 2. quia talia Beneficia possunt à promoto resignari: quod fieri non posset, si forent reservata. 3. quia Concordata tantùm loquuntur de Beneficiis vacantibus per promotionem. atqui talia Beneficia non vacant per promotionem. ergo &c.

256 Sed oppositum defendunt Simonett. Barbos. quos citat, & sequitur la Croix *l.* 4. *n.* 508. ex ratione, quia verba *Extrav. ad Regimen cit.* sunt generalia; ita enim habent: *Beneficia, quæ obtinebant tempore promotionis, nunc vacantia, & in ante vacatura*. igitur reservata censeri debent, quandocumque sunt vacatura. *Conf.* sententia hæc ex praxi Curiæ Romanæ; nam ex isto fundamento anno 1702. Papa contulit Canonicatum Episcopi Hildesiensis in Augusto mortui.

Contraria non difficilem solutionem inveniunt. *Ad* 1. dico, Papam non plenè disposuisse de illo Beneficio relicto; alioquin provisus deberet iterum solvere Annatas &c. conf. illud manebit reservatum, vel saltem affectum, donec plenè de eo disposuerit Pontifex. *Ad* 2. possunt quidem hæc Beneficia resignari, ut omnia alias reservata, sed non possunt, nisi apud Papam; hinc cùm Maximilianus Henricus Archiepiscopus Coloniensis ejusmodi Canonicatum resignasset in Mense Ordinarii, non permisit Papa, ut Turrarius illum conferret, sed ipse de eo providit, ut refert la Croix *l. cit.*

257 Dub. 2. an reservatæ sint Dignitates, & Beneficia vacantia per privationem ob crimen ipso Jure induct. Affirmant Flamin. *l.* 11. *de resign. q.* 8. *num.* 6. Branden *Concord. q.* 10. *n.* 8. Chokier *ad Reg.* 8. *gloss.* 7. *n.* 19. 18. ex ratione, quia hoc ipso, quòd in Curia con tum, & publicatum sit jus, seu Constitutio, priva nem delicti ipso facto annectens, privatio censeri de inducta per sententiam latam in Curia; atqui Benefic quibus privatus est Beneficiarius per privationem latam Curia, vacant in Curia, & sunt reservata dispositi Pontificis. ergo &c. Sed argumentum hoc nimi probat; probaret enim, quòd in Curia vacarent, & co reservata essent omnia Beneficia, quæ alterius incom tibilis assecutione, contractu Matrimoniali, Religio Professione, vita militari &c. amittuntur; nam eti horum privatio decreta est Jure Ecclesiastico, ut inc tur ipso Jure. sequela à Germaniæ nostræ DD. sens & Ecclesiarum usu, ac praxi aliena est. ergo &c.

Hinc melius Rebuff. *ad Regul. Cancell.* 24. *alias* 26. S monett. *de reservat. q.* 99. Laym. *in c. licèt* 2. *h. tit. in n.* 8. Vviest. *in Concord. num.* 23. Engl *hic n.* 23. Vvie *n.* 89. considerat, à quo lata sit sententia declaratoria cri minis inducentis privationem Beneficii; nam si lata à Papa vel ejus Curia vel ab aliquo per rescriptum Apost licum delegato, concedunt Beneficium ita vacans reser vatum esse Summo Pontifici, ut expresse patet ex Con cordatis, ubi disertè reservantur Beneficia vacatura pe depositionem, privationem &c. per Papam, vel autho ritate Papæ factam, vel faciendam. At si lata sit ab Ordinario, volunt collationem Beneficii sic vacantis pertinere ad Ordinarium; quia etsi Lex vacationem inducat, sententia declaratoria tamen illam consum mat, ita, ut ibi vacare dicatur Beneficium, ubi pro fertur sententia. Proceditque hoc; prout *citt.* DD. ex plicant, etsi sententia declaratoria criminis, v. g. Hæ reseos, ob quam juxta *Bullam Pii V.* incipit *Cùm ex Apostolatus editam* 1. *Febr.* 1566. ipso Jure vacante Beneficia, ab Ordinario prolata sit in mense Pontificio.

Dub. 3. an Cathedralis Ecclesiæ Decanus, aut Canonicus electus in Episcopum, antequam à Sede Apostolica confirmetur, Decanatum suum, vel Canonicatum resignare valeat in manibus Capituli, & hoc illum conferre; Negant Branden *ad Concord. q.* 2. *n.* 2. & *q.* 9. *num.* 4. Nicolarts *ibid. tit.* 1. *dub.* 1. §. 32. Chokier *ad Reg.* 24. *Cancell. n.* 24. Vvagn. *ibid.* §. *ad hujus*. Fundantur 1. *Extrav. ad Regimen*, & *Concord.* §. *placet citt.* ubi expresse reservantur Summæ Sedi Beneficia eorum, qui promoventur ad Ecclesias Cathedrales. atqui promotio jam inchoatur quodammodo per Electionem. ergo &c. 2. *Reg. Canc.* 24. declarantur irritæ hujusmodi Beneficiorum resignationes; ac provisiones ab Ordinariis factæ: quam Regulam secuta Rota in causa Præposituræ Paderbornensis pronuntiavit irritam esse provisionem, ex ratione, quod *Reg. cit.* cùm ad excludendas fraudes tendat, favorabilis sit, & declarativa *Extrav. ad Regimen* Concordatis comprehensæ. 3. *ratione*; quia per ejusmodi resignationes, & has secutas collationes apertè præjudicatur Sedi Apostolicæ; nam Electi tanquam de sua promotione moraliter certi ad Beneficiorum suorum resignationem facilè inducerentur ab iis, qui illa sibi desiderant, sicque jus conferendi Beneficia promotorum per Concordata Sedi Apostolicæ reservatum, fere omnino tolleretur.

Sed his non obstantibus, admodum probabile est, resignationes hasce valere. Ita Flamin. *l.* 3. *de resign. q.* 6. *n.* 90. Laym. *in c. licet* 2. *h. tit. in* 6. *n.* 9. Vveiss. *ad Concord. n.* 30. Engl *hic n.* 37. Vviest. *n.* 97. & *duob. seqq. Ratio est*; quia semper standum est pro valore actus, nisi probetur invalidus, non autem probatur resignatio ista invalida per Argumenta allata; nam 260

Ad 1. hoc ipso, quòd Promotio per Electionem solum inchoetur, Electo adhuc manet Jus Beneficia antè obtenta in manibus Superioris resignandi, & Ordinario resignata conferendi, cùm prohibitiones sint odiosæ, & vim non habeant nisi post actum in genere suo completum. *Ad* 2. Regulæ illi locus non est in Provinciis, in quibus vigent Concordata, cùm in his eæ dumtaxat Dignitates, & Beneficia reserventur, quæ comprehenduntur in Concordatis. In Rota decisum fuit, provisionem de Præpositura Paderbornensi esse irritam, ex ea potissimum ratione, quòd Præpositura Ecclesiæ Cathedralis, tanquam Dignitas prima post Pontificalem, saltem in Germania, in ipsis Concordatis Sedi Apostolicæ specialiter sit reservata. *Ad* 3. Electus ante Confirmationem Electionis pro se factæ resignans Decanatum prius obtentum suo jure utitur. igitur in fraudem Legis alicujus agere non videtur *arg. l. nullus* 55. *ff. de R. J.* præsertim cùm ea resignatio fieri queat in bonum Ecclesiæ, ut sc. postquam ad Palatium Episcopale transiit, & admini- 261

stra-

strationem accepit, alius sit, qui in Ecclesia Decani fungatur munere.

262 Dub. 4. an si Electus Confirmationem Electionis accepit adhuc Beneficia sua resignare in manus Capituli possit, quando nondum est consecratus, nec adeptus pacificam, ac fructuosam possessionem Episcopatus? Non desunt DD. qui affirmativam tenent ex ratione, quia ante adeptionem possessionis pacificam, & fructuosam Beneficia priùs obtenta non vacant *c. cùm in cunctis* 7. §. *cùm verò de Election.* Et *confirmatur* à paritate cum Episcopis Titularibus, quorum Beneficia per Apostolicam confirmationem non vacant, ex ea solùm ratione, quia Episcopatuum suorum, utpote in terris Infidelium sitorum, possessionem, & administrationem non obtinent.

263 Sed meliùs negativam defendunt Abb. *in* §. *cum verò cit. num.* 3. Azor *p.* 2. *l.* 7. *c.* 16. *q.* 12. Flamin. *l.* 2. *de resign. q.* 1. *n.* 77. Granut. *ad Simonett. q.* 27. *num.* 6. Barbos. *Alleg.* 57. *n.* 68. Vviest. *hic n.* 100. & alii ab his *citt.* Colligitur ex *Concordatis* §. *placet* 3. *vers. rursus*, & *Extrav. cit.* ubi Sedis Apostolicæ provisioni reservantur Beneficia, quæ promoti ad superiores Dignitates tempore promotionis obtinent, & per eam sunt vacatura. atqui Electus per confirmationem promovetur ad Episcopatum. ergo &c.

264 Neque obstat argumentum contrarium; nam etsi ad effectum, ut promotus Beneficia prius obtenta teneatur dimittere, exigatur, ut adietit pacificam possessionem Episcopatus, cum commodo saltem majoris partis fructuum, ipsa tamen Beneficia statim declarantur vacantia, & sola confirmato relinquitur possessio. *Ad Conf.* negatur paritas; quia Episcopi Titulares sperare possessionem Episcopatuum suorum nequeunt, ut proinde aliunde per retentionem beneficiorum priùs possessorum juvari debeant.

265 Quæritur 6. quæ sit vis Concordatorum? Et 1. quidem dubitatur, quinam memoratis Germaniæ Concordatis adstringantur? *Ratio dubitandi est*, quia Concordata hæc inter Pontificem, & Imperatorem, & nonnullos Principes Ecclesiasticos, & Sæculares tantùm, non verò inter Nationem Germanicam generaliter totam sunt inita, ut indicat clausula addita §. *de cæteris* 5. ubi Pontifex. *Ad finem*, inquit, *ut hæc Ordinatio --- possit per dictam Nationem publicari, & omnes, qui ea gaudere voluerint, tempus congruum habeant eam acceptandi, tunc quoad dictam* (Apostolicam) *Sedem à Calendis Junii proximè futuris ipsa currere incipiet &c.* ex quibus verbis videtur colligi, quòd Concordata hæc illos dumtaxat obligent, inter quos fuerint inita, & qui gaudere iisdem voluerint non verò omnes Imperii subditos, vel omnes Germanos.

66 Sed distinguendum est inter Subditos Imperii, qui Germanicæ, seu Alemannicæ Nationis nomine veniunt, & inter cæteros. *Hi posteriores*, ut Itali, & alii, qui non veniunt nomine Germanorum, etsi ditiones eorum, tanquam feuda ab Imperio Germanico dependeant, Concordatorum tamen ordinatione non comprehenduntur, ut bene advertunt P. Vviest. *hic n.* 62. P. Leuren. *p.* 2. *for. benef. q.* 591. *n.* 2. P. Vvex *Ariadn. p.* 1. *tab.* 17. *membr.* 2. *n.* 8. *Excipiuntur* Ecclesia Virdunensis, ut firmavit *Rota in Virdunensi Episcopatus* 11. *Nov.* 1593. Metensis *Rota in Metensi Eleemosynariæ* 17. *Dec.* 1612. & secundum aliquos Genuensis apud Gemin. *cons.* 56. Leur. *q. cit. n.* 1. la Croix *l.* 4. *n.* 505.

67 *Inter posteriores* iterum distinguendum est; nam illi, qui licèt Germanorum nomine veniant, tempore Concordatorum tamen, cum Imperio initorum, nihil cum eo commune habuerunt, pariter non adstringuuntur Concordatis. Proceditque hoc, sive, Concordata hæc pactionis, sive Legis rationem obtineant; nam pacta obstringunt solos paciscentes, Legibus soli subditi intra territorium Conditoris existentes. *Ex quo sequitur*, his Concordatis non obligari Provincias Belgii, utpote quæ de Imperio non sunt, neque unquam Concordata hæc acceptarunt, si exceperis Ecclesias Nivellensem, Cameracensem, Levvensem, & Thenensem, quæ nunc etiam, postquam ab Imperio avulsæ sunt, pristina privilegia retinent. Nicolarts *tit.* 3. *dub.* 1. §. 3. Leur. *l. cit. n.* 2. la Croix. *n.* 505. *cit.*

8 Cæteræ autem Nationis Germanicæ, & Imperio subjectæ Ecclesiæ omnes per se, & præcisò speciali privilegio, Concordatis obligantur, ut proinde in his provisiones beneficiorum Ecclesiasticorum secundùm eadem Concordata sint faciendæ. Branden. *ad Concor. q.* 3. *à n.* 5. Zypæus *Analys. de Instit. num.* 11. Nicolaus §. 3. *cit.* Vvex *tab.* 17. *cit. num.* 4. *Proœm.* Leur. *n.* 1. Vviest. *n.* 63. *Ratio est*, quia Concordata hæc non tantùm pactionis qualiscumque, sed etiam Ordinationis, & Legis tum Imperialis, tum Apostolicæ rationem habent, sicque hactenus teste Branden *n.* 5. *cit.* observata, & custodita sunt ab omnibus Ecclesiis, antequam aliquæ illarum ab Hæresi inficerentur. Ex quo sequitur, quòd ab omnibus, pro quibus sancita sunt, observari debeant, neque opus sit horum acceptatione, vel consensu, cùm etiam Leges cæteræ hoc non indigeant, ut dictum est *Libr.* 1. *tit.* 2. *n.* 29. Addidi *per se, & secluso speciali privilegio*; quale privilegium competere Leodiensi Ecclesiæ ob specialia Concordata ait Nicolarts §. 11. Herbilensi, & Bambergensi Zypæus *Consult.* 3. la Croix *n.* 505. *cit.* Vviest. *hic n.* 64.

269 Ex quo soluta manet ratio dubitandi. *Neque obstat* ibidem citata clausula de acceptatione; nam hæc solùm intelligenda sunt de iis, qui, etsi Germanicæ Nationis venirent nomine Imperii tamen Superioritatem, quod Jura Regia possiderent, illorum initorum tempora non recognoscebant, ut Bohemiæ Rex, Archidux Austriæ, & similes. Leoninus *Consil.* 50. Zypæus *Consult.* 3. Nicolarts §. 11. Vviest. *n.* 63. *in fin.* Neque vis hæc Concordatorum exspirat, vacante Sede Apostolica, cùm disertè exprimatur in iisdem, dum asserunt suæ Ordinationis observantiam duraturam deinceps, nisi eam in futuro Concilio de ipsius Nationis Germanicæ consensu contingat immutari. Ex quo sequitur, Germaniæ Ordinarios, etiam Sede Apostolica vacante, Beneficia huic reservata non posse conferre, nisi Romæ intra trimestre provisio facta non fuerit.

270 Dub. 2. an Concordatis derogari, vel contraveniri ab alterutra Concordantium parte possit? *Ratio dubitandi* est 1. quia Concordata hæc, ut ipsum nomen indicat, habent rationem pactionis publicæ utrinque acceptatæ, & contractus ab utraque parte inviolabiliter observandi, atqui ad pactionum, præsertim publicarum, observantiam Principes non minùs, quàm subditi, & quidem Lege naturali adstringuntur, ex causa, quia, ut pronuntiatum est Bald. *in cap.* 1. *de natur. Feud. DEUS Principi quidem Leges, non etiam pactiones, & contractus subjecit.* 2. in ipsis Concordatis §. *de cæteris* Pontifex disertè promisit, *se per quamvis dispositionem, sub quacumque verborum forma -- factam, vel faciendam non impediturum Ordinariorum, aliorumque Collatorum provisiones*, atqui etiam Papa tenetur promissis suis stare, ergo nec Papa derogare Concordatis potest. 3. *eodem* §. *de cæteris*, & §. *placet similiter* de alternativa collatione, & observantia Concordatorum subdit Pontifex, *eam duraturam deinceps, nisi in futuro Concilio de ipsius Nationis Germanicæ consensu aliter fuerit ordinatum.* ergo sine consensu dictæ Nationis immutare aliquid nec Papa potest.

271 Sed dicendum, Summum Pont. etsi non facilè id facturus sit, de plenitudine tamen potestatis suæ, justa causa hoc exigente, contravenire Concordatis posse. Ita Mandos. *ad Reg.* 2. *q.* 2. Gonzal. *ad Reg.* 8. *gloss.* 24. *n.* 26. Chokier *ibid. gloss.* 11. *n.* 21. Simonett. *de Reservat. q.* 1. *n.* 5. & *q.* 99. *n.* 23. Vvames *consil.* 225. *num.* 3. & *seqq.* Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 10. *n.* 3. Branden *ad Concord. q.* 8. *n.* 1. Nicolarts *ibid. tit.* 3. *dub.* 3. §. 5. Vagn. *ad ead. Concord.* §. *in aliis not.* 1. & 2. Leur. *p.* 2. *q.* 595. Vvex *p.* 1. *tab.* 17. *membr.* 2. *n.* 8. & 9. Konig *de concess. Præb. n.* 24. *in fin.* Pirh. *hic n.* 366. Vviest. *n.* 67. & novissimè Clariss. P. Schmier *p.* 2. *de reb. Eccl. n.* 188. & 189. & colligitur ex ipsis Concordatis §. *item placet*, ubi Pontifex promisit, se confirmaturum Electiones Archiepiscoporum & Episcoporum, si Canonicæ fuerint, addita clausula, *Nisi ex rationabili, & evidenti causa --- de digniori, & utiliori persona duxerimus providendum. Ratio est* 1. quia Pontifex potestatem disponendi de Beneficiis, cæterisque Juribus Ecclesiasticis à Christo Domino immediatè accepit, quam proin, nisi Papatui renuntiando, abdicare, aut alii communicare non potest, quin semper penes se majorem retineat. 2. quia quomodocumque paciscatur Papa, maximè cum sibi subdito, semper includitur hæc conditio, *nisi occurrat causa gravis extraordinaria, ob quam aliud postulet commune bonum Ecclesiæ*, in ordine ad quod Concordata sunt facta; medium enim definit esse medium, & negligi debet, quando obstat fini intento. 3. quia hæc Concordata, licèt habeant aliquam vim pacti, ut fatetur Julius III. apud Nicolarts, tamen magis sunt privilegium Papale, ut teste Nicolarts §. 6. comprobavit Rota *Leodiensi Canonicatus* 15. *Mart.* 1610. & ratio est: tum quia Spiritualia sub contractum propriè dictum, & commercium non veniunt; tum quia per hæc Concordata Papa de Jure suo potiùs aliquid remisit, vel potiùs communicavit, quàm acquisivit.

272 Addidi in Responsione, *Etsi non facilè id facturus sit*: quod perspicuè declaravit Paulus V. *Constit.* incipit *Ex Pastorali edita* 5. *Cal. April.* 1613. ubi ait, nec suæ unquam mentis, nec Prædecessoris sui fuisse Concordatis derogare: ac propterea decernit, Litteras à Prædecessore suo, in ipsorum præjudicium obtentas, pro ob - vel subreptitiis habendas. Idem constat ex *Constit. Gregorii XIII.* edita

edita 6. Jun. 1572. ubi laudatus Pontifex ait, se, sub quacumque verborum formula scripserit, Concordata lædere nolle. *Ex quo* sequitur, non censendum, quòd Pontifex derogare Concordatis velit per quantumcumque, etiam generales, & amplas clausulas, nisi expressam, & specificam eorum mentionem fecerit. Lotter *l. 2. q. 28. n. 69.* Zypæus *respons. Can. 1. num. 9.* Leur. *p. 2. q. 595. n. 4.* Engl *hic n. 54.* & alii *supra*.

273 Argumenta in contrarium non sunt efficacia. *Ad 1.* etiam Princeps supremus derogare potest pactionibus, saltem, quas cum subditis suis iniit, si id exigat gravissima causa boni publici, ut cum aliis supra allegatis advertit Nicolarts *l. cit. §. 7. & 8.* *Ad 2.* patet ex *Prob. 3.* Et hinc rectè notat Leur. *q. cit. num. 1.* discrimen faciendum inter casum, quo Princeps Laicus concedit privilegium aliquod Ecclesiæ, & inter casum, quo Pontifex Principi Laico: Princeps Laicus, si quod privilegium concedit Ecclesiæ, concedit Superiori, & non subdito: & ideo manet irrevocabile per ejus potestatem. At Pontifex, dum Prncipi Laico privilegium dat, dat subdito sibi in Spiritualibus; proin datum revocabile semper manet, si ita postulet bonum commune Ecclesiæ. *Ad 3.* verba illa Concordatorum implicant conditionem, quam in pactis Pontificiis includi dictum est. *Prob. 2.*

274 Dub. 3. an Concordatis per contrariam consuetudinem, vel præscriptionem derogari possit? Negativam defendunt Branden *ad Concordat. q. 2. n. 4.* Nicolarts *ibid. tit. 3. dub. 2. §. 3.* Gonzal. *gloss. 35. n. 21. & seqq.* Leur. *p. 2. q. 593. per totam*, Pith. *hic n. 363.* *Nituntur* 1. quia usus, & observantia universalis apud omnes ferè Ecclesias Germaniæ impedit particularem præscriptionem ex vi inseparabilis connexitatis, quam habent inter se partes, & totum. 2. quia jus publicæ utilitatis, unionis, & tranquillitatis, quæsitum ex Concordatis toti Imperio, non potest ullis subditorum factis, vel usibus immutari, vel tolli, tam parum, quàm parum Clerici possunt se abdicare privilegio Clericali. 3. quia generatim præscriptio, & consuetudo reservationibus Apostolicis derogare non possunt. 4. quia constanter ita judicatur in Curia Romana, secundum Decretum Gregorii XIII. apud Nicolarts §. 25. 5. quia Concordatis appositum est Decretum, seu clausula irritans, *siquid secus à quoquam quavis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.* sed Decretum, irritans inficit titulum, & possessionem, sine qua præscriptio non potest currere. ergo &c. 6. quia consuetudo exigit consensum Legislatoris. Papa autem non consentit in consuetudinem Concordatis contrariam, prout patet tum ex ipsis Concordatis, ubi Pontifex disertè asserit ea perpetuò duratura, nisi in futuro Concilio aliter fuerit ordinatum; tum quia Concordatorum observantiam constanter urgent Summi Pontt. & Impp. nec admittunt exceptiones non usus eorundem, vel usus contrarii. 7. ex *Bulla Clem. VII.* incipit *Admonet edita Cal. Jul.* 1534. & habetur apud Nicolarts *tit. 3. dub. 2.* ubi laudatus Pontifex motu proprio, & de Apostolicæ Potestatis plenitudine declarat, *quascumque collationes, & alias dispositiones --- citra, vel contra tenorem, & formam Concordatorum quomodolibet factas, & imposterum faciendas --- nullum titulum, aut colorem ipsa Beneficia possidendi tribuisse, aut in futurum tribuere, sed* sic promotos *pro malæ fidei possessoribus, & mere intrusis ab omnibus habendos* --- ita, ut ipsis neque *Regulæ de annali, vel triennali possessione*, nec exceptio de Concordatis non receptis prosint. 8. Similia habentur *in Const. Innocentii X.* incipit: *Zelo Domus Dei edita 26. Nov.* 1648. ubi statuitur *omnia, quæ contra Concordata statuta fuerint, irrita, viribusque, & effectu vacua fuisse, & perpetuò fore, eisque præscribendi causam, longissimo, & immemoriali tempore non acquiri.*

275 Hæc sententia admodum probabilis est; sed non minus probabilis est affirmativa, quam tenet Zypæus *l. 3. consult. 3. num. 38. h. tit.* & inclinat Engl *hic num. 54.* Vviest. *num. 71.* la Croix *l. 4. num. 20.* si consuetudo illa, vel præscriptio sit temporis, cujus initii non extat memoria. *Fundantur* 1. quia ejusmodi præscriptio, vel consuetudo Concordatis derogans nullo Jure expresse reprobatur. 2. Quia Concordatis derogari potest indulto, seu privilegio Apostolico, & hoc defacto iisdem derogatum est per primas Preces Imperatoris, & per Indultum à Sixto IV. Universitati Lovaniensi concessum, quo multis annis nominare poterat ad Beneficia tam mense Papali, quàm Ordinarii. Atqui illa, quæ privilegio obtineri possunt, acquiri possunt etiam consuetudine, vel præscriptione immemoriali, si huic jus non resistat, & præscribens possessionis capax sit *arg. c. super 26. vers. præterea de V. S. l. hoc Jure 3. §. ductus aquæ 4. ff. de aqu. quotid. & æstiv.* 3. Quia tali præscriptione defacto Domus Bavarica acquisivit jus nominandi, seu potiùs præsentandi Clericos ad Dignitates, & Beneficia in utraque sua Provincia, si vacaverint mense Apostolico, extra Cathedrales Ecclesias, & Civitates Episcopales, ut patet ex Recessu Concordatorum, initorum Anno 1583. inter dictam Serenissimam Domum, & Ordinarios, quibus Bavaria subjecta est *cap. 4. vers. das Jus mit Päbstliicher Heiligkeit Monath, so Ihr Durchleucht præscriberet.* 4. Quia per Concordata Germaniæ, reservantur Papæ etiam Curata in mensibus Pontificiis vacantia, ut docent Laym. *l. 4. tr. 2. c. 10. n. 3.* Pirh. *hic n. 362.* & indubitatum esse asserit Nicolarts *tit. 1. dub. 6. §. 1. & 5.* de quo *infra n. 302.* & tamen passim providentur ab aliis in hisce partibus, etiam sine concursu. 5. Quia durum videtur damnare tanquam invalidas omnes provisiones in Germania factas contra Concordata.

Dixi autem, *Si consuetudo, vel præscriptio ista immemorialis sit;* nam Ordinariæ consuetudini, & præscriptioni probabilius vis alia quoad Concordata non competit, quàm ea interpretandi: quod locum habet, quando Concordatorum tenor est dubius; nam eo casu permissum censebitur, quod ita usu receptum est, cùm Juris dubii optima interpres sit consuetudo *c. cum dilectus 8. de consuet.*

Neque Argumenta in contrarium opposita talia sunt, 276
ut iis responderi nequeat. *Ad 1.* sæpe aliqua universalem Ecclesiam obligant, contra quæ particularium Ecclesiarum consuetudo præscripsit; sic enim Hispani die Sabbathi comedunt intestina, Belgæ Sabbathis inter Nativitatem Domini, & Purificationem vescuntur carnibus &c. *Ad 2.* non minùs Leges ad utilitatem publicam inductæ sunt, & tamen iis per consuetudinem derogari potest. Ad id, quod additur de privilegio Clericali, negatur paritas; nam consuetudo huic derogans præjudicat Dignitati Clericali, non autem Papæ Dignitati præjudicat consuetudo derogans Concordatis. *Ad 3.* ut aliis Legibus Ecclesiasticis derogari potest, ita etiam Reservationibus Apostolicis. *Ad 4.* Curia Romana sic judicans præsumit non adesse omnia ad consuetudinem requisita. *Ad 5.* clausula irritans tantum addita est Lege humana, adversùs quam omnem prævalere consuetudo contraria potest. *Ad 6.* sufficit consensus Legalis, quo universim Pontifex probat consuetudines, & præscriptiones instructas omnibus requisitis; nullum autem requisitum consuetudini huic, vel præscriptioni deest. *Ad 7.* Clementina illa Constitutio solùm resistit consuetudini, vel præscriptioni, quæ fundata est in non usu contrario minoris temporis, quàm sit longissimum, & immemoriale, ut notat P. Vviest. *hic n. 71.* *Ad 8.* Innocentiana hæc Constitutio solum impetit statuta, quæ facta sunt adversus Concordata. Atqui patet Statuta longè minorem habere vim derogandi Juri Ecclesiastico, quam consuetudo, imò nullam.

§. VII.

De Alternativa Collatione Beneficiorum.

SUMMARIUM.

Quan-

319 *Quando incipiat trimestre Pontifici competens ad*
conferendum Beneficium vacans mense Papali?
320 *Quomodo menses hi numerandi?*
321 *An trimestre hoc Ordinariis currat etiam vacante*
Sede?
322 *An post illud lapsum locus sit collationi Ordinarii,*
quando collatio à Papa facta invalida est?
323 *An Germaniæ Ordinarii exspectare debeant trime-*
stre ad conferenda Beneficia, quæ vacant in
Curia?

277 QUæritur 1. quæ, seu qualis sit hæc gratia Alter-
nativæ? Resp. cum antea quatuor solùm menses
relicti fuissent Ordinariis collatoribus, videlicet Mar-
tius, Junius, September, December, per hanc Alter-
nativam conceduntur sex, iique alternatim, ita, ut
primus semper mensis à Januario inchoando sit Papa-
lis, alter Ordinarii. Conceditur gratia hæc Germaniæ
Ordinariis absolutè per *Concordat.* §. *cæteris*, reliquis
extra Germaniam per *Reg. IX. Cancell.* olim *VIII.* sub
conditione residentiæ.
Ut Regulæ hujus favore Beneficii Collator Ordina-
rius extra Germaniam gaudeat, requiritur 1. Ut sit
Episcopus, Archiepiscopus, vel Patriarcha; nam hi
tantùm exprimuntur in Regula cum particula exclusi-
va *duntaxat*, utpote quæ, ut cum Palao notat Leu-
ren. *part.* 2. *quæst.* 570. *num.* 1. non solùm ad residen-
tiam, sed potiùs ad personas, quibus gratia hæc sub
onere residendi conceditur, referri debet. *Ex quo se-*
quitur gratiam istam non competere aliis Collatoribus
Episcopo inferioribus, qui ex privilegio, vel consue-
tudine jus aliqua Beneficia conferendi habent Leuren.
numer. 2.
278 2 Ut Episcopus per litteras patentes, subscriptas pro-
pria sua manu, & proprio acceptantis sigillo muni-
tas (quod utrumque in Civitate Episcopali, vel Diœ-
cesi propria Episcopi acceptantis fieri debet) gratiam
Alternativæ acceptarit, & litteras has Romam trans-
miserit ad Datarium, qui, ubi illas recognoverit, an-
notat, & de hac recognitione sua autographo, vel
subscriptione fidem facit. Hæc omnia ad formam sub-
stantialem pertinent, non expeditio litterarum super
concessione gratiæ alternativæ ad Episcopum acceptan-
tem, cùm hodie per ipsam Regulam allegatam, tan-
quam Legem generalem, hæc gratia concedatur. Leur.
quæst. 574. *per totam.*
279 3 Ut in Diœcesi sua resideat personaliter: neque
hìc juvat ulla causa etiam justissima absentiæ, ne qui-
dem si extra Diœcesim deserviat Sedi Apostolicæ, ut
notant Garc. *p.* 5. *de Benef. cap.* 1. *num.* 466. *& seqq.*
Gonzal. *ad Reg.* 8. *gloss.* 43. *à num.* 1. Pal. *tract.* 13. *D.*
2. *part.* 23. §. 2. *num.* 3. Leuren. *quæst.* 572. *num.* 1. & pa-
ter ex tenore regulæ; nam gratiam alternativæ solùm
concedit, *quamdiu residentiam fecerint verè, & perso-*
naliter: quibus verbis excluditur omnis residentia fi-
cta. *Proceditque hoc* 1. etsi ex justa causa tantùm ab-
fuisset ad duos dies; nam si interea vacet Beneficium
in mense suo, non potest illud vi alternativæ confer-
re, quamvis toto illo reliquo mense adfuisset; quia
requiritur residentia actualis pro tunc, quando Bene-
ficium vacare incipit, prout cum aliis notat la Croix
l. 4. *num.* 477. & hoc teste Rota. *Procedit.* 2. etsi resi-
deat extra Diœcesin in loco etiam vicinissimo, &
citò sit reversurus; quia particula *apud*, qua utitur Re-
gula, non significat hìc *prope*, sed *in* vel *intra Diœ-*
cesim. Barbos. *alleg.* 53. *num.* 54. Pal. §. 2. *cit. num.* 2.
Leuren. *num.* 8. la Croix *num.* 478. Imò ut contra *Gonz.*
& *Corrad.* existimat Garc. *num.* 704. & Pal. *numer.* 10.
non sufficit, si sit in loco exempto intra Diœcesin,
nisi ibi esset ad exercendam Jurisdictionem extraordi-
nariam. *Procedit* 3. etsi impossibilis ei esset residen-
tia; quia absentia talis jam sufficeret, quo minùs frua-
tur alternativa, Episcopis concessa tantùm sub condi-
tione residentiæ personalis, & actualis, ut contra
Gonz. advertunt Garc. *num.* 469. Pal. *numer.* 3. Leuren.
num. 2.
280 Cessat Alternativa per *Regul. alleg.* concessa 1. Per
translationem Episcopi ad alium Episcopatum; nam
si ita translatus etiam pro isto Episcopatu uti alterna-
tiva velit, debet illam pro eo Episcopatu acceptare de
novo, cùm prior acceptatio tantum fuerit pro Epi-
scopatu dimisso. Gonzal. *gloss.* 58. *num.* 21. Pal. *p.* 22.
cit. §. 5. *num.* 1. Card. de Luca *de Benef. disc.* 93. *à n.*
22. Leuren. *quæst.* 583. *num.* 1.
2 Per mortem Bapæ; quia hujus morte cessant Re-
gulæ Cancellariæ, & Jus Ordinariorum revertitur ad
terminos Juris communis. Garc. *part.* 5. *cap.* 1. *numer.*
643. Pal. §. 5. *cit. num.* 2. Card. de Luca *de Benef. disc.*
16. *num.* 8. & *disc.* 31. *num.* 4. *&* 5. Leuren. *quæst.* 583.
num. 2. Et idem est, si Papa renuntiaret Papatui; quia
sic renuntians quoad hoc habetur pro mortuo, &
mors Civilis æquiparatur morti naturali. Leuren. *nu-*
mer. 2. *cit.* & apud ipsum Æneas de Falcon. Flamin.
Mandos.
3 Per mortem Episcopi Alternativam acceptantis; 281
quia acceptatio ipsius est quidam personalis contractus,
& obligatio inter Papam & Episcopum mutua; cons.
alterutro exspirante, extinguitur, neque transit ad Suc-
cessorem. Gonzal. *gloss.* 48. *num.* 17. Chokier *gloss.* 21.
num. 1. Pal. *num.* 2. *cit.* Card. de Luca *dis.* 93. *num.* 21.
Leuren. *num.* 2. *cit.* Idem est, si renuntiet Episcopatui,
& renuntiatio sit acceptata à Papa. la Croix *l.* 4. *n.* 48.
cum *citt.*
4 Si Episcopus se intromiserit in provisionem Bene-
ficiorum, quæ per hanc Regulam, vel aliàs Sedi Apo-
stolicæ reservata, vel affecta sunt, aut eorum provi-
sioni, ne debitum effectum consequatur, impedimen-
tum quoquo modo præstiterit. Ita habet *Reg. cit.* No-
tant tamen *Gonz. Garc.* & alii, Alternativam non
amitti, si Episcopus ex ignorantia probabili provideat
Beneficia reservata; quia pœna amissionis supponit
gravem culpam.
Quæritur 2. quænam Beneficia per *Reg. IX.* & *Con-* 282
cord. §. *de cæteris citt.* Alternativæ subjecta sint? Resp.
huic subjecta esse generatim Beneficia omnia, non
aliunde Sedi Apostolicæ reservata, vel excepta. Patet
ex textu; nam *in Reg. IX. cit.* Pontifex utitur terminis
generalibus, *Omnia Beneficia Ecclesiastica, cum cura,*
& sine cura -- qualitercunque qualificata, & ubicunque
existentia -- extra Rom. Curiam, aliàs, quàm per resi-
gnationem, quocunque modo vacatura. In Concordatis
verò de eadem Alternativa loquens §. *de cæteris cit.* sic
orditur: *De cæteris verò Dignitatibus, & Beneficiis*
quibuscunque sæcularibus, & regularibus vacaturis, --
placet etiam nobis &c.
Proceditque hoc 1. quocunque modo Beneficium va- 283
cet, excepta vacatione in Curia, & per resignatio-
nem, dummodo ipsum Beneficium verè vacet tali men-
se, quod fit, si is, ad quem idem pertinebat, habuit
jus in re quoad illud Beneficium, etiamsi ejus posses-
sionem nondum accepisset. Barbos. *alleg.* 57. *num.* 198.
Aliud foret, si tantùm habuit jus ad rem per electio-
nem, vel præsentationem; nam si iste moriatur men-
se Papali, antecessor verò mortuus fuit mense Ordi-
narii, collatio pertinebit ab Ordinarium, ut bene
Barbos. *num.* 197. & clara est ratio, quia cùm per ele-
ctionem, & præsentationem &c. non acquiratur jus
perfectum, nondum extincta dicitur prior vacatio, sed
adhùc vacat, ut priùs.
Procedit 2. etsi fundatio Beneficii tali pacto fieret, 284
ut collatio ejus in quovis mense Ordinario reserve-
tur, excluso Summo Pontifice; quia efficacia Legis
impediri non potest. Gonzal. *gloss.* 21. *num.* 39. Garc.
part. 5. *cap.* 1. *numer.* 620. Barbos. *alleg.* 57. *cit. in fin.*
Pal. *part.* 22. §. 3. *num.* 8. Hinc hujusmodi conditiones
in fundationibus adjectæ minimè attendi debent, sed
tanquam substantiæ Beneficii repugnantes reprobari:
& ratio est, quia cùm Papa ex vi primæ Jurisdictio-
nis, & potestatis disponendi de Beneficiis à Christo
acceptæ sit supremus, & universalis omnium Benefi-
ciorum in Urbe, & Orbe collator, ab hac ejus pote-
state, utpote quæ nullis Legibus, aut Regulis coarcta-
tur, nullum Beneficium potest eximi: Nicolarts *ad*
Concord. tit. 1. *dub.* 4. §. 5. *& ibi citt.*
Neque obstat, quòd quivis sit rerum suarum mode- 285
rator, & arbiter *l. in re mandata* 21. *Cod. mandati:*
quia hoc verum est, nisi desuper aliud quid Jus sta-
tuerit; nemo enim facere potest, quin Jura desuper
statuta locum habeant *l. nemo* 55. *ff. de legat.* 1. &
cap. requisivisti 15. *de testam.* ibi, *Privata dispositio te-*
statoris non potest generalem constitutionem Canonis im-
mutare.
Dixi autem in responsione, *Non aliunde Sedi Apo-*
stolicæ reservata, vel excepta; nam Beneficia Sedi A-
postolicæ reservata, quocunque mense vacent, ad Papæ
collationem spectant; excepta verò ad Ordinarios, vel
alios collatores. Hinc
Dubium 1. est, quænam Beneficia excepta sint, ita, 286
ut in aliis Alternativa non habeat locum, sed quovis
mense ab Ordinario loci, vel aliis Collatoribus con-
ferri possint? Resp. talia sunt
1 *Beneficia Manualia*, & *Vicariæ temporales*; quia
Pontifex sibi reservat tantùm, quæ propriè, & strictè
dicta sunt Beneficia. Garc. *part.* 5. *cap.* 1. *numer.* 510.
Laym. *l.* 4. *tract.* 2. *cap.* 11. *num.* 1. *vers. porro*, Chokier
ad Reg. 8. *gloss.* 8. *num.* 7. *&* 15. Barbos. *alleg.* 57. *n.* 146.
& 122.

& 122. Pal. *tract.* 13. *D.* 2. *part.* 22. §. 1. *num.* 1. Pirh. *hic num.* 354. Vvieft. *num.* 129. Secus de Vicariis perpetuis, quæ dantur in titulum; nam hæ cùm verè Beneficia fint, fub alternativam intrant. Barbof. *numer.* 147.

2 *Beneficia Ecclesiæ non numeratæ*, feu certum numerum Canonicorum non habentis, fi talia fint, quæ non debeant fuppleri neceffariò; quia refervationi, & alternationi folùm obnoxia funt Beneficia vacantia, aut vacatura. Ifta autem mortuo Beneficiato non vacant propriè, fed cum eo exfpirant. Gonz. *ad Reg.* 8. *gloff.* 9. §. 3. *num.* 9. & *feqq.* Chokier *ibid. gloff.* 4. *num.* 8. Barbof. *l. cit. num.* 179. Pal. *num.* 7. Pirh. *n.* 354. Vvieft. *num.* 130.

287 3 *Beneficia incorporata.* Menfæ Epifcopali, Capitulari, Abbatiali, vel alteri cuipiam Dignitati, aut Beneficio accefforiè unita; quia etiam ipfa non vacant propriè, fed per hujufmodi unionem extinguuntur. Secus, fi unita effent alteri æquè principaliter; nam tunc, cùm nec nomen, nec titulum, nec effectum Beneficii perdant, non eft ratio; quare non comprehendantur fub alternativa. Gonz. *gloff.* 5. §. 7. *num.* 39. & 112. Chokier *gloff.* 1. *à num.* 16. Barbof. *num.* 155. & 158. Pirh. *num.* 354. Vvieft. *num.* 131.

4 *Prælaturæ*, & *Prioratus Regulares* Ordinum Mendicantium, Beneficia Regularia Ordinum Militarium, & Canonicatus Magiftrales, vel Doctorales; quia primi non funt perpetui; fecunda fpecialiter excipiuntur in *Reg.* 3. *Cancell.* ultimi conferendi funt per concurfum. Chokier *gloff.* 3. *num.* 5. & *gloff.* 4. *num.* 7. Barbof. *num.* 175. Leur. *p.* 2. *quæft.* 556. *num.* 5. & 8.

288 5 *Coadjutoriæ*, etiam cum jure fucceffionis; quia non funt Beneficia, nec morte talem Coadjutoriam obtinentis vacant, fed ceffant. Chokier *gloff.* 1. *n.* 21. Barbof. *num.* 156. Vvieft. *num.* 132.

6 *Commendæ* etiam perpetuæ, feu ad vitam Commendatarii. Gonzal. *gloff.* 5. §. 8. *à num.* 34. Chokier *gloff.* 1. *cit. num.* 20. Barbof. *num.* 154.

7 *Penfiones* ex alieni Beneficii fructibus alicui affignatæ; quia funt quid temporale, & à Beneficio feparatum. Chokier *l. cit. num.* 10. & *feqq.* Barbof. *numer.* 150. *Excipitur*, nifi penfio, feu jus percipiendi partem fructuum alicui Ecclefiæ, vel Beneficio detractam fit perpetuum; nam tunc haberet rationem Beneficii.

289 8 *Altaria, Oratoria,* & *Capellaniæ*, fi abfque Superioris Ecclefiaftici authoritate fundatæ fint; quia non funt Beneficia Ecclefiaftica, fed funt fub pia difpofitione Fundatoris, hæredumque illius, vel Succefforum; qui poffunt tales Capellanias donare fine Epifcopo, quibus voluerint, modò juxta intentionem Fundatoris idonei fint. Chokier *l. cit. num.* 2. Barbof. *num.* 142.

9 *Beneficia patronata*: fed cùm Jus Patronatus, ut fuo loco dicam, triplex fit, Ecclefiafticum, Laicale, & Mixtum, hinc ulteriùs

290 Dub. 2. quænam Beneficia patronata non cadant fub Alternativam? *Certum eft* 1. fub Alternativam cadere Beneficia Patronatus Ecclefiaftici; quia ex communi DD. hæc nulla gaudent prærogativa, & termini Regulæ, ac Concordatorum funt generales. *Certum eft* 2. eidem non fubjacere Beneficia Juris Patronatus Laicorum, fi hoc jus ipfi quæfitum fit fundatione, conftructione, vel dotatione; nam juri ifti ob fpecialem favorem Laicis indultum, ut ftudium illorum ad pias fundationes faciendas excitetur, non cenfetur derogari fine fpeciali mentione ejufdem, quam tamen nec Regula *cit.* nec Germaniæ Concordata faciunt. Garc. *part.* 5. *cap.* 1. *num.* 571. Chokier *gloff.* 1. *citat. num.* 3. & *gloff. per totum*, Nicolarts *ad Concord. tit.* 1. *dub.* 5. §. 8. Barbof. *alleg.* 57. *num.* 25. & *feqq.* Van Efpen *J. E. U. p.* 2. *tit.* 23. *cap.* 5. *num.* 22. Vvex *Ariadn. p.* 1. *tab.* 17. *membr.* 1. §. 2. *not.* 3.

291 Difficultas moveri poteft de Beneficiis Patronatus mixti, feu partim Laicalis, partim Ecclefiaftici; nam graves quidam DD. putant ea effe Alternativæ fubjecta *arg. cap. quod in dubiis* 3. *de confecr. Eccl.* quia fc. magis dignum ad fe trahit id, quod eft minùs dignum. Sed Jus Patronatus Ecclefiafticum eft magis dignum, quàm Jus Patronatus Laicale. Ergo &c.

Sed rectius etiam iftud ab hac refervatione eximitur. Ita Azor. *p.* 2. *l.* 6. *cap.* 36. *quæft.* 7. *verf. quæres*, Garc. *p.* 5. *cap.* 1. *num.* 582. Vvamef. *tom.* 1. *conf.* 255. *num.* 15. Gonz. *ad Reg.* 8. *gloff.* 18. *numer.* 12. Chokier *ibid. gloff.* 1. *num.* 3. Piafec. *prax. Epifc. p.* 2. *cap.* 5. *art.* 1. *num.* 40. Leff. *l.* 2. *de Juft. cap.* 34. *num.* 40. Barbof. *alleg.* 57. *num.* 27. 144. & 257. Van-Efpen *p.* 2. *tit.* 23. *cap.* 5. *num.* 24. Vvex. *Ariadn. p.* 1. *tab.* 17. *membr.* 1. §. 2. *not.* 3. la Croix *l.* 4. *num.* 516. Pirh. *hic numer.* 324. Vvieft. *num.* 134. *Ratio eft*, quia æquum non eft, ut Laicus privilegium fuum perdat propter focietatem Clerici, cùm in re individua quis præjudicium pati, & privilegium fuum amittere non debeat propter focietatem alterius non privilegiati.

Excipitur, fi Laico illud competeret non ex fundatione, dotatione, aut conftructione, fed ex privilegio Apoftolico, vel præfcriptione; nam hoc titulo competens, etfi Laico foli competat, à refervatione alternativa non eximitur, ut cum *citt.* notat Leur. *p.* 2. *quæft.* 556. *num.* 1. item fi in illo Laici minorem Votorum numerum habent, quàm Ecclefiaftici; tali enim cafu major pars prædominans attendi debet. Nicolarts *ad Conc. tit.* 1. *dub.* 5. §. 15. & 16.

Ad rationem in contrarium allatam dico Regulam illam procedere, quando pars minùs digna non fruitur fpeciali privilegio.

Dub. 3. an alternativæ fubjecta fint Beneficia vacantia per refignationem? Refp. diftinguendo inter refignationem tacitam, & expreffam, & hujus modos diverfos; vacare enim Beneficia poffunt per refignationem expreffam factam in favorem alterius, vel per refignationem factam fimpliciter, purè, & abfolutè. 292

Certum eft 1. Alternativæ fubjectum effe Beneficium vacans per refignationem tacitam, quia non eft propriè refignatio, fed amiffio Beneficii ipfo Jure inducta. 2. Non minùs clarum eft eidem Alternativæ locum non effe, quando Beneficium aliquod vacat per refignationem expreffam, factam in favorem alterius; cùm enim in folius Papæ manibus fieri illa de Jure poffit, quocunque menfe ex tali caufa vacaverit, ad provifionem Apoftolicam pertinebit. 3. Convenit inter DD. quocunque menfe refignatio fiat caufa permutationis apud Ordinarium, ab eodem conferri Beneficia fic refignata poffe; quia folùm vacant ad effectum, ut commutantibus conferri poffint, non verò ad alios effectus vacaturæ.

Controverfia eft de Beneficiis, quæ vacant per refignationem fimplicem, non quidem vi *Regulæ VIII.* feu *IX.* allegatæ; nam vi iftius Beneficia, fimpliciter, & purè refignata, Alternativæ non fubjici, facilè concedunt DD. ob terminos generales dictæ Regulæ, *Alias, quàm per refignationem quocunque modo vacatura &c.* fed vi Concordatorum Germaniæ. In affirmativam inclinat P. Vvieft. *hic* 143. ex ratione, quia Concordata abfolutè dicunt Beneficia, cùm vacabunt, alternis menfibus conferri debere à Papa, & Ordinario, nec diftinguunt inter vacandi modos, prout diftinguit *cit. Regula*. Et *confirmari* poteft etiam ex eo, quia juxta communem opinionem refignans habetur pro mortuo, & mors Civilis æquiparatur morti naturali. Igitur ficut Ordinarius in Germania in Menfibus Papalibus non poteft conferre Beneficia vacantia per obitum, ita nec conferre poterit vacantia per refignationem. 293

Sed dicendum, probabiliùs etiam à Germaniæ Ordinariis conferri poffe Beneficia, quæ menfe Papali per refignationem fimplicem, in manibus Ordinarii factam, vacant, dummodo talia fint, quæ aliàs, fi in menfibus non refervatis per obitum vacent, ad ipforum Ordinariorum difpofitionem pertinent, & refignatio in illo cafu alio fpeciali Jure non fit prohibita, ut prohibetur refignatio promovendorum ad Dignitatem Epifcopalem. Ita Chokier *ad Reg.* 8. *gloff.* 11. *num.* 29. Branden *ad Concord. quæft.* 12. *num.* 13. Nicolarts *ibid. tit.* 1. *dub.* 9. §. 9. Leur. *p.* 2. *quæft.* 598. *n.* 5. Vvex *p.* 1. *tab.* 17. *membr.* 1. §. 2. *not.* 3. & alii communiter. *Ratio eft*, quia non eft credibile, quod per Concordatorum refervationes Papa voluerit duriorem facere conditionem Ordinariorum Germaniæ, quàm fit Ordinariorum in aliis Nationibus per refervationes factas in Regulis Cancellariæ. atqui vi iftarum Ordinarii aliarum Nationum conferre poffunt Beneficia vacantia per refignationem fimplicem, ut dictum eft *num. præced.* ergo &c. 294

Putat quidem P. Vvieft. *n.* 143. *cit.* hoc argumentum non multum probare, cum etiam ftante, quòd Ordinarii Germaniæ non poffint conferre Beneficia, per refignationem fimplicem menfe Papali vacantia, adhuc melior dici poffit illorum conditio, quàm Ordinariorum in aliis Nationibus quippe qui tertio quoque menfe duntaxat Beneficia vacantia conferre poffunt, cùm Epifcopi Germaniæ poffint alternis. Sed efto, hoc ita fit, faltem fequitur, quòd Epifcoporum Germaniæ refidentium in fua Diœcefi conditio per Concordata fit facta deterior, quàm aliorum Epifcoporum, qui fi refideant, alternativa gaudent, & fimul beneficia vacantia per refignationem fimplicem quovis menfe conferre poffunt. 295

296 Ad Argumentum in contrarium allatum, ut Chokier *gloss.* 11. *cit. numer.* 11. Card. de Luca *de Benefic. disc.* 27. *num.* 4. Leur. *p.* 2. *quæst.* 597. notant, Concordata Germaniæ, cùm prodierint in gratiam pacis, & unionis Ecclesiæ, favorabilia sunt, ac propterea plenissimè interpretanda in favorem Ordinariorum, præsertim cùm reducant ad Jus commune: sic autem censeri non debet Ordinariis Germaniæ negatus aliquis favor, qui conceditur aliarum Nationum Ordinariis residentibus. *Ad Conf.* argumentum à simili non procedit, quando in casu proposito dissimilitudo colligitur; facit autem *Regula cit.* inter resignantem, & mortuum apertè discrimen. igitur cùm nihil obstet, quo minùs ejusdem favor etiam ad Casus Concordatorum extendatur, hoc discrimine etiam Ordinariis Germaniæ juvabuntur.

297 Dub. 4. an Alternativa porrigatur ad beneficia fundata, & erecta post inita Concordata? *Ratio dubitandi* sumitur ex *Clem. fin. de rescript.* ubi statuitur litteras Pontificias, super beneficio alicui conferendo directas, non extendi ad beneficium post Datam ipsarum creatum, ex quo à pari videtur inferri, quòd nec Concordata de reservatione, & Alternativa beneficiorum intelligi debeant de beneficiis post illa creatis. *Conf.* quia aliquando manus ligare videtur mens Fundatoris, dum hic in ipso statim fundationis limine Beneficium, à se fundatum provisioni solius Ordinarii, vel alterius Collatoris inferioris expressè subjicit.

298 Sed dicendum, tam *Regulam Cancell. cit.* quàm Concordata, & fundatam super illis Alternativam porrigi etiam ad beneficia postea erecta. Ita Æneas de Falconib. *de reservat. quæst.* 3. *principal. num.* 8. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *cap.* 34. *fin.* Vvamef. *tom.* 1. *conf.* 242. Gonz. *ad Reg.* 8. *gloss.* 9. §. 5. *à num.* 44. Chokier *ibid. gloss.* 4. *num.* 9. Garc. *p.* 5. *cap.* 1. *num.* 519. Barbos. *alleg.* 57. *num.* 181. Pal. *tract.* 13. *D.* 2. *p.* 22. §. 1. *num.* 9. Nicolarts *ad Concord. tit.* 1. *dub.* 4. §. 2. Vveiss. *ibid. assert.* 22. Zoes. *hic num.* 27. Vviest. *num.* 140. *Ratio est*, quia *Concordata & Regula cit.* alternationem inducunt generaliter includendo beneficia quæcunque, & qualitercunque qualificata: & hac generalitate includi etiam beneficia novæ erectionis, qualitate prædita, expediens, imò ad finem per Concordata intentum propè necessarium fuit, ne inferiores Collatores nimiùm graventur, & studio amoliendi gravamen præventionis, quod aliàs Papæ competeret, collationes cum Ecclesiarum damno, & animarum periculo nimiùm præcipitent.

299 Intelligi autem hoc debet solùm de secunda, & sequentibus collationibus talis beneficii; nam prima collatio, quæ post erectionem, & creationem beneficii contingit, sub hanc reservationem non cadit, ut contra Gonzal. *loc. cit. num.* 50. probabiliùs docent Garc. *num.* 520. Barbos. *num.* 181. Pal. *num.* 10. Nicolarts §. 4. Leur. *p.* 2. *quæst.* 557. *num.* 1. *Ratio est*, tum quia tale beneficium post primam sui erectionem non verè vacat; tum quia durum videretur, & à mente Papæ longè alienum, quòd si in mense Apostolico crearetur, & erigeret beneficium per Ordinarium, iste beneficium illud conferre non posset.

Ad rationem dubitandi negatur paritas; nam *in Clem. cit.* agitur de gratia exspectativa, & reservatione pro certa persona, quæ odiosa, & restringenda est; præsens autem dubitatio de generali, & legali, quæ, quia, ob causam publicæ utilitatis introducta est, favorabilis est, ac proinde extendenda. *Ad Conf.* patet ex dictis *num.* 284. ubi ostendi, hanc fundatoris voluntatem non esse attendendam.

300 Dub. 5. quæ Dignitates sub Alternativam cadant? Resp. de Dignitatibus proximis Pontificali in Cathedralibus, & primis in Collegiatis Ecclesiis certum est eas non subjici Alternativæ, cùm eæ semper sint, & maneant, reservatæ Sedi Apostolicæ, etiamsi vacent in mensibus Ordinariorum, ut suprà dictum est *numer.* 242.

In cæteris est adhibenda distinctio: Vel enim in Titulum perpetuum, seu ad vitam provisi ceduntur, vel non. *Si primum*, quocunque nomine appellentur, alternativæ subjacent, & si vacent mense Apostolico, Papæ sunt reservata; quia quæ in Titulum conferuntur, quomodocunque nominentur, reipsa sunt propriè dicta beneficia Ecclesiastica, & his apertè accensentur *cap. nulla* 2. *V. cùm verò de concess. præb.* & *cap. fin. pr. eod. in* 6. ac proinde ab Alternativa *per Concord.* §. *de cæteris*, & *Reg.* 8. *citt.* non possunt eximi. *Si secundum*, quocunque mense vacent, cùm Manualium Beneficiorum jure censeantur, ad inferiorum collationem semper pertinent. Gonz. *ad Reg.* 8. *gloss.* 5. §. 11. *à n.* 5. Chokier *ibid. gloss.* 1. *num.* 24. Nicolarts *tit.* 1. *dub.* 1. §. 16. & *dub.* 3. *à* §. 2. Vveiss. *ad Concord. assert.* 19. Vviest. *hic num.* 138.

Ex quo sequitur Alternativæ subjectos esse Decanatum (nisi in aliqua Ecclesia sit proxima post Episcopatum Dignitas. quia sic esset reservatus summo Pontifici, ut dictum est) Archidiaconatum, Primiceriatum, Scholasteriam, & alias similes Dignitates, vel Officia: contrà ab eadem Alternativa eximi, & quocunque mense vacent ad Episcopi, & aliorum collatorum provisionem pertinere Officium Vicarii Generalis tum Episcopi, tum Capitulo Sede vacante, Officium item Custodis, Cellarii, Protonotariorum &c. Quæ tamen omnia intelligi volo, nisi alicubi in contrarium detur privilegium, vel consuetudo: qualem Van-Espen *J. E. U. p.* 2. *tit.* 23. *cap.* 5. *num.* 19. testatur dari passim, ut Capitula eligant suos Decanos, quocunque mense vacatio contigerit.

Dub. 6. utrum Alternativæ subjaceant Vicariæ Beneficiorum Parochialium? Procedere dubium hoc so- 301
lùm potest de Vicariis perpetuis; nam Temporales Alternativæ non subjici patet ex dictis *num.* 286. Perpetuas non eximi videtur ex duplici ratione. 1. quia sunt propriè dicta Beneficia, & sic ratio cessat, quæ pugnat in Temporalibus. 2. quia Alternativæ subjacent Beneficia, quæ sunt Juris Patronatus Ecclesiastici, ut dictum est *num.* 290.

Sed tenenda est sententia negativa; sic enim expressè statuit S. Pius V. *Constit.* incipit *Ad exequendum edita Kal. Nov.* 1567. ubi hujusmodi Vicariæ nominationi Parochorum, & aliorum, quibus unitæ sunt, relinquuntur, indistinctè, & sine ulla mensium mentione.

Argumenta contraria non multùm urgent. *Ad* 1. etiam Beneficia Patronatus Laici sunt propriè dicta Beneficia, & tamen non continentur sub Alternativa, ut dictum est *numer.* 290. *Ad* 2. negatur paritas; quia jus, quod respectu Vicariæ Rectori principali competit, non est nudum Jus Patronatus, sed jus quoddam in ipso Beneficio conjunctum cum dominio fructuum; & nominatio, quæ fit ad Vicarium, non est præcisè præsentatio, sed vim institutionis collativæ tituli continet, ita, ut institutio, quam de sic nominato facit Episcopus, solùm sit Institutio, ut vocant Authorizabilis, seu approbatio nominati ad Curam.

Dub. 7. utrum Alternativæ subsint ipsa Beneficia Parochialia? *Ratio dubitandi* sumitur ex *cap. cùm in illis* 16. *h. tit. in* 6. ubi Bonifacius VIII. declarat, quòd sub Mandato Apostolico, quo jubetur, ut alicui provideatur de Ecclesia, Dignitate, Personatu, aut quocunque alio Beneficio, non comprehendatur Ecclesia Parochialis, nisi de cura animarum specialis sit facta mentio. ergo nec in nostro casu nomine Beneficii simpliciter prolato comprehendetur Beneficium Parochiale.

Sed respondendum est affirmativè, etsi raro reservatio hæc locum in iis habeat, cùm plurima ex iis sint Juris Patronatus Laicorum, cui, ut dictum est suprà *num.* 290. Pontifex per Concordata noluit derogatum. Ita Gonzal. *gloss.* 6. *num.* 17. *& seqq.* Chokier *gloss.* 2. *num.* 10. Barbos. *alleg.* 57. *num.* 159. Laym. *l.* 4. *tract.* 2. *cap.* 10. *num.* 3. Nicolarts *dub.* 6. §. 5. Vvagn. *ad Concord.* §. 3. *not.* 1. Van-Espen *p.* 2. *tit.* 23. *cap.* 5. *num.* 16. Vex *p.* 1. *tab.* 17. *membr.* 1. §. 2. *not.* 3. la Croix *l.* 4. *num.* 480. Pirh. *hic num.* 362. Vviestner *num.* 137. *Ratio est*, quia tam *Reg. Cancell.* quàm Concordata loquuntur universaliter, & comprehendunt Beneficia *cum*, & *sine Cura*.

Neque obstat textus *cap. cùm in illis cit.* quia tantùm loquitur de impetratione Beneficii, & Pontifex statuit, ei, qui impetravit mandatum de conferendo Beneficio, non propterea conferendum Parochiale, vel Curatum ex ratione, quia, ut textus habet, *in illis, quibus Beneficia curam animarum habentia committuntur, major, quam in iis, qui ad alia promoventur, idoneitas requiritur:* quæ ratio cùm in casu quæstionis præsentis cesset, ideo ad illum textus dispositio extendi non debet.

Dub. 8. quid dicendum de Beneficiis Monocularibus? 302
Ita appellatur Beneficium, quod unicum est in aliqua Ecclesia, vel si plura sint, ex pluribus solum ad provisionem Collatoris spectat.

De his Gloss. *in Clem.* 1. *V. incerta h. tit.* Æneas de Falcon. *de reserv. q.* 3. *pr. n.* 32. Selva *l.* 3. *de Benef. q.* 11. *à n.* 71. Gomez *de Exspectat. n.* 46. negant, ea comprehendi sub Alternativa, ex ratione, quia verisimile non est, quòd Papa illud ad se avocare, & Collatorem Ordinarium unica, quam habet, conferendi potestate privare voluerit: qua de causa nec Primis Precibus Imperatoriis subjecta sunt, prout dicetur *infrà num.* 344.

Verùm

Verùm etiam hæc Alternativæ subjecta esse tanquam pene certum statuunt Garc. *p.* 5. *cap.* 1. *num.* 518. Gonz. *gloss.* 9. §. 4. *à num.* 15. Chokier *gloss.* 4. *num.* 5. Barbos. *alleg.* 57. *num.* 180. Pal. *tract.* 13. *D.* 2. *p.* 22. §. 1. *num.* 8. Nicolarts *dub.* 2. §. 3. Leur. *p.* 2. *quæst.* 557. *num.* 3. la Croix *l.* 4. *num.* 509. Vviestner *num.* 136. Ratio est generalitas, & vis verborum, quibus Pontifex tam in Concordatis, quàm in *Regul. Cancell. cit.* utitur; nam *Beneficia quæcunque, & qualitercunque qualificata* includit; ac proinde etiam Monoculatoria. Accedit, quia, ut *num. præc.* dixi, Alternativæ subjecta sunt Beneficia Parochialia, & Curata, quæ tamen ferè omnia sunt Monocularia.

Ad Argumentum contrarium dico, hac reservatione non privari absolutè Ordinarium Collatorem potestate providendi, quam habet, sed tantùm eam restringi pro aliquot mensibus.

304 Dub. 9. de Beneficiis Patrimonialibus, & iis, quæ ex fundatione, privilegio, vel consuetudine, certo personarum generi, puta, Doctoribus, Magistris &c. conferri debent. Negant illa Alternativæ obnoxia esse Covar. *pract. cap.* 36. *à num.* 4. *vers. simpliciter*, Menoch. *l.* 3. *cons.* 394. *num.* 18. Zerol. *prax. Episcop. p.* 1. *V. Beneficia* §. 3. *dict.* 8. Quarant. *Summ. Bullar. V. Beneficiorum reservatio in Addit.* 1. quia Beneficia hæc indigent speciali mentione, ut inclusa censeantur in Juris dispositione de Beneficiis; aliàs ea frustra expressisset Trid. quando *sess.* 24. *cap.* 18. *de reform.* statuit ea debere conferri per concursum, quippe cùm id de Curatis statuerit generatim. 2. quia Beneficia reservata regulariter resignati, permutari, pensionis impositione onerari, & sine concursu provideri possunt: quod non cadit in patrimonialia -- 3. ea non cadunt sub reservationem factam *cap. licèt h. tit. in* 6. ergo nec sub Alternativa, quæ major est.

Sed veriùs sub Alternativa ea Beneficia contineri defendunt Garc. *p.* 5. *cap.* 1. *num.* 562. Gonz. *gloss.* 9. §. 1. *num.* 59. Chokier *gloss.* 1. *num.* 5. *& gloss.* 4. *num.* 3. Barbos. *alleg.* 57. *num.* 144. *&* 176. Pal. *p.* 22. *cit.* §. 1. *numer.* 3. la Croix *l.* 4. *num.* 480. Vviest. *hic num.* 135. & sumitur ex generalitate §. *de cæteris*, & *Reg. cit.* ubi Alternativæ subjiciuntur Beneficia qualitercunque qualificata, ut proin non appareat, quomodo Patrimonialia ei subtrahantur.

Ad 1. *argumentum contrarium* dico, non inutiliter in *l. cit.* Trid. exprimi Patrimonialia, quia ibi non ponuntur termini tam generales, ut in casu præsenti. *Ad* 2. ordinariè in patrimonialibus non fit permutatio, resignatio &c. sed concursus, non quasi permutari &c. nequeant, sed quia inter paucos, quibus conferri possunt, facilè dignoscitur, quis sit dignior Beneficio. *Ad* 3. ut Pal. *l. cit.* notat, etiam Patrimonialia continentur sub reservatione *cap. cit.*

305 Quæritur 3. de praxi, & modo alternandi in collatione Beneficiorum. Plura hìc resolvenda sunt dubia.

Dub. 1. qua hora, & puncto diei terminetur Mensis Apostolicus, & incipiat Mensis Ordinarii, aut vicissim terminetur iste, incipiat ille? *Ratio dubitandi* sumitur ex *Constit. Eugenii IV.* quæ anno 1441. in favorem Leodiensium edita est, & vim Concordatorum obtinet, ubi decernitur Menses tam Ordinarii, quàm Apostolicos inchoari ab ortu Solis: ex quo videtur consequi, cùm non omnibus anni diebus Sol oriatur eadem hora, etiam menses istos incipere, & terminari diversis horis. Verùm, ut bene advertit Nicolarts *ad Concord. tit.* 1. *dub.* 12. §. 1. ortus Solis *in Constit. citat.* non accipitur pro puncto temporis, quo Sol supra Horizontem emergit, sed pro eo, quo nobis incipit appropinquare, quod cùm fiat lapsa hora 12. noctis, hinc

306 Dicendum, Menses Apostolicos finiri minuto horæ istius ultimo, & consf. Mensem Ordinarii jam inchoari, cùm hora illa audiri cœpit; quia cùm primus horæ pulsus auditur, hora jam est exacta, ad quod indicandum editur sonus. Ita Garc. *p.* 5. *de Benef. cap.* 1. *num.* 523. *&* 524. Gonzal. *ad Reg.* 8. *gloss.* 11. *à num.* 9. Sanch. *l.* 2. *de Matr. D.* 41. *num.* 40. Pal. *tract.* 13. *D.* 2. *p.* 22. §. 2. *num.* 1. Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 57. *num.* 184. Zypæus *consult.* 5. *num.* 5. *h. tit.* Nicolarts *ad Concord. tit.* 1. *dub.* 12. §. 3. Vvex *p.* 1. *Ariad. tab.* 17. *membr.* 1. §. 2. *not.* 2. la Croix *l.* 4. *Theol. mor. numer.* 486. Engl *hic num.* 26. Vviestner *num.* 121. & sumitur ex *cap. consuluit* 24. *de Offic. deleg.* & *l. more Romano* 8. *ff. de feriis*. Ex quo sequitur, casu, quo Beneficiarius obiit ultima nocte Mensis Decembris in puncto immediato ante mediam noctem, collationem competere Ordinario, prout à Rota decisum refert Joseph. Ludov. *Decis. Perusin.* 116. apud Zyp. *loc. cit.* Quin & si in ipso puncto mediæ noctis mors incidat, adhuc standum pro Ordinario est, ut idem Zypæus notat, ex ratione, quòd à media nocte, seu puncto primo, quo Sol appropinquare Hemisphærio nostro incipit, primùm inchoetur alter dies & mensis.

Quodsi in aliquo loco plura sint Horologia, sententiæ sunt diversæ; nam aliqui cum Garcia *num.* 525. Pal. *num.* 1. *cit.* Barbos. *numer.* 184. Card. de Luca *de Benef. disc.* 15. *num.* 13. Leuren. *quæst.* 561. *num.* 2. volunt medium noctis desumendum ex horologio Parochiæ defuncti, vel illo, quo tanquam ordinatiore incolæ regi, & uti solent. Alii cum Bobadill. *Politic. l.* 5. *cap.* 2. *num.* 25. existimant tunc posse attendi, quod magis propitium, & favorabile est Episcopo: quod verum est, nisi id, quod favorabilius est, irregulare sit, & frequenter fallat, non item alterum, vel reliqua. Si verò Beneficiarius decessit in loco, ubi nullum est Horologium, vel si sit, deordinatum probatur, aut audiri non potuit, medium noctis, & novæ diei naturalis exortus colligendus est ex arbitrio prudentum, attento siderum cursu, Galli cantu, & iis, quæ communiùs contingunt. Garc. *num.* 526. Pal. *num.* 1. *citat.* Barbos. *num.* 187. Nicolarts §. 5. Gavant. *V. Beneficiorum reservatio num.* 35. la Croix *l.* 4. *num.* 487. Vviestner *hic num.* 122. & ita decisum à Rota refert Gonzal. *gloss.* 11. *cit. num.* 16. 307

Ubi Horologia incipiunt ab occasu Solis usque ad 24. horas, numerando per quatuor senarios, vel duas duodecimas, ut in Italia, media nox accipienda erit juxta quantitatem, seu magnitudinem, & parvitatem dierum, & noctium, & tempore Æquinoctii nox media erit hora 6. Garc. *numer.* 525. Nicolarts §. 9. Leuren. *num.* 3.

Dub. 2. ad quem collatio spectet, si non constet verisimiliter, ante, an post noctis medium decesserit Beneficiarius, v. g. si domi reperiatur mortuus in lecto, occisus in via, aut submersus aquis &c. Videtur eo casu amplectenda pars favens Sedi Pontificiæ *arg. cap. si à Sede* 31. *h. tit. in* 6. ubi in dubio, an Ordinarii, vel Papæ provisio anterior sit, propter authoritatis prærogativam defertur provisioni factæ à Papa, & ea provisus præfertur illi, cui collatio est facta ab Ordinario; item *Clem.* 1. *ut lit. pend.* ibi, *Neutro autem ipsorum Beneficium possidente, erit Romanus Pontifex propter authoritatis prærogativam in collatione hujusmodi præferendus.* 308

Nihilominus DD. passim ad istam quæstionem censent, eo casu potiùs favendum esse Ordinario. Et quidem, quòd tali casu Ordinarius conferendo Beneficium Pontificem præferendus sit illi, cui deinde contulit Pontifex, satis exploratum apud DD. est; quia Ordinarius habet intentionem suam fundatam in Jure communi, juxta quòd provisio omnium Beneficiorum suæ Diœcesis ad ipsum spectat, dummodo non sint reservata: quo Jure privari non debet, quamdiu de reservatione non constat. Pal. *tract.* 13. *D.* 2. *p.* 22. §. 2. *num.* 2. Engl *hic num.* 26. *vers. cæterum*, Pirh. *ibid. numer.* 354. Leur. *quæst.* 562. *num.* 1. Debetque reservatio hæc, & quòd vacatio contigerit mense Papali, probari concludenter, ut provisus à Papa obtinere possit. la Croix *l.* 4. *num.* 488. 309

Idem ob eandem rationem probabiliùs dicendum, quando Beneficium ita vacans uterque contulit, & non constat, quis alterum prævenerit; saltem quando provisorum nullus est in possessione, & provisio Papæ non in jure præventionis, sed in reservatione, & vacatione in Mense Papali fundatur. Gonzal. *gloss.* 11. *num.* 37. *& seqq.* Garc. *p.* 5. *cap.* 1. *num.* 528. Barbos. *Alleg.* 57. *num.* 188. Pal. §. 2. *cit. num.* 3. Zypæus *Consult. cit. num.* 6. Nicolarts *dub.* 12. §. 7. Leuren. *quæst.* 562. *cit. num.* 3. Van-Espen *J. E. U. p.* 2. *tit.* 23. *cap.* 5. *n.* 10. Vviestner *hic num.* 124. & alii apud istos. 310

Major controversia est de casu, quo constat, quòd Papa conferendo Beneficium prævenerit Ordinarium, & sic provisus à Papa est in possessione Beneficii sibi collati: Nam tali casu hunc alteri, qui non est in possessione, præferendum existimant Gonz. *numer.* 26. Barbos. *num.* 188. & alii: hinc *cit.* Gonz. *num.* 33. monet Possessorem, ne se facilè constituat Actorem, aut si non possidentem ipse conveniat, petitorium intentet ob difficultatem probandi quasi dominium, seu proprietatem. Sed probabiliùs etiam hoc casu præferendum illum, qui provisus est ab Ordinario, donec provisus à Papa reservationem probet, existimant Garc. *num.* 530. Barbos. *num.* 188. Pal. *num.* 5. Nicolarts §. 7. Pirh. *num.* 354. Vviest. *num.* 124. Leur. *numer.* 4. *Ratio est*, quia quando constare non potest, in quo mense 311

Bene-

Beneficium vacaverit, præsumptio Juris stat pro Ordinario, ideoque onus probandi transfertur in Adversarium existentem in possessione. *Conf.* quia hoc casu Pontifex solùm intendit conferre Beneficium Jure reservationis. ergo si de illa non constet, nullum jus in Beneficium acquisitum est proviso à Papa, adeoque tanquam provisus sine vero titulo repellendus.

312 Neque contrarium probatur ex duobus textibus *n.* 80. allegatis. *Ad* 1. textibus *cap. si à Sede cit.* solùm procedit in provisione Apostolica, quæ facta est Jure præventionis; tunc enim in dubio, quis prævenerit, ob Pontificiæ authoritatis prærogativam præferendus est provisus à Papa. Aliud est, quando provisio à Papa facta est jure reservationis; tunc enim non Papa, sed Ordinarius inferior intentionem in Jure fundatam habet, quamdiu de reservatione non constat. *Ad* 2. in casu *Clem. cit.* constabat de lite super Beneficio inter duos pendente, conf. etiam de impedimento, quo impediebatur Episcopus alicui de illo providere, cùm lite pendente nihil sit innovandum.

313 Dub. 3. an, & quousque Ordinarius exspectare debeat Provisionem Apostolicam Beneficii vacantis mense Papali? *Resp. in Concord.* §. *de cæteris* Pontifici datur trimestre, & post hoc Ordinario libera conceditur potestas conferendi Beneficia mense Papali vacantia; sic enim habent: *Quoties -- aliquo vacante Beneficio in Januarii, Martii, &c. mensibus, specialiter dispositioni dictæ Sedis reservatis, non apparuerint intra tres menses à die notæ vacationis in loco Beneficii, quòd alicui de illo Apostolica authoritate provisum fuerit, ex tunc, & non antea Ordinarius vel alius, ad quem illius dispositio pertinebit, de illo liberè disponere poterit.* Qui tamen textus ipse occasionem dat quæstioni,

314 An casu, quo intra trimestre à Pontifice de Beneficio ita vacante sit facta provisio, provisus verò post trimestre à die notæ vacationis in loco Beneficii non appareat coram Ordinario, iste conferre Beneficium hoc possit alteri, & à Papa provisum excludere? Ita quidem nonnunquam factum est, sed malè, ut patet ex *Bulla Gregorii XIII.* incipit *Quæ in Ecclesiarum*, edita *Cal. Nov.* 1576. ubi declaravit, verba *in loco Beneficii*, quæ præfato errori ansam dederant, non referenda ad *Non apparuerit*, sed conjungenda immediatè antecedentibus *Notæ vacationis*, ita, ut non sit necessarium provisum à Sede Apostolica, aut litteras provisionis intra trimestre apparere in loco Beneficii, sed sufficiat, si provisio intra illud tempus fiat Romæ, etsi ob locorum distantiam, itinerum difficultatem, aut aliam legitimam causam in loco Beneficii primùm post trimestre innotescat. Engl. *hic num.* 51. *vers. specialiter*, Vvagn. *ad Concord.* §. 3. *vers. intra tres menses*, Vvex *part.* 1. *tab.* 17. *membr.* 1. §. 2. *numer.* 2.

315 Hinc dicendum, posse quidem Ordinarium Collatorem lapso trimestri, & quidem primo statim die post ejus lapsum Beneficium mense Papali vacans conferre alteri; non tamen ita, ut eum, qui fortè à Papa eo trimestri provisus est, excludat, sed sub conditione, si interea non sit illud à Papa collatum alteri. Patet ex *Concord.* §. *de cæteris cit.*, ibi, *Ex tunc, & non antea Ordinarius, vel alius, ad quem ejus dispositio pertinebit, de illo liberè disponere poterit:* ubi dictio *Ex tunc*, quemadmodum rectè notat Marta *de clausulis p.* 3. *clausul.* 88. Zypæus *hic Consult.* 5. *num.* 10. Vvießtner *num.* 109. idem denotat, quod *statim à lapsu temporis præscripti*. Imò si ita contulerit Ordinarius, vel alius Collator, providè faciet, ut Papam, qui, ut bene notat Nicolarts *tit.* 1. *dub.* 11. §. 3. lapso etiam trimestri jure præventionis gaudet, præveniat, & ejus collationem, tanquam posteriùs factam excludat. Ut tamen turbatio vitetur, quæ contingere posset, si duo hoc modo providerentur de Beneficio eodem, unus à Papa, alter ab Ordinario, ita provisus ab Ordinario non mittendus est in possessionem, sed per aliquod tempus exspectandum, intra quod etiam is, qui ultima die dati trimestris Romæ à Papa provisus est, gratiam Apostolicam publicare possit. Clariss. P. Schmier *p.* 2. *cap.* 3. *num.* 207.

316 Dub. 4. intra quod tempus is, qui de Beneficio, vacante mense Papali, provisus Romæ est, gratiam sibi factam publicare, seu intimare debeat? Respond. Constitutione Gregoriana *cit.* dantur illi tres menses numerandi à die notæ vacationis in loco Beneficii: intra quod tempus si gratiam sibi factam à Papa Collatori Ordinario significare, aut eam in loco Beneficii publicare culpabiliter omiserit, Jure suo quidem non cadit, pœnæ tamen arbitrariæ pro culpæ modo subjacet.

Dixi 1. *Si culpabiliter omiserit*; nam is, cui gratia non ita maturè facta est, ut intra trimestre aut ipse, aut litteræ, Apostolicæ gratiæ factæ testes, in Germaniam venire possint, ad eandem ita maturè intimandam, seu publicandam non adstringitur. Vvagn. *ad Concord.* §. 3. *vers. subjungit*, Engl. *de Rescript. num.* 23. *ad* 3. Vvießt. *hic numer.* 112. & novissimè Clariss. P. Schmier *loc. cit. num.* 208. & docet ipsa æquitas naturalis.

Dixi 2. *Jure suo non cadit. Ratio est*, quia privatio Beneficii ipso Jure non contrahitur, nisi in casibus Jure expressis. Atqui nullo Jure expressum est, quòd is, qui publicationem gratiæ, sibi à Papa factæ, ultra tres menses culpabiliter, differt, jus sibi quæsitum amittat. Ergo &c. Chokier *ad Reg.* 8. *gloss.* 11. *num.* 5. Branden. *notat.* 2. *num.* 5. P. Pirh. *hic num.* 363. *not.* 4. P. Vvießt. *ibid. num.* 113. P. Schmier *l. cit.* 317

Dixi 3. *Pœnæ arbitrariæ:* potest autem hæc pœna, si negligentia valde gravis sit, & publicatio, justo impedimento cessante, ultra novem menses differretur, augeri usque ad privationem Beneficii per sententiam, ut notat P. Vvießt. *l. cit.* & meritò; nam pœna hæc jure lata est in eos, qui intra novem menses non publicant Beneficiorum resignationes, & resignatorum collationes Apostolicas, ut habetur *Constit. Gregorii XIII.* incipit *Humana* edita *Nonis Jun.* 1583. igitur videtur satis proportionata, si simili tempore culpabiliter negligatur publicatio gratiæ, à Pon. Mense Papali facta, ut per sententiam inferatur.

Dub. 5. an sicut cùm Beneficium vacat mense Papali, si Papa illud intra trimestre non contulerit, conferri illud potest ab Ordinario, ita vacans mense Ordinarii, si ab hoc illo mense non conferatur, fiat deinde collationis. *Ratio dubitandi est*, quia hoc modo tale Beneficium jam vacat Mense Apostolico, qui Mensem Ordinarii sequitur. Sed hæc ratio levis est, quia reservatio hæc intelligi debet de Beneficiis, non quomodocunque vacantibus mense Papali, sed de iis, quæ Mense aliquo Papali vacare incipiunt. 318

Hinc dicendum hujusmodi Beneficium adhuc conferri posse ab Ordinario, etsi lapsus sit mensis, in quo vacare cœpit. Ita Gonzal. *gloss.* 11. *num.* 53. & *seqq.* Barbos. *alleg.* 57. *num.* 189. Nicolarts *tit.* 1. *dub.* 11. §. 6. Van-Espen *p.* 2. *tit.* 23. *cap.* 5. *num.* 11. Engl. *hic num.* 26. *vers. illud quoque*, Vvießt. *ibid. num.* 125. manetque potestas ista Ordinariis usque ad semestre, ut Nicolarts *l. cit.* notat. *Ratio est*, quia in Concordatis Collatoribus Summ. Pontifice inferioribus nullum præscriptum tempus est: unde quoad istud Jure communi standum est. Hoc autem Jure pro Beneficiis, quæ sunt infra Episcopatum, & Prælaturam Regularem, semestre statutum est *cap. nulla* 2. & *cap. quia diversitatem* 5. *de concess. præb. cap. licèt* 3. & *Clem. un. de suppl. negl. Prælat.*

Dub. 6. quando incipiat trimestre, Sedi Apostolicæ competens pro conferendo Beneficio vacante in mense Papali? an ipsa die, qua innotescit vacatio Beneficii in loco ejusdem, an die proximè notitiam hanc consequenti? Resp. verisimilius est sequenti primùm die inchoari. Ita Gloss. *in cap. statutum* 3. *V. numerandum not.* 3. *h. tit. in* 6. Rebuff. *Reg. de infirmis gloss.* 10. *num.* 9. Chokier *ad eand. Reg. num.* 39. Pirh. *hic num.* 328. *in fin.* Vvießt. *num.* 119. 319

Ratio est, quia §. *de cæteris cit.* Apostolicæ Sedi assignatur terminus trium mensium à die notæ vacationis in loco Beneficii; regulariter autem dies termini in termino temporis non computatur, quando illum in hoc non computari interest ejus, cui terminus est assignatus *l. eum qui* 41. *princ. vers. planè ff. de V. O.* præsertim si terminus præfixus sit per Præpositionem A. quæ natura sua separat, & terminum *à quo* excludit.

Dub. 7. quomodo accipiendi, & numerandi sint menses vi Alternativæ concessi Papæ, & Ordinariis? Resp. etsi aliàs variè computentur juxta ea, quæ tradit Menoch. *de Arbitr. cas.* 50. *à num.* 2. in præsenti tamen accipi eo modo describuntur, ac distinguuntur in Calendario, ita, ut cuivis tot dies attribuantur, quot ipsi juxta Calendarium, & usum communem habent. 320

Ex quo sequitur, casu, quo vacatio Beneficii in loco ejusdem innotuit 31. Martii, qui mensis Papalis est, si illud ultima seu 30. die Junii Romæ non fuit collatum, deinceps conferri id posse ab Ordinario, & reservationem ejus cessare. E contrario, si vacatio in loco Beneficii nota fuit 30. Sept. beneficium illud 31. Decembr. adhuc reservatum esse, nec ab Ordinario conferri posse ea die, utpote qua nondum sunt finiti tres

tres menses. Videatur Gonzal. *gloss.* 11. *a numer.* 7. Van-Espen *J. E. U. p.* 2. *tit.* 23. *cap.* 5. *num.* 7. Vvex *p.* 1. *tab.* 17. *membr.* 1. §. 1. *not.* 2. Vviest. *hic num.* 117.

321 Dub. 8. an trimestre, Sedi Apostolicæ reservatum pro Beneficiis suo mense vacantibus, currat etiam Sede illa vacante? Resp. Affirmativè. Estque hoc verum, sive Sedes jam vacet, quando Beneficii vacatio innotescit, sive vacare primùm incipiat currente trimestri. Ita praxis docet, de qua testatur P. Vviestner *hic num.* 118. *Ratio est*, quia Concordata dispositionem de Beneficio, intra mensem Papalem vacante, post trimestre concedunt Ordinariis simpliciter, & sine ulla exceptione Sedis vacantis.

Imò Barbos. *alleg.* 57. *num.* 62. Leur. *p.* 2. *quæst.* 600. *num.* 2. Engl *hic num.* 49. Clariss. P. Schmier *p.* 2. *de reb. cap.* 2. *num.* 200. non obstantibus Concordatis, à locorum Ordinariis, & aliis Collatoribus etiam ante trimestre lapsum conferri pro libitu posse Beneficia, quæ Sede Pontificia vacante vacare incipiunt: quod de Curatis expressum Jure est *cap. si Apostolica* 35. *h. tit. in* 6. Et de Simplicibus etiam probant ex eo; quia per Concordata Summus Pontifex non voluit conditionem Ordinariorum Germaniæ deteriorem facere, illisque plus detrahere, quàm Pontifices per Regulas Cancellariæ consueverunt detrahere aliarum provinciarum Episcopis; aliàs enim *ipsi Nationi Germaniæ non essent utilia, & salubria*, prout in terminis dixit Nicolaus Bullæ Concordatorum Author. Atqui omnium aliarum Nationum Ordinarii conferre possunt Beneficia, quæ mense Apostolico, Sede eadem vacante, vacant. Ergo etiam Germaniæ Ordinarii istud poterunt, præsertim quòd Concordata, cùm beneficiorum collationem reducant ad Jus commune, & causa unionis, concordiæque facta, favorabilia sint, ac propterea plenissimè in favorem Ordinariorum interpretanda, ut in terminis docet Gonzal. 25. *num.* 9. *& seqq.* Chokier *gloss.* 11. *num.* 11. Card. de Luca *de benef. disc.* 27. *num.* 4.

Neque obstat, quòd Reservationes per Concordata factæ dicantur esse perpetuæ; tales enim dicuntur, non quòd ipsa beneficia perpetua reservatione affecta sint, sed quòd Concordata vim Legis perpetuæ habeant, ad distinctionem reservationum, quæ factæ sunt per Regulas Cancellariæ, quarum vis Pontificis morte exspirat.

322 Dub. 9. an casu, quo collatio Beneficii Mense Papali vacantis intra trimestre facta est à Papa, sed invalidè ob impedimentum occultum v. g. inhabilitatem personæ provisæ, vitium Ob-vel Subreptionis &c. lapso trimestri cesset reservatio, & collatio ejus fieri ab Ordinario possit? Videtur tenenda negativa. 1. Quia tale Beneficium per appositionem manus Papæ ad effectum collationis affectum est: ac proinde, donec provisio Apostolica nacta effectum sit, Ordinarii, & cujuscunque inferioris Collatoris provisio excludetur. 2. Quando Ordinarius ob impedimentum provisi occultum invalidè contulit beneficium, ei ad provisionem à Jure tempus integrum denuo indulgetur *arg. cap. si electio* 26. *de Elect. in* 6. igitur integrum habebit etiam Pontifex, cùm hujus provisiones non minùs favorabiles, magis autem nullitatis periculo subjectæ sint.

Sed tenenda est affirmativa sententia, & hanc confirmat Germaniæ nostræ praxis. *Ratio est*, quia omnino factam non esse provisionem, & esse factam invalidè paria sunt. Ergo sicut juxta Concordata providere potest Ordinarius, si provisio intra trimestre à Pontifice omnino facta non est, ita pariter poterit, si est facta invalidè.

Neque obstant argumenta opposita. *Ad* 1. per appositionem manus Papæ non impediuntur collationes Ordinariorum, nec præjudicatur Concordatis; fieret autem his præjudicium, si collatio, invalidè facta à Pontifice, impediret Ordinarium, ne post trimestre à die notæ vacationis in loco beneficii illud liberè conferre posset. ergo &c. *Ad* 2. adhuc Papa in beneficiorum collatione prærogativam habet, quia quocunque tempore, si Jure præventionis uti velit, conferre beneficium quodcunque potest. Igitur non obest, quòd potestas alternativa cesset. Certè si casu hoc non voluisset Papa Collatoribus inferioribus Jus beneficia conferendi competere, debuisset casum istum excipere, quod tamen factum non est.

323 Dub. 10. an Germaniæ Ordinarii trimestre etiam exspectare debeant, ut conferre possint beneficia, quæ vacant in Curia, & intra mensem à Sede Apostolica non sunt collata? *Ratio dubitandi est*, quia etsi *cap. statutum* 3. *h. tit. in* 9. Ordinariis collatoribus concedatur licentia post spatium unius mensis beneficia sic vacantia conferendi, huic tamen Constitutioni quoad Ordinarios Germaniæ per Concordata illius videtur derogatum, quòd in illis §. *de cæteris* trium mensium tempus statuatur indistinctè.

Sed dicendum non esse exspectandum trimestre, neque per Concordata Germaniæ Ordinariis ligari manus; quo minùs uti possint favore per Jus commune *cap. statutum cit.* concesso reliquis Ordinariis: & hinc etiam ipso casu, quo Pontifex beneficium in Curia vacans intra mensem à die vacationis numerandum non per suos, contulerit, ipsis in remotis agentibus, per seipsos, aut Vicarios Generales, quibus id canonicè commissum fuerit, illa conferre poterunt. Ita Nicolarts *ad Concordat. tit.* 1. *dub.* 11. §. 4. Laym. *in cap. statutum cit. num.* 5. Vagn. *ibid. vers. demum*, Van-Espen *J. E. U. p.* 2. *tit.* 23. *cap.* 3. *num.* 7. Pirhing *hic num.* 332. Engl. *num.* 52. Vviestner *num.* 115. & novissimè Clariss. P. Schmier *p.* 2. *de reb. Eccl. cap.* 3. *num.* 202. *& trib. seqq.*

Ratio est, quia trimestre, per Concordata datum, spectat solùm beneficia Alternativæ obnoxia, & Mense Apostolico vacantia in Germania, non autem ea, quæ in Curia ipsa vacant. Nec immeritò pro illis longius tempus sibi elegit Pontifex, quàm pro istis; id enim factum est, quòd ex Germania ob distantiam non ita statim notitia vacationis Romam venire possit: quæ ratio in iis, quæ vacant apud Sedem, locum non habet, quippe quorum, cùm vacant, notitia facilè statim venire ad Papam potest.

§. VIII.

De Primis Precibus Imperatoris, ac Regis Romanorum.

SUMMARIUM.

324 *Quid sint primæ Preces; & unde dicantur Preces?*
325 *Unde Primæ, & Primariæ appellentur?*
326 327 328 *Originem suam trahunt ex indulto Papali.*
329 *Sunt usus antiquissimi.*
330 *Ligant manus Collatoris Ordinarii.*
321 *Per eas derogatur Alternativæ Mensium.*
332 *Statutis, & consuetudinibus particularibus Ecclesiarum.*
333 *Regulis Cancellariæ &c.*
334 *Numerandæ sunt inter dispositiones odiosas.*
335 336 337 *Sunt Juri consentaneæ.*
338 339 340 *An uti illis Imperator possit ante confirmationem electionis suæ, in utramque partem disceptatur.*
341 342 *Terræ, in quibus locum illæ habent.*
343 *Beneficia, quæ illis subjacent.*
344 *Excipiuntur reservata in* Extrav. ad Regimen, *& Monocularia.*
345 *Juris Patronatus Laici, & Mixti.*
346 *Regularia, quæ ex natura sua sunt talia.*
347 *Litigiosa, resignata in favorem, vel causa permutationis.*
348 *Devoluta ad Sedem Apostolicam, Manualia &c.*
349 *Locum habent in Beneficiis, tempore datarum suppressis.*
350 351 *&c. Requisita, ut rite interponantur, & locum inveniant.*
357 *Executores illarum à quo constituendi?*
358 *Quales?*
359 *Qua potestate?*
360 361 362 *An hi nominatos possint instituere?*
363 364 365 366 *An Imperator quoad nominatum variare?*
367 *An si effectum nondum sortitæ sint, nominare alium, priore Precista mortuo?*
368 *An unum, eundemque nominare ad Beneficia in diversis Ecclesiis?*
369 *Limitatio.*
370 371 *An Precista, postquam neglexit primum, petere possit secundum vacans?*
372 *An obtinere Beneficium, quod dixit vacare per mortem Petri, & reipsa vacat per mortem Pauli?*
373 *An Precibus omissis, transire ad provisionem ordinariam?*
374 *An tempus præfixum acceptando Beneficio currat etiam Minori, & impedito?*
375 *An Executioni dandæ sint Preces, mortuo Imp. qui illas dedit?*

Quæ-

324 QUæritur 1. quid sint *Preces* istæ *primæ*, seu *primariæ*? Resp. *Preces primæ*, prout hic accipiuntur, sunt *nominationes personæ alicujus idoneæ, ad Beneficia Ecclesiastica vacantia, vel vacatura, ex speciali privilegio, Imperatori, ac Regi Romanorum recens electo ab Apostolica Sede Indulto*. Ita quoad sensum DD. Catholici facilè omnes, qui aliquid de Precibus his tradiderunt.

Dicuntur 1. *Preces;* neque enim Imperator, aut Rex Romanorum illi, in cujus favorem Preces dirigit, Beneficium vacans, aut vacaturum confert, sed tantùm petit conferri personæ à se nominatæ. Ex quo sequitur, Jus illud, quod Imperatori vi precum primariarum competit, non esse jus conferendi, vel instituendi, ut malè contendunt Acatholici, sed nominandi duntaxat, & quodammodo præsentandi, cum certa tamen obligatione, personam præsentatam, vel nominatam, si fuerit inventa habilis, instituendi, ut meliùs Boerius *decis.* 32. *num.* 8. Gail. *l.* 2. *obs.* 155. *numer.* 7. Herm. *fascic. Jur. publ. cap.* 11. *num.* 9. *resp.* 1. Chokier *Schol. ad Indult. prim. prec. proœm. vers. interea*, Vagn. *ibid.* §. 2. *V. hujusmodi not.* 1. Clariss. P. Schmier *p.* 2. *de reb. Eccl. cap.* 3. *num.* 228. Hinc etiam Precistæ, seu illi, in cujus favorem diriguntur, jus nullum conferunt, nisi secuta collatione. Rebuff. *in Concord. Rubr. de mandat. Apost. vers. alia erat fol.* 680. Ferret. *cons.* 16. *num.* 15. Joan. Emerix *decis.* 5. *num.* 3. *& seqq.*

325 Dicuntur 2. *Primæ:* quia cujusque Imperatoris, ac Regis Romanorum prima petitio sunt, eaque unica in una, eademque Ecclesia, seu non iteranda. Chokier *sect.* 2. *vers. confirmatam;* Herman. Herm. *cap.* 11. *cit. num.* 6. Van-Espen *J. E. U. p.* 2. *tit.* 25. *cap.* 9. *numer.* 21. Leuren. *p.* 2. *for. Benef. quæst.* 603. *num.* 1. Vvex *Ariadn. p.* 1. *tab.* 15. *num.* 1. la Croix *l.* 4. *Theol. Moral. numer.* 570. Pirh. *hic num.* 367. Vviest. *num.* 155. Appellantur etiam *Primariæ;* quia præferuntur cujusvis alterius provisioni, quomodocunque illa sive per Electionem, sive per præsentationem, aut nominationem, liberam collationem &c. facta sit, vel facienda. Imò per eas, ut *num. praced.* dictum est, Collatoribus Ordinariis imponitur necessitas Beneficium, quod Precibus his affectum est, conferendi illi, in cujus favorem directæ sunt. Hinc Preces istæ sunt veluti armatæ; quia non possunt rejici, obsistente videlicet Mandato Pontificio, quo præcipitur Precistæ conferri. Vvagn. *not.* 1. *citat.*

326 Quæritur 2. unde hoc Jus Primariarum Precum Imperatori competat? Acris de hoc inter Catholicos, & Acatholicos Scriptores disceptatio est. Volunt posteriores plerique, hoc Jus Imperatori competere ab insita suæ Personæ per electionem Majestate, seu, ut vernacula lingua proferunt, *Grafft tragenden Gapserlichenz-Imbts*, ita, ut nullo ad hoc indigeat aliunde accepto Indulto, vel adminiculo: pro qua sententia, tanquam pro Aris, & focis pugnant Fritsch. *de Jur. prim. prec. cap.* 5. *num.* 10. *& seqq.* Vitriar. *de Instit. Jur. publ. Rom. Germ. l.* 3. *tit.* 2. *pag.* 55. *&* 56. *num.* 9. Klock. *tom.* 1. *cons.* 4. *num.* 15. 30. *&* 31. Reinking *de Regim. Eccl. l.* 3. *class.* 1. *cap.* 9. *num.* 57. & novissimè Author Anonymus *Vindic. prim. prec.* & alii ab his *cit. Fundantur* 1. quia, ut ex Lundorpio *ad Annum* 1645. refert *cit.* Anonymus *fol.* 26. *&* 27. ex hoc Jure Majestatis Primarias preces profluere in Dieta Osnabrugi anno allegato habita, Status Catholici responderunt Acatholicis, cùm isti Preces istas pro inadmissibilibus, & inutilibus reputari vellent. 2. Quia non debet Imperator esse deterioris conditionis, quàm alii Ecclesiarum, & Beneficiorum Ecclesiasticorum Patroni. Atqui Patronus quilibet, etiam vulgaris, & fortis multo inferioris Jure præsentandi aliquem ad Beneficium uti potest. Ergo eodem gaudebit etiam Imperator sub initium saltem regiminis, tum ut benignitatem suam noviter illucescentem exhibeat, tum ut Clero (quem non minùs, ac Laicos Jurisdictioni Principum subjectum volunt) Majestatis suæ aliquam agnitionem imprimat. 3. Quia Beneficia, quatenus sunt merum jus percipiendi reditus temporales, nihil sunt Spirituale, ut fatentur ipsimet Catholici: unde sicut Episcopis, & Archiepiscopis electis Imperator conferre potest terras, Principatus, & Regalia, ita etiam Clericis conferre poterit Beneficia. 4. Quia, ut ex diversis Recessibus Imperii, præsertim *de Anno* 1512. §. 4. & 1524. §. 29. patet, Imperator in Imperio Jus Sacrorum habet: quo etiam usus est in Pacificatione Vvestphalica, ubi de Personis, & bonis Ecclesiasticis, imò integris Episcopatibus, & Archiepiscopatibus pleno Jure ex unicè summa Cæsarea potestate disposuit. 5. Quia si ad usum Precum primarum Imperator alio egeret adminiculo, earumque Jus profluerct à Sede Pontificia, admittendæ essent sequelæ plurimæ, ut Anonymus *cit.* quidem ex suo, & Acatholicorum sensu existimat, absurdissimæ, ac libertati Germanicæ vel maximè præjudiciosæ. 6. Quia in contrarium clamat usus Imperatorum antiquiorum Rudolpho I. ipsiusque Rudolphi, Sigismundi, & aliorum, præsertim verò nupertimè defunctorum glor. mem. Leopoldi I. & Josephi I. qui in dirigendis precibus, non ad gratiam Pontificiam, sed ad *antiqua Romani Imperii Jura* provocarunt.

Sed contrarium uno ore docent Scriptores Catholici. 327 Choppin. *de Sacr. Polit. l.* 1. *tit.* 10. *num.* 13. Restaur. Castald. *de Imperat. quæst.* 100. *num.* 14. *&* 15. Boerius *decis.* 32. *num.* 8. Arnulph. Ruzeus *de Jur. Regul. privil.* 47. *num.* 2. apud Bursatt. *cons.* 126. *num.* 39. *&* 40. Gaill. *pract. l.* 2. *obs.* 155. *fin.* Chokier *de Indult. prim. prec. proœm. post princ.* Besold. *tract. de Majest. Eccl. fol.* 121. Herman. Herm. *fasc. Jur. publ. cap.* 11. *num.* 8. *& seqq.* Quibus accedunt ex Acatholicis Vvilhelm. Bekers *Synops. Jur. publ. cap.* 5. §. 5. Rumellin. *ad Aur. Bull. p.* 1. *dissert.* 14. *thes.* 16. Syring. *de Pac. Relig. concl.* 31. *lit. B.* Lampad. *de Rep. Rom. Germ. p.* 3. *cap.* 11. §. 46. *&* 47. quos citat, & sequitur novissimè in lucem publicam datus Conradus Oligenius *de Precib. prim. fol.* 142. Fatentur hi omnes Jus Precum primariarum originem saltem ex Indulto, gratia, & concessione Apostolica ducere. Patet 1. *ex Diplomatis Precum Primariarum*, quas recentiores Imperatores, Rudolphus II. Ferdinandus II. & Ferdinandus III. interposuerunt, ubi quidem ad consuetudinem antiquam provocant, sed simul addunt eandem Authoritate Apostolica probatam, & roboratam, ut adeo fateri videantur, Jus illud ex Apostolicæ Sedis dono proficisci. 2. *Ex Bullis Pontificiis*, quibus Precum istarum Jus memoratis Impp. indultum fuit, ubi adhibentur termini *favorabiliter; de nostra mera liberalitate*, item *de Apostolica potestatis plenitudine indulgemus*, quæ verba cùm non jus, sed gratiam denotent, utique Imperatores prædicti non recepissent, si Precum istarum jus nullo modo ex Pontificis gratia proficisci putassent. 3. *Ex variis limitationibus*, quibus Pontifices Jus istud concluserunt, quoad locum, dum statuerunt id procedere tantùm quoad terras Imperii extra Italiam; quoad collatores, dum voluere, his precibus duntaxat tangi illos, qui saltem quatuor Beneficia habent collationi suæ obnoxia; quoad ipsa Beneficia, dum excluserunt à Precibus illa, quæ Sedi Apostolicæ reservata sunt per *Extrav. ad Regimen.* atqui non sustinuissent Imperatores, nec potuisset Pontifex limitationes has addere, si Jus Precum unicè à Jure Majestatis, quod à Pont. independens est, dependeret. ergo &c. 4. Ex praxi, qua constat lites, super precibus exortas in Curia Romana discuti, & definiri, quod signum est eas saltem originem ex Beneficio Apostolicæ Sedis trahere. 5. *Ex natura ipsius nominationis ad Beneficia*, cujus Jus, cùm antecedenter connexum spirituali sit, juxta *Regul. accessorium de Reg. Jur. in* 6. etiam ipsum sequi naturam ejus, cui annexum est, debet: cons. ejus Imperator, qui Laicus est, de se incapax est.

Neque obstant argumenta contraria. *Ad* 1. Precum 328 jus non aliter ex Jure Majestatis profluit, nisi quatenus intuitu Majestatis initio saltem à Pontifice datum est. *Ad* 2. etiam Patroni inferiores jus præsentandi ad Beneficia à se fundata ex Apostolica benignitate, absque qua incapaces ejusdem forent, nacti sunt. *Ad* 3. etsi reditus Ecclesiastici sint temporale quid tantùm, accessoriè tamen jus ad illos spirituale est, cùm sit annexum Officio spirituali, propter quod datur Beneficium. Quòd Principatus, & territoria sua Episcopi Germaniæ accipiant ab Imperatore, mirum esse non debet, cùm Jure Feudi eidem subjecti sint, & sub hoc onere primitus concessi Ecclesiasticis. *Ad* 4. Jus Sacrorum, quale Adversarii Imperatori, & principibus asserunt, nemo unus Catholicorum principum, qui utique potestatis suæ ignari non sunt, sibi arrogat, cùm omnes fateantur palàm Jurisdictionem suam merè merissimè temporalem esse. Quod in pacificatione Vestphalica Imperator fecit, necessitate temporum coactus fecit, nec ratum habuit Sedes Apostolica. *Ad* 5. sequelæ illæ, quarum Anonymus *allegatus à fol.* 28. quadraginta duas accumulat, absurdum sonant in auribus Acatholicorum tantùm, non autem Catholicorum, ex quorum principiis, quæ hic probare locus non est, ferè omnes oriuntur. *Ad* 6. etiam Rudolphus Indulto Papali muniri se fecit, ut notat Durandus ejusdem coætaneus, dum, *tit. de præb.* §. 2. *num.* 7. commemorat se privilegium hoc bullatum vidisse. Antiquiores Rudolpho Imperatores multa egerunt Libertati Ecclesiasti-

ſiaſticæ adverſa, quorum proinde acta pro Regula ſervire nequeunt. Leopoldus, & Joſephus glor. mem. Impp. noviſſimè defuncti ſine Indulto direxerunt Preces, Catholicorum non paucorum doctrina fulti, quorum aliqui putant Imperatoribus à Pont. conceſſum eſſe privilegium perpetuum, alii primò conceſſum ajunt conſuetudine continuatum ad Succeſſores.

329 Quæritur 3. quàm antiqui uſus, & quantæ efficaciæ ſint Preces primariæ? *Reſp. ad* 1. ſunt uſus antiquiſſimi; nam ut *num. præced.* dixi, Durandus, qui quinto abhinc ſæculo vixit, circa annum 1271. teſtatur ſe hujus Indulti Bullam vidiſſe, non Imperatoriam, ut vult Anonymus *in ſuo tract. de prim. precib.* ſed Pontificis, ut intelligere potuiſſet, ſi Speculum Durandi inſpexiſſet; ait enim ſe vidiſſe bullatum privilegium, quod Imperator habet, ut in qualibet Eccleſia Alemanniæ poſſit facere unum recipi. atqui privilegium nemo ſibi dat, ſed ab alio Superiore accipit: unde cùm Imperator in Eccleſiaſticis Superiorem recognoſcat Pontificem, clare id privilegium ab iſto datum Imperatoribus. *Conf.* ex formula primarum Precum Rudolphi I. Habſpurgici, qui in Romanorum Regem electus eſt anno 1273. nam hic uſurus privilegio hoc ad antiquam, & approbatam conſuetudinem hactenus obſervatam ſe refert, ut videre eſt apud Goldaſt. *Conſtit. Imper. tom.* 1. *pag.* 343. igitur ſignum eſt facultatem iſtam non primùm memorato Imperatori datam, ſed à Pontifice confirmatam fuiſſe.

330 *Ad* 2. dico, Preces iſtas tantæ efficaciæ eſſe, ut manus Ordinario collatori ligent, ne alii, quàm per Preces ab Imperatore nominato Beneficium conferre poſſit, ſi is idoneus ſit, & ſi alteri conferat, collatio ſit invalida. Stephan. Gratian. *tom.* 3. *diſcept. for. c.* 478. *numer.* 1. *&* 8. Beſold. *theſaur. pract. verſ. Primariæ Preces*, & patet ex Indulto Primarum Precum Ferdinando II. à Paulo V. conceſſarum, quod refert, & Scholiis ſuis illuſtrat Joannes Chokier *tract.* ſpeciali, quem ſubnexuit Commentariis *ad Reg. Cancell.* Neque impeditur iſtarum effectus per quamcunque reſervationem etiam Pontificiam, exceptis iis, quæ continentur in *Extrav. ad regimen.*

331 In ſpecie per Indultum Primarum Precum derogatur. 1. Concordatis Germaniæ, præſertim, quatenus per illa decernitur Alternativa Menſium; nam locum habent, quocunque menſe ſive Apoſtolico, ſive Ordinarii Beneficium vacare incæperit, Gratian. *loc. cit. num.* 10. Chokier *Indult. ſeſſ.* 4. *verſ. cum in quibuſvis etiam Ordinariis*, Vvagn. *ibid.* §. 3. *verſ. eod.* Herm. *numer.* 47. la Croix *l.* 4. *numer.* 569. & patet ex Indulto, quod Friderico III. conceſſit Nicolaus V. & confirmavit Calixtus III. Nicolai Succeſſor, ex deciſione *Romanæ Rotæ* 1618. 4. *Maji*, quam refert Chokier *loc. cit. fol.* 63. *&* 64. & ex notoria Cæſarum praxi, qui nemine interpellante, in quibuſvis menſibus primarias Preces concedunt, quæ nimis anguſtæ forent, ſi ad illos duntaxat menſes coarctarentur, in quibus Ordinarii Collatores Jure conferendi non gaudent.

332 2 Derogatur Statutis, & conſuetudinibus Eccleſiarum particularibus, ut patet ex §. *non obſtantibus*, & notat *ibidem* Chokier *verſ. ſtatutis, & conſuetudinibus*, Vvagn. §. 4. *num.* 4. Pirhing *num.* 386. Vvieſtner *num.* 155. Hinc etſi Imperator in eo, in cujus favorem Preces intendit dirigere, obſervare debeat qualitates requiſitas ex Juris communis diſpoſitione, aut fundatione (nam preces nullam vim, & poteſtatem aut Juri communi, aut conditionibus in fundatione appoſitis derogandi habent) ſi tamen qualitas aliqua in Beneficiato requireretur tantùm per Statutum, & conſuetudinem Eccleſiæ ſpecialem, illa Imperator non tenetur attendere etſi à Sede Apoſtolica, vel juramento confirmata ſint; quia per §. *non obſtantibus cit.* relaxantur. Et hinc, ut Vvagn. *loc. cit.* refert, cùm Ferdinandus II. ad Eccleſiam, ubi Nobiles tantùm ex conſuetudine, vel Statuto recipiebantur Canonici, ignobilem Preciſtam propoſuiſſet, Capitulum verò recuſaret illum admittere, ad eum admittendum coactur fuit.

333 3 Derogatur Regulis Cancellariæ; Litteris conceſſis *in forma pauperum*, ſive mandatis de providendo pauperibus Clericis non habentibus Beneficium; Litteris de providendo Perſonis illuſtribus, aut Graduatis; omnes enim hæ Litteræ non obſtant Precibus Imperatoriis, ut patet ex §. *non obſtantibus cit.* Imò per eaſdem Preces derogatur quibuſvis aliis privilegiis, indultis, & Litteris Apoſtolicis, Indulto huic quomodocunque adverſantibus, etiam Motu proprio Papæ, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, etiam cum clauſulis derogatoriarum derogatoriis, & aliis inſolitis conceſſis, ut iterum ex §. *cit.* patet.

Ex quo patet, quòd Indultum hoc inſignem Cæſaris favorem contineat. Inferri ex iſto poſſet, Indultum iſtud diſpoſitionibus favorabilibus accenſendum. Sed meliùs adhuc inter odioſas numeratur, ac propterea, ſicut alia privilegia, quæ à Jure communi exorbitant, ſtrictam interpretationem recipient. *arg. Reg. odia de R. J. in* 6. Chokier *ſeſſ.* 2. *quæſt.* 16. Herman. *capit.* 11. *cit. numer.* 14. Neque aliud probat favor per ea exhibitus Imperatori; nam omne privilegium, cui conceditur, favorabile eſt, & tamen inter diſpoſitiones odioſas cenſetur: imò ipſæ pœnæ, licèt favorem publicum concernant, quia tamen ſimul odio delinquentium inductæ ſunt, tanquam odioſæ reſtringuntur *l. interpretatione* 42. *ff. de pœn.* 334

335 Quæritur 4. an Preces hæ Imperatoriæ ſint Juri conſentaneæ, iiſque locus ſit adhuc hodie? *Rationem dubitandi* facit *cap. nulla* 2. *cap. conſtitutus* 11. *de conceſſ. Præb. cap. deteſtanda* 2. *eod. in* 6. & alii ſimiles textus, in quibus Exſpectativæ ad Beneficia vacatura, utpote per quas votum optandæ, vel captandæ mortis alienæ inducitur, reprobantur, & prohibentur. Accedit Trid. *ſeſſ.* 24. *cap.* 19. *de reform.* ubi pariter tolluntur Gratiæ Exſpectativæ ad Beneficia vacatura, ita, ut *neque hactenus conceſſis cuiquam uti liceat*. Tales autem videntur eſſe Preces Imperatoriæ, cùm per eas Imperator habeat jus nominandi etiam ad Beneficia vacatura, ergo &c.

336 Verùm his non obſtantibus, indubitatum manet, quòd Preces hæ Imperatoriæ licitæ ſint, eæque locum hodiedum habeant. Ita Vvameſ. *conſ.* 261. *h. tit.* Beſold. *theſaur. pract. V. primariæ preces*, *verſ. ac uniones*, Chokier *proœm. verſ. interea*, Fagn. *in cap. nulla de conceſſ. præb. num.* 9. *&* 10. Herm. *faſc. Jur. publ. cap.* 11. *num.* 9. Van Eſpen *J. E. U. part.* 2. *tit.* 25. *cap.* 9. *num.* 22. Vvex *Ariadn. part.* 1. *tab.* 15. *num.* 3. Pirh. *hic num.* 385. Vvieſt. *num.* 156. *Ratio eſt*, quia *citt.* Juris Canonici ſanctiones non obſtant, quò minùs Papa de Beneficiis vacaturis providere hodiedum poſſit, igitur etiam manus eidem non ligabunt, quin facultatem de iis in caſum vacaturæ, etiamſi actu non vacent, per primas Preces diſponendi communicare Imperatori, Regique Romano poſſit.

337 *Ad Rationem dubitandi* inter Gratias Exſpectativas, & Preces Imperatorias latiſſimum diſcrimen eſt; nam Gratiæ Exſpectativæ concipiuntur per verbum *Conferimus*, & ob id Exſpectativa ſtatim ſola acceptatione perficitur, & tribuit jus in Beneficio, ita, ut collatio ab Executore vi talis Gratiæ deinde facta non ſit Juris, ſed facti tantùm; at Preces ſolùm rogant Collatores, ut conferant, & dant Executores, ut compellant conferri: & ſic non afficiunt Beneficium, neque acquiritur Jus Preciſtæ, niſi ſecuta collatione. Joan. Emerix *deciſ.* 5. *num.* 3. *& ſeqq.* Accedit, quia etiam non urget ratio in Precibus, quæ in Exſpectativis; cùm enim conceſſio, & gratia Imperatoris generalis ſit, adeoque incerta, ut bene advertunt Gaill. *l.* 2. *obſ.* 155. *num.* 7. Leuren. *for. Benef. p.* 2. *quæſt.* 605. cum *citt.* non ita inducit periculum captandæ mortis alienæ. Æquè parum obeſt textus Trid. cum ex ſententia S. Congreg. approbata per Gregorium XIII. Preces primariæ Decreto illo non comprehendantur, ut notat Joann. Gallemart *ad locum Trid. cit. num.* 1. & probat ratio, quia cùm Imperator ob perſonæ Majeſtatem ſit nota ſpeciali dignus, Concilium, ſi voluiſſet ipſum Decreto hoc ſuo comprehendi, ſpecialem de illo feciſſet mentionem, ſicut fecit de Cardinalibus.

338 Quæritur 5. an privilegio Primariarum Precum uti Imperator electus poſſit etiam ante coronationem, vel confirmationem ſuam, & ad vacantia, vel vacatura Beneficia, Indulto Pontificio nondum impetrato, perſonas idoneas nominare? Magna hodie circa Quæſtionem iſtam controverſia eſt, & diſſident inter ſe DD. etiam Catholici, dum aliqui cum Conrado Oligenio *tract. de Prim. Precib.* volunt neceſſarium eſſe ſpeciale Indultum Pontificium; alii negant, aſſeruntque poſſe Imperatorem, antequam Confirmationem obtinuerit à Summo Pont. Preces dirigere: in cauſa tamen AA. hi non conveniunt; nam aliqui volunt Imperatores Jure iſto gaudere ex Indulto generali, alii ex conſuetudine per approbationem Pontificiam olim jam roborata. Difficultatem in reſolutione iſtius quæſtionis jam pridem ſenſere Chokier, & Hermes, qui dum eam attingunt, malunt nihil decidere. Horum exemplum ſequar, momenta tamen utriuſque partis proponam, ex quibus prudens Lector partem illam eligere

gere poterit quæ conſideratis omnibus appaſuerit verior.

339 *Sententiæ negantis* neceſſitatem ſpecialis Indulti fundamenta ſunt 1. quia Reges Romanorum electi, quamvis non de Jure (nam electi poteſtas primùm per Coronationem, aut Confirmationem completur *arg. c. noſti 9. c. qualiter 17. de elect.* & *c. avaritiæ 5. eod. in 6.*) de conſuetudine tamen ſtatim adminiſtrant Imperium. ergo ratio non eſt, cur non etiam Electo, quamvis non coronato, vel confirmato, concedatur uſus primarum Precum, & facultas ad Beneficia nominandi. 2. quia juxta *Reg. 10. in 6.* ratihabitio retrotrahitur, & mandato æquiparatur, ſi nomine ratum habentis negotium geſtum eſt. atque electus in Imperatorem nomine, & Authoritate Apoſtolica poteſtatem nominandi, vigore hujus Indulti concedi ſolitam, exercet erga perſonas bene meritas. igitur ſi poſtea per Litteras Apoſtolicas Indultum hoc concedatur, retrotrahetur iſtud ad Electionis diem, & ſic nominationes ab Electo factæ haberi debebunt pro ratis. 3. quia, ut ex inconcuſſa duorum, & ultra Sæculorum obſervantia conſtat, Pontifices Imperatoribus electis, ſi petierunt, ſemper conceſſerunt Indultum primarum Precum, ut adeo ex tanti temporis uſu quivis Imperator non dubiam capere præſumptionem poſſit de mente, & voluntate Pontificis, quòd non invitus favorem adeo antiquum continuare in recens electum velit. 4. non conſtat quòd Imperatores ſaltem Rudolpho I. antiquiores ſpeciale aliquod Indultum à Pontifice obtinuerint: ex recentioribus Romanorum Regibus, & Impp. Ferdinandus IV. Indultum hoc non exſpectavit, ſed ſtatim, ac ſine mora, poſtquam in Romanorum Regem electus eſt, ante confirmationem obtentam, & petitam, ejuſmodi Preces, vel earum ſaltem Exſpectativas cumulatim conceſſit: hujus verò Frater Leopoldus I. & iſtius Filius Joſephus I. glor. mem. non obſtante, quòd Indultum illud nunquam habuerint, Precum Jure tamen uſos fuiſſe palam eſt. 5. Imperatores, qui Indultum hoc obtinuerunt, in formula Precum non ad Indultum, ſed ad antiquam conſuetudinem authoritate Apoſtolica roboratam ſe referunt, ut adeo conceſſio Indulti non tam largitio novæ gratiæ, quàm antehac conceſſæ confirmatio duntaxat eſſe videatur, petique Indultum potiùs ad abundantiorem cautelam, quàm neceſſitatis intuitu.

340 Contrà *ſententiæ affirmantis* neceſſitatem ſpecialis indulti hæc maximè momenta prodit Oligenius ſæpiùs allegatus. 1. Indultum ſpeciale obtinuerunt Rudolphus I. ut dictum eſt *ſuprà n.* 328. *ad* 6. Fridericus III. primùm ab Eugenio IV. & cùm Pontifex iſte gratiam Apoſtolicam arctaſſet ſolùm ad 100. Beneficia, pro ampliori poſt Concordata ſubſcripta ſupplicavit Nicolao V. & obtinuit, ut patet ex formula Indulti apud Oligen. *cit. n.* 37. *&* 39. Exemplum iſtorum ſecuti, & Indultum ſpeciale conſecuti ſunt Maximilianus I. ab Innocentio VIII. Carolus V. à Leone X. Ferdinandus I. à Clemente VII. Maximilianus II. à Pio IV. Rudolphus II. à Gregorio XIII. Matthias, & Ferdinandus II. à Paulo V. Ferdinandus III. ab Urbano VIII. ut adeo omnino videatur concludi, ipſos Imperatores, Germanoſque omnes ſpatio tanti temporis agnoviſſe neceſſitatem Indulti Pontificii, & conſuetudinem hanc eſſe, ut ſine illo nec Ordinarii, & Capitula Germaniæ parerent primis Precibus, neque Imperatores eas dirigerent, aut dirigere ſe poſſe exiſtimarent. 2. Iidem Imperatores, cùm exciperent Germaniæ Ordinarii, quòd primis precibus obſtent concordata Germaniæ, & Regulæ Cancellariæ, ſupplicarunt Summis Pontt. ut iis non obſtantibus Preces darentur executioni. atqui ita ſupplicare neceſſarium non fuiſſet, ſi, quod maximè Acatholici volunt, Indultum à Pont. petiiſſent ad cautelam duntaxat, & ex civilitate. 3. Pontifices in Indultis ab Imperialibus Precibus exceperunt Beneficia reſervata per *Extrav. ad Regimen*, primas Dignitates &c. quas reſervationes non potuiſſent ſine gravi cauſa ſuperinducere, ſi Imperatores ex conſuetudine Preces indiſtinctè potuiſſent dirigere. 4. Proviſiones Beneficiorum in vim Precum faciendæ publicari debent eodem modo, quo publicari edixerant Pontifices Gratias Exſpectativas, addita pœna nullitatis in caſu contrario: quam ſanè conditionem irritantem non acceptaſſent Imperatores, ſi privilegio generali jam fuiſſent muniti, cùm jure ſibi quæſito neque Pontifex aliquem ſine graviſſima cauſa poſſit exuere. 5. à ſic promotis per Preces exiguntur Annatæ, & cætera Jura Cameræ Apoſtolicæ non minùs, ac ab iis, qui immediatè proviſi à Papa ſunt. igitur ſignum eſt, quòd earum vis non ſit quæſita in perpetuum, ſed ſemper à Pontificia liberalitate pendeat. 6. denique *cit.* Oligenius *fol.* 172. affert Bullam Sanctiſſimi Domini noſtri Clementis XI. hodie glorioſè regnantis, quam ad Hildeſienſe Capitulum dedit, præcepitque, ut ad Canonicatum Menſe Papali vacantem recipeſent eum, qui à ſe proviſus fuit, illum verò, qui per Primas preces à glor. mem. Imp. Joſepho I. nominatus fuerat, tanquam intruſum manu Laicali, à Canonicatu illo repellerent, ex eo ſolùm capite, quòd idem Auguſtiſſimus Indultum ſpeciale primarum Precum non petierit, nec habuerit: ut adeo cùm conſtet de voluntate contraria Papæ, cadat *Argumentum* 2. ſententiæ adverſæ, cui precipuè innituntur cætera. Videatur Oligenius *tr. cit.* Wex. *Ariadn. p.* 1. *tab.* 15. *num.* 4. Leuren. *p.* 2. *q.* 604. Wagn. *ad inault.* §. 1. *verſ. quæres*, Pirh. *hic num.* 371. Schamb. *num.* 52. Wieſt. *n.* 157.

Quæritur 6. ad quas terras, ſeu Provincias ſeſe extendant Preces? Reſp. extendunt ſe per Imperium Romanum, prout nunc eſt, non autem prout fuit, cùm plures Provincias, & Regna contineret; quia per illud ſecundùm præſentem ſtatum tantùm Imperator ſuperioritatem habet, non autem in aliis Regnis, & Dominiis, etſi alioquin ſpectarint ad Imperium. Chokier *prooem. verſ. interea fol.* 1. Wagn. §. 2. *verſ. per Romanum Imperium*, la Croix *l.* 4. *n.* 569. Pirh. *hic n.* 368. Wieſt. *n.* 157. niſi ea conditione tranſlata ſint, ut retineant conditiones, quas habebant, dum juncta erant Imperio, prout de Epiſcopatu Metenſi, Tullenſi, Verdunenſi docent Chokier *l. cit.* Herman. Herm. *faſc. Jur. publ. c.* 11. *n.* 31. quia licèt in pacificatione Weſtphalica Coronæ Gallicæ incorporati ſint, incorporati tamen ſunt cum clauſula, *Eo modo, quo hactenus ad Romanum ſpectabant Imperium.* at quando ad Imperium ſpectabant, Imperator habuit in dictis locis Preces. ergo etiam nunc eas habebit. *Excipiuntur* Beneficia Italiæ, etiam in illis Statibus, qui Feudum ab Imperatore recognoſcunt, ut Ducatus Mediolanenſis; nam in his Preces primariæ locum non habent, prout decidit Rota *in una Novarienſi Canonicatus, & præbendæ S. Gaudentii* apud Chokier *l. cit.* 341

Dubitari poteſt, an primis precibus locus ſit, quando Beneficium quidem ſitum in Germania eſt, collator verò, aut collatrix non eſt Germaniæ incola? Reſp. affirmativè; quia Pontifex concedens Preces non tam reſpexit domicilium Collatoris, quàm locum, ubi Beneficia conſtituta ſunt. Rebuff. *prax. de nominat. q.* 15. *num.* 56. Chokier *ſ.* 2. *verſ. per Sacrum Romanum Imperium*, Herm. *c.* 11. *cit. n.* 28. *Excipitur*, ſi ſit acceſſoriè unitum Beneficio alteri exiſtenti in Germania; tùnc enim ſequitur naturam principalis, imò Primis precibus omnino non eſt obnoxium, ut *infrà n.* 348. dicam. 342

Ex quo è converſo ſequitur, ſi Collator ſit in Imperio, Beneficia verò collationi ejus obnoxia extra illud, in iſtis precibus non eſſe locum ob rationis identitatem. *Et procedit hoc* 1. etſi acceſſoria illorum ſint in Imperio ſita; nam poſtquam principale eſt extra Imperium, etiam acceſſorium ejus non debetur Preciſtis in vim Cæſareæ nominationis. Chokier *l. cit. Procedit* 2. etſi collatio talis Beneficii extra Germaniam ſiti jure devoluto perveniret ad aliquem Epiſcopum, vel Archiepiſcopum Germaniæ; quia prima cauſa inſpicienda eſt *l.* 1. §. 13. *fin. ff. depoſit.* & privilegium ſuos non egreditur terminos. Bartol. *in l. poſt dotem ff. ſolut. Matr.* Chokier *l. cit.*

Quæritur 7. ad quæ Beneficia ſe preces iſtæ extendant? Reſp. hac in re Regulæ generalis inſtar eſt, locum his precibus eſſe in quibuſcunque Beneficiis, ſive ſæcularia illa ſint, ſive Regularia, ſive cum cura, ſive ſine cura, ſive ſimplicia, ſive duplicia, videlicet Dignitates, Perſonatus, Adminiſtrationes, Officia. *Indult.* §. *hinc eſt*, & *ibi* Chokier *V. ſuper ſingulis Beneficiis*, Wagn. *ibid.* §. 2. *num.* 6. Leur. *q.* 602. *n.* 1. Pirh. *hic n.* 367. 343

In ſpecie precibus ſubjacent. 1. *reſervata* Summo Pontifici, modò non ſint reſervata *in Extrav. ad Regimen.* 2. *Electiva*, Excipit Chokier Dignitates, & Beneficia electiva in civitate, & Diœceſi Leodienſi ob Conſtitutiones variorum Pontt. quas citat *fol.* 41. 3. ſubjecta *Juri Patronatus Eccleſiaſtici*; nam Beneficia Patronatus Laici, & mixti excipientur *infrà n.* 345. 4. ſpectantia ad Collationem plurium tam communiter, quàm diviſim, ſed authoritate, & vice communitatis, e. g. per turnum &c. ſecus, ſi nomine & Jure proprio, niſi ſaltem quatuor ad ejus proviſionem ſpectarent. 5. Beneficia Curata, modò perpetua ſint: quo reducuntur etiam Vicariæ, niſi ſint merè temporales. 6. vacantia per contractum matrimonii, profeſſionem Religioſam, promotionem, vel ob crimen hæreſis, Simoniæ &c. 7. devoluta ad immediatum Superiorem, v. g. à Prælato, ſeu Abbate non exempto ad Epiſcopum,

non verò ad Papam; hæc enim in Indulto Precum excipiuntur. 8. resignata simpliciter in manus Ordinarii. De quibus vide Chokier *s. 2. super singulis, & seqq.* Vvagn. §. *fol.* 488. *& seqq.* Leuren. *p. 2. for. Benef. q.* 607. Pirh. *hic n.* 383. *& seqq.*

344 *Excipiuntur*, & Precibus primis non subjacent. 1. Dignitates, & prælaturæ omnes pontificiales, his proximæ in Cathedralibus, & principales, seu primæ in Collegiatis, aliaque, quæ pontifici reservantur in *Extrav. ad Regimen.* Chokier *s. 2. vers. dummodo*, Vvagn. *V. eod.* Herm. *fasc. Jur. publ. c.* 11. *num.* 36. *&* 43. Vvex. *Ariadn. p.* 1. *tab.* 15. *n.* 5. la Croix *l.* 4. *num.* 570. P. Pirh. *hic n.* 376. *&* 382. P. Schmier *p.* 2. *de reb. Eccl. c.* 3. *n.* 220. & patet ex *Indulto Precum vers. hinc est*.

345 2 Beneficia Monocularia; quia primarum precum Indulto, ut constat ex textu, solùm gravantur Collatores, qui saltem quatuor Beneficia habent sub sua provisione: Unde is, qui tantùm unum, alterumve ad provisionem suam pertinens habet, primas preces Imperiales admittere non tenetur, ne contingat, ut collatores Ordinarii jus conferendi pro toto suæ vitæ tempore sibi inutile habeant, quod evenire posset, si plures Imperatores intra breve tempus rebus humanis eximerentur, novique substituerentur. Chokier *V. saltem quatuor*, Vvagn. *V. eod.* Engl *hic numer.* 71. *vers.* 3. *ut preces*, Herm. *n.* 39. Pirhing *n.* 370. Vviestner *n.* 197. Vvex. *num.* 5. la Croix *n.* 571. Schmier *l. cit.*

3 Beneficia Juris patronatus Laici; nam etsi pontifex indulto precum permittat Cæsari nominationem Beneficiorum ad præsentationem quorumcunque pertinentium, non tamen per hoc censetur derogasse Juri patronatus Laico, ex fundatione, dotatione, erectione Ecclesiæ ipsis Laicis quæsito, ne ab hujusmodi piis fundationibus absterreantur. Chokier *s. 2. V. præsentationem fol.* 42. *&* 43. Vvagn. §. 2. *vers. collationem*, Engl *n.* 71. *cit. vers.* 5. Herm. *n.* 32. Pirh. *n.* 368. *not.* 3. *& not.* 8. Vviestner *num.* 164. Vvex. la Croix *l. citt.* Idem dicendum de patronatu mixto, qui Laico simul, & Ecclesiastico competit; quia in favorabilibus potiùs attendenda est qualitas Laicalis, ne Laicus propter Clericum perdat privilegium suum, ut cum *citt.* notat Leur. *q.* 908. *n.* 3. *Excipitur*, si in ejusmodi patronatu mixto plures sint patroni Ecclesiastici, quàm Laici; talis enim patronatus censeretur magis esse Ecclesiasticus. *arg. l. quæritur* 10. *ff. de stat. homin.*

346 4 Beneficia, quæ ex natura sua sunt Regularia, uti sunt Abbatia, Præposituræ, Prioratus, Decanatus, Canonicatus Regularis, Monachatus simplex; neque enim Imperator nominat Abbates, Præpositos, Decanos Priores in Monasteriis, & multo minùs Canonicos Regulares, vel Monachos; supponunt enim hæc Beneficia professionem Religiosam. Vvagn. §. 2. *vers. Beneficiorum*, Pirh. *n.* 368. *not.* 4. Vviest. *n.* 161. Vvex. *n.* 5. Leur. *n.* 4. Aliud dicendum de iis Beneficiis Regularibus, quæ per accidens merè talia sunt, v. g. ex Fundatoris voluntate, aut alia ordinatione, ut sunt Parochiæ, & Capellaniæ ad Monasterium pertinentes, & per Regulares, Canonicè in iis institutos, administrari solitæ; nam in his locus per se est primis precibus, quamvis nec ad illa Imperatores personas nominare soleant; tum verò ne disciplinæ Regularis turbandæ facilè præberetur occasio, prout DD. *citt.* monent.

347 5 Beneficia litigiosa, seu super quorum proprietate cum eorum possessoribus lis mota est, & adhuc indecisa pendet. Chokier *s. 2. V. lis pendeat indecisa fol.* 77. Vvagn. §. 3. *vers. restringitur*, Herm. *n.* 38. Pirh. *n.* 383. Leuren. *n.* 6. Vviest. *n.* 166. la Croix *n.* 571. & patet ex *Indulto Precum §. quandoque*. *Ratio est*, quia generatim Gratiæ exspectativæ non cadunt super Beneficia litigiosa, ut Rota decisum testatur Vvagn. *l. cit.* *Excipitur*, nisi lis sit notoriè frivola, & calumniosa; nam hæc vitium litigiosi non inducit, & sic preces non impedit, prout *AA. citt.* notant. Idem dicendum, quando lis solùm est super possessione Beneficii. Vvames *cons.* 101. *n.* 9. Mandos. *in Reg. de subrogand. q.* 13. *n.* 4. cum *citat.*

6 Beneficia resignata ex causa permutationis coram Ordinario, vel in favorem tertii; quia hæc non censentur vacare, nisi ad effectum, ut conferantur illis, qui permutationem fecerunt, vel in quorum favorem dimissa sunt. Chokier *s. 2. V. super singulis fol.* 74. Vvagn. §. 2. *V. quoad easdem vers. speciem*, Herm. *n.* 35. Pirh. *n.* 382. Vviest. *n.* 163. Leur. *n.* 8. *&* 9. la Croix *n.* 571. Idem dicendum de resignatis simpliciter in manibus Papæ. Leur. *n.* 8. *cit.*

348 7 Beneficia ad Sedem Apostolicam legitimè devoluta; sic enim expresse habet *Indultum §. quodque cit.* Chokier *s.* 4. *V. ad Sedem fol.* 77. Herm. *n.* 37. Pirh. *n.* 383. Vviestn. *n.* 166. Leur. *n.* 7. la Croix *l. cit.*

8 Erecta post concessas Preces, tum quia cùm tempore concessionis nondum erat Beneficium, Imperator non erat mentis ad illud Preces concedere; tum quod eædem sint odiosæ, & sic restringendæ. Accedit, quòd hoc modo fundatores à fundationibus Beneficiorum absterreri possent, si viderent, ea simul, ac erecta sint, suæ provisioni per Preces subduci. Chokier *s. 2. V. super singulis fol.* 35. *n.* 11. Pirh. *n.* 368. la Croix *n.* 571. *cit.*

9 Manualia revocabilia ad nutum; Incorporata perpetuò Mensæ Episcopali, vel Capitulari, aut alicui Dignitati, Ecclesiæ, Collegio &c. Exempta, Commendata, Servitoria, sive Ministerialia, quibus annexum est onus canendi, vel dirigendi canentes in Choro, ut Vicariatus Chori; solita dari Scholaribus ratione studii in aliqua Universitate, nisi dentur in titulum. Chokier *ferm.* 2. *V. super Beneficiis n.* 4. 15. *& seqq.* Vvagn. §. 2. *V. quoad easdem vers. speciem*. Pirh. *n.* 368. *not.* 3. Vviest. *num.* 165. Leur. *à n.* 11. la Croix *num.* 571. *citt.*

10 Vicariæ temporales, Pensiones non datæ in titulum, Hospitalia etiam Religiosa, nisi dentur in titulum, Officia, quæ cadunt etiam in Laicos, Præbendæ Canonissarum &c. Ita *citt.* qui videri possunt.

Solùm noto, per hoc tantùm, quòd in aliqua Ecclesia statutum factum sit, ut supprimatur unus, vel plures Canonicatus pro communibus necessitatibus Ecclesiæ, vel Collegii sublevandis, non tolli locum Precibus, neque eo casu Precistam teneri exspectare, donec ultra Canonicatus, qui per Statutum supprimendi sunt, vacet alius, prout bene advertit Besold. *Thesaur. pract. V. primariæ preces vers. Statutum*, Hermes *fasc. Jur. publ. c.* 11. *n.* 34. & ratio est, quia hoc modo in fraudem precum ad multos annos ultra vitam Precistæ fieri dilatio posset, quod non est admittendum. *Excipit* Chokier *V. super Beneficiis cit. n.* 10. si suppressio facta sit Indulto Papæ tempore datarum Precum; tum enim ait Preces locum habituras in prima Vacatura, non obstante suppressione, istam tamen habituram eum effectum, ut Precista non assequatur Præbendam, donec tempus indulti finitum sit. 349

Quæritur 8. quid observandum, ut Preces Primariæ rite interponantur, & locum, effectúmque inveniant? Resp. 1. interponendæ sunt in quavis Ecclesia pro uno solùm Beneficio, ut patet ex *Indulto Precum §. hinc est*, & §. *ita quòd*, ubi additur, *quoad easdem Preces Canonicatum, & Præbendam, ac Dignitatem, Personatum, Administrationem, Officium pro unico duntaxat Beneficio computari debere*: atque hinc non potest Imperator unam personam nominare pro Canonicatu, aliam pro Præbenda, ut notat Chokier *ser.* 3. *V. Canonicatum, & Præbendam fol.* 49. Pirh. *n.* 370. *not.* 5. idque statutum est, tum ne Ecclesiæ nimiùm graventur; tum quia Rescripta gratiæ, seu privilegia, in quantum recedunt à Jure communi, odiosa sunt, & restringenda. 350

2 Per Preces primarias gravari non possunt, nisi illi Collatores, qui habent jus conferendi saltem qua est *suprà n.* 334. Addidi, *in Imperio*. Ex quo solvitur Casus, quo Collator unum Beneficium provisionis suæ habet in Imperio, tria autem, vel plura extra illud; in hoc enim casu, licèt videri posset, eum quoad unum illud primis Precibus gravari posse, quòd sicut gravamen respicit totum patrimonium *l. si fideicommissum* 50. §. *tractatum*, 1. *ff. de Judic.* ita hoc gravamen Precum censeatur respicere omnia Beneficia, ut sic illud unum non videatur esse Monoculum. Verius tamen contrarium est, ut bene Chokier *ser.* 2. *V. saltem quatuor*, Herm. *cap.* 11. *cit. n.* 40. Leuren. *q.* 608. *n.* 2. & sumitur ex Indulto Precum, quod expresse requirit, ut habeat quatuor saltem in Imperio, §. *hinc est cit.* Aliud foret, si Collator Ordinarius haberet collationem unius Beneficii in Imperio, & præsentationem aliorum trium, vel plurium in eodem Imperio: nullum enim ex his dicetur Monoculum, prout *l. cit.* rectè admonent Chokier, Herm. Leur. Idem dicendum, si Collator haberet collationem unius Beneficii solus, aliorum trium, vel plurium cum aliis, ut iidem notant, & rationem dant, quia meum etiam dicitur, quod mihi cum aliis commune est *l. siquis suos servos* 74. *ff. de Legat.* 1. *l. pupillus* 239. §. *fin. ff. de V. S.* Menoch. *de arbitr. cas.* 201. *n.* 95. *&* 96. Chokier *V. saltem quatuor cit.* Herm. *n.* 42. 351

3 Privilegium, & Indultum hoc suum Imperator cedere potest alteri: quo casu nominatio facta à Commissario perinde haberi debet, acsi facta esset ab Imperatore ipso 352

mensem q. 3. & colligitur *arg. c. si Clericus* 11. *h. tit. in* 6. ex cujus decisione Clericus, qui habet Gratiam exspectativam ad Præbendam proximè vacaturam, & hæc ex ejus neglectu deinde alteri collata est, non potest petere secundò vacantem. *Si posterius*, posito, quòd Precista nolit acceptare primum beneficium vacans, potest acceptare secundum; si nec istud, tertium, & sic deinceps, donec aliquod tandem acceptaverit: nam hoc facto mutatio non ampliùs admittetur juxta *Regul. quod semel placuit.* 21. *in* 6. Herm. *c.* 11. *n.* 63. cum *cit.*

372 Quæritur 14. an casu, quo Beneficium in Ecclesia, ad quam preces Precista habet, vacar per obitum Petri, Precista autem dicat illud vacare per obitum Pauli, & sibi conferri petat, valeat acceptatio hoc modo facta? Videtur non valere, quia etiam non valet impetratio Beneficii, si illud vacet per aliam personam, quàm sit expressum, cùm expresso uno modo vacandi, non veniat alius *c. susceptum* 6. *de rescript. in* 6.

Sed adhuc dicendum, acceptationem hujusmodi valere, modò constet de corpore beneficii. Ita post Rebuff. docet Chokier *ser.* 4. *vers. affinis quæstio fol.* 71. Vvagn. §. 3. *vers. infra mensem q.* 4. Herm. *c.* 11. *num.* 64. Leuren. *q.* 621. *cit. num.* 7. Pirh. *hic num.* 380. *Ratio est*, quia falsa demonstratio non vitiat actum, si de corpore, sive re constet *l. demonstratio* 17. *ff. de condit. & demonstr.* & qui eligit jus, quod sibi falsa opinione ductus putat competere, non propterea amittit id, quod ipsi verè competit, *l. mater* 19. *vers. cæterùm ff. de inoffic. testam.* & *l. legitimum* 8. *ff. de hæredit. petit.*

Ad Rationem dubitandi negatur paritas inter impetrationem, & acceptationem beneficii; illam inficit falsitas commissa in expressione modi, quo beneficium vacare dicitur, non verò acceptationem, cùm ad illam perinde sit, cujus morte beneficium vacet casu, quo Precista nominationem habet ad vacaturum quoquo modo in Ecclesia, ad quam directæ sunt Preces.

373 Quæritur 15. an casu, quo Titio petenti, ut sibi vi Precum, quas obtinuit, conferatur beneficium aliquod vacans, objicitur, illud primis precibus non esse obnoxium, is, precibus omissis, ad ordinariam provisionem transire, & ab Ordinario Collatore illud petere, & recipere valeat? Videtur non posse; quia nec ab Electionis prosecutione licet transire ad Postulationem, aut ab electione unius ad electionem alterius *c. un. de postulat Præl. in* 6. *c. ut quis duas* 25. *de elect. eod.*

Sed respondendum est affirmativè, idque sæpe etiam in praxi profuit, ut testis est Herm. *cap.* 11. *n.* 72. Ratio est, quia inutilem viam ingresso non præcluditur à Jure regressus ad utilem, & actionem proponenti ineptam, si appelletur, non aufertur recursus ad aptam *arg. cap. post electionem* 7. ibi, *Tam ratione primæ, quàm secundæ concessionis, de concess. præb.* & *Reg. nullus* 29. *in* 6.

Textus in ratione dubitandi allatus Juris correctorius est; nam ante Bonifacium VIII. talis transitus etiam in electione non erat prohibitus: conf. ad alios casus trahi non debet.

374 Quæritur 16. an tempus unius mensis, quod Precistæ datur ad acceptandum beneficium, currat etiam contra minorem 25. annis, vel alium legitimè impeditum? Videtur respondendum affirmativè; nam in Spiritualibus minor censetur major *c. ex parte* 14. *de restit. spoliat. & c. ult. de Jud. in* 6. censendus enim est sui Juris sicut filiusf. in Castrensi peculio.

Sed verisimilius est non currere, durante minore ætate, vel impedimento *arg. l. super* 1. *C. de annal. except. l. ob commissa* 21. *C. ad Leg. Jul. de adult.* & per alia Jura, ex quibus sumitur illa Regula, quòd *legitimè impedito non currat tempus*. Chokier *s.* 4. *vers. rursus fol.* 72. Vvagn. *V. infra mensem q.* 5. Leuren. *p.* 2. *q.* 621. *n.* 2. Herm. *cap.* 11. *n.* 59. Engl. *hic n.* 71. *vers. minorem quoque*, Pirh. *n.* 381. *ibid.*

Ad rationem dubitandi id solùm verum est in iis, quæ sunt verè Spiritualia, ut matrimonium, ingressus in Religionem, Votum &c. Secus in iis, quæ Spiritualibus tantùm annexa sunt, ut beneficialia; in his enim tempus contra minorem non currit, vel saltem in casu, quo enormiter læsus est, in integrum restituitur.

375 Quæritur 17. an casu, quo post datam, & à Precista admissam gratiam nominationis, antequam beneficii collatio fiat, Imperator moritur, ea gratia maneat, & executioni danda sit? Videtur respondendum negativè; quia se habet instar mandati, quod morte mandantis exspirat.

Sed tenenda est affirmativa sententia, quam etiam defendunt Herman. Herm. *c.* 11. *num.* 23. Leuren. *p.* 2. *q.* 615. *n.* 2. Vvex. *Ariadn. p.* 2. *tab.* 15. *n.* 9. la Croix *l.* 4. *n.* 573. quia etiam aliæ gratiæ, & privilegia actu concessa per mortem concedentis non tolluntur, etiam re integra *c. si super* 9. *de Offic. deleg. in* 6. & præsentatio legitimè facta à Patrono non videtur exspirare, etsi is moriatur, antequam fiat Institutio.

Ad rationem dubitandi, esto, quòd nominatio hæc se habeat instar mandati, tamen res non est integra, cùm Imperator gratiam dederit, & hæc sit acceptata, & gratia Principis debeat esse perpetua.

TITULUS VI.

De Clerico ægrotante, vel debilitato.

SUMMARIUM.

1 *Clericus ob senium, infirmitatem &c. non amittit Beneficium, sed Coadjutor ei dandus est.*
2 *Si canonicè institutus sit in Beneficio.*
4 *Locum habet etiam, quando Episcopus, vel Prælatus factus est perpetuò inhabilis.*
5 6 7 *Quod etiam dicendum de Parochis.*
8 *Fructus Beneficii.*
9 *Et Distributiones quotidianæ debentur Coadjuto.*
10 *Dempta portione, ex qua ali Coadjutor debet.*
11 *In casu, quo utrique alendo reditus Beneficii non sufficiunt, præferendus Coadjutori est Coadjutus.*
12 *Beneficiariis inferioribus Coadjutorem dare potest Episcopus.*
13 *Episcopis solus Papa cum duplici exceptione.*
14 *Advertenda, quando Capitulum Episcopo amenti Coadjutorem dat.*
15 16 17 *Perpetuum Coadjutorem Episcopis, & aliis Beneficiariis dare potest solus Pontifex.*
18 19 20 *Causæ, ob quas Episcopo, Prælato &c. dari Coadjutor potest.*
21 22 23 24 *Qualitates in Coadjutore requisitæ.*
25 26 27 28 *Officium ejusdem.*
29 *Obligationes.*
30 31 32 33 *Sedes, & prærogativa.*
34 *Simpliciter dati officium cessat morte Coadjuti.*
35 *Datus cum futura successione subintrat in locum Coadjuti post hujus mortem.*
36 *Etiamsi ista contigerit ante notitiam factæ gratiæ.*
37 38 39 *Non tamen si contigerit ante tempus datæ.*

CUm Beneficium detur propter officium, sequi videtur, quòd sicut Beneficium conferri nequit, nisi qui habilis est ad exercendum Officium, juxta dicta *Tit. præc. num.* 61. ita etiam auferendum illud sit ei, qui cùm priùs habilis fuisset, ad exercendum officium Beneficii sui est factus inhabilis. Hinc necessarium erat examinare, & statuere, quid tali casu sit faciendum. Igitur

Quæritur 1. an Clericus ob senium, infirmitatem, 1
mutilationem amittat Beneficium suum, vel saltem fructus illius? Resp. si in Beneficio Ecclesiastico canonicè institutus, sive, ut loquimur, investitus est, non potest propterea à Beneficio removeri, etsi Officio suo superesse nequeat, sed Coadjutor ei dandus est; qui accepta de reditibus Ecclesiæ portione, quæ ad congruam suam sustenrationem sufficiat, Officium ejusdem præstet. Ita Gonzal. *ad Reg.* 8. *Cancell. gloss.* 5. §. 9. *à num.* 31. Garc. *p.* 4. *de Benef. cap.* 5. Barbos. *l.* 3. *Jur. Eccl. cap.* 10. *num.* 3. & statuitur *can. cùm percussio* 2. *caus.* 7. *q.* 1. *cap. cùm percussio* 1. *cap. Presbyterum* 2. *cap. de Rectoribus* 3. *cap. ex parte* 5. & *cap. fin. h. tit.* Ratio datur *cap. ex parte cit.* quia *afflicto afflictio non est addenda, imò potiùs ipsius miseriæ miserendum.* Quin imò ita adjutus non potest dici simpliciter inhabilis, quippe cujus inhabilitas Coadjutoris habilitate suppletur. Clericar. *de Benef. discord.* 63. *num.* 16.

Dixi autem, *Si in Beneficio Ecclesiastico canonicè institutus, sive investitus est*; nam per ejusmodi investituram acquirit jus in re in beneficio, quo ob infirmitatem, senium, vel mutilationem privari non debet. Aliud dicendum, si investitus necdum est; tunc enim non obstante collatione eidem facta, removeri debet, vel potiùs admitti non potest ad beneficium, cùm collatio inhabili facta sit nulla, & irrita. Addidi *dandum esse eidem Coadjutorem*, ne sc. diuturna Beneficiarii absentia à suo beneficio, vel Ecclesia eidem damnosa sit, & animabus, si Curatum sit beneficium, periculosa. 2

Quæritur 2. quid, & quotuplex sit *Coadjutoria*? Resp. 3
Coadjutoria est *facultas alicui concessa adjuvandi Beneficiatum in Beneficii regimine*. Ita Pal. *tr.* 13. *D.* 1. *p.* 9. *n.* 1. cum communi. Communiter duplex dividitur, sc. una *Temporalis*, & *revocabilis*, altera *Perpetua*, & *irrevocabilis*. *Temporalis Coadjutor* ille dicitur, qui propter favorem, & utilitatem Ecclesiæ adhibetur alicui

ejus Rectori ob ægritudinem, vel infirmitatem, aut animi, aut corporis facto inutili, & ministrare impotenti, ut pro eo ministret, & officium exerceat cum congrua portione ex reditibus beneficii ei assignanda. *Perpetuus* præter officium, in quo debilitatum adjuvat, & jus petendi sustentationem ex reditibus Ecclesiæ, insuper habet jus succedendi in beneficio, casu, quo illud per mortem, aut resignationem Beneficiati vacabit. Hier. Gonzal. *ad Reg. 8. gloss.* 5. §. 9. *num.* 19. Garc. *p.* 4. *cap.* 5. *n.* 4. Barbos. *l.* 3. *Jur. Eccl. cap.* 10. *n.* 1. & 2. Emman. Gonz. *in c.* 6. *h. tit. n.* 4. Konig *hic n.* 2.

Passerinus *in c. un. h. tit. in* 6. *n.* 9. addit tertiam Coadjutoriæ speciem, sive *Mixtam*: & *Temporalem* quidem vocat illam, quæ neque ex parte Coadjuti, neque ex parte Coadjutoris perpetua est, sed revocabilis ad nutum; *Perpetuam*, quæ ex parte utriusque perpetua est, qualis est sola illa, quæ datur cum jure successionis; *Mixtam*, quæ perpetua est tantùm ex parte Coadjuti, eò quòd cum vita hujus exspiret.

4 Quæritur 3. an Constitutioni Coadjutoris locus sit etiam casu, quo Clericus ad Officium, beneficio suo annexum, ob lepram, amentiam &c. perpetuo inhabilis factus est? Satis convenit inter DD. tali casu Coadjutorem constituendum *Episcopo*, & *Prælatis hoc superioribus*, neque istos propterea à Prælatura removeri, aut ad resignationem ejusdem compelli posse, prout satis clarè habetur *cap. ex parte* 5. *h. tit.* & *c. un. eod. in* 6. & ratio est, quia inter Episcopum, & Ecclesiam ejus intercedit vinculum Spiritualis conjugii, quod ab alio, quàm Papa non est solubile *cap. inter corporalia* 2. *de translat. Episc. Proceditque* hoc, etsi electus solùm, & confirmatus fuerit, nondùm verò consecratus; quia, ut bene Abb. *in c. ex parte cit. n.* 4. consecratio nihil addit ad conjugium Spirituale Episcopi, nisi quòd ea facta dicatur consummatum. Idem dicendum de *Prælatis inferioribus* tam Sæcularibus, quàm Regularibus, deque iis, qui Dignitatem, Personatum, vel Officium quodcunque obtinent, ut cum Host. & aliis notat Fagnan. *in c. fin. h. tit. à n.* 2. Passerin. *in c. un. eod. in* 6. *n.* 6. Pirh. *n.* 11. *hic* Wiest. *n.* 8. *Ratio est*, quia nullus Prælatus, sine culpa sua, removeri debet ab Officio suo.

5 Controversia est de *Parochis*, in qua non idem omnium sensus est; nam aliqui cum Innoc. volunt casu; quo impedimentum Parochi est perpetuum, e. g. morbus incurabilis, hunc ab Ecclesia sua omnino removendum: & probari istud videtur ex pluribus Juris nostri textibus. 1. ex *can. fin. dist.* 55. ubi Diaconus, cui nulla sua culpa oculus erutus fuit, propter hujusmodi impedimentum removetur ab Ecclesia. 2. ex *can. siquis Abbas* 15. *caus.* 18. *q.* 2. ubi Abbas effectus inhabilis *ab Episcopo, & à vicinis Abbatibus* præcipitur *à suo arceri honore*, ut textus loquitur. 3. ex *c. tua nos* 4. *h. tit.* ubi absolutè dicitur, quòd *Sacerdos lepræ morbo percussus --- ab administrationis debeat officio removeri* conf. in officio hoc substituendus eidem est alius, qui Rector sit Beneficii. 4. *c. eod.* dicitur ejusmodi Presbyter Parochialis, ubi remotus fuerit ab administrationis officio, Ecclesiæ facultatibus sustentandus, sc. pensione eidem relicta. igitur Beneficio privari jubetur. 5. *c.* ut *Abbates* 1. *de ætat. & qualit.* ubi Beneficiis, & Dignitatibus suis privari jubentur, qui propter superveniens impedimentum Ordinem illis annexum suscipere, & officium obire nequeunt.

6 Sed his non obstantibus, dicendum, probabiliùs etiam Parochos, & reliquos Curatos, si ad curam animarum per se exercendam ex causa aliqua fiunt inhabiles, non removendos, sed Coadjutore assignato, adjuvandos. Ita Abb. *in c.* 4. *h. tit. n.* 4. Garc. *p.* 4. *de Benef. c.* 5. *n.* 5. & 6. Suar. *de Censur. D.* 51. *s.* 2. *n.* 18. Pal. *tr.* 13. *D.* 1. *p.* 9. *n.* 1. Fagn. *in c. de Rectoribus* 3. *h. tit. n.* 4. Barbos. *ibid. n.* 2. & 3. Gonz. *in c.* 6. *n.* 4. Passerin. *in* 1. *n.* 4. & 23. Leur. *for. Benef. p.* 1. *q.* 238. Honor. *hic n.* 1. Engl *n.* 1. Pirh. *n.* 7. Schamb. *n.* 2. & 3. Konig *n.* 8. Wiest. *n.* 9. & novissimè Clariss. P. Schmier *p.* 2. *de reb. Eccl. c.* 3. *n.* 285. Sumitur ex *can. satis perversum* 7. *dist.* 56. *can. scripsit* 1. *can. cùm percussio* 2. *can. quamvis* 14. *can. petiisti* 17. *caus.* 7. *q.* 1. *c. ex parte*, & *c. de Rectoribus citt.* quod posterius de hoc casu expressè videtur loqui; nam, ut Fagn. in id *cap. n.* 5. notat, appellatione *Rectorum* ex proprietate vocabuli veniunt inferiores Curati.

7 Neque contrarium suadent allati textus. *Ad* 1. Diaconus ille habebat Præbendam Sacerdotalem, ut ex textu patet; ad quam quia ea conditione promotus fuit, ut susciperet Sacerdotium, postquam ad hoc suscipiendum factus est inidoneus, mirum non est, quòd etiam Præbenda sua ceciderit. *Ad* 2. textus ille loquitur de Abbatibus vitiosis ex causa damnabili, non autem de senio confectis, aut corpore vitiatis, ut patet ex littera ibi, *Etiamsi omnis congregatio vitiis suis consentiens*. *Ad* 3. textu illo, ut *loc. citt.* explicant Garc. *n.* 6. Pal. *n.* 1. Fagn. *num.* 7. Gonz. *n.* 4. Passerin. *n.* 7. jubetur ejusmodi Parochus ab officio removeri solùm quoad exercitium cum retentione illius in habitu. *Ad* 4. textus ille concordandus, & explicandus est juxta *caput fin. h. tit. in* 6. ubi præcipitur, ut *Coadjutores hujusmodi de proventibus Prælatorum, in quorum assumentur auxilium, sumptus recipiant moderatos*: conf. ipsis pensio danda, reliqui fructus relinquendi sunt Coadjuto. *Ad* 5. ibi sermo est de Abbatibus, Præpositis &c. qui Dignitates suas nondum cœperunt administrare; imò illas nondum plenè, & omnino absolutè, sed sub tacita conditione suscipiendi intra annum Ordinis sunt assecuti: & hi, si Ordinem requisitum ob impedimentum perpetuum, vel diu valde duraturum suscipere nequeant, meritò à Dignitatibus sic collatis removeri jubentur, cùm deficiat conditio, sub qua collatæ iisdem sunt.

Quæritur 4. cui debeantur fructus Beneficii, in quo 8
Coadjuto datus est Coadjutor? Resp. debentur Coadjuto, & quidem omnes, quos, si sanus esset, percipere ipse ab Ecclesia potuisset, dempta portione, ex qua ali Coadjutor debet. Sumitur ex *c. cùm percussio* 1. *h. tit.* ubi ægrotanti Clerico jubentur *præberi, quæcunque ei, si sanus esset, poterant ministrari*, & nihil excipitur. *Ratio* datur *c. cit.* quia alioquin alii exemplo deterrerentur, ac proinde non reperirentur idonei ministri, qui Ecclesiæ servire vellent. *Conf.* nam etiam Sæculi militibus, si senio confecti, aut aliter debilitati fuerunt; dabantur prædia, & possessiones ad eorum alimoniam *l. item* 15. §. 2. *ff. de R. V.* igitur nec Christi militibus, seu Clericis subtrahenda sunt Beneficia, quæ antequam ita debilitarentur, obtinuere.

Extenditur etiam ad *Distributiones quotidianas*; nam 9
etiam istas percipere Coadjutus debet, saltem si, dum sanus erat, easdem percipere fuit solitus; nam si ante infirmitatem propter absentiam ab Officiis Divinis eas percipere non fuit solitus, etiam superveniente morbo, percipere illas non debet, ut dictum est *Tit. præc. num.* 87. & confirmatur ex ratione, quia casus superveniens declarandus est secundùm casum proximè præcedentem, ut *arg. c. majores* 3. *de Baptism.* arguunt Abb. *in c. cùm percussio* 1. *h. tit. in* 6. & Fagn. *ibid. nu.* 11. igitur sicut ante morbum ob neglectam præsentiam in Officiis Divinis non debebantur illi Distributiones quotidianæ, ita nec in morbo, cùm non iste, sed potiùs continuata negligentia censeatur esse causa absentiæ à Divinis Officiis. Videatur *num.* 87. *cit.* cum *num. seq.*

Addidi, *Dempta portione, ex qua ali Coadjutor debet*; nam alimenta huic præstanda sunt ex reditibus 10
Beneficii, in quo ipse Coadjutor servit, ut bene Azor. *p.* 2. *l.* 3. *cap.* 2. *q.* 9. Ventriglia *prax. tom.* 2. *annot.* 13. §. *un. n.* 18. Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 63. *num.* 15. Fagn. *in c. de Rectoribus cit. n.* 8. Passerin. *in cap. un. h. tit. in* 6. *n.* 43. & constat ex *c. de Rectoribus, c. tua nos, c. un. cit.* ibi, *De proventibus Prælatorum, in quorum assumentur auxilium, sumptus recipiant moderatos*. Consentit Trid. *sess.* 21. *c.* 6. *de reform.* ibi, *Partemque fructuum eisdem pro sufficienti victu assignare, vel aliter providere possint*, & *c. Proceditque hoc*, etsi Coadjutor fuerit dives; ita, ut de suo patrimonio vivere posset; quia nemo suis stipendiis militat unquam. Clericat. *disc.* 44. *num.* 24.

Dubitatur, cui priùs sit providendum, Parocho infirmo, an Coadjutori, si reditus Ecclesiæ ad utriusque sustentationem non sufficiant? Gloss. *fin. in c. de Rectoribus cit.* Alagona *ibid. vers. item si*, Azor. *p.* 2. *l.* 3. *cap.* 2. *q.* 9. dicunt ex reditibus Ecclesiæ priùs providendum esse Coadjutori, qui servit Ecclesiæ, infirmo autem Rectori, vel Parocho de alimento prospiciendum aliunde ab Episcopo, & videtur istud innui *can. Episcopus* 1. *dist.* 82. Verùm hic textus non multum servit isti sententiæ; quia generaliter solùm disponit, ut Episcopus *pauperibus, & infirmis, qui non possunt suis manibus laborare, victum, & vestitum largiatur*. Hinc probabiliùs

Dicendum, tali casu præferendum Parochum infirmum. Ita Ant. de Butrio *in c. de Rectoribus cit. num.* 4. 11
Abb. *ibid. n.* 6. Joann. Andr. *n.* 3. Barb. *n.* 4. & *l.* 3. *Jur. Eccl. c.* 10. *n.* 28. Pal. *tr.* 13. *D.* 1. *p.* 9. *n.* 3. Passerin. *in c. un. h. tit. in* 6. *n.* 44. Pirh. *n.* 8. *hic*, Engl *n.* 3. Schamb. *n.* 3. Vall. *n.* 4. Konig. *n.* 13. Wiest. *n.* 11. *Ratio est*, quia priùs succurrendum ex reditibus Ecclesiæ est illi, qui potius jus ad illos reditus habet, hoc autem potiùs est in Parocho, quàm in adjuncto ipsi

ipsi Coadjutore; Parochus enim quoad pristinos reditus jus habet ex Beneficii titulo, & investitura, ejusque proprietatem, & possessionem retinet, quarum neutram Coadjutor habet, cum nudum ministerium eidem competat. ergo &c.

Quare, ne tali casu congrua sustentatione Coadjutor careat, aliunde providebit Episcopus, & vel Parochianos, ut ei succurrant, coget, vel si hi pauperes sint, aut ad vitæ subsidia eidem subministranda sine difficultate non possit adigi, ipse illi succurret per collationem Beneficii simplicis, vel assignationem pensionis, ut colligitur ex Trid. *sess.* 21. *c.* 4. *de reform.* ubi in Episcopi arbitrio ponitur, an ad præstandam sustentationem novo Parochiæ Rectori (eadem autem ratio est de Coadjutore) compellere velit populum, an verò eidem fructus aliunde assignare.

12 Quæritur 5. quis assignate, seu dare Coadjutorem possit? Resp. distinguendo, an dandus sit cum futura successione, an sine illa. *Si primum*, distinguendum est inter Episcopos, & Prælatos Episcopo inferiores cæterosque Beneficiarios. *Istis*, si exempti non sint, Coadjutores dare possunt proprii eorum Episcopi, vel alii Prælati illorum superiores, qui jus instituendi, & destituendi eosdem in dictis Beneficiis habent. Gonz. *gloss.* 5. §. 9. *n.* 36. Barb. *alleg.* 63. *num.* 11. & *l.* 3. *Jur. Eccl. cap.* 10. *n.* 22. Passerin. *in cap. un. h. tit. in* 6. *n.* 11. Pirh. *hic num.* 14. *not.* 6. Konig *num.* 4. Vviest. *num.* 14.

13 *Prioribus* verò, seu *Episcopis*, & horum superioribus Coadjutorem dare Ordinaria potestate solus Pontifex potest, prout habetur *c. un. h. tit. in* 6. & ratio ibidem datur; quia datio Coadjutorum censetur inter causas majores: quæ in signum specialis prærogativæ Sedi Apostolicæ sunt reservatæ. Estque hoc Pontifici ita proprium, ut contrarium non sit per consuetudinem præscribibile, ut expresse decernitur *c. cit.* & aliis allegatis notat Passerin. *ibid. n.* 14. *Excipitur c. cit.* nisi aliud exigat necessitas Ecclesiæ, & ob distantiam Pontifex facilè adiri nequeat; tunc enim distinguendum, an Episcopus administrationis incapax sit ob senium, vel corporalem invaletudinem &c. an verò quia incidit in amentiam. *In priori casu* ipsemet Episcopus authoritate Pontificia, cum consilio, & consensu sui Capituli, vel majoris partis ejusdem assumere sibi unum, vel duos Coadjutores potest ad dictum suum officium exequendum. *In posteriori* eadem authoritate illud facere potest Capitulum.

14 Quo casu tria notari debent 1. concurrere ad constitutionem Coadjutorum debent duæ partes Capituli, nec sufficit consensus majoris partis, ut aliàs regulariter: quod speciale est, sicut etiam in electione Summi Pont. & postulatione, quæ concurrit cum electione. Gloss. *in c. un. cit. V. duæ illius partes*, Alagon. *ibid. in fin.* Azor. *p.* 2. *l.* 3. *c.* 2. *q.* 2. *vers. porro*, Barbos. *l.* 3. *Jur. Eccl. c.* 10. *num.* 7. Passerin. *in c. un. cit. n.* 31. *&* 36. Engl *hic n.* 2. Pirh. *n.* 14. *not.* 4. Konig *n.* 4. Vviest. *n.* 13. 2. Capitulum hoc casu dare plures Coadjutores non potest, nisi duos; quia quando Lex, vel Statutum determinatum numerum præfigit, non potest is excedi, & cum Capitulum, non nisi ex potestate delegata Papæ unum, vel duos Coadjutores dare possit, debet servate limites mandati. Gloss. *in c. fin. cit. V. aut duos*, Alagon. *ibid. in fin.* Franc. §. *si verò n.* 3. Passerin. *n.* 37. Pirh. *l. cit.* Konig *n.* 6. & hoc statutum est, ne nimiùm graventur Ecclesiæ, ex quarum reditibus ali Coadjutores debent. 3. si hoc casu Capitulum Coadjutorem Episcopo amenti dederit, Episcopi, & Ecclesiæ suæ conditionem, ac facti circumstantias universas, quàm citò poterit, ad Sedem Apostolicam referre jubetur. Passerin. *num.* 39. Quod etiam observandum, si Episcopus omnino inutilis redditus Coadjutorem assumere, licèt à Capitulo requisitus, non velit, ut notatur *c. un. cit. vers. si autem*, Alagon. *ibid. vers. & si in utroque*, Vivian. *vers. sed si*, Passerin. *n.* 38. *&* 40. Barbos. *n.* 1. *& l.* 3. *Jur. Eccl. c.* 10. *n.* 7. Honor. *hic n.* 9. Engl *n.* 2. Konig *n.* 4.

15 Major difficultas est *de secundo distinctionis n.* 12. *allatæ membro*, an videlicet, & à quo Coadjutor perpetuus, seu cum jure succedendi dari valeat? *Ratio dubitandi* triplex est. 1. Quia Trid. *sess.* 25. *c.* 7. *vers. in Coadjutoriis de reform.* decernit eas tollendas. 2. Quia successiones in Beneficiis jam ab antiquo Jure inveniuntur damnatæ *c. detestanda* 2. & *c. seq. h. tit.* 3. Quia sic videtur præberi occasio captandæ, vel optandæ alienæ mortis, sc. ejus, cui cum successionis jure Coadjutor datus est.

Sed his rationibus non obstantibus, explorati Juris est, ejusmodi Coadjutores cum jure successionis dari posse, non quidem ab Episcopo, vel aliis Prælatis, sed à Pontifice tantùm, prout jam olim factum esse videtur colligi ex *c. an petivisti* 17. *caus.* 7. *q.* 1. & hodie ex praxi constat. *Ratio est*, tum quia Pontifex de Beneficiis, & Dignitatibus Ecclesiasticis disponendi, inque iis vacaturis jus tribuendi potestatem habet plenissimam; tum quia id aliquando Ecclesiæ necessarium, vel saltem utile esse potest, ut nim. sic Coadjutor majore cum authoritate munus suum exerceat, diligentiùs eo fungatur, plurisque habeatur à subditis &c.

Addidi, *non posse Coadjutorem cum jure successionis dari ab Episcopis, aut aliis Prælatis inferioribus*: quod patet ex Trid. *sess.* 25. *c.* 7. *vers. in Coadjutoriis cit.* ubi ejusdem PP. voluerunt *Coadjutorias cum futura successione nemini in quibuscunque Beneficiis Ecclesiasticis permitti*: & *sess.* 21. *c.* 6. *de reform.* ubi Sacra Synodus *Episcopis, tanquam Sedis Apostolicæ delegatis* permisit facultatem *deputandi Coadjutores pro tempore*. *Ratio est*, quia deputatio Coadjutoris perpetui, & cum Jure successionis est quædam promissio, vel provisio Beneficii vacaturi, quæ, si ab alio, quàm à Pontifice, facta est olim jam irrita, & inanis fuit *c. nulla* 2. & *duobus seqq. de concess. Præb.* 16

Imò etiam Pontifex, quando Ecclesiæ Cathedralis urgens necessitas, aut evidens utilitas postulat Prælato Coadjutorem dari, non aliter illum cum futura successione dat, quàm postquam causam dandi diligenter priùs in Consistorio suo examinari fecerit, simulque constiterit, qualitates omnes in Coadjutore constituendo concurrere, quæ à Jure, & Decretis S. Synodi Trid. in Episcopis, & Prælatis requiruntur; aliàs accessiones super iis factæ subreptitiæ censebuntur. Flam. *de resign. l.* 7. *q.* 20. *n.* 14. *&* 15. Barbos. *Jur. Eccl. l.* 1. *c.* 15. *n.* 51. & *l.* 3. *c.* 10. *n.* 47. Passerin. *in c. un. h. tit. in* 6. *n.* 13. *& seqq.*

Rationes dubitandi in contrarium non multum urgent. *Ad* 1. Trid. *l. cit.* non comprehendit Pontificem; nam ut *eadem sess. c.* 21. *de reform.* declarat, *omnia, & singula, sub quibuscunque clausulis, & verbis, quæ de morum reformatione, atque Ecclesiastica disciplina --- in hoc Sacro Concilio statuta sunt, vult ita decreta esse, ut in his salva semper authoritas Sedis Apostolicæ & sit, & esse intelligatur*. *Ad* 2. cum eadem exceptione plenitudinis potestatis Papalis intelligi debent textus ibi allati. *Ad* 3. voto captandæ, & optandæ mortis alienæ occasio per concessionem Coadjutoriæ perpetuæ non præbetur per se, & ex fine suo, sed solùm per accidens. Igitur non obstante illo, Pontifex, quoties profuturum judicaverit, ejusmodi Coadjutores cum jure successionis dare poterit. 17

Videantur de hoc Gonz. *ad Reg.* 8. *gloss.* 5. §. 9. *num.* 91. Garc. *p.* 4. *de Benef. c.* 5. *n.* 16. *& seqq.* Azor. *p.* 2. *l.* 3. *c.* 2. *q.* 2. Lambertin. *de Jur. patron. l.* 2. *p.* 1. *q.* 6. *art.* 20. *n.* 3. *& seqq.* Pal. *tr.* 13. *D.* 1. *p.* 9. *n.* 7. *& seqq.* Fagn. *in c. nulla* 2. *de concess. præb. n.* 84. Pirh. *hic n.* 20. Vviest. *n.* 16.

Quæritur 6. quæ sint causæ, ob quas Episcopo, Parocho, vel alii Beneficiato, aut Prælato Coadjutor assignari possit? Resp. has enumerat Flamin. *de resign. l.* 7. *q.* 20. *à n.* 6. Azor. *p.* 2. *l.* 3. *c.* 2. *q.* 3. Barb. *l.* 1. *Jur. Eccl. c.* 15. *n.* 51. & *l.* 3. *c.* 10. *à n.* 5. Pignatell. *tom.* 4. *cons.* 137. *n.* 2. Gonz. *in c. fin. h. tit. n.* 5. Honor. *à num.* 3. & alii passim. Suntque 18

1 Senium Episcopi, Prælati, vel Beneficiarii. Porro quæ ætas requiratur, ut quis senio affectus in ordine ad effectum istum censeri debeat, non conveniunt DD. Aliqui cum Archidiacono apud Franc. §. *verùm n.* 2. requirunt, ut sit 70. annis major. Gonz. *Reg.* 8. *gloss.* 5. §. 9. *n.* 84. Barb. *in c. un. h. tit. in* 6. *n.* 7. Pignat. *n.* 2. *cit.* Konig *n.* 10. putant sufficere ætatem 60. annorum. Alii meliùs cum Passerin. *in c. un. cit. n.* 20. dicunt, senium considerandum esse secundùm Episcopi complexionem, cùm alii citiùs, alii tardiùs senescant.

2 Gravis infirmitas perpetua, & incurabilis; nam si morbus solùm sit temporalis, & curabilis, Coadjutor ei dandus non est, ut monet Abb. *in c. ex parte* 5. *h. tit. n.* 2. *not.* 1. quamvis hoc casu Episcopus pro Beneficiario ægrotante constituere possit Vicarium temporalem. Fagn. *in c. ex parte cit. n.* 4. Passer. *n.* 22. *&* 23. Pirh. *n.* 10. Estque hoc ita verum, ut nisi Coadjutus nominatim exprimat talem morbum, qui sit aptus eundem impedire ab exercitio officii sui, eundemque probet, constitutio Coadjutoris non valeat. Barb. *l.* 3. *Jur. Eccl. c.* 10. *num.* 6. Porro ætas sexagenaria, & mala valetudo Coadjuti pro obtinenda Coadjutoria sufficienter probatur ex attestatione Capituli, & Medicorum. Jacob. Emerix *decis.* 494. *n.* 2. præcipuè si intra paucos menses à die concessæ Coadjutoriæ sequatur mors Coadjuti. *Rota decis.* 45. *n.* 30. *decis.* 313. *n.* 10. *p.* 7. *recent.* 19

3 Mutilatio, si talis sit, ut officium Sacerdotale in totum, vel saltem ex parte exercere non possit, vel non nisi cum notabili deformitate, quæ pariat scandalum, 20

vel horrorem ſpectantibus afferat *c. Presbyterum* 2. *h. tit.* & notat Pirh. *n.* 4. *hic*.

4 Defectus ſufficientis doctrinæ in Parocho, vel Curato; his enim, *ſi aliàs honeſtæ vitæ ſunt, Coadjutores, aut Vicarios pro tempore deputari ab Epiſcopis, tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatis* permiſit Trid. *ſeſſ.* 21. *c.* 6. *de reform.*

5 Aucta populi numeroſitas, ita, ut Rector Eccleſiæ, ei providendo non ſufficiat ſolus. Cæſar de Graſſis *deciſ. un. de Paroch.* Gonzal. *gloſſ.* 5. §. 9. *n.* 26. Barb. *l.* 3. *Jur. Eccl. c.* 10. *n.* 16.

6 Si ſit negligens, & remiſſus in officio ſuo; ſi ſuſpectus de dilapidatione bonorum Eccleſiæ; ſi aliàs inhabilis, ut non poſſit muneri ſibi injuncto incumbere. AA. *citt.* Quò revocatur, ſi ſit exul, captus ab hoſtibus, aut diu abſens ex cauſa neceſſaria, & graviſſima. Pignatell. *conſult.* 137. *cit. n.* 5.

21 Quæritur 7. qualis debeat eſſe Coadjutor datus Epiſcopo, vel Beneficiario? Reſp. multum refert, quem in finem detur, an ſolùm in ordine ad ſuccedendum in Epiſcopatu, an verò etiam ad juvandum Epiſcopum, vel Beneficiarium non potentem exercere officium ſuum. *Si primum*, ſicut Coadjutoris datio tali caſu pertinet ad ſolum Pontificem, ita ab ipſo, cum Legibus Eccleſiaſticis non ligetur, dari poteſt, qui qualitates ad Officium, vel Dignitatem, in quo conſtituitur, nondum habeat. Patet ab Experientia, ex qua conſtat, ejuſmodi Coadjutorias cum futura ſucceſſione in Epiſcopatu à Pontifice Principum præcipuè Filiis ſæpe concedi, etiamſi nec ætatem, nec litteraturam, nec alias qualitates requiſitas habeant. Vvagn. *in c. fin. h. t. in* 6. *not.* 3. Yvex. *Ariadn. p.* 4. *decad.* 1. *caſ.* 2. *n.* 21. Engl *hic n.* 7. Konig *n.* 5.

22 *Si ſecundum*, & Coadjutor Epiſcopo, vel Beneficiario detur ad eum juvandum, quia officium ſuum exercere non poteſt, concurrere in perſona ejus illæ omnes qualitates debent, quæ ad exercitium adminiſtrationis, ad quam datur, neceſſariæ ſunt. Pignat. *tom.* 4. *conſ.* 137. *num.* 4. Paſſer. *in* 8. *un. cit. h. tit. in* 6. *num.* 47. cum cæteris.

In ſpecie 1. debet eſſe Clericus; quia Laicus generalis Eccleſiæ adminiſtrator eſſe non poteſt *can. indicatum* 5. *diſt.* 89. Proceditque hoc etiam quoad adminiſtrationem temporalium tantùm. *Excipitur* plenitudo poteſtatis Papalis; nam hic etiam ad Spiritualia quædam gerenda dare Laicum Coadjutorem poteſt, ut notat Abb. *in c. fin. h. tit. n.* 2. *q.* 4. Azor. *p.* 2. *l.* 3. *c.* 2. *q.* 7. Pirh. *hic n.* 15.

23 2 Si Coadjutor ſit tantum datus ad temporalium rerum adminiſtrationem, debet eſſe prudens, & in ea re exercitatus; ſi verò ad Spiritualia adminiſtranda, & animarum curam exercendam, debet habere ſcientiam, quæ ad hunc finem requiritur, una cum vitæ, morumque honeſtate. Abb. *l. cit. n.* 1. *q.* 2. Azor. *q.* 5. Pirh. *n.* 15. *cit.*

3 Ætatem illam habere debet, quam requirit Beneficium vel Officium, ad cujus adminiſtrationem datur. Barb. *l.* 3. *Jur. Eccl. c.* 10. *n.* 89. & hinc ſi Parocho datus ſit ad gerendam curam animarum, debet attigiſſe 25. ætatis annum; ſi Epiſcopo, diſtinguendum eſt; nam ſi datus eſt ad Spiritualium adminiſtrationem, debet compleviſſe 30. annos: ſi ad adminiſtrationem temporalium tantùm, ſufficit, ſi compleverit annum 25. nam hæc cenſetur in Jure perfecta ætas, ita, ut Tutor, Curator, vel Procurator aliquis eſſe poſſit. Azor. *c.* 2. *cit. q.* 6. Paſſer. *in c. un. h. t. in* 6. *num.* 47. Leur. *p.* 1. *q.* 217. *n.* 2. Honor. *hic n.* 12. Konig. *n.* 6.

24 4 Quoad Ordinem diſtinguendum eſt inter Coadjutorem Temporalem, & Perpetuum. *Temporalis* actu Ordinem, & cæteras qualitates ad miniſterium ſuum requiſitas habere debet. Pal. *tr.* 13. *D.* 1. *p.* 9. *n.* 11. la Croix. *l.* 4. *Theol. mor. n.* 722. *Neque obſtat*, quòd id non requiratur in Parocho; nam Parochus non tenetur ſtatim per ſe miniſtrare Sacramenta, ſed annus eidem indulgetur, intra quem Sacerdotium tenetur ſuſcipere. Coadjutor autem, Prælato debilitato, datus ſtatim tenetur exercere Officium ſuum, ne opus ſit Coadjutore Coadjutoris. *In Coadjutore Perpetuo* altera diſtinctio eſt adhibenda; nam ſi datus ſit tantùm, ad effectum ſuccedendi in Prælatura Epiſcopo, vel Prælato adhuc habili, Ordo actualis, quem Prælatura, vel Beneficium petit, non requiritur, ſed ſufficit, ut ad illum promoveatur tempore à Jure requiſito. Pal. *l. cit.* At ſi prætereà etiam datus ſit ad eum coadjuvandum, habere Ordinem & ipſe debet, quem miniſterium, in quo juvare eundem debet, requirit, ut *l. cit.* iterum Palao monet.

5 Quoad Statum denique non repugnat Religioſum dari Coadjutorem Epiſcopo, vel Parocho cum Abbatis ſui, ſeu Superioris Regularis conſenſu; quia cùm neceſſitate exigente, vel ob utilitatem publicam poſſit præfici Eccleſiæ Sæculari, eſſeque Epiſcopus, vel Parochus, eſſe etiam Adjutor illorum poterit. Abb. *in c. fin. cit. n.* 4. *q.* 6. Azor. *p.* 2. *l.* 3. *c.* 2. *q.* 8. Barboſ. *l.* 3. *Jur. Eccl. c.* 10. *n.* 6.

Quæritur 8. quod ſit Officium Coadjutoris Epiſcopo, vel alteri Prælato, Rectori, ſeu Parocho propter ſenium, aut infirmitatem aſſignati? Reſp. hoc depender à voluntate dantis, vel aſſumentis Coadjutorem; nam totum id poterit, ad quod fuit aſſumptus. Hinc, ut cognoſcatur, quid Coadjutor poſſit, attendi debent facultates expreſſæ in litteris Coadjutoriæ, Flamin. *de reſign. l.* 7. *q.* 20. *n.* 19. Barboſ. *l.* 3. *Jur. Eccl. c.* 10. *n.* 25. Pignatell. *tom.* 4. *conſ.* 129. *num.* 41. Paſſerin. *in c. un. cit. num.* 53. 25

At ubi de voluntate dantis, vel aſſumentis ſufficienter conſtare non poteſt, inſpiciendum eſt, ex qua cauſa ſit datus; nam ſi Epiſcopo datus eſt ſolùm ad temporalia adminiſtranda, circa hæc ſolùm Officium ejus verſatur, ac proinde in Spiritualibus gubernare non poterit.

Quando verò datus eſt etiam ad Spiritualia, videndum, an datus ſit dementi, an verò ſeni, & infirmo, ſed mentis compoti. *Si primum*, generalem, & liberam poteſtatem tam in Spiritualibus quàm in temporalibus habet, ita, ut etiam Beneficia in Diœceſi vacantia conferre, & reſignationes illorum poſſit recipere. Flamin. *q.* 20. *cit. n.* 25. Azor. *p.* 2. *l.* 3. *c.* 2. *q.* 10. & *l.* 6. *c.* 25. *q.* 15. Barb. *c.* 10. *cit. n.* 25. & *in c. un. cit. n.* 9. Fagn. *in c. ex parte* 5. *h. tit. n.* 24. Leur. *p.* 2. *q.* 679. *n.* 1. Vall. *l.* 1. *de Benef. tit.* 9. *num.* 14. & ratio eſt, ne ſolito diuturnior vacatio Eccleſiæ afferat damnum, & periculum animabus. *Neque obſtat*, quòd collatio Beneficii ſit quædam donatio *c. fin. de inſtit.* & *c. fin. de Offic. Vicar.* ac proinde ſpecies alienationis, quæ Coadjutori, ut *n. ſeq.* dicetur, prohibita eſt, nam alienationis Coadjutori prohibitæ nomine intelligi ſolum debet, quæ eſt merè voluntaria. Non autem, quæ neceſſaria, qualis eſt collatio Beneficii, utpote quod, ut paulò antè dictum eſt, diu vacare non debet, ne periculum patiantur animæ, & diminutionem Cultus Divinus. 26

Si ſecundum, & Coadjutor datus ſit ſeni, vel infirmo ſed mentis compoti, omnia exercere poteſt, ſive Juriſdictionis illa ſint, ſive Ordinis ſi Ordinem illum habeat, niſi quæ vel à Jure, vel ab ipſo Coadjuto, qui eundem aſſumpſit, ſint reſervata. Franc. *in c. un. h. t. in* 6. §. *ſi verò*, Paſſerin. *ibid. n.* 49. & 50. Barboſ. *l.* 1. *Jur. Eccl. c.* 15. *n.* 52. Honor. *hic n.* 13. Pirh. *n.* 16. Konig *n.* 12. 27

Excipitur 1. alienatio rerum Eccleſiæ, vel Prælati immobilium, & mobilium pretioſarum; nam hæc Coadjutori Epiſcopi, & Prælati eſt interdicta *c. un. cit. verſ. præſenti.* Dixi *pretioſarum*; nam mobilia non pretioſa, & quæ ſervando ſervari non poſſunt, Coadjutores alienare poſſunt, ob generalem adminiſtrationem, quæ ipſis competit. 2. Collatio Beneficiorum libera; hæc enim ad Coadjutum pertinet, quippe qui Dignitatis titulum, & ipſam poſſeſſionem ejuſdem retinet. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 25. *q.* 15. Barboſ. *cap.* 15. *cit. num.* 52. Vall. *l.* 1. *de Benef. tit.* 9. *num.* 14. Pirh. *hic num.* 18. Schamb. *num.* 6. Konig *n.* 12. Vvieſt. *num.* 22. Quodſi tamen Epiſcopo ſanæ mentis daretur Coadjutor ob dilapidationem, ſeu malam adminiſtrationem Beneficiorum, non poſſet ille Beneficia conferre ſine conſilio, & conſenſu Coadjutoris, ut cum Pal. Garc. notat Leur. *q.* 679. *n.* 3. 3. Denique ea omnia, quæ Prælatus, qui Coadjutorem aſſumpſit, ſibi reſervavit; poteſt enim ſibi reſervare plura, ad quæ non eſt impeditus, & præcipuè poteſt ſibi reſervare conſenſum in arduis: imò hoc ex natura ſua eſt reſervatum; Coadjutor enim datur in auxilium, & poteſtas reſidet in Coadjuto. Paſſerin. *n.* 53. Et univerſim Coadjutor in ea, quæ ad Officium Coadjuti ſpectant, & ab hoc præſtari poſſunt, ingerere ſe, iſto invito, non debet. Quod certum eſt de Coadjutore temporali.

Dubium eſt de Coadjutore perpetuo, qui cum futura ſucceſſione, & libera adminiſtratione datus eſt. Videtur, quòd iſte, etiam Epiſcopo invito, exercere illa, quæ Juriſdictionis ſive temporalis, ſive Spiritualis ſunt, poſſit. 1. Propter amplitudinem poteſtatis, quæ in Bulla Coadjutoriæ hujuſmodi exprimi ſolet. 2. Quia Coadjutor dari etiam invito, & contradicenti poteſt, ut ex communi DD. ſenſu notat Fagn. *in c. ex parte* 5. *h. tit. n.* 4. 28

Sed adhibenda diſtinctio eſt: Vel enim Coadjutus omnino inhabilis, aut ſaltem, quæ Juriſdictionis Epiſcopalis ſunt, peragere omnia ipſe non poteſt; vel contrà ſenio, aut infirmitate non obſtante, quibuſdam fungi ipſe vult, & poteſt. *Si primum*, peragere illa Coadjutor etiam Coadjuto invito, poteſt; *ſi ſecundum*, in ea, quæ Coadjutus peragere vult, & poteſt, Coadjutor non ſe debet

inge-

ingerere. Barbos. *l.* 3. *Jur. Eccl. c.* 10. *n.* 48. Fagn. *in c. ex parte cit. n.* 24. Vviest. *hic n.* 25. *Ratio est*, quia Coadjutor associatur Coadjuto, & datur in subsidium illius, ita tamen, ut hic Jurisdictionem, & administrationem habitu retineat.

Neque obstant rationes dubitandi allatæ. *Ad* 1. generalia Bullæ verba, ut rectè Fagn. *l. cit.* monet, restringi debent ad ea, quæ Coadjutori de Jure, vel consuetudine competunt. *Ad* 2. quòd Coadjutor aliquando invito detur, ipsius potestatem non auget.

29 Quæritur 9. quæ sint obligationes Coadjutorum? Resp. *ad* 1. obligatio Coadjutorum triplex est. 1. Ut diligenter exerceat officium suum, non tamen in hujus exercitio transgrediatur fines mandati, quo datus est Coadjutor, ut dictum est *n.* 25.

2 Ut resideat in loco Beneficii, in quo assumptus est Coadjutor. Proceditque hoc etsi ibidem resideat Coadjutus; neque enim per hoc Coadjutor liberatur ab onere residendi, prout declaravit S. Congreg. Card. interpr. Trid. teste Barbos. *l.* 3. *Jur. Eccl. c.* 10. *n.* 31. Similiter nec Coadjutus ab onere residendi liber fit per hoc, quòd in ipsius Beneficio resideat Coadjutor, sed & ipse residere in eo debet, ut cum aliis rectè advertit Garc. *p.* 4. *c.* 5. *n.* 8. si tamen residere in eo possit. *Excipitur* trimestre, quod de Jure concessum est Episcopis; nam hoc abesse etiam Coadjutor potest, neque necesse est, ut diversum trimestre pro absentia sua sibi sumat Episcopus, diversum Coadjutor; quia, nisi obstet Speciale Statutum, per trimestre etiam possunt abesse simul. Leur. *p.* 1. *q.* 401. *n.* 6. & apud hunc alii.

30 Ut rationes administrationis suæ reddat, Prælato, si sanæ mentis sit, vel Capitulo, aut Successori Prælati, cui datus est, si illud antè non fecerit *c. fin. h. t. in* 6. Possuntque rationes istæ ab eo peti, etiam durante adhuc ipsius officio: quo differt à Curatore, & Tutore, qui durante officio administrationis suæ rationes reddere non tenentur *l. si tutor* 9. §. *& generaliter* 4. *ff. de tutel. & rat. dist.* & *l. adversus* 2. *C. de administr. tutor.* Rationem disparitatis dant Ancharan. *in c. un. cit. not.* 11. Honor. *hic n.* 14. Pirh. *n.* 17. Schamb. *n.* 5. Vviest. *n.* 21. quia Tutoris, & Curatoris officium tempus determinatum, quo finitur, habet; at Coadjutoris officium habet tempus indeterminatum, & incertum, cùm nesciatur, quando moriturus sit Prælatus, cui est Coadjutor datus.

31 Quæritur 10. an Coadjutori in Ecclesia, Capitulo, & aliis locis eadem Sedes, & prærogativa competat, quæ Principali? Affirmant aliqui cum Navar. *cons.* 2. *h. tit. n.* 5. & videtur posse probari 1. quia juxta notissimam Juris Maximam subrogatum sapit naturam ejus, in cujus locum subrogatur. Sed Coadjutor subrogatus est in locum Coadjuti, & hujus coruscat radiis. Ergo frui prærogativis ei concessis debet. 2. In gratia Coadjutoriæ habetur, ut Coadjutor gaudeat omnibus præeminentiis, & honoribus tam extra, quàm intra Chorum, quos proprietarius ratione Canonicatus, vel Præbendæ obtinet. Ergo si iste ratione istius obtinet locum priorem, eundem etiam obtinebit Coadjutor. 3. Resignans Beneficium, reservato sibi regressu, mortuo resignatario, in Choro, & Capitulo succedit in eodem loco, in quo antea erat, ut teste Gonzal. *gloss.* 5. §. 9. *n.* 101. decidit Rota. Ergo etiam Coadjutor debet succedere.

32 Sed dicendum, etsi Coadjutor eò, quòd repræsentet personam principalis, præcedat omnes, qui respectu ejus sint inferioris ordinis, v. g. Coadjutor Episcopi præcedat omnes Abbates, Abbatis omnes inferiores Abbate, nequaquam tamen Coadjutor Episcopi præcedere aliquem ex Episcopis, aut Abbatis aliquem ex Abbatibus &c. licèt principali, si præsens esset, primus locus competeret, Ita Gonz. *n.* 101. *cit.* Garc. *p.* 4. *c.* 5. *à n.* 65. Pal. *tr.* 13. *D.* 1. *p.* 10. *n.* 11. Engl *hic n.* 5. Konig *n.* 15. la Croix *l.* 4. *n.* 724. *Ratio est*, quia cæteris paribus in eodem ordine, sive gradu Dignitatis semper clarior est, qui propriis radiis fulget, quàm qui alienis, & semper potentius est jus, quod quis proprio habet nomine, quàm quod alieno.

33 Neque aliud probant Argumenta opposita. Ad 1. id intelligitur respectu aliorum inferiorum, quod ita subrogatus præferri debet: non autem respectu parium in Dignitate, in qua Coadjutor subrogatus est principali, ob rationem allatam. *Ad* 2. ob eandem rationem explicandæ sunt Litteræ Coadjutoriæ, ita, ut præeminentiam concedant præ inferioribus, non autem præ paribus. *Ad* 3. negatur paritas: nam illa conditione facta est resignatio; non autem ea conditione dari Coadjutores solent.

34 Quæritur 11. quamdiu duret Coadjutoris officium? Resp. cum distinctione, an datus sit simpliciter, & ad vitam Coadjuti tantùm, an verò cum jure successionis.

Si primum, Officium ipsius cessat morte Coadjuti vel naturali, vel Civili, nempe depositione, vel resignatione ejusdem. Ita ex communi tradit Joan. Andr. *in c. fin. h. tit. n.* 10. Ancharan. *in c. un. eod. in* 6. *not.* 10. Passerin. *ibid. n.* 62. & 63. Fagn. *in c. ex parte cit. nu.* 9. Honor. *hic n.* 15. Zœs. *n.* 4. Pirh. *n.* 19. Vviest. *n.* 15. Sumitur 1. *à paritate* cum Tutela, quæ finitur morte pupilli civili, & naturali §. *item* 1. & §. *seq. Inst. quib. mod. tutel. fin.* 2. *Ex Etymologia nominis*; nam Coadjutor à *Coadjuvando* dicitur. atqui mortuo Coadjuto, non est ampliùs, quem adjuvet Coadjutor. Igitur necesse est, ut finiatur ejus potestas, & Jurisdictio, ejusque exercitium devolvatur ad Capitulum, vel illum, ad quem spectat, vacante Sede. 3. *Ex ratione*; nam officium Coadjutoris tanquam accessorium, dependebat ab Episcopo, in quo residebat Titulus Episcopatus, & Jurisdictio Episcopalis. Hinc autem mortuo translato, vel deposito Episcopo, extinguitur. Igitur necesse est, ut etiam extinguatur officium Coadjutoris accessoriè ei annexum.

Si secundum, morte Coadjuti non cessat ejus officium, 35
sed Coadjutor subintrat in Coadjuti locum, & hoc ipso incipit esse principalis, ita, ut nulla opus sit nova collatione, sed Coadjutor per ipsam Coadjuti mortem, vel resignationem consequatur jus plenum in Episcopatu, vel Prælatura, in qua datus est Coadjutor. Barbos. *l.* 3. *Jur. Eccl. c.* 10. *n.* 48. *fin.* Fagnan. *in c. ex parte* 5. *h. tit. n.* 16. Pirh. *hic n.* 21. Vviest. *n.* 17. & ratio est, quia Papa in istis Coadjutoriis *ex nunc*, *prout ex tunc* collationem facit, prout apud Garc. *p.* 4. *de Benef. c.* 5. *n.* 138. decidit Rota.

Quæritur 12. an Coadjutor datus cum jure succes- 36
sionis in Dignitate, vel Beneficio succedat, si Coadjutus ante Coadjutoriæ litteras obtentas cedat, vel decedat? *Certum est*, locum successioni esse, si ante cessum, vel decessum Litteræ Coadjutoriæ datæ sint, & expeditæ, etsi Coadjutor gratiæ sibi factæ notitiam nondum habeat; quia gratia successionis effectum sortitur à tempore datæ, ut notat Garc. *p.* 4. *c.* 5. *n.* 132. Pal. *tr.* 13. *p.* 10. *n.* 34. Engl *hic n.* 8. Vviest. *n.* 18.

Major controversia est, si Coadjutus cesserit, vel 37
decesserit ante tempus datarum litterarum. Affirmare videtur Gonzal. *gloss.* 5. §. 9. *à n.* 53. *Ratio esse potest* 1. quia Coadjutoria cum futura successione duas continet gratias, unam, quæ spectat favorem Coadjuti, alteram, quæ respicit favorem Coadjutoris, quæ duæ gratiæ sunt prorsus diversæ, & à se invicem independentes. Igitur licèt gratia prior per obitum Coadjuti extinguatur, non tamen extinguetur posterior *arg. c. si eo tempore* 9. *de rescript. in* 6. ubi deciditur, quòd gratia rescripti secundùm unam partem invalida, quoad alteram subsistat. 2. Quia jus succedendi Coadjutori concedi solet, apposita Clausula, *Etiamsi Beneficium de tempore datæ actualiter vacet*, *& Coadjutor officium suum non exercuerit*: quæ clausula effectum non haberet, si gratia Coadjutoriæ non extenderetur etiam ad casum, quo interea vacasset Dignitas, vel Beneficium, ad quod Coadjutor cum jure successionis datur. 3. Si in uno, eodemque Rescripto sit facta gratia dispensationis e. g. super impedimento affinitatis ad contrahendum matrimonium, & legitimationis prolis, ex Matrimonio ob tale impedimentum nulliter contracto susceptæ, casu quo alter conjugum interea decessit, ut sic priori gratiæ non ampliùs locus sit, est tamen adhuc locus posteriori ex mente Ancharan, *cons.* 409. & Rotæ apud Gonz. *l. cit.* igitur à pari, etsi gratia Coadjutoriæ corruat quoad officium Coadjuti, quoad successionem tamen subsistet.

Sed verius est tali casu successioni locum non esse. 38
Ita Garc. *p.* 4. *c.* 5. *n.* 132. Pal. *tr.* 13. *D.* 1. *p.* 10. *n.* 34. Vviest. *hic n.* 19. la Croix *l.* 4. *n.* 723. *Ratio est* 1. quia Coadjutori successio datur in remunerationem obligationis, quam pro Beneficiato subit. hæc autem obligatio, Beneficiato ante tempus datarum litterarum decedente, cessat. igitur cessabit etiam successio. 2. quia Coadjutoria tribuit tantùm jus in Beneficio vacaturo, & quod Coadjutus possidet. casu autem, quo istius mors, vel renuntiatio antecessit tempus datæ, Beneficium non est vacaturum, sed vacat, nec Coadjutus illud ampliùs possidet, sed possedit. ergo &c. 3. quia per decessum Coadjuti jus conferendi Beneficium mox quæsitum est Collatori inferiori; jus autem quæsitum tertio tollere Papa, etsi absolutè possit, non tamen solet, & in dubio nunquam velle præsumitur. ergo &c.

Rationes in oppositum non sunt efficaces. *Ad* 1. 39
concessione Coadjutoriæ cum jure successioni confer-

tur

tur quidem duplex gratia, una tamen dependens ab altera, ut ostensum est. igitur hac pereunte necesse est cadere etiam primam. *Ad* 2. clausula illa intelligi debet de vacatione, non quæ inducta est jure, & facto per Beneficiati mortem, vel renuntiationem, sed quæ inducta est solo Jure, quòd Beneficiatus fortè Beneficium possideat sine legitimo titulo. *Ad* 3. negatur paritas; quia gratia dispensationis in impedimento, & legitimationis prolis non sunt à se invicem ita dependentes, sicut gratia successionis in nostro casu dependet ab obligatione juvandi Coadjutum.

TITULUS VII.

De Institutionibus.

Regula Juris nostri decantatissima est, quòd *Beneficium Ecclesiasticum non possit licitè sine institutione Canonica obtineri*, ut habetur *c. Beneficium* 1. *de R. J. in* 6. Hinc postquam actum est de Præbendis, & Beneficiis, ordo doctrinæ petit, ut nunc agatur de Institutionibus in Beneficia. Tres Institutionum species recenset Fagnan. *in c. cùm Ecclesia de caus. possess. & propr. n.* 28. & ex hoc Van-Espen *p.* 2. *Jur. Eccl. tit.* 26. *c.* 1. *n.* 1. quarum prima dicitur *Collativa*, quòd per eam conferatur Titulus in Beneficio; altera *Authorizabilis*, quòd per eam Clerico, ad Beneficium Curatum promoto, committatur cura animarum per Sacramentorum administrationem exercenda; tertia *Investitura*, per quam Clerico, postquam Titulum, seu jus in re legitimè jam consecutus est, tribuitur jus apprehendendi possessionem corporalem, & actualem Beneficii. Quare sit

§. I.

De Institutione Collativa Tituli in Beneficio.

SUMMARIUM.

1 *Definitio, & varia acceptio Institutionis.*
2 *Debetur legitimè præsentato.*
3 *Quid si plures sint præsentati?*
4 *Facta, neglecto præsentato, vel præsentatione, est invalida.*
5 *Valida est facta ad præsentationem Patroni tantùm existimati.*
6 *Necessaria est, ut præsentatus occupare Beneficium possit.*
7 *Jure communi post Papam spectat ad Episcopum.*
8 *Sede vacante, ad Capitulum.*
9 *Vicarius Generalis instituere potest, absque speciali mandato.*
10 *Jure speciali potestas instituendi competere potest etiam Prælatis inferioribus.*
11 *Abbatissis ex privilegio Apostolico.*
12 *Laicis ex eodem, non tamen ex consuetudine, vel præscriptione.*
13 *Qui jus instituendi habet, non potest seipsum instituere, etsi à Patrono præsentetur.*
14 *Ad quem Episcopum pertineat Institutio Clerici in Ecclesia, quæ in duarum Diœcesium confinibus sita est?*
15 *Institui non possunt Laici.*
16 *Nec unius tantùm originis Clerici.*
17 *Præsentatus ad Parochialem institui debet, etsi tantùm habeat minores Ordines.*
18 19 *Tot in Clericorum Collegiis instituendi sunt, quot ali commodè possunt.*
20 *Non plures.*
21 *Si stabiliter decreverint reditus, diminui potest numerus.*
22 *Adeo, ut ultra facultates Prælati non possint cogi, ut aliquem accipiant.*
23 *Quomodo facultates sint computandæ.*
24 25 *Quo tempore Institutio fieri debeat?*
26 27 *An fieri possit etiam intra tempus indultum ad præsentandum?*
28 29 *Quo die, & loco sit facienda?*
30 31 *An casu, quo præsentatio, & Institutio eidem competit, fieri utraque uno actu valeat?*
32 33 *Quomodo facienda sit Institutio.*
34 35 36 *An, & quando ipsi præmittendum Edictum?*
37 38 *Quis hujus Edicti effectus?*
39 *An Institutio facienda in Scriptis?*

Quæritur 1. quid, & quotuplex sit *Institutio*? Resp. *Institutionis* nomen, ut Barbos. *de appellat. verb. V. Collatio*. Clericat. *de Benefic. scord.* 48. *num.* 36. cæterique DD. advertunt dupliciter sumi potest. 1. *generalissimè*, in quo sensu etiam includit nominationem, & Præsentationem. 2. *specificè*, quo modo accepta, exclusa Nominatione, & Præsentatione solam Beneficii Collationem significat: & in hoc sensu Institutio Collativa alia est *Libera*, qua Beneficium liberè omnino confertur Clerico, ita, ut nullum in eo Jus ad illud supponat; alia *Necessaria*, qua conceditur Beneficium ad Patroni præsentationem. Hæc sola istius loci est, & simpliciter *Institutio* dicitur. Definiri solet, quòd sit *concessio Ecclesiæ, vel Beneficii vacantis, authoritate legitima Episcopi, vel alterius Ordinarii facta, ad præsentationem, vel nominationem, Patroni.* Ita Azor *p.* 2. *l.* 6. *c.* 22. *quæst.* 1. Lotter. *l.* 2. *q.* 13. *n.* 18. Fill. *tr.* 41. *c.* 3. *num.* 9. Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 72. *n.* 174. Wagn. *ad Rubr. h. tit. not.* 2. & alii passim.

Dicitur *Necessaria*; quia debetur Præsentato. Ut tamen debeatur ab habente instituere, quatuor ista liquere debent. 1. quod Beneficium; ad quod præsentatus est, vacet. 2. quòd illud sit Patronatum, & qui præsentavit, saltem sit in possessione Juris Patronatus. 3. quòd præsentatus sit habilis. 4. quòd præsentatio facta sit in tempore. His concurrentibus, Ordinarius tenetur instituere Præsentatum: quod si facere neget, aut plus æquo differat, licitum erit appellare, vel quòd frequentiùs, & tutius practicatur poterit provisio impetrari à Papâ asserendo simpliciter, se præsentatum à Patronis esse. 2

Dub. 1. quid faciendum Ordinario, si plures ad idem Beneficium sint præsentati. Resp. tunc præferendus, qui præsentatus est à majori Patronorum parte, si dignus reperiatur. Paul. de Cittadin. *de Jur. patron. p.* 6. *q.* 27. Vivian. *simil. tract. p.* 2. *l.* 12. *c.* 8. *n.* 1. Barbos. *alleg.* 72. *n.* 197. Joan. Emerix *decis.* 138. *n.* 3. Clericat. *de Benef. disc.* 32. *n.* 4. & hoc teste decisum à Rota. *Proceditque hoc*, etsi is, qui præsentatus est à minori parte, sit dignior; nam adhuc præferendus est, qui à majore est præsentatus, quòd alter tali casu censeatur omnino non esse præsentatus *c. quoniam* 3. & *ibi* Gloss. *V. qui majoribus de Jur. Patron.* Rota *in Piscienſi Beneficii* 20. *Maji* 1658. Konig *hic n.* 11. 3

Quòdsi præsentati sint pares in voce, & tempus ad præsentandum Patronis concessum effluxerit, Episcopus ad præsentatorum merita debet respicere; nam digniorem instituere debet, adeo, ut si neglecto magis idoneo, minùs dignum instituat, contra Justitiam distributivam peccet *c. quoniam cit. c. cùm autem* 24. *ibid.* S. Thom. 2. 2. *quæst.* 185. *art.* 5. & passim DD. Institutio tamen digni præ digniore erit valida, ne alioquin cum damno Ecclesiæ contingat sub hoc prætextu impugnari plurimas Institutiones. Idem dicendum, quando ab eodem Patrono Laico plures simul, vel successivè sunt præsentati.

Dub. 2. an valida sit Institutio, si facta sit neglecto præsentato, vel etiam absque consensu, & Præsentatione Patroni? Videtur esse valida, sed rescissioni obnoxia ex *c. illud* 8. *de Jur. Patron. in fin.* ubi dicitur solummodo *irritanda*. Sed quia novum in Jure non est, vocem *Irritanda* idem significare, quod *Declaranda irrita*: idcirco ex textu isto difficultas considerabilis moveri non potest. Hinc dicendum, esse irritam ipso Jure. Ita Barbos. *l.* 3. *Jur. Eccl. c.* 12. *n.* 163. Pal. *tr.* 13. *D.* 2. *par.* 9. *numer.* 5. Leur. *p.* 2. *for. Benef. quæst.* 181. & patet ex *can. decernimus* 32. *caus.* 16. *q.* 7. ibi, *Quodsi spretis eisdem fundatoribus, Rectores ibidem præsumpserit Episcopus ordinare, & ordinationem suam irritam noverit esse, & ad verecundiam suam alios in eorum loco (quos iidem ipsi fundatores condignos elegerint) ordinari.* 4

Unde integrum tali casu erit Patrono, vel Præsentationem à se factam urgere, vel alium præsentare, modò id fiat intra tempus à Jure pro præsentatione statutum: quo secundo casu, si alium à Patrono præsentatum Episcopus instituerit, licèt is minùs dignus priore sit, modò absolutè sit dignus, præferri priori debet, & in possessione relinqui, non obstante appellatione infra illud tempus à primo præsentato ad Superiorem interposita: tum propter jus in re, quod secundò præsentatus per institutionem adeptus est; tum quia appellatio Patrono Laico adimere potestatem non potuit secundum cumulativè præsentandi, si velit. Episcopus tamen, si primò præsentatum malitiosè recusavit instituere, eidem in pœnam de alio Beneficio competenti providere tenebitur, *quatenus puniatur in eo, in quo ipsum*

ipsum non est dubium deliquisse, ut dicitur c. pastoralis 29. de Jur. Patron.

5 Dub. 3. an valeat Institutio facta ad præsentationem Patroni tantùm existimati, qui revera Patronus non est? Resp. affirmativè; nam ad effectum, ut quis veniat instituendus, sufficit docere se esse præsentatum ab existente in quasi possessione Juris Patronatus cap. consultationibus 19. de Jur. Patron. Rota in Placentina Canonicatus 1. Jul. 1647. & in Gerundensi Beneficii 5. Maji 1649. Quod ita verum est, ut etsi postea alius, lite adversùs possessorem mota super Jure Patronatus, illud evicerit in Judicio, adhuc tamen sic institutus à Patrono existimato sustineri debeat c. consultationibus cit. & ibi Fagnan. n. 6. quia factum legitimè non retractatur: etiamsi devenerit ad casum, à quo incipere non potuit can. præcepta 12. dist. 55. & l. nec enim 2. ff. de itin. actuque privat.

Ad quod tamen duo sunt necessaria: Unum est, ut præsentans fuerit in possessione bonæ fidei; nam si sciens se nullum jus habere, aliquem præsentavit, qui ab Episcopo institutus est, Institutio invalida est, & sic institutus removeri debet c. consultationibus cit. & ibi Abb. n. 6. Rota in Pisciensi Beneficii 21. April. 1651. & in Terdonensi Juris Patronatus 9. Julii 1653.

Alterum est, ut constet Ecclesiam esse patronatam, & lis solum sit, ad quem jus præsentandi pertineat; nam extra hunc casum præsentatio hodie admitti non debet, nec præsentatus institui, quantumcunque præsentans sit in quasi possessione præsentandi, nisi priùs legitimè doceat de titulo, & proprietate Juris Patronatus ex fundatione, dotatione &c. vel etiam ex multiplicatis præsentationibus supra hominum memoriam ad præscriptum Trid. sess. 25. c. 9. de reform. Rota in Pisana Capellaniæ 20. Maji 1594. & Pampilonensi Vicariæ de Ataun. 12. Maji 1595. apud Garc. par. 5. de Benef. c. 5. n. 141. & 142. Fagn. in c. consultationibus cit. n. 8. & seqq.

6 Dub. 4. an necessaria sit Institutio præsentato, vel nominato ad Beneficium, ut is occupare illud, vel administrare possit? Resp. affirmativè. Ratio est, quia per præsentationem Patroni solùm consequitur jus ad rem, ita, ut, si idoneus sit, repelli à Superiore nequeat, titulum vero, & jus in re, seu proprietatem Beneficii primùm acquirit per Institutionem. atqui occupare Beneficium, & administrare illud non potest, si Titulum, & proprietatem ejusdem non habuerit. ergo &c. Hoc certum.

Controversia est, an si quis absque Institutione præsumat Beneficium occupare, vel administrare, jus præsentatione acquisitum ipso Jure amittat? Putant amittere Franc. in c. avaritiæ 5. de elect. in 6. n. 2. Roch. de Curte de Jur. Patron. V. Honorificum q. 39. n. 7. Garc. p. 11. de Benef. c. 10. num. 216. Engl hic num. 2. Konig n. 18. & colligunt hoc à paritate cum electo, qui si ante Confirmationem administrationi se ingerat, ipso Jure amittit Jus, quod per Electionem est consecutus. c. avaritiæ cit.

Verùm non est paritas inter electum ad Prælaturam, & præsentatum ad Beneficium; nam Electi administratio temeraria plus damni afferre potest Ecclesiis, quàm Præsentato: deinde esto sit paritas, Constitutio tamen c. cit. cùm pœnalis sit, ab Electo ad Præsentatum ob paritatem rationis extendi non debet. Quare veriùs dicitur, præsentatum quidem sine Institutione Canonica Beneficium acceptare non posse, si tamen acceptet, per hoc jus præsentatione sibi quæsitum non amittere. Ita Less. l. 2. de J. & J. c. 34. n. 15. Vviestner hic n. 5.

Quæritur 2. ad quem spectet jus instituendi Clericos in Beneficiis Ecclesiasticis? Resp. post Papam Jure communi competit Episcopo, in cujus Diœcesi aliqua Ecclesia, vel Beneficium situm est. Abb. in c. ex frequentibus 3. h. tit. n. 2. Azor p. 2. l. 6. c. 22. q. 2. Gonz. ad Reg. 8. proœm. §. 1. n. 21. Barb. l. 3. Jur. Eccl. c. 12. num. 208. & alleg. 72. n. 176. Leur. p. 2. for. Benef. q. 166. n. 1. Van-Espen J. E. U. p. 2. tit. 26. c. 1. n. 4. Jacob. Emerix decis. 163. n. 4. Pirh. hic n. 2. Schamb. n. 6. Engl n. 3. Konig n. 4. Vviest. n. 6. & patet ex c. ex frequentibus cit. & cùm ex injuncto 12. fin. de Hæretic.

Estque hoc ita verum, ut super hoc jure instituendi Episcopus habeat intentionem fundatam in Jure communi, ita, ut is, qui contra Episcopum asserit sibi jus instituendi competere, cogatur hoc jus suum probare; quod nisi fecerit, Institutio ab eo facta, præsertim si Laicus ille sit, erit invalida ipso Jure c. illud 8. & c. relatum 21. de Jur. Patron. Non est autem necesse, ut Episcopus Institutor sit consecratus; quia Institutio non est actus Ordinis, sed Jurisdictionis, quam Episcopus electus confirmatione consequitur. Azor q. 2. cit. Bellam. conf. 20. num. 13. Gamb. de Offic. Legat. l. 3. num. 222. Lotter. l. 2. q. 2. num. 9. la Croix l. 4. Theol. mor. num. 360.

8 Dub. 1. an potestas instituendi transeat etiam ad Capitulum, Sede Episcopali vacante? Videtur non transire; quia etiam non transit potestas conferendi.

Sed dicendum transire. Abb. in c. ex frequentibus cit. n. 9. Azor p. 2. l. 6. c. 22. q. 3. Garc. p. 5. de Benef. c. 7. n. 54. & 55. Alagon. in c. 1. h. tit. in 6. princ. Barbos. ibid. n. 1. Passerin. n. 1. & 5. Gonzal. in c. 3. dict. tit. num. 2. Vall. hic §. 2. n. 1. Zœs. ibid. n. 2. Pirh. n. 5. Schamb. n. 2. Konig n. 5. Vviest. n. 7. la Croix n. 360. & statuitur c. etsi 1. h. tit. in 6. Ratio est, quia Institutio hæc est necessitatis, & Justitiæ; nam legitimè præsentato debetur. in his autem, quæ necessitatis, & Justitiæ sunt, Episcopo succedit Capitulum c. his quæ 11. & cap. cùm olim 14. de majorit. & obed.

Ad rationem dubitandi negatur paritas inter collationem liberam, & Institutionem; ex Institutione enim nullum futuro Episcopo præjudicium nascitur, cùm teneatur præsentatum instituere, quando dignus est. At Collatio libera à Capitulo non exercetur sine præjudicio futuri Episcopi, utpote qui hoc modo non potest ampliùs ejusmodi Beneficium ad liberam ejus collationem spectans pro arbitrio suo conferre.

9 Dub. 2. an potestas instituendi competat etiam Vicario Generali Episcopi, vel Capituli Sede vacante? Certum est potestatem hanc ipsi posse committi ab Episcopo.

Controversia solùm est, utrum indigeat ad hoc mandato speciali Episcopi? Affirmat Rebuff. prax. tit. forma Vicariatus n. 126. & seqq. 1. quia non invenitur hoc Jure cautum, quòd Vicarius instituere sine mandato speciali possit. ergo ipsi non est concedendum. 2. quia non potest quempiam destituere sine mandato speciali. ergo nec instituere, cùm tam Institutio, quàm destitutio Sacerdotum ad officium Episcopi pertineat cap. cùm ex injuncto 12. fin. de Hæret. 3. quia conferre Beneficia absque Episcopi commissione nequit c. fin. de Offic. Vicar. in 6. atqui verbum Conferre etiam Institutionem comprehendit per Rubr. ut Eccl. Benef. sine dimin. confer. ergo &c.

Sed dicendum Vicarium generalem instituere in Beneficiis etiam sine speciali mandato posse. Ita Abb. in c. 3. h. tit. n. 7. Barbos. ibid. n. 3. Gonzal. n. 2. Passerin. in c. 1. n. 5. fin. eod. in 6. Vall. hic §. 2. n. 7. Pirh. n. 4. Schamb. n. 2. Konig n. 6. Vviest. n. 8. Colligitur ex c. ex frequentibus cit. ibi, Vel Officialium suorum, qui hoc de Jure possunt. Et confirmatur ex c. fin. de Offic. Vicar. in 6. ubi eidem denegatur libera collatio Beneficii ex ratione, quia donare non potest. igitur per argumentum à sensu contrario præsentati institutio ipsi permittitur, quia cùm necessaria sit, rationem donationis non habet.

Neque obstant argumenta contraria Ad 1. non est necessarium, ut in Jure hoc exprimatur, sed sufficit, quòd Institutio non sit excepta, & Vicario prohibita; cùm enim potestas Vicarii se extendat ad omnia, quæ non sunt ipsi specialiter prohibita, se hoc ipso etiam extendet ad Institutionem. Ad 2. Negatur Conf. constat enim, quòd multis Prælatis inferioribus competat institutio, quin tamen iisdem competat destitutio. Ad 3. disparitas patet ex Conf.

10 Dub. 3. An potestas instituendi pertinere etiam possit ad Prælatos alios Episcopo inferiores? Certum est, hoc Jus Prælatis inferioribus non competere Jure Ordinario, quia hoc Jure, n. 7. dixi, Episcopo competit Institutio quoad omnia Beneficia suæ Diœcesis.

Certum est 2. si Prælatus inferior habeat Ecclesiam aliquam plenissimo Jure sibi subjectam, in eadem ipsum hoc ipso jus instituendi, & destituendi habere: est enim verè Ordinarius illius Ecclesiæ, & ut num. 7. cit. dictum est, institutio non Ordinis, sed Jurisdictionis est actus.

Certum est 3. posse Prælatis inferioribus jus instituendi ex privilegio, consuetudine, vel potiùs præscriptione, aut ex antiqua fundatione competere etiam in Ecclesiis, quæ subditæ sunt Episcopo c. cùm venissent 6. hoc tit.

An verò de facto post Trid. in fundatione potestas instituendi alteri Episcopo inferiori reservari possit, major est controversia, nec conveniunt in hoc DD. nam alii qui cum Azor p. 2. l. 6. c. 22. q. 3. Barbos. l. 3. Jur. Eccl. c. 12. num. 208. Clericat. de Benef. discord. 18. numer. 9. Pirh. hic n. 6. Vviest. n. 9. defendunt negativam ex claris Concilii laudati verbis sess. 14. c. 12. de reform. ibi, In casu autem fundationis, aut dotationis hujusmodi Institutio Episcopo, & non alteri inferiori reservetur.

Con-

Contrà alii cum Card. de Luca *ad Trid. dis.* 11. *n.* 27. Jacob. Emerix *decis.* 553. *n.* 2. la Croix *l.* 4. *n.* 361. putant etiamnum non obstante Trid. Decreto, Institutionem Collativam tituli reservari Collatori inferiori posse; quia Trid. *loc. cit.* vel loquitur tantùm de Institutione Authorizabili, ut vult Emerix *n.*6. vel si de collativa tituli, intelligendum est, *nisi Episcopus consenserit, & fundationem sic factam approbet*, ut explicant Card. de Luca, & P. la Croix *l.citt.* qui dat rationem; quia talis fundatio non præjudicat Episcopo, cùm liberè cedat, & possit cedere; tum etiam quia hoc favet fundatoribus, qui sic magis alliciuntur, si eorum libertati subsint ejusmodi conditiones etiam contra Jus commune.

11 Dub. 4. an præsentatos instituere valeant Abbatissæ, & similes Monialium Præpositæ? *Ratio dubitandi est*; quia Institutio est actus Jurisdictionis Spiritualis, cujus fæmina non est capax, cùm pertineat ad potestatem clavium.

Sed dicendum, privilegio Apostolico, & Prælatorum Ecclesiasticorum commissione jus instituendi ejusmodi Abbatissis posse competere: & hoc jus defacto alicubi habent, ut in Ecclesiis, sibi pleno jure subjectis, possint Clericos præsentatos instituere. Ita Sylv. *V. Abbatissa p.* 2. Azor *p.* 2. *l.* 13. *c.* 10. *q.* 6. Laym. *l.* 1. *Theol. mor. tr.* 5. *p.* 1. *c.* 3. *n.* 4. Leuren. *p.* 2. *for. Benef. q.* 173. la Croix *l.* 4. *Theol. mor. n.* 362. Vviest. *hic n.* 11. & novissimè Illustriss. Petra *tom.* 3. *comment. fol.* 346. *n.* 23. *& seqq. Ratio est*, quia privilegio Apostolico, & Prælatorum Ecclesiasticorum commissione fœminis exercitium nonnullorum actuum Spiritualis Jurisdictionis communicari potest. *c. dilecta* 12. *de major. & obed.* præsertim voluntariæ, qualis est institutio Clerici ad Beneficia præsentati.

Ad rationem dubitandi distinguendum est inter actus Fori Pœnitentialis interni, & inter actus Jurisdictionis externæ: Jurisdictio fori Pœnitentialis interni cadere nullo privilegio potest in fœminam; quia supponit Sacram Ordinationem, cujus ipsa est Jure Divino incapax: at actuum Jurisdictionis fori externi aliquorum ex privilegio Apostolico fœmina capax est, eorum sc. qui non supponunt potestatem clavium in exercente; & talis est Institutio collativa Tituli.

12 Dub. 5. an jus instituendi Clericos ad Beneficia possit competere etiam Laicis? Resp. Jure communi non competit ob spiritualitatem istius Juris; competere autem potest Jure speciali per privilegium Apostolicum; nam hoc competere Laico etiam potest potestas conferendi Beneficia, quæ tamen major est.

Difficultas aliqua moveri potest, an jus istud competere eidem possit per consuetudinem, vel præscriptionem, saltem immemorialem? Pro affirmativa adduci potest tritissima Juris *Maxima*, quòd via præscriptionis immemorialis obtineri possit, quod obtineri potest via privilegii, utpote cui illa æquivalet.

Sed quia jam sæpe dictum est, quòd regula hæc solùm procedat in casu, quo subjectum, secluso privilegio, est possessionis capax, hinc dicendum, jus instituendi à Laico etiam via consuetudinis aut præscriptionis immemorialis acquiri non posse. *Ratio est*, quia jus hoc non minùs Spirituale est, quàm jus conferendi; consf. illius non minùs, quàm istius Laicus, secluso privilegio, incapax est: ubi autem subjectum est incapax possidendi, etiam incapax est præscribendi. ergo &c. Videatur Corrad. *l.* 4. *c.* 7. *n.* 28. Laym. *in c. nullus de elect. num.* 15. *&* 17. Leuren. *p.* 2. *q.* 174. la Croix *l.* 4. *Theol. mor. n.* 362. Petra *tom.* 1. *Comment. fol.* 433. *n.* 79. *&c.*

Neque obstat, quòd casu, quo Laici jus instituendi in aliquo Beneficio tempore immemoriali exercuerunt, in illa quasi possessione relinquendi sint; hoc enim non inde oritur, quasi diuturnitate temporis jus aliquod acquisiverint, sed quia ex tanti temporis cursu oritur præsumptio privilegii aliquando obtenti: quæ tamen ipsa, cùm præsumptio duntaxat sit, detecto post quodcunque tempus possessionis vitio, cedere veritati debet, & jus instituendi adscribi illi, cui de Jure competit.

13 Dub. 6. an qui jus instituendi habet, instituere se ipsum possit, si à Patrono præsentetur? Videtur posse. 1. Quia Institutio non est actus Jurisdictionis contentiosæ, sed voluntariæ, quam exercere quis potest etiam erga seipsum, ut patet in potestate dispensandi; nam qui eam habet, in iisdem casibus, in quibus ille dispensare potest cum aliis, etiam potest dispensare secum. 2. Esto, Clericus, instituendi jus habens in aliquo Beneficio, institui non possit à seipso, institui tamen poterit ab alio, cui is potestatem instituendi delegavit; nam etiam Pontifex absolvi se facit à Confessario suo, cui ipse Jurisdictionem in se quoad forum Pœnitentiale commisit.

Sed retinenda est sententia negativa, quam magno consensu defendunt DD. & in his Alagon. *in c. fin. h. tit.* Abb. *ibid. n.* 4. *&* 5. Vivian. *in ration.* Barbos. *n.* 1. *&* 2. Gonz. *n.* 2. Honor. *hic n.* 16. Pirh. *n.* 16. *& duob. seqq.* Schambog. *n.* 5. Konig *n.* 13. Vviest. *n.* 15. la Croix *l.* 4. *n.* 360. & habetur *c. fin. cit.* ubi etiam datur ratio; quia *inter dantem, & accipientem debet esse distinctio personalis. Conf.* nam, quantumvis quis idoneus sit, & quibuscunque studiis, ac meritis adjuvetur, eligere tamen, & præsentare nemo seipsum potest *c. per nostras* 26. *de Jur. Patron.* ergo nec instituere.

Proceditque hoc, ut etiam non possit aliquis institui per aliquem à se delegatum; cùm enim quod quis facit per alium, censeatur per seipsum fecisse, *juxta Reg.* 78. *in* 6. in effectu institutus à delegato, censeretur institutus à seipso. *Excipitur*, si præsentatus potestatem instituendi totam, quam ipse habet, in alium transferre malit; tunc enim ab eo institui posset, quia non ampliùs præsentati, sed proprio nomine illud faceret. Barbos. *in cap. fin. cit. n.* 2. *&* 3.

Neque obstant Argumenta opposita. *Ad* 1. requirendi distinctionem personarum in Beneficiorum, & Dignitatum provisionibus specialis est ratio; tum ut arceatur omnis ambitionis suspicio, cùm, ut *c. per nostras cit.* dicitur, *nullus se ingerere debeat Ecclesiasticæ prælationis officiis*; tum verò quia, ubi de proprio commodo, præsertim ex rebus Ecclesiasticis percipiendo, agitur, ad evitandas fraudes authorem quem sibi fieri Jura non patiuntur *l. quanquam* 1. & *l. pupillus*, 5. §. *item ipse* 2. *ff. de author. & consensu tutor. Ad* 2. negatur paritas; quamvis enim Confessarius Jurisdictionem in Pontificem accipiat ab ipso Pontifice, non tamen potestatem Ordinis, quam accepit à Deo, Ministro Episcopo ordinante. Accedit, quia dum absolvit Pontificem, non ipsius Pontificis, sed Christi nomine eundem absolvit, ut adeo jam habeatur requisita distinctio personarum.

Dub. 7. ad quem Episcopum pertineat institutio Clerici in Ecclesia, quæ in duarum Diœcesium confini- 14
bus sita est? Controversiæ huic locus est in duplici casu: potest enim contingere, ut pars aliqua Ecclesiæ sit constructa in territorio unius Diœcesis, pars altera in territorio alterius Diœcesis; & potest contingere, ut fundus ipse, in quo constructa est Ecclesia, sit controversus, & dubium, utrum ad hanc, vel ad illam Diœcesim spectet.

Si primum, aliqui jus instituendi adstruunt illi Episcopo, in cujus territorio est Ecclesiæ caput, seu pars principalis *arg. l. cùm in diversis* 44. *ff. de religios. & sumpt. funer.* alii jus istud adscribunt illi, in cujus Diœcesi est porta principalis *arg. l. prædiis* 91. §. *qui domum* 5. *ff. de Legat.* 3.

Si secundum, quidam putant, eo casu jus instituendi esse commune utrique Episcopo *arg.* §. *insula* 22. *Inst. de rer. divis.* alii relinquunt in Patronorum arbitrio, cui ex Episcopis, vel an Episcopo utriusque Superiori, vel Papæ Clericos in ea instituendos præsentare velint.

Ego cum Colendissimo P. Professore, & Antecessore meo P. Jacobo Vviestner *p. m.* judico hìc considerandum, quis ex duobus Episcopis sit in possessione Juris instituendi, & hunc præferendum; quia *juxta Reg.* 65. *in* 6. in pari causa possessoris conditio melior est: si neuter in possessione sit, tum primùm sententiis allatis locus erit.

Quæritur 3. de qualitate, & numero instituendo- 15
rum. Et 1. quidem *dubitatur*, quinam, & quales instituendi sint in Beneficiis? Resp. 1. instituendi debent esse Clerici; nam Laici non possunt institui in Canonicatibus, & aliis Beneficiis *c. in Ecclesia* 2. *h. tit. Excipiuntur* nonnulli Laici Principes, quibus conferuntur Præbendæ quædam honorariæ; sic enim, ut Gonz. *in c. in Ecclesia cit. n.* 2. advertit, hujusmodi Præbendam in Ecclesia Legionensi habet Rex Hispaniæ, Rex Galliæ in Pictaviensi, & Cennomanensi, Rex Rom. in Aquisgranensi, Imperator, ubi coronatus Romæ fuerit, ad S. Petrum in Vaticano. Neque sufficit esse Religiosum, sed necesse est, ut habeat saltem primam tonsuram, sicque fiat capax Beneficii, ut rectè notat Pirh. *hic n.* 10. *Ratio est*, quia Beneficiatus talis esse debet, qui possit servire Ecclesiæ in Divinis Officiis; in his autem servire non possunt Laici.

2 Non sunt in Ecclesiis, & Beneficiis instituendi Clerici unius Originis, seu nationis tantùm, sed *litterati, & aliàs idonei, undecunque originem duxerint*, uti dicitur *c. ad decorem* 5. *h. tit.* ubi rationem dat Pontifex; quia *in omni gente, qui facit justitiam, acceptus est DEO*,

nec

sic, quòd fuerit lectum, atque ibi relictum per congruum tempus; nec statur simplici assertioni Notarii sine testibus. Lotter. n.48.& 49. 3. Ut res non ampliùs sit integra, sed Institutio, termino Edicti elapso, facta; nam necdum facta Institutione, etiam post terminum Edicti comparens verus Patronus præsentare potest, & admitti debet ejus præsentatio, saltem dum impeditus fuit, vel Edictum in veritate ignoravit, ut contra Rochum, & alios à se citt. probabiliùs docet Garc. n.14. cit. Corrad. n.31. Leuren. n.8. cit.

Dub. 4. an ad Institutionem opus sit Scriptura? Resp. ad ejus substantiam, & valorem actus scriptura opus non esse, cùm id nullo Jure expressum sit. Consuetudine tamen receptum est, ut fiat per Scripturam, sicut & præsentatio: expeditque ita fieri ad faciliorem probationem. Vivian. l.13. de Jur. Patron. c.1. num. 5. Corrad. l.4. c.7. n.21. Leuren. p.2. q.186. num. 1. la Croix l.4. Theol. mor. n.359. Vviest. n.28.

§. II.

De Institutione Authorizabili.

SUMMARIUM.

40 *Institutio Authorizabilis Jure communi pertinet ad Episcopum.*
41 *Acquiri potest etiam ab aliis privilegio Apostolico.*
42 *Et consuetudine, saltem immemoriali, spectato Jure antiquo.*
43 *Non tamen novo Trid.*
44 *Nisi casu, quo consuetudine, vel potiùs præscriptione acquisita est plena exemptio.*
45 *Non valet conditio adjecta in fundatione, ut Institutio Authorizabilis pertineat ad alium, quàm Episcopum.*
46 *Institutioni regulariter præmittendum est Examen instituendi.*
47 *Excipiuntur tres casus.*

40 Quæritur 1. ad quem pertineat *Institutio Authorizabilis*? Resp. Jure communi competit Episcopis, & ab his facienda est, præmisso de idoneitate examine, tametsi Institutio collativa tituli ad alium quendam Prælatum spectet *cap. cùm satis 4. de Offic. Archidiacon.* Estque Institutio hæc ad Sacramenta administranda Clerico Curato, in quo solo requiritur, a necessaria, ut absolutiones à non approbato factæ sint omnino invalidæ, nisi cum titulo colorato adsit communis error populi existimantis, eum habere potestatem absolvendi. Quando Institutio etiam collativa tituli pertinet ad Episcopum, uti de Jure communi, & ordinariè pertinet secundùm dicta n.7. utraque t, uno, eodemque actu.

Quæritur 2. an, & quibus præter Episcopum Institutio Authorizabilis competat, vel possit competere? Resp. 1. competit Capitulo, Sede vacante; quia est actus Jurisdictionis necessariæ, quæ tota in Capitulum, Sede vacante, transit. 2. Vicario Generali Episcopi, vel Capituli, Sede vacante, ob eandem rationem. 3. Prælatis, qui in certi territorii Clerum, & populum Jurisdictionem quasi Episcopalem exercent; nam etiam hi in Jurisdictionalibus appellatione Episcoporum veniunt. 4. Competere potest etiam aliis Prælatis, licèt Jurisdictionem quasi Episcopalem non habeant, si ad hoc muniti sint privilegio Apostolico; nam sola unio, qua Jure non plenissimo Beneficium quod unitum est Ecclesiæ, Monasterio, vel Dignitati non sufficit, etsi Prælatus ejusmodi jus instituendi in Beneficio unito habeat, sed eo casu concurrent Institutiones diversæ, & collativa tituli quidem fiet à Prælato, Authorizabilis autem ab Episcopo. Leuren. p.2. for. Benef. q.7. n.2. & 3. alii communiter.

Quæritur 3. an etiam consuetudine, vel potiùs præscriptione acquiri jus Institutionis Authorizabilis possit? Dubio huic ansam dedit c. cùm satis 4. de Offic. Archid. ubi Pontifex consuetudinem ejusmodi damnat, & mandat Archidiacono, qui consuetudinem in hac re pro se obtendebat, ut nemini de cætero sine licentia, & mandato Episcopi curam animarum committere præsumat.

Sed distinguendum est inter Jus antiquum c. cùm satis 4. & novum Trid. sess.7. c.13. de reform. nam Jure antiquo c. cit. solùm reprobatur præscriptio longi temporis, vel etiam longissimi, si titulo non sit suffulta; non verò si titulo suffulta sit, aut immemorialis sine titulo; nam hæc à reprobatione generali non afficitur, utpote quæ majori vi pollet, & privilegio, ex certa scientia à Principe concesso, æquiparatur. Itaque dicendum, spectato Jure cit. c. posse per consuetudinem, vel præscriptionem 40. annorum cum titulo, vel Immemorialem sine titulo acquiri jus Institutionis Authorizabilis. Ita Abb. in c. auditis 15. de præscript. in 6. Felin. ib. n.8. Barb. de præscript. pr. p.5. p.1. q.11. n.6. Gilcken. de Præscript. p.3. c.10. num. 10. quos citat, & sequitur P. Vviestner hic n.32. & 33. *Ratio est*, quia Institutio Authorizabilis, sive commissio curæ animarum non est actus Ordinis, sed Jurisdictionis Episcopalis, cùm ex commissione Episcopi exerceri possit etiam ab ejus Vicario Generali, & hoc mortuo, ad Capitulum transeat. Atqui ea, quæ Jurisdictionis sunt, adversùs Episcopum præscribi possunt 40. annis cum titulo, & tempore immemoriali sine titulo c. *Episcopum 1. de præscript. in 6.* ergo &c. *Conf.* nam Institutio ista acquiri potest privilegio Apostolico, ut dictum est *n. præc.* atqui præscriptio immemorialis vim privilegii habet *c. super quibusdam 26. vers. præterea de V.S. l. hoc jure 3. §. ductus à qua 4. ff. de aqu. quot. & æstiv.*

Jure novo Trid. *cit.* dicendum, Jurisdictionem Authorizabilem in Beneficiis Curatis, quamdiu illa à Jurisdictione Episcopi non eximuntur, contra hunc à Prælatis inferioribus non ampliùs ullo tempore præscribi posse. Ita Lotter. *de Benefic. l.1. q.25. n.11. & seqq. & q.33. n.99. & seqq.* Murga. *de Benefic. q.2. n.183. & q.3. n.100. & seq.* Leuren. *p.2. for. Benef. q.729. n.1.* Barbos. *alleg. 72. n.185.* Vviestner *hic n.34.* & novissimè Vincent. Petra *tom.3. Comment. fol. 347. n.32.* & apud hunc Rota *in Burgensi Juris conferendi, seu instituendi 23. Jun. 1690. coram D. Molines, in Fanensi Jurisdictionis 16. Jun. 1704. §. præsupposita coram D. Scotto, in Burgensi Jurisdictionis super commissione Curæ 11. Jun. 1706. §. neque videbatur coram D. Ansaldo. Ratio est*, quia cit. Trid. Decreto ad ejusmodi Beneficia præsentati à locorum Ordinariis examinari, & ad animarum Curam approbari jubentur, non obstante quovis privilegio, & consuetudine, sive præscriptione etiam immemoriali, ut adeo videatur damnare consuetudinem non tantùm introductam, sed omnem etiam in futurum introducendam. Et quidem meritò, quippe cùm ejusmodi consuetudo, seu præscriptio, ipsaque privilegia, quæ talem potestatem ab Episcopo independentem dederant, cum tempore damnosa Ecclesiis, periculosa animabus, & publicè perniciosa esse cœperint.

Addidi, *Quamdiu talia Beneficia à Jurisdictione Episcopi non eximuntur*; quia non obstante Trid. Decreto *cit.* adhuc hodie acquiri præscriptione potest Jus Institutionis Authorizabilis indirectè: quod tum fit, quando per præscriptionem Beneficiorum Curatum à Jurisdictione Episcopi fit omnino exemptum, & subjectum immediatè alii Prælato, habenti Jurisdictionem quasi Episcopalem in Clerum, & populum; nam eadem præscriptione, qua plena exemptio, censebitur etiam acquisitum Jus Institutionis Authorizabilis. Vincent. Petra *tom.3. fol.348. n.38.* & hoc teste firmatum fuit *in Burgensi super commissione curæ suprà alleg.* 44

Quæritur 4. an casu, quo in Capellæ, vel Beneficii Curati fundatione adjecta conditio est, ut Clerici pro cura animarum instituendi approbatio competat Prælato cuidam inferiori, in eam se intromittere nihilominus possit Episcopus? *Ratio dubitandi est*; quia cùm rerum suarum moderator, & arbiter quisque sit *l. in re mandata 21. C. mandati*, in earum traditione apponere valet pacta, quæ vult. *l. in traditionibus 48. ff. de pact.* 45

Sed respondendum est, in tali Beneficio Episcopum adhuc sibi vendicare posse Institutionem Authorizabilem; & conf. conditio illa in fundatione adjecta habebitur pro non adjecta. *Ratio est*, quia Fundator utpote privatus, non potest SS. Canonum dispositionem immutare, & illis contrarium aliquid statuere *c. requisisti 15. verf. secus autem c. tua 7. de testam. & l. nemo 55. ff. de Legat. 1.* atqui pactum ejusmodi, seu conditio, qua commissio Curæ animarum, & approbatio personæ pro eadem tribuitur non Episcopo, sed Prælato inferiori, apertè est contra SS. Canones, utpote qui eandem Episcopo adstruunt, & sine istius licentia, vel mandato Prælato inferiori negant *c. cùm satis*, & Trid. *c.13. citt.*

Ex quo etiam cadit ratio dubitandi; nam textus illi Juris Civilis solùm intelligendi sunt de pactis, seu conditionibus, quæ Jus publicum non lædunt. *l. jus publicum 38. ff. de pact.*

Quæritur 5. an Institutioni necessariò sit præmittendum Examen Instituendi? Resp. regulariter præmittendum est: patet ex Trid. *sess.7. c.13. de reform.* *Proceditque hoc*, ut *ibidem* statuitur, à quibuscunque personis Ecclesiasticis (multo magis ergo à Laicis) etiam Sedis 46

Apo-

Apostolicæ Nuntiis præsentatio, vel nominatio facta sit; nam præsentatus ex *cit.* Trid. Decreto admitti ad Beneficium antè non potest, quàm à loci Ordinario, cui Beneficium subjectum est, examinatus, & idoneus repertus fuerit. Et quidem meritò; est enim Episcopus supremus in sua Diœcesi Pastor, consf. providere debet, ut populus in subjectis sibi Parochiis bene pascatur in Spiritualibus, Sacra legitimè administrentur &c. quod curare non potest, nisi sciat, qui, & quales præficiantur.

47 *Excipiendi* tamen sunt tres casus, in quibus Examina instituendi opus non est. Et 1. quidem, si præsentatus, electus, seu nominatus quis sit ab aliqua Universitate, seu Collegio generalium Studiorum; hos enim *l. cit.* excipit Tridentinum. 2. Si Episcopus patronus præsentat Clericum suæ Diœcesis instituendum ab Episcopo alterius Diœcesis; nam hic examinari non debet ab Episcopo instituente, sed ipsa nominatio est illius approbatio. Leuren. *p.* 2. *for. Benef. quæst.* 185. *numer.* 2. cum aliis. 3. Si præsentatus absens notus est Ordinario, quod præsumitur de Diœcesano instituentis, maximè si ab isto suscepit Ordines; hujus enim instituens perfectam habere potest notitiam. Lambertin. *p.* 1. *l.* 2. *artic.* 2. *numer.* 1. Corrad. *l.* 4. *cap.* 2. *n.* 5. Leuren. *n.* 2. *cit.*

§. III.

De Investitura, & Missione in Beneficii possessionem.

SUMMARIUM.

48 *Mittere in possessionem Beneficiorum institutos non potest Laicus.*
49 *Sed hoc pertinet de Jure quidem ad Archidiaconum, de consuetudine verò ad Episcopum.*
50 *Si alius est in possessione Beneficii, regulariter is prius citari debet.*
51 *Et summariè cognosci de collatione facta ei, qui in possessionem est inducendus.*
52 53 *Modus mittendi in possessionem pro varietate locorum varius est.*
54 *Apprehendi possessio Beneficii etiam per Procuratorem potest.*
55 *Saltem si iste habeat speciale mandatum.*
56 57 58 *Apprehensa possessione Dignitatis, vel alterius Beneficii, etiam comparatur possessio rerum, ac Jurium ad hoc spectantium.*
59 *Misso in possessionem aliquando dat præscribendi conditionem.*
60 *Sufficit ad hoc triennium.*
61 *Non autem possessio annalis.*
62 63 64 *Non potest capi possessio Beneficii authoritate propria.*
65 *Pœna sic capientis possessionem.*

48 QUæritur 1. ad quem de Jure pertineat institutos mittere in possessionem Beneficiorum? *Certum est*, Laicum, saltem nomine proprio, mittere Institutos in possessionem non posse. Patet ex *c. ut nostrum 9. de Offic. Archidiacon.* ubi jus ita instituendi adnumeratur officiis Spiritualibus. Taxanturque per Jus Canonicum gravissimæ pœnæ in Prælatos, qui Investituram accipiunt per manum Laicam; nam 1. eam ita recipiens nullatenus inter Prælatos habetur, nec ulla ei ut tali audientia conceditur *can. siquis deinceps* 12. *caus.* 16. *q.* 7. quia Investitura talis irrita omninò est, nec ullam in recipientem possessionem transfert. 2. Gratia S. Petri, ac introitus Ecclesiæ ei est interdictus, prousque locum resipiscendo non deserverit. *can. cit.* 3. Deponitur, & segregatur, omnesque illi, qui ipsi communicant *can. si quis Episcopus* 14. *caus. & quæst. cit.*

Idem Juris est in recipiente Investituram Ecclesiarum, & aliorum Beneficiorum à Laicis *can. siquis deinceps cit. can. siquis Clericus* 16. *can. Constitutiones* 17. *can. per Laicos* 20. *can. non placuit* 23. *caus. & quæst. citat.* nam & ipsi Excommunicationem incurrunt.

Eandem incurrunt etiam sæculares potestates, ac personæ, quæ Investituram alicujus Ecclesiæ, vel Dignitatis dare præsumpserint *can. siquis deinceps citat. vers. fin.* quia *Laicis, quamvis religiosis, obsequendi manet necessitas, non imperandi authoritas, aut ulla facultas de Dignitatibus Ecclesiasticis disponendi*, ut dicitur *can. non placuit cit. & can. seq.*

Ex quo sequitur, Investituram, & missionem in possessionem Beneficiorum fieri posse à solo Superiore Ecclesiastico, & cui ille ipsam commiserit. Sed hinc

Quæritur 2. quis Superior Ecclesiasticus mittere in possessionem Beneficiorum de Jure possit? *Rationem dubitandi* faciunt textus *capit. licèt* 28. *de Præb. in* 6. ubi id tribuitur Episcopo, & *c. adhæc* 7 *de Offic. Archidiacon.* quo hæc potestas datur Archidiacono.

Duplex ad difficultatem istam ab Authoribus datur Responsio: Barb. *in capit. ad hæc citat. num.* 6. cum Covarruvia dicit Episcopo quidem competere potestatem decernendi, ut provisi in corporalem Beneficiorum sibi collatorum possessionem mittantur; ad Archidiaconum autem spectare executionem talis sententiæ, & ipsam actualem missionem in possessionem. Flaminius *l.* 10. *de resign. quæst.* 6. *numer.* 32. *&* 33. vult immissionem in possessionem Beneficiorum de Jure quidem spectare ad Archidiaconum, de consuetudine autem ad Episcopum. Consentiunt Engl *hic numer.* 5. Konig *num.* 20. Petra *tom.* 1. *Comment. fol.* 424. *num.* 88.

Potest missio hæc ab Episcopo etiam fieri, & ita plerumque solet in Beneficiis Parochialibus, & aliis inferioribus per Vicarios, Decanos Rurales, & alios Commissarios. Zypæus *hic n.* 4. In Collegiatis Ecclesiis Collegas suos in possessionem passim mittunt, ac titulum admittunt à Patronis fortè datum Collegia, & Capitula. Idem *l. cit. in fin.*

Quæritur 3. quid requiratur, ut legitimè fieri possit Missio in possessionem? Resp. si alius adhuc sit in possessione Beneficii, citari is debet, etsi Beneficium amiserit quoad titulum; nam regulariter eo non citato, Missio fieri nequit. Ita habetur *capit. licèt* 28. *de Præb. in* 6. *Ratio est*, quia fortasse possessor allegare potest justam causam retentionis Beneficii. Dixi *Regulariter*: nam tres casus excipiendi sunt, quibus citatione possessoris non est opus. 1. Quando notorium est, quod possessori nullum competat jus retinendi Beneficium; quia in notoriis ordo Juris non requiritur *capit. ad nostram* 21. *de Jurejur.* & *Clem. Pastoralis* 2. *de sent. & re judic.* 2. Quando, antequam Beneficium conferretur alteri, possessor citatus est, & contra eum prævia cognitione pronuntiatum: quia non censetur novi aliquid allaturus, si denuo citaretur. P. Wiestner *hic numer.* 46. & apud hunc Joan. Monach. Laym. 3. Quando Beneficium amissum est ipso Jure propterea, quòd ejus possessor offenderit aliquem S. R. E. Cardinalem; nam ob atrocitatem criminis eo casu possessor vocari non debet, sed provisus absque citatione possessoris potest mitti in possessionem. Gloss. *in cap. Felicis* 5. *V. disponant de Pœnis in* 6.

Quodsi citatus possessor compareat, Missioni in possessionem præmittenda est cognitio de collatione Beneficii facta ei, qui in possessionem est inducendus, summariè tamen, sine strepitu, & figura Judicii: neque opus est, ut probetur illam esse Canonicam; quia talis esse præsumitur. Neque admittitur Exceptio possessoris; qua missionem in possessionem impedire contendit, nisi ea sit de crimine cum infamia conjuncto, vel de defectu Canonici tituli, aut alia similis, quæ vel sit manifesta, vel in continenti probari valeat; cùm enim missionem in possessionem non impediat, aut suspendat Appellatio, multo minus id valebit quævis Exceptio.

Quæritur 4. quomodo fieri Missio in possessionem debeat? Resp. hæc diversimodè fit pro locorum, & ipsorum etiam Beneficiorum diversitate. Episcopi investiuntur, & in Episcopatuum suorum possessionem mittuntur per Installationem, ut vocant, certis pro locorum varietate solemnitatibus peractam; Abbates, hisque similes Prælati ferè per inductionem in Ecclesiam, & collocationem in Sede Abbatiali; Canonici per assignationem loci, ac Sedis in Choro, ac Capitulo.

Magis diversa est consuetudo in Investitura Parochorum, & aliorum Beneficiatorum; nam in quibusdam Diœcesibus fit per inductionem in Ecclesiam, osculum Altaris, & similes actus in Ecclesia exercitos; in aliis per contactum januæ clausæ Ecclesiæ, & reserationem illius. In pluribus locis Investituram accipiunt Parochi, cùm die aliquo Festo, vel Dominico populo ad Divina præsenti publicè proponuntur, & præstitis Fidei, & Obedientiæ juramentis accipiunt Insignia Parochialia, quam *Investituram in Spiritualibus* vocant. Peracta dein re Divina, inducuntur in domum Parochialem, atque ibidem claves, & rationum libri eidem traduntur: quam *Traditionem temporalium* appellant.

Hunc

53 Hanc posteriorem in quibusdam locis Patroni, Advocati Ecclesiarum, & Domini territoriorum privativè quoad Episcopum sibi arrogant, licèt de Jure communi Patrono, præsertim Laico, præter jus præsentandi, & inspectionem in Beneficio in ordine ad excessus Episcopo denuntiandos, non sit aliqua Jurisdictio, vel potestas in Beneficiatum, Beneficium, & reditus Beneficiales concessa, ut passim DD. & probat Trid. *sess.* 25. *cajit.* 9. *vers. patroni autem de reform.*

Videatur Corrad. *l.* 7. *prav. benef. cap.* 41. *num.* 41. Gonzal. *in cap. ex litteris* 2. *de consuet. numer.* 17. *fin.* Van-Espen *p.* 2. *Jur. Eccl. tit.* 26. *cap.* 2. *num.* 12. & 13. Vvagn. *ad Rubr. h. tit. num.* 3. Honor. *hic numer.* 20. Zœs. *ibid. num.* 4. Schamb. *num.* 1. Engl. *num.* 6. Vviest. *numer.* 51.

54 Quæritur 5. an possessio Beneficii apprehendi possit per Procuratorem? Resp. posse saltem si Procurator ad id habeat speciale mandatum. Ita Flam. 10. *de resignat. quæst.* 6. *numer.* 9. Gonzal. *in cap.* 24. *de Præbend. num.* 2. Barbos. *ibid. num.* 1. & *in cap.* 17. *eod. in* 6. *numer.* 11. Van-Espen *J. E. U. p.* 2. *tit.* 26. *cap.* 2. *num.* 14. Honor. *hic num.* 18. Vviest. *numer.* 47. & habet quotidiana praxis. *Ratio* est obvia; quia per Procuratorem acceptari potest ipsa etiam collatio Beneficii, qua jus in eodem acquiritur. Igitur multò magis per eundem apprehendi poterit ejusdem possessio, utpote qua acquiritur sola rei detentio. Potestque is etiam esse Laicus, prout resolvit Flamin. *quæst.* 6. *cit. num.* 14. Barbos. *in cap.* 24. *cit. num.* 2.

55 Dixi, *Saltem si mandatum speciale habeat*; major enim est controversia, an sufficiat generale? *Affirmant* sufficere Covarr. *l.* 3. *var. cap.* 16. *num.* 9. Vasq. *de Benef. cap.* 4. §. 4. *dub.* 6. & alii plures ex ratione; quia possessio non ad jus, sed ad factum solummodo pertinet *l. possessionem* 29. *ff. de acquir. possess. Negant* Gloss. *in cap.* 17. *V. habueris de Præb. in* 6. Flamin. *quæst.* 6. *cit. num.* 13. Barbos. *in cap.* 24. *cit. num.* 3. Rationem dant; quia possessionis apprehensio est accessoria acceptationi, istiusque perfectio, & implementum. Sed acceptatio requirit speciale mandatum. Ergo etiam apprehensio possessionis; nam accessorium sequitur naturam sui principalis. P. Vviest. *numer.* 47. *cit.* conatur has duas sententias combinare, dum ait, non sufficere quidem mandatum generale, quo omnia indiscriminatim negotia alicui committuntur, sufficere tamen mandatum, quo generaliter committuntur negotia Beneficialia.

56 Quæritur 6. an eadem Investitura, qua Dignitatum, & Beneficiorum possessio acquiritur, etiam acquiratur possessio rerum, & Jurium ad ea pertinentium? *Ratio dubitandi est* 1. quia possessio à Sedium, pedumve positione dicitur, nec animo solo acquiritur, sed factum quoque apprehensionis, externum requiritur. 2. Apprehensione rerum ad Beneficium spectantium non acquiritur possessio ipsius Beneficii, nisi etiam hoc aliquo modo, qui ad capiendam possessionem sufficiat, apprehendatur. Ergo nec vicissim per apprehensionem Beneficii acquireretur possessio rerum, ac jurium ad illud spectantium, nisi facto aliquo externo istorum etiam apprehensio fiat. 3. Potest aliquis accepisse possessionem Beneficii, & tamen rerum, ac Jurium ad illud pertinentium possessio esse penes alium. Ergo cum possessio in solidum rei ejusdem non possit penes duos, vel plures esse, is, qui accepit possessionem Beneficii, non hoc ipso accepit possessionem rerum, & jurium ad hoc spectantium.

57 Sed his non obstantibus, dicendum, apprehensa Dignitatis, vel alterius Beneficii possessione, etiam rerum, ac jurium ad hoc spectantium possessionem comparari, si quidem illa vacent, eaque non obtineat alius. Ita Covar. *l.* 3. *var. c.* 16. *n.* 13. Lambertin. *l.* 2. *de Jur. patron. part.* 3. *quæst.* 11. *art.* 9. Flamin. *de resign. l.* 10. *cap.* 6. *num.* 53. Gonzal. *ad Reg.* 8. *gloss.* 5. §. 7. *num.* 6. Corrad. *c.* 7. *n.* 37. Pal. *part.* 32. *num.* 10. Honor. *hic n.* 22. Vviest. *ibid. num.* 53. *Ratio est*, quia Jure, & consuetudine receptum est, ut possessione unius rei, vel Juris adita, reliquarum quoque, quæ connexæ sunt, aut inde dependent, apprehensio facta esse censeatur. Sic per contactum partis fundi, censetur fundi totius possessio fuisse adita, & horrei vel ædium, ac rerum ibi reconditarum per traditionem clavium, rei donatæ, vel emptæ per traditum, & acceptatum Instrumentum &c. Dixi, *Si quidem illa vacent, eaque non obtineat alius*; nam si possessio rerum vel Jurium ad Beneficium pertinentium sit penes alium, priùs illa à possessore consueti Juris remediis avocanda forent, ut eorum quoque possessio à Beneficiato acquiratur.

Neque urgent argumenta allata in contrarium. *Ad* 1. possessio frequenter quidem, non tamen semper sedium, pedumve positione acquiritur, sed aliis quoque signis, & actibus circa rem exercitis, ut clavium traditione, acceptatione instrumenti de contractu celebrato erecti, & sola etiam ostensione fundi vicini ex turri cum dicto, quòd vacua illius tradatur possessio *l. quod meo* 18. §. *si venditorem* 2. *ff. de acquirend. vel amittend. possess. Ad* 2. mirum non est, quòd apprehensione Beneficii acquiratur possessio etiam Jurium Beneficio annexorum; nam Beneficium est principale, Jura autem annexa sunt accessorium, & est Juris Regula, quòd accessorium sequatur naturam principalis, non verò principale naturam accessorii. *Ad* 3. Argumentum illud solummodo probat responsionem limitandam esse ad res, & jura vacantia, quæ alius non occupavit, aut retinet, ut *numer. præced. fin.* dixi. 58

Quæritur 7. quis sit effectus missionis in possessionem Beneficii? Resp. eosdem ferè effectus habet, quos aditio possessionis rerum aliarum, ac jurium. Et quamvis de se titulum, & jus non tribuat, ex illa tamen titulus in subjecto capace præsumitur, quantòque ipsa est diuturnior, tantò fortior est justi tituli præsumptio, censeturque ipsa orta ex justo titulo *argum. cap. querelam* 24. *de Elect.* & *l. minus* 2. *Cod. de acquir. possess.* Dat quoque præscribendi conditionem; ita, ut qui per tempus Jure designatum Beneficium bona fide, & cum titulo colorato sine Simoniaco ingressu possedit, non tantùm in foro externo tutus sit, & molestari litibus nequeat, ut facilè concedunt DD. vi *Regul.* 36. *Cancel. de triennali*, sed verè etiam præscribat, & titulum acquirat, ita, ut tutus etiam sit in conscientia. Ita contra Covar. Molin. Palao cum communi tenent Azor. *part.* 2. *l.* 7. *cap.* 35. *quæst.* 8. Less. *l.* 2. *de Just. cap.* 35. *num.* 140. *vers. Quartò.* Sanch. *l.* 7. *moral. cap.* 29. *numer.* 88. & *seqq.* Laym. *l.* 3. *tract.* 1. *cap.* 8. *numer.* 16. Cardinal. de Hugo *D.* 7. *de Just. numer.* 110. Pirh. *de præscript. numer.* 115. cùm enim Pontifex potuerit per possessionem tribuere verum titulum Beneficii, & possidentem tutum etiam in conscientia reddere, censendum est voluisse id facere; quia vel maximè vult consulere conscientiæ subditorum, & excludere peccatum, cui ansam præberet, si possidens, cognito defectu tituli, teneretur dimittere Beneficium, ad quod dimittendum in foro externo cogi non posset, ac propterea, etiam cognito defectu illo, Beneficium retineret. 59

Dubium est, quanti temporis debeat esse possessio, ut titulus inducatur? *Certum est*, non opus esse decennio, vel vicenio, sicut ad præscribendas res immobiles, & jura alia, sed sufficere triennium juxta *Regul.* 36. *citat. Difficultas est*, an sufficiat etiam annua possessio, bona fide, & pacificè continuata? *Ratio dubitandi* nascitur ex *Regul.* 35. *Cancell. de Annali possessore*, vi cujus is, qui Beneficium Ecclesiasticum, ab aliquo per annum immediatè præcedentem possessum, deinceps impetrat, imprimis in litteris impetrationis exprimere debet nomen, Gradum in litteris, & Nobilitatem possessoris, & quot annis illud possederit: item addere debet specificam, ac determinatam causam verb. grat. defectum ætatis, vel assecutionem pacificam alterius Beneficii incompatibilis, ex qua possessori nullum jus in Beneficio competere clarè constare possit. Deinde procurare debet; ut Beneficii possessor intra sex menses, numerandos à tempore Datæ impetrationis, citetur, & ad Judicium evocetur. Demum facta citatione, causam intra annum usque ad sententiam definitivam inclusivè prosequi tenetur. Quæ conditiones si non observentur, Beneficii impetratio, & quæcunque ex ea secuta nullius sunt firmitatis, & impetrans possessori de ortis exinde damnis, & interesse satisfacere tenetur &c. 60

Sed adhuc dicendum, annali, etiam bonæ fidei, & pacifica possessione Beneficii titulum, ac jus in eo non acquiri. Ita Azor. *part.* 2. *l.* 7. *cap.* 34. *quæst.* 16. Pal. *tract.* 13. *D.* 2. *p.* 33. *num.* 3. & hoc teste sententia omnium. Neque contrarium probat *Regul. cit.* solùm enim inde evincitur, quòd possessor Beneficii adversus eum, qui Beneficium impetravit, se tueri possessione sua possit, dum ostendatur vitium ejusdem; non verò defenditur, quando affertur causa determinata, & clara nullitatis: quod tamen fieret, si annali possessione pacifica acquireretur titulus, & jus in Beneficio præscriberetur. 61

Quæritur 8. an is, qui per Canonicam Institutionem obti- 62

obtinuit Beneficium, ejus possessionem apprehendere propria authoritate possit? Videtur posse 1. ex capit. transmissa 15. de Elect. ubi electo post confirmationem, & obtentum per illam titulum Prælaturæ conceditur administratio ejusdem, & executio officii sine ulla mentione inductionis in possessionem, 2. ex cap. nihil 44. §. cæterùm eod. ubi electio ad Ecclesiam immediatè Sedi Apostolicæ subjectam in locis ultra Italiam sitis, v. gr. in Germania ante confirmationem conceditur plena administratio in spiritualibus, & temporalibus, excepta dumtaxat alienatione. igitur jam acquisivit possessionem; nam. administrandi facultas est fructus, & effectus quidam possessionis, & ante hanc acceptam administratio attentari non debet, ut monet Abb. in cap. cit. num. 11. atqui ita electus ante confirmationem à nemine admissus in possessionem est. 3. ex ratione; quia rem suam, saltem si possessio sit vacua, occupare quilibet potest; atqui institutus per institutionem adeptus est titulum, & quasi proprietatem Beneficii. ergo &c.

63 Sed respondendum est distinguendo: Vel enim Prælatus simpliciter solùm, & sine signo Investituram denotante Beneficium contulit, aut præsentatum instituit, vel cum signo aliquo Investituram denotante, cum traditione bireti, annuli, clavium &c. Si primum, Beneficii possessionem, etiam vacuam, propria authoritate apprehendere institutus non potest. Dynus in Reg. 1. in 6. num. 26. Flamin. l. 8. de resign. quæst. 9. n. 55. Pirh. de Præb. num. 55. not. 1. in fin. Honor. hic n. 11. Engl. num. 4. Konig. num. 20. Vviest. num. 39. Si secundum, & hoc factum sit à Prælato habente potestatem tradendæ possessionis cum titulo, hujusmodi traditione intelligitur etiam data licentia propria authoritate apprehendendi possessionem vacantem Beneficii. Abb. in cap. 4. h. tit. n. 9. Lambertin. l. 2. de Jur. patron. p. 3. quæst. 11. art. 1. num. 5. Covar. l. 3. var. cap. 16. num. 7. Leur. p. 2. for. Benef. quæst. 9. num. 1. Pirh. Viest. l. citt.

64 Neque obstant argumenta opposita. Ad 1. necessitas inductionis in possessionem apertè supponitur cap. ad hæc 7. de Offic. Archidiac. & cap. licèt 28. de Præb. in 6. qui textus ut combinentur cum cap. transmissam cit. dicendum est, quòd administratio permissa sit confirmato, servatis servandis, sc. postquam in Beneficii corporalem possessionem missus est. Ad 2. possessio illa, & administratio, quæ per cap. nihil cit. conceditur electis in concordia, & necdum confirmatis extra Italiam non est stabilis, sed provisionalis tantùm, quæ duret usque dum Electio authoritate Apostolica confirmetur, confirmatio autem secuta, per Investituram corroboretur; & stabiliatur. Ad 3. ad rei, vel juris possessionem capiendam non sufficit ejus dominium, vel quasi, cùm Jure notum sit; quòd possit aliquis committere spolium rei suæ.

65 Quæritur 9. qua sit pœna afficiendus ille, qui possessionem Beneficii, cujus titulum habet, propria authoritate adiit? Resp. distinguendo, an eam adierit, interveniente violentia, an nulla interveniente violentia.

Si primum, quia nim. priorem Beneficiarium, quòd adhuc possessionem Beneficii à se amissi continuaret, vi illata ex illa depulit, in pœnam temeritatis ipso Jure, & facto amittit titulum Beneficii, & omne jus, quod antè ipsi in eo competebat cap. eum qui 18. de Præb. in 6. & ibi Barbos. num. 3. Passerin. num. 16. & seqq. Honor. hic num. 17. Engl. num. 4. Vviest. num. 42. Ratio hanc pœnam statuendi fuit; quia talis assumere videtur partes Judicis, & spoliatoris Beneficii, licèt mala fide possessi, ut adeo locus sit arg. l. si quis in tantam 7. C. unde vi.

Si secundum, pœna arbitraria à Judice est puniendus, ipsum tamen Beneficium non amittit; quia ad amissionem illius ipso Jure utrumque requiritur, videlicet neglectus authoritatis, seu officii Judicis, & violentia possessori resistenti illata. Covar. l. 3. var. capit. 16. numer. 7. vers. quodsi. Lotter. l. 3. de Benef. quæst. 22. numer. 29. Passerin. loc. cit. numer. 17. & alii suprà.

TITULUS VIII.

De Concessione Præbendæ, & Ecclesiæ non vacantis.

SUMMARIUM.

1 *Beneficium aliquando vacat de facto tantum.*
2 *Aliquando de Jure tantum; aliquando de Jure, & facto simul.*
3 *Ut per mortem naturalem vacet, requiritur, ut situm sit in Ecclesia numerata.*
4 *Ut non sit suppressum, vel accessoriè unitum.*
5 *Ut Beneficiatus habuerit jus in Beneficio.*
6 7 8 *Casus, quibus Beneficium vacat ex dispositione Juris.*
9 10 11 *Discrimen inter privationem inductam ipso Jure, & decretam sententia Judicis.*
12 13 14 *Quomodo vacare debeat Beneficium, ut alteri conferri possit?*
15 16 17 18 *An semper necessarium sit, ut illud vacet?*
19 20 21 22 *An non saltem promitti possit in casum, quo vacaverit?*
23 *An promissio hujusmodi convalescat accedente consensu Beneficiarii?*
24 *Vel Scriptura?*
25 *An Collator potestatem conferendi delegare alteri possit?*
26 *Quid circa Beneficium nondum vacans possit Patronus?*
27 28 29 *An valeat promissio in casum*, cùm occasio se obtulerit?
30 31 32 *An non saltem valeat Juramentum promissioni Beneficii nondum vacantis adjectum?*
33 34 35 *An, & quatenus per Trid. sublatæ sint Gratiæ Exspectativæ?*
36 37 38 *Intra quod tempus conferri debeant Beneficia vacantia?*
39 40 *Quando semestre ad conferendum Beneficium à Jure præfixum incipiat currere?*
41 42 *An tempus istud sit utile, vel continuum.*
43 *Pœna non conferentium legitimo tempore est devolutio ad superiorem.*
44 *Quæ sit gradatim.*
45 46 *Requisita, ut Jure devoluto Beneficium vacans conferri possit?*

UT Ecclesiarum, Dignitatum, & Beneficiorum Collatio, & in ea Institutio valeant, necesse est, ut expectetur eorundem Vacatio. Hinc merito *Titulis præced.* in quibus de Beneficiis, eorumque Collatione, & Institutione actum est, subjungitur præsens Titulus de concessione Præbendæ, vel Ecclesiæ non vacantis. 1

Quæritur 1. quando dicatur vacare Beneficium? Resp. vacare tunc dicitur Beneficium, quando proprietario, vel possessore caret. argum. l. qui cœtu. 5. §. fin. ff. ad Leg. Jul. de vi public. & l. Divus 22. §. licèt 1. ff. de us. & habit. quorum textuum priore mulier marito carens, posteriore domus à nemine habitata pro vacantibus habentur. Potest autem hæc Beneficiorum, & Ecclesiarum vacatio tribus modis contingere, videlicet vel de facto tantùm, vel de Jure tantùm, vel de facto, & de Jure simul.

De facto tantùm vacat Beneficium, quando sola ejus possessione amissa, titulus, & jus seu proprietas retinetur, ut cum Beneficiarius diu absens ab eo est, & ignoratur, ubi sit: Item quando collatum id alicui est quoad titulum, nondum tamen possessio ejusdem tradita: Aut quando Beneficiatus ista per vim exutus, & Beneficio depulsus est, nec alius occupavit possessionem illius. 2

De Jure tantùm vacat Beneficium tunc, quando Beneficiarius quidem amisit jus, & titulum Beneficii, possessionem tamen retinet: & hæc vacatio dupliciter induci potest, vel per sententiam Judicis, qua Clericus in pœnam criminis à se commissi privatur jure, Titulo Beneficii: vel ex dispositione ipsius Juris decernentis Beneficium ipso facto vacare.

De Jure, & facto simul denique vacat Beneficium, quando nec Titulus, nec possessio ejusdem apud aliquem est: quo modo vacat, quando Beneficiarius est mortuus, vel Beneficium resignavit, aut illo actualiter privatus est, antequam id alteri conferatur.

Dub. 1. quando Beneficia vacent per mortem naturalem Beneficiati? Resp. ad hoc plura requiruntur. 3

1 Ut Beneficium illud situm sit in Ecclesia numerata; nam in Ecclesiis non numeratis, ubi plures, vel pauciores institui Canonici possunt pro arbitrio Episcopi, vel Capituli, mortuo Canonico, non vacat illius Canonicatus, sed cum defuncto extinguitur; & si novus instituatur, novum jus creatur, ipsique confertur cap. dilecto 25. vers. præterea de Præbend. cap. ex parte 10. vers. tandem h. tit. Vivian. ibid. in ration. Barbos. num. 1. Vvagn. V. Statutum not. 1. Leur. p. 2. for. Benef. qu. 556. num. 8. Cleric. de Benef. discord. 25. num. 11. Pirh. hic num. 41. Schamb. num. 13. Idem dicendum est, quando

in

in Eccleſia numerata Canonicus inſtituitur ſupra numerum; quia talis ſupernumerarii Canonici Beneficium non eſt ſtabile, ac perpetuum, ſed ad tempus vitæ ejus conceſſum ex gratia ſpeciali, & diſpenſativè. Pirhing. *loc. cit.*

4 2 Ut Beneficium tale non ſit ſuppreſſum ab habente poteſtatem, vel unitum acceſſoriè alteri Beneficio. Garc. *p.* 11. *de Benef. cap.* 2. *num.* 2. & *p.* 12. *cap.* 2. *numer.* 12. Clericat. *diſcord.* 48. *num.* 52. Pirh. *num.* 24. *hic*. *Ratio eſt* quia per ſuppreſſionem omnino extinguitur, & per unionem cenſetur ut prædium ejus, cui unitur. Idem dicendum, quando Beneficium pertinet ad menſam Prælati, vel Capitulari; nam etſi moriatur Clericus, qui eidem deſervit, per mortem tamen illius non vacat hujuſmodi Beneficium. Garc. *part.* 11. *citat. cap.* 2. *numer.* 3. Clericat. *diſc.* 48. *cit. numer.* 54. Pirh. *num.* 24. *cit.* quia talis Clericus non eſt propriè Rector illius Beneficii, ſeu Beneficiarius, cùm non proprio, ſed alieno, videlicet Prælati, vel Capituli nomine ei deſerviat.

5 3 Ut Beneficiatus habuerit jus in re, ſeu quaſi dominium in Beneficio; alioquin per mortem ipſius non cenſebitur Beneficium de novo vacare: ut ſi proviſus ante mortem non ſit confirmatus in Beneficio electivo, vel nondum acceptarit Beneficium collativum. Covar. *l.* 3. *var. cap.* 16. *num.* 3. Laym. *l.* 4. *tract.* 2. *cap.* 17. *num.* 1. Pirh. *num* 23. *hic*.

His autem concurrentibus, Beneficium per Beneficiarii mortem ita vacat, ut etiamſi ille à morte miraculosè reſurgeret, nullum tamen ampliùs habiturus eſſet jus ad illud recuperandum; quia *mors omnia ſolvit*, ut dicitur *Novel.* 22. *cap.* 20. *princ.* & ad Beneficium amiſſum ſine nova collatione rediri non poteſt.

6 Dub. 2. quibus caſibus Beneficium vacet ex diſpoſitione Juris? Reſpond. plures hujuſmodi aſſignari caſus. 1. ſi Beneficiarius contraxit Matrimonium validè *cap. ſi qui* 1. & *cap. quod à te* 3. *de Cleric. conjug.* 2. ſi Religionem ab Eccleſia approbatam profeſſus eſt *cap. Beneficium* 4. *de Regular. in* 6. 3. ſi ſecutus eſt militiam ſæcularem *cap. fin. de Cleric. non reſid.* & *ibi* Gloſſ. *V. redierint*. 4. ſi aſſecutus eſt Beneficium incompatibile *cap. cum in cunctis* 7. §. *cùm verò de elect. cap. de multa* 28. *de Præbend. Extrav. Execrabilis* 4. *verſ. qui verò int. comm. eod.* 5. ſi Beneficii ſibi collati poſſeſſionem vi occupavit *cap. eum qui* 18. *de Præbend. in* 6.

7 6 Si obtinens Parochialem Eccleſiam non ſuſcepit Sacerdotium intra annum à die adeptæ poſſeſſionis, vel quo ſtetit per ipſum, quo minùs adipiſceretur *cap. licèt* 14. *de Elect. in* 6. 7. ſi litigans de Beneficio ſequeſtrationem decretam impedit, aut fructus ſequeſtratos quoquo modo occupare præſumit. *Clem. un. de ſequeſtr. poſſeſſ.* 8. ſi commiſit crimen, cui privatio Beneficii ipſo jure annexa eſt, qualia ſunt Hæreſis, Sodomia ſæpiùs exercita, Aſſaſſinium, falſificatio Litterarum Apoſtolicarum &c. de quibus Jura paſſim, atque DD.

8 9 Si Prælatus bona, ſeu res Eccleſiæ immobiles, aut mobiles pretioſas, non ſervatis ſolemnitatibus Juris, vel Summo Pontifice inconſulto, alienavit. *Extrav. un. int. comm. de reb. Eccleſ. non alien.* 10. ſi Epiſcopus electus, juſto impedimento ceſſante, intra tres menſes poſt conſenſum electioni præſtitum non petiit Confirmationem *capit. quàm ſit* 6. *de Elect. in* 6. 11. ſi ante confirmationem, vel inſtitutionem ſe ingeſſit adminiſtrationi *capit. qualiter* 17. *de Elect.* 12. ſi electus ad Epiſcopatum, & hujus pacificam poſſeſſionem aſſecutus, conſecrationem ultra tempus Jure definitum diſtulit *capit. cùm in cunctis* 7. §. *cùm verò eod.*

9 Dub. 3. quod ſit diſcrimen inter privationem Beneficii ipſo Jure decretam, & inter eam, quæ per Judicis ſententiam inferenda eſt? Reſp. multiplex diſcrimen eſſe; nam

1. Qui per ſententiam ſolùm privandus eſt Beneficio, fructus ante illam perceptos ſuos facit, non reſtituere eos tenetur poſt ſententiam; quos tamen reſtituere tenetur, qui ob crimen ipſo Jure Beneficio privatus eſt: quod verum eſt etiam de perceptis ante ſententiam declaratoriam criminis; quia hæc retrotrahitur ad tempus commiſſi criminis. Covar. *in* 4. *Decret. part.* 2. *cap.* 6. §. 8. *num.* 8. Azor. *p.* 2. *l.* 7. *cap.* 17. *quæſt.* 2. *verſ. ſecundus effectus*, Molin. *tom.* 3. *de Juſt. D.* 96. *numer.* 7. Sanch. *l.* 2. *mor. cap.* 26. *numer.* 10. Laym. *l.* 4. *tract.* 2. *cap.* 17. *numer.* 2. Pirhing *hic num.* 27. Schamb. *num.* 10.

10 2 Is, qui privandus eſt Beneficio per ſententiam ferendam à Judice, permutare, & reſignare Beneficium illud poteſt, & ſi ante ſententiam illud fecerit, permutatio, & reſignatio hujuſmodi reſcindi non poteſt. At ſi quis ipſo Jure privatus eſt Beneficio, intereſt, an teneatur ante ſententiam illud dimittere, vel non; nam ſi primum, nec permutare, nec reſignare illud in favorem tertii poteſt: ſi verò ſecundum, permutare quidem, & reſignare illud ſecundùm aliquos etiam in favorem tertii poteſt, ſed permutatio, & reſignatio ſic facta reſcinditur: de quo vide *Libr.* 1. *tit.* 9. *numer.* 9.

3 Beneficium, quod ipſo Jure amiſſum eſt, impetrari, & conferri alteri poteſt, criminoſo non vocato; non ita auferri, aliique conferri poteſt Beneficium, quo criminoſus per ſententiam Judicis privandus eſt. Flamin. *de reſign. l.* 3. *quæſt.* 1. *num.* 33. Azor. *p.* 1. *l.* 5. *cap.* 8. *quæſt.* 3. Sanch. *l.* 2. *mor. cap.* 26. *num.* 12. Laym. *num.* 2. *cit.* Schamb. *num.* 10.

4 Beneficium, quo quis ob crimen ipſo Jure privatus eſt, non vacat morte Beneficiati ſic privati, utpote quod jam priùs vacavit; at Beneficium, quo quis privandus eſt primùm per ſententiam, ſi Beneficiarius ante hanc moriatur, non ex cauſa delicti, ſed mortis vacat. Azor. Pirh. Schambogen *l. citt.* 11

5 Ut privetur quis Beneficio per ſententiam Judicis, non requiruntur crimina adeo gravia. In Jure pœna privationis ferenda à Judice decreta eſt ob Homicidium ſimplex commiſſum à Clerico, ob perjurium, Sacrilegium, Sodomiam non frequentatam; adulterium, aut concubinatum publicum &c.

Quæritur 2. an, & quomodo vacare debeat Beneficium, ut alteri conferri poſſit? *Certum eſt* 1. non ſufficere, ſi Beneficium vacet de facto tantùm; qui revera vacans non eſt, cum de Jure pertineat ad alium, licèt iſte hic & nunc in poſſeſſione non ſit. Zoeſ. *hic num.* 2. Engl. *num.* 2. *ibid.* Konig. *num.* 13. 12

Certum eſt 2. poſſe conferri Beneficium, quod de Jure, & facto ſimul eſt vacans, ut apertè colligitur ex *cap. nulla* 2. *h. tit.* à contrario ſenſu; nam hoc ipſo, quòd ibi dicatur, Eccleſiaſtica Beneficia non poſſe conferri, nec promitti, antequam vacent, ſequitur, quòd poſtquam vacant, conferri poſſint, ſi aliud nihil obſtet. Abb. *in cap.* 6. *hoc tit. num.* 18. Zoeſ. *hic num.* 2. Pirh. *num.* 18. Schamb. *num.* 8. Engl. *num.* 3. Vvieſt. *n.* 6. & alii communiter.

Quando vacat de Jure tantùm, non autem de facto, eò quòd alius ſit in poſſeſſione, ſi colorata hæc ſit, ut Beneficium ita vacans impetrari, conferrique poſſit, duo requiruntur. *Primum eſt*, ut in Reſcripto impetrationis, & Proviſionis mentio fiat poſſeſſionis coloratæ; alioquin impetratio, & collatio ſubreptitia erit, & nulla, prout ſumitur ex *cap. cum noſtris* 6. *h. tit.* & ratio eſt, quia ſi Pontifex ſciviſſet, quòd alius in poſſeſſione colorata Beneficii eſſet, non tam facilè, nec abſolutè Beneficium contuliſſet, ſed potiùs ne videretur conferre Beneficium viventis, de poſſeſſoris Jure inquiri mandaſſet. Abb. *in cap. cùm noſtris citat. numer.* 7. & 27. Vivian. *ibid. princ.* Barboſ. *num.* 1. & 2. Vvagnereck. *not.* 1. Zoeſ. *hic num.* 2. Engl. *numer.* 3. Pirh. *num.* 19. Scamb. *num.* 8. Vvieſt. *num.* 7. *Alterum eſt*, ut antequam conferatur Beneficium tale, priùs citetur ejus poſſeſſor, & præcedente ſummaria cognitione cauſæ, caſſetur poſſeſſionis color, ſive ejus injuſtitia oſtendatur, prout ſumitur ex *cap. cum noſtris cit.* & notat Abb. *ibid. num.* 19. Engl. *hic num.* 3. Pirh. *num.* 20. *not.* 3. Konig. *num.* 13. 13

Dixi, *ſi poſſeſſio colorata ſit*; nam ſi poſſeſſor aliquis Beneficii ſit, ſed ſine titulo colorato, eò quòd laboret defectu manifeſto, quo irrita reddatur collatio, neutrum ex prædictis requiritur. *Non primum*; quia Pontifex, etiamſi expreſſa fuiſſet hujuſmodi injuſta poſſeſſio, adhuc tamen contuliſſet Beneficium, imò faciliùs contuliſſet. *Non ſecundum*; quia in notoriis ordo Juris obſervandus non eſt. Procedit autem hoc de collatione tantùm, non verò de miſſione in poſſeſſionem; nam in hanc novus Beneficiarius mitti, eaque exui præcedens poſſeſſor nequit, niſi vocetur, ne ſi fortè habet aliquam cauſam retinendi illam, ſuo jure inauditus privetur. Vivian. *in cap.* 6. *h. tit.* Vvagn. *ibid. not.* 3. Pirh. *num.* 20. *not.* 3. Schamb. *num.* 8. Konig. *num.* 13. 14

Porro in poſſeſſione colorata Clericus tunc eſſe dicitur, quando Beneficium accepit à legitimo collatore, & inſtitutio, ſeu collatio notoriè non eſt irrita, licèt jus, & titulus ejus non ſubſiſtat propter defectum occultum. Pirh. *num.* 20. *cit.*

Dub. 1. an ſemper neceſſarium ſit vacans eſſe Beneficium, ut conferri illud alteri poſſit? Reſp. affirmativè; nemini enim conferri Beneficium poteſt, antequam vacet: 15

vacet: estque collatio Beneficii non vacantis ipso Jure irrita *can. non furem* 10. & *can. eum qui* 40. *cauf.* 7. *quæst.* 1. *cap. nulla* 2. *hic cap. consultationibus* 4. *de donation. Ratio est*, quia si Beneficium nondum vacans conferri posset, conferretur, vel ut simul retineretur ab utroque, vel ut spoliaretur illo Beneficiarius prior. *Prius* fieri non potest; quia Beneficium conferri, & retineri simul à Clericis duobus non potest. *Posterius*; quia nemini jus suum sine sua culpa, vel causa publica auferri debet.

16 *Proceditque hoc* 1. de quocunque Collatore, qui Papa inferior est; nam Summus Pontifex ex plenitudine potestatis istud potest. *Procedit* 2. etiam de Executore à Papa dato; quia conferre Beneficium, seu Præbendam vacaturam pertinet ad plenitudinem potestatis Papalis, non ordinariam, sed absolutam, secundùm quam in dubio Papa, vel alius Princeps non censetur agere, quippè cùm sit contra Jus, & odiosa. Gaill. *l.* 1. *obs.* 14. *num.* 6. & 7. *Procedit* 3. etsi Beneficium vacet defacto; nam nisi de Jure vacet, collatio ejus manet irrita. Abb. *in cap.* 6. *h. tit. num.* 18. Zœs. *hic n.* 2. Pirh. *num.* 18. Vviest. *num.* 8. & ratio est, quia hoc ipso, quòd ejus titulus, seu proprietas penes alium sit, non censetur verè vacare.

17 Pœna in eum, qui in Beneficio non vacante, aut solùm vacante defacto, & non de jure scienter se institui passus est, à Jure statuta est duplex. *Primò enim*, præterquam quod à Beneficio sic obtento repellendus sit, etiam à communione Fidelium removendum statuerunt Gregorius, & Gelasius Summi Pont. *can. eum qui cit.* & *cap. qui in virorum* 1. *h. tit. Secundò*, si Beneficium illud postea vacet, obtinere id non ampliùs sine Apostolica dispensatione potest *cap. post electionem* 7. *h. tit.* ad eum ferè modum, quo vir, qui cum alterius viventis uxore, interveniente adulterino commercio, matrimonium defacto contraxit, hanc, ejus viro postea mortuo, ducere sine ejusmodi dispensatione nequit *cap. fin. de eo, qui duxit &c.*

18 Dixi autem 1. *qui scienter*; nam si Beneficium nondum vacans collatum sit ignaro, minimè collatio talis eum facit obnoxium istius pœnæ, cùm extra culpam illum ignorantia ponat, & *c. qui in virorum cit.* loquatur de sciente. An verò hujusmodi collatio ignoranti facta dein convalescat per subsequentem vacationem, dubitari posset, ex ratione, quia hoc casu cessat periculum voti mortis alienæ, quod SS. Canones aversantur. Sed dicendum non convalescere; quia ab initio nulla est, ut adeo tractu temporis convalescere nequeat. Zœs. *num.* 6. *hic*. Dixi 2. *institui se passus est*; nam si solùm acceptet promissionem Beneficii non vacantis, quamvis jus nullum ex ea promissione acquirat, à pœnis tamen prædictis liber est. Idem dicendum de eo, qui supplicavit pro Beneficio viventis. Zœs. *hic num.* 4. Ratio utriusque est, quia pœnæ non solent induci, nisi post actum consummatum; antè enim est tantùm conatus, qui non solet puniri *l. hoc Edictum* 1. *vers. hæc autem verba ff. quod quisq. Jur.* nisi in gravioribus. Alciat. *ad l. sæpe* 53. *num.* 37. *ff. de V. S.* Dixi 3. *tale Beneficium ab eo, cui sic collatum est, etiam cùm dein vacaverit, impetrari absque Apostolica dispensatione non posse*. Ex quo sequitur, ut impetrari ab eo possit, necessarium esse, ut in Litteris Apostolicis mentio fiat præcedentis intrusionis: aliàs Provisio Apostolica, nisi motu proprio facta sit, tanquam subreptitia carebit viribus, & erit omnino nulla; quia Papa, si id scivisset, ipsi non contulisset, vel saltem non ita facilè *arg. cap. super litteris* 20. & *cap. postulasti* 27. *de rescript.*

19 Dub. 2. an promitti saltem Beneficium non vacans possit in casum, quo illud per obitum, renuntiationem &c. vacaverit? *Ratio dubitandi est* 1. quia Beneficium viventis ab Episcopo uniri Monasterio, Hospitali, Collegio, &c. potest, & hac unione facta Beneficium casu, quo vacet, eidem debetur. Igitur etiam promitti Beneficium non vacans potest, ut casu, quo vacaverit, promissio sortiatur effectum. 2. Beneficium nondum vacans potest promitti tacite, & promittitur, quando aliquis recipitur in Canonicum cum exspectatione Præbendæ. ergo potest etiam promitti expressè. 3. Legatus à Latere potest reservare Beneficium proximè vacaturum etiam in favorem certæ personæ. atqui reservatio in favorem certæ personæ, vim promissionis obtinet. ergo etiam, fieri potest promissio Beneficii, non vacantis.

20 Sed dicendum, Beneficium non vacans etiam promitti in tempus vacationis non posse. Ita Flamin. *l.* 6. *de resign. qu.* 4. *num.* 104. Reginald. *prax. for. pœnit. l.* 30. *tract.* 3. *num.* 27. Vivian. *in cap. ex tenore* 13. *h. tit. princ.* Fagn. *in cap. nulla* 2. *eod. num.* 2. Gonzal. *ibidem num.* 10. & *seqq.* Barbos. *l.* 3. *Jur. Eccl. cap.* 13. *n.* 122. Leuren. *p.* 2. *quæst.* 787. *num.* 1. & constat 1. *ex cap. nulla* 2. *princ. cap. relatum* 3. *cap. ex tenore* 13. *h. tit.* quibus Juribus promissioni hujusmodi Beneficiorum non vacantium vis omnis adimitur. 2. *ex Trid.* quod *sess.* 24. *cap.* 19. *de reform.* abrogatus voluit quascunque gratias ad Beneficia vacatura. 3. *ex Regull. Cancell.* 21. *de non impetrando Beneficium per obitum viventis*, & 31. *de verisimil notitia:* quarum *priori* statuitur, siquis impetret Rescriptum, ut sibi provideatur de Beneficio tanquam vacante per obitum alicujus adhuc viventis, ejus provisionem virtute talis Rescripti factam, nullius momenti esse, etsi postea per obitum Beneficium illud vacet. *Posteriori* autem decernitur, Provisionem Apostolicam Beneficii per obitum vacantis irritam esse, nisi inter obitum, & provisionem tantùm temporis intercesserit, ut obitus ad notitiam Papæ verisimiliter pervenisse potuerit.

21 *Ratio sic statuendi* triplex fuit, eaque justissima, quam etiam insinuat textus *cap. nulla cit.* 1. ut ab Ecclesiis, & Personis Ecclesiasticis, quàm procul possent, removerentur impia desideria, & consilia, alienam mortem spectantia, cujus voto, & machinationibus hujusmodi intempestivæ promissiones facilè occasionem præbeant. 2. ut occurreretur incommodis, & gravaminibus, quæ Ecclesiis, earumque Prælatis inferebantur; nam sæpe contingebat, ut ab his per nimiam importunitatem extorquerentur promissiones hujusmodi pro personis minùs idoneis, sicque excluderentur digniores, qui vacatione eveniente se offerebant, cum non modico Ecclesiarum damno, & periculo animarum non minore. 3. quia etiam Jure Civili Pactum de futura successione, vivente eo, cui succedendum est, damnatur, tanquam contra bonos mores initum, ut habetur *l. donari* 29. §. *fin. ff. de donat.* & *l. fin. C. de pact.* ubi dicitur, quòd *hujusmodi pactiones odiosæ esse videntur, & plenè tristissimi, & periculosi eventus;* & decernitur talia *pacta*, tanquam *quæ contra bonos mores inita sunt, repelli & nihil ex his pactionibus observari* debere.

22 Neque urgent Argumenta opposita. *Ad* 1. imprimis Canones antiqui, & Decretum Trid. loquuntur solùm de collatione Beneficii vacaturi quoad Titulum, non autem de concessione ejus in proprietatem, quod per unionem contingit. Deinde hujusmodi unio Monasterio, Collegio, vel alteri Communitati facta alienæ mortis captandæ multo minorem occasionem præbet, imò nullam, cùm quòd Collegio, vel Communitati datur, nemini datum videatur *arg. can. Episcopus* 58. *vers. qui manumittitur. cauf.* 12. *quæst.* 2. & *naturali quodam vitio communiter negligatur, quod communiter possidetur; nihilque se habere arbitretur, qui totum non habet*, ut dicitur *l. meminimus* 2. *princ. vers. naturale C. quand. & quib. quart.* Denique etsi per hujusmodi unionem factam de Beneficio viventis qualis qualis occasio captandæ mortis alienæ daretur, tamen propter majus bonum, quod ex tali unione provenit, contemnenda esset. *Ad* 2. Nego paritatem; quia recepto in Canonicum debetur Præbenda proximè vacatura ex promissione facta à Lege; prohibitio autem præsentis loci locum duntaxar habet, quando promissio Beneficii fit ab homine. *Ad* 3. *Transf. Major*, complures enim cum Passerin. *in cap.* 9. *h. tit. in* 6. *num.* 2. negant reservationi huic locum nunc esse post Trid. *Neg. Min.* nam per promissionem, & collationem Beneficii vacaturi, si valeret, acquireretur jus proviso, & hinc timeri posset occasio optandæ, vel captandæ mortis alienæ, at in reservatione, qua legatus mutare voluntatem suam potest, nullum acquiritur jus ei, in cujus favorem reservatio facta est, & hinc etiam periculum mortem alterius captandi, optandique cessat.

23 Dub. 3. an hujusmodi promissio convalescat, quando accedit consensus ejus, qui Beneficium obtinet, de quo ad casum vacaturæ contingentis fit promissio? Videtur convalescere argumento sumpto à paritate cum pacto de futura successione, quod saltem per modum donationis mortis causa factæ valet, si is, de cujus hæreditate pactum est, consenserit, & in eadem voluntate usque ad mortem perseveraverit *l. fin. C. de pact.*

Sed hoc non obstante dicendum, ejusmodi promissionem de Præbenda, seu Beneficio viventis non tenere, etiamsi facta sit cum consensu ejus, qui illud obtinet. Sumitur ex *c. nulla* 2. *cap. ex tenore* 13. *h. tit.* & notat Gloss. *in cap. nulla cit. V. condemnare*, Fagnan. *ibid. num.* 4. Vivian. *in cap.* 13. *eod. princ.* Barbos. *l.* 3. *Jur. Eccl. cap.* 13. *num.* 125. Pirh. *hic n.* 5. *Ratio est*, quia Jura *citt.* promissionem de Beneficio viventis absolutè irritant, pactum autem de hæreditate viventis solùm irri-

irritatur cum clausula, nisi consentiat ille, de cujus hæreditate agitur.

24 *Extenditur autem Responsio ista* 1. etiamsi per Scripturam firmata sit talis promissio; quia actus nullus regulariter per scripturam non validatur. Abb. *in cap. ex tenore cit. num.* 2. Pirh. *hic num.* 6. Unde quomodocunque Beneficium viventis promissum alteri fuerit, illud, si postea vacaverit, à Collatore ordinario liberrimè conferri alteri personæ potest. Neque auditur, si is, cui promissio hujusmodi facta est, appellare velit, & jus sibi prætendere ad Beneficium sibi promissum, ut habetur *cap. relatum* 3. *h. tit.* & tradit *ibidem* Gloss. *in casu*, Abb. *numer.* 3. Vivian. *ibid. in ration.* Gonz. *num.* 2. Barbos. *num.* 1. & *l.* 3. *Jur. Eccl. cap.* 13. *num.* 125. Vall. *hic num.* 3. Pirh. *num.* 8. Schamb. *num.* 6. Vviest. *num.* 14. *Ratio est*, quia ejusmodi promissionem habens nullum ex tali promisso adeptus jus est; igitur frustra appellat.

25 *Extenditur* 2. ut neque delegare Episcopus: vel alius collator Pontifice inferior potestatem conferendi Beneficia proximè vacatura possit, prout constat ex *cap. constitutus* 11. *h. tit.* ibi etiam indicatur ratio; quia posset quispiam tali facultate conferendi Beneficium proximè vacaturum abuti in fraudem *cap. nulla* 2. *h. tit.* nam qui obtinere certum Beneficium nondum vacans cuperet, posset subornare amicum, ut impetraret ab Episcopo facultatem id Beneficium conferendi, cùm vacaverit, & sic spe fretus, quòd amicus ille Beneficium hoc sibi collaturus sit, desiderare, & machinari mortem Beneficiario illi, cui succedere in Beneficio cupit. Abb. *in cap. constitutus cit. num.* 5. Vivian. *ibid. princ.* Barbos. *num.* 3. Gonzal. *num.* 3. 5. & 6. Leur. *p.* 2. *for. Benef. quæst.* 788. *num.* 1. Honor. *hic num.* 7. Pirh. *num.* 9. Schamb. *num.* 6. Vviest. *num.* 15. *Excipitur*, si Episcopus potestatem conferendi Beneficia proximè vacatura committere velit Vicario suo Generali; nam hoc in genere, & indeterminatè potest, non autem in specie, & determinatè, sive respectu certi Beneficii, aut respectu certæ personæ. Laym. *in cap.* 3. *num.* 3. *de Offic. Vicar. in* 6.

26 *Extenditur* 3. etiam ad Patronos; nam neque isti promittere possunt, quòd præsentare aliquem ad Beneficium vacaturum velint, aut potestatem alteri in specie dare, ut præsentet ad certum Beneficium, cùm vacabit; & si id faciat, præsentatio non valet *c. fin. h. tit.* & notat *ibidem.* Abb. *n.* 6. Vivian. *in ration. princ.* Gonzal. *n.* 2. Vvagn. *in Exeg.* Passerin. *in cap.* 2. *eod. in* 6. *num.* 4. Pal. *tract.* 13. *D.* 2. *p.* 5. *num.* 1. Barbos. *alleg.* 72. *n.* 3. Illsung. *tract.* 5. *D.* 2. *num.* 182. Pirh. *hic num.* 16. Schamb. *n.* 7. Vviest. *n.* 15. & urget paritas rationis, ob quam id prohibitum est Episcopo, aut alteri collatori; nam id periculum subest, & similiter per ejusmodi promissionem, vel commissionem daretur occasio optandæ, vel captandæ mortis alienæ. Dixi autem *in specie;* nam generatim Patronatus, præsertim si Laicus sit, committere alicui tanquam Procuratori facultatem præsentandi ad Beneficia, si vacaverint, potest, maximè si causa subsit, ut quia Patronus vult peregre proficisci diu absuturus Abb. *in cap. fin. cit. n.* 6. Vivian. *ibid. circa fin.* Vvagn. *in Exeges.* Pirh. *n.* 16. *cit.* Vviest. *num.* 17. *Ratio est*, tum quia tali casu cessat periculum insidiandi vitæ alicujus propter Beneficium vacaturum; tum verò maximè quia Procuratoris constitutio cuilibet Jure communi permissa est, & Patrono prohibita nusquam reperitur.

27 Dub. 4. an valeat promissio de conferendo alicui Beneficio in genere, *cùm poterit*, vel *cùm occasio se obtulerit*? Videtur valida esse hujusmodi promissio; nam 1. apertè pro valore illius militat *cap. accedens* 14. *h. tit.* ubi promissiones hujusmodi tanquam licitæ approbantur. 2. modernus usus collatorum, & Patronorum, etiam timoratorum, qui Clericis sibi commendatis, & charis, cùm pro Beneficio supplicant, promittere passim solent, se, *cùm tulerit occasio*, eos voti compotes facturos, & ad Canonicatum, Parochiam, vel aliud Beneficium, *cùm poterunt*, promoturos: imò alicubi talibus promissionibus firmandis adjici solent Litteræ ad ejusmodi Beneficia vacatura, quas *Signaturas* nuncupant. 3. ratio; quia cùm aliis modis hæc promissio impleri possit, e.g. per erectionem novi Beneficii, vel divisionem Præbendæ, per istam promissionem non datur gratia exspectativa, per quam desideretur mors alterius, adeoque cessat ratio prohibitionis *cap. nulla* 2. *hoc tit.*

28 Sed distinguendum inter Jus Decretalium antiquum, & novum. nam *Jure antiquo* hujusmodi promissio erat valida, ut constat ex *cap. accedens citt.* At Jure novo *cap. detestanda* 2. *h. tit. in* 6. prohibita, & irritata est omnis promissio de Beneficio conferendo, adjecta clausula, *Cum potero*, vel *cùm se facultas, aut occasio obtulerit*. & alia quavis, per quam directè, vel indirectè aperiri via ad Beneficia vacatura valeat. *Ratio est*, quia quando prohibitio respicit certum finem, censetur tunc prohibita quælibet via, per quam directè, vel indirectè ad illum finem prohibitum pervenitur. atqui Concilium Lateranense *cap. nulla* 2. *h. tit.* prohibuit, ne Beneficia vacatura conferantur, ut tollatur occasio desiderandi mortem alterius. ergo promissiones omnes, quæ eo tendunt, sub quovis modo, & forma verborum reprobantur.

Neque obstant Argumenta opposita *Ad* 1. patet ex modò dictis. Neque contrarium probat usus, & consuetudo, quo videmus in pluribus Germaniæ Ecclesiis Canonicos supernumerarios recipi, qui futuras Præbendas exspectent; quia has non exspectant ex vi promissionis, sed ex vi receptionis in Canonicos, quam sub Præbendæ exspectatione fieri Jura *citt.* nequaquam prohibuerunt. *Ad* 2. negatur paritas; nam talibus loquendi modis, & Signaturis spes sola, non res sive alicujus Beneficii, vel collationis, aut presentationis ad id obtinendæ jus supplicantibus quæritur, ut indubitatè liquet ex eo, quòd aliquando ad eundem Canonicatum, vel Parochiam Signaturæ dentur pluribus: & cùm postea vacant, quandoque aliis conferantur, non obstantibus ejusmodi Signaturis, vel querela eorum, quibus antè promissa fuisse videri poterant. *Ad* 3. licèt fortasse non adeo vicinam occasionem optandæ, vel captandæ alienæ mortis hujusmodi genericæ promissiones præbeant, præbent tamen non exiguam, talemque, quæ Pontificem movere potuerit, ad tales etiam promissiones per *cap. detestanda cit.* irritandas. 29

30 Dub. 5. an non saltem valeat Juramentum promissioni Beneficii nondum vacantis adjectum? Videtur esse validum. 1. quia est de re licita, & nemini præjudiciosa; potest enim hujusmodi Beneficium postea vacans cuicunque Clerico idoneo, & ipsi etiam promissario conferri sine alicujus tertii, & propriæ animæ dispendio, vel præjudicio. atqui Juramentum, quod est de re licita, & nemini præjudiciosa, est observandum. ergo &c. 2. si Juramentum hoc non teneret, id esset maximè ideo, quia cùm præbeat occasionem optandæ, aut captandæ mortis alienæ, bonis moribus adversatur, & conf. servandum non est. atqui hoc nimium probat: probat enim, quòd neque Pontifex facere hujusmodi promissiones, vel Collationes Beneficii vacaturi possit. ergo &c. 3. licèt promissio de successione viventis bonis moribus adversetur, Juramentum tamen illi adjectum obligat, ut cum aliis docet Suar. *l.* 2. *cap.* 23. *num.* 2. ex ea solùm ratione, quia sine peccato, & præjudicio tertii servari potest. 4. esto promissio Beneficii vacaturi inducat votum optandæ mortis alienæ, non tamen inducit illud per se, sive ex natura, & fine suo; sed per accidens solùm ob vitium, & perversitatem eorum, in quorum favorem præstatur, non omnium, sed paucissimorum, qui ita spe obtinendi Beneficii obcæcari se patiuntur, ut optare, vel etiam machinari non vereantur mortem eorum, quorum Beneficia vacatura exspectant. 5. Boni mores, quibus hujusmodi promissio adversatur, non sunt præcepti Jure naturali, aut Divino, cùm secundum se spectata indecentiam, & turpitudinem non contineat; sed tantùm humano. igitur sicut Juramentum adjectum pacto de futura successione tenet, ita tenebit etiam adjectum promissioni Beneficii vacaturi.

31 Sed adhuc dicendum, Juramentum, promissioni Beneficii vacantis appositum, viribus, & valore destitui. Ita Abb. *in cap.* 13. *h. tit. numer.* 3. Vivian. *ibid. princ.* Gonzal. *in cap.* 2. *h. tit. num.* 12. *in fin.* Passerin. *in c.* 2. *num.* 3. *eod. in* 6. Sanch. *l.* 7. *moral. cap.* 2. *num.* 33. Pirh. *hic num.* 6. Vviest. *num.* 13. *Ratio est*, quia ut promissio hæc, ita etiam Juramentum promissioni appositum adversatur bono publico, quod unicè Pontifex in proposito habuit, dum ejusmodi promissionem prohibuit; ergo sicut promissio propterea irrita est, ita & Juramentum. *Conf.* quia si hujusmodi Juramenta valerent, facilè eluderentur saluberrimæ cautelæ Sanctionum Canonicarum, quibus Pontifex promissiones hujusmodi irritando ambitioni hominum perversorum, aliisque damnis, quæ ex præpropera, & præfestina Beneficiorum promissione oriri solent, obviare voluit; nam æquè facilè Juramentum, quàm promissio à collatoribus, & Patronis extorqueretur, & sic quod una via non admittitur, altera obtineretur contra *Regul. cùm quid una* 84. *de R. J. in* 6.

32 Ad Argumenta opposita non difficulter responderi potest. *Ad* 1. patet ex probatione, quòd promissiones hujusmo-

jusmodi de Beneficiis vacaturis adversentur bono publico; Juramentum autem confirmans actum bono publico adversantem obligatorium esse non potest. *Ad* 2. promissio Beneficii non vacantis solùm involvit votum alienæ mortis occasionaliter: & hinc casu, quo occasio talis voti esse cessat, dispensatione Pontificis licita fieri potest, non autem alterius inferioris Pontifice, quia hic contra Jus commune dispensare non potest. *Ad* 3. negatur paritas; quia promissio Beneficii non vacantis repugnat bonis moribus Canonicis, sive præceptis Generalium Conciliorum, & Constitutionum Apostolicarum habentium pro fine immediato bonum publicum; at pactiones de hæreditate viventis adversantur solùm bonis moribus Civilibus, seu dispositioni Juris Civilis, ejusmodi pactis principaliter & immediatè privatorum commodum intendentis: & hinc cùm quisque favori pro se principaliter introducto renuntiare possit, promissio cum consensu ejus, de cujus futura successione fit, valet; non autem valet promissio de Beneficio vacaturo, cum nemo cedere possit favori in bonum publicum immediatè, & principaliter introducto. *Ad* 4. periculum hoc causa sufficiens fuit ad irritandum pactum de successione viventis; igitur etiam causa sufficiens erit ad irritandam promissionem beneficii vacaturi, & Juramenti huic adjecti. *Ad* 5. etiam Jus humanum potestatem habet obligandi in conscientia: adeoque non probatur Juramentum valere ex eo solùm capite, quòd promissio beneficii vacaturi solùm prohibita sit Jure humano.

33 Dub. *6.* an & quatenus per Trid. sublatæ sint Gratiæ Exspectativæ, & mandata de providendo? *Certum est* per Trid. Concilium potestatem Pontificis quoad ista non fuisse restrictam, nec potuisse restringi; poterit igitur ille, ut antè, ita etiam nunc hujusmodi Gratias, & Mandata de providendo dare; quia Gratiæ istæ sublatæ sunt tantùm Jure humano, quo superior Pontifex est. *Neque obstat*, quòd memorata Synodus eas sustulerit generaliter; quia ut eadem Synodus *sess.* 25. *cap.* 21. *de reform.* declarat, hujusmodi Decreta semper ita intelligi debent, *ut salva semper Authoritas Sedis Apostolicæ & sit, & esse intelligatur.*

34 *Difficultas* moveri potest quoad Collatores inferiores Pontifice? Nam his etiamnum potestatem gratias Exspectativas dandi competere, videtur probari. 1. quia Legatus à Latere habet potestatem reservandi Beneficia vacatura, etiam in favorem, & commodum certæ personæ, cui reservationi Gratia Exspectativa non est multùm dissimilis. 2. Episcopus, & Capitulum recipere aliquem in Canonicum, & fratrem possunt sine assignatione Præbendæ, & sic recepto debetur Præbenda proximè vacatura hoc ipso, quòd Canonia sine Præbenda diu non possit consistere *cap. cùm M.* 9. *de Constit.* & *cap. relatum* 9. *de Præbend.* ac proin Præbenda vacatura à sic recepto revera exspectatur. 3. hodie in quibusdam Studiorum Generalium Universitatibus fieri solent nominationes certarum personarum, ad Gradus litterarios promotarum, ad Beneficia vacatura, quarum nominationum ea vis est, ut si hujusmodi Beneficia postea vacent, alteri conferri nequeant; ac proinde exspectantur à sic nominato.

35 Sed dicendum Gratias Exspectativas, & Mandata de providendo hoc nulli alteri competere, nisi summo Pontifici. Patet ex Trid. *sess.* 24. *cap.* 19. *de reform.* ubi illas generaliter sustulit.

Nec contrarium probant Argumenta allata. *Ad* 1. patet ex responsione *ad* 3. *n.* 22. *Ad* 2. cum gratiis expectativis etiam sublata est potestas creandi Canonicum supernumerarium ad futuram, seu proximè vacaturam Præbendam, ut declaratum est à Sac. Cong. Cardd. Concil. Interpp. teste Gonz. *procem. ad Reg.* 8. §. 1. *n.* 64. Ubi Trid. in tanto rigore receptum non est, recipi quidem aliquis in Canonicum cum exspectatione Præbendæ proximè vacaturæ potest; magnum tamen adhuc discrimen est inter Gratias Exspectativas, & inter receptionem talis Canonici cum exspectatione Præbendæ; nam hanc iste exspectat ex dispositione Juris, quo cavetur, ne Canonicus diu sit sine Præbenda, cùm ille, qui Gratiam Exspectativam habet, eam exspectet ex vi promissionis. *Ad* 3. ab hujusmodi nominatis Academicis tristis consilii, aut voti metus non est, & si quis esset, ab utilitate in Ecclesias, & Remp. Christianam ab illis redundante multùm superaretur; conceduntur enim hujusmodi nominationes non solùm ad promotionem studiorum, sed etiam ad bonum Ecclesiarum, & animarum, ut illæ idoneos Rectores: istæ Pastores faciliùs habeant: quæ etiam causa est, cur iisdem à Trid. *l. cit.* derogatum non sit, ut declaravit Gregorius XIII. super hoc consultus, teste Vvames. *consil.* 254. *paulò post princ.* & Zoes. *hic n.* 9.

Quæritur 3. intra quod tempus conferri debeant beneficia vacantia? Resp. distinguendum hic esse inter Beneficia Collativa, seu Libera, Electiva, & Patronata, seu Mixta. 36

Si Beneficium vacans sit *Collativum*, seu *Liberæ Collationis*, conferri debet intra sex menses *c. nulla* 2. §. *cum verò h. tit. Ratio est*, quia diuturna vacatio beneficiorum, & Officiorum est damnosa Ecclesiis, & periculosa animabus. Vivian. *n. in c. nulla cit. vers. & cùm vacaverint*, Fagn. *ibid. n.* 24. Gonzal. *in c.* 5. *eod. num.* 7. Barbos. *l.* 3. *Jur. Eccl. c.* 13. *n.* 107. Leur. *p.* 2. *for. Benef. q.* 789. *n.* 1. Van-Espen *J. E. U. p.* 2. *tit.* 21. *c.* 5. *n.* 1. Clericat. *de Benef. discord.* 80. *n.* 80. *n.* 17. Vallens. *hic* §. 3. *n.* 1. Pith. *n.* 29. *Excipitur* 1. nisi provisio à Papa sit exspectanda, ipsi enim nullus præstitutus est terminus ad conferendum, sed cùm sit supra Jus, potest quocunque tempore providere. Clericat. *discord.* 36. *n.* 27. *Excipitur* 2. Legatus à Latere, & Nuntius Sedis Apostolicæ respectu Beneficiorum, quæ ipsi conferre possunt; cùm enim potestatem à Jure habeant conferendi quælibet Beneficia, in sua Provincia existentia, tametsi ad Sedem Apostolicam devoluta sint, non poterit illis currere tempus ad conferendum; quia hæc illorum potestas nulla devolutione impeditur. Pal. *tract.* 13. *D.* 3. *p.* 5. *n.* 9. *Excipiuntur* 3. Beneficia Ecclesiæ non numeratæ; nam ad hæc Constitutio *c. nulla cit.* non extenditur, sed conferri possunt, quando id Collatori, vel Collatoribus libuerit. Imò hi nec ad Litteras Papæ tenentur aliquem ultra Ecclesiæ Facultates accipere. Vvagn. *in cap.* 10. *V. statutum not.* 1. *h. tit.*

Si Beneficium, Dignitas, vel Prælatura vacans sit *Electiva*, attendendum est, an sit Prælatura Regularis vel principalis in Ecclesia Cathedrali, an verò Dignitas, Officium, aut Beneficium aliquod inferius. *Si hoc secundum*, Electores etiam ipsi semestre habent, intra quod Electionem faciant, prout sumitur ex *cap. dilectus* 12. *h. tit.* & notat *ibid.* Abb. *n.* 2. Garc. *p.* 10. *de Benef. c.* 2. *n.* 2. & 5. Pirh. *n.* 29. *Si primum*, hujusmodi Prælaturæ ultra tres menses vacare non debent *can. obeuntibus* 31. *dist.* 63. *c. ne pro defectu* 41. *de Elect. c. dilectus cit.* propter majus periculum, quod animabus ex diuturna Pastoris carentia imminet: & hinc qui ultra trimestre Electionem Episcopi, vel Prælati Regularis differunt, pro ea vice privantur potestate eligendi, & ea ad proximum superiorem devolvitur. Garc. *l. cit. n.* 3. & 4. Vivian. *in c. nulla* 2. *vers. & cùm vacaverint h. tit.* Fagn. *ibid. n.* 31. Gonzal. *n.* 8. Vvagn. *vers. sed infra sex menses not.* 1. Pirh. *num.* 29. *cit.* 37

Si denique Beneficium vacans sit *Patronatum*, videndum est, an sit subjectum Patronatui Laico, an Ecclesiastico; nam *si Laico*, quatuor ipsi menses ad præsentandum conceduntur; sex verò, *si Ecclesiastico*, ut infra pluribus *Tit.* 38. dicetur. Institutioni verò illius, qui ad tale Beneficium præsentatus est, certum à Jure tempus nullum præfixum est: quod etiam dicendum de Confirmatione Electi, & collatione Beneficii resignati ex causa permutationis. Garc. *p.* 10. *de Benef. cap.* 4. *à num.* 1. Si tamen is, ad quem institutio præsentati, confirmatio electi, vel collatio Beneficii ex causa permutationis resignati pertinet, id facere diu differat, recurri potest ad ejus Superiorem, videlicet ad Metropolitanum, vel Legatum, aut Nuntium Pontificium, ut hic illi certum tempus præfigat ad instituendum, confirmandum &c. Potestque præsentatus, si sine causa institutio differatur, à gravamine illato appellare. Abb. *in cap.* 29. *de Jur. Patron. num.* 1. cum aliis. 38

Dub. 1. quando tempus semestre ad conferendum Beneficium à Jure præfixum incipiat currere? Videtur currere ignoranti, & impedito, & sic incipere à die vacationis *arg. l. genero* 8. *ff. de his, qui not. infam.* ubi tempus anni, intra quem mulier post mortem mariti Jure Civili prohibetur nubere, currit etiam uxori ignoranti mortem mariti. Item *arg. cap. nos quidem* 3. *de Testam.* juxta quod potestas exequendi Testamentum devolvitur ad Episcopum, etiamsi Executor illud exequi intra annum non potuerit.

Sed nihilominus dicendum, semestre hoc non currere Collatori à tempore, quò Beneficium vacaverit, sed tempore, quò Collator habuit notitiam vacationis. Ita statuitur *cap. quia diversitatem* 5. *h. tit.* Et hinc 1. non currit ignoranti. Vivian. *in cap.* 5. *citat. vers. nec incipit.* Fagn. *num.* 2. Barbos. *num.* 1. & *l.* 3. *Jur. Eccl. cap.* 13. *numer.* 107. Van-Espen *J. E. U. p.* 2. *tit.* 21. *cap.* 5. *numer.* 3. Clericat. *de Benef. discord.* 80. *num.* 17. Vallens. *hic* §. 3. *num.* 1. Schamb. *num.* 11. Pirh. *numer.* 30. Ratio insinuatur *in textu*; quia hoc tempus semestre ad conferendum Beneficium statutum fuit con-

contra negligentes ; qui autem ignorat, negligens, aut culpabilis dici non potest, ut notat Gloss. *in cap. statutum 3. V. numerandum de Præbend. in 6.* & is, qui nescit, potestatem experiendi habet *l. annus 6. in fin. ff. de calumn.* ac proinde non debet currere probabiliter ignoranti vacationem.

2 Ob eandem rationem etiam semestre istud non currit justè impedito; estque perinde, sive deinde impedimentum istud sit Juris, sive facti *cap. quia diversitatem cit.* & Abb. *ibid. num.* 3. Imol. *numer.* 4. Vivian. *princ.* Barbos. *num.* 1. Fagn. *num.* 1. Gonzal. *num.* 5. *& seqq.* Vvagn. *Reg.* 1. Van-Espen *cap.* 5. *cit. num.* 6. Pirh. *hìc num.* 31. *not.* 2. *Proceditque hoc*, etsi collator ob propriam culpam in tale impedimentum v. g. suspensionem inciderit, modo sic suspensus non sit in culpabili mora petendi absolutionem à suspensione. Colligitur ex *cap. quia ad diversitatem cit.* ubi licèt Episcopus ob propriam culpam suspensus fuerit, tamen Pontifex decrevit illi pro collatione Beneficiorum tempus servandum integrum. *Ratio est*, quia regulariter non causa mediata, sed immediata respici debet *arg. can. de occidendis* 8. *caus.* 23. *quæst.* 5. *Excipitur*, si collatio Beneficii ad Episcopum, & Capitulum simul spectet; tunc enim suspenso, vel excommunicato Episcopo, Beneficia hujusmodi conferuntur à Capitulo, nec exspectanda est absolutio Episcopi *cap. un. ne Sed. vacant.* Fagn. *in cap. quia diversitatem cit. num.* 15.

Ad Argumentum *num.* 39. allatum negatur paritas; nam in textibus *citt.* tempus præfixum est, non in odium negligentiæ, sed in favorem uxoris, ne diu impediatur transire ad nova Vota; & defuncti, ne executio ultimæ voluntatis diu nimis differatur. Unde principium illud, quòd ignoranti, vel impedito tempus non currat, intelligendum est, si tempus sit præfixum in odium negligentiæ; nam si præfixum sit in merum favorem alterius, etiam impedito, & ignoranti currit. Abb. *in cap.* 5. *cit. num.* 3. Imol. *num.* 4. Pirh. *not.* 3.

41 Dub. 2. quale sit tempus, quod præfixum est collationi Beneficiorum, continuum, an utile? Resp. sub aliquo respectu esse utile, sub alio continuum. *Utile est*; quia non currit impedito, & ignoranti, ut hactenus ostensum est. *Continuum autem*; quia currit etiam diebus feriatis. Abb. *in cap.* 2. *h. tit. n.* 11. Fagn. *ibid. num.* 27. *&* 28. Pirh. *num.* 32. *not.* 6. Quare hi sex menses computantur de momento ad momentum, à tempore sc. scientiæ, seu, notæ vacationis: ita, ut si Beneficium vacavit, ejusque vacatio fuit nota 1. Maji hora 9. antemeridiana, conferri possit usque ad 1. Novemb. horam 9. & non post illam Garc. *p.* 10. *de Benef. cap.* 2. *num.* 43. Sanch. *l.* 2. *de Matr. D.* 24. *numer.* 16. Barbos. *in cap.* 5. *cit. num.* 11. Van-Espen *J. E. U. p.* 2. *tit.* 21. *cap.* 5. *num.* 5. Pirh. *l. cit.*

42 Porro Menses hoc casu computari debent, secundùm quod occurrunt, ita, ut quod ex primo mense deficit, accipiendum sit ex ultimo: conf. si Beneficium vacat 8. Febr. semestre finietur septimo Julii, etiamsi annus sit Bissextilis; quia in favorabilibus dies duo mensis Bissextilis computantur pro uno, prout *locis citt.* advertunt Garc. *num.* 42. Sanch. *num.* 15. *&* 16. Pirh. *l. cit.*

Alleganti autem impedimentum, vel ignorantiam, ut post semestre conferre Beneficium possit, incumbit probatio, si sit Collator Ordinarius; quia cùm singulis annis teneatur Diœcesim suam visitare, præsumitur habere notitiam Beneficiorum in ea vacantium: ac proinde dicti sex menses computari debent ab eo tempore, quo scire potuit, ac debuit collator, seu Episcopus ea vacare. Abb. *in cap.* 5. *cit. num.* 7. Garc. *numer.* 27. *& duob. seqq.* Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 58. *n.* 6. Schamb *hìc num.* 11. Pirh. *num.* 32. *in fin.*

43 Dub. 3. quæ sit pœna non conferentium Beneficia vacantia intra tempus à Jure præscriptum? Resp. est, quòd potestas conferendi pro illa vice devolvatur ad Superiorem, qui proinde non tantùm conferre ejusmodi Beneficium devolutum potest, sed etiam inducere in possessionem illius, vel saltem præcipere, ut provisus in eam inducatur, ut notat Abb. *in cap. ex parte* 10. *h. tit. num.* 2. Pirh. *hìc num.* 42. quia inductio in possessionem accessoriè consequitur ad jus per legitimam collationem acquisitum. Neque semestri lapso, ampliùs licet purgare moram, etiamsi Superior jure devolutum nondum contulerit, ut bene aliis *citt.* advertit Fagn. *in cap. nulla cit. num.* 26. ex ratione; quia per lapsum temporis in continenti devolvitur potestas ad Superiorem: quo fit, ut neque liceat petere in integrum restitutionem.

44 Fit autem Devolutio ista gradatim ab inferiore ad proximum Superiorem. Et hinc si Collator inferior Episcopo sit negligens, devolvetur potestas conferendi ad Episcopum, ab isto ad Archiepiscopum, ab Archiepiscopo ad Primatem, vel Patriarcham, ab hoc denique ad Papam, ut dictum est *Libr.* 1. *tit.* 10. *de Suppl. negl. Excipitur* 1. quando Superior dolosè procuravit illam negligentiam; tunc enim ex negligentia inferiorum ad Superiorem potestas non devolvitur. Barbos. *in cap.* 15. *h. tit. num.* 4. *Ratio est*, quia quando quis ex aliquo eventu prætendit lucrum, eo carere debet, si constet per ejus dolum hunc casum evenisse, & per eum fuisse procuratum. *Excipitur* 2. quando Beneficium, vel Ecclesia conferenda est exempta, & immediatè subjecta Summo Pontifici; tum enim distinguendum est inter Episcopatus, & Prælaturas alias, quæ nullius sunt Diœcesis, & inter Beneficia, & Ecclesias exemptas sitas in Diœcesi alicujus Episcopi. Nam *priorum* collatio pro ea vice devolvitur immediatè ad Summum Pont. *cap. cùm singula* 32. §. *prohibemus* ibi: *per Sedem Apostolicam de Præb. in* 6. *Posteriorum* collatio devolvetur adhuc ad Episcopum, tanquam Sedis Apostolicæ Delegatum. *Clem. un. de suppl. negl.*

Dub. 4. quid requiratur, ut Jure devoluto Beneficium vacans conferri possit? Resp. 1. requiritur, ut 45
Beneficium illud sit verè vacans; & hinc quia Beneficia Ecclesiæ non numeratæ non vacant, sed cum Beneficiario extinguuntur, in illis etiam non est locus devolutioni, prout sumitur ex *cap. ex parte* 10. *h. tit.* & notat Fagn. *in cap.* 2. *h. tit. num.* 30. Pirh. *hìc numer.* 41.

2 Ut sit Superior, non qualiscunque, sed is, ad quem spectat potestas confirmandi electum, vel instituendi præsentatum. Et hinc, quia hodie Electos ad Episcopatus plerumque non Archiepiscopus, sed Papa confirmat, jus eligendi ob negligentiam Capitularium non ad Archiepiscopum, sed ad Papam devolvitur, etiam in Germania nostra vi Concordatorum, & multo magis in iis Regnis, in quibus jus eligendi Episcopum Capitulis Cathedralibus ademptum est. Layman *de Elect. Prælat. quæst.* 98. Pirh. *hìc num.* 38. *not.* 2.

3 Ut tempus Collationi à Jure præfixum finitum sit; 46
nam si Superior Papa inferior ante istius finem Beneficium vacans conferret, collatio foret nulla ob defectum potestatis in conferente, ita quidem, ut collatio hujusmodi etiam non convalescat, postea facta devolutione: sed necesse erit, ut postquam ad ipsum jus conferendi Beneficium devolutum est, illud denuo conferat; quia pro non dato habetur, quod ab illo datur, qui dare, vel donare non potest. Azor *p.* 2. *l.* 6. *cap.* 27. *qu.* 6. Garc. *p.* 10. *cap.* 3. *num.* 31. Barbos. *l.* 3. *Jur. Eccl. c.* 13. *num.* 118. Zœs. *hìc num.* 7. Pirh. *num.* 34. *not.* 3. *Proceditque hoc*, etsi is, qui Jure devoluto contulit, e. gr. Episcopus, antequam ad eum jus illud devolveretur, haberet potestatem illud conferendi Jure Ordinario; adhuc enim collatio Jure devolutionis facta invalida est: cujus ratio est, quia, quod potuit, sc. conferre Jure ordinario, noluit; quod autem voluit, sc. conferre jure devolutionis, adimplere nequivit *cap. cùm super* 23. *de Offic. deleg. l. multum* 6. *vers. si verò C. siquis alteri, vel sibi &c.* Rebuff. *prax. Benef. tit. de devolut. n.* 52. Barbos. *l.* 3. *Jur. Eccl. cap.* 13. *numer.* 118. Pirh. *hìc num.* 34. *not.* 3. quamvis alii oppositum teneant apud Azor. *cap.* 27. *cit. quæst.* 15. quia si non fecit, quod voluit, certè fecit, quod potuit. Plura de Devolutionibus vide *Libr.* 1. *Tit.* 10. *de suppl. negl. à num.* 2.

TITULUS IX.

Ne Sede vacante, aliquid innovetur.

SUMMARIUM.

1 *Quænam causæ, & negotia pertractari à Capitulo, Sede vacante possint? Rationes dubitandi.*
2 *Deciditur, permissa eidem esse omnia, quæ pertinent ad potestatem Episcopi ordinariam, nisi excepta sint.*
3 *Non verò illa, quæ Episcopo competunt ex speciali privilegio, delegatione &c.*
4 *Solvuntur objectiones.*
5 *Potestas Prælati Sede vacante transit ad Conventum Regularem, quoad ea, quæ pertinent ad disciplinam Regularem.*
6 *Quoad cætera, nisi Monasterium sit pleno jure exemptum, ad Episcopum.*
7 *Capitulum Sede vacante debet eligere Vicarium generalem, qui Spiritualia, & unum vel plures Oeco-*

Oeconomos, qui temporalia nomine Capituli administrent.

8 9 *Notanda circa horum constitutionem, & officium.*

10 *Penes quem in actu secundo sit potestas competens Capitulo Regulari vacante Sede?*

11 *Capitulum Sede vacante non potest conferre Beneficia, quorum collatio libera pertinet ad solum Episcopum.*

12 *Potest illa, quæ pertinent ad Collationem Episcopi, & Capituli simul.*

13 14 15 16 17 *Et alia, quorum Collationes sunt necessariæ.*

18 19 20 *An Capitulum conferre possit Beneficium, quod Episcopus conferre debet cum consilio, vel consensu Capituli?*

21 22 23 24 *An, & quales Beneficiorum resignationes admittere?*

25 26 27 *An Ecclesias, vel Beneficia unire?*

28 *Aut unitas dissolvere?*

29 *Canonicatum, vel Præbendam aliquam supprimere?*

30 31 32 33 *Quinam actus in specie vi Jurisdictionis ad se translatæ eidem competant?*

34 35 36 37 *In quibus actibus Episcopo non succedat?*

38 39 40 *An pro morum reformatione constituere possit Visitatorem Diœcesis?*

41 42 43 *An visitare Monasteria Monialium exempta?*

44 *Concedere Indulgentias?*

45 *Cognoscere de crimine Hæresis?*

46 *An Capitulum Metropolitanæ succedat in Jurisdictionem Archiepiscopi?*

47 *An vocari debeat ad Synodum Provincialem?*

48 49 50 51 52 *Quid possit circa alienationem bonorum?*

53 54 *An litem super iisdem inchoare, vel prosequi?*

55 56 57 *Quibus casibus?*

58 *An possit bona pertinentia ad Mensam Episcopalem transferre ad suam?*

59 *An Episcopo succedat etiam in Jurisdictione Feudali?*

1 QUia in dies accidit Cathedrales Ecclesias suis Pastoribus ex hac luce subtractis viduari, ne tempore Vacaturæ, dum nemo est, qui Episcopale Jus tueatur, detrimentum patiatur Ecclesia vacans, hic pro Regula traditur, *Sede vacante non esse aliquid innovandum*, sed omnia in suo statu relinquenda usque ad Confirmationem novi Episcopi. Huic Regulæ è diametro adversari videtur altera æquè communis, quæ desumitur ex *cap. his, quæ* 11. *& cap. cum olim* 14. *de major. & obed.* item *cap. ad abolendam 9. de Hæretic.* quòd videlicet Sede vacante Jurisdictio Episcopi transeat in Capitulum Ecclesiæ Cathedralis. Unde cùm Regulæ istæ sibi contradicere videantur, *Titulo præsenti* disquiritur, ad quæ tunc temporis potestas Capituli Episcopum suum repræsentantis extendatur?

Quæritur 1. quænam causæ, & negotia pertractari à Capitulo, Sede vacante, possint? Gloss. *in Clem.* 1. *V. Capituli de Hæretic.* Archidiacon. *in can. Pontifices* 4. *caus.* 7. *quæst.* 1. Abb. *in Rubric. hic*, Lambertin. *de Jur. Patron. l.* 1. *p.* 1. *quæst.* 2. *art.* 9. *n.* 2. Pith. *hic num.* 2. volunt, Capitulo, Sede vacante, prohibita esse omnia, quæcunque ei specialiter concessa non reperiuntur: adeoque si Capitulum velit aliquem actum exercere, putant ei incumbere onus probandi, quòd ille actus sibi sit à Jure permissus. *Moventur* 1. generalitate propositæ Rubricæ, *Ne Sede vacante aliquid innovetur:* quæ verba simpliciter prohibitiva sunt, & conf. videntur innuere, Sede vacante, circa ea, quæ Ecclesiam, istiusque Prælatum concernunt, nihil innovari, vel mutari à Capitulo aut debere, aut posse, nisi quod ipsi à Jure expressè concessum est. 2. *cap. novit* 1. *h. tit.* ubi Sede vacante innovatio fieri prohibetur ex ratione, quòd tum *non sit, qui Episcopale Jus tueatur:* quæ ratio generalis est, & conf. afficit quamcunque innovationem, quæ de Jure permissa non reperitur. 3. *cap. illa* 2. *eod.* ubi Honorius III. negat à Capitulo conferri posse Beneficia ad collationem Episcopi pertinentia, & addit rationem; quia *nusquam invenitur cautum in Jure, quòd Capitulum vacante Sede fungatur vice Episcopi in collationibus Præbendarum.* 4. Potestas generalis Capituli, dum vacat Ecclesia, nec fuit necessaria eidem, nec utilis: necessaria quidem non fuit; quia si in iis, quæ à Jure specialiter indulta non sunt, aliquid innovari expediat, ad Sedem Apostolicam recurri, & licentia impetrari potest *arg. cap. un. de Cleric. ægrot. in* 6. utilis non fuit; quia talis concessio ansam præberet, Capitulo protelandi electionem novi Prælati cum damno Ecclesiarum, & periculo animarum *cap. ne pro defectu* 41. *de Election.*

Sed distinguendum est inter ea, quæ Episcopo competunt Jure ordinario, & tanquam Episcopo, & inter illa, quæ eidem competunt ex speciali privilegio, commissione, vel ut Sedis Apostolicæ Delegato. *Illa, quæ primi sunt generis*, Capitulo, sede vacante permissa censentur omnia, iis duntaxat exceptis, quæ eidem expressè prohibita inveniuntur. Ita Gloss. *in cap. cum olim* 41. *V. Capitulo de major. & obed.* Gutier. *qq. Can. l.* 1. *cap.* 11. *numer.* 10. Molin. *tract.* 5. *de J. & J. D.* 11. *num.* 3. Quarant. *Summ. Bullar. V. Capitulum Sede vacante numer.* 1. Leo *Thes. for. Eccl. p.* 1. *cap.* 10. *num.* 8. *vers. Capitulum*, Laym. *l.* 1. *tract.* 4. *cap.* 7. *§.* 4. *num.* 12. Barbos. *l.* 1. *Jur. Eccl. cap.* 32. *num.* 61. Sperell. *decis.* 111. *num.* 39. Vvagn. *in cap.* 2. *h. tit. not.* 8. Pirh. *tit. de major. & obed. num.* 44. in hoc sibi contrarius, Pignatell. *tom.* 9. *consf.* 159. Leuren. *p.* 3. *for. Benef. qu.* 391. *num.* 3. Van-Espen *J. E. V. p.* 1. *tit.* 9. *cap.* 1. *num.* 2. Præposit. Frising. *tom.* 1. *consf.* 5. *num.* 69. Honor. *hic num.* 6. *&* 7. Engl *num.* 1. Vviestner *num.* 4. Clariss. P. Schmier *p.* 1. *de person. Eccl. cap.* 4. *num.* 50. *&* 61. Sumitur 1. ex *cap. his, quæ* 11. *cap. cum olim* 14. *de major. & cap. un. eod. in* 6. ex quorum textuum, præsertim ultimi, dispositione Capitulum Prælato, Sede vacante, succedit in iis, quæ Prælato competunt, præterquam in aliquibus specialiter exceptis. 2. Ex *cap. si Episcopus* 3. & *cap. fin. de supp. negl.* ubi casu, quo Sedes aut fictè per Episcopi captivitatem, aut verè per ejus mortem vacat, Capitulo administratio in temporalibus, & spiritualibus apertè adstruitur, nisi Ecclesiæ à Sede Apostolica aliter provideatur. 3. Ex Trid. *sess.* 24. *cap.* 16. *de reform.* ubi Sacra Synodus vult, ut à Capitulo, Sede vacante, constituatur Oeconomus, qui temporalia, & Officialis, seu Vicarius Generalis, qui Spiritualia nomine Capituli administret: conf. supponit in Capitulo Sede vacante potestatem generalem administrandi quoad omnia non prohibita. 4. Ex *ratione;* quia istud utilitas Ecclesiæ exigit, ne dum vacat, ipsa in rebus suis, aut animæ etiam detrimentum patiantur. 5. Denique quia Regula generalis desumenda est ex pluribus: Atqui Capitulum, Sede vacante, multo plura potest ex iis, quæ ad potestatem Episcopi Ordinariam pertinent, quàm ei prohibita inveniantur. Ergo &c. 2

Contrà de iis, quæ secundi generis sunt, dicendum, illa, Sede vacante, ad Capitulum non transire; sed locum habebit Regula, quòd Sede vacante, nihil sit innovandum, nisi specialiter id sit permissum. Ita Abb. *in cap. cum olim cit. num.* 3. Decius *in cap. quoniam* 14. *de Offic. delegat. num.* 3. Quaranta *V. Capitulum Sed. vac. num.* 1. Laym. *l.* 1. *tract.* 4. *cap.* 7. *§.* 4. *num.* 14. Barbos. *Jur. Eccl. l.* 1. *cap.* 32. *num.* 104. Dian. *p.* 8. *tract.* 4. *res.* 2. Van-Espen *p.* 1. *tit.* 9. *cap.* 2. *num.* 1. *Proceditque hoc* 1. etsi delegatio facta sit Episcopo ab ipso Jure communi Canonico, vel Concilio Generali. Gloss. *in cap. ad abolendam* 9. *V. delegatis de Hæret.* Franc. *in cap. un. de major. & obed. in* 6. *num.* 6. *not.* 5. Pirh. *tit. eod. num.* 48. quia censetur delegatio talis facta Dignitati, in quam Capitulum Sede vacante non succedit. *Excipitur*, si Jurisdictioni Episcopi aliquid ita commissum sit, ut ex officio deinceps competat Episcopo; nam hoc casu censendum in dubio Capitulum succedere Episcopo, nisi aliud colligatur ex mente delegantis. Barbos. *l.* 1. *Jur. Eccl. cap.* 32. *num.* 107. *Ratio est*, quia tunc ejusmodi Jurisdictio censebitur accessoria, imò pars totius Jurisdictionis Episcopalis, cui ita annexa est; conf. cum hac Sede vacante transibit ad Capitulum. *Procedit* 2. etiamsi aliàs competeret Jure ordinario, si addatur, *Episcopum etiam tanquam Sedis Apostolicæ Delegatum posse procedere;* quamvis enim particula *Etiam* hoc casu videatur involvere utramque potestatem, Ordinariam, & Delegatam, adhuc tamen tali casu Episcopus ex delegata potestate censebitur procedere, cujus indicium est, quòd ab ejus sententia hoc casu ad summum Pont. indistinctè appelletur: conf. potestas hujusmodi actus exercendi non competet vacante Sede Capitulo. *Excipitur*, si necessitas expetierit; tunc enim etiam in casibus, in quibus Episcopus debuisset procedere, ut Sedis Apostolicæ Delegatus, ejus vices supplere potest Capitulum secundùm vulgatum axioma, quòd in casu necessitatis recedatur à Jure communi, & quod non est licitum in Lege, id licitum plerumque necessitas faciat. Engl *hic numer.* 3. 3

Neque contrarium probant Argumenta opposita. *Ad* 1. Rubrica præsens se habet instar Edicti prohibitorii. 4

torii. Atqui Edicto prohibitorio, hoc ipso, quia odiosum est, censentur prohibita tantùm illa, quæ eodem exprimuntur, cætera autem, quæ vel illo Edicto, vel aliis Juris textibus prohibita non reperiuntur, censentur permissa *c. cum apud* 23. *de Sponsal. l. mutus* 43. §. *cùm quæretur* 1. *ff. de Procurat.* Gloss. *ibid. V. hoc Edictum*, Host. *Summ. de Sponsal. numer. 9. pr.* Vviest. hic *n.* 5. *Ad* 2. ratio adjecta textui satis indicat, prohibitionem illam intelligendam dumtaxat de casu, quo per innovationem Episcopo futuro crearetur præjudicium aliquod. *Ad* 3. ut *infra n.* 11. dicetur, Beneficiorum collatio specialiter prohibetur Capitulo; quia inter Episcopalis Dignitatis fructus enumeratur, qui ex speciali dispositione Juris custodiri, & servari Successori debent *can. hac hujus* 38. *caus.* 12. *q.* 2. *c. cum vos* 4. *de Offic. Ordin. c. quia sæpe* 40. *de Elect. in* 6. *Ad* 4. potestas ista necessaria simul, & utilis est: necessaria; quia recursus ad Sedem Apostolicam, præsertim ex Diœcesibus valde remotis ab Urbe, est valde difficilis; utilis autem, ut sit, qui in difficultatibus occurrentibus facere decisionem possit. Cæterùm non est periculum, ne Capitulum ex amplitudine potestatis sibi concessæ accipiat ansam protelandi electionis negotium, cum ipsi præfixum sit à Jure tempus, ultra quod si electionem, legitimo impedimento cessante, differat, ob negligentiam ejus potestas eligendi ad Superiorem devolvitur.

5 Dub. 1. an Potestas, & Jurisdictio Prælati Sede vacante etiam transeat ad Conventus, & Capitula Regularia? Resp. affirmativè. Ita Innoc. *in c. dilectus* 8. *de consuet. n.* 1. Abb. *in c.* 1. *h. tit. numer.* 5. & *in c. fin. de Stat. Monach. n.* 8. *&* 9. Engl *hic n.* 16. Konig *n.* 7. Clariss. P. Schmier *p.* 1. *de Person. Eccl. c.* 4. *num.* 53. & apud hunc Rota *in Recent. p.* 1. *decis.* 346. *n.* 1. *& seqq.* Colligitur 1. ex *c. fin. de Regular. in* 6. ubi susceptio Monachorum ad Professionem, Sede vacante, dicitur ad Conventum pertinere, si de consuetudine pertineat ad Prælatum simul, & Conventum. 2. Ex *Clem. ne in agro* §. *siquis autem vers. siqui de Stat. Monach.* ubi collatio Beneficiorum, Abbate suspenso, tribuitur Conventui. 3. Ex *ratione*; quia major est communio Jurium, & bonorum inter Prælatum, & Capitulum Regulare, quàm inter Episcopum, & Capitulum Cathedrale. Igitur sicut ob istam communionem Capitulum Cathedrale in Jurisdictione administranda succedit Episcopo, ita etiam succedet Prælato Capitulum Regulare.

6 Intelligendum autem hoc solùm est quoad ea, quæ pertinent ad disciplinam Regularem; nam quoad cætera distinguendum est inter Ecclesias Regulares (idem dic de Collegiatis) pleno Jure exemptas, & inter non exemptas. Nam *in Ecclesiis pleno Jure exemptis* Capitulum Sede vacante omnem Jurisdictionem, & potestatem habet, quam ordinario Jure habebat ipse Prælatus, ut notat Pirh. *tit. de major. & obed. num.* 58. *Ratio est*, quia tales Ecclesiæ æquiparantur Cathedralibus. Secus, *si non sint exemptæ*; nam in his à Prælato Sede vacante Jurisdictio ad Episcopum transit. Estque hoc verum, etsi ejusmodi Prælatus Jurisdictionem Dignitati suæ annexam in Clericos sibi subjectos obtineat privativè, i. e. excluso Episcopo, ut cum Felino advertit Pirhing *loc. cit. num.* 59. *Ratio disparitatis est*, quia si in exemptis Capitulum in Jurisdictione non succederet, non adesset alius, qui posset in defectum providere Ecclesiæ; at in non exemptis adest Episcopus, qui providere possit.

7 Dub. 2. an Capitulum ea, quæ ad Jurisdictionem, & administrationem Episcopalem pertinent, Sede vacante per seipsum, an per alium, & per quem tractare debeat? Resp. Jure antiquo poterat exercere illam per seipsum; at Jure novo ex Decreto Trid. *sess.* 24. *c.* 16. *de reform.* pro administratione temporalium Oeconomum unum, vel plures, pro Spiritualium verò Officialem, sive Vicarium constituere, vel existentem confirmare debet, qui nomine Capituli administrationem istarum in se suscipiant. Ratio sic statuendi fuit, ne ex Capituli administratione communi Ecclesia, ut plerumque solet, in rebus suis facilè patiatur detrimentum, cum usu compertum sit, naturali quodam vitio ea, quæ communiter possidentur, & administrantur, communiter negligi *l. meminimus* 2. *princ. vers. naturale C. quand. & quib. quart. deb.*

8 Circa constitutionem, officium, & potestatem sequentia sunt notanda. 1. Vicarius pro Spiritualibus à Capitulo constitui, vel confirmari debet intra octo dies; alias istius deputatio devolvetur ad Metropolitanum, aut si Metropolitana Ecclesia sit, pro qua constitui debeat, ad antiquiorem Episcopum ex Suffraganeis, prout statuit Trid. *l. cit.*

2 Deputationi Oeconomi nullum certum tempus à Concilio statutum est; praxis tamen ordinaria, teste Fermosin. *q.* 15. *num.* 13. habet, ut deputetur etiam ipse intra octo dies à Capitularibus ad Vicarii electionem deputatis. Idem dicendum de Judicibus Foraneis, ac Pedaneis, aliisque Officialibus, & Administratoribus, quos Regimen Diœcesis exposcit.

3 Infra octo illos dies, intra quos Vicarius eligi à Capitulo, vel confirmari debet, antequam iste eligatur, administratio Jurisdictionis residet penes totum Capitulum. Quarant. *Summ. Bullar.* §. *duodecimò quæro vers. primò.* Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 54. *n.* 163. & *Jur. Eccl. l.* 1. *c.* 32. *n.* 29. Leuren. *p.* 2. *for. Benef. q.* 715. *n.* 2. *&* teste Barbosa decisum est à S. Congr. Concil. *sub die* 19. *Sept.* 1620.

4 Officium Oeconomi in eo situm est, ut res, & Jura Ecclesiæ servet illæsa, sive in eo statu, in quo fuerunt tempore inductæ vacationis: item ut colligat, & custodiat fructus, ac reditus ejus, qui decessit, in Prælatura Successori, cui etiam, si id exigat, administrationis suæ rationem tenetur reddere, etsi illam jam reddidisset Capitulo, ex *Declar. Card.* apud Garc. *p.* 5. *de Benef. c.* 7. *num.* 23. *declar.* 11. 9

5 Eadem obligatio reddendi rationes officii sui, si id Successor petat, incumbit Vicario generali Capituli, & aliis Judicibus, ac Officialibus, qui Sede vacante constituti, vel confirmati sunt. Vide *Libr.* 1. *Tit.* 28. *num.* 33. *& præcedentes*, ubi plura de Officio, & potestate Vicarii assumpti à Capitulo Sede vacante.

Dub. 3. penes quem in actu secundo sit potestas 10
competens Capitulo Regulari vacante Sede? Resp. paritas rationis probat, etiam hanc à Capitulo Regulari debere exerceri per alium. Sed quemnam illum? an per Priorem, Præpositum, vel Decanum Claustralem, an per aliquem de novo eligendum? Puto respondendum cum distinctione, an Superiores hujusmodi à solo Prælato, an verò etiam à Capitulo Regulari sint constituti.

Si primum, præscindendo à consuetudine, & inhærendo Juri communi officium, & potestas talis Prioris, Præpositi, vel Decani Claustralis Prælati Regularis morte extinguitur: & hinc ut continuare officium suum possint, opus est, ut à Conventu confirmentur, quod etiam plerumque fit. Ratio sumitur ex *c. Romana* 1. *de Offic. Vicar. in* 6. ubi statuitur, quòd exspirante, vel suspenso officio Judicis superioris, vel principalis, exspiret, & suspendatur etiam officium & potestas eorum, qui *Jurisdictionem tantum recipiunt ab eodem*, ut textus loquitur.

Si secundum, officium illorum nec Prælati morte exspirat, nec suspensione suspenditur. Abb. *in cap.* 1. *h. tit. n.* 5. Tambur. *tom.* 2. *de Jur. Abb. D.* 1. *q.* 4. *n. ult. in fin.* Clariss. P. Schmier *p.* 1. *de Person. Eccl. c.* 4. *n.* 53. *& seqq.*

Quæritur 2. an, & quæ potestas Capitulo Sede vacante competat circa Beneficia? *Et* 1. *quidem dubitatur*, an, & quando ea possit conferre? Resp. hic videndum, an ea sint Collationis liberæ, an verò necessariæ. *Si liberæ collationis sint*, iterum distinguendum, an collatio illorum competat soli Episcopo, an verò spectet ad Episcopum, & Capitulum simul. *Si primum*, conferre illa Capitulum Sede vacante nequit *c. illa* 2. *h. tit. c. un. eod. in* 6. & *c. etsi* 1. *de Instit. in* 6. sed eorum collatio per *Reg.* 2. *Cancell.* est reservata Summo Pontifici, in Germania verò per Concordata ad Episcopum Successorem pertinet. *Ratio est* 1. quia Collatio libera Beneficiorum est gratia, & donatio quædam *c. fin. de Offic. Vicar. in* 6. saltem quatenus uni potius, quàm alteri Clerico fit, à donationibus autem Capitulum Sede vacante abstinere debet, ut *infra num.* 50. dicetur. Ergo &c. 2. Collatio libera inter Episcopalis Dignitatis fructus connumeratur, ut notat Gloss. *in c. cùm olim* 14. *V. Capitulo de major. & obed.* sed Capitulum Sede vacante fructus, qui ad Dignitatem Episcopalem pertinent, non potest distrahere, sed eos fideliter custodire, & futuro Successori servare debet *cap. cum vos* 4. *de Offic. Jud. Ordin.* & *cap. quia sæpe* 40. *de Elect. in* 6. 3. Ea tantum, Sede vacante, potest Capitulum, quæ fieri possunt sine præjudicio Episcopi Successoris. Atqui talis collatio libera necessario cederet in præjudicium Episcopi Successoris, saltem ibi, ubi *Regul.* 2. *Cancell. cit.* non viget. Ergo &c. 11

Si secundum contingat, & Collatio Beneficii pertineat ad Episcopum, & Capitulum simul, potest Capitulum, Episcopo mortuo, vel à collatione Beneficiorum suspenso, illa conferre, sicut vicissim conferre 12
eadem

eadem Episcopus potest, si Capitulum suspensum sit, aut potior Capitularium pars Excommunicatione ligata, vel aliter impedita, ut habetur *c. un. princ. h. tit. in 6. Ratio est*, quia Episcopus, & Capitulum quoad ea, quæ ab ipsis simul, seu communiter facienda sunt, unum corpus esse censentur *c. novit.* 4. *de his, quæ à Prælat.* & ideo uno illorum deficiente, vel facto inhabili ad actum conferendi, jus conferendi devolvitur ad alterum. Gloss. *in c. un. cit. V. etiamsi in addit. Procedit autem hoc* solùm casu, quo Episcopus, vel Capitulum est in mora, & intra tempus à Jure collationi Beneficii vacantis præfixum non obtineret absolutionem ab Excommunicatione, vel suspensione, cùm posset; cùm enim nec Episcopus, nec Capitulum tempus pro Beneficii collatione indultum abbreviare possint, aut se invicem urgere ad citius conferendum, non antea ab Episcopo suspenso, vel excommunicato ad Capitulum, aut vicissim ab hoc ad illum devolutio fiet, quàm si ultimo tempore ad conferendum concesso adhuc duret suspensio, vel Excommunicatio, ut rectè notat Passerin. *in c. un. h. tit. in 6. n.* 11.

13 Dub. 2. quid Capitulum Sede vacante possit quoad Collationes Beneficiorum necessarias? Resp. in his succedit Episcopo, ut proinde exspectare non debeat tempus Sedis implendæ *c. cùm olim* 14. *de major.* & *c. etsi* 1. *de Instit. in 6. Ratio est*, quia ejusmodi Collationes sunt actus Jurisdictionis necessariæ, quæ vacante Sede penes Capitulum residet, ut exploratum est apud omnes. Et hinc Capitulum Sede vacante potest

1 Præsentatos sibi à Patrono Clericos instituere; electos confirmare, vel etiam electionem infirmare *c. cum olim*, & *c. etsi citt.* Abb. *in c. 2. h. tit. n. 6.* Barbos. *l. 1. Jur. Eccl. c.* 32. *n.* 95. Pal. *tr.* 13. *D.* 2. *p.* 29. *n.* 9. Leur. *p.* 2. *q.* 170. *n.* 1. Van Espen *p.* 1. *tit.* 9. *c.* 2. *n.* 3. *Proceditque hoc* etiam casu, quo plures simul, aut successivè à Patrono Laico ad idem Beneficium præsentati sunt: item casu, quo Patronus neminem præsentavit, sed Capitulo potestatem concessit conferendi Beneficium vacans, cui voluerit. *Neque refert*, quòd tali casu exerceat actum gratiæ, & liberalitatis; hoc enim facit per accidens, & ex concessione saltem tacita ipsius Patroni, qui plures, vel nullum præsentando censetur in Capitulum transtulisse potestatem deligendi, quem ex præsentatis voluerit. Ita Pal. *num.* 9. *cit.* Gonzal. *in c.* 2. *h. tit. num.* 5. Vallens. *hic n.* 4. Honor. *num.* 17. Contrarium tamen defendit Lotter. *l.* 2. *q.* 2. *n.* 34.

14 2 Potest conferre Beneficia, quæ vi Institutionis, seu Fundationis debentur alicui certæ personæ, v. g. Clerico seniori ex familia Fundatoris; quia talium Beneficiorum collatio respectu ejusmodi personæ necessaria est; & gratia est non tam Episcopi conferentis, quàm ipsius Fundatoris talem Clericum præferentis extraneo, vel remotiori. Garc. *p.* 5. *de Benef. c.* 7. *n.* 73. Dian. *p.* 8. *tr.* 4. *resol.* 26. Gonzal. *in c.* 2. *h. tit. num.* 5. Van Espen *c.* 2. *cit. n.* 3. Pirh. *de major. & obed. n.* 54. Vviest. *hic n.* 28. Aliud esset, si Beneficium non certæ personæ, sed certo tantùm personarum generi, e.g. familiæ certæ deberetur; hujus enim Beneficii collationem, cùm libera, & respectu collatarii gratiosa sit, Capitulum Sede vacante non potest facere, ut notat Gonzal. *ad Reg.* 8. *gloss.* 45. *n.* 19. Pal. *p.* 29. *cit. n.* 13. Vviest. *n.* 28.

15 Potest probabiliter conferre Beneficia, quæ propter negligentiam, seu culpabilem moram collatoris inferioris ad Episcopum sunt devoluta. Lambertin *l.* 2. *de Jur. patron. p.* 3. *q.* 2. *art.* 8. *n.* 6. Molin. *tr.* 5. *de Just. D.* 11. *n.* 12. Zerol. *prax. Episcop. p.* 1. *V. Capitulum* §. 5. Dian. *p.* 8. *tr.* 4. *resol.* 27. Vvagn. *in c.* 2. *h. tit. not.* 6. Passerin. *in c. un. eod. in 6. num.* 14. Leuren. *p.* 2. *for. Benef. q.* 712. *n.* 1. Zypæus *in Analys. hic n.* 7. Honor. *num.* 17. Engl *num.* 5. Konig *num.* 6. Vviest. *n.* 29. *Ratio est*, tum quia Beneficii devoluti collatio videtur esse actus Jurisdictionis necessariæ; tum quia non est proprius fructus Episcopatus, sed eidem per accidens advenit, & Episcopo data est non tam in favorem Episcopi, quàm in bonum Ecclesiarum, & animarum. Contrarium tamen defendunt Garc. *c.* 7. *cit. n.* 42. Pal. *p.* 29. *n.* 10. Barbos. *l.* 1. *Jur. Eccl. c.* 32. *n.* 110. *vers. verùm*, Pirh. *de major. n.* 54. Zoes. *hic num.* 3.

16 Potest conferre Beneficia vacantia ex causa permutationis, quando hæc necessaria est, vel quando illorum ex tali causa resignationem jam admisit Episcopus, sed morte præventus ea conferre non potuit, ut *infra Tit.* 19. statuetur, & notat Leuren. *p.* 2. *q.* 713. *n.* 1. Vallens. *hic n.* 8. Vviest. *num.* 29. quia hujusmodi collatio est actus Jurisdictionis necessariæ. Aliud foret, si resignatio nondum fuisset acceptata ab Episcopo defuncto: tunc enim collatio talis Beneficii permutati reservari deberet Episcopo Successori; quia etsi Beneficium ita permutatum necessario conferri debeat ei, cum quo permutatum est, necessitas tamen hæc non absoluta, sed consequens solùm est ex permutatione acceptata. Leur. *q.* 713. *cit.*

5 Potest Capitulum, vacante Sede Beneficii vacantis curam, & administrationem alicui Clerico idoneo, assignato illi stipendio congruo, ad sex menses commendare: quod tempus etiam, si intra illud Episcopus non eligatur, vel confirmetur, prorogare ulterius valet, donec Beneficium ab Episcopo futuro conferatur alicui. Laym. *l.* 1. *tr.* 4. *c.* 7. §. 4. *n.* 13. Barbos. *l.* 1. *Jur. Eccl. c.* 32. *n.* 94. Passerin. *in c. un. h. tit. in 6. n.* 22. Leuren. *p.* 1. *q.* 171. *n.* 2. *fin.* & *p.* 2. *q.* 711. *n.* 2. Vallens. *hic n.* 4. Pirh. *n.* 11. Vviest. *n.* 29. *Ratio est*, quia hoc ad ordinariam, quin & necessariam Jurisdictionem, & Ecclesiæ gubernationem spectat, ut in Beneficiis vacantibus interim, dum Beneficiarius constituatur, cura, & administratio commendetur alteri. 17

Dub. 3. an Capitulum Sede vacante conferre possit Beneficium, quod ad collationem Episcopi quidem spectat, sed non omnino liberam, quòd in erectione illius cautum sit, ut illud Episcopus conferat cum consilio, vel consensu Capituli? Resp. negativè. Ita statuitur *c. un. §. cùm verò h. tit. in 6.* & notat Alagon. *ibid.* Vivian. *in ration.* Franc. *num.* 4. Pal. *tr.* 13. *D.* 2. *p.* 29. *num.* 8. Barbos. *l.* 1. *Jur. Eccl. c.* 32. *num.* 110. Passerin. *in c. un. cit. n.* 18. Vvagn. *in c.* 2. *hoc tit. not.* 5. Leur. *p.* 2. *q.* 708. *num.* 2. Honor. *hic num.* 16. Zoes. *num.* 4. Pirh. *n.* 14. Schamb. *n.* 7. Konig *num.* 6. *vers. dicitur tertiò.* Vviest. *num.* 26. *Ratio est*, quia consensus iste, vel consilium non efficiunt provisionem Beneficii communem cum Capitulo. 18

Proceditque hoc, etiam de Beneficio, quod vacat tempore suspensionis Episcopi, nisi hic in petenda relaxatione suspensionis culpabilem moram traheret: tunc enim distinguendum erit, an collatio Beneficii jure proprio ad Episcopum spectet, an Jure devoluto. *Si proprio jure*, post elapsos sex menses ob negligentiam Episcopi potestas conferendi devolvitur ad Capitulum *c. quia diversitatem* 5. *de concess. præben.* quod potest Episcopi negligentiam in conferendo supplere, licèt ejus defectum, seu inhabilitatem ad conferendum, ut quia suspensus est, supplere non possit, ut patet *ex §. cùm verò cit.* & notat *ibid.* Gloss. *V. in mora*, Vivian. *vers. nisi sit in mora*, Honor. *n.* 16. *hic* Pirh. *n.* 14. 19

Si vero jure devoluto, quia sc. inferiores collatores negligentes fuerunt, tunc casu, quo Episcopus moram traxerit in petenda suspensionis relaxatione, collatio Beneficii sic devoluti non ad Capitulum, sed proximum superiorem Episcopi, videlicet Archiepiscopum, vel Papam devolvetur *arg. c. ne pro defectu* 41. *de Elect. Ratio est*, quia major est communicatio inter Episcopum, & Capitulum in his, quæ ad Episcopum jure proprio pertinent, quam quæ jure devoluto, vel aliunde obveniunt. Vivian. Pirh. *l. citt.* 20

Dub. 4. an Capitulum Sede vacante possit admittere resignationes Beneficiorum, quæ ad collationem Episcopi pertinent? Negant Gloss. *in c. fraternitatem* 5. *V. licentiam dist.* 71. Flamin. *de resign. l.* 7. *q.* 23. *n.* 37. & 38. Rebuff. *prax. tit. de devol. n.* 94. Quarant. *Sum. Bullar. V. Capitulum Sed. vac. n.* 1. *q.* 9. *limit.* 5. Pirh. *de major. & obed. n.* 57. *arg.* Fundantur 1. quia receptio resignationum videtur esse actus Jurisdictionis voluntariæ. 2. Quia Capitulum Sede vacante non potest talia Beneficia conferre secundum dicta *n.* 11. ergo nec resignationes illorum admittere. 3. Quia resignationis admissio est Beneficiati quædam destitutio. Destituere autem nequit, qui nequit conferre *arg. c. cum ex injuncto* 12. *in fin. de Hæretic.* ubi institutio, & destitutio Sacerdotum eidem tribuitur. 21

Sed his non obstantibus, verius est resignationes admitti à Capitulo, Sede vacante, posse. Ita Flamin. *l.* 7. *de resign. q.* 23. *à n.* 20. Pal. *tr.* 13. *D.* 2. *p.* 29. *n.* 15. Barbos. *l.* 1. *Jur. Eccl. c.* 32. *n.* 96. Leur. *p.* 2. *q.* 714. & *p.* 3. *q.* 391. *n.* 3. Vviest. *hic n.* 32. *Ratio est*, quia plus est destituere invitum, quam destituere volentem, quod fit per admissionem resignationis, atqui Capitulum, Sede vacante, potest destituere invitum, prout habetur *Extrav. Execrabilis Joannis XXII. vers. cæterum de Præbend.* ubi recipiens secundum Beneficium Curatum, primum etiam invitus dimittere cogitur in manibus Ordinarii, h. c. Episcopi, aut Capituli, Sede vacante, ut ibi declarat Pontifex. Ergo &c. *Conf.* quia Capitulum, Sede vacante, succedit Episcopo in omnibus, quæ sunt Jurisdictionis Ordinariæ, nisi quæ sunt specialiter excepta, ut dictum est *n.* 2. atqui receptio 22

eptio reſignationum pertinet ad Juriſdictionem Epiſco- i ordinariam, & nuſpiam inter caſus exceptos ponitur. rgo &c.

3 *Proceditque hoc* 1. non tantum in reſignatione, quæ t in pœnam, utpote cujus admiſſio eſt Juſtitiæ, ſed tiam in aliis factis merè voluntariè; quia etiam ha- um admiſſio ad Juriſdictionem Epiſcopi ordinariam ertinet. Garc. *p.* 11. *de Benef. c.* 3. *num.* 258. citans Sbroz. Pavinum &c. *Procedit* 2. in Beneficiis etiam Patronatis, ſi Patronus id ſciat, & reſignationi non contradicat: qui etiam eo ipſo conſentire videtur, ſi poſt factam à Capitulo receptionem reſignationis præ- ſentet aliquem à Capitulo inſtituendum. Leuren. *p.* 3. *q.* 391. *n.* 4. *Procedit* 3. etſi tale Beneficium pertineat ad Collationem ſolius Epiſcopi; nam etiam horum reſi- gnationes Capitulum, Sede vacante, poteſt recipere, quamvis alteri conferre nequeat. Pal. *p.* 29. *cit. num.* 15. Leuren. *p.* 2. *q.* 714. Et hinc poſtquam Capitulum Bene- ficii, quod ad Collationem Epiſcopi ſolius pertinet, reſignationem receperit, ne diu nimis vacare illud con- tingat, commendare illud Clerico idoneo debet, qui ejus curam & adminiſtrationem gerat, donec à novo Epi- ſcopo confirmato alicui in titulum perpetuum confera- tur. Dian. *reſol.* 4. §. *major*.

2 Neque contrarium probant Argumenta partis adver- ſæ. *Ad.* 1. imprimis admiſſio reſignationis ex juſta cau- ſa factæ eſt actus Juriſdictionis neceſſariæ: & ſic, eſſe actum voluntariæ Juriſdictionis, etiamſi hæc penes Ca- pitulum, Sede vacante, reſidet, prout advertunt Garc. *p.* 5. *c.* 7. *n.* 2. Molin. *tr.* 5. *de Juſt. D.* 11. *n.* 5. & alii præ- cipui nominis DD. teſte P. Vvieſt. *hic n.* 31. *Ad* 2. con- ferre Beneficia, & recipere reſignationes illorum ſunt duo diverſa, poteſtque ad unum ſpectare receptio, ad alium, etiam inferiorem, collatio. *Ad* 3. ut patet ex Probatione Reſponſionis *n.* 22. datæ, Capitulum Sede vacante etiam poteſt deſtituere.

2 Dub. 5. utrum Capitulum, Sede vacante, poſſit unire Eccleſias, & Beneficia? Negat Pavinus *p.* 2. *q.* 3. *n.* 17. Azor. *p.* 2. *l.* 3. *c.* 38. *q.* 9. & quidam alii. 1. Quia Capi- tulum derogare nequit Juri Epiſcopi. *c. novit.* 1. *h. tit.* per unionem autem eidem derogatur, cùm ea facta pro duabus collationibus tantum facere poſſit unam. 2. Ca- pitulum, Sede vacante, non poteſt conferre Beneficia *c. illa* 2. *h. tit.* atqui major eſt poteſtas uniendi, cùm non competat Prælatis inferioribus, quantumvis habeant poteſtatem Beneficia conferendi. 3. Per unionem Bene- ficium, quod unitur alteri, ſupprimitur, vel extingui- tur, aut alienatur. At Capitulum ſupprimere, extingue- re, vel alienare Beneficium non poteſt. Ergo &c.

5 Sed meliùs poteſtatem uniendi Beneficia Capitulo, Sede vacante, adſtruunt. Felin. *in c. cùm olim* 14. *de ma- jor. n.* 9. Petr. de Peruſio *tr. de Union. Eccl. c.* 5. *num.* 26. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 28. *q.* 9. in hoc ſibi contrarius, Garc. *p.* 12. *de Benef. c.* 2. *num.* 67. Barboſ. *l.* 1. *Jur. Eccl. c.* 32. *n.* 98. Leur. *p.* 3. *for. Benef. q.* 908. *n.* 3. Pirh. *tit. de ma- jor. & obed. num.* 56. Vvieſt. *hic n.* 34. & alii plures ab his *citt.* modo unio non fiat in favorem Capituli, ea- que jus Epiſcopi non diminuatur, quod fieret, ſi huic ſubjecta Eccleſia, vel Beneficium uniretur alteri non ſubjectæ Eccleſiæ, vel Beneficio. *Ratio eſt*, quia unio eſt actus Juriſdictionis Ordinariæ, non gratioſæ, & voluntariæ, ut Collatio, ſed neceſſariæ, cùm nonniſi exigente neceſſitate, vel utilitate ſuadente fiat.

7 Argumenta allata in contrarium difficultate carent. *Ad* 1. adhuc Epiſcopus etiam poſt unionem provide- re utrique Eccleſiæ poteſt, ut rectè obſervat Pal. *tr.* 13. *D.* 6. *p.* 12. §. 2. *n.* 12. igitur Beneficia per unionem conjungi poſſunt, quin aliquod jus Epiſcopale pereat. *Ad* 2. eſto, poteſtas uniendi ſit major, quam confe- rendi, adhuc tamen eſt diſpar ratio, propter quam præcipuè poteſtas conferendi prohibetur Capitulo va- cante Sede. *Ad* 2. diſtinguendum inter extinctionem Beneficii, quæ fit extra unionem, & inter eam, quæ fit per unionem: prior, ut *n.* 29. *infra* dicam, Epiſco- pis conceditur ſub nomine Dignitatis, & propterea ad Capitulum Sede vacante non tranſit; illa verò, quæ fit per unionem, ad Juriſdictionem Epiſcopi Ordina- riam pertinet, conſ. cum iſta tranſit in Capitulum.

28 Dub. 6. an Capitulum, Sede vacante, Eccleſias uni- tas poſſit diſſolvere? *Ratio dubitandi eſt*, quia vacan- te Eccleſia Cathedrali, ut *n.* 26. dictum eſt, poteſt fieri Eccleſiarum unio. Ergo etiam diſſolutio. *Conf.* nam *omnis res, per quaſcumque cauſas naſcitur, per eaſdem diſſolvitur* juxta *Reg.* 1. *de R. J.* igitur ſi Ca- pitulum poteſt unionem facere, etiam poterit eandem ſolvere.

Sed tenenda eſt ſententia negativa, quam etiam de- fendit Gloſſ. *in c. novit* 1. *in Caſu h. tit.* Barboſ. *ibid. n.* 1. Pirh. *n.* 5. & 6. & colligitur ex *c. novit cit.* ubi etiam inſinuatur ratio; quia *Sede Epiſcopali va- cante, non debet aliquid innovari, cum non ſit, qui Epiſcopale jus tueatur.*

Ad rationem dubitandi negatur *Conſ.* nam per unio- nem conſulitur utrique Eccleſiæ, illi, quæ unitur; quia paupertas ejus per unionem ſublevatur: ei autem, cui unitur; quia per ejuſmodi unionem ſtatus ejus fit am- plior. Contra per diſſolutionem unionis utrique affer- tur præjudicium; nam diſſoluta unione Eccleſiæ, cui unio facta eſt, dignitas, & amplitudo minuitur; Ec- cleſia unita autem vel in priſtinam paupertatem rela- bitur, vel ſaltem amittit privilegia, quæ per unionem cum digniore obtinuit. Ex quo etiam patet ad *Conf.*

Dub. 7. an ad Capitulum, Sede vacante, tranſeat 29 facultas ſupprimendi Canonicatum, vel Præbendam, ut per hujus reditus augeantur proventus aliarum Præ- bendarum, quæ ad ſuſtentationem Beneficiati ſufficien- tes reditus non ſubminiſtrant? Videtur poſſe; nam et- iam Epiſcopus poteſt, prout eidem conceditur à Trid. *ſeſſ.* 24. *c.* 15. *de reform.* Sed leve hoc Argumentum eſt; quia poteſtas hæc Epiſcopo conceſſa eſt ſub no- mine Dignitatis, cujus indicium eſt, quòd illa nege- tur Abbatibus, & aliis Prælatis tam Sæcularibus, quàm Regularibus etiam exemptis, quamvis Juriſdictionem Ordinariam, & quaſi Epiſcopalem habeant. atqui ea, quæ ſub nomine Dignitatis Epiſcopo conceſſa ſunt, ad ſolos in Epiſcopatu ſucceſſores tranſeunt. ergo &c.

Hinc retinenda eſt negativa ſententia, quam etiam defendunt Azor *p.* 1. *l.* 3. *c.* 38. *q.* 9. Barboſ. *l.* 1. *Jur. Eccl. c.* 32. *num.* 99. & 112. Præpoſ. Friſing. *conſ.* 20. *num.* 29. Vvieſt. *hic n.* 35. & declaratum eſt *à Sacr. Congr. Card. Trid. Interpp.* apud Joann. Gallemart. *ad Trid. c.* 15. *cit. num.* 3. *Ratio eſt*, quia ea ſuppreſſio eſt quædam ſpecies alienationis, quæ ut dicetur *infra n.* 50. Capi- tulo, Sede vacante, non permittitur.

Quæritur 3. quinam actus in ſpecie vi Juriſdictionis 30 ad ſe translatæ Capitulo Sede vacante competant? Reſ- ponſ. iſtos recenſent Barboſ. *l.* 1. *Jur. Eccl. c.* 32. *à n.* 61. Sperell. *deciſ.* 111. *à n.* 39. Pignat. *tom.* 5. *conſult.* 25. *n.* 3. Vallenſ. *hic à n.* 9. Zoeſ. *n.* 4. & 5. Engl *à n.* 4. Honor. *n.* 5. & *ſeqq.* Konig *à n.* 5. Vvieſt. *à n.* 7. & alii paſſim. Et 1. quidem poteſt Capitulum Sede vacante condere Sta- tuta, modò iis Dignitati, vel Menſæ Epiſcopali non præjudicetur: obligabuntque Statuta hæc Diœceſim to- tam, ita tamen, ut Epiſcopus illa revocare, ſicut qui- vis Anteceſſorum ſuorum Statuta poſſit; quia par in pa- rem imperium, & poteſtatem non habet *cap. innotuit* 20. *verſ. quamvis de Elect.* & *l. nam & Magiſtratus* 4. *ff. de recept. qui arbitr.*

Poteſt cognoſcere de omnibus cauſis ad Epiſcopale ſolum pertinentibus, etiam Beneficialibus, Decimalibus, Matrimonialibus, & Criminalibus. *Neque obſtat*, quod iſtæ cauſæ à Trid. *ſeſſ.* 24. *cap.* 20. *verſ. adhæc de reform. Epiſcopi tantum Examini, & Juriſdictioni relinquendæ* dicantur; nam *Epiſcopi* nomine ibi intelliguntur om- nes illi, qui Juriſdictionem Epiſcopalem Ordinariam penes ſe reſidentem habent, qualem etiam habet Ca- pitulum Sede vacante. Quarant. *Summ. Bullar. V. Ca- pitulum Sed. vacant. num.* 1. *q.* 5.

3 Poteſt in crimina, & exceſſus, eorumque autho- 31 res, ſi de illis diffamati, aut indiciis gravati ſint, per viam inquiſitionis procedere, & ſi de illis convicti ſint, commeritas pœnas iiſdem infligere, Cenſuras fer- re, & ab his abſolvere omni caſu, quo abſolutionem iſtam impertiri Epiſcopus Juriſdictione ordinaria poteſt.

4 Poteſt diſpenſare in Irregularitatibus, ac Suſpen- ſionibus provenientibus ex delicto occulto, excepta ea, quæ oritur ex Homicidio voluntario, & aliis ad forum contentioſum deductis; quia hæc poteſtas Epiſ- copo Jure communi competit, & ad Ordinariam ejus Juriſdictionem pertinet, ut patet ex Trid. *ſeſſ.* 24. *c.* 6. *de reform.*

5 Poteſt aſſiſtere Contractui Matrimonii, & licen- tiam aſſiſtendi dare aliis Sacerdotibus, diſpenſare in ejus contrahendi denuntiationibus, in Votis, & Jura- mentis, non tamen in reſervatis, in defectu natalium ad Ordines minores, & Beneficia ſimplicia, in peti- tione debiti conjugalis, in obſervatione feſtorum, & jejuniorum, & aliis caſibus, quibus ob difficultatem recurſus ad Sedem Apoſtolicam diſpenſatio Epiſcopo eſt permiſſa.

6 Poteſt dare licentiam Novitiis diſponendi de ſuis bonis, Monialibus egrediendi ex ſuis Monaſteriis, & aliis ea ingrediendi, Clerico ſubdito ex peregrinatio- nis, vel alia juſta cauſa à loco Beneficii ſui recedén- di ad tempus, imò & perpetuò ad aliam Diœceſim tranſeundi, ædificandi Eccleſiam, vel fundandi Be- nefi-

neficium Eccleſiaſticum, & ſic acquirendi Jus Patronatus.

7 Poteſt approbare, & exponere Sacerdotes pro excipiendis Pœnitentium Confeſſionibus, conſtituere Confeſſarium, qui abſolvat à peccatis, & Cenſuris Epiſcopo reſervatis, eaſdem facultates, & approbationes, etiam ab Epiſcopo obtentas, revocare.

33 8 Poteſt ex manifeſta, & rationabili cauſa exigere ſubſidium Charitativum, Beneficiatis, & Penſionariis aſſignare congruas portiones, compellere Clericos ſibi ſubditos ad oſtendendos titulos ſuorum Beneficiorum, eoſdem, ſi duo, vel plura incompatibilia ſimul obtineant, cogere ad exhibendas legitimas diſpenſationes ſuper pluralitate impetratas, licèt triennio illa poſſederint pacificè, ut ſic conſtet de bona fide, & an Beneficiarius habeat titulum coloratum.

9 Poteſt exigere rationes ab Adminiſtratoribus piorum locorum, exequi defunctorum ultimas voluntates in caſibus, in quibus eas exequi poteſt Epiſcopus, in cæteris Executores ad earum executionem faciendam cogere, illas, juſta cauſa poſcente, commutare &c.

Quorum omnium una, eademque ratio eſt, quia hæc omnia pertinent ad poteſtatem, & Juriſdictionem Epiſcopi, in quam omnem, iis ſolum exceptis, quæ ſpecialiter prohibentur, juxta *num.* 2. vacante Sede, ſuccedit Capitulum.

34 Dub. 1. in quibus actibus Capitulum, Sede vacante, Epiſcopo non ſuccedat? Reſp. plures hujuſmodi actus enumerantur. Nam 1. non poteſt Diœceſanis ſuis ad Ordines ab extraneo Epiſcopo ſuſcipiendos concedere litteras Dimiſſorias intra annum à die inductæ vacationis, niſi ratione Beneficii recepti, vel recipiendi arctati ſint: & ſi ſecus fiat, Capitulum contraveniens Eccleſiaſtico ſubjacet Interdicto. Trid. *ſeſſ.* 7. *c.* 10. *de Reform.*

2 Non poteſt concedere licentiam ædificandi novum Monaſterium, ut cum Diana, Fermoſino, & aliis advertit P. Vvieſt. *hic n.* 45. & de Vicario Capituli, Sede vacante, declaratum eſt *à S. Congreg. Cardd.* 19. *Jan.* 1633. *Ratio eſt*, quia Epiſcopalis licentia conſtituit formam, quæ novi Monaſterii erectioni præſcribitur à Greg. XIII. *in Bulla*, quæ incipit *Quoniam* edita 23. *Julii* 1603. formæ autem conſtitutiva per æquipollens adimpleri nequeant *arg. l. qui per ſalutem* 33. *ff. de Jurejur.*

35 3 Non admittitur ad Electionem Imperatoris, vel Regis Romanorum, etſi Archiepiſcopus, cujus Sedes vacat, ob dignitatem Electoratus iſtud poſſet, ut pluribus probant, & præjudiciis relatis oſtendunt Herman. Hermes *faſcic. Jur. publ. cap.* 6. *n.* 51. Bernard. Mulz. *in repræſent. Majeſt. p.* 3. *c.* 16. §. 4. *num.* 48. Prænob. D. de Baſſis *Diſp. Juriſd. de Juriſdict. th.* 44. *n.* 3. *& th.* 45. *n.* 1. quos refert, & ſequitur Clariſſ. P. Schmier *de perſon. Eccl. p.* 1. *c.* 4. *n.* 73. *Ratio eſt*, quia ut ex Domin. Arumeo de Comitiis tradit Laym. *in cap. unic. h. tit. in* 6. Jus eligendi Romanorum Regem Archiepiſcopis Electoribus competit ratione Dignitatis eorum ex ſpeciali Jure, & privilegio, in his autem, quæ Epiſcopo, ſeu Prælato ex Jure ſpeciali competunt, non ſuccedit Capitulum.

36 4 Non ſuccedit in poteſtate, quam variis caſibus in Exemptos Epiſcopus, præciſè tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegatus, à Jure habet. Garc. *p.* 5. *de Benef. cap.* 7. *n.* 47. Barboſ. *alleg.* 92. *n.* 17. Engl *hic n.* 2. Vvieſt. *n.* 47. Dixi *tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegatus;* nam aliquando poteſtas in Exemptos à Jure conceditur Epiſcopo, non per modum delegationis, ſed Juriſdictionem, quam alias non habebat, prorogando, & extendendo ordinariam illius poteſtatem, ita, ut in eos Epiſcopus procedat Jure proprio, & tanquam ordinarius: & in hac rectè ſuccedit vacante Sede Capitulum. Garc. *l. cit. n.* 48. Quomodo autem poteſtas in Exemtos Epiſcopo conceſſa ſit, in dubio colligi poteſt ex eo, ad quem à ſententia illius in tali caſu contra Exemptos lata appelletur; nam ſi appellari debeat ad Pontificem, ſignum eſt, quòd competat Jure delegato; ſi ad Metropolitanum, ordinario.

37 5 Et generaliter facere nihil eorum poteſt, quæ ex ſpeciali privilegio, & Jure Epiſcopo competunt, niſi caſu, quo id, quod ita conceſſum Epiſcopo reperitur, in ordinariam illius poteſtatem tranſit; nam in tali poteſtate, quæ Epiſcopis Jure ſpeciali, non merè Delegato, ſed ordinario competit, ſuccedit Capitulum, ut contra Suar. *de Cenſur. D.* 41. *ſ.* 2. *c.* 3. advertunt Sanch. *l.* 8. *de Matr. D.* 2. *n.* 10. Sperell. *deciſ.* 111. *n.* 43. Van Eſpen *J. E. U. p.* 1. *tit.* 9. *c.* 1. *n.* 3. Pirh. *tit. de Major. & obed. n.* 45. Honor. *hic n.* 5. Konig *n.* 11.

38 Dub. 2. an Capitulum, Sede vacante, pro morum reformatione conſtituere poſſit Diœceſis Viſitatorem? Negant Joan. Monach. *in c. fin. de ſuppl. negl. in* 6. *à n.* 5. Boetius *deciſ.* 2. *n.* 29. Fuſchus *l.* 1. *de Viſit. c.* 2. *n.* 20. Moventur 1. textus *can. obitum* 16. *diſt.* 16. ubi S. Gregorius M. Barbaro vicino Epiſcopo viſitationem ſolemniter delegavit, eo quod Sedes Epiſcopalis Epiſcopo deſtituta fuerit. 2. *c. fin. cit.* cujus principio Bonifacius VIII. *Eccleſiæ Cathedrali*, inquit, *vacanti Viſitator ab alio quam Romano Pont. deputari non poteſt.* 3. *c. is cui* 42. *de elect. in* 6. ubi idem Pontifex ait, ſoli Sedi Apoſtolicæ competere Eccleſiæ adminiſtratorem dare in Spiritualibus, & temporalibus, qualis eſt ejus Viſitator generalis. 4. Capitulum Sede vacante tantùm poteſt neceſſaria. Gloſſ. *in Clem.* 1. *V. Capituli de Hæretic.* atqui Diœceſis Viſitatio non videtur eſſe neceſſaria ita, ut differri nequeat in tempus plenæ Sedis futuræ. 5. Si Capitulum deputare poſſet Viſitatorem, hic poſſet exigere Procurationes, quæ nomine, & ratione viſitationis debentur. has autem Viſitator à Capitulo deputatus non poteſt exigere; quia, ut habetur *cap. conquerente* 16. *de Offic. Ordin.* inter fructus Epiſcopales cenſentur, qui futuro ſucceſſori ſervari debent *cap. cum vos* 4. *in fin. tit. eod.*

Sed dicendum Capitulum Sede vacante ad correctionem morum poſſe Viſitationem decernere, & ad 39
hanc obeundam perſonam idoneam conſtituere. Ita Gloſſ. *V. Capituli cit.* Abb. *in c. cum olim* 14. *de major. num.* 2. *dub.* 4. Sylveſt. *V. Capitulum q.* 4. Rebuff. *Prax. tit. de devolut. n.* 65. Azor. *p.* 2. *l.* 3. *c.* 37. *q.* 14. Molin. *tr.* 5. *de Juſt. D.* 11. *n.* 7. Barboſ. *l.* 1. *Jur. Eccl. c.* 32. *n.* 67. *& duob. ſeqq.* Konig *hic n.* 9. Vvieſt. *n.* 13. *Proceditque hoc*, prout plerique ex *citt.* DD. notant, non tantum, quando in particulare aliquod crimen, vel perſonam eſt procedendum, ſed etiam cùm in generali, nullo crimine, vel perſona expreſſa, correctio morum eſt promovenda. *Ratio eſt*, quia Capitulo, Sede vacante, competit omnis Juriſdictio Epiſcopalis, præſertim neceſſaria, præter caſus ſpecialiter exceptos, ut dictum eſt *num.* 2. atqui Viſitatio ad Juriſdictionem Epiſcopi ordinariam, & quidem neceſſariam pertinet; quia fit ex neceſſitate Juris, & eſt ferè præcipuum medium extirpandi errores, inducendi ſanam doctrinam, tollendi abuſus, & pravos mores, promovendi Cultum Divinum, atque animarum bonum &c. ergo &c.

Argumenta in contrarium non ſunt efficacia. *Ad* 1. 40
ibi dicitur, quid factum fuerit, non quod fieri debuit, aut potuit. *Ad* 2. textus ille potiùs ſervit noſtræ ſententiæ, ſtatuitur enim, quòd Eccleſiæ Cathedrali vacanti Viſitator deputari poſſit à Summo Pontif. non autem ab alio, etiam Archiepiſcopo, niſi Capitulum in temporalibus, & Spiritualibus negligenter, & perperam adminiſtret. igitur, ut rectè Abb. *l. cit.* infert, idem Capitulum per ſe, vel per Vicarium à ſe conſtitutum Diœceſim viſitare poterit, ne ab Archiepiſcopo negligentiæ argui, & alius Viſitator conſtitui poſſit. *Ad* 3. *c. is cui cit.* ſolum negatur, quòd Capitulum non poſſit conſtituere Adminiſtratorem cum plena, & libera poteſtate exequendi omnia, quæ poteſt Epiſcopus confirmatus: & hoc clarum eſt; quia, ut dicitur *Reg.* 79. *in* 6. *Nemo poteſt plus Juris transferre in alium, quam ſibi competere dignoſcatur.* atqui Capitulum non poteſt hæc omnia exequi, ut patet ex hactenus dictis. ergo nec demandare illa Viſitatori, aut cum tali poteſtate iſtum conſtituere. *Ad* 4. aliquando periculum in mora eſt, præſertim ſi à Viſitatione ultima longius tempus lapſum ſit, neque appareat, quando Eccleſiæ de novo Paſtore ſit providendum. Accedit, quia per Viſitatorem Capitularem Sede vacante ſæpe deteguntur, & reformantur, quæ illa plena occulta, vel intacta manſerunt. *Ad* 5. ſolæ illæ Procurationes inter fructus Epiſcopales cenſentur, quæ præſtandæ ſunt Epiſcopo Diœceſim viſitanti perſonaliter; cæteræ, quæ aliis Viſitationem obeuntibus exhibentur, ipſis viſitantibus cedunt *c. procurationes* 23. & *ibi* Gloſſ. *V. perſonaliter de Cenſib.*

Dub. 3. an Capitulum viſitare etiam poſſit Monaſte- 41
ria Monialium exempta. Affirmativam defendunt Rodriq. *tom.* 1. *Regul. q.* 6. *art.* 9. Molin. *tr.* 5. *D.* 11. *n.* 8. Barboſ. *l.* 1. *Jur. Eccl. c.* 32. *n.* 107. & alii complures magni nominis DD. ex duplici Fundamento. 1. quia poteſtas iſta Epiſcopis committitur à Jure, & in perpetuum. *Clem. fin. de Stat. Monach.* & Trid. *ſeſſ.* 25. *cap.* 9. *de Regular.* igitur ad ordinariam illorum poteſtatem ſpectat; conſ. ad Capitulum Sede vacante tranſit. 2. quia ſi Capitulum Sede vacante Monaſteria Monialium exempta viſitare non poſſet, iſtæ toto tempore, quo Sede vacante gubernat Capitulum, tam ſalubri præſidio carere deberent. non eſt autem veriſimile, quòd Concilii mens fuerit eas tamdiu præſidio iſto privare. ergo &c.

Nihi-

Nihilominus, spectato Jure, dicendum videtur, jus visitandi Monasteria Monialium exemptarum ad Capitulum, Sede vacante, non transire. Ita Frid. de Senis *conf.* 291. Pavin. *p.* 1. *q.* 7. *& de Visit. p.* 2. *n.* 32. Garc. *p.* 5. *de Benef. c.* 6. *num.* 45. Franc. Leo *Thes. for. Eccl. p.* 1. *c.* 10. *num.* 8. *vers. decimò*, Pirh. *de major. & obed. n.* 48. Konig *hic n.* 11. Vviest. *n.* 15. qui etiam pro se allegant Rotæ Decisiones. *Ratio est*, quia potestas à Papa alicui sub nomine Dignitatis delegata non transfertur ad eos, qui tali Dignitate carent. atqui Visitatio Monialium exemptarum à Papa Episcopis delegata est sub nomine Dignitatis, ut eam obeundo non Jurisdictionem suam ordinariam, sed delegatam à Papa, istiusque authoritate, & nomine exerceant, ut patet ex Trid. *l. cit.* ibi *Ab Episcopis, tanquam dictæ Sedis Delegatis*, ergo &c.

Neque contrarium probant Argumenta opposita. *Ad* 1. solùm illa in potestatem Episcopi ordinariam transeunt, quæ eisdem committuntur simpliciter; non verò ea, quæ ipsis committuntur ut Sedis Apostolicæ delegatis, quippe quæ non proprio, sed alieno, sc. ipsius Papæ committentis jure exercent. *Ad* 2. hujusmodi Moniales Exemptæ tempore Sedis vacantis visitari possunt à Prælatis suis Exemptis, à Legatis Apostolicis, imò, si necessitas urgeat, ab ipso Capitulo ex Jurisdictione sua ordinaria; nam etiam Episcopus, antequam potestatem à Jure delegatam acquireret, in casu urgentis necessitatis visitare illas potestate Ordinaria poterat.

Dub. 4. an Capitulum, Sede vacante, succedat Episcopo in concessione Indulgentiarum? Affirmant Sylv. *V. Capitulum q.* 10. Azor. *p.* 2. *cap.* 37. *qu.* 9. Zerol. *prax. Episc. V. Indulgentia num.* 2. Molin. *tr.* 5. *de Just. L.* 11. *num.* 6. Barbos. *alleg.* 88. *num.* 1. & *l.* 1. *Jur. Eccl. cap.* 32. *num.* 91. & probabile esse asserit Pirh. *tit. de major. & obed. num.* 49. Rationem dant, quia concessio Indulgentiarum non est actus Ordinis, sed Jurisdictionis Episcopalis, neque ullus Canon extat, in quo hujus facultatis transmissio ad Capitulum vacante Sede prohibeatur. *Conf.* quia Indulgentiarum istarum carentia Diœcesanis subditis difficilis foret.

Sed meritò facultatem istam Capitulo negant Archidiac. *in c.* 1. *de pœnit. & remiss. n.* 6. Sot. *in* 4. *dist.* 21. *q.* 1. *art.* 4. §. *hinc fit*. Suar. *D.* 55. *de pœnit. num.* 5. Laym. *in c. cùm olim* 14. *de major. num.* 8. Fagnan. *in cap. illa* 2. *h. tit. n.* 14. Pirh. *tit. de majorit. & obed. n.* 49. Vviest. *hic n.* 44. *Ratio est*, quia Capitulum non succedit Episcopo in Jurisdictione, quæ specialiter conceditur ipsius Dignitati Episcopali, atqui ita ipsi conceditur facultas concedendi Indulgentias; ut colligitur ex *c. accidentibus* 12. *de Excess. Prælat.*

Unde corruit fundamentum opinionis contrariæ: cujus infirmitatem agnoscunt ipsimet Adversarii; nam etsi potestatem istam Capitulo adstruant, tutius tamen esse dicunt, si hoc alicui Episcopo committat facultatem nomine suo Indulgentias concedendi. Quarant. *Summ. Bullar. V. Capitulum Sed. vac. n.* 1. *q.* 12. *Ad Conf.* Carentia Indulgentiarum Episcopalium Sede vacante non debet esse difficilis Diœcesanis subditis; tum quia illis non diu carent; tum quia interea frui possunt liberaliter concessis à Papa, & Episcopis antecedentibus, quippe quæ horum morte non exspirant, ut cum aliis notat P. Vviest. *hic n.* 44. *cit.*

Dub. 5. an, Sede vacante, Capitulum cognoscere etiam possit de crimine Hæresis? Affirmant indistinctè Socin. *in c. ad abolendam* 9. *de Hæretic. n.* 44. & Zabarell. *in Clem.* 1. §. *duo de Hæretic. n.* 60. Sed melius distinguitur inter subditos Diœcesanos, & Exemptos: *De prioribus* concedendum est, quòd in illos procedere Capitulum, Sede vacante, possit ex crimine Hæresis; *de posterioribus* verò stricto Jure spectato, id negandum. Ita Abb. *in cap. ad abolendam cit. num.* 17. Joan. Andr. *ibid. num.* 15. Decian. *tr. crim. l.* 5. *c.* 21. *num.* 14. Petra *tom.* 3. *comment. fol.* 166. *n.* 14. Vviest. *hic num.* 10. *Ratio est*, quia ut sæpe dictum est, ad Capitulum Sede vacante sola potestas, & Jurisdictio ordinaria Episcopi, non verò delegata transit. atqui ex crimine Hæresis Episcopus potestate Ordinaria tantum procedit in subditos Diœcesanos, in Exemptos autem ex delegata, ut patet ex *cap. ad abolendam cit.* ibi, *A Lege Diœcesana Jurisdictionis exempti &c.* & confirmatur etiam ex eo, quia à sententia interlocutoria Episcopi lata contra Exemptos non ad Metropolitanum, sed ad Papam appellatur, quod non fieret, si potestas ista Episcopo competeret ex Jurisdictione ordinaria. Dixi *Stricto Jure spectato:* nam ut Petra *l. cit.* cum aliis monet, etiam quoad Exemptos hoc casu praxis stat pro Episcopo.

Dub. 6. an, & qualis Jurisdictio, Sede vacante, competat Capitulo Ecclesiæ Metropolitanæ? Lotter *de Benef. l.* 1. *q.* 9. *n.* 47. Marchett. *de Vicar. Capit. p.* 2. *tit.* 12. *num.* 16. putant ad illud transire solùm Jurisdictionem, quæ competit Archiepiscopo, ut Episcopo, non verò ut Archiepiscopo. Sed contrarium defendunt Card. de Luca *disc.* 19. *numer.* 6. *de Præbend.* Joann. Emerix *decis.* 731. & 764. *num.* 10. Petra *tom.* 1. *comment. fol.* 278. *num.* 38. juxta quos, Capitulum, Sede Archiepiscopali vacante, Archiepiscopo suo succedit in omnibus, præterquam in iis, quæ Jure speciali sunt prohibita, vel commissa personaliter Archiepiscopo: conf. Superioritatem habet in Ecclesias Suffraganeas, prout colligitur *Extrav. Salvator* 5. *de Præb.* ubi *vers. & quia* eximit Papa Ecclesiam Tholosanam ab omni Jurisdictione, & subjectione Archiepiscopi, & Capituli Ecclesiæ Narbonensis, & sic supponit Jurisdictionem Capituli in Ecclesias Suffraganeas. *Neque obstat*, quod non possit congregare Concilium Provinciale; quia hoc inde evenit, quòd Concilium Trid. id demandet Archiepiscopo, & eo non valente, Episcopo antiquiori. conf. est casus exceptus.

Dub. 7. an Capitulum, Sede vacante, debeat vocari ad Synodum Provincialem? Resp. affirmativè: potestque eo casu mittere Vicarium Generalem Capitularem cum speciali mandato. Quarant. *Summ. Bull. V. Concilium Provinciale n.* 3. *q.* 4. Et tunc Sede Episcopali vacante Capitulum habet votum Decisivum, quia repræsentat Episcopum, licèt Sede plena tantum habeat Consultivum. Petra *tom.* 1. *comment. fol.* 471. *n.* 35. & apud hunc Prosper de Augustinis, Piasecius. 47

Quæritur 4. quid Capitulum, Sede vacante, possit circa alienationem bonorum, & rerum Ecclesiæ? Resp. distingui debere inter bona, quæ servando servari possunt, & inter ea, quæ servando servari nequeunt, sed tempore interitura sunt. 48

Posteriora Capitulum, & ab hoc deputatus OEconomus ex justa causa, Sede vacante, alienare potest, neque opus est, ut interveniat authoritas Superioris. Abb. *in cap.* 1. *h. tit. num.* 7. Vivian. *ibid. vers. si tamen*, Fagn. *n.* 31. Pirh. *hic num.* 2. Engl *num.* 7. *not.* 6. Konig *num.* 13. Vviest. *n.* 36. & sumitur *arg. l. lex quæ* 22. *in fin. C. de adminstr. tutor.* ubi hujusmodi res pupillares distrahere, & alienare permittuntur Tutores. *Ratio est*, quia si tales res Sedis vacantis tempore non permitterentur distrahi, alienationis prohibitio, quæ in Ecclesiarum favorem est introducta, in earum dispendium detorqueretur contra *Reg. quod ob gratiam* 61. *in* 6.

De Bonis prioris Ordinis videlicet iis, quæ servando servari possunt, iterum est adhibenda distinctio, an ad Ecclesiam Cathedralem pertineant, an verò spectent ad Ecclesiam aliquam inferiorem, v. g. Regularem, vel Collegiatam subjectam Episcopo. *Si hoc secundum*, Capitulum seu Conventus, Sede inferiore, seu Prælatura vacante, una cum Episcopo, qui immediati Prælati vicem subit, præcedente tractatu, & causa cognita, alienationem facere potest, dummodo causa sit valde gravis, ob quam exspectari non possit, dum novus Prælatus constituatur; alioquin ordinariè exspectandum est. Abb. *in c. fin. h. tit. n.* 5. Laym. *l.* 1. *tr.* 4. *c.* 7. §. 4. *n.* 15. Engl *hic n.* 7. *not.* 6. *vers. item*, Pirh. *n.* 3. *ibid.* Konig. *n.* 8. cum aliis. 49

Si primum, Capitulum, Sede vacante, alienare illa regulariter non potest sine Apostolicæ Sedis authoritate, ut clarè satis colligitur ex *c. novit* 1. *h. tit.* & docet *ibid.* Abb. *n.* 7. Laym. *n.* 15. *cit.* Engl *n.* 7. *not.* 5. Pirh. *n.* 3. Konig. *n.* 8. Vviest. *n.* 37. *Ratio est*, quia cùm Judicium, cujus eventus dubius est, contra Ecclesiam vacantem non permittatur, ut *infra num.* 53. dicetur pluribus, multo magis prohibitam esse oportuit alienationem rerum, quæ sonat in malam partem, & reipsa videtur esse damnosa. *Proceditque hoc*, etsi talis Ecclesia vacans Administratorem habeat, nisi à Papa expressè ad hunc effectum sit datus; quia Administrator Ecclesiæ Cathedralis vacantis, generaliter solum, etiam cum plena, & libera potestate in Spiritualibus, & temporalibus constitutus, bona immobilia Ecclesiæ alienare non potest *c. is cui* 42. *de Elect. in* 6. quamvis alienatio mobilium, etiam pretiosarum, tali Administratori ex justa causa videatur esse concessa secundum Gloss. *ibid. V. immobilium*. 50

Idem dicendum est de Ecclesia exempta, & immediatè subjecta Romano Pontifici: cui etiam, si tempore, quo vacat videatur facienda alienatio aliqua bonorum illius, à Papa dandus est Curator, seu Defensor bonorum. Pirh. *n.* 3. cum aliis; à quo si alienatio aliqua facta sit, erit postea in arbitrio Electi positum, an velit contractus, & alienationes sic factas à Capitulo 51

tulo vel infirmare, vel si, in Ecclesiæ utilitatem cedere videantur, confirmare, prout colligitur ex *can. si quæ de rebus* 42. *causf.* 12. *q.* 2. Abb. *in cap.* 1. §. *tit. n.* 7. Laym. *l.* 1. *tr.* 4. *c.* 7. §. 4. *n.* 13.

52 Dixi autem, *Regulariter à Capitulo, Sede vacante, bona ejusmodi sine Apostolica authoritate alienari non posse;* excipitur enim casus urgentis valdè magnæ necessitatis, ita, ut neque alienatio differri ad futurum successorem, neque pro alienandi licentia ad Sedem Apostolicam recurri possit; tunc enim, præmisso tractatu, & cognita causa, alienatio ei permissa foret; quia necessitas licitum facit, quod alias de Jure non est permissum *arg. c. licet* 3. *de feriis*. Ob eandem causam valde magnæ necessitatis, aut evidentis utilitatis potest etiam Capitulum, Sede vacante, accipere mutuò pecunias, eoque nomine Ecclesiam obligare, licèt tali causa seclusa, istud non possit: & obligabitur eo casu Successor Episcopus, quippe cujus negotium utiliter gestum fuit. Gloss. *in c. cupientes* 16. §. *adhæc V. aliunde de Elect. in* 6.

53 Dub. 1. an Capitulum, Sede vacante, Judicium, sive Litem super Ecclesiæ bonis, & juribus inchoare, aut à Prælato defuncto ante obitum jam inchoatam sive agendo, sive respondendo prosequi possit? Resp. iterum hic distinguendum est, an Ecclesia vacans sit Cathedralis, an Cathedrali inferior, & Episcopo subjecta.

Si Cathedralis est, aut inferior quidem Cathedrali, sed Exempta, Capitulum, Sede vacante, litem super Ecclesiæ bonis, & Juribus nec inchoare, nec antea inchoatam prosequi potest, prout habetur *c. fin. h. tit.* ubi Honorius III. tanquam invalidas reprobat depositiones testium, quæ receptæ sunt, vacante, & legitimo Defensore destituta Ecclesia. *Ratio est*, quia Ecclesia fungitur vice, & gaudet jure Minoris *c. requisivit* 1. & *c. auditis* 3. *de in integr. restit.* sed Judicium, & sententia lata contra Minorem, Tutore, aut Curatore carentem, ac indefensum, non tenet *l. acta* 45. §. *fin.* & *l. contra pupillum* 54. *ff. de re Jud.* ergo &c. Et hinc, ut Judicium, & sententia lata contra Ecclesiam vacantem teneat, Visitatorem, aut Administratorem ad effectum agendi à Papa eidem dari necesse est *arg. cap. is cui* 42. *de Elect. in* 6. Abb. *in cap. fin. h. tit. num.* 5. Vivian. *ibid. vers. si tamen*, Barbos. *n.* 3. Pirh. *hic n.* 7. & 8. Vviest. *n.* 40.

54 *Si verò sit Ecclesia inferior Cathedrali, & subjecta Episcopo*, videndum est, an Ecclesia illa sit Collegiata, vel Conventualis, an non; nam *si hoc secundum*, ejusdem Jura & res, præsertim si diutius vacet, tueri Episcopus potest: & quia potestas ista Jure ordinario eidem competit, ab hoc transibit ad Capitulum, Sede vacante: quod proin etiam alienationes à tali Ecclesia faciendas approbare poterit, ut bene Pirh. *tit. de major. & obed. n.* 51. *Si primum*, ejusdem vacantis Jura, interveniente authoritate Episcopi, tanquam Superioris, & Prælati sui immediati, ipsum Capitulum, vel Conventus in Judicio agendo, & respondendo tueri poterit, si ita exigat necessitas aliqua, aut vacatio sit diu duratura; secus enim etiam in his Ecclesiis expectandum videtur, donec novus Prælatus eligatur, & confirmetur *arg. c. ne pro defectu* 41. *de Elect.* Abb. *in c. fin. h. tit. num.* 5. *in fin.* Engl *hic num.* 17. Pirh. *n.* 8. Vviest. *n.* 40.

55 Dub. 2. an de nullis Ecclesiæ Cathedralis vacantis Juribus, & rebus Judicium agitari possit? Resp. hic distinguendum esse, an agatur de Juribus, ac bonis propriis Episcopi, seu Prælati exempti, an de communibus Prælato, & Capitulo, an de iis, quæ propria sunt Capitulo, & divisa à Prælaturæ bonis, ita, ut Capitulum quoad illa administrationem separatam habeat.

Si hoc tertium, Capitulum super iis convenire, & conveniri per Procuratorem, vel Syndicum, Sede etiam vacante, potest, ut colligitur ex *c. cùm Ecclesia* 3. *de caus. possess. & propr.* & tradunt omnes. Imò tali casu non admittitur Prælatus ad agendum sine mandato, vel nisi de rato caveat. Engl. *hic n.* 14. Pirh. *n.* 8.

56 *Si primum, & secundum*, super iis Capitulum, Sede vacante, actionem, vel defensionem Judicialem suscipere non potest, per rationem *supra* allatam: quæ confirmatur etiam ex eo, quia jus agendi ad administrationem pertinet; administratio autem quoad bona propria Episcopo, vel Prælato, & illi cum Capitulo communia potius ad Prælatum, quam Capitulum pertinet. igitur dum Prælato, seu Defensore Ecclesia destituta est, Capitulum de iis bonis in Judicio non potest agere. Abb. *in cap. fin. h. tit. n.* 5. Engl *hic n.* 14. *cit.*

57 *Excipitur* casus magnæ, & notoriæ necessitatis; cum enim hac urgente, Capitulum, Sede vacante, rem Ecclesiæ immobilem alienare valeat, multò magis pro ea agere, vel respondere in Judicio potest. Gloss. *in c.* 21. *V. debeant de Rescript.* Talis necessitas foret, si testes in causa Ecclesiæ vacantis audiendi essent senes, aut valetudinarii, vel alio discessuri, nec reversuri, tunc enim illorum depositiones, etiam Sede vacante audiri deberent, ne quod in bonum Ecclesiarum est introductum, in damnum illarum cedat. Joan. Andr. *in c. fin. h. tit. n.* 2. Abb. *ibid. n.* 4. Pirh. *hic n.* 8. Konig *num.* 14.

Dub. 3. an Capitulum, Sede vacante, bona ad mensam Episcopalem pertinentia, ad suam, sive Capitularem Mensam transferre sine Sedis Apostolicæ authoritate possit? Resp. non posse; cujus ratio est jam supra assignata, quia Prælatura, seu Dignitas Episcopalis vacans legitimo Defensore caret; præcipuè autem, quia sic Capitulum in proprio facto, sive in commodum, & utilitatem propriam sibi authoritatem præstaret contra Reg. *c. fin. de Instit. l. pupillus* 5. *princ. ff. de author. tutor.* & præsertim *Clem.* 2. junct. Gloss. *V. mensæ de reb. Eccl. non alien.* & ibi Interprepp. aliique DD. juxta quos hujusmodi derivatio, & approbatio est omnino invalida. Idque verum est, tametsi quivis Capitularium etiam Juramento se obligasset, se staturum hac translatione, ubi ipse ad Cathedram vacantem electus fuerit. 58

Dub. 4. an Capitulum, Sede vacante, succedat etiam in Jurisdictione Feudali? Resp. distinguendo, an hujusmodi Feudum spectet ad solum Episcopum, an ad hunc, & Capitulum simul. *Si primum*, non succedit: conf. nec de controversiâ super re Feudali orta cognoscere, illamque definire, nec casu, quo id aperiatur, reinfeudare, seu novum Vasallum super tali Feudo investire potest *cap. verum* 7. junct. Gloss. *V. mota quæstio de for. compet.* & *ibidem* Joan. Andr. *n.* 9. Abb. *num.* 8. Pirh. *tit. de major. & obed. num.* 52. & ratio est, quia in iis, quæ Episcopo speciali & extraordinario Jure competunt, non succedit Capitulum. *Si secundum*, Capitulum, Sede vacante, de illo cognoscere, & infeudare potest, si ex consuetudine Feudum iterum conferri soleat *argum. cap. unic. h. tit. in* 6. Quod multo magis verum est, si Feudum spectet ad solum Capitulum. Rosenthal. *tr. de Feud. cap.* 4. *concl.* 26. *n.* 2. 59

TITULUS X.

De his, quæ fiunt à Prælato sine consensu Capituli.

SUMMARIUM.

1 *Ex iis, quæ geri à Prælato possunt, aliqua geri debent cum consensu Capituli, aliqua cum consilio ejusdem.*
2 *Cum consensu fieri debet Alienatio rerum Ecclesiasticarum.*
3 *Præsentatio, & Collatio Beneficiorum.*
4 *Unio Ecclesiæ, vel Beneficii vacantis.*
5 *Constitutio pensionis, aut certæ portionis fructuum in alia Ecclesia.*
6 *Secundum aliquos applicatio quinquagesimæ, aut centesimæ partis pro Ecclesia construenda, dotanda &c. quod reprobatur.*
7 *Processus contra aliquem, vel aliquos de Capitulo ad pœnam commissi delicti.*
8 *Conventio, quâ obligetur Ecclesia, & quodcumque aliud negotium, in quo præjudicium Ecclesiæ, vel Successoribus generari possit?*
9 *Actus, qui fieri debent cum consilio Capituli.*
10 *Casus excepti.*
11 *Inter quos etiam est Consuetudo.*
12 *An, cum de novo Monasterio erigendo agitur, Episcopus ad hoc opus habeat consensu Capituli, vel solo ejusdem Consilio.*
13 14 15 *Quid intersit inter Consilium, & Consensum?*
16 17 *An actus cum consilio alterius celebrandus, si hoc omittatur, sit ipso Jure nullus?*

SIcut Capitulum, Sede vacante, circa administrationem rerum Ecclesiæ multa non potest, ne præjudicet Ecclesiæ, vel Prælato futuro, ita, & Prælato soli plura non licent, ne ipse præjudicet Capitulo. Hinc ad pleraque alicujus momenti negotia, ut ea gerere Prælatus possit, SS. Canones voluerunt Capituli consilium, & aliquando etiam consensum accedere. Dubium *præsenti Titulo* examinandum triplex est. 1. ad quosnam actus requiratur consensus Capituli? 2. ad quos Consilium ejusdem? 3. quid intersit inter Consilium, & Consensum? Proinde.

2 Quæritur 1. quinam actus à Prælato exerceri deeant cum consensu Capituli? Resp. plures hujusmodi ctus à DD. passim enumerantur. Et 1. quidem talis ft *Alienatio rerum Ecclesiarum*; hæc enim, si fiat *ibsque collaudatione, & subscriptione Clericorum*. i. e. bsque consensu Canonicorum Cathedralis Ecclesiæ, rrita omnino est, ut dicitur *c. irrita 1. h. tit.* & communiter explicant *ibidem* DD. quæ tamen Constiutio ut locum habeat, tria hæc requiruntur. 1. ut ona, de quorum alienatione agitur, sint immobiia, vel mobilia pretiosa; nam res mobiles non præiosæ, & quæ servando servari nequeunt à Prælato ibere, & sine solemnitate alienari possunt, ut pluribus dicetur *infra Tit.* 13. 2. ut bona illa sint ipsius Ecclesiæ Cathedralis; nam ad alienationem bonorum Ecclesiæ inferioris existimant aliqui sufficere consenum Prælati, & Canonicorum illius Ecclesiæ, si est Collegiata, aut si Collegiata non est, Pastoris, seu Rectoris, nisi ipse Episcopus author alienationis foet: tunc enim juxta communem opus foret consenu Canonicorum Cathedralium: quod iterum examinabitur *Tit.* 13. *cit.* 3. ut Ecclesia, cujus Prælatus, el Rector alienationem intendit facere, habeat Caitulum, nam si tale non habeat, ejusdem Rector soius rem etiam immobilem ejusdem, exigente necessiate, aut suadente evidenti utilitate, cum Superioris ui consensu alienare potest: quæ omnia discutientur ufius *Tit.* 13. *cit.*

3 *Præsentatio, vel Collatio Beneficiorum Ecclesiasticoum*, prout habetur *c. ea noscitur 6. h. tit.* & notant *bid.* Alagona *princ.* Vivian. *in Ration.* Barbos. *n.* 5. Gonzal. *n.* 6. Vallens. *hic n.* 4. Zypæus *num.* 1. Zoes. *num.* 1. Engl *num.* 3. Pirh. *n.* 6. & 7. Schamb. *n.* 3. Vviest. *num.* 19. & alii passim. An verò consensus ste expressus esse debeat, vel sufficiat, si tacitus sit, nonnulli dubitant: Sed dubium istud ope distinctionis olvitur; Vel enim præsentatio, aut collatio communiter pertinet ad Prælatum, & Capitulum, vel ad soum Prælatum, ita tamen, ut facienda sit cum consensu Capituli. *Si hoc secundum*, sufficit consensus taitus, qui præsumitur, quando Capitulum scit præsenationem, vel collationem à Prælato fieri, & non ontradicit, cùm tamen actum posset impedire, aut e opponere. Gloss. *in c. ea noscitur cit. V. contradiunt*, Abb. *ibid. num.* 8. Pirh. *n.* 7. Schamb. *n.* 3. *Si rimum*, requiritur consensus expressus, ut rectè Sylv. *V. consensus qu.* 1. Abb. *l. cit. in fin.* Estque hoc ita erum, ut hujusmodi præsentatio, vel collatio sine Caituli, vel Conventus consensu facta sit ipso Jure irita, ut colligitur ex *cap. ea noscitur cit. Neque obtat*, quod Pontifex *cap. cit.* utatur verbis *Convenit evauari*, quæ videntur indicare talem præsentationem sse irritandam per sententiam; nam ut Barbos. *ibid.* .5. notat, explicanda sunt, quòd conveniat eas præentationes vacuas pronuntiari.

4 3 *Unio Ecclesiæ, vel Beneficii vacantis*; nam in hac, i fiat alicui Collegio, Monasterio, vel etiam Canoicatui, consensus Capituli est necessarius. *Proceditue hoc*, etiamsi Ecclesia talis, vel Monasterium habeat jus Patronatus in Ecclesia, vel Beneficio, de quo niendo agitur, prout sumitur ex *c. tuæ nuper 8. cap. astoralis 9. hoc tit. Clem. fin. de reb. Eccl. non alien.* Ratio indicatur *in cap. tuæ cit.* quia hujusmodi unio, ive perpetua concessio est quædam alienatio, cum per am Ecclesia alteri unita statum suum, & proprium Rectorem amittat, & hoc ipso, quòd vacatura nunuam sit, jura conferendi, & præsentandi eam spectana extinguantur, atqui ad alienationem, ut *n.* 2. dictum t, necessarius est Capituli consensus. ergo etiam reuiretur ad unionem. Imò moderno Jure Trid. *sess.* 24. *ap.* 13. *vers. In unionibus de reform.* ejusmodi uniones eneficiorum Curatorum Episcopus etiam de Capituli onsensu facere non amplius potest, sed necessarius est onsensus Papæ, nisi, ut limitant Barbos. *ad cap.* 13. *Trid. cit. num.* 10. & *seq.* P. Engl *hic num.* 3. Clariss. . Schmier *p.* 1. *de person. Eccl. c.* 4. *n.* 110. unio fiat ro fundatione, augmento, vel conservatione Colleiorum, & aliorum piorum locorum, ad Fidei Cathoicæ propagationem, & defensionem bonarumque arum Cultum. Multo minus potest Episcopus Beneficium aliquod unire Mensæ suæ, vel Capituli, qualecumque illud sit, sive simplex, sive curatum, etiam de onsensu Capituli. *Clem. fin. de reb. Eccl. non alien.* ne rem propriam sibi authoritatem præstet contra Reulam deductam ex *l. quanquam* 1. *princ. ff. de Auth. tor.* Clericar. *de Benef. discord.* 76. *n.* 22.

4 *Constitutio pensionis, aut certæ portionis fructuum alia Ecclesia*; hos enim Episcopus ab Ecclesiis Parochialibus separare, & Monasteriis; vel Religiosis conferre sine authoritate Papæ, vel saltem sine Capituli consensu nequit *c. pastoralis 9. h. tit. Ratio est*, quia etiam hujusmodi proventuum concessio, & à Parochiis ad Monasterium translatio quædam alienatio est, & ideo Capituli consensu indiget. Alagon. *in cap. pastoralis cit.* Vivian. *ibid. in ration.* Vvagn. *in Exeges.* Pirh. *hic num.* 9. Schamb. *n.* 3. Vviest. *n.* 22. *Proceditque hoc* 1. etsi talium Ecclesiarum Rectoribus, vel Vicariis relinquatur sustentatio congrua, prout constat ex *c. cit.* ibi *Sustentatione Vicarii reservata. procedit* 2. etsi Patronus Ecclesiæ in hujusmodi translationem consentiat *c. cit.* ibi *consentiente Patrono*; quia Patronus non potest statum Ecclesiæ mutare, aut res Ecclesiæ, cujus Patronus est, alienare, Vivian. Vvagn. *l. cit.* Barbos. *ibid. n.* 1. Honor. *hic num.* 15. *Dubium moveri potest*, an hoc casu consensus Capituli sufficiat, vel necessaria insuper sit authoritas Papæ? Videtur Consensus Capituli sufficere *arg. c. pastoralis cit.* per sensum contrarium; prohibet enim ibi Pontifex, ne Episcopi hujusmodi collationes faciant sine Capituli sui consensu. igitur videtur significare, quòd cum Capituli sui consensu id possit Episcopus. Sed clarus est textus *c. prohibemus 7. de Censib.* quo universaliter prohibetur, ne Ecclesiæ imponantur pensiones novæ, aut veteres augeantur: quod Capitulum cum sit Concilii generalis, videlicet Lateranensis, sub Alexandro III. decretum, sequitur in eo Episcopum dispensare non posse. *Hinc ad Rationem dubitandi* dicendum est, quod Argumento à sensu contrario non sit locus, quando aliud expressum Jure est, prout expressum est in casu nostro.

5 Quando Episcopus Quinquagesimam partem redituum, aliarumque rerum Ecclesiæ suæ impendere vult ad Ecclesiam de novo construendam, aut constructam dotandam, convertendam in Regularem &c. nam ut hoc possit, Gloss. *in can. bonæ 74. caus.* 12. *q.* 2. Vvagn. *in c. pastoralis 9. h. tit.* & alii quidam volunt opus esse consensu Capituli, & indicari videtur *can. si Episcopus 73. caus. & quæst. cit.* ibi *de Consensu Concilii sui habeat licentiam faciendi*. Sed meliùs defenditur negativa, pro qua etiam stant Abb. *in c. pastoralis cit. n.* 4. Alagon. *ibid.* Vivian. *ration. in fin.* Fagn. *n.* 6. & *seqq.* Vallens. *num.* 1. *hic*, Honor. *n.* 5. Pirh. *num.* 10. *not.* 4. Vviest. *n.* 24. & colligitur ex *c. pastoralis cit.* nam ibi Pontifex facit Regulam, ut Episcopus, nisi de licentia Romani Pontificis, præter Capituli sui voluntatem, non possit Religiosis de novo conferre aliquam portionem, & ab hac Regula excipit donationem quinquagesimæ, vel centesimæ, secundùm Canonicam Constitutionem applicandam Ecclesiæ de novo construendæ, vel constructæ dotandæ. igitur hanc sine Capituli consensu dare Episcopus poterit. *Conf.* quia Ecclesiæ constructæ dotatio necessaria est ex præcepto Juris, quo ad eam dotandam obligatur, qui Ecclesiam, vel Monasterium construit *can. piæ 26. caus.* 16. *q.* 7. *can. nemo 9. dist.* 1. *de consecr. c. cum sicut 8. de consecr. Eccl. vel Altar.* atqui alienatio rerum Ecclesiæ, quæ Jure præcipiente fit, solemnitates alias requisitas non exigit, conf. neque consensum Capituli. Poterit ergo Episcopus liberè in hoc procedere: idque verum est, etiamsi Juramentum de non alienando præstitisset; quia Juramentum hoc sortitur naturam & conditiones actus, cui adjicitur. *Ad can. si Episcopus* allegatum pro parte contraria dicendum, ibi duntaxat sermonem esse de Ecclesia Parochiali convertenda in Regularem, non verò de quinquagesima, vel centesima separanda in usus prædictos. 6

6 Quando contra aliquem, vel aliquos de Capitulo est procedendum ad pœnam commissi delicti; hoc enim casu à Trid. *sess.* 35. *c.* 6. *de reform.* constitutum est, ut in Ecclesiis Cathedralibus, vel Collegiatis, si ab Ordinaria Episcopi Jurisdictione exemptæ sint, Capitulum initio cujusque anni eligat ex Capitulo duos, de quorum consilio, & assensu Episcopus, vel ejus Vicarius procedere teneatur, ita tamen, ut utriusque Capitularis votum pro uno tantum habeatur, & alterum sit ipsius Episcopi. Quodsi uterque ab Episcopo dissenserit, tertius eligatur, & juxta eam partem, cum qua iste tertius convenerit, discordia terminetur. Zypæus *in analys. hic n.* 2. Vallens. *n.* 5. Engl *n.* 4. Dixi, *Si ab ordinaria Episcopi Jurisdictione exemptæ sint*; nam in aliis non exemptis Episcopus potest authoritate propria contra singulares de Capitulo cum consilio aliorum procedere. Honor. *hic in fin.* Engl *l. cit.* & ratio est, quia non reperitur textus, qui in processu contra aliquos de Capitulo consensum reliquorum exigat. Addidi *contra aliquem, vel aliquos*; nam si totum Capitulum deliquisset, contra illud, sive jam 7

exem-

exemptum id sit, sive non exemptum, potest tunc Episcopus procedere sine adjunctis Capitularibus, ut decisum est à *S. Congr.* teste Barbos. *ad c. 6. Trid. cit. Excipitur*, nisi delictum esset in personam Episcopi, vel contemptus ejus, vel ubi Episcopus habet interesse; tunc enim ex eadem Cardd. decisione facultas procedendi contra Capitulum ad Superiorem devolveretur. Engl *n. 5. in fin.*

8 7 Quando Prælatus sive per contractum mutui, sive per aliam conventionem intendit obligare suam Ecclesiam; hæc enim, nisi major pars Capituli consentiat, obligari nequit *c. quod quibusdam* 4. *de Fidejussor. c. si quorundam* 2. *de solution.* & decidit *Rot. Recent. p.* 14. *decis.* 42. *per tot.* teste R. P. Schmier *p. 1. de Person. Eccl. cap.* 4. *num.* 112.

8 Quando versatur commodum, & emolumentum Capituli qua talis, veluti si agatur de augendo, vel supprimendo numero Canonicatuum, de susceptione Canonicorum, vel Religiosorum &c. *c. cum accessissent* 8. *de Constit. c. cùm in Ecclesiis* 33. *de Præb. in* 6. Vall. *hic n.* 4. Engl *num* 3. *vers. tertiò quando arg. c. fin. h. tit.* & facit huc *Regula* 29. *in* 6. *Quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari.*

9 Denique in omnibus negotiis, in quibus Ecclesiæ, & Successoribus notabile præjudicium generari potest: quæque ad Prælatum, & Capitulum simul spectant, Abb. *in c.* 4. *h. tit. num.* 7. Vvagn. *in c.* 5. *ibid. not.* 3. Laym. *l.* 1. *tr.* 4. *cap.* 7. *num.* 9. Vvex *Ariadn. p.* 5. *tr.* 3. *cap.* 5. §. 2. 14. Eyp. *in Analys. hic n.* 1. Vall. *n.* 4. Pirh. *n.* 16. Vviest. *n.* 23.

9 Quæritur 2. quinam actus fieri debeant cum consilio Capituli? Resp. istos recensent Host. *in Summ.* §. *in quibus consilium h. tit.* Honor. *hic num.* 4. Zoes. *n.* 2. P. Konig *n.* 6. P. Schmier *p.* 1. *c.* 4. *n.* 132. *& seq.* Et hos inter consilium Capituli de Jure necessarium est: 1. in condendis statutis *cap. quanto* 5. *h. tit.* 2. institutione, & Destitutione Clericorum *cap. novit.* 4. *eod.* 3. in corrigendis, & puniendis eorundem defectibus *c. quanto cit.* 4. in rerum Ecclesiasticarum administratione extra alienationem *c. novit*, & *quanto citt.* 5. in dando consensu ad alienationem rerum pertinentium ad Ecclesiam aliquam inferiorem per textus *citt.* 6. in convocanda Synodo; quia in hoc consilium Capituli de forma requiritur. Monacell. *p.* 1. *formul. Legal. tit.* 5. *n.* 10. & hoc teste non semel declaravit S. Congreg. Concil. præsertim *in S. Marci Synodi* 10. *Maji* 1666. *in Rovensi Synodi* 1680. 7. in cæteris alicujus momenti negotiis, ut habetur ex iisdem textibus, ubi si quid ejusmodi fiat, non requisito consilio Capituli, ubi deberet, declaratum est esse irritum, tanquam factum contra SS. Canones. Laym. *l.* 1. *tr.* 4. *c.* 7. *n.* 9. Ratio datur *cap. novit. cit.* quia Episcopus cum Canonicis suis unum efficit corpus, cujus ipse est caput, & illi membra: & ideo non decet, ut Prælatus, omissis membris, aliorum consilio in tractandis negotiis Ecclesiæ utatur, cum id honestati, & SS. Patrum Constitutionibus sit contrarium.

10 Dub. 1. in quibus casibus Episcopus negotia tractare possit sine Capituli consilio? Resp. 1. si hoc suadeat justa, & rationabilis causa, ut si agatur de controversia orta inter Episcopum, & consanguineos Canonicorum Capitularium; quia tunc periculum esset, ne isti consanguineis suis secreta revelent. Host. §. *in quibus consilium cit. fin.* Abb. *in c.* 4. *h. tit. n.* 6. Vvagn. *in cap.* 5. *eod. not.* 2. Passerin. *in cap. un. Ne Sed. vac. in* 6. *n.* 43. Pirh. *hic n.* 15. Schamb. *n.* 5. 2. Si belli, vel contagionis metu Capitulares omnes diffugerunt, & actus, circa quem interrogandi essent, differri non posset; quia ubi Consiliarius absens est, ejusque præsentia in brevi haberi non potest, lex obligans ad petendum alicujus consensum, vel consilium non obligat. Passerin. *l. cit. n.* 43. 3. Si sint negotia exigua, & minoris momenti; quia horum tractatio provenit ex administratione, & cura generali Ecclesiæ, quæ principaliter ad solum Prælatum spectat; essetque nimis difficile interrogare quoad omnia. Abb. Vvagn. *l. cit.* 4. In causis notoriis, & quando manifestum est, quid sit agendum; nam tunc etiam inquisitione, & consultatione opus non est. Abb. *num.* 7. *in fin.* Passerin. *num.* 44. 5. in iis, quæ Episcopus agit Jure, & potestate ad se devoluta, v. g. ob negligentiam, aut delictum Prælati inferioris; tunc enim non ex necessitate, sed ex honestate solum, & æquitate est Capituli consilium petere, ut tradit Gloss. *in cap. ne pro defectu* 41. *V. consilio de elect.* Laym. *in cap.* 7. §. *fin. eod. n.* 6. Pirh. *hic n.* 15. *in fin.* quia ad Prælatum solum devolvitur ea potestas, & non ad Capitulum.

11 Dub. 2. an consuetudine induci possit, ut Episcopus, vel alius Prælatus negotia Ecclesiæ tractet, & Jurisdictionem exerceat, non requisito consilio, vel consensu Capituli? *Ratio dubitandi* sumitur ex *c. novit.* 4. *h. tit.* ubi dicitur id esse honestati contrarium. Sed respondendum est affirmativè. Ita Abb. *in cap. ea noscitur*, 6. *h. tit. n.* 6. Host. *in Summ.* §. *in quibus requiratur h. tit.* Stephan. Gratian. *Discept. for. c.* 100. *num.* 66. Passerin. *in cap. non est* 3. *de consuet. in* 6. *num.* 8. Barbos. *in cap.* 1. *h. tit. num.* 5. Vvagn. *in capit.* 5. *eod. not.* 1. Engl *hic num.* 5. Pirh. *numer.* 15. Schamb. *n.* 4. Konig *num.* 3. Vviestner *num.* 26. Sumitur ex *c. ea noscitur*, & *c. non est citt.* patetque ex praxi; nam passim Episcopi negotia Ecclesiæ suæ, etiam aliquando ardua, ut est destitutio majorum Clericorum, & Prælatorum, peragunt sine Capitulo, ut observat Zetola *prax. Episc. p.* 1. *V. Capitulum n.* 8. De tempore, quantum illud esse debeat ad introducendam consuetudinem hanc, controversia est apud DD. Honorius *hic num.* 11. putat non requiri certi temporis lapsum, sed sufficere frequentatos actus. Sed melius distinguitur cum P. Engl. *num.* 5. *hic*, inter casum, quo dubitatur, an in actu aliquo specifico consensus requiratur, vel consilium, & inter casum, quo id Jure decisum est: *in primo casu* concedi potest, sufficere frequentatos actus, quia est consuetudo Legis interpretativa; *in secundo* negatur, sed eo casu concurrere debebunt illa, quæ alias de consuetudine contra Legem introducendam requiruntur. *Ad rationem dubitandi* consuetudo hujusmodi contraria honestati tum solùm est, quando Ecclesiæ damnosa, & sine justa, ac rationabili causa inducta est.

Dub. 1. an, cùm de novo Monasterio erigendo agitur, Episcopus ad hoc opus habeat consensu Capituli, vel solo ejusdem consilio? Resp. sufficere, si adhibeat illius consilium; consequenter cum ut *infra n. seq.* dicetur, necesse non sit consilium sequi, valebit consensus Episcopi pro novo Monasterio erigendo datus, si de hoc cum Capitulo suo deliberavit, etiamsi hoc contradixerit, & adversus hanc erectionem sit protestatum. Ita Clarissim. P. Schmier *p.* 1. *de Person. Eccl. c.* 4. *n.* 138. *& seq. Ratio est*, quia, ut pro Regula tradit Engl *hic princ.* Vvex *Ariad. p.* 5. *tr.* 3. *cap.* 5. §. 2. *n.* 14. & hoc teste declaratum est à *à S. Congr.* consensus Capituli Episcopo solum necessarius est, quando id expressum est Jure, in cæteris autem, in quibus Jura consensum nominatim non exigunt, si res gravis, & majoris momenti sit, consilium sufficit. Atqui, ut Gonz. *in cap. Apostolicæ* 9. *de donat. num.* 4. *prope fin.* advertit, nuspiam in Jure reperitur expressum, quòd ad novi Monasterii erectionem necessarius sit consensus Capituli. Ergo &c. Neque obstat *can. si Episcopus* 73. *caus.* 12. *q.* 2. ibi *de consensu Concilii sui habeat licentiam faciendi*; nam ut *supra n.* 6. dixi, Canon iste solùm loquitur de Ecclesia Parochiali convertenda in Regularem: quæ conversio cum alienatio quædam sit, mirum non est ad eam requiri consensum Capituli.

Quæritur 3. quid intersit, an Capituli consilium dumtaxat exigatur, an verò ejusdem consensus? Pasqualigus *Controv. int. Episc. & Regular. p.* 1. *q.* 22. *n.* 408. existimat nihil interesse, & propterea sive consilium, sive consensum Prælatus exquirere debeat, utroque standum. *Rationem* dat, quia Jura præscribunt, ut Episcopus procedat in talibus casibus cum consilio Capituli. Atqui si consilium sibi à Capitulo datum non sequitur, non procedit cum, sed contra illius consilium. Ergo &c. Addit, quia si sequi consilium Capituli non teneretur, frustra hoc peteretur.

Sed latum inter utrumque discrimen est; nam qui facere aliquid debet cum alterius consensu, non tantum hunc requirere, sed etiam sequi debet. At verò, qui præcisè aliquid agere debet cum consilio alterius, debet quidem illud exquirere, & debito tempore exspectare, regulariter tamen necessario illud sequi non tenetur. Ita Gloss. *in c. cum consuetudinis* 9. *V. consensu de consuet.* Host. *in Summ.* §. *in quibus consilium vers. sed quæ est differentia. h. tit.* Vivian. *in c.* 4. *eod.* Vvagn. *in c.* 5. *not.* 2. Gonzal. *in c. cum in veteri* 52. *de Elect. n.* 8. Passerin. *in c. un. Ne Sed. vac. in* 6. *n.* 45. Vvex *Ariadn. p.* 5. *tr.* 3. *c.* 5. §. 2. *n.* 14. Honor. *hic n.* 12. Zoes. *n.* 2. Pirh. *n.* 18. Schamb. *n.* 6. Engl *n.* 1. Vviest. *n.* 27. & sumitur ex *c. cum in veteri cit. c. cum olim* 7. *de Arbitr.* & *cap. in Ecclesiis* 1. *de Capell. Monach. Ratio est*, quia talis est natura consilii, ut nullam inferat necessitatem ea, quæ consilio suggesta sunt, exequendi juxta textus *can. fin. caus.* 14. *q.* 1. & *l. mandatum* 2. §. *fin. ff. mandati:* & hinc præcepto Juris, jubentis procedere cum consilio alterius, vel aliorum, satisfactum censebitur sola petitione consilii, & exspectatione responsi congruo tempore.

4 Dixi autem *regulariter*; nam plures casus enumerat Passerin. *in c. un. cit. n.* 46. in quibus Lex, aut mandatum obligans ad petendum consilium, etiam obligat ad illud sequendum. 1. Si in Lege, vel Mandato fuit expressum: at expressum censetur, si dicatur, ut aliquid fiat *secundùm consilium*, vel *juxta consilium alterius*. 2. Quando is, à quo peti consilium debet, non deputatur merè ut consultor, sed ut Collega officii, ut cùm Judex est, vel in alio officio ita particeps, ut nullus in solidum possit agere. 3. Quando ex subjecta materia colligitur, mentem imponentis obligationem ad petendum consilium esse, ut consilium non solùm petatur, sed etiam secundùm illud sit operandum. 4. Si ex aliquo alio Jure sit necessarius consensus ejus, à quo peti consilium debet, ut si mandato providetur alicui de Beneficio, adhibito consilio patroni. 5. Si consilium petendum sit ab eo, à cujus potestate principaliter pendet actum fieri, vel non fieri. 6. Quando consilium petendum est ab eo, de cujus potestatis præjudicio agitur, si fiat actus, ut dum Clericus prohibetur prorogare Jurisdictionem alterius Judicis sine consilio sui Episcopi; nam ibi consilium pro consensu accipitur, quia aliter protogatio cederet in præjudicium Episcopi. 7. Quando consilium petendum est ab aliquo non præcisè, ut consiliario, sed ut præbente authoritatem actui.

5 Neque contrarium probat Argumentum Pasqualigi; dicendum enim aliud esse debere procedere *cum consilio*, aliud *juxta*, vel *secundum consilium*; nam cum consilio procedit, qui illud adhibet, licèt id non sequatur. *Ad Conf.* non frustra exigitur consilium Capituli, etsi Prælatus id non teneatur sequi; cùm enim plus videant oculi, quàm oculus, & magis integrum sit præjudicium, quod plurium interventu perficitur *cap. prudentiam* 21. *princ. in fin. de Offic. deleg.* ea inde exsurget utilitas, ut Prælatus consulentium rationibus instructus, cautiùs, & utilius, & cum majori efficacia suscipiat, geratque negotium. Et hinc etiam Pontifex negotia, & res graviores tractat cum consilio Cardinalium suorum, licèt quod isti suaserint, tanquam suprema in terris potestas, sequi non teneatur.

6 *Dubitatur*, an quando ex Lege, vel mandato imponitur alicui obligatio ad agendum cum consilio alterius, actus factus non requisito consilio sit semper nullus? Resp. negativè. Patet in casu, quo Ordinario, habenti aliunde Jurisdictionem, & potestatem ad agendum, præcipitur, ut agat aliquid de consilio alterius; nam tunc nisi addatur Decretum irritans factum sine consilio, mandatum Superioris censetur duntaxat datum ad excitandum Ordinarium, non verò ad impediendam, vel diminuendam ejus potestatem, aut Jurisdictionem, & talis Ordinarius censetur agere ex jure suo, & potestate, quam habebat, unde licet tunc puniri possit propter inobedientiam, actus tamen factus non requisito consilio erit validus. Passerin. *in c. un. Ne Sed. vac. in* 6. *n.* 49. & alii apud ipsum.

7 Porro irritus ipso Jure erit actus aliquis, non requisito consilio, quod requiri debebat, celebratus in sequentibus casibus, quos enumerat Passerin. *l. cit. n.* 47. 1. Si requisitio consilii sit conditio, sine qua non actus subsistat. 2. Si in dispositione sit additum Decretum irritans actum casu, quo non requiratur consilium. 3. In commissione delegata, in qua sine dubio mandati forma servari debet. 4. Quotiescumque ab initio datur potestas etiam ordinaria cum obligatione petendi consilium. 5. Si casu, quo ordinarius non adhibito consilio, quod adhibere debuit, procedat ad actum, consiliario, vel alteri potestas detur, ut ipse actum commissum perficiat. 6. In omni casu, in quo consilium includit consiliarii consensum, & sic utrumque injungitur, ut actus non fiat sine consilio, & consensu alicujus.

TITULUS XI.

De his, quæ fiunt à majore parte Capituli.

SUMMARIUM.

1 *Quid sit Capitulum?*
2 *Quotuplex?*
3 4 5 *Quinam pertineant ad Capitulum?*
6 7 *An omnes Canonici in Ecclesiis Cathedralibus, vel Collegiatis, & omnes Professi in Monasteriis?*
8 9 10 *An casu, quo certa ætas est constituta, debeat illa esse completa?*
11 *Quis convocare Capitulum debeat?*
12 *Quando convocari, & in quo loco convenire?*
13 *Utrum vocandi omnes?*
14 *In quibus casibus absentes?*
15 16 *Quàm necessaria sit eorum, qui Capitulo interesse possunt, præsentia.*
17 *Quid si Statutum extet, quo jubentur vocari omnes, cum clausula, quòd aliter tractata futura sint irrita?*
18 *Quid sentiendum de talis statuti valore?*
19 *Quot Canonicorum consensus esse debeat, ut sit legitimus?*
20 *Quænam censeatur esse pars major?*
21 *Quæ sanior?*
22 *Casus, in quibus Suffragia majoris partis non sufficiunt.*
23 *Cum negotium tractatur à Capitulo, ad minùs duæ partes adesse debent.*
24 *Casu, quo numerus Suffragiorum est impar, ad actum Capitularem sufficit consensus partis dimidiæ tantùm voce minoris.*
25 *Etiam casu, quo unum Votum supra medietatem expressè requiritur.*
26 *Prælatus, vel Episcopus, nisi simul sit Canonicus, non potest assensu suo Vota majora facere.*
27 28 *Ut majora dicantur pro aliqua parte esse, connumerari etiam debent contempti.*
29 *Quæ sit vis majoris partis in actibus Capitularibus?*
30 *Quando pars minor contradicere Decreta partis majoris possit?*
31 *Quomodo debeat contradicere, expressè, an tacitè?*
32 *An etiam possit appellare?*
33 *An necesse sit appellare?*
34 35 36 37 *An pars major Capituli decernere aliquid in præjudicium partis minoris valeat?*

Dictum est *Tit. præc.* quòd pleraque alicujus momenti negotia tractari à Prælato debeant cum consilio, & aliquando etiam consensu Capituli: Dubitari adhuc poterat, quorumnam consensus, vel consilium exquiri debeat, & quot sentire oporteat, ut dici possit Capitulum consensisse: quod ipsum præstatur hoc Titulo.

Quæritur 1. quid sit *Capitulum*? Resp. *Capituli* nomine intelligitur *congregata universitas, sive Collegium Clericorum, qui sub uno Prælato, ut membra sub uno capite, degunt; & cum eo unum corpus constituunt*. Ita Gonzal. *in cap.* 1. *h. tit. n.* 4. & quoad rem passim DD. reliqui. Substantialia Capituli sunt, 1. Ut constituatur ex pluribus personis; debet enim esse Universitas, ad quam constituendam ad minimum tres personæ consociari debent *l. Neratius* 85. *ff. de V. S.* Ut personæ istæ sint Ecclesiasticæ; quia hactenus per Capitulum non quælibet Communitas, aut Universitas, sed Ecclesiastica solum designata fuit, saltem in Jure Canonico. 3. Ut personæ istæ unum corpus cum Prælato suo constituant: & hinc oportet, ut leges, res, & jura communia habeant; aliàs magis *singularitas*, quàm *Communitas* appellabitur. 4. Ut habeant arcam, seu Ærarium, & Cassam communem, ad communes necessitates paratam. 5. Commune Sigillum, quo negotia, & acta Capituli qua talis expediantur. 6. Actorem communem, seu Syndicum, per quem jura, & res Capituli gerantur, & defendantur. Gonzal. *l. cit. n.* 4. Clariss. P. Schmier *p.* 1. *de person. Eccl. c.* 4. *à n.* 1. 1

Dub. 1. Quotuplex sit Capitulum? Resp. Capitulum 2
dividitur in Sæculare, & Regulare. *Sæculare est*, quod constituitur ex Clericis Sæcularibus; *Regulare*, quod ex Regularibus. Prius subdividitur in Cathedrale, & Collegiale. *Cathedrale* est, quod in Ecclesia Cathedrali, *Collegiale*, quod in Collegiata, & Cathedrali inferiore est constitutum. Si Ecclesia Cathedralis sit Metropolis, Capitulum illius *Metropolitanum* dicitur. Convenit autem Capitulum Regulare cum Sæculari in omnibus ferè, quæ de potestate, & jure Capituli tum Sede vacante, tum Prælato vivente à SS. Canonibus traduntur. Disconvenit in eo, quòd Capitulum Sæculare ordinariè habeat bona ab Episcopo, vel Præposito distincta, cùm tamen Capitulum regulare propter Votum Paupertatis, quo tam Religiosi privati, quàm Superiores eorum ligantur, omnia bona cum Prælato suo Regulari communia habeat.

Dub. 2. quinam pertineant ad Capitulum? Resp. 3
ad Capitulum Sæculare pertinent soli Canonici, ad Regulare soli Professi. Adeoque 1. à Capitulo Regulari excluduntur *Novitii*, à Sæculari *Clerici Portionarii*, & cæteri Beneficiati in eadem Ecclesia, nisi vocem in Capitulo obtinuerint speciali Statuto, vel consuetudine, quæ tamen ipsa strictè interpretanda erit, & quoad eos duntaxat actus, pro quibus consuetudo est introducta. Abb. *in c.* 1. *n.* 11. *de Elect.* Pignatell. *tom.* 9. *consf.* 86. *n.* 3.

Van Espen *J. E. U. p.* 1. *tit.* 7. *c.* 5. *num.* 3. Jacob. Emerix *dec.* 491. *n.* 1. Clericat. *de Benef. discord.* 14. *n.* 6. Pirh. *hic n.* 1. Vviest. *n.* 2.

4 2 *Dignitates*, quarum possessores non sunt simul Canonici; nisi enim ex earum fundatione, seu erectione expressè, aut ex antiqua consuetudine secus obtineat, de Jure communi non habent vocem, aut Sedem in Capitulo. Van-Espen *c.* 5. *cit. n.* 4. Vincent. Petra *tom.* 1. *comment. fol.* 54. *n.* 9. *Excipitur* Decanus; nam hic, licèt Præbenda Canonicali careat, nec specialem Canonicatum obtineat, Capituli tamen nomine continetur: prout sumitur ex *c. post electionem* 7. *de concess. Præbend.* ubi licèt Decani in litteris ad Capitulum directis mentio non sit facta, is tamen comprehensus censetur, & ratio est, quia Decanus est Caput Canonicorum, eorumque curam gerere debet, Capitulo intervenire, eique præsidere consuevit, nisi forsan, quando de rebus temporalibus, seu Præbendis, in quibus non participat, tractetur. Gloss. *in c. post electionem cit. V. mentio*, Abb. *ibid. n.* 8. Pirh. *de major. & obed. n.* 41. Honor. *hic n.* 5. Van-Espen *l. cit. n.* 5. Petra *fol.* 54. *cit. n.* 10. & hoc teste resolvit *Sac. Congr. Conc.* 31. *Jan.* 1688. & 14. *Maji* 1689.

5 3 *Episcopus*, vel *Prælatus*. Abb. *in c. post electionem cit. n.* 9. Barbos. *ib. n.* 3. Pignat. *tom.* 5. *cons.* 24. *n.* 1. Petra *tom.* 1. *fol.* 54. *n.* 9. & 11. Honor. *hic n.* 4. P. Pirh. *n.* 1. P. Konig. *n.* 2. P. Vviest. *n.* 2. P. Reiffenstuel *n.* 5. P. Schmier *p.* 1. *de person. Eccl. c.* 4. *n.* 24. & *seqq.* Patet ex Rubrica Tit. præc. *De his, quæ fiunt a Prælato sine consensu Capituli*: ubi Prælatus à Capitulo distinctus ponitur; & ratio est, quia Prælatus tanquam caput, & Capitulum tanquam membra unum corpus efficiunt; caput autem distinguitur à membris reliquis. Ergo &c.

6 Dub. 3. an omnes Canonici in Ecclesiis Cathedralibus, vel Collegiatis, & omnes Religiosi in Monasteriis ad Capitulum pertineant? Resp. hic distinguendum est inter Jus antiquum, & novum. Jure antiquiori, Capitulum constituerunt, sive Vocem activam, & Suffragium habebant omnes Canonici in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis, & omnes Professi in Monasteriis Religiosorum *can. fin. caus.* 16. *q.* 7. *can. Abbatem* 3. &c. *caus.* 18. *q.* 2. *c. nullus* 1. *de Elect.* Hodierno tamen Jure communi vox activa, sive jus ferendi Suffragii in Capitulo iis dumtaxat Canonicis, & Professis competit, qui in Majoribus sunt constituti, juxta *Clem.* 2. *de ætat. & qualit.* & Trident. *sess.* 22. *cap.* 4. *de reform.* cujus Decreti ratio fuit, ut sic Clerici ad SS. Ordines suscipiendos excitarentur, & caveretur, ne, postquam Ecclesiasticis proventibus se ditassent, retrocederent, & statui Clericali valedicerent. Vivian. *in Clem. cit.* Pignatell. *tom.* 8. *cons.* 115. *numer.* 1. Van-Espen *part.* 1. *tit.* 7. *cap.* 5. *num.* 7. Engl *hic numer.* 6. Konig. *num.* 4. Vviestner *num.* 3. Sufficit autem, spectato Jure communi, si talis Canonicus, vel Religiosus sit constitutus in Ordine Subdiaconatus, ut habetur *in Clem.* & *Trid. cit.*

7 Dixi *Hodierno Jure communi*, intellige, nisi Privilegio, Statuto speciali, aut Consuetudine aliud obtentum sit; nam in aliquibus Ecclesiis Sæcularibus, & Religiosorum Familiis ad Capitulum admittuntur soli Patres, seu Sacerdotes, ut notat Donat. *tom.* 2. *prax. Regul. p.* 1. *tr.* 2. *q.* 8. In aliis requiritur certa ætas, vel anni à possessione Canonicatus apprehensa, vel Ordine Sacro suscepto. In quibusdam respectus fit ad negotia, & ad ordinaria quidem tractanda vocantur ii tantùm, qui in majore aliquo Ordine constituti sunt, ad ea verò, quæ magni sunt momenti, convocandi sunt etiam Professi Juniores. Hinc mos singularum Communitatum, & specialia earum Statuta attendi debent. *Neque obstat* Clem. & Trid. *citt.* ubi iis, qui Subdiaconatum non habent, vox in Capitulo generaliter adimitur, non obstantibus quibuslibet consuetudinibus, & Statutis; nam ut Zypœus *in Analys. h. tit. n.* 2. Engl *hic n.* 7. Konig *n.* 4. advertunt, & declaratum est *à S. Congr. Concil.* Patres istius Synodi non voluerunt immutare Statuta Religiosorum Ordinum à Fundatoribus condita, & à Sede Apostolica approbata. Hinc, *citt.* Trid. Decretum, & *Clem.* intelligi solùm debent de Ecclesiis Regularibus, in quibus à Fundatoribus nihil constitutum, aut perpetua, & immemoriali consuetudine receptum est.

8 Dub. 4. an casu, quo in aliqua Ecclesia statuto vel consuetudine receptum est, ut qui vocem in Capitulo habent, sint ætatis 24. annorum, admissionem ad illud petere possit ille, qui annum vigesimum quartum non implevit? Resp. hic attendendum esse, quæ sit observantia talis Statuti; nam hujus optimus interpres est usus *c. cùm dilectus* 8. *de consuetud.*

Difficultas est, quid tenendum, seclusa speciali observantia? Affirmativa videtur suaderi. 1. Quia Statutum tale, quo pro admissione ad Capitulum requiritur annus vigesimus quartus, est ultra Jus commune; nam per hoc sufficit ætas, quæ ad Subdiaconatum suscipiendum sufficit. Atqui Statuta à Jure communi deviantia in dubio sic accipi debent, ut à communi Jure, quantum fieri potest, recedant, minimùm *arg. cap. cùm expediat* 29. *de Elect. in* 6. & *l. præcipimus* 32. §. *fin. C. de Appellat.* minùs autem receditur, si annus 24. inchoatus sufficiat, quàm si requiratur completus. ergo &c. 2. Quia in dubio melior est conditio possessoris antiquioris, quàm junioris. Atqui Canonicus, qui annum 24. ætatis inchoavit, est in possessione antiquiore Juris ad accessoriam Canonicatui suo Præbendam, & alia Jura Capitularia præ illis, qui post ipsum recepti sunt. Igitur in hoc dubio casu præferri his debet. 3. Quia in cæteris casibus, ubi de favore tractatur, annus cœptus habetur pro completo, prout Fænut. *de momen. temp. c. ult. in fin.* Surd. *dec.* 178. & Antonell. *l.* 4. *de temp. legal. c.* 1. *n.* 19. advertunt.

Sed dicendum cum P. Vviest. *hic n.* 8. spectato Jure 9
communi, & seclusa speciali observantia talis Statuti, talem Canonicum, antequam 24. ætatis annum impleverit, admissionem ad Capitulum Jure suo non posse petere, ex sequentibus rationibus. 1. Quia talis Canonicus admissionem ad Capitulum Jure non potest petere, nisi quando verum est, quòd sit 24. annorum. Atqui hoc verum non est, quamdiu 24. ætatis annum nondum implevit; tamdiu enim est adhuc minor 24. annis. 2. Esse 24. annorum, & non esse minorem 24. annis sunt duæ phrases Synonimæ, igitur quod ad unum verificandum requiritur, requiritur etiam ad verificandum alterum. Atqui ut verum sit, quòd aliquis non sit minor 24. annis, requiritur, ut ille annus sit completus; nam propterea, ut Mandos. Garc. Less. & alii DD. communiter docent, & sæpiùs à S. Congr. est declaratum, in assumendis ad Personatus, & Dignitates non curatas exiguntur 22. anni completi, quia Trid. *sess.* 24. *c.* 12. §. *ad cæteras de reformat.* dicit eos, qui ad illas assumuntur, debere esse viginti duobus annis non minores. Ergo &c. 3. Verba hujus statuti, & cujuscunque alterius secundùm modum loquendi aliàs in Jure usitatum accipienda sunt. Atqui juxta istum, quando in dispositione certum tempus requirente numerus Cardinalis ponitur, tempus illud usque ad ultimam diem debet esse completum, ut patet ex variis instantiis; sic enim unius anni non est, qui ad 365. dierum ultimum non pervenit *l. anniculus* 132. & 134. *ff.* de *V. S.* nec ætatis annorum 16. qui nondum decimi sexti *l. non putabam* 48. *ff. de condit. & demonstr.* aut 25. annorum, qui non vigesimi quinti diem ultimum saltem attigit *l. denique* 3. §. *minorem* 3. *ff. de Minor.* & *l. his* 5. *C. quand. dies legat. ced.* igitur neque ætatis 24. annorum, quam Statutum Capitulare exigit, erit ille, qui ad anni 24. diem ultimum non pervenit. Quæ omnia confirmantur clarissimo textu *l. si cui* 49. *princ. ff. de Legat.* 1. ubi Ulpianus, *Si cui legetur*, inquit, *cùm quatuordecim annorum erit, certo Jure utimur, ut tunc sit quatuordecim annorum, cum impleverit.*

Neque obstant Argumenta contraria. *Ad* 1. Statuta 10
à Jure communi deviantia ad Jus commune sunt reducenda, quando aliud non colligitur ex verbis Statuti: In nostro casu verborum, *Nisi sit ætatis* 24. *annorum*, vis explorata est; ut proinde aliunde, quàm ex usu, & consuetudine, quæ Statuto huic derogare possit, interpretationem nullam accipiant. *Ad* 2. ejusmodi Canonicus ratione priùs apprehensæ possessionis Canonicatus ante alios postea de Canonicatu provisos jus petendi admissionem ad Capitulum habet non absolutum, sed conditionatum, sc. sub conditione, *Si sit ætatis* 24. *annorum*, & cons. pendet tamdiu, quamdiu pendet conditio. *Ad* 3. imprimis Regula illa, qua dicitur, quòd annus inchoatus pro completo haberi debeat, fallit in pluribus casibus: Deinde, ut adversarii volunt, locum dumtaxat habet in casibus dubiis, qualem non esse casum quæstionis ex probationibus allatis liquet.

Quæritur 2. quid notandum in convocatione Capi- 11
tuli? *Et* 1. *quidem dubitatur*, quis debeat convocare Capitulum? Resp. potestas hoc convocandi principaliter spectat ad Prælatum Ecclesiæ, videlicet ad Episcopum, Abbatem &c. qui si rem majoris momenti Capitularibus suis proponendam habeat, id non aliis committere, sed ipse tractatui personaliter interesse, & Vota singulorum exquirere, & secundùm ea concludere debet. Quodsi verò Sedes vacaverit, aut negotium

fuerit

fuerit tale, quod in commodum, & utilitatem Prælati redundat, vel præciſè concernit Capitulum, jus convocandi illud non ad Vicarium, ſeu Officialem Epiſcopi, ſed ad unum ex Capitulo, ad quem de Jure, vel conſuetudine ſpectat, v. gr. Præpoſitum, Decanum, vel Seniorem illa poteſtas convocandi Capituli pertinebit. Trid. *ſeſſ.* 25. *c.* 6. *de reformat.* Barboſ. *ibidem num.* 42. Honor. *hic n.* 17. Engl *n.* 1. P. Konig. *num.* 3. P. Reiffenſtuel. *n.* 7. P. Schmier *p.* 1. *de perſon. Eccl. c.* 4. *num.* 28. Quorum omnium ratio eſt, quia omnino decens eſt, ut Capitulum convocetur ab eo, qui ex interfuturis eidem præcipuum locum obtinet. atqui cùm deliberatur de communibus Eccleſiæ negotiis, eidem intereſſe debet Epiſcopus ex Decreto Triden. *cit.* in iis autem, quæ vel ad commodum ejuſdem ſpectant, vel præciſe Capitulum concernunt, intereſſe illi non poteſt; quia priori caſu author ſibi fieret in rem propriam, in poſteriori intereſſe non habet, niſi ſimul ſit Canonicus. Ergo in communibus Eccleſiæ negotiis Capitulum convocabit Epiſcopus, in cæteris dignior de Capitulo.

12 Dub. 2. quando convocari, & in quo loco convenire Capitulares debeant? Reſp. Epiſcopus poteſt Capitulum convocare pro libitu, dummodo non proponat cauſam ad commodum ſuum, ſuorumque ſpectantem, ne, ut *n. præc.* dixi, author fiat in rem propriam. Similiter Capitulum ipſum ſe congregare valet, quandocunque voluerit, dummodo id fiat ſolitis, & deſtinatis diebus, nec eo tempore, quo Divina Officia celebrantur, niſi cauſa urgens dilationem non pateretur, Barboſ. *de Canon. & Dignit. cap.* 35. *per totum*. Convenire autem debent in loco ſolito, niſi alium Capitulares pro ſuo Conventu elegerint, eſt enim in eorum arbitrio, ut eligere poſſint quemcunque, modò locus ille ſit honeſtus, tutus, & non clandeſtinus, & mutatio non fiat in fraudem. Fagn. *in c. quia propter num.* 68. *&* 69. *de Elect.* Vincent. Petra *tom.* 1. *fol.* 58. *n.* 21. quia ubi eſt Capitulum, ibi fit actus Capitularis, ut bene Rota *deciſ.* 36. *part.* 2. *recent.* & *deciſ.* 31. *n.* 8. Proceditque hoc etiam nulla urgente cauſa; nam ſic limitare Capitulum in majore parte poteſt etiam tempus præfixum actui, vel Electioni. Petra *l. cit.* Semper autem neceſſarium eſt, ut convocentur, & conveniant ad locum unum; nam quæ ſeparatim aguntur à ſingulis, non cenſetur agi capitulariter. Engl *hic n.* 5.

13 Dub. 3. utrum ad actus Capitulares v. g. ad tractatum de rei immobilis alienatione convocari, & convenire debeant omnes Capitulares? Reſp. ordinariè requiritur, & ſufficit, ſi ad eos vocentur omnes, qui in loco præſentes, aut non procul abſentes ſunt. Honor. *hic n.* 21. Pirh. *n.* 12. Schambog. *n.* 7. Vvieſt. *n.* 12. Vincent. Petra *tom.* 1. *fol.* 66. *n.* 41.

Dixi 1. *requiritur*; quia in actibus Capitularibus ſuffragii jus competit omnibus Capitularibus: ac proinde nemo illius uſu, & exercitio ſine juſta cauſa privari debet. Accedit, quia jus de alienatione tractandi, eamque conſenſu ſuo approbandi Capitularibus communiter competit *arg. can. ſine exceptione* 52. *cauſ.* 12. *q.* 2. quando autem jus de re aliqua tractandi pluribus communiter competit, res illa communibus ſuffragiis, & omnibus, quorum intereſt, & qui intereſſe volunt, & poſſunt, præſentibus tractari debet *l. de unoquoque* 47. *ff. de re judic.*

Dixi 2. *ſufficit*; nam ſpectato Jure communi, & ordinariè, ac generatim loquendo, ad tractatus, vel alios quoſvis actus Collegii, & Univerſitatis non ſunt vocandi procul abſentes, ſeu illi, qui vel cum difficultate vocantur, vel cum periculo exſpectantur *arg. can. ea enim* 2. §. *hoc jus porrectum* ibi *Majore parte ibi ſervientium conſentiente cauſ.* 10. *q.* 2. Abb. *in c.* 1. *h. tit. n.* 15. Monacell. *p.* 1. *form. legat. tit.* 1. *n.* 7. Præpoſ. Friſing. *tom.* 1. *conſ.* 19. *n.* 47. Engl *hic n.* 2. Clariſſ. P. Schmier *p.* 1. *de perſon. Eccl. c.* 4. *n.* 31. *&* 32.

14 Dixi 3. *ordinariè*; nam quibuſdam caſibus etiam abſentes vocari debent. Et quidem 1. quando Prælatus eſt eligendus *c. quia propter* 42. *de Elect.* 2. Quando recipiendus eſt aliquis in Canonicum, aut facienda collatio Præbendarum, vel Beneficiorum *c. cùm in Eccleſiis* 33. *de Præb. in* 6. 3. Cùm indicenda eſt ceſſatio à Divinis *c. quamvis* 8. *de Offic. Ord. in* 6. 4. Quando aliud negotium arduum, & magni momenti eſt pertractandum, nec periculum eſt in mora, ob paritatem rationis, quæ in diſpoſitione Juris Eccleſiæ favorabili extenſionem facilè admittit. 5. Quando decernendum aliquid, quod in ſingulare ſingulorum præjudicium tendit; tunc enim præſentes nihil ſtatuere poſſunt, licèt duæ partes præſentes ſint, ſed omnes neceſſe eſt conſentire *arg. l. per fundum* 11. *ff. de Servit. præd. ruſtic.* 6. Si ex conſuetudine legitimè præſcripta etiam abſentes vocari debent *arg. c. fin. de conſuet.* Videatur Abb. *n.* 15. *cit.* Honor. *hic n.* 21. Engl *n.* 2. Pirh. *n.* 12. Schamb. *n.* 7. Konig. *n.* 5. Vvieſt. *n.* 13.

15 Dub. 4. quàm neceſſaria ſit eorum, qui Capitulo intereſſe poſſunt, præſentia? Reſp. diſtinguendo: Vel enim vocati ſunt, & non comparent, quia non volunt, vel neglecti ſunt, & non vocati. *Si primum*, iis ſponte non comparentibus, cæteri in negotio poſſunt procedere, ut notat Gloſſ. *in c. quia propter* 42. *V. qui volunt de Elect.* Abb. *ibid. n.* 4. Sylv. *V. Electio* 1. *n.* 6. Vvagn. *in c.* 1. *h. tit. not.* 1. Præpoſit. Friſing. *tom.* 1. *conſ.* 19. *n.* 48. *Proceditque hoc* probabiliùs, etiamſi plus, quàm tertia pars Capitularium venire nollet; quia tunc tota facultas ſtatuendi, ac decidendi reſideret penes præſentes, & ſibi imputare abſentes debent, quòd non comparuerint, & ſic juri ſuo pro illa vice renuntiaverint. Konig *n.* 9. Eſtque hoc ita verum, ut hi ad comparendum etiam compelli nequeant *arg. c. quia propter cit.* ibi, *qui volunt intereſſe*. *Excipitur caſus*, quo ipſorum abſentia Eccleſiæ damnoſa, aut præſentia valde utilis eſſet, aut ſpeciali Jure receptum, ut omnes compareant, qui poſſunt.

16 *Si ſecundum*, iterum diſtinguendum, an unus, vel aliqui tantùm contempti, ſeu non vocati ſint, an verò plùs, quàm tertia pars vocandorum. *Si unus, vel aliqui tantùm*, id, quod à reliquis in eorum abſentia geſtum eſt, Jure quidem ſubſiſtit, neglecti tamen, vel neglectus in irritum illud revocare poſſunt *c. cùm in Eccleſiis* 33. *de Præb. in* 6. *c. quod ſicut* 28. *c. bonæ* 36. *in fin. de Elect.* Abb. *in c.* 1. *h. tit. n.* 16. Fagnan. *ibid. n.* 6. Engl *n.* 4. Konig. *n.* 7. Vvieſt. *n.* 14. Petra *tom.* 1. *fol.* 66. *n.* 41. Præpoſ. Friſing. *tom.* 1. *conſ.* 19. *n.* 47. Ratio datur *c. bonæ cit.* quia *plus in talibus conſuevit contemptus unius obeſſe, quàm multorum contradictio in præſenti*.

Quodſi autem plus, quam tertia pars vocandorum contempta ſit, tractatus, & in eo decreta ipſo Jure ſunt irrita ob defectum poteſtatis ad aliquid decernendum ſufficientis; nam vis, & poteſtas Capitularis in duabus Capitularium partibus reſidet. Abb. *l. cit.* & cæteri Canoniſtæ. Atque hoc non tantùm in materia Electionis, ſed univerſim in omnibus actibus, ubi conſenſus Capituli exigitur, obſervari debet, ut notat cum aliis Engl. *n.* 7. *hic*.

17 Dub. 5. an caſu, quo Statutum extat, quo ad pertractanda ſaltem graviora Eccleſiæ negotia Capitulares omnes in loco præſentes vocari jubentur, cum clauſula, quòd aliter tractata, decretaque ſint habenda pro nullis, ſi deinde contra illud Statutum aliqui, vel aliquis ex Capitularibus non vocentur, tractata, & decreta à cæteris adhuc ſint valida? Reſp. adhuc eſſe valida, licèt, ſi quidam vocati non ſint, reſcindi poſſint. *Proceditque hoc*, etſi Statutum illud ſingulorum Canonicorum Juramentis, in ſua receptione præſtitis, ſit confirmatum. *Ratio eſt*, quia hujuſmodi Statuta, & Juramenta iiſdem addita interpretationem recipiunt à Jure communi. Atqui Jure communi ſecundùm dicta *n.* 16. invalida ſunt ea duntaxat, quæ tractata, & acta ſunt, non vocata pluſquam tertia parte eorum, qui intereſſe debent, volunt, & commodè poſſunt. Ergo &c.

18 Extenditur Reſponſio etiam ad caſum, quo per Statutum ejuſmodi expreſsè annullarentur omnia, quæ, quibuſdam contemptis, à cæteris tractata, & acta fuerint; nam ut aliis *citt.* rectè advertit P. Vvieſt. *hic n.* 16. potiùs ſtatutum tale irritum foret. Et ratio eſt, quia Epiſcopus etiam cum Capitulo non poteſt condere Statuta Juri communi contraria *can. Inſtitutionis* 7. *cauſ.* 25. *q.* 2. *c. quod ſuper* 9. *de major. & obed.* & *Clem. ne Romani* 2. *de Elect.* atqui Statutum tale Capitulare contrarium foret Juri communi Eccleſiæ, juxta quod ita acta, & decreta ſunt quidem reſciſſioni obnoxia, non verò invalida. Ergo &c.

19 Quæritur 3. qualis, & quot Canonicorum conſenſus debeat eſſe, ut ſit legitimus? *Et* 1. *quidem dubitatur*, an requiratur, ut conſentiant omnes, qui Capitulo interſunt? Videtur reſpondendum affirmativè ex Conſtitutione Leonis Magni ibi: *Totius Cleri conſenſu*. Sed retinenda eſt negativa ſententia, & dicendum, ſufficere regulariter, ſi Capitularium major, & ſanior pars ſuffragiis ſuis id, quod ab iiſdem in Capitulo actum eſt, probet, dummodo duæ partes eorum, qui adeſſe debent, poſſunt, & volunt, ſive in loco præſentium, & vocandorum fuerint congregatæ. Ita Vivian. *in cap. cum in cunctis* 1. *h. tit. princ.* Fagn. *ibid. n.* 2. Gonzal. *n.* 2. Vvagn. *not.* 1. Vallenſ. *hic n.* 1. *&* 3. Honor. *n.* 11. *&* 12. Zoeſ. *n.* 1. *&* 2. Engl. *n.* 8. *&* 10. Konig. *tit. de his, quæ à Prælat. n.* 4. Petra *tom.* 1. *comm. fol.* 60. *n.* 24. *&* 25. & ſumitur ex *c. cùm in cunctis cit.* ibi: *Ut -- prævaleat ſemper, & ſuum conſequatur effectum, quod à majori, & ſaniori parte Capituli fuerit conſtitutum*. Eſtque conſen-

sus majoris partis hoc casu ea vis, ut minorem obliget etiam invitam *c. fin. h. tit. Ratio est*, quia quod major pars Capituli facit, totum Capitulum fecisse censetur. Accedit, quia impossibile ferè est, ut in negotiis, præsertim dubiis, omnes semper consentiant; imò ejusmodi consensus omnium est de rarò contingentibus. Igitur ne omnia indecisa maneant, pars aliqua debet sufficere. Si autem pars aliqua sufficere debet, meritò attenditur major, & sanior. ergo &c.

20 Dixi 1. *Pars major Capituli:* talis censetur esse, quæ numero personarum excedit, habito respectu ad totum Capitulum, sive Collegium, & non tantùm ad alias partes in diversa abeuntes. Vvagn. *in c. 1. h. tit. not.* 1. Vallens. *hic n.* 2. Engl *n.* 9. Konig *n.* 10. Vviest. *num.* 20. Clariss. P. Schmier *p. 1. de person. Eccl. c.* 4. *n.* 114. Et hinc si in tractatu de alienatione prædii ex duodecim Capitularibus in ejus venditionem consentiant quatuor, in locationem quinque, in retentionem tres, non censetur major pars Capituli consentire in venditionem, sed debent in eam consentire saltem septem. Item si ex decem Canonicis suffragatoribus quinque Suffragium suum dent Titio, tres Cajo, duo Sempronio, nondum habetur Canonica Electio, sed ut talis sit, Titius habere debet sex saltem suffragia. *Ratio est*, quia sex in primo casu, & quinque in secundo sunt tantùm major pars, respectu habito ad singulas partes reliquas, non verò ad totum Collegium. Aliud dicendum, quando plures vota sua dant ut singuli, c. gr. plures Patroni in præsentatione Clerici ad Beneficium vacans; nam tunc sufficit habere majorem partem: conf. si ex sex Patronis tres præsentent Titium, unus Sempronium, & duo Mævium, tres prævalebunt, & instituendus erit Titius ab his præsentatus, Vallens. *hic n.* 2.

21 Dixi 2. *Et sanior pars;* ut Electio sit Canonica (& idem est de aliis negotiis) major, & sanior pars in eandem debet consentire. Et hinc regulariter prohibentur dari suffragia per lupinos, vel lapillos, sed quilibet suam mentem viva voce edicere debet, vel etiam in scriptis, si justa causa intersit, ne palam vota edicantur, ut sic non tantùm, quæ pars major, sed etiam quæ sanior sit, appareat. Honor. *hic n.* 12. Engl *n.* 10. Porrò sanior pars censetur illa, quæ dignitate, integritate, & Zelo honoris Divini, ac boni publici prævalet. Vallens. *l.* 1. *de Benef. tit.* 6. §. 4. *n.* 3. Vvagn. *in c.* 1. *h. tit. not.* 1. Konig. *hic n.* 10. Vviest. *n.* 24. In dubio pars, quæ major est, etiam sanior censeri debet, præsertim si duæ partes Capituli consentiant. Vivian. *in c. cum in cunctis* 1. *h. tit.* Fagnan. *ibid. n.* 4. Gonzal. *n.* 6. Vvagn. *not.* 2. Pirh. *hic n.* 3. Scamb. *n.* 2. Konig. *n.* 10. Vviestn. *n.* 25. Petra *tom.* 1. *comment. fol.* 60. *num.* 25. Et hinc in quibusdam Monasteriis, & aliis Congregationibus Regularibus, cùm Suffragia feruntur, solummodo attendi solet ad numerum suffragantium, & quod major eorum pars judicaverit, etiam à saniori parte judicatum censetur. *Ratio est*, quia regulariter præsumitur pro pluralitate, præsertim in Viris Religiosis ob notam integritatem, & Zelum, quem nullo pravo effectu corruptum habere præsumuntur. Hæc tamen præsumptio non est de Jure; quia admittit probationem in contrarium. Zoes. *hic n.* 2.

22 Dixi 3. *Regulariter*; nam plures sunt casus, in quibus non sufficit consensus partis majoris, & sanioris. Et 1. quidem, si potestas eligendi Capitulo competens in unum, vel plures sit transferenda per compromissum, aut decernenda admissio Clericorum extraneorum ad suffragium in electione ferendum; nam hujusmodi admissione singulorum Capitularium suffragia fiunt minùs efficacia. Compromisso autem potestas suffragandi omnino transfertur: conf. juxta *Reg. quod omnes* 29. & *Reg. in re communi* 55. *in* 6. ad ea decernenda omnium consensus requiritur. 2. In actibus voluntariis, & facultativis; & si agatur de re pertinente ad singulos ut universos *c. fin. de Major.* Felin. *in c. cùm omnes* 6. *n.* 17. *fall.* 1. *de Constit.* Vincent. Petra *tom.* 1. *fol.* 60. *num.* 28. Unde donativa, & hujusmodi nequeunt fieri, nisi concursu omnium. Dian. *tom.* 7. *tr.* 6. *resol.* 31. & 35. *in fin. Excipitur*, si adsit præceptum legitimi Superioris, aut evidens Ecclesiæ utilitas. Felin. Petra *l. citt.* 3. Si Papa sit eligendus; nam in hujus electione, ut Canonica sit, non sufficit major pars, sed requiritur, ut duæ partes tertiæ Cardinalium eligentium in unum conveniant *c. licet* 6. *de Elect.* 4. Si Coadjutor Episcopo amenti dandus; nam hoc faciendum est suffragiis vel totius Capituli, vel duarum ejusdem partium *c. un. vers. si verò de Cler. ægrot. in* 6. 5. Si Electio concurrat cum Postulatione; nam hoc casu duarum saltem partium suffragia postulandus habere debet, aliàs Electio Postulationi prævalet, modò in eligendum conspirent plusquam tertiæ partis suffragia, licèt pauciora hæc sint, 23
quàm illa, quæ stant pro postulando, ut dictum est *Lib.* 1. *tit.* 5. *n.* 19. & 20. 6. Si alicujus Collegii speciali Statuto, vel consuetudine, ut decreta à Capitulo legitima sint, exigantur duæ Suffragiorum partes. *arg. l. nulli* 3. *ff. quod cujusq. univ. nom.*

Dixi 4. *dummodo duæ partes eorum, qui adesse debent, possunt, & volunt, fuerint congregatæ;* quia dum negotium tractatur à Capitulo, ad minùs duæ partes adesse debent *l. nulli* 3. & *l. seq. ff. quod cujusq. univers. nom.* non quòd exigatur, ut duæ partes idem decernant, sed quia in his vis Capitularis consistit. Gonzal. *in c.* 1. *h. tit. n.* 5. Ex quo sequitur, nisi duæ saltem partes congregentur, & ex his major suffragantium pars consentiat, acta fore irrita. Abb. *in c.* 1. *cit. n.* 16. Engl *hic n.* 3. *Excipitur*, nisi contrarium alicujus loci consuetudine introductum sit; potest enim induci consuetudine, ut necesse non sit convenire duas partes, sed sufficiat convenire majorem. Item potest consuetudine induci, &, ut Zypæus *in Analys. hic n.* 1. refert, sic consuetudine defacto passim receptum est, ut ratum sit, atque vigorem habeat, quod decretum est per majorem partem saltem respectivè ad alias minores: quod P. Vviest. *hic n.* 23. concedit in Collegiis minoribus, non verò in majoribus, aut Electionibus Prælatorum. Nunquam verò induci consuetudine, vel Statuto speciali potest, ut requiratur consensus omnium de Capitulo; quia talis consuetudo, vel Statutum non esset rationabile, quippe quod Ecclesiam, vel Monasterium exponeret periculo maximo, ne ob difficultatem obtinendi Vota Capitularium omnia, cuncta manerent indecisa. Alagon. *in c.* 1. *h. tit.* Schamb. *hic n.* 3.

Ex his patet responsio ad textum ex Constitutione S. Leonis *n.* 19. pro contraria sententia allegatum; quia si major pars consentiat, jam consentire censetur totum Capitulum, quippe quod per majorem partem repræsentatur: & hinc non dicitur *Omnium de Clero*.

Dub. 1. an, ut censeatur major pars Capituli consensisse, sufficiat, si ex 15. Capitularibus consentiant octo, vel ex 43. viginti duo? *Ratio dubitandi est*, quia ad majoritatem Suffragiorum videtur requiri unum supra medietatem. Atqui quando ex 15. consentiunt octo, ex 43. viginti duo, non habetur unum Votum supra medietatem, cùm numeri quindenarii medietas sint septem cum dimidio, numeri 43. viginti duo, & dimidium, consf. in casu nostro tantùm obtinetur dimidium Votum supra medietatem. ergo &c. 24

Sed dicendum, seclusa speciali consuetudine, vel Statuto, casu, quo Capitularium, seu Suffragiorum numerus impar est, ad actum Capitularem sufficere consensum partis dimidia tantum voce majoris. Ita Abb. *in c. Cumana* 50. *de Elect. n.* 9. Anton. *de Butrio ibid. n.* 15. Passerin. *de Elect. c.* 19. *n.* 18. Donat. *tom.* 2. *prax. Regul. p.* 1. *tr.* 5. *q.* 44. *n.* 8. & *tr.* 6. *q.* 1. *n.* 2. P. Vviest. *hic num.* 21. Clariss. P. Schmier. *p.* 1. *de person. Eccl. c.* 4 *n.* 117. *Ratio est*, quia ut actus a Collegio, sive Universitate positus sit legitimus, Jure communi plus non exigitur, quàm ut positus sit consensu majoris partis Capituli. Majorem autem partem ex 15. jam constituunt octo, & ex 43. viginti duo. ergo &c. *Conf.* ex usu, & praxi generali saltem Germaniæ nostræ, ubi actus, & electiones ad Prælaturas Ecclesiarum tam Sæcularium, quàm Regularium indubitatè pro Canonicis habentur, & ut tales etiam à Sede Apostolica confirmantur, in quibus pars eligentium, aut suffragantium major minorem dimidio solum suffragio superat.

Proceditque hoc, etiamsi Ecclesiæ alicujus, vel Ordinis Regularis Statuto cautum esset, ut ad actum Capitularem legitimè gestum unum Suffragium exigatur supra medietatem, vel uno major Suffragiorum numerus; nihilominus enim dicendum, quòd pars dimidio Suffragio superior altera obtinere debeat, ut rectè P. Vviestner. *n.* 21. *cit.* P. Schmier *n.* 118. *Ratio est*, quia Ordinationes, & Statuta particularia, condita in materia Juris, interpretationem recipiunt à Jure communi, & ita sunt intelligenda, ut ab isto, quoad fieri potest, non recedant. Atqui Jure communi, ita interpretante consuetudine, sufficit medietas ultra dimidium; quia hæc ob divisibilitatem Suffragii, cujus medietas est, jam habetur prò uno Suffragio integro. ergo &c. 25

Ex quo cadit ratio dubitandi in contrarium.

Dub. 2. an si Capitularium Vota sint paria, atque ex 20. e. gr. decem consentiant in alienationem, decem dissentiant, Prælatus suo consensu majorem partem possit efficere? Affirmat cum nonnullis Leur. *p.* 1. *J. E. U. tit.* 8. *c.* 3. *n.* 8. ex ratione, quòd hoc modo per accessum Prælati, concurrant vota undecim, & sic obtineatur Votorum pluralitas. 26

Sed

Sed respondendum est negativè cum Gloss. *in c. un. V. assensu. Ne Sed.vac. in 6.* Passerin. *ibid. n.* 20. P. Konig *hic n.* 4. P. Schmier *p.* 1. *de person. Eccl. c.* 4. *nu.* 120. *Ratio est*, quia Prælatus, cum non sit de numero, & nomine Capitularium, non habet Votum in Capitulo, ut colligitur ex Trid. *sess.* 25. *c.* 6. *de reform.* ibi, *Episcopi* jubentur *Capitulum convocare, vota exquirere, & juxta ea concludere*, & nihil dicitur, quòd vota etiam dare vel accessu suo majoritatem illorum complere possint. Accedit, quia in actibus, quibus Prælatus tenetur adhibere assensum partis majoris de Capitulo, Capitulum consideratur, quatenus est aliquid distinctum, & separatum à Prælato; aliàs dum jubetur adhibere consensum Capituli, juberetur adhibere partialiter consensum sui ipsius.

Excipitur, nisi aliter per Statuta particularia cautum, vel consuetudine introductum sit. Item nisi Episcopus etiam ipse sit Canonicus, & quà Canonicus, seu membrum Capitulo interesset; nam eo casu Votum Episcopi efficeret majorem partem, quippe quod daret, non ut Episcopus, sed ut Capitularis. Ad Rationem oppositam patet ex dictis.

27 Dub. 3. an connumerari etiam debeant ii, qui contempti sunt, seu non vocati, cùm vocari ad Capitularem actum debuissent, & commodè potuissent? Resp. affirmativè, ut rectè Innoc. *in c. in Genesi* 55. *de Elect. in fin.* Abb. *ibid. n.* 11. Passerin. *de Elect. c.* 11. *num.* 112. Vviest. *hic n.* 22. Et hinc si Collegium constet duodecim Capitularibus, & ex his ad Electionem, vel tractatum de alienatione vocati sint decem, duo contempti, ut casu isto dici possit pro aliqua parte stare majora Vota, non sufficit, si ex decem vocatis, & congregatis in eam conspirent sex, sed requiruntur septem; quia etsi sex sint major pars respectu decem vocatorum, non tamen sunt major respectu vocandorum, & Capitulum de Jure constituentium, qui erant duodecim.

28 Causa sic statuendi fuit; quia aliàs si contempti non deberent connumerari, via aperiretur maximis fraudibus, & ansa præberetur ab Electionibus, & aliis actibus Capitularibus excludendi illos, qui Suffragiis suis adversaturi timentur. *Conf.* quia ex injuria is, qui eam passus est, pati non debet damnum, nec is, qui illam intulit, reportare commodum. Atqui contempti, seu non vocati non nisi per injuriam absunt, cùm de Jure pertineant ad Capitulum. ergo &c.

29 Quæritur 4. quæ sit vis majoris partis in actibus Capitularibus? Resp. si major simul, & sanior sit, trahit ad se partem minorem, ita, ut ii, qui hanc tuentur, à Capitulo, vel Superiore illius immediato compelli possint ad obediendum Decreto, seu ordinationi factæ à majore parte, cùm pro illa stet præsumptio æquitatis, tanquam facta communi, aut plurium consensu, ut docet Innoc. *in c.* 1. *h. tit. n.* 3. Vivian. *ibid. in Ration.* Laym. *Disp. Canon. de rer. Eccl. alien. thes.* 18. Pirh. *hic n.* 4. cum aliis.

Dixi, *Si simul sit sanior*; nam si ex gravitate Virorum, & allatis per hos momentis rationum constet, quòd minor pars sanior sit, obedire Decreto majoris partis non debet, sed potiùs impedire illud; nomine tamen Capituli ipsa decernere nihil potest, nisi pars numero major suffragandi potestate privata esset. Abb. *in c.* 1. *h. tit. n.* 11. Pirh. *hic n.* 3. Vviest. *n.* 27. *Ratio est*, quia in minore parte Capitulum non repræsentatur.

30 Dub. 1. quando pars minor contradicere Decreto partis majoris possit? Resp. distinguendum, an rationabiliter decretum sit, vel irrationabiliter. *Si primum*, non potest contradicere, sed accedere, ut dictum est *num. præc.* parti majori debet, ac judicium illius habere ratum. *Si secundum*, contradicere ordinationi, vel Decreto partis majoris, & se opponere ad impediendam executionem illius potest etiam unicus, modò afferat causam rationabilem, & hanc coram Superiore Capituli, vel electis Arbitris probet, ut colligitur ex *cap. cum in cunctis* 1. *h. tit.* & docet *ibid.* Vivian. *in Ration.* Fagn. *n.* 7. Vall. *hic n.* 4. Honor. *n.* 11. Engl. *n.* 10. Pirh. *n.* 4. Konig. *n.* 10. & novissimè Vincent. Petra *tom.* 1. *comment. fol.* 60. *n.* 25. *&* 26.

31 Dub. 2. quomodo contradicere pars minor debeat, quod id, quod à majore parte decretum est, in damnum Collegii, vel ipsius contradicentis, aut alterius tertii tendit? Resp. cum distinctione; nam si ad actus alicujus valorem necessariò requiratur consensus expressus, ut ad electionem, vel rei Ecclesiasticæ alienationem, non tenetur expresfè contradicere; tenetur tamen, si sufficiat consensus tacitus. Innoc. *in c.* 1. *h. tit. n.* 4. Jo. Andr. *ibid. n.* 4. Abb. *n.* 13. Pirh. *hic n.* 5. *Ratio est*, quia in primo casu tacens non potest haberi pro consentiente, potest autem, & debet pro consentiente haberi tacens in secundo, & ideo nisi contradicat, cùm speret se contradicendo impedire iniquitatem Decreti posse, particeps fit ejusdem peccati, & pœnæ cum aliis expresfè contradicentibus.

Dub. 3. an contradicens appellare etiam ad Superiorem possit? Resp. hic considerandum, an Decretum à majore parte vergat in detrimentum Ecclesiæ, vel singulorum, qui sunt de Capitulo, an verò solùm tertiæ cujusdam personæ. *Si primum*, & *secundum* appellare contradicens ad Superiorem potest; nam unus se opponere pro defensione Ecclesiæ suæ potest, ut dicit Gloss. *marg. in can. Nicæna* 12. *dist.* 31. *Si verò tertium*, cùm nihil intersit contradicentis, appellare non potest, potest tamen peccatum Capitularium Evangelicè denuntiare Superiori, ut emendentur, & puniantur. Vivian. *in c.* 3. *h. tit.* Vvagn. *in cap.* 1. *eodem not.* 2. Pirh. *hic n.* 5. 32

Dub. 4. an casu, quo appellari à contradicente potest, necesse sit appellare? Resp. negativè, sed satis est contradicere, sive tractetur de præjudicio ipsius contradicentis, sive universitatis. Abb. *in c.* 1. *h. tit. n.* 13. qui etiam dat rationem; quia cùm Universitas procedit extrajudicialiter, non transeunt hujusmodi gesta in rem judicatam: unde potest quis ex sola contradictione coram Superiore prosequi, ut id, quod minùs rationabiliter gestum est per majorem partem, retractetur. Piring. *n.* 4. Duplex tamen, si appellaverit, commodum referet. *Unum est*, quòd appellatione interposita non ampliùs poterit cogi ad obediendum Decreto partis majoris, quippe cum ea pendente nihil sit innovandum. *Alterum*, quòd etsi non obstante tali provocatione, pars major ad executionem Decreti sui possit procedere, si tamen appellatio postea rationabilis, & legitima fuisse cognoscatur, acta post illam revocari, rescindique debeant. Joan. Andr. *in c.* 1. *cit. n.* 3. Abb. *n.* 6. Pirh. *n.* 4. *cit.* 33

Quæritur 5. an major pars Capituli decernere aliquid in præjudicium partis minoris valeat? *Rationem dubitandi* faciunt *c. fin. h. tit.* & *Reg. quod omnes* 29. *in* 6. quæ se invicem videntur evertere; nam *c. fin. cit.* firmitas adstruitur illi, quod à majori parte Collegii in præjudicium minoris statutum est; in *Reg. cit.* autem petitur, ut *quod omnes tangit, ab omnibus approbetur*. 34

Sed conciliari contrarietas ista ope distinctionis potest. Vel enim id, de quo consultatur, est in bonis ipsius Collegii, seu Universitatis, vel contra in bonis singulorum. *Si primum*, valet Decretum partis majoris, etiam contradicente parte minore; quia cum pars major censeatur tota Universitas censetur, disponere de bonis propriis.

Si secundum, adhibenda est *secunda distinctio*, & videndum, an id, de quo consultatur, sit in bonis singulorum Patrimonialibus, vel quasi, an verò intuitu Ecclesiæ quæsitum sit. *Si prius*, major pars Collegii, vel Communitatis non potest aliquid statuere in præjudicium partis minoris, hac contradicente. Fagnan. *in c.* 1. *h. tit. n.* 13. Pirh. *hic n.* 8. *not.* 4. Konig. *num.* 12. Vviest. *n.* 30. Vincent. Petra *tom.* 1. *comment. fol.* 60. *n.* 27. & colligitur *arg. l. per fundum* 11. *ff. de servitut. præd. rust.* ubi habetur, quod in fundo communi pluribus jus eundi per illum *non aliter meum fiat, quàm si omnes cedant*. *Ratio est*, quia pars major Collegii, seu Universitatis non habet Jurisdictionem in partem minorem: & hinc non potest aliquid statuere de personis, vel bonis ad singulos pertinentibus jure proprio, ipsis contradicentibus. 35

Si posterius contingat, & id, de quo consultatur, pertineat quidem ad singulos de Capitulo, sed intuitu Ecclesiæ ab ipsis acquiratur, quales sunt Reditus Ecclesiastici, applicanda est *distinctio tertia*, & considerandum, in quem finem bona hujusmodi separare, & applicare Decreto suo pars major velit; nam si applicanda sint in bonum Ecclesiæ, ex qua promanant, vel Collegii, aut Universitatis, cujus sunt membra, v. gr. pro fabrica conservanda, vel reparanda, cùm aliunde sumptus necessarii desint, vel pro erigendo Seminario, ex quo Ecclesiæ idonei Clerici aliquando subministrandi sint &c. hoc casu pars major contra minorem, & in hujus præjudicium potest decernere, ut portio aliqua redituum singulis detracta ad usum ejusmodi applicetur, Alagon. *in c. fin. h. tit.* Vivian. *ibid. in Ration.* Abb. *n.* 7. Barbos. *n.* 1. Schambog. *hic n.* 4. Engl. *n.* 12. & hæc est decisio *c. fin. cit. Ratio est*, quia Canonicis Ecclesiastici reditus assignari videntur cum onere, & obligatione, ut quando illud necessitas exigit, ad reparationem Ecclesiæ suæ, istiusque bonum aliter promovendum concurrant. Et hinc si evidenter constet, Capitularem Mensam habere abundantes reditus, fabricam verò Ecclesiæ 36

clesiæ necessitatem pati, solus Episcopus compellere Capitulum potest, ut ex superfluis suis reditibus fabricæ indigenti subveniat. Pith. *hic n.*8.

Quodsi verò à majore parte in præjudicium minoris aliquid decernatur pro opere quidem pio, sed extraneo, sive quod ad Ecclesiam, vel Capitulum non multum spectet, distinguendum est *quarto*, an opus illud sit specialiter necessarium, vel utile, an non. *Si primum*, potest major, & sanior pars Capituli, ad hujusmodi opus pium necessarium, vel utile (quia utilitas necessitati comparatur, ut rectè advertit Pith. *hic n.*8. *not.* 1.) quamvis Ecclesiam, cujus Canonici sunt, immediatè non concernat, ut pro pauperibus Studiosis &c. etiam contradicente minori parte, statuere aliquid cum diminutione redituum singulorum. *Si secundum*, eo casu potest minor pars, vel etiam unicus se opponere, & impedire Decretum factum à minori parte Capituli, prætendendo proprium, seu singulare esse suum juxta *Reg.*29. *cit.* & ratio est, quia decisio *c.fin.cit.* fundatur super opere pio, & necessario. ergo cessante causa necessaria, & pia, non potest major pars Capituli disponere aliquid in præjudicium partis minoris. Abb. *in cap. fin. cit. n.* 4. Laym. *Disp. Can. de Rer. Eccl. alien. thes.*21. Pirh. *hic not.* 1. *cit.* Schambog. *num.*5. Konig *n.* 12. Vviest. *num.*29. & novissime Vincent. Petra 1. *comment. fol.*60. *n.* 27.

TITULUS XII.

Ut Ecclesiastica Beneficia sine diminutione conferantur.

SUMMARIUM.

1 *Rubrica hæc Regulam, & Jus facit.*
2 *Pensionis definitio, & varietas.*
3 4 5 *Non venit nomine Beneficii.*
6 *Eas imponere Beneficiis potest Pontifex, & Episcopus, hic tamen temporalem dumtaxat.*
7 *An etiam duraturam ad vitam Pensionarii? Rationes dubitandi.*
8 *Deciditur pro Affirmativa.*
9 *Solvuntur objecta.*
10 *Amplissimam potestatem Pensiones imponendi habet Pontifex.*
11 *Qui propterea etiam consensu Beneficiarii, & Patroni in Beneficio Patronato non indiget.*
12 *Ut Episcopus ritè imponat Pensionem, opus est justa causa.*
13 *Moderatione à Jure præscripta.*
14 *Consensu Beneficiarii, in cujus Beneficio constituitur Pensio.*
15 *Patroni, si imponatur ad vitam Pensionarii.*
16 *Alia quædam notanda.*
17 *In quibus Beneficiis possit constitui Pensio, & in quibus eorum proventibus?*
18 *Quando?*
19 *Qua forma?*
20 *Temporalis Pensio concedi etiam Laico potest, sed à solo Pontif.*
21 *Ecclesiasticæ ut capax aliquis sit, debet esse Clericus.*
22 *Non conjugatus, non bigamus, non Excommunicatus, vel suspensus, non Religiosus, si Beneficium, in quo constituitur, sit Sæculare.*
23 *Ætas probabiliter sufficit, quæ sit major Septennio.*
24 *Irregularitas ad eam non facit inhabilem.*
25 *Hinc Illegitimus dispensatus ad primam Tonsuram alia dispensatione ad obtinendam Pensionem non indiget.*
26 *Beneficiarius tenetur sub gravi Pensionem solvere.*
27 *Pensionarius verò recitare Officium parvum B.V.*
28 *Deferre habitum, & tonsuram.*
29 *Pro rata fructuum concurrere ad onera annexa Beneficio.*
30 31 32 33 *An Successor in Beneficio teneatur solvere Pensiones non solutas ab Antecessore?*
34 35 36 *An Beneficiarius Pensionem Beneficio suo impositam possit redimere, vel Pensionarius eandem vendere?*
37 38 39 40 *An, & qua ratione Pensio ab una Persona transferri in aliam possit?*
41 42 43 44 45 *Quibus modis extinguatur?*
46 47 *Quid circa Reservationem fructuum sit Jure cautum?*
48 *Quibus casibus illam facere Episcopus possit?*
49 *Requisita, ut ritè fiat.*
50 51 52 *Utrum Episcopus ex justa causa reservationem istam facere possit Mensæ suæ aut Capitulari?*
53 54 *Quando Episcopus numerum Præbendarum diminuere, aut Beneficia Ecclesiastica omnino possit extinguere?*

INter actus Capitulares non infimus est Beneficiorum collatio, quippe quæ vel communiter ad Episcopum, & Capitulum pertinet, vel si Episcopus solus collator est, cum consilio Capituli expediri debet, ut patet ex hactenus dictis. Quia verò non raro contigit, in conferendi modo errari, hic Titulo præsenti præscribitur Collatori, & pro eo Regula generalis traditur, *Ut Ecclesiastica Beneficia sine diminutione conferantur*. Et meritò quidem: cùm enim Beneficium detur propter officium *cap. fin. de rescript. in* 6. æquum est, ut ubi transit ad Successorem officium, & hujus obligatio, etiam Beneficium, seu jus percipiendi reditus Ecclesiasticos integrè, & sine diminutione transeat; aliàs periculum foret, ne his reservatis, aut diminutis, vel nullus idoneus inveniatur, qui onus, & officium Beneficio sic diminuto adhærens acceptare vellet, vel si qui acceptarent, in ministerio Ecclesiastico negligentiùs agerent. Porro Beneficium diminui sex omnino modis potest, videlicet per Beneficii unionem, divisionem, dismembrationem, suppressionem, fructuum reservationem, & pensionis impositionem. De prioribus tribus modis actum est *supra Titul.* 5. *de Præbend.* tres reliqui hìc examinabuntur. 1

Quæritur 1. quid sit *Pensio*? Resp. *Pensio*, sic dicta à *Pendendo*, est *Jus percipiendi portionem aliquam fructuum ex Beneficio alieno, alicui justa de causa sive ad tempus, sive in perpetuum concessum*. Ita quoad rem Azor *p.* 2. *l.*8. *c.*5. *q.* 1. Laym. *l.*4. *tr.* 2. *c.* 18. *n.* 1. Leuren. *p.* 3. *for. Benef. q.* 429. *n.* 2. Clericat. *de pension. discord.* 8. *n.* 5. Honor. *hic n.*3. Schambogen. *n.* 6. Konig. *n.*36. & alii passim. Alia est Laica, seu Temporalis, alia Clericalis, seu Ecclesiastica. 2

Laica dicitur, quæ datur ob ministerium temporale, & Laico etiam conferri potest: qualis est, quæ datur Ecclesiæ Patrono in recognitionem fundationis, Defensori ejusdem, Oeconomo, Procuratori, Æedituo, Cantori, & similibus Ecclesiæ ministris, vel aliàs de ea bene meritis in remunerationem laborum.

Clericalis, seu *Ecclesiastica* dicitur, quæ in Pensionario, seu illo, cui conceditur, Statutum Clericalem exigit. Hæc iterum duplex est, una *Simpliciter Spiritualis*; quia datur Clerico ob ministerium Spirituale, v. gr. Coadjutori Episcopi, Concionatori, Vicario, vel Cooperatori Parochi &c. Altera *Media*, seu *Mixta*, quæ fundatur quidem in Statu Clericali, adeoque non nisi Clericis dari potest, non tamen propter ministerium Spirituale confertur, sed ob aliam causam, e. gr. Parocho seni, aut alteri Clerico pauperi ad necessariam, vel commodiorem substentationem; vel ei, qui pingue Beneficium cum tenuiore commutavit, in favorem alterius resignavit, lite Beneficiaria cessit &c. Azor. *p.*2. *l.*8. *c.*5. *q.*5. Less. *l.*2. *de Just. c.*34. *n.*202. Laym. *l.*4. *tr.*2. *c.*18. *n.* 2. Joan. Caballut. *in Jur. Canon. Theor. & prax. l.* 5. *c.*7. *n.*4. Pith. *hic n.*8. Konig. *n.*36. Vviest. *n.*7.

Dub. 1. an Pensio sit Beneficium, aut saltem nomine Beneficii veniat? Clarum est, quòd *Pensio temporalis*, seu *Laicalis* non sit Beneficium, neque nomine Beneficii venire possit, cùm nec Statum Clericalem, nec officium Spirituale exigat. Unde controversia solum est de *Pensione Ecclesiastica*. Affirmant Gambar. *de Offic. Legat. l.*6. *n.*309. Paul. Roman. *de Pension. c.*6. *n.*34. & *c.*7. *n.* 16. Andr. Barbat. *in c. ad audientiam* 31. *de Rescript.* Moventur 1. *c. ad audientiam cit.* verbis ibi: *Recipientes annuas Pensiones, seu Beneficia alia*; nam dictio *alia* similia denotat, prout constat ex *l. si fugitivi* 3. juncta Gloss. *fin. ibid. C. de servis fugitivis*, quæ ait *alia pœna*, *scilicet simili*. ergo denotat Pensiones Beneficia esse. 2. Pensio subrogatur in locum Beneficii, subrogatum autem sapit naturam ejus, in cujus locum subrogatur *arg. l. filiæ* 28. §. *Attiæ* 1. *ff. de condit. & demonstr.* 3. Beneficium Ecclesiasticum definitur, quòd sit Jus spirituale percipiendi fructus, tale jus est Pensio Ecclesiastica. ergo &c. 3

Sed his non obstantibus dicendum Pensionem nec Beneficium esse, nec Beneficii nomine comprehendi. Ita Abb. *in c. ad audientiam cit. num.* 2. Garc. *p.* 1. *de Benef. c.* 5. *n.* 3. Flamin. *l.* 1. *de resign. q.* 10. *n.* 69. Azor *p.* 2. *l.* 3. *c.* 5. *q.* 2. & *l.*8. *c.*5. *q.*4. Hieron. Gonzal. *ad Reg.*8. *gloss.* 5. §.5. *princ.* Emman. Gonzal. *in c.* 21. *de Præb. num.* 6. *circa fin.* Laym. *l.*4. *tr.* 2. *c.* 18. *num.* 1. Pal. *tr.*13. *D.* 1. *p.* 11. §. 1. *n.*4. Leur. *p.* 3. *for. Eccl. q.*440. *n.*3. Matthæucc. *Offic. Cur. Eccl. c.* 36. *n.* 15. Emerix *decis.* 1117. *n.* 1. Pirh. *hic num.*7. Vviest. *n.*9. & cæ- 4

& cæteri DD. passim. Sumitur *c. quamvis* 4. *de Præb. in* 6. ibi, *Eis non in pensione, sed in Beneficiis Ecclesiasticis tantùm volumus provideri*; & ex Trid. *sess.* 21. *c.* 2. *de reform.* ubi deciditur, quòd *ordinari possint obtinentes* Beneficium, non verò *Pensiones, nisi illi, quos Episcopus judicaverit assumendos pro necessitate, vel commoditate Ecclesiarum suarum*: qui textus clarè indicant, pensionem opponi Beneficio. *Ratio est*, quia Beneficium suapte natura perpetuum est, & Spiritualitatem in Officio Spirituali fundatam habet; Pensio autem ad tempus ferè, & aliquando alio, quàm Spiritualis Officii intuitu conceditur: ac proinde ejusdem Spiritualitas non tam in Officii, quàm in personæ Spiritualis qualitate fundatur.

5 Ad Argumenta contraria facilis est responsio. *Ad* 1. dictio *Alia* tum solùm eandem qualitatem denotat, quando materia subjecta dictionis ampliationem admittit: quod non semper fit, uti patet ex illo *Luc.* 23. *v.* 32. *Ducebantur alii duo nequam cum eo*, & *can. Novatianus* 6. *caus.* 7. *q.* 1. ibi, *Ille super eos creare alios Pseudo Episcopos audet*, cùm prius sermo fuerit de veris Episcopis. *Ad* 2. etsi Pensio subrogetur Beneficio, non tamen sequitur, quòd sit Beneficium; aliàs enim Patrimonium Beneficium foret, quia & ipsum subrogatur in locum Beneficii ad Ordines suscipiendos: & ratio est, quia sicut Patrimonium, ita & Pensio Beneficio tantùm subrogatur quoad alimenta, quæ Clerico præbet. *Ad* 3. Beneficium non est qualecunque jus spirituale percipiendi fructus, sed perpetuum esse debet, & fundatum in titulo officii Spiritualis: quorum utrumque Pensioni deest; primum, quia ferè, ad tempus conceditur, & cum vita Beneficiarii extinguitur; alterum, quia etsi Pensionarii ex Constit. Pii V. ut *infrà n.* 27. dicam, obligentur ad recitandum Officium parvum B. V. non tamen propterea iisdem datur, sed in subsidium alimentorum. Aliud dicendum de Pensione concessa Clerico in titulum v. g. Vicariæ, aut Commendæ perpetuæ, cùm enim in hanc requisita pro Beneficio concurrant omnia, dicendum erit eam esse verè & propriè dictum Beneficium, prout bene advertunt Garc. *c.* 5. *cit. n.* 164. Leuren. *q.* 440. *cit. n.* 1. Emerix *citat. decis.* 1117. *n.* 2.

6 Dub. 2. quis imponere Pensiones Beneficiis possit? *Certum est* 1. quòd imponere illas possit Pontifex, easque non temporales solùm, sed etiam perpetuas: & hoc ob plenissimam, quam obtinet, potestatem disponendi de Beneficiis, aliisque Juribus Ecclesiasticis *c. licèt* 2. *de Præb. in* 6. & *Clem.* 1. *ut lit. pend. Certum est* 2. quòd imponere Pensionem saltem temporalem, & quæ ad vitam Pensionarii duret, possit etiam Episcopus, prout de casu, quo bonum pacis, & concordiæ inter duos de Beneficio litigantes sanciendæ id petit, clarum est ex *c. nisi essent* 21. *de Præb.* quod communiter DD. extendunt ad casum alterius etiam rationabilis, & justæ causæ, quæ utilitatem Ecclesiæ concernat, & colligitur ex *c. nisi essent cit.* & *c. extirpandæ* 30. §. *qui verò de Præb.* ubi Episcopis solùm prohibetur, ne pensio designetur *in fraudem*. igitur cessante fraude, (quod fit, si justa, & rationabilis causa id exigat) ab Episcopo constitui Pensio ex proventibus alterius Beneficii potest. *Certum est*. 3. non posse Episcopum, & quemcunque alium Prælatum Papa inferiorem imponere Pensionem perpetuam; nam ita unanimiter DD. juxta quos ex differentiis inter Pensionem à Papa impositam, & inter eam, quæ ab Episcopo constituta est, hæc præcipua ferè est, quòd illa possit esse perpetua, non ista.

7 *Controversia est*, an Episcopus imponere possit Pensionem Beneficio ad vitam Pensionarii, seu ejus, cui Pensio solvitur, ita, ut si Beneficiarius, in cujus Beneficio constituta est, moriatur ante Pensionarium, onus solvendæ Pensionis ad Successorem transeat? Negant Azor *p.* 2. *l.* 8. *c.* 6. *q.* 1. Less. *l.* 2. *de Just. c.* 34. *n.* 206. Sanch. *l.* 7. *moral. c.* 29. *num.* 99. Fagnan. *in c. nisi essent citat. num.* 40. Vvagnan *ibid. in Exeg.* Van Espen *J. E. U. p.* 2. *tit.* 28. *c.* 5. *num.* 14. *& seqq.* Card. de Luca *de pension. disc.* 40. *n.* 5. Clericat. *de Pension. discord.* 1. *n.* 29. Fatinell. *de Translat. Pens. c.* 1. *num.* 2. Fundantur 1. quia, ut *n.* 1. dictum est, Regula generalis est, quòd Beneficia Ecclesiastica sine diminutione conferri debeant, non conferrentur autem sine diminutione, si Pensio imponeretur Beneficio, & ad Successorem in isto transiret. 2. quia reservare pensionem super Beneficio est illi servitutem imponere: quod solus Papa ex suprema potestate à Christo accepta potest. 3. quia Pontifex *c. nisi essent cit.* Pensione non Prioratum, sed Prioris duntaxat personam onerari voluit; oneraretur autem Beneficium, si Pensionis solvendæ onus ad successorem transiret. 4. Quia Impositio Pensionis in collatione Beneficiorum recensetur inter actus Simoniacæ confidentiæ, ut habetur *Constit.* 85. *S. Pii V.* incipit *Intolerabilis* 1. *Jun.* 1569. Imò Paulus IV. Pii Successor, teste Mandos. *tr. de Signat. Grat. in tit. de Pension. vers. hodie pag.* 61. expressè prohibuit imponi Pensionem super Beneficio, de quo alicui per obitum vacante providetur, absque ipsius Papæ expressa licentia. 5. Quia sic declaratum est *à S. Congr. Concil.* teste Granut. *ad Simonett. de reservat. q.* 62. *n.* 295. & Garc. *p.* 1. *de Benef. c.* 5. *n.* 299. Quin antiquo etiam Jure prohibitio hæc Episcopis facta est *c. prohibemus* 7. *de Censib.* & *c. veniens* 8. *de Transact.* quorum priore cavetur, ne novus census, seu Pensio Ecclesiis imponatur, aut vetus augeatur; posteriore autem statuitur transactionem de rebus Ecclesiæ, absque Sedis Apostolicæ authoritate factam, ad Successorem non transire.

Sed dicendum, saltem vi consuetudinis Episcopos imponere posse Pensiones, ad Pensionarii vitam se extendentes. 8 Ita Gambar. *l.* 6. *q.* 11. *n.* 77. Caccialup. *de Pension. q.* 5. Gigas *q.* 85. *n.* 11. Sà *V. Pensio n.* 5. Redoan. *de Simon. p.* 2. *c.* 4. *n.* 14. Garc. *p.* 1. *de Benefic. c.* 5. *n.* 295. Mandos. *ad Reg.* 33. *q.* 14. *num.* 11. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 18. *n.* 3. Pal. *tr.* 13. *D.* 1. *p.* 11. §. 6. *n.* 1. Franc. Leo *Thes. for. Eccl. p.* 2. *c.* 7. *à n.* 28. Leuren. *p.* 3. *for. Benef. q.* 444. *n.* 4. Monacell. *formul. Legal. p.* 2. *tit.* 14. *n.* 5. Pirh. *hic n.* 10. Vviest. *n.* 18. Excipit Garc. *c.* 5. *cit. n.* 333. pacis, & concordiæ causa impositas, ne circa proventus videatur facta aliqua sectio. Colligitur responsio data ex *cap. de cætero* 5. *de transact.* ubi dicitur, quòd *Census*, vel Pensio *absque Episcopali authoritate* imposita ex causa Transactionis, *vitam ejus, qui solverit, non excedat.* ergo per sensum contrarium cum consensu Episcopi potest excedere vitam Beneficiarii solventis, adeoque ipsi Beneficio imponi Pensio, quæ transeat ad Successorem. *Conf.* ex *c. audivimus* 3. *de collus. detegend.* ubi Pensio post Beneficiati obitum Pensionario solvenda propter solam fraudem, in ea constituenda admissam, rejicitur. igitur apertè supponitur, eam, quæ absque fraude, & interveniente Episcopali authoritate, constituta est, solvendam esse.

Neque obstant argumenta contraria. *Ad* 1. Rubrica, & *c. un. h. tit.* intelligendum est de diminutione, quæ 9 in fraudem, vel sine justa causa, aut ab Episcopo in sui ipsius commodum fit. *Ad* 2. esto, quòd Pensio ad vitam Pensionarii duratura sit quædam servitus, hanc imponere Pontifex solus potest, ut, duret perpetuò; pro minore tempore, ut ex probationibus nostris, & praxi constat, potest etiam Episcopus. *Ad* 3. *nisi essent cit.* non agitur de Pensione imposita authoritate Episcopi, sed Arbitrorum, & Judicum Delegatorum, qui etsi à Papa delegati sunt, non possunt sine consensu Episcopi imponere Beneficio Pensiones, quæ ad Successorem transeant; quia per hoc præjudicium fieret Juri Episcopi, utpote qui in casu, quo Beneficiarius ante Pensionarium moritur, non posset beneficium ipsius conferre, nisi diminutum onere Pensionis. *Ad* 4. Bull. *cit.* ut Fagnan. *in c. nisi essent cit. n.* 37. explicat, loquitur solùm de casu, quo Pensionem reservat Episcopus personæ sibi bene visæ, postea determinandæ; nam hæc reservatio Simoniam, & Confidentiam continet. De asserto Pauli IV. non constat authenticè, nec alicubi reperitur, ut ait Gonzal. *ad Reg.* 8. *gloss.* 5. §. 5. *n.* 35. addens, etiamsi reperiretur, per mortem Papæ istius dispositionem illam cessasse. *Ad* 5. Declaratio illa intelligenda est de beneficiis reservatis in manibus Papæ, in quibus Episcopus Pensionem constituere nequit; vel si velis, quòd *S. Congr.* locuta sit generaliter, intelligi debet, quòd non possit Episcopus sine justa causa, vel in perpetuum imponere Pensionem. Eodem modo explicandum est *c. prohibemus cit.* prout *ibi* notat Barbos. *n.* 2. etsi aliàs huic nostræ opinioni contrarius. Textus *c. veniens cit.* non loquitur de pensione solvenda ex beneficio, sed de Transactione super decimarum remissione, & quidem perpetuò duratura, in qua, ut valida illa sit, authoritatem Apostolicam intervenire necesse est, ut Suar. *l. cit. n.* 18. & reliqui DD. *suprà relati* non gravatè concedunt.

Dub. 3. quid requiratur, ut Pensio beneficio imponi possit? Resp. hìc distinguendum est inter Pensionem 10 constitutam à Summo Pontifice, & inter eas, quæ constituuntur ab Episcopo. Nam Pontifex, cùm amplissimam habeat potestatem disponendi in rebus beneficialibus, imponere Pensiones potest quascunque, sive Ecclesiasticas, sive Laicales, sive perpetuas, sive temporales, & duraturas solùm ad vitam Beneficiarii.

2 Idem in constituendis Pensionibus non restringitur ad certam pensionis quantitatem, vel qualitatem beneficii, cui imponitur; imò ut valida sit constitutio pensionis

ab eo facta, neque causa aliqua justa indiget; valet enim, etsi illam sine justa causa in beneficio constituisset, quamvis illicitè ageret. Ita Azor *p. 2. l. 8. c. 5. q.* 8. Garc. *p.* 1. *de Benef. c.* 5. *n.* 275. *& seqq.* Sanch. *l. 7. mor. c. 29. n.* 97. Pal. *tr.* 13. *D.* 1. *p.* 11. §. 2. *n.* 3. Barbos. *l. 3. Jur. Eccl. c.* 11. *n.* 55. Gonzal. *in c.* 21. *de Præb. num.* 8. Leuren. *p.* 3. *for. Benef. q.* 443. *n.* 2. *&* 3. Pirh. *hic n.* 9. *in fin.* Konig *n.* 43. Vviest. *n.* 12. Et quidem quòd valida sit constitutio pensionis à Pont. sine justa causa, constat ex eo, quia eam dando sine justa causa, solùm agit contra SS. Canones, quibus vetatur beneficium cum diminutione conferri; quod autem contra Canones sine causa concedit Pontifex, validè concedit, quippe qui relaxare, & remittere hujusmodi Jura potest. Quòd verò illicita sit talis constitutio, duplex evincit ratio: una, quia, ut minimum, quod sine justa causa fit, leviter ac temere fit; altera, quia speciem dissipationis bonorum Ecclesiasticorum præfert, cons. ratam illam Christus non habet.

11 3 In constitutione pensionis Pontifex nec Beneficiarii, nec Patroni consensu indiget, quamvis ex Stylo Curiæ Romanæ imponere Papa pensiones beneficiis non soleat, nisi expressè derogetur Juri qualicunque, quod beneficiarius, vel Patronus ad consentiendum habet: quæ causa est, quòd pro subreptitiis haberi debeant Litteræ Apostolicæ, quæ in beneficio Patronato pensionem constituunt, non facta mentione Patronatus; quia Papa non præsumitur velle beneficium Patronatum pensione onerare, si non exprimat, ne Laici à piis fundationibus faciendis facilè absterreantur. Covar. *pract. c.* 36. *num.* 10. Garc. *p.* 1. *c.* 5. *num.* 361. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *cap.* 18. *n.* 2. *q.* 3. Leuren. *p.* 3. *q.* 464. *per totam.* Pirh. *hic n.* 16. Vviestner *n.* 26. Ob eandem rationem in Litteris Apostolicis, quibus pensio impetratur, ne Subreptitiæ sint, mentio fieri debet pensionis, si qua in eodem beneficio jam priùs alteri esset constituta; quia non præsumitur Papa velle duplici onere gravare Ecclesiam, ut ex communi docet Azor *p.* 2. *l.* 8. *c.* 9. *q.* 3. Gambar. *l.* 6. *n.* 162. Pirh. *n.* 17. Vviest. *n.* 27.

12 Magis restricta est facultas imponendi pensiones in Episcopo; nam 1. ut rectè imponatur, opus est justa causa, ita quidem, ut si Episcopus sine hac pensionem imponeret, invalida esset hujusmodi impositio. Garc. *p.* 1. *de Benef. c.* 5. *n.* 296. *&* 322. Vvagn. *in c. un. h. tit. not.* 4. Clericat. *de Pension. discord.* 1. *n.* 14. Leuren. *p.* 3. *q.* 455. *n.* 1. Vallens. *hic n.* 3. Konig *n.* 43. Debetque hæc causa exprimi, si non aliunde appareat, eaque probari; aliàs pensio in fraudem imposita beneficii præsumetur. Garc. *c.* 5. *cit. n.* 324. Gonzal. *in c.* 21. *de Præb. n.* 8. Clericat. *discord. cit. n.* 24. Card. de Luca *de Pension. disc.* 40. *n.* 4. Vviest. *hic n.* 14. *Ratio est*, quia generaliter nudæ assertioni ejus, qui actum liberè, & sine justa causa facere non potest, fides non habetur, nisi de illius veritate constet *arg. l. si fortè* 8. *ff. de Castren. Pecul.* Porro quænam causa sufficiens sit, ut Episcopus pensionem possit imponere, aliquale apud DD. litigium est; nam Granutius apud Garc. *l. cit. n.* 297. existimat non posse Ordinarium pensionem imponere, nisi pro bono pacis, & concordiæ; sed in contrarium stat torrens DD. juxta quos Episcopus cum consensu sui Capituli imponere Beneficiis ad vitam saltem Beneficiati pensiones potest etiam ex alia justa, & rationabili causa, quæ Ecclesiæ utilitatem concernat v. g. ob merita, aut ministerium Ecclesiæ exhibitum, vel exhibendum; ad sustentationem Parochi, vel alterius Clerici, propter senium, infirmitatem &c. renuntiantis beneficio; pro subsidio pauperum Scholarium; pro sublevanda necessitate egentium, vel alio pio usu: & colligitur hoc ex *c. nisi essent*, & *c. extirpandæ* allegatis *suprà n.* 6.

13 2 Pensiones debent esse moderatæ, ut tantum remaneat Beneficiato, quo commodè se sustentare, pauperum necessitati succurrere, hospitalitatem erga peregrinos exercere, Jura Episcopalia solvere, & alia onera ipsi incumbentia præstare possit juxta *c. de Monachis* 12. *de Præbend.* aliàs pensio imposita ad debitam quantitatem reducenda est. Azor. *p.* 2. *l.* 8. *c.* 8. *q.* 5. Garc. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 366. *& seqq.* Honor. *hic n.* 15. Pirhing *n.* 14. & ratio est, quia non debet unum Altare discooperiri, ut aliud cooperiatur *arg. c. cùm causam* 36. *de Præbend.* Procedit hoc maximè in beneficiis Parochialibus; quia si horum reditus nimiùm diminuerentur, non facilè invenirentur viri docti, & ad illa idonei, qui ad ea aspirarent, cum magno Ecclesiæ, & animarum damno. Hinc pensionibus onerari non possunt Ecclesiæ Cathedrales, quæ mille, Dignitates, Canonicatus, & beneficia Parochialia, quæ centum, beneficia Simplicia, quæ 24. Ducatorum summam annui reditus non excedunt, prout de Ecclesiis Cathedralibus, & beneficiis Parochialibus definivit Trid. *sess.* 24. *c.* 13. *de reform.* de Dignitatibus, Canonicatibus, & cæteris beneficiis Simplicibus docet Azor. *c.* 8. *cit. q.* 7. *in fin.* Flamin. *de resign. l.* 6. *q.* 2. *à n.* 28. Vall. *l.* 4. *de Benef. tit.* 3. *n.* 8. Leuren. *p.* 3. *for. Benef. q.* 470. Honor. *hic n.* 10. *&* 11. Konig *n.* 42. Vviest. *n.* 15. & habet Stylus Romanæ Curiæ. Cætera, quæ valorem istum excedunt, onerari quidem pensionibus possunt, ita tamen, ut quod nomine pensionis extrahitur ex reditibus beneficii, tertiam partem illorum non excedat; aliàs si excesserit, justa non censebitur. Azor. *q.* 5. *cit.* ubi excipit beneficia Simplicia; nam istis teste Flamin. *q.* 2. *cit. n.* 26. hodie de Stylo Curiæ pensio regulariter imponitur usque ad medietatem fructuum.

3 Si in beneficio alterius constituatur pensio, necessarius de Jure est consensus Beneficiati, sive Clerici illud obtinentis; quia Episcopus Juri Pontificio, quo hic consensus requiritur, derogare non potest. Cacialup. *tr. de Pension. q.* 5. Gigas *simili tr. q.* 15. Azor. *p.* 2. *l.* 8. *c.* 8. *q.* 6. Garc. *p.* 1. *de Benef. c.* 5. *n.* 320. Pal. *tr.* 13. *D.* 1. *p.* 11. §. 5. *n.* 1. Leuren. *p.* 3. *for. Benef. q.* 457. Sufficit autem consensus tacitus, qualis præsumitur ex diuturna observantia factæ solutionis, nisi per contrariam probationem, & veritatem ex hac apparentem elidatur. Leur. *p.* 3. *cit. q.* 461. *Ratio est*, quia consensus Beneficiarii non requiritur pro solemnitate de forma præcisa; actus autem, pro forma præcisa non requisitus, impletur per quodvis æquipollens implementum, ergo &c. Casu, quo beneficium Rectorem non habet, inter se DD. dissident. Garc. *n.* 320. *cit.* putat eo casu posse pensionem imponi absque eo, quòd tunc consensus aliquis requiratur. Sed Azor. *q.* 6. *cit.* Pal. *n.* 2. Leur. *q.* 458. Pirh. *hic n.* 15. Vviest. *n.* 25. & communis aliorum vult, tunc constituendum beneficio Defensorem, qui loco Beneficiarii consentiat pensioni: & suadet hoc etiam ratio; quia licèt pensionis impositio alienatio propriè non sit, ejus tamen speciem refert, & naturam imitatur, igitur sicut vacanti beneficio constituendus est Defensor, qui consentiat in alienationem, ita etiam, qui consentiat in constitutionem pensionis in beneficio vacante. 14

4 Si beneficium sit Patronatum, Episcopus in eo pensionem constituere nequit sine consensu Patroni: in quo tamen distinguendum videtur inter pensionem, quæ imponitur Beneficiario, & ad Successorem non transit, & inter eam, quæ imponitur beneficio, & transit ad Successorem. *Ad primam* imponendam spectato Jure communi, & secluso speciali privilegio, vel consuetudine, Episcopus consensu Patroni opus non habet, nisi immoderata sit, & nimis onerosa; tunc enim Patronus petere posset, ut extinguatur, vel ad debitam quantitatem redigatur. *Secundam* ut ritè imponat, consensus Patroni eidem est necessarius, nisi fortè casu, quo hic ab Episcopo requisitus consentire irrationabiliter renuit, & Ecclesiæ magna utilitas illud exigit. Ita Garc. *p.* 1. *de Benef. c.* 5. *n.* 359. *&* 360. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 18. *n.* 4. Vall. *l.* 4. *de Benef. tit.* 4. *n.* 6. Leuren. *p.* 3. *for. Benef. q.* 465. Vviest. *hic n.* 27. *Ratio est*, quia per impositionem pensionis, ad vitam Beneficiarii duraturæ, solus gravatur Beneficiarius, non beneficium, quod proinde æstimabilitatem suam priorem retinet, cons. nullum patrono fit præjudicium: Contrà per impositionem pensionis, transituræ ad Successorem, oneratur ipsum beneficium, quod proinde, quamdiu onus pensionis sibi annexum habet, minùs est æstimabile; cons. Patrono fit præjudicium, quippe qui ab eo, quem ad beneficium sic oneratum præsentaverit, gratitudinem minorem sperare potest. atqui opus est consensum exquiri ejus, de cujus præjudicio agitur. igitur in secundo, non primo casu Patroni consensus requiri ab Episcopo pensionem constituturo debet. 15

5 Denique ut pensionem Episcopus ritè imponat, aliæ quædam circumstantiæ observandæ sunt. Nam 1. non potest Episcopus pensionem imponere ex causa resignationis, quæ fit in favorem; quia hæc in Episcopi manibus fieri non potest secundùm dicta *Lib.* 1. *tit.* 9. *n.* 23. In permutatione beneficiorum ad coæquandos fructus ab Episcopo pensionem imponi posse illi, qui pinguius beneficium commutavit cum tenuiore, cum Navarro, & aliis putat Clericatus *de Pension. discord.* 1. *n.* 19. Sed etiam hoc casu necessariam esse authoritatem Papæ, defendunt Suar. *tom.* 1. *de Relig. l.* 4. *de Simon. c.* 37. *n.* 17. Garc. *p.* 1. *de Benef. c.* 5. *n.* 344. Tondut. *de Pension. c.* 16. *num.* 12. *&* 20. estque hæc communior, & magis recepta sententia. 2. non potest Episcopus etiam cum Capituli sui consensu imponere pensiones beneficiis, easque applicare Mensæ suæ, aut capitulari; quia sic applicando authoritatem præstaret in facto proprio, & suam utilitatem spectante, quod pugnat cum textu *Clem.* 2. *de reb. Eccl. non alien.* 3. non potest 16

test imponere pensionem perpetuam, ne cum facultate transferendi illam ad alterum, ut ex receptissima sententia tradit Fagn. *in c. nisi essent* 21. *de Præbend. n.* 28. *& seqq.*

17 Dub. 4. in quibus beneficiis, in quibus istorum fructibus, quando & qua forma pensio constitui possit? Resp. *ad* 1. Pensio constitui in omnibus beneficiis potest, tam Curatis, quàm non Curatis, saltem à Summo Pontifice. *Excipiuntur*, quæ non habent abundantes reditus. Tales juxta dicta *n.* 13. censentur Ecclesiæ Cathedrales, quæ mille, Dignitates, Canonicatus, & beneficia Parochialia, quæ centum, beneficia Simplicia, quæ 24. ducatorum summam annui reditus non excedunt.

Ad 2. Non censetur pensio imposita super reditibus incertis, sive Distributionibus quotidianis, nisi id exprimatur. *Proceditque hoc*, etsi adjecta sit clausula generalis, qua dicitur pensio imposita *super reditibus, fructibus, & proventibus universis*. Azor. *p.* 2. *l.* 8. *c.* 8. *q.* 17. Garc. *p.* 1. *de Benef. c.* 5. *n.* 379. & 387. Pal. *tr.* 13. *D.* 1. *p.* 11. §. 4. *n.* 3. Leuren. *p.* 3. *for. Benef. q.* 480. *n.* 1. & *q.* 481. *n.* 3. Honor. *hic num.* 12. & 13. Pirh. *ibid. n.* 14. *in fin. Ratio est*, quia hæ Distributiones, & reditus incerti non sunt fructus beneficii, sed stipendium, & merces laboris, ideoque sub nomine generali fructuum, & redituum non comprehenduntur, nisi aliunde ex subjecta materia, vel Stylo Curiæ constaret contrarium.

18 *Ad* 3. Reservatio pensionis fieri potest tum ante collationem beneficii, tum postquam collatum est, frequentiùs autem fieri solet in ipsa collatione. Leuren. *q.* 494. Honor. *nu.* 7. Schamb. *nu.* 7. Si imponatur, postquam collatum est beneficium, fieri id debet cum consensu ejus, cui collatum est; quia habet jus beneficio. *Conf.* quia post collationem beneficium non ampliùs vacat. atqui beneficio vacanti imponi pensio sine Beneficiarii consensu nequit; quia huic, possidenti liberè fructus suæ Præbendæ, onus imponendum non est, ut in terminis scribit Innoc. *in c. unic. n.* 6. *h. tit.* Si pensio imponatur in ipsa collatione, curandum, ut reservatio illius ab omni periculo, & suspicione Simoniæ quàm remotissima sit. Hinc quando pensio ab Episcopo, vel alio Papa inferiore constituitur cedenti lite ob concordiæ bonum, oportet, ut ea ab arbitrio potiùs, & jussu Episcopi, quàm à pactione, seu conventione partium litigantium initium sumat per *c. nisi essent* 21. *de Præbend.* ibi *Non quidem ex pactione partium, sed ex jussione Judicum*; nam qui de pensione priùs inter se conveniunt, & postea adeunt Judicem, ut authoritatem suam interponat, eamque ratam habeat, de Simoniæ labe suspecti redduntur, ut notat Garc. *p.* 1. *de Benef. c.* 5. *n.* 340. Fagn. *in c. nisi essent cit.* Vvieft. *n.* 20. *hic* Proceditque hoc de quacunque pactione, qua pensio temporalis, aut non merè Spiritualis constituitur in Beneficio. Aliud dicendum in casu, quo pensio cum Spiritualis officii onere alicui annexa constituitur; hæc enim à prævia, & in Superioris approbatione relata conventione partium Simoniæ labe non inficitur, ut rectè advertit P. Vvieft. *hic num.* 21. & rationem dat; quia tali casu agitur de Spirituali cedendo pro Spirituali, cui accessoriè annexum temporale non obest.

19 *Ad* 4. Præter consensum Beneficiarii, & Patroni, ac alia *suprà relata* ad formam imponendi pensionem in beneficio pertinet, ut in impetratione illius mentio fiat pensionis alterius jam antè constitutæ in beneficio. Azor. *p.* 2. *l.* 8. *c.* 9. *q.* 3. Flamin. *l.* 6. *de resign. q.* 2. *à num.* 40. Garc. *p.* 1. *de Benef. c.* 5. *n.* 561. Pal. *tr.* 13. *D.* 1. *p.* 11. §. 5. *num.* 5. Leuren. *p.* 3. *for. Benef. q.* 502. *num.* 1. *Ratio est*, quia non præsumitur Pontifex velle duplici onere gravare Ecclesiam; & si sciret hanc circumstantiam, difficiliùs imponeret illam pensionem, vel etiam simpliciter non imponeret: quo fit, ut ob taciturnitatem pensionis priùs impositæ beneficio gratia concessa sit nulla. Flamin. *n.* 44. cum reliquis *citt.* Proceditque hoc probabiliùs etiam casu, quo impetrans beneficium, in quo petit sibi constitui pensionem, bona fide existimavit esse liberum, & non gravatum pensione; quia ratio allata probat confessionem processisse ex errore. Gambar. *de Offic. Legat. l.* 6. *num.* 126. Pal. §. 5. *cit. n.* 6. neque improbat Azor. *suprà q.* 3.

20 Dub. 5. quisnam obtinere pensionem ex beneficio Ecclesiastico possit? Resp. distinguendum inter pensionem Temporalem, & Ecclesiasticam. *Temporalis* concedi etiam Laico potest, & non ratò conceditur ob merita, & servitia Ecclesiæ exhibita, vel exhibenda; Ab alio tamen, quàm Summo Pont. concedi nequit, ut rectè advertunt Leuren. *p.* 1. *q.* 308. & *p.* 3. *q.* 511. *n.* 1. Card. de Luca *in Summ. de Pension. num.* 5. & 6. Clericat. *de Pension. discord.* 3. *num.* 7. & *seqq.* Fatinell. *de translat. Pension. c.* 2. *num.* 1. P. Vvieftner *hic num.* 22. *Ratio est*, quia jus percipiendi fructus, vel eorum portionem, Spiritualis Officii titulo annexum, ab hoc separare, & profanum reddere Pontifex solus potest.

Ut pensionis Ecclesiasticæ aliquis capax sit, requiritur 1. *ut sit Clericus*, saltem prima tonsura initiatus: quod adeo verum est, ut si ejusmodi pensio ab alio, quàm Summo Pont. conferatur Laico, collatio sit invalida, maneatque invalida, etsi collatatius post eam obtentam efficiatur Clericus. Azor. *p.* 2. *l.* 8. *c.* 7. *q.* 3. Garc. *p.* 1. *de Benef. c.* 5. *num.* 10. Less. *l.* 2. *de Just. c.* 34. *num.* 203. Pal. *tr.* 13. *D.* 1. *p.* 11. §. 3. *n.* 1. Leur. *p.* 3. *q.* 511. *num.* 4. & *q.* 512. *n.* 1. Matthæucc. *Offic. Cur. Eccl. c.* 49. *num.* 14. Monacell. *p.* 2. *form. Leg. tit.* 14. *n.* 3. Clericat. *de Pension. discord.* 1. *n.* 25. & *duob. seqq.* Fatinell. *de transl. pens. c.* 2. *n.* 1. & 2. & hoc teste statuit Sixtus *V. const.* 92. *Proceditque hoc*, quamvis sit Religionis Novitius; quia per ingressum in Religionem quidem fit persona Ecclesiastica, non tamen Clericus. Fatinell. *c.* 2. *cit. n.* 48. 21

2 *Ut non sit Conjugatus*; quia Clerici conjugati præter privilegium Canonis, & fori in criminalibus quoad cætera habentur pro Laicis, Fatinell. *c.* 2. *cit. n.* 23. 3. *non Bigamus*; quia Bigamia retrudit ad Statum Laicalem. Fatinell. *n.* 27. 4. *non Excommunicatus*, vel *Suspensus*, ut patet ex Stylo Curiæ Romanæ, quo in reservatione pensionis regulariter consuevit apponi clausula, *Teque absolventes*, quibus verbis pensionatius absolvitur à quacunque Excommunicatione, Suspensione, & Interdicto ad effectum reservationis consequendum, quod necessarium non esset, si hæ Censuræ non redderent incapacem. Pal. §. 3. *cit. num.* 7. 5. *non Religiosus*, si beneficium, in quo constituitur pensio, sit Sæculare; nam sicut beneficii Sæcularis, ita & pensionis ex beneficio Sæculari Religiosus est incapax. Azor. *c.* 7. *cit. q.* 11. Garc. *n.* 139. Pal. *n.* 9. Pirh. *n.* 12. 22

6 *Ut habeat ætatem legitimam*. De quantitate ætatis controversia est apud DD. Garc. *n.* 129. Less. *n.* 203. Pirh. *n.* 12. Vvieft. *n.* 24. requirunt ætatem, quæ requiritur ad obtinendum Beneficium simplex, qualis novo Jure Trid. *sess.* 23. *c.* 6. *de reform.* est annus 14. saltem inchoatus. Sed contrarium defendunt Leuren. *p.* 3. *q.* 519. *num.* 1. & 2. Monacell. *p.* 2. *form. legal. tit.* 14. *num.* 3. Fatinell. *cap.* 2. *cit. num.* 45. juxta quos capax pensionis est omnis ille, qui validè, & licitè charactere Clericali est insignitus, quamvis sit minor 14. annis, dummodo sit major septennio: & ita declaratum est à *S. Congreg. Concil. in Nullius* 24. *Martii* 1627. ut Fatinellus *l. cit.* receptum Stylo Datariæ, ut Barbos. *l.* 3. *Jur. Eccl. c.* 11. *n.* 42. *in fin.* & usu passim, ut Fagnan. *in c. cum in cunctis n.* 102. *de Elect.* testantur. Neque obstat Trid. *sess.* 23. *c.* 6. *de reform.* statuens nullum Clericum ante 14. ætatis annum posse obtinere beneficium, cujus dispositionem locum habere in pensione, declaratum fuisse à S. Congreg. asserunt Garc. *n.* 129. & Narbon. *de ætat. ann.* 14. *q.* 59. *n.* 13. nam Declaratio hæc, cùm falsam illam esse testetur *l. cit.* Fagnanus in Curia Romana 50. propè annis versatus, ideo movere neminem debet; sed neque Decretum Trid. *cit.* quippe quod de beneficiis solùm loquitur, quorum appellatione pensio in odiosis non venit. 23

7 *Ut non sit Irregularis*. Ut quidem volunt Flamin. *l.* 4. *de resign. q.* 3. *n.* 37. Molin. *tr.* 3. *de Jud. D.* 78. *n.* 2. Barbos. *l.* 3. *Jur. Eccl. c.* 11. *n.* 46. & alii plures apud Fatinell. *c.* 2. *cit. n.* 15. idque ob paritatem cum Excommunicato, & suspenso; nam ideo Excommunicatus, & suspensus est incapax pensionis, quia non habet Ordinem exercibilem, & productivum effectuum ex Clericatu promanantium; quæ ratio procedit etiam in Irregulari. *Conf.* quia pensionum Ecclesiasticarum incapaces absque dispensatione Apostolica Irregulares facit Stylus Curiæ, quem nec Concilium Trid. nec alia Constitutio Apostolica constat correxisse. Sed dicendum non esse incapaces: & ita resolvit S. Congregatio in Cremonensi apud Garc. *p.* 1. *de Benef. c.* 5. *n.* 135. item 8. *August.* 1577. apud Pignatell. *tom.* 6. *consf.* 73. *n.* 4. & iterum 16. *Febr.* 1639. ac rursum 24. *April.* 1655. apud Fatinell. *de transl. pens. c.* 2. *cit. n.* 14. quæ Resolutiones, & aliæ omnes, cùm fiant per Patres amplissimos, Viros pietate, doctrina, & rerum usu præstantes, quique eas, cùm magni momenti sunt, antequam illas publicent, ad Sanctissimum referunt, reverenter suscipiendæ sunt, 24

& Le-

& Legis loco habendæ, quippe cùm eadem Congregatio jus interpretationis authoritativæ habeat ex *Conft.* 74. Sixti V. quod jam antea ftatuerat Pius IV. *Conftit.* 82. *Bullar. nov. tom.* 2. *pag.* 122. ubi Deputat Cardinales, qui ejufdem Concilii Decreta obfervari faciant in Tribunalibus Cameræ, Rotæ, & aliis omnibus Romanæ Curiæ.

25 Ex quo fequitur, etiam illegitimum, fi ad primam faltem tonfuram fit difpenfatus, abfque alia Difpenfatione, vel habilitatione obtinere penfionem etiam Ecclefiafticam poffe. Garc. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 116. Lotter. *de re Benef. l.* 1. *q.* 40. *n.* 143. Corrad. *Prax. difpenf. l.* 3. *c.* 1. *n.* 17. Gonzal. *ad Reg.* 8. *gloff.* 5. §. 5. *n.* 24. Gratian. *difcept. for. c.* 218. *num.* 64. Leuren. *p.* 3. *q.* 520. Vincent. Petra *tom.* 4. *comment. fol.* 321. *n.* 30. Fatinell. *de Tranflat. Penf. c.* 2. *n.* 29. & hoc tefte eft perpetua fententia Rotæ. *Ratio eft*, quia illegitimus non eft penfionis incapax ratione illegitimitatis (penfio enim Ecclefiaftica, licèt fit Spirituali annexa, eft quoddam Jus temporale, quod nomine beneficii non venit, etiamfi affignetur loco ejufdem) fed eatenus folùm, quatenus ante difpenfationem ad Clericatum Ecclefiafticam penfionem, quippe quæ fecundum dicta *n.* 20. Clericis folis confertur, obtinere non valet. igitur ftatim ac illegitimus prævia difpenfatione promovetur ad Statum Clericalem, efficitur capax penfionis, non quia remotum fuit impedimentum illegitimorum natalium, fed quia fegregatur a Laicis, & adjicitur cœtui, ac Ordini Clericali. Idem dicendum de Irregulari ex caufa patrati homicidii; nam capax penfionis manet, prout decifum eft *in Novarienfi* 24. *April.* 1655. apud Petram *l. cit. n.* 31. Idem de eo, qui laborat defectu ætatis requifitæ; nam etiam infans, fi difpenfatus fit ad Clericatum, hoc ipfo fit capax penfionis, quippe qui ideo folùm iftius eft incapax, quia fine difpenfatione Clericus effe non poteft. Rota apud Petram. *n.* 32.

26 Dub. 6. quænam fit obligatio Beneficiarii, in cujus beneficio conftituta eft penfio Ecclefiaftica, & Penfionarii obtinentis hujufmodi penfionem? Refp. fi Penfionarius juftificaverit penfionem, tenetur Beneficiarius eam folvere, & quidem fub gravi; quia in Litteris penfionis refervatæ præcipitur ejus folutio fub graviffima pœna Excommunicationis, quæ gravem fupponit culpam. Pal. *tr.* 13. *D.* 1. *p.* 11. §. 6. *n.* 1. Laur. *p.* 3. *q.* 544. *n. un. Proceditque hoc*, etiamfi fructus beneficii uno, vel altero anno deficiant; nam adhuc integra penfio à Beneficiario præftari debet: & ratio eft, quia funt onus reale beneficii, neque debentur præcisè intuitu fructuum, cùm nec augeantur, licet fructus beneficii ubertim crefcant; ficque defectus fructuum unius anni ubertate alterius compenfatur *arg. c. propter fterilitatem* 3. *de locat. & conduct.*

27 Penfionarii hodie triplex eft obligatio. Nam 1. tenetur recitare Officium parvum B. V. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 18. *n.* 2. *verf. porro.* Leuren. *p.* 3. *q.* 537. *n.* 2. & 3. Matthæucc. *Offic. Cur. Eccl. c.* 36. *n.* 15. Impofita hæc obligatio penfionariis eft à S. Pio V. apud Garc. *p.* 1. *de Benef. c.* 5. *n.* 17. eftque fimilis Beneficiatorum obtinentium beneficium: & hinc ficut illi, fi Horas Canonicas recitare omittant, fructus non faciunt fuos, ita nec fructus penfionis Penfionarius, fi Officium B. V. omittat dicere Garc. *l. cit. n.* 67. Vall. *de Benef. l.* 4. *tit.* 6. *n.* 2. Vvieft. *hic n.* 28. Dixi *Officium parvum B. V.* nam ad Horas Canonicas, feu Officium Divinum Penfionarius non obligatur, nifi vel beneficium habeat, vel in Sacro aliquo Ordine fit conftitutus. Suar. *l.* 4. *de Hor. Can. c.* 22. *n.* 6. Pal. *tr.* 7. *D.* 2. *p.* 1. §. 2. *n.* 6. Leur. *q.* 537. *cit. n.* 1. Vvieft. *hic n.* 28. *cit.* Imò Penfionarius, qui aliunde vel ex beneficio, vel ratione Ordinis Sacri ad Horas Canonicas obligatur, obligationi fuæ fatisfacit, fi ifta recitet, prout advertunt DD. *cit.* & ratio eft, quia Papa imponens recitationem Officii parvi non voluit Penfionariis majorem obligationem imponere, fed eam, quam alii ratione beneficii, vel SS. Ordinum habent, diminuere: quod non fieret, fi præter Horas Canonicas teneretur recitare Officium B. V.

28 2 Penfionarius obligatur ad deferendum habitum, & tonfuram Clericalem; aliàs penfione fua ipfo facto privatur ex *Conftit. Pii V.* 71. & *Sixti V.* 30. apud Garc. *à n.* 10. Martam *de Jurifdict. p.* 2. *c.* 32. *n.* 45. Clericat. *de Penfion. difcord.* 8. *n.* 18. Matthæucc. *Offic. Cur. Eccl. c.* 49. *n.* 14. Hodie tamen ex ejufdem *Sixti V. Conftit.* 31. apud Garc. *n.* 13. ad habitus, & tonfuræ declarationem non obligantur Penfionarii, nifi penfiones, quas obtinent, fimul fumptæ excedant fummam 60. ducatorum auri de Camera: nec antea datur hæc obligatio, quàm poftquam penfiones hujufmodi percipere cœperint, vel per ipfos ftetit, quo minùs eas percipiant.

3 Pro rata fructuum, quos percipit ex beneficio alieno, per fe, & fpectato Jure communi, tenetur ad onera annexa Beneficio, ex quo Penfionem percipit, v. g. ad fubfidium Charitativum; & Collectas, quæ propter neceffitatem, vel aliam publicam caufam Beneficio, ejufque fructibus imponuntur. Azor. *p.* 2. *l.* 8. *c.* 9. *q.* 2. Garc. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 171. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 18. *num.* 7. Leur. *p.* 3. *q.* 451. *n.* 1. Petra *tom.* 4. *comment. fol.* 346. *n.* 28. Pirh. *hic n.* 19. Schamb. *n.* 8. Konig *n.* 46. Vvieft. *num.* 30. *Ratio eft*, quia nimis difficile Beneficiato foret, fi poftquam Beneficii fui reditus per Penfionem diminuti funt, onus tamen maneret idem. Accedit, quia juxta *Reg.* 77. *in* 5. qui fentit commodum, etiam fentire debet onus ei annexum. Atqui dum partem fructuum Penfionarius ex Beneficio percipit, commodum fentit ex Beneficio. Igitur fecundùm proportionem etiam fubire debet onera impofita Beneficio. *Excipitur*, fi ex fpeciali gratia Apoftolica alicui conftituta fit Penfio exempta, & ab omni onere ejufmodi libera; nam eo cafu onera illa foli Beneficiato imminent. Garc. *n.* 172. Lotter. *l.* 1. *q.* 38. *n.* 23. Barbof. *l.* 3. *Jur. Eccl. c.* 21. *num.* 44. Leuren. *p.* 3. *q.* 451. *n.* 1. Solent tamen hoc cafu, & debent Penfiones in minore quantitate conftitui, ne aliàs Beneficiarius nimiùm prægravetur. 29

Dub. 7. Utrum Succeffor in Beneficio Penfione onerato teneatur folvere etiam Penfiones, quas Beneficiarius cedens, aut mortuus, prætéritis annis non folverat? Confentiunt fatis DD. 1. fi Penfiones nondum folutæ extent apud Succefforem, eas ab hoc folvendas; contrà folvendas ab hærede, fi extent apud hæredem. 2. Si Anteceffor eas convertit in utilitatem, & commodum Ecclefiæ, eas folvendas à Succeffore; & viciffim fi infumpfit in utilitatem hæredis, folvi debere ab ifto. 30

Vis quæftionis in eo confiftit, an quando Anteceffor eas vel malè confumpfit, vel in fuos privatos ufus impendit, debeat illas folvere is, qui fuccedit in hæreditate, an qui in Beneficio? *Prius* defendunt Caccialup. *de Penfion. q.* 11. Gambar. *de Offic. Legat. l.* 6. *q.* 11. *n.* 441. Konig *hic n.* 40. Ratio illorum eft, quia is, qui fucceffit in Beneficio, nihil percepit ex fructibus præteritis, cùm illos retinuerit fibi, atque confumpferit Beneficiarius prior. Igitur nulla videtur ratio, ob quam ad penfiones reftantes folvendas adftringatur Succeffor in Beneficio; eft autem ratio, quare adftringatur fucceffor in hæreditate; cùm ad hunc etiam alia onera hæreditaria cum hæreditate tranfeant. 31

Pofterius propugnant Azor. *p.* 2. *l.* 9. *c.* 8. *q.* 14. Garc. *p.* 1. *c.* 5. *num.* 191. Van Efpen *p.* 2. *tit.* 28. *c.* 5. *num.* 17. Monacell. *p.* 2. *form. legal. tit.* 14. *num.* 13. Clericat. *de Penfion. difcord.* 4. *num.* 9. & *feqq.* & *difcord.* 9. *num.* 23. Honor. *hic num.* 44. Rationem dant, quia Penfio eft onus reale impofitum Beneficio, quod proin cum Beneficio ad Succefforem tranfit: & licèt ad Succefforem in Beneficio non pervenerint Penfiones præteriti temporis, pervenit tamen ad ipfum Beneficium, quod eft obligatum Penfionario, cum onere reali. *Confirmant* paritate cum vectigalibus, & tributis, quæ etiam pro tempore anteacto fub anteceffore, fi hic illa non folvit, folvere Succeffor debet *l. Imperatores* 7. *ff. de Publican. & vectig.* 32

Utrique fententiæ dandum aliquid, & dicendum, fi Beneficiarius cedens, vel ejus mortui hæredes conveniri poffunt pro penfionis decurfæ folutione, priùs ipfos conveniendos, antequam conveniatur fucceffor in Beneficio; quia ipfi directè funt obligati, maximè fi fructus aliquos Beneficii retineant, quippe quo cafu Hypothecaria actio in eofdem datur. Quodfi autem excuffione Beneficiarii, aut hæredis facta, folvendis Penfionibus non fuffecerint, tum demum pro folutione iftarum recurrendum ad Succefforem; quia licèt fructus tempore anteceffori percepti obligati fint ipfo Jure pro folutione penfionis, non tamen determinatè, fed tantùm fi extent: unde cafu, quo ante penfionis folutionem confumpti funt, in eorum locum fubrogantur fructus reliquorum fequentium annorum ex Beneficio eodem percepti. *Et confirmatur* hoc ex cafu, quo Beneficiarius ipfe confumpfit fructus Beneficii integros, quo cafu ille à penfione illius anni folvenda non liberatur, fed folutionem præftare ex fructibus aliorum annorum debet. 33

Dub. 8. Utrum Beneficiarius Penfionem Beneficio fuo impofitam redimere, h. e. aliquid dare poffit, ut obligatio Penfionis per hoc extinguatur? Diftinguunt plerique, & 1. quidem *Penfionem temporalem* concedunt abfque Simonia redimi, aut etiam pretio vendi poffe. Ita poft Sotum, & Victorianı Leff. *l.* 2. *de Juft. c.* 35. *n.* 123. quia hæc, poftquam à Spirituali titulo Beneficii fepara- 34

patata est, nec Spiritualis est, nec Spiritualibus annexa, & per consequens nec materia Simoniæ.

35 2 *Pensio Spiritualis*, seu *Ecclesiastica* nec redimi, nec vendi, aut pretio commutari citra Simoniam potest. Ita Suar. *tom.* 1. *de Relig. l.* 4. *de Simon. c.* 26. Sanch. *l.* 7. *mor. c.* 29. *n.* 8. Less. *c.* 35. *cit. n.* 122. & hoc teste communis DD. *Quòd redimi nequeat*, ratio est, quia redemptione extingueretur obligatio Pensionarii; supponitur autem hanc debere manere, ut Officium Spirituale præstetur. *Quod vendi non possit*, patet ex eo, quia datur propter Officium Ecclesiasticum, & in eo fundatur non minùs, ac in Beneficis Præbenda. Igitur sicut pro præbenda non potest quidpiam dari, ita nec pro tali Pensione. Quodsi tamen Pensionarius retineret suam obligationem, possent redimi fructus triennii, sicut & elocari; quia tali casu non jam Pensio, seu jus Pensionis, sed soli fructus redimerentur, quod fieri absque Simoniæ vitio potest, cùm illi sint merè temporales, & à titulo Spirituali separabiles. Less. *l. cit.*

36 3 *In Pensione mixta* distinguendum est inter Jus antiquum, & Stylum Romanæ Curiæ. *Priori spectato*, talis Pensio sine Simonia tam redimi, quàm vendi potest. Ita Cajet. *tom.* 1. *opusc.* 31. *resc.* 10. Less. *c.* 35. *cit. n.* 124. & 125. & hoc teste passim DD. *in Clem. un.* §. *eadem quoque de suppl. negl. Ratio est*, quia pensiones hujusmodi solùm propter causas temporales, & alimenta dantur, & solùm subjectivè sunt Spirituales, quatenus sc. solis Personis Ecclesiasticis conferuntur, & aliquando propter officium Spirituale præteritum, tanquam conditionem, sine qua non datentur, ut rectè advertit Less. *n.* 126. *At de Stylo Curiæ Romanæ* hujusmodi Pensiones absque Pontificis facultate vendi non possunt: & vendens punitur ut Simoniacus. An sine Apostolica authoritate redimi queant, dissidium est inter DD. Affirmant Cajet. Suar. Tolet. quibus assentitur Less. *l. cit. n.* 129. modò non ante resignationem pactum præcesserit de Pensione constituta redimenda, & per hoc non tollatur obligatio recitandi Officium B. V. ubi Constitutio Pii V. recepta est; quia per hujusmodi redemptionem videtur non tam Jus Spirituale extingui, quàm fructus anticipata solutione vendi, quod labe Simoniæ caret. Sed Fagn. *in c. ad audientiam* 31. *de Rescript. n.* 88. & 115. Flamin. *de resign. l.* 6. *q.* 2. *n.* 128. Rebuff. *de pacif. poss. n.* 134. Navar. *cons.* 59. *n.* 1. *de Simon.* Gigas *de Pension. q.* 45. & 87. Honor. *hic n.* 62. Konig *n.* 45. *vers. Verùm*, cum innumeris aliis volunt id fieri non posse sine dispensatione Apostolica, qua impetretur jus, ac potestas ipsius Pensionis extinguendæ; quod jus Beneficiario ad Pensiones obligato datur taxando eidem certum numerum Annatarum, seu Pensionum annuarum, quas Pensionario simul solvat, ut sic liberum se ab iisdem in futurum solvendis præstet. In taxatione hac considerari solet ætas Pensionarii præsens; nam quò junior est, eò major præsumitur numerus Annatarum decurrendarum, & è contrario eò minor, quò senior, & provectior ille fuerit. Hinc in Annatis his assignandis Curia Romana variat; nam aliquando, sed rarissimè numerus illarum augetur usque ad decem, plerumque tamen solummodo imperantur quinque, ita, ut casu, quo Pensio v. g. est 20. aureorum, ea redimi possit 100. aureorum semel facta solutione. Konig *hic n.* 47.

Dub. 9. an, & qua ratione Pensio ab una persona transferri in aliam possit? Resp. negari non potest, Pensiones transferri posse; sic enim constat ex usu, & Stylo Curiæ Rom. Azor. *p.* 2. *l.* 8. *c.* 8. *q.* 1. Pal. *tr.* 13. *D.* 1. *p.* 11. §. 9. *num.* 1. Leuren. *p.* 3. *for. Benef. q.* 607. *n.* 1. An translatio hæc sit propriè dicta translatio, an verò extinctio antiquæ Pensionis, & constitutio novæ, dissident inter se DD. Hoc posterius defendunt communiùs ex ratione; quia Pensiones non sunt jura realia, & perpetua, sed temporalia, & personalia: unde mutatis personis, ipsa Jura mutantur; aliàs si perseveraret idem jus in Translatario, quod erat in transferente, mortuo transferente, periret jus translatarii, quia transferens solùm habuit jus Pensionis pro sua vita, & consequenter non posset ultra vitam propriam jus translatario concedere. *Excipitur*, si Pensionarius retento Jure Pensionis, solùm alteri cessit commoditatem Pensionis; nam tali casu manet eadem Pensio, ac propterea jure Pensionis extincto in cedente, etiam exspirat cessio, & Pensio consolidatur in favorem Ecclesiæ, seu Rectoris, ut liber evadat à Pensione, etiam in præjudicium foventium causam onerosam. Petra *tom.* 3. *comm. fol.* 370. *n.* 62. & hoc teste decisum à Rota *in Mediolanensi Pensionis decis.* 129. *p.* 1. *recent.* & *decis.* 397. *n.* 16. *ad fin. p.* 12.

38 Debet autem hæc translatio fieri coram Canonico Ecclesiæ Cathedralis, vel persona in Dignitate constituta, exhibitis eidem Litteris originalibus, vel aliis Authenticis, quibus Pensionario datur facultas transferendi Pensionem: aliàs non potest procedere; quia non potest procedere, quin ei constet juridicè de Jurisdictione sibi concessa, quam ex vi harum litterarum accipit. Mandos. *de Signat. grat. tit. de translat. pens. vers. nonnunquam*, Flamin. *l.* 6. *de resign. q.* 4. *n.* 37. Garc. *p.* 6. *c.* 2. *n.* 11. & 16. Pal. *tr.* 13. *D.* 1. *p.* 11. §. 9. *n.* 5.

Licentiam transferendi Pensionem dare solus Pontifex potest. Azor. *p.* 2. *l.* 8. *c.* 11. *q.* 2. Flamin. *q.* 4. *cit. n.* 15. Garc. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 242. Lotter. *l.* 1. *q.* 36. *num.* 56. ubi etiam *n.* 57. subjicit, in hujusmodi facultate transferendi semper vel præscribi, vel præscriptam censeri formam hanc, ut indultarius veterem Pensionem per Papam reservatam extinguat, & mox aliam ejusdem quantitatis vigore indulti super iisdem fructibus reservet ad favorem cujuslibet. 39

Concessa hæc licentia olim fuit militibus S. Petri à Leone X. militibus S. Pauli à Paulo III. militibus Piis, ita dictis à Fundatore Pio IV. ab hoc ipso Pont. Sed Pius V. *in sua Const.* 71. has omnes facultates revocavit, neque concedendas dixit, nisi S. R. E. Cardinalibus, & viris de Ecclesia multùm bene meritis. His addidit Sixtus V. Milites Lauretanos, à se institutos, quibus, cùm eosdem de Ecclesia bene mereri crederet, indulsit facultatem transferendi Pensionem ducatorum ducentorum de Camera. Pal. §. 9. *cit. n.* 4.

Fieri Translatio ista potest etiam in articulo mortis, in qua proinde locum non habet *Regula de viginti*, seu *de infirmis*: modò Pensionarius, de cujus pensione transferenda agitur, sit mentis compos, & in ipsa translatione observetur forma, & modus præscriptus in Litteris, in quibus facultas transferendi conceditur. Corrad. *prax. Benef. l.* 5. *c.* 5. *n.* 51. Et sic translatio non potest fieri per Testamentum. Corrad. *l. cit.* Garc. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 56. Leur. *p.* 3. *for. Benef. q.* 616. *n.* 8. Neque obstat decisio Rotæ *in Placentina Pensionis* 17. *Junii* 1602. in qua fuit dictum, *facta translatione in Testamento, attendendum esse tempus mortis, ad effectum validitatis illius*; nam, ut Garc. *l. cit.* monet, id accipiendum est supposito, quòd posset fieri per Testamentum, quod tamen ibi non deciditur. 40

Dub. 10. quibus modis Pensiones extinguantur? Resp. variis modis extingui, prout videre est apud Azor. *p.* 2. *l.* 8. *c.* 10. *q.* 1. & *seqq.* Pal. *tr.* 13. *D.* 1. *p.* 11. §. 10. *per totum*, Vallens. *de Benef. l.* 4. *tit.* 14. Leuren. *p.* 3. *for. Benef. q.* 638. Van Espen *p.* 2. *J. E. U. tit.* 28. *c.* 9. Honor. *à n.* 61. Pirh. *hic n.* 21. Konig *n.* 47. 41

Et 1. quidem *morte Pensionarii*; quia hæc servitus Beneficio imposita solùm ad vitam Pensionarii durat. Quando moritur Beneficiarius, distinguendum est, an Pensio sit imposita Beneficiario, ita ut solùm duret ad vitam illius, an potiùs Beneficio, ut transeat ad Successorem in Beneficio: nam *primo casu* morte Beneficiarii & ipsa cessat; quia tunc onus est merè personale: at *in secundo* manet; quia tunc est onus reale; cons. solvi etiam à Successore debet, imò vacante Beneficio ab Oeconomo, vel Administratore ejusdem. Azor. *c.* 8. *q.* 13. Pirh. *num.* 20. Konig *n.* 39.

2 Per *matrimonium* contractum à Pensionario; quia cùm Pensio detur ratione Clericatus, & Clericalia privilegia per contractum Matrimonii exspirent præter illud Canonis, & Fori juxta terminos Juris, inde sequitur etiam Pensionem cessare, atque extingui: & ita statuit S. Pius V. *Constit.* 73. *Bullar. nov. tom.* 2. *pag.* 269. *Excipitur*, nisi dispensatum cum ipso sit à Pont. ut retinere Pensionem possit, etiamsi Matrimonium contrahat: quæ tamen dispensatio erit strictè interpretationis; & hinc si Matrimonio superveniat alia causa privans Pensione, ita dispensatus eam ampliùs retinere non potest. Monacell. *p.* 2. *form. legal. tit.* 14. *num.* 11.

3 Per *promotionem ad Episcopatum*, non quidem de Jure communi (nam *c. cùm in cunctis* 7. §. *cùm verò de Elect.* solùm loquitur de Beneficiis) sed ex Stylo Curiæ, qui originem sumpsit ex quadam *Extrav. Julii II.* & aliorum Pontt. approbatis per *Clem. VII.* 1524. *Constitut. sua* 8. *Bull. tom.* 1. *pag.* 571. Et hinc, ne vacent, datur de eodem Stylo retentio in ipsis Litteris provisionis de Episcopatu per Decretum *Cum retentione compatibilium.* Fatinell. *de translat. Pens. c.* 2. *num.* 34. *Excipiuntur* 1. Episcopi Titulares; quia possessionem, & reditus Episcopatuum suorum non habent, nihilque præter nomen, & dignitatem obtinent. Fatinell. *n.* 37. *Excipiuntur* 2. Episcopatus Cardinalitii, Ostiensis, Veliternensis &c. ut decisum est sub Alexandro VII. per Congregationem deputatam, teste Rocc. *Disp. Jur. c.* 192. *n.* 5. & 6. & aliis apud Fatinell. *n.* 38. *Excipiuntur* 3. quicun- 42

cunque Episcopi, antequam consecrati, & possessionem adepti sint. Card. de Luca *de Pension. disc.* 43. *n.* 2.

43 4 Per *Professionem Religiosam* expressam, vel tacitam ex recepto Curiæ Stylo, ut aliis *citt.* notat Pal. §. 10. *cit. num.* 8. Et extenditur hoc etiam ad Professos in Ordine Militari, si veri Religiosi sint, ut Equites Teutonici, & S. Joannis de Malta; secus de cæteris. Leuren. *p.* 3. *q.* 648. *num.* 2. *Excipiuntur* Religiosi Societatis Jesu, qui solùm ediderunt Vota simplicia biennii; nam isti sicut bona alia retinere possunt, ita etiam Pensiones Ecclesiasticas præhabitas, prout statutum est *à Congreg. Gen.* 7. *Decret.* 17. §. 4.

5 Si Pensionarius *miles* factus sit, & monitus militiam non deserat; quia talis privilegio Clericali privatur, conf. ut Beneficia, ita & Pensiones amittit. Estque hoc verum, etiamsi nunquam pugnaverit, prout respondit *S. Congreg. Concil. in Niciensi* 19. *Dec.* 1648. apud Monacell. *p.* 2. *form. leg. tit.* 14. *n.* 11.

44 6 Si Pensionarius in perpetuum Pensionem remiserit: unde quoad hoc dispar est ratio Beneficii, & Pensionis; Beneficio enim Beneficiarius propria authoritate non potest cedere, potest autem Pensione: cujus ulterior ratio est; quia Beneficium renuntiatione vacat, quod cedere potest in damnum Ecclesiæ: at quando Pensio remittitur, non vacat, sed extinguitur, & sic Beneficium liberatur à servitute, qua tenebatur, quod Beneficio, & Ecclesiæ magis prodest, quàm obest.

7 Si Pensionarius obtineat Beneficium, in quo fuerat ei Pensio reservata: ubi tamen est distinguendum, utrum de Jure obtineat Beneficium, an defacto tantùm. *Si primum*, cessat jus percipiendi fructus ex Beneficio alieno, in quo jure sita est Pensio, sicut cessat Ususfructus acquisita rei proprietate. *Si secundum*, Pensio interea sopitur tantùm: & hinc si alius lite ei intentata, illud obtineat, & ipse id cogatur dimittere, potest iterum Pensionem exigere ex Beneficio illo, sicut in simili casu Usumfructum denuo percipere potest Usufructuarius, ut colligitur ex *l. dominus* 57. *ff. de Usufr.*

45 8 Si Pensionarius monitus, ut habitum, & tonsuram Clericalem deferat, non obedierit; quia sic habetur *Const. Sixti V.* incipit *Cùm sacrosanctum edita* 6. *Idus Jan.* 1588.

9 Per crimen Hæresis *c. ad abolendam* 9. *de Hæret.* læsæ Majestatis, aut Sedis Apostolicæ *c. felicis* 5. *de pœn. in* 6. item siquis percusserit Cardinalem *c. felicis cit.* aut Episcopum, in cujus Diœcesi Pensionem habet. *Clem.* 1. *de pœn.*

46 Quæritur 2. de reservatione fructuum ex Beneficio provenientium prohibita. *Et* 1. *quidem dubitatur*, quid circa reservationem fructuum Beneficialium sit Jure cautum? Resp. duplex de hac præ cæteris insignior extat Juris dispositio.

Una est, qua prohibetur Episcopus collationem Beneficiorum differre, ut sic ipse interim Beneficii vacantis fructus percipiat *arg. c. extirpandæ* 30. *fin. de Præb. & Dignit.* nam collatio Beneficiorum vacantium differri non debet: & casu, quo differri illam oportet, fructus ex eodem tempore vacaturæ collecti successori asservandi, & eidem restituendi sunt *c. cùm vos* 4. *in fin. de Offic. Ordin. Excipitur*, nisi eorum pars aliqua sit applicanda fabricæ, & in Ecclesiæ utilitatem convertenda, vel ex consuetudine loci fructus hujusmodi dividi debeant inter hæredes, & successorem. *arg. Extr. un. princ. Joann. XXII. de Elect.* Covar. *l.* 1. *var. c.* 15. *n.* 12. Gonzal. *in c. cùm vos cit. n.* 7. Vallens. *hic n.* 1. Engl *n.* 3. Vviest. *n.* 2.

47 *Altera est*, ne Episcopus, & alii Collatores Beneficia conferendo, aut Patroni ad ea Clericos præsentando fructus ex his provenientes, aut aliquam illorum partem reservent, sibi, vel consanguineis, aut amicis suis applicandam *c. un. h. tit.* & *c. prohibemus* 7. *de Censib.* Imò si eos exigerent pro collatione, vel præsentatione, hæc Simoniaca, & conf. irrita foret *c. un. vers. unde credimus h. tit. c. cùm Clerici* 6. & *c. fin. de Pact.* Abb. *in c. un. cit. num.* 14. Vvagn. *ibid. not.* 4. Vall. *hic n.* 1. & 2. Zoes. *n.* 5. Engl. *n.* 2. Pirh. *n.* 2. Konig *part.* 6. Vviestner *num.* 2. *Ratio est*, quia ex pacto datur, & accipitur aliquid Spirituale pro temporali. *Excipitur*, si justa causa hoc exigat; tunc enim Episcopus cum Capituli consensu, non ex pacto, sed per authoritatem, & potestatem suam ordinariam subtrahere partem aliquam redituum Beneficii vacantis potest, & in causam hujusmodi necessitatis applicandam reservare. Sed hinc oritur

48 Dubium 2. quibus casibus Episcopus reditus Beneficii vacantis, vel partem eorum possit reservare? Resp. hoc fieri potest iis omnino casibus, quibus necessitas ita suadet. Communiter DD. assignant causam duplicem. *Prima* est, ut solvat debita, contracta non suo privato, sed Ecclesiæ, seu Episcopatus nomine. *Altera est*, si reparanda sit fabrica Ecclesiæ Cathedralis. Ita S. Tho. 2. 2. *q.* 100. *art.* 4. *in fin.* Abb. *in c. un. h. tit. num.* 15. & 20. Barbos. *ibid. num.* 10. Vvagn. *not.* 3. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 18. *n.* 4. Vall. *hic n.* 2. Engl *n.* 3. *vers. item poterit*, Honor. *num.* 1. Pirh. *nu.* 2. Schamb *num.* 4. Konig *part.* 6. *cit.*

Ut tamen ritè fiat detractio, seu reservatio ista, tria hæc requiruntur. 1. Ut Beneficium, cui detractio fit, reditibus abundet, cùm non deceat, unum Altare discooperiri, ut alterum cooperiatur. 2. Detractio hæc fieri debet ante, vel cum collatione Beneficii; nam post collationem semel liberè factam sine consensu Beneficiati non rectè fieret, ne jus ipsi quæsitum auferatur contra *Reg. id quod nostrum* 11. *ff. de R. J.* Unde si causa aliqua necessitatis urgeat Episcopum ad conquirendam pecuniam, & nullum Beneficium vacet, vel quod vacat, non habeat abundantes reditus, tum ab omnibus Clericis sibi subjectis exigere poterit subsidium Charitativum. Engl *hic n.* 3. *vers. item poterit cit.* 3. Fieri debet sine aliquo pacto cum illo, cui Beneficium conferendum est, nam tale Pactum collationem Simoniacam redderet, ut dictum est *n.* 47. 49

Dub. 3. an Episcopus ex justa causa vacantium Beneficiorum fructus, aut istorum partem aliquam cum Capituli consensu possit reservare, applicandam suæ, vel Capitulari Mensæ? Affirmant posse ad tempus Gloss. *fin. in c. un. h. tit.* Innoc. *ibid. num.* 6. & 7. Imol. *n.* 23. & alii Interpretes apud Barbos. *num.* 10. *ibid.* qui his Authoribus non dissentit. *Ratio*, qua præcipuè nituntur, est, quia Episcopus ex justa causa, & accedente consensu Capituli sui, potest Dignitatem, vel Beneficium aliquod omnino extinguere *c. cùm accessissent* 8. *de Constit.* ergo multo magis alicujus Beneficii pinguioris reditus, vel eorum partem reservare ad tempus, & sibi retinere; *cui enim licet, quod plus est, utique etiam licet, quod est minus*, juxta *Reg.* 53. *in* 6. quæ vel maximè procedit, quando minus continetur in majori permisso, ut hìc fit. *Conf.* Tutor potest rem pupilli emere, ac proinde authoritatem præstare in facto proprio, dummodo id palam faciat, ut habetur *l. pupillus* 5. §. *fanè* 4. *ff. de authorit. tutor.* ergo etiam poterit Episcopus in casu nostro. 50

Sed hoc non obstante, spectato Jure communi, probabilior est negativa, quam etiam tenet Abb. *in c. un. h. tit. num.* 20. Pirh. *hic num.* 4. Vviestner *n.* 3. Sumitur ex *c. tua nobis* 32. *de V. S.* in cujus casu refertur privilegium, à Sede Apostolica impetratum, vi cujus Episcopus per biennium retinere poterat fructus Beneficiorum Diœcesis suæ vacantium ad solvenda debita. Atqui privilegio isto non fuisset opus, si illud Jure communi semper licuisset Episcopo, cùm, quod Jure permissum est, frustrà precibus impetretur *l. un. C. de Thesaur.* Ergo &c. *Conf.* non potest Episcopus, etiam cum consensu Capituli Beneficia sibi subjecta perpetuò unire suæ, aut Episcopali mensæ, secundùm dicta *suprà Tit. de Præb. & Dignit. num.* 169. idque ideo, quia authoritatem præstaret in facto proprio, seu in commodum suum. Atqui ratio hæc locum habet etiam in unione temporali, vel in reservatione fructuum Beneficii ad tempus ab Episcopo facta; alioquin posset Episcopus fraudem committere, post tempus elapsum renovando unionem, vel reservationem temporalem, & sic indirectè facere illam perpetuam, ut notat Abb. *l. cit.* ergo &c. 51

Ad rationem in contrarium allatam extinctio Primiceriatus, de qua *c. cùm accessissent cit.* confirmata est à Sede Apostolica, & hinc vim suam accepit. *Ad Conf.* negatur paritas; nam in emptione, & venditione, cùm contractus sit onerosus, si palàm celebretur, suspicio fraudis cessat: non cessat autem in donatione gratuita, qualis est collatio Beneficii; nam in hac suspicio fraudis semper est, quando ad propriam utilitatem fit, ut notat Abb. *l. cit.* 52

Quæritur 3. quando Episcopus numerum Præbendarum diminuere, aut Beneficia Ecclesiastica omnino extinguere possit? Resp. potest tunc quando ita decreverunt, ut ob tenuitatem redituum sustentationem congruam Beneficiato non præbeant; tunc enim cum consensu Capituli Beneficia Ecclesiastica, sive numerus Præbendarum diminui, vel etiam omnino supprimi, & extingui Beneficium potest, sicut è contrario augeri numerus Beneficiorum, & Præbendarum potest, si illæ notabiliter augmentum capiant. Abb. *in c. cùm accessissent* 8. *de Constit. numer.* 2. & 4. Pirhing *hic numer.* 5. Schambog. *numer.* 5. Engl *numer.* 6. Konig *num.* 30. *Ratio est*, quia tot Canonici, & Ecclesiæ Ministri institui debent, quot ex reditibus decenter sustentari possunt, ut dictum est *suprà tit.* 7. *de Institution. numer.* 18. *Proceditque* 53

quæ hoc, etsi numerus Præbendarum Juramento esset confirmatus cum clausula irritante; nam, ut rectè advertit Pirh. *hìc num. 6. Except.* 4. Juramentum intelligi debet, si res in eodem statu permaneat. igitur si notabiliter sit mutata, v. g. quia reditus notabiliter sunt imminuti, mutatio fieri potest, non obstante ejusmodi Juramento.

54 Dixi *cum consensu Capituli*; nam regulariter ad diminutionem hanc faciendam iste cum causa justa satis est. *Excipitur* triplex casus. 1. quando agitur de extinguenda aliqua Dignitate; nam ibi distinctio est facienda inter. Dignitatem, quæ secundùm Jus commune in Ecclesia esse debet, & inter Dignitatem, quæ solùm in Ecclesia est ex peculiari ejusdem Statuto. *Prior* ut extinguatur, requiritur insuper authoritas Papæ juxta Gloss. *in c. cùm accessissent cit. V. confirmatum*. *Posteriorem*, ut alia Beneficia, nisi à Pontifice confirmata sint, tollere ex justa causa Episcopus cum Capituli consensu potest. Gloss. *in Clem. 2. de reb. Eccl. non alien. V. vacabat*, Laym. *in c. cùm accessissent cit. n.* 2. Pirh. *hìc n. 6.* 2. Si Beneficium, de cujus extinctione agitur, non ab Episcopo, vel Capitulo, sed ab alio fundatum sit; tunc enim opus est consensu Patroni, ut supprimi, vel extingui possit. Quodsi tamen Patronus requisitus consentire nollet, & necessitas diminutionem, vel suppressionem exigeret, etiam eo invito, diminutio fieri posset; quia Patronus non potest impedire magnum bonum Ecclesiæ. Abb. *in c. cùm accessissent cit. n.* 5. Laym. *in c. cùm M. 9. de Const. n.* 2. *Except.* 1. Pirhing *hìc n. 6. Except.* 2. 3. si diminutio numeri Præbendarum cederet in commodum Episcopi, & Capituli; tunc enim ad Superiorem, v. g. Archiepiscopum, vel Papam recurrendum esset, ut is consentiat, ne Episcopus vel Capitulum facto proprio authoritatem præstet. Pirhing *l. c. Except.* 3.

TITULUS XIII.

De Rebus Ecclesiæ alienandis, vel non.

NE Beneficiorum fructus, & proventus diminuantur, quod *Tit. præc.* prohibitum à SS. Canonibus esse ostendimus, necesse erat etiam prohiberi alienationem rerum, & bonorum, ex quibus fructus illi, seu reditus annuatim proveniunt: quod fit *præsente Titulo*.

§. I.

Explicatur Rubrica Tituli.

SUMMARIUM.

1 *Divisio Rei in Corporales, & Incorporales; & Corporalium in Mobiles, & Immobiles.*
2 *Immobilium in Immobiles naturaliter, & civiliter.*
3 *Mobilium in Pretiosas, & non pretiosas.*
4 5 Ecclesiæ *nomine hìc intelligitur locus pius quicunque.*
6 7 *Nomen* Alienationis *sumitur latissimè.*
8 *Etiam consuetudo non potest res Ecclesiæ facere liberè alienabiles.*
9 *Recensentur contractus, & actus nomine Alienationis prohibiti.*
10 *Explicatur quid nomine* Conditionis *hoc loco veniat. Explicationes aliorum.*
11 *Verior opinio.*
12 *Satis fit Adversariis.*
13 *An alienationis hìc prohibitæ nomine etiam veniat repudiatio hæreditatis, vel legati delati Ecclesiæ? Prima sententia affirmans de utroque.*
14 *Secunda affirmans saltem de Legato.*
15 16 *Præfertur sententia de utroque negans.*
17 *Observanda in hac sententia.*
18 *Solvuntur Argumenta primæ sententiæ.*
19 *Solvuntur Argumenta secundæ.*
20 *Bona Ecclesiastica non possunt subjici Hypothecæ speciali, possunt generali.*
21 *Exceptio.*
22 23 *An nomine Alienationis hìc prohibitæ comprehendatur etiam translatio bonorum Ecclesiæ ab una in aliam Ecclesiam?*
24 *An constitutio Servitutis realis, vel personalis?*
25 *An ad solemnitates adhibendas etiam obligetur Papa?*

1 QUæritur 1. quid *Rei* nomine hic intelligatur; Nam *Rerum*, si generatim nomen istud sumatur, varia est divisio, & subdivisio. 1. enim aliæ res dicuntur *Corporales*, quæ sensibus externis subjiciuntur, v. g. ædes, horti, agri, vineæ, pecuniæ, &c. Aliæ *Incorporales*, quæ licèt facultatem subministrent aliquid agendi, & faciendi, quod est sensibile, in se tamen, & formaliter acceptæ sensus externos effugiunt, v. g. servitutes, actiones, obligationes, Jura.

2 Res Corporales ulteriùs subdividuntur in Mobiles, & Immobiles. *Mobiles* sunt, quæ vel scipsas movere possunt de loco in locum, quales sunt res animatæ; vel saltem ab aliis de loco in locum salvæ, & integræ moveri possunt, quales sunt res inanimatæ. *Immobiles*, quæ salvæ, integræ, & non corruptæ, vel destructæ nequeunt de loco in locum transferri. Alterutri generi accensentur Actiones, obligationes & Jura; quamvis enim, ut suprà dictum est, res incorporeæ sint ut sic reipsa nec mobiles, nec immobiles; quia tamen accessoriè se habent ad res, circa quas dantur, idcirco ex objecto suo æstimari solent, & Mobilibus quidem accensentur, si dentur circa res mobiles, Immobilibus, si circa Immobiles.

3 Res Immobiles aliæ sunt *Immobiles naturaliter*, quibus natura impedimento est, quo minùs cum integritate à loco moveri possint, v. g. fundus, domus &c. Aliæ verò *Immobiles civiliter*, quæ licèt ex natura sua cum integritate de loco moveri possint, quia tamen ad perpetuam utilitatem, vel ornamentum rei immobilis v. g. prædii sunt destinatæ, ex Censura Juris pro Immobilibus reputantur *l. Julianus* 13. §. *fin. ff. de Action. empt.* 2

4 Ex Immobilibus prioris generis aliqua majoris momenti sunt, alia pro modicis, & exigui momenti rebus habentur. In quonam autem ex his duobus generibus quælibet res esse censeri debeat, magna est apud DD. contentio; optimè sentiunt, qui cum Riccio *prax. Episc. decis.* 39. *n.* 8. Quarant. *V. alienatio n.* 41. Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 95. *n.* 51. Fagnan. *in c. nulli* 5. *h. tit. n.* 26. Vallens. *hic* §. 2. *n.* 3. Konig *n.* 9. Wiest. *n.* 41. id relinquendum dicunt prudentiæ, & arbitrio Judicis, qui id æstimabit inspecta conditione Ecclesiæ, an tenuis, vel abundans sit, & attenta qualitate temporum, locorum, & rerum: nec immeritò; quia *can. terrulas* 53. *caus.* 12. *q.* 2. ubi terrularum, vineolarum, exiguarum, & Ecclesiæ parum utilium distractio permittitur Episcopis, & aliis similibus textibus non definitur, quænam terrulæ, vel bona immobilia exigui momenti dicenda sint; ea autem, quæ Lege definita non reperiuntur, arbitrio Judicis relinquuntur *l. si servus* 1. §. *fin. ff. de Jur. deliber.* Decius *in c. sedes* 15. *de rescript. n.* 2.

5 Denique inter Res Mobiles aliquæ sunt, quæ servando servari nequeunt, ut vinum, oleum, frumentum &c. Et ex prioribus quidem aliquæ dicuntur *Pretiosæ*, quæ propter pretium, artem, antiquitatem singularem splendorem conciliant, v. g. monilia, vasa aurea, & argentea, statuæ &c. Aliæ *non pretiosæ*, quæ servatæ specialem decorem non conciliant, ut est v. g. supellex communis, & ordinaria. Quanti valoris res mobilis esse debeat, ut pretiosa censeri possit, iterum DD. dissident. Pal. *tr.* 12. *D. un. p.* 15. §. 1. *n.* 2. requirit, ut 100. aureorum valorem attingat. Donat. *tom.* 1. *prax. Reg. tr.* 14. *q.* 48. *n.* 2. putat sufficere, si valeat ultra 20. solidos. *p.* 4. *tr.* 4. *Miscell. resol.* 227. censet pro talibus habendas res illas, quæ 25. aureis æstimantur: quod etiam à S. Congr. Cardd. declaratum refert. Optimè P. Konig *hic n.* 14. P. Wiestner *n.* 32. *ibid.* P. Schmier *de Reb. Ecc. p.* 2. *c.* 4. *n.* 15. monent in hoc attendendam consuetudinem, & praxim; hæc enim aliquando in una Provincia plus indulget, quàm in alia, plus Episcopis, quàm Prælatis, plus iis, qui S. R. I. Principes, & Status sunt, quàm aliis. Jam divisiones istæ omnes hoc *Tit.* sub Examen veniunt. 3

Quæritur 2. quid intelligatur hic nomine *Ecclesiæ*? 4
Resp. nomen *Ecclesiæ* in hac materia, utpote perquam favorabili, latissimè accipiendum est, ita, ut includat non tantùm Templa, Capellas, Oratoria, & similia loca per Ceremonias Sacras ad DEI cultum, & Sanctorum venerationem, atque memoriam, per Sacrificia, & alia Officia Divina celebrandam, dedicata; sed etiam quæcunque alia loca pia, & ad Religionis, Pietatis, aut Misericordiæ opera exercenda Episcopali, vel alia hujusmodi authoritate deputata: qualia sunt Monasteria, Conventus, Collegia, Congregationes, aliæque Domus Regularium utriusque sexus: item Xenodochia, Hospitalia, Nosodochia &c. peregrinis, & miserabilibus personis recipiendis, alendis, aut curandis authoritate Ecclesiastica constituta. Horum enim omnium res alienari sine requisita solemnitate nequeunt, ut rectè

rectè Abb. *in c. nulli* 5. *h. tit. n.* 14. Felin. *in c. de quarta* 4. *de præscript. n.* 2. Laym. *l.* 3. *tr.* 4. *c.* 10. *n.* 1. Pirh. *hic n.* 4. Schambog. *n.* 3. Vvieſt. *n.* 1. & conſtat *Extrav. ambitioſæ h. tit. int. com.* ibi, *Locorumque piorum quorumlibet*.

5 *Neque obſtat*, quòd *l. jubemus* 14. *C. de SS. Eccl.* Leo Imp. solùm loquatur de Eccleſiis; nam poſteà Conſtitutio hæc extenſa fuit ad omnem locum pium per *Auth. hoc jus porrectum C. eod.* quæ *Auth.* refertur *in can. ea enim* 2. *cauſ.* 10. *q.* 2. & approbata, ac veluti canonizata eſt *c. nulli* 5. *h. tit.* ut notat Abb. *ibid. n.* 13. *in fin. Conf. à pari*; nam etiam Beneficium reſtitutionis in integrum, conceſſum Eccleſiis ratione læſionis, extenditur ad Xenodochia, & alia pia loca ſi authoritate Epiſcopali ſint conſtituta, quia quoad iſta in Jure æquiparantur Eccleſiis *arg. c. requiſiſti* 15. *verſ. ſecus autem de Teſtament.*

6 Quæritur 3. quomodo hic accipiendum ſit nomen *Alienationis*? Poteſt enim dupliciter accipi. *Primò* ſtrictè pro eo tantùm actu, quo dominium rei traditæ directum in alterum transfertur, cujuſmodi eſt Venditio, Donatio, Permutatio &c. ut conſtat ex *l. alienatum* 67. *princ. ff. de V. S. l. jus Emphyteuticarium* 1. *C. de Jur. Emphyt. & l. ſi æſtimata* 1. *C. de fund. dotal. Secundò* latiſſimè pro omni eo actu, quo dominium directum, vel etiam utile tantùm, retento directo, aut aliud jus in re transfertur, quo ſenſu accipitur *l. fin. C. de reb. alien. non alien.* Gonzal. *ad Rubr. h. tit. not.* 3. Caniſ. *hic n.* 1. Vallenſ. §. 1. *num.* 4. Honor. *n.* 5. Schamb. *n.* 2. Zoeſ. *n.* 2. Konig *n.* 1.

7 In præſenti *Titulo* nomen *Alienationis* ſumitur ſecundo modo, ſc. *latiſſimè*, prout conſtat ex *c. nulli* 5. *h. tit. Clem. Monaſterium* 1. *eod.* & *Extrav. Ambitioſæ cit.* & notant Abb. *in c. nulli cit. n.* 13. Redoan. *de reb. Eccl. non alien. rubr.* 1. *c.* 47. *n.* 14. Pal. *tr.* 12. *D. un. p.* 15. §. 2. *n.* 1. Pirh. *hic n.* 2. Vvieſt. *n.* 2. Reiffenſtuel *num.* 3. *Ratio eſt*, quia rerum Eccleſiaſticarum alienatio in tantum eſt prohibita, in quantum id exigit favor, & utilitas Eccleſiæ. ſed favor, & utilitas Eccleſiæ exigit, ut non solùm translatio dominii, ſed etiam alterius cujuslibet Juris, Eccleſiæ multùm proficui, prohibeatur; nam etiam per talis Juris translationem graviter noceri eidem poteſt. ergo &c.

8 Eſtque hoc ita verum, ut contraria omnis conſuetudo, etiam immemorialis invalida ſit; quia hujuſmodi conſuetudo non poteſt concedere in grave detrimentum Eccleſiæ, nec apparet, quomodo hoc damnum aliunde compenſari, & res cohoneſtari poſſit. Abb. *in c. nulli cit. n.* 6. Franc. *in c. non eſt* 3. *n.* 2. *de conſuet. in* 6. Pirh. *hic num.* 9. *not.* 6. *Excipitur*, niſi cauſa neceſſitatis, vel utilitatis Eccleſiæ ita ſuadeat; nam ſi iſta alienationem ſuadeat, tunc fieri hæc, ſervata forma à Jure præſcripta, à Prælato poteſt, etiamſi is juraverit ſe non alienaturum, ut habetur *c. ut ſuper* 8. *h. tit.* & tradit *ibidem* Abb. *num.* 15. Azor. *p.* 2. *l.* 9. *c.* 1. *q.* 17. Pirh. *hic num.* 11. *Ratio eſt*, quia Juramentum, circa materiam Juris præſtitum, intelligitur ſecundùm terminos Juris, & ideo reſtringitur ad illicitam, ac Jure prohibitam alienationem.

9 Quæritur 4. quinam contractus, & actus in ſpecie nomine alienationis prohibeantur Clericis circa res Eccleſiarum? Reſp. 1. prohibetur Donatio, Venditio, Permutatio *c. nulli cit.* & *c. irrita* 1. *ac ſeqq. de his, quæ à Prælat.* 2. Conſtitutio Pignoris, ſeu Hypothecæ ſaltem ſpecialis *cap. nulli*, & *Extrav. Ambitioſæ citt.* 3. conceſſio in Feudum, vel Emphyteuſim *cap.* & *Extra citt.* 4. Locatio ultra triennium *Clem.* 1. & *Extr. citt.* 5. Ceſſio litis motæ ſuper Eccleſiæ re alienari prohibita Abb. *in cap. dudum* 54. *de Elect. num.* 17. Laym. *ibid. num.* 8. Pirh. *num.* 10. *hic*, Vvieſt. *num.* 4. 6. Tranſactio, qua res Eccleſiæ, vel poſſeſſio ejuſdem transfertur in alium. Redoan. *Rubr. cit. c.* 1. *num.* 13. Quarant. *V. alienatio num.* 20. & *num.* 43. *Verſ. duodecimo limita*, Vall. *hic* §. 1. *num.* 4. Pirh. *num.* 10. Vvieſt. *num.* 4. 7. Compromiſſum; cùm enim ex iſto ſequi poſſit tranſlatio rei, vel poſſeſſionis in extraneum, is, qui de re aliqua liberè diſponere, eamque alienare nequit, ſuper ea etiam compromittere prohibetur. Abb. *in c. dilecti* 4. *num.* 8. *de Arbitr.* Redoan. *Rub. cit. c.* 36. *num.* 1. Quarant. *num.* 20. *cit.* Vvieſt. *num.* 4. 8. Unio perpetua Eccleſiæ, vel Beneficii cum alia Eccleſia, vel Beneficio; nam ad ejuſmodi unionem faciendam Epiſcopus Capituli conſenſu indiget, ut decernitur *Clem.* 2. *h. tit.* & dictum eſt *Tit.* 5. *num.* 187. 9. Conditio *c. nulli cit.* ibi, *Alienationis autem verbum continet conditionem &c.*

10 Quid verò hoc loco *Conditionis* nomine intelligatur, mirè Interpretes, atque DD. variant. Nam 1. Gloſſ. *in c. nulli cit. V. alienationis*, Innoc. *ibid. V. conditionem*, & Anton. de Butrio *num.* 7. volunt *conditionis* nomine intelligendos Contractus conditionatos initos de rebus alienari prohibitis, ſi diſpoſitionem, & obligationem conferant in eventum aliquem futurum, v. g. *ſi navis ex Aſia venerit*. 2. alii cum Quintino in *Repet. cap. cit.* ſubintelligi volunt vocem *Teſtamenti*, ita, ut ſenſus ſit, Prælatos non poſſe de rebus Eccleſiæ immobilibus, & mobilibus pretioſis Teſtamentum condere, vel per ultimam voluntatem diſponere; quia qui Teſtamentum condit, alienat. 3. alii pro voce *Conditio* legendum exiſtimant *Conditio*, quaſi error irrepſerit Librariorum incuria. 4. alii contrà legunt *Conductionem*. 5. nonnulli cum Cujacio, Antonio Auguſtino, Germonio volunt *Conditionis* nomen ab hoc textu omnino rejiciendum; quia nec in *Novell.* 7. *cap.* 1. & in *Conſtit.* 7. *Juſtini Imp. cap.* 1. unde textus *cap. cit.* teſte Gonz. *ibid. numer.* 1. deſumptus eſt, vox illa ponitur. 6. denique Cironius *in cap. cit.* judicat *Conditionis* vocem retinendam, aitque ea prohiberi omnem pactionem, ſeu Conventionem ſuper rebus Eccleſiæ immobilibus, vel mobilibus pretioſis, qua citra tranſlationem dominii directi, vel utilis eidem præjudicium afferri poſſet: qualis eſſet, ſi ſuper ejuſmodi rebus Uſusfructus, Uſus, vel alia Servitus conſtitueretur; quia ſic alienare Prælatus videretur. *can. non liceat* 20. *cauſ.* 12. *q.* 2. & *l. fin. C. de reb. alien. non alien.*

Ex his explicationibus præhabenda videtur ultima. 11
nam 1. videntur pro ea allegari poſſe omnes ii DD. qui cum Innoc. Butrio, Zabarella, Imola nomine *Conditionis* in *c. cit.* volunt prohibitum, ne Eccleſiarum res reddantur tributariæ, aliiſque ſimilibus oneribus graventur. 2. habet etiam adminiculum in Jure, ubi paſſim *Conditio* pro pacto ſumitur, ut patet ex *l. ſocietatem* 76. *ff. pro Socio* ibi: *Mecum coiſti ea conditione*, item *l. ſed Celſus* 6. §. *fin. ff. de contrah. empt.* ibi *Conditio, quæ initio contractus dicta eſt*, & *l. debitori* 7. *C. de Pact.* ibi *Ea conditione, pactoque*. 3. conſentit Cicero *l.* 16. *ad Tironem*, ubi ſtare conditionibus, & pacta ſervare pro eodem ſumuntur; verba illius ſunt: *Si illi ſuis conditionibus ſtare noluerint, bellum paratum eſt*.

Contrariæ explicationes quædam vitioſæ, aliquæ ad arbitrium confictæ ſunt. *Ad* 1. explicatio illa, ut ait Gonzal. *in c. nulli cit. num.* 5. ab omnibus reprobatur, & meritò; quia non erat neceſſarium fieri mentionem expreſſam Contractus conditionati, cùm jam prohibitus ſit ſub generico nomine Contractus. *Ad* 2. præterquam quòd Teſtamenti factio, ſpectato Jure communi, Clericis prohibeatur non tantùm de rebus Eccleſiæ, ſed etiam de propriis, intuitu tamen Eccleſiæ acquiſitis, contra eam explicationem ulterius eſt, quia nullus exiſtit Canon, in quo Teſtamentaria diſpoſitio *Conditionis* nomine expreſſa ſit, ut adeo explicatio hæc meriſſima ſit divinatio. *Ad* 3. Conditio eſt actio, qua jus noſtrum in Judicio proſequimur, quam pro alienatione accipi, in Scholis inauditum, & apud DD. nunquam lectum eſt. *Ad* 4. Locatio Conductio rerum Eccleſiaſticarum ante *Extrav. ambitioſæ citt.* tantùm illa prohibita fuit, quæ ad longum tempus extendebatur: quæ amplitudo nunc quidem per dictam *Extr.* reſtricta eſt, reducta tamen ad triennium; conſ. prohibitio Conductionis generatim generica eſt falſa. *Ad* 5. textus *c. nulli cit.* prout invenitur in Corpore Juris Canonici pro Lege Eccleſiaſtica approbatus fuit à Summo Pont. qui proinde ea approbatione fecit ſuam, licèt textus iſte ab origine ſua etiam in aliis diſcrepet, prout textus comparanti facilè apparebit. 12

Quæritur 5. an alienationis hoc titulo prohibitæ nomine etiam veniat repudiatio hæreditatis, vel legati, quo res immobilis, vel mobilis pretioſa Eccleſiæ, aut Monaſterio, relicta eſt? Triplex ſententia eſt apud DD. 13

Prima tam de Legato, quàm de Hæreditate Eccleſiæ, aut Monaſterio delata negat, quòd eidem Prælatus, ſine conſenſu Capituli, & aliis Juris ſolemnitatibus, validè renuntiare poſſit. Ita Lambertin. *l.* 3. *de Jur. Patron. q.* 9. *art.* 1. *num.* 21. *concl.* 5. *verſ. eodem modo*, Gonz. *in c.* 5. *h. tit. num.* 13. & alii ab hoc *citt. Rationem dant* 1. quia Prælatus, ſeu Rector Eccleſiæ ſolus ſine conſenſu Capituli, & aliis ſolemnitatibus non poteſt Eccleſiæ ſuæ obeſſe, & præjudicare agendo, & contrahendo, ſeu Jura Eccleſiæ, & bona acquiſita alienando. ergo nec obeſſe, ac præjudicare poteſt in non acquirendo, ſeu bonis, ac juribus Eccleſiæ acquirendis renuntiando. 2. juxta dicta *num.* 7. hoc Titulo prohibetur alienatio rerum Eccleſiæ non solùm ſtrictè, ſed etiam latiſſimè dicta, quatenus illa eſt nociva Eccleſiæ, atqui repudiatio hæreditatis, vel legati eſt ſaltem alienatio latè, & minus propriè dicta, eò quòd per illam dimittatur ſaltem jus adeundi hæreditatem, vel acceptandi Legatum, quod jus

jus ante omnem acceptationem Ecclesia per ipsam hæreditatis, vel legati delationem acquisivit. ergo &c. 3. ante aditam hæreditatem Ecclesia acquisivit Jus, non quidem in re; sed tamen ad rem, quod repudiando illam Prælatus dimittit, & alienat. atqui Jura Ecclesiæ, si ad bona immobilia, vel pretiosa dentur, alienari à Prælato sine Capituli consensu nequeunt; quia, ut *num.* 1. *suprà* dictum est, inter res immobiles computantur, ergo &c.

14 *Secunda sententia* contendit solemnitates, à Jure pro alienationibus præscriptas, adhibendas saltem in renuntiatione Legati delati Ecclesiæ? Ita Azor. *p.* 2. *l.* 9. *c.* 1. *q.* 12. Quarant. *Summ. Bullar. V. alienatio n.* 23. Molin. *tr.* 2. *de Just. D.* 468. *n.* 12. Vasq. *de Successʃ. tom.* 1. §. 27. *n.* 23. Pinell. *de bon. materr. l.* 1. *p.* 3. *n.* 103. *verʃ. alia ampliatio*, Engl *hic n.* 9. Clariss. P. Schmier *p.* 2. *de reb. Eccl. c.* 4. *n.* 60. & alii ab his *citt.* Moventur 1. quia Prælatus non potest alienare rem immobilem, vel mobilem pretiosam, cujus dominium est penes Ecclesiam *cap. nulli* 5. *h. tit.* atqui dominium rei immobilis, vel mobilis pretiosæ legatæ est penes Ecclesiam *l. cùm pater* 77. §. *surdo* 3. *& legatum* 80. *ff. de legat.* 2. ubi statuitur, quòd Legati dominium à morte legantis statim acquiratur Legatario, etiam ignoranti. ergo &c. 2. quia pro re, quæ Ecclesiæ Legato relicta est, eidem vindicatio pene perpetua competit *l. ut inter* 23. *C. de SS. Eccl.* non competeret autem vindicatio, si non competeret dominium: si autem dominium ipsi competit, res ita legata sine solemnitate Juris repudiari non potest. 3. quia nec pupillus fundum sibi legatum sine authoritate Prætoris repudiare potest *l. magis* 5. §. *fundum autem* 8. *ff. de reb. eor. qui sub tutel.* ex hac præcisè ratione; quia *esse & hanc alienationem, cùm res sit pupilli, nemo dubitat.* atqui à pupillo bonum ducitur Argumentum ad Ecclesiam *arg. c. requisivit* 1. *de in integr. restit.* ergo &c.

15 *Tertia sententia*, eaque meo judicio probabilior, & communior vult tam hæreditatem, quàm Legatum Ecclesiæ delatum ab hujus Prælato, vel Rectore repudiari posse. Ita Abb. *in c.* 8. *n.* 9. *de his, quæ à Prælat.* Sylv. *V. alienatio q.* 19. *n.* 18. Less. *l.* 2. *de Just. c.* 24. *n.* 65. Sanch. *l.* 6. *de Matr. D.* 4. *num.* 11. Laym. *l.* 3. *tr.* 4. *c.* 10. *n.* 7. Gratian. *discept. for. cap.* 674. *n.* 20. Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 95. *n.* 54. Pal. *tr.* 12. *D. un. p.* 15. §. 1. *num.* 11. Gibalin. *tom.* 2. *de negot. l.* 4. *c.* 8. *conʃect.* 5. *num.* 4. *&* 5. Donat. *tom.* 1. *prax. Reg. p.* 2. *tr.* 14. *q.* 59. *n.* 8. Vall. *hic* §. 2. *n.* 4. Honor. *n.* 27. *fin.* Zoes. *n.* 6. *&* 7. Pirh. *num.* 41. Reiffenstuel *tit. de his, quæ à Prælat. num.* 38. *& seqq.* Vviest. *tit. de donat. n.* 40. *Ratio est*, quia talis repudiatio hæreditatis, vel legati non est propriè alienatio rei Ecclesiæ, sed potiùs non acquisitio, uti constat 1. ex *l. si sponsus* 5. §. *si maritus hæres* 13. *ff. de donat. int. vir. & uxor.* ubi permittitur marito repudiare hæreditatem, aut legatum, ut uxori obveniat, nec censetur esse alienatio, seu donatio inter conjuges. 2. ex *l. quod autem* 6. §. *proinde* 2. & §. *sed & illud* 4. *ff. quæ in fraud. credit.* ubi repudiatio hæreditatis, vel legati non censetur alienatio facta in fraudem creditorum. 3. ex *l. alienationis* 28. *princ. ff. de V. S.* ubi Paulus JCtus, *Qui occasione*, inquit, *acquirendi non utitur, non intelligitur alienare, veluti qui hæreditatem omittit, aut actionem intra certum tempus datam non amplectitur.*

16 *Conf.* 1. quia Prælato permissa, & valida esse censetur quæcunque dispositio circa res Ecclesiæ, vel Monasterii sibi commissi, quæ Jure prohibita, aut irrita non reperitur *arg. c. cùm apud* 23. junct. Gloss. *V. prohibitorium de Sponʃ. & Matr.* & *l. mutus* 43. §. *cùm quæretur* 1. juncta Gloss. *V. edictum ff. de Procurat.* atqui hæreditatis, vel legati repudiationem ipsi interdictam, vel saltem irritam esse non est Jure expressum. ergo permissa, aut saltem valida, & à pœnis, quæ in malè alienantes latæ sunt, immunis erit. *Conf.* 2. actus, & dispositiones quæcunque in dubio validæ censeri debent *l. quoties* 80. *ff. de V. O.* & *l. quoties* 12. *ff. de reb. dub.* ideoque omnis interpretatio admittitur ad eas sustinendas. Tusch. *practic. V. actus concl.* 36. *n.* 1. *&* 14. & quæ pro actus valore militat, cæteris fortior præsumptio censetur. Menoch. *l.* 3. *præsumpt.* 29. *n.* 45. atqui propositæ repudiationis valor, & nullitas maximè dubia sunt. ergo pro valida haberi debet.

17 Duo tamen in sententia hac nostra sunt observanda. 1. Quòd solùm intelligi debeat de repudiatione simplici, non autem de cessione: aut permutatione in favorem, & commodum alterius, ut benè Sanch. *D.* 4. *cit. n.* 17. *Ratio est*, quia per talem cessionem hoc ipso hæreditas priùs deberet censeri adita, vel legatum agnitum; & sic censeretur alienatio rei jam acquisitæ. 2. Quòd etsi Prælatus validè renunciet hæreditati, vel legato Ecclesiæ suæ delato, quando tamen sine justa causa hoc facit, illicitè agat, & peccet, ut iterum Sanch. *n.* 14. Zoes. *hic n.* 7. Engl *n.* 9. Pirh. *n.* 41. Schamb. *n.* 16. Et hinc Ecclesiæ in hujusmodi casibus competit Beneficium restitutionis in integrum ob negligentiam Prælati in acquirendo lucro Ecclesiæ, ita, ut in optione illius sit vel agere contra Prælatum, vel petere restitutionem in integrum. Sanch. *l. cit. n.* 15. Laym. *n.* 7. Pirh. *n.* 42. Schambog. *n.* 16. *Ratio est*, quia, ut ait Gloss. *in can.* 2. *cauʃ.* 12. *quæst.* 4. *V. neglectum*, si Prælatus aliquid negligit acquirere Ecclesiæ suæ, cùm possit, hoc ipsi imputatur, & de hoc tenetur instar Tutoris juxta *l. quidquid* 7. *C. arbitrium tutelæ.*

Neque obstant Argumenta contraria. *Ad* 1. *primæ sententiæ* aliud est nocere, aliud non prodesse, non acceptando hæreditatem, vel legatum. Prælatus non nocet positivè, sed tantùm non prodest. Igitur validè saltem illis renuntiat. *Ad* 2. dum dicitur prohibitam esse alienationem etiam impropriè dictam, intelligendum est de alienatione Juris jam quæsiti, & quando agitur de Ecclesia depauperanda; secus si agatur de mera non acquisitione, & illa non locupletanda. *Ad* 3. licèt Prælatus ita repudiando hæreditatem, aut Legatum Ecclesiæ delatum, si sine causa justa id fiat, agat contra jus Ecclesiæ, & ideo, ut *num. præc.* dictum est, peccet, non tamen patrimonium ejus diminuit, in qua diminutione consistit alienatio. Declaratur exemplo pauperis, quem siquis vi, aut dolo impediat à consequenda Eleemosyna, is quidem contra jus ejusdem agit, quia tamen pauperiorem illum, ac priùs erat, non facit, non potest dici aliquid ipsius alienare, vel adimere. 18

Simili modo respondetur ad Argumenta secundæ sententiæ. *Ad* 1. quamvis, si res in specie legata sit, ejus dominium statim à morte testatoris transeat in Legatarium, etiam ante aditam hæreditatem juxta *ll. citt.* & ita videatur ejus non acceptatio esse imminutio proprii patrimonii, & quædam alienatio; revera tamen talis non est, cùm ante acceptationem dominium legati, non nisi imperfectè, & revocabiliter acquiratur Legatario, & sub tacita conditione, nisi repudietur: unde si postea repudietur, Juris fictione perinde est, acsi non esset acquisitum dominium. Gloss. *in l. quod autem cit. V. legatum.* Sanch. *n.* 8. Pirh. *n.* 41. *hic*, Vviest. *n.* 50. *Ad* 2. rei vindicatio Legatario competit, non nisi post factam acceptationem Legati; nam antequam illud Prælatus acceptet, Ecclesia non habet propriè dictum jus ad rem, & conf. nec actionem, quæ non datur, nisi supposita acceptatione. *Ad* 3. inter Pupillum, & Prælatum est lata disparitas; nam Pupillus caret omni administratione rerum suarum, non item Prælatus, qui rerum Ecclesiæ administrationem habet. Deinde Pupillo, & Minori prohibita est non solum vera alienatio, per quam res jam acquisita transfertur in alium, sed etiam omissio lucri, sive non acquisitio lucri, quæ est quodammodo alienatio; Prælato autem prohibita solum est alienatio illius, quod ab Ecclesia possidetur, adeoque jam ipsi est acquisitum juxta *c. cùm Apostolica* 7. *de his, quæ à Prælat. &c.* 19

Quæritur 6. quali Hypothecæ subjici res Ecclesiasticæ nequeant, speciali solum, an etiam generali? Resp. non posse subjici Hypothecæ speciali, posse generali. Ita Joan. Andr. *in c. nulli* 5. *h. tit. num.* 1. Abb. *ibid. num.* 3. Covar. *l.* 2. *var. c.* 16. *n.* 7. Redoan. *tr. de reb. Eccl. non alien. q.* 2. *c.* 6. *num.* 11. *&* 12. Molin. *tr.* 2. *de Just. D.* 466. *num.* 1. Laym. *l.* 3. *tr.* 4. *cap.* 10. *num.* 2. Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 19. *num.* 85. Pal. *tr.* 12. *D. un. p.* 15. §. 2. *num.* 3. Pellizar. *Man. regul. tr.* 6. *cap.* 8. *q.* 11. Fagnan. *in c. nulli* 5. *h. tit. n.* 30. *& seqq.* Gibalin. *tom.* 2. *de negot. l.* 4. *c.* 8. *conʃect.* 12. *n.* 4. *&* 5. Honor. *hic n.* 5. Pirh. *n.* 5. Schambog *n.* 4. Colligitur ex *c. nulli cit.* per sensum contrarium; eo ipso enim, quòd ibi solùm prohibeatur Hypotheca specialis in rebus Ecclesiasticis, permissa censetur Hypotheca generalis. *Ratio disparitatis est*, quia per Hypothecam generalem non ita facilè deveniri potest ad alienationem, seu venditionem rei generaliter solùm oppignoratæ, quàm per Hypothecam specialem; nam hæc, quia plus juris in rem transfert in creditorem, majus periculum alienandi affert. 20

Quare si justa causa hoc petat, Prælatus etiam absque consensu Superioris, vel alia solemnitate Canonica, ad firmandum contractum legitimè institutum, bona Ecclesiæ sub Hypotheca generali obligare poterit. *Excipi tamen debet*, nisi pignus sit constitutum pro tanta quantitate, ut non sit spes, quòd facilè redimendum sit, sicque res Ecclesiæ probabili periculo alienationis, vel distra- 21

strationis exponantur; tunc enim etiam generali Hypothecæ subjici non poterunt, ut rectè *l. citt.* advertunt Redoan. *n.* 3. 4. 10. *&* 11. Laym. *n.* 2. Pirh. *n.* 5. *Ratio est*, quia prohibito aliquo actu, censetur etiam prohibitum omne illud, per quod pervenitur ad actum illum.

22 Quæritur 7. an nomine alienationis hìc prohibitæ etiam comprehendatur translatio bonorum, vel redituum unius Ecclesiæ particularis ad aliam Ecclesiam? P. Engl *hìc n.* 16. putat de puncto Juris, & extra Italiam (ubi praxis Curiæ Romanæ non ita attenditur, nisi & hìc consuetudine aliud receptum sit) non improbabilem esse sententiam negativam, hoc saltem sensu, ut si evidens causa utilitatis, vel necessitatis subsit, Superioris licentia non requiratur, eò, quòd finis prohibitionis de non alienandis rebus Ecclesiæ sit bonum Ecclesiæ universalis, non verò Ecclesiarum particularium. Sed dicendum, etiam in tali translatione, ut licita, & valida illa sit, opus esse, ut solemnitates Juris in ea interveniant. Sumitur ex *can. Eccles.* 43. *caus.* 16. *q.* 1. & *c. non licet* 1. *h. tit.* & notat *ibidem* Alagona, Vivian. *princ.* Vvagn. *in Exeges.* Vallens. *hìc* §. 1. *n.* 1. *Ratio est*, quia ejusmodi translatio est veræ alienationis species, quæ si fiat sine solemnitatibus à Jure præscriptis, est interdicta Prælatis Ecclesiæ.

23 Potest tamen translatio talis ab Episcopo, vel alio simili Prælato, qui Jurisdictionem quasi Episcopalem habeat, fieri tribus his concurrentibus. 1. Ut fiat ex justa causa, qualis est indigentia alterius Ecclesiæ; nam Ecclesiæ particulares, tanquam membra unius corporis, sc. Ecclesiæ, universalis, subvenire sibi invicem debent. 2. Ut priùs Rectori, & Ministris, item fabricæ Ecclesiæ, de cujus bonis translatio facienda est, ex ejusdem reditibus provideatur, quod necessarium ipsis est; non enim debet discooperiri unum Altare, ut cooperiatur alterum. 3. Ut interveniat consensus Capituli *arg. c. tua* 8. *de his, quæ à Prælat.* imò & Patroni si Ecclesia sit patronata, ut rectè advertit Pirh. *hìc n.* 6.

Porro quod de translatione dictum est, etiam intelligendum est de Permutatione; nam hæc cum consensu Clericorum utriusque Ecclesiæ fieri ab Episcopo duntaxat potest, ut constat ex *c. non licet cit.* & notat *ibid.* Abb. *n.* 4. Vivian. *vers. nec invicem*, Gonzal. *n.* 2.

24 Quæritur 8. an alienationis hìc prohibitæ nomine etiam veniat constitutio Servitutis realis, vel personalis in re prohibita alienari? Resp. non posse in hujusmodi re constitui servitutem juxta *l. fin. C. de reb. alien. non alien.* Molin. *tr.* 2. *de Just. D.* 464. *fin.* Pellizar. *Man. regul. tr.* 6. *c.* 8. *q.* 21. Pirh. *num.* 10. *hìc*. Ex quo sequitur, quòd Prælatus, seu Rector Ecclesiæ, vel alius Beneficiarius non possit alteri concedere Usumfructum fundi Ecclesiastici *c. vestra* 2. *de Locat.* *Usumfructum*, inquam; nam ipsam fructuum commoditatem, & perceptionem liberè vendere, ac locare potest, modò hoc fiat sine præjudicio successoris *c. vestra cit.* *Ratio est*, quia Clericus Beneficiarius bonorum Beneficii sui non dominus, sed usufructuarius tantùm est. Atqui Usufructuarius, licèt ipsum jus utendi, fruendi, vendere, vel aliter in alium transferre nequeat sine consensu domini, potest tamen alteri liberè locare, vel donare ipsam facultatem, seu fructus suos, i. e. Usufructuarii nomine percipiendos, etiam inscio, vel invito domino, quamvis non ultra vitam Usufructuarii; quia dissoluto jure concedentis dissolvi etiam debet jus accipientis *arg. l. lex vectigali* 31. *ff. de pignor.*

25 Quæritur 9. an Papa Res Ecclesiarum sine solemnitate per Canones requisita alienare possit? Videtur absolutè non posse ob Constitutionem Symmachi Papæ relatam *can. non liceat* 19. *caus.* 12. *q.* 2. ubi laudatus Pontifex, *Non liceat*, inquit, *Papæ prædium Ecclesiæ alienare aliquo modo pro aliqua necessitate, nec in usumfructum rura dare &c.* additque pœnam, *ut venditor honorem perdat; & qui subscripserit, anathema sit cum eo, qui dedit, vel recepit, nisi restituitur.* Sed retinenda est affirmativa sententia, non obstante hoc textu, qui sub *Papæ* nomine tantùm loquitur de Prælatis Pontifice inferioribus; nam sic compellare Episcopos SS. Patribus consuetum erat, ut patet ex pluribus Epistolis S. Hieronymi Augustino Papæ inscriptis. Et esto, eo textu nomine Papæ intelligi quidem Pontificem, Symmachus illa Constitutione non voluit Pontifici legem ponere (quia hoc fieri non potuit, cùm par in parem potestatem non habeat) sed tantùm declarare obligationem à Lege naturali, & Divina inductam, qua, ipse, ut administrator tantùm, non dominus prohibetur hujusmodi alienationes facere sine justa causa.

§. II.

Referuntur Res, quæ liberè alienari possunt, vel non possunt.

SUMMARIUM.

26 *Alienari liberè nequeunt res Ecclesiarum immobiles.*
27 *Mobiles pretiosæ.*
28 *Ususfructus, census, & pensiones annuæ.*
29 *Actiones rerum immobilium, & mobilium pretiosarum.*
30 *Reliquiæ Sanctorum insignes.*
31 *Bibliotheca saltem copiosa.*
32 *Servi cum Exceptionibus.*
33 *Mancipia rustica.*
34 *Greges ovium, armenta boum &c.*
35 *Jumenta ad colendum fundum deputata.*
36 *Arbores prædio utiles, & necessariæ.*
37 *Et generaliter, quæ annuos reditus afferre solent.*
38 *Alienari liberè permittuntur Res mobiles non pretiosæ.*
39 *Inutiles Ecclesiæ, & multo magis damnosæ.*
40 *Immobiles donatæ Ecclesiæ, vel Monasterio, cui non licet eadem retinere.*
41 *Bona ab antiquo in Feudum, vel Emphyteusin dari solita.*
42 *Et quæcunque alia in casu urgentissimæ necessitatis, quæ moram non patitur.*
43 *An liberè alienari possint res immobiles exigui valoris? Rationes dubitandi.*
44 *Deciditur pro Affirmativa.*
45 *Notanda in horum alienatione.*
46 *Respondetur ad objecta.*
47 *An sic alienabilia liberè alienari possint, non obstante Juramento de rebus Ecclesiæ non alienandis inconsulto Summ. Pont. Argumenta sententiæ negantis.*
48 *Tenetur affirmativa.*
49 *Solvuntur objectiones.*
50 *An etiam pecunia accensenda sit rebus, quæ sine solemnitate alienari nequeunt? Ratio dubitandi.*
51 *Respondetur cum distinctione.*
52 *Extensiones Responsionis.*
53 *Casus, quibus res Ecclesiæ ne quidem adhibitis solemnitatibus alienari possunt.*

QUæritur 1. quænam res Ecclesiasticæ ab Episcopis, Prælatis, & aliis Ecclesiarum Rectoribus liberè alienari nequeant? Resp. istas esse diversi generis. Et 26

1 quidem alienari prohibentur *res Ecclesiarum immobiles*, ut sunt Oppida, Castra, pagi, villæ, prædia, fundi, & similia bona, quæ habent radicem, & *Corporalia* vocantur. Constat ex textibus utriusque Juris: *Civili* quidem prohibitio ista primùm facta est à Leone, & Anthemio Impp. pro Ecclesia Constantinopolitana tantùm; deinde ab Anastasio Imp. extensa ad Ecclesias Constantinopolitano Patriarchæ subjectas: ac denique à Justiniano porrecta ad omnes Ecclesias, Monasteria, & loca pia, ac Religiosa ubique terrarum, uti habetur *Novell.* 7. 46. *&* 120. item *l. sancimus* 21. & huic subjuncta *Auth. hoc jus porrectum C. de SS. Eccl. Canonico* autem Jure hæc prohibitio ab Impp. facta non tantùm canonizata est, dum à Gregorio IX. Lex *cit.* Decretalibus *c. nulli* 5. *h. tit.* inserta est, sed pluribus aliis textibus, & Constitutionibus confirmata; nam ita statuitur *can. quisquis* 19. *can. Episcopus* 34. *can. placuit* 51. *can. sine exceptione* 52. *caus.* 12. *q.* 2. Item *c.* 1. 7. *&* 8. *de his, quæ à Prælat. c.* 1. *c.* 5. *c.* 6. *h. tit. c.* 1. *&* 2. *in* 6. *Clem.* 1. *&* 2. *& Extrav. ambitiosæ int. comm. eod. tit.* Idem decrevit Trid. *sess.* 22. *c.* 11. *de reform.* Leo X. 8. *Idus Maji* 1517. Julius III. 23. *Maii* 1552. Paulus IV. *pridie Idus Julii* 1563. Pius V. *Calend. Jan.* 1569. Clem. VIII. 1592. Urbanus VIII. 7. *Sept.* 1624. Ratio hujus tam multiplicis prohibitionis est necessitas, & utilitas Ecclesiarum, ac locorum piorum, contra quam Prælati, aliique Administratores facilè alienationes fecissent, nisi hæ adeo multiplici, & stricta Lege fuissent prohibitæ.

2 *Res mobiles pretiosæ*, quæ servando servari possunt, ut sunt vasa aurea, vel argentea, torques, tapetes, & similia templorum ornamenta, auro, gemmis &c. intertexta, uti & reliqua magnæ æstimationis supellex, quæ est de thesauro Ecclesiæ, eique propter materiæ pretium, artem, vel antiquitatem singularem splendorem confert. Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 95. *n.* 39. Gibalin. 27

tom. 2.

tom. 2. de negot. l. 4. c. 8. art. 1. n. 12. Engl *hic n. 5.* & statuitur *Extrav. un. h. tit. int. comm.* ibi, *Immobilia, & pretiosa mobilia DEO dicata.* Colligitur etiam *arg. l. lex quæ 22. C. de administr. tutor.* ubi mobilia pretiosa prohibentur alienari à tutoribus ob favorem pupillorum. Atqui Ecclesiæ non minus in hac re privilegiatæ sunt, quàm pupilli *arg. c. requisivit 1. & c. auditis 3. de in integr. restit. Neque obstat*, quod alias circa bona mobilia plus concedatur; nam aliud dicendum de mobilibus pretiosis, quippe quæ cum immobilibus pari passu ambulant, & propterea quoad difficultatem, & solemnitatem alienationis æquiparantur. Abb. *in c. 5. h. tit. n. 8.* Quarant. *Summ. Bull. V. alienatio num. 24.* Redoan. *tr. de reb. eccl. non alien. q. 8. n. 1. & 2.* Barb. *in c. 8. de his, quæ à Prælat. numer. 6.* Pirh. *hic numer. 12.* Vviestner *num. 22. & 26.*

28 3 *Ususfructus longi temporis, census, seu reditus, & pensiones annuæ* ex re immobili, prædio, fundo &c. provenientes, aliaque hujusmodi Jura incorporalia per expressum textum *Clem. 1. vers. cumque annui de V. S.* Quarant. *V. alienatio cit. n. 26.* Redoan. *q. 14. n. 22.* Barbos. *all. 95. cit. n. 44.* Pal. *tr. 12. D. un. p. 15. §. 1. n. 1.* Gibalin. *tom. 2. de negot. l. 4. c. 8. art. 1. n. 8.* Honor. *hic n. 21.* Engl *n. 1.* Zoes. *n. 10.* Pirh. *n. 13.* Vviest. *n. 24.* Distinguendum tamen, ut bene Gaill. *l. 2. obs. 10. n. 3.* monet, inter reditus cessos, & nondum cessos; *illi* enim fructibus à solo separaris æquiparantur, quemadmodum hi inter mobilia referuntur, ita etiam reditus, & pensiones cessæ. Quod si Pensiones partim cessæ sint, partim non, judicandum de iis pro rata temporis. *Excipitur*, nisi aliud ferat consuetudo; sic enim eodem Gaillio teste *n. 6.* in quibusdam Germaniæ locis receptum est, ut reditus redimibiles, etiam super bona immobilia constituti, inter bona immobilia numerentur, & iis cedant, quibus res mobiles ex statuto debentur.

29 *Actiones rerum immobilium, & mobilium pretiosarum*; nam etiam istæ immobilibus æquiparantur. Sylv. *V. alienatio q. 9.* Redoan. *Rubr. 13. n. 15.* Barbos. *l. cit. num. 46.* Pal. *n. 1.* Schamb. *n. 5. hic*, Pirh. *n. 14.* Vviest. *n. 25.* cum aliis *supra*. Nec immeritò; nam cùm actio accessoria rei sit, talis judicatur actio, qualis est res, ad quam actio datur. Et hinc, quando dubitatur, an requirantur solemnitates Canonicæ, ut Prælatus nomine Ecclesiæ cedere actione possit, spectanda est res, ad quam actio illa datur; nam si immobilis res illa sit, aut æquivalens immobili, solemnitatum Canonicarum interventu opus est; si verò sit mobilis non pretiosa, cedi liberè potest, prout cum communi aliorum *citt.* DD. notant. Neque obstat, quòd actiones, & nomina, prout colligitur ex *l. à Divo Pio 15. §. in venditione 2. ff. de re judic.* cùm incorporalia sint, tertiam quandam speciem constituant; nam, ut *l. citt.* Azor, Gibalinus, & alii notant, id procedit solùm in Testamentis, & aliis dispositionibus, in quibus verba in maximè propria, & strictiori significatione capienda sunt, nisi aliam fuisse mentem testatoris aliunde conjicere liceat *l. qui hæredi 44. ff. de condit. & demonstr.*

30 5 *Reliquiæ Sanctorum insignes*, quales sunt caput, brachium, manus, pes alicujus Sancti, & multò magis totum ejusdem corpus; nam cùm Chrysostomo teste *Homil. de Laudib. S. Pauli*, auro, argento, gemmisque, & omni thesauro pretiosiores sint, alienari liberè non permittuntur, ut patet ex Stylo, & praxi Curiæ Romanæ, docentque Anton. Genuens. *prax. Cur. Archiepisc. c. 71. n. 6.* Riccius *prax. for. eccl. p. 1. decis. 63. n. 5.* Bonacin. *D. 3. de contract. feud. q. 8. p. 4. n. 17.* Pal. *tr. 12. D. un. p. 15. §. 1. num. 8.* Tambur. *de Jur. Abb. tom. 3. D. 13. q. 1. n. 10.* Engl *hic n. 5.* Vviest. *n. 26.*

31 6 *Bibliotheca saltem copiosa.* Peregrin. *Compend. priv. Theatin. V. alienatio in Schol. vers. tertia dubitatio est*, Lezan. *Summ. Reg. qq. c. 10. n. 4.* Donat. *prax. Reg. tom. 1. p. 2. tr. 14. q. 50.* Konig *hic n. 14.* Vviest. *n. 27. Proceditque hoc*, etiamsi singuli libri seorsim sumpti non ascendanr ad valorem requisitum ad mobile pretiosum; quia ad constituendum mobile pretiosum non requiritur unitas physica, sed sufficit moralis plurium rerum habentium aliquam habitudinem inter se in ordine ad eundem usum, & finem. Dixi *Bibliotheca*; nam singuli libri, præsertim si ex pretio inde redacto emantur alii meliores, & utiliores, alienari liberè possunt. *Excipitur*, si tales sint, qui propter antiquitatem, vel aliam similem causam Ecclesiæ, vel Monasterio afferrent specialem utilitatem, aut splendorem; isti enim rebus mobilibus pretiosis accenseri debent, ut proinde sine solemnitate Canonica alienari nequeunt.

32 7 *Servi*, qui olim donabantur Ecclesiæ à fidelibus; nam isti, quia in ipsis in magna parte Ecclesiasticum Patrimonium constabat, inter res pretiosas censebantur, & propterea alienari non poterant *c. injustum 4. de rer. permut. & c. Episcopi 4. h. tit. Excipiuntur* tres casus. 1. Si essent fugitivi; nam hi, quia judicabantur Ecclesiæ inutiles, permutari, vel alio modo alienari poterant *c. injustum cit. & can. fugitivi 54. caus. 12. qu. 2.* 2. Si Prælatus de rebus suis tantundem contulit, vel acquisivit, quantum valebat servus; tunc enim manumittere illum poterat *c. injustum, c. Episcopi citt. & c. consensus 3. h. tit.* Vivian. *ibid. in ration.* Gonzal. *n. 1.* 3. Si benemeriti de Ecclesia erant, quia v. g. insigne aliquod servitium Ecclesiæ, vel istius intuitu Prælato præstiterunt; tunc enim libertate donari poterant ex Concilio Agathensi, quod refertur *can. si quos 57. caus. 12. q. 2.* Nunc cùm inter Christianos nomen servitutis sublatum sit, non amplius est Juris istius usus.

8 *Mancipia rustica*, seu servi glebæ, aut fundo excolendo adscripti *c. nulli 5. h. tit. & Novell. 7. c. 1. Ratio est*, quia ejusmodi mancipium, licèt habeat naturaliter à fundo discretum corpus, pars tamen istius instrumentalis est, atque ita inter immobilia connumeratur *l. jubemus 21. C. de SS. Eccl. l. si quis inquilinos 112. ff. de Legat. 1.* Abb. *in c. nulli cit. n. 2.* Molin. *tr. 2. de Just. D. 165. n. 3.* Pal. *tr. 12. D. un. p. 15. §. 1. n. 1.* Gibalin. *tom. 2. de negot. l. 4. c. 8. art. 1. n. 9.* Vviest. *hic n. 28.* 33

9 *Integri greges ovium, armenta boum &c.* etsi enim permissum sit seorsim vendere singulas oves, non tamen sine solemnitate requisita licet alienare totum gregem; quia hujusmodi greges ob continuam multiplicationem fœtuum computantur inter res mobiles pretiosas, & conf. immobilibus æquiparantur *§. sed & gregis 38. Inst. de rer. divis.* Molin. *tr. 2. de Just. D. 165. n. 4. fin.* Barbos. *l. 3. Jur. eccl. c. 30. n. 44.* Pal. *p. 15. cit. §. 1. n. 3.* Vvagn. *in Extrav. ambitiosæ V. de fructibus not. 1.* Tamb. *de Jur. Abb. tom. 3. D. 13. n. 13. & 41.* Gibalin. *art. 1. cit. n. 10.* Konig *hic n. 9.* Vviest. *n. 29.* 34

10 *Jumenta* ad fundum colendum deputata; hæc enim alienari non possunt, nisi aut superflua, aut ob senium, infirmitatem &c. ad culturam fundi, ob quam aluntur, inidonea forent *l. fin. C. quando decreto opus non est*, Pirh. *num. 12.* 35

11 *Arbores*, quæ ita prædio necessariæ, vel utiles sunt, ut, illis excisis, notabiliter deterius fieret; hæc enim bonis immobilibus annumerantur. Secus est de arboribus non fructiferis, vel quæ opacitate sua augmentum fructuum impediunt; eæ enim à Prælato, vel Rectore Ecclesiæ sine consensu Capituli, & alia solemnitate exscindi possunt, & vendi. Quarant. *V. alienatio n. 33.* Corrad. *de dispens. l. 9. c. 1. n. 16.* Pal. *tr. 12. D. un. p. 15. §. 1. n. 7.* Barbos. *in Extr. ambitiosæ n. 27.* Gibalin. *art. 1. cit. num. 11.* Vallens. *hic §. 2. num. 1.* Pirh. *n. 12.* Konig *n. 6. Excipitur*, si silvæ exscinderentur integræ, ex quibus antea plurimum utilitatis capiebat Ecclesia. Vallens. *§. 3. num. 3.* 36

12 Generaliter aliæ res, quæ Ecclesiæ, Monasterio &c. annuos fructus afferre, & servando servari, sive ultra triennium durare consueverunt, si etiam pretium æstimatione Judicis sufficiens habeant, ut dici res pretiosæ possint. gloss. *in l. unic. V. usucapione C. si advers. usucap.* Azor *p. 2. l. 9. c. 1. q. 5.* Pal. *§. 1. cit. n. 2.* Pirh. *hic n. 12. in fin.* Vviest. *n. 30.* 37

Quæritur 2. quænam res Ecclesiæ liberè, & sine Juris solemnitatibus alienari possint? Resp. non ita universalis est Regula, quæ rerum alienationem prohibet, ut non plures Exceptiones sustineat; nam liberè, & sine Juris solemnitatibus alienari possunt. 38

1. *Res mobiles Ecclesiæ non pretiosæ, & quæ servando servari nequeunt:* cujusmodi ferè sunt ea, quæ usu absumuntur, vel brevi tempore veterascunt, ut sunt fructus, frumentum, oleum, vinum, pecudes, pleræque vestes &c. Host. *in Summ. h. tit. n. 2.* Abb. *in c. nulli 5. n. 8.* Barbos. *in c. 8. de his, quæ à Prælat. n. 4.* Vall. *hic §. 2. n. 1.* Honor. *n. 22.* Pirh. *n. 18.* Vviest. *n. 36. Ratio est*, quia Leges, & Canones, qui rerum Ecclesiæ alienationem prohibent, solas res immobiles, & mobiles pretiosas exprimunt, prout patet ex *c. nulli, & l. jubemus citt.* & hinc quia quod non reperitur prohibitum, regulariter intelligitur concessum *l. nec non 28. §. quod ejus 2. ff. ex quibus caus. major. & l. ab ea parte 5. ff. de probat.* meritò infertur, res mobiles Ecclesiarum non pretiosas liberè alienari posse. *Conf.* nam etiam Tutores, & Curatores, quorum tamen potestas longè magis restricta est, quam Prælatorum, hujusmodi res sine solemnitate aliqua alienare possunt *l. lex, quæ 22. & l. tutores 24. C. de administr. tutor. Neque obstant* textus *c. irrita 1. & c. cùm nos 3. de his, quæ à Prælat. & c. qui res 2. h. tit.* ubi rerum Ecclesiasticarum alienatio prohibetur generaliter, & inter mobiles, ac immobiles non fit discrimen; nam textus isti interpretationem accipiunt ab aliis, qui

qui expressè tantum vetant alienationem rerum immobilium, & mobilium pretiosarum.

39 2 *Res Ecclesiæ inutiles*, & multo magis *damnosæ*, ut sunt Servi fugitivi *can. fugitivi* 54. *caus.* 12. *q.* 2. *c. injustum* 5. *de rer. permut.* domus intra urbes, quibus conservandis sæpe plus impendendum est, quam inde capiatur utilitatis *can. non liceat* 20. & *can. sine exceptione* 52. §. *item domus caus.* 12. *q.* 2. item terræ, & res immobiles Ecclesiæ, si nullum, aut exiguum fructum afferant *c. ad aures* 7. & *c. ut super* 8. §. *possessiones h. tit.* ita tamen, ut his distractis, illorum loco compararentur alia bona Ecclesiæ magis utilia, quia Prælatus licèt possit conditionem Ecclesiæ meliorem facere, non tamen deteriorem, quod fieret, si istorum loco non compararentur alia magis utilia. Suar. *tom.* 4. *de Relig. l.* 2. *q.* 27. *n.* 3. Pirh. *hic n.* 19. Engl *num.* 3. Konig *n.* 9. & 10.

40 3 *Res etiam immobiles*, quæ donatæ, vel legatæ sunt Ecclesiæ, vel Monasterio, cui non licet eadem retinere, uti sunt PP. Capucini, PP. Franciscani de Observantia, & Domus Professæ Societatis; hæc enim sine solemnitatibus Canonicis distrahi, & eorum pretium in fabricæ, & alias Fratrum necessitates, ususque converti possunt. Quarant. *V. alienatio n.* 41. *vers. sextò*. Piasec. *p.* 2. *prax. Episc. c.* 5. *art.* 4. *n.* 32. Fagnan. *in c. nulli* 5. *h. tit. n.* 27. Barbos. *alleg.* 95. *n.* 59. Pal. *tr.* 12. *D. un. p.* 15. §. 1. *n.* 12. Vall. *hic* §. 2. *n.* 5. Honor. *n.* 26. Engl *n.* 9. Konig *n.* 11. Wiest. *n.* 44. *Ratio est*, quia hujusmodi bona non censentur incorporata talibus Ecclesiis, vel Monasteriis. ad bonorum autem Ecclesiis non incorporatorum distractionem solemnitates non exiguntur, prout statuetur *infra Tit.* 17.

41 4 *Bona ab antiquo in Feudum, vel Emphyteusim dari solita*; hæc enim, si ad Ecclesiam revertantur, denuo sine nova solemnitate alienari, sive in Feudum, vel Emphyteusin dari possunt *c. fin. de feud.* & *Extrav. ambitiosæ cit. Ratio est, quia* teste Barbosa *alleg.* 95. *n.* 32. communis DD. conclusio est, ut res semel effecta alienabilis cum solemnitate efficiatur perpetuò alienabilis sine solemnitate, dummodo semper cum eadem Ecclesiæ utilitate alienetur. Porro, ut res aliqua dicatur solita alienari ab antiquo, vel facta alienabilis, ex communi DD. requiritur, ut præcesserit una, vel altera alienatio solemnis, & interim elapsum sit spatium 40. annorum. Riccius *prax. aur. p.* 1. *res.* 26. *n.* 3. Barbos. *l.* 3. *Jur. Eccles. c.* 30. *n.* 21. Fagnan. *in c. nulli cit. n.* 19. & 20. Leo *thes. for. Eccl. p.* 1. *c.* 15. *n.* 3. Vall. *hic* §. 2. *n.* 2. Honor. *n.* 23. Engl *n.* 4. Konig *n.* 12.

42 5 *Res, & bona quæcumque* in casu maximè necessitatis, urgentis, & exigentis talem celeritatem, ut Summi Pontificis, vel alterius Superioris consensus requiri, vel exspectari sine gravi Ecclesiæ præjudicio, vel damno nequeat. Abb. *in c. fin. de Eccl. ædif. n.* 8. Redoan. *q.* 13. *n.* 13. & *seqq.* item *q.* 9. *n.* 51. & *q.* 35. *n.* 7. & 9. Quarant. *V. alienatio n.* 42. *vers. septimò*. Piasec. *p.* 2. *prax. Episc. c.* 5. *art.* 4. *n.* 28. *vers. esset item*, Barbos. *alleg.* 95. *n.* 58. Wiest. *hic n.* 43. *Ratio est*, quia necessitas, præsertim maxima, recessum à Jure frequenter permittit, & facit licitum, quod alias de Jure licitum non est *c. quanto* 4. *de consuet.* & *Reg. quod non est* 4. *de R. J.* Alienatio tamen hoc casu facta deberet ratificari postmodum servatis solemnitatibus. Piasec. *art.* 4. *cit. n.* 24.

43 Quæritur 3. an à Prælatis sine solemnitate à Jure requisita alienari possint res Ecclesiæ immobiles exigui valoris? Negant Rebuff. *compend, alien. rer. eccl. n.* 60. Duaren. *l.* 2. *de SS. Eccl. c.* 9. Gonzal. *in c.* 8. *h. tit. n.* 3. Moventur 1. *can. sine exceptione* 52. *caus.* 12. *q.* 2. & *can. quicumque* 1. *caus.* 17. *q.* 4. quibus textibus Episcopi, & Prælati de rebus Ecclesiæ, vel Jure ejusdem *quicquam* alienare prohibentur. atqui dictio *Quicquam* tam parva, quam magna comprehendit; *quicquam enim* idem significat, quod *aliquid*, quo etiam res minima significatur. 2. *cap. ut super* 8. *h. tit.* ubi §. *possessiones*. Pontifex, *Possessiones*, inquit, *quæ Ecclesiæ tuæ minus sunt utiles, pro aliis utilioribus de Fratrum tuorum, & sanioris partis consilio, & assensu alienandi, sive commutandi liberam concedimus facultatem*. consensus autem majoris partis ad solemnitatem pertinet. ergo &c. 3. *paritate*; nam prædium etiamsi inutile, ac sterile, ad Minorem pertinens, à Tutore, vel Curatore sine solemnitate alienari nequit *l. si fundus* 13. *princ. ff. de reb. eor. qui sub tutel.* atqui Ecclesia Jure minorum gaudet *c. requisivit* 1. & *c. auditis* 3. *de in integr. restit.*

44 Sed dicendum, probabilius res Ecclesiarum etiam immobiles, si exigui valoris, & Ecclesiæ parum utiles sint, saltem ubi necessitas istud exigit, absque solemnitate per Jus requisita alienari posse. Ita Redoan. *tr. de Reb. eccl. non alien. Rubr.* 12. *num.* 5. Gratian. *Discept. for. c.* 452. *à n.* 2. Quarant. *V. alienatio n.* 41. Piasec. *prax Episc. p.* 2. *c.* 5. *art.* 4. *n.* 24. Leo *thes. for. Eccl. p.* 1. *c.* 15. *n.* 6. Laym. *l.* 3. *tr.* 4. *c.* 10. *num.* 5. *fin.* Mascard. *de Probat, concl.* 277. *n.* 12. Barbos. *de Offic. episc. alleg.* 95. *n.* 50. Pal. *tr.* 12. *D. unic. p.* 15. §. 2. *num.* 4. Donat. *tom.* 1. *prax. reg. p.* 2. *tr.* 14. *q.* 36. Vivian. *in c.* 8. §. *possessiones h. tit.* Fagnan. *in c. nulli* 5. *eod. n.* 24. Engl. *hic n.* 3. Konig *n.* 9. Wiest. *n.* 39. & hoc teste communis DD. Et sumitur 1. ex *can. terrulas* 53. *caus.* 12. *q.* 2. ubi terrularum, vineolarum exiguarum, & Ecclesiæ parum utilium distractio permittitur Episcopis *sine consilio fratrum*, h. e. Capituli consensu, ac proinde sine solemnitate à Jure requisita. 2. ex *c. cæterum* 3. *de donat.* ubi Abbatibus permittitur donatio rei modicæ, quamvis alias donatio eis absolutè sit interdicta. 3. ex *praxi Prælatorum*, qui hujusmodi res passim liberè alienant.

45 Proceditque hoc etiamnum hodie post *Extr. ambitiosæ Pauli II.* & Trid. *sess.* 25. *c.* 11. *de reform.* nam ut decidit *S. Cong.* 1596. 19. *Dec.* nec per *Extrav. cit.* nec per Trid. Decretum *can. terrulas* derogatum est. Duo tamen sunt advertenda. 1. ut hujusmodi res sit in se modica, & non tantùm pars modica magni prædii: hæc enim, non obstante modicitate sua, ut alienari possit, solemnitatibus Juris indiget; tum quia partes sapiunt naturam illorum, quorum sunt partes; tum etiam, quia fieret in fraudem Legis, & cederet in damnum Ecclesiæ. Donat. *q.* 36. *cit. num.* 3. 2. ut adsit necessitas alienandi, ut patet ex *can. terrulas cit.* ibi *Si necessitas fuerit*. Hinc ut Barbos. & Donat. *l. citt.* notant, ad alienationem hujusmodi rerum tria requiruntur, videlicet, ut sit res modica, ut non sit utilis Ecclesiæ, & ut adsit necessitas.

46 Neque obstant Argumenta opposita. *Ad* 1. dictio *Quicquam*, & aliæ, quæ sunt ejus significationis, ut Redoan. *Rubr.* 23. *n.* 16. monet, minima, imò etiam modica, extra materiam peccati, regulariter non comprehendit juxta illud: *De Modicis, & minimis non curat Prætor*. arg. *l. scio* 4. *ff. de in integr. restit.* *Ad* 2. textus ille accipi debet de permutatione, & de re, quæ quidem in se utilis est, sed tamen minùs utilis comparatione rei magis utilis. *Ad* 3. sæpius dixi, potestatem Prælati longè ampliorem esse, quàm Tutoris, & Curatoris, ut proin ab his ad Prælatum non semper valeat Argumentum.

47 Quæritur 4. an Prelatus liberè alienare possit bona ita alienari permissa, non obstante Juramento, quo obstringitur ad res Ecclesiæ, vel Monasterii, aut Mensæ suæ, inconsulto Papa, non alienandas? Negant Azor *p.* 2. *l.* 9. *c.* 1. *q.* 9. Navar. *de alien. rer. eccl. num.* 14. Molin. *tr.* 2. *de Just. D.* 468. *n.* 8. Fundantur 1. quia Juramentum istud etiam ad relatas alienationes ex voluntate Prælati Jurantis extendi potest. 2. quia extensionem istam postulare videtur favor Religionis, ut sic jurans à perjurii periculo magis removeatur. 3. quia alias non apparet, quem effectum, aut utilitatem juramentum hoc habeat. 4. quia sic extenditur juramentum *c. veritatis* 14. *de Jurejur.* ubi Juramentum fidelitatis, Prælato præstitum, statuitur pertinere etiam ad Successores. 5. quia generaliter juramentum videtur admittere interpretationem latam, & exigere, ut ejus obligatio extendatur ad omnia, quæ verbis in amplo, & proprio sensu acceptis comprehenduntur.

48 Sed melius adhuc tenetur affirmativa, pro qua etiam stant Redoan. *Rubr.* 33. *cas.* 1. *num.* 10. Riccius *p.* 1. *prax. decis.* 39. *n.* 8. & *p.* 2. *var. resol.* 383. Novar. *prax. nov. Jur. Pont. tit. de alien. rer. eccl. concl.* 1. *alias* 23. *num.* 17. Donat. *tom.* 1. *prax. Regul. p.* 2. *tr.* 14. *q.* 36. *n.* 3. Wiest. *hic n.* 47. *Ratio est* 1. quia, ut ipse Azor. *c.* 1. *cit. q.* 17. concedit Juramentum de non alienando, simpliciter præstitum, intelligendum est de alienatione, quæ Jure illicita, & prohibita est. non est autem Jure prohibita alienatio rerum mobilium non pretiosarum, aut immobilium exigui valoris. ergo &c. 2. quia, ut colligitur ex *c. ad nostram* 21. & *c. Clericus* 35. *de Jurejur.* Juramentum præstitum in materia Juris ad istius terminos est restringendum, & intelligendum secundum dispositionem Juris; & ratio est, quia jurans, si aliud non expressit, dispositioni se conformasse præsumitur. atqui secundum hanc alienatio rerum, de quibus quæritur, non est prohibita. ergo &c. 3. quia etiam Clericus, qui ad residentiam in Ecclesia sua se Juramento obstrinxit, nihilominus ex necessitatis, utilitatis, vel alia à Jure approbata causa ad tempus abesse potest, ut iterum fatetur Azor *q.* 17. *cit.* igitur etiam Prælatus res alienari permissas liberè alienare poterit ex simili necessitatis vel utilitatis causa, non obstante Juramento de rebus Ecclesiæ non alienandis, inconsulto summo Pont.

49 Neque obstant Rationes allatæ pro contraria opinione. *Ad* 1. licèt Juramentum hoc ad relatos, & Jure permissos casus intentione jurantis extendi possit, in dubio tamen non præsumitur ita extensum: cujus ratio est, quia cùm de obligationibus agitur, cùm istæ natu-

rali

rali hominis libertati præjudicent, & odioſæ ſint, ſtricta interpretatio eſt præferenda juxta *Reg. odia* 15. *in* 6. *Ad* 2. favor Religionis ſolùm exigit, ut factum conformetur dicto, quod Juramento eſt confirmatum; non verò, ut iſtius verba accipiantur latè. Periculum perjurii tanto minus eſt, quanto benignior eſt interpretatio Juramenti; nam tanto facilior, & expeditior eſt ejuſdem obſervantia. *Ad* 3. etſi ad illos caſus Juramentum non extendatur, effectu tamen, & utilitate non caret, cùm Prælatum ad Electionem Juri conformandam reddat firmiorem, & remotiorem à periculo damni Eccleſiæ ſuæ inferendi. *Ad* 4. in caſu *c. veritatis cit.* mitum videri non debet, quòd vis Juramenti etiam ſe extendat ad Succeſſores Prælati, cui fidelitas jurata eſt; quia præſtari ſolet ſub nomine appellativo, adeoque non perſonæ, ſed Dignitati, quæ cùm numquam moriatur, ſequitur, in eo caſu non fieri extenſionem ultra ſenſum verborum proprium. *Ad* 5. patet ex dictis; nam in dubio Juramentum ſtrictè, & in partem mitiorem, & juranti favorabilem interpretandum eſt, prout ſumitur ex *c. Clericus cit.* & *c. contingit* 1. *eod. in* 6. ubi negatur Clericum vi Juramenti, quod de ſervandis Eccleſiæ ſuæ Statutis præſtitit, obligari ad obſervanda ea, quæ poſtea primùm edita ſunt.

50 Quæritur 5. an etiam pecunia accenſenda ſit rebus, quæ ſine ſolemnitate alienari nequeunt? Negant Sylv. *V. alienatio q.* 8. *num.* 7. Ricc. *p.* 1. *prax. deciſ.* 50. *n.* 3. & *deciſ.* 73. *fin. edit.* 1. Barboſ. *alleg.* 95. *num.* 49. Molin. *tr.* 2. *D.* 465. *circa fin.* Ciarlin. *contr. for. cap.* 87. & rationem dant, quia inventa eſt ad commutationem faciendam, emendumque, & non datur, aut accipitur, ut conſervetur, ſed ut in alios, ſc. quotidianos uſus convertatur, nec ſervata ullum fructum parit, ſed otioſa remanet: adeoque res eſt, quæ ex ſua natura, & ſine ſervando ſervari nequit. tales autem res alienari abſque ſolemnitate poſſunt. ergo &c.

51 Sed diſtinguendum eſt inter pecunias, quæ ex fructibus venditis, locationum mercedibus, aliiſque reditibus percipiuntur: & inter eas, quæ donatæ, à teſtatore relictæ, aut ex venditione rei immobilis, vel mobilis pretioſæ redactæ in eum finem ſunt, ut alia res immobilis, vel mobilis pretioſa comparetur; nam *primo caſu* liberè, & abſque ſolemnitate expendi poſſunt, quod probat ratio allata in contrarium, *in ſecundo*, ut expendi in alium finem poſſint, Canonica ſolemnitate eſt opus; quia ratione deſtinationis cenſetur inter immobilia, aut mobilia pretioſa, quæ eidem ſubrogari debent. Ita Vaſq. *de redit. c.* 2. §. 2. *n.* 44. Quarant. *V. alienatio n.* 25. Piaſec. *prax. Epiſc. p.* 2. *c.* 5. *art.* 4. *n.* 19. Palao *tr.* 12. *D. un. p.* 15. §. 1. *num.* 5. & 6. Tambur. *de Jur. Abb. tom.* 3. *D.* 13. *q.* 1. *num.* 3. & *duob. ſeqq.* Gibalin. *tom.* 2. *de negot. l.* 4. *c.* 8. *art.* 1. *n.* 14. Donat. *prax. Reg. tom.* 1. *p.* 2. *tr.* 14. *q.* 52. *n.* 1. & *ſeqq.* Valſ. *hic* §. 2. *num.* 1. Pirhing *num.* 13. Vvieſtner *num.* 34. Clariſſ. P. Schmier *p.* 2. *de reb. Eccl. c.* 4. *num.* 41. & *duob. ſeqq.*

52 *Extendunt* inalienabilitatem hanc 1. Tiraquell. *de utroque retract.* §. 1. *gloſſ.* 7. *n.* 106. Azor *p.* 2. *l.* 9. *c.* 1. *q.* 5. Quarant. *l. cit. n.* 25. Barboſ. *alleg.* 95. *num.* 41. Piaſec. *art.* 4. *cit. n.* 19. Engl *n.* 7. *hic*, etiam ad pecunias, quæ ad immobilium emptionem ſimpliciter, & abſque voto, vel Juramento à Prælato, aut ejus Anteceſſore eſt deſtinata ob paritatem rationis; ſed paritas non eſt, quia deſtinatio illa accidentaria eſt, & pecuniæ conditionem mutare non videtur, ut rectè *l. citt.* Palao, & Gibalinus monent. 2. ad pecunias in banchis campſorum poſitas; quia tunc videntur negotiationi expoſitæ, & fructum habere. Tiraquell. *gloſſ.* 7. *cit. num.* 214. Bajard. *ad Clar.* §. *fin. q.* 38. *numer.* 151. Barboſ. *num.* 44. alios referens: Sed iterum præferenda videtur negativa; quia nulla ratione probari poteſt obligatio eas relinquendi in banchis campſorum, ſed potiùs ibi poſitæ cenſentur interim, dum non ſe offert neceſſitas illam conſumendi. Riccius *deciſ.* 70. *edit.* 1. Leo *Theſ. for. Eccl. deciſ.* 160. Palao §. 1. *cit. num.* 6. 3. ad pecuniam, quæ Monialibus traditur in dotem; quia ex voluntate donantium cenſetur data Monaſterio, ut perſeveret pro Monialis ſuſtentatione. Palao *num.* 5. 4. ſi magna foret illius quantitas, & in Eccleſiæ non tantum fructu, ſed theſauro eſſet, ut ad futuras neceſſitates, vel conſervandum Eccleſiæ Patrimonium aſſervetur Barboſ. *num.* 43. Tambur. *num.* 4. Donat. *n.* 3. & 4.

53 6 Quæritur 6. quibus caſibus res Eccleſiæ ne quidem adhibitis ſolemnitatibus Jure Canonico requiſitis alienari poſſint? Reſp. hos enumerat Gloſſ. *in Auth. hoc jus porrectum V. perpetuò C. de SS. Eccl.* Et 1. quidem, ſi ex Imperatoris donatione, vel fundatione res immobilis ad Eccleſiam pervenit: nam ut hæc alienari ab Epiſcopo poſſit, etiam conſenſus Imperatoris requiritur; tum quia hujuſmodi bona quandoque ſunt Feuda Imperialia; tum quia cum tali conditione donata cenſentur, ut ſine ejuſdem conſenſu non alienentur. 2. non poteſt alienari ipſa Eccleſia, vel Monaſterium, ita, ut in uſum Laicorum transferatur: 3. non poteſt Epiſcopus, vel alius Prælatus ex ſuis propriis bonis rem Eccleſiæ emere, etiam per interpoſitam perſonam, ne ſc. in facto proprio authoritatem præſtet. 4. ſi res ſub ea conditione ſit Eccleſiæ data, ne alienetur; nam tale pactum ſervandum eſſet, niſi alienationem ſuaderet magna, & evidens utilitas. 5. res Eccleſiæ alienari non poſſunt, ſive transferri in Hæreticum, vel Judæum. His caſibus prohibetur alienatio, etiamſi tali modo fieret, quo aliàs permitteretur.

§. III.

De Cauſis ad Alienationem rerum Eccleſiaſticarum.

SUMMARIUM.

54 *Cauſæ juſtæ alienationis afferuntur.*
55 *Primò urgens Eccleſiæ neceſſitas.*
56 *Secundo evidens ejuſdem utilitas.*
57 *Tertiò Pietas.*
58 *Quartò incommoditas, ſive inutilitas rei.*
59 60 *Requiſita, ut ex cauſa neceſſitatis fieri alienatio poſſit.*
61 62 *An præter cauſam neceſſitatis etiam requiratur Beneplacitum Apoſtolicum, ut ſuſtineatur Alienatio rei immobilis, vel mobilis pretioſæ?*
63 64 65 *Qualis utilitas eſſe, & quomodo conſtare de ea debeat, ut ſufficiens ſit cauſa Alienationis?*
66 67 68 *An, ut Alienatio reputetur Eccleſiæ utilis, exigatur, ut illa fiat locupletior?*
69 70 *Utrum alienatio rei Eccleſiæ immobilis, aut mobilis pretioſæ valida ſit, ſi fiat quidem cum debitis ſolemnitatibus, ſed tamen ſine juſta cauſa?*
71 *An valida ſit alienatio, quæ facta eſt ex cauſa legitima tantùm exiſtimata, & Juris ſolemnitatibus obſervatis?*

RES Eccleſiæ immobiles, & mobiles pretioſæ ita alienari prohibentur, ut tamen earum alienatio per acceſſionem cauſæ juſtæ eam ſuadentis, vel exigentis juſtificari poſſit. Hinc

Quæritur 1. Quænam ſint cauſæ juſtæ, ex quibus 54
ejuſmodi res alienari poſſint? Reſp. communiter quatuor enumerantur, prout videre eſt apud Gloſſ. *in Summ. V. nunc quæritur cauſ.* 12. *q.* 2. Abb. *in c. nulli* 5. *h. tit. n.* 5. Sylv. *V. alienatio q.* 1. Redoan. *de reb. Eccl. non alien. Rubr.* 18. *à n.* 1. Azor *p.* 2. *l.* 9. *c.* 1. *q.* 3. Molin. *tr.* 2. *de Juſt. D.* 468. *n.* 2. Piaſec. *prax. Epiſc. p.* 2. *c.* 5. *art.* 4. *n.* 14. Laym. *l.* 3. *tr.* 4. *c.* 10. *num.* 3. Barboſ. *l.* 3. *Jur. Eccl. c.* 30. *n.* 11. & *ſeqq.* Palao *tr.* 12. *D. un. p.* 15. §. 1. *num.* 5. Tambur. *tom.* 3. *de Jur. Abb. D.* 13. *q.* 4. *num.* 1. Donat. *tom.* 1. *prax. Regul. p.* 2. *tr.* 14. *q.* 9. *à n.* 2. Gibalin. *tom.* 2. *de not. l.* 4. *c.* 8. *art.* 3. *num.* 1. & *ſeqq.* Vincent. Petra *tom.* 1. *comment. fol.* 96. *à num.* 2. Vivian. *in c. nulli cit. verſ. quatuor.* Fagn. *ibid. n.* 7. Caniſ. *n.* 4. & *ſeqq.* Pirh. *hic num.* 24. Konig *n.* 18. & *ſeqq.* Vvieſt. *à n.* 50.

Prima eſt *Urgens neceſſitas Eccleſiæ*, cui alia via ſub- 55
veniri non poteſt *c. dudum* 1. *h. tit. in* 6. & *Clem.* 1. *eod.* Talis eſſet 1. ſi Eccleſia ſit gravata ære alieno, & hoc liberari nequeat, niſi aliqua ejuſmodi re diſtracta, vel creditori in ſolutum data. *Auth. hoc Jus porrectum* ibi *ſi debitum urgeat C. de SS. Eccl.* 2. ſi ob ruinam, quam meditatur, Eccleſia reparatione indigeret. 3. ſi aliud grave damnum aliter inevitabile ſit ab eadem avertendum. 4. ſi patiatur defectum ſupellectilis ſacræ, neceſſariæ ad rem Divinam ritè, decenterque obeundam. 5. ſi non adſint ſufficientes reditus ad alendos Eccleſiæ Miniſtros. *Ratio eſt*, quia neceſſitas non habet legem *c. conſilium* 2. *fin. de obſervat. jejun.* Imò ea ipſius vis eſt, ut Leges ſimul, & Canones vincat, licitumque faciat, quod alias de Jure illicitum eſt *Reg. quod non eſt* 4. *de R. J.*

2 *Evidens Eccleſiæ utilitas*, prout habetur *can. ſine ex-* 56
ceptione 52. ibi *Quod non ſit dubium profuturum Eccleſiæ cauſ.* 12. *q.* 2. *c. dudum* & *Clem.* 1. *citt. Ratio eſt*, quia, ut bene Gloſſ. *in Clem. cit. V. neceſſitas, aut utilitas*, hæc duo æquiparantur. *Et confirmatur*; quia alienatio rerum Eccleſiæ potiſſimum Jure prohibita eſt ob Eccleſiæ damnificationem. ergo ob cauſam evidentis utilitatis ejuſdem debuit eſſe permiſſa, ne quod in Eccleſiæ favorem, &

utilitatem salubriter est introductum, in ejus odium, & incommodum detorqueatur contra *Reg. quod ob gratiam* 61. *in* 6. Talis utilitas censetur, quando res aliqua Ecclesiæ alienatur, ut res alia melior, & utilior Ecclesiæ comparetur. *Proceditque hoc*, etsi ejusmodi res, quæ alienantur, sint Ecclesiæ utiles, cum discrimine tamen; nam si utiles sint, opus est, ut præter causam utilitatis accedat solemnitas: at si inutiles, vel parum utiles sint, juxta *n.* 39. liberè, absque solemnitate alienari, & permutari cum utilioribus possunt. Et sic passim videmus, à Prælatis absque solemnitate calices, aliaque vasa sacra, & argentea, aut ornamenta hujusmodi vetera, quamvis notabilis pretii, permutari pro novis.

57 3 *Pietas*, ob quam ad rei Ecclesiasticæ alias prohibitam alienarionem, ut Gloss. *in can. aurum* 70. *vers. in his caus.* 12. *q.* 2. Redoan. *Rubr.* 20. *n.* 7. Vviest. *hic n.* 57. cum aliis notant, quatuor potissimum casibus deveniri potest. 1. *pro redemptione captivorum inter Infideles*, quibus mors, aut grande corporis, & multo magis animæ periculum timetur; pro horum enim redemptione non solùm res temporales, sed vasa etiam Sacra oppignorare, vel distrahere, si ita necesse est, possunt *can. sacrorum* 15. *can. sicut* 16. *can. aurum* 70. *caus.* 12. *q.* 2. §. *sacræ res* 8. *Inst. de rer. divis. l. sancimus* 21. *C. de SS. Eccl. Novell.* 120. *c.* 10. Secus dicendum de malefactoribus, qui ob delicta sua attinentur vinculis; cùm enim istos puniri expediat, pietas non cogit ad hos redimendos à pœna delictis eorum debita distrahere res Ecclesiæ, quamvis solutione pretii inde redacti liberari ab ea possent. Molin. *tr.* 2. *D.* 468. *num.* 2. Pal. *tr.* 12. *D. un. p.* 15. §. 2. *num.* 6. *vers. sed quid.* Tambur. *tom.* 3. *de Jur. Abbat. D.* 13. *q.* 4. *n.* 1. Donat. *tom.* 1. *prax. regul. p.* 2. *tr.* 14. *q.* 9. *n.* 14. Schamb. *hic num.* 7. 2. *pro necessitatibus pauperum*, ne frigore, aut fame pereant *l. sancimus cit.* ubi Imperator, *Non est*, inquit, *absurdum*, *animas hominum quibuscumque vasis*, *vel vestimentis præferri:* & meritò; nam, ut rectè Ambrosius *can. aurum cit.* relatus observat, *Melius est*, *ut serventur vasa viventium*, *quam metallorum*. 3. *pro laxandis Cœmeterii spatiis* ad sepulturam fidelium *can. aurum cit.* & *ibi* Gloss. *V. in his*. 4. *pro ædificando Templo*; nam hujus erectione Cultus Divinus magis promovetur, modo Ecclesiæ, cujus res in finem hunc alienantur, relinquantur reditus, qui eidem sufficiant. 5. quam causam cum aliis addit Gibalin. *tom.* 2. *de negot. l.* 4. *c.* 8. *art.* 3. *num.* 5. pro *bello Sacro adversus infideles*, & *hæreticos*, maximè si ærarium Principis, vel Reip. exhaustum sit; ob hanc enim causam à Sede Apostolica Imperatori, & Regibus indulgeri potest, ut tertiam, vel aliam partem bonorum Ecclesiasticorum in suis ditionibus existentium accipiant, prout confirmant exempla Pauli III. qui Carolo V. Clementis VII. qui Ferdinando, & Innocentii XI. qui Leopoldo ejusmodi Indulta juxta formam *c. adversus* 7. *de Immunit. Eccl.* concesserunt, & meritò, nam si propter redemptionem captivorum etiam vasa sacra frangere, & distrahere est permissum, multo magis permittendum videtur vendi bona Ecclesiarum, ne imminenti clade ex Turcarum, & Hæreticorum armis Christiani cum locorum eversione in captivitatem redigantur.

58 *Incommoditas*, sive *inutilitas rei*, v. g. domus, agri, vineæ &c. quia in illius culturam, aut fabricam sunt faciendæ magnæ expensæ; vel quia ab Ecclesiæ prædiis, aut aliis fundis nimium distat, & ex ejus distractæ pretio comparari posset fundus propinquior, ac propterea Eidem utilior; vel quia ob soli infœcunditatem, aut exiguitatem parum utilitatis affert retenta, plus utilitatis distracta &c. *can. non liceat* 20. *can. sine exceptione* 52. *can. terrulas* 53. *caus.* 12. *q.* 2. *Ratio est*, quia ejusmodi rerum alienatio redundat in evidentem Ecclesiæ utilitatem. Et hinc ab aliquibus ad secundam, sicut tertia ad primam revocatur, qui proinde duas duntaxat hujusmodi causas referunt, necessitatis, & utilitatis, cui concordat *Clem.* 1. *h. tit.* Imò Gloss. *in c. nulli* 5. *h. tit.* non nisi causam utilitatis agnoscit: quod omnino verum est, si utilitas sumatur latè; nam etiam id, quod honestum, pium, & necessarium est, vel Ecclesiæ damnum, aut incommoditatem tollit, *Utile* vocatur, & à Jure reputatur, ut rectè P. Vviest. *hic num.* 61. Sufficit autem, ut ex his causis una adsit; non enim requiruntur cumulativè, sed disjunctivè, ut patet ex *c. dudum* 1. *h. tit. in* 6. ibi: *Evidens necessitas --- vel utilitas*. Tambur. *tom.* 3. *de Jur. Abb. D.* 13. *n.* 2. & 3.

59 Quæritur 2. quid observandum sit, ut ex causa necessitatis rite fiat alienatio bonorum Ecclesiæ immobilium, vel mobilium pretiosorum. Resp. 1. requiritur, ut necessitas sit omnino absoluta, & aliunde irreparabilis; nam si ex fructibus, vel reditibus, aut alio modo reparari posset, non censeretur causa sufficiens alienationis. Abb. *in c.* 5. *h. tit. n.* 5. Genuens. *in prax. Neapol. c.* 107. *num.* 4. Ciarlin. *contr.* 105. *num.* 6. Seraphin. *decis.* 508. *numer.* 8. Ventrigl. *p.* 1. *prax. annot.* 1. §. 3. *numer.* 23. Donat. *tom.* 1. *prax. Regul. p.* 2. *tr.* 14. *q.* 9. *n.* 2. Vincent. Petra *tom.* 1. *comment. fol.* 97. *n.* 8.

2 Ut necessitas hæc respiciat ipsam Ecclesiam; nam si respicit solum Rectorem, non est legitima pro alienatione; quia prohibitio alienationis introducta est favore Ecclesiæ, & non Clericorum, deservientium. Rota *decis.* 318. *n.* 19. *p.* 5. *recent. Excipitur*, si ipsa Ecclesia Rectori suo non daret sufficientes reditus; nam tali casu esset necessitas ipsius Ecclesiæ secundum dicta *n.* 55. *supra*.

3 Ut alienatio incipiat à rebus minoris momenti. Gabriel. *cons.* 118. *num.* 5. Petra *fol.* 98. *n.* 12. & *hoc teste* Rota *p.* 10. *recent. decis.* 275. *num.* 9. Hinc prius incipiendum est ab iis, quæ non sunt destinata ad Altaris ministerium, nec cultui Divino dicata, nisi hæc superflua essent, nec necessaria ad competentem cultum Divinum. Inter illas res, quæ ministerio, & Cultui Divino destinatæ sunt, prius alienandæ sunt eæ, quæ non sunt consecratæ, sed tantùm benedictæ, ut casulæ, & pallia Altaris. Eæ autem res, quæ sunt consecratæ, ut sacra vasa, & calices, non nisi ex urgentissima causa sunt alienandæ, aut pignori tradendæ, præsertim Laicis. Covar. *l.* 2. *var. c.* 16. *n.* 8. Pirh. *hic n.* 25. 6

4 Ut necessitas ista probetur, quod fieri debet aliunde, quam per assertionem partium illam experimentium; cùm enim huic alienationi resistat Jus, ideo necesse est ad illam sustinendam, ipsius Juris resistentis limitationem probari. Redoan. *de reb. eccl. non alien. q.* 23. *num.* 38. Ciarlin. *contr. for. c.* 105. *num.* 60. Petra *fol.* 98. *num.* 14. *Excipitur*, si confessio illorum esset suffulta adminiculis.

Quæritur 3. an præter causam necessitatis etiam requiratur Beneplacitum Apostolicum, ut sustineatur Alienatio rei immobilis, vel mobilis pretiosæ? Resp. distinguendo inter alienationem, quæ necessaria est necessitate Juris, & illam, quæ necessaria est necessitate facti. 6

In primo casu est recepta sententia apud Curiam Romanam, non requiri Beneplacitum Apostolicum, prout testis est Vinc. Petra *tom.* 1. *fol.* 101. *n.* 36. aliis *citt.* Et talis necessitas Juris censetur esse 1. cùm legatur, vel donatur res immobilis Ecclesiæ, vel Monasterio, quod ex Instituto suo solùm est capax acquirendi Bona immobilia ad effectum vendendi, uti sunt PP. Capucini, & Franciscani de Observantia, PP. Theatini, & Domus Professæ Societatis. 2. Cùm ex Testatoris voluntate injungitur, ut bona relicta statim vendantur, eorumque pretium in aliarum rerum emptionem erogetur; quia Testatoris voluntas pro Lege est observanda. Imò tali casu nulla proprie fieri videtur alienatio, quòd finis Testatoris, exigentis instantaneam relictorum venditionem, & aliorum subrogationem, videatur fuisse relinquendi bona subrogata, non autem vendenda. Petra *fol.* 102. *n.* 43. 3. Quando adest præceptum Judicis, & hoc præceptum est præcisum pro certa re alienanda; secus, si in genere de danda pecunia; quia Judex non censetur cogitasse de alienatione propterea facienda. Petra *fol.* 103. *num.* 51.

In secundo casu, quando alienatio fit ex aliqua necessiate facti, altera distinctio est adhibenda inter Necessitatem ita gravem, ut moram non patiatur; & inter eam, quæ moram admittit, ita, ut recurri ad Superiorem possit. *Si primum*, licitè fit Alienatio sine Solemnitatibus, & Beneplacito Apostolico, ut dictum est *n.* 42. *Si secundum* solemnitates, & Beneplacitum Apostolicum requiruntur, Redoan. *q.* 16. *n.* 34. & *seqq.* Ciarlin. *contr.* 183. *n.* 48. & *seq.* Surd. §. *de aliment. tit.* 7. *privil.* 46. *n.* 3. Petra *fol.* 108. *n.* 91. & hoc teste Rota *recent. p.* 15. *decis.* 365. *n.* 7. 62

Quæritur 4. qualis utilitas esse, & quomodo constare de ea debeat, ut sufficiens sit causa alienationis? Resp. 1. debet esse Utilitas evidens, & quæ ex conjecturis judicio prudentum indubitatis manifesta appareat. Corrad. *prax. dispens. l.* 9. *c.* 9. *princ.* Barbos. *l.* 3. *Jur. eccl. c.* 30. *num.* 16. & 17. Pal. *tr.* 12. *D. un. p.* 15. §. 2. *numer.* 6. Donat. *tom.* 1. *p.* 2. *tr.* 14. *q.* 9. *num.* 5. & 6. Gibalin. *tom.* 2. *negot. l.* 4. *c.* 8. *art.* 3. *num.* 6. Petra *tom.* 1. *comment. fol.* 111. *num.* 110. Vviest. *hic num.* 56. & innuitur *can. sine exceptione* 52. ibi, *Quod non sit dubium profuturum ecclesiæ*; *caus.* 12. *q.* 2. & *c. dudum* 1. ibi, *Præsertim*, *cum evidens necessitas*, *quare fieri deberet*, *vel utilitas non subes-* 63

subesset h. tit. in 6. habetque hoc praxis Curiæ Apostolicæ, ubi Brevia super rerum Ecclesiasticarum alienationibus, & concessionibus semper conceduntur cum clausula, *Si in evidentem Ecclesiæ utilitatem cesserit, vel cedet, vel cessuram esse legitimè constiterit venditionem, locationem, permutationem &c.*

64 2 Non sufficit qualisqualis utilitas, sed debet esse alicujus momenti circa proprietates, & reditus. Corrad. *prax. dispens. l. 9. cit. c. 4. n. 52.* Rosa *de Execut. litt. Apost. p. 1. c. 5. n. 314.* Petra *fol. 112. num. 115.* ubi ex Corrad. *l. cit.* testatur de praxi Datariæ, ut nunquam admittatur supplicatio *Si in evidentem*, nisi perpenso prius per Officialem valore proprietatis, reditus, & proventus.

3 Debet utilitas hæc esse præsens, & quidem, ut quidam volunt, imposterum duratura. Sed contra communem, juxta quam si instituto super hoc tractatu, & communi opinione alienatio habebatur Ecclesiæ profutura, licet postea utilitas ista cesset, alienatio nihilominus valet, nec revocari potest. Redoan. *Rubr. de util. num. 137. cum seq.* Gratian. *discept. for. c. 45. n. 8. & c. 570. n. 21.* Sperell. *decis. 154. n. 96.* Petra *fol. 113. n. 122.* ita tamen, ut si læsio probetur, Ecclesia restituatur in integrum. Barbos. *l. 3. Jur. Eccl. c. 30. n. 10.*

65 4 Debet de utilitate hac constare pro statu præsente, sive tempore alienationis, & in hanc præstiti consensus. Barbos. *c. 30. cit. n. 17.* Donat. *q. 9. n. 11.* Gibalin. *art. 3. n. 6.* P. Vviest. *hic n. 56.* Hinc quando nova fit alienatio, nova requiritur utilitatis cognitio, neque sufficit illa, quæ in prima alienatione semel adfuit, ut bene Petra *fol. 116. n. 135.*

5 Debet constare de hujusmodi utilitate legitimè, h. e. non per solam alienantium assertionem, aut evidentis utilitatis mentionem, factam in Instrumento contractus alienationis, sed per testes, aliasque legitimas probationes, ut *l. citt.* notant Corrad. *c. 5. à 49.* Pal. §. 2. *n. 6.* Donat. *q. 9. n. 9.* Petra *fol. 98. n. 14.* Vviest. *n. 56.*

66 Quæritur 5. an, ut alienatio reputetur Ecclesiæ utilis, exigatur, ut illa fiat locupletior, sive ejus causa evadat melior, re immobili distracta, quam ea retenta? Gloss. *in can. sine exceptione 52. V. profuturum*, Abb. *cons. 41. n. 13. l. 1.* Felin. *cons. 24. n. 4.* Azor *p. 2. l. 9. c. 2. q. 8.* & quidam alii apud Sperell. *decis. 154. n. 18.* putant sufficere, si ejusmodi alienatio non sit damnosa Ecclesiæ. Videtur sumi 1. ex *Auth. hoc jus porrectum C. de SS. Eccl.* ubi alienatio rei Ecclesiæ immobilis sustinetur, *si nihil factum sit ad damnum Divinæ domus.* 2. Ex *can. si quis qualibet 56.* & *can. si Episcopus 73. caus. 12. q. 2.* ubi licita, & firma pronuntiatur rei Ecclesiæ alienatio, si illi tantum detur, quantum alienando oblatum fuit. 3. Ex *ratione;* quia Justitia commutativa in contractibus æqualitatem postulat, & hinc non medium rationis, ut aliæ virtutes, sed medium rei respicit. At si Ecclesia in alienando locupletior fieri deberet, æqualitas inter contrahentes non daretur; ut enim quis locupletior factus dici possit, debet bonis, sive rebus ipsius aliquod incrementum accessisse, & decessisse rebus, seu bonis illius, cum quo ipse contraxit. ergo &c.

67 Sed his non obstantibus, dicendum, alienationem per hoc, quòd damnosa non sit Ecclesiæ, non censeri utilem, & permissam. Ita Bellamer. *in can. hoc jus porrectum n. 1.* Geminian. *ibid. n. 2.* Quarant. *V. alienatio n. 3.* Cæsar Panimoll. *decis. 54. adnot. 1. num. 16.* Barbos. *l. 3. Jur. Eccl. c. 30. n. 10. & 16.* Donat. *tom. 1. prax. reg. p. 2. tr. 14. q. 9. n. 7. & 11.* Honor. *hic num. 6.* Pirh. *num. 24.* Konig *n. 18. vers. secunda causa*, Vviest. *n. 53.* Petra *tom. 1. comment. fol. 112. n. 118.* estque hoc sæpius decisum à Rota. Clari sunt textus utriusque Juris: Civilis quidem *Novell. 120. c. 9. vers. hoc autem*, ibi *Ut ex earum* (venditarum Ecclesiæ domorum) *pretio reditus meliores emat.* Canonici autem *can. sine exceptione cit. can. cùm Apostolica 7. vers. ne quis, c. tuæ 8. de his, quæ à Prælat.* & *c. ad aures 7. h. tit.* ibi, *Ad majorem Ecclesiæ utilitatem.* Quæ fortasse etiam ratio est, cur Episcopus, qui Juris Ecclesiastici mancipium, non retento Ecclesiæ patrocinio, manumitti desideravit, Ecclesiæ duplum, sc. duos ejusdem meriti, & peculii servos præstare quondam debuerit ex Decreto Concilii Toletani IV. relato *can. Episcopus 58. caus. 12. q. 2.*

68 Argumenta in contrarium allata non persuadent. *Ad 1.* Constitutio illa Civilis interpretationem recipit à Sanctionibus Canonicis, & *Novell. 120. citt.* ubi alienatio permittitur ex causa utilitatis, non cujuscunque, sed majoris. Accedit, quia *Auth. cit.* agitur de domo Ecclesiæ alienanda ex causa, non utilitatis, sed necessitatis, sc. urgentis debiti, quod ex solis mobilibus solvi non poterat. *Ad 2. can. si Episcopus cit.* agitur de fundando Monasterio, ubi conditio Ecclesiæ, unde reditus pro illo fundando sumuntur, licèt melior non efficiatur quoad valorem rei temporalem, sit tamen melior quoad Spiritualem. *Can. si quis cit.* procedit in alio casu, quam alienationis voluntariæ, ut observat Gloss. *ibidem.* vel agit de actu consummato sustinendo ob æquitatem, & in foro conscientiæ, ut notat Petra *fol. 112. numer. 119.* *Ad 3.* adhuc in contractu observari æqualitas, resque Ecclesiæ justo pretio vendi possunt, & nihilominus multum emolumenti inde oriri Ecclesiæ, ut si vendatur fundus multum dissitus, & loco illius comparetur propinquior; si prædium minùs bonum distrahatur, & loco illius ematur melius; si calix, lampas, vel aliud hujusmodi pretiosum mobile, antiqui, & non conspicui operis, ut ejus pretium impendatur in alia vasa, vel ornamenta aptiora Ecclesiæ.

Quæritur 6. utrum Alienatio rei Ecclesiæ immobilis, aut mobilis pretiosæ valida sit, fiat quidem cum debitis solemnitatibus, sed tamen sine justa causa? 69
Gloss. *in can. sine exceptione cit. V. profuturum*, Host. *in Summ. h. tit. n. 3. fin.* & Joan. de Lignano apud Abb. *in c. 1. n. 17. de in integr. restit.* volunt ejusmodi alienationem quidem esse illicitam, valore tamen non destitui. *Moventur;* quia quando Ecclesia hujusmodi alienatione læditur, restituitur in integrum, sive in eum statum, in quo ante contractum fuit *c. requisivit 1.* & *c. auditis 3. de in integr. restit.* atqui restitutioni in integrum locus non est, quando contractus nullus est *l. in causæ 16. princ.* & §. *& generaliter 3. ff. de minor.* & ratio est, quia cùm tali casu Ecclesia habeat remedium ordinarium nullitatis, locus non est extraordinario restitutionis, juxta regulam ab omnibus receptam, & indubitatam. ergo &c.

Sed melius ejusmodi Alienatio, sine justa, & à Jure approbata causa facta, pro irrita, & nulla habetur. 70
Abb. *cit.* & *in cap. 11. h. tit. num. 7.* Covar. *lib. 2. var. cap. 17. num. 2.* Redoan. *de Reb. Eccles. non alien. Rubr. 21. num. 38.* Azor *p. 2. l. 9. cap. 1. q. 8.* Molin. *tr. 2. de Just. D. 468. num. 15.* Vvagn. *in Extrav. Ambitiosæ hoc tit. not. 5.* Zoes. *hic n. 15.* Honor. *num. 13.* Pirhing *num. 35.* Konig *n. 2.* Vviest. *num. 62.* Sumitur ex *c. dudum 1. h. tit. in 6.* ubi Innocentius IV. pronuntiat alienationem non solemnem invalidam ex ratione, quòd evidens necessitas, quare fieri deberet, vel utilitas non subesset: Concordat *Clem. 1.* & *Extrav. ambitiosæ h. tit. Ratio est*, quia Prælati bonorum Ecclesiæ domini non sunt, sed solùm administratores.

Neque contrarium probat argumentum adversæ sententiæ; quia *citt.* textibus Ecclesiæ solum conceditur Beneficium restitutionis in integrum, quando alienatio ex justa causa facta est, & per eam Ecclesia notabilem læsionem accepit; tum enim contractum subsistere patet *arg. c. cùm dilecti 3.* & *c. cum causa 6. de empt. & vendit.*

Quæritur 7. an valida sit Alienatio, quæ facta est 71
ex causa legitima tantum existimata, & Juris solemnitatibus observatis? Covar. *l. 2. var. c. 17. num. 2.* Molin. *tr. 2. de Just. D. 468. num. 15.* Bonacin. *de Contract. D. 3. q. 8. p. 4. n. 6.* Pirh. *n. 25. h. tit. in fin.* putant esse validam; quia non est credibile, quòd alienationes bona fide, & modo à Jure præscripto factæ sint ab Ecclesia irritatæ. Hæc sententia est valde probabilis, æqua, & in praxi tuta, dicendum tamen, etsi in dubio, quando solemnitates Juris sunt observatæ, præsumatur, adfuisse causa legitima, ut benè Petra *tom. 1. comment. fol. 116. num. 138.* casu tamen, quo constat, legitimam causam tantum existimatam fuisse, spectato Juris rigore, alienationem habendam probabilius pro nulla, & irrita. Navarr. *de alien. rer. Eccl. num. 9.* Pal. *tract. 12. D. un. p. 15. §. 6. num. 2.* Vviest. *num. 66. hic. Ratio est*, quia alienatio, quæ absque legitima causa facta est, à SS. Canonibus absolutè pronuntiatur nulla, & irrita. Talis autem est, quæ fit ex justa causa tantum existimata. ergo &c.

§. IV.

De Solemnitatibus in Alienatione rerum ecclesiæ præscriptis.

S U M M A R I U M.

72 *Ad solemnitatem alienationis rei ecclesiæ primò requiritur Tractatus.*
73 *Ubi hic necessarius sit?*
74 *Qui ad eum vocandi?*
75 76. *Quot præmittendi Tractatus?*

77 *In*

72 PRæter causam justam, ut Alienatio rerum immobilium, & mobilium pretiosarum fieri possit, etiam opus est, ut ea fiat cum requisitis à Jure Solemnitatibus, quorum quinque enumerantur.

1 *Tractatus*, quo Prælatus cum Capitulo, seu Conventu deliberet, an hujusmodi alienatio sit Ecclesiæ, vel Monasterio futura utilis, aut necessaria, vel econtra. *can. sine exceptione* 52. *caus.* 12. *q.* 2. *c. dudum*. 1. *h. tit. in* 6. *Clem.* 1. *eod.* Differt à consensu, ut via à termino; nam per illum devenitur ad prudentem deliberationem, ut ex Abbate rectè notat Vincent. Petra *tom.* 1. *comment. fol.* 53. *n.* 3. & ita necessarius est regulariter, ut sine illo actus sit nullus, ut plenè Rota *p.* 5. *recent. decis.* 318. *n.* 25. *&* 26. Dixi *regulariter*; nam aliquando omitti potest, imò etiam debet. Et hinc

73 Dub. 1. ubi Tractatus ad Alienationem sit necessarius? Resp. distinguendum esse inter Ecclesias, quæ Collegiatæ, vel Conventuales sunt; & inter eas, quæ tales non sunt. *In prioribus* tractatus præmitti debet, prout patet ex *can. sine exceptione* 52. *caus.* 12. *q.* 2. ibi, *cum totius Cleri tractatu*, & *c. dudum* 1. *vers. quia etiam h. tit. in* 6. ubi Gregorius X. irritam declarat concessionem, Decimarum perpetuam, adjecta ratione, *quia tractatus solemnis, & diligens, qui in talibus concessionibus perpetuis, & alienationibus rerum Ecclesiasticarum exigitur, non fuit habitus in eadem*. *In posterioribus*, hoc ipso, quia Capitulum non habent, cum quo tractari possit, tractatus nullus requiritur, sed Rector ejusdem solus rem etiam immobilem ejusdem, exigente necessitate, aut suadente evidenti utilitate, cum Episcopi tui consensu alienare potest. Ita Imol. *in c.* 1. *de dolo, n.* 7. Abb. *ibid. n.* 28. Redoan. *de reb. Eccl. non alien. Rubr.* 24. *n.* 46. Petra *tom.* 1. *comm. fol.* 53. *num.* 3. Vviest. *tit. de his, quæ à Prælat. n.* 4.

74 Dub. 2. utrum ad Tractatum hunc vocandi sint omnes, qui habent vocem in Capitulo? Resp. vocandos esse omnes, qui præsentes sunt, aut non procul absentes, ut patet ex *Auth. hoc jus porrectum C. de SS. Eccl. Excipitur* casus notoriæ necessitatis periculi in mora, ac parvitatis rei. Obstare hic videtur *can. sine exceptione cit.* ubi dicitur alienationem fieri non posse, *nisi cum totius Cleri consensu*; non ergo solius Capituli. Verum ibi, sicut & in aliis hujusmodi Constitutionibus, consensum Cleri requirentibus, non intelliguntur Clerici, vel totius Diœcesis, vel etiam omnes Ecclesiæ cujusdam particularis, sed solum illi, qui vocem in Capitulo habent.

Dub. 3. quot Tractatus Alienationi faciendæ præmitti debeant? Sunt, qui plures, vel saltem ternos requirunt Tractatus, ut videre est apud Redoan. *l. cit. numer.* 24. *&* 26. Sed melius dicitur, per se loquendo, & præscindendo, à peculiaribus locorum Constitutionibus, vel consuetudinibus, unum sufficere. Ita Abb. *in c. tuæ nuper* 8. *num.* 3. *de his, quæ à Prælat.* Covar. *l.* 2. *var. c.* 17. *num.* 1. Franc. *in capit.* 1. *h. tit. in* 6. *numer.* 9. Molin. *tr.* 2. *de Just. D.* 468. *n.* 6. Palao *tr.* 12. *D. un. p.* 15. §. 2. *numer.* 9. Tambur. *tom.* 3. *de Jur. Abb. D.* 13. *q.* 4. *numer.* 5. Donat. *tom.* 1. *p.* 2. *tr.* 14. *q.* 9. *numer.* 20. Gibalin. *tom.* 2. *de negot. l.* 4. *cap.* 8. *art.* 3. *numer.* 7. Vincent. Petra *tom.* 1. *comment. fol.* 53. *n.* 3. Vallens. *hic* §. 3. *n.* 2. Pirh. *ibid. n.* 27. Konig. *n.* 22. Vviest. *tit. de his, quæ à Prælat. n.* 3. *Ratio est*, quia in Jure nusquam requiruntur plures: imò unum sufficere, satis clarè desumitur ex *can. sine exceptione*, & *c. dudum* §. *quia etiam citt.* ubi quidem *tractatus solemnis, ac diligens*, sed in numero singulari requiritur. 75

Dixi autem *per se loquendo*; nam casu, quo alienatio majoris momenti est, & ejus utilitas non ita evidens, plures præmitti operæ pretium, consultumque est. Addidi, *præscindendo à particularibus locorum Constitutionibus, & consuetudinibus*; nam tales, sicubi extant, observari debent. Ita teste Tamb. *tom.* 3. *de Jur. Abb. D.* 13. *q.* 4. *n.* 5. Passerin. *tom.* 1. *de Stat. hom. q.* 185. *n.* 546. Vincent. Petra *tom.* 1. *comment. fol.* 53. *num.* 3. in Congregatione S. Justinæ Cassinensi Ordinis S. Benedicti, cùm ejusmodi alienatio decernenda est, duorum dierum interpolati Tractatus præmitti debent. 76

Dub. 4. in qua Alienatione requiratur Tractatus? Resp. requiritur tantum in Alienatione perpetua, nempe donatione, permutatione, & venditione, ut notat Gloss. *in c.* 1. *V. perpetuis h. tit. in* 6. Passerin. *tom.* 1. *de stat. homin. q.* 185. *num.* 546. Petra *tom.* 1. *comment. fol.* 53. *num.* 3. Debetque Alienatio talis esse voluntaria; nam ad necessariam Tractatu opus non est. Petra *l. cit.* & hoc teste Rota *decis.* 1080. *n.* 11. *&* 12. *coram Seraphino*. *Excipitur*, si necessitas non sit super certo corpore, sed in genere solùm; tunc enim debet præcedere Tractatus, quòd tale corpus sit alienandum: & ita debent intelligi asserentes contrarium apud Passerin. *n.* 547. quia Ecclesiæ debet consuli cum solemnitatibus, ut potius unum, quam aliud vendatur prædium. 77

Debet autem Tractatus iste 1. præcedere actum alienationis; quia, ut *n.* 72. dictum est, est via ad illam prudenter faciendam. 2. Fieri debet authoritate Superioris habentis potestatem alienandi: sufficit tamen, si fiat ab ejus Commissario, ut ex *decis.* 5. *h. tit. in antiquis* notat Turinell. *tr. de alien. rer. Eccl. c.* 4. *n.* 3. 3. Debet de illo habito rite constare per Instrumentum; neque enim creditur Episcopo attestanti de habito Tractatu. Rota *decis.* 716. *n.* 2. *p.* 1. *divers.*

2 Requiritur *Consensus majoris partis Capituli*, seu *Conventus* Ecclesiæ, vel Monasterii, de cujus aliqua re alienanda agitur *can. sine exceptione* 52. *caus.* 12. *q.* 2. *c. irrita* 1. *cap. cùm nos* 3. & *c. tuæ nuper* 8. *de iis, quæ à prælat.* Et quidem merito; nam Episcopus, & Capitulum ad gubernandas res Ecclesiæ faciunt unum corpus, ita, ut Episcopus sit Caput, & Canonici membra *c. novit* 4. *de his, quæ a prælat.* igitur necesse est, ubi præjudicium grave fieri posset Ecclesiæ, etiam Capitulum interrogari: tale autem est in alienatione rerum Ecclesiæ, quæ prohibitæ sunt alienari. ergo &c. 78

Dub. 1. quando consensus Capituli, vel Conventus ad Alienationem faciendam sit necessarius? Resp. necessarius est ad alienationem rerum immobilium, vel mobilium pretiosarum. Ita habetur *can. sine exceptione, c. irrita, c. cùm Apostolica, cap. tuæ citt. Ratio est*, quia cùm in ista de ejusmodi rerum dominio transferendo, aut jure in iis alteri constituendo agatur, periculum esset, ne si ad eam Prælatus sine Capituli consensu, & prævio tractatu pervenire posset, Ecclesiæ, vel Monasterio grave damnum, ac præjudicium inferretur; ubi autem majus periculum vertitur, majori cautione est procedendum *c. ubi periculum* 3. *de Elect. in* 6. & *l. si cui* 1. §. *sed & si quis* 5. *ff. de Carbon. Edict.* 79

Proceditque hoc, etiamsi bona, de quorum alienatione agitur, pertineant ad Mensam Episcopalem, separatam à Mensa Capituli, & Canonici non habeant interesse particulare, sed tantùm res attingat interesse commune Ecclesiæ; quia consensus Capituli requiritur, non ut personæ habentis interesse, sed tanquam solemnitas, & Capituli interest, ne possessiones, & bona Ecclesiæ alienentur. Clericat. *de Benef.* 80

nef. discord. 52. *num.* 14. Vinc. Petra *tom.* 1. *fol.* 53. *num.* 4.

81 Quodsi Episcopus Capitulum non habeat propter bellum, vel ex alia causa, loco Canonicorum alios Clericos convocare debet, cum quibus si rem tractaverit, & hi consenserint, tum demum ejusmodi rerum alienationem facere poterit. Abb. *in c. irrita cit. n.* 7. Molin. *tr.* 2. *de Just. D.* 468. *num.* 6. *in fin.* Pal. *tr.* 12. *D. un. p.* 15. §. 2. *num.* 10. Gibalin. *tom.* 2. *de negot. l.* 4. *cap.* 8. *artic.* 3. *num.* 7. Pirh. *tit. de his, quæ à Prælat. n.* 1. qui cum Abb. *l. cit.* notat, idem utiliter observari etiam in alienatione à Prælato inferioris Ecclesiæ facienda.

82 Dub. 2. an consensus Capituli Cathedralis Episcopo sit necessarius etiam in alienatione rerum pertinentium ad Ecclesias Cathedrali inferiores? *Ratio dubitandi est*, quia ex una parte *can. sine exceptione, c. irrita, c. tuæ nuper citt.* ad alienationem Prælati consensus Capituli generaliter, & indistinctè exigunt; ex altera verò parte *c. cum Apostolica* 7. *de his, quæ à Prælat.* Episcopus Decimas ad unam Ecclesiam spectantes transferre ad aliam Ecclesiam potest, non requisito consensu Capituli.

Expediri difficultas ope distinctionis potest: vel enim rem talis Ecclesiæ alienat ipse Episcopus, ut ex causa aliquando potest, vel ejus Ecclesiæ Rector, aut Beneficiatus. *Si primum*, consensus Capituli Cathedralis est necessarius. Abb. *in cap.* 1. *de his, quæ à Prælat. num.* 5. Covar. *l.* 2. *var. c.* 17. *num.* 1. Garc. *p.* 12. *de Benef. c.* 3. *n.* 11. Molin. *tr.* 2. *de Just. D.* 468. *num.* 14. Oliva *p.* 2. *for. Eccl. q.* 43. *num.* 62. Vincent. Petra *tom.* 1. *comm. fol.* 53. *num.* 3. & *fol.* 54. *num.* 8. Pirh. *hic num.* 45. Vviest. *tit. de his, quæ à Prælat. num.* 10. & sumitur *ex Clem.* 2. *h. tit. Neque obstat c. cum Apostolica cit.* quia istius casus specialis est, quando sc. Laicus decimas, ab Episcopo, vel Prælato alio inferiore jam ante Concilium Lateranense acceptas, induci non potest, ut suæ Ecclesiæ restituat; tunc enim per *c. cit.* Episcopus illas alteri Ecclesiæ donare potest, quin opus sit, ut super hoc Capituli sui consensum requirat: quæ proin dispositio in consequentiam trahi non debet: imò cùm sit exceptio à communi regula, hanc potius firmat in casibus non exceptis.

83 *Si secundum* contingat, iterum distingui debet inter Ecclesias Collegiatas, vel Conventuales, & inter eas, quæ Collegium, vel Conventum non habent. Ad alienationem rei pertinentis ad Collegiatam, vel Conventualem Ecclesiam, si ea fiat à proprio Prælato sufficit expeti consensum Collegii, vel Conventus, & Episcopi, cui Ecclesia illa subjecta est, neque opus est, ut etiam consentiant Capitulares Ecclesiæ Cathedralis, ut cum *citt.* & communi aliorum rectè advertit Rodriq. *tom.* 1. *Regular. q.* 27. *art.* 1. *Ratio est*, quia hæc conditio, seu solemnitas, ut sc. requiratur consensus Capituli Cathedralis hoc casu, nusquam est expressa in Jure. In Ecclesiis Capitulum, vel Conventum non habentibus, si Rector alienationem faciat, sufficit, si istam faciat authoritate Episcopi Sylv. *V. alienatio q.* 4. Vasq. *de reditib. c.* 2. §. 2. *n.* 42. Bonac. *de contract. q.* 8. *p.* 4. *n.* 7. Pal. *tr.* 12. *D. un. p.* 15. §. 2. *n.* 10. Gibalin. *tom.* 2. *de negot. l.* 4. *c.* 8. *art.* 3. *n.* 7. & alii supra. *Ratio est*, quia consensus Capituli necessarius tantùm est Prælato alienanti. talis autem Episcopus solùm est in casu *n. præc.* non autem in duobus *num. præsentis.* ergo &c.

84 Dub. 3. an Capituli consensus, quando ad alienationem faciendam requiritur, debeat esse expressus, an verò sufficiat tacitus? *Ratio dubitandi est*, quia *ex una parte* per *c. irrita cit.* omnino irrita pronuntiatur Episcoporum donatio, aut venditio, vel permutatio rei Ecclesiasticæ facta *absque collaudatione, & subscriptione Clericorum.* atqui hoc sine expresso consensu fieri non potest, ut clarum est de subscriptione, & de collaudatione ostenditur; nam *collaudare* idem prorsus est, quod simul laudare, & approbare. hoc autem voce, nutu, vel alio signo externo fieri solet. ergo ex una parte videtur requiri consensus expressus. *Ex altera autem parte* videtur sufficere tacitus; nam *c. continebatur* 2. *de his, quæ à Prælat.* dicitur *robur firmum debere habere concessionem Decimæ ab Abbatissa factam, Conventu sciente, & non contradicente.* atqui consensus, qui per scientiam Capituli, ejusque non contradicentis taciturnitatem obtinetur, est solum consensus tacitus. ergo &c.

85 Multum laborant Interpretes, & DD. ut ab Antinomiæ vitio textus hos vindicent: hinc in sententias diversas abeunt; nam 1. aliqui cum Rebuff. *de Decim. q.* 5. *num.* 34. Vvagn. *in c. continebatur cit. in Exeges.* putant *c. irrita cit.* sermonem esse de rebus magnæ, aut saltem notabilis æstimationis, *c. continebatur* autem de rebus modicis; unde volunt ad priores quidem requiri consensum expressum, ad posteriores autem alienandas sufficere consensum tacitum. 2. Gloss. *in c. dudum* 1. *V. perpetuis h. tit. in* 6. Abb. *in c. continebatur cit. n.* 6. Alegon. *ibid. in Gloss.* Vivian. *princ. ibid.* Donat. *tom.* 1. *prax. Benef. p.* 2. *tr.* 14. *q.* 12. *n.* 2. Oliva *p.* 2. *for. Eccl. q.* 43. *n.* 45. Petra *tom.* 1. *comment. fol.* 54. *n.* 6. Vall. *tit. de his, quæ à Prælat. n.* 1. Pirh. *ibid. n.* 2. *not.* 1. Konig *n.* 5. Vviest. *n.* 7. distinguunt inter concessionem perpetuam, & temporalem: ad perpetuam, qualis est donatio, venditio, commutatio, volunt ex vi *c. irrita cit.* requiri consensum expressum; ad temporalem, qualis est locatio, oppignoratio, volunt sufficere ex vi *c. continebatur* consensum tacitum. *Rationem dant*, quia in concessione solùm temporali minus periculum est læsionis, quàm in perpetua alienatione: & conf. in hac majori cautela opus est, quàm in illa. 3. denique alii cum Carvall. *in c. Raynutius* 16. *p.* 2. *n.* 333. *de testam.* & Gonzal. *in c.* 1. *de his, quæ à Prælat. n.* 3. existimant, nomine *Decimæ c. continebatur cit.* non immediatè ipsum jus, aut fructus Decimales, sed Beneficium Ecclesiasticum venire, ad quod præsentabatur Clericus ab Abbatissa. Sumitur ex ipso textu, & integra hujus lectura; nam ibi Archidiaconus dedit Investituram per clavem, & librum, quæ omnia sunt propria Institutionis Canonicæ, & Investituræ corporalis in Beneficio, non verò solent desiderari, vel adhiberi in alienatione Decimarum.

Dub. 4. an exigatur consensus Capituli congregati? 86
Sylvester *V. alienatio q.* 5. Vasq. *de reditib. c.* 2. §. 2. *dub.* 12. *n.* 42. Tambur. *tom.* 3. *de Jur. Abb. D.* 13. *q.* 4. *num.* 7. volunt sufficere consensum singulariter, & seorsim præstitum ex duplici ratione. 1. quia à Capitularibus etiam seorsim præstitus est verè consensus Capituli. 2. quia congregatorum consensus specialis, & proprius est in Electoribus.

Sed his non obstantibus, dicendum, requiri consensum Capituli congregati, quando haberi potest. Ita Redoan. *de Reb. Eccl. non alien. Rubr.* 28. *cas.* 5. *n.* 11. Pal. *tr.* 12. *D. un. p.* 15. §. 2. *num.* 10. Donat. *tom.* 1. *prax. Reg. p.* 2. *tr.* 14. *q.* 13. *n.* 2. Barbos. *in c.* 1. *de his, quæ à Prælat. n.* 4. Gibalin. *tom.* 2. *de negot. l.* 4. *c.* 8. *art.* 3. *n.* 7. Præposit. Frising. *tom.* 1. *consil.* 19. *n.* 48. & 50. Engl. *hic n.* 14. Konig *n.* 23. Vviest. *tit. de his, quæ à Prælat. num.* 8. & novissimè Vincent. Petra *tom.* 1. *comm. fol.* 57. *num.* 18. & 19. estque hoc decisum à Rota *decis.* 380. *n.* 6. *coram Buratto, decis.* 91. *num.* 7. *coram Priolo, decis.* 82. *num.* 3. *p.* 7. *recent.* & latè *in Leodiensi Vicariæ* 1. *Dec.* 1698. & *Leodiensi alia* 11. *Maij* 1699. *coram D. dell' Olmo.* Sumitur 1. ex *c. irrita* 1. *de his, quæ à Prælat.* ubi præcipitur, ut alienatio rerum Ecclesiasticarum fiat *cum Clericorum*, seu Canonicorum *collaudatione.* atqui collaudatio est voluntas, sive consensus plurium, ad quos pertinet, simul junctus, ut ait Redoan. *Rubr.* 30. *n.* 6. 2. *c. continebatur* 2. & *c. cùm nos* 3. *tit. cit.* SS. Canones ad alienationem rerum immobilium exigunt consensum Conventus, seu Capituli; consensus autem Capituli, vel Conventus propriè tantum dicitur, qui est Capitularium congregatorum, sive Collegialis. ergo &c. 3. si consensus Capitularium seorsim præstitus sufficeret, & ejusmodi alienatio suffragiis separatim rogatis decerni posset, dilapidatio rerum Ecclesiæ multo expeditior foret Prælato, utpote qui ejusmodi consensum in favorem suum, & Ecclesiæ, vel Monasterii præjudicium facilè obtinere posset.

Proceditque hoc, etsi Tractatus Collegialis præcessisset; nam adhuc requiritur consensus Collegialis, ut contra Barbos. Bonac. Tamb. advertunt Passerin. *q.* 185. 87
n. 557. Donat. *tom.* 1. *prax. Reg. p.* 2. *tr.* 14. *q.* 13. Petra *t.* 1. *fol.* 57. *n.* 20. quia Jura tam Tractatum, quàm consensum collegialiter requirunt, imò majori ratione in isto, qui est perfectio actus, & possunt Collegiales pœnitere, vel aliquo modo ad invicem conferendo à Tractatu resilire.

Argumenta in contrarium nihil probant. *Ad* 1. singuli Canonici seorsim sumpti, sive singulares, ac separati non faciunt Capitulum *arg. c. un. princ. Ne sede vac. in* 6. igitur nec singulorum consensus separatim præstitus erit consensus Capituli; quia *Jus* Universitatis consistit in Collegialitate. *Ad* 2. verum non est, quod consensus congregatorum proprius sit in Electoribus, ut patet ex *can. ei qui* 51. §. *nominationes caus.* 2. *q.* 6. & colligitur ex *c. cùm accessissent* 8. *princ.* & §. *quocirca de Const.*

Dub. 5. quinam consentire in alienationem debeant, 88
Resp. 1. debent consentire Capitulares Ecclesiæ, de cujus rerum alienatione agitur; nam cæterorum Clericorum, qui Capitulares non sunt, etsi Beneficiati sint in eadem Ecclesia, consensus non requiritur. Petra *tom.* 1. *fol.* 54.

fol. 54. *n.* 8. *Excipitur*, nisi Statuto, consuetudine, vel privilegio etiam ad istos administratio bonorum spectet; nam omnes intervenire debent, ad quos administratio bonorum spectat. Petra *fol.* 56. *n.* 14. qui tamen *ibidem* monet, hujusmodi consuetudinem, Statutum, privilegium strictè interpretandum, nec ad alia Jura Capituli extendendum.

2. Ex Capitularibus, & iis, qui suffragium habent, & tunc præsentes sunt, consentire debet major illorum pars; ut dictum est *Tit.* 11. *n.* 19. *supra*, & rectè advertunt Molin. *tr.* 2. *de Just. D.* 468. *n.* 6. *in fin.* Pal. *tr.* 12. *un. p.* 15. §. 2. *n.* 10. Donat. *tom.* 1. *prax. Regul. p.* 2. *tr.* 14. *q.* 9. *n.* 21. & 22. Gonzal. *in c.* 1. *de his, quæ à Prælat. n.* 7. Pirh. *tit. eod. n.* 2. *not.* 2.

89 3 Pars ista major consentiens debet etiam esse sanior *c. ea noscitur* 6. *tit. eod.* & hinc etiamsi pars major consensum præbeat, nihilominus pars sanior se opponere potest, ostendendo alienationem vel esse damnosam, vel non necessariam. Gloss. *in c. ea noscitur cit. V. majoris.*

4 Præter consensum Capituli opus est etiam consensu Prælati; nam etsi totum Capitulum consentiat, si tamen Prælatus dissentiat, non potest fieri alienatio rei Ecclesiasticæ, ut ex communi DD. sensu docet Suar. *tom.* 4. *de Relig. l.* 2. *c.* 27. *n.* 10. *Ratio est*, quia in alienatione semper intervenire debet authoritas, & potestas Prælati, quod fieri non potest sine consensu ejusdem.

5 Si vacet Ecclesia, dandus est ei Curator, seu Defensor, à Papa quidem, si Ecclesia sit Cathedralis; ab Episcopo autem, si sit inferior: & cum hoc tractari debet, ac discuti, num causa sufficiens alienandi adsit. Abb. *in c.* 1. *ne Sed. vacant. n.* 7.

90 3 Requiritur *Subscriptio*, à Capitulo, seu Conventu facta *can. sine exceptione* 52. *caus.* 12. *q.* 2. *c. irrita* 1. & *c. tuæ nuper* 8. *de his, quæ à Prælat.* ut sic facilius de consensu, & approbatione constet.

Dub. 1. quando necessaria sit Subscriptio Capituli, vel Conventus? Resp. si res, quæ alienatur, sit immobilis, vel mobilis pretiosa. Estque hoc ita verum, ut sine ejusmodi subscriptione facta sit irrita, uti patet ex *c. irrita*, & *c. tuæ nuper citt.* Quare iste est unus casus specialis, in quo ad valorem contractus, vel actus requiritur scriptura, & subscriptio, cùm alias universalis Regula sit negativa, videlicet ad substantiam pacti, vel contractus scripturam non requiri, nisi id sit Jure expressum: & ratio est, quia in qualibet conventione, spectato Jure naturali, requiritur solùm consensus contrahentium, in quo fundatur. Abb. *in c. irrita cit. n.* 4.

91 Extendunt Dispositionem hanc quidem DD. generaliter ad quoscunque actus, & contractus, quibus ejusmodi res Ecclesiasticæ alienantur. *Sed dicendum*, subscriptionem solum requiri in alienatione rei per donationem, venditionem, permutationem; ita enim expresse textus *can. sine exceptione, c. irrita, cap. tuæ nuper citt.* & passim DD. ac inter hos Abb. *n.* 4. *cit.* Redoan. *q.* 40. *n.* 1. Pal. *tr.* 12. *D. un. p.* 15. §. 2. *n.* 12. Tambur. *tom.* 3. *de Jur. Abb. D.* 13. *q.* 4. *n.* 10. Vall. *hic* §. 3. *n.* 2. Schamb. *ibid. n.* 6. Konig *tit. de his, quæ à Prælat. n.* 24. *Neque dicas*, extensionem istam inferri ex paritate rationis; quia revera non est paritas. Ratio disparitatis est, quia Donatio, Venditio, Permutatio sunt magis propriè dictæ alienationes, quam cæteri contractus, utpote cum per illas non tantum jus utile, sed directum etiam rerum dominium in alium transfertur. Deinde etsi paritas rationis esset, non tamen idcirco etiam ad cæteros contractus Constitutio hæc Subscriptionem exigens extendi debet; quia exceptionem continet, & universalem Regulam, ut paulò antea dictum est, potius firmat.

92 Dub. 2. an consuetudine induci possit, ut Subscriptio Capituli neque in Donatione, Emptione, Permutatione rerum Ecclesiæ sit necessaria? Videtur respondendum negativè; nam Subscriptio est solemnitas ob rationabiles causas introducta à Jure, & illam non omitti Ecclesiæ multum interest, ut in alienationem consentiens, eique in casu non licito subscribens puniri possit. igitur consuetudo solemnitati huic derogans videtur esse contra bonum Ecclesiæ, cons. irrationabilis.

Nihilominus dicendum, per consuetudinem tolli posse necessitatem Subscriptionis. Ita Abb. *in c. nulli* 5. *h. tit. n.* 6. Redoan. *Rubr.* 29. *n.* 10. Pal. *tr.* 12. *D. un. p.* 15. §. 2. *n.* 12. Pirh. *hic n.* 31. Vviest. *tit. de his, quæ à Prælat. n.* 13. Et confirmat hoc praxis; nam in pluribus locis non requiritur, ut manu Capitularium Subscriptio fiat, sed sufficit, si in Instrumento, manu Notarii publici scripto, de adhibito consensu Capituli fiat mentio, sive contestatio, vel is manu sua eidem subscribat; ut cum Pal. & Pirh. *citt.* notant Tambur. *tom.* 3. *de Jur. Abb. D.* 13. *q.* 4. *n.* 10. Vall. *hic* §. 3. *n.* 2. Konig. *ibid. n.* 24. Ratio est, quia Subscriptio originem, & necessitatem suam debet Juri humano Imperiali, & Ecclesiastico, quorum utrique prævalere consuetudo potest, ut constans est DD. sensus, & patet ex *c. fin. de consuet.* & *l. de quibus* 32. *fin. ff. de Legib.*

Ad Rationem dubitandi, licèt Subscriptionis necessitas ad probationem consensus præstiti, & contractus celebrati magna sit, non tamen est tanta, ut illius defectus non alia ratione suppleri possit: sicut facto ipso suppletur per Instrumentum publicum, in quo fit testificatio de consensu præstito, & contractu celebrato.

Dub. 3. an sicut Subscriptionis, ita & aliarum solemnitatum, ad alienationem rerum Ecclesiæ requisitarum, necessitas per consuetudinem tolli possit? Affirmant nonnulli; negant alii cum Fagnan. *in c. nulli* 5. *h. tit. n.* 11. Tenenda via media, & dicendum, abrogari consuetudine solemnitates non quidem omnes posse, nullam tamen esse in particulari, quæ per consuetudinem non possit tolli. Ita Abb. *in c. nulli cit. n.* 6. Redoan. *Rubr.* 29. *n.* 10. Covar. *l.* 2. *var. c.* 17. *num.* 1. Gonz. *in c.* 1. *de his, quæ à Prælat. n.* 7. *in fin.* Vviest. *tit. eod. n.* 13. 93

Ratio primæ partis est, quia consuetudo, quæ Prælatis, cæterisque rerum Ecclesiasticarum Administratoribus omnino liberam, & ab omni solemnitate absolutam alienationem permitteret, res, & Jura Ecclesiæ dilapidationis periculo manifestò exponeret? ac proin, utpote damnosa Ecclesiis, irrationabilis foret.

Ratio secundæ; quia solemnitates istæ sunt creaturæ Juris humani, & sicut cætera Legum statuta, ita & ipsæ à Legislatoris, & hujus Successorum voluntate pendent, qui sicut eas induxerunt sancita Lege, ita easdem ex rationabili causa nova Lege vel mutare, vel tollere possunt. atqui consuetudo, si à Jure reprobata non sit, non habet minorem vim abrogandi Leges; & his sancitas solemnitates, quàm ipsæ Leges. ergo &c.

Dub. 4. an Subscriptio, ubi consuetudo Juri scripto non derogavit, solum necessaria sit ad probationem consensus à Capitulo præstiti, an verò etiam ad valorem, & substantiam alienationis? Primum affirmat Bald. *in Auth. hoc jus porrectum C. de SS. Eccl.* Bellarm. *in can. sine exceptione cit.* §. *tertiò quæritur*. Redoan. *Rubr.* 30. *caf.* 6. *n.* 12. Vvagn. *in c. irrita cit. n.* 4. ex ratione, quia substantia contractus regulariter per contrahentium consensum habetur. hic autem habetur sine scriptura, modò Prælatus, & major, ac sanior pars Capituli in alienationem consentiat. ergo &c. 94

Sed melius dicitur, abstrahendo à contraria consuetudine legitimè præscripta, de Jure non minorem subscriptionis, quam ipsius consensus Capitularis necessitatem esse. Ita expresse habetur *c. irrita cit.* ubi indistinctè pronuntiatur irrita alienatio, sive sine Capituli consensu facta sit, sive hoc posito sine subscriptione ejusdem.

Argumentum contrarium procedit, ubi Jus aliud non disponit; hoc autem fit in nostro casu; unde casus iste est specialis, ut *n.* 90. *supra* dictum est.

Dub. 5. an alienationi à Prælato cum majoris partis Capituli consensu decretæ subscribere teneantur etiam ii, qui suo consensu illam non approbarunt? Resp. distinguendo; Vel enim rationabilem, justam, & Ecclesiæ utilem esse agnoscunt, vel contra damnosa iisdem videtur. *Si primum*, tenentur accedere cæteris, & subscribere; *Si secundum*; non tenentur: imò casu, quo Ecclesiæ damnum, ac præjudicium evidens est, non possunt concluso majoris partis subscribere, sed appellare, vel saltem contradicere tenebuntur. Abb. *in c.* 2. *de his, quæ à Prælat. n.* 9. Vviest. *tit. eod. n.* 17. & 18. & alii ab hoc *citt. Ratio est*, quia in iis, quæ concernunt factum Universitatis, vel Collegii, regulariter quilibet, qui de isto est votum suum exprimere ex debito officii sui tenetur, ne si taceat, habeatur pro consentiente juxta *Reg.* 43. *in* 6. 95

4 Requiritur *Authoritas*, sive *Consensus Superioris*, h. e. ejus, qui ex munere publico Ecclesiæ præest, ut habetur *can. sine exceptione cit.* & *Auth. hoc jus porrectum C. de SS. Eccl. Requiritur hic* tantum in alienatione rerum immobilium, & mobilium pretiosarum: debetque dari expresse *can. Abbatibus* 41. *caus.* 12. *q.* 2. imò in scriptis, quod etsi non requiratur ad substantiam actus, ut censet Innoc. *in c.* 1. *n.* 5. *h. tit. in* 6. saltem necessarium est ad probationem actus. Pirh. *n.* 44. *hic*. Dicitur consensus iste potius *Authoritas*; nam qui in minoribus, seu inferioribus absolutè vocari solet consensus, is in eo, qui ex officio publico præest, vel legitimam administrationem habet, authoritas appellatur. Gloss. *in c.* 1. *cit. V. tractatus*, Innoc. *ibid. n.* 3. Molin. *tr.* 2. *D.* 468. *n.* 4. Pirh. *n.* 44. *cit.* 96

Dub. 1.

97 Dub. 1. à quo Superiore sit requirendus consensus ad alienationem rerum Ecclesiæ immobilium, vel mobilium pretiosarum? Resp. est requirendus ab eo, cui Ecclesia, vel Monasterium, de cujus rerum alienatione agitur, subjectum est. Atque hinc

Sequitur 1. si Ecclesia, vel Monasterium sit exemptum, & immediatè subjectum Summo Pontifici, ad alienationem rerum istius celebrandam requirendum consensum, & authoritatem ipsius Summ. Pont. nam ille est proprius Prælatus, sive immediatus Superior talis Abbatis, vel Prioris Exempti. Gloss. *in Clem.* 1. *V. proprii h. tit.* Franc. *in cap.* 1. *num.* 23. *h. tit. in* 6. Suar. *tom.* 4. *de Relig. l.* 2. *cap.* 27. *num.* 15. Laym. *l.* 3. *tract.* 4. *cap.* 10. *num.* 4. Gibalin. *tom.* 2. *de negot. l.* 4. *cap.* 8. *art.* 3. *num.* 7. Honor. *hic num.* 16. Zœs. *num.* 12. Pirh. *num.* 46. Schambog. *num.* 9. Vviest. *num.* 77.

98 *Sequitur* 2. si Ecclesia, vel Monasterium exemptum quidem sit, non tamen Pontifici immediatè, sed Ordinis Generali, vel Provinciali subjectum, consensum istius in alienationibus rerum Ecclesiæ, vel Monasterii & requiri, & sufficere, non petito, vel obtento consensu Episcopi; quia ipsemet Generalis, vel ex ejus concessione Provincialis loco Episcopi esse censetur. Turrecr. *super caus.* 12. *quæst.* 2. *num.* 4. Suar. *loc. citat. num.* 13. Barbos. *l.* 3. *Jur. Eccl. cap.* 30. *numer.* 10. Pal. *tract.* 12. *D. un. p.* 15. §. 2. *num.* 11. Donat. *tom.* 1. *prax. Reg. p.* 2. *tract.* 14. *quæst.* 9. *num.* 24. Vviest. *hic num.* 78. & alii suprà *citt.* Ipsi tamen Abbati, vel alteri Prælato Generali ad alienationem immobilium proprii Monasterii præter Conventus sui consensum, etiam Papæ consensus necessarius erit: de quo plura inferiùs 112. *& seqq.*

99 *Sequitur* 3. Si alienanda sit res Ecclesiæ inferioris subjectæ Prælato non exempto, quamvis Regularis illa sit, præter consensum Capituli opus est, ut alienationi authoritatem præstet Episcopus, cui Prælatus Ecclesiæ illius subjectus est. Gloss. *in Clem.* 1. *V. non habeat, & V. proprii h. tit.* Franc. *in cap.* 1. *num.* 23. *eod. in* 6. Laym. *l.* 3. *tract.* 4. *cap.* 10. *num.* 4. Pal. *tract.* 12. *D. un. p.* 15. §. 2. *num.* 11. Tambur. *tom.* 3. *de Jur. Abb. D.* 13. *quæst.* 5. *num.* 1. Donat. *tom.* 1. *prax. Reg. p.* 2. *tract.* 24. *quæst.* 9. *num.* 24. Gibalin. *tom.* 2. *de negot. l.* 4. *cap.* 8. *art.* 3. *num.* 7. Vinc. Petra *tom.* 1. *comment. fol.* 75. *num.* 79. Honor. *hic num.* 16. Zœs. *num.* 12. Schamb. *num.* 9. Pirh. *num.* 46. *&* 48. & statuitur *can. Abbatibus* 41. *can. placuit* 51. *caus.* 12. *quæst.* 2. & *can. in venditionibus* 40. *caus.* 17. *quæst.* 4. *Ratio est*, quia authoritatem præstare in alienationibus rerum Ecclesiasticarum est actus ipsis Episcopis reservatus, sive Jurisdictionis Episcopalis.

100 Dub. 2. an Authoritatem alienationi præstare pro Ecclesiis inferioribus possit Capitulum, Sede vacante, Vicarius Generalis, & alii Prælati? Resp. *ad* 1. affirmativè. Ita Gloss. *in Clem. un. V. conferantur de rer. permut.* Abb. *in cap.* 14. *de major. & obed. num.* 2. Franc. de Pavinis *de Offic. & potest. Capit. Sed. vac. part.* 1. *quæst.* 10. *num.* 12. Vviest. *hic num.* 71. *Ratio est*, quia authoritatem alienationi præstare est actus, non Ordinis, sed Jurisdictionis Episcopalis, hæc autem, Sede vacante, in Capitulo residet, ut dictum est *Tit.* 9. *à numer.* 1.

101 *Ad* 2. Distinguendum est inter eum, qui est Vicarius Episcopi, Sede plena, & inter eum, qui est Vicarius Capituli Sede vacante. *Vicarius Episcopi Sede plena*, authoritatem alienationi præstare non potest; quia Decreti, sive authoritatis interpositio in hujusmodi alienationibus exigit mandatum speciale. Sbrozzius *de Vicar. l.* 2. *quæst.* 118. *num.* 2. Zerol. *prax. Episc. V. Vicarius p.* 1. §. 12. Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 54. *num.* 106. Pellegrin. *de Vicar. Gener. Episc. p.* 1. *sect.* 2. *subs.* 2. *num.* 55. Vinc. Petra *tom.* 1. *comm. fol.* 76. *numer.* 82. Vviest. *hic num.* 72. At *Vicarius Capituli Sede vacante* consensum vice Capituli in hujusmodi alienationes præstare potest; quia hic vi generalis suæ commissionis potest etiam illa, quæ Sede plena speciali mandato indigent, ut dictum est *Libr.* 1. *tit.* 28. *num.* 30.

102 *Ad* 3. Distinguendum inter Abbates, & Prælatos, qui habent Ecclesias pleno jure sibi subjectas, ita, ut Jurisdictionem quasi Episcopalem in iis exerceant, & inter eos, qui ita subjectas sibi Ecclesias nullas habent. Hi *posteriores* certò præstare authoritatem alienationi rerum ad Ecclesias suas pertinentium nequeunt; quia ut *num.* 99. dictum est, actus iste Episcopo reservatus est. *Priores* possunt in iis Ecclesiis, quas ita pleno jure sibi subjectas habent, cum consensu Rectorum; quia tales vices Episcoporum gerunt in illis Ecclesiis, etiamsi aliàs non sint exempti. Gloss. *in Clem.* 1. 1. *V. proprii h. tit.* Abb. *ibid. numer.* 7. Franc. *in cap.* 1. *numer.* 23. *eod. in* 6. Pirh. *hic numer.* 48.

Dub. 3. qualis Episcopus authoritatem alienationi præstare debeat, an ille, in cujus Diœcesi sita est Ecclesia, vel Monasterium, de cujus rerum alienatione agitur, an verò ille, in cujus Diœcesi sita est res, vel prædium alienandum? Quatuor sunt sententiæ. 1. Baldus *in l. si prædium* 16. *C. de præd. & aliis reb. min.* utriusque authoritatem desiderat, quòd utriusque intersit: & videtur istud probari ex *l. si prædium cit.* & *l. magis puto* 5. §. *illud* 12. *ff. de reb. eor. qui sub tutel.* quarum Legum priore Judicis loci, in quo res sita, altera Judicis domicilii decretum ad alienationem rei immobilis ad minorem pertinentis exigitur. Atqui Ecclesiæ jure minorum gaudent *cap. requisivit* 1. & *cap. auditis* 3. *de in integr. restit.* ergo etiam in alienatione bonorum Ecclesiæ intervenire debet authoritas utriusque Episcopi, videlicet domicilii, & rei sitæ. 103

2 Bartol. *in l. cit.* Gomez. *tom.* 2. *var. cap.* 14. *num.* 17. Molin. *tract.* 2. *de Just. D.* 224. *num.* 29. putant sufficere consensum utriuslibet; nam Episcopus domicilii illud interponere potest ratione Jurisdictionis, quam habet in Ecclesiam, in territorio suo positam, & Episcopus loci ratione Jurisdictionis, quam habet in rem ibi sitam, ut adeo *l. cit.* saltem probent id fieri posse saltem alternativè ab alterutro Episcopo. 104

3 Gloss. *in can. in venditionibus* 40. *V. eod. caus.* 17. *quæst.* 4. & alii quidam determinatè exigunt consensum Episcopi loci, in quo res sita est *arg. l. magis puto cit.* & *cap. sanè* 3. *de for. compet.* ubi cognitio controversiæ, quæ super re Ecclesiastica orta est, præ aliis adstruitur Episcopo loci, in quo res illa sita est. 105

4 Denique, & SS. Canonibus conformiùs sentiunt Archidiac. *in can. in venditionibus cit. num.* 3. Innoc. & Ancharan. *in cap. pastoralis* 14. *de privil.* Redoan. *de Eccl. non alien. Rubr.* 30. *cas.* 1. *num.* 38. Barbos. *l.* 3. *Jur. Eccl. cap.* 30. *num.* 9. Vinc. Petra *tom.* 1. *fol.* 75. *numer.* 80. *&* 81. Pirh. *hic num.* 49. Vviest. *num.* 74. juxta quos requiritur, & sufficit consensus Episcopi, cujus Jurisdictioni subest Ecclesia, vel Monasterium, de cujus rei alienatione agitur; nam illius Episcopi consensus ad alienationem rerum Ecclesiasticarum requiritur, cujus est curare, ne Ecclesia, vel Monasterium hujusmodi alienationibus patiatur damnum. Atqui hoc curare ex officio suo debet, non Episcopus loci, in quo res sita est, sed Ecclesiæ, vel Monasterii, de cujus rerum alienatione agitur. ergo &c. *Conf.* si alienatio damnosa esset, dispendium pateretur, non res, de cujus alienatione agitur, sed sola Ecclesia, vel Monasterium alienans. ergo non rei sitæ, sed Ecclesiæ, vel Monasterii Episcopus Ordinarius cognoscere de causa alienationis, & consentire in illam debet.

Dub. 4. an, & cujus Superioris consensu opus sit ad alienandas res Ecclesiæ inferioris, e. g. Prioratus, qui à Priore aliquo sine proprio Conventu administratur, & ita unitus, vel incorporatus est Ecclesiæ Superiori v. g. Monasterio, ut illius bona censeantur esse bona hujus, ideoque talis Prior subjectus sit Prælato, seu Abbati illius Monasterii. 106

Resp. Ut hoc casu bona Prioratus sic incorporati alienari possint, opus est consensu tum Abbatis, cui ejusmodi Prioratus ita subjectus est, tum Conventus Monasterii, cui est unitus. Suar. *tom.* 4. *de Relig. l.* 2. *cap.* 27. *numer.* 15. Laym. *Disp. de reb. Ecc. non alien. thes.* 33. Pirh. *hic num.* 50. Quòd eo casu necessarius sit consensus Superioris Prælati, constat ex *Clem. Monasterium* 1. *h. tit.* Quòd autem accedere debeat consensus etiam Capituli, seu Conventus Monasterii uniti, ratio est, quia ipsemet Prælatus non potest dare suum consensum ad alienanda bona Monasterii sine consensu Capituli, seu Conventus sui. Atqui bona talis Prioratus, quia incorporata Monasterio, censentur esse bona Monasterii. Ergo præter consensum Prælati requiritur etiam consensus Capituli, seu Conventus Monasterii, cùm illius etiam propriè intersit, num alienatio bonorum Prioratus illius fiat, nec ne.

An verò tali casu etiam necessarius sit consensus Episcopi, videndum est, quo jure Ecclesiæ ejusmodi subjectæ sint Abbati, vel Prælato superiori, & tunc decisio facienda secundùm dicta *num.* 102.

Dub. 5. an præter consensum Superioris Ecclesiastici ad alienationem rerum Ecclesiasticarum etiam requiratur consensus Patroni? Videtur de Jure etiam hunc requirendum, ex ratione: quia Jus Patronatus sicut honorificum, ita etiam onerosum est; nam onus Patrono imponit, ut defendat Ecclesiam, quæ sub Patronatu ipsius existit, non tantùm adversus potentiores, ne opprimatur, sed etiam adversus Rectorem illius, 107

lius, & Administratores, si bona ipsius malè alienando dilapidare, aut reditus in alios, quàm præscriptos à fundatore usus vellent convertere *can. filii* 31. *can. decernimus* 32. *caus.* 16. *quæst.* 7. *cap. generali* 13. *de elect. in* 6.

108 Verùm etsi honestatis, & aliquando utilitatis Ecclesiæ, & ipsius alienantis ratio suadeat, circa alienationem rerum Ecclesiæ interrogari Patronum, ad valorem tamen, & substantiam alienationis ejusdem, vel Principis Sæcularis consensus, regulariter loquendo nequaquam est necessarius. Ita Felin. *in cap. cum accessissent* 8. *de Constit. num.* 20. Abb. *in cap. un. ut Benef. Eccl. sin. dim. conf. num.* 20. Lambertin. *l.* 3. *de Jur. patron. quæst.* 2. *art.* 7. *num.* 2. Laym. *tract. de reb. Eccl. alien. cap.* 4. *num.* 58. Vall. *hic* §. 3. *num.* 2. Vviest. *ibid. num.* 82. Clariss. P. Schmier *p.* 2. *de reb. Eccl. cap.* 4. *num.* 89. *& seq.* contra Piasec. *p.* 2. *prax. Episc. cap.* 5. *art.* 4. *num.* 6. *Ratio est*, quia Patroni consensus nuspiam à Jure accensetur substantialibus solemnitatibus in alienatione rerum Ecclesiasticarum requisitis: imò à Concil. Tolet. IV. quod refertur *can. noverint* 6. *caus.* 10. *quæst.* 1. decretum est, *conditoribus Basilicarum in rebus, quas eisdem Ecclesiis conferunt, nullam potestatem competere, sed juxta Canonum instituta & Ecclesiam, & dotem ejus ad ordinationem Episcopi pertinere*.

109 Simili modo regulariter loquendo etiam non est exigendus consensus Principis Sæcularis, in cujus territorio Ecclesia, vel bona illius sunt sita; nam per donationem eorum Ecclesiæ factam fiunt Juris Ecclesiastici. Et hinc irritum est Statutum, quo Princeps Sæcularis aut directè alienationem earum impedit prohibendo, ne res Ecclesiasticæ in territorio suo sitæ alienentur sine suo consensu; vel indirectè, præcipiendo subditis suis, ne easdem emant, ex ratione, quia tale Statutum adversatur libertati Ecclesiasticæ.

110 Dixi utrobique *regulariter*; nam tres casus excipi debent. 1. Si in limine fundationis bona ejusmodi in Ecclesiam collata sint, cum expressa ea conditione, ne sine Patroni consensu alienentur; nam talis conditio à SS. Canonibus non improbatur; conf. est observanda. Lambertin. *art.* 7. *cit. num.* 1. Rosenthal *tr. de feud. cap.* 4. *concl.* 19. *numer.* 14. Laym. *de reb. Eccl. non alien. cap.* 3. *num.* 51. Pirh. *hic num.* 62. Schambog. *num.* 11. Vviest. *num.* 84. P. Schmier *loc. cit. num.* 91. 2. Si Ecclesiæ non sint absolutè donata, sed eidem concessa in Feudum: nam ita concessa sine consensu domini directi alienari nequeunt, ut *arg. cap. transmissæ* 7. & *cap. verùm* 8. *de for. compet.* communiter docent. Canonistæ cum relatis. 3. Si Patroni aut principes territorii per speciale privilegium, consuetudinem, vel Concordata obtinuerunt, ut sine consensu suo ejusmodi bona non alienentur. Laym. *loc. cit. numer.* 52. Pirh. *num.* 63. Vviest. *num.* 84. Et talia Concordata Anno 1583. inita sunt inter Albertum, & Guilielmum Bavariæ Duces, & Ordinarios ejusdem Provinciæ, mediante Nuntio Apostolico cum potestate Legati à Latere ad Superiores Germaniæ partes delegato: item anno 1592. in arce Pragensi inter Rudolphum II. Imp. & Urbanum Episcopum Passaviensem pro Prælatis Austriæ teste Konig *hic num.* 25. *fin.* Similia, ut testis est Schamb. *hic num.* 11. existunt in Regno Bohemiæ, in quo etiam ad alienationem bonorum fundationis requiritur consensus Regius, ita, ut sine illo non valida sit alienatio.

111 Sic explicatæ responsioni non obest ratio dubitandi; nam vi oneris, quod Patrono imminet, de Jure ipsi nulla in Ecclesiam Jurisdictio, vel administratio rerum ejusdem temporalium competit, sed quædam duntaxat cura, & inspectio, ne bonorum dilapidatione Ecclesia patiatur damnum; nam hoc si adverteret, deberet aut Rectorem de hoc admonere, aut si nihil monendo proficeret, eundem Prælato Ecclesiastico denuntiare. *Proceditque hoc*, etiam in Patrono Ecclesiastico; quamvis enim hic majus jus, & authoritatem in Ecclesia patronata habeat, consensus tamen illius ad rerum Ecclesiæ alienationem nullo Jure requiritur.

112 Denique præcedentibus solemnitatibus Jure novo accessit *Consensus Apostolicus*, quem ad alienationem rerum Ecclesiæ immobilium, vel mobilium pretiosarum requisivit Gregorius X. *cap. hoc consultissimo* 2. *h. tit. in* 6. & Paulus II. *Extrav. ambitiosæ eod. int. comm.* Circa Constitutionem hanc *Extrav.* satis convenit inter DD. 1. Ea comprehendi omnes, etiam Regulares vi Decreti à *S. Congreg.* jussu Urbani VIII. editi 7. *Sept.* 1642. Vincent. Petra *tom.* 1. *comment. fol.* 79. *numer.* 2. 2. Ea prohiberi omnem alienationis speciem, nec illam tantùm, per quam dominium directum, sed etiam per quam utile tantùm, ususfructus, aut jus in re transfertur in alterum, excepta locatione infra triennium, infeudatione, & Emphyteuticatione rerum infeudari, aut Emphyteuticari solitarum, ut habetur eadem *Extrav. V. præterquam in casibus à Jure permissis*, 3. Eandem Constitutionem non extendi ad res modicas, & Ecclesiæ inutiles; nam istæ adhuc post *Extrav. cit.* distrahi à Prælatis sine solemnitate possunt, ut à Congreg. Cardd. iterato declaratum testis est Fagnan. *in cap. nulli* 5. *h. tit. num.* 25. Imò nec ad immobilium, & mobilium pretiosarum alienationem consultatione Summi Pont. opus est, quando iste de facili adiri, & consuli nequit, vel ubi constat alienationem esse necessariam, & in mora periculum est, veluti pro alimonia pauperum, urgente fame, vel alia necessitate, pro redemptione Captivorum &c. *can. gloria Episcopi* 71. *caus.* 12. *quæst.* 2.

Dub. 1. an consensus Apostolicus etiam exigatur ad alienationem, quæ fit suadente justa causa, & adhibitis solemnitatibus Juris? Negant Redoan. *de reb. Eccl. non alien. quæst.* 36. *num.* 3. *&* 4. Rebuff. *de alienat. rer. Eccl. num.* 2. cum aliis. Favere istis videtur etiam ratio; nam in *cit. Extrav.* prohibentur fieri alienationes sine consensu Pontificis, *præterquam in casibus à Jure permissis*, ut ex eadem *num. præced.* retuli. Atqui à Jure permissa est alienatio, si causa justa hanc suadeat, & solemnitates debitæ interveniant. Ergo in his non erit opus consensum Papæ accedere. *Conf.* si etiam in hoc casu necessarius esset consensus Papæ, exceptio illa, *præterquam in casibus à Jure permissis* nihil operaretur, ac proinde otiosa foret, atque inutilis contra *cap. in his* 30. *de privil.* & communem sensum DD. juxta quos etiam Lex pœnalis, & odiosa, ne otiosa evadat, latè est interpretanda. 113

Sed retinenda est affirmativa sententia, quam etiam tenent Ant. Gen. *prax. Cur. Archiep. Neapol. cap.* 85. *num.* 2. Quarant. *Summ. Bullar. V. alienatio à num.* 5. Tambur. *tom.* 3. *de Jur. Abb. D.* 13. *quæst.* 9. *num.* 1. Donat. *tom.* 1. *prax. Regul. p.* 2. *tract.* 14. *quæst.* 23. *à num.* 1. Fagnan. *in cap. nulli* 5. *h. tit. numer.* 12. *& seqq.* Vvagn. *in Extrav. cit. not.* 4. *in fin.* Pignatell. *tom.* 6. *consult.* 95. *num.* 10. Matthæucc. *Offic. Cur. Eccl. cap.* 45. *num.* 5. Vinc. Petra *tom.* 1. *comment. fol.* 88. *numer.* 60. *& seqq.* Clariss. P. Schmier *p.* 2. *de reb. Eccl. cap.* 4. *num.* 95. Pirh. *hic num.* 54. Konig *ibid. num.* 25. Vviest. *num.* 101. & hoc teste communis DD. cui accedit Stylus, & praxis Romanæ Curiæ, ut refert Quarant. *l. cit. num.* 6. Ratio est, quia hac *Constit. Extrav.* Pontifex consulere volebat indemnitati Ecclesiarum, quæ bonorum alienationibus à Prælatis, & Rectoribus suis passim gravissimè lædebantur. Atqui si consensus Pontificis tantùm exigeretur in casibus, in quibus Jure antiquo prohibebatur alienatio, parum fuisset consultum indemnitati Ecclesiarum; nam Prælati, & Rectores earum post *Extrav. cit.* adhuc potuissent alienationes facere, quas facere ante eandem poterant. Dicendum igitur, post *Extrav.* istam res Ecclesiæ immobiles, & mobiles pretiosas etiam ex justa causa, & cum requisitis à Jure solemnitatibus sine consensu Pontificio alienari non posse, sed si justa causa alienationem suadeat, hanc Pontificis examini, & approbationi relinquendam. 114

Ad argumentum allatum in contrarium dico cum Fagnan. *l. cit. num.* 17. verba illa, *præterquam in casibus à Jure permissis* referenda, & restringenda esse ad verba immediatè præcedentia, sc. Infeudationem, & Contractum Emphyteuticum, qui ibidem permittuntur, non autem ad omnes alios contractus, qui quomodocunque antea permittebantur Prælatis; aliàs, ut *num. præced.* dictum est, dicta *Extravagans* nihil operaretur novi. *Ad Conf.* dicta clausula jam habet effectum suum, dum tres casus exceptos à communi prohibitione excludit. 11

Dub. 2. an ad valorem alienationis post *cit. Extrav.* præter assensum Apostolicum necessariæ sint antiqui Juris solemnitates? *Ratio dubitandi* est; quia Paulus II. illius *Extrav.* conditor expressè innovavit omnes Prædecessorum suorum Constitutiones, prohibitiones, & Decreta alia, super rerum Ecclesiasticarum alienatione edita. Igitur etiam voluit observari solemnitates in iis præscriptas. *Conf.* solemnitates Juris, ut totum Jus, multis vigiliis, & laboribus in bonum Ecclesiarum sunt introductæ. Ergo non est credibile, quòd Pontifex, qui Jus tuetur, eas solemnitates uno verbo, & præsertim Constitutione eundem finem spectante, subvertere voluerit, ut dicitur *cap. Ecclesia* 57. *vers. neque enim de Elect.* & *l. si quando* 35. *princ. C. de Inoffic. Testam.* 1

Sed

117 Sed his non obstantibus, dicendum, pro valida habendam alienationem, quæ facta est sine præscriptis à Jure solemnitatibus, interveniente tamen causa justa, & consensu Pontificis absoluto, legitimè, & absque ob vel subreptione impetrato. Ita Stephan. Gratian. *discept. for. cap.* 43. *num.* 19. Quarant. *Summ. Bullar. V. alienatio num.* 7. Corrad. *prax. dispens. Apost. l.* 9. *cap.* 1. *numer.* 22. Sperell. *decis.* 154. *num.* 11. Tambur. *tom.* 3. *de Jur. Abb. D.* 13. *quæst.* 4. *num.* 9. Vvagn. *in Extrav. ambitiosæ cit. not.* 5. Donat. *tom.* 1. *prax. reg. p.* 2. *tract.* 14. *quæst.* 18. *num.* 1. & *quæst.* 26. *num.* 1. Gibalin. *tom.* 2. *de negot. l.* 4. *cap.* 8. *art.* 3. *num.* 7. *vers. an verò*. Vincent. Petra *tom.* 1. *comment. fol.* 79. *num.* 3. Honor. *hic num.* 27. Pirh. *num.* 55. Konig *num.* 20. Vviest. *num.* 109. estque teste Petra *loc. cit.* sapiùs decisum à Rota. *Ratio est*, quia Papa plenissimam habet potestatem disponendi de bonis Ecclesiasticis, tanquam supremus eorum Administrator. Igitur solemnitatibus Juris ligari non potest, quin valida sit alienatio ipsius consensu facta, sed ipse consensus, & authoritas Papæ defectum solemnitatum Jure requisitarum supplet.

118 *Ex quo sequitur* 1. interveniente authoritate, & consensu Papæ, non esse ampliùs necessarium Tractatum Capitularem; quia hujus defectum supplet abunde diligentia eorum, qui potestate sibi à Pontifice delegata cognoscere debent de Justitia causæ, antequam expediatur Breve Apostolicum, quo potestas alienandi conceditur. *Sequitur* 2. etiam non esse opus consensu superioris immediati; quia ut bene Bald. *in l. illud* 2. *Cod. quand. Decret. opus non est*, habens verbum Superioris non opus habet verbo inferioris. *Sequitur* 3. neque ampliùs requiri consensum Capitularem; quia hic introductus est solùm Jure Ecclesiastico, quo Papa non ligatur, cùm ipse supra Jus, contra Jus, & extra Jus positivum sit, ut loquitur Bald. *in cap. cùm super* 4. *de caus. possess. & propr. cap.* 1. *Sequitur* 4. multo minùs requiri subscriptionem Capituli, tum ob rationem prædictam, tum quia ejus necessitatem, ut *num.* 92. dixi passim sustulit consuetudo. Hac autem non minorem vim consensus habet ab ipso Legislatore datus, utpote cui consuetudo vim suam unicè habet.

119 Neque contrarium probat ratio dubitandi allata; nam Constitutio Paulina *cit.* intelligi debet, nisi Papa in ejusmodi solemnitatibus dispenset: taliter autem dispensare censetur, si licentiam alienandi absolutè concedat. Secus, si conditionatè tantùm, & cum clausula, *si ita est*; tum enim ejus consensus defectum solemnitatum non suppleret, ut rectè *l. citt.* notant Quarant. *num.* 7. Vagn. *not.* 5. Donat. *num.* 3. Petra *num.* 3. Vviest. *num.* 111. cum aliis. *Ad Conf.* Jus Canonicum compilatum est tum ex Constitutionibus Pont. quibus æqualem potestatem quilibet eorum Successor habet, tum ex Decretis Conciliorum, quæ sunt inferiora Pont. ergo impedire non potest Pontificem, quin in hujusmodi solemnitatibus dispenset, cùm ligare ipsum non possit, utpote ab æquali, vel inferiori factum. Deinde quamvis solemnitates istæ in bonum Ecclesiarum, & ad cavenda istarum damna sint introductæ, tamen his sufficienter providetur per accuratum examen justitiæ causæ, quod, ut *num. præced.* dixi, alienationi à Delegatis præmittitur.

120 Dub. 3. utrum ad valorem alienationis præter licentiam Summi Pontificis requiratur justa causa? Resp. affirmativè. Estque hoc ita verum, ut etiam post Constitutionem Paulinam *cit.* pro irrita, & nulla haberi debeat omnis alienatio rerum Ecclesiæ immobilium, & mobilium pretiosarum, etiam Papæ consensu facta, si illam non exigat necessitas, vel utilitas, aut alia causa justa suadeat. Ita Ant. Gennens. *cap.* 106. *num.* 6. Redoan. *de reb. Eccl. non alien. quæst.* 22. *num.* 75. Quarant. *V. alienatio num.* 7. *prope fin.* Donat. *tom.* 1. *prax. Reg. p.* 2. *tract.* 14. *quæst.* 26. *num.* 3. Vincent. Petra *tom.* 1. *fol.* 88. *num.* 60. & 65. Pirh. *hic num.* 55. Konig. *num.* 20. Vviest. *num.* 104.

121 *Ratio est* 1. quia Pontifex non intendit, nec præsumitur agere quidquam velle in præjudicium, vel damnum Ecclesiarum. Igitur authoritatem suam ad alienationem rerum Ecclesiæ interponere non censetur, nisi exigente, vel suadente justa, ac rationabili causa. Deesset igitur in hujusmodi alienatione verus consensus Pontificis.

2 Pontifex, licèt sit supremus rerum Ecclesiæ Administrator, tamen conservare eas tenetur ad promovendum ex earum fructibus Divinum Cultum, ad solvenda Ministeriorum salaria, ad subministranda pauperibus alimenta, & ad alias tum ipsarum Ecclesiarum, tum egentium necessitates. Igitur pro libitu voluntatis suæ ea dissipare, vel usurpare sine peccato non potest.: peccatum autem de supremo Ecclesiæ in terris Capite præsumi non debet, sed potiùs, quòd omnia bene, & sanctè agat. Igitur præsumi non debet, quod bona Ecclesiæ sine justa causa alienari velit.

3 Eundem voluntatis defectum arguit praxis; solent enim Pontifices, ut *num.* 118. innui, antequam consensum alienationi præstent, semper exigere justam causam, & an revera subsit, per Delegatos in Dignitate Ecclesiastica constitutos cognoscere. Igitur meritò censetur Pontifex non consentire, si justa causa non subsit. Imò, ut P. Vviest. *hic num.* 108. notat, etiamsi justa causa subsit, si tamen causæ cognitio, & inquisitio per Delegatos non præmittatur, tam licentia alienandi sic impetrata, quàm ipsa alienatio authoritate illius facta invalida est; quia per ejusmodi consensum Apostolicum indemnitati Ecclesiarum non satis consuleretur.

Dub. 4. an *Extrav. ambitiosæ cit.* sit usu recepta? 122
Resp. DD. hic admodum variare; nam 1. Quarant. *Summ. Bullar. V. alienatio num.* 48. Corrad. *prax. dispens. Apost. l.* 9. *cap.* 1. *num.* 7. Fachin. *l.* 10. *contr. cap.* 98. *princ.* Piasec. *p.* 2. *prax. cap.* 5. *art.* 4. *num.* 13. Ciarlin. *controv. for. cap.* 10. 5. Matthæucc. *Offic. Cur. Eccl. cap.* 45. *num.* 19. volunt eam per totum Orbem usu receptam esse integraliter, & quoad omnes suas partes, etiam quoad pœnas extrinsecas Censurarum 2. Sylv. *V. alienatio quæst.* 15. *in fin.* Cajetan. *Summ. V. Excommunicatio cap.* 75. *fin.* Sarmient. *de reditib. Eccl. p.* 1. *cap.* 3. *num.* 29. negant ubique receptam esse: quibus assentitur Zypæus *in Analys. h. tit. num.* 2. ubi docet eam extra Italiam nullibi gentium esse receptam integre, præsertim quoad locationes. 3. Navar. *de Censur. Eccl. cap.* 27. *Excomm.* 25. *num.* 150. Laym. *l.* 3. *tract.* 4. *cap.* 10. *vers. atque hæc*, Less. *l.* 2. *de Just. cap.* 24. *num.* 64. Tann. *tom.* 3. *D.* 4. *quæst.* 7. *dub.* 7. Molin. *tr.* 2. *de Just. D.* 466. *num.* 10. Vallens. *hic* §. 3. *numer.* 3. Sannig. *ibid. cap.* 3. *num.* 2. *in fin.* distinguunt, & quamvis asserant, eam receptam esse in multis locis quoad dispositionem principalem, & intrinsecam nullitatis, contendunt tamen in paucis receptam esse quoad pœnas extrinsecas Excommunicationis, Suspensionis &c.

Rectissimè monet Sayr. *de Censur. l.* 3. *cap.* 22. *Excomm.* 8. *in fin.* Guttier. *qq. Canon. l.* 1. *cap.* 8. *numer.* 9. Bonac. *tract. de alien. p.* 1. *num.* 6. Donat. *tom.* 1. *prax. Regul. p.* 2. *tract.* 14. *quæst.* 4. consulendam esse praxin, & consuetudinem locorum, atque ea standum. De viridi hujus Constitutionis observantia in Urbe Romana testatur Alphons. à Leone *de Censur. recollect.* 4. *p.* 5. *num.* 2. in Civitate & Diœcesi Florentina Antonius de Petra *de Jurisd. Episc. tract.* 2. *cap.* 2. *num.* 10. in tota Italia, & Regnis Neapolitano, Lusitaniæ, & Hispaniæ Anton. Gennens. *prax. Cur. Neapol. cap.* 75. *num.* 1. Melch. Phæbus *Lusit. decis.* 88. *num.* 18. Barbos. *alleg.* 95. *numer.* 49. Circa Germaniæ nostræ observantiam varii sunt Doctorum sensus. Vvagn. *in Extrav. cit. V. inconsulto* putat in multis locis Germaniæ validas videri alienationes, quæ sine Summi Pont. consensu fiunt, præsertim à Principibus Ecclesiasticis, qui propter hanc causam alicubi, saltem in non magni præjudicii alienationibus ad Papam recurrere non solent. Engl. *hic num.* 15. & Konig. *ibid. num.* 25. similiter sustinent alienationes factas à Prælatis non exemptis cum sola licentia Episcopi in Provinciis ab Italia remotis, ex quibus ad Sedem Apostolicam difficilior recursus est. 123

Quidquid sit de Episcopis, & horum alienationibus Pontifice inconsulto factis, alienationes Prælatorum Regularium, sine consensu à Roma impetrato per consuetudinem contrariam difficulter sustinentur: imò nec per privilegia, quæ diversi Ordines Religiosi à Sede Apostolica sibi concessa habent, cùm iisdem per Decretum *S. Congr. Concil.* jussu *Urbani VIII.* 7. *Sept.* 1624. apertè sit derogatum, & non obstantibus iisdem privilegiis, Regularibus cujusque Ordinis prohibeatur *omnium rerum, & bonorum immobilium, ac pretiosarum mobilium alienatio -- præterquam in casibus à Jure expressis, absque ipsius Congregationis Concilii expressa licentia in scriptis, & gratis concedenda, sub pœna privationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebunt, vocisque activæ, & passivæ, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa imposterum obtinenda, quam ipso facto absque alia declaratione incurrant &c.* ut refertur apud Tambur. *tom.* 3. *de Jur. Abb. D.* 13. *quæst.* 6. *num.* 8. Neque dici potest, hoc Decretum in Germania non esse usu receptum; nam, ut bene advertit P. Jacob. Vvex *Ariadn. p.* 5. *tract.* 3. *contr.* 4. *num.* 31. inter Authores Germanos neminem est reperire, qui istud teneat: imò ii, 124

qui post annum 1624. scripsere, Prælatis Regularibus diligenter inculcant illud Decretum non pro sola Italia, sed universis Europæ Provinciis editum. Unde non est credibile, Regulares in Germania Decreto huic adeo sibi noto, & inculcato ausos esse resistere, vel eo non obstante, veteribus quibusdam privilegiis inhærere.

125 Dub. 5. utrum non usus Constitutionis Paulinæ *cit.* excusari in Episcopis, & Abbatibus possit, non obstante Juramento, quo singuli, qui à Sede Apostolica confirmantur, in sua consecratione, vel Benedictione jurant, se bona Ecclesiæ, vel Monasterii sui, inconsulto Romano Pontifice, non alienaturos, & si alienent, pœnas, per *cit. Extrav.* sancitas, eo ipso velle incurrere, ut habetur *in Pontif. Român. p.* 1. *tit. de Consecr. Episc. & Bened. Abb.* Videtur quod ita 1. *per cap. ex parte* 2. *de feud.* ubi non obstante Juramento de non infeudando de novo, inconsulto Român. Pont. rectè tamen Prælatus in feudum dat rem infeudari solitam. 2. *per cap. ut super* 8. *h. tit.* ubi similiter non obstante Juramento, possessiones minus utiles alienantur à Prælato, sive etiam commutantur pro utilibus, habito consilio, & assensu partis sanioris. 3. quia ut vult, & authoritate JCtorum Romanorum, ante aliquot annos à quodam Germaniæ Episcopo interrogatorum, firmat Vvagn. *in Extrav. cit. V. inconsulto*, Juramento illo plus non promittitur, quàm quòd inconsulto Pont. ad nullam alienationem devenire velint, nisi in casibus à Jure antiquo permissis: vel ut idem explicat, dici potest, quòd Juramentum illud habeat conjunctam sibi hanc tacitam conditionem, *Si vel quatenus Extravagans ista usu recepta est.*

126 Sed dicendum probabilius ob istud Juramentum non excusari Episcopos, aut alios Prælatos, si inconsulto Pont. in casibus, etiam jure antiquo permissis, sed Paulina hac Constitutione prohibitis, alienationem faciant. Ita communior DD. atque inter hos Abb. *in cap. ut super* 8. *h. tit. num.* 17. Sylv. *V. alienatio qu.* 16. Navar. *tract. de alien. rer. Eccl. num.* 14. Azor. *p.* 2. *l.* 9. *cap.* 1. *quæst.* 9. Laym. *l.* 3. *tract.* 4. *cap.* 10. *num.* 9. & 10. Jacob. Strein. *Summ. Jur. Can. p.* 2. *tit.* 17. §. 3. Jacob. Vvex *Adriadn. p.* 5. *tract.* 3. *contr.* 4. *per totam.* Zœs. *hic num.* 18. Pith. *num.* 57. Vviest. *num.* 118. *Ratio est*, quia omne Juramentum servandum est, quod non vergit in dispendium salutis æternæ, nec redundat in alterius præjudicium, vel detrimentum juxta Regulam *cap. quamvis* 2. *de pact. in* 6. *cap. cum contingat* 28. *de Jurejur. & cap. licet* 2. *eod. in* 6. tale autem est juramentum in quæstione præsenti. ergo &c.

127 *Excipitur* 1. casus magnæ necessitatis, quæ tantam dilationem non patiatur, ut Papa consuli possit. Layman *l.* 3. *tract.* 4. *cap.* 10. *num.* 9. *fin. Excipitur* 2. si res sit modica, vel Ecclesiæ parum utilis, nam istas Prælatus, etiam, si juraverit, se non alienaturum, inconsulto Papa, alienare nihilominus potest, quippe quæ in hac materia nomine alienationis, solemnitatem, vel consensum postulantis non censentur comprehensæ. Laym. *numer.* 10. *Excipitur* 3. locatio infra triennium, infeudatio, & Emphyteuticatio rerum, infeudari, vel Emphyteuticari solitarum; nam istas *Extrav. cit.* excipit, cui conforme censetur esse etiam Juramentum à Prælato præstitum.

128 Argumenta contraria non multum urgent. *Ad* 1. patet ex 3. *Except.* de bonis infeudari, vel Emphyteuticari solitis dari ratio potest, quia non censentur hujusmodi esse in bonis Ecclesiæ, nisi eidem sint incorporata. *Ad* 2. ratio data est *in Except.* 2. *Ad* 3. juramentum istud se extendit, imò comprehendit casus etiam illos, quibus alioquin licita, & permissa fuit Prælatis alienatio rerum Ecclesiæ: quod colligitur ex eo, quia verba Juramenti debent aliquid operari. atqui parum, vel nihil operarentur, si eo non obstante, alienatio fieri posset in casu licito, non requisito consensu Papæ; sic enim non restringeretur, sed eadem maneret potestas Prælatorum, quæ Jure antiquo fuit. Explicatio altera, etsi fortè procedat in Episcopis, non tamen procedere potest in Abbatibus, aliisque Regularibus, quibus ex Decreto S. Congr. Cardd. Trid. Interpp. ut *num.* 124. adnotavi, hodie necessaria ad alienationem ritè faciendam ejusdem est Sac. Congreg. licentia.

§. V.

De Effectu Alienationis Rerum Ecclesiasticarum.

SUMMARIUM.

129 130 131 *An valida sit Alienatio facta ex justa causa, sed sine solemnitatibus Juris?*
132 133 134 *An saltem valida sit in foro conscientiæ.*
135 136 137 *An supervenientibus solemnitatibus, convalescat in foro externo?*
138 139 *An convalescat etiam pro tempore celebrati Contractus?*
140 141 142 143 *An solemnitates servandæ sint etiam, quando aliquid legatum Ecclesiæ est, ut alienare id possit, cùm voluerit?*
144 145 *An servata solemnitate, alienari possit, quod relictum est Ecclesiæ ea conditione, ut nunquam alienetur?*
146 147 148 *An in dubio præsumatur intervenisse solemnitas?*
149 150 *Quod Beneficium Ecclesiæ competat ratione alienationis illegitimè factæ?*
151 152 153 154 *An alienationem malè factam revocare possit ipse Prælatus malè alienans?*
155 *Et quinam alii præter istum?*
156 157 *An repetentis rem Ecclesiæ malè alienatam opponi possit Exceptio dominii?*
158 159 160 *Aut obstet præscriptio.*
161 162 *Quid restitui debeat ab eo, ad quem res alienata pervenit.*
163 164 *Quæ pœnæ statutæ sint Prælatis, & aliis Administratoribus malè alienantibus?*
165 166 *Quæ causæ ab his excusent?*
167 168 169 170 *An, quando, & quomodo Ecclesia adversùs alienationem sit restituenda in integrum?*

Effectus Alienationis alius est, quando facta est ritè, & secundùm Juris præscriptum; alius quando non est facta ritè. Si ritè facta est, transfert dominium rei sic alienatæ in eum, in quem alienata est. Si non ritè facta est, dat locum Revocationi, & pœnæ à Jure malè alienantibus positæ. Quare tria §. *præsenti* examinanda veniunt. 1. valor alienationis. 2. ejus non ritè factæ revocatio. 3. malè alienantium pœnæ.

Quæritur 1. an valida sit Alienatio rei Ecclesiæ immobilis, aut mobilis pretiosæ, quæ facta est ex justa causa, & in casu licito, sine interventu tamen solemnitatum Juris? Procedit quæstio Jure antiquo, & Jure etiam novo in casibus, in quibus consensus Pontificis ad alienationem non requiritur, vel in locis, ubi *Extrav. ambitiosæ* non est usu recepta. Sunt, qui putant, casu, quo apertè se profert causa justa necessitatis, vel utilitatis in alienatione rei Ecclesiasticæ, nullam requiri solemnitatem. *Moventur* 1. quia ratiò præscribendi dictas solemnitates unica fuit, ne Ecclesiæ damnum, aut præjudicium paterentur. atqui hujusmodi damnum, vel præjudicium nullum timendum est, quando causa necessitatis, vel evidentis utilitatis intervenit. ergo &c. 2. ubi in aliquo actu, seu dispositione debet intercedere aliqua solemnitas, quæ respiciat certum finem, habito fine, & effectu, propter quem introducitur solemnitas illa, licèt reverа non interveniat, nihilominus valet actus, atqui solemnitates in alienatione rerum Ecclesiæ adhibentur in hunc præcisè finem, ut liqueat de causa alienationis, an justa illa sit: ergo quando dilucidè de illa constat, alienatio etiam sine solemnitate facta valet. 3. à contractu qui invalidus, & nullus est, recedere liberè contrahentium uterque potest; quia quod nullum est, nullum habet effectum. atqui contrahens cum Ecclesia, licèt Ecclesia possit recedere à contractu, non tamen ipse potest ab eo recedere, si Ecclesia illo stare velit, ut cum communi notat Fagnan. *in cap. nulli h. tit. num.* 46. ergo contractus non fuit omnino nullus, sed infirmus, & claudicans. 4. ut res alienata restituatur Ecclesiæ, necessaria est rescissio contractus, ut non obscurè supponitur *can. Apostolicos* 13. & *can. precariæ* 44. *caus.* 12. *quæst.* 2. atqui rescissioni locus non est, quando actus est ipso Jure nullus *arg. l. in causæ* 16. *princ.* & §. & *generaliter* 3. *ff. de minorib.* 5. Ecclesia gaudet jure Minoris. atqui transactio, & actus à minore celebratus valet, si minor conditionem suam meliorem fecit *l. cum hi* 8. §. *eam transactionem* 6. *ff. de transact.* ergo pariter valebit cele-

bra-

bratus à Prælato circa res Ecclesiæ ex justa causa necessitatis, vel majoris utilitatis.

130 Verum his non obstantibus, dicendum, hujusmodi alienationem, absque præscriptis à Jure solemnitatibus celebratam, in foro saltem externo, ipso Jure esse nullam, & irritam. Ita Covar. *l.* 2. *var. cap.* 17. *numer.* 2. Suar. *tom.* 4. *de Relig. l.* 2. *cap.* 77. *num.* 20. *&* 21. Molin. *tract.* 2. *de Just. D.* 468. *num.* 15. Gilken. *in Auth. hoc jus porrectum num.* 96. *C. de SS. Eccl.* Bonacin. *de Contract. D.* 3. *qu.* 8. *p.* 4. *num.* 10. Gonzal. *in cap.* 6. *h. tit. num.* 2. Vall. *hic* §. 3. *num.* 5. Honor. *num.* 19. Engl. *num.* 17. Pirh. *num.* 36. Schamb. *num.* 12. Vviest. *numer.* 56. Clariss. P. Schmier *p.* 2. *de reb. Eccl. cap.* 4. *num.* 106. & colligitur ex *can. sine exceptione* 52. *caus.* 12. *qu.* 2. *cap. irrita* 1. *cap. cum nos* 3. & *cap. tuæ nuper* 8. *de his, quæ à Prælat. cap. si quis* 6. *h. tit. cap. dudum* & *cap. fin. eod. in* 6. *Clem. Monasteriorum*, & *Extrav. ambitiosæ ibid.* quibus textibus alienationes contra præscriptum SS. Canonum celebratæ pronuntiantur omnino irritæ. *Ratio est*, quia solemnitates Jure præscriptæ pertinent ad formam alienationis rerum Ecclesiæ. atqui actus, non servata forma, quæ dat esse rei, est nullus, & pro infecto habetur. *Reg. quæ contra* 64. *in* 6. & *l. non dubium* 5. *C. de LL.*

131 Neque contrarium efficaciter suadent rationes allatæ. *Ad* 1. ratio, ob quam introductæ sunt solemnitates Juris, & requisitæ ad alienationem rerum Ecclesiæ, non fuit damnum, & præjudicium, quod hæc, aut illa Ecclesia in hoc, vel illo casu particulari patitur, sed universale periculum multarum damnificationum Ecclesiis inferendarum. hoc autem periculum manet, etsi in uno, vel altero casu particulari ex alienatione, sine solemnitatibus debitis celebrata nullum damnum inferatur Ecclesiæ. igitur etiam ratio exigendi hujusmodi solemnitates manet. *Confirmari* hoc potest à pari cum Matrimonio clandestino, quod Tridentinum invalidum pronuntiavit ob periculum gravium incommodorum, quæ ex ejusmodi Matrimoniis clam initis timenda sunt: manet verò invalidum, etsi in particulari aliquo casu ejusmodi incommoda non forent timenda. *Ad* 2. finis, cur SS. Canones requisiverint solemnitates, non tantùm est, ut liqueat de causa alienationis, an justa sit, sed ut modò dixi, Ecclesiarum securitas contra universale periculum damnificationum: quod cùm nunquam cesset, nunquam alienatio sine solemnitate Juris celebrata valebit. *Ad* 3. is, qui cum Ecclesia sine solemnitatibus contrahit, si Ecclesia stare velit contractu, resilire non permittitur in pœnam fraudis, quam intentasse præsumitur, ut notat Gibalin. *tom.* 2. *de negot. l.* 4. *cap.* 8. *art.* 3. *num.* 6. *ad* 1. *Ad* 4. rescissio illa, de qua textus *citt.* non ad obligationem, & similes Juris effectus, sed ad factum dumtaxat referri debet, ita, ut alienatio, quæ de Jure nulla est, de facto etiam revocetur, & res Ecclesiæ restituatur, ut cum Turrecr. *in can. citt.* notat Gonzal. *in cap. quoties* 2. *de pact. num.* 1. *Ad* 5. distinguendum est inter casum, quo Ecclesia non se alteri, sed alium sibi obligat, & inter casum, quo se etiam alii obligat. In primo casu procedit Argumentum, in secundo non procedit etiam quoad pupillum, sed hic authoritate Tutoris, Ecclesia solemnitatibus à Jure præscriptis indiget, quamvis si sine his celebratus sit actus, Ecclesia secum contrahentem, si velit, obligare possit ad standum contractu.

132 Dub. 1. an alienatio rei immobilis, & mobilis pretiosæ, sine solemnitate facta, sit irrita etiam in foro conscientiæ interno? Affirmant etiam in hoc foro irritam esse Gibalin. *tom.* 2. *de negot. l.* 4. *cap.* 8. *art.* 3. *num.* 6. Matthæucc. *Offic. Cur. Eccl. cap.* 45. *numer.* 20. Konig. *h. tit. num.* 30. Clariss. P. Schmier *p.* 2. *de reb. Eccl. cap.* 4. *numer.* 108. *&* 109. & alii apud istos satis probabiliter, qui proinde eum, qui bona Ecclesiæ à Prælato etiam justè, v. gr. emendo, sine solemnitatibus tamen à Jure requisitis accepit, ad restitutionem tum eorum, tum fructuum inde perceptorum, imò etiam ad damna, si in mora restituendi fuit, compensanda obligant, etsi à nemine sit conventus. *Moventur* 1. quia *Extrav. Ambitiosæ* Paulus II. dicit hujusmodi alienationem esse *omnino nullius roboris, vel momenti*; & *Clemen. Monasteriorum* 1. *eod.* Clemens V. statuit, si aliter fiant alienationes, *ex concessione ipsius recipientis jus aliquod* non *acquiri*. acquireretur autem aliquod jus, si valeret in foro conscientiæ. ergo &c. 2. regulariter, quod licitum, vel illicitum est in foro interno, est etiam licitum, vel illicitum, validum, vel invalidum in foro externo, & è converso. 3. in tali alienatione deest forma substantialis alienationis, ubi autem forma deficit, actus est ipso Jure nullus, cùm sine forma actus non subsistat. 4. in eadem deest potestas alienandi, quippe quæ non aliter est Prælato concessa, nisi adhibitis Juris solemnitatibus. 5. effectus, & obligatio Legis non cessat, etsi finis, & ratio Legis in particulari cesset.

Sed probabiliùs talis alienatio, si causa justa subnixa sit, in foro conscientiæ valet. Assentiuntur Abb. *in cap.* 1. *de in integr. restit. num.* 19. Sylv. *V. alienatio num.* 13. Navar. *de alien. rer. Eccl. num.* 17. & *in tract. de Spol. Cleric.* §. 2. *num.* 6. Azor. *p.* 2. *l.* 9. *cap.* 1. *qu.* 8. *vers. secundum*, Laym. *l.* 1. *tract.* 4. *cap.* 16. *num.* 9. *in fin.* Reginald. *prax. tom.* 2. *l.* 30. *tract.* 3. *cap.* 6. *sect.* 2. *num.* 69. *&* 70. Canis. *hic num.* 13. Zoes. *num.* 17. Honor. *num.* 20. Pirh. *num.* 36. Schambog. *num.* 12. Vviest. *num.* 19. *Ratio est*, quia talis alienatio Jure naturali est valida, cùm habeat omnia substantialia, quæ de hoc Jure requiruntur ad valorem, videlicet mutuum consensum contrahentium, & justam alienandi causam: de Jure positivo autem non constat, quòd in foro animæ sit irritata; imò necesse non fuit eandem irritari in isto foro, quòd periculum damnificationum, quæ ex hujusmodi alienationibus non solemnibus accidere possunt Ecclesiis, sufficienter caveatur, modò irritæ sint in foro externo. Quare is, qui ejusmodi rem Ecclesiæ à Prælato, sine requisitis à Jure solemnitatibus, ex justa tamen causa, sibi venditam, bona fide emit, retinere illam in conscientia poterit, donec alienationis nullitas declarata sit. 133

Neque contrarium efficaciter probant rationes à parte adversa allatæ. *Ad* 1. etiam resignatio Beneficii metu facta *cap. ad audientiam* 4. *de his, quæ vi &c.* & *Clem.* 2. *de pœnis*, dicitur nullius omnino esse firmitatis, & tamen, ut *lib.* 1. *tit.* 9. *de renunciat. num.* 4. dixi, mero Jure valet, licèt rescindi possit. Quare dicendum, dum *Extrav. & Clem. citt.* dicitur, quòd alienatio solemnitatibus destituta nullius sit roboris, nec accipienti jus tribuat, solùm innui eandem in foro externo pro invalida haberi. *Ad* 2. id verum est, quando forum externum non fundatur in præsumptione aliqua; nam quando in tali præsumptione fundatur forum externum, & secundùm illam procedit præter rei veritatem secretò cognitam, in foro conscientiæ, si de veritate contraria constet, præsumptioni falsæ præferri veritas debet. *Ad* 3. solemnitates Jure requisitæ pertinent quidem ad formam substantialem alienationis spectatæ secundùm effectus Juris positivi, & fori externi, non item secundùm Jus naturale, & forum internum conscientiæ. *Ad* 4. potestas alienandi non deest Prælato, saltem si Capitulum sciat, & non contradicat, adeoque tacitè consentiat in alienationem faciendam. *Ad* 5. id procedit in foro externo, & contentioso, non autem interno conscientiæ; nam in hoc Lex positiva fundata in præsumptione cessat, si constet de contraria veritate. 134

Dub. 2. an alienatio ob defectum solemnitatum nulla, si hæ ex intervallo superveniant, convalescat? *Ratio dubitandi* sumitur à paritate cùm pupillo; nam si pupillo contrahenti Tutor consensum, seu authoritatem non statim in ipso negotio, sed ex intervallo duntaxat præstiterit, contractus manet invalidus, §. *tutor* 2. *Instit.* & *l. obligari* 9. §. *tutor* 5. juncta Gloss. *V. debet ff. de author. tutor. Conf.* quia alienatio destituta solemnitatibus, ut dictum est *num.* 130. nulla est ob defectum formæ, in iis autem, quæ ob defectum formulæ nulla, & irrita sunt, ratihabitio nihil operatur juxta Bald. *in l. observare* 4. §. *posthæc* 6. *ff. de Offic. Proconf. quæst.* 14. 135

Sed his non obstantibus, respondendum est affirmativè. Ita Gloss. *in cap. cùm nos* 3. *V. ratam de his, quæ à Prælat.* Host. *ibid. V. eodem Abb. num.* 3. Vivian. *in Ration.* Barbos. *in cap.* 1. *tit. eodem num.* 1. Vvagn. *ibid. in Exegef.* Redoan. *de reb. Eccles. non alien. Rubr.* 30. *caf.* 6. *num.* 10. Sarmient. *de redit. Eccl. p.* 1. *cap.* 3. *numer.* 1. Molin. *tract.* 2. *de Just. D.* 468. *num.* 6. Laym. *de reb. Eccl. non alien. cap.* 2. *num.* 23. Pal. *tract.* 12. *D. unic. part.* 15. §. 2. *numer.* 10. Vincent. Petra *tom.* 1. *comm. fol.* 80. *num.* 10. Pirh. *tit. de his, quæ à Prælat. num.* 4. Engl. *hic num.* 20. Konig *num.* 22. Vviest. *num.* 89. Fundamentum assertio accipit 1. ex *cap. quoties* 2. *de pact.* ubi Gregorius I. statuit, conventiones, quæ superioris consensum exigunt, etsi hic omissus sit, modò ejusdem ratihabitio superveniat, solidari. 2. ex *capit. cum nos cit.* ubi dicitur non tenere concessionem rei immobilis ab Episcopo factam, non consentiente, vel reclamante Conventu, nisi hic ejusmodi concessionem postmodum, sive ex intervallo ratam habuerit. 3. ex *Ratione*; quia ratihabitio subsequens est instar mandati, & retrotrahitur ad tempus præcedentis alienationis, 136

modò

modò per illam utilitas Ecclesiæ procuretur *Reg. ratihabitionem* 10. *in* 6.

137 *Ad Rationem dubitandi* imprimis Authoritas Superioris Ecclesiastici circa alienationem rei Ecclesiasticæ non tam comparatur authoritati Tutoris, quàm Decreto Prætoris circa alienationem rei pupillaris, quod Decretum ante, & post factum intervenire potest, ut bene notat Honor. *hic num.* 2. Deinde nec de Pupilli contractu universim verum est, quòd subsequente ratihabitione Tutoris non convalescat; nam *l. obligari cit.* solùm procedit casu, quo contractus tendit ad obligandum pupillum, si verò tendat ad obligandum alium in favorem pupilli, voluntas, seu consensus Tutoris etiam postea potest accedere *l. Julianus* 13. §. *si quis à pupillo* 29. *ff. de action. empt.* Denique inter alienationem Prælati, & contractum pupilli est lata disparitas; Pupillus enim, spectato Jure Civili, non censetur habere consensum in contractibus, nisi per consensum Tutoris veluti informatus sit, & hoc ob defectum Judicii, quo pupillus laborare præsumitur. igitur Tutoris consensus, sive authoritas intervenire debet in ipso contractu, vel saltem paulò post, & antequam ad alia negotia fiat transitus. Aliud est in Prælato; nam huic, ut rem Ecclesiæ immobilem alienare possit, necessarius est consensus Capituli, & Superioris, tanquam solemnitas. solemnitas autem, licèt ex intervallo primùm superveniat, perinde tamen vim suam habet in Jure, ac si à principio in ipso alienationis actu intervenisset. Gaill. *l.* 1. *observ.* 47. *num.* 5. Gonzal. *in cap.* 2. *de pact. num.* 13. Ex quo cadit, quod additum est in *Confirmationem*, & patet in exemplis; nam ad alienationem rei immobilis alicujus minoris tanquam solemnitas pertinet Decretum Judicis; & ad alienationem Feudi à Vasallo consensus Domini directi, & tamen si Judicis Decretum, & Domini directi consensus ex intervallo superveniat, ratificabitur alienatio, ut docet Bartol. *in l. si quis* 25. §. *jussum ff. de acquir. hæred. numer.* 5. Bald. in *l. cùm ipsa* 4. *C. de contrah. empt.* Vviest. *hic num.* 89.

138 Dub. 3. an alienatio, sine solemnitatibus facta, his supervenientibus, ita ratificetur, ut perinde habeatur, ac si nulla solemnitas defuisset, sed alienatio ab initio fuisset valida? Gloss. *cap.* 1. *V. tractatus h. tit. in* 6. Abb. *in cap.* 3. *de his, quæ à Prælat. num.* 5. Molin. *tract.* 2. *de Just. D.* 468. *num.* 6. Konig. *hic num.* 23. ex quorum sententia ejusmodi alienatio, vel contractus validus quidem fit, sed non nisi à tempore, quo supervenit solemnitas, antea in contractu omissa, ob *Reg.* 18. *in* 6. ubi Bonifacius VIII. *Non firmatur*, inquit, *tractu temporis, quod de Jure ab initio non subsistit*; & *Reg.* 29. *ff.* ubi Paulus, *Quod ab initio vitiosum est*, ait, *non potest tractu temporis convalescere.*

139 Sed distinguendum est inter actum, qui est Jure etiam naturali invalidus, & inter illum, qui est invalidus solùm Jure positivo. *Actus Jure naturali invalidus* secundum tempus, quo invaliditas illius duravit, manet invalidus, etiamsi postea accedat ratihabitio; nam hæc solùm eo casu se extendit ad tempus sequens. Suar. *tom.* 4. *de Relig. l.* 2. *cap.* 27. *numer.* 20. Pirh. *de his, quæ à Prælat. num.* 5. & ratio est, quia impossibile est actum, qui ab initio fuit omni Jure invalidus, sic convalescere, ut ab initio semper valuerit, nisi fortè secundùm fictionem Juris. *At si invalidus* fuit Jure positivo tantùm, probabiliter per supervenientem postea solemnitatem, Jure positivo requisitam, ita omnimodè confirmari potest, ac si ab initio etiam Jure positivo valuisset; quia ratihabitio retrotrahitur ad tempus celebrati contractus, vel actus, ut perinde sit, acsi solemnitates ab initio statim initi contractus fuissent positæ. Petra *tom.* 1. *comm. fol.* 80. *num.* 10.

Ex quo cadit Argumentum sumptum ex *Reg. Jur. citt.* nam actus ejusmodi non convalescit per tractum temporis, sed per supervenientem consensum, & solemnitatem, quæ omissa est, positam firmatur in foro externo, qui jam antea validus erat in foro interno.

140 Dub. 4. an solemnitates servandæ sint etiam in alienatione Legati, quod ea conditione Ecclesiæ à testatore relictum est, ut quoties illa voluerit, illud alienare, & in proprios usus convertere possit? Affirmant Armill. *V. alienatio quæst.* 19. Quaran. *V. eodem num.* 31. Riccius *prax. decis.* 67. Bonacin. *D.* 3. *de Contract. quæst.* 8. *p.* 4. *num.* 8. Monacell. *form. legal. tit.* 5. *form.* 15. *num.* 19. *Moventur* 1. quia illa conditio est Juri contraria; conf. tanquam turpis rejicienda, & habenda pro non apposita. 2. si Ecclesiæ relictum sit, quod retinere non potest, sub conditione, ut retineat, non est obligata retinere, sed potest illud alienare. ergo similiter relictum sub conditione, ut possit alienari non observata solemnitate, retineri debet, nec alienari non potest servata solemnitate.

Sed probabiliùs tali casu ad alienationem solemnitate Ecclesia non habet opus. Ita Pal. *tract.* 12. *D. un. p.* 15. §. 2. *num.* 14. Marc. Ant. Maceratens. *l.* 1. *ref.* 99. & *resol.* 112. *cas.* 44. Card. de Luca *de alien. disc.* 1. *numer.* 128. Ratio est 1. quia quilibet potest opponere rei suæ modum, & legem, quam vult. 2. Potuisset testator bona hæc relinquere tertio, ut pecuniam ex illis distractis comparatam daret Ecclesiæ. Ergo potuit etiam directè permittere Ecclesiæ ipsi alienationem. 3. Ista alienatio censetur procedere ex potestate accepta à testatore. Igitur sicut ipse pro libitu alienare illa bona potuit, ita etiam Ecclesia poterit. 141

Optimè tamen Conclusionem hanc limitat Vinc. Petra *tom.* 1. *com. fol.* 102. *num.* 46. ut solùm procedat, quando talia bona nondum sunt incorporata Ecclesiæ; nam post incorporationem, ut alienari possint, solemnitate est opus, & ratio est, quia tunc considerantur ut bona Ecclesiastica, & ut talia subjiciuntur *Extravaganti ambitiosæ cit.* & propterea conditio, quæ eo casu alienationem, solemnitatibus non adhibitis, permitteret, foret rejicienda, tanquam adversa Juri, & præbens ansam administratoribus defraudandi Ecclesiam. 142

Hac limitatione posita, facilis est responsio ad Argumenta contraria. *Ad* 1. negatur tam conditionem turpem, & Juri contrariam esse: nam SS. Canones solum prohibent alienare res Ecclesiæ, quæ illius sunt absolutè; secus illas, quæ non sunt absolutè ipsius, & nondum incorporatæ. *Ad* 2. qui legat rem Ecclesiæ incapaci ejusdem retinendæ sub conditione, ut retineat, manifestè ponit conditionem dispositioni Ecclesiæ contrariam, ac proinde turpem; qualem non ponit, qui rem eidem legat, ut alienet, si voluerit, ante incorporationem; quia solùm impeditur alienare, quæ ipsi absolutè relinquuntur. 143

Dub. 5. quid dicendum de Legato relicto Ecclesiæ sub conditione, ut nunquam alienetur, poteritne, servata solemnitate, alienari? Negant plures DD. relati à Dian. *p.* 10. *tract.* 16. *ref.* 8. & 85. ea sic alienari posse, si Ecclesia habeat alia bona, quibus potest utilitati, pietati, & necessitati consulere; quia tunc servari potest talis conditio, neque est contraria Juri concedenti alienationem rerum Ecclesiasticarum in casu utilitatis, necessitatis, vel pietatis. *Conf.* ex *Novell.* 120. *cap.* 19. ubi *in princ.* Imperator inquit, *res Ecclesiæ alienari posse pro captivorum redemptione, nisi sub ea conditione possessiones aliqui eis dederint, ut nullo modo has alienent.* ne igitur hæc Constitutio aliis Juribus, concedentibus alienationem ex causa pietatis, utilitatis, necessitatis, contraria sit, dicendum ea prohiberi alienationem, dum sunt alia bona, quibus satisfieri necessitati, utilitati, vel pietati possit, secus, cùm non sunt. Ita isti satis probabiliter. 144

Sed probabilius est alienari posse tale Legatum, tametsi Ecclesia alia bona habeat, quæ alienare possit. Azor. *p.* 2. *l.* 9. *cap.* 2. *quæst.* 4. Barbos. *l.* 3. *Jur. Eccl. cap.* 30. *num.* 15. Pal. *tract.* 12. *D. un. p.* 15. §. 2. *numer.* 15. Dian. *resol.* 33. *cit.* Petra *tom.* 1. *comm. fol.* 102. *numer.* 47. *Ratio est*, quia testator, cùm Juri derogare non possit, non potest contrariam isti conditionem apponere, est autem contraria Juri conditio, qua prohibetur Ecclesia ex causa à Jure approbata, & cum hujus solemnitatibus res à testatore acceptans alienare; nam eo casu Jus alienationem permittit. Ergo &c. Bene tamen hic notat laudatus Petra *numer.* 48. stante tali prohibitione Testatoris, in impetratione Beneplaciti Apostolici faciendam mentionem dictæ prohibitionis; quia aliàs non censetur Pontifex derogasse voluntati testatoris: & sic ob causam necessariam, ut non possit adiri Papa, aliæ res potiùs alienari debebunt, ut testatoris voluntas impleatur, quantum potest. 145

Ex quo solvitur Argumentum contrarium. Ad textum *Novell. cit.* dico, non posse hujusmodi Legatum alienari pro captivis redimendis, si eo pacto donatum fuit, ut non alienetur, nisi captivi extremam, aut valde gravem patiantur necessitatem; id enim operatur conditio, ut non pro quacunque necessitate alienari legatum possit.

Dub. 6. an in dubio præsumantur intervenisse solemnitates in rei Ecclesiasticæ alienatione? Resp. cum distinctione: Vel enim defectus solemnitatis in Judicio allegatur ab adversa parte, vel secus. *Si hoc secundum*, præsumuntur omnia rite acta Felin. *in cap. sicut* 16. *de sent. & re jud. num.* 28. Gaill. *l.* 2. *obs.* 71. *num.* 6. Cravetta *de antiq. temp. pr. p.* 3. *num.* 26. Vviest. *hic* 146

hic num. 92. Clariss. P. Schmier *p.* 2. *de reb. Eccl. cap.* 4. *num.* 110. *Si primum*, ea in dubio non præsumitur, sed regulariter probanda est. Abb. *in cap. ea noscitur* 6. *n.* 9. *de his, quæ à Prælat.* Gonz. *in cap.* 1. *eod. n.* 10. Pirh. *hic n.* 28. & 33. Vviest. *n.* 92. *cit.* P. Schmier *l. cit. Ratio est*, quia quòd solemnitas extrinseca actui in eodem intervenerit, est aliquid facti, conf. non præsumitur, sed probari debet, vel saltem aliunde de eo constare.

147 Dixi, *Probandam esse*, sc. per testes, vel Instrumentum publicum Notarii manu confectum, in quo asseratur eas intervenisse in alienatione. Non est autem opus, spectato Jure communi, ut de hoc speciale fiat instrumentum, sed sufficit, si mentio de adhibitis solemnitatibus fiat in ipso Instrumento alienationis, modò hoc authoritate publica confectum sit, & mentio solemnitatis adhibitæ in eo fiat non tantùm narrativè, sed affertivè testando intervenisse; quia solùm ea, quæ dispositivè continentur in Instrumento publico, vera esse præsumuntur. Pirh. *num.* 28. Si per testes solemnitas adhibita probanda sit, admittuntur etiam Capitulares, conf. domestici, & in causa propria: imò hi aliis præferri debent; quia ad actus Capitulares admittuntur soli, & aliàs regulare dogma est, in iis, quæ meliùs nota censentur domesticis, quàm extraneis, aptiores ad probationem faciendam esse domesticos. *Proceditque hoc*, sive probandum sit intercessisse solemnitates, sive quòd non intercesserint; nam etiam si testantur non intercessisse, vel se unanimiter contradixisse, dum in Capitulo facta est mentio alienationis, satis probant non esse legitimè factam alienationem. Host. *num.* 2.

148 Addidi *Regulariter probandum esse*, quòd *intervenerint solemnitates*; nam aliquando probatione non est opus, sed sufficit præsumptio. Et 1. quidem, si intervenerit Decretum Judicis, & hunc falsis allegationibus circumventum non ostendatur. Durand. *Specul. tit. de empt. & vendit.* §. 4. *num.* 5. Honor. *hic num.* 16. Vviest. *num.* 94. P. Schmier *num.* 111. 2. Si de prævio tractatu, & Capituli consensu constet; tunc enim præsumptio est etiam intervenisse causam justam, nisi contrarium ostendatur. Vviest. *num.* 95. 3. Si à die alienationis tempus longum, aut longissimum lapsum est; nam si interea nunquam fuit impugnata, omnia cum requisitis solemnitatibus, legitimè acta præsumuntur, ex generali Regula, quòd solemnitates intrinsecæ, quæ ad contractum sunt necessariæ, ex temporis diuturnitate præsumantur, si ex parte ejus, cui præsumptio favet, possessio sciente, & patiente parte adversa detur. Laym. *l.* 3. *tract.* 4. *cap.* 10. *num.* 4. Barbos. *alleg.* 95. *num.* 72. Pal. *tract.* 12. *D. un. p.* 15. §. 2. *numer.* 13. Circa tempus, quod ad ejusmodi præsumptionem sufficit, & requiritur, variant DD. Optimè sentiunt, qui cum Menoch. Laym. Pirh. determinationem relinquunt arbitrio Judicis, prout illa relinquitur in aliis, ubi Leges nihil definiunt.

149 Quæritur 2. quod Beneficium Ecclesiæ competat ratione alienationis illegitimè, i. e. sine justa causa, & solemnitatibus Juris factæ? Resp. duæ ipsi actiones competunt: una personalis adversus Prælatum, vel Administratorem, qui rem ejus malè alienavit, ut damnum ejusmodi alienatione sibi illatum ex proprio, si aliquod habet, patrimonio resarciat *can. monemus* 18. *caus.* 12. *quæst.* 2. & *cap. ex præsentium* 3. *de pignor.* Altera realis adversus possessorem rei alienæ, ut restituat rem malè alienatam: & meritò; cùm enim alienatio rei Ecclesiasticæ, sine justa causa, vel canonica solemnitate facta, sit ipso Jure irrita, per eam dominium rei in accipientem non censetur translatum: & si etiam translatum esset, Ecclesiæ favore revocationi obnoxium foret, quod ita acceptum est *can. & si illi* 39. *caus.* 12. *quæst.* 2. & *cap. Episcopi* 4. *h. tit.*

150 Ex his autem duabus actionibus in electione Ecclesiæ læsæ, vel Prælati successoris est, utram ex illis intentare velit, ut rectè advertit Gloss. *in cap. præsentium cit. V. necessitate in fin.* & colligitur *arg. l. fin. C. si tut. vel Curat. interven.* ubi id permittitur, minori, & pupillo adversus Curatorem, & Tutorem. *Proceditque hoc*, etsi actionem jam intentarit adversus unum eorum; nam conveniendo unum, non sibi præjudicat, quo minùs convenire valeat alterum, cùm silentium ei imponat sola solutio. *Excipitur*, si contra unum v. g. possessorem obtinuit, & rem alienatam recuperavit; tunc enim alter, sive alienans conveniri non amplius potest, cùm *bona fides non patiatur, ut idem bis exigatur*, ut habet *Reg.* 57. *ff.* non tamen prohibetur adversus eundem agere ad pœnam, & satisfactionem pro injuria, ut rectè advertit Gloss. *in canon. monemus cit. V. reddere.*

Dub. 1. à quo rei malè alienatæ revocatio Ecclesiæ nomine fieri possit? *Certum est*, fieri posse à Superiore alienantis. An verò ab ipso alienante, major est difficultas; nam multiplex in contrarium pugnat ratio, 1. Si Prælatus alienationem à se malè factam revocare vellet, deberet retractare suum proprium factum, tanquam contra SS. Canones gestum. Atqui factum proprium impugnare, eique contravenire nemini licet. *arg. l. post mortem* 25. *ff. de adoption.* 2. In Judicio propriam turpitudinem allegans non auditur *cap. inter dilectos* 8. *de donation.* allegaret autem turpitudinem suam Prælatus, si rem Ecclesiæ, malè à se alienatam, revocare vellet. Ergo &c. 3. Prælati, saltem inferiores Episcopis, & cæteri rerum Ecclesiasticarum Administratores, si bona Ecclesiæ immobilia, vel mobilia pretiosa perperam alienent, ipso Jure, & facto privantur suis Dignitatibus, Officiis, & Administrationibus *Extrav. ambitiosæ vers. inferiores h. tit. int. comm.* igitur etsi repetere alienata vellent, non tamen possent, cùm illis obstet defectus potestatis, sive administrationis. 151

Sed retinenda est receptissima apud DD. sententia, quæ cum Laym. *l.* 3. *tract.* 4. *cap.* 10. *num.* 4. Canis. *in cap.* 5. *h. cit. num.* 12. Vall. *hic* §. 1. *num.* 6. Zœs. *num.* 4. Engl. *num.* 17. Schamb. *num.* 17. Konig. *num.* 29. P. Schmier *p.* 2. *de reb. Eccl. cap.* 4. *num.* 12. docet alienationem perperam factam etiam ab ipso Prælato, qui eam fecit, revocari posse. Clarus est Juris nostri textus *cap. si quis* 6. *h. tit.* ibi, *Nisi fortè & alienator, & qui acceperit celeri restitutione sibi prospexerint: quodsi minori animæ suæ cura remedium* (restitutionis, & repetitionis) *neglexerint &c.* 152

Proceditque hoc 1. etsi publicum Instrumentum super ejusmodi alienatione erectum esset; quia quando alienatio non valet, nec instrumentum super illa confectum valet. Gloss. *in cap. si quis cit. in Not.*

Procedit 2. etiam si Superior alienationem illegitimè factam postea confirmarit; quia cùm hæc sit solùm confirmatio in forma communi, nullum valorem de novo tribuere potest actui ipso Jure invalido. *cap. si quis* 1. & *tot. tit. de conf. util. & inut.*

Procedit 3. etsi alienans jurasset, se rem, quæ illegitimè alienata est, non repeniturum; cùm enim Juramentum hoc contendat contra utilitatem Ecclesiæ, illicitum est, & conf. vim obligandi non habet *cap. pervenit* 2. *de Jurejur. Neque obstat*, quòd *cap. cit.* Episcopus, qui hujusmodi Juramentum præstitit, authoritate Apostolica ab illo absolutus fuerit, & absolutio aliàs obligationem supponat; quia, ut rectè Gloss. *fin. ibid.* absolutio illa non fuit dissolutiva vinculi, sed nullitatis solùm declaratoria, quam præmitti honestius fuit ad evitandum scandalum, ne videatur Prælatus alienationem revocans agere contra Juramentum suum. *Minùs obstat* argumentum ductum à paritate cum eo, qui Usurario juravit, se soluturum Usuras, quem constat Juramento suo obligari, nec contravenire eidem posse, nisi id relaxetur; nam Juramentum solvendi Usuras de re licita; juramentum non repetendi perperam alienata de se illicita est, conf. prius validum, posterius invalidum. 153

Ad Argumenta contraria facilis est responsio. *Ad* 1. Regula illa, ut rectè Zœs. *hic num.* 4. Engl. *num.* 17. Konig. *num.* 29. advertunt, triplicem admitti Exceptionem. 1. Nisi actus malè gestus sit ipso Jure nullus. Nisi agatur de favore, & jure publico, præsertim Ecclesiæ. 3. Nisi actus non proprio, sed alieno nomine gestus sit: quæ Exceptiones omnes locum in casu quæstionis inveniunt. *Ad* 2. etiam ista Regula, quæ turpitudinem propriam alleganti audientiam in Judicio denegat, triplici Exceptione, quarum quælibet in casu præsenti locum habet, est limitanda, videlicet 1. nisi agatur de favore publico, præsertim Ecclesiæ. 2. Nisi vertatur periculum animæ. 3. Nisi exceptio allegantis turpitudinem suam notoriè elidat jus agentis. *Ad* 3. imprimis *Extrav. ambitiosæ*, ut *num.* 122. dixi, quoad pœnas, vel saltem earum rigorem in paucis locis est usu recepta. Deinde esto, malè alienantes Dignitatibus, Officiis, & Administrationibus suis ipso Jure excidant, quamdiu tamen adhuc in administratione tolerantur, sicut alia ad Officium pertinentia, ita etiam alienationes à se perperam factas revocare, & malè alienata repetere poterunt. 154

Dub. 2. an casu, quo Superior, vel ipse alienans res illegitimè alienatas non repetat, alienationem revocare possint alii, & quinam? Resp. affirmativè; nam 1. revocare eam potest Successor *cap. Episcopi* 4. & *cap. ad audientiam* 9. *h. tit.* neque enim improbum Antecessoris factum Successor ratihabere obstringitur. 2. Capitulum 155

tulum non solùm Sede vacante, sed etiam plena *cap. siquis 6. h. tit.* & quidem si Capitulum in alienationem non consenserit, consultius est, ut potius Capitulum repetat, quàm Prælatus, quippe qui vix citra notam potest repetere. P. Pirh. *hic num. 67. in fin.* 3. his deficientibus, alienata repetere, & alienationem revocare quilibet de Clero potest *cap. siquis cit. in fin.* si sint ejusdem Ecclesiæ; nam horum peculiariter interest. 4. Si nemo ex relatis curam alienata repetendi in se suscipiat, ad repetenda illa, & alienationem revocandam admittuntur etiam Laici Parochiani ob interesse, quod habent, ne Ecclesia Parochialis illorum ad inopiam vergat. Gloss. *fin. in cap. 6. h. tit.* 5. Præ aliis Laicis revocare alienationem illegitimè factam possunt Patroni, tum ob onus defendendi Ecclesiam, quod ex Jure Patronatus iisdem incumbit, tum quia illorum interest, ne Ecclesia Patronatui subjecta depauperetur. 6. Præ Patronis aliis Laicis repetere malè alienata potest Princeps territorii, si ad hunc finem privilegio munitus sit: quali munita est Serenissima Domus Bavarica per Concordata inter eandem, & Diœcesium Ordinarios inita 1584. *art.* 1. §. mann die Prælaten vi quorum à Prælatis, & aliis inferiorum Ecclesiarum Administratoribus, si in illarum rebus temporalibus malè versentur, vel de eo suspecti sint, administrationis rationem possunt exigere. 7. Denique in prædictorum omnium defectu agere contra alienationem perperam factam possunt etiam extranei, non tantùm Clerici, sed etiam Laici; quia Jus publicum consistit in Sacris, & in Sacerdotibus *can. Jus publicum* 11. *dist.* 1. ubi autem agitur de Jure publico, quilibet ad agendum admittitur, ut notat Gloss. *in can. cit. V. eodem.*

156 Dub. 3. an repetenti rem Ecclesiæ malè alienatam opponi possit Exceptio dominii, sive quòd Ecclesia non sit rei alienatæ domina? Resp. distinguendo, an pro rei malè alienatæ restitutione instituatur possessorium, an petitorium, & rei vindicatio. *Si primum*, Exceptio dominii eidem opponi nequit; sed sufficit probare, illam fuisse in bonis Ecclesiæ, sive ab ista possessam, & contra præscripta SS. Canonum alienatam, prout sumitur ex *can. & si illi* 39. *caus.* 12. *quæst.* 2. & *cap. Episcopi* 4. *h. tit.* ibi, *Successor Episcopus absque aliqua oppositione ad jus Ecclesiæ revocabit. Si secundum*, exceptio dominii opponi repetenti potest; nam rem vindicanti incumbit probare dominium *l. in rem* 23. *princ. ff. de R. V.* neque sufficit, quòd ostenderit, eam fuisse in bonis Ecclesiæ, & ab ea possessam *l. is qui ff. eod.*

157 Et hinc ne Exceptio ista opponi, & restitutio petita eludi possit, utilius erit, si rem malè alienatam repetens agat Remedio recuperandæ *unde vi*; hac enim ratione restitutio fieri debebit, etiam non probato dominio. *Neque obest*, quòd hoc Interdicto agens præter possessionem probare debeat etiam spoliationem per textum *cap. consultationis* 10. ibi, *possessionem, & dejectionem*. Nam spoliatio sufficienter probatur, si probetur rem Ecclesiæ sine justa causa, aut Juris solemnitatibus à Prælato alienatam fuisse; hoc ipso enim is, in quem ejusmodi alienatione translata res Ecclesiæ est, spoliator censetur, ut Possessorio recuperandæ conveniri possit. Berojus *in c. Episcopi cit. §. & ideo*, Redoan. *de reb. Eccl. non alien. quæst.* 22. §. *sed deinde num.* 8. Vviest. *hic num.* 136.

158 Dub. 4. an repetentibus res Ecclesiæ malè alienatas obstet Præscriptio? Certum est non obstare, si emptor, vel alius, in quem ejusmodi res ab Ecclesia translatæ sunt, scivit eas esse Ecclesiæ, & distrahi sine justa causa, ac solemnitatibus à Jure requisitis; quia talis in mala fide est, cum qua nullo unquam tempore præscribi potest *cap. vigilanti* 5. & *cap. fin. de præscript. cap. possessor* 2. *de R. J. in* 6.

Major difficultas est de bonæ fidei possessore. Videtur enim, quòd neque iste opponere præscriptionem possit. 1. Propter authoritatem Summorum Pont. Gregorii X. & Pauli IV. quorum prior *cap. hoc consultissimo* 2. *h. tit. in* 6. alienationibus rerum Ecclesiasticarum malè factis omnes vires adimit, ita, *ut nec jus aliquod tribuant, nec præscribendi etiam causam parent*. Posterior *Constitutione*, quæ incipit *injunctum edita idibus Julii* 1555. absolutè negat Exceptionem præscriptionis earundem repetitioni opponi posse. 2. Ob paritatem rei Ecclesiasticæ cum pupillari; nam Ecclesia, ut sæpe dictum, jure minorum, & pupillorum gaudet. Atqui res pupilli pro tota ætate, qua adhuc pupillus est, præscribi nequeunt *l. sicut* 3. *vers. quæ ergo C. de præscript.* 30. *vel* 40. *ann.* 3. Ex ratione; quia præscriptio est quædam alienatio, cùm dominium transferat. Igitur prohibitus alienare etiam præscriptionem pati non potest.

Sed dicendum, res Ecclesiarum malè alienatas à 159
possessoribus bonæ fidei (qualis erit emptor falsò persuasus in hujusmodi alienatione intervenisse causam justam, & reliquas Juris solemnitates) 40. annorum lapsu præscribi posse: adeoque repetenti rem male alienatam à bonæ fidei possessore obstabit præscriptionis exceptio. Ita Abb. *in cap. ex transmissa* 10. *de præscript. num.* 8. Covar. *Reg. possessor p.* 2. §. 2. *num.* 3. Ricc. *prax. aur. p.* 1. *ref.* 32. Less. *l.* 2. *de Just. cap.* 6. *n.* 25. Laym. *l.* 3. *tract.* 4. *cap.* 10. *num.* 8. Barbos. *l.* 3. *Jur. Eccl. cap.* 28. *num.* 16. Zœs. *hic num.* 21. Vall. §. 3. *num.* 4. Engl. *num.* 22. Vviest. *num.* 39. & hoc teste communis interpp. & DD. Ratio est, quia excepta Romana, & aliis, quæ privilegium speciale habent, res inferiorum Ecclesiarum à bonæ fidei possessoribus 40. annis cum titulo præscribi generaliter permittuntur, ut patet ex Juris utriusque textibus, & iis, quæ dicta sunt *Libr.* 2. *tit.* 26. *numer.* 34. & 101. *de seq.* igitur ab hujusmodi bonæ fidei possessoribus intra idem tempus cum titulo præscribi etiam poterunt res Ecclesiarum non exceptarum male alienatæ.

Neque obstant argumenta allata in contrarium. *Ad* 160
1. Constitutio Pauli IV. *cit.* ut refert Piasec. *prax. Episc. p.* 2. *c.* 5. *art.* 4. *n.* 17. ab ejus Successore Pio IV. *Constit.* incipit *provida* edita 3. *Idus Sept.* 1560. ad terminos Juris communis est revocata; conf. non amplius impedit præscriptionem, cùm istam non prohibeat Jus commune. Gregorius X. *cap. consultissimo cit.* loquitur de casu speciali, quo Ecclesiarum Prælati, & Rectores Ecclesias, earumque bona immobilia, seu Jura Laicis submittunt, eosque Ecclesiarum, rerumque, & Jurium Patronos, Advocatos, & defensores constituunt, & tanquam dominos, ac Superiores recognoscunt: quæ submissio cùm non solùm alienatio, sed servitus quædam Ecclesiæ sit, eamque oppressioni Laicorum, & libertatis Ecclesiasticæ subversioni obnoxiam reddat, meritò prohibetur, ut nec præscriptionis adminiculo fulciri possit. *Ad* 2. ex paritate cum pupillo solùm sequitur, quòd sicut pupillari ætate durante contra pupillum, ita tempore, quo Prælatus, vel alius Administrator male alienans vivit, vel ab Administratione remotus non est, præscriptio non incipiat, prout dictum est *Libr.* 2. *tit.* 26. *num.* 132. *vers. procedit* 2. & meritò; tunc enim legitimo defensore caret, qui res male alienatas repetere possit, aut facile velit. *Ad* 3. Præscriptio vim alienationis Canonicæ, quæ sub forma à Jure præscripta celebrata est, habet: conf. non prohibita, sed à Jure est approbata.

Dub. 5. quid restitui debeat ab eo, ad quem res a- 161
lienata pervenit? Resp. distinguendo inter possessorem bonæ, & malæ fidei. *Bonæ fidei possessor.* rem restituere debet cum fructibus extantibus, & consumptis post litis contestationem *l. certum* 22. *C. de R. V.* Agere tamen contra Prælatum illegitime alienantem potest ad recuperandum pretium; vel si iste de propriis bonis solvendo non sit, illud repetere ei licebit ab ipsamet Ecclesia, saltem quatenus facta est locupletior; quia æquitas non patitur aliquem cum alterius damno locupletiorem fieri *l. nam hoc* 14. *ff. de condict. indebit.* Abb. *in cap.* 6. *h. tit. num.* 13. Sylv. *V. alienatio num.* 14. Molin. *tract.* 2. *de Just. D.* 468. *num.* 16. Laym. *l.* 3. *tr.* 4. *cap.* 10. *num.* 4. Matthæucc. *Offic. Cur. Eccl. cap.* 45. *num.* 21. Canis. *in cap.* 5. *h. tit. num.* 12. *fin.* Vall. *hic* §. 1. *num.* 6. Honor. *num.* 32. Zœs. *num.* 8. Pirh. *num.* 70. Engl. *num.* 21. Konig. *num.* 31. Vviest. *num.* 142.

At *malæ fidei possessor* iniquioris est conditionis; 162
nam 1. præter rem restituere tenetur Ecclesiæ fructus omnes, etiam quos ante litem contestatam ad eum pervenisse probatur *l. si fundum* 17. *C. de R. V.* Matthæucc. Engl. *supra citt.* 2. Perdit meliorationes in re male alienata factas *can. non liceat* 20. *caus.* 12. *quæst.* 2. *l. jubemus* 14. §. *sanè* 1. *C. de SS. Eccl.* Abb. *in cap.* 6. *cit. num.* 6. 3. In pœnam amittit pretium, illudque Ecclesiæ læsæ acquiritur §. *sanè cit.* & *Auth. qui res C. de SS. Eccl. Excipitur*, si in contractu sibi prospexisset de evictione contra male alienantem; tunc enim pro pretio ab ipso recuperando agere contra eundem potest *l. si fundum* 27. *C. de eviction.* Vall. *loc. cit.* cum reliquis suprà.

Quæritur 3. quæ pœnæ statutæ sint Prælatis, & aliis 163
Administratoribus male alienantibus res Ecclesiæ, vel Monasterii sui? Resp. hic distinguendum esse inter Jus antiquum, & Novum.

Jure antiquo, si alienatio rei Ecclesiasticæ contra Canones facta est, sequentes statutæ pœnæ sunt. 1. Tam alienator, quàm is, in quem alienatio facta est, ipso facto incurrebant Excommunicationem *can. Apostolicos* 13. *vers. quisquis caus.* 12. *quæst.* 2. Et extendebatur Excom-

communicatio hæc etiam ad eos, qui alienationi hujusmodi subscripsere, si suo nomine id fecerunt; nam ita subscribens consentire censetur, & ejusdem criminis, ac pœnæ se reddit consortem *l. jubemus* 14. §. *Oeconomus* 2. *C. de SS. Eccl.* ibi *fieri passus*, ubi Gloss. *V. imò ait*, quòd *agentes, & consentientes pari tenentur pœna, quia pariter deliquerunt*. 2. Si Prælatus, vel Rector Ecclesiæ illegitime alienans in revocando alienationem fuisset contumax, etiam à Prælatura deponi, & ab Officio removeri jubebatur *can. monemus* 18. junct. Gloss. *in casu, can. quisquis* 19. *vers. quodsi calliditate, can. Diaconi* 35. & *ibi* Gloss. *in casu caus.* 12. *q.* 2. Gloss. *in c.* 6. *h. tit. V. pœnam*. 3. Si alienator fuisset Religiosus, Monasterio, Prioratui, Ecclesiæ, vel administrationi præpositus, & horum Jura, reditus, possessiones alicui ad vitam, vel quodcunque longum tempus contra Sanctiones Canonicas concessit, ex Decreto Concil. Vienn. relato *Clem.* 1. *h. tit.* pœnam suspensionis ab Officio ipso facto incurrebat.

Hodie per *Extrav. Ambitiosæ h. tit. int. comm.* circa male alienantes sequentia sunt constituta. 1. Alienatio, extra casus ibi exceptos, inconsulto Pont. facta, nullius omnino est roboris, & momenti, h. e. ipso Jure irrita, ita, ut ejusmodi res, & bona sic alienata, ad suas Ecclesias libere debeant reverti. 2. tam alienans, si sit Episcopo, & Abbate inferior, quàm is, qui ejusmodi res male alienatas receperit, incurrunt Excommunicationem, quæ latæ sententiæ est, teste Matthæucc. *Offic. Cur. Eccl. cap.* 45. *n.* 1. *vers. quinto statuit*; & reservata Summo Pontifici, non quidem ex *Const. Extrav. cit.* sed ex Trid. *sess.* 22. *c.* 11. *de reformat.* ut cum aliis notat Gibalin. *tom.* 2. *de negot. l.* 4. *c.* 8. *art.* 4. *consect.* 14. *vers. observa*, Matthæucc. *l. cit. num.* 19. Monacell. *form. Legal. tit.* 14. *form.* 4. *n.* 9. & 10. & hoc teste est pluries decisum *à S. Congr. Concil.* 3. Episcopi, & Abbates, si contra istius Constitutionis tenorem bona Ecclesiarum, vel Monasteriorum suorum alienaverint, ipso Jure interdicti sunt ingressu Ecclesiæ: & si sub hoc Interdicto sex mensibus perseveraverint, ipso facto ab administratione, & regimine Ecclesiarum, & Monasteriorum suorum suspensi pronuntiantur. 4. denique inferiores Prælati, Commendatarii, & Ecclesiarum Rectores, Beneficiati, & alii Administratores ultra Excommunicationem, de qua supra, ipso facto sunt privati Beneficiis, & Officiis, quorum res, & bona alienarunt, ita, ut illa absque ulla declaratione vacare censeantur. Quas pœnas omnes confirmavit S. Congr. Conc. Decreto jussu Urbani VIII. edito, extenditque dispositionem hujus *Extrav.* etiam ad Regulares, cum derogatione privilegiorum his concessorum.

Dub. 1. quæ causæ ab his pœnis excusent? Resp. 1. excusat *consuetudo locorum*, si videlicet alicubi Constitutiones istæ non sunt usu receptæ, vel non usu abrogatæ. Engl *hic n.* 18. Vviest. *n.* 147.

2 *Actus imperfectio*, si alienans alienationem sine solemnitatibus à Jure præscriptis solùm attentaverit, aut factam pœnitentia ductus ante realem, & pacificam traditionem bonorum revocaverit; quia pœnæ, & maximè Censuræ in facientes latæ non incurrunrur, nisi secutus sit effectus sub illis prohibitus, ut communiter advertunt DD. & colligitur ex *cap. perpetuò* 7. *de Elect. in* 6. ubi privatio potestatis eligendi non incurritur sola collatione suffragii in indignum, etiam scienter facta, nisi ex ejusmodi suffragiis communis electio indigni sequatur.

3 *Bona fides* alienantis, vel recipientis hujusmodi bona alienata, quòd videlicet nescíverint ea pertinere ad Ecclesiam, vel Monasterium, prout colligitur ex verbis *Extrav. cit.* ibi *Quicunque alienare præsumpserint*; præsumptio enim denotat dolum, scientiam, & temeritatem. Tambur. *tom.* 3. *de Jur. Abb. D.* 13. *q.* 12. *n.* 11. Gibal. *tom.* 2. *de negot. l.* 4. *c.* 8. *art.* 3. *consect.* 14. *vers. observa*, Pirh. *hic n.* 56. Vviest. *n.* 151.

6 4 *Ignorantia probabilis*, qua alienans, vel recipiens nescivit talium rerum alienationem esse prohibitam; quia in hujusmodi ignorantibus præsumptio deficit. Extendunt illud non pauci etiam ad eum, qui scivit quidem alienationem esse prohibitam, nescivit autem pœnas Jure sancitas, ex ratione, quia hujusmodi pœnæ Medicinales à Jure specialiter introductæ sunt, ut sui horrore absterreant à contumacia, inobedientia, & contemptu potestatis Ecclesiasticæ. non potest autem Ecclesiasticæ potestatis contemptor dici, qui comminationem Censuræ probabiliter ignoravit. ergo &c.

5 Denique ab iisdem pœnis excusantur illi omnes, qui alienatione rerum Ecclesiasticarum quacunque ex causa gravi peccato excusantur, quia pœnæ istæ sunt valde graves, ac propterea peccato veniali non commensuratæ. Quarant. *V. alienat. n.* 50. Gibal. *l. cit.*

Dub. 2. an, & quando Ecclesiæ læsæ ob alienationem rei Ecclesiasticæ malè factam competat Beneficium restitutionis in integrum? Resp. distinguendo, an alienatio sit nulla, an verò teneat. *Si primum*, restitutione non indiget; quia habet remedium nullitatis. *Si secundum*, & Ecclesia graviter læsa sit, petere restitutionem in integrum potest *c. ad nostram* 11. *h. tit.* 167

Petere autem hanc debet intra quadriennium; nam hoc elapso, illa non ampliùs locum habet *c.* 1. *de in integr. rest. in* 6. *Excipitur* 1. nisi læsio sit valde enormis; tunc enim etiam post quadriennium succuritur Ecclesiæ per restitutionem in integrum, præsertim si Prælatus, qui alienavit, mortuus sit. Abb. *in c.* 11. *cit. n.* 5. Zoes. *n.* 22. Pirh. *n.* 74.

Si reus sit Laicus, Ecclesia restitutionem in integrum petere potest non tantùm coram Judice Laico, sed etiam coram Ecclesiastico, ut patet ex *c. cit.* Proinde hic casus est specialis, quo actor non sequitur forum rei, sed trahit reum ad suum forum. *Ratio est*, quia in tali alienatione supponitur quædam deceptio, saltem materialis, & reipsa intervenisse, ideoque late loquendo potest dici quoddam Sacrilegium, quod ad Ecclesiasticum forum pertinet. *Excipitur*, si bona sint feudalia; tunc enim restitutio in integrum peti debet coram Domino Feudi. 168

Porro restitutio hæc fieri debet, ut inde damnum non patiatur is, contra quem petitur restitutio, si hic bonæ fidei fuit. Et hinc 1. si ille quippiam in utilitatem Ecclesiæ expendit, e. g. pretium pro re Ecclesiæ alienata sibi vendita, potest illud repetere. 2. similiter potest repetere meliorationes, si quas industria sua, & impensis fecit in re Ecclesiæ sibi alienata. 3. potest item postulare mercedem laboris sui, & industriæ collocatæ in rem alienatam, & sibi traditam. *Excipitur*, nisi ex perceptis fructibus compensationem pretii, expensarum, laboris jam perceperit. 169

Sumuntur hæc omnia ex *c. ad nostram cit. c. requisivit* 1. *de in integr. restit.* & *l. quodsi* 24. §. *restitutio* 4. *ff. de minor.* ubi dicitur quòd *restitutio ita facienda sit ut unusquisque in integrum jus suum recipiat*: adeoque, cùm aliquis restituitur, omnia debent restitui in pristinum statum, ut neutra pars sit in damno, vel in lucro, ut notat Gloss. *in c. ad nostram cit. V. sufficere*. 170

PARS II.

De Pactis, & Contractibus Clericorum.

IN rerum Ecclesiasticarum alienatione licita, & prohibita Partem præcedentem Libri istius Decretalium tertii clausimus: præsentem nunc Partem Contractibus, & Pactis damus, per quæ ad Alienationem descenditur. Naturam istorum generatim explicavi *Libr.* 1. *tit.* 35. *de Pactis*. Superest, ut in præsentiarum præcipuæ quædam eorum species considerentur.

TITULUS XIV.

De Precariis.

PRecarii nomen in Jure invenitur triplici modo acceptum, videlicet in neutro *Precarium*, in fœminino numero singulari *Precaria*, & in eodem fœminino numero plurali *Precariæ*. Precaria, & Precariæ probabilius non sunt distincti Contractus; multùm tamen distinguuntur à Contractu Precarii.

§. I.

De Contractu Precarii.

SUMMARIUM.

1 *Precarii Definitio.*
2 *Explicatio Definitionis.*
3 4 5 *Non est verus Contractus.*
6 *Requisita ad substantiam Precarii.*
7 *Præcipuum est, ut revocari ad arbitrium concedentis possit.*
8 9 10 *Etiamsi ad certum tempus concessum sit.*
11 *Potest precarium constitui in re qualibet.*
12 *A quovis, qui usum rei alteri communicare potest.*
13 *Accipere precario potest, qui potest acquirere.*
14 15 *In eo præstatur solùm dolus, & culpa lata.*
16 17 18 *Modi, quibus solvitur precarium.*
19 *So-*

19 *Soluto illo, domino datur Actio præscriptis verbis.*
20 21. *Et interdictum de Precario.*
22 *Effectus ejusdem,*
23 *Transfert possessionem naturalem.*
24 *Differentia ejus à Commodato.*

1 QUæritur 1. quid sit *Precarium*? & quomodo à Donatione differat? Resp. *Precarium* proprie dicitur, *quod precibus petentis utendum conceditur tamdiu, quamdiu is, qui concessit patitur*, prout habetur *c. fin. h. tit.* & *l. precarium* 1. *princ. ff. eod.* Ex quo definiri potest in hunc modum: *Est contractus, vel potius conventio, qua alicui petenti rei usus gratis conceditur, ad arbitrium ipsius concedentis revocandus.* Ita quoad sensum DD. communiter, & in his Barbos. *in Rubr. h. tit. n.* 4. Gonz. *in c. fin. eod. n.* 3. Haun. *tom.* 4. *de Just. tr.* 10. *n.* 767. Vall. *hic n.* 5. Vviest. *ibid. num.* 1.

2 Dixi 1. *gratis*: ex quo sequitur, quod Precarium sit species quædam liberalitatis; sumit enim Etymon suum à precibus, quòd non mercede data, sed liberaliter absque retributione concedatur *l. precarium cit.* & §. *quod genus* 1. Dixi 2. *revocandus*: quo differt à Donatione; nam qui donat, tradendo rem donatam, dominium illius transfert in donatarium, ita, ut revocare deinceps donationem, & donatum repetere non amplius valeat *l. donationes* 1. *ff. de Donation.* at qui precario concedit, non dominium, sed usum tantum rei transfert, quippe quam ita dat, ut repetere semper possit, quando libuerit *l. precarium cit.* §. & *distat.* 2. Dixi 3. *ad arbitrium concedentis*; est enim de natura Precarii, ut quocunque tempore à concedente revocari possit, etiam sine justa causa, modo inde, qui precarium accepit, & ita restituere cogitur, nullum patiatur damnum.

3 Quæritur 2. an Precarium sit verus Contractus? Affirmat Donell. *l.* 14. *comm. c.* 34. cum quibusdam aliis. 1. quia *l. contractus* 23. *ff. de R. J.* Precarium annumeratur contractibus, qui dolum malum duntaxat recipiunt. 2. quia ex Precario datur *actio præscriptis verbis*, quæ propria est contractuum innominatorum *l. ait prætor* 2. §. & *naturalem* 2. *fin.* & *l. duo* 19. §. *fin. ff. h. tit.* 3. quia Precarium incidit in Contractum innominatum *do, ut facias*, videlicet *do tibi rem, ut cum mihi libuerit, eandem restituas.* 4. in Precario civile negotium geritur, cùm præcedat conventio, ut is, qui rogavit, re utatur pro voluntate concedentis, & ea revocata, ipsam rem restituat.

4 Sed tenenda est negativa, quam etiam defendunt Gonzal. *in cap. fin. h. tit. num.* 3. Lautterb. *ad tit. cit. ff.* §. 4. Stryck. *in us. mod. ibid.* §. 1. Haun. *tom.* 4. *de Just. tr.* 10. *n.* 767. Vvex. *Ariadn. p.* 2. *tab.* 2. *l.* 2. *Inst. tit. de Oblig. memb.* 2. *n.* 4. Konig *hic num.* 19. & novissimè Clariss. P. Schmier *de Pact. & contract. c.* 3. *num.* 186. & *seqq.* Sumitur 1. ex *l. interdictum* 14. *ff. h. tit.* ubi Paulus, cùm dixisset, ex precario nullam Juris Civilis actionem dari, rationem hujus sui dicti addidit; quia *magis ad donationes, & beneficii causam, quàm ad negotii contracti spectat precarii conditio.* atqui donatio non est propriè contractus, sed intra terminos pacti manet. ergo &c. 2. Precarium ex libera concedentis voluntate pendet, ut dictum est *n.* 2. atqui non est conveniens naturæ contractuum, ut negotium pendeat ex libera alterius voluntate, cùm obligationem imponant *l. in commodato* 17. §. *sicut* 3. *ff. commodat.* 3. quia Precario definitio Contractus propriè dicti non competit, sive sequamur Definitionem Ulpiani relatam *l. Labo* 19. *ff. de V. S.* sive illam Cujacii *in l. Juris* 7. *ff. de pact.* sive communem tandem, juxta quam Contractus est conventio super negotio Civili obligationem producens, cum in Precario nullum Civile negotium detur, aut obligatio reciproca nascatur.

5 Neque contrarium probant Argumenta opposita *Ad* 1. ibi in larga significatione sumitur nomen Contractus, complectendo etiam illa, quæ similitudinem habent cum Contractibus: unde etiam quasi Contractus negotiorum gestorum ibi enumeratur. *Ad* 2. actio illa in Precario non datur ex negotio gesto, sed conceditur solùm ex æquo, & bono, quòd iniquum videretur nullam Civilem actionem dari ei, qui rem suam roganti precariò concessit. *Ad* 3. *dare* in Contractibus innominatis significat dominium transferre, & *facere* est quid in vicem compensationis pro eo, quod datum est, perficere: quorum neutrum cadit in Precarium. *Ad* 4. negatur *Ant.* nec enim natura Contractus patitur, ut negotium gereretur, & penderet tantùm ab unius partis voluntate.

6 Quæritur 3. quid requiratur ad substantiam, & naturam Precarii? Resp. quinque hæc requiruntur. 1. ut fiat consensu tam dantis, quàm accipientis; quia Precarium est conventio, quæ duorum, vel plurium consensum desiderat. 2. ut interveniat rei precario concessæ traditio; quia est ex iis Pactis, quæ re perficiuntur. 3. ut nulla interveniat merces; quia est pactum gratuitum, & quandam donationis speciem, sc. usus donationem continet. 4. ut res concedatur ad usum indeterminatum ratione modi, finis, & temporis: & hinc, si à me librum petis ad describendum, cùm hic sit certus usus, & tempus, quo commodè describi possit, tacitè appositum, commodatum, non precarium erit. 5. ut qui precariò dat, possit rem concessam, quando voluerit, revocare *c. fin. h. tit.* & *l. precarium* 1. *ff. eod.* etiam sine ulla causa, cùm pendeat ex libera voluntate ejus, qui dedit. Azor. *p.* 3. *l.* 7. *de Precar. c.* 2. *q.* 1.

Dices: si Precarium à concedente revocari potest, quando ipse voluerit: poterit etiam revocari statim, & in continenti, postquam concessum est, hoc dici non potest; quia Precarium est beneficium, cujus revocatio, si in continenti fiat, habet præsumptionem doli, & animum nocendi potiùs, vel illudendi, quàm benefaciendi indicat. ergo &c. Resp. distinguendo: Vel enim urgens necessitas, aut alia causa rationabilis suadet, ut in continenti revocetur, vel non. *Si primum,* potest revocari statim; *si secundum*, aliquo saltem temporis spatio ad arbitrium Judicis ei, cui concessa est, relinqui res ita concessa debet, ne prorsus omni usu, & commodo destituatur. Ita Abb. *in c. fin. h. tit. num.* 13. Covar. *l.* 3. *var. c.* 15. *n.* 6. Menoch. *de arbitr. cas.* 23. *fin.* Molin. *tr.* 2. *de Just. D.* 298. *n.* 2. Laym. *l.* 3. *tr.* 4. *c.* 14. *n.* 4. Pal. *tr.* 32. *D.* 3. *p.* 5. *n.* 5. Gonzal. *in c. fin. cit. n.* 8. Pirh. *hic n.* 5. Konig *n.* 29. Vviest. *n.* 3. & alii communiter. *Ratio est*, quia causa necessitatis & quævis alia, quæ rationabilis sit, purgat præsumptionem doli; istam autem habet revocatio facta sine omni causa justa, ut proinde in hoc posteriori casu meritò opponi Exceptio doli possit, quæ evitatur in casu priore.

Quæritur 4. an Precarium rogari, concedique possit ad certum, & determinatum tempus? Resp. affirmativè, prout patet ex *l. in rebus* 4. §. *fin. h. tit. Difficultas est*, an casu, quo ad determinatum tempus res precariò concessa est, ante temporis illius lapsum revocari possit? *Videtur enim non posse*; quia sic concessio ad certum tempus frustranea foret.

Sed dicendum adhuc posse quocunque tempore revocari, etiam antequam lapsum sit illud, pro quo concessum est, prout constat ex *l. cùm precariò* 12. *ff. h. tit. Proceditque hoc*, etsi in pactum deductum fuisset, ut is, qui rem precariò concessit, non possit illam ab accipiente repetere ante certum tempus, ad quod concessum est; nam talis pactio naturæ Precarii contraria est, adeoque irrita, uti constat ex *l. cùm precariò* 12. *cit. in princ.* & docet ibidem Gloss. *V. conventionis*, Abb. *in c. fin. h. tit. num.* 3. & 4. Azor. *p.* 3. *l.* 7. *de precar. c.* 2. *q.* 2. Molin. *tr.* 2. *de Just. D.* 298. *n.* 4. Gonz. *in c. fin. cit. n.* 8. Vvagn. *ibid. vers. precarium.* Vall. *hic n.* 5. Zoes. *n.* 3. Honor. *n.* 5. Engl *n.* 2. Pirh. *n.* 7. Konig *num.* 27. Vviest. *n.* 8. ubi addit, hujusmodi pactionem ita irritam esse, ut ne in commodatum quidem transeat, sed habeatur pro non adjecta: & hoc ex generali Regula, juxta quam pactum contra substantiam Contractus adjectum irritum, & nullum est.

Excipitur, nisi Conventio, cui ejusmodi pactum adjectum est, ita explicari possit, ut transeat in naturam alterius Contractus *arg. l. ubi ita* 27. *ff. de mort. caus. donat.* nam natura hujus donationis est, ut possit revocari *l. fin. C. de donat. caus. mort.* & tamen, si pactum adjiciatur, ut non possit revocari, valet pactum, & transit in donationem inter vivos. igitur etiam in proposito, si tale pactum adjiciatur contractui, & dubium sit, an concedens voluerit commodare, vel precariò concedere, ne actus pereat, censendus est voluisse commodare. Addidi *Si dubium sit*; nam casu, quo constat de voluntate concedentis, quòd precariò voluerit concedere, & alter accipere, sed non nisi sub hac conditione, ut revocari datum ante certum tempus nequeat, potiùs dicendum est Conventionem esse irritam, utpote factam ab eo, qui quod potuit, noluit, & quod voluit, non potuit.

Ad rationem dubitandi dico non propterea concessionem ad certum tempus esse frustraneam, etsi ante illud revocatio fieri possit; habet enim hunc effectum, ut precarium accipiens rem concessam ad illud tempus retinere possit, quod non posset, si fuisset illi constitutum tempus aliquod brevius cum clausula, ut eo lapso restituat: *cùm clausula*, inquam; nam si ejusmodi clausula adjecta non sit, etiam exacto statuto tempore, si revocatio facta non sit, retineri potest, quòd Precarium non revocando Dominus illud denuo concessisse, & re-

& renovasse censeatur *l. in rebus* 4. §. *fin. ff. h. tit.* & *ibi* Gloss. *V. rursus*, Brunnem. *in l. certè si* 6. *ibid. n.* 1. Gonz. *in c. fin. eod. n.* 8. Haun. *tom.* 4. *de Just. tr.* 10. *n.* 769. Vvagn. *in cap. fin. cit. vers. porro.* Pirh. *n.* 6. *hic*, Konig *n.* 26. Vviest. *n.* 4.

11 Quæritur 5. quæ res in Precarium concedi possint? qui illas concedere, & quibus? Resp. *Ad* 1. Precarium constitui potest in re qualibet, sive mobilis illa sit, sive immobilis, imò etiam in Juribus, ut si cui concedam, ut ipsi liceat per fundum meum plaustrum agere, aquam ducere &c. *l. veluti si me* 3. *ff. h. tit.* Azor. *p.* 3. *l.* 7. *de precar. c.* 1. *q.* 3. Molin. *tr.* 2. *D.* 298. *num.* 5. Laym. *l.* 3. *tr.* 4. *cap.* 14. *n.* 5. Haun. *tom.* 4. *tr.* 10. *num.* 770. *in fin.* Konig *hic n.* 23. An cui in re sua propria constitui Precarium possit, dubitari potest. *Videtur non posse*; quia ut *l. in rebus* 4. §. *item si* 3. *ff. h. tit.* Ulpianus testatur, *receptum est, rei suæ Precarium non esse*: quod confirmatur ex *Reg.* 45. *ff.* ubi idem Ulpianus, *Neque pignus, neque depositum, neque precarium, neque emptio, neque locatio rei suæ consistere potest.* Sed dicendum, posse alicui in re propria Precarium constitui, si illa sit obligata alteri, ut fit, quando debitor rem suam oppignoravit creditori, ejusque possessionem ab isto precariò rogat *l. certè* 6. §. *fin.* & *l. si debitor* 11. *ff. h. tit. Ad Leges in contrarium* allatas dico, eas solùm loqui de re, cujus possessionem habet dominus, quæque alteri non est obligata.

12 *Ad* 2. Precarium constituere, seu precariò dare potest omnis ille, qui potest usum rei alteri communicare *l. precarium* 1. *ff. h. tit.* & non tantùm dominus, sed etiam possessor rei, aut qui jus pignoris in illa habet *l. certè cit.* §. *fin. l. sed & si* 7. *l. Si debitor* 11. *ff. h. tit.* item fructuarius §. *minùs* 1. *Inst. de us. & habit.* non tamen infans, & furiosus; quoniam voluntate destituuntur *l. certe cit. princ.* In eo, qui jus pignoris in re habet, limitanda est facultas ista, ut non possit eam precariò concedere, nisi domino; quia cùm ipse pignore uti nequeat, nec alteri, quàm domino usum ejusdem potest concedere.

13 *Ad* 3. Precariò accipere potest omnis, qui potest acquirere, etiam Pupillus, licèt sine authoritate Tutoris Precarium rogaverit *l. fin.* §. *si pupillus* 1. *ff. h. tit.* Item servus, & filiusf. cùm proprio, tum patris, aut domini nomine: cum hoc tamen discrimine, quòd si rogat proprio nomine, teneatur, quantum est in suo peculio; si verò domini, vel patris nomine, & hi vel jusserint, vel Precarium ratum habuerint, teneantur in solidum. Idem est de Procuratore, si rogat pro eo, qui mandavit, vel ratum habuit *l. certè cit.* §. *si procurator.*

14 Quæritur 6. qualis culpa præstetur in Precario? *Videtur* præstanda culpa levissima; quia hæc præstari debet in iis contractibus, qui primò cedunt in commodum solius accipientis, *l. si ut in certo* 5. §. *nunc videndum* 2. *ff. commod.* ubi Ulpianus dicit, in commodato *præstandam culpam, & diligentiam*, quia *solam utilitatem continet ejus, cui commodatur.*

Sed dicendum solum præstandum dolum, & culpam latam, quæ dolo æquiparatur, prout patet ex *l. quæsitum* 8. §. *& generaliter* 6. *ff. h. tit.* & notat *ibid.* Brunnem. *n.* 3. Laym. *l.* 3. *t.* 4. *c.* 14. *n.* 5. Molin. *tr.* 2. *D.* 298. *n.* 7. Haun. *t.* 4. *de Just. tr.* 10. *n.* 771. Honor. *hic n.* 4. Pirh. *n.* 4. Konig *n.* 33. Vviest. *n.* 6. *Ratio est*, quia Precarium, ut *num.* 4. dixi, non est verus contractus, & cùm ex sola concedentis voluntate dependeat, ac omni momento revocari possit, Jura accipientem ad ordinariam, & exactam custodiam adstringere noluerunt, utpote satis gravatum per restitutionem ad alterius arbitrium faciendam. Deinde sibi imputet concedens, quòd homini negligenti rem precario concesserit, vel cum posset, citiùs non revocaverit.

15 *Excipitur*, si rem precariò habens eam detineat post editum interdictum, seu litem contestatam, qua concedens eam ad se avocat; nam tunc etiam culpa levis cum omni causa, seu interesse actoris præstari debet, ne precariò accipiens sua mora obesse possit concedenti *l. quæsitum cit.* §. *ex hoc* 4. & §. *& generaliter* 6. Zoes. *ibid. n.* 4. cum reliquis supra.

Ad rationem dubitandi patet ex dictis. Disparitas inter Precarium, & Commodatum latissima est: nam commodatò dans non potest pro arbitrio rem revocare, sicut potest dans precariò; ut proinde gravior obligatio, nisi hæc in pactum deducatur, videatur beneficium per precarii concessionem acceptum excedere.

16 Quæritur 7. quibus modis solvatur Precarium? Resp. quinque afferuntur modi, ut videre est apud Azor. *p.* 3. *l.* 7. *de precar. c.* 3. *q.* 1. Molin. *tr.* 2. *de Just. D.* 298. *n.* 8. 9. & 17. Laym. *l.* 3. *tr.* 4. *c.* 14. *n.* 5. Pal. *tr.* 32. *D.* 3. *p.* 5. *n.* 6. Haun. *tom.* 4. *tr.* 10. *num.* 772. Barbos. *in cap. fin. h. tit. num.* 1. Gonzal. *ibid. n.* 1. 7. & 9. Vagn. *V. obitu*, Engl *hic n.* 7. *vers. circa contractum*, Pirh. *n.* 8. Konig *n.* 31. Vviest. *n.* 9. & 10. Et 1. quidem finitur *revocatione*, cujus facultas, ut hactenus dictum est, ad libitum permissa est ei, qui precariò rem concessit.

2 *Obitus illius, cui concessum est*, prout habetur *c. fin. h. tit.* & ratio est, quia Precarium est Beneficium personale, ac proinde cum persona extinguitur juxta *Reg. privilegium* 7. *in* 6. nec ad successorem, vel hæredes ejus, cui concessum est, transit *l. cùm precario* 12. *in fin. ff. h. tit. Excipitur*, si concessio non tam personæ, quàm Dignitati, v. g. Prælaturæ, esset facta; tunc enim mortuo illo, qui hanc obtinet, Precarium transibit ad Successorem, eo, quod Dignitas nunquam moriatur.

3 *Morte concedentis:* ubi tamen est distinguendum, 17
an Precarium concesserit *Ad beneplacitum suum*, seu *quamdiu ipse voluerit*, an vero *absolutè*, aut cum addito, *Donec revocavero*. *Si primum*, Precarium morte concedentis exspirat *arg. c. si gratiosè* 5. *de rescript. in* 6. & *l. locatio* 5. *ff. locat.* & ratio est, quia sic facta concessio alligatur voluntati, & beneplacito concedentis, quæ cùm morte ejusdem expirent, necessarium est etiam extingui gratiam ita factam. Neque opus est tali casu actu aliquo contrario, seu revocatione, cùm per seipsam cesset concessio. *Si secundum*, non expirat Precarium, sed eo concessa res ab hæredibus ejus, cui concessa est, si non revocetur, precariò haberi incipit *c. fin. h. tit.* & *l. quæsitum* 8. §. *quod à Titio* 1. *ff. eod. Ratio est*, quia precarium est quædam species gratiæ, seu privilegium, sed gratia, & privilegium concessum absolutè, vel cum clausula *Donec revocavero*, tamdiu manet, donec fuerit revocatum, ergo & Precarium; atqui per mortem concedentis non censetur revocatum; quia ad revocationem gratiæ requiritur actus positivus, & contraria ordinatio, ergo &c.

4 *Alienatione rei precariò concessæ*, si is, qui ita illam 18
concessit alicui, eam vendidit alteri. Quod tamen solùm procedit, si emptor illam revocet; nam si non revocet, Precarium non solvitur, sed is, qui sibi concessam à venditore habet, eandem ab emptore precariò habere incipit, perinde, ac si ipse precariò possidenti eandem sic concessisset, ut habetur *c. fin. h. tit.* & *l. quæsitum* 8. §. *quod à Titio* 1. *ff. eod.* Molin. *tr.* 2. *de Just. D.* 298. *n.* 19. Laym. *l.* 3. *tr.* 4. *c.* 14. *n.* 5. Haun. *tom.* 4. *tr.* 10. *n.* 772. Pirh. *hic n.* 9. Vviest. *n.* 11. *Difficultas est*, quomodo emptor revocare Precarium possit, cùm potestas revocandi sit effectus dominii; dominium autem emptor in re sibi vendita non acquirat per solam emptionem absque traditione ejusdem, ut dicitur *l. traditionibus* 20. *C. de pact.* Omissis aliis responsionibus, quæ fortè oppugnari possunt, dico cum P. Pirh. *l. cit.* in hoc casu intervenire traditionem quandam rei venditæ, dum nim. is, qui eam precariò habet, constituit, & declarat, se eandem ab emptore habere tanquam domino: quæ traditio cùm operetur dominium, mirum non est, quod hoc modo emptor dominus rei constitutus precariam illius concessionem revocare possit.

5 Denique solvitur Precarium pignoris absque omni revocatione tam judiciali, quàm extrajudiciali, quando debitor solvit debitum creditori, à quo pignus, quod ipsi dedit in securitatem crediti, precariò habet *l. si debitor* 11. *ff. h. tit.* Molin. *tr.* 2. *D.* 298. *n.* 17.

Quæritur 8. quæ remedia competant domino, Pre- 19
cario soluto, ad rem ipsam recuperandam? In hoc JCti sibi adversari videntur; nam Ulpianus *l. ait Prætor.* 2. §. *& naturalem* 2. *fin.* & ante eum Julianus *l. duo* 19. *ff. h. tit.* disertè probant, duplici remedio succurri domino, nempe *Interdicto de Precario*, & *Actione præscriptis verbis:* contrà Paulus *l. interdictum* 14. *ff. eod.* vult tantùm Interdictum ei competere, ex ratione, quòd *nulla eo nomine Juris Civilis actio esset*: quo clarè videtur omne remedium Civile eidem denegasse. *Quod confirmari potest ex ratione*; nam si ex Precario competeret actio, competeret *Actio præscriptis verbis*. hæc autem non competit ex precario; quia solùm competit ex Contractibus innominatis, qualis tamen non est Precarium.

Sed dicendum, utrumque remedium dari domino rem 20
Precariò concessam repetenti. Textus allegati in speciem pugnantes facile combinari possunt, si dicatur, quòd *Actio præscriptis verbis* ex precario competat, non quidem ordinatia, qualis ex contractu innominato descendit, sed extraordinaria, & irregularis, quæ ex bona fide oritur. Vvex *Ariadn. p.* 2. *tab.* 2. *tit. de oblig. membr.* 2. *n.* 4. Quod si quis stipulatione sibi cavit, ut accipiens Precarium illud redderet, quando concedens repeteret, *Interdictum ex precario* cessat, tanquam remedium extraordinarium, & agitur *ex stipulatu*,

latu, prout sumitur ex *l. & habet* 15. §. *cùm quis* 3. *ff. h. tit.* Gloss. *ibid. V. non competit.* Zoes. *ad eandem rubr. ff. n.* 6. Konig *n.* 30. *fin.*

21 Porro Interdictum hoc Restitutorium ex Precario datur illi, qui precariò dedit, tametsi non sit dominus; nam etiam possessor, fructuarius, & qui jus pignoris in re aliqua habet, dare illam precariò potest, ut dictum est *suprà n.* 12. Transitque jus istud etiam ad hæredes concedentis, ejusque successorem; nam & ab hoc censetur haberi precariò, quod ab ejus authore est habitum *l. quæsitum* 8. §. *quod à Titio ff. h. tit.* 2. datur imprimis contra eum, qui precariò accepit, si penes se rem habeat, aut dolo habere desiit *l. quæsitum cit.* §. *eum quoque* 3. item contra hæredem illius *l. quæsitum cit.* §. *fin.* 3. Interdictum hoc datur non tantùm ad restitutionem ipsius rei precariò concessæ, sed etiam ad restitutionem fructuum post editum Interdictum perceptorum, ut dictum est *suprà n.* 15.

22 Quæritur 9. quis sit Effectus Precarii? Resp. quatuor recenseri possunt, duo onerosi, duo lucrativi. *Ex onerosis unus* est obligatio restituendi rem precariò concessam ad lubitum concedentis. *Alter* obligatio præstandi dolum, & culpam latam, prout dictum est *n.* 14. *Ex lucrativis primus* est potestas utendi re precariò concessa, donec Precarium solvatur. *Secundus* possessio naturalis, quæ casu saltem, quo sic petitum est, ad eum, qui precariò accepit, transfertur *l. & habet* 15. §. *eum cui* 4. *ff. h. tit.* & ibi Gloss. *V. corpore, & V. à possessione*, Gloss. *in c. fin. V. precarium eod.* Azor. *p.* 3. *l.* 7. *de precar. c.* 2. *q.* 4. Molin. *tr.* 2. *de Just. D.* 298. *n.* 5. Gonzal. *in c. fin. cit. num.* 4. Haun. *tom.* 4. *tr.* 10. *n.* 770. Pirh. *hic num.* 3. Konig *num.* 26. Vviest. *num.* 6. Effectus possessionis istius est, ut quidquid naturali possessori Juris conceditur, ipsi competat: cons. qui sic possidet, si in possessione, non à domino, seu precarii authore, sed alio quocunque turbetur, Interdicto *Uti possidetis* experiri valet *l. qui precario* 17. *ff. h. tit.* imò si vi eadem possessione dejectus sit, etiam Interdictum *Unde vi* intentare potest. Haun. *l. cit. n.* 770. Pirh. *n.* 3. Konig *n.* 32. Vviest. *n.* 7.

23 Dixi *saltem casu, quo sic petitum est*; nam an hujusmodi possessionem naturalem acquirat etiam is, qui rem, sine possessionis expressa mentione rogatam, precariò accepit, specialis est difficultas. *Negativam* defendunt Gonzal. *in c. fin. cit. n.* 4. Haun. *tom.* 4. *de Just. tr.* 10. *n.* 770. *fin.* Konig *hic n.* 32. & teste P. Vviest. *ibid. n.* 7. communior sententia. *Fundamentum* sumunt ex *l. certè* 6. §. *is, qui* 2. *ff. h. tit.* ubi is, qui precariò ad tempus in fundo moratur, negatur possidere. igitur nisi petita, & concessa expressè sit, possessio, non competit illa precariò possidenti.

Sed dicendum: non minùs probabiliter possessionem naturalem competere Precarium possidenti, etsi in petitione, & concessione expressa mentio possessionis facta non sit. Ita Azor. *p.* 3. *l.* 7. *de Precar. c.* 2. *q.* 4. Gomez *l.* 2. *var. c.* 7. *num.* 2. Molin. *tr.* 2. *D.* 298. *num.* 5. Fachin. *l.* 8. *controv. c.* 16. *in fin.* Barbos. *in c. fin. h. tit. n.* 6. Honor. *hic num.* 3. Sumitur ex *l. & habet* 15. §. *eum qui* 4. *&* §. *fin. h. tit.* ubi hujusmodi possessio ipsi tribuitur absolutè, & sine ulla ejus rogatæ mentione. 2. ex *l. si servus* 22. §. *iis, qui pignori* 1. *de noxal. action.* ubi, qui precariò rogavit, dicitur *justè possidere*, & tantùm negatur *possidere opinione domini*. 2. ex *l. Pomponius* 13. §. *si is* 7. *de acquir. vel amitt. possess.* ubi rupto, vel dissoluto precario, possessio dicitur à domino recipi. igitur ante dissolutionem precarii non habuit possessionem, intellige naturalem.

Ad textum *l. certè cit.* dico, ibi solùm negari, quòd precariè habens possideat civiliter: vel si contendas id exaudiendum etiam de possessione naturali, responderi potest, hanc ideo duntaxat negari, quia expressè actum est, ut precariò tantùm ad tempus in fundo esset, i. e. ut in ejus possessione esset, non verò, ut eum possideret juxta *l. si quis ante* 10. §. *idem Pomponius* 1. *ff. de acquir. vel amitt. possess.* & explicant Gomez, & Fachinæus *l. cit.*

24 Quæritur 10. quomodo precarium differat à Commodato? Resp. precarium maximè affine est Commodato *l. precarium* 1. §. *fin. ff. h. tit.* nam utroque res ad usum conceditur; utrumque gratuitum est; & neutro dominium in accipientem transfertur.

Differt autem in tribus maximè. 1. quia Commodatum semper conceditur ad certum tempus expressè, vel tacitè, ita, ut ante illud revocari non possit *l. in commodato* 17. §. *sicut* 3. *ff. commodati*; precarium autem, etsi aliquando concedatur ad certum, & definitum tempus, tamen etiam ante illud revocare rem ita concessam semper domino integrum est, ut dictum est *n.* 5. *& seqq.* 2. is, qui precariò rem accepit dolum duntaxat, & culpam latam præstare tenetur, ut patet ex *n.* 14. contra qui commodatum accepit, præstat culpam etiam levem, & levissimam *l. quæsitum* 8. §. *eum quoque* 3. *ff. h. tit.* 3. qui rem commodatam accepit, nec civiliter, nec naturaliter eam possidet, sed utraque penes commodantem manet, qui rem datam suo animo, & alterius, sc. Commodatarii corpore, ac ministerio possidet *l. rei* 8. *ff. commodat.* at qui precariò rem accepit, naturaliter possidet, remanente solum civili possessione penes dominum concedentem, ut explicatum est *n.* 22. *&* 23.

§. II.

De Contractu Precariæ, seu Precariarum.

S U M M A R I U M.

25 *Origo Precariarum.*
26 *Definitio.*
27 *Materia, seu objectum.*
28 *Subjectum, & causa efficiens.*
29 *Tempus, ad quod concedi possunt.*
30 *Causa, & modus.*
31 32 *Necessitas quinquennalis renovationis.*
33 *Hæc fieri potest absque solemnitate.*
34 *Non tamen prima concessio.*
35 *Hinc facta sine solemnitate revocari potest.*
36 37 *Effectus Precariæ.*
38 *Differentia à Precario.*
39 *Et ab Emphyteusi.*

Quæritur 1. quid sit *Precaria*, sive *Precariæ*? Harum in Ecclesia, præsertim Gallicana, olim frequens concessio fuit, ut abunde testantur Concilia Agathense *can.* 58. Epaunense *can.* 18. Aurelianense 4. *can.* 36. aliique veteres Canones, uti & Caroli M. *Capitular. l.* 5. *cap.* 3. & *l.* 7. *c.* 104. Ortæ sunt, ut ex Beato Rhenano *l.* 2. *rer. German.* ostendit Tholos. *Syntagm. l.* 23. *c.* 2. *n.* 5. occasione illustris Victoriæ, quam Clodovæus Francorum Rex Religione in Christum magis, quàm armis apud Tolbiacum obtinuit; quia enim in gratiarum actione tanti Beneficii Fidelium pietas passim bona sua obtulere Ecclesiæ, Ecclesia vicissim, ne sic offerentes deinde egestate laborarent, eadem bona per Precarias in modum Beneficii ad dies vitæ tuenda fruenda concessit. Hinc *in LL. Aleman. tit.* 11. habentur hæc verba: *Si quis liber res suas ad Ecclesiam DEI dederit --- & post hac à Pastore Ecclesiæ per Beneficium susceperit, ad victualem necessitatem conquirendam diebus vitæ suæ, & quod spopondit, persolvat ad Ecclesiam censum de illa terra.* His similia habentur in *LL. Bajuvar. tit.* 1. *c.* 1. Nomen Precariæ acceperunt à Precibus, vel potiùs à Charta, quæ *Precaria*, vel *Precatoria* dicebatur, & postulationem precariæ concessionis rerum Ecclesiasticarum continebat, ut colligitur ex *Synod. Rhemens. can.* 35. & *Tolet.* 6. *can.* 5. 25

Definiri *Precaria* potest, quòd sit *Contractus realis, nominatus, bilateralis, bonæ fidei, quo alicui rei Ecclesiasticæ immobilis, & soli plerumque usus ad preces ejusdem conceditur, eo pacto, ut si concessionis tempus sit diuturnius, ne istius longinquitate illius memoria intereat, renovari singulis quinquenniis debeat, & finito concessionis tempore cum omnibus incrementis res concessa ad Ecclesiam revertatur.* Ita quoad sensum communiter DD. & in his Layman *l.* 3. *tr.* 4. *c.* 14. *num.* 6. Barbos. *ad Rubr. h. tit. n.* 6. *&* 10. *& in c.* 1. *eod. num.* 3. Gonz. *ibid. num.* 4. Pirh. *hic num.* 10. Engl. *n.* 1. Honor. *n.* 1. Schamb. *n.* 3. Konig *n.* 3. Vviestner *n.* 14. Clariss. P. Schmier *de pact. & contract. c.* 3. *num.* 163. Dicitur 1. *Contractus realis*; quia non perficitur sine traditione. 2. *nominatus*; licèt enim Precaria Juri Civili saltem antiquiori non adeo quoad speciem fuerit cognita, cognita tamen est Juri Canonico, à quo nomen specificum acquisivit. 3. *Bilateralis, & bonæ fidei*: & quidem quòd Bilateralis sit, patet ex eo, quòd dans, & accipiens obligationem contrahat: unde etiam quòd bonæ fidei sit, sua sponte deducitur. Cæteræ particulæ objectum, subjectum, & obligationem hujus Contractus explicant: de quibus in decursu. 26

Quæritur 2. quænam res, quibus, & à quibus per Contractum Precariarum concedi possint? Resp. *Ad* 1. in Precarias conceduntur res, & possessiones Ecclesiæ, vel jam possessæ, vel Ecclesiæ saltem oblatæ ea conditione, ut liceat offerenti ad certum, vel incertum tempus earum usum habere. Gonzal. *in c.* 1. *h. tit. n.* 8. debentque res istæ esse immobiles, & frugiferæ, ut idem Gonzal. notat, & sumitur ex *can. precariæ* 4. *caus.* 10. *q.* 2. & *can.* 27

posses-

possessiones 61. caus. 16. q. 1. *Neque obstat*, quòd Synodus Lyptinensis Precarias *Ecclesialem pecuniam* nuncupet; quia, ut rectè Hermogenes *l. pecuniæ 222. ff. de V. S.* ait, *Pecuniæ nomine non solùm numerata pecunia, sed omnes res tam soli, quàm mobiles, & tam corpora, quàm Jura continentur.* Imò in numerata pecunia Precariam constitui negat ratio; quia plerumque ex Precariis solvitur pensio, & finito tempore res ipsa integrè restituitur: quod fieri in pecunia sine vitio Usuræ nequit, ut doctè expendit Gibalin. *de Usur. c. 2. art. 4.*

28 *Ad 2.* condi possunt Precariæ non solùm Clericis, & Monachis, verùm etiam Laicis. De Precariis Clericorum constat ex *Synod. Epaun. can. 18. & Tolet. 6.* De Laicis ex *can. sæpe 72. caus. 12. q. 2.* ubi etsi in littera vulgata Clericorum tantùm mentio fiat, at ex emendatione Gregoriana adduntur verba, *Vel aliarum quarumlibet personarum*, Gonzal. *in c. 1. h. tit. n. 6.* Konig *hic num. 4.* *Ad 3.* eas concedere valent Rectores Ecclesiarum, qui res Ecclesiæ propriæ administrant, veluti Episcopi, Abbates &c. Gonz. Konig *l. citt.*

29 Quæritur 3. de tempore, causa, & modo, quo Precariæ concedi possunt. *Resp. ad 1.* olim concedi poterant in perpetuum, ut colligitur ex Decreto Joannis IX. ubi teste Baronio *ad annum Christi 904.* statuit, ne tales imposterum essent: & confirmatur ex *Constitutionibus Greg. VII. & Urban. II.* Ad quod tempus hodie concedi possint, controvertunt DD. Gonzal. *in c. 1. cit. num. 9. in fin.* & Gibalin. *l. 4. de Usur. c. 2. art. 6.* distinguunt inter eum, qui res suas Ecclesiæ donavit, & inter cæteros; nam si ille rerum, quas Ecclesiæ donavit, Usumfructum per Precariam petit, ajunt ipsi concedi solere ad vitam: at siquis in Precarias peteret res ab Ecclesia aliunde comparatas, non ad vitam, sed ad quinquennium, vel aliud certum tempus concedi consuevisse. Konig *hic num. 6.* notat hoc rerum discrimen hodie non observari, nec Precariis alium terminum præfixum esse, quàm qui inter dantem, & accipientem convenit.

30 *Ad 2.* Precariæ semper conceduntur ad Preces. An verò ex causa remunerationis tantùm constitui valeant, non omnimodo certum est. Probabilius est, quod non, dummodo speretur aliquod obsequium, & servitium, ab accipiente cum tempore præstandum per textum *can. Precariæ 4. caus. 10. q. 2.* P. Engl *hic n. 3.* P. Schmier *de pact. & contr. c. 3. num. 173.* *Ad 3.* aliquando conceduntur cum reservatione pensionis præstandæ Ecclesiæ, à qua Precariæ conceduntur, plerumque tamen gratis. Abb. *in c. 1. h. tit. num. 3.* Engl *hic num. 3.* Konig *n. 10.* P. Schmier *l. cit. num. 174.*

31 Quæritur 4. quanta sit necessitas renovationis quinquennalis, de qua dictum in definitione Precariæ *num. 26.* Resp. est adeo necessaria, ut si hujusmodi renovationem non petat is, cui res per Precarias sunt concessæ, cadat jure suo, eo ferè modo, quo Vasallus amittit Feudum, si à novo domino non petat Investituram; & liberti Ecclesiæ ad servitutem revocabantur, si sub novo Pontifice se de istius familia esse non profitebantur. Abb. *in c. 1. h. tit. n. 5.* Gonzal. *ibid. num. 10.* Molin. *tr. 2. de Just. D. 298. num. 22.* Haun. *tom. 4. tr. 10. num. 773.* Vall. *hic n. 9.* Honor. *n. 1.* Zoes. *n. 2.* Engl *n. 6.* Pirh. *n. 14.* Konig *n. 9.* Vviest. *n. 18.*

32 Neque sufficit, quòd dominus, elapso quinquennio, absque renovatione contractus, eum, cui per Precarias rei immobilis usus ad longius tempus concessus est, patiatur manere in possessione, nam quando ad actum requiritur aliquid ultra patientiam, ut in proposito requiritur renovatio Contractus, non sufficit sola patientia caque nihil operatur, ut notat Barbos. *in c. 1. h. tit. num. 6.* Gonz. *ibid. num. 10.* Pirh. *num. 14.* Konig *num. 11.* *Excipitur*, ubi contraria viget consuetudo, ut innuitur *c. precarium 1. h. tit.* ibi *secundùm antiquam consuetudinem*; nam in his loci cujusque consuetudo attendi debet, cùm secundùm istam contractus quilibet in dubio censeatur initus, ex generali Regula, qua dicitur, si nihil in contractu expressum sit, id tacitè actum videri, quod est de consuetudine loci.

33 Quæritur 5. an Precariæ moderno Jure exigant solemnitates, quæ rerum Ecclesiasticarum alienationi juxta *Tit. præc.* præmitti debent? *Certum est*, eas non requiri in renovatione quinquennali. Gonzal. *in c. 1. h. tit. num. 7.* Pirh. *hic num. 14.* Konig *num. 9. in fin.* Vviestner *num. 19.* *Ratio est*, tum quia non est nova concessio, sed tantùm Contractus priùs initi renovatio, ne res per oblivionem pereant, & ne accipiens, vel hæres illius eas dicat esse suas, & proprias; tum quia post legitimè factam concessionem est necessaria, & conditionem Ecclesiæ meliorem facit. Unde sicut Prælatus, etsi absque solemnitatibus res Ecclesiæ suæ infeudare non possit, potest tamen Feudum antiquum renovare sine illius solemnitatibus, ita etiam Precariarum concessionem sine illis renovare non prohibebitur.

34 *Controversia est*, an sine solemnitate à Prælatis fieri possit etiam prima Precariarum concessio? Affirmativa sententia videtur colligi ex *can. sæpe 69. caus. 12. q. 2. can. Clerici 11. & can. si Episcopus 12. caus. 16. q. 3.* ubi Episcopo adstruitur potestas concedendi Precarias, nulla facta solemnitatis mentione.

Sed retinenda est sententia negativa, quam etiam defendit Durand. Specul. *tit. de locat. §. item quæritur.* Sylv. *V. precaria num. 7.* Gonzal. *in c. 1. h. tit. num. 7.* Vvagn. *ibid. in not.* Engl *hic num. 4.* Zoes. *num. 1.* Schamb. *num. 4.* Konig *num. 8.* Vviest. *num. 20.* Reifenstuel *num. 15.* *Ratio est*, quia etsi dominium, & proprietas rei sic concessæ penes Ecclesiam maneat, tamen per ejus concessionem irrevocabiliter in Beneficiarum transfertur usufructus, vel saltem usus ad longum tempus, & aliquando ad vitæ totius tempus, quæ species quædam alienationis est. igitur sicut ad cæteras alienationes, ita etiam ad concessionem Precariarum exigentur solemnitates aliàs à Jure requisitæ.

35 *Ex quo sequitur*, si ejusmodi concessio absque justa causa, vel absque debitis solemnitatibus à Prælato facta sit, eam à Successore revocari posse, & debere *c. precariæ 2. h. tit.* imò etiam ab ipso Prælato, si is in administratione adhuc toleretur *c. si quis 6. de reb. Eccl. non alien.* Gloss. *fin. in c. 2. cit.* Vivian. *ibid. pr.* Molin. *tr. 2. D. 298. num. 20.* Haun. *tom. 4. tr. 10. num. 773.* Vall. *hic num. 10.* Pirh. *n. 11.* Engl *n. 5.* Schamb. *n. 4.* Konig *num. 11.* *Proceditque hoc*, etiamsi pœna tali contractui sit adjecta, ut habetur *c. precaria cit.* & ratio est, qua licèt Prælatus adjicere penam conventionalem possit, eaque obliget Successorem, quando Contractus valet, non tamen obligare hujusmodi pœna potest, quando adjecta est Contractui invalido, vel rescindendo, quippe quæ accessoria est ad Contractum, & cons. cum eo corruit.

Ad textus in contrarium allegatos dico, illos intelligendos de casu, quo justa causa, & solemnitas intervenit, ut interpretatur Gonz. *l. cit.*

36 Quæritur 6. quis sit Effectus Precariæ? Resp. triplex maximè assignari potest. 1. producit obligationem in constituente ad præstandam patientiam, & relinquendum usum rei, in Precarium concessæ, usque ad tempus conventum *c. fin. h. tit. in fin.* An usus personalis solùm, sicut in commodato, vel locato, an verò realis, & Ususfructus in accipientem per contractum Precariæ transferatur, dubium moveri potest, eò quòd Jura diversimodè loquantur. Optimè monet Clariss. P. Schmier. *de pact. & Contr. capit. 3. num. 18*[illegible] respiciendum contrahentium animum, & ex verbis, ac circumstantiis Contractus judicandum de Usus qualitate.

2 Parit in accipiente obligationem rem diligenter custodiendi *can. sæpe 72. caus. 12. q. 2.* resarciendi damna omnia, probabiliter etiam ex culpa levissima data *arg. l. si ut certo 5. §. nunc videndum ff. commodat.* & petendi renovationem contractus de quinquennio in quinquennium secundùm dicta *n. 31.*

37 3 Dat Actionem; quia est verus Contractus, & Pactum vestitum cum Juris Canonici assistentia, & approbatione. Qualiter vocari hæc actio debeat, disputant DD. P. Engl *hic n. 7.* P. Konig *n. 15.* P. Schmier *n. 182.* appellant illam *Actionem Precariarum* ex ratione, quia regulariter actiones competentes ex Contractibus assumunt nomen sui Contractus, ut Actio precarii, commodati, depositi &c. Porro Actio hæc duplex est: una *Directa*, quæ competit Ecclesiæ, cujus res in Precariam datur, adversùs accipientem, & ejus hæredes, ut præstet omne id, quod ex natura Contractus est præstandum. Altera *Indirecta*, quæ competit accipienti, & ejus hæredibus contra dantem, & ejus hæredes, vel successores, ut præstetur id, quod præstari æquum est. Utraque est Canonico-Civilis, personalis, rei persecutoria, bonæ fidei, & perpetua.

38 Quæritur 7. quomodo Precariæ differant à Precario? Resp. etsi valde affines Precario sint, multipliciter tamen ab illo differunt, ut videre est apud Gonz. *in c. 1. h. tit. n. 4.* & alios passim. Nam 1. Precariæ sunt verus Contractus, licèt in Jure Civili non ita cognitus; talis non est Precarium secundùm dicta *n. 4.* 2. Precariæ locum duntaxat habent in possessionibus, sive rebus soli, & immobilibus, ut dictum est *n. 27.* per Precarium verò dati possunt etiam res mobiles, Jura, & servitutes, ut monui *n. 11.* 3. Precarium non conceditur ad certum tempus, potestque semper revocari; Precaria verò ad certum tempus conceditur, nec pro arbitrio concedentis revocari potest. 4. in Precario nulla merces intervenire potest, quia est gratuitum; in Precaria autem plerum-

que intervenit merces, seu pensio. 5. In Precario nulla est renovatio; nam qui precariò ad tempus rogavit, finito tempore etiam precariò utitur ex tacita domini voluntate, ut monui *n.* 10. Precariæ verò renovandæ sunt singulis quinquenniis juxta Definitionem *n.* 26. traditam, & dicta *n.* 31. 6. ex Precario nonnunquam transfertur possessio; ex Precariis verò nunquam possessio quæritur. 7. in Precario præstatur culpa tantùm lata, & dolus, ut habetur *num.* 14. in Precariis etiam levissima.

39 Quæritur 8. quomodo Contractus Precariarum differat à Contractu Emphyteutico? Resp. etsi cum hoc Contractus Precariarum in plerisque conveniat, in multis tamen discrepat, prout videre est apud Gonzal. *in c.* 1. *h. tit. n.* 4. Et 1. quidem Emphyteusis propter agrorum culturam inventa est, ut essent, qui agros desertos colerent; non ita Precariæ. 2. Emphyteusis ex Zenonis Constitutione formam accepit §. *adeo* 3. *Inst. de Locat.* Contractus verò Precariarum pluribus sequentibus annis incognitus fuit. 3. Emphyteusis concedi solet quacunque ex causa, nec ad quinquennium tantùm, vel cum onere renovationis petendæ, si concedatur ad longius tempus; at Precariæ imprimis semper conceduntur ad preces, aliquando remunerationis causa, debentque renovari singulis quinquenniis. 4. Emphyteusis semper datur cum reservatione pensionis præstandæ domino; at Precariæ plerumque conceduntur gratis.

TITULUS XV.

De Commodato.

SUMMARIUM.

1 *Definitio Commodati.*
2 3 *Explicatio illius.*
4 *Requisita ad ejus substantiam.*
5 *Differentia à Precario.*
6 *Mutuo.*
7 *Pignore, Deposito, Locatione.*
8 *Res commodari permissæ.*
9 10 *Possunt etiam alienæ.*
11 *Quis commodare possit?*
12 *Vel non?*
13 14 *Cui?*
15 *Obligatio commodantis.*
16 17 18 19 *In casu extraordinario revocari res commodata ante tempus potest.*
20 *Et ante usum, si tempus lapsum est.*
21 *Obligationes Commodatarii.*
22 23 24 25 26 *Quam culpam præstet?*
27 28 29 30 *An eam præstare Commodatarius debeat in conscientia ante sententiam Judicis?*
31 *Non tenetur Commodatarius præstare casum fortuitum.*
32 *Triplex casus excipitur.*
33 34 *Quando ob moram casus fortuitus præstari non debeat?*
35 36 37 *Quando ex pacto, quo se obligavit ad eum præstandum?*
38 39 *An si res commodata sit æstimata?*
40 41 42 *Quomodo taxanda æstimatio rei, quæ culpa Commodatarii periit, vel deterior facta est?*
43 44 *Qualis actio detur ex Commodato?*
45 *Quid Juris, si res individua duobus sit commodata?*
46 47 *An in Commodato sit locus compensationi?*

PRecario, & Precariæ affinis est Contractus Commodati: idcirco tractationi illius subjicitur. In vernacula nostra explicatur verbo *Entlehnen*, *Leghen*, quod quia amphibologicum est, & in Precario etiam, Mutuo, & Locatione adhibetur, idcirco diligenter ad terminos conversionis attendi debebit, & ex his, aliisque circumstantiis colligi negotii contracti natura.

1 Quæritur 1. quid sit *Commodatum*? Resp. *Commodatum* nomen suum accepit à *Commodo*; dictum enim est id, quasi sit *accipientis commodo*, seu ad usum ejusdem *datum*, ut notat Gloss. *in c. un. V. commodatum h. tit.* Duplicem acceptionem in Jure habet; nam aliquando sumitur pro ipsa re commodatò data, aliquando verò pro contractu, quo aliquid commodatò datur. Vallens. *hic n.* 1. In hoc secundo sensu definiri potest, quòd sit *Contractus realis*, *Juris gentium*, *nominatus*, *bilateralis*, *bonæ fidei*, *quo res ad certum usum*, *vel tempus gratis ea lege conceditur*, *ut illo finito*, *eadem in specie restituatur*. Ita quoad sensum DD. communiter, & in his Gloss. *cit.* Host. *in Summ. hic num.* 1. Less. *lib.* 2. *de Just. c.* 27. *n.* 4. Harpprecht §. *item is* 2. *Inst. quib. mod. re contrah. oblig. n.* 2. Gonzal. *in c. un. h. tit. n.* 1. Haun. *tom.* 4. *de J. & J. tr.* 10. *n.* 715. Illsung. *tr.* 4. *D.* 2. *n.* 388. Vall. *hic num.* 2. Engl *n.* 1. Pirh. *n.* 1. Konig *n.* 3. Vviest. *n.* 1. Clariss. P. Schmier *c.* 3. *de pact. & contract. n.* 53.

Dixi 1. *Contractus realis*, *Juris gentium*, *nominatus*, 2
bilateralis, *bonæ fidei*, quod evincitur ex §. *item is cit.* §. *actionum* 28. *Inst. de action. l. juris gentium* 7. §. *quæ pariunt* 1. *ff. de pact. l. in commodato* 17. §. *sicut* 3. *vers. geritur enim ff. commodat. l. obligationes* 1. §. *is quoque* 3. *ff. de O. & A. Reg. contractus* 23. *ff. de R. J.*

Dixi 2. *quo res*; nam Contractus iste non oritur, nisi res interveniat: & ideo si tantùm convenit de libro, aut alia re ad usum concedenda, non commodatum, sed vel stipulatio, vel nudum pactum initum intelligitur. Konig *hic n.* 10.

Dixi 3. *ad usum*, nam in Commodato non transfertur proprietas, seu dominium rei in accipientem, imò nec possessio, sed solus usus, manente penes commodantem proprietate simul, & possessione, eaque tam civili, quàm naturali *l. rei* 8. & *l. seq. ff. h. tit.*

Dixi 4. *ad certum usum*, e. g. si commodetur liber ad transcribendum, equus ad instituendum iter Augustam &c. Hinc si Commodatarius usum, præscriptum in contractu Commodati excedat, & re commodata aliter utatur, furtum committit §. *furtum* 6. *Inst. de oblig. quæ ex delict. l. si ut certo* 5. §. *quin imò* 8. *ff. h. tit. Excipitur*, si ex probabili quadam causa permotus, putet se voluntate domini aliter, vel diutiùs uti posse; quia furtum non committitur sine affectu furandi, & volente domino. Menoch. *de arbitr. c.* 298. *n.* 1.

Dixi 5. *ad certum tempus*, videlicet aut expressè de- 3
finitum, v. g. ad mensem, vel annum, aut tacitè, ut cùm equus commodatur ad iter instituendum Augustam; nam res commodatò concessa intelligitur ad illud tempus, quod prudentis arbitrio ad finem commodati consequendum necessarium est. Molin. *tr.* 2. *D.* 294. *num.* 6.

Dixi 6. *gratis conceditur*; nam Commodatum gratuitum esse debet §. *item is* 2. *vers. gratuitum. Inst. quib. mod. re contrah. oblig.* Et hinc si pro certa mercede res utenda concedatur, non ampliùs est Commodatum, sed si quidem pro pecunia, in Locationem migrat; si verò pro aliquo alio, Contractus innominatus fit. *Do*, *ut des*, vel *facio*, *ut facias*. In dubio Commodatum non præsumitur, præsertim in hominibus plebeis, qui raro aliquid gratis, aut ex mera benevolentia præstant, sed ubi lucellum habere possunt.

Dixi 7. *ea lege*, *ut tempore finito*, *pro quo concessa res est*, *eadem in specie restituatur*, quia sicut ante usum, & tempus illud expletum, ad quod concessa res est, res commodata revocari à domino nequit, ita illo expleto restitui debet eadem in specie, & individuo, quæ data est *l. mutuum* 2. *princ. ff. de reb. credit.*

Quæritur 2. quænam requirantur ad substantiam Com- 4
modati? Resp. 1. ut is, qui rem commodat, eam alteri tradat utendam §. *item is cit. l. obligamur* 52. *junct.* Gloss. *ibid. V. re*, *& verbis*. 2. Ut accedat utriusque contrahentis consensus *l. hujus* 1. §. *adeo ff. de pact.* 3. Ut rei commodatæ dominium, sive proprietas maneat penes eum, qui dedit *l. rei* 8. & *l. seq. ff. h. tit.* 4. Ut reddatur eadem res in specie §. *item is cit.* 5. Ut commodatum gratis, nulla accepta mercede, detur §. *item is cit. vers. commodata* 6. Ut commodatum ad aliquem certum, & specialem usum, & ad aliquod tempus certum expressè, vel tacitè detur *l. in commodato* 17. §. *sicut* 3. *ff. h. tit.* Ex quo patet differentia à cæteris conventionibus, & contractibus.

Nam *à Precario* differt. 1. Quòd Precarium sit con- 5
cessio ad nutum revocabilis; non item Commodatum, utpote quod ante præfixum tempus revocari non potest. 2. In Precario conceditur res ad usum incertum; res verò commodata ad usum certum. 3. In contractu Precarii, licèt non dominium, transfertur tamen possessio in accipientem; in Commodato tam dominium, quàm possessio, etiam naturalis penes commodantem manet. 4. In Precario præstatur tantùm dolus, & culpa lata; in Commodato levis, & levissima. Azor. *p.* 3. *l.* 7. *de Commod. c.* 1. *q.* 2. Gonz. *in c. un. h. tit. n.* 8. Engl *hic n.* 3.

A Mutuo 1. quia in Mutuo rei datæ dominium in ac- 6
cipientem transfertur; in Commodato dominium commodans retinet. 2. Mutuum non conceditur ad usum, sed potiùs ad abusum, seu consumptionem, cùm res, quæ mutuò datur, talis esse debeat, ut usu consumatur; è contrario res commodata non consumitur, sed custodiri integra debet. 3. In mutuo solùm restituitur genus; in Commodato restituenda est species. 4. Si res commodata casu fortuito sine culpa Commodata-

data-

datarii pereat, is non tenetur ad aliquam restitutionem, cùm res pereat suo domino, at Mutuatarius ad refusionem tenetur, etsi res mutuata absque illius culpa perierit. 5. In mutuo datur res fungibilis, v. g. pecunia, triticum, vinum &c. in commodato res aliæ non fungibiles &c. Azor. q. 2. *cit.* Laym. *l.* 3. *tr.* 4. *c.* 14. *n.* 1. Vall. *hic n.* 2. Engl *n.* 3. Konig *n.* 11.

7 *A Pignore*, & *Deposito*; quia in Commodato res ad usum conceditur; in Deposito ad custodiam, in Pignore ad securitatem præstandam creditori de solutione debiti: & hinc si aut Creditor pignore, aut Depositarius re apud se deposita utatur invito domino, furtum committunt §. *furtum* 6. *Inst. de oblig. quæ ex delict.* Azor. Laym. Konig *l. citt.*

A Locatione; quia in hac res non gratis, ut in Commodato, sed pro certa mercede conceditur §. *item is* 2. *vers. commodata Inst. quib. mod. re contrah. obl.* Molin. *tr.* 2. *D.* 292. *num.* 1. & 2. Illsung *tr.* 4. *D.* 2. *n.* 388. Pirh. *hic n.* 1. Vviest. *n.* 5. cum aliis *suprà*.

8 Quæritur 3. quænam res commodari possint? Resp. commodari possunt 1. res non tantùm mobiles, sed etiam immobiles, ut domus, stabulum &c. *l. ait Prætor* 1. §. *hujus* 1. *ff. h. tit.* Laym. *l.* 3. *tr.* 4. *c.* 14. *n.* 1. Harppreçht §. *item is* 2. *Inst. quib. mod. er. contr. obl. n.* 13. Haun. *tom.* 4. *tr.* 10. *num.* 716. & 722. Engl *hic num.* 2. Konig *num.* 7. 2. Res non tantùm profanæ, & temporales, sed etiam Sacræ, & Ecclesiasticæ. Sacræ tamen non nisi ad usus sacros, Ecclesiasticæ autem, si immobiles, aut mobiles pretiosæ sint, & agatur de commodandis ad decennium, vel tempus decennio longius, non aliter, quàm adhibitis solemnitatibus *Tit. prac. à num.* 72. *enarratis.* Azor. *p.* 3. *l.* 7. *de commod. c.* 4. *q.* 3. Laym. Konig *l. citt.* 3. Res non tantùm, quæ usu non consumuntur, sed etiam, quæ fungibiles dicuntur, & usu ipso statim consumuntur, si ad pompam, & ostentationem, non etiam ad proprium usum quis eas accipiat *l. sed mihi* 3. §. *fin. ff. h. tit.* tunc enim dans pecuniam, vel aliam ejusmodi rem fungibilem, possessionem illius, ac dominium retinet. Contrà fit, si is, cui datur, accipiat hujusmodi res ad usum, qui proprius his rebus est; cùm enim usu isto statim consumantur, non commodatum, sed mutuum erit. Azor. *q.* 4. Harppreçht *num.* 5. Haun. *num.* 723. Engl *num.* 3. Konig *num.* 8. 4. Res non tantùm corporeæ, seu Jura, servitutes, reditus annui. Gloss. *in c. un. V. commodatum h. tit.* Azor. *c.* 4. *cit. q.* 1. Haun. *num.* 716. & 724. Engl *hic n.* 2. Konig *num.* 7. Pirh. *num.* 2. Vviest. *num.* 6.

9 An etiam res alienæ validè in contractum Commodati veniant, difficultas moveri potest. Videtur respondendum negativè; quia Commodatum dicitur esse species quædam beneficii *l. in commodatò* 17. §. *sicut* 3. *ff. h. tit.* ex alieno autem siquis aliquid largiatur, furtum committit *l. si pignore* 54. §. *cum qui* 1. *ff. de furt. Conf.* nam ex improbitate sua nemo sibi actionem furti acquirit *l. itaque fullo* 12. §. *sed furti* 1. *ff. eod.* igitur multo minùs habebit actionem Commodati, quæ bonæ fidei est.

Sed respondendum est affirmativè propter *l. commodare* 15. & *l. seq. ff. h. tit.* ubi furibus, prædonibus, & aliis iniquis rei alienæ possessoribus *Actio Commodati* tribuitur, ad hunc sc. effectum, ut ea Commodatarius compellatur ad rem commodatam, licèt aliena sit, restituendam. Faber *in rationab. ad l.* 16. *ff. h. tit.* Brunnem. *ad l.* 15. *eod.* Harppr. *ad* §. *item is* 2. *Inst. quib. mod. re contrah. oblig. n.* 14. Haun. *tom.* 4. *tr.* 10. *num.* 721. Konig *hic n.* 6. *Ratio est*, quia bona fides requirit, ut rem commissam recipiat is, qui dedit. *Conf.* nam res deposita, quamvis malè quæsita, si dominus ad repetendam eam non concurrat, furi, atque prædoni restitui debet, & hoc ob bonam fidem, quæ in Depositi contractu exigitur *l. bona fides* 31. §. *incurrit* 1. *ff. deposit.* igitur idem dicendum in contractu Commodati, cùm non sit ratio, cur in contractu Commodati, qui similiter bonæ fidei est, diversum obtineat.

10 Procedit autem hoc solùm in foro externo; nam secundùm conscientiam commodare nequit possessor malæ fidei, cùm domino restituere naturali Jure compellatur. Azor. *p.* 3. *l.* 7. *de Commodat. c.* 4. *q.* 2.

Ad rationem dubitandi nulla est implicantia, ut quis acquirat actionem Commodati, & tamen committat furtum, quandoquidem & fur acquirit actionem Depositi, tametsi rem furtivam deponat *l. depositum* 1. §. *si prædo* 39. *ff. deposit.* *Ad Conf.* actionem commodati fur, & prædo, si causam proximam, & immediatam respicias, ex contractu bona fide inito, non verò ex improbitate sua consequitur, non enim ideo rem, ad usum à se concessam alicui, sibi restitui desiderat, quòd eam rapuerit, sed ideo quòd commodaverit, & usus elapso fortè tempore præfinito extinctus sit.

Quæritur 4. quis commodare possit? Resp. possunt 11 omnes, & soli, qui contrahere. Azor. *p.* 3. *l.* 7. *de Commod. c.* 3. *vers. præterea. Proceditque hoc* 1. sive is, qui commodat, sit sui, sive alieni Juris, ut servus, filiusf. 2. Sive bonæ, sive malæ fidei possessor sit; nam etiam fur rem furtivam commodans alteri actionem commodati habet, ut dictum est *n.* 9. & 10. 3. Sive sit dominus rei, quæ commodato datur, sive usumfructum duntaxat, servitutem, aut jus aliud, e.g. habitationis in re illa habeat; nam etiam iste commodare potest. Azor. *l. cit.* 4. Sive proprio nomine administret, sive alieno; nam commodare potest jam Prælatus, & Oeconomus res Ecclesiæ, quas administrat. Host. *in Summ. h. tit. num.* 4. Sylv. *V. commodatum q.* 2. Pirh. *n.* 2. adhibitis tamen solemnitatibus, si res commodata sit immobilis, vel mobilis pretiosa, ut dixi *suprà n.* 8.

Contrà commodare nequeunt 1. Infans, & Furiosus; 12 quia judicium, & voluntatem non habent §. *sed quod diximus.* 10. *Inst. de inutil. stipul. l. nec in furiosum* 2. *ff. h. tit. l. furiosi* 40. *ff. de R. J.* 2. Impuberes sine authoritate Tutoris *l. ait Prætor* 1. §. *impuberes* 2. *ff. h. tit. l. obligari* 9. *pr. ff. de auth. & consens. tutor. l. obligari* 43. *ff. de O. & A.* 3. Religiosus sine consensu sui Superioris, in cujus voluntatem suam voluntatem transtulit *can. non dicatis* 11. *caus.* 12. *q.* 1. *c. fin. de testam. in* 6. 4. Uxor res viri sui, nisi ex præsumpta ejus licentia. Quodsi commodaverit inscio, & invito marito, & res per illam commodata perierit, tenetur eam compensare in dote *l. si constante* 24. §. *si uxor* 6. *ff. solut. matrim.* Si non perierit, maritus rem inscio, aut invito se commodatam revocare potest immediatè, licèt tempus, ad quod per uxorem commodata est, necdum elapsum sit. Konig *hic n.* 5.

Quæritur 5. quis Commodatum possit accipere? Resp. 13 accipere possunt omnes illi, qui ex contractu possunt saltem naturaliter obligari. Azor. *p.* 3. *l.* 7. *de Commod. c.* 3. *fin.* Hinc commodato accipere potest etiam Pupillus, & Minor sine consensu Tutoris, & Curatoris; quia sine horum authoritate possunt ea, quæ cedunt in propriam ipsorum utilitatem *princ. Inst. de author. tutor.* Ac idcirco obligatur commodans, ut rem pupillo, vel minori commodatò datam non revocet ante tempus, & usum completum; aliàs conveniri poterit Actione commodati. In Pupillum actio Commodati contraria non datur; datur tamen actio ad exhibendum, & rei vindicatio, sicut contra furiosum *l. nec in furiosum* 2. *ff. h. tit. l. furiosus* 46. *ff. de O. & A.* & ratio est, quia valdè iniquum esset, eum, qui tenet rem alienam, nulla actione teneri, propterea quòd is justæ ætatis non sit, vel non sit sanæ mentis. Harppr. *ad* §. *item is* 2. *n.* 10. *Inst. quib. mod. re contrah. oblig.*

Dubitatur, an si libero homini, qui mihi bona fide 14 serviebat, quasi servo rem commodavero, Commodatum subsistat? Videtur non subsistere; quòd desit intentio ex parte domini putatitii, cùm putem esse servum, cum quo scio non posse à me iniri contractum. Sed expedienda res ope distinctionis est: Aut enim liber ille homo ignarus conditionis suæ est, aut non. *Priori casu* Commodatum non subsistit, sed ad innominati Contractus naturam, quàm proximè accedit. *Posteriori* verò casu vires obtinet *l. is, qui commodatum* 13. §. *si libero homini* 2. *ff. h. tit.* Harppreçht §. *item is cit. n.* 12. Haun. *tom.* 4. *tr.* 10. *n.* 720. *Argumentum contrarium* solvit *l. cit. in fin.* ubi Pomponius *Nec obstat*, inquit, *quòd non hac mente cum eo, qui liber bona fide nobis serviret, contraheremus, quasi eum obligatum habituri; plerumque enim id accidit, ut extra id, quod ageretur, tacita obligatio nascatur, veluti cùm per errorem indebitum solvendi causa datur.*

Quæritur 6. quæ obligatio ex contractu Commodati 15 nascatur ex parte commodantis? Resp. triplex maximè ex parte istius nascitur obligatio. 1. Ut rem commodatam non revocet ante tempus, & usum finitum, ut patet ex *c. un. h. tit.* quia, ut *ibidem* dicitur, *non decipi beneficio nos oportet, sed juvari*. Concordat *l. in commodato* 1. §. *sicut* 3. *ff. h. tit.* ubi Paulus JCtus ait, Commodatum quidem ab initio, i. e. ante quàm contractum sit, *esse voluntatis*, i. e. pendere ex libero arbitrio Commodantis, sed contractum *esse necessitatis*; quia sc. repeti res commodata, nisi expleto usu, non potest Vall. *num.* 2. *hic*. 2. Ut reparet damna, quæ Commodatario provenerunt ex re commodata per dolum, vel culpam latam commodantis, ut si sciens vasa vitiola commodavit, & vinum, vel oleum infusum corruptum, effusumve est; aut si scienter commodaverit ser-

vum furem, & is commodatario furtum fecerit *l. in rebus* 18. §. *item qui* 3. *l. si servus* 22. *ff. h. tit.* Konig *num.* 16. 3. Ut refundat expensas, in rem commodatam à Commodatario factas, intellige, si extraordinariæ illæ sint, & graves; nam ordinariæ, quæ ad cujusque rei naturam requiruntur, & sine quibus rei usus haberi non potest, ad Commodatarium pertinent, nec à commodante repeti possunt *l. in rebus cit.* §. *possunt* 2. Harpprecht *ad* §. *item is cit. à num.* 66. Laym. *l.* 3. *tr.* 4. *c.* 14. *num.* 3. Vall. *hic n.* 4.

16 Dub. 1. an commodans possit revocare rem commodatam ante tempus in casu aliquo extraordinario, quo commodans, si revocationem non faceret, pateretur damnum æquale, vel majus, & antea non prævisum? Negant aliqui cum Navarr. *Man. c.* 17. *num.* 182. & videtur istud posse probari 1. ex *Reg. mutare* 33. *in* 6. quia *mutare consilium quis non potest in alterius detrimentum:* quod fieri posset, si ex tali causa rem commodatam commodans revocaret. 2. Quia non oportet nos beneficio decipi, sed adjuvari *c. un. h. tit.* deciperetur autem Commodatarius, si licita esset revocatio ante tempus. 3. In contractibus nominatis, iis completis, non datur ampliùs locus pœnitentiæ, ut in terminis de Commodato habetur *l. in commodato* 17. §. *sicut* 3. *ff. h. tit.* 4. Donatio executioni data non potest revocari, etsi postea casus eveniat, quo donans æquè indiget, aut magis, quàm donatarius. Ergo nec commodatum. 5. Per Commodati contractum res jam est applicata alteri, ut proin ab eo sine injuria avocari nequeat.

17 Sed his non obstantibus, meliùs dicitur, tali casu revocationem commodanti permissam esse. Ita Angel. *V. commodatum* §. 4. Azor. *p.* 3. *l.* 7. *de Commod. c.* 8. *q.* 2. Molin. *tr.* 2. *de Just. D.* 294. *num.* 12. Less. *l.* 2. *c.* 27. *n.* 18. Laym. *l.* 3. *tr.* 4. *c.* 14. *n.* 3. Haun. *tom.* 4. *tr.* 10. *n.* 759. Vvidmonr. *de Contract. tit.* 3. *n.* 4. Illustr. D. Baro Schmid *ad Statut. Bavar. tit.* 17. *art.* 1. *n.* 7. Pirh. *hic n.* 11. *in fin.* Konig *n.* 17. Vviest. *n.* 19. Clariss. P. Schmier *de pact. & contr. c.* 3. *n.* 75. *Ratio est*, quia commodans ad plus non tenetur, quàm ad quod se voluit obligare, non autem censetur habuisse voluntatem obligandi se ad talem casum, cùm in dubio quisque sibi magis, quàm alteri consulere velle præsumatur. *Conf.* à paritate cum Locatione; nam locatori ex casu non prævíso ædes alias, quas incolat, non habenti permissum est conductorem ex ædibus locatis ante tempus expellere *l. æde* 3. *C. de Locat. & Conduct.* ergo multo magis revocare Commodatum in aliquo casu extraordinario commodans poterit; nam à Locatore ædes pretio conductæ, non, ut res commodata, gratis concessæ sunt.

18 Procedit autem hoc solùm casu, quo Commodans propriam necessitatem non prævidit, & si prævidisset, præsumitur non fuisse commodaturus in talem casum; nam si prævidit, vel etsi non prævíderit, habitualiter tamen ita fuit constitutus, ut nihilominus commodaturus fuisset, etsi necessitatem prævidisset, non poterit revocare etiam propter æqualem, aut majorem suam indigentiam, & necessitatem, prout omnes facilè concedunt: & ratio est manifesta; quia in tali casu censetur damnum subire voluisse in gratiam Commodatarii.

19 Argumenta opposita facilem patiuntur solutionem. *Ad* 1. Commodans, si tali casu Commodatum revocet, in rigore non mutat consilium suum; quia commodando non habuit voluntatem rem commodatam nullo casu revocandi, sed tantùm cum clausula, *Nisi in casu aliquo extraordinario re commodata ipse æquè, vel magis, quam Commodatarius indigeret. Ad* 2. non decipitur commodatarius, quia damni, quod patitur, causa directa non datur, sed per accidens; aliàs nec donatio ob supervenientem prolem revocari posset, & deberet evictio præstari à donante, si is bona fide rem alienam donavit. *Ad* 3. non datur in tali revocatione Pœnitentia, sed expletur conditio, sub qua dominus noluit initio statim contractus rem esse penes Commodatarium. *Ad* 4. negatur paritas; nam per donationem, si simul accedat rei donatæ traditio, transfertur ejusdem dominium in donatarium. Igitur mirum non est, quòd ea firma sit, & revocari nequeat extra casus Jure expressos. At in locatione, & commodatione non dominium, sed jus usus transfertur, ad tempus quidem, sed cum conditione tacitè intellecta, *nisi revocationem major, vel æqualis necessitas urgeat.* Ergo posita tali necessitate, liberè revocari poterit. *Ad* 5. patet ex dictis; nam res commodata applicata Commodatario est non absolutè, sed conditionatè tantùm.

20 Dub. 2. utrum commodans rem commodatam revocare possit, si tempus quidem, quod usui expresè, vel tacitè præfinitum fuit, sit elapsum, commodatarius verò re commodata intra illud citra suam culpam uti non potuit? *Rationem dubitandi* movet Abb. *in c. un. h. tit. n.* 7. quia, ut ex textu habetur, & ex infrà dicendis *n.* 31. constabit, casus fortuitus non nocet Commodatario, & dominus rei commodatæ deberet esse contentus, si eam omnino non reciperet. Ergo multo magis contentus esse debet, si seriùs, quàm conventum est, citra culpam tamen commodatarii rem suam recipiat.

Sed tenenda est sententia affirmativa, quam etiam defendunt Abb. *l. cit.* Bartol. *in l. in commodato* 17. §. *sicut* 3. *ff. h. tit. n.* 6. Knipschild *Exerc. Acad.* 3. *q.* 7. *pag.* 103. *& seq.* Harpprecht *ad* §. *item is* 2. *Inst. quib. mod. re contr. oblig. num.* 67. Illustr. D. Baro Schmid *ad Statut. Bavar. tit.* 17. *art.* 1. *num.* 8. Konig *hic num.* 18. & alii ab his *citi. Ratio est* 1. quia concessa ad tempus tempore elapso extinguuntur; & quod permissum est ad terminum determinatum, postea censetur negatum. 2. Quia commodatarius non habet jus utendi re commodata, nisi ad modum, & normam præscriptam à commodante, cui sicut liberum est commodare, vel non commodare, ita etiam liberum est commodato modum, & formam præscribere *l. in commodato* §. *sicut cit.* 3. Quia commodans certat de damno vitando, commodatarius de lucro captando. explorati autem Juris est, prioris conditionem meliorem esse *arg. l. verùm* 11. §. *item quæritur* 6. *de minor.*

Ad rationem dubitandi dico, casum fortuitum in hac contingentia potiùs imputandum Commodatario, cùm potius jus habeat Commodans. Certè vi Commodati iste ad aliud obligari non potest, quàm ad quod spontè per consensum se obligavit, obligavit autem se ad tempus certum, & hoc tempus prorogare impedimentum Commodatarii nequit. ergo &c.

Quæritur 7. quæ sit obligatio Commodatarii? Resp. 21
1. curare solerter debet, ne utendo re sibi commodata, ea damnum aliquod patiatur; & sic beneficium, quo à commodantis favore fruitur, in hujus detrimentum cedat. 2. Expleto usu, & tempore, pro quo res commodata est, reddere illam debet, etiam domino non exigente; quia statuta dies pro homine interpellat *l. magnam* 12. *C. de contrah. stipul.* 3. Reddere illam debet integram, prout eam à commodante accepit; quia quando deterior redditur, propriè, & bona fide reddi non videtur *l. sed mihi* 3. §. *si reddita* 1. *l. in rebus* 18. §. *sive autem* 1. *ff. h. tit.* 4. Reddere etiam debet cum fructibus, & accessoriis v. g. si equus commodatus est, restituere eum debet cum pullo *l. si ut certo* 5. §. *usque adeo* 9. *ff. h. tit.* quia quæ accessionis jure veniunt, ejus sunt, cujus est ipsum principale *l. cùm aurum* 19. §. *perveniamus* 13. *ff. de aur. argent. legat.* & inter ipsos contrahentes actum censetur, ut quod ex re commodata natum est, in eadem causa, in qua res commodata, habeatur *l. quamvis* 10. *ff. de Precar.* 5. Si res culpa commodatarii fuit perempta, vel deterior reddita, tenetur Commodatarius (juxta distinctionem tradendam *num. seq. &c.*) præstare domino æstimationem rei peremptæ, vel non apparentis, aut si perempta, vel deperdita non sit, sed deterior facta, pretium deteriorationis, h. e. quanti deterior ea reddita est §. *si reddita cit.* neque enim, si pro ea perempta, vel deteriorata alia similis commodanti offeratur, iste eam recipere cogitur, cum invito aliud pro alio solvi non possit *princ. Inst. quib. mod. toll. oblig. l. in commodato* 17. §. *fin. ff. h. tit.*

Dub. 1. quam culpam præstet Commodatarius? Videtur universaliter solùm præstandam ab ipso culpam levem: quod desumitur 1. ex §. *item is* 2. *vers. at is, qui Inst. quib. mod. re contr. oblig.* ubi in commodatario solùm exigitur *diligentia exacta*. 2. Ex *l. si ut certo* 5. §. *custodiam* 5. *ff. h. tit.* ubi Ulpianus *diligentem* duntaxat *custodiam*, non diligentissimam à Commodatario desiderat. 3. Ex *l. custodiam* 3. *ff. de peric. & commod. rei vendit.* ubi Paulus in hæc verba respondit, *Custodiam venditor talem præstare debet, quam præstant hi, quibus res commodata est*. Atqui venditor non tenetur præstare culpam levissimam. 4. Ex *l. si cùm venderet* 13. §. *venit* 1. *ff. de pignor. act.* ibi, *Venit autem & in hac actione, & dolus, & culpa, uti in commodato; venit; & custodia: vis major non venit*. Ex quo textu sic licet arguere: juxta hunc textum eædem præstationes dantur in commodato, quæ in pignore. Sed in pignore, quia utriusque gratia accipitur, levissima culpa non præstatur. Ergo nec in commodato, 5. Ex *l. precarium* 1. §. *fin. ff. de precar.* ubi Precarium, & Commodatum dicuntur similia. atqui in precario secundùm dicta *Tit. præc.*

præc. n. 14. & 15. non præstatur culpa leviſſima, ſed neque levis, ſed tantùm leviſſima.

23 Sed diſtinguendum eſt inter varios commodandi modos: nam aliquando res commodatur in gratiam tam commodantis, quàm commodatarii, aliquando in gratiam ſolius commodantis, aliquando denique, & plerumque in gratiam ſolius commodatarii. *Si primum*, præſtatur culpa lata, & levis, non verò leviſſima, ut rectè Gloſſ. *in c. un. h. tit. V. de leviſſima*. Azor. *p.* 3. *l.* 7. *de commod. c.* 7. *q.* 1. Laym. *l.* 3. *tr.* 4. *c.* 14. *n.* 2. Gonzal. *in c. un. cit. n.* 8. Harpp. *ad* §. *item is* 2. *Inſt. quib. mod. re contr. oblig. n.* 31. *& ſeqq.* Haun. *tom.* 4. *tr.* 10. *n.* 226. Illſung. *tr.* 4. *D.* 2. *n.* 391. Zœſ. *hic num.* 2. Engl *n.* 7. Pirh. *n.* 6. Konig. *n.* 6. Vvieſt. *n.* 13. & habetur *l. in rebus* 18. *princ. verſ. at ſi utriuſque* junct. Gloſſ. *V. æſtimatio ff. h. tit. Si ſecundum*, præſtatur dolus tantùm, & culpa lata, quæ dolo æquiparatur, ut præter citt. advertunt Molin. *tr.* 2. *de Juſt. D.* 295. *num.* 1. Pal. *tr.* 32. *D.* 3. *p.* 6. *num.* 3. Vall. *hic n.* 3. & conſtat *ex l. ſi ut certo* 5. §. *interdum* 10. *ff. h. tit. Si tertium*, præſtatur culpa etiam leviſſima, ut cum relatis notat Magnif. D. Chriſtoph. de Chlingenſperg *Inſt. quib. mod. re contrah. oblig. q.* 20. & ſtatuitur expreſsè *c. un. h. tit. l. in rebus cit. princ. l. Obligationes* 1. §. *ille quidem* 4. *verſ. is verò ff. de O. & A.*

24 Ratio horum omnium eſt, quia quò majus eſt beneficium, eò magis cavendum eſt accipienti, ne in dantis injuriam, aut damnum cedat. Atqui in caſu tertio maximum beneficium accipiens obtinet, in primo minus, quàm in tertio, in ſecundo beneficium non tam accipit, quàm præſtat. Igitur cùm decreſcere obligatio debeat pro ratione beneficii accepti, ubi commodatio cedit in gratiam ſolius accipientis, præſtanda erit culpa leviſſima; ubi verò in gratiam utriuſque, levis; ubi denique in gratiam ſolius dantis, lata tantùm, & dolus. *Excipitur*, niſi Commodatarius ſit pupillus, aut minor; iſte enim ſine Tutoris, vel Curatoris conſenſu Commodatum accipiens, quamvis iſtud in ipſius ſolius gratiam cedat, commodanti tamen non tenetur, niſi ipſius dolo, vel culpa lata interierit res commodata, aut deterior facta ſit, vel quatenus inde locupletior factus eſt *l. ait Prætor* 1. §. *impuberes* 2. *ff. h. tit.* Pal. *tr.* 32. *D.* 3. *p.* 6. *n.* 3. Illſung. *tr.* 4. *D.* 2. *n.* 391. Vvieſt. *hic n.* 15.

25 Demonſtratur res per Exempla. Sic enim 1. *gratia utriuſque* commodatum cenſetur, quando hoſpitio, vel convivio excipiendus eſt communis amborum amicus, & ut dignè habeatur, unus iſtorum ab altero illorum commodata accipit vaſa aurea, & argentea, tapetes &c. & hinc ſiquid iſtorum perierit, Commodatarius præſtabit culpam levem *l. in rebus* 18. *princ. verſ. at ſi utriuſque*. 2. *Gratia dantis* commodatum reputabitur, ſiquis ſponſæ ſuæ aut uxori commodavit ornamenta, quo honeſtiùs culta ad ſe deduceretur; ſiquis Juriſperito gratis cauſæ ſuæ patrocinium recipienti, vel conſilium concipienti commodavit libros; ſiquis populo exhibiturus ludos, ſcenicis, quos ad id aſſumit, tradit res ad repræſentandum neceſſarias; nam ſi res iſtæ vitium fecerint, commodatarius culpam ſolummodo latam præſtabit *l. ſi ut certo* 5. §. *interdum* 10. *ff. h. tit.* 3. *Gratia ſolius accipientis* datum reputabitur, ſiquis, ut digniùs compareat in actu publico, torquem aureum accipiat commodatum ab eo, cujus nihil intereſt, quàm decorè compareat; nam ſi quacunque accipientis culpa, dum vel retinetur à Commodatario, vel ad Commodantem poſt uſum expletum remittitur, interierit, damnum ad Commodatarium pertinet *l. eum qui* 10. §. *ſi rem* 1. *verſ. ſed & ſi*, & *duabus ſeqq. ff. h. tit.*

26 Neque aliud probant argumenta *n.* 22. allata. *Ad* 1. dici debet ibi Poſitivo tribuendam vim Superlativi, ut Lex iſta concilietur cum *l. obligationes cit.* ubi cuſtodiendæ rei commodatæ præcipitur adhiberi *diligentia exactiſſima*. *Ad* 2. idem dicendum eſt: quod etiam verba *l. cit.* indicant, ibi *Cuſtodiam planè diligentem*, h. e. diligentiſſimam. *Ad* 3. lex *cit.* ut notat Harprecht *ad* §. *item is* 2. *Inſt. quib. mod. re contr. obl. n.* 29. referenda eſt ad caſum *l. hoc ita* 2. §. *cuſtodiam* 1. *ff. eod.* ibi autem agitur de caſu, quo emptio & venditio nondum omnino perfecta eſt, quòd vinum, ad menſuram venditum, nondum admenſum ſit. Hoc autem caſu venditor etiam culpam leviſſimam præſtat. *Ad* 4. imprimis verba illa, *ut in commodato*, non ſunt referenda ad illa priora, *dolus*, & *culpa*, ſed ad poſteriora *Venit & cuſtodia*. Deinde dici poteſt, Ulpianum in eo textu agere de Commodato, utriuſque cauſa celebrato, quo caſu rectè procedit æquiparatio Commodati, & Pignoris, & utroque caſu dolus, & culpa lata præſtabuntur. Gonzalez *in capitul. unic. hoc titul. numer.* 9. *Ad* 5. patet diſparitas ex dictis *Titul. præc. num.* 24.

Dub. 2. an hujuſmodi culpam leviſſimam præſtare Commodatarius debeat etiam in foro conſcientiæ? *Ratio dubitandi eſt*, quia Jure naturali nemo tenetur majorem diligentiam adhibere in rebus alienis, quam ejuſdem conditionis homines adhibere ſolent in rebus propriis; nec enim in re aliena conſervanda aliquis debet eſſe diligentior, & circumſpectior, quàm ipſe dominus fuiſſet futurus in ſua. Atqui homines circa res proprias, niſi ſint valde pretioſæ, adhibere ſolent diligentiam ſolùm exactam. Ergo & Commodatarius in re aliena tantùm ad exactam tenetur: imò ne ad hanc quidem ſemper, ſed tantùm tunc, quando diligentia omiſſa eſt cum dolo, vel culpa lata, quæ culpam Theologicam arguit. 27

Verùm etſi hoc ita ſit, præſcindendo à Legis Civilis, & Canonicæ diſpoſitione, tamen hac poſita dicendum, quòd probabiliùs ex natura ipſius Contractus Commodatarius obligetur ad præſtandam culpam etiam leviſſimam in foro conſcientiæ, & ante omnem ſententiam Judicis, quamvis in damno dato nullum peccatum, ſeu culpa Theologica intervenerit. Ita Azor *p.* 3. *l.* 7. *de commodat. c.* 7. *q.* 1. Molin. *tr.* 2. *de Juſt. D.* 295. *n.* 11. Leſſ. *l.* 2. *c.* 7. *n.* 40. Laym. *l.* 3. *tr.* 4. *c.* 8. *n.* 2. Barboſ. *in c. un. h. tit. n.* 2. & 5. Illſung. *tr.* 4. *D.* 2. *n.* 3. Eſtque teſte Pirhing communis DD. *Ratio eſt*, quia commodatarius implicitè ſe obligat ad eam diligentiam præſtandam, quam Leges requirunt. Igitur ſi illam non adhibet, quamvis ex mera oblivione, & ſine peccato, nihilominus in conſcientia obligabitur damnum illatum reſarcire. *Conf.* quia æquitas poſtulat, & gratitudo, ut is, qui gratis re alterius utitur in ſuam utilitatem tantùm, ſummam diligentiam adhibeat, ne pereat, vel deterior fiat. Obligatio autem gratitudinis eſt naturalis, & in conſcientia. Ergo &c. 28

Dixi autem, *Poſita Lege exigente diligentiam exactiſſimam:* ex quo ſequitur, Leges iſtas, quæ Commodatarium adſtringunt ad reparationem damni, culpa leviſſima dati, non eſſe merè pœnales; quia his ſuppoſitis, obligatio iſta oritur ex contractu implicito, conſ. eſt Juſtitiæ commutativæ. Addidi *probabiliùs*; nam oppoſita ſententia in praxi adhuc probabilis eſt; quia ut tradit Lugo *tr.* 1. *de Juſt. D.* 8. *ſect.* 8. *nu.* 110. Leges iſtæ non videntur eſſe in eo rigore receptæ: imò, ut notat Pirh. *l. cit.* non ſolùm in foro conſcientiæ, ſed etiam in foro externo uſu receptum videtur, ut reparatio damni ſemper, vel plerumque non niſi ob culpam latam, non verò levem, aut leviſſimam à contrahentibus peti ſoleat. 29

Ad rationem dubitandi patet ex dictis: nempe obligatio reparandi damnum, ex culpa leviſſima datum, non oritur immediatè ex Jure naturali (quamvis ex eo ſumatur ratio congrua) ſed ex Jure poſitivo, juxta quod cùm cenſeantur omnes velle contrahere, hinc in obligationem iſtam conſentiunt, & hoc conſenſu poſito, demum obligatio naturalis, ſicut ex omni alio contractu, ſurgit. Porro quod hìc de Commodato dictum eſt, etiam procedit de aliis Contractibus, in quibus ex diſpoſitione Juris præſtari debet culpa levis, aut leviſſima. 30

Quæritur 8. an teneatur Commodatarius præſtare caſum fortuitum, ut ſi res commodata apud ipſum pereat incendio ex fulmine orto, naufragio, vel hoſtium incurſu? Reſp. eo caſu res domino ſuo perit, aut deterioratur *arg. l. pignus* 9. *C. de pignorat. action.* ac proinde Commodatarius Jure communi regulariter non obligatur illum caſum præſtare. Ita expreſſè deciſum eſt *c. un. h. tit. l. ſi ut certo* 5. §. *quod verò* 4. *l. in rebus* 18. *pr. ff. eod. l. contractus* 23. *fin. ff. de R. J. l. obligationes* 1. §. *& ille* 4. *verſ. is verò ff. de O. & A. l. quæ fortuitis* 6. *C. de pignor. act.* & docent Azor *p.* 3. *l.* 7. *de Commodat. cap.* 7. *q.* 2. Harpprecht *ad* §. *item is* 2. *Inſt. quib. mod. re contr. oblig. n.* 33. Haun. *tom.* 4. *de J. & J. tr.* 10. *n.* 728. Engl *hic n.* 9. Konig *n.* 21. Idque locum habet etiam in Precario, & aliis ſimilibus contractibus non tranſlativis, ut conſtat ex *l. contractus cit.* ubi dicitur: *Animalium caſus, mortes, quæque ſine culpa accidunt, --- à nullo præſtantur. Ratio eſt*, quia, cùm ejuſmodi caſus vis major ſit, quàm ut ab aliquo prævideri, vel præcaveri poſſint, æquitas non patitur, ut à contrahentibus regulariter præſtentur *l. quæ fortuitis cit.* Dixi autem *Jure communi*; nam Jus Provinciale Bavaricum commodanti magis favet, dum permittit, Commodatarium, in cujus ſolius gratiam res commodata eſt, compelli poſſe ad tranſactionem de damno Judicis arbitrio ineundam, etſi illud ſine omni ejuſdem culpa ex caſu merè fortuito ſecutum ſit, prout habetur *Landrecht*. 31

drecht tit. 17. art. 1. verf. dab wo uber all sein gebuhrlichen Fleib, & notat Haun. tom. 4. tr. 10. n. 729. Chlingensperg ad Inst. tit. quib. mod. re contr. oblig. q. 25. ad Ob. 1. Illustr. D. Baro Schmid ad Stat. Bavar. art. 1. cit. n. 13. P. Vviest. hic n. 11. Addidi *regulariter* non enim hoc procedit in omni casu. Et hinc,

32 Dub. 1. quibus casibus Commodatarius teneatur etiam de casu fortuito? Resp. c. un. h. tit. tres casus ponuntur. 1. Si culpa præcessit, ex qua secutus est infelix casus, ut siquis equum tibi commodavit, ut illo equitares ad villam, tu verò duxisti illum ad bellum; nam si in hoc occidatur equus, debes damnum integrum resarcire commodanti *l. si ut certo 5. §. sed interdum 7. ff. h. tit.* 2. Si ab initio ita conventum est, & commodatarius periculum eventus fortuiti, præsertim certi, & determinati in se suscepit *l. si ut certo cit. §. nunc videndum 2. l. contractus 23. ff. de R. J.* quia contractus Legem ex conventione accipiunt, ut dicitur *l. depositum 1. §. si convenit 6. ff. depositi.* 3. Si Commodatarius post usum, & tempus expletum fuit in culpabili mora restituendi; quia *mora sua cuilibet est nociva*: & confirmatur; nam ex mora illa, veluti causa, secutus est interitus, vel alius infelix eventus rei commodatæ; qui autem est causa damni, damnum dedisse censetur, ideoque illud resarcire debet. Videatur Azor *p. 3. l. 7. de commod. c. 7. q. 3.* Laym. *l. 3. tr. 4. cap. 14. num. 2.* Haun. *tom. 4. tr. 10. num. 731.* Gonzal. *in cap. un. h. tit. num. 2.* Illustr. D. Baro Schmid *ad art. 1. cit. n. 11. & seqq.* Vall. *hic n. 3.* Engl *n. 9.* Pirh. *n. 8.* Konig *n. 21.* Vviest. *n. 11.*

33 Dub. 2. quando in Commodato, & aliis Contractibus ob moram casus fortuitus præstari non debeat? Resp. tres communiter referuntur Casus excepti. 1. Si Commodatarius habuit justam causam differendi restitutionem rei commodatæ, ut quia legitimè impeditus est, quo minùs constituto tempore restitueret; vel quia bona fide existimavit, se non debere, & ideo litigavit *l. illud 40. princ. ff. de hæredit. petit. l. utique 16. ff. de R. V. l. de eo 12. §. si post 4. ff. ad exhibend.* quibus textibus statuitur sic litigantem, etsi post litem contestatam res casu fortuito apud ipsum pereat, non teneri ad damnum præstandum: & ratio est, quia qui sine dolo malo ad judicium provocat, non censetur moram facere. *Neque obstat*, quòd *post litem contestatam omnes incipiant malæ fidei possessores esse*, ut dicitur *l. sed & si 25. §. si ante 7. ff. de hæred. petit.* non enim propriè sunt malè fidei possessores, cùm causam dubiam statim actori cedere non teneantur, si antea bona fide in possessione fuerunt. Laym. *l. 3. tr. 2. c. 4. n. 1.*

34 2 Si res commodata e. gr. per incendium similiter fuisset peritura apud dominum, etiamsi suo tempore, & loco restituta fuisset *l. si plures 14. in fin. ff. deposit.* Sylv. *V. mora num. 4.* Covar. *Reg. peccatum p. 2. §. 6. n. 1.* Azor *p. 3. l. 7. de commod. c. 7. q. 4.* Molin. *tr. 2. D. 295. n. 4.* Pirh. *hic n. 8.* Vviest. *n. 11.* *Ratio est*, quia tali casu rei interitus, sive damnum illatum moræ etiam culpabili imputari non potest. *Neque obstat*, quòd fur, raptor, aut alienus invasor, apud quem res periit sine ipsius culpa, restituere teneatur æstimationem illius, licèt similiter apud dominum periisset *l. Prætor ait 1. §. rectissimè 34. & l. meritò 19. junct.* Gloss. *V. frustrator ff. de vi, & vi armat.* nam hoc ita statutum est in odium, & pœnam furti, vel rapinæ.

3 Si res, quæ debetur, in genere solùm, & indeterminatè sit debita, v. g. bos ex grege, vel certa pecuniæ quantitas, v. g. mille floreni; tum enim debitor, etsi in mora non fuerit rem dandi, casum fortuitum præstare debet, cùm genus perire non possit.

35 Dub. 3. an qui casum fortuitum in se recepit, ut illum ex tali pacto teneatur præstare, requiratur, ut casus fortuitos specialiter enumeret, ad quos præstandos consentit, an verò sufficiat pactum generale de omni periculo, aut casu fortuito præstando? *Certum est*, eorum præsertim si insoliti sint, utilissimè expressam mentionem fieri in pacto; sic enim evitabuntur tricæ, & effugia, quæ frequenter opponerentur, cùm dicere posset is, à quo hujusmodi resarcitio peteretur, se de hoc, vel illo periculo in specie non cogitasse. Engl *hic n. 9.* Konig *n. 21.*

An verò necessarium absolutè sit expressionem hanc fieri, magna apud DD. est altercatio. Videtur necessaria esse. 1. Ex *l. negotium 22. C. de negot. gest.* ubi Impp. *Negotium*, inquiunt, *gerentes alienum, non interveniente speciali pacto, casum fortuitum præstare non compelluntur.* 2. Ex *l. si incursu 1. C. depositi*, ubi cavetur, eum, apud quem res deposita est, ita demum de casu fortuito teneri, *si illud specialiter convenerit.* 3. Ex *l. sed siquis 4. §. quæsitum 4. ff. siquis cautionib. in Judic. sist.* ubi dicitur conventionem istam (*ne nulla exceptio in promissione deserta Judicio sistendi causa facta objiciatur*) non valere, *nisi specialiter causæ exceptionum expressæ sint, quibus à promissore sponte renuntiatum est.* 4. Ex *l. ea quidem 1. C. h. tit.* ubi Impp. jubent casum fortuitum præstari, si probatum fuerit *indemnitatem promissam* pro casu speciali, videlicet, ut paulò antea, *hostilis incursionis contemplatione.*

Sed retinenda est affirmativa sententia, & dicendum, 36 quòd Commodatarius, qui casum fortuitum in se recepit, etiam de insolito teneatur, nisi casus sit planè inusitatus, qui fortè mille annis semel contingat. Ita Fachin. *l. 1. contr. c. 86.* Bachov. *ad Treutl. vol. 1. D. 29. th. 6. lit. H.* Harpprecht *ad §. item is 2. Inst. quib. mod. re contr. oblig. num. 35. & seqq.* Konig *hic num. 21.* & alii ab his *citt.* & sumitur 1. ex *l. siquis domum 9. §. Julianus 2. ff. locat.* ubi Ulpianus ex Juliano, *Siquis fundum*, inquit, *locaverit, ut etiam siquid si majore accidisset, hoc ei præstaretur, pacto standum esse.* 2. Quia propriè casus fortuiti nomen meretur, qui est insolitus *l. fistulas 78. §. fin. ff. de contr. empt.* 3. Quia tantum valere debet genus per se solum positum, quantum enumeratio omnium specierum *arg. l. si chorus 79. princ. ff. de Legat. 3.* & *l. omnes 4. C. de præscript. 30. vel 40. ann.* jam verò dubium non est ullum, quin si essent omnes species casuum fortuitorum expressæ, Commodatarius teneretur. Ergo &c.

Neque obstant textus allegati in contrarium. *Ad* 1. 37 & 2. speciale pactum, & conventio ibi appellatur, quatenus tale pactum opponitur magis generali de re commodata domino restituenda, quod ad casum fortuitum non obligat. *Ad* 3. meritò illud pactum de Judicio sisti restringitur ad casus in promissione exceptos: quia si complecteretur omnes casus fortuitos, quibus impediri potest, ne sistat, rem quodammodo impossibilem promittere videretur. In nostro casu, dum commodatarius cavet de restituenda æstimatione rei, quovis casu peremptæ, nihil intervenit impossibile: imò æquissimum est, ut casum omnem præstet, cùm ipsius gratia contractus fiat. *Ad* 4. ibi potiùs initum est pactum generale, sed postea applicatum est casui speciali. Et esto, speciale fuerit, non tamen probatur inde, quòd generale non sufficiat, cùm hæc Lex Codicis explicanda sit ita, ut Legibus pro nostra sententia allegatis non contradicat.

Dub. 4. an si res commodata æstimata tradita fuerit, per talem æstimationem omne periculum translatum censeatur? Videtur respondendum affirmativè; nam hoc contingit etiam, si marito res dotalis æstimata tradatur *l. plerumque 10. princ. ff. de Jur. dot.* & *l. quoties 5. C. eod.* atqui quod in dote, videtur etiam constitutum in re commodata *l. si ut certo 5. §. & si fortè 3. ff. h. tit.* Ergo &c. 38

Sed adhibenda est distinctio; Vel enim æstimatur res æstimatione faciente venditionem, vel non. *Si primum*, tunc tenetur solvere æstimationem, etiamsi casu fortuito pereat; quia æstimatio faciebat, ut in casum, & eventum, quo periret, haberetur pro vendita tanto pretio. Secus *in secundo casu*, in quo æstimatio solùm ad hoc adjicitur, ut certum pretium sciatur pro casu, quo vel dolo, vel culpa res pereat, & ne dominus, vel commodans teneatur rei valorem apud Judicem probare. Azor *p. 3. l. 7. de commodat. c. 7. q. 4.* Haun. *tom. 4. de J. & J. tr. 10. n. 732.*

In dubio potiùs secundum est præsumendum, ut bene advertunt Abb. *in c. un. h. tit. numer. 23.* Molin. *tr. 2. de Just. D. 295. numer. 10.* Zœs. *ff. h. tit. num. 10.* Engl *num. 10.* Konig *numer. 14.* ex regula generali; quia in Contractibus interpretatio fit contra eum, in cujus potestate erat legem apertiùs dicere *Reg. 57. in 6.* atqui in potestate commodantis fuit rem sub conditione expressa de præstando casu fortuito commodare. Ergo &c. 39

Ad argumentum contrarium patet disparitas cum dote; nam dos talis naturæ est, ut dominium illius saltem civile in maritum transeat; unde meritò æstimatio illius venditionem operatur. Aliud est in commodato, cujus dominium, & possessio penes commodantem remanet. *Ad l. si ut certo allegatam* dico, illam congruè intelligi posse, quando præter æstimationem speciale insuper pactum de casu fortuito præstando accessit.

Dub. 5. quando æstimatio non fuit taxata à contrahentibus, quomodo postmodum sit taxanda, h. e. ad quod tempus referenda sit æstimatio in illis casibus, in quibus commodatarius ob culpam, & moram tenetur ad æstimationem, eò, quòd fuerit deteriorata, absque dolo tamen, & contumacia? *Videtur* facienda secundùm tempus, quo lis contestata est. 1. Ob varios 40

textus,

textus, quibus æstimatio refertur ad litis contestatæ tempus *l. vinum 22. ff. de re reb. credit. l. fin. ff. de condict. tritic.* cum similibus. 2. non debet actori licere, quod reo non liceat. atqui reo non licet recusare æstimationem rei secundùm tempus litis contestatæ, & velle solvere secundùm tempus moræ, si hoc tempore res vilior est, & illo tempore carior. 3. fructus, & accessiones tempore moræ extrajudicialis non sunt à moroso debitore solvendæ *l. videamus 38. § si actionem 7. ff. de Usur.* ergo nec incrementum valoris. 4. ex eo tempore quælibet res æstimanda est, quo novissimè solvi potest *l. si Calendis 11. ff. de Re judic.* atqui hoc tempus est tempus litis contestatæ. ergo &c.

41 Sed dicendum, æstimationem ad id tempus referendam, quo res à tempore moræ, etiam extrajudicialis, quanti plurimi valuit, atque in optimo statu fuit. Ita Hunn. *var. resol. tr. 3. p. 2. q. 2.* Harppreccht. *ad §. item is 2. Inst. quib. mod. re contr. oblig. n. 64.* Haun. *tom. 4. tr. 10. num. 733.* & hoc teste communior Interpretum. Sumitur ex *l. in re furtiva 8. §. si ex causa 2. ff. de condict. furtiv.* ubi æstimatio fit eo modo, quo dicitur in conclusione. igitur multo magis in Commodato; nam Judicia bonæ fidei, quale est Commodatum, pinguiora sunt, & magis faventia actori, quàm quæ sunt stricti Juris, qualis est condictio furtiva. *Conf.* nam mora Commodatarii, ex qua res deterior, aut vilior facta est, non debet nocere commodanti, ut per se lumine naturæ notum est. noceret autem, si æstimatio non referretur ad tempus, quo res post moram plurimi fuit; quia potuisset commodans eam illo tempore distrahere majore pretio. ergo nisi hæc conditio compensetur, obest illi mora. Addidi *absque dolo tamen, & contumacia*; nam hic si intervenerit, condemnandus est commodatarius, quanti in litem juraverit commodans *l. sed mihi 3. §. in hac actione 2. ff. h. tit.* Imo probabile est, quòd etiam ob culpam latam in litem juretur; quia dolo æquiparatur.

42 Neque obstant argumenta contraria. *Ad 1.* cum Hunnio, & Cujacio dici potest, in stricti Juris Judiciis æstimationem ad litis contestatæ tempus referri, nisi priùs jam fuerit mora culpabilis post extrajudicialem interpellationem à creditore factam. *Ad 2.* Reus morosus non habet jus se servandi indemnem à mora, cùm factum cuique suum, non Adversario nocere debeat. *Ad 3.* Neg. Conf. nam incrementum valoris non venit nomine fructuum, & accessionum, sed pertinet ad rei substantiam: unde si valor rei adhuc existentis crevit, adhuc tota res restituenda est, etiamsi nulla intercesserit mora. *Ad 4.* Dist. Major. si tunc plurimi est. *Conc.* secus. *Nego*.

43 Quæritur 9. qualis Actio institui possit ex Commodato? Resp. duplex ex eo actio datur: una *Directa* datur Commodanti, & ejus hæredibus contra Commodatarium, & ejus hæredes ad restituendam rem commodatam, usu finito, in specie salvam, & integram, & cum omni causa, vel si perdita, aut deteriorata sit, ad præstandam æstimationem, vel interesse *l. sed mihi 3. §. si reddita 1. l. si ut certo 5. §. quin imò 8. l. is qui 13. §. si quem 1. l. in commodata 17. §. sicut 3. ff. h. tit.* Altera *Contraria* datur Commodatario, & ejus hæredibus adversùs Commodantem, & ejus hæredes ad id, quod sua interest, si res commodata ante usum expletum revocetur, aut non permittatur commodatarius ea uti ad eum usum, ad quem commodata est; item ad consequendum damnum, si quod vitio rei commodatæ, celato à commodante, illatum fuerit: & simul ad repetendos sumptus, in rem commodatam factos, exceptis cibariis, & modicis impendiis, quæ naturali ratione ad eum, qui re utitur, pertinent, secundùm dicta *n. 15. suprà*. Utraque hæc actio est Civilis, personalis, rei persecutoria, bonæ fidei, & perpetua.

44 Dub. 1. quænam aliæ insuper Actiones commodanti competant? Resp. competunt diversæ pro casibus diversis. Nam 1. competit ei *Actio furti*, si Commodatarius re aliter usus fuit, quàm ipsi concessum erat secundùm dicta *n. 2. vers. dixi 4.* 2. *Actio Legis Aquiliæ*, si idem Commodatarius rem commodatam deterioravit *l. in rebus 18. §. sive autem 1. ff. h. tit.* 3. *Rei vindicatio*, si alius à Commodatario rem commodatam teneat, & restituendi facultatem habeat *l. officium 9. in fin. ff. de R. V.* Adeoque quatuor habet actiones, ita tamen, ut *si qua earum actum fuerit, aliæ tollantur*, ut habetur *§. sive autem cit.*

45 Dub. 2. quid Juris, si eadem res individua v. g. jumentum, plaustrum &c. duobus sit commodata? Resp. hìc distinguendum est cum P. Laym. *l. 3. tr. 4. c. 14. n. 2. vers. quodsi res*, inter diversos Casus; nam si unius duntaxat illorum dolo, vel culpa periit, aut deterior facta est, ille solus damnum præstare cogetur. Si autem neuter culpa caruit, uterque in solidum obligabitur: si tamen unus illorum totum præstiterit, ab altero dimidiam partem repetere poterit *l. si ut certo 5. §. fin. ff. h. tit.* Idemque in Locato locum habet, atque in deposito *l. depositum 1. §. si apud duos 43. ff. deposit.* Si verò duo obligationem contrahant, non ex culpa, sed ex pacto, quia v. g. casum etiam fortuitum, rei commodatæ, locatæ, vel depositæ in se susceperunt, singuli tantùm pro parte tenebuntur, nisi expressè conventum fuerit, ut in solidum teneantur, sicut sentire videtur Gloss. *in §. si apud duos cit. V. pervenietur.*

Dub. 3. an res commodata retineri possit in alicujus debiti compensationem? Affirmant Abb. *in c. fin. de deposit. n. 12.* Sylv. *V. commodatum q. 3.* Azor *p. 3. l. 7. de Commod. c. 7. q. 7.* Pirh. *n. 10. de deposit.* & videntur favere textus *§. in bonæ 30. Inst. de Action.* & *l. fin. C. de Compens.* ubi compensatio permittitur in omnibus actionibus realibus, & personalibus, sola actione Depositi (& spolii) excepta. 46 Negant Molin. *tr. 2. D. 297. n. 10.* Harppreccht *ad §. item is 2. Inst. quib. mod. re contr. obl. n. 51.* Gletle *p. 3. Pandect. c. 11. n. 6. & 8.* & alii, quibus patrocinatur *l. fin. C. h. tit.* ubi Impp. *Prætextu*, inquiunt, *debiti restitutio commodati non probabiliter recusatur.* Accedit ratio; nam compensationi propriè dictæ locus solùm est in rebus fungibilibus *l. si constat 4. C. de compensat.* & *l. si convenerit 18. ff. de pignor. act.* atqui in his commodatum per se loquendo fieri non potest *l. ait Prætor 1. §. hujus edicti 1. ff. h. tit.* & *l. si gratuitam 17. ff. de præscr. verb.* ergo &c. *Conf.* si commodatarius rem, v. gr. equum in compensationem alicujus debiti retinere posset, commodans rem suam quasi vendere cogeretur; nam in effectu idem esset, acsi equus venditus, & pretio debitum solutum esset. atqui rem suam invitus vendere nemo cogitur *l. invitum 11. C. de contrah. empt.* ergo &c.

Optimè controversia ista dirimitur ope distinctionis, qua utuntur, vel saltem indicant Perez *in C. h. tit. à n. 18.* Hunn. *var. res. tr. 3. p. 3. q. 4.* Pal. *tr. 32. D. 3. p. 9. n. 3.* Haun. *tom. 4. tr. 10. n. 739.* Gibalin. *tom. 2. de negot. l. 5. c. 2. art. 8. n. 9. vers. secundò*, Zœs. *hic ad ff. n. 22.* Konig *n. 23.* Vviest. *n. 16.* 47 Vel enim res commodata extat, & restitui potest, vel ea perempta est, ac proinde non ipsa, sed ejus æstimatio restitui debet. *Si primum*, compensationi locus non est, sed res ipsa, expleto usu, & tempore, pro quo concessa est, restitui debet, ut probant rationes pro Negativa allatæ. Potest tamen eo casu Commodatarius rem commodatam retinere jure pignoris pro expensis in ejus conservationem factis, donec istæ persolutæ fuerint. *Si secundum*, locus compensationis est juxta *l. si constat cit.* Et idem dicendum, si res commodata quidem extet, sed deterior facta sit; tunc enim pretii deteriorationis cum alia quantitate debita compensatio fieri potest, ut docent DD. primùm *citt.* Neque plus probant textus *§. in bonæ*, & *l. fin. citt.* pro affirmativa; quia solùm intelligi debent de casu, quo res culpa possidentis, vel detinentis non ampliùs extat. Excipitur verò ibi solùm Depositum, tum ob exuberantiam bonæ fidei in Deposito, tum ne Depositarius culpa lata, vel dolo suo jus compensandi acquirat, Brunnem. *in l. fin. cit. n. 5. & 10.*

TITULUS XVI.

De Deposito.

SUMMARIUM.

26 27 28 *Et levissimam.*
29 30 31 *Nonnunquam casum fortuitum.*
32 33 34 35 *Quid faciendum Depositario, aut Commodatario in periculo incendii, naufragii &c.*
36 *Quaenam Actio detur ex Deposito?*
37 38 *An dominus rem depositam pro libitu statim possit repetere?*
39 40 *Quo loco, & modo restitui res deposita debeat?*
41 42 *An Depositarius eam retinere possit in compensationem pro alio debito?*
43 44 *Vel pro expensis in rem depositam factis?*
45 *An petere resarcitionem damni, quod passus est servando rem depositam prae sua viliore?*
46 *Quid dicendum de Commodatario?*
47 48 *Quo loco veniat Deponens in subhastationem bonorum Depositarii?*
49 50 *Si plures sunt haeredes, & unus eorum suam partem à Depositario consecutus est, deinde pars altera apud Depositarium pereat, cujus sit hoc damnum?*
51 52 53 *An remitti possit Actio doli competens deponenti ratione Depositi?*

D*Epositum* in multis affine Commodato est. Nomen accepit ab eo, quòd quasi in alterius manu positum sit. In Jure duplicem acceptionem habet; nam aliquando sumitur pro ipsa re deposita; & in hoc sensu definitur ab Ulpiano *l. depositum 1. pr. ff. h. tit. Est, quod custodiendum alicui datum est.* Aliquando autem pro Contractu Depositi; & in hac acceptione idem Ulpianus *l. Juris gentium 7. §. quae pariunt 1. ff. de pact.* Depositum inter Conventiones numerat, quae pariunt actiones. De hac secunda acceptione praecipuè hoc *Titulo* sermo erit.

1 Quaeritur 1. quid sit *Depositum*? Resp. non incommodè definitur, quòd sit *Contractus realis, nominatus, Juris gentium, bonae fidei, quo res alicui gratis custodienda traditur ea lege, ut eadem in specie, ad deponentis arbitrium restituatur.* Colligitur ex *l. depositum cit.* & conveniunt DD. quoad sensum, praecipuè Treutler. *Disp. select. vol. 1. D. 26. th. 1.* Althus. *Dicaeol. l. 1. c. 70. n. 1.* Knipschildt *Exerc. 5. Acad. 4. thes. 5. fol. 114.* Harpprecht *ad §. praeterea 3. Inst. quib. mod. re contr. oblig. n. 2.* Clariss. P. Schmier *de Pact. & Contract. c. 3. n. 88.* Quod ita deponitur, *commendatum, receptum,* seu *susceptum;* qui deponit, *Deponens, Depositor;* apud quem res ponitur, *Depositarius,* vel *Custos depositi* dicitur.

2 Dividunt nonnulli Depositum in depositum Juris, & depositum facti; *depositum Juris* appellant illud quo juxta *l. acceptam 19. C. de Usur.* res debita, creditori justè oblata, & ab ipso injustè recusata, apud Magistratum, vel Ecclesiam ad sistendum cursum Usurarum, & inducendum liberationis effectum deponitur: cujus ea vis est, ut depositione sic facta; debitor liberetur ab ulteriori interesse solvendo, & rei depositae interitus ad creditorem spectet. *Depositum facti*, seu *Conventionale* nuncupant, quod eo fine contrahitur, ut depositarius obligetur ad factum, seu custodiam rei, quae ita credita est ipsius fidei. Prius depositum, quia non custodiae, sed liberationis gratia constituitur, propriè non est depositum, nec hujus loci, ut rectè Konig *hic n. 8.*

3 Posterius subdividitur 1. in depositum in specie, & sequestrum. *Depositum in specie est*, quo res non litigiosa ab uno vel pluribus, aut litigiosa ab uno saltem custodienda traditur *l. depositum 1. §. sed si duo 44. ff. h. tit. Sequestrum*, cùm res litigiosa à litigantibus apud tertium deponitur, ea lege, ut is lite pendente rem custodiat, & ea finita, victori restituat *l. propriè 6. l. licèt 17. ff. h. tit.* & *l. sequester 110. ff. de V. S.* De hoc actum est *Libr. 2. tit. 17.*

4 2 In Voluntarium, & Necessarium. *Voluntarium* illud dicitur, quod nullo imminente periculo, ex mera fiducia, & voluntate contrahitur *l. depositum cit. §. praetor ait 1. Necessarium* (quod alii *Miserabile* appellant) illud vocatur, ad quod ineundum instans quaedam necessitas, & periculum morale rei aliàs perdendae cogit: qualia sunt, quae incendii, ruinae, tumultus, vel naufragii causa fiunt §. *praetor ait cit.* & *duob. seqq.* Qui Voluntarium depositum perfidè recusat restituere, condemnatur in simplum; in duplum verò, qui recusat restituere necessarium §. *praetor ait. cit.* & §. *hac autem 4.* quia majorem perfidiam committit, qui non restituit necessarium, eò quòd deponens ex necessitate dignus majore commiseratione sit, quàm qui deponit spontè. Barbos. *ad Rubr. h. tit. n. 7.* Brunnem. *ad l. depositum cit. n. 3.* ubi advertit hanc poenam necdum exolevisse: quòd verò non semper dictetur, ex eo provenire, vel quia actor non petit, vel quia hujusmodi homines perfidi sunt pauperes, vel quia Judex ignorat.

3 In Regulare, & Irregulare. *Regulare depositum* est, quo juxta regularem depositi naturam res traditur in meram custodiam, & solùm in gratiam deponentis. *Irregulare*, quod de alio quoque contractu aliquo modo participat, & sic notissimos depositi terminos excedit. Potest autem hoc fieri dupliciter, *uno modo*, quando pro rei custodia ex pacto accipitur merces: & tunc si merces ista sit pecunia, depositum admixtam habebit Locationem; si res alias, transibit in Contractum Innominatum *l. depositum 1. §. si quis servum 9. ff. h. tit.* Barbos. *ad Rubric. eod. nu. 6.* cum aliis passim. *Altero modo*, quando res deponitur cum expressa, vel tacita licentia usus: & tunc si sit fungibilis, ut vinum, frumentum, pecunia, erit Mutuum; si non fungibilis, ut equus, plaustrum &c. Commodatum *l. Lucius 24. l. Publia Maevia 26. §. Lucius 1. l. si sacculum 29. ff. h. tit.* Discrimen inter depositum Regulare, & Irregulare illud notabile est, quòd in Regulari periculum rei depositae remaneat penes deponentem; in Irregulari transeat in Depositarium, id tamen non antea, quàm iste pecuniam, vel aliam rem sic depositam loco moverit, eaque uti coeperit *l. certi 9. §. fin.* & *l. seq. ff. de reb. credit.* Schamb. *Inst. §. praeterea 3. quib. mod. re contrah. oblig.* P. Konig *hic n. 7. in fin.* P. Schmier *de pact. & contract. c. 3. n. 98. & seqq.* 5

Quaeritur 2. quaenam ad substantiam depositi requirantur? Resp. haec colliguntur ex definitione, quam *n. 1.* dedi. Nam 1. requiritur, ut res sit tradita; quia est contractus, qui re perficitur, non solo consensu §. *praeterea 3. Inst. quib. mod. re contrah. obl.* Et hinc, si quis peregre profectus amico, quem habuit obvium in via, commendaret suas aedes ad custodiam, non esset depositum, ut bene notat Clariss. P. Schmier *de Pact. & Contract. c. 3. n. 90.* 6

2 Ut adsit consensus utriusque, sc. deponentis, & ejus, qui depositum accipit; nam hic desideratur ad omnem Contractum. Unde depositum non est, siquis ponat rem in domo, vel cubiculo alterius ipso sciente, & patiente; cons. si iste domo, vel cubiculo exeat, & ostium relinquat apertum, sicque res ibi posita subducatur furto, non tenebitur, nisi probetur fecisse dolosè; quia non praecessit inter eos contractus, ex quo teneatur ad custodiam. Gomez *var. resol. tom. 3. c. 7. n. 2.* Less. *l. 2. de Just. c. 27. n. 2.* Palao *tr. 32. D. 3. p. 7. num. 7.* Duo tamen excipiendi sunt casus. *Unus* est, si is, apud quem res istiusmodi positae sunt, ratione officii alicujus assumpti sit obligatus, ut caupo, nauta, stabularius &c. nam si in praesentia horum aliqua res ponatur ab hospite, & furto subducatur, tenentur isti de culpa etiam levissima, ut dicetur *infrà n. 26.* ubi doctrina haec limitabitur. *Alter casus* excipiendus est, siquis rem aliquam in alterius etiam cujuscunque aedes intulit, addita declaratione, se rem ipsius custodiae committere; nam si is taceat, censebitur consentire in ejus custodiam, & sic tenebitur actione depositi *argum. l. si ego Sejae 9. §. final. ff. de Jur. dot.* ibi *Quid enim interest, inferantur volente eo in domum ejus, an ei tradantur?* Gomez *numer. 2. cit.* Molin. *tr. 2. de Just. D. 522. numer. 1.* Konig *num. 16. hic.* 7

3 Ut res deposita detur, & accipiatur gratis, ac sine mercede; nam ubi merces accedit, aut locatio, aut contractus innominatus videtur celebratus, ut dictum est *suprà num. 5.* Ex quo sequitur, in tali contractu omnia depositi privilegia cessare, cùm deficiente substantia Contractus, ejus quoque privilegia deficere necessum sit *arg. l. in summa 2. §. item Varus 2. ff. de aqu. pluv. arcend.* & *l. generaliter 24. §. siquis 9. ff. de fideicommiss. libert.* Interim deposito non refragatur Honorarium, ut quod venit ex benevolentia, & non immutat naturam contractuum gratuitorum *arg. l. praetor ait 1. §. si in re 24. ff. vi bonor. raptor.* & *l. si remunerandi 6. ff. mandat.* Monet tamen Stryck. *de cautel. contract. sect. 2. cap. 3. numer. 8.* ut deponens, si molestiam Depositarii ob susceptam custodiam compensare velit, aut ipse Depositarius gratis custodiam praestare nolit, protestetur, se hoc non mercedis, sed Honorarii nomine promittere, vel ut pacto expresso caveat, salva ubique debere esse privilegia depositi. 8

4 Ut res deposita detur, & accipiatur ad custodiam; quia per depositum propriè dictum nuda detentio, & custodia rei, non verò dominium, possessio, aut usus ejusdem transfertur *l. licèt 17. §. rei depositae 1. ff. h. tit.* & hinc qui absque expresso, vel tacito consensu ejus, 9

qui

qui deposuit, re apud se deposita utitur, furtum usus commisisse censetur *§. furtum 6. Inst. de Oblig. quæ ex delict. l. si sacculum 29. ff.* & *l. si depositi 3. C. h. tit.* Azor *p. 3. l. 7. de Deposit. c. 6. vers. quartò*. Less. *l. 2. de Just. c. 27. n. 5.* Laym. *l. 3. tr. 4. c. 25. n. 3.* Barbos. *ad Rubr. h. tit. n. 6.* & *in c. 1. eod. n. 6.* Vvagn. *ibid. not. 3.* Vall. *hic n. 2.* Engl *n. 1.* Konig *n. 17.* Tres tamen casus excipiendi sunt, quibus furtum usus in re deposita cessat. 1. si usus rei à deponente expressè concessus sit Depositario. 2. si is, qui depositum accepit, bona fide existimet, dominum rei non fore invitum, etiamsi ea aliquando utatur. 3. si deponatur pecunia neque clausa, neque obsignata, sed numerata; tunc enim is, qui istam accipit, nihil aliud debet, quàm tantundem solvere *l. in navem 31. vers. idem juris ff. locat.* quia censetur intervenisse Contractus mutui, vel quasi mutui, adeoque dominium transfertur in Depositarium. Idemque dicendum de aliis rebus usu consumptibilibus v. g. frumento, oleo &c. ut saltem gravis peccati condemnandus non sit Depositarius, si ea alienet, modò certus sit, se tantundem ejusdem generis, ac bonitatis præstò habiturum, cùm dominus repetiverit; tunc enim alienatio in nullum ejus damnum, sed potiùs commodum cedit, quandoquidem si res deposita apud Depositarium manens casu, vel sine dolo ejusdem periisset, deponentis id damno accidisset. Less. *c. 27. cit. num. 8.* Laym. *cap. 25. n. 3.* Pal. *tr. 32. D. 3. p. 3. n. 2.* ubi de Thesaurario Principis, qui cum pecunia sui domini negotiatur, an hoc liceat eidem, & quomodo tutus esse possit in conscientia.

5 Ut res eadem reddatur, quæ est deposita *l. Lucius 24. ff. h. tit.* Azor *p. 3. l. 7. de Deposit. c. 5.* Procedunt hæc Jure communi; nam aliquando Statuta municipalia, vel Leges Principum præter allata in deposito requirunt litteras, & tres testes; alioquin in Judicio actio depositi non datur. Azor *p. 3. l. 7. de Deposit. c. 6. vers. aliquando.*

Quæritur 3. quomodo Contractus depositi distinguatur ab aliis Contractibus? Resp. 1. distinguitur à *Precario*, & *Commodato*; quia in his usus accipienti conceditur; in deposito autem solùm ad custodiam res datur, & non ad usum, ut dictum est *n. 9.*

2 *A Mutuo*; quia in hoc dominium rei mutuò datæ transfertur in mutuatarium, non item in deposito, utpote in quo proprietas, & possessio rei depositæ penes deponentem manet *l. licèt 17. §. rei 1. ff. h. tit.* non enim Depositarius suo nomine possidet, sed alieno, videlicet deponentis; conf. hic per illum eandem possidet per Regulam generalem traditam *l. generaliter 9. ff. de acquir. vel amitt. poss.*

3 *A Locatione, & Conductione*; nam in Deposito res traditur custodienda gratuitò, & sine mercede juxta dicta *n. 8.* Et hinc si merces intervenerit, non tam depositum, quàm Locatio censebitur *l. depositum 1. §. si vestimenta 8.* & *§. seq. ff. h. t.*

4 *A Pignore*; quia etsi pignus quoque non detur ad utendum illo, datur tamen creditori in cautionem, & securitatem debiti; Depositum autem non in cautionem, sed in custodiam datur. Azor *p. 3. l. 7. de deposit. c. 1.*

Ex asserto ita discrimine, & requisitis ad depositum deducunt complures DD. quòd res deposita (eadem ratio est de commodata, & locata) præscribi etiam tempore longissimo nequeat, etiamsi Depositarii hæres, ad quem pervenit, bona fide existimet, non esse depositam, sed fuisse testatoris: quia hæc ignorantia non sufficit, ut inde nascatur animus possidendi, & habendi rem ut suam, qui ad præscriptionem requiritur; hæres enim qua talis habet primariò, & implicitè illum animum rem tenendi, quem habuit defunctus. atqui iste non detinuit rem animo habendi sibi. Imò etsi voluisset defunctus, & vellet hæres eam tenere ut suam, non tamen propterea fieret possessor; quia solo animo nemo potest sibi mutare causam possessionis, nisi interveniat actus aliquis, quo intervertatur possessio domini, qui deposuit, vel precariò, aut commodato dedit *l. cùm hæres 11. ff. de divers. temporal. præscript.*

Quæritur 4. quis possit deponere, & depositum accipere? Resp. deponere, & depositum suscipere possunt, qui contrahere, & contrahendo obligari. In specie depositum suscipere possunt 1. etiam *fœminæ l. Publica Mævia 26. ff. h. tit.*

2 *Pupillus*, & *Minor*, etiam sine Tutoris, vel Curatoris authoritate: in quo tamen id habent privilegii, quòd si absque Tutore, vel Curatore depositum susceperint, & hoc apud ipsos interierit, vel consumptum fuerit, solùm teneantur, in quantum inde facti sunt locupletiores, vel de dolo commisso convinci possunt. *l. depositum 1. §. an. in pupillum 15. ff. h. tit.*

3 *Clericus*, & *Religiosus*, ac quivis alius ratione utens, soli enim excluduntur, qui usu istius carent, uti sunt infantes, & furiosi, extra tempus dilucidi intervalli saltem; quia nec alios sibi obligare, nec ipsi aliis obligari possunt *§. sed quod diximus 10. de inutil. stipul. l. obligationes 1. §. furiosum 12.* & *§. seq. ff. de O. & A. l. in negotiis 5.* & *l. furiosi 40. ff. de R. J.*

13 *Dubitatur*, an ex re apud Clericum, vel Religiosum deposita, si dolo illius, vel lata culpa sit perdita, vel consumpta, obligetur Ecclesia, vel Monasterium? Resp. distinguendo, an Clericus, vel Religiosus Depositum acceperit cum, vel sine consensu Prælati, & Capituli.

Si primum, obligabitur eo casu Ecclesia, vel Monasterium ad resarciendum damnum; cùm enim Prælatus, & Capitulum simul repræsentent Ecclesiam, vel Monasterium, æquum est, ut sicut in aliis Contractibus, exigente, aut suadente justa causa, sic celebratis, ita etiam hoc casu ex receptione Depositi obligetur Ecclesia, vel Monasterium, ne id non bona fide receptum, & deponens ab Ecclesia deceptus videatur contra *c. per tuas 5. de donation.* Gloss. *in c. 1. V. personæ h. tit.* Innoc. *ibid. n. 1.* Imol. *n. 5.* Sanch. *l. 6. Mor. c. 14. n. 35.* Laym. *l. 3. tr. 4. c. 25. n. 6.* Barbos. *in c. 1. cit. n. 9.* Engl *hic n. 10.* Pirh. *n. 13.* Konig *n. 10.* Schambog. *n. 5.* Vviest. *n. 19.*

Si secundum, licèt ex hujusmodi receptione Clericus, vel Religiosus, cujus dolo, vel culpa lata res perempta, aut deteriorata est, conveniri possit, Ecclesia tamen non tenetur. Est resolutio communis, istiusque ratio, & regula est, quia delictum personæ in damnum Ecclesiæ, vel Monasterii redundare non debet *Reg. 76. in 6.* Et procedit hoc etiam casu, quo Clericus, vel Religiosus Depositum recepit cum consensu Prælati sui, si id factum sit sine consensu Capituli: imò si ipse Prælatus sine Capituli sui consensu. Molin. *tr. 2. de Just. D. 525. n. 3.* Less. *l. 2. c. 27. n. 11. vers. notandum*, Laym. *l. 3. tr. 4. c. 25. n. 6.* Pal. *tr. 32. D. 3. p. 4. n. 2.* Barbos. *in c. 1. h. tit. n. 1.* Vall. *hic n. 4.* Zœs. *n. 2.* cum reliquis *suprà*. *Excipitur*, si aliquid ex tali Deposito ad Ecclesiam, vel Monasterium pervenit, aut in rem, vel utilitatem ipsius est versum; tunc enim eatenus tenebitur Ecclesia, vel Monasterium, ut rescripsit Alexander III. *c. gravis 1. h. tit.* & notat Vivian. *ibid. vers. nisi in utilitatem*, Zœs. *hic n. 2.* Schambog. *n. 3.* Konig *n. 10.* 14

Quæritur 4. quænam res deponi possint? Resp. deponi possunt res omnes, quæ sub custodiam cadunt: neque refert, an propriæ illæ sint deponentis, an verò alienæ; nam etiam fur, & prædo, si rem furtivam, aut raptam deposuerit, actionem Depositi habet, eique res deposita restituenda venit *l. depositum 1. §. si prædo 39. l. bona fides 31. §. incurrit 1. ff. h. tit. l. non ab judice 64. princ. ff. de Judic.* modò non apud rei dominum deposuerit; nam hic depositi actione non tenetur *l. qui rem suam 15. l. bona fides cit. §. incurrit 1. in fin. ff. h. tit. l. neque pignus 45. ff. de R. J.* Azor *p. 3. l. 7. de Deposit. c. 3. vers. quæres*, Laym. *l. 3. tr. 4. c. 25. n. 2.* Harpprecht *ad §. præterea 3. Inst. quib. mod. re contrah. oblig. n. 15.* Haun. *tom. 4. tr. 10. n. 819.* Barbos. *ad Rubr. h. tit. n. 6.* Engl *hic n. 7.* *Ratio est*, quia is, apud quem deponitur, tradere eam debet alteri repetenti. atqui dominus rem suam non tenetur tradere *l. qui rem*, & *§. incurrit citt.* Intelligi autem hoc debet tantùm de casu, quo constat, quòd sit dominus rei apud se depositæ; si enim in continenti non constet de dominio, æquum est deponenti possessionem restitui, ac tum primùm agi de proprietate *arg. l. si de fundo 15. C. de locat.* ubi id traditur de conducto, est enim par ratio de Deposito. igitur deponens eo casu consequetur restitutionem rei depositæ, non tamen actione Depositi (quia controversum est, an valuerit Depositum, eò, quòd apud dominum deponi nequeat, sicut nec locari, vel commodari) sed conditione ex *l. qui rem cit.* 15

Dub. 1. an etiam res immobiles recipiant Depositum? Negant Host. *in Summ. h. tit. n. 3.* Sylv. *V. depositum n. 1.* Sichard. *ab Rubr. Cod. h. tit. n. 4.* Treutler. *vol. 1. D. 26. th. 4.* Tholos. *Syntagm. l. 23. c. 3. n. 4.* Struv. *Synt. Jur. Civil. Exercit. 21. th. 35.* Vvissenbach. *ad §. part. 2. D. 31. th. 11.* Barbos. *in Rubr. h. tit. n. 6.* & alii apud istos. *Fundantur* 1. quia Jura Depositum in immobilibus non agnoscunt, cùm in toto Jure nullum rei immobilis depositæ exemplum reperiatur, nec ulla ejus fiat mentio, passim verò rerum mobilium depositarum. 2. Depositum est, quod custodiendum alicui datum est *l. depositum 1. pr. §. h. tit.* i. e. de manu in manum traditum. atqui res immobiles sic tradi nequeunt, cùm loco non moveantur. 3. imò inutilis est rei immobilis custodia, cùm nec latere, nec fugere, neque auferri, vel subtrahi queat. 4. cura rei immobilis habet speciem mandati propter administrationem *l. naturalis 5. §. sed si facio 4. ff. de præscript.* 16

verb.

verb. atqui Depositum respicit nudam custodiam sine administratione.

17 Sed adhuc dicendum, etiam res immobiles deponi posse. Ita Perez in l. stipulationes 72. ff. de V.O. n. 3. Knipschildt Exercit. Acad. 4. q. 1. fol. 125. cum seq. Hunn. D. 14. th. 12. & l. 3. var. resol. Jur. Civ. tr. 3. p. 4. q. 1. fol. 941. & seqq. Harppr. ad §. præterea 3. Inst. quib. mod. re contr. oblig. n. 18. & seqq. Lautterbach ad ff. h. tit. n. 10. Haun. tom. 4. tr. 10. n. 815. Konig hic n. 12. Vviest. n. 5. & novissimè Clariss. P. Schmier de Pact. & contract. c. 3. n. 112. & receptum est Jure Bavarico Land- Recht tit. 18. art. 1. ubi clarè exprimitur alterius custodiæ commendari posse ligend, und fahrend Gut, quorum vocabulorum priori immobilia significari extra dubium est. Conf. etiam ex Jure communi; nam etiam immobilia custodiæ alterius commendari l. si vendita 11. & l. possideri 3. §. fin. ff. de acquir. vel amitt. possess. imò in sensu à Jure approbato etiam tradi possunt l. stipulationes cit. princ. ibi fundum tradi.

18 Neque obstant argumenta contraria. Ad 1. sufficit, quòd §. præterea 3. Inst. quib. mod. re contrah. oblig. aliique textus loquantur indefinitè de rebus. Exempla, quibus Leges utuntur, non sunt mensura Legum, quasi non se ultrà extendant; quia desumuntur tantùm ex iis, quæ regulariter contingunt: unde sicut, si nullum exemplum extaret Depositi rei se moventis, malè quis inferret, Ergo res se movens non est materia apta Depositi, ita etiam hic. Ad 2. præterquam quòd ab Etymologia nominis non desumatur firmum argumentum, quando de re ipsa constat, insuper satis quoque probatum est, quòd res etiam immobiles in sensu Juris propriè ad custodiam tradi possint, ut patet ex l. stipulationes cit. & aliis textibus. Ad 3. licèt propter eam rationem custodia, rei immobili, ne auferatur, apposita, inutilis sit, & ut l. si ea 31. princ. ff. de action. empt. dicitur, adversùs vim parum proficiat, utilis tamen est, & plurimùm proficit adversùs incendia, devastationem, deteriorationem, & similia detrimenta, quæ à vicinia possunt inferri. Ad 4. licèt plerumque res immobiles sint materia mandati, quo committitur administratio, non rarò tamen commendantur præcisè ad custodiam sine ulla administratione, qualiter sæpe commendari ad tempus breve solent ædes à discedente domino.

19 Dub. 2. num ea, quæ accedunt rebus depositis, propriè sint materia illius Depositi? Videtur respondendum affirmativè arg. l. si ut certo 5. §. si me 13. ff. commod. ubi cavetur, accessoria rei commodatæ præ commodatis haberi, etsi simul non fuerint expressa, usque adeo, ut Commodatarius etiam in iis, quæ sequuntur rem commodatam, diligentiam, & custodiam præstare debeat.

Sed retinenda est negativa sententia ob luculentum textum l. depositum 1. §. quæ depositis 5. ff. h. tit. ubi Ulpianus, Quæ depositis rebus, inquit, accedunt, non sunt deposita, ut puta, si homo vestitus deponatur; vestis enim non est deposita: nec si equus cum capistro; nam solus equus depositus est. Ex quo sequitur, quòd Depositarius solùm teneatur habere custodiam hominis depositi, non vestis, equi non capistri. Si tamen restituenda sit res deposita, sub restitutionem etiam accessoria veniunt, cùm restitutio fieri debeat cum omni causa: quæ proinde actione depositi cum re deposita peti possunt l. depositum cit. §. & ideo 24. imò etiam æstimatio eorundem, si Depositarii dolo perierint arg. l. sed si certo cit. §. usque adeo 9. ff. commod.

Ad rationem dubitandi nego paritatem inter Commodatum, & Depositum; Commodatum enim ex genere suo tendit præcisè ad commodum accipientis, & illud quoque, quod accedit, simul cum re commodata utile eidem est, atque meritò ut commodatum habetur: Contrà Depositum in commodatum deponentis est, ut proinde Depositarius, cùm emolumentum non sentiat, justè recuset onus circa rem, non expressam in conventione.

20 Dub. 3. an si arca, cista, sarcina obsignata, & clausa deponatur, etiam depositæ censeantur res in illa repertæ? Resp. affirmativè ob clarum textum l. depositum 1. §. si cista 41. ff. hoc tit. Ratio est, quia dum cista deponitur, non tam attenditur continens, quam contentum, nec tam cista, quàm res ex intentione contrahentium deponi videtur. Estque hoc verum, licèt is, qui depositum suscepit, ignoraverit, quales res in cista fuerint positæ, ut bene advertit Mantic. de tacit. & ambig. convent. l. 10. tit. 5. n. 3.

Si cista deposita sit restituenda, & deponens asserat, non omnes res, antehac inclusas, ibidem inveniri, distinguendum est, an restituatur clausa, & obsignata, sicut accepit, ita, ut nec signa mutata sint, nec quid aliud in contrarium appareat; an verò deprehendatur reserata. Nam si primum, incumbit deponenti onus probandi, ex dolo, vel culpa depositarii aliquid fuisse surreptum, eò quod dolus, & culpa non præsumantur, nisi probentur. Mævius p. 9. decis. 54. n. 8. & 55. per totam, Gomez var. resol. tom. 3. c. 7. n. 2. Stryck de cautel. contract. sect. 2. c. 3. §. 7. Leuterbach h. tit. §. 13. P. Konig hic n. 14. P. Schmier de pact. & contract. c. 3. n. 119. Si secundum, dolo depositarii reserata, vel non rectè custodita præsumitur, & deponens ad juratam rerum inde amissarum probationem admittitur arg. l. si quando 9. C. unde vi. nisi sigillum fuisset fragile, quod facilè absque facto hominis frangi potuisset, Depositarius verò sit homo bonæ famæ, & integræ fidei. Maschard. de Probat. concl. 508. n. 3. Harppr. ad §. præterea 3. Inst. quib. mod. re contr. obl. n. 46. & 47. præter citt.

Quæritur 5. quæ obligatio nascatur ex Contractu Depositi? Resp. duplex enascitur: una se tenet ex parte Deponentis, ut Depositarium servet indemnem; quod fit 1. reparando damnum dolo; vel quavis culpa deponentis datum arg. l. si servus 61. §. quod verò 5. ff. de furt. junct. l. sed si certo 5. §. nunc videndum 2. ff. Commodat. 2. refundendo impensas in rem depositam factas l. si in Asia 12. princ. & l. actione 23. ff. h. tit. Altera afficit Depositarium. Obligatur hic 1. rem depositam, in custodiam semel, receptam, tamdiu retinere, quousque durat causa, v.g. absentia, aut lis mota, propter quam est deposita arg. l. si quis absentis 5. ff. de O. & A. Si tamen diutiùs hæc causa maneat, vel impedimentum aliquod interveniat, propter quod custodiam continuare non valeat, Judicem adire potest, ut ejus authoritate ab onere hoc liberetur. Cothman. consil. 62. in fin. Stryck de cautel. contract. s. 2. c. 3. n. 12. Konig hic n. 20. 2. obligatur, ut custodiat, & servet rem depositam ea fide, cura, ac diligentia, qua solet servare, & custodire res proprias; nec enim salva fide minorem rebus depositis, quàm suis diligentiam præstabit c. bona fides 2. h. tit. & l. quod Nerva 32. ff. eod. 3. tenetur rem depositam (si Depositum Regulare sit) in specie restituere cum omni causa, & damna, quæ dolo, vel culpa causavit, resarcire. 21

Dub. 1. quando Depositarius Deponenti debeat præstare damnum rei depositæ, si hæc apud ipsum periit, aut deterior facta sit? Resp. regulariter loquendo, tum solùm, quando accidit ipsius depositarii dolo, vel culpa lata, non verò, si levi, aut levissima. Ita Abb. in c. bona fides 2. h. tit. n. 2. & 3. Gomez var. resol. tom. 3. c. 7. n. 2. Azor p. 3. l. 7. de deposit. c. 7. q. 1. Less. l. 2. de Just. c. 27. n. 9. Laym. l. 3. tr. 4. c. 25. n. 1. Pal. tr. 32. D. 3. p. 7. n. 1. Vivian. in c. 2. cit. princ. Gonz. ibidem n. 1. Vvagn. vers. casus etiam, Althus. Dicælog. l. 1. c. 70. n. 2. Harpprecht ad §. præterea 3. Inst. quib. mod. re contrah. oblig. n. 26. Illsung. tr. 4. D. 2. num. 393. Vall. hic n. 3. Zoes. n. 2. Engl n. 3. Pirh. n. 3. & 4. Konig n. 21. Vviest. n. 9. & communiter DD. 22

Dixi 1. teneri, si hoc acciderit Depositarii dolo. Ita habetur §. propterea 3. Inst. quib. mod. re contrah. oblig. l. depositum 1. §. in conducto 10. & §. fin. ff. h. tit. Præsumitur autem dolus commissus esse, si rebus propriis salvis, eæ, quæ apud ipsum depositæ fuerunt, in eodem loco existentes amissæ sint c. bona fides 2. h. tit.

Dixi 2. aut culpa lata; quia hæc in Contractibus æquiparatur dolo l. quod Nerva 32. ff. h. tit. imò l. magna 226. ff. V. S. Dolus (videlicet præsumptus) vocatur. Ratio est, quia salva bona fide, minorem diligentiam in rebus depositis adhibere Depositarius nequit, quàm adhibere quisque soleat in rebus suis. atqui in rebus suis adhibet diligentiam saltem communem. ergo si eam non adhibeat in re deposita, & conf. si latam culpam committat, præsumetur non procedere bona fide, adeoque agere dolo malo. 23

Dixi 3. non verò levi, vel levissima: cujus duplex est ratio, tum quia ille, qui negligenti amico rem custodiendam tradit, non ei, sed suæ facilitati id imputare debet, ut Justinianus §. præterea cit. in fine loquitur; tum etiam quia Depositum regulariter fit gratia solius deponentis l. obligationes 1. §. is quoque 5. ff. de O. & A. neque emolumentum affert ei, cujus fidei res commendatur l. si ut certo 5. §. nunc videndum 2. ff. Commodat. igitur non est æquum, ut ille ad tam arctam custodiam obligetur. Addidi autem regulariter non teneri ex culpa levi, & levissima; quia dantur casus, quibus ex levi, aliquando etiam ex levissima culpa ad damnum reparandum obstringitur Depositarius. Atque hinc

Dub. 2. quando Depositarius teneatur præstare culpam levem? Resp. tres casus à DD. referuntur, 1. si convenerit inter deponentem, & Depositarium, ut hic de levi culpa teneatur; quia pacta dant legem Contractibus. Azor p. 3. l. 7. de Deposit. c. 7. q. 2. Laym. l. 3.

l. 3. *tr.* 4. *c.* 25. *n.* 1. Vallenf. *hic n.* 4. Harpprecht. §. *præterea cit. n.* 32.

2 Si mercedem pro rei custodia recepit *c. bona fides* 2. *h. tit. l. depositum* 1. §. *si vestimenta* 8. *& seq. ff. eod.* quia sic Depositum gratia utriusque celebratum, & saltem si merces non nimis modica constituta sit, natura locati conducti assumpta videtur, in quo culpa levis præstatur. Abb. *in c. bona fides cit. n.* 3. Less. *l.* 2. *de Just. c.* 27. *n.* 10. Pal. *tr.* 32. *D.* 3. *p.* 7. *n.* 4. Gonz. *in c.* 2. *cit. n.* 3. Illsung. *tr.* 4. *D.* 2. *n.* 393. Engl *hic n.* 5. *vers. secundò si depositarius*, Pirh. *num.* 5. Konig *n.* 22. Vviest. *n.* 10. cum *citt.*

3 Si ad Depositum recipiendum seipsum obtulit *c. bona fides cit.* Gloss. *ibid. V. de culpa*, Vivian. *vers. vel si aliquid*, Barbos. *n.* 1. Vvagn. *vers. casus autem*, Zœs. *n.* 2. cum allegatis. Ratio sumitur ex *c. bona fides cit.* nam ibi ad Depositum se offerens, & pro ejus custodia mercedem accipiens æquiparantur. ergo sicut iste, ita & ille præstate debet saltem culpam levem commissam in custodia rei depositæ.

25 4 Nonnulli addunt, si Depositarius rebus propriis solitus est adhibere diligentiam majorem communi: putant enim requiri, ut quisque impendat non minorem diligentiam rebus depositis, quam is impendit propriis; conf. tenebitur de culpa levi, si diligentior, imò etiam de levissima, si diligentissimus, in rebus propriis fuit: cui sententiæ favere videtur textus *l. quod Nerva* 32. *ff. h. tit.* ibi, *Neque enim salva fides minorem in iis, quam suis rebus diligentiam præstabit.*

Sed dicendum, etsi valde æquum sit, ut Depositarius eandem adhibeat diligentiam rebus depositis, quam adhibet rebus suis, sufficere tamen, si adhibeat tantam, quantam ejus generis homines in hujusmodi rebus adhibere solent. Ita Treutler. *vol.* 1. *D.* 26. *th.* 2. *ad lit. C.* Harpprecht *ad* §. *præterea* 3. *Inst. quib. mod. re contrah. oblig. n.* 27. Gonz. *in c.* 2. *cit. n.* 1. Engl *hic n.* 8. Clariss. P. Schmier *de pact. & contract. c.* 3. *n.* 121. *& seqq. Ratio est*, quia sic, qui diligentissimus est in rebus suis, deterioris conditionis foret, quàm alii, qui in rebus suis sunt minùs diligentes: quod durum videtur. Accedit paritas cum aliis Contractibus, in quibus non attenditur, quantam quis diligentiam adhibeat rebus propriis, sed quantam percipiat utilitatem. *Ad l. quod Nerva* in contrarium allegatam rigor ejus temperandus est ad æquitatem, ita, ut locum duntaxat habeat, ubi ex omissione talis diligentiæ fraus, & dolus argui potest.

26 Dub. 3. an, & quando à Depositario debeat præstari culpa levissima? Resp. tres iterum casus afferri possunt. 1. si Depositarius in Contractu Depositi expressè se obligavit ad præstandam culpam levissimam; quia Contractus ex conventione Legem accipiunt *l. depositum* 1. §. *si convenit* 6. *ff. h. tit.* Pal. *tr.* 32. *D.* 3. *p.* 7. *num.* 6. Engl *hic num.* 5. *vers. tertiò si nominatim*, Konig *n.* 22.

2 Si res à viatore deponatur apud Nautam, Cauponem, Stabularium, & similes, quorum officium annexam habet custodiam *l. ait Prætor* 1. *& seqq. ff. nautæ, caupones. &c.* quod salubriter constitutum est, ut istorum hominum occurreretur fraudibus, & viatorum securitati consuleretur. Less. *l.* 2. *c.* 27. *num.* 10. Laym. *l.* 3. *tr.* 4. *c.* 25. *n.* 1. Illsung *tr.* 4. *D.* 2. *num.* 393. cum *citt. Excipitur*, nisi his, quos hospitio caupo excepit, assignaverit cubiculum: tradiderit ejusdem claves, & præmonuerit, ut ipsi rerum suarum haberent custodiam, istique consenserit; tunc enim ne quidem de culpa levi tenebitur. Cæsar Panimoll. *decis.* 94. *adnot.* 1. *n.* 11. Haun. *tom.* 4. *tr.* 10. *n.* 825. Pirh. *hic num.* 6. Vviest. *n.* 12. Imò, ut *l. citt.* advertunt Less. *num.* 10. *in fin.* Pal. *n.* 7. Illsung *n.* 393. *fin.* defacto consuetudine jam introductum est, ut nisi caupones, nautæ &c. de custodia rerum in domum, vel navim suam invectarum specialiter moneantur, ipsi earum domini totam curam in se suscipiant.

27 3 Ut Bartol. *in l. depositum cit.* §. *sæpe* 35. Abb. *in c.* 2. *h. tit. n.* 3. Vivian. *ibid. vers. nisi seipsum*, Gonz. *n.* 2. Vvagn. *vers. casus autem*, Pirh. *n.* 5. Engl *num.* 5. Vviest. *n.* 11. si Depositarius pro custodia depositi seipsum obtulit, tenebitur, non tantùm de culpa levi, ut dictum est *suprà n.* 24. sed etiam de levissima: quod colligi videtur ex §. *sæpe cit.* ubi Julianus scribit, ab eo, qui ita se obtulit *non solùm dolum, sed etiam culpam, & custodiam præstari, non tamen casum fortuitum.* atqui nomen *custodiæ* ibi significare videtur exactissimam diligentiam, quæ, opponitur culpæ levissimæ, prout sumitur ex *l. si cùm venderet* 13. *ff. de pignorat. action.* & clarè satis indicat Jus Bavaricum *Land Recht tit.* 18. *art.* 1. dum *Custodiæ* nomen hìc interpretatur *den dusseristen Sleib. Conf.* 1. quia alioquin, si *Custodia* significaret solùm mediocrem diligentiam, quæ opponitur culpæ levi, *Custodiæ* nomen §. *sæpe cit.* inutiliter, & per Tautologiam bis repetitum fuisset. *Conf.* 2. quia §. *cit.* solùm excipitur casus fortuitus, quòd ab eo, qui se obtulit, præstari non debeat. igitur culpa, quæcunque illa sit, præstari debet; quia unius exclusio est inclusio alterius. *Conf.* 3. quia per talem obligationem Depositarius omnem diligentiam in re custodienda simul promisisse intelligitur.

Hæc sententia utut valde probabilis sit, in contrarium tamen inclinant Cludius *tr. de Jur. sequestr. c.* 11. *n.* 11. apud Harpp. *ad* §. *præterea* 3. *Inst. quib. mod. re contrah. oblig. n.* 28. Less. *l.* 2. *de Just. c.* 27. *n.* 11. Pal. *tr.* 32. *D.* 3. *p.* 7. *n.* 3. Illsung *tr.* 4. *D.* 2. *n.* 393. Engl *hic n.* 5. nec omnino immeritò; quia utique potest quis se offerre ad custodiam, quin propterea majorem obligationem, quàm alii à depositore rogati, subire velit, aut ex lege debeat. Certè satis durum esset, eum, qui ut bonus vir, & amicus in necessitate se offert ad rem alterius custodiendam, ob ipsum hunc actum Charitatis, quo sese obtulit, plus cæteris Depositariis obligari; sic enim ab hoc Charitatis officio potiùs absterrerentur homines, quàm ad illud allicerentur. Accedit, quia etiam post oblationem hanc sibi factam Deponenti liberum omnino est, an apud hunc, vel alium quempiam velit deponere; conf. sibi imputet, si hujus personam elegerit. Textus §. *sæpe cit.* intelligi potest procedere de casu, quo is, qui se obtulit, singularem diligentiam promisit; vel obtulit se ei, qui non communis, sed singularis diligentiæ hominem, cujus custodiæ rem commendaret, desideravit. 28

D. 4. an, & quando Depositarius obligetur ad præstandum Casum fortuitum? Resp. regulariter non teneri ad illum præstandum, ut colligitur ex *c. bona fides* 2. *h. t.* & patet ex *L. depositum* 1. §. *sæpe* 35. *ff. h. tit.* ubi Casus fortuitus expressè excipitur. *Excipiendi* tamen tres casus sunt, in quibus casus fortuitus à Depositario præstari debet. 1. si nominatim convenit, ut res deposita esset periculo ejus, qui suscepit *c. bona fides*; & §. *sæpe cit.* pactis enim, & conventionibus, sicut ad majorem, vel minorem culpam, quàm aliàs natura contractus exigit, ita etiam ad casum fortuitum obligare se possunt *l. nec ex prætorio* 27. *ff.* & *Reg. contractus* 85. *in* 6. Azor *p.* 3. *l.* 7. *de Deposit. c.* 7. *q.* 4. Pal. *tr.* 32. *D.* 3. *p.* 7. *n.* 2. Vivian. *in c.* 2. *cit. vers. pacto verò*, Gonzal. *ib. n.* 4. Barbos. *num.* 1. Vvagn. *vers. casus autem*. Vall. *hic n.* 4. Konig *n.* 22. Vviest. *num.* 14. *Excipiunt* plerique, nisi casus sit omnino insolitus; quia ad hunc is, qui casus fortuiti præstationem in se recepit, non præsumitur se obligare *arg. l. si stulas* 78. §. *fin. ff. de contrah. Empt.* Gaill. *l.* 2. *obs.* 23. *n.* 19. 29

2 Si Depositarius fuit in culpabili mora restituendi; nam eo casu, si res deposita postea pereat etiam ex casu fortuito, tenebitur Depositarius eum præstare *l. Si in Asia* 12. §. *fin. ff. h. tit.* nam *mora sua cuilibet est nociva*, ut habet *Reg.* 25. *in* 6. *Excipitur*, si res eodem modo peritura fuisset apud Deponentem; etiamsi suo tempore restituta fuisset. Gloss. *in l. si in Asia cit. V. periculo*, junct. Gloss. *marg. lit. B.* Laym. *l.* 3. *tr.* 4. *c.* 25. *n.* 1. Fachin. *l.* 2. *contr. c.* 72. & *l.* 8. *cap.* 10. Treutl. *vol.* 1. *D.* 26. *thes.* 3. Gonz. *in c.* 2. *cit. n.* 6. Engl *hic n.* 6. cum aliis *suprà*. 30

3 Si casum fortuitum, quo res periit, præcessit dolus verus aut ex culpa lata præsumptus. Harpprecht *ad* §. *præterea* 3. *Inst. quib. mod. re contrah. oblig. n.* 33. cum *suprà* allegatis. Ratio est, quia talis causam damni dedit; is autem, qui causam damni dedit, damnum dedisse censetur.

Qualis culpa hæc esse debeat, ut casus fortuitus eam consecutus à Depositario præstari debeat, disputatur inter DD. Accursius *in l. depositum cit.* §. *sæpe*, cum pluribus aliis, quos allegat Harpprecht *n.* 33. *cit.* volunt sufficere etiam culpam levem *arg. l. si ut certo* 5. § *quod verò* 4. *ff. Commodat.* ubi casus fortuitus imputatur ei, qui Commodatum accepit, si *aliqua culpa* (adeoque etiam levis) *interveniat*. 31

Sed verius est, casum non aliter præstandum esse à Depositario, quàm si illa culpa casum præcessit, ad quam præstandam ex natura Contractus Depositarius obligatur; nam aliàs sequeretur, quòd etiam levi culpa adstringeretur contra claram Juris decisionem §. *præterea cit. & l. depositum* 1. §. *ult.* junct. *l. quod Nerva ff. h. tit.* Harppr. *n.* 33. *cit.* Engl *n.* 5. *hic vers. tertiò si nominatim in fin.*

Ad argumentum contrarium nego paritatem depositi cum Commodato; nam Commodatarius, cùm culpam quoque levem præstare regulariter teneatur, mirum

tum non est, si etiam ad casum fortuitum, qui ex levi ipsius culpa resultat, adstringatur.

32 Dub. 5. an Depositarius (eadem quæstio formari potest de Commodatario, & Conductore) in periculo incendii, naufragii, hostilis incursionis res depositas servare debeat præ suis, si servare utrasque simul non possit? *Ratio dubitandi* est, quia ex una parte videtur dicendum, quòd tali casu obligetur res depositas servare præ suis, ne censeatur egisse dolo, qui præsumitur casu, quo propriis rebus salvis, depositum periit *c. bona fides 2. h. tit.* & *l. quod Nerva 32. ff. eod.* Ex altera verò parte regula Charitatis est dilectionem incipere à seipso, ut proinde alicui vitio vertendum non sit, si priùs de rebus propriis, quàm de alienis sollicitus fit *can. si non licet 9. caus. 23. q. 5.* igitur casu, quo Depositarius servare res depositas simul cum suis nequit, jure studium suum intendit ad servandas res proprias.

33 Sed utendum est distinctione, quam applicant Abb. *in c. 2. h. tit. num. 2.* Molin. *tr. 2. de Just. D. 296. num. 2.* Less. *l. 2. c. 27. à n. 23.* Laym. *l. 3. tr. 4. c. 7. num. 7.* Pal. *tr. 32. D. 3. p. 8. n. 1. & seqq.* Haun. *tom. 4. tr. 10. à n. 743.* Illsung. *tr. 4. D. 2. n. 394.* Magnif. D. Christoph. de Clingensperg *Inst. quib. mod. re contrah. oblig. q. 30.* Engl *hic n. 9.* Pirh. *n. 16. & 17.* Konig *n. 23.* Vviest. *n. 16. & 17.* Vel enim res depositæ sunt pretiosiores propriis, vel contrà istæ depositis, vel denique utræque æqualis sunt pretii:

Si primum, depositæ præ propriis servari debent. *Ratio est*, quia in deposito quisque tenetur adhibere saltem eam diligentiam, quam adhibere solet in rebus propriis; quisque autem res pretiosiores eriperet periculo præ vilioribus suis. ergo etiam hoc facere debet in rebus alienis. *Excipitur*, nisi præferendo rem alienam pretiosiorem suæ viliori notabile damnum incurreret, & non sit moraliter certus se posse ejus pretium recuperare à domino rei alterius; quia nemo in hujusmodi Contractibus intendit se obligare ad expensas faciendas pro re aliena cum notabili, & gravi suo detrimento, vel probabili ejus periculo. Tambur. *Decal. p. 2. l. 8. tr. 3. c. 5. §. 7. n. 4.* Pirh. *hic n. 16.*

34 *Si secundum*, contingat, & res propriæ pretiosiores depositis sint, illas præ his Depositarius potest eripere periculo; quia nemo tenetur pati majus damnum proprium ad evitandum minus alterius, cùm ordo Charitatis jubeat, ut quisque priùs sibi prospiciat, dein proximo.

Si tertium, & res depositæ æqualis pretii cum propriis sint, altera distinctione est opus, & videndum, an res alienæ sint acceptæ in utilitatem dantis tantùm, ut in deposito, an verò in utilitatem utriusque, dantis videlicet, & accipientis, ut in conductione, & pignore, an denique in utilitatem accipientis tantùm, ut in Commodato.

35 Si Contractus cedat *in utilitatem dantis tantùm*, vel *utriusque*, potest quis in periculo præferre res proprias, ex ratione primùm allata; quia in communi periculo potest quisque sibi prospicere præ aliis. igitur eo casu quæque res domino suo perit. Neque dici tunc potest, quòd ita servans res suas, dolo censeatur agere; quia rebus depositis nemo tenetur adhibere diligentiam majorem, quàm illam, qua invigilare quisque prudens propriis rebus solet. atqui casu, quo res propriæ omnes simul servari non possunt, potest quisque servare, quas vult. igitur idem facere potest, quando proprias, & alienas ejusdem pretii habet.

Aliud dicendum est casu quo quis res alienas in *suam tantùm utilitatem* accepit; tunc enim propriis alienæ præferri debent, etsi æqualis sint pretii: & ratio est, quia tali casu tenetur ad custodiam illarum exactissimam *l. in rebus 18. ff. commodati.*

36 Quæritur 6. quænam Actio detur ex deposito? Resp. datur Actio depositi, quæ duplex est, Directa, & Contraria. *Directa* datur deponenti, & ejus hæredibus, contra Depositarium, & ejus hæredes, ad restituendam rem depositam in specie, nisi aliter fuerit conventum *l. Lucius 24. ff. h. tit.* vel ejus æstimationem, aut pretium deteriorationis, si forsan dolo, aut culpa lata Depositarii res interiit, aut deteriorata est *l. depositum 1. §. si res 16. &c. ff. h. tit. Contraria* competit Depositario, & ejus Hæredibus, contra deponentem, ac hæredes illius, ut damnum, quod occasione depositi passus est, resarciat, & quidquid in re tuenda, vel asservanda bona fide impendit, refundat *l. ei, apud quem 5. ff. eod.* Utraque actio est Civilis, personalis, rei persecutoria, bonæ fidei, perpetua. Vvesembec. *ff. h. tit.* Vall. *hic n. 5.* Directa præ Contraria illud singulare habet, quòd illa Depositarium, si condemnetur ob dolum, faciat infamem *§. ex quibusdam 2. Inst. de pœn. temer. litig.* & *l. qui depositum 10. C. h. tit.* quod non facit actio Contraria, cùm in ea non agatur de fide rupta, sed tantùm de calculo, seu indemnitate ejus, qui depositum suscepit *l. furti 6. §. fin. ff. de his, qui not. infam.* Vall. *n. 5. cit.* Zoes. *hic n. 3.* Konig *ibid. n. 26.* Stryck *in us. mod. §. 7. & seqq.* Clariss. P. Schmier *de Pact. & Contract. c. 3. n. 131. & duob. seqq.*

Dub. 1. an dominus rem depositam pro libitu statim possit repetere. Resp. deponens potest statim, quandocunque voluerit, depositum revocare, & Depositarius debet hoc eidem reddere. Ita statuitur *c. bona fides 2. h. tit.* & *l. depositum 1. §. est autem 22. ff. eod. Proceditque hoc*, etsi constitutum sit tempus ad repetendum, ut rectè monent Azor *p. 3. l. 7. de Deposit. c. 7. q. 6.* Harppracht *ad §. præterea 3. Inst. quib. mod. re contrah. oblig. n. 42.* Gonz. *in c. 2. cit. n. 7.* Vallens. *hic n. 2.* Pirh. *n. 7.* Konig *num. 24. Ratio est*, quia depositum, cum deponentis solùm gratia, & utilitate contrahatur, ejus naturæ est, ut ad nutum sit revocabile; tempus autem eo fine adjectum credi debet, ne possit Depositarius ante illud elapsum rem depositam deponenti reddere, non verò, ne deponens pro arbitrio id revocare queat. Less. *l. 2. c. 16. n. 4.* 37

Sunt tamen complures casus, in quibus Depositarius rem depositam repetenti domino, vel deponenti statim reddere non tenetur, sed restitutionem differre potest, vel etiam debet. Veluti 1. si ex restitutione certò, vel probabiliter deponenti, vel alteri timeretur secuturum damnum spirituale, vel temporale, ut si furiosus repetat gladium depositum, vel sclopum insidians *can. ne quis* vitæ alterius 14. *vers. illud verò caus. 22. q. 2.* S. Thom. *2. 2. q. 62. art. 5. ad 1.* Less. *l. 2. de Just. c. 27. n. 14.* Haun. *tom. 4. tr. 10. n. 775. in fin.* Pirh. *hic n. 7.* Konig. *n. 24.* Vviest. *n. 3.* 2. quando bona deponentis sunt fisco addicta; tunc enim in arbitrio Depositarii est, an illa fisco tradere, aut deponenti velit restituere: fisco quidem tradere rem depositam potest, quia hic habet jus sibi vindicandi depositum, tanquam sibi jam debitum; deponenti autem, quia rei depositæ, antequam actu à fisco sit occupata, dominium retinet. Less. Konig. *l. citt.* 3. si dominus, & fur in repetitione rei concurrant; tunc enim non furi, qui deposuit, sed domino restitui debet *l. bona fides 31. §. incurrit 1. ff. h. tit.* Azor *p. 3. l. 7. de deposit. c. 8. q. 4. circa fin.* Molin. *tr. 2. de Just. D. 526. n. 2.* Laym. *l. 3. tr. 4. c. 25. n. 2.* Less. *l. cit. n. 25.* Vviest. *n. 7.* cum reliquis *suprà*. 4. si furi sine detrimento domini restitui nequeat; tunc enim æquitas postulat, ut domino potiùs restituatur, quippe majus jus habenti *§. incurrit cit.* Laym. Pirh. *l. citt.* 5. si fur deposuit rem apud Dominum, cui illam surripuit, ignorantem rem esse suam; nam si postea comperiat suam esse, non tenetur illam reddere deponenti, sed retinere potest: imò etsi à domino ignorante tradita sit furi quasi ex causa depositi, potest ab illo condictione indebiti repeti *l. bona fides 31. in fin. ff. h. tit.* Azor *q. 4. cit. in fin.* Sylv. *V. depositum q. 10.* Pirh. *n. 7. cit.* 38

Dub. 2. quo loco, & modo restituenda sit domino repetenti res ab ipso deposita? Resp. 1. restituenda est ibi, ubi est sine dolo malo Depositarii, nisi deponens suis impensis reddi alibi velit *l. si in Asia 12. princ.* & *§. depositum 1. ff. h. tit.* aut convenerit inter partes, quo loco restitui debeat *l. ei, apud quem 5. §. in sequestrem 1. ff. eod. l. is, qui certò 9. ff. de eo, quod cert. loc.* Donell. *l. 15. comment. c. 13.* Harppracht *ad §. præterea 3. Inst. quib. mod. re acquir. oblig. n. 43.* 39

2 Restituenda est eadem ipsa res, quæ data, sive deposita est, in specie, & individuo *§. præterea 3.* & *l. obligationes 1. §. is quoque 5. ff. de O. & A.* nisi quantitas, veluti pecunia sit deposita, & conventum expressè, vel tacitè, ut tantundem redderetur; tunc enim eandem quantitatem in genere eodem reddi æquitati congruit *l. Lucius 24. l. die 25. §. qui pecuniam 1. l. si sacculum 29. §. si ex permissu 1. ff. h. tit. l. in navem 31. ff. locat.* quia Contractus ex conventione legem accipiunt. Harppracht *l. cit. n. 44.*

3 Restituenda est res deposita integra, non deteriorata; quia *si res deposita deterior reddatur, quasi non reddita, agi depositi potest*, ut dicitur *l. depositum 1. §. si res 16. ff. h. tit.* ubi etiam ratio additur; quia *cùm deterior redditur, potest dici dolo malo redditam non esse.* 40

4 Fructus quoque, omnisque causa, & rei utilitas, itemque partus in restitutionem venit *l. depositum cit. §. & ideo 24. ff. h. tit.* Azor *in Summ. Cod. eod. tit. n. 26.* Mozz. *tr. de Deposit. col. 4. n. 1. & 2.* Usuræ autem sine mora, & conventione non debentur *l. Lucius 24. l. die 25. l. Publia 26. §. Lucia 1. l. si sacculum 29. §. si ex permissu 1. ff. h. tit. l. usura 2. & l. si deposita 4. C. eod.* Harppr. *n. 45.*

Dub. 3.

ub. 3. utrum Depoſitarius rem depoſitam retinere po it in compenſationem cum alio debito, quo ipſi depo ns obſtringitur, & propterea repetenti domino illa negare, vel deducere partem depoſiti, ac ſibi ſerva? *Ratio dubitandi eſt*, quia in aliis Contractibus ad ittitur compenſatio; ſi cauſa, ex qua poſtulatur, li ida ſit, & facilè perduci ad exitum poſſe credatur.

ed certa eſt negativa ſententia, ſc. contra depoſitum ne compenſationi, nec deductioni locum eſſe propter alid debitum, etiam liquidum, ſaltem extra forum co ſcientiæ. Ita Gomez. *var. reſol. tom.* 3. *c.* 7. *num.* 2. A r. *p.* 3. *l.* 7. *de depoſit. c.* 8. *q.* 3. Leſſ. *l.* 2. *c.* 27. *num.* 16. Vi ian. *in cap. bona fides* 2. *verſ. contra depoſitum*, Gonza *ibid. num.* 8. Barb. *num.* 1. Vvagn. *verſ. pro voluntate* ro 2. Vall. *hic num.* 2. Zoeſ. *num.* 2. Engl. *num.* 6. Koni. *num.* 26. & expreſsè ſtatuitur *cap. bona fides citat.* ve ſ. *ſanè, ac l. ſi quis* 11. *C. eod. Ratio eſt*, quia is, qui re apud aliquem depoſuit, illam fidei ipſius commi ſit & tradidit, ut fideliter, & diligenter illam ſibi cu ſtodiat. igitur contra fidem datam facere videtur, ſi re depoſitam poſtea non reſtituat repetenti, ſed ſibi re neat. *Extenditur* hoc etiam ad caſum, quo uterque vi ſſim ab altero depoſitum habet; nam neque hoc ca ſu compenſatio unius depoſiti cum altero depoſito lo cu habet, ſed res depoſitæ ab utraque parte, ſine om ni oppoſita Exceptione, reſtitui debent, ei primùm, q primus hoc voluerit, ſive priùs repetiit.

Dixi *Saltem extra forum conſcientiæ*; nam in con ſc ntiæ foro Depoſitarium, ſi debitum liquidum alio m dò non poſſit conſequi, licitè compenſatione uti, & em depoſitam interim, dum ſibi ſatisfiat, retinere p ſſe exiſtimant Sylv. *V. compenſatio quæſt.* 2. Leſſ. *l.* 2. *de Juſt. cap.* 28. *num.* 16. Laym. *l.* 3. *tract.* 2. *cap.* 9. *n.* 10. P h. *hic num.* 11. quia Jure naturali, & gentium id per m ſſum videtur, ut poſſit quis ſibi ex qualibet re al te ius ſatisfacere, ſi aliter ſolutionem obtinere ne q at. *Excipitur*, niſi vel ſcandalum timeatur, vel le itimus Judex aliud præcipiat, vel beneficio compen ſationis quis renuntiaverit: quorum unum ſaltem de fi ere cùm plerumque contingat, ideo negativam in h c ſenſu defendit Schamb. *hic num.* 2.

Ad rationem dubitandi nego paritatem; nam in aliis c ntractibus res datur ad aliquem uſum; ac proinde i, qui rem accipit, non tam propriè, ac ſpecialiter c ntra fidem facere videtur, ſi eam rem loco com p nſationis pro alio debito retineat.

Dub. 4. utrum, ſi Depoſitarius in rem depoſitam fe c expenſas neceſſarias, h. e. tales, quæ ſi factæ non e nt, res interitura, vel multùm deterioranda fuiſ ſ, ipſe expenſarum iſtarum ſolutionem petere, & in t im, donec illam obtineat, rem depoſitam retinere p ſſit? *Videtur* non poſſe illam ſic retinere; ſi enim p etextu expenſarum iſtarum haberet jus retinendi de p ſitum, retentionem iſtam defendere deberet exceptio e doli, opponendo deponentem dolo repetere depo ſ um, ſi expenſas non velit ſolvere. atqui hanc ex c ptionem non poteſt opponere per *l. ſi quis* 11. *C. h. t.* ibi, *Nullamque vel deductionem, vel doli exceptio n n opponat.* ergo &c.

Sed dicendum, poſſe hoc caſu depoſitum à Depoſitario r ineri, donec ſolutio expenſarum fiat. Ita Mantic. *de t it. & ambig. convent. l.* 10. *tit.* 10. *n.* 24. Sichard. *ad l.* 1. *C. h. tit. n.* 6. Bachov. *ad Treutl. vol.* 1. *D.* 26. *th.* 5. *lit.* Molin. *tr.* 2. *de Juſt. D.* 526. *n.* 5. Harpprecht *in §. præ ea* 3. *Inſt. quibus mod. re contr. oblig. n.* 54. Gonzal. *in c. cit. n.* 9. & 13. Engl. *n.* 7. *hic*, Konig. *n.* 25. Vvieſt. *n.* & noviſſimè Clariſſ. P. Schmier *de Pact. & Contract.* c. 3. *num.* 137. & *ſeqq.* & apertè conſtat de Jure Bava o Landrecht *tit.* 18. *art.* 1. ubi retentio depoſiti ex iſta c uſa expreſsè permittitur. *Confirmatur* etiam ex triplici is communis textu. 1. *l. in rebus* 18. §. *quod autem* 4. *Commodat.* ubi Cajus generaliter, *Quod contrario*, quit, *Judicio quiſque conſequi poteſt; id etiam recto dicio quo cum eo agitur, poteſt ſalvum habere jus pen tionis.* Atqui Depoſitarius poteſt expenſas conſequi a ione depoſiti contraria. ergo ſi conveniatur actione recta, poteſt eaſdem conſequi jure penſationis. 2. *l. od dicitur* 5. *princ. ff. de impenſ. in rem dotal.* ubi de penſis neceſſariis aſſeritur, quod rem diminuant, aut rtem illius, ac rei detentationem pariant. 3. *l. credi ris* 15. §. *ſed cum* 2. *ff. de furt.* ubi ſtatuitur, eum, qui penſas in rem commodatam fecit, *quaſi pignoris lo eam* habere, eique actionem furti contra dominum mpetere, ſi forte rem illam ſurripuerit.

Ad rationem dubitandi dico *l. ſi quis cit.* accipiendam compenſatione, vel retentione ex cauſa diverſa, & illis caſibus, in quibus Depoſitarius jus in re ipſa n eſt adeptus. tale autem conſequitur per impenſas neceſſarias; quia conſtituunt quaſi partem rei, ut bene Bachovius *l. cit.*

Dub. 5. an Depoſitarius, ſi res alienas pretioſiores ſuis, etſi minùs pretioſis, prætulit, & ſic iſtarum jacturam paſſus eſt, compenſationem damni exigere poſſit? Reſp. poſſe. Ita Abb. *in cap.* 2. *h. tit. n.* 2. Molin. *tr.* 2. *D.* 296. *num.* 4. Leſſ. *l.* 2. *cap.* 27. *num.* 29. Laym. *l.* 3. *tract.* 4. *cap.* 7. *num.* 7. Engl. *hic num.* 9. Pirh. *num.* 18. *Ratio eſt*; quia utiliter geſſit negotium domini, adeoque officium ſuum ipſi damnoſum eſſe non debet. *Conf.* quia nemo tenetur cum damno ſuo conſervare rem alterius, etſi pretioſiorem, quando Contractus eſt initus in gratiam utriuſque. ergo multo minùs tenebitur, ſi initus ſit in gratiam alterius tantùm, ut ſit in depoſito; nam licèt tunc teneatur ſalvare rem alterius pretioſiorem cum damno rei propriæ vilioris, poteſt tamen id facere animo exigendi compenſationem jacturæ, quam ideo paſſus eſt in re propria. 45

Aliud eſt in Commodatario; nam hic, ſi damnum aliquod incurrit in re propria, dum pretioſiorem rem commodatam præ ſua viliore ſalvavit, non poteſt propterea exigere compenſationem illius, ut cum *citt.* rectè advertit Pal. *tract.* 32. *D.* 3. *p.* 8. *num.* 2. *Ratio eſt*, quia Commodatarius ex natura Contractus ſe tacitè obligat ad rei commodatæ cuſtodiam, qualem quiſque prudentiſſimus Pater fam. rebus ſuis adhibet *l. in rebus* 18. *ff. Commod.* atqui quivis vir prudens, ac diligens, quæ pretioſiora ſunt, præponit minùs pretioſis. ergo &c. Imò, ut iidem DD. notant, neque poteſt exigere compenſationem Commodatarius, ſi relicta re ſua, ſalvavit rem commodatam æqualis pretii, uti debuit ſecundùm dicta *num.* 35. quia tenetur ad diligentiſſimam cuſtodiam, ad quam illa rei propriæ æqualis jactura neceſſaria eſt. 46

Dub. 6. quo loco veniat deponens (idem procedit in Precario, Commodato, Locato,) ſi Depoſitarius facultatibus lapſus ſit, ut propterea bona ipſius ſubhaſtari debeant? Reſp. diſtinguendo: Vel enim res depoſita adhuc extat, vel eſt conſumpta, aut aliàs interiit. 47

Si primum, certum eſſe videtur (malè refragante Hunnio, & contra communem DD. uxoris dotem præferendam judicante) deponentem in re depoſita anteponentem omnibus *l. hominem* 7. §. *quoties* 2. *ff. h. tit.* & *l. depoſui* 38. *ff. de Pecul.* ex qua deducitur regula, quòd dominium rei ſuæ actu permanens ſit fortius omnibus omnium creditorum Juribus, ac privilegiis; quia dominus rei propriè loquendo non venit nomine Creditorum, competitque ipſi rei vendicatio. Unde licèt uxor ob Hypothecam, quam habet in bonis mariti ratione Dotis, ſpecialiter præferatur aliis creditoribus, præferri tamen nequit deponenti, res ſuas adhuc extantes repetenti; quia Hypothecam ſolùm habet in bonis mariti, non verò in alienis, quales ſunt res depoſitæ, locatæ, precariò datæ &c.

Si ſecundum, deponens nulla gaudet legali, vel tacita Hypotheca, vi cujus aliis creditoribus anteferendus ſit, ut cum communiſſima DD. advertunt Arnold. Rath. *de depoſit. cap.* 5. *th.* 12. & Haun. *tom.* 4. *de Juſt. tract.* 10. *à num.* 856. Ratio eſt, quia nulla Lex afferri poteſt, qua talis Hypotheca deponenti ob æſtimationem rei ſuæ deperditæ concedatur. Certè ſi quam haberet, is, qui habet depoſitum anterius, præferendus foret poſteriori deponenti. atqui conſtat ex *l. ſi hominem cit.* §. *fin.* non eſſe præferendum. 48

An verò præferendus ſit deponens aliis Creditoribus, perſonalem actionem tantùm habentibus, etiam privilegiatis, videri poſſunt *citt.* Arnold. Rath. *th.* 20. & 21. & Haun. *à num.* 857.

Dub. 7. Si plures ſunt hæredes, & unus eorum ſuam partem à Depoſitario conſecutus eſt, deinde pars altera apud Depoſitarium pereat, cujus ſit hoc damnum? Reſp. diſtinguendo: Vel enim res depoſita conſiſtit in numero, pondere, & menſura, uti eſt pecunia, frumentum, vinum &c. vel contra in his non conſiſtit, ſed in pluribus equis, jumentis, libris, veſtibus &c. 49

Si primum, damnum ad illum pertinet, qui rem ſuam non accepit *l. fin. C. h. tit.* quia poſtquam unus partem ſuam accepit, hoc ipſo à communione receſſit, & pars accepta in dominium accipientis tranſit. ergo reſidua pars eſt alterius ſolius; conſ. illi ſoli tanquam domino perit.

Si ſecundum, damnum illi, qui jam aliquid accepit à Depoſitario, commune eſt cum eo, qui nihil adhuc accepit *l. in ſtipulationibus* 54. *ff. de V. O.* & *l. ſervus* 5. *ff. de ſtipulat. ſerv.* Ratio eſt, quia in rebus iſtis non genera ſingulis debentur, ut in prioribus, ſed corpora, quæ cùm inæqualia ſint, & ſic æqualiter dividi nequeant, ſingulis omnia debentur indiviſim. 50

Distinctio hæc locum duntaxat habet in cohæredibus, non item in sociis habentibus bona communia; nam si unus ex sociis partem suam à debitore communi accepisset, & residua pars periret, aut debitor fieret, non solvendo, deberet socius, qualescunque sint res, partem acceptam communicare cum reliquis, adeoque non fecisset sibi propriam *l. verum est* 63. §. *si cùm tres socii* 5. *ff. pro socio;* quia Contractus societatis efficit, ut damna, & lucra socios æqualiter afficiant.

51 Dub. 8. an remitti possit actio doli, quæ deponenti competit, si apud Depositarium res deposita perit? Respond. distinguendum inter dolum commissum jam, & inter dolum primùm committendum; nam Actio depositi *ex dolo commisso* remitti potest; quia ejusmodi remissio non adversatur Juri, & rationi naturali, neque reprobatur à Lege, vel Canone. Laym. *l.* 3. *tr.* 4. *cap.* 25. *num.* 1. Vallens. *hic num.* 3. Magnif. D. Christoph. de Chlingensperg. *Inst. quib. mod. re contrah. oblig. quæst.* 31.

52 Quoad *Dolum committendum* altera distinctio est adhibenda; nam *expressa conventione* ejus præstatio remitti nequit, cùm talis remissio, impunem faciendo ad delinquendum invitet, & sic bonis moribus, honestati, atque utilitati publicæ adversetur *l. depositum* 1. §. *illud* 7. *ff. hoc titul.* potest verò remitti *conventione tacita;* quia remitti potest actio Depositi *l. Juris gentium* 7. §. *sed & si* 15. & *l. si unus* 27. §. *illud* 3. *ff. de pact.* atqui remissa actione Depositi, eo ipso tacitè, & in consequentiam remissa censetur actio doli §. *illud* 3. *citat.* Brunnem. *in l. si unus citat. num.* 7. Engl. *hic num.* 5. *vers. tertiò si nominatim*, Vviest. *num.* 15. *cum citt.*

35 Neque hoc novum est; non raro enim, quæ expressa nocent, non nocent, si tacitè includantur *Reg. expressa* 195. *ff.* & quæ principaliter non admittuntur, si in consequentiam veniant, sustinentur. Brunnem. *loc. cit. num.* 11.

TITULUS XVII.

De Emptione, & Venditione.

IN præcedentibus Titulis actum est de Precario, Commodato, Deposito, qui Contractus ferè ob unius tantùm, sc. vel dantis, vel accipientis gratiam iniri solent. Sequuntur jam ii Contractus, qui in gratiam, & utilitatem utriusque cedunt. Inter hos, ut frequentiâ, & utilitate, ita etiam celebritate cæteris multùm præstat Emptio Venditio: de qua sit

§. I.

De Emptionis, & Venditionis natura, & varietate.

SUMMARIUM.

1 *Emptionis Venditionis acceptio apud Veteres.*
2 3 *Jure novo.*
4 *Ejus Definitio.*
5 6 *Explicatio Definitionis.*
7 *Ad substantiam illius requiritur consensus, pretium.*
8 *Et merx.*
9 *Non verò translatio dominii.*
10 *Aut traditio mercis, vel pretii.*
11 *Neque scriptura, nisi ita convenerit inter contrahentes.*
12 *Qualis Contractus sit, quando convenitur de re partim pro pretio, partim pro re tradenda.*
13 *Divisio Emptionis Venditionis in Naturalem, & Artificialem.*
14 *In eam, quæ in scriptis fit, & in illam, quæ fit sine scriptis.*
15 *In Venditionem generis, & speciei.*
16 *Ad Corpus, & ad Mensuram.*
17 18 *Quid intersit, an Venditio fiat ad corpus, an verò ad mensuram?*
19 *Item an quantitas sit addita taxativè, an demonstrativè?*

1 QUæritur 1. quid sit *Emptio Venditio*? Resp. Emptionis, & venditionis nomine aliter vetustas usa est, aliter nunc adhiberi solet. Antiqui his vocibus contractum, & mutuam præstationem quamcunque, & Lex XII. Tabularum alienationem planè omnem complexa est, ut patet ex §. *item pretium* 2. *Inst. h. tit. l. statu* 29. §. *Quintus Mutius* 1. *ff. de statu liberis*; quia putabant pretium non in sola numerata pecunia, sed in cæteris etiam rebus posse consistere. Hinc qui fundum, togam, oleum, aut simile quid cum alia re permutabant, dicebantur contraxisse Emptionem, Venditionem, & ipsi permutantes habebantur loco Emptoris, & Venditoris, ut constat ex §. *item pretium cit.* & *l. sciendum* 19. §. *deinde* 5. *ff. de Ædilit. Edict.* Nec abludit hæc acceptatio à Phrasi Scripturæ, ubi Genes. 25. *v.* 34. dicitur Esau primogenita, pulmento permutata, vendidisse.

Recentiori Jure Emptio Venditio accipitur pro Contractu à cæteris discreto, in quo de re, tanquam merce, pro pretio pecuniario danda, convenitur, ut habetur *l. origo* 1. §. *sed an* 1. *ff. de contrah. empt.* quod ideo factum est, ut tollerentur incommoda, quibus rerum permutatio propter inæqualitatem æstimationis rerum obnoxia fuit. Consequenter hoc Jure *Vendere*, & *Venditor* dicetur solus ille, qui rem, sive mercem pro pecunia, *Emere* autem, & *Emptor* is tantùm, qui pecuniam, tanquam pretium, pro re, seu merce dedit §. *sed an cit.* Ex quo patet, etsi Emptio, & Venditio in Jure conjungi soleant, ut fit in præsenti *Rubrica*, eas tamen diversos actus esse, cùm emptio emptoris, venditio sit venditoris.

Neque obstat, quòd his nominibus Veteres indiscriminatim usi sint, ut dicitur *l. veteres* 19. *ff. de action. empt.* & constat ex *l. inter patrem* 2. *pr. ff. de contrah. empt.* ac Cicerone *l.* 3. *de Offic.* ubi *emere* pro *vendere* disertè dicit; non enim ita Cicero, & JCti vocabula hæc confudere, ut propriæ significationis vim eandem omnino tribuerent utrique, sed solius modò Emptionis, modò Venditionis nomine totum Emptionis Venditionis contractum expresserunt, quòd nec sine Emptione Venditio, nec sine hac illa consistere, aut intelligi possit, ut *ad princip. Inst. h. tit.* notat Vinnius *num.* 2.

Quæritur 2. quæ sit definitio *Emptionis Venditionis*? Mirum in modum variant in hac tradenda DD. cujus variationis causa fuit non modica dissensio illorum circa ipsam hujus contractus substantiam: imò, & hi, qui penitiùs istam habuere perspectam, sensu quidem omnes eodem, verbis tamen aliis, & aliis usi sunt. Et Salas quidem *tract. de Emption. dub.* 1. *num.* 10. per paucis Contractum istum definit, & *Venditionem* quidem *pactionem rei pro pretio*, *Emptionem* verò *pactionem pretii pro re esse* dicit. Molin. *tract.* 2. *de Just. D.* 336. *num.* 5. utramque una definitione complexus ait, eam esse *Contractum, qui consensu perficitur mercis pro pretio*. Præ his, & aliis accuratior est RR. JCtorum, secundùm quos Emptio Venditio est Contractus Juris gentium, nominatus, bonæ fidei, initus consensu, quo de re, seu merce pro certo pretio pecuniario, & de pretio pro re tradendo convenitur. Ita Knipschildt *Exerc. Acad.* 8. *th.* 4. *fol.* 274. Richter. *de Contractib. D.* 9. *th.* 1. *fol.* 230. Harprecht *ad princ. Inst. h. tit. n.* 6. Clariss. P. Schmier *de Pact. & Contract. cap.* 2. *num.* 6. & duo Antecessores mei P. Jacobus Vviestner *hic num.* 4. & P. Melchior Friderich *tract. de Empt. & Vendit. p.* 1. *cap.* 1. *art.* 1. *num.* 7.

Dixi 1. *Contractus:* quod ponitur loco generis, in quo differt ab ultimis Voluntatibus, quæ nomine *Contractus* non continentur *l. verba* 20. *ff. de V. S.*

Dixi 2. *Juris gentium*. Talem esse constat ex *l. origo* 1. §. *est autem* 2. *ff. de Contrah. empt.* & §. *sed jus* 2. *Inst. de J. N. G. & C.* ibi, *Hoc Jure gentium omnes penè contractus introducti sunt, ut Emptio Venditio, Locatio Conductio &c.*

Dixi 3. *Nominatus*. Talis dicitur esse *l. hujus* 1. §. *fin. ff. de Pact.* & *l. Juris gentium* 7. §. *quæ pariunt* 1. *ff. eod.*

Dixi 4. *Bonæ fidei*. Inter hos censetur §. *actionum* 28. *Instit. de Action. Ratio est*, quia in hoc Contractu multa ex æquitate præstantur, de quibus expresè conventum non est.

Dixi 5. *Consensu:* quamprimum enim venditor, & emptor de re pro certo pretio tradenda consensetunt, traditione quoque non secuta, Contractus Emptionis Venditionis perfectus censetur, & utrinque producitur obligatio, & actio *princ. Inst. h. tit. l. inter.* 2. §. *fine* 1. *ff. de contrah. empt. l. sicut* 1. §. *item emptio* 2. *ff. de rer. permut.* Neque obstat, quòd *l. Julianus* 13. §. *offerri* 8. *ff. de action. empt.* dicatur, Actionem ex empto non consurgere, donec integrum pretium emptor venditori solverit; quia hoc non aliter intelligendum est, nisi quòd actio ex empto non possit ab emptore cum effectu moveri, priusquam totum exsolverit pretium, utpote cùm eo usque venditor, de merce tradenda interpellatus, exceptionem non soluti pretii opponere valeat.

Dixi 6. *de re, seu merce pro pretio, & de hoc pro re tra-*

tradendo: per quas particulas Emptio Venditio distinguitur à Permutatione, in qua res pro re; à Cambio, in quo pecunia pro pecunia; à Locatione, in qua res utenda, fruenda pro pensione sive pecuniæ, sive fructuum datur.

Quæritur 3. quænam ad substantiam Emptionis Venditionis pertineant? Resp. ad hanc communi DD. consensu tria requiruntur. 1º *Consensus* utriusque celebrantium Emptionem Venditionem, Emptoris quidem ad tradendum pretium pro merce, Venditoris autem ad tradendam mercem pro pretio.

2 *Pretium.* Pretii autem nomine hìc venit nummus, sive pecunia, quæ inventa est, ut sit publica mensura, sive æstimatio omnium rerum, seu mercium, quæ in commutationem, sive commercium humanum venire possunt *l. origo* 1. *princip. ff. de contrah. empt.* Et quidem Pretium Emptionis debet constitui certum, & determinatum. *Instit. princ. V. pretium hoc tit.* Hinc invalida est Venditio, siquis dicat: *Vendo tibi ædes meas pro justo pretio*, nisi quodnam sit justum pretium, arbitrio boni viri, sive officio Judicis determinatum fuerit *l. fin. C. de contrah. empt.*

8 3 *Merx:* quo nomine intelligitur aliquid pecunia æstimabile, sive deinde sit res mobilis, sive immobilis; nam etiam res immobiles v. gr. fundus, item Jura, nomina debitorum, servitutes &c. materia Emptionis, & Venditionis sunt. Debet autem & hæc in Emptione Venditione esse certa & determinata; quia rei incertæ pretium certum, quemadmodum hic Contractus exigit, non potest statui. Pirh. *hic n.* 2. Vviest. *num.* 7. *Neque obstat*, quòd vendi, emique possit alea, jactusque retis, & piscium, aviumque captura *l. nec emptio* 8. *pr.* & §. *aliquando* 1. *ff. de contrah. empt.* quæ tamen nec certa, nec determinata sunt, cùm contingere possit, ut parum, vel multum, aut nihil capiatur; nam ut P. Vviest. *l. cit.* cum Brunnem. *in l. citat. num.* 4. & Haun. *tom.* 4. *de Just. tract.* 10. *num.* 83. rectè advertit, hoc casu non tam pisces, & aves, quàm capturæ spes, & pisces, avesque, si in rete inciderint, percipiendi jus venditur, & emitur, quæ spes, & jus, licèt ex parte objecti incerta sint, in se tamen sunt determinata, & certa. Et hinc

9 *Colligitur* 1. de Substantia Emptionis Venditionis non esse, ut actu transferatur dominium, sed solùm, ut ex eo nascatur obligatio transferendi dominium, quantum est ex parte venditoris tradendo rem emptam pro pretio persoluto, prout patet ex *l. si ita* 25. §. *qui vendidit* 1. & *l. cùm manu* 80. §. *fin. ff. de contrah. empt. l. alienatum* 67. *ff. de V. S. Ratio est*, quia emptor rei alienæ v. g. furtivæ non comparat dominium ejusdem, & tamen intercedit vera venditio; nam, ut *l. rem alienam* 28. *ff. de contr. empt.* Ulpianus loquitur, *rem alienam distrahere quem posse* (validè, quamvis non licitè) *nulla dubitatio est.* Accinit *l. quia aliena* 8. *C. siquis alteri, vel sibi &c.* ubi Imperatores, *Qui aliena*, inquiunt, *pecunia comparat, non ei, cujus nummi fuerunt, sed sibi tam actionem empti, quàm dominium, si ei fuerit tradita possessio, quærit.*

10 *Colligitur* 2. ad ejusdem Contractus substantiam etiam non requiri traditionem mercis, vel pretii. Ita DD. magno consensu, & patet ex dictis *num.* 6. *Conf.* nam si traditio requireretur, jam non solo consensu super re, & pretio perficeretur, quòd tamen asseritur §. *ideo autem* 1. *Inst. de oblig. ex consens. l. origo* 1. §. *fin. ff. de contr. empt.* Neque obstat *l. cùm convenit* 2. *pr. C. de peric. & commod. rei vend.* ubi ante secutam traditionem rei & pretii contractus pro imperfecto habetur; quia textus ille solùm loquitur de venditione vini, quæ ante mensurationem perfecta non est, quòd vinum sub ea conditione vendi videatur, *Si fuerit admensum*, ut dicitur *l. quod sæpe* 35. §. *in his* 5. *ff. de contr. empt.* & ratio est, quia ante mensurationem de certa quantitate vendita non constat, prout tamen contractus Emptionis Venditionis natura exposcit.

11 *Colligitur* 3. solutio illius dubii, an Scriptura requiratur ad substantiam Emptionis Venditionis; Nam attendendum est ad modum, quo Emptor, & Venditor contraxerunt. Si inter eos de re pro pretio pecuniario tradenda convenit simpliciter, scriptura de substantia Contractus non est, ut clarè liquet ex *princ. Inst. h. tit.* & *l. cùm res* 12. *C. de Probat. Ratio est*, quia Regulæ instar receptum est, scripturam ad Contractus, vel alterius actus substantiam non requiri, præterquam in casibus Jure expressis *arg. l. pactum* 17. *C. de pact.* atqui nullum Jus exposcit scripturam ad substantiam, & valorem Emptionis Venditionis. ergo &c. Quodsi inter Emptorem, & Venditorem ita convenit, ut super contractu celebrato conficiatur Instrumentum, multum interest, an consensum suum confectioni Instrumenti alligarint, necne. Si non alligarunt, validus est Contractus, etsi confectio Instrumenti omittatur; quia eo casu censentur tantùm voluisse Instrumentum confici, ut temporis longinquitate Contractus memoria non intercidat, & probationis copia pereat. Tusch. *pract. V. contractus concl.* 99. Salas *tract. de Empt. dub.* 65. Fernand. Vasq. *l.* 1. *contr. cap.* 28. *num.* 23. Vviest. *hic num.* 9. Aliud est, si inter eos actum est, ut contractus non valeat, nisi super eo confecta, & approbata scriptura sit; tunc enim scriptura ad substantiam illius pertinet, & ante illam perfectam, & approbatam nulla obligatio nascitur, ut clarè iterum patet ex *princ. Inst. h. tit. l. contractus* 17. *C. de fid. Instrum.* & docet Molin. *tract.* 2. *de Just. D.* 337. *num.* 5. Haun. *tom.* 4. *tract.* 10. *num.* 14. Vviest. *hic num.* 9. *Ratio est*, quia tali casu contrahentium intentio est conditionata, & suspensiva obligationis ad eventum confectæ scripturæ. Igitur nisi confecta sit scriptura, eaque approbata, non obligabuntur contractu, perinde, ac si inter eos nihil fuisset actum; quia à contrahentibus nihil actum censetur, quamdiu aliquid ex conventione addendum superest, ut dicitur *l. cùm Silanianum* 11. *C. de his, quibus ut indign.*

Colligitur 4. qualis sit Contractus, quando convenitur de re partim pro pretio, sive certa quantitate pecuniæ, partim pro re v. g. de fundo pro 1000. aureis, & domo, de equo pro 30. fl. & bove præstando. Nam distinguendum est, an pretium pecuniarium valorem rei adjectæ notabiliter excedat, vel an ab ista excedatur, aut eundem æquet. *Si primum*, dici Contractus hic debebit Emptio Venditio. Gomez *tom.* 2. *var. cap.* 2. *n.* 10. Covar. *l.* 2. *var. cap.* 4. *num.* 9. Molin. *tract.* 2. *de Just. D.* 336. *n.* 6. Haun. *tom.* 4. *tract.* 10. *n.* 9. Vviest. *hic n.* 10. & 11. *Si secundum*, permutatio censenda erit, juxta eosdem. *Si tertium*, scinduntur DD. nam aliqui cum Baldo volunt esse Contractum Emptionis Venditionis; alii cum Bartolo contendunt esse Contractum innominatum. Meliùs Gomez, Covar. aliique *suprà citt.* asserunt esse Contractum mixtum, qui quatenus respicit pretium, sit Emptio Venditio; quatenus verò rem, permutatio. Sed de hoc pactum refert; nam dici potest, hoc casu talem Contractum esse celebratum, qualem celebrare contrahentes intenderunt. 12

Quæritur 4. quotuplex sit Emptio Venditio? Resp. quatuor præcipuè Contractus istius divisiones invenio. 13
1. In Naturalem, & Artificialem. *Naturalis*, quæ etiam *Oeconomica*, & à S. Thom. 2. 2. *quæst.* 77. *art.* 4. *Necessaria* appellatur, est, qua quis emit ea, quæ ad suam, & familiæ suæ sustentationem necessaria sunt, vendit verò superflua. *Artificialis* illa dicitur, qua non præcisè ad sustentationem necessaria emuntur, aut ad eam superflua venduntur, sed qua lucrum aliquod intenditur. Et hæc duplex est: *Una*, qua aliquid emitur, ut per industriam, & artem transmutatum carius vendatur, veluti siquis emat lanam, ut pannos inde conficiat, aut colores, ut picturas efformet &c. *Altera*, qua res emitur, & non mutata rursus cum lucro venditur. Hæc propriè est *Negotiatio*, non item prior, ut advertit *Auth. Oper. Imperf.* relatus *can. ejiciens* 11. *dist.* 88.

2 In eam, quæ in scriptis fit, & in illam, quæ sine scriptis fit. *In scriptis* censetur tunc facta, quando contrahentes sic convenerunt, ut non valeat Emptio Venditio, nisi super ea confecta sit scriptura, seu quando scriptura ex conventione contrahentium pertinet ad substantiam Contractus. *Sine scriptis* celebrata censetur, quando scriptura ex conventione contrahentium ad substantiam Contractus non pertinet, sive deinde super illo sit confecta scriptura, sive non; nam etiam quando super Emptione Venditione confecta scriptura est, modò hæc ad substantiam ejus ex mente contrahentium non pertineat, sine scriptura celebrata censetur juxta dicta *num.* 11. Porro discriminis istius effectus est, quòd cùm sine scriptis celebrata est Emptio Venditio, pœnitere, & à contractu, utpote jam perfecto, resilire neutri ampliùs contrahentium liceat, invito altero; sit autem pœnitentiæ, & revocationi locus ante confectum Instrumentum, quando Emptio Venditio celebratur in scriptis, utpote quæ eo tempore adhuc substantialiter imperfecta est. Haun. *tom.* 4. *tract.* 10. *num.* 14. 14

3 In Venditionem generis, & Venditionem speciei. 15
Venditio generis est, quando ex pluribus ejusdem generis rebus, v. g. ex pluribus ejusdem Authoris libris, ex pluribus ejusdem æstimationis equis &c. unus, vel duo, nulla certa specie, vel ut Philosophi loquuntur, individuo defi-

designato, venduntur. *Venditio speciei* verò dicitur, quando de una, vel pluribus speciebus, seu individuis certis pro certo pretio tradendis convenitur. Porro inter has duas species id est discriminis, quòd si Venditio speciei sit celebrata, & una, vel altera species, aut individuum, circa quæ contractum est, nulla venditoris culpa ante traditionem pereat, interitus sit emptoris; si verò Venditio generis facta sit, & illius generis aliquæ species, seu individua pereant, interitus sit Venditoris, ita, ut hic, si vel unicum ex illo genere supersit adhuc, illud ex contractu teneatur emptori tradere. P. Vviest. *hic numer.* 14. P. Friderich *tract. de Empt. Vendit. par.* 1. *cap.* 1. *num.* 10. Clariss. P. Schmier *tract. de pact. & contract. cap.* 2. *num.* 18.

16 4 In eam, quæ fit ad Corpus, & illam, quæ fit ad Mensuram. *Ad Corpus* facta Venditio dicitur, quando plures species, seu individua per modum unius rei individuæ venduntur vel sine numeri, ponderis, & mensuræ expressione, vel cum hujus expressione quidem, non tamen taxativè, sine animo contractum ad eam quantitatem adstringendi, sed demonstrativè duntaxat, sive ad demonstrandam, seu discernendam rem factam. *Ad mensuram* Venditio fit, quando certa quantitas specierum, seu individuorum sub genere comprehensorum venditur, ita, ut quod excedit, non intelligatur comprehensum contractu.

Exemplum Venditionis *ad Corpus* est, quando totus acervus tritici, vel totum vinum in dolio venditur, sine ulla scapharum, vel urnarum expressione, vel cum expressione quidem illarum, non tamen constituto in singulas pretio, nec animo contractum restringendi ad eum scapharum, vel urnarum numerum. *Ad Mensuram* Venditio est, quando ex frumenti acervo 10. Scaphæ, vel ex eodem vini dolio decem urnæ, certo pretio in singulas, vel uno in omnes simul constituto, venduntur, ita tamen, ut si plures scaphæ in acervo, vel plures urnæ in dolio contineantur, excessus non intelligatur venditus.

17 Quæritur 5. quid intersit, an Venditio fiat *ad corpus*, an verò *ad mensuram*? Resp. plurimum interest. Nam 1. si *ad corpus* celebrata venditio sit, ea omne periculum avertitur ad Emptorem, ita, ut si res vendita vel in toto, vel in parte pereat, Emptori pereat: & hinc etiam *Venditio per aversionem* dicitur *l. cùm convenit* 2. *C. de peric. & commod. rei vendit.* & *l. qui officii* 62. §. *fin. ff. de contrah. empt.* Haun. *tom.* 4. *tract.* 10. *num.* 50. Brunnem. *in l. qui officii cit. num.* 1. Clariss. P. Schmier *tract. de Pact. & Contract. cap.* 2. *num.* 21. P. Vviest. *hic num.* 5. At cùm Venditio *ad mensuram* facta est, si res vendita, v. gr. acervus tritici, aut vinum in dolio ante traditionem, vel potiùs mensurationem pereat, Venditori perit *l. cùm convenit cit.* quia tunc Venditio præsumitur facta sub conditione, *Si res adnumerata, admensa, vel appensa fuerit*, prout sumitur ex *l. quod sæpe* 35. §. *in his* 5. *ff. de contrah. empt.* Haun. *num.* 61. cum *citt.*

18 2 Si Venditio est *ad corpus*, & pretium est unicum ac indivisibile, v. gr. *Vendo tibi omne vinum hac cella contentum pro* 1000. *flor. sunt urnæ* 60. *&c.* tunc venduntur omnes, & singulæ partes corporis, tametsi pauciores sint demonstratæ, quam revera illa massa contineantur, & idcirco teneor Emptori tradere omne vinum, etsi plures sint urnæ, quàm 60. *l. qui fundum* 45. *ff. de Ediction.* & vicissim Emptor solvere debet pretium conventum, & perinde est, sive plures deinde deprehendantur urnæ contentæ in cella, sive pauciores, quàm demonstratæ sint, modò constet (quod tamen regulariter non præsumitur, ut observat Molin. *tract.* 2. *de Just. D.* 366. *num.* 8.) quantitatem tantùm per modum demonstrationis expressam fuisse. *Ratio est*, quia in tali casu expressio quantitatis rei ad quantitatem pretii impertinenter se habet, cùm per eam solùm res vendita demonstretur, ut discerni ab aliis possit. Contrà si Venditio facta sit *ad mensuram*, constituto pretio ad singulas urnas vini, aut modios frumenti &c. & quantitas addatur taxativè, tantùm censentur venditæ mensuræ expressæ, & si pauciores sint expressis, diminui de pretio convento poterit; si verò plures, & emptor velit omnes habere, augere pretium pro modo excessus debet; quia pretium generale constitutum censetur tantùm, supposita quantitate expressa.

19 Ex quo sequitur multum interesse, an quantitas addita sit taxativè, an demonstrativè: idque verum est, etiamsi venditio facta sit *ad Corpus*; nam etiam in hac, si taxativè adjecta sit quantitas, pro quantitate, quam merx reipsa habet, persolvi pretium debet, prout constat ex *l. si servum* 4. *& pluribus aliis ff. de contrah. empt.* & ratio est, quia eo casu contrahentes censentur alligasse intentionem suam quantitati taxatæ, ut adeo nec Venditor hoc pretio præsumatur venditurus, si major sit quantitas, nec emptor empturus, si minor sit ea, quæ est expressa. Idque verum est non tantùm, quando Venditor dolo expressit majorem numerum, sed etiam si per imprudentiam, aut ignorantiam, cùm ratio refundatur in defectum consensus, qui substantiam Venditionis vitiat: nec solùm procedit in foro interno, sed etiam in externo: unde tunc datur Actio quanti minoris *l. tenetur* 6. *ff. de act. Empt.*

§. III.

De Personis Vendentibus, & Ementibus.

SUMMARIUM.

20 *Emere, ac vendere potest, quicunque liberam rerum suarum administrationem habet.*
21 *Specialis Juris interdicto prohibentur Magistratus.*
22 *Filiusfamilias cum Patre.*
23 *Pupillus, & Minor cum Tutore, & Curatore.*
24 *Advocatus cum Cliente &c. Emptionem Venditionem non possunt contrahere.*
25 *Regulariter nemo cogi ad emendum, vel vendendum potest.*
26 *Nisi id exigat necessitas.*
27 *Aut utilitas publica.*
28 *Favor Religionis, ac Pietatis.*
29 *Jus alterius.*
30 *Malus rei usus, vel privilegium.*
31 *In casu necessitatis publicæ compelli possunt etiam Clerici, & Religiosi.*
32 *Non tamen à Magistratu sæculari.*
33 *Requisita, ut ex causis relatis aliquis cogi ad emendum, aut vendendum possit.*

Quæritur 1. quinam possint emere, & vendere? 20
Resp. emere, & vendere possunt omnes, qui liberam rerum suarum administrationem habent *l. dudum* 14. *C. de contrah. empt. l. si convenerit* 18. §. *fin. ff. de pignor. act.* & alibi passim. Quosdam prohibet natura, ut Infantes, furiosos, amentes, ebrios *l. emptionem* 2. *C. de contr. empt.* Alios Lex, ut Pupillos, Minorennes, Prodigos *tot. tit. Inst. quib. alien. non lic. l.* 1. *& seqq. ff. de Curat. furios. l. Imperatoris* 1. *ff. de reb. eor. qui sub tutel.* Nonnulli vendere, & emere nequeunt Interdicto Juris speciali. Et tales sunt

1 *Qui cum imperio Provinciis præsunt*, ut habetur *l.* 21
non licet 46. *l. qui officii* 62. *ff. de contrah. empt.* Et quidem *Lege Julia Repetundarum* cautum fuit, ne Præsidi, vel Procuratori Cæsaris in ea Provincia, quam administrat, per se, vel per alium liceat aliquid comparare, aut donatione acquirere, prohibita etiam usucapione rerum, acsi furtivæ essent *l. quod contra* 8. *ff. ad L. Jul. repetund. l. aufertur* 2. §. *quod à Præside* 2. *ff. de Jur. fisc. l. un. C. de contractib. Judic.*

Hodie prohibitiones istæ universim omnes cessarunt, postquam Magistratuum officium, olim annuum, aut triennale, factum est perpetuum, ut passim notant DD. cum Bald. *l.* 3. *conf.* 330. *princ. Excipitur* casus subhastationis; nam ex bonis ita subhastatis Judex, cujus authoritate illa hastæ subjiciuntur, itemque Exceptor, seu Graphiarius ab emptione illorum etiamnum hodie prohibentur, ne contra Regulam Juris in rem suam authores fiant *l. quamquam* 1. & *l. quod decimus* 7. *ff. de auth. tutor.* Giphan. *in l.* 11. *C. de his, quæ vi*, Vvisenbach. *ff. de contrah. empt. th.* 7. P. Friderich. *de Emption. Vendit. p.* 2. *num.* 118.

2 *Filiusfamilias*; nam etsi iste cum aliis contrahere Emptionem Venditionem possit, & ex hac civiliter obligetur *l. tenetur* 6. §. *si filiusfam.* 7. *ff. de act. empt.* non tamen potest cum Patre; & si contrahat, quamvis inde oriatur obligatio naturalis: sicut inter servum, & dominum §. *in omnibus* 1. *Instit. de fidejuss. l. nec servus* 41. *ff. de Pecul.* civiliter tamen ex ea venditione non obligatur; quia obligatio civilis inter patrem, & filium impeditur à patria potestate *l. Imperator* 50. *ff. ad S.C. Trebell.* & ratio est, quia patria potestas facit, ut pater, & filiusfam. una, eademque persona esse censeantur, & sic pater cum eo contrahens secum ipso contrahere videretur, quod fieri non potest. *Excipitur*, si filius patri vendat sua bona castrensia, vel quasi *l. inter* 2. *ff. de contrah. empt.* Idem dicendum de Peculio adventitio irregulari, in quibus pater usumfructum, & administrationem non habet, ut contra Eckolt *ff. de contrah. empt.* §. 3. cum communi DD. advertunt Gomez *tom.* 1. *var. cap.* 2. *num.* 2. 22

Harp-

Harpprecht *princ. Inst. h. tit. n.* 124. P. Frideric. *tract. de empt. & vend. p.* 2. *n.* 120. *arg. l. fin.* §. *ipsum autem* 5. *C. de bonis, quæ liberis &c.*

23 3 *Pupillus*: nam hunc inter, & Tutorem celebrari Emptio Venditio nequit *l. pupillus* 5. §. *item ipse* 2. *ff. de auth. tutor. l. si in emptione* 34. §. *fin. ff. de contrah. empt.* imò nec cum filio tutoris, vel alia persona huic subjecta; idem enim esset, ac si ipse tutor emeret, ut dicitur *l. pupillus cit.* §. *fin.* Eadem est ratio de Curatore, Procuratore, eoque, qui aliena negotia gerit *l. si in emptione cit. Excipitur* Tutor, si administrationem non habeat *l. tutores* 6. *ff. de author. tutor.* imò etiamsi administrationem habeat, si emat palàm, & bona fide, & contutoribus, siqui sunt, consciis, ac consensum præstantibus *l. pupillus* §. *item ipse cit.* & §. *sanè* 4. *l. non existimo* 54. *ff. de administr. tutor. l. cùm ipse* 5. *C. de contrah. empt.* vel etiam Judice suam authoritatem accommodante, uti fit, quando Magistratus jussu fit auctio, & publica venditio; nam Judicis authoritas supplet authoritatem tutoris *arg. l. sancimus* 25. *C. de administr. tutor.* Brunnem. *in l.* 5. *cit. n.* 2. Carpz. *p.* 2. *cap.* 11. *defin.* 33. Ant. Faber *l.* 5. *C. tit.* 35. *def.* 2. P. Friderich *tract. de Empt. & Vendit. p.* 2. *num.* 121. An verò Tutor semper opus habeat authoritate vel Contutoris, vel Judicis, an sufficiat, si emat publicè, & ut quivis de populo, controversum est. Prius illud est probabilius; quia Tutor non potest sibi esse author, ut à pupillo emat *l. pupillus cit.* Quando *l. cùm ipse cit.* dicitur posse ipsum *palàm, & bona fide comparare*, illud *palàm* intelligendum est de casu, quo vel contutoris, vel Judicis authoritas accedit.

24 4 *Advocatus* cum Cliente *l. quisquis* 6. §. *præterea* 2. *Cod. de postul.* quia in fraudem Juris pactio inter ipsos fieri posset de quota litis, & quidvis à Cliente extorqueri. Extendunt hoc Bartol. *ad l.* 9. *Cod. de Profess. & Medic.* Abb. *in cap.* 8. *de Immunit. num.* 34. & alii plurimi etiam ad *Medicum* respectu ægroti, durante istius ægritudine; quia par, imò major prohibendi ratio de his esse videtur, cùm sanitas, & vita sint ferè charissima, iisque tuendis quæcunque fortunæ bona plerique impendant.

5 *Milites* in Provinciis, in quibus militant, prohibentur sibi prædia comparare, præterquam si paterna eorum fiscus distrahat *l. milites* 9. *ff. de re militar.*

6 *Personæ Nobiles* eo modo, quem exprimit *l. nobiliores* 3. *C. de commerc. & mercat.* ibi, *Nobiliores natalibus, & horum luce conspicuos, & patrimonio ditiores perniciosum urbibus commercium exercere prohibemus, ut inter plebejos, & negotiatores facilius sit emendi, vendendique commercium.*

7 Denique *Clerici* quoad negotiationem ipsis à Jure Canonico prohibitam: de quo ex instituto *infrà Tit.* 50.

25 Quæritur 2. an detur obligatio emendi, aut vendendi? Resp. quamvis regulariter loquendo nemo ad vendendum, vel emendum possit compelli *l. invitum* 11. *l. in vendentis* 13. & *l. dudum* 14. *C. de contrah. vendit.* quia nemo regulariter adigitur ad contrahendum; estque suarum rerum quilibet moderator, & arbiter *l. in re mandata* 21. *C. mandat.* Plures tamen à DD. enumerantur causæ, ex quibus Magistratus subditos ad emendum, vel vendendum possit compellere. Et talis est

1 *Necessitas publica*. Ex hac 1. Magistratus tempo-
26 re inopiæ publicæ subditos suos, præcipuè divites, & Dardanarios, vulgò *die Kupperer, Korn-Juben*, compellere potest, ad frumentum, aliaque ad victum necessaria, si iisdem pto se, & familia sua alenda non indigeant, justo pretio vendenda *arg. l. quoties* 1. *C. ut nemini liceat in empt. specier.* Covar. *l.* 3. *var. cap.* 14. *num.* 3. Friderich *tract. de Empt. Vendit. num.* 95. Clariss. P. Schmier *tract. de pact. & Contract. cap.* 2. *num.* 29. 2. In eadem annonæ caritate Magistratus prohibere potest, ne singuli civium plura coemant, quàm opus habeant ad sustentationem familiæ suæ, propositis etiam pœnis in transgressores, præsertim, quos dixi Dardanarios, qui frugum coemptione annonam flagellant, & famem inducunt in populo *arg. l. annonam* 6. *ff. de extraord. crim.* 3. Ingruente famis, aut obsidionis periculo compelli subditi possunt, ut quæ necessaria sunt alendæ familiæ, coemant *arg. l. quoties cit.* Hunn. *Encyclop. p.* 3. *tit.* 14. *num.* 24. Sichard. *ad l.* 16. *C. de Jur. delib. num.* 2. P. Friderich *num.* 97. P. Schmier *num.* 30. 4. Si Provincia mercibus alicujus generis, aut victualibus abundet, vicinæ egeant, potest Magistratus statuere, ut illa hospitibus, & exteris eodem, quo ipsis incolis, pretio distrahantur *arg. cap. placuit* 1. *h. tit.* Contra si Provincia ipsa iisdem egeat, præcipi subditis potest, ut exteris hujusmodi victualia non divendant: imò ut Gibalin. *l.* 4. *de negot. cap.* 4. *consect.* 6. notat, jam exteris vendita possunt cives, oblato eodem pretio sibi retinere, invitis externis emptoribus, cùm ordo Charitatis postulet, ut priùs domesticis, quàm alienis succurratur. 5. Quando unus, vel plures habent frumenti copiam, quod magno pretio divitibus, & exteris vendunt, sicque evenit, ut pauperes, quia pretium tale offerre nequeunt, famem patiantur, potest Magistratus ad succurrendum horum inopiæ, cogere eos, qui frumento abundant, ut certo pretio illud indigenis pauperibus vendant. Gutier. *l.* 1. *qq. pract. quæst.* 13. Gibalin. *l.* 1. *cap.* 7. *art.* 3. *consect.* 1. P. Friderich *num.* 99.

2 *Utilitas publica*. Ex hac causa compelli possunt 1. 27
mercatores, & propolæ rerum ad victum, & vestitum pertinentium, ut eas, etiamsi non sit gravis annonæ, aut rerum illarum penuria, justo pretio vendant. Ita cum Bartol. Bald. & communi DD. Covar. *l.* 3. *var. cap.* 14. *numer.* 1. Mynsing. *cent.* 5. *obs.* 27. P. Friderich *num.* 102. 2. Privati ad vendendos fundos, & ædificia sua pro construenda Curia, vel domo annon paria, munienda civitate, erigendo fortalitio &c. Molinæus *ad consuet. Paris.* §. 76. *à num.* 27. Gibalin. *l.* 4. *de negot. cap.* 4. *art.* 7. *consect.* 6. *num.* 7. P. Friderich *num.* 103. P. Schmier *numer.* 31. & sumitur *ex l. opus novum* 3. *ff.* & *l. ædificia* 14. *C. de operib. publ. Ratio est*, quia hæc pertinent ad utilitatem publicam, cui cedit privata. 3. Eandem ob causam cogi privati possunt, ut ad majus decus, & commoditatem civitatis in construendis novis ædibus spatium aliquot pedum viæ amplificandæ relinquant *l. opus novum* & *l. ædificia citt.* P. Friderich *num.* 103. *cit.*

3 *Favor Religionis, ac Pietatis*: quamvis hæc reduci 28
ad secundam possit, cùm Religio ad utilitatem publicam vel maximè spectet, utpote quæ præcipuè in colenda Religione consistit *l. Juri* 1. §. *hujus* 2. *ff. de J. & J.* Ex hac causa 1. si ad extruendam, vel ampliandam Ecclesiam, vel alium pium locum necessariæ sint vicinæ ædes, aut fundi, cogi earum domini ad eas justo pretio vendendas possunt. Covar. *l.* 3. *var. c.* 14. *n.* 7. Genuens. *pract. Eccl. qu.* 241. *n.* 1. Molin. *tr.* 2. *de Just. D.* 241. *num.* 2. P. Friderich. *n.* 106. & hoc teste unanimiter omnes. 2. Ex eadem causa beneficiarius Dynasta fundi, in Ecclesiæ fundationem, aut constructionem assignati, cogi potest ad illum caducariis Legibus, & successionum vicissitudine absolvendum, dummodo indemnis ipse servetur, facta ei pecuniaria, vel alia compensatione. P. Friderich *l. cit.* 3. Ob candem causam *l. Deo nobis* 56. §. *his ita* 3. *C. de Episc. & Cleric.* disposuit Justinianus, ut Judæorum, & Infidelium servi, si Christianam Religionem suscipiant, libertatem consequantur, nec retrahi in servitutem possint, tametsi postea etiam Dominus eorum Religionem eandem profiteatur: quam Constitutionem moderata est Ecclesia *can. fraternitatem* 15. *dist.* 54. & *capitul. final de Judæis.*

4 *Jus alterius*, cujus usus aliàs omnino nullus, aut 29
modicus foret, si alius ad rem suam vendendam, aut jus cedendum pro justo pretio compelli non posset. Ob hanc causam 1. siquis uti nequeat fundo suo, nisi ad eum iter habeat per fundum sui vicini, cogitur vicinus iste justo pretio iter vendere *l. servum* 44. §. *fin. l. si fundum* 81. §. *qui fundum* 3. *ff. de Legat.* 1. 2. Si duo servum communem habeant, & unus velit illum manumittere, cogitur alter libertatis favore suam partem vendere, siquis illam redimere velit *l. in communes* 1. §. *his itaque* 1. *C. de comm. serv. manum.* 3. Pari ratione, si fiscus, & Respublica rem quampiam cum privato communem habet, quam ipsa vult vendere, tunc socius quoque cogitur suam partem vendere *l. un. C. de vend. rer. fisc.* Sichard. *ad l.* 16. *C. de Jur. delib. num.* 9. Hunn. *p.* 3. *Encyclop. tit.* 14. *cap.* 8. *n.* 14. P. Friderich *num.* 112.

5 *Malus rei usus*; quoniam *publicè interest, ne quis* 30
re sua malè utatur, ut dicitur §. *sed hoc* 2. *Inst. de his, qui sui, vel alieni Juris &c.* Et hinc *ibidem* statuitur, dominos ob sævitiam cogi posse ad servos suos vendendos.

6 *Privilegium*, quod nonnullis Civitatibus concessum est aut jus *Stapulæ*, ratione cujus merces illuc delatæ ad tempus venum exponi debent, nec ulteriùs transferri possunt; aut jus *Emporii*, ratione cujus unusquisque extraneus merces suas eò transferre, & venales exponere potest, sic tamen, ut extraneorum nemini, nisi mercatoribus, illas vendere permittatur. Scrych. *Us. mod. Pandect. tit. de contr. empt.* §. 5. Clariss. P. Schmier *de pact. & contr. cap.* 2. *num.* 33. Plura vide apud *cit.* P. Friderich *à num.* 92.

Quæritur 3. utrum in casu necessitatis publicæ Cle- 31
rici, & Religiosi compelli possint ad venditionem re-

rum, quarum penuria laborat Respublica? Resp. affirmativè: neque hoc dubitari potest, cùm Jure naturæ Clerici teneantur occurrere publicis necessitatibus in defectum Laicorum, & conf. ad satisfaciendum huic obligationi, ut aliis, si ultro illud non faciant, cogi poterunt.

A quo compelli possint, an à Magistratu tantùm Ecclesiastico, an verò etiam à Sæculari, contentio aliqua est inter DD. Bobadilla, Morla, Mexia, & alii JCti Hispani existimant cogi illos etiam à Magistratu Sæculari posse. Et hoc verum est, spectata Lege Regia Hispanorum; quæ quia saltem tacitè est approbata à Summis Pontt. Judicibus secularibus dare potestatem potuit ad cogendos in hoc casu Clericos.

32 De Jure communi, & præscindendo à speciali privilegio Pontificio tenendum est cum communi TT. & Canonistarum sententia, hanc potestatem Magistratui Sæculari nequaquam competere, sed si casus contingat, quo cogendi sunt Clerici, vel Religiosi ad hujusmodi res vendendas, recurrendum esse ad Judices, & Prælatos Ecclesiasticos, qui soli Jurisdictionem in illos habent, nisi fortè periculum, & fames ita urgeat, ut tali recursui non sit locus; tunc enim Magistratui Sæculari permissum esset Clericos, & personas Ecclesiasticas ad venditionem talium rerum, intra limites tamen discretionis compellere quòd ita necessitas boni publici, defensio Reip. nec non præsumpta Summi Pont. voluntas efflagitare videantur. Ranbeck *Panopl. Immun. Eccl. D.* 2. *cap.* 7. *coroll.* 5. P. Friderich *p.* 2. *de Empt. Vend. numer.* 101. Clariss. P. Schmier *de Pact. & Contract. cap.* 2. *num.* 34. *& duob. seqq.* Plura de his *infrà Tit.* 48.

33 Quæritur 4. quænam requirantur, ut ex causis hactenus relatis cogi aliquis ad vendendum, vel emendum possit? Resp. requiruntur ferè sequentia. 1. Ut necessitas, aut utilitas non ficta, sed vera sit, quæ vel actu existat, vel immineat probabilissimè. 2. Ut non possit alia commodiore, & minùs molesta via singulis civibus provideri, vel consuli bono publico, aut Religioni; quia aliàs iis, qui coguntur, fieret injuria, dum privarentur rerum suarum arbitrio. 3. Ut definiatur justum pretium; quia æquitati, & rationi consonum non est, subditum absque sua culpa carere pretio. 4. Ut onus vendendi, vel emendi æqualiter inter omnes dividatur, qui habent, quæ vendant, aut unde emant. 5. Ut cessante necessitate, vel utilitate publica, cesset coactio. 6. Ut iis, qui compelluntur vendere, tantum relinquatur, quantum familiæ sustentandæ sufficit.

§. III.

De Emptoris, & Venditoris mutuo Consensu.

SUMMARIUM.

34 35 36 *An absolutus in Emptionem Venditionem consensus satis declaretur verbis,* Volo vendere, volo emere?

37 38 39 *An in Emptionem Venditionem faciendam consensus sufficienter censeatur expressus ab eo, qui priùs promisit vendere rem pro certo pretio, & postea pretium istud recepit, ac mercem tradidit sine alia expressione consensus.*

40 41 *Quomodo Emptioni Venditioni addi possint Arrha, & quid Juris, si addantur?*

42 43 44 *An resiliri à Contractu possit, quando Arrha data est, absoluto jam consensu, ac venditione perfecta?*

44 *An Venditioni adjici possit Pactum addictionis in diem?*

46 *Requisita, ut effectum habeat.*

47 *Effectus, quos habet si purè addatur.*

48 *Effectus, quos habet, si addatur conditionate.*

49 *Oblata conditione meliori ab alio Emptore solvitur prima Emptio.*

50 *Et cessant effectus illius.*

51 *Quinam fructus tum restitui debeant?*

52 *An Venditioni adjici possit Pactum Legis Commissoriæ? Rationes dubitandi.*

53 *Deciditur pro affirmativa.*

54 *Effectus istius Pacti.*

55 *Fructus restituendi.*

56 *Requisita.*

57 *An venditio celebrari possit cum Pacto de retrovendendo? Deciditur affirmativè.*

58 *Modò augeatur, vel minuatur pretium pro modo favoris, aut oneris.*

59 *Responsio ad Rationes dubitandi.*

Consensus iste in traditionem pretii pro re, & rei pro pretio fieri potest, ac solet vel absolutè, vel sub conditione, vel adjecto pacto, aut modo, prout etiam in aliis contractibus fieri solent. Hinc variæ circa hos modos, quibus Emptio Venditio iniri solet, quæstiones oriuntur.

Quæritur 1. an absolutus in Emptionem Venditionem consensus satis declaretur verbis, *Volo vendere, volo emere*? Videtur respondendum negativè cum Mozzio *de Empt. Vendit. col.* 3. *num.* 46. ex ratione; quia *emere*, & *vendere* plus est, quàm *emere*, & *vendere velle*, sicut plus est *in arborem ascendere*, quàm *ascendere velle*, plus *Professionem Religionis emittere*, quàm *emittere velle*, vel etiam *emissionem illius vovere*. igitur sicut verbis posterioribus sola ascendendi voluntas, non ascensio, sola voluntas profitendi, non ipsa Professio, ita etiam prioribus sola vendendi, & emendi voluntas, non actualis Emptio Venditio, seu consensus in traditionem rei pro pretio, aut vicissim exprimitur. 34

Sed etsi, spectata stricta verborum istorum significatione, res ita se habeat, tamen communi illorum usu, & circumstantiis attentis, absolutus ex ipsis in Emptionem consensus præsumitur. Ita Accursius *in l. in vendentis* 13. *C. de contr. empt.* Haun. *tom.* 4. *tract.* 10. *num.* 23. Vviest. *hic num.* 17. *Ratio est*, quia ad propositum Contractum plus non requiritur, quàm mutuus consensus, seu conventio de datione, ac receptione certi pretii nummarii pro merce. atqui consensus iste verbis, *Volo hoc pretio vendere*, & *emere*, satis exprimitur, & non minùs, quàm verbo *Volo* idem consensus declaratur in ultimis Voluntatibus, quippe cùm per idem Verbum inducatur plena dispositio *l. Pamphilo* 39. *§. propositum* 1. *ff. de Legat.* 3. *Conf.* 1. ex usu apud nos Germanos communissimo; sæpissimè enim Venditor, & Emptor consensum suum actualem non aliis verbis exprimunt, quam dicendo, *Ich Bill es alſo laſſen, Ich Bill esumb diſſes gelt nehmen:* nec clarior consensus expresso requiritur, sed iis prolatis, quasi contracta actuali Emptione Venditione, pretium solvitur, & merx traditur. *Conf.* 2. ex paritate cum donatione, & matrimonio, nam si donans dicat, *Ich Bill dirs ſchencken*, significatur absoluta donatio; & si sponsi à Parocho interrogati in facie Ecclesiæ, an se mutuò conjuges habere velint, respondeant *Volo*, matrimonium per verba de præsenti contractum censetur. 35

Ad rationem dubitandi non est paritas; nam ascensus in arborem est actio externa, quæ sola voluntatis declaratione perfici nequit: & Professio Religiosa certam formam, & solemnitates; per Constitutiones Religionis, aut mores introductas, requirit. Contrarium utrque fit in Emptione Venditione; quia hæc sola voluntatis declaratione perficitur, nec certam verborum formam, aut solemnitates requirit, sed quibuscunque verbis significari potest, modò illa, communi usu spectato, consensum contrahentium sufficienter explicent. 36

Quæritur 2. an in Emptionem Venditionem faciendam consensus sufficienter censeatur expressus ab eo, qui priùs promisit vendere, rem pro certo pretio, & postea pretium istud recipit, ac mercem tradit sine alia expressione consensus? Negat Jason *in l. si ante* 6. *ff. solut. matrim.* qui proinde putat per ejusmodi traditionem dominium non transferri, ex ratione; quia promissio vendendi non est venditio. atqui in casu posito solùm adest promissio. ergo &c. 37

Sed meliùs tenetur affirmativa, quàm etiam defendunt Socin. *in l. si ante cit. & l.* 2. *conf.* 170. Fachin. *l.* 2. *contr. cap.* 5. *vers. ego*, Arnold. Rath. *th.* 7. *de contr. empt. num.* 8. Haun. *tom.* 4. *de J. & J. tract.* 10. *num.* 24. Vviest. *hic n.* 18. & alii apud istos. *Ratio est*, quia ut contracta censeatur Emptio Venditio, alio non est opus, quàm ut sufficienter declaretur consensus contrahentium. hoc autem factum est in casu quæstionis per solutionem pretii, & traditionem mercis, nam facta, & res non minùs, quàm verba sunt voluntatis, & consensus interni signa *l. de quibus* 32. *§. inveterata* 1. *ff. de Legib.* & *l. recusari* 95. *ff. de acquir. vel omitt. hæredit.* 38

Ad argumentum Jasonis dico, etsi nuda promissio vendendi non sit venditio, aut consensus actualis in venditionem, fieri tamen, si ejusmodi promissione posita, superveniat pretii solutio, & mercis traditio; nam hæc sufficienter exprimunt animum de præsenti transferendi dominium mercis pro pretio, & acceptandi pretium. Imò contrahi Emptio Venditio potest sine ullis verbis formalibus: quod in iis maximè rebus contingit, quæ pretium Lege, vel usu taxatum habent, ut est panis, quem dum emi- 39

emimus non rarò contingit, ut pretium deponamus ad tabernam, accepto pro eo pane, consensu autem in Emptionem ne verbo quidem expresso.

40 Quæritur 3. quomodo Emptioni Venditioni addi *Arrhæ* possint, & quid Juris, si addantur? Resp. *Arrha*, seu *Arrhabo* dicitur, quod datur in confirmationem Contractus, præcipuè Emptionis Venditionis, ad ejus securitatem, & ut contrahentes illum ad effectum perducant. Dari regulariter solet ab Emptore Venditori. Consistit aliquando in pecunia, aliquando in re alia, non tamen tantæ æstimationis, ut summam pretii venditionis æquet. Hinc Pignus quidam ab Arrha, & Arrhabone in eo distinguunt, quòd Pignus sit aliquid externum toti summæ æquivalens, ut notat S. Thom. *in* 2. *Cor. cap.* 5. *lect.* 2. Arrha verò sit pars totius, & de toto fides, ut ait Chrysost. *serm.* 1. *de Resurr. sub fin.* & *Hom.* 2. *ad Ephes.* Quandoque datur super facienda Emptione juxta *l. contractus* 17. *vers. illud etiam C. de fid. Instrum.* & *l. ex empto* 11. §. *is, qui vina* 6. *ff. de action. empt.* quando videlicet solùm fit promissio de faciendo contractu, aut contrahentes hunc volunt esse suspensum usque ad confectionem Scripturæ, vel taxationem pretii ab alio faciendam. Quandoque, & crebriùs datur in argumentum venditionis jam contractæ *princ. Inst. h. tit.* & *l. quod sæpe* 35. *princ. ff. de contrah. empt.*

41 Quando *primo modo* tradita est Arrha, nim. Contractu nondum perfecto, in arbitrio contrahentium est vel Contractum perficere, & sic Arrham recipere, aut in partem pretii computare; vel pœnitere, seu à contrahendo abstinere cum amissione Arrhæ. Ubi distinguendum est inter eum, qui Arrham dedit, & inter illum, qui eam accepit; nam si resilit is, qui illam dedit, altero invito, & sine justa causa, eam amittit, & lucratur alter, qui accepit. Contrà si resilit, qui Arrham accepit, tenebitur præter ipsam restituere tantundem de suo, & hoc alter lucrabitur *princ. Inst. h. t. l. contractus vers. illud etiam cit.* Dixi *altero invito, & sine justa causa*; aliud est, quando ex justa causa receditur, vel mutuo utriusque consensu: nam tunc restitui Arrha debet *l. ex empto* §. *is, qui vina cit.* & *l. fin. C. quand. lic. ab emption. disced.* Cùm repetitur, licèt non consistat in pecunia, non rei vindicatione, sed vel condictione sine causa, vel actione ex empto repeti debet §. *is, qui vina,* & *l. fin. cit.*

42 An resiliri à Contractu possit, quando Arrha data est secundo modo, & absoluto jam consensu, ac venditione perfecta, ambiguum est. Affirmant Gomez. *tom.* 2. *var. cap.* 2. *num.* 18. Molin. *tract.* 2. *de Just. D.* 338. *num.* 3. Fachin. *l.* 2. *contr. cap.* 28. Brunnem. *in l.* 17. *C. de fid. Instr. num.* 8. Fundantur 1. quia Arrharum datione, & receptione id tantùm agi inter contrahentes censetur, ut qui resilierit, si Arrhas dedit, illas amittat, si recepit, easdem duplicatas restituat, & eo pacto resilire à Contractu integrum utrique sit. 2. *princ. Inst. h. tit.* dicitur licitum esse pœnitere, *sive in scriptis, sive sine scriptis celebrata venditio sit*. atqui verbum *celebrata* significat venditionem perfectam. ergo &c. 3. Arrha est argumentum emptionis contractæ *princ. Institut. hoc tit.* & *l. quod sæpe* 35. *pr. ff. de contrahen. empt.* ergo non dantur, nisi contractu jam perfecto; dum ergo Jura dicunt, cum jactura Arrhæ licitum esse resilire à Contractu, permittunt resilire à contractu perfecto. 4. Qui nominatim in re aliqua sibi cavet, aliis beneficiis, & remediis renuntiare videtur. ergo siquis in emptione sibi cavit per Arrham, censetur eo ipso renuntiare juri, quo alias alterum contrahentem obligare potest ad implendum Contractum.

43 Sed dicendum, non esse licitum resilire ab Emptione, quando Arrha data est post perfectam Emptionem, etiamsi non sit data in partem pretii, vel traditio rei nondum sit facta. Ita post Cynum, & Bartolum sentiunt Wesenbec. *ff. de contr. empt. num.* 6. Eckolt *ibid.* §. 6. Bachov. *in Treutl. vol.* 1. *D.* 28. *th.* 8. *lit.* B. Harpprecht *pr. Inst. h. tit. num.* 91. Struv. *Synt. Jur. Exercit.* 23. *th.* 22. Carpzov. *p.* 2. *const.* 33. *def.* 14. P. Friderich *tract. de Empt. Vendit. num.* 410. & alii apud istum. *Ratio est*, quia à contractu Emptionis perfecto resilire non licet, si absque Arrha sit celebratus *l. de contractu* 3. *l. non est* 6. & *l. ratas* 7. *C. de rescin. Vendit. l. fin. C. quand. lic. ab empt. disced. l. sicut* 5. *C. de O. & A.* igitur multò minùs licebit recedere, si non tantùm nudo consensu, sed etiam Arrhæ datione firmata est; quia hæc non datur infirmandæ Venditionis causa, sed confirmandæ, ut nim. fortiùs obliget contrahentes, sitque argumentum Contractus perfecti, ex quo iste in Judicio probari possit. *Conf.* Emptor ad remittendam obligationem ex Contractu sibi quæsitam, cogi invitus nequit, etsi venditor duplum pretii offerat *l. non est cit.* igitur multo minùs propter Arrham resiliri potest, cùm ista non adæquet pretium, sed sæpe sit modica duntaxat ejusdem pars.

Neque contrarium probant Argumenta allata. *Ad* 1. 44
non est præsumendum istud de contrahentium voluntate, sed potiùs contrarium, cùm addita censeri ab iis Arrha debeat secundùm Juris præscriptum, ex quo, ut dictum est *num. præced.* non relaxandæ, sed confirmandæ obligationis est argumentum. *Ad* 2. ibi Imperatorem non loqui de Contractu omnino perfecto, patet ex verbis immediatè antecedentibus, ubi dicit, *donec aliquid deest*, ad perfectionem nempe contractus, esse *pœnitentiæ locum*, ita quidem, ut si Arrhæ datæ non sint, id omnino impunè liceat; si verò datæ sint, cum harum jactura. igitur per argumentum à sensu contrario, si nihil substantialium deest, non ampliùs erit pœnitentiæ locus, etiam cum jactura Arrharum. *Ad* 3. aliquando Arrhæ sunt argumentum Emptionis contrahendæ, si antè fuerint datæ: quod fieri posse constat tum ex *l. contractus* 17. *fin. Cod. de fid. instr.* tum ex praxi contrahentium. *Ad* 4. antecedens locum duntaxat habet, quando quis cautione sua sibi prospexit de re aliqua, in qua ei prospicitur sine cautione privata; non verò in aliis, sed in his cautio posterior priorem confirmat, ut fit in casu *l. prædia* 28. *ff. de act. empt.* ubi venditor, si pœnam stipulatus est, agere ex vendito potest, & simul ex stipulatu, si actione ex empto pœnam nondum est consecutus.

Quæritur 4. an Venditioni adjici valeat *Pactum* 45
addictionis in diem, quo inter Emptorem id agitur, ut Venditori liceat rem, venditam uni, addicere alteri, si hic intra certum tempus meliorem ipsi conditionem, e. gr. majus pretium, aut faciliorem, vel maturiorem solutionem offerat? Respond. affirmativè. Ita *l. licet* 7. *ff. de in diem addict.* & *l. quod autem* 11. *princip. ff. eod.* Neque hujusmodi Pactum adjectum Jure Canonico reprobatur. imò nec causa reprobandi; fuit si enim venditor ob tenuitatem pretii, à primo emptore oblati, potest rem ipsi omnino vendere nolle, & alium plus offerentem exspectare, quare non etiam ea conditione eidem vendere, ut si interea alius Emptor meliorem conditionem offerat, eamque primus Emptor præstare nolit, res vendita addicatur secundo Emptori?

Ut valeat Pactum hoc, & effectum habeat, plura 46
requiruntur. 1. ut alius Emptor conditionem meliorem offerat sincerè, & sine dolo, aut simulatione. 2. ut oblatam conditionem meliorem nolit primus Emptor ipse præstare *l. licet* 7. *ff. de in diem addict.* 3. ut Venditor meliorem conditionem acceptet *l. Sabinus* 9. *ff. eod.* 4. ut intra diem addictionis Venditor non moriatur, vel si mortuus sit, ut existat aliquis hæres, cui possit melior conditio afferri *l. si prædio* 15. *ff. eod.* 5. ut Venditor secundo Emptori rem addicat simpliciter, & non cum nova addictione in diem, nisi aliter inter Venditorem, & primum Emptorem conventum sit *l. quod autem* 11. *ff. eod.* 6. ut pactum Venditioni in continenti adjiciatur; nam si adjiciatur ex intervallo, non resolvitur Venditio, nec dominium ad Venditorem revertitur absque traditione. Gloss. *in l. ab emptione* 58. *ff. de Pact.*

Potest autem Venditio sub eo pacto fieri dupliciter, 47
purè, & sub conditione. Et plurimum refert, utro ex his modis fiat.

Nam si purè fiat Venditio sub eo Pacto. 1. conditionem usucapiendi præstat, ita, ut Emptor, cui res in diem purè addicta est, præscribere illius rei dominium irrevocabile possit, si cætera ad Usucapionem necessaria adsint *l. quoties* 2. §. *ubi igitur* 1. *ff. de in diem addict.* 2. potest hujusmodi emptor fructus suos facere, saltem revocabiliter, & hoc non tantùm ut bonæ fidei possessor, seu etiam ut dominus, cùm per talem quoque Emptionem, secuta traditione, acquirat dominium, quamvis revocabile: & eadem ratio est de accessionibus §. *ubi igitur cit.* 3. potest rem pignorare *l. ubi autem* 4. §. *sed & Marcellus* 3. *ff. eod.* item vindicare, & agere Interdicto *Quod vi aut clàm l. ubi autem cit.* §. *idem Julianus* 4. 4. ad ipsum pertinet periculum rei emptæ, si interierit §. *ubi igitur cit.* quia res domino suo perit, & non alii.

E contrario, si Venditio conditionalis fuerit 1. per 48
eam non transfertur dominium, etiam secuta traditione; quia conditio tunc effectum illius suspendit usque in tempus, quo lapso melior conditio Venditori non ampliùs offerri potest. 2. etiam non dat usucapiendi condi-

tionem, donec Contractus ita suspensus manet, ut patet ex *l. pro emptore 2. §. si sub conditione 2. ff. pro emptore*, ibi, *Si sub conditione emptio facta sit, pendente conditione emptor non usucapit*, & ratio clara est, quia usucapio æquè, ac dominium, requirit titulum præcedentem, & perfectum, quo Emptor hoc casu destituitur. 3. nec fructus lucratur *l. ubi autem cit. princ.* ibi, *Nec fructus ad eum pertinere*.

49 Si melior conditio intra statutum tempus Venditori ab alio Emptore non offeratur, aut oblata non acceptetur, res vendita primi Emptoris fit irrevocabiliter. *Proceditque hoc*, sive purè, sive sub conditione sit celebrata Emptio Venditio; tunc enim transit in absolutam, ita quidem, ut eventus conditionis retrotrahatur ad tempus celebrati contractus, ac proinde fructus, & commoda ad Emptorem pertinent à die celebrati Contractus. Lauterbach. *ad ff. tit. de in diem addict.* §. 22. Contrà si melior conditio ab alio Emptore offeratur, & acceptetur à Venditore, prima Venditio dissolvitur, & res vendita addicitur secundo Emptori, nisi primus emptor meliorem conditionem, à secundo oblatam, acceptare paratus sit, habet enim quasi jus Protimiscos, ex prima Venditione sibi quæsitum, ita, ut eandem conditionem implere volens, secundo præferatur *l. licèt 7. & l. seq. ff. de in diem addict.*

50 Ex quo sequitur, quod etiam cessare debeant omnes effectus, quos Emptio Venditio, antequam melior conditio offerretur, & acceptaretur, habuit. Patet in Emptione Venditione, quæ facta est sub conditione, *Nisi melior conditio offeratur*; nam hæc, ista oblata, reputatur pro non facta *l. siquis fundum 37. ff. de contrah. empt.* De facta purè ostenditur. Nam 1. dominium redit ad Venditorem ipso Jure absque omni actione, & traditione; sicut & rei vendicatio, utpote quæ tunc Emptori non ampliùs competit *l. siquis 41. pr. ff. de R. V.* idque vi istius Legis probabiliùs verum est non tantùm, quando pactum initum est verbis directis, sed etiam quando obliquis, ut Molin. *tract. 2. D. 378. n. 9.* Pal. *D. 5. p. 32. n. 6.* P. Friderich. *tract. de Empt. Vendit. num. 445. & 451.* advertunt. 2. res ita empta desinit esse pignori, si Emptor illam medio tempore oppignoravit *l. ubi autem 4. §. sed & 3. ff. de in diem addict.* 3. fructus quoque, quos interim percepit Emptor, restituere tenetur cum omni commodo, & accessione *l. item 6. ff. de in diem addict.* nam titulus rediit ad non titulum, & causa ad non causam.

51 Quinam fructus restitui debeant, contentio est aliqua inter DD. non quidem quoad formaliter extantes (nam hos restituendos apud eosdem convenit,) sed quoad consumptos. Aliqui enim distinguunt inter simpliciter consumptos, & inter eos, qui virtualiter extant, quatenus inde Emptor factus est locupletior; nam à priorum restitutione eundem absolvunt, obligant ad restitutionem posteriorum. Ita Zoes. *ff. de in diem addict. num.* 15. Struv. *Synt. Jur. Exercit.* 23. *th.* 34. P. Friderich. *de Empt. Vendit. num.* 451. Conformiùs iis, quæ *libr. 2. tit. 13. numer.* 51. dixi, sentiunt, qui cum Clariss. P. Schmier *de pact. & contr. cap. 2. numer.* 153. *& seqq.* eundem solùm obligant ad restituendos fructus formaliter extantes, non autem ad consumptos, licèt ex iis factus sit locupletior. Et meritò, cùm neque Venditor restituere debeat usuras, & alia emolumenta, quæ interea percepit ex pretio sibi numerato. Unde cùm dicitur, quòd per oblationem conditionis melioris acceptatam omnia reponantur in eum statum, in quo res erat ante venditionem, id intelligendum est quoad rem, & fructus extantes, non etiam quoad rem, & fructus consumptos, etiam cum lucro.

52 Quæritur 5. an Venditioni adjici valeat *Pactum Legis Commissariæ*, ut si Emptor pretium intra certum tempus non solverit, res sit inempta? *Ratio dubitandi est*, quia contingere potest, ut pretium ex causa justa intra tempus constitutum non solvat, & consf. Lex Commissoria cesset: quales causæ sunt, si quamvis vellet, solvere tamen illud Emptor non possit; si dum solutionem offert, venditor sit domo absens, vel oblatam sine justa causa recuset admittere; si debitor per compensationem ab obligatione sit liberatus; si ne solveret, inhibitum fuit à Fisco, utente jure agendi contra Venditoris debitoris sui debitorem, sive Emptorem.

53 Sed respondendum est distinguendo, an culpabiliter intra constitutum tempus Emptor non solverit pretium, an verò inculpabiliter, & ex justa causa. *Si hoc secundum*, ut fit in casibus pro ratione dubitandi allatis, Lex Commissoria cessat *l. si fundus 4. fin. & l. fin. de Leg. Commiss.* consf. etsi additum sit ejusmodi pactum, tamen per non factam constituto tempore solutionem res non sit inempta. *Si primum*, per ejusmodi Pactum, & non factam solutionem ad tempus constitutum res inempta fit, & ad Venditorem, recuperare volentem, revertitur *l. cùm Venditor 2. l. nam legem l. si fundus 4. & cap. ff. de Leg. Commiss.* *Ratio est*, quia Contractus Emptionis Venditionis jam perfectus mutuo contrahentium consensu dissolvi potest, & res empta Venditori, pretium verò Emptori restitui *arg. cap. omnis res 1. & l. nihil 35. ff. de R. J.* igitur etiam initio inter contrahentes conveniri sic potest, ut si constituto tempore pretium non solvatur, vel alia conditio apposita non impleatur, dissolvatur Contractus, & res inempta fiat; nam ut habetur *Reg. Contractus 85. in 6.* Contractus ex conventione Legem accipere dignoscuntur.

Dixi *ad Venditorem eam recuperare volentem*; quia 54
in arbitrio Venditoris est, an casu, quo Emptor pretium solvere constituto tempore culpabiliter distulit, post tempus oblatum recusare velit, & sic rem inemptam facere, an verò illud recipere, & stare Contractu, quo secundo casu etiam Emptor eo stare tenebitur, & soluto pretio ipsum implere *l. nam legem 3. l. si fundus 4. §. eleganter 2. ff. Leg. commiss.* Mantica *de tacit. & ambig. convent. l. 4. tit. 29. n. 9. & seqq.* Molin. *tract. 2. de Just. D.* 368. *n.* 2. Brunnem *ad ff. de Leg. commiss. n. 1. & 2.* P. Friderih. *tract. de Empt. & Vend. num.* 431. *Ratio est*, quia quòd ejusmodi Pacto res fieri inempta possit, est introductum in favorem venditoris. detorqueretur autem in detrimentum ipsius, si non esset in illius arbitrio uti Lege commissoria, & rem inemptam facere contra Regulam *l. nulla 25. ff. & l. quod favore 6. C. Legib.* Accedit, quia aliàs Emptor ex propria sua culpa haberet commodum, & ab obligatione se liberandi liberam nancisceretur facultatem contra *l. quod favore 6. C. Legib.*

Fructus, quos Emptor medio tempore percipit, pertinent ad ipsum quidem; quia interim est dominus rei 55
sibi traditæ: eos tamen restituere tenetur, si res inempta fiat, & ad Venditorem redeat. *l. lege 5. ff. de Leg. Commiss.* quod verum videtur non tantùm de fructibus extantibus, sed etiam de consumptis, etiamsi ex iis lucrum non senserit; quia tantùm sub conditione tacita concessi censentur, *si pretium Emptor numeraverit*. Ita Clariss. P. Schmier *tract. de Pact. & Contr. cap. 2. numer.* 158. & favere videtur Zoes. *ff. de leg. commiss. num.* 4. Lauterbach *ibid.* §. 11. Haun. *tom. 4. tr.* 10. *num.* 190. qui simpliciter asseruere, fructus, interim ab Emptore perceptos, esse restituendos. *Neque obstat*, quòd secundùm dicta *num.* 51. casu, quo Venditioni adjectum est Pactum addictionis in diem, & meliore conditione Venditori oblata, res empta ad Venditorem redit, in restitutionem non veniant fructus bona fide consumpti; nam eo casu Emptor extra culpam versatur, in nostro autem casu sibi imputare debet, quòd pretium constituto tempore non solverit, sicque indignum se fecerit, ut quidquam commodi sentiat ex negotio, in quo fidem fefellit *l. lege 5. in fin. ff. de Leg. commiss.*

Porro ut Pactum istud dictos effectus habeat, quatuor hæc requiruntur. 1. ut adjectum sit in continenti; 56
nam si ex intervallo fiat, non solvitur Venditio, nec dominium ad Venditorem redit, ipso Jure, & absque traditione. Ita cum Bald. Salycet. & communi aliorum notant Covar. *l. 3. var. cap. 8. num. 1. §. hæc verò.* Molin. *tract. 2. D.* 378. *num.* 10. Pal. *D. 5. p. 32. num.* 4. 2. ut conceptum fuerit verbis directis, qualia sunt, *Res sit inempta, contractus nullus, habeatur pro non facto &c.* nam si factum sit verbis solùm obliquis v. g. *dissolvatur contractus, res ad me redeat &c.* non habebit effectum transferendi dominium ipso Jure in Venditorem, sed opus erit traditione; quia tunc non tam est pactum Legis commissoriæ, quàm pactum retrovendendi, & sic irritatio venditionis non censetur retrotrahi ad tempus celebrati Contractus, sed solùm valet in tempus consequens. 3. ut statim, atque Lex commissa est, Venditor statuat, an Commissoriam velit exercere, an verò pretium petere *l. si fundus 4. §. eleganter 2. ff. de Leg. Commiss.* quia utrumque facere non potest, cùm is, qui pretium petit, hoc ipso censeatur à Lege Commissoria recessisse *l. de lege 6. §. fin. & l. seq. ff. eod.* 4. ut si Venditor alterutrum elegerit, non variet; neque enim quod semel elegit, repudiare poterit, aut quod repudiavit, eligere §. *eleganter cit. & l. post diem 7. ff. eod.*

Quæritur 6. an Venditio celebrari etiam valeat cum 57
Pacto rem venditam revendendi; sive, ut loquuntur, *retrovendendi*? *Rationem dubitandi* faciunt duo textus.

1. c.

c. *ad noſtram* 5. *h. tit.* ubi Venditio, & Emptio, ſcta cum pacto redimendi, ſeu retrovendendi, præmitur Contractus Uſurarius, ſive Uſura palliata. *c. illo vos* 4. *de Pignor.* in quo ſimiliter fœnoratitius nſetur Contractus, quo res emitur eo pacto, ut poſt mpus rem emptam emptor reſtituat Venditori.

Sed dicendum, Pactum hujuſmodi apponi Venditioi ſine Uſuraria, vel alia iniquitate poſſe, modo ſic at, ut pro favore, vel onere, quod ex hujuſmodi paato alteruter contrahentium habet, urgeatur, vel minuatur pretium rei venditæ. Ita Covar. *l.* 3. *var. c.* 8. . 3. *verſ. his ſanè*, Molin. *tr.* 2. *D.* 375. *n.* 2. Leſſ. *l.* 2. . 21. *n.* 113. *& ſeqq.* Laym. *l.* 3. *tr.* 4. *c.* 16. *n.* 18. Fachin. . 2. *contr. c.* 12. Berlich *p.* 2. *concl.* 1. *&* 2. Carpzov. *p.* 2. *onſt.* 1. *defin.* 1. *& ſeq.* Vviſenbach. *in ff. p.* 1. *D.* 35. *h.* 33. P. Pirh. *hic num.* 30. *& ſeqq.* P. Vvieſt. *n.* 21. *& ſeqq.* P. Friderich *n.* 464. *& ſeqq.* Clariſſ. P. Schm. *le Pact. & contr. c.* 2. *num.* 168. & favet utrumque Jus, Canonicum *c. cùm Joannes* 10. *de fid. Inſtr.* & *Extrav. Regimini h. tit. inter comm.* Civile *l. ſi fundum* 2. *C. de Pact. int. Empt. & vendit. compoſ. Ratio eſt*, quia contrahentibus eſt liberum vel non contrahere, vel Contractui legem ponere, ut patet in Pacto addictionis in diem, & Legis commiſſoriæ, dummodo ſincerè cuncta agantur, nec quidquam in fraudem Legis per Uſuram palliatam attentetur. atqui hujus non eſt periculum, ſi, ut dictum eſt, pro modo oneris pretium rei venditæ minuatur, augeatur pro modo favoris. ergo &c.

58 Dixi, *Modò augeatur, vel minuatur pretium pro modo favoris, vel oneris*; nam onus hoc, & favor eſt pretio æſtimabile: Et hinc ſi pactio hujuſmodi cedat in gratiam, & favorem ſolius venditoris, pretium rei venditæ debet minui, cùm ex hujuſmodi pactione Emptori imponatur aliquod onus, & ſic pretium mercis decreſcat. Si verò cedat in favorem Emptoris, pretium augeri debet; quia tunc onus patitur Venditor, & ſic pretium mercis creſcit. Quantum verò de pretio rei, cum pacto de retrovendendo venditæ, ſit detrahendum, ut cenſeatur juſtum, non conveniunt DD. nam aliqui cenſent illud juſtè diminui poſſe uſque ad tertiam partem, ut ſi res abſolute vendita valeat 30. fl. cum tali pacto valeat 10. Alii uſque ad quartam partem, ita, ut res, quæ valet ſecundum ſe 20. fl. ſi cum tali pacto vendatur, valeat ſolum quinque. Alii denique, & omnium optime cum Covar. *l.* 3. *var. c.* 10. *num.* 1. *&* 2. Molin. *tract.* 2. *D.* 375. *num.* 8. Tambur. *c.* 7. §. 8. *num.* 19. Pirh. *hic num.* 32. dicunt, id eſſe prudentis arbitrio, ſive Judicis officio æſtimandum, & definiendum, ſpectatis circumſtantiis, nempe expenſis in rem faciendis, longitudine, & brevitate temporis, & cujuſque Regionis conſuetudine. Idem dicendum, quando ob onus, impoſitum Venditori, augendum eſt pretium.

59 Concluſioni ſic explicatæ non obſtant textus allati pro Ratione dubitandi. *Ad* 1. Venditio ibi facta, tanquam Uſuraria, reprobata eſt, non propter intercedens pactum de retrovendendo, ſed quòd non fuerit vera Venditio, ſed potius Contractus Pignoratitius ſub Venditionis ſpecie initus, ut palliaretur Uſura; volebat enim eo Contractu Emptor, aut verius ex mutuo Creditor lucrari annuas penſiones, & fructus ex domibus, & olivis in ſpeciem venditis, reipſa pignori datis provenientes, ſalva ſorte, quam pro hujuſmodi domibus, & olivis dedit, quippe poſt ſeptennium reſtituenda; adeoque accipere voluit revera titulo mutui aliquid ultra ſortem, quod eſt Uſura. *Ad* 2. eadem eſt reſponſio; nam etiam eo caſu contracta fuit in ſpeciem quidem Venditio, reipſa vero oppignoratio pro mutuo, & hujus titulo palliata Uſura.

§. IV.

De Re, ſeu Merce, ſecundo Emptionis Venditionis Conſtitutivo.

SUMMARIUM.

60 *Materia Emptionis Venditionis eſt Merx, ſeu Res ad emendum propoſita.*
61 *Vendi non poſſunt Res ſpirituales.*
62 *Res Sacræ.*
63 *Res Eccleſiarum immobiles, & mobiles pretioſæ: item res publicæ.*
64 *Fundus dotalis.*
65 *Res propria Emptoris.*
66 *Liber homo &c.*
67 68 69 70 *An vendi poſſit res aliena?*
71 72 73 *An res non exiſtens?*
74 75 76 *An hæreditas.*
77 *An ad Emptorem tranſeat etiam jus accreſcendi.*
78 *Argumenta ſententiæ negantis.*
79 *Deciditur pro affirmativa.*
80 *Reſpondetur ad oppoſita.*
81 *An vendi poſſint etiam actiones?*
82 *Hac venditione tranſit in Emptorem ſolum jus agendi utile.*
83 84 *Actiones, quæ vendi nequeunt.*
85 *Quid conſtitutum ſit circa venditionem nominum per Legem Anaſtaſianam.*
86 *Requiſita, ut locum habeat.*
87 *Caſus excepti.*

Conſenſus, de quo hactenus, ad formam Contractus Emptionis Venditionis pertinet. Merx, ſeu Res, quæ pro pretio emenda proponitur, ad ejus materiam. Hæc, ut mercis nomen obtineat. 1. debet eſſe certa, & determinata, ut *numer.* 8. dixi: & *Ratio eſt*, quia rei incertæ certum pretium ſtatui nequit, quod tamen neceſſarium eſt ſecundùm dicta *num.* 7. 2. debet eſſe in rerum natura, vel ſaltem ſperari extitura, ut fructus agri, fœtus animalium. & ſic intelligi debet, quando *l. nec Emptio* 8. *pr. ff. eod.* dicitur: *nec emptionem, nec venditionem ſine re, quæ veneat, poſſe intelligi.* 3. debet eſſe in commercio humano, nec aliunde per Jus poſitivum vendi prohibita. *l. ſi in emptione* 34. §. *omnium* 1. *ff. eod.* His ſuppoſitis. 60

Quæritur 1. quænam res vendi nequeant? Reſp. 1. vendi nequeunt *Res ſpirituales*, ut ſunt Gratia ſanctificans, aut gratis data, Sacrificium Miſſæ, abſolutio, Ordinatio Sacra &c. & *Spiritualibus annexæ*, ſive deinde annexæ iiſdem ſint *conſequenter*, & Spiritualia, tanquam cauſa ſupponatur, ut Beneficia, Penſiones Eccleſiaſticæ, jus decimandi &c. ſive *antecedenter*, ut Templa, Altaria, Calices &c. ſive *concomitanter*, ut labor, qui in ſacrificatione, vel alio miniſterio, & functione Spirituali ſubitur: quorum omnium ratio eſt, quia hujuſmodi rerum venditio labem Simoniæ continet, & graviter adverſatur Religioni, ac multoties etiam Juſtitiæ. 61

2 *Res Sacræ*, i. e. quæ ad Cultum Divinum ſpecialiter deputatæ, & rite conſecratæ ſunt, nam iſtæ vendi ad uſum privatum, ſeu profanum nequeunt §. *ſacræ res* 8. *Inſt. de rer. diviſ. Ratio eſt*, quia non ſunt humani, ſed Divini Juris, adeoque extra humanum commercium §. *idem Juris* 2. *Inſt. de inutil. ſtipul.* §. *fin. Inſt. h. tit.* & *Reg.* 51. *in* 6. ubi dicitur, *quod ſemel Deo dicatum eſt, non eſſe ad uſus humanos ulterius transferendum. Excipitur* cauſa pietatis, e. g. redimendi captivos; nam ob hanc, vel aliam ſimilem piam cauſam calices, & vaſa alia, ac veſtes ſacræ vendi poſſunt, ut dictum eſt *Tit.* 13. *num.* 57. Si tamen Laico vendantur, ejuſmodi vaſa, ac veſtes non debent iiſdem vendi integræ, ſed calices conflari, aut frangi, veſtes Sacræ diſſui debent, ut habetur *l. ſancimus* 21. & *Auth. præterea C. de SS. Eccl.* Intellige, ſi periculum ſit ſacrilegii, & uſus ejuſmodi rerum ad actus profanos; nam ſi periculum hoc abſit, quia videlicet Laicus hujuſmodi res emit, ut per Sacerdotem in Oratorio, vel Capella ſua iis utatur, etiam integræ vendi Laico poſſunt, ut recte advertit Suarez *tom.* 1. *de Relig. l.* 4. *de Simon. c.* 15. *in fin.* 62

3 *Res Eccleſiarum immobiles*, & *mobiles pretioſæ*; nam hæ ſine ſolemnitatibus à Jure requiſitis vendi nequeunt, ut dictum eſt *Tit.* 13. *à num.* 26. *Neque obſtat*, quod comparare illas ſibi Eccleſia poſſit ſine hujuſmodi ſolemnitate; quia hoc ideo poteſt, quòd emptio talium rerum plerumque ſit utilis, cùm è contrario venditio ſoleat eſſe damnoſa Eccleſiæ. 63

4 *Res publicæ*, ſeu publicis uſibus deſtinatæ, uti ſunt fora, theatra, Baſilicæ, thermæ publicæ, viæ publicæ &c. *l. ſed Celſus* 6. *pr. l. littora* 51. & *l. pacta* 72. §. *Papinianus* 1. *ff. de contrah. empt.* quia, ut *c. ratio* 3. *de Præb. & Dign.* dicitur, *Ratio nulla permittit, ut quod pro communi utilitate datum eſſe dignoſcitur, propriis cujuſquam uſibus applicetur.*

5 *Fundus Dotalis*, vel alia res immobilis, quam uxor marito attulit ad Matrimonii onera ſupportanda. *Inſt. princ. quib. alien. non lic.* & *l. fundus* 3. *&c. ff. de fund. dotal.* Idem dicendum de rebus aliis, donatis propter nuptias, ſive in compenſationem, & ſecuritatem dotis, ut recte advertit P. Vvieſtner *hic n.* 74. *Proceditque hoc*, etſi mulier in ejuſmodi alienationem conſenſerit, & Juri ſuo renuntiarit. *Auth. ſive à me C. ad S. C. Vellejan. Excipitur*, niſi huic renuntiationi ſe non contraventuram juraſſet *c. cum* 64
con-

contingat 28. *de Jurejur.* & *c. licet* 2. *eod. in* 6. vel post biennium secunda vice consenserit, & maritus alia bona habeat, ex quibus indemnitati mulieris sufficienter cautum, atque prospectum sit, ut habetur *Auth. cit.*

65 *Res propria ipsius Emptoris*, ut patet ex *l. sua rei* 16. *ff. l. cum res* 4. & *l. si mulier* 10. *C. de contrah. empt.* quibus textibus ejusmodi emptio rei propriæ, sive scienter, sive ignoranter facta sit, dicitur esse nulla. *Ratio est*, quia, *quod meum est, ex alia causa fieri meum non potest, nisi desierit esse meum*, ut ex Legum sanctionibus advertit Innoc. III. *c. inter* 6. *vers. cæterum de fid. Instrum.* Quodsi tamen alius jus aliquod in re istiusmodi habet, emi illud à domino rei potest *l. si in emptione* 34. §. *rei suæ* 4. *ff. de contrah. empt.* Mantica *de tacit. & ambig. convent. l.* 4. *tit.* 5. *num.* 18. Mozz. *de Empt. tit. de rebus n.* 55. Perez *in C. de contrah. empt. num.* 13. Brunnem. *ibid. ad l. cum res cit. n.* 2. Vviest. *hic n.* 75. *Ratio est*, quia tali casu non rem suam, sed rei suæ alienam possessionem, aut alienum in ea jus emit.

66 7 *Liber homo, suique Juris* pro servo §. *fin. Inst. hoc tit. Ratio est*, quia in Emptione intervenire debet certum pretium, & æstimatio; hanc autem liberum corpus non recipit *l. prætor ait* 1. §. *sed cum* 5. *ff. de his, qui effud. vel dejecer.* cum libertas inæstimabilis sit *l. libertas* 106. *ff. de R. J.*

8 *Res de se malæ*, aut indifferentes quidem, sed expetitæ ad usus malos, ut fascinum, Amuletum magicum, libri impuri, hæretici, famosi &c. arma, & opera Sicarii ad occidendum inimicum intenta, prostitutio corporis, lenocinium &c.

9 Denique res aliæ, de quibus specialis est Juris prohibitio: uti sunt 1. *Res litigiosæ*, ut habetur *c. fin. de sequestr. poss.* & *toto Tit. ff. & C. de litigios.* 2. *Res Emphyteuticæ*, & *Feudales*, si venditio fiat inconsulto domino directo *l. fin. C. de Jur. Emphyt.* & *l.* 2. *feud. tit.* 52. *c.* 2. & *tit.* 55. *pr.* 3. Arma, equi, commeatus, metalla, naves &c. si ea vendantur Barbaris, & Romani Imperii hostibus *l. ad barbaricum* 1. & *l. seq. C. quæ res export. non deb.*

67 Quæritur 2. utrum res aliena vendi possit? Videtur non posse eandem vendi; quia Emptio Venditio est translativa dominii. atqui Venditor rei alienæ dominium, cum ipse eodem careat, in Emptorem transferre non potest. ergo &c. *Conf.* si valeret Emptio Venditio rei alienæ, Venditor teneretur eam Emptori tradere; hoc enim est de ratione istius Contractus, si validus sit, ut habetur *l. servus* 30. §. *si sciens* 1. *ff. de action. empt.* ibi *Venditorem hactenus teneri, ut rem emptori habere liceat.* atqui tradere rem alienam non domino est illicitum, & ad illicitum obligari nemo potest. ergo &c.

Sed respondendum est distinguendo: Vel enim res illa aliena vendita est usu consumptibilis, quæ functionem recipit, vel non. *Si primum*, ex præsumpta domini voluntate Emptio Venditio illius valet, quamvis Emptor sciat illam alienam esse, modò iste ejus sit intentionis, aut si forte alienans domino non satisfaciat, rem æquè bonam illi reddendo, ipse acceptam sit redditurus, vel aliam ejusdem qualitatis, & bonitatis. Ita Medin. *q.* 4. *de rebus per usuram acquisitis*, Molin. *tr.* 2. *D.* 339. *post. init.* Rebell. *p.* 2. *l.* 1. *q.* 7. *concl.* 2. Salas *de Usur. dub.* 42. *n.* 3. Pal. *tr.* 32. *D.* 1. *p.* 13. *num.* 5. & *seqq.* qui *num.* 9. pluribus aliis *citt.* putat eo casu etiam dominium in Emptorem transferri. *Ratio est*, quia cùm domini nihil intersit rem propriam sibi reddi, quando altera ejusdem qualitatis, & bonitatis absque mora, & incommodo redditur, circa prædictam alienationem rationabiliter invitus esse non potest.

68 *Si secundum*, interest, utrum Emptor sciat rem illam alienam esse, an dubitet, an vero omnino ignoret. *Primo casu* facta Venditio est invalida, neque Venditor tali casu tenetur de Evictione, aut ad compensanda damna inde secuta, nisi aliter inter ipsum, & Emptorem convenerit *l. si in emptione* 34. §. *item si* 3. *ff. de contrah. vend. l. si fundum* 27. *C. de evict. l. si fratres* 7. *C. commun. utriusq. Judic.* quia conscius vitii rei emptæ, ejus periculum in se suscipit, nisi contrarium pactum præcedat non tantum de furtiva, ut quidam volunt, sed de omni aliena, ut patet ex *l. si fundum cit.* Nec emptor repetere tunc pretium potest, sed restituendum est domino rei, si hanc iste recuperare non potest, vel si eam recuperat, applicandum est fisco. Molin. *tr.* 2. *de Just. D.* 327. *n.* 6.

69 *In casu secundo*, quando Emptor dubitat, an res sit aliena, poterit eam emere (idem est de omni alio Contractu tam lucrativo, quàm oneroso) modo statuat inquirere veritatem, & comperto domino eam restituere. Covar. *Reg. Peccatum p.* 3. *pr. num.* 4. Medin. *C. de restit.* §. *si verò q.* 10. Rebell. *p.* 2. *de Just. l.* 1. *q.* 7. *n.* 7. P. Friderich *tr. de Empt. Vend. n.* 158. quia sic nulla fit domino injuria, sed potius ejus negotium utiliter geritur.

In casu tertio, quando Emptor ignorat alienam esse rem venditam, Venditio valet eatenus, ut Emptori, usque dum dominus eam vindicet, eam liceat habere, & ut venditor ei teneatur de Evictione, & ad totum interesse *l. rem alienam* 28. *ff. de contrah. Empt.* & *l. ex empto* 11. *ff. de action. Empt. Ratio est*, quia tunc valet etiam Venditio rei furtivæ *l. si in emptione* 34. §. *item si* 3. *ff. de contrah. empt.*

Ad rationem dubitandi dico, Emptionem Venditionem esse translativam dominii, si Venditor sit dominus rei venditæ: secus, si non sit dominus, sed illam vendat ut suam; tunc enim in Emptorem bonæ fidei solum transfertur usucapiendi conditio, ut eam ipsi habere liceat, & legitimo tempore bona fide possessam præscribere, nisi dominus verus currente tempore præscriptionis superveniat, eamque suam, aut sibi obligatam esse in Judicio evincat.

Ad Conf. dico eo casu rem alienam venditam Emptori licitè tradi ob tacitum consensum domini, quem 70 Leges præsumunt, dum ajunt rei alienæ venditionem ignoranti factam valere, & utrinque parere obligationem. Nec immeritò istud præsumunt Leges: Vel enim venditor scit alienam esse, vel nescit. Si nescit, tanquam bonæ fidei possessor habet jus disponendi de re, æquè ac verus dominus, ac proinde iste non potest esse rationabiliter invitus. Si scit, optabilius est domino rei, hanc potius esse penes bonæ fidei emptorem, cum emptor bonæ fidei eam non sit occultaturus, sicut Venditor malæ fidei, & sic quia sperare potest facilius sibi restituendam, invitus non est, si illi ab hoc tradatur.

Quæritur 3. utrum res non existens vendi possit? 71 *Ratio dubitandi* sumitur ex *l. nec emptio* 8. *ff. de contrah. empt.* ubi JCtus. *Nec emptio*, inquit, *nec venditio sine re, quæ veneat, intelligi potest*: unde consequens esse videtur, res, quæ nondum sunt, vendi non posse.

Sed respondendum est, posse emi rem nondum existentem, modo speretur extitura; sic enim aperte *l. nec emptio cit.* §. *aliquando* 1. Discrimen tamen inter has aliquod fieri debet. Nam aliquarum proventus est status, & ordinarius, poteritque dici naturalis, quia causæ earum naturales non fallunt, sed semper effectum habent, nisi casus fortuitus eas turbaverit, uti sunt fructus agrorum, vinearum, arborum, fœtus animalium, effecta famulorum, & operarum &c. Aliarum proventus est incertus, & fortuitus, quia aut omnino, aut magna ex parte à casu, & fortuna dependet, uti est captura volucrum, piscium, missilium, lucra ex forte, lusibus fortunæ.

Posteriorum venditio pura est, suumque effectum irrevocabiliter operatur, sive aliquid captum, aut extractum fuerit, sive non; nam totum pretium constitutum exsolvere emptor debet, *etiamsi nihil inciderit*, ut dicitur §. *aliquando cit.* & *l. ex empto* 11. §. *ult. in fin. ff. de action. empt.* & vice versa, quidquid ceperit, præstare venditor, etiamsi valore pretium excedat decuplo. P. Friderich *tr. de Empt. Vendit. n.* 166. Clariss. P. Schmier *tr. de Pact. & Contr. c.* 2. *num.* 49. *Ratio est*, quia non tam res certa, quàm incerta videtur vendita, ipsæque partes aleæ, ac fortunæ se commisisse. 72

Priorum Venditio est conditionata, nec effectum aliquem producit, si nihil de fructibus, aut fœtibus natum fuerit *l. nec emptio cit. pr.* Contra valet, si quid natum fuerit, quantumvis minimum; nec quod parum natum est, diminuitur pretium, sicut non augetur, si fructus supra spem fuerint uberrimi, dummodo fuerit statutum unicum pretium, & indivisibile, & non in singula capita, aut mensuras certum. P. Friderich *tr. cit. num.* 164.

Intelligi autem hoc debet de Emptione fructuum, 73 qui tempore Emptionis nullatenus existunt. Aliud dicendum, si vendantur, dum sunt in herba (*in der Saat*) aut dum jam pendent in arbore; tunc enim periculum ad Emptorem spectat, ita, ut teneatur solvere constitutum pretium, tametsi non maturescant, aut pereant eluvione, grandine &c. nisi inter contrahentes aliter convenerit, aut fructuum proventus impeditus fuerit culpa venditoris *arg. l. fistulas* 78. §. *fin. de contrah. empt.* Sed emptio hæc frumenti in herbis, & uvarum pen-

endentium, teste Struvio *Synt. Jurispr. Exerc.* 23. *t.* 2. *th.* 27. per *Ordin. Polit. Imper.* & Statuum quorundam Constitutiones prohibita est, ne auferatur vi pecunia incauto, miseroque agricolæ à callidis, avidisque dardanariis annona, unde se alat.

74 Quæritur 4. utrum vendi possit Hæreditas? Resp. distinguendo: Vel enim agitur de hæreditate viventis, vel de ea, quæ per mortem testatoris jam delata est Venditori.

Si primum, non valet Venditio *l. si hæreditas* 1. *ff. de hæredit. vel action. vendit.* & *l. fin. C. de Pact.* quia est contra bonos mores, & inducit votum captandæ mortis, estque plena tristissimi eventus *l. fin. cit.* & *l. moribus* 2. §. *interdum* 2. *ff. de vulg. & pupill. substit.* *Excipitur*, nisi consentiat ille, de cujus hæreditate agitur; tunc enim valet, modò iste in sua voluntate persistat, cum eo casu, ut *l. fin. cit.* dicitur, *sublata sit acerbissima spes*, quæ alias gravis, & injuriosa esse testatori solet.

75 *Si secundum*, in Emptionem Venditionem rectè deducitur; nam quivis de re sua disponere potest, nisi Lege prohibeatur, nullibi autem prohibita est hæreditatis delatæ venditio. ergo &c. Interest autem, an simpliciter facta sit hæreditatis venditio, an cum determinatione quantitatis, vel qualitatis rerum hæreditariarum; nam si hoc *posterius* factum sit, Venditor præstare Emptori illa omnia debet, quæ dixit esse in hæreditate *l. fin. ff. de hæred. vel action. vendit.* *Si prius*, emptor hæreditatis *neque amplius*, *neque minus Juris habet, quam apud emptorem futurum esset*, ut rectè Ulpianus *l. Venditor* 2. *pr. ff. eod.* notat. Et hinc in casu hæreditatis sic venditæ

76 *Sequitur* 1. ad Emptorem spectare illud omne, quod ex hæreditate jam pervenit ad Venditorem, vel aliquando perventurum est, vel per eum stat, quo minus pervenerit *l. venditor cit.* §. 3. 5. & 9. 2. Venditorem eo casu non teneri de evictione, tametsi res singulæ in hæreditate fuerint evictæ; quia in Emptorem plus transferre non tenetur, quam quantum ipse habuit, solum quippe jus hæreditarium *l. Venditor cit. pr.* quod etiam in re minima potest consistere *l. regulariter* 9. & *l. seq. ff. de hæredit. petit.* 3. Ad eundem Emptorem transire omnes actiones activas hæreditarias *l. emptor* 5. & *l. fin. C. de hæredit. & action. vendit.* *activas*, inquam; nam Passivas excipere invitus non tenetur *l. ratio* 2. *C. eod.* competunt ergo creditori defuncti adversus hæredem, non obstante, quòd hæreditatem vendiderit: quidquid tamen ex causa hac Venditor solverit, id omne tenetur Emptor resarcire *l. quamvis* 2. *C. de Legat.*

77 An etiam jus accrescendi hoc casu in Emptorem hæreditatis transeat, gravis apud DD. est controversia. Species facti poni hæc potest: Sempronius, & Cajus æquis partibus hæredes sunt scripti. Sempronius partem suam Mævio vendit. Venditione facta, Cajus partem suam repudiat. Quæstio est, an illa pars, repudiata à Cajo, accrescat Sempronio Venditori, an Mævio Emptori? Pro Venditore stant Jason *in l.* 2. *n.* 9. *C. de Pact.* Salycet. *in l. unic. C. quand. non petent. part. n.* 15. Vasq. *tit. de tacit. substit. seu de Jur. accresc. l.* 3. §. 21. *n.* 65. Gomez. *tom.* 1. *var. cap.* 10. *n.* 44. Cujacius *l.* 12. *observ. c.* 3. Andr. Fachin. *l.* 10. *contr. cap.* 3. & 70. Pal. *tr.* 32. *D.* 5. *p.* 18. *n.* 6. Bachov. *in Treutl. vol.* 1. *D.* 28. *th.* 12. Vin. *select. qq. l.* 1. *c.* 55. Struv. *Synt. Jur. exerc.* 23. *th.* 70. Eckolt *ad tit. ff. de hæred. & action. vend.* §. 2. Lauterbach *ibid.* §. 9.

78 *Fundantur* 1. quia jus accrescendi pertinet ad eum, qui hæreditatem adiit, & hæres est *l. hæredi* 31. & *l. ex duobus* 53. §. *qui semel* 1. *ff. de acquir. vel omitt. hæred.* atqui hæres venditor etiam post venditionem hæres manet *l. ei, qui solvendo* 88. *ff. de Hæredib. instit. l. ex facto* 43. §. *fin. ff. de vulg. & pupill. substit.* ergo &c. 2. Jus accrescendi ex voluntate Testatoris præsumpta descendit. atqui non est credendum, quòd iste voluerit jus istud transire in Emptorem, quippe quem non nominavit, & fortè non novit. ergo &c. 3. Illud solum censetur vendidisse hæres, quod jam ipso venditionis tempore ad eum pervenit *l. venditor* 2. §. *illud* 1. *ff. de hæred. vel action. vendit.* atqui portionem accrescentem tunc nondum habuit. 4. Venditor censetur habere portionem hæreditatis, quam vendidit, quia habet pretium, pro quo vendidit, & quod subrogatur portioni venditæ. igitur illi accrescere debet cohæredis portio. 5. Venditor non transmittit ad emptorem actiones passivas, ut *n.* 76. *in fin.* dictum est. ergo etiam jus accrescendi penes eundem manet.

79 Sed his non obstantibus dicendum casu, quo hæres simpliciter suam portionem hæreditariam vendit, etiam Jus accrescendi ad Emptorem transire. Ita Bartol. *in l. re conjuncti num.* 26. *ff. de Legat.* 3. Curt. *Jun. in l. unic. C. quand. non petent. part. num.* 12. Sebast. Tapia *ibid. n.* 20. Duaren. *l.* 2. *de Jur. accresc. c.* 6. Mantica *de tacit. & ambig. convent. l.* 4. *tit.* 11. Hunn. *in Treutl. Vol.* 2. *D.* 2. *q.* 63. Harppr. *in* §. *fin. Inst. h. tit. n.* 23. Perez *in C. de Hæred. & act. vendit. num.* 15. Vvissenbach. *D.* 35. *th.* 5. Ludvvel. *exerc.* 13. *th.* 3. *lit. E.* Haun. *tom.* 4. *de Just. tr.* 10. *n.* 94. & *seqq.* Gletle *p.* 3. *c.* 19. *n.* 5. P. Friderich *tr. de empt. vend. n.* 798. Clariss. P. Schmier *tr. de pact. & contr. c.* 2. *n.* 67. & *seqq.* Deducitur 1. ex *l. Venditor* 2. *princ.* & §. 3. & 4. & 9. ubi perspicuè definitur, quòd omne jus, & omne lucrum, quod venditor habuit, aut habebit, in emptorem transeat: quod verum non esset, si non etiam transiret jus accrescendi. 2. Ex *l. si totam* 83. *ff. de acquir. vel omittend. hæred.* ubi deciditur ei, qui *totum, aut partem, ex qua hæres institutus est, tacite rogatus est restituere, nihil debere accrescere:* & rationem ibidem addit Ulpianus: *quia rem non videtur habere.* atqui Venditor hæreditatis, post venditionem, & traditionem, rem habere non videtur. ergo nec ipsi accrescit aliquid. 3. Ex *ratione*, quia portio in hæreditatem relicta accrescit portioni instar alluvionis secundum Papinianum *l. si Titio* 33. §. *usumfructum* 1. *ff. de Usufr. & quemad.* atqui *id, quod post emptionem fundo accessit per alluvionem, vel periit, ad emptoris commodum, incommodumque pertinet*, ut ait Paulus JCtus *l. id quod* 7. *ff. de peric. & commod. rei vend.*

Neque contrarium efficaciter probant argumenta sententiæ negantis. *Ad* 1. dico jus accrescendi pertinere ad hæredem, quamdiu penes ipsum sunt Jura hæreditaria, non verò, postquam ista in alium translata sunt; nam his translatis, etiam jus accrescendi transferri debet, quippe quod etiam ipsum inter Jura hæreditaria comprehenditur. *Ad* 2. voluntas testatoris præsumitur fuisse conformis Legibus; istæ autem jus accrescendi volunt penes hæredem esse non aliter, quam quousque penes ipsum sunt jura hæreditaria. *Ad* 3. jus accrescendi hæres tempore venditionis habet, non quidem absolutum, sed conditionatum, *si pars cohæredis defecerit*, & hoc jus constituit partem quandam hæreditatis. igitur cum nihil juris, quod ex hæreditate fuerit, aut ejus occasione sit acquisitum, apud venditorem hæreditatis manere debeat, ut dictum est *num.* 76. & patet ex *l. Venditor pr. cit.* necesse est, etiam illud transferri in Emptorem. *Ad* 4. jus alluvionis non sequitur portionem, quæ virtualiter tantum existit apud venditorem, sed eam dumtaxat, quæ formaliter existit apud emptorem juxta *l. id, quod cit.* ergo etiam jus accrescendi, quod juri alluvionis in hoc passu æquiparatur per *l. Titio cit.* *Ad* 5. licèt actiones passivæ in Emptorem non transeant, tamen in effectu idem ferè est, acsi transirent, cum, ut *num.* 76. dictum est, quidquid ex causa hac Venditor solverit, resarcire id omne Emptor debeat: cùm igitur iste sentiat revera hæreditatis onera, etiam commoda, & jura ut sentiat, æquissimum erit. 80

Quæritur 5. an vendi possint etiam Actiones, seu Nomina, Obligationes, debita? Resp. regulariter vendi posse, sive deinde puræ illæ sint, sive sub conditione, aut in diem, sive reales, sive personales, sive ex contractu, sive ex delicto civiles; nam indiscriminatim harum omnium venditio permissa est omnibus, qui res alias possunt vendere, & in omnes, qui possunt emere, ut patet ex *l. nomina* 17. *ff. de hæred. vel action. vendit.* *Proceditque* hoc non solum sciente, & consentiente illo, contra quem mandantur, sed etiam ignorante, vel invito, ut habetur *l. nominis* 3. *C. de hæredit. vel action. vendit.* & *l. delegatio* 1. *C. de novation.* *Ratio est*, quia debitoris non interest regulariter, qualem habeat creditorem, ut proin frustra illius consensus ad actionis venditionem desideretur. Aliter fit in substitutione novi debitoris; in hac enim opus est consensu creditoris, quippe cùm illius intersit plurimum, qualem habeat debitorem. 81

Dixi autem *regulariter*; nam quintupliciter limitari hactenus dicta debent. 1. *Quoad jus*, quod actionum, & nominum venditione transfertur; quia per hujusmodi Venditionem in Emptorem solummodo transfertur jus agendi utile, & quidem ex mero privilegio, & beneficio Legis *l. si cum emptore* 16. *pr. ff. de pact.* & *l. data* 1. & *l. seq. C. de O. & A.* non verò directum, nisi mandatum creditoris habeat, quo Procurator in rem propriam constituatur *l. ex nominis* 8. *C. de hæred. vel action. vendit.* *Ratio est*, quia vel actio cessa est actio personalis, vel realis; si personalis, inhæret ossibus personæ creditoris, nec inde avelli nuda cessione potest; si realis, præsupponit jus in re, quod præcisa traditione rei, non acquiritur *l. traditionibus* 20. *C. de Pact.* 82

Quodam

2 *Quoad rem*, quæ vi ceſſæ Actionis peti ab Emptore poteſt; nam quomodocumque egerit Emptor; plus nequit petere, quam Venditor potuerit: & ideo ſi debitor non fuerit locuples, aut non ſolvendo, regreſſum adverſus Venditorem non habet; quia qui nomen vendit, *verum* dumtaxat, non etiam *bonum* vendidiſſe præſumitur, niſi aliud conventum ſit *l. ſi nomen* 4. *ff. de hæred. vel act. vendit. l. ſi plus* 74. §. *fin. ff. de Evictior.*

83 3 *Quoad ipſas actiones*; nam aliquæ vendi non poſſunt. Et 1. quidem Actiones litigioſæ *l. lite pendente* 2. & *l. fin. C. de litigioſ.* eſtque talis venditio, & alienatio regulariter nulla. 2. Criminales *arg.* §. *in ſumma* 10. *Inſt. de injur.* & *l. locatio* 9. §. *reliquatores* 2. *ff. de Publican. & vectig.* 3. Populares *arg. l. populares* 7. *ff. de Popul. action.* & *l. licet* 42. *ff. de Procurat.* 4. Actio perſonalis ad uſum petendum, & vindicandum *arg.* §. *minus* 1. *Inſt. de uſ. & habit.* 5. Actio ad rem jure ſanguinis retrahendam reſpectu extranei. Tiraquell. *de retract.* §. 26. *gloſſ.* 1. Carpz. *p.* 2. *conſt.* 31. *def.* 19. *n.* 6. 6. Actiones, quæ aliis prodeſſe non poſſunt v. g. actio de uxore exhibenda *l. imò magis* 2. *ff. de liber. exhibend.*

84 4 *Quoad Emptores*; nam 1. non poſſunt Actiones transferri in potentiorem, invito debitore *l. fin. C. ne liceat potentioribus &c.* *Proceditque* hoc non tantum de debito incerto, & litigioſo, ſed etiam de certo, niſi id fiat eo modo, & in iis circumſtantiis, quæ præſumptionem bonæ fidei faciant. Abb. Tuſch. Tiraquell. Brunnem. quos citat, & ſequitur P. Friderich *tr. de empt. vendit. num.* 207. 2. Vendi non poſſunt privilegiatis à perſonis non privilegiatis v. g. Clericis à Laicis, ſi quidem dolo id fiat, & judicii mutandi cauſa *c. ult. de alien. judic. mut. cauſ.* nam quando abeſt præſumptio fraudis, actiones cedi etiam Clericis poſſunt. 3. Prohibentur Tutores, & Curatores emere actiones contra illos, quorum tutelam, aut curatelam habent, aut habuerunt. *Novell.* 72. *c.* 5. & *Auth. Minoris C. qui dar. tutor. vel curat. poſſ.* quibus Juribus correcta eſt *l. non fit* 12. *ff. de reb. eor. qui ſub tutel.* 4. Judæi non poſſunt Chriſtiano vendere actionem contra Chriſtianum, neque Chriſtianus Judæo. *Receſſ. Imper. Auguſtæ anno* 1551. §. 79. & *Ordin. Polit. Anno* 1577. *tit.* 20. §. 4. quæ Conſtitutio cùm ſit univerſalis, non bene ab aliquibus ſolum intelligitur de debitis Uſurariis.

85 5 *Quoad pretium*, quod exponitur pro Actione empta, licet enim Jure veteri Digeſtorum emptor, cui modico pretio vendita fuit actio, non ſolum quantitatem ſoluti pretii, ſed ſolidum debitum, & nomen, quod emit, exigere potuerit, ab Anaſtaſio tamen Imper. promulgata Conſtitutione *l. per diverſas* 22. *C. mandat.* & à Juſtiniano *l. fin. C. eod.* confirmata (quo Jure etiamnum hodie utimur), is, cui vendita eſt actio, non poteſt plus exigere, quam quantum pretii nomine vendentis ipſe exſolvit. Cui verò reſiduum debiti debeatur, controverſia eſt inter DD. Cyn, Lud. Roman. Donell. Joan. à Sande, Mevius, Manzius, & alii, quos refert, & ſequitur Struv. *Synt. Jur. Exerc.* 23. *th.* 80. favent debitori; contra Venditori, qui ceſſit patrocinantur Bartol. *in l.* 22. *cit. n.* 4. Bald. *ibid. n.* 20. Durand. *l.* 4. *ſpecul. p.* 1. *tit. de ceſſ. act.* §. 1. *n.* 7. Fiſco denique alii, de quibus Franzk. 1. *reſ.* 8. Ego cum P. Friderich *tr. de Empt. Vend. n.* 223. & 224. puto diſtinguendum eſſe, an bona fide minori pretio ſit actio vendita, an verò mala venditoris. *Si primum*, reſiduum pretii remanet penes Venditorem; quia non eſt ratio, quare ei negetur. *Si ſecundum*, lucro debitoris cedit, ſed ſolum in tribus caſibus, qui *l. fin. cit.* exprimuntur, nim. ſiquis alicui partem debiti vendit, & alteram donat: ſi partem unam vendit uni, alteri tertiæ perſonæ interpoſitæ partem alteram donat; ſi alicui totum ſimulatè donat, ſed clam aliquid pretii recipit.

86 Ut Conſtitutio hæc locum habeat, & Emptor nominis non poſſit plus exigere, quàm quantum ipſe venditori dedit, requiritur, ut ceſſio, ſeu venditio ſit facta pretio non juſto, ſed viliori, & quidem à Venditore ad hoc inducto per Emptorem animo, vel debitoris laceſſendi, vel improbi lucri captandi cauſa, ut ſumitur ex *l. per diverſas cit.* & notant Lauterbach *ad ff. tit. de hæred. vel act. vendit.* §. 77. Manz. *ad Leg. Anaſtaſ. q.* 6. *n.* 21. P. Friderich *n.* 219. *cit.* qui proinde duodecim omnino *num.* 220. Gabriel. Berlich. Speidel. & alii plures caſus exceptos referunt.

87 Principales ſunt 1. ſi debitum minori pretio emptum ſit affectum aliquo vitio, v. g. quia debitor eſt minus idoneus. 2. Si venditor proprio motu, & probabilem ob cauſam ultrò actionem offert, & rogat, ac viliori pretio vendit *l. per diverſas cit. verſ. inhiantem.* 3. Si ceſſio fit inter cohæredes dividentes hæreditatem *l. cit.* 4. Si fit Legatariis, vel Fideicommiſſariis, quibus debita, vel actiones, vel res aliæ ſunt relictæ *l. cit.* 5. Si fit inter eos, qui habent actionem, vel rem communem. 6. Si venditio fit bona fide ſub haſta. 7. Si creditor à ſuo debitore pro ſuo credito ceſſionem in aſſecurationem accepit *l. cit. verſ. nam in his.* 8. Si is, qui poſſidet res alienas ſibi obligatas, earum ceſſionem accepit pro majore ſui munimine, & cautione *l. cit. verſ. ſi autem* 10. ſi fit ex cauſa dationis in ſolutum *l. c. V. his quæcumque.* 11. ſi fit in præſentia debitoris ceſſi, & hic expreſſe, vel tacitè conſentiat; quia tunc ceſſat præſumptio fraudis. 12. ſi debitor ceſſus ceſſionarium agentem admiſit, & ante litem conteſtatam de vitioſa ceſſione non excepit.

§. V.

De Rerum Venalium Pretio.

SUMMARIUM.

88 *Quale pretium Emptionis Venditionis eſſe debeat?*
89 *An licitum ſit quolibet pretio vendere, & emere?*
90 *Deciditur pro negativa.*
91 *Excipiunt aliqui merces peregrinas.*
92 *Solvuntur objecta.*
93 *Quotuplex ſit rerum pretium?*
94 *An Statutis pretium rerum taxantibus teneantur etiam Religioſi & Clerici?*
95 *An ſi pretium legitimum ſit majus vulgari, licitum ſit illo vendere.*
96 *An contra ſi pretium legitimum ſit minus vulgari, licitum ſit exigere vulgare?*
97 *Poteſt variari pretium ex juſta cauſa. Et talis eſt.*
98 *Labor, pericula, ſumptus in rebus venalibus colligendis &c.*
99 *Damnum emergens Venditori.*
100 *Lucrum eidem ceſſans.*
101 *Singularis ejus affectio, vel utilitas.*
102 *Veriſimile periculum non obtinendæ ſolutionis.*
103 *Mercium penuria, vel copia.*
104 *Modus vendendi, emendique.*
105 106 107 *An res carius vendi, aut vilius emi poſſit ob ſolam indigentiam, neceſſitatem, utilitatem particularis alicujus Emptoris, aut Venditoris pecunia valde indigentis?*
108 109 *An res cariori pretio vendi poſſint Peregrinis, & Exteris, quam Inquilinis?*
110 111 *An, & quando minoris emi poſſint chirographa, quam ſumma debita?*
112 113 114 *An currente pretio poſſit vendere rem, qui ſcit illius pretium brevi minuendum?*
115 116 *Utrum, cui res pro certo pretio vendenda tradita eſt, retinere exceſſum poſſit, quo pluris eandem vendidit?*

Alterum objectum partiale Emptionis Venditionis eſt *Pretium*, cujus tanta neceſſitas eſt, ut ſi numeratum non fuerit, aut fides de eo habita, traditæ quoque merces dominium in Emptorem non tranſeat §. *venditæ* 41. *Inſt. de Rer. diviſ. l. quod vendidi* 19. *ff. de contr. Empt.* Idque in foro etiamnum obtinere, nec præſumi numerationem, vel fidem de pretio habitam, tradit Stryck *ad tit. cit.* §. 13.

Quæritur 1. quale pretium Emptionis Venditionis 88
eſſe debeat? Reſp. debet 1. eſſe *verum*, & *ſincerum*, non fictum, aut ſimulatum; nec enim Emptio Venditio, ſed potius Donatio eſt, quando domus pro nummo venditur, aut quando pretium ab initio taxatum, mox remittitur *l. cum in venditione* 36. & *l. nuda* 55. *ff. de contrah. emption.* 2. debet eſſe *nummarium*, ſeu *pecuniarium* §. *item pretium* 2. *Inſt. hoc tit.* alioquin ſi res pro re præſtetur, non Emptio Venditio, ſed permutatio erit. 3. debet eſſe *certum* vel certitudine abſoluta, vel ſaltem relativa, ut ſi vendatur res eo pretio, quod tertius aliquis eidem determinaverit, aut frumentum tanti, quanti heri venditum eſt, aut hodie, vel cras vendetur *l. hæc venditio* 7. *pr.* & §. *hujuſmodi* 1. *ff. de contrah. empt.* 4. debet eſſe *proprium*; nam alienos nummos, ſeu pecunias ſi Emptor numeret, perinde habetur, acſi pretium non ſolviſſet *l. ex empto* 11. §. *& in primis* 2. *ff. de action. empt.* ibi *Emptor autem nummos venditoris facere cogitur:* quod fieri nequit, niſi pecuniæ ſint Emptoris propriæ. 5. denique debet eſſe juſtum; nam ſolutio hujus eſt actus Juſtitiæ commutativæ, quæ medium rei reſpicit.

Quæ-

89 Quæritur 2. an licitum sit quolibet pretio vendere, & emere? Videtur id licitum esse 1. quia ex vulgari JCtorum axiomate res tanti est, quanti vendi potest *l. fin. servum* 33. *ff. ad L. Aquil. l. pretia* 63. *ff. ad L. Falcid. l. explicito* 1. §. *si hæres* 16. *ff. ad S.C. Trebell.* 2. quia ut *l. in re* 21. *Cod. mandat.* dicitur, *suæ quisque rei moderator, atque arbiter est*. igitur nec venditor rem suam tenetur tradere, nisi pro pretio, quo ipse vult, nec Emptor dare pretium majus, quam quantum vult. 3. quia, ut *l. item si* 22. §. *fin. ff. locat.* habetur, *in emendo, & vendendo naturaliter concessum est, quod pluris est, minoris emere, quod minoris sit, pluris vendere*. vendere igitur, & emere licebit quolibet pretio. 4. quia qui sciens, ac prudens dat plus, quam res valet, censetur excessum donare.

90 Sed certa est sententia negativa, cum qua dicendum, non esse in potestate Venditoris augere pretium, nec in Emptoris illud diminuere, quantum quilibet vult, ac tantum dare, & accipere, quantum inter ipsos convenerit; nam *pretia rerum*, ut *l. pretia, cit.* dicitur, *non ex effectu, nec utilitate singulorum, sed communiter funguntur*, i. e. tanti res æstimanda est, quanti verè est, & omnibus valet, non quanti alicui ex affectione. *Ratio intrinseca est*, quia æquitas hujus contractus consistit in æqualitate pretii cum re, quæ pro illo exhibetur. hæc autem æqualitas non consistit in hoc, quòd partes contrahentes in aliquo quocumque pro re præstando ex privata æstimatione consentiant, quippe quæ sæpe erronea est, sed in intrinseca, vel saltem per legem, aut Magistratum taxata proportione pretii ad mercem. ergo &c.

91 *Excipiunt* aliqui gemmas, volucres, aliaque animalia, & merces ex remotis Regionibus recens advectas, item statuas, & nummos antiquos &c. nam pro hujusmodi rebus non pauci putant quodlibet, quantumcunque magnum, pretium statui posse à Venditore: quam opinionem confirmare videtur etiam praxis mercatorum, qui apud Indos vitra, fistulas, aliasque exiguas res, & propè nullius apud nos æstimationis permutant pro auro, gemmis, & aliis pretiosis mercibus, & has apud nos vendunt pretio, quantocumque possunt. Hæc sententia ob authoritatem DD. qui illam propugnant, tolerari potest; æquitati tamen magis conformis est altera, quæ docet pro hujusmodi rebus solùm exigi posse pretium illud, quod ponderata rei qualitate, novitate, utilitate, factis in illam expensis, & similibus circumstantiis viri prudentes justum esse communiter judicant.

92 Ad Argumenta *num.* 89. allata facilis est responsio, *Ad* 1. tanti res est, quanti vendi potest licitè, & seclusa fraude, ignorantia, violentia, necessitate, nimio affectu, & cæca passione; nam hæc, ut dixi, pretium rebus non faciunt, sed proportio, quam mercis bonitas, & utilitas cum intrinseco vel authoritate publica taxato valore pretii habet. *Ad* 2. ex eo, quòd aliquis rerum suarum sit moderator, & arbiter, solum sequitur, quòd regulariter eam alienare non teneatur: si tamen alienare eandem vult, id facere debet modo, qui legibus, & æquitati non repugnet: quod fieret, si æqualitas inter mercem, & pretium non servaretur. *Ad* 3. id intelligendum est de majore, vel minore pretio, quod adhuc consistat intra limites justi pretii. *Ad* 4. gratis fingitur illa condonatio mutua inter Emptorem, & Venditorem; quia ordinarie, quando plus pretii dat Emptor, vel minus, quam res valeat, accipit venditor, id proficiscitur vel ex ignorantia, vel ex necessitate, vel ex affectu cæco.

93 Quæritur 3. quotuplex sit rerum pretium? Resp. duplex maximè, videlicet Legitimum, & Naturale. *Legitimum* dicitur illud, quod à Lege, seu Principis, aut alterius Magistratus publica ordinatione est definitum. *Naturale*, quod ex ipsis rerum naturis, spectato hominum affectu, necessitate, utilitate, vel aliis circumstantiis provenit. *Prius* indivisibile est, & ab omnibus servari debet, nec pro Venditorum, Emptorumve arbitrio augeri, vel minui potest. *Posterius* habet latitudinem; nam triplex communiter assignatur, Summum, Medium, Infimum. In exemplo ponatur res, cujus pretium medium, seu moderatum sint 100. hujus pretium summum, seu rigorosum erunt centum, & quinque, infimum, seu pium nonaginta quinque. Quodlibet ex his justum est, cùm aliqui rem ejusmodi emant pretio summo, alii medio, alii verò infimo. Navar. *Man. cap.* 23. *num.* 79. Laym. *lib.* 3. *tr.* 4. *cap.* 17. *n.* 4. Pal. *tr.* 32. *D.* 5. *p.* 2. *num.* 2. P. Wiest. *hic n.* 43. P. Friderich. *num.* 257. *& seqq.* De Pretio Legitimo ulteriùs.

94 Dub. 1. an Statutis pretium taxantibus teneantur etiam Clerici, & Religiosi? Resp. affirmativè. Ita Joan. Medin. *de restit. q.* 36. *col.* 9. Azor *p.* 1. *l.* 5. *c.* 12. *q.* 4. Emman. Rodriq. *p.* 2. *Summ. c.* 79. *concl.* 5. Gutier. *l.* 2. *pract. q.* 18. *num.* 26. Palm. *D.* 5. *cit. p.* 5. *num.* 5. Card. de Lug. *D.* 26. *de Just. num.* 77. P. Friderich *num.* 284. *Ratio est*, quia hujusmodi Statuta nec lædunt Immunitatem Ecclesiasticam, nec Ordinem Clericalem dedecent, & observantia illorum apprime necessaria est ad contractuum æqualitatem, liberum commerciorum exercitium, & damnum reliquorum Reip. membrorum avertendum. Eadem est ratio de Exteris, nisi eos Lex eximat, ut eximit in Hispania eos, qui per mare apportant frumentum. Ita cum *citt.* Sanch. *l.* 3. *de Matrim. D.* 18. *num.* 13. Salas *tract. de Emption. dub.* 3. *Ratio est*, quia quivis sortitur forum ratione contractus, & per consequens servare tenetur ea, quæ in loco, ubi contrahit, ratione cujusvis contractus præscripta sunt. Accedit, quia contrahens, sive peregrinus ille, sive incola sit, tenetur servare justum pretium, justum autem est illud, quod Lege taxatum est. ergo &c.

Dub. 2. an si pretium legitimum sit majus vulgari, licitum sit illo vendere? Resp. distinguendo: Vel enim, ut communiter fit, statutum illud in gratiam Emptorum est, vel in gratiam Venditorum. *Si primum*, non est licitum exigere pretium legitimum, ut rectè cum communi advertit Less. *l.* 2. *de Just. c.* 15. *num.* 13. *Ratio est*, quia exactio pretii legitimi eo casu esset contra finem Legis pretium statuentis, quæ intendit Emptores relevare, cùm contra eos gravaret obligando ipsos ad solvendum pretium majus. *Si secundum*, ut fit in venditione Censuum, & aliorum similium Jurium, quæ homines non nisi coacti penuria vendunt, licitum est exigere pretium determinatum e. gr. centum pro jure accipiendi annua quinque, etiamsi forsan juxta vulgarem, & naturalem æstimationem hoc jus emi non soleat, nisi pretio nonaginta, vel sexaginta. Ratio eadem est, quæ in priori medio, ut sc. eo casu Venditor favore à lege indulto gaudeat, quo privaretur, si de pretio legitimo deberet remittere. 95

Dub. 3. an contra si pretium legitimum sit minus vulgari, licitum sit exigere vulgare? Respond. iterum distinguendo: Vel enim adhuc subsistunt circumstantiæ illæ, ob quas statutum est tale pretium, vel eæ jam sunt mutatæ. *Si primum*, non licet exigere pretium vulgare. Ita Navar. *Man. cap.* 23. *num.* 88. Valent. 2. 2. *D.* 5. *qu.* 20. *par.* 2. §. 1. Salas *tr. de Empt. dub.* 6. *num.* 2. Less. *l.* 2. *de Just. c.* 15. *num.* 14. Rebell. *p.* 2. *l.* 9. *q.* 2. *s.* 1. P. Friderich *tr. de Empt. Vendit. num.* 273. & alii apud istos. *Ratio est*, quia Princeps potest taxare rerum pretia, & sua lege taxante obligare subditos in conscientia ad servandum statutum pretium. hanc verò obligationem eo ipso inducit, quòd pretium taxat; vult enim, ut hoc pretium sit justum, & non aliud: quæ voluntas cùm æqua sit, facit, ut pretium taxatum sit justum, & excessus injustus. tenentur igitur subditi in conscientia illud pretium non excedere, & si excesserint, excessum restituere. *Si secundum* contingat, & Magistratus pretium taxatum non mutet, cum notabili damno Venditorum, quod hoc modo expensas factas, & congruum laboris stipendium non obtineant, possunt illi ex *citt.* & aliorum DD. communi sententia, neglecto pretio legitimo, exigere ab Emptoribus vulgare; quia Lex in talibus circumstantiis non amplius justa est. 96

Quæritur 4. an, & ob quam causam pretium variari possit? Resp. ex praxi frequentissima constat, rerum venalium pretium, sive legitimum, sive naturale, sæpissimè variari; quamvis enim intrinsecam suam bonitatem ferè retineant, tamen, ut hactenus sæpe dixi, in assignando earum pretio non ea sola consideratur, sed aliæ etiam circumstantiæ, quæ sæpissimè variantur. Variari ergo pretium justa ex causa posse, indubitatum est: nec minus indubitatum est, multiplicem esse causam, ob quas variari in pretio possit; omnes ad septem maximè reducuntur capita: 97

1 Propter labores, pericula, & sumptus in hujusmodi rebus colligendis, coemendis, asportandis, & conservandis factos, saltem si pretium rerum authoritate publica constitutum, vel communi usu receptum non sit. Scot. *in* 4. *dist.* 15. *art.* 2. Major. *dist. cit. quæst.* 41. Haun. *tom.* 4. *de I. & I. tr.* 10. *n.* 155. P. Wiest. *hic n.* 44. P. Friderich *num.* 299. *& seqq. Ratio est*, quia labores, pericula, sumptus illi sunt pretio æstimabiles, igitur qui eos pro communi utilitate subit, compensationem illorum justè exigit: melius autem obtineri hæc nequit, nisi pretio rerum juxta modum illarum aucto. ergo &c. Intelligi autem hoc debet de sumptibus, & expensis ordina- 98

dinariis; nam ob extraordinarias, sive deinde id infortunio, sive imperitia, aut culpa mea contigerit, pretium mercium à me propositarum augere non possum, cum nec ratio, nec Jura permittant, ut Emprores luant venditoris vel infortunium, vel culpam, ut bene advertit P. Friderich *n.* 302.

99 2 Propter damnum emergens venditori. Ita communis, & certa TT. JCtorum sententia, adeo, ut etiam Scotus, qui ratione damni emergentis nihil exigi posse censet in mutuo, admittat tamen id fieri posse in Venditione, & Emptione. *Ratio est*, quia nemo cum dispendio suo Beneficium alteri conferre cogitur, ut dicitur *can. precariæ* 4. §. *decrevit caus.* 10. *q.* 2. Ut tamen ex hoc capite pluris vendi res aliqua possit, tria hæc requiruntur. 1. ut revera damnum ex contractu emergat, e. g. si pro equo, quem vendo, plus pretii pero, opus est, ut revera ego eodem indigeam, & alium conducendo sumptus mihi sint faciendi. 2. ut damnum, quod ex contractu incurro, subeam propter eum, cum quo nunc contraho; si enim non propter ipsum, sed aliunde subeo, respectu ipsius est causa merè per accidens, nec ipse est ejusdem causa; conf. nec compensationem petere ab eo possum. 3. ut moneam Emptorem, quòd damnum mihi oriturum sit ex tali contractu, ac propterea auctius pretium petam; quia si non moneam, consentit solum in pretium postulatum, quia putat esse justum respectu ipsius equi, quod cùm de se, & secluso damno sit nimium, idcirco in excessum illum non censetur consentire.

100 3 Propter lucrum justum eidem Venditori cessans ex Venditione, ut siquis petat sibi vendi à me frumentum, quod ad tempus aliud servaturus fuissem, quo majus erit ejusdem pretium; nam eo casu potest Venditor augere pretium juxta ratam lucri cessantis, ut patet ex *c. fin. de Usur.* Ut verò actio hæc pretii ritè fiat, iterum tria requiruntur. 1. ut venditio sit verè causa lucri cessantis; nam si adhuc venditurus fuissem frumentum meum, etsi casu, quo exspectassem, & distulissem venditionem, potuissem majoris vendere, non possum titulo lucri cessantis plus petere, quòd non venditio, sed necessitas mea præsens, quæ vendere me nunc compellit, sit causa, quòd majus lucrum non faciam. 2. ut non tantum exigam pretium, quantum absolutè, & per se est lucrum, quod sperabam; nam deducenda est æstimatio sumptuum, aut etiam laborum, quos in re mea, si nunc eam non venderem, conservanda, & postea distrahenda facturus essem, cum illud dumtaxat lucrum mihi ex venditione hodierna cesset, quod expensis deductis deest. 3. ut emptor à Venditore, pretium ob lucrum cessans augente, de hoc moneatur, ut dictum est *num. præced.*

101 4 Propter singularem affectionem, & multo magis utilitatem, quam ex re vendita capit Venditor. Navar. *Man. c.* 23. *num.* 84. Molin. *tr.* 2. *de Just. D.* 351. *num.* 3. Salas *tr. de empt. dub.* 30. *num.* 2. Less. *lib.* 2. *cap.* 21. *num.* 27. Laym. *l.* 3. *tr.* 4. *cap.* 17. *num.* 10. *vers. quartò.* Pal. *tr.* 32. *D.* 5. *par.* 12. *num.* 3. P. Vviest. *hic num.* 46. P. Friderich *num.* 309. quia rem ejusmodi vendens non tantum privat se re, sed etiam peculiari affectione, oblectatione, & utilitate, quam ex ea percipit. igitur cùm hæc sit pretio æstimabilis, istud ad ejus modum augeri potest. Ut tamen ex isto titulo liceat augere pretium, requiritur 1. ut venditor non leviter sit affectus ad rem, quam vendit. 2. Ut non æquè, sed longè minus afficiatur ad pretium justum rigorosum illius; si enim æquè afficeretur ad pretium, compensatio fieret privationis rei, ad quam afficiebatur cum pretio, & voluptate æquali ex pretio. 3. Ut ipse non exponeret rem illam venditioni, oblato justo pretio rigoroso, sed tantum consentiat in venditionem Emptoris gratia. 4. Ut Emptor intelligat, augeri pretium propter specialem Venditoris affectum; forsan enim non emeret, si sciret emendum sibi esse etiam illum affectum. 5. Ut affectus iste justa aliqua ratione nitatur; nam si alienus à ratione sit, corrigi debet, neque justè aliquid ratione illius peti potest. Quæ conditiones omnes cum rarò concurrant, hinc rectè Molin. *tr.* 2. *de Just. D.* 351. *n.* 3. monet, consulendum esse, ne ultra pretium rigorosum ea de causa ascendatur, præsertim cum id injustitiæ habeat speciem, & generare scandalum possit.

102 5 Propter verisimile periculum, & rationabilem timorem solutionis pretii non obtinendæ, ac proinde pretii cum merce amittendi. Navar. *Man. c.* 23. *n.* 83. Medin. *de restit. qu.* 38. §. *ad tertiam*, Molin. *tr.* 2. *D.* 365. *num.* 4. Less. *l.* 2. *c.* 15. *num.* 54. Pal. *par.* 12. *cit. num.* 6. Card. de Lugo *D.* 26. *de I. & I. num.* 90. Gibalin. *l.* 4. *de negot. c.* 4. *art.* 4. *consect.* 16. *num.* 4. Sanctarell. *p.* 1. *resol. q.* 47. P. Vviest. *hic num.* 47. P. Friderich *num.* 323. aliique complures, quibus favet S. Thom. *Opusc.* 73. *de Usur. cap.* 10. & 2. 2. *quæst.* 77. *art.* 4. *ad* 2. *Ratio est*, quia periculum hoc, & orta ex eo molestia, & solicitudo est pretio æstimabilis. igitur cum Venditor in gratiam Emptoris illud subeat, meritò auctione pretii compensationem potest ab illo petere. Ut tamen ratione hujus periculi ultra ordinarium pretium justè exigi aliquid possit, requiritur 1. ut sit verum periculum, & non fictum: non tamen refert, etsi postea damnum nullum eveniat. 2. Venditor non potest cogere Emptorem, ut se potius, quàm alium pro eo præstando accipiat, sed liberum esse Emptori debet cavere vel pignore, vel fidejussore. 3. Non potest plus ipse exigere, quam ipse libenter daret alteri ad simile periculum redimendum. 4. Significare debet Emptori, quòd hoc titulo plus pretii exigat; fortasse enim nollet plus dare hoc titulo.

6 Propter rerum, sive mercium penuriam, & Emptorum multitudinem, vel contra illorum copiam, & horum paucitatem; nam in primo casu pretium augeri potest, in secundo minui debet: fitque hoc frequentissime in venditione frumenti, cujus scapha, quæ aliquando ob ejus copiam quinque florenis venditur, in ejus caritate venditur 20. aut etiam 30. prout hoc ipso anno experti sumus. Molin. *tr.* 2. *D.* 347. *n.* 4. Less. *c.* 15. *cit. n.* 30. Pal. *p.* 12. *cit. num.* 1. Haun. *tom.* 4. *tr.* 10. *num.* 158. *in fin.* P. Vviest. *hic n.* 48. P. Friderich *num.* 336. *Ratio est*, quia quod rarum, carum est, & difficilius comparatur, & contra, quo facilius merx aliqua comparatur, & pauciores emptores sunt, eo vilius illa venditur. Et hinc in fine nundinarum ferè minoris emitur ob copiam mercium, & emptorum defectum. 103

7 Propter modum vendendi, emendique. Sic enim majori pretio vendi solent res singillatim, quam cumulatim; quia crebræ, & minutæ venditiones Venditori plerumque plus laboris, ac molestiæ, minusque utilitatis afferunt, quàm una, vel paucæ venditiones in quantitate magna. Item majori pretio vendi solent res ad creditum, quàm pro solutione parata; quia in dilatione solutionis sæpe periculum est amittendi pretii, semper fere, præsertim apud mercatores intervenit lucrum cessans. Similiter minori pretio emuntur res subhastatæ, obtrusæ, aut ultro oblatæ, quam aliæ; quia ferè major illarum copia est, minor verò Emptorum. Navar. *Man. c.* 23. *n.* 78. & 80. Molin. *D.* 348. *n.* 5. Less. *num.* 32. & 56. P. Vviest. *num.* 49. P. Friderich *num.* 343. & *seqq.* 104

Quæritur 5. an res carius vendi, aut vilius emi possit ob solam indigentiam, necessitatem, vel utilitatem particularis alicujus emptoris, aut venditoris pecunia valde indigentis? Non desunt DD. qui hanc variandi pretii causam justam existiment: & videtur sententia ista non omnino carere fundamento; nam variationis pretii, ut *num.* 103. dictum est, justa causa est necessitas, & utilitas publica. ergo etiam privata. Conf. quia rei pretium, ut iterum *num.* 101. dictum est, augeri potest propter singularem affectionem, & utilitatem, quam Venditor ex re vendenda capit. 105

Sed adhuc dicendum, ex hac causa pretium rei auctius ab Emptore peti non posse. Ita S. Thom. 2. 2. *q.* 77. *art.* 1. Molin. *tr.* 2. *de Just. D.* 348. *n.* 6. Haun. *tom.* 4. *tr.* 10. *num.* 156. Vviest. *hic num.* 50. P. Friderich *num.* 337. *Ratio est*, quia indigentia, necessitas, & utilitas ista non est aliquid ipsius vendentis, sed ementis. *Conf.* nam si ex hac sola causa majori pretio res vendi posset, sequeretur, majori pretio panem, & alia victualia vendi posse famelico, & pauperi, quàm diviti; majori, item rem aliquam ei, qui ex ea pretiosum aliquid elaboraturus est, quam qui ad usus solum communes applicabit: imò si mutuatarius ex pecunia sibi mutuata magnum speraret lucrum, posset mutuans hoc lucrum ipsi vendere, & petere aliquid ultra sortem. sequelæ istæ absurdæ sunt. ergo &c. 106

Neque contrarium suadet ratio dubitandi allata. Nam justum pretium solùm illud censeri debet, quod legitimi Magistratus publica authoritate est constitutum, vel communi usu receptum. atqui authoritate publica Magistratus, & communi fori usu non variatur pretium mercium ex unius solum, vel alterius Emptoris, aut Venditoris necessitate, vel utilitate particulari, aut merè privata, sed ex communi dumtaxar, & publica. ergo &c. *Ad Conf.* qui rem, ad quam specialiter afficitur, vel ex qua specialem utilitatem capit, alteri in gratiam ipsius vendit, ut *num.* 101. dictum est, privat se non tantum re, sed etiam oblecta- 107

lectatione, vel utilitate illa singulari; illi verò, qui vendit rem aliquam, quæ specialiter utilis, aut necessaria Emptori est, nihil præter rem decedit. igitur licèt prior ob eam causam augere pretium possit, non tamen alter, cùm non appateat, quo titulo pretium auctius possit petere.

108 Quæritur 6. an res cariori pretio vendi possint Peregrinis, & Exteris per loca transeuntibus, quàm incolis, & inquilinis; *Ratio dubitandi est*, quia sicut rem alienam emere cogi nemo invitus potest *l. invitum* 11. *de contrah. empt.* ita rei suæ pretium statuere quis pro arbitrio valet *l. tutor* 8. *ff. de in lit. jurand.*

Sed retinenda est Sentenia negativa cum Gloss. *in c. placuit* 1. *V. hospitales hoc tit.* Abb. *ibid. n.* 5. Gonzal. *num.* 1. 2. & 5. Pirh. *num.* 18. Wiest. *num.* 51. & clarus est textus *c. placuit cit.* Estque hoc ita verum, ut Episcopus etiam Laicos ad sic vendendum justo pretio extraneis compellere, proposita Excommunicatione, aliisque Censuris, & pœnis possit, prout sumitur ex *c. cit.* & etiam demonstrat ratio; nam Episcopus Jurisdictionem habet in Laicos, ubi agitur de evitando peccato, & exercendo opere pietatis *c. perniciosam* 1. *de Offic. Ord.* & *c. novit.* 13. *de Judic.* de utroque in casu præsenti agitur: de exercenda pietate quidem, quia pietas exigit, ut peregrini humaniter tractentur; de evitando peccato autem, quia Justitia non permittit, merces vendi alio pretio, quam justo, & communi fori usu recepto, cuicumque demum vendantur.

109 *Excipit* Molina *tr.* 2. *D.* 346. *num.* 2. casum, quo multi extranei, præsertim divites, avidique ad emendum ad locum aliquem accedunt; tunc enim putat, multiplicatis ita emptoribus, non esse nefas carius illis vendere, quàm antea vendebatur, & post discessum extraneorum vendenda res sit inquilinis; quia, ut *num.* 103. dixi, ex multitudine emptorum pretium rerum crescit.

Imò putat idem Molina, non esse damnandum, si tunc, cùm in loco sunt merces sufficientes Extraneis, & Indigenis, carius vendatur Extraneis avidis ad emendum, quàm Indigenis, qui dare nolunt, nisi pretium consuetum; quia, dicit, res illas respectu eorum, qui avidissimi ad eas coemendas veniunt, plus valere, quam respectu indigenarum, qui illorum exspectare discessum possent, & sic emere tempore, quo minori pretio restituendæ sunt merces.

Ad rationem dubitandi patet ex dictis *num.* 89. neque enim rerum pretium ita arbitrarium est, ut vel augeri à Venditore, vel ab Emptore minui pro libitu possit: sed observandum illud est, quod à Lege publica taxatum, vel usu fori receptum est. Ad id, quod additur, neminem invitum cogi rem suam vendere, patet ex dictis *à num.* 25. ubi id verum dixi cum certis Exceptionibus.

110 Quæritur 7. an chirographa, & debita immatura possint emi minore pretio, quàm sit summa debita, e. g. debet Cajus Titio mille ex mutuo, dubium est, an Chirographum, quod Cajus debitor Titio creditori dedit, & jus exigendi mille, ac census ex illo debitos licitè emam 900. aut 950. Resp. distinguendo: Vel enim debitum, quod venditur, dubium est, aut tale, quod sine lite, difficultate, molestiis, & expensis obtineri non potest; vel contra est liquidum, & periculo, molestia, difficultate, lucro cessante &c. caret.

Si primum, emi minoris possunt; quia ob incommoda enarrata etiam minoris æstimantur, quòd in æstimationem Chirographi etiam ipsa veniant. *Proceditque hoc* probabilius etiam casu, quo solus Venditor difficulter obtenturus sit solutionem debiti, Emptor autem obtinere eandem possit facilè, ut contra Malderum, Molfesium, & alios docent Molin. *tr.* 2. *D.* 361. *num.* 10. Salas *de Empt. dub.* 40. Card. de Lugo *D.* 26. *num.* 94. Gibalin. *l.* 4. *de negot. c.* 4. *art.* 4. *consect.* 1. *num.* 1. P. Friderich *tr. de Empt. Vendit. num.* 361. & communior sententia Doctorum. *Ratio est*, quia pretium rerum, si à Lege taxatum non sit, tantum est, quantum eis communis hominum æstimatio in his circumstantiis ponit. atqui hominum æstimatio communis minus pretium tali chirographo ponit; plerique enim nollent hujusmodi chirographa emere tanto pretio, quanti est ipsum debitum. igitur cùm æstimationem hanc communem sequi etiam ille possit, qui incommoda prædicta in obtinenda debiti solutione non patitur, etiam ipse minoris emere hujusmodi chirographum poterit.

111 *Si secundum*, non potest minoris emi, ut contra Cajetan. Armill. Rosell. Salon. Tolet. docent Sot. 6. *de Just. q.* 4. *art.* 1. *ad* 3. Valent. 2. 2. *D.* 5. *q.* 2. *conclus.* 5. Molin. *tr.* 2. *D.* 361. *num.* 7. Less. *l.* 2. *cap.* 21. *num.* 71. Card. de Lugo *D.* 26. *num.* 96. Haun. *tom.* 4. *tr.* 10. *num.* 103. P. Friderich *num.* 367. & communissima TT. ac Canonistarum sententia, quibus favet S. Thom. *opusc.* 67. & *opusc.* 73. *de usur. p.* 1. *c.* 8. *Ratio est*, quia si debitum 1000. flor. est liquidum, in quo obtinendo nulla est difficultas, vel molestia, neque ullum periculum, tunc non valet minus, quam mille; nam sola dilatio nulli periculo conjuncta valorem non minuit, igitur si pro eo non dantur 1000. sed nongenti v. g. vel nongenti quinquaginta, tunc pretium est inæquale, & injustum: quælibet autem res vendi pretio justo debet. ergo minori pretio, quam sit ipsum debitum, tale chirographum emi non potest. *Neque obstat*, quòd jus ad 100. capienda post annum, non valeat 100. & jus ad rem futuram minus aliquid valeat, quam ipsa res futura, ut videre est in jure ad census personales, & reales; quia casu, quo debitum liquidum est, & obtentio illius difficultatem, & periculum nullum habet, non tam jus, quam debitum ipsum emitur: & esto, quod jus ematur, jus istud eo casu à prudentibus, & peritis non æstimatur minoris, quam ipsa res. Unde cùm dicitur jus minoris emi posse, quam res ematur, id solum procedit casu, quo obtentio ejus cum difficultate, & periculo conjuncta est.

Quæritur 8. an, qui scit pretium mercis brevi minuendum, possit eam vendere currente pretio? Negant Joan. Medin. *de rest. q.* 36. Conrad. *de Contract. q.* 62. & 63. Rodriq. *par.* 2. *Summ. cap.* 81. *num.* 10. & alii, quos refert Covarr. *reg. peccatum* 2. *p.* §. 4. *n.* 6. Fundantur 1. quia pretium justum non fundatur in errore, sed in veritate. atqui communis æstimatio, qua merx talis æstimatur tanti, in errore fundatur. Igitur constituere justum ejusdem pretium nequit. 2. Injustum est pretio communi vendere mercem, quæ reipsa propter aliquod vitium, quod solus venditor novit, minus valet, quam vendatur, tale vitium est eventus diminutionis pretii, quem scit venditor; nam eo inspecto ferè pro nihilo habenda est. 3. Emptor mercis, cujus valor statim diminuendus est, involuntariè, & per errorem censetur emere; quia nullatenus emptionem celebraret, si conscius esset diminutionis futuræ. 4. Sequeretur, quòd justo currente pretio quis vendere domum posset, quam scit ab hostibus in crastinum diruendam. 112

Sed dicendum, eo casu mercem licitè pretio currente vendi. Ita Sylv. *V. emptio q.* 15. *num.* 16. Sor. 6. *de Just. q.* 3. *art.* 2. *ad* 5. Covar. §. 4. *cit. num.* 6. Molin. *tr.* 2. *D.* 354. Less. *l.* 2. *cap.* 21. *dub.* 5. *per totum*, Rebell. *p.* 2. *l.* 9. *q.* 6. Salas *tr. de Empt. c.* 32. *n.* 3. & 7. Card. de Lug. *D.* 26. *n.* 139. Pal. *tr.* 32. *D.* 5. *p.* 15. *n.* 3. Hugo Grotius *de Jur. bell. & pac. l.* 2. *c.* 12. §. 9. *num.* 2. P. Friderich *n.* 388. & colligitur ex illo *Gen.* 41. ubi Joseph Patriarcha, sciens sterilitatem futuram, ob quam frumenti valor augendus erat pretio currenti, illud coemit pretio currenti viliore, & deinde magno distraxit, comparatis hac ratione ingentibus Pharaoni divitiis. *Ratio est*, quia illa censenda est justa emptio, aut venditio, quæ valori rei venditæ, aut emptæ adæquatur, cùm res nihil amplius valeat, quàm quantum valere lege justa, & communi hominum æstimatione censetur. 113

Neque obstant argumenta opposita. *Ad* 1. retorquetur non ineptè; sequeretur enim, quòd qui sciret brevi augendum pretium rei, non posset eam pretio communi emere, & casu, quo emeret, teneri ad restitutionem excessus: quod praxi, & communi hominum opinioni repugnat. Dicendum ergo errorem eventus futuri in ordine ad pretium præsens nihil facere. *Ad* 2. vitia præsentia mercis manifestari à Venditore debent, non futura; & tale vitium est, quod valor mercis post aliquod tempus futurus sit minor; nam revera nunc ille adhuc ponitur esse, quo venditur merx proposita. *Ad* 3. contractus ille aliquo quidem modo involuntarius est, simpliciter tamen voluntarius, cùm non procedat ex errore aliquo, qui ad substantiam contractus pertineat; consequenter validus erit. *Ad* 4. optimè domus pretio currenti venditur ab eo, qui scit privata notitia eam ab hostibus paulò post diruendam; hoc enim probat ratio post responsionem allata. 114

Quæritur 9. utrum, cui tradita est res vendenda pro certo pretio, possit excessum, quo pluris vendidit, sibi retinere? Resp. regulariter loquendo non posse. Ita Major *in* 4. *dist.* 15. *q.* 41. *art.* 5. Sylv. *V. emptio q.* 24. Navar. *Man. c.* 23. *n.* 97. Saa *V. Venditio num.* 11. Molin. *tr.* 2. *D.* 363. *num.* 1. Less. *l.* 2. *c.* 21. *dub.* 19. Salas *tr. de Empt. dub.* 45. *num.* 2. Palm. *tr.* 32. *D.* 5. *p.* 16. *num.* 2. Card. de Lug. *D.* 26. *s.* 9. P. Friderich *num.* 399. *Ratio est*, quia si retinere ejusmodi excessum posset licitè, id posset vel titulo donationis, quasi dominus definiens pretium illo velit. 115

velit esse contentus, & reliquum donare proxenetæ, aut famulo vendenti; vel titulo mercedis pro labore, & industria, quam iste in rem vendendam adhibuit, neutrum dici potest: *non primum*; quia designatio talis ordinariè solum fit, ne infra illud pretium res vendatur, non verò, quòd dominus nihil ultra illud desideret. *Non secundum*; quia vel jam constituta vendenti est merces, prout proxenetis solet, vel aliunde tenetur, ut famulus, vel gratis eum laborem in se suscepit, ut amicus: & esto, debeatur ipsi aliqua compensatio propter laborem aliquem extraordinarium, hanc tamen sibi ipsi non potest facere, sed eam petere debet à domino actione negotiorum gestorum, pretium verò totum, utpote fructum rei venditæ eidem præsentare.

116. Dixi *regulariter*; potest enim quandoque excessus supra pretium rei venditæ designatum à proxeneta, vel famulo &c. cui vendenda pro certo pretio tradita est, retineri. Et 1. quidem, quando ita conventum est expressè, vel etiam tacitè, quia v. g. nullum aliud stipendium eidem à domino constitutum est, ipse vendens talis est, qui de jure non debet, vel non censetur velle gratis operam suam eidem præstare. Palm. *num.* 1. cum *citt.* 2. Si postquam non invenit aliquem, qui pretio majori emeret, ipse eo pretio emit, & postea oblata occasione majoris vendendi, illam sic vendidit; tunc enim suam vendidit, & conf. eam vendendo suum efficit ex toto pretium. Less. *cap.* 21. *cit. num.* 139. cum allegatis *supra*. 3. Si extraordinariam, & majorem, quam debebatur, adhibuit in vendendo industriam, ut si jussus vendere in certo loco, cùm non inveniret, qui pretio à domino taxato, vel majori taxato emeret, rem transferret in alium locum valde distantem, & ibi majoris venderet; nam eo casu retinere poterit excessum, qui supra pretium est, quod obtenturus erat in loco, ubi jussus est vendere Gab. Graffis, Saa, Molina, Salas, quos citat, & sequitur P. Friderich *num.* 403.

§. VI.

De Obligationibus Venditoris.

SUMMARIUM.

117 QUæritur 1. an Venditor teneatur manifestare vitia mercis? Resp. distinguendo: Vel enim vitium illud est solum extrinsecum rei, vel intrinsecum eidem. *Si extrinsecum est*, ut si sciat Venditor brevi minuendum mercis illius pretium propter magnam ejus advehendæ copiam, aut emptorum paucitatem, non tenetur de hoc monere Emptorem, modo pretium, quod exigit, sit currens, & justum. *Proceditque hoc*, ut ne quidem ad istud teneatur ex charitate, nisi casu, quo obinde Emptor incideret in extremam, vel gravem necessitatem. Pal. *tr.* 32. *D.* 5. *p.* 15. *n.* 8. cum Molin. Sal. Lessio. *Ratio est*, quia Charitas solùm obligat abstinere à lucro iniquo, & contra Leges, non autem condemnat lucrum Legibus conforme, tametsi inde per accidens proximo damnum eveniat.

118 *Si secundum*, altera distinctio est adhibenda, & videndum, an Vitium sit circa substantiam, ut si vendas vitrum pro gemma, aurichalcum pro auro, stannum pro argento, an verò solum circa qualitatem, & accidens, ut si vendas tigna vitiosa pro integris, prædium Hypothecatum pro libero &c. *Si vitium sit circa substantiam rei*, necessariò manifestari debet, ita, ut si non manifestetur, contractus sit nullus, deturque in foro externo actio de dolo, & redhibitoria ad rehabendum pretium, ut cum Pal. *D.* 5. *cit. p.* 22. *num.* 2. communis DD. habet: & ratio est, quia in tali casu deest consensus Emptoris.

Si contra vitium sit tantùm circa qualitatem, interest, an per se manifestum illud sit, an verò occultum. *Si manifestum est*, non tenetur Venditor de hoc monere Emptorem *l. ea, quæ* 43. *pr. ff. de contrah. empt.* & *l. Labeo* 1. §. *si intelligatur* 6. *ff. de Ædilit. Edict. Proceditque* hoc etiam in foro conscientiæ, modo pretio justo res eo vitio affecta vendatur; quia sibi imputare Emptor debet, quòd rem vitiosam emerit, cùm posset facilè vitium agnoscere. S. Thom. 2. 2. *qu.* 77. *art.* 3. *in Corp.* Sylv. *V. emptio q.* 19. Sot. *l.* 6. *qu.* 3. *art.* 2. *concl.* 6. Molin. *tr.* 2. *D.* 353. *num.* 17. Laym. *l.* 3. *tr.* 4. *c.* 17. *n.* 14. Pal. *D.* 5. *cit. p.* 22. *num.* 6. *Excipitur*, nisi Emptor adeo esset rudis, aut oculis, vel mente hebes, ut vitium facilè videre non posset; tunc enim, foro conscientiæ spectato, verius videtur, Venditorem obligari ad manifestandum tale vitium in iis casibus, in quibus manifestari vitium occultum debet, quod comparatione Emptoris perinde se habeat. Pal. *l. cit. n.* 7. cum allegatis. 119

Si vitium circa qualitatem occultum sit, videndum est, an Emptor intentionem suam certæ conditioni, vel qualitati alliget, vel non. *Si alligat intentionem suam*, ut si expressè non vult emere aliud vinum, quàm Rhenanum, tunc casu, quo eidem à Venditore offertur aliud, venditio est nulla ob defectum consensus, alligati hujusmodi qualitati. *Excipitur*, nisi detur æque utile ad finem Emptoris; tunc enim Emptio talis rei, etsi non affectæ ea qualitate, quam emptor desiderat, valebit, neque Venditor tenebitur de ejus defectu monere. *Proceditque*, etsi res alia sit etiam substantialiter, modò descendatur in pretio, casu, quo res data minus valet, quam petita. Ita Sanch. *l.* 7. *de Matrim. D.* 18. *n.* 12. Salas *de Empt. dub.* 35. *n.* 1. Card. de Lug. *de Just. D.* 26. *n.* 124. P. Friderich *tr. de Empt. Vend. n.* 527. & alii apud istos. *Ratio est*, quia licet substantia physica sit diversa, non tamen diversa est in consideratione morali, juxta quam fit æstimatio rerum venalium. 120

Quod si Emptor intentionem suam tali qualitati non alliget, ordinariè Venditor non tenetur manifestare vitium mercis, quod præcisè circa qualitatem ejus se tenet, sed sufficit, si juxta vitii illius qualitatem pretium minuat. *Proceditque hoc* probabilius etiam casu, quo emptor, habitualiter ita constitutus est, ut si vitium illud scivisset, rem omnino non fuisset empturus, ut rectè advertunt Sot. *l.* 6. *de Just. q.* 3. *art.* 2. Valent. *D.* 5. *q.* 20. *p.* 4. *concl.* 2. & 4. Graffis *p.* 1. *decis. l.* 2. *c.* 116. *num.* 8. Molin. *tr.* 2. *D.* 353. *num.* 22. Laym. *l.* 3. *tr.* 4. *c.* 17. *num.* 15. Palao *tr.* 32. *D.* 5. *p.* 22. *num.* 14. P. Friderich *num.* 534. & videtur fuisse sententia S. Thom. 2. 2. *quæst.* 77. *art.* 3. modo mendacium, & dolus absit, & venditor mere negative se habeat. *Ratio est*, quia dissensus, qui non est, sed esset, non facit involuntarium contractum, sed faceret, si esset. Igitur adhuc Venditio erit valida, & cum abesse ponatur omnis deceptio ex parte Venditoris, etiam licita. 121

Dixi *ordinarie non teneri Venditorem ad manifestandum tale Vitium. Excipiuntur* tres casus, in quibus manifestari Emptori Vitium occultum etiam circa qualitatem, quamvis eidem intentionem suam non alligarit, à Venditore debet ex justitia, & cum obligatione compensandi. 1. Si vitium tale Emptori foret periculosum, v. g. si equus sit ferox, bos cornupeta, domus ruinosa, vinum fugiens, cùm tamen ematur, ut servetur. 2. Quando merx, quæ emitur, est inutilis, aut ferè inutilis ad finem ementis, rametsi non sit noxia, uti sunt medicamenta evanida, panni adusti, semina corrupta. Ratio hujus, & præcedentis Exceptionis est, quia in utroque casu censetur Emptor involuntarius, & quasi dolo ad emendum inductus, cùm præsumat se emere mercem sanam, & sibi utilem, cum tamen illa sit noxia, vel inutilis. 3. Quando Emptor emit ad revendendum; tunc enim de vitio monendus est, ne ipse revendat majori pretio, quam res cum illo vitio valeat. Videatur Pal. *p.* 22. *cit. n.* 8. & *seqq.* P. Friderich *n.* 531. cum aliis, quos hi allegant. 122

Quæritur 2. an, & quando Venditor rem tradere Emptori debeat? Resp. ad hoc tenetur, contractu mutuo consensu perfecto, & impletis conditionibus, sub quibus de re, pro pretio tradenda inter contrahentes conventum est. Hæc prima Venditoris, & velut essentialis obli- 123

obligatio est: cui ex parte Emptoris correspondet obligatio solvendi pretium, ita, ut neutri invito altero resilire à contractu liceat. Molin. *tr. 2. D.*337. *n.* 1. Perez *in C. de contrah. empt. n.* 1. Vviest. *hic n.* 24. Prior autem ad traditionem tenetur is, qui rem, aut pretium conventum prior sibi tradi petit, sive is Emptor, sive Venditor sit; quia generale est, quòd is, qui in contractu ultro, citroque obligatorio alterum ad impletionem ejusdem vult cogere, priùs illum implere debeat, aut saltem paratus esse ad eum implendum *l. Julianus* 13. §. *offerri* 8. & *l. qui pendentem* 25. *ff. de action. empt.*

124 Dub. 1. quis sit Effectus traditionis? Resp. si utrimque traditio facta sit, mercis sc. ex parte Venditoris, pretii ex parte Emptoris, id operatur traditio, ut transferatur dominium rei emptæ à Venditore in Emptorem, & vicissim pretii soluti ab hoc in illum; quantumvis enim Contractus Emptionis Venditionis jam ante traditionem quoad substantiam perfectus sit, ut *suprà n.* 6. dictum est, ad integralem tamen ejus perfectionem, & consummationem traditionem rei emptæ ex parte Venditoris, & solutionem pretii ex parte Emptoris, vel saltem fidem de eo solvendo habitam accedere est necesse, quòd Regulæ instar sit, traditionibus, non nudis pactionibus, & titulis, ut Emptio Venditio est, rerum dominia transferri *l. traditionibus* 20. *C. de Pact.* Verùm hæc suas Exceptiones patitur; nam aliquando rei dominium in Emptorem non transfertur, etiamsi illa sit tradita; aliquando autem ejus dominium in emptorem transfertur, etiam sine traditione.

125 *Prius* contingit in duplici casu: *unus* est, quando Procurator fisci rem ad Fiscum pertinentem vendidit Emptori, eique tradidit; *alter*, quando Procurator, vel alius mandatarius Ecclesiæ, aut minoris vendidit, & tradidit rem Ecclesiæ, vel minoris: nam in neutro casu traditio sola, etiam fide de pretio solvendo habita, ad dominii translationem sufficit, sed in primo res ita vendita in dominio Fisci remanet, in secundo in dominio Ecclesiæ, donec pretium pro illa solutum sit. De Fisco constat ex *l. fin. Curator* 5. *in fin. ff. de Jur. fisc.* ex quo ducitur Argumentum ad res Ecclesiæ; quia privilegiis fisci gaudet. *Rationem* det Barthol. *ad l. cit.* quia Procurator fisci, minoris, vel Ecclesiæ non potest vendere, nisi ex causa, ut creditoribus satisfiat, quam causam non implet habendo fidem de pretio; cons. non potest vendere, nisi præsente, & numerata pecunia. Extendit hoc Abb. *in c.* 2. *de precar. n.* 6. etiam ad casum, quo Prælatus rem Ecclesiæ illegitimè alienat; sed probabiliùs contrarium tenet Laym. *Disp. Can. de rer. Eccl. alien. c.* 5. §. 1. *th.* 46. ex ratione, quia Prælatus majorem, ac liberiorem potestatem alienandi res Ecclesiæ habet, quàm Procurator, aut Mandatarius, & ipsa administratio generalis, quæ ipsi committitur, videtur exigere, ut in casu, quo jus alienandi habet, etiam fidem habere Emptori de pretio solvendo ad aliquod tempus possit. Poterit igitur eo casu transferre dominium rei venditæ in emptorem, fide solùm habita de solvendo pretio. *Excipitur* casus, quo ratio alienandi cessat, nisi statim solvatur pretium ab Emptore, puta si alienatio fiat, ut debita Ecclesiæ solvantur.

126 Absque traditione dominium in Emptorem transfertur iterum in duplici casu. 1. Quando res vendita est Ecclesiæ, Monasterio, aut alteri pio loco; item quando civitati: nam hujusmodi loca munita sunt speciali privilegio, vi cujus dominium ipsis simplici donatione, Legato, Venditione etiam ante traditionem quæritur *l. ut inter* 23. *C. de SS. Eccl.* Covar. *l.* 2. *var. c.* 19. *n.* 2. 2. Quando dominus vendit Emptori rem, quam jam antea ex aliqua causa v. g. commodati, depositi eidem tradidit; tunc enim, si Venditor illam apud Emptorem tanquam dominum manere patitur, hic sine alia traditione acquirit ejus dominium: & ratio est, quia paria sunt tradere, & rem, cui jam antè aliquis incumbit, pro tradita habere *l. qua ratione* 9. *ff. de acquir. rer. domin.* Imò in casu dato res ita vendita, priùs commodata, vel deposita, fictione Juris censetur brevi manu reddita primùm domino, & postea ex venditore iterum tradita. Manz. *ad* §. 44. *Instit. de rer. divis. n.* 4.

127 Dub. 2. an si Emptor petat impletionem contractus, venditor determinatè teneatur tradere ipsam rem venditam, vel contrà liberetur ei interesse solvendo? Satisfacere interesse solvendo opinantur Covar. *l.* 2. *var. cap.* 19. *n.* 1. Mynsing. *cent.* 1. *obs.* 53. *n.* 3. & 4. Fachin. *l.* 2. *contr. c.* 30. Bachov. *ad Treutl. D.* 28. *th.* 2. *lit. C.* Ant. Faber *de Error. pragm. decad.* 85. *err.* 4. Frideric. Martin. *de Jur. Cens. c.* 6. *n.* 29. Gibalin. *l.* 4. *de negot. c.* 4. *art.* 5. *n.* 6. & alii plures apud Arpprecht *ad princ. Inst. hoc tit. n.* 33.

Moventur 1. textu *l. si res* 1. *pr. ff. de act. empt.* ibi, *Si res vendita non tradatur, in id, quod interest, agitur, hoc est, quod rem habere interest Emptoris.*

2 Ex *l. vinum* 22. *ff. de reb. credit.* ubi pro vino mutuò dato æstimatio soluta est. igitur quia præstatio interesse Venditorem liberat.

3 Ex *l. si ita* 25. §. *qui vendidit* 1. *ff. de contrah. emption.* ibi, *Qui vendidit, necesse non habet fundum Emptoris facere, ut cogitur, qui fundum stipulandi spopondit.*

4 Ex *l. si jactum* 12. *ff. de act. empt.* ibi, *Si jactum retis emero, & piscator, quod extraxit piscium, reddere mihi noluit, id æstimari debet, quod extraxit.*

5 Ex *ratione*; quia venditor obligatur ad factum, sive ad traditionem. Sed explorati juris est, quòd in obligationibus facti sufficiat præstare id, quod interest *l. stipulatione* 72. *V. Celsus ff. de V. O.* ergo &c.

Sed his non obstantibus dicendum, Venditorem ad ipsam rem tradendam obligari. Ita Felin. *in c. Joannes* 10. *de fid. Instrum. n.* 34. Abb. *ibid. n.* 16. Sichard. *ad Rubr. C. de contr. empt. n.* 8. Treutl. *D.* 28. *vol.* 1. *th.* 2. *lit. C.* Pal. *tr.* 32. *D.* 5. *p.* 13. *n.* 2. Althus. *Dicaol. l.* 1. *c.* 74. *n.* 30. Harppr. *pr. Inst. hoc tit. n.* 34. Arnold. Rath. *de contr. empt. th.* 57. Haun. *tom.* 4. *tr.* 10. *n.* 16. & *seqq.* P. Friderich *tr. de Empt. Vend. n.* 539. & *seqq.* P. Konig *hic n.* 36. P. Vviest. *hic n.* 30. & plurimi alii ab his *citt.* Eandem sententiam tenet Jus nostrum Bavaricum *Landrecht tit.* 6. *art.* 3. & ostendunt clari textus Juris communis; sic enim §. *sed & certum* 1. *Inst. hoc tit.* statuitur, ut contractu perfecto omnimodo -- & *pretium persolvatur, & res tradatur, & Venditio ad effectum perducatur.* Idem dicitur §. *aliæ* 2. *Instit. de donat.* & *l. ex empto* 11. §. & *in primis ff. de action. emption.* aliisque textibus, quos cumulatim pro sententia ista allegant DD. 128

Ratio est, quia si venditor alternativè tantùm ad rem tradendam, vel ad interesse solvendum obligaretur, secunda ejusdem rei venditio facta alteri & valida, & licita foret; nam uni præstando rem, alteri solvendo interesse adimpleret obligationem ex contractu Emptionis Venditionis natam, sequela pugnat cum textu *l. qui duobus* 21. *ff. ad Leg. Cornel. de falsis*, & contraria est communi DD. sensui, juxta quos hujusmodi secunda Venditio injusta, & si res vendita non simul tradita fuerit, nulla, & irrita est. *Conf.* 1. nam Emptor determinatè obligatur ad pretium Venditori rem offerenti solvendum, idcirco solùm, quia de hoc inter illos conventum est. Atqui non minùs inter eosdem conventum est de re tradenda. ergo ne Emptoris conditio deterior sit, quàm Venditoris, etiam Venditor determinatè obligabitur ad rem emptam tradendam. *Conf.* 2. non debet Emptor cogi ad subeundum periculum gravis damni ex contractu bona fide inito. cogeretur autem ad hoc periculum subeundum, si Venditor satisfaceret solvendo, quod Emptoris interest; nam cùm istud in facto consistat, difficulter probari potest, eo autem non probato, nihil Emptor reciperet, præter pretium. ergo. 129

Neque aliud probant Argumenta Adversariorum. *Ad* 1. Lex illa, & pleræque aliæ, quæ in contrarium afferri solent, solùm loquuntur de casu, quo res empta ob moram Venditoris non ampliùs tradi Emptori potest, quòd aut interierit, aut evicta sit à domino legitimo, aut alteri secundo Emptori tradita; tunc enim satisfaciet Emptori Venditor, solvendo ipsi, quod interest. Colligitur explicatio hæc ex ipsa *Lege citat.* quæ dum addit, *hoc* (interesse) *interdum pretium egredi*, clarè supponit, Venditorem non ampliùs habere potestatem tradendi rem; alioquin utique eam potiùs, quàm interesse, pretium illius excedens præstaret. *Ad* 2. Negatur illatum: in casu *l. cit.* debitor in mora fuit: unde factum est; ut vinum ejusdem bonitatis non ampliùs reperiretur; sicque mirum non fuit, quòd ad æstimationem deveniendum fuerit. *Ad* 3. sermo ibi est de fundo alieno vendito, quem quidem Venditor tenetur tradere, sed si evincatur, non tenetur eum comparare, & tradere, ac transferre dominium, cùm in casu evictionis solùm teneatur ad interesse. *Ad* 4. ibi non dicitur, ut bene notat Haun. *n.* 20. agendum esse ad interesse, sed ad æstimationem piscium in eum eventum, ut si pisces ob moram traditionis perirent, aut deteriorarentur, piscator æstimationem præstare deberet: per quod non negatur, quòd piscator revera sit obligatus ad ipsos pisces tradendos. *Ad* 5. Traditio rei venditæ non est aliquid nudi, & in labore personali consistentis facti, sed Juris quoque; quia involvit translationem dominii, vel saltem conditionis usucapiendi, ut rectè Harppr. *loc. cit. n.* 61. Deinde, quod dici- 130

dicitur in facti obligationibus sufficere, ut præstetur id, quod interest, verum est quidem casu, quo factum principaliter, & ultimatè intenditur tamquam finis v. g. alicujus opera in ædificando, arando &c. non verò quando intenditur tanquam medium, ut fit in nostro casu, ubi traditio intenditur ad translationem dominii, vel conditionis usucapiendi. Haun. *n.* 21. Vviest. *n.* 32. & alii passim.

131 Dub. 3. quomodo traditio mercis, seu rei venditæ fieri debeat? Resp. interest, qualis sit res, quæ venditur, an mobilis, an immobilis, an consistat in aliquo Jure, vel servitute.

Res mobilis pro sua diversitate diversimodè traditur. Nam 1. si facilè moveri potest, ut liber, catena aurea &c. tradenda est de manu in manum, nisi fortè jam apud Emptorem existat; quia tunc sufficiet, si Emptor, qui priùs tanquam depositum, commodatum &c. possedit, incipiat possidere ut suam.

2. Si res sit gravior, quæ difficulter moveri potest, demonstratio rei præsentis pro traditione valet *l. possessio* 1. §. *si jusserim* 21. *ff. de acquir. vel amitt. poss.* aut etiam obsignatio, seu signi impressio, ut in lignis, & trabibus *l. quodsi* 14. *in fin. ff. de peric. & commod. rei vendit.*

3 Si res constet numero, pondere, & mensura, refert, an illa vendatur *per aversionem*, seu *ad corpus*, an *ad mensuram*. Si *primum*, traditio fit modò per degustationem, uti in vino *l. si vinum* 1. & *l. si quis* 2. *ff. eod.* modò per traditionem clavium ad horreum, vel cellam, quibus frumentum, aut vinum coemptum clauditur *l. cùm convenit* 2. *Cod. eodem.* Si *secundum*, tunc demum res empta censebitur tradita, cùm admensa, appensa, adnumerata fuerit *l. quod sæpe* 35. §. *in his* 5. *ff. de contr. empt.*

132 *Res immobilis* traditur 1. per immissionem corporalem, si videlicet in fundum, vel domum emptam introducatur; & sufficit, si unam illius partem adeat *l. possideri* 3. §. *& adipiscimur* 1. *ff. de acquir. vel amitt. possess.* 2. Si Venditor eminus, vel cominus ostendat Emptori fundum, & dicat se tradere ejus possessionem, ac emptor significet se eandem acceptare *l. possessio* 1. §. *si jusserim* 21. & *l. quod meo* 18. §. *si venditorem* 2. *ff. eod.* 3. Si venditor emptori tradat scripturam, vel Instrumentum, quo constet de titulo, & jure, quo possidebat *l. emptionum* 1. *C. de donat.* 4. Si tradat claves domus, aut fundi, idque in præsentia domus, aut fundi venditi *l. clavibus* 74. *ff. de contrah. empt.* 5. Si post contractum, consentiente Venditore, apponatur custodia, aut res signetur nomine Emptoris *l. quarundam* 51. *ff. de acquir. vel amitt. poss.* 6. Si Venditor se rei venditæ constituat conductorem, vel ejus usumfructum sibi reservet, *l. quædam* 77. *ff. de R. V.* 7. Siquis vendidit rem absentem, seque constituat possessorem meo nomine, seu dicat, se modò non suo, sed meo nomine possidere, & ego consentiam *l. quod meo* 18. *cit.*

133 *Jurium*, & *Servitutum* traditio fit. 1. Si Venditor Emptorem mittat, aut ducat in fundum, in quo Servitutem ipsi constituit, animo constituendi, & tradendi. 2. Si emptor jure sibi vendito utatur tanquam ad se pertinente, sciente, & ferente venditore. De quibus vide plura *l. 2. tit.* 12. *à n.* 5. Hoc solum noto, ut rei venditæ traditio facta esse intelligatur, necesse esse, ut tradita sit ejus possessio vacua, ac non occupata ab alio *l. si tibi* 8. *ff. de act. empt.* certa, & non litigiosa *l. ratio* 3. *pr. ff. eod.* perpetua, & non temporanea *l. non videtur* 22. *ff. de acquir. vel amitt. poss.*

134 Circa *locum*, & *tempus* traditionis standum est conventione contrahentium. Si nihil super iis convenit, tradenda res est loco, quo vendita, & statim tunc, quando pretium pro ea est persolutum. Quandiu vero istud persolutum non est, aut fides de eo solvendo habita, non tenetur Venditor rem venditam tradere, sed retinere illam potest quasi jure pignoris, tametsi super pignore nihil convenerit *l. Julianus* 13. §. *offerri* 8. *de act. empt.*

135 Dub. 4. quænam Venditio teneat, si postquam res vendita est uni, deinde vendatur alteri? Resp. hìc distinguendum est, an res vendita neutri sit tradita, an verò dum alii vendita est, simul etiam sit eidem tradita.

Si primum, & rei dominium in neutrum translatum sit, tradi res vendita primo debet, non obstante venditione secundo facta. Est recepta doctrina apud omnes melioris notæ DD. & colligitur *arg. Reg. quoties* 98. *ff.* & *Reg. qui prior* 54. *in* 6.

Ratio est, quia quod licitè fieri non potest, in Jure reputatur impossibile *can. faciat* junct. Gloss. *V. quod potest caus.* 22. *q.* 2. & conf. ad illud non datur obligatio, atqui secundo Emptori Venditor rem ab alio priùs emptam sine hujus injuria, conf. licitè non potest tradere. igitur cùm alicui ex contractu Venditionis debeat rem venditam tradere, tenebitur eam tradere primo. Idem dicendum, quando dubitatur, an alicui, & cui res priùs sit tradita; præferri enim tunc debet prior emptor, tum quia habet fundatam suam intentionem, rum ut ejus injuria reparetur. *Excipitur*, nisi secundus pretium numeraverit, & hoc primus non fecerit, vel non constet fecisse, Covar. *l.* 2. *var. c.* 19. *n.* 6.

Si secundum, & rei dominium per traditionem in posteriorem Emptorem translatum jam est, secunda Venditio, quamvis priori injuriosa, & graviter peccaminosa, Jure subsistit *l. quoties* 15. *C. de R. V.* ad eum ferè modum, quo validum est Matrimonium, quod Titius iniit cum Bertha, post sponsalia de futuro antè contracta cum Livia, Covar. *c.* 19. *cit. n.* 2. Molin. *tr.* 2. *D.* 369. *n.* 7. Haun. *tom.* 4. *tr.* 10. *n.* 71. Vviest. *hic n.* 27. & 28. Et procedit hoc, etiamsi prima venditio fuisset firmata Juramento, ut bene aliis *citt.* notat Pal. *tr.* 32. *D.* 5. *p.* 27. *n.* 5. & locum habet etiam in Contractu permutationis, locationis &c. Ratio est, quia etsi Venditor, perfecta prima venditione, rem venditam teneatur primo Emptori tradere, tamen donec eandem tradat, dominium ejusdem retinet. igitur etsi illicitè, validè tamen illud in alium transferre potest. 136

Excipiendi sunt tres casus: *Unus est*, quando res primo Emptori specialiter hypothecata est; nam stante hac Hypotheca, jus in re concedente, nequit secundus Emptor firmum rei venditæ dominium acquirere, sed acquirit solùm revocabile à primo Emptore, ut constat ex *l. creditor* 12. *ff. qui potior. in pignor.* ubi §. *fin.* Marcianus, *Nam & in pignore*, inquit, *placet, si prior convenerit de pignore licet posteriori res tradatur, adhuc potiorem esse priorem. Alter casus*, quando secundus Emptor, & in quem dominium translatum est, conscius fuit, quòd eadem res jam priùs sit alteri vendita; nam eo casu poterit primus emptor ab hoc secundo rem acceptam repetere intra annum à die scientiæ alienationis, utpote alienatam in sui fraudem *arg. l. ait prætor* 1. & *seqq. ff. de his, quæ in fraud. credit.* Transacto anno in foro externo quidem secundus Emptor non est obligatus, obligatus tamen probabiliùs manet in foro interno, si non ad rem primo emptori tradendam, saltem ad satisfaciendum ipsi, quanti sua intererat rem habere, nisi venditor ipse satisfaciat, ut sic reparetur damnum ipsi injuria datum. Pal. *tr.* 32. *D.* 5. *p.* 27. *n.* 11. *Tertius est*, quando res priùs vendita fuit Ecclesiæ, aut alteri pio loco, aut Civitati, vel pro redemptione captivorum; nam his per solam Venditionem absque traditione acquiritur dominium, ut dictum est *n.* 126. conf. secundo Emptori acquiri illud non potuit, quamvis accipienti rem, & solventi pretium. 137

Quæritur 3. quid sit *Evictio*, & quando Venditor de hac teneatur Emptori? Resp. *Evictio* nihil aliud est, quàm rei suæ, quam alius legitimo titulo acquisierat, per Judicem recuperatio. Vvesembec. *ff. de Eviction. n.* 1. Pirh. *hic num.* 42. De hac regulariter tenetur Venditor emptori, etiamsi tam hic, quàm ille ignoraverint rem alienam esse, aut alteri obligatam, quia ignorantia Venditorem non excusat, cùm rei, quam vendit conditionem scire quisque teneatur, ac præsumatur *arg. l. quisquis* 15. *C. de rescind. vendit.* Estque perinde, sive res tota, sive ejus tantum pars aliqua evincatur *l. sive tota* 1. *pr. ff. de Evict.* Unde etiamsi Ususfructus tantùm rei venditæ evincatur, tenebitur Venditor præstare emptori, quanti is æstimabitur *l. sed siquid* 15. §. *si ususfructus* 1. *l. vaccæ* 43. & *l. si ab emptore* 49. *ff. eod.* & ratio est, quia ususfructus, veluti pars rei, v. gr. prædii censetur *l. ususfructus* 4. *ff. de usufr. & quemad.* Gomez *tom.* 2. *var. c.* 2. *n.* 45. Molin. *tom.* 2. *D.* 380. *n.* 4. Pal. *tr.* 33. *D.* 5. *p.* 28. §. 1. *n.* 7. 138

Si servitus evincatur, distinguendum est, an Venditor rem servituti subjectam vendiderit tanquam liberam, sciens esse servituti subjectam, an verò ignorans; nam si sciens vendidit, de evictione tenetur *l. quod ad servitutes* 57. *ff. de eviction. l. si res vendita* 1. §. *Venditor* 1. *l. Julianus* 13. *pr.* & *l. quæro* 39. *ff. de act. empt.* Quod adeo verùm est, ut etsi pactum feceris, nec hac obligatione tenearis, non obinde excuseris; quia emptor non censetur in pactum dolosum consentire *l. quæro cit.* Gomez *c.* 2. *cit. n.* 45. Molin. *num.* 4. *cit. vers. si verò*, Pal. *n.* 8. Si verò ignorans vendidit tanquam liberam, non tenetur quidem ad interesse, & damna inde consecuta, præstare tamen emptori debet, quanto minùs res valet, quæ servituti subjecta est, quàm si libera esset *l. sed si quid cit.* §. *fin.* Pal. *n.* 8. *cit.* cum modò relatis. 139

Non autem refert ad obligationem præstandi evictionem, 140

nem, five de hac præftanda inter contrahentes convenetit, five non *l. non dubitatur 6. C. de Evikion.* Ratio eft, quia emptio Venditio eft contractus bonæ fidei, & nihil bonæ fidei magis congruit, quàm id præftari, quod inter contrahentes actum eft, vel fi nihil fit actum inter iftos, ut præftentur, quæ contractui naturaliter infunt. atqui emptioni Venditioni, tanquam contractui Synallagma continenti, & ultro cittoque obligationem parienti, naturaliter ineft, ut ficut emptor pretium rei folvendo illud Venditoris facit, fic viciffim etiam Venditor rem tradat emptori, & in hunc, vel dominium, vel faltem poffeffionem illius vacuam cum ufucapiendi conditione transferat *l. clavibus 74. ff. de contrah. empt.* igitur fi res, vel pars ejufdem v. g. jus alteri in ea quæfitum evincatur, Emptori Venditor de Evictione tenebitur. Gonz. *in c. fin. n.* 10. Pirh. *n.* 41. Vvieft. *n.* 79. *&* 80.

141 Dub. 1. quid ratione Evictionis petere poffit emptor à Venditore, & quid ifte ex ea caufa teneatur ipfi præftare? Refp. fi res vendita à domino ejufdem coram Judice evicta fuerit, & emptor iftius Decreto compulfus rem à fe emptam reddere, duo à Venditore petere emptor poteft.

Primò poteft ab eo petere pretium, quo res inter contrahentes fuit æftimata, integrum quidem, fi res tota evicta eft; partem verò illius, fi tantùm pars evicta eft *l. five* 1. *l. fi fundo* 53. *l. ex mille* 64. *pr. ff. de evikion. l. fuper empti* 16. *C. eod.* Neque enim, fi pars tantùm evincatur, ad refolutionem contractus agi poteft, fed folùm, ut pars pretii pro rata, & intereffe præftetur *l. cùm plures* 72. *ff. eod. l. ædiles* 38. §. *fi fortè* 13. *&* §. *feq. ff. de ædilit. Edict. Excipitur* 1. fi partem tantùm emptor non fuiffet empturus. 2. Si pars, quæ remanet, inutilis, aut infeparabilis eft à reliquis. 3. Si ita inter contrahentes convenerit; nam his cafibus evicta una parte, agi poteft ad reftitutionem totius pretii, modò etiam emptor, quod fibi remanfit, cogitet reftituere.

142 *Secundò* poteft petere fingulare intereffe, quanti præter pretium pro re expofitum emptoris intereft rem evictam non fuiffe. Sub nomine *Intereffe* veniunt expenfæ, quas emptor in litem fecit, & omne lucrum ceffans, ac damnum emergens ex lite, & evictione. Intereft tamen, an Venditor bona fide rem emptori vendiderit, an mala; nam *fi mala*, quia fcivit rem effe alienam, tenetur omnia damna, quæ ex ea emptione, & evictione emptori emerferunt, & lucra, quæ ceffarunt, eidem refundere *l. Julianus* 13. *pr. ff. de action. Empt.* ibi, *Si verò* (venditor) *fciens reticuit* (vitium rei) *& emptorem decepit, omnia detrimenta, quæ ex ea emptione traxerit, præftiturum ei.*

Ratio eft, quia æquum non eft, quòd dolus fuus quenquam relevet. *Si verò bona fide vendidit*, non tenetur ad folvendum totum intereffe, quantumcunque illud eft, aut erit de futuro, fed folùm tenetur ad duplum (cui ipfum pretium tanquam fimplum eft) etfi Emptoris ultra duplum interfit *l. cum & fortè* 44. *ff. de action. empt. l. un. C. eod. l. un. C. de fententiis, quæ pro eo, quod intereft, proferuntur.* Non tamen in hoc duplo computantur fumptus litis; quia Venditor fuis, non emptoris fumptibus emptorem tenetur defendere.

143 Dub. 2. quid requiratur, ut Venditor de Evictione teneatur emptori? Refp. 1. requiritur, ut emptor tempore Contractus rem effe alienam ignorarit; nam fi fciens rem effe alienam, eandem emit, non tenetur ipfi Venditor de Evictione, nifi expreffè de evictione præftanda inter ipfos convenerit *l. fi fundum* 27. *C. de Evikion.* 2. Ut fuper re empta litem fibi motam emptor in tempore denuntiaverit Venditori, & petierit, ut fibi eam fufcipienti, & profequenti in Judicio affiftat, & probationes fuggerat *c. fin. h. tit. l. fi rem* 29. *ff.* & *l. authore* 7. *C. de Evikion.* 3. Ut non folùm conftet quomodocunque emptori rem alienam, vel alii obligatam effe, aut lis illi fuper ea mota à domino, vel eo, qui jus aliquod in illa habet, fed etiam fententia lata adversùs illum pro repetente in rem judicatam tranfierit, fimulque rei emptæ poffeffione in eundem translata, mandata executioni fit *l. habere* 57. *ff.* & *l. qui rem* 3. *C. de Evict.* Perez. *in C. ib. n.* 19. Brunnem. *in l. qui rem cit. n.* 5. Vvieft. *n.* 81. Ratio eft, quia evincere eft plus, quàm vincere, quia idem eft, ac rem victo auferre. igitur ante actualem ablationem evicta diei non poteft.

144 Dixi, has conditiones requiri, ut Venditor teneatur de Evictione, & ad reftituendum emptori pretium: nam ut hic retinere poffit nondum folutum, minus requiritur, fed fufficit, fi in limine Contractus immineat Evictionis periculum; nam ftante ifto periculo, & ufque dum Venditor idoneam cautionem de evictione præftet, emptor pretium pro merce tradita non tenetur folvere, vel fi partem illius folvit, retinere poteft, quod nondum folvit *l. fi poft* 24. *C. de Evikion.* Proceditque hoc, etfi convenerit, ne de evictione teneatur Venditor; nam ficut hujufmodi pactum non impedit, quo minùs re evicta pretium repeti queat *l. ex empto* 11. §. *fin. de action. empt.* ita non obftat, quo minùs evictione imminente caveatur ratione pretii. Porro in limine Contractus imminere Evictio dicitur, quando ante numeratum pretium, quamvis longo etiam intervallo poft perfectum contractum, lis in Judicio movetur emptori, aut fi ei denuntiem, ne accedat ad Emptionem rei mihi obligatæ, fimulque oftendam quod ea mihi obligata fit *l. fi poft perfectam* 24. *C. de evikion.*

Dub. 3. an femper laudare Venditorem, feu denuntiationem ei facere emptor debeat? Refp. affirmativè; alias regulariter loquendo ipfi Venditor de Evictione non tenebitur *c. fin. hoc tit. l. fi rem* 29. §. *quolibet* 2. *ff. l. authore* 7. & *l. emptore* 8. *C. de Evikion.* Abb. *in c. fin. cit. n.* 5. Covar. *l.* 3. *var. cap.* 17. *num.* 3. Gomez *tom.* 2. *var. c.* 2. *num.* 39. Molin. *tr.* 2. *de Juft. D.* 380. *n.* 8. Pirh. *hic n.* 44. Vvieft. *num.* 83. Ratio eft, quia Venditoris maximè intereft, & ipfe meliùs rei à fe venditæ conditionem, & quæ ad ejus defenfionem conferunt, perfpecta habet. igitur fi res eo non laudato evincatur, præfumetur emptor non ob defectum Juris, fed propter ignorantiam Juris competentis Venditori caufa cecidiffe: conf. cùm tam falubre medium fe defendendi omiferit, culpa non Venditori, fed ipfi emptori imputabitur. 145

Proceditque hoc, etfi Venditor fciverit litem fuper re empta Emptori fuiffe motam; nihilominus enim denuntiatio eidem fieri neceffariò ab Emptore debet, ut contra Bald. Imol. Cyn. & alios cum *citt.* advertit Fachin. *l.* 2. *contr. cap.* 35. & colligitur ex *l. fi parentes* 20. *Cod. de evikion.* ubi requiritur, ut denuntiatio Venditori facta fit, non fimpliciter, fed ad hoc, ut rem, feu negotium defendat, liti affiftat, probationibus emptorem inftruat &c. ad quod non fufficit notitia litis motæ aliunde habita, fed opus eft denuntiatione expreffa *arg. l. qui uxori* 16. juncta *l. denuntiaffe* 17. §. *quid ergo* 2. *ff. ad Leg. Jul. de adulter. Neque obftat*, quòd aliàs juxta *Reg.* 31. *in* 6. certioratus non fit certiorandus; nam hoc verum eft, quando certioratio fit tantùm in eum finem, ut habeatur notitia rei. Secus dicendum, quando certioratio petitur, ut certiorandus aliquod factum præftet, ut fit in propofito cafu, fc. ut Venditor emptorem defendat; tunc enim neceffitatem certiorationis non tollit prævia ejufdem notitia. 146

Quinque tamen excipiendi funt cafus, in quibus venditor, etfi non certioratus de lite emptori mota, nihilominus de evictione tenetur. 1. Si per eum ftetit, quò minùs lis ei mota denuntiaretur, nempe quia latitat, vel quia impedit, quò minùs denuntiatio ad eum pervenire poffit *l. fi ideo* 55. *in fin. l. fi dictum* 56. §. *fimili* 5. *ff. de evikion.* Gloff. *in c. fin. V. inftitutum h. tit.* 2. Si citra factum venditoris emptor cognofcere non potuit, ubi venditor effet, ut ei denuntiaret *l. fi dictum cit.* §. *fed & fi* 6. 3. Si venditor hanc obligationem denuntiandi litem per pactum expreffè remifit emptori *l. Herennius* 63. *prin. ff. eod.* quia cùm in favorem emptoris obligatio impofita fit emptori, poteft venditor eidem renuntiare. 4. Si generaliter conventum eft, ut quocunque modo res vendita evinceretur, teneatur venditor de evictione, & litem emptori motam venditor fcivit: fecus fi ignotavit; tunc enim admonere illum de lite mota emptor debet, fi velit, ut ille fibi teneatur de Evictione. Covar. *c.* 17. *cit. n.* 7. Molin. *n.* 17. Pirh. *n.* 44. 5. Si emptor fit minorennis, & venditor aliunde fcivit litem ipfi moveri *arg. l. in minorum* 3. *C. in quib. cauf. in integr. reftit.* ubi dicitur, *In minorum perfona reipfa, & ex folo tempore tardæ pretii folutionis recepto jure moram fieri creditum eft.* ceffat ergo in iifdem Regula Juris interpellationem exigens pro mora incurrenda. Hanc in Minoribus receptam opinionem cum Baldo, & communi aliorum etiam ad Ecclefiam extendunt Covar. *l. cit. n.* 4. Molin. *n.* 13. *verf. quando emptor*, Tiraquell. *piæ cauf. privil.* 141. *& feqq.* Fachin. *l.* 2. *contr. cap.* 37. Pirh. *n.* 44. *cit.* P. Friderich *de Empt. Vend. n.* 596. quia Ecclefia jure minorum gaudet. 147

Dub. 4. quomodo facienda fit denuntiatio venditori, ut ea facta ifte teneatur de Evictione? Refp. 1. facienda eft non fimpliciter, fignificando duntaxat intentari litem emptori, fed cum proteftatione, & requifitione, ut venditor liti motæ affiftat. Sumitur ex *c. fin. hoc tit. l. fi rem* 29. §. *quolibet* 2. *ff. l. fi parentes* 20. *l. empti* 148

actio 21. *l. cùm successores* 23. *C. de eviction.* ubi dicitur instandum, & petendum esse, ut venditor ad defendendum veniat. 2. Inserenda est denuntiationi copia libelli, & acta litis motæ adversùs emptorem, ut cum Covar. *l.* 3. *var. c.* 17. *n.* 5. Fachin. *c.* 37. *citat.* communior aliorum tenet, teste P. Friderich *n.* 593. Sumitur ex *Clem. causam* §. *ult. de elect.* & ratio est, ut sic is, cui facienda est insinuatio, sciat, quid ipsi faciendum sit, & deliberet, cedere, an contendere malit. Usu tamen contrarium receptum est, teste Molina, saltem quando Judicis authoritate fit denuntiatio. 3. Facienda est denuntiatio ipsi venditori in præsentia, si commodè fieri possit: secus ad ejus domum coram vicinis. Si defunctus sit, fieri debet singulis ejus hæredibus *l. in executione* 85. §. *in solidum* 5. *ff. de V. O.* quia singuli tenentur pro rata. 4. Demum fieri debet ante publicationem testium, seu antequam tempus probationum, & exceptionum elapsum sit *l. si rem* §. *quolibet cit.* Si tamen in prima instantia non fuit facta denuntiatio, fieri potest in causa Appellationis, dummodo omnia sint integra, & salva venditori, possitque is seipsum, & emptorem defendere. Covar. *c.* 17. *cit. n.* 8.

149 Venditor sic laudatus, & requisitus tenetur defendere emptorem, & assistere liti, vel eam in se suscipere, etiamsi specialiter ad hoc se non obstrinxerit, ut satis apertè traditur *l. qui absentem* 78. *ff. de Procur.* & sumitur ex *l. si plus* 74. §. *mota* 2. *ff. de Evict.* ubi dicitur, quòd venditor ad rem defendendam conveniri possit. ergo ad id etiam condemnari poterit; nam ubi est actio, ibi sequi etiam condemnatio potest, cùm sententia conformis esse libello debeat. Accedit, quia venditor emptori præstare debet *habere licere*, seu ut habere liceat sine interpellatione *l. habere* 188. *ff. de V. S.* & ut emptor in lite sit potior *l. ex empto* 11. §. *idem Neratius* 13. *ff. de action. Emption.* hæc autem præstare sine defensione non potest. ergo. Sequi autem debet forum emptoris, & per consequens, si Clericus sit, & emptor Laicus, litigare debet coram Judice Laico, & vicissim coram Ecclesiastico, si emptor sit Clericus, licèt ipse sit Laicus, ut cum communiore tradit Covar. *pract. c.* 8. *n.* 3. Fachin. *l.* 3. *contr. c.* 38. Molin. *D.* 380. *cit. n.* 15. Gaill. *l.* 1. *obs.* 37. *n.* 7. Zoes. *de for. compet. n.* 28. Engl. *n.* 45. Scamb. *n.* 33. & ego notavi *l.* 2. *tit.* 2. *n.* 80. *V. tertiò si agatur.*

150 Dub. 5. quibus casibus venditor emptori non teneatur de Evictione? Resp. plures ejusmodi casus esse. Et 1. quidem, si emptor post litem sibi intentatam super re empta, aut saltem post litis contestationem, ante publicationem testium, vel conclusionem in causa venditorem non statim laudavit, seu eidem denuntiavit sibi litem moveri, ut ad causam defendendam veniat. Patet ex hactenus dictis.

2 Si sententia lata est contra emptorem à Judicio contumaciter absentem *c. fin. hoc tit. l. emptore* 8. *C.* & *l. si ideo* 55. *ff. de Eviction.* ubi etiam ratio redditur, quia tali casu *magis propter absentiam victus videtur, quam quòd malam causam habuit.* igitur sibi potiùs imputare emptor debebit, quàm venditori, quòd res à se empta per sententiam Judicis evicta fuerit. *Excipitur*, si certum sit, quòd etsi emptor præsens fuisset, causa cecidisset, vel illam amittere debuisset, quòd constet rem esse evincentis seu vindicantis: tunc enim adhuc præstare Evictionem debebit Venditor; quia eo casu absentia, seu contumacia emptoris non fuit causa, cur condemnatus sit. In dubio tamen præsumitur fuisse causa, ut notat Gloss. *in l. si ideo cit. V. habuit.* estque hæc præsumptio Juris, & de Jure. Pirh. *hic n.* 45.

151 3 Si res evicta fuit per errorem, imperitiam, sordes, aut aliam injuriam Judicis *c. fin. cit. l. si per imprudentiam* 51. *ff.* & *l. emptore* 8. *Cod. de eviction.* Ratio datur *l.* 51. *cit.* quia *injuria, quæ fit emptori, authorem*, i. e. Venditorem *non debet contingere.* Accedit, quia evictio, per injuriam Judicis facta, censetur velut infortunium quoddam; casus autem fortuitus non imputatur venditori, sed ad Emptorem, cui rei emptæ dominium pertinet *l. necessariò* 8. *ff. de peric. & commod. rei vendit.* igitur tali casu non venditor, sed emptor damnum per injuriam Judicis illatum pati debet, si ab hoc compensationem illius non possit acquirere; nam agere hoc casu contra Judicem potest, qui ita judicando litem fecit suam. *Inst. princ. de oblig. ex quas. delict. l. de eo* 7. *C. de pœn. Judic. qui mal. judic.*

4 Si sciens rem alienam, vel alteri obligatam emit *l. si fundum* 27. *C. de Evict.* quia tali casu emptor sibi imputare debet, quòd rem, quam evinci posse non ignoravit, malitiosè emerit. *Excipitur*, nisi cum Venditore de evictione convenerit; tunc enim agere contra Venditorem ad pretium recuperandum poterit, non verò ad interesse. Molin. *tr.* 2. *D.* 380. *n.* 22. Pirh. *hic n.* 47. Wiest. *n.* 86.

5 Si bona fide existimans rem esse suam Venditor cum Emptore, ne de Evictione teneretur, convenit. Covar. *l.* 3. *var. c.* 17. *n.* 2. Molin. *n.* 18. Pirh. Wiest. *l. citt.* Tenebitur tamen eo casu Venditor pretium, pro re evicta ei datum, restituere, nisi etiam de hoc, ne restitueretur, inter partes expressè conventum sit *l. ex empto* 11. §. *fin. ff. de action. empt.* & ratio est, quia æquum non est, ut Venditor cum Emptoris jactura locupletetur. 152

6 Si emptor, mota ei lite circa rem emptam, in Arbitrum Compromissarium, aut Judicem non suum consensit, & hic contra ipsum pronuntiavit *l. si dictum* 56. §. *si compromisero* 1. *ff. de Edict.* quia cùm spontè Judicium subierit, res ipsius voluntate potiùs, quàm illius necessitate evicta videtur.

7 Si Emptor rem emptam usucapere potuit, & non fecit; tunc enim ipsi imputatur, quòd res evicta fuerit *l. si dictum cit.* §. *si cum posset* 3.

8 Si à sententia, quæ Venditore absente in Judicio lata est, non appellavit, aut appellationem interpositam deseruit, nisi id fecerit, quia agnovit jus evincentis *l. Herennius* 63. §. *Gaj.* 1. *& fin. ff. de Evilion.* 153

9 Si rei emptæ possessionem sua culpa amisit, indeque factum, ut ex reo actor factus, litem amiserit *l. si rem* 29. §. *si duplæ* 1. *ff. eod.*

10 Si eandem pro derelicto habuit *l. fin. ff. eod.*

11 Si ex mandato Principis cogitur rem alteri vendere, aut contractu alio oneroso tradere *l. Lucius* 11. *ff. eod.*

12 Si res vendita periit ante evictionem *l. si quis* 26. *Cod. eod.* quia post emptionem contractam, sicut commoda rei venditæ, ita & pericula ad Emptorem pertinent.

13 Quando creditor rem pignoris jure distraxit *l. ex empto* 11. §. *sententiam* 16. *ff. de act. empt.* quia ita vendens censetur fide aliena vendere, & non nisi jus suum præstare voluisse.

Plures alii casus, in quibus locum non habet evictio, videri possunt apud Molin. *D.* 380. *cit.* & alios passim.

§. VII.

De Obligationibus Emptoris, & de Periculo, ac Commodo rei emptæ.

SUMMARIUM.

154 *An Emptor teneatur ad manifestandam bonitatem mercis, & vitium pretii?*
155 156 *An tutus existimat in conscientia, si sciat mercis pretium, & Venditor, ab eo interrogatus, num velit eam dare tali pretio, & reliquum condonare, consentiat?*
157 *An qui scit in fundo latere thesaurum, à Venditore id ignorante emere cum pretio vulgari possit?*
158 *Extenditur hoc etiam ad casum, quo in tali fundo latent metalli, aut lapidum pretiosorum fodinæ &c.*
159 160 161 *Quando monere Emptor Venditorem debeat circa pretium?*
162 163 164 165 166 *Quæ sit obligatio Emptoris circa solutionem ejusdem?*
167 *Cui res vendita intereat, vel deterioretur, quando tradita illa est?*
168 *Cui, si intereat, vel deterioretur ante traditionem? Rationes dubitandi.*
169 *Resolvitur, quòd intereat, & deterioretur Emptori.*
170 171 172 173 174 *Exceptiones.*
175 *Solvuntur objecta.*
176 *Cui debeantur fructus rei venditæ? Rationes dubitandi.*
177 *Resolvitur, quòd naturales pendentes.*
178 *Et non pendentes, post perfectam primùm Venditionem nati.*
179 *Imò & Civiles, cum discrimine tamen, pertineant ad Emptorem.*
180 *Exceptio.*
181 *Respondetur ad Argumenta opposita.*
182 183 *Ad quem pertineant Accessiones rei venditæ?*

Quæritur 1. an Emptor teneatur ad manifestandam bonitatem mercis, & vitium pretii? *Certum est*, teneri alternativè, vel ad manifestandam perfectionem mercis, & pretii à Venditore petiti defectum, vel ad augendum pretium, si quod minus justo petierit Venditor. Ita S. Thom. 2. 2. *q.* 77. *art.* 2. *corp. in fin.* Valent. *D.* 5. *q.* 10. *p.* 3. *&* 4. Navar. *Man. c.* 23. *n.* 89. & 154

teste

teste P. Friderich *tr. de Empt. Vend. n.* 673. TT. ac JCti communiter omnes. Ratio est, quia alioquin emptio foret injusta, cùm non solvatur pretium justum pro re, quæ emitur. Dixi *alternativè;* nam determinatè ad perfectionem mercis manifestandam non obligatur: in quo dispar est ratio Emptoris cum Venditore, quippe qui non semper satisfacit minuendo pretium ob vitium mercis: & ratio disparitatis est; quia Emptor tacendo perfectionem mercis, quæ ipsi ad emendum offertur, si pretium justum pro ea numeret, nullum committit dolum, nec decipit Venditorem: sic autem sæpe decipit Venditor, tacendo vitium mercis, quam ipse vendit; fortè enim ad usum à Venditore intentum ob vitium illud inidonea est.

155 Dub. 1. an casu, quo Emptor scit pretium mercis, Venditor autem ignorat, & ille hunc interroget, an velit eam dare pro tali pretio, & reliquum, si quid amplius res valeat, condonare, si Venditor consentiat, Emptor in conscientia tutus existat? Affirmant Cajet. *in Summ. V. Emptio n. 2:* Armill. *V. eod. n. 6.* & probabile esse existimat Emman. Rodriq. *p. 2. Summ. c.* 81. Lopez 1. *de contract. c.* 4. Sed dicendum cum Molin. *tr. 2. de Just. D.* 353. *n.* 11. & communi reliquorum DD. non esse tutum, sed emptorem, si tali pretio mercem emerit, obligari in conscientia ad restitutionem usque ad integrum valorem ipsius infimum. Ratio est, quia hæc obtentio donationis illius excessus, quo res plus valet, est solùm palliata, & ob ignorantiam Venditoris plus de necessario, quàm de voluntario habet, quippe cùm solùm donet ex pacto, quia Emptor aliàs non vult emere. *Conf.* quia hoc pacto valeret omnis emptio infra justum pretium infimum, si interrogaret Emptor imperitum Venditorem, an excessum, quo plus valet res, condonare velit: imò sic excusari usurarius ab Usuris posset, modò obtineret à Mutuatario, ut hic ipsi gratis usuras promitteret, vel condonaret.

156 Dixi, *si sciat Emptor:* Aliud est, si etiam iste ignoret, quod sit pretium rei justum; nam hoc casu si uterque ob incertitudinem consenserit in certum pretium, condonando sibi invicem excessum, & defectum, si quis fuerit, neuter, postea errore detecto, restituere, vel compensare defectum tenebitur; quia uterque rem sorti, & fortunæ commisit. Debet tamen eo casu utrimque periculum perdendi esse æquale; nam si ex una parte esset minus periculum, is, qui sciret, se minori periculo exponi, deberet hanc ipsam suam conditionem pretio compensare illud vel augendo, si Emptor est, vel minuendo, si Venditor, ut sic Contractum ad æqualitatem reducat.

157 Dub. 2. an qui scit in fundo latere thesaurum, Venditor verò hoc ignoret, emere illum ab hoc pretio vulgari, & tali possit, quo emeretur, si thesaurum non contineret? Resp. affirmativè. Ita S. Thom. 2. 2. *q.* 66. *art.* 5. *ad* 2. Sot. *l.* 5. *de Just. q.* 3. *art.* 3. *ad* 1. Navarr. *Man. c.* 17. *n.* 175. Molin. *tr.* 2. *D.* 353. *num.* 12. Less. *l.* 2. *c.* 5. *n.* 62. Laym. *l.* 3. *tr.* 1. *c.* 5. *n.* 23. *vers. quod si sciens.* Pal. *tr.* 31. *D. un. p.* 17. *n.* 4. Card. de Lugo *de Just. D.* 6. *n.* 128. Gibalin. *l.* 4. *de negot. c.* 4. *art.* 7. *n.* 17. P. Friderich *tr. de Empt. Vend. n.* 677. & plurimi alii. Ratio est, quia justum rei pretium humanum non sumitur præcisè ex majore utilitate rei, sed ex communi æstimatione hominum. atqui ager, in quo thesaurus ignotus latet, communi æstimatione hominum tantum præcisè valet, quantum si thesaurus in eo lateret nullus; nam *ignoti nulla cupido*. ergo &c. *Conf.* nam thesaurus ante inventionem censetur esse in dominio nullius. igitur sub æstimationem agri, quamdiu ignotus est, venire non potest; quando autem reperitur, invenientis de jure gentium fit, non titulo emptionis, qua comparatus est ager, sed inventionis, qua compararetur dominium thesauri inventi etiam in agro alieno.

158 Quod de thesauro, etiam dicendum de metalli, salis, ac lapidum pretiosorum fodinis in agro latentibus, quas emptor novit esse in fundo, venditor ignorat, ut cum *citt.* notat Molin. *n.* 12. tametsi enim sint pars fundi, quamdiu tamen latent, non augent communem æstimationem fundi, sed hic solùm æstimatur juxta utilitatem, & fructus, quos producit in superficie, qui cùm majores non sint, quàm si nullus lateret thesaurus, inde fit, ut fundus etiam, modò pluris non æstimetur, quamvis pluris æstimandus esset, si pretiosa ejus viscera non essent ignota. Procedit hoc etiam in herbis, quæ afferuntur vendendæ in pabulum jumentorum; licèt enim Pharmacopola inter illas sciat unam, vel aliquas esse magni pretii ad pharmaca conficienda, in conscientia tamen tutus est, si eo pretio illas comparet, quo communiter venduntur ad jumentorum pabulum, cùm peritia ipsius, quòd ad alium etiam usum in sua arte, ac ministerio inserviant, sit fructus suæ artis. Certè si propter aptitudinem istam ad medicinas deberet augeri pretium à Pharmacopola, etiam augeri deberet à Sculptore, qui lignum pretio usitato comparat, si ex eo sculpturus sit statuam pretiosam.

Dub. 3. utrum Emptor Venditorem monere debeat de vitio pretii? Resp. tripliciter errari maximè circa pretium à Venditore potest. 1. si moneta, quæ ipsi pro pretio mercis datur, est adulterina, quam ipse putat esse legitimam. 2. si minoris sit pretii, & Venditor putet eam esse majoris. 3. si in præsenti valorem, quem Venditor concepit, habet, sed paulò post valor iste sit diminuendus, & moneta reducenda ad valorem minorem. 159

In primo casu certum est, illicitè agere Emptorem, si talem monetam Venditori det in pretium mercis ab eo acceptæ: & hoc verum est, etsi ipse Emptor circa eam ab alio deceptus fuerit; quia per hoc non acquisivit jus decipiendi alium. *Ratio est*, quia in Emptione Venditione debet esse æqualitas, quæ in casu, quo moneta adulterina solvitur, nulla est. Ex hac ipsa ratione sequitur, quòd casu, quo Emptor monetam adulterinam in pretium mercis à Venditore acceptæ solvit, ignorans adulterinam esse, ubi id resciverit, monere de hoc Venditorem, & monetam legitimam substituere in conscientia obligetur.

In casu secundo non obligatur Emptor errorem Venditori eximere, modò moneta, quam solvit ex contractu, æquet pretium mercis infimum. Exemplum est: Emptio Venditio celebratur in loco, ubi Imperialis solidus tantùm valet florenum, & triginta crucigeros, Venditor putat valere duos florenos, & hoc errore ductus paciscitur de solvendo Imperiali solido pro merce; hoc casu, si pretium mercis infimum sit florenus, & triginta crucigeri, satisfacit emptor solvendo Imperialem solidum, nisi interrogetur. Sumitur à pari; nam ut *n.* 154. dictum est, non tenetur Emptor manifestare perfectionem mercis Venditori ignotam, nisi interrogetur, modò pro ea exhibeat pretium justum infimum. ergo etiam manifestare defectum monetæ non tenebitur, nisi interrogatus, si moneta, quam solvit, constituat pretium justum, quamvis infimum. 160

In tertio casu similiter non obligatur monere Emptor Venditorem, ut communis DD. habet, & patet ex dictis *suprà n.* 112. Quando moneta in uno loco est usualis, & justa, non item in alio, distinguendum est, an usualis, & justa sit in loco, ubi celebratur contractus, an non sit ibi usualis, sed alibi. *Si primum*, satisfacit emptor obligationi Justitiæ, si talem monetam in pretio, quod mercem adæquet, solvat, quamvis alibi, quò eam venditor deportare cupit, sit rejectanda. Ratio est, quia merx, & pretium æstimantur juxta eum valorem, quem habent in loco, ubi contrahitur, & non alibi, unde advectæ sunt merces, vel quò avehetur pretium. igitur sicut Venditor non tenetur viliori pretio vendere mercem, quòd alibi viliori veneat, ita nec Emptor majus pretium solvere, quòd alio in loco moneta, quam dat, vilior sit. *Si secundum*, Venditor, qui existimaret, monetam in loco contractus usualem esse, quæ non est, monendus esset ex obligatione Justitiæ; quia aliàs non servaretur æqualitas in contractu, quippe in quo Venditor daret mercem, & vicissim non acciperet pretium, aut saltem non æquale merci. 161

Quæritur 2. quæ sit obligatio Emptoris circa pretii solutionem? Resp. 1. solvere debet pretium in moneta proba, legitima, & tali, quæ in loco, ubi fit solutio, est usualis, ut patet ex dictis *n. præc.* 162

2 Solvere debet in ea qualitate, & quantitate, de qua convenit, modò in designatione illius non sit commissa injustitia. *Proceditque hoc*, etsi seclusa conventione justum esset pretium etiam in minori quantitate, & alia qualitate; quia pactis conventis stare oportet, ubi justa, & legitima sunt. Atque hinc si convenit de solvendo pretio rigoroso, dari nequit invito creditori medium, vel infimum; & si convenit de auro solvendo, fieri nequit solutio in argento &c.

3 Solvere debet eo in loco, iisque expensis, super quibus in contractu expressè, vel tacitè convenit. Et quidem, quando explicitè designatus est locus solutionis, difficultas esse non potest; quia tunc hoc ipso, quòd in contractu, etiam in obligationem locus ille deducitur. Si nullus solutioni destinatus est locus, ea facienda ibi est, ubi merx Emptori tradita est, sive emptio ibi sit celebrata, sive non; quia tunc congruentior alius locus assignari non potest, quòd vix in alio æquè benè observari æqualitas pretium inter, & mercem possit. 163

4 *Solvere* debet die illo, qui solutioni in contractu præfixus est: & hoc verum est, quamvis Venditor solutionem

nem non urgeat; quia dies interpellat pro homine *c. fin. de locat. & conduct. l. magnam* 12. *C. de contrah. & committ. stipul.* Si nullus præfixus est dies, interest, utrum Emptorem Venditor pro solutione interpellaverit, vel non; nam *si primum*, statim in mora constituitur Emptor; quia notissimi Juris est, quòd in obligationibus puris, quæ appositum certum tempus satisfactionis non habent, præsenti die, & hora, debeatur §. *omnis* 3. *Inst. de V. O. l. eum, qui* 41. *princ. &* §. *quotiens* 1. *ff. eod. l. si dies* 21. *ff. quand. dies legat. ced. Si secundum*, potest Emptor solutionem differre, usque dum exigatur, prout colligitur per argumentum à sensu contrario ex *l. magnam cit.* & ratio est, quia eo casu Emptor censetur in dilationem consentire. *Excipitur*, si non petat ex ignorantia, timore, impotentia, desperatione obtinendæ solutionis, vel alia simili causa; quia tunc præsumptio consensus in dilationem cessat, & cons. statim solvere Emptor debet; aliàs in mora constituetur, ut teste P. Friderich *tr. de Empt. Vend. n.* 692. communis DD. tradit.

165 5 Si Emptor fuerit in mora culpabili solvendi pretium tempore præscripto, vel quo exigitur, tenetur perinde, ac Venditor, si iste mercem debito tempore non tradat, non tantùm de dolo, & culpa lata, sed etiam de levi *l. custodiam* 3. & *l. si vendita* 11. *ff. de peric. & commod. rei vendit.* Quin si in mora solvendi sit post mercem sibi traditam tenetur ad usuras pretii *l. Julianus* 13. §. *veniunt* 20. *ff. de action. empt. l. curabit* 5. & *l. fructus* 13. *C. eod.* Dixi *ad usuras*; non verò ad omne lucrum, quod Venditori ex mora Emptoris cessat, prout statuitur *l. fin. ff. de peric. & commod. rei vendit.* Quare satisfaciet Emptor præstando usuras quincunces, seu quinque pro centum, licèt Venditor ex soluto pretio potuisset lucrari decem. Quo titulo imperata sit debitori moroso usurarum solutio, dissident inter se se DD. & horum aliqui cum Covar. *l.* 3. *var. c.* 4. *n.* 3. Fachin. *l.* 2. *contr. c.* 32. Molin. *tr.* 2. *de Just. D.* 368. *n.* 9. Barbos. *in l. si mora* 20. *ff. solut. matr. n.* 73. Berlich. *p.* 2. *concl.* 38. *à n.* 13. putant esse compensatorias fructuum. Alii cum Rebell. *p.* 2. *de Just. l.* 9. *q.* 16. *sect.* 1. *n.* 11. Pal. *tr.* 32. *D.* 5. *p.* 25. *n.* 9. Carpz. *p.* 2. *const.* 30. *def.* 6. existimant esse lucrativas, ac statutas in pœnam morosi debitoris, ex quo inferunt, ante sententiam Judicis eas non debeti. Quidquid sit, circa obligationem Usuratum per Leges *citt.* impositam Emptori.

166 *Certum est* 1. si Venditor fidem de pretio habet, & solvendi dilationem concedit, absque pacto de dandis Usuris, Emptorem ad has solvendas tempore solutionis non teneri. Ita cum communi Covar. *l. cit. n.* 4. *vers. sextò ex his*, & consentit Tribunalium praxis. Ratio patet, quia tali casu censetur renuntiare favori sibi per *ll. citt.* concesso. 2. *certum est*, posse Venditorem, licèt moram solvendi concedat, pacisci licitè de solvendis sibi Usuris, usque dum satisfiat solutione pretii: sed hoc non ex alio capite, quàm lucri cessantis, damni emergentis, aut periculi de non obtinendo pretio; & hinc justè majores exigere usuras nequit, quàm sit ipsum lucrum cessans, damnum emergens, & periculum amittendæ solutionis. Ita cum Paul. Castrens. Decio, Alexandro, Carolo Molinæo, & aliis tradunt Covar. *loc. cit.* Molin. *D.* 368. *n.* 17. Fachin. *c.* 32. *vers. verùm* quibus ostenditur, quòd ex capite lucri cessantis, damni emergentis, & periculi amittendæ solutionis possit augeri pretium. DD. qui contrarium tuentur, explicari possunt de casu, quo Venditori nullum cessat lucrum, nec damnum emergit, nec periculum aliquod notabile imminet amittendi pretii; nam hoc casu certum est Usuras à Venditore, qui in dilationem solutionis consentit, peti non posse. 3. *Certum est*, si non intersit Venditoris, pretium non fuisse statim solutum, Emptorem ipsi etiam vi *ll. citt.* non teneri ad præstandas Usuras; quia Leges istæ usuras ab Emptore exigunt præcisè ratione ejus, quod Venditoris interest. Quando autem istius interest, nisi aliter conventum sit, Emptor tantùm ad Usuras justas, quæ apud nos hodie quicunces sunt, obligatur, & hoc verum est, sive Venditoris intersit pluris, sive paucioris; quia hanc quantitatem statuerunt Jura ad tollendam incertitudinem, quæ ex difficultate probandi id, quantum interest, oritur.

167 Quæritur 3. cui res vendita intereat, vel deterioretur, Emptori, an Venditori? *Certum est*, Emptori perire, vel deteriorari, si periit, vel deterior facta est post factam ipsi hujus traditionem, aut postquam per ipsum stetit, quo minùs traderetur. Gomez *l.* 2. *var. c.* 2. *n.* 32. Less. *l.* 2. *de Just. c.* 21. *n.* 95. Pal. *tr.* 32. *D.* 5. *p.* 14. *n.* 1. Pirh. *hic n.* 48. Wiest. *n.* 33. & expressè statuitur *l. lectos* 12. & *l. quodsi* 14. *ff. de peric. & commod. rei vendit.* Neque refert, etsi Emptor pretium nondum solverit, modò fides de eo habita fuerit, ut prædicti notant: & ratio est, quia per traditionem translatum est dominium in Emptorem; res autem domino perit *l. pignus* 9. *C. de pignor. act.*

Majus dubium est, quando res empta nondum tradita Emptori est; nam tunc illam interire, vel deteriorari Venditori multiplex videtur Argumentum suadere. 168
1. Quia tali casu Venditor adhuc est dominus rei venditæ *arg. l. traditionibus* 20. *C. de pact.* cùm ergo, ut dictum est *n. præc.* res domino suo pereat, eo casu damnum ad Venditorem pertinere debebit. 2. *l. si fundus* 33. *vers. nam & si ff. locat.* Venditor casu, quo fundus post venditionem perfectam publicatus est, pretium illius restituere jubetur: quod malè fieret, si non ad ipsum, sed ad Emptorem jactura rei venditæ pertineret. 3. *l. si soluturus* 39. *vers. his consequens ff. de solution.* à generali regula, quòd periculum pertineat ad Venditorem, excipitur casus, quando merx deposita fuit apud eum, quem emptor elegit: & hoc ideo, quia sibi imputare debet, quòd talem elegerit. atqui exceptio firmat regulam in casibus non exceptis. 4. *l. quodsi* 14. §. *materia* 1. *ff. de peric. & commod. rei vendit.* Paulus Jurisconsultus respondet, quòd *materia empta, si furto periisset, postquam tradita esset, emptoris sit periculo; si minùs, venditoris.* 5. *l. lectos* 12. *ff. eod.* ubi idem Paulus, *lectos emptos*, ait, -- *si traditi essent emptori, aut per eum stetisset, quò minùs traderentur, emptoris periculum esse.* igitur per argumentum, à contrario, si res empta non est tradita, nec per emptorem stetit, quo minùs traderetur, peribit venditori.

Sed his non obstantibus, dicendum, si res certa, & determinata, eaque absolutè sit vendita, illam casu, quo ante traditionem perit, aut deterior efficitur, modò sine culpa Venditoris hoc fiat, & is non fuerit in culpabili mora, interire aut deteriorari emptori, non venditori. Ita apertè decisum habetur §. *cùm autem* 3. *Inst. hoc tit. l. quod sæpe* 35. §. *si res* 4. *ff. de contrah. empt. l. necessariò* 8. *pr. ff. & l. post perfectam* 1. *& seqq. C. de peric. & comm. rei vendit.* Ratio est, quia æquitati, & rationi naturali omnino congruum est, ut ad quem accessiones, & fructus rei spectant, etiam detrimenta, & damna pertineant *Reg. secundùm* 10. *ff. & Reg. qui sentit* 15. *in* 6. atqui ad Emptorem, etsi nondum tradita sit ipsi res ex emptione debita, tamen fructus, & accessiones illius pertinent, ut *n.* 177. infrà dicetur. ergo &c. Ex quo sequitur, etsi res empta apud Venditorem, sine culpa tamen ejusdem perierit, & deterior facta sit, emptorem tamen idcirco non absolvi ab obligatione solvendi totum condictum pretium, vel si solvit, non posse idcirco illud repetere. §. *cùm autem cit.* & *l. cùm emptor* 5. §. *fin. ff. de rescind. Vendit.* 169

Dixi autem, *si res certa, eaque absolutè sit vendita, & intereat sine culpa Venditoris, regulariter ad Emptorem periculum rei venditæ pertinere.* Nam plures sunt casus, in quibus periculum rei nondum traditæ pertinet ad Venditorem. 170

Et 1. quidem, si contractu expressè conventum fuit, ut periculum ad Venditorem spectaret §. *cum autem cit.* & *l. si in venditione* 10. *ff. de peric. & commod. rei vend.* ubi ejusmodi pactum venditioni adjectum approbatur.

2 Si Venditor fuit in mora culpabili tradendi rem venditam *l. illud* 17. *ff. eod. Excipitur*, nisi constaret, rem eodem modo fuisse perituram, vel deteriorem reddendam apud Emptorem, si ei fuisset tradita; item si Emptor ipse post moram Venditoris, in mora fuisset recipiendi rem emptam à venditore sibi oblatam; tunc enim Emptori peribit, quia semper res perit ei, qui ultimò est in mora culpabili *l. illud cit.*

3 Si res vendita, nondum tradita, dolo, vel culpa lata, aut etiam levi venditoris periit, vel deterior facta est, eò quòd ille ad custodiam rei venditæ non adhibuerit diligentiam exactiorem, h. e. talem, qualem in rebus suis custodiendis adhibere exactiores solent §. *cum autem cit. l. quod sæpe* 35. §. *si res* 4. *ff. de contrah. empt. l. venditor* 36. *ff. de act. empt. l. custodiam* 3. *& l. si vendita* 11. *ff. de peric. & commod. rei vendit.* quibus Juribus statuitur, quòd venditor debeat in re nondum tradita eam diligentiam adhibere, qualem diligens Paterf. suis rebus adhibet, ideoque tenetur etiam de culpa levi, non autem de levissima. 171

4 Si res vendita ante traditionem publicetur, sive confiscetur ob delictum venditoris *l. si fundus* 33. *ff. locat.* Gloss. *in* §. *cum autem cit. V. statim.*

5 Si venditor aliquid affirmavit, quo emptor sibi jure persuasit, rem diutiùs duraturam, & in eadem bonitate per-

permansuram, & tamen illa ante traditionem mutetur *l. si vina* 15. *ff. de pericul. & comm. rei vend.*

1 6 Si res sit vendita sub conditione, & ea pendente, pereat *l. necessario* 8. *pr. V. & si id ff. locat.* & *l. cum speciem* 5. *C. eod.* Ratio est, quia ante impletam conditionem non est perfecta venditio, & interitu rei venditæ contractus dissolvitur. Aliud dicendum, si res empta adhuc extat, & deterior facta est; nam si hoc contigerit sine culpa venditoris, damnum deteriorationis, quod pendente conditione contigit, spectabit ad Emptorem, quòd conditione impleta, contractus retrotrahatur ad tempus, quo fuit initus: & hinc sicut si absolutè fuisset initus, damnum rei venditæ pertinuisset ad emptorem, ita etiam si fuit initus conditionatè.

7 Si vinum, aut equus venditus est ad futuram explorationem; nam ante vini degustationem, & equi probationem venditio non censetur esse perfecta, & sic periculum rei nondum ad Emptorem pertinet *l. si vinum* 1. *pr.* & *l. si quis vina* 4. *pr.* & §. *si aversione* 1. ante *ff. eod.* conf. si interea vinum acuerit, vel equus aliquod vitium contraxerit, damno venditoris contingit.

13 8 Si venditio contrahatur in scriptis, & res casu fortuito pereat, vel deterior fiat, antequam venditio in scriptum redacta sit. Colligitur *arg. l. cum inter* 4. *Cod. eod.* à sensu contrario: & ratio eadem est, quæ in prioribus; quia ante perfectam, & absolutam scripturam necdum perfecta est venditio.

9 Si vendatur res indeterminata v. g. decem mensuræ vini ex certo dolio, quatuor libræ piperis ex sacco, viginti modii frumenti ex acervo, septem oves ex grege &c. ob eandem rationem; nam neque hoc casu perfectus esse censetur contractus, sed suspensus est, donec res vendita sit adnumerata, admensa, appensa *l. quod sæpe* 35. §. *in his* 5. & §. *sed etsi* 7. *ff. de contr. empt. l. cùm convenit* 2. *C. de peric. & commod. rei vend.*

14 10 Si vendatur quidem res determinata, sed alternativè v. g. Stichus, vel Pamphilus; tunc enim, si unus eorum moriatur ante traditionem, Venditori perit: si verò uterque, primus perit venditori, alter emptori *l. si in emptione* 34. §. *si emptio* 6. *ff. de contrah. empt.* Ratio est, quia si uterque adhuc superstes sit, nondum perfecta est venditio ante determinationem disjunctivè debitorum; at cùm unus periit, alter superstes emptori determinatè debetur, conf. etiam periculo illius perit, sicut periculo ipsius vixit. Idemque est in quibuscunque aliis rebus sub disjunctione venditis; sola enim ultima perit emptori, priores verò venditori. Molin. *tr.* 2. *de Just. D.* 366. *n.* 10.

15 Neque contrarium probant Argumenta *num.* 168. allata. *Ad* 1. etsi aliàs casus fortuitus, qui prævideri non potuit, ad dominum rei regulariter spectet juxta *l. pignus* 9. *C. de pignor. act.* quia tamen simul, atque perfectus contractus emptionis venditionis est, emptor actionem personalem ad rem sibi venditam petendam habet, statim fictione Juris censebitur fieri ejusdem dominus juxta *Reg.* 15. *ff.* ibi, *Is, qui actionem habet, --- ipsam rem habere videtur:* cui concordant *l. id apud se* 143. *ff. de V. S.* & *l. si quis* 28. *in fin. ff. de negot. gest.* *Ad* 2. distinguendum est inter periculum, seu damnum facti, & Juris: periculum, seu damnum facti ad emptorem, Juris ad venditorem pertinet: & tale esse dicitur illud, quando à Jure impotentia tradendi rem emptam provenit, sicut provenit in casu *l. si fundus alligatæ*, ubi fundus est publicatus. *Ad* 3. lex illa non favet Adversariis; nam juxta illam emptori perit pretium, quia ipse elegit, apud quem perit; & perit etiam eidem merx, quia contractus est perfectus. *Ad* 4. *lex cit.* non loquitur de re vendita in specie, sed de genere vendito, quo casu, periculo ad venditorem spectat, cùm genus non pereat. *Ad* 5. lex loquitur de casu, quo lecti empti relicti à venditore sunt in via publica, & sic culpa ipsius perierunt, quia non fuerunt debito modo custoditi.

76 Quæritur 4. cui debeantur fructus rei venditæ, & nondum traditæ? Resp. hic videndum, an de his convenerit inter contrahentes, vel non. *Si convenit*, standum conventione est *l. qui fundum* 40. §. *fundi* 3. *ff. de contrah. empt. l. Julianus* 13. §. *si fructibus* 10. *ff. de act. emption.*

Si nihil circa fructus à contrahentibus dispositum est, videntur pertinere ad venditorem. 1. Quia quælibet res fructificat domino suo. Venditor autem ante traditionem adhuc est dominus rei venditæ. ergo &c. 2. Contractus emptionis venditionis est mutuus, & reciprocus, quem cùm una pars non implet, nec altera implere tenetur.

Ergo si Emptor non solvit pretium, ejusque usum, & commodum non concedit, ad quod jure Contractus tenebatur, etiam excusabitur Venditor à traditione rei venditæ, & fructuum ejusdem. 3. Juxta *l. Julianus* 13. §. *offerri* 8. & §. *seq. l. qui pendentem* 25. *ff. de act. empt. l. curabit* 5. & *l. post perfectam* 16. *C. eod.* non aliter fructus ad Emptorem pertinent, quàm si & ipse pretium omne persolverit; alias fructibus simul, & pretii commodo frueretur, iisdem privaretur Venditor, quod æquitas non patitur.

Difficultas solvi ope distinctionis potest. Vel enim nati, & collecti fructus isti sunt ante Emptionem Venditionem perfectam, quia v. g. Venditor noluit eam esse ratam, quousque sibi traderetur pretium, vel post illam perfectam, & absolutè contractam. *Si primum*, fructus rei venditæ, sicut & periculum ad Venditorem pertinet, prout certum est apud omnes. *Si secundum*, distinguunt plerique inter fructus naturales pendentes, & inter non pendentes, sed primùm post perfectam venditionem natos. *Priores* ad Emptorem spectare communis DD. tradit cum Covar. *l.* 1. *var. c.* 15. *n.* 2. Gomez *tom.* 2. *var. c.* 2. *n.* 11. Molin. *D.* 368. *n.* 13. Rebell. *p.* 2. *de oblig. Just. l.* 9. *q.* 16. *n.* 1. Less. *l.* 2. *de Just. c.* 21. *n.* 100. Laym. *l.* 3. *tr.* 4. *c.* 17. *n.* 17. Card. de Lug. *de J. & J. D.* 26. *n.* 209. Gibalin. *l.* 4. *de negot. art.* 7. *consect.* 2. *n.* 2. Struv. *Synt. Jur. exercit.* 23. *th.* 103. P. Friderich. *de Empt. Vend. n.* 735. Ratio est, quia fructus pendentes sunt pars rei venditæ *l. fructus* 44. *ff. de R. V.* conf. uno, ac indivisibili pretio cum re, cujus sunt fructus, emuntur. 177

Circa *posteriores*, fructus sc. non pendentes, sed post perfectam primùm venditionem natos inter se DD. dissident; nam eos, antequam traditio facta sit, & fides de pretio habita, Venditori deberi ex rationibus *n.* 176. allatis contendunt Covar. *l.* 1. *var. c.* 15. *n.* 2. & *l.* 3. *c.* 4. *coroll.* 14. Molin. *tr.* 2. *D.* 368. *n.* 8. Rebell. *p.* 2. *de oblig. Just. l.* 9. *q.* 16. *à n.* 6. Mynsing. *cent.* 4. *obs.* 56. & alii Legistæ passim. Sed Emptori etiam istos attribuunt Sylv. *V. usura* 2. *q.* 11. Armill. *ibid. n.* 15. Lopez *de Contract. c.* 36. *ad* 1. Pal. *tr.* 32. *D.* 5. *p.* 26. *n.* 4. Less. *n.* 109. Laym. *n.* 18. Gibalin. *n.* 3. P. Friderich. *n.* 739. & communior TT. quos ex Legistis cum Fridero, Arnoldo Rath, & aliis sequitur Harpprecht *in* §. 3. *Inst. hoc tit. n.* 32. etiamsi nec traditio rei venditæ facta sit, nec fides de pretio habita: quod colligi videtur ex *l. Julianus* 13. §. *si quid* 18. *ff.* & *l. fructus* 13. *C. de act. empt.* quæ Jura fructus Emptori attribuunt, nullo facto discrimine inter existentes tempore Contractus, & nascituros, ac inter casum, quo solutum est pretium, aut fides de eo habita, & quo non est habita. Et probat hoc etiam ratio; quia æquitas postulat, ut ad quem rei venditæ periculum, & damna spectant, ad eundem etiam pertineant commoda ejusdem, & fructus. Atqui ut ipsi Adversarii fatentur, rei emptæ, & nondum traditæ periculum, & damna ad Emptorem spectant. ergo &c. *Conf.* hæc ratio: nam ideo periculum, & damna rei venditæ spectant ad Emptorem, quia hæc ipsi debetur, & quamvis reipsa illius ante traditionem nondum effectus sit dominus, tamen fictione Juris quasi dominus ejusdem reputatur, cùm avocare illam ad libitum suum valeat, hoc autem probat etiam commoda illius, ac fructus ad Emptorem spectare. ergo &c. 178

Quod de fructibus naturalibus dictum est, etiam dicendum de Civilibus, ut sunt pensiones ædium, hortorum, prædiorum &c. Sed cum aliqua distinctione: Vel enim res, e. g. ædes locatæ sunt post venditionem perfectam à Venditore, vel ante illam, ita tamen, ut post eam adhuc duret locatio. *Si primum*, pensiones ex illa re integræ debentur Emptori *l. Julianus* 13. §. *item si quid* 13. *ff. de act. empt.* *Si secundum*, merces locationis pro rata temporis dividenda est inter Emptorem, & Venditorem: & ea pars, quæ respondet tempori ante venditionem, est venditoris: quæ verò respondet tempori venditionem consequenti, debetur emptori *arg. l. Julianus* §. *item citt.* Idem dicendum est de pensione, quæ debetur ex fructibus; nam si omnes collecti sunt post venditionem, tota pensio Emptoris erit; si omnes ante venditionem, tota cedet Venditori; si partim ante, partim post venditionem, dividenda est pensio pro rata fructuum perceptorum. 179

Excipitur Venditio, qua fiscus vendit rem alteri locatam; tunc enim Emptoris est tota pensio, cujus solvendæ dies nondum advenerat, etsi conductor ex re locata perceperit partem fructuum ante venditionem *l. fin. ff. de jur. fisc.* quod privilegium, cùm speciale sit, ad alios Emptores extendi non debet. E contrario is, qui emit à fisco, tenetur stare contractu locationis, quo fiscus ad modicum tempus rem locavit, ut tradit communis DD. In quo iterum est dispar ratio ementis à fisco, & aliorum emptorum, ac successorum particularium; 180

rium; hi enim non obligantur colono, aut alteri conductori servare locationem à venditore factam *l. emptorem 9. C. de locat.* & *l. si merces 25. §. fundum 1. ff. eod.* nisi in triplici casu. 1. Quando res vendita fuit ea conditione, ut Emptor staret locatione venditoris *l. Emptorem cit.* 2. Si locata fuerit res ad decennium *arg. l. Prætor 1. §. quod ait 3. ff. de superficieb.* 3. Si res locata conductori obligata sit ad securitatem generali, aut speciali Hypotheca.

181 Neque obstant Argumenta *num.* 176. allata. *Ad* 1. quælibet res fructificat domino suo, cùm alteri non est debita; secus verò, si alteri debita sit; nam eo casu sicut debita est, sic etiam illius fructus ei debentur. *Ad* 2. ex hoc, quòd Contractus Emptionis Venditionis sit reciprocus, ac proinde Emptori, nolenti solvere pretium, neque venditor teneatur tradere mercem, non sequitur, quòd Emptori non debeantur fructus; sunt enim debiti; sed tradendi tum primùm, cùm iste se paratum ad pretium solvendum ostenderit. *Ad* 3. ex iis Legibus solùm probatur, quòd interea, dum pretium solvat Emptor, pignoris loco & mercem, & fructus illius retinere venditor possit. Quodsi merx jam tradita est, ne inde damnum patiatur venditor, sufficienter cautum per hoc est, quòd Emptor, moram in solvendo faciens, obligetur venditori ad satisfaciendum damnis provenientibus ex dilatione solutionis.

182 Quæritur 5. ad quem pertineant Accessiones rei venditæ? Resp. distinguendo: Vel enim talia sunt, ut solùm accedant rei venditæ per accidens, ita, ut nec artis, nec hominum destinatione ad se invicem ordinata, & connexa, sed simultate merè extrinseca simul posita sint; vel contrà talia, ut per modum partis, aut complementi, vel necessariæ cujusdam sequelæ, & effectus conjungantur, & unum quodammodo per se, in communi saltem sensu, & æstimatione efficiant, neque per se singula stent, sed per connexionem unum sit quid alterius, ita, ut uno posito, vel ablato, alterum necessaria quadam consecutione vel physica, vel morali poni, vel tolli debeat. *Priora* non censentur hoc ipso vendita, quando res, cui accedunt, est vendita; censentur autem, nisi aliter conventum sit, cum re vendita illa; quæ sunt accessoria *posterioris* generis: nam hæc propriè accessoria sunt; ac proinde in his solis locum habet generalis, & recepta regula, quam *l. cùm aurum 19. §. perveniamus 13. ff. de aur. arg.* Ulpianus tradit, ibi *Accessio cedit principali.*

183 Ex quo, sequitur 1. Emptori domus cum domo empta cedere etiam, quæ terræ, parietibus, & muris affixa, instructa, injecta sunt, *alles, Bas Erd-Nied-und Naglvest ist*, si tamen ita terræ, vel muris affixa sunt, ut propter ædes sint, & extra illas, ac seorsim utilitatem non afferant; nam cistæ, gutturnia, lecticæ, candelabra, picturæ &c. tametsi clavis parieti affixæ sint, quia extra ædes, & seorsim utilitatem habent, non cedunt ædibus *l. fundi 17. §. reticuli 4. ff. de action. empt.*

2 Cum fundo debentur emptori Instrumenta authentica litterarum, ad fundum pertinentia, quibus videlicet fundi jura declarantur: & quidem, ut Salycet. *in l. 24. C. de fideicomm.* cum aliis notat, exhiberi illa debent in originali, nisi venditoris intersit retinere originalia, puta, quia tenetur de periculo evictionis; nam hoc casu sufficeret, si copia describendi fiat. Gloss. *in l. Titius 48. ff. de act. empt.* Coler. *p. 2. decis.* 224. *num.* 1. Schneidewin. *in §. 28. Inst. de action. Rubr. de act. empt. n.* 39. P. Friderich. *tr. de empt. vend. n.* 787.

3 Vendito Castro ad emptorem transeunt etiam Jura annexa castro, & ipsum etiam jus Patronatus, ita tamen, ut intuitu istius Juris pretium augeri nequeat; quia aliàs censeretur vendi ipsum Jus patronatus, quod fieri non potest, cùm sit spirituale, vel saltem spirituali annexum, ut contra Garc. *p.* 5. *de benef. cap.* 9. *n.* 35. communis DD. notat.

4 Qui vendit ovem, vaccam, equam &c. simul etiam vendit fœtum editum, si is à lacte nondum depulsus sit: secus, si jam depulsus à lacte sit; tunc enim censetur per se subsistere, & non ampliùs accessoriè adhærere matri, ut in casu priore. Gomez *tom. 2. var. c. 2. à n.* 12. cum aliis.

5 Equo vendito, etiam emptoris fit ejusdem paratus, & ornamenta, ut frænum, ephippium, phaleræ, dorsuale stratum &c. si in ipsa venditione iis ornatus fuerit, sive eo animo imposita, ut sic ornatus inspiceretur, sive alia ex causa: secus, si jumentum nudum ostensum fuerit *l. ædiles 38. princ. ff. de ædil. edict.* Ratio est, quia in priore casu ornamenta illa sunt accessiones jumenti venditi, non item in posteriore. Plura vide apud P. Friderich. *n.* 775.

§. VIII.

De Læsione in Contractu Emptionis Venditionis, & hujus Remediis.

SUMMARIUM.

Quæritur 1. an in rerum venditione contrahentes se mutuò circumvenire valeant? Putarunt DD. aliqui, in hac, si læsio sit infra dimidium justi pretii, licitè contrahentes se invicem posse lædere, inducti duplici textu Juris Civilis, quorum *primus est in l. causæ 16. §. idem Pomponius 4. ff. de minor.* ubi *cit.* JCtus ait, *In pretio emptionis, & venditionis naturaliter licere contrahentibus se circumvenire.* *Alter* est *l. item si pretio 22. §. quemadmodum 3. ff. locat.* ubi Paulus Jurisconsultus, *Quemadmodum*, inquit, *in emendo, & vendendo naturaliter concessum est, quod pluris sit, minoris emere, quod minoris sit, pluris vendere, & ita invicem se circumscribere, ita in locationibus quoque, & conductionibus Juris est.* 184

Verum hæc sententia repugnat. 1. sanæ Theologiæ principiis, juxta quæ is, qui alterum in pretio, etiam infra dimidium, graviter læsit, ad restitutionem residui in conscientia indubitatè obligatur. 2. Adversatur præceptis Juris Divini, per Apostolum promulgati, dum 1. *Thess. c. 4. v. 6.* ait: *Ne quis supergrediatur, & circumveniat in negotio fratrem suum, quoniam vindex est Dominus.* 3. Est contra insitam à natura nostris mentibus legem Charitatis, & Justitiæ, exposcentis, ut in contractibus observemus æqualitatem, exhibendo pro re empta justum pretium. Ut adeò meritò S. Aug. *l. 13. de Trin. c.* 3. dicat, utrumque vitium esse, velle vili emere, & carè vendere, sive pro re minus, quàm valet, dare, aut justo valore plus accipere. 185

Neque obstant textus allati in contrarium; quia in his quæ sunt de peccato vitando, si hoc Jura Civilia approbent, curari non debent. Deinde, ut bene notat Pal. *tract.* 32. *D.* 5. *p.* 17. *§.* 2. *numer.* 4. Brunnem. *in l. causæ citat. numer.* 11. *& duob. seqq.* Haun. *tom. 4. de Just. tract.* 10. *numer.* 162. Pirhing *hic numer.* 26. Wiestner *numer.* 55. intelligi hi textus possunt, non quòd ejusmodi circumventionem tanquam licitam approbent, sed quòd ad pacem, & tranquillitatem in humana societate faciliùs conservandam, & avertendam litium multitudinem venditori, infra dimidium justi pretii læso, non concedant actionem adversùs emptorem, à quo sic læsus est: & hoc dicti textus non tam statuunt, quàm supponunt, tanquam Jure naturali secundario, h.e. gentium introductum; nam ut Brunnem. Haun. Wiest. *l. citt.* advertunt, vix ulla, & fortasse nulla gens est, quæ ob quamvis, etiam minimam, læsionem in pretio ad eam emendandam conventionem Judicialem dedit. 186

Quæritur 2. an, & quo remedio succurratur Venditori, quando is in Venditione ab Emptore læsus est? Videtur, 187

tur, non mereri aliquod remedium, quo ipsi succurratur; quia, ut sumitur ex *l. quisquis 15. C. de rescind. vend.* rei suæ valorem præsumitur scire, ac proinde, si eandem, nulla cogente necessitate, nec vi, aut metu ad hoc coactus minore pretio vendat id, quod justo pretio deest, donare censetur, atqui is, qui rem suam minori, quàm valet, pretio vendit animo donandi, quod deest, si ad contractus rescissionem agat, non auditur *l. si quis* 38. junct. Gloss. *marg. ff. de contrah. empt.* ergo &c.

Sed distinguendum inter læsiones, an sit infra dimidium justi pretii, an verò ultra dimidium. *Si sit infra dimidium justi pretii*, emptor quidem, si graviter læsit venditorem, ad pretii defectum supplendum sub gravi cogitur, prout habet certa TT. sententia. Venditio tamen valida est, nec propterea læso Venditori aut ad contractus rescissionem, aut ad supplementum defectus pretii actio datur *arg. l. in causæ 16. §. idem Pomponius 4. ff. de minor. l. item si pretio 22. §. quemadmodum 3. ff. locat.* & statuitur *l. si voluntate 8. C. de rescind. vendit.* idque meritò, ut contractus inter homines majore fiducia celebrarentur, & evitaretur frequentia litium, quæ Reip. plurimùm noxia esse consuevit.

188 Dixi, *Non dari læso actionem*; nam etsi convenire lædentem coram Judice sic læsus nequeat, permissa tamen ipsi est Denuntiatio Evangelica, ut Judex Ecclesiasticus deceptorem, vel alium quemvis sic lædentem compellat ad resarcitionem damni, cùm Juri naturali, & Divino contrarium sit aliquem locupletari cum injuria, vel damno alterius. Imò non desunt casus, in quo Venditori læso infra dimidium etiam competit actio propriè dicta. Et talis est 1. si læsio proveniat ex fraude, seu dolo; nam eo casu actione doli petere potest, ut vel rescindatur contractus, vel suppleatur defectus pretii *l. Julianus, 13. §. si venditor 4. & §. idem Julianus 6. ff. de act. empt.* Covar. *l. 2. var. c. 4. n. 11.* Salas *tr. de Empt. dub. 27. n. 7.* Pal. *p. 17. cit. §. 3. n. 2.* 2. si pretium Lege taxatum est, quia tunc non quæritur de læsione, sed de transgressione Legis, qua pretium merci statutum est; pertinet autem ad Judicem, ut compellat observari Leges. igitur eo casu læsus petere ab eo satisfactionem actione instituta poterit. Covar. *num. 11. cit.* Salas *n. 5.* Pal. *n. 3.* 3. ut quidam volunt, si læsio intra dimidium contingat in contractu per Procuratorem celebrato. Sed longè verius est actionem eo casu non dari læso, nisi dolo Procuratoris, vel Emptoris id factum sit; quia nusquam habetur ob læsionem intra dimidium à Procuratore factam contractum rescindi. Pinell. *ad l. 2. C. de rescind. vendit. p. 2. c. 1. n. 15.* Fachin. *l. 2. contr. c. 29. post princ.* Pal. *§. 3. cit. n. 5.* 4. si læsio infra dimidium contingat in æstimatione dotis: quod Pinell. *in l. cit. p. 1. c. 1. n. 9. & 18.* Fach. *c. 29. cit. post med.* Pal. *n. 6.* deducunt ex *l. jure succursum 6. §. fin. & l. si res æstimata 12. §. si mulier 1. ff. de Jur. dot. l. si circumscripta 6. ff. solut. matr.* quibus Juribus conceditur actio ad reparandam inæqualitatem, neque exigitur, ut læsio sit ultra dimidium justi pretii. 5. si minor 25. annis intra dimidium in contractu deceptus fuerit; nam huic competit restitutio in integrum ratione minoris ætatis *tot. tit. ff. de minor. & Cod. de integr. restit.*

189 *Quodsi læsio contigit ultra dimidium justi pretii*, i. e. si nec dimidiam partem ejus, quod justum pretium mercis tempore contractus fuit, accepit Venditor, Contractus quidem etiam hoc casu valet. Venditor tamen læsus agere adversùs Emptorem potest, ut vel rescissa venditione, rem venditam restituat, vel justi pretii defectum suppleat, prout ipse Emptor maluerit. Ita statutum habetur *c. cum dilecti 3. & c. cum causa. 6. h. tit. l. rem majoris 2. C. de rescind. vendit.* Proceditque hoc, cujuscunque ætatis fuerit læsus, & in quacunque conditione, locumque habet, etsi bona fide utrimque celebrata Emptio Venditio fuerit, nec dolus, vel fraus ulla intervenerit: quo distinguitur læsio ultra dimidium facta ab ea, quæ facta est infra dimidium, ex qua tantùm actio datur in casibus *n. præc.* exceptis, in aliis negatur.

Dixi, *Prout ipse Emptor maluerit*; nam electio hoc casu est Emptoris, utrum malit rescindi contractum, & recipere pretium, an verò contractum valere, & addere supplementum, ut ex textibus *citt.* constat, & cum aliis rectè observat Pirh. *n. 22. & 23. hic.* Ratio est, quia Emptor, qui decepit solvendo minus ultra dimidium, quàm res valebat, est debitor; *electio autem in alternativis est debitoris, & sufficit alterutrum adimplere*, ut dicitur *Reg. 70. in 6.* sicut è converso electio est Venditoris, si deceptus sit emptor *l. rem majoris cit.* junct. Gloss. *V. elegerit.*

Neque obstat ratio dubitandi *n. 187.* allata; nam præsumptioni, quæ est de scientia valoris rei suæ, prævalet alia præsumptio, qua nemo censetur facilè jactare rem suam *c. cùm de indebito 25. ff. de probat.* igitur nisi animus donandi excessum pretii aut expressis indicetur verbis, aut ex circumstantiis colligatur, v. g. quòd Emptor consanguineus, vel amicus singularis Venditoris sit, animus donandi præsumetur abesse in eo, qui rem suam à se vendi asserit: & hinc si minore pretio vendat, censebitur magis pretium rei sic venditæ ignorasse. Abb. *in c. cùm causa cit. n. 6.* Covar. *l. 2. var. c. 4. n. 2.* Menoch. *l. 6. præsumpt. 43. n. 36.* Laym. *l. 3. tr. 4. c. 17. n. 6.* Pirh. *hic n. 24.* Wiest. *n. 59.* 190

Quæritur 3. an etiam Emptori, si à Venditore læsus sit ultra dimidium justi pretii, hoc remedium Jura concedant? *Ratio dubitandi est* 1. quia textus *n. 189. citt.* tantùm loquuntur de læsis Venditoribus. 2. Jure veteri inspecto ne quidem Venditori decepto succurrendum esset. igitur cùm Jura antiqua per novum Jus tantùm correcta fuerint quoad Venditorem, id extendendum non erit ad Emptorem. 3. non est eadem ratio subveniendi Emptori, qui plerumque ultro ad emendum accedit, quæ Venditori, quem plerumque rei familiaris necessitas cogit pretio minore vendere. 4. nihil causæ est, cur emptoris misereamur, cùm hujus stultitiæ imputandum sit, quòd cariùs emerit *l. alienus 61. ff. ad Leg. Falcid.* 191

Sed adhuc dicendum, etiam emptorem tali casu debere restitui, ita, ut vel rescindendus sit contractus, vel justum pretium supplendum pro arbitrio Venditoris, qui læsus est. Abb. *in c. cùm dilecti 3. h. tit. num. 2.* Pinell. *in l. 2. C. de rescind. vend. p. 1. c. 2. & 3.* Gutier. *l. 2. pract. q. 123. n. 2.* Molin. *tr. 2. D. 349. num. 1.* Laym. *l. 3. tr. 4. c. 17. n. 6. vers. at verò circa fin.* Pal. *tr. 32. D. 5. p. 17. §. 4. n. 2.* P. Pirh. *n. 25. hic*, Zoes. *n. 16.* P. Engl *n. 15.* P. Konig *n. 44.* P. Wiest. *n. 60. ibid.* P. Friderich. *tr. de Empt. n. 905.* & colligitur *arg. c. cùm dilecti, c. cùm causa, & l. rem majoris cit.* quamvis enim in his textibus mentio tantùm fiat de Venditoribus læsis, tamen æquitas, & æqualitas, quæ inter contrahentes servari debet, meritò postulat, ut etiam Emptori ultra dimidium læso per idem remedium succurratur, ne contractus ex una parte claudicet. 192

Atque hinc cadit *prima ratio dubitandi* in contrarium: nam Venditor, & Emptor sunt correlativa; in correlativis autem, quod de uno disponitur, etiam extendi debet ad alterum *l. fin. C. de indict. Viduit.* saltem cùm eadem est utriusque ratio; est autem eadem in Emptore, quæ in Venditore ultra dimidium læso, imò major in illo, quàm in isto, cùm ille rem suam vendat, iste emat rem alienam; veri autem valoris rei alienæ, quàm suæ tolerabilior ignorantia est *arg. l. quisquis cit.* ibi, *Familiaris rei scire vires, vel merita, atque emolumenta antè debuerat. Ad 2.* longè probabilius est, quòd etiam Jure antiquo subventum fuerit Venditori, ut benè ostendit Harpprecht *in §. fin. Inst. h. tit. n. 90. & seq.* idque ipsa æquitas naturalis postulabat, ut indicant Impp. *l. rem majoris cit. Ad 3.* innumeri vendunt, nulla cogente necessitate domestica, sed utilitatis solùm, & quæstus causa: contrà non pauci emunt, ad id necessitate inducti. *Ad 4.* id longè majori jure de Venditore dici potest, cùm ut paulò antea dictum est, pronius sit ignorari valorem rei alienæ, quàm propriæ. 193

Quæritur 4. quando ultra dimidium læsus censeatur Emptor, vel Venditor? Omnes conveniunt, læsionem ultra dimidium ex parte Venditoris contingere, si rem, quæ valet 100. fl. vendat 49. vel minoris, non autem, si 50. vel pluris: & patet ex *l. rem majoris cit.* 194

Major est controversia de Emptore. Gloss. *in l. rem majoris cit. V. Judicis, vers. sed quæ est hæc dimidia*, Covar. *l. 2. var. c. 3. n. 8.* Gomez *tom. 2. var. c. 2. num. 22.* Gutier. *pract. l. 2. q. 133.* Molin. *tr. 2. D. 349. num. 2.* Less. *l. 2. c. 21. num. 20.* Laym. *l. 3. tr. 4. c. 17. num. 7.* Pal. *tr. 32. D. 5. p. 17. §. 1. num. 3.* P. Pirh. *hic num. 25.* P. Reiffenstuel *ibid. à num. 336.* P. Friderich *tr. de Empt. Vend. n. 914.* P. Schmier *tr. de pact. & contr. c. 2. num. 234. & seqq.* & non pauci alii DD. præsertim TT. & Canonistæ Hispani putant Emptorem tunc ultra dimidium censeri læsum, & cons. agere ad rescissionem contractus, vel restitutionem excessus pretii posse, quando pro re, cujus justum pretium erant floreni ad summum 50. ipse exsolvit plusquam 75. *Ratio* ipsorum principalis est; quia in contractu reciproco, qualis etiam Venditio est, servanda æqualitas est, & quidem Arithmetica, seu absoluta inter contrahentes, cùm par sit utriusque ratio. hæc autem non servaretur, si Venditori, qui pro re va-

re valente 100. accepit minus, quàm 50. daretur actio ad rescindendam Venditionem, vel excessum pretii petendum, & non daretur hoc beneficium Emptori, qui pro re valente tantùm 50. expendit plusquam 75. ergo &c. *Conf.* læsio emptoris desumi debet ex pretio, quod emptor dedit, & læsio Venditoris ex pretio, quod accipere ipse debuit. igitur sicut Venditor, si accepit minus, quàm dimidium justi pretii, quod accipere debuit, læsus censetur ultra dimidium, ita & emptor, si dedit plus, quàm dimidium justi pretii pro re empta, quàm date debuit.

195 Sed quamvis hæc sententia æquitati sit maximè consentanea, accuratiùs tamen rem pervestiganti non iniqua videri potest contraria Cujacii *l.* 16. *obs. c.* 18. Abb. *in c. cùm dilecti* 3. *hoc tit. n.* 2. Pinell. *in l. rem majoris cit. par.* 1. *lib.* 2. *cap.* 2. *n.* 6. Fachin. *lib.* 2. *contr. cap.* 16. Perez *C. de rescind. vend. num.* 8. Fab. *de error. pragm. decad.* 8. *error.* 7. *num.* 7. Vvading. *de Contract. D.* 7. *dub.* 4. §. 4. *n.* 2. Zoes. *ad ff. de rescind. Vendit. n.* 6. Lauterb. *ibidem* §. 10. Echold. §. 1. Haun. *tom.* 4. *tr.* 10. *n.* 243. Vall. §. 3. *hic n.* 1. Konig *ibidem n.* 44. & non obscurè favet P. Vviest. *hic n.* 62. & hoc teste Jurisconsulti, præsertim Germani, juxta quos, ut emptor ex titulo læsionis ultra dimidium possit agere adversùs venditorem, requiritur, ut duplo plus solverit, quàm solvere debuerat v. g. pro re valente 50. solverit plus, quàm 100.

Rationem afferunt satis claram, & solidam; quia tunc solùm læso succurritur, quando plus, quàm duplum dedit, minus, quàm dimidium accepit. hoc autem contingit in venditore, si mercem valentem 100. vendat infra 50. in Emptore autem, si in rem, quæ tantùm valet 50. expendat plus, quàm 100. ergo &c. *Conf.* 1. quia læsionis magnitudo in emptione, & venditione desumi debet, facta comparatione dati, & accepti, ita, ut infra dimidium duntaxat læsus censeri debeat, qui ejus, quod dedit, plus, quàm mediam partem accepit, ultrà dimidium autem, si accepit minus, quàm mediam partem ejus, quod dedit. igitur si emptor accepit rem, cujus summum pretium sunt 50. ut læsus censeatur ultra dimidium, debuit pro illa expendisse plus, quàm 100. quia tunc solùm plus dimidio minus accepit, quàm dedit. *Conf.* 2. ut venditor ultra dimidium censeatur læsus, debuit res ab ipso vendita duplo plus valere, quàm pretium acceptum, quod fit, si pro re valente 100. accipiat minus, quàm 50. igitur etiam ut emptor læsus existimetur ultra dimidium, necessarium erit, ut pretium duplo excedat valorem rei emptæ, quod non fit, nisi pro re valente solùm 50. expenderit plus; quàm 100. nam res ipsa, quam accepit, supplet 50.

196 *Ad rationem adversæ sententiæ:* etsi Emptor plus lædi possit materialiter, non tamen plus lædi potest formaliter; uterque enim tunc læsus censetur ultra dimidium, quando dati minus, quàm dimidium accepit, ut cum Layman. *l.* 3. *tr.* 4. *cap.* 17. *num.* 6. observat Haun. *n.* 243. *cit. vers. ut autem.* Neque obstat, quòd aliàs Justitia commutativa exigat, ut inter contrahentes servetur æqualitas etiam materialis; nam hoc est solùm in ordine ad obligationem conscientiæ, non verò ad actionem dandam in foro externo, ubi Jura permittentia rescissionem læsis ultra dimidium, & negantia læsis infra dimidium non ita spectarunt privatorum contrahentium substantiam, quàm bonum Reipub. à cujus Curiis nimiam litium frequentiam arcere præcipuè intendebant, qui finis per contrariam sententiam minùs obtinetur, cùm faciliùs quis inducatur, ut rem valentem 50. quis emat florenis plus, quàm 75. quàm ut valentem 100. vendat infra 50. *Ad Conf.* patet ex dictis; nam læsio desumi debet non tantùm ex dato, sed ex hoc comparato cum accepto.

197 Quæritur 5. quibus casibus remedium hoc actionis ad rescissionem contractus, vel supplementum pretii refundendum ultra dimidium læsis non concedatur? Resp. quatuor potissimùm enumerari casus. 1. quando beneficio huic quis renuntiavit non tantùm generaliter, sed specialiter, & expresse, præsertim accedente Juramento. Covar. *lib.* 2. *var. cap.* 4. *n.* 1. Molin. *tr.* 2. *D.* 349. *n.* 16. & 17. Gutier. *de Juram. par.* 1. *cap.* 26. *n.* 2. Pirh. *hic n.* 28. Engl *n.* 16. Konig *n.* 44. *V. verùm.* Vviest. *n.* 65. Friderich *n.* 952. & colligitur ex *l. quæritur* 14. §. *si venditor* 9. *ff. de Ædilit. Edict.* ubi actiones suas remittentibus regressus ad illas expresse negatur. *Ratio est*, quia Juri, & favori pro se principaliter introducto quilibet renuntiare potest *c. si de terra* 6. *de privil.* & *l. si quis* 29. *Cod. de pact.* & servandum est omne Juramentum, quod in salutis dispendium, & alterius detrimentum non redundat *c. cum contingat* 28. *de Jurejur.* & *c. quamvis* 2. *de pact. in* 6. *Excipitur*, si læsio sit gravissima, seu valde enormis; ea enim sub renuntiatione, etiam speciali, & jurata, non comprehenditur, cùm dolus eidem causam dedisse censeatur. Covar. *n.* 5. Gutier. *n.* 7. P. Friderich *n.* 935. P. Pirh. P. Vviest. *l. citt.*

2 Si defectum Venditor, vel excessum pretii Emptor donet *arg. l. in re mandata* 21. *Cod. mandat.* estque hoc omnino certum. Sed dubium est, quantum censeatur donatum, quando contrahens alteri contrahenti dicit, *Id, quod res pluris valet, dono?* Existimant aliqui donatum censeri etiam defectum pretii plusquam dimidii, sed alii veriùs censent donatum his verbis duntaxat defectum pretii modicum, & qui dimidium non excedat; quia dictione *Quod pluris* denotatur solùm modica, non quæcunque quantitas, ut dicitur *l. hæc adjectio* 191. *ff. de V. S.* Hinc ut etiam dimidii pretii defectus à Venditore, & ejus excessus ab Emptore censeatur donatus, necessarium erit, ut donans habuerit justi pretii notitiam, nulla vi metu, aut necessitate ad hoc sit coactus, & donati quantitatem, vel specificè, vel saltem generaliter expresserit his verbis; *Quantuscunque ejus defectus sit &c.* vel aliis similibus. Abb. *in c.* 6. *h. tit. n.* 5. P. Vviest. *n.* 66. & hoc teste comm. 198

3 Si res empta casu fortuito perempta sit. Covar. *l.* 2. *var. c.* 4. *n.* 14. Gomez. *l.* 2. *var. c.* 2. *n.* 22. Pinell. *p.* 2. *c.* 1. *n.* 36. Molin. *tr.* 2. *D.* 349. *n.* 6. Fachin. *lib.* 2. *contr. c.* 18. P. Pirh. *hic n.* 28. P. Vviest. *n.* 67. P. Friderich *n.* 958. & *seqq.* Colligitur ex *l. si res* 12. §. *si mulier* 1. *ff. de jur. dot.* ubi dicitur mulierem non posse agere contra Maritum in causa dotis, ut justa sibi æstimatio concedatur, si res perempta fuerit. igitur à fortiori non poterit contra emptorem agere venditor; hujus enim causa non est tam favorabilis, quàm est causa dotis. *Ratio est*, quia re perempta per casum fortuitum, cessat optio rescindendi contractum, vel solvendi defectum pretii. igitur etiam cessat actio, quæ ex *l. rem majoris* 2. *Cod. de rescind. vendit.* oritur, & potiùs sibi læsus imputare debet, quòd lædentem non convenerit, cùm re adhuc extante, locus erat actioni. 199

4 Non potest hoc remedium rescissionis intentari contra tertium rei possessorem, quando is acquisivit eam titulo oneroso, ac justo pretio, & bona fide. Ita post Bart. ac Bald. *in l. rem majoris citt.* communis DD. apud Covar. *l.* 2. *var. c.* 3. *num.* 10. *concl.* 2. Ratio patet; quia nec ratione læsionis conveniri talis emptor potest, cùm ipse non læserit; nec ratione rei acceptæ, quippe quam justo titulo comparavit, suamque fecit. Aliud dicendum, si tertius illam acquisivit titulo lucrativo, vel sciens, quòd infra dimidium justi pretii empta fuerit; tunc enim adversùs tertium possessorem agi potest in defectum primi emptoris, ut vel rem emptam restituat, vel defectum pretii suppleat. Covar. *c.* 3. *cit. n.* 10. Molin. *D.* 349. *cit. n.* 4. & 5. P. Pirh. *hic num.* 28. *in fin.* P. Fridcrich *n.* 965. & *duob. seqq.* 200

Quæritur 6. quomodo læso ultra dimidium satisfaciendum sit? Resp. tria sunt attendenda. 201

Primum est, quòd cum à lædente satisfactio, & supplementum pretii petitur, ut conveniri quoad hoc emptor possit à venditore, debeat læsio contigisse ultra dimidium justi pretii infimi; ut verò contrà ab emptore conveniri venditor possit, debeat considerari pretium summum. Covar. *l.* 2. *var. c.* 3. *num.* 3. Pal. *tr.* 32. *D.* 5. *p.* 17. §. 1. *num.* 5. cum Molin. Pirh. *l. citt.* Et hinc si pretium rei venditæ medium sint 100. fl. infimum 95. non censetur ultra dimidium læsus venditor, qui pro ea accepit 49. Similiter neque emptor censebitur læsus ultra dimidium, si pro re, cujus pretium medium sunt 50. summum 55. dedit 101. quia secundum fundamenta *num.* 195. posita debet duplo plus dedisse, quàm sit pretium rei summum.

2 In hac restitutione attendi debet justum pretium rei venditæ, quod illa habuit tempore, quo celebratus fuit contractus quanti sc. res eo tempore valuit, & non quanti postea valuit *c. cùm causa* 6. *hoc tit.* ibi *Venditionis tempore*, & *l. si voluntate* 8. *C. de rescind. vendit.* Molin. *tr.* 2. *D.* 349. *num.* 3. Pirh. *hic n.* 27. & alii communiter. 202

3 Non sufficit, si emptor, qui læsit, solùm velit restituere, quantum defuit medietati justi pretii, e. gr. si postquam emit 40. fl. rem, quæ valet 100. velit adjicere 10. ad excludendam læsionem ultra dimidium; sed opus est, ut integrum pretium reddat, nempe in casu dato 60. vel ut rem emptam restituat, ut colligitur ex *c. cùm dilecti* 3. & *c. cùm causa* 6. *h. tit.* & *l. rem majoris* 2. ibi, *Quod deest justo pretio. Cod. de rescind. vendit.* Et idem dicendum est de Venditore. Canis. *in c. cùm dilecti cit. num.* 10. Gomez. *tom.* 2. *var. c.* 2. *num.* 22. Pal. *tract.* 32. *D.* 5.

D. 5. *par.* 17. §. 13. *num.* 1. P. Pirh. *loc. cit.* P. Friderich *num.* 970.

203 Dubium est, utrum si emptor lædens eligat rescindere contractum, & rem emptam restituere, debeat illam simul cum fructibus perceptis restituere? *Certum est*, ad hoc teneri emptorem malæ fidei; imò hic non ad fructus tantùm restituendos obligatur, sed etiam ad id, quód Venditoris interest, deceptum non esse.

De Emptore bonæ fidei gravis est controversia apud DD. nam eum ad fructus restituendos obligant Salycet. *in l. 2. C. de rescind. vendit. num.* 5. Covar. *l. 2. var. cap.* 3. *num.* 9. Menchaca *l.* 3. *contr. usufr. c.* 71. *num.* 2. *& seqq.* Greg. Lop. *l.* 56. *tit.* 5. *p.* 5. & alii apud Pal. §. 13. *cit. n.* 2. Fundantur 1. *l. cùm proponas* 1. *C. si major. fact. alien.* ubi dicitur in arbitrio emptoris lædentis esse, an velit possessionem restituere cum fructibus. 2. *l. cum autem* 23. §. *fin. ff. de Ædil. Edict. l. Imperator* 16. *ff. de in diem addict. l. fundo* 5. *ff. de Leg. commiss.* quibus, & aliis legibus dicitur res restituenda cum fructibus, quando contractus rescinditur ex causa, quæ inerat tempore contractus, sed cùm rescinditur venditio ob læsionem ultra dimidium, rescinditur ex causa, quæ tempore Contractus inerat, ergo &c. 3. *l. videamus* 19. *ff. de Usur.* ubi patronus revocavit alienata à liberto in fraudem legitimæ sibi debitæ, & restituitur res unà cum fructibus, atqui patronus venditori æquiparatur. 4. si minor per contractum læsus sit ultra dimidium, restituitur cum fructibus *l. patri* 27. §. *si pecuniam* 1. *vers. item ex diverso ff. de minor.*

204 Sed probabilius hoc casu non est obligatio restituendi fructus interim perceptos, ut cum Ant. Butr. Imol. Burgens. Sylv. docent Pinell. *par.* 2. *cap.* 4. *num.* 1. Gomez. sibi contrarius *tom.* 2. *var. c.* 2. *num.* 24. *& c.* 4. *num.* 21. Fachin. *l.* 2. *contr. c.* 24. Gutier. *l.* 2. *qq. pract. q.* 134. Molin. *tr.* 2. *D.* 349. *num.* 12. Less. *l.* 2. *c.* 21. *num.* 122. Laym. *l.* 3. *tr.* 4. *c.* 17. *num.* 8. Pal. *tr.* 32. *D.* 5. *p.* 17. §. 13. *num.* 3. Pirh. *hic num.* 27. *not.* 4. Engl *num.* 17. P. Friderich *num.* 971. Colligitur ex *c. ad nostram* 11. *de rebus Eccles. non alien.* ubi rem Ecclesiæ alienatam infra dimidium justi pretii jussus est emptor restituere, sed fructus eidem relicti sunt. *Ratio est*, quia Venditio talis, & emptio, etsi infirma sit, valida tamen est; conf. per traditionem transfert dominium rei emptæ in emptorem, qui proinde fructus illius percipit titulo dominii, tanquam ex re sua. *Conf.* nam tali casu periculum rei venditæ ad emptorem pertinet. ergo & commoda, seu fructus, præsertim cùm etiam Venditor fruatur commodo pretii numerati.

205 Neque obstant Argumenta sententiæ oppositæ. *Ad* 1. ibi duplex intervenit vitium, quorum neutrum sufficienter per ratificationem purgatum est: unum, quòd contractus celebratus, & res minoris vendita fuerit absque Decreto Judicis; alterum, quòd minor eo contractu læsus fuerit ultra dimidium. Jam per ratificationem minoris, postquam major factus est, solùm fuit sublatum beneficium restitutionis in integrum minoribus competens, quo determinatè obligatus fuisset emptor rem emptam restituere unà cum fructibus, non verò fuit sublatum remedium ex *l. rem majoris cit.* & clausula generali *si qua alia &c.* quia ratificatio facta est ab ignaro, quòd fuerit invalida alienatio: & hinc in arbitrio emptoris ponitur, an velit dare supplementum pretii, an verò rem unà cum fructibus restituere. *Ad* 2. textus illi vel loquuntur de rescissione contractus ex defectu conditionis resolutivæ, ubi fingitur res nunquam fuisse empta; vel de rescissione ex actione redhibitoria, cujus natura est, ut omnia in pristinum statum reducantur. *Ad* 3. negatur paritas; quia alienatio facta à liberto in fraudem patroni injusta est ob causam, quæ rei restituendæ inest, cùm bona liberti patrono quasi obligata, & hypothecata sint: at injustitia, quæ intervenit in læsione ultra dimidium, solùm provenit ex accidenti extrinseco rei restituendæ, sc. ex ipsa læsione per contractum. *Ad* 4. id statutum est specialiter in favorem minorum; conf. ad Venditorem majorennem extendi non debet.

206 Quæritur 6. an huic remedio locus sit etiam in aliis Contractibus? Distinguunt aliqui, & in contractibus, ac conventionibus lucrativis, & non reciprocis, uti est Depositum, Mandatum, Precarium, Commodatum, Donatio, negant habere locum; nam aliunde infirmandi sunt, ut cum Pal. *tr.* 32. *D.* 5. *p.* 17. §. 8. *n.* 1. communis, & certa DD. sententia habet. De cæteris cum nonnullis idipsum negat Hunn. *l.* 3. *resol. tr.* 7. *q.* 12. *vers. sed his*, ex ratione; quia *l. rem majoris* 2. *C. de rescind. Vendit.* solùm mentio fit de Venditione. Accedit, quia remedium *loc. cit.* proditum contra rationem Juris, quod *l. in causa* 16. *ff. de minor.* & *l. item* 22. *ff. locat.* circumventionem absque ulla quantitatis determinatione contrahentibus permittebat, est introductum. igitur in consequentiam trahi non debet *l. quod contra* 141. *ff. de R. J.*

Sed his non obstantibus, dicendum, quòd remedium hoc concedatur læsis ultra dimidium etiam in aliis contractibus onerosis, & reciprocis, uti est permutatio, locatio, cambium &c. Ita Abb. *in c. cùm causa* 6. *hoc tit. num.* 8. Gomez. *tom.* 2. *var. c.* 2. *n.* 22. Pinell. *par.* 1. *cap.* 3. *num.* 1. *& seqq.* Fachin. *l.* 2. *controv. c.* 22. Gutier. *lib.* 2. *pract. q.* 138. Molin. *tr.* 2. *D.* 349. *num.* 14. Laym. *l.* 3. *tr.* 4. *cap.* 17. *num.* 8. Pal. *tr.* 32. *D.* 5. *par.* 17. §. 8. *num.* 1. Haun. *tom.* 4. *de Just. tr.* 10. *à num.* 245. P. Pirh. *hic num.* 29. P. Vviest. *num.* 64. & Pal. teste ferè omnes DD. Neque alia probatione opus est, quàm quòd sit eadem æquitatis ratio. 207

Excipitur contractus transactionis; nam in hac, etsi quis læsus sit ultra dimidium, frequentior DD. sensus, & specialis ratio suadet, beneficium istud non competere, ut dictum est *l.* 1. *tit.* 36. *n.* 19.

Ad Argumentum sumptum ex *l. rem majoris cit.* dico non obstare, quod, illa, & Rubrica, cui subjicitur, solùm agant de Venditione; nam æquitas, ut priùs insinuavi, dictat, hoc remedio juvandos ita læsos in quocunque contractu, nisi id speciali Jure excludatur. Deinde retorqueri etiam Argumentum potest; nam *loc. cit.* solùm meminit immobilium, & quidem tantùm venditionis illorum. igitur si argumentum Hunnii aliquid probat, in solorum immobilium, non mobilium venditione, non verò emptione læsis beneficium istud conceditur: quod tamen falsum est. sicut igitur, quæ dicta Lege statuuntur de læsis in venditione immobilium, ob paritatem rationis extenduntur etiam ad venditionem, & emptionem mobilium, ita ob eandem paritatem de contractu venditionis, & emptionis beneficium hoc extendi debet ad læsos in aliis Contractibus reciprocis, & onerosis. *Ad Conf.* ut *num.* 193. *ad* 2. notavi, remedium istud non hac primùm Lege, sed antiquo jam Jure proditum est; nam *cit.* Lege solummodo firmatum, & apertiùs declaratum fuit. 208

§. IX.

Alia quædam Capita, ex quibus resolvi Emptio Venditio potest.

SUMMARIUM.

209 210 211 *An, & quando resolvi Emptio Venditio mutuo contrahentium consensu possit?*
212 213 214 *An hic consensus debeat esse expressus, vel sufficiat tacitus, & præsumptus?*
215 *An sicut Emptio dissolvi potest quoad totum, ita etiam dissolvi possit quoad partem tantùm?*
216 *An si quid emi purè, & absolutè, possim deinde ab eodem sub conditione emere, & posterior emptio priorem tollat?*
217 *Cujus sint fructus, nati tempore inter initum, & dissolutum contractum medium?*
218 *Quomodo Emptio Venditio resolvatur ex Ædilitio Edicto?*
219 *Discrimen inter Actionem Redhibitoriam, & æstimatoriam.*
220 *Quid requiratur, ut Emptori detur actio contra Venditorem ob vitium rei emptæ?*
221 *An Actioni Redhibitoriæ, & Æstimatoriæ locus sit, quando res quidem non est vitiosa, sed venditor certas qualitates circa rem venditam asseveravit, quæ tamen non apparent?*
222 *Quid Venditor, hoc Edicto conventus teneatur restituere?*
223 *An præter Actiones Ædilitias, hactenus explicatas, detur ad redhibendum etiam, Actio Civilis ex empto?*
224 *Quid sit Jus Retractus?*
225 226 *Quotuplex?*
227 228 *Quibus id competat?*
229 *Quæ res retrahi possint, & quomodo?*
230 *Quæ sint obligationes retrahentis?*
231 232 *Intra quod tempus liceat retrahere?*
233 *An Jus retrahendi amittatur renuntiatione?*

PRæter læsionem ultra dimidium plura alia adhuc sunt capita, ex quibus Emptio Venditio resolvi potest: & istorum aliqua sunt communia aliis Contractibus, ut Error, Dolus, Metus, de quibus jam alibi dictum est; alia verò huic Contractui peculiaria. Ex his tria hic examinanda restant; nam resolvi Contractus Emptionis Ven-

Venditionis patest mutuo contrahentium consensu, ex Ædilitio Edicto, & per Retractum.

209 Quæritur 1. an, & quando resolvi Emptio Venditio mutuo contrahentium consensu possit? Resp. interesse, an res adhuc sit integra, an verò non. *Si res adhuc est integra*, quod fit, quando nec traditio rei, neque solutio pretii inchoata est, indubitatum est, Emptionem Venditionem mutuo consensu contrahentium dissolvi posse. Patet ex *l. emptio* 3. *ff. de rescind. vendit.* ubi Paulus, *Emptio, & Venditio*, inquit, *sicut consensu contrahitur, ita contrario consensu resolvitur, antequam fuerit res secuta*. Consentiunt *l. re quidem integra* 1. & *l. perfectam* 2. *C. quand. lic. ab empt. disced. l. Juris gentium* 7. §. *adeo* 6. & *l. ab emptione* 58. *ff. de pact.* & est commune omnibus obligationibus, quæ consensu mutuo contrahuntur; nam ut §. *hoc amplius* 4. *Inst. quib. mod. tollit. oblig.* Justinianus ait, *eæ obligationes, quæ consensu contrahuntur, contraria voluntate dissolvuntur*.

210 *Si verò res non ampliùs integra est*, sed ab alterutra parte contractus impletus, distinguendum est inter forum internum, & externum. *In foro interno* ut obligatio naturalis, quæ erat ad standum contractu emptionis, tollatur, sufficit nudum pactum Emptoris, & Venditoris, mutuo consensu volentium contractum esse nullum, propter novam obligationem, quæ oritur ex pacto nudo, quo invicem consenserunt, ut à priori contractu recederetur. At ut etiam *pro foro externo* dissolvatur Contractus, præter consensum mutuum contrahentium in ejus dissolutionem opus est, ut res in antiquum statum reducatur per restitutionem pretii, vel mercis *l. ab emptione* 58. *vers. Aristoni ff. de Pact.* & *l. re quidem* 1. *vers. at enim C. quand. lic. ab empt. disced.* Hinc etiamsi contrahentes nudo consensu dixerint *Volumus contractum nihil valere*, non tamen propterea emptori, qui solvit pretium, dabitur actio ad illud repetendum, nec venditori exceptio contra emptorem agentem ad implementum contractus, & traditionem mercis: sed perinde est, ac si nihil fuisset actum, nisi omnia retroagantur, & restituatur id, quod ab alterutra parte fuit datum, ut rectè advertit Gibalin. *l.* 4. *de Negot. c.* 6. *art.* 1. *n.* 3. & patet ex dictis *Libr.* 1. *tit.* 35. *n.* 7. ubi negavi, quòd ex pacto nudo actio producatur.

211 Dixi, *Si ab alterutra parte completus contractus sit*; si ab utraque sit consummatus, per traditionem videlicet mercis à venditore, & solutionem pretii ab Emptore, ut consensus partium in dissolutionem contractus istam resolvat legitimè, opus est, ut vim habeat novæ Emptionis Venditionis, ut cum Carolo Molinæo, Antonio Fabro, & Lassarte docent Gibalin. *l. cit.* P. Friderich *tr. de Empt. Vend. num.* 872. & sumitur ex *l. si quam* 2. *ff. de rescind. Vendit.* ibi, *Post pretium solutum* (ob rem traditam) *infectam emptionem facere non possumus*. Et hoc modo tollitur apparens contradictio inter Legem modo *cit.* & allegatas *n. præc.* quibus asseritur, posse emptionem infectam reddi consensu mutuo, dicendum enim, istas procedere in casu, quo res aliquo modo adhuc est integra, eò quòd contractus ab alterutra solùm parte impletus sit, *Legem* verò 2. *cit.* locum nancisci tantùm in casu, quo Contractus tam traditione mercis, quàm solutione pretii omnino est consummatus.

212 Dub. 1. an ad dissolutionem contractus faciendam opus sit consensu expresso, an verò sufficiat tacitus, & præsumptus? *Rationem dubitandi* faciunt duo Juris Civilis textus. 1. *l. si convenerit* 56. *ff. de Pact.* ubi Julianus, *Si convenerit*, inquit, *ne dominus à colono quid peteret, & justa causa conventionis fuerit, nihilominus colonus à domino petere potest*. 2. *l. si tibi* 5. *ff. locat.* ubi Ulpianus, *si tibi*, ait, *habitationem locavero, mox pensionem remittam, ex locato conducto agendum erit*. Ex quibus textibus patet, manere obligationem in domino respectu coloni, & in locatore respectu conductoris, etiamsi ille colonum, & iste conductorem per acceptilationem liberaverit, non maneret autem, si ad resolvendum contractum sufficeret consensus tacitus, & præsumptus; nam talem induceret Acceptilatio, utpote quæ præsumitur non aliter facta, quàm ut uterque contrahens liberetur.

213 Sed dicendum, sufficere consensum tacitum, prout patet ex *l. cùm emptor* 5. *ff. de rescind. Vend.* ubi Ulpianus, *Cùm Emptor*, inquit, *venditori, vel emptori venditor acceptum faciat, voluntas utriusque ostenditur id agentis, ut à negotio discedatur, & perinde habeatur, ac si convenisset inter eos, ut neuter ab altero quidquam peteret*. Conf. ex *l. fin. ff. de Acceptilat.* ubi Paulus, *Cùm locatio conductio, &c. Emptio Venditio conventione facta est, & nondum res intercessit, utrimque per acceptilationem, tametsi ab altera parte tantùm intercessit, liberantur obligatione*. Quare si fortè emptorem pœniteat contractus, ut obligatione illius liberetur, sufficiet, si dicat Venditori, *Habesne acceptum, quod tibi debeo ex vendito e. g. frumento*, & Venditor respondeat *Habeo*; censetur enim, & præsumitur etiam Emptor acceptum habere, quod ipsi Venditor ex empto debet, videlicet frumentum.

Neque contrarium probant *LL. allegatæ*. *Ad* 1. triplex responsio est: Glossa respondet, ibi rem non fuisse ampliùs integram; aut justam causam conventionis fuisse tantùm ex una parte, pura, sterilitatem, cujus intuitu dominus unius, vel duorum annorum pensionem remiserit. Alii volunt, ibi expressè fuisse actum, ut obligatio tantùm tolleretur ex una parte, & locator maneret obligatus, liberato colono. Struvius *in Concil. Leg. ad l. cit.* dicit, ibi initum fuisse pactum nudum, quo contractus non dissolvitur, sed tantum acquiritur Exceptio, salva manente obligatione utrinque. *Ad* 2. præsumitur pensio gratis esse remissa: quod in locatione domus faciliùs præsumitur, quàm in emptione. 2

Dub. 2. an sicut Emptio dissolvi potest quoad totum, ita etiam dissolvi possit quoad partem tantùm? Videtur tenenda negativa ob *l. si unus* 27. §. *sed si stipulatus* 6. *ff. de pact.* ubi non obscurè significatur, quòd soluto per contrariam conventionem quoad unam partem contractu, totus contractus sit dissolutus. 21

Sed respondendum est affirmativè. Sumitur ex *l. si Emptio* 4. *ff. de rescind. vend.* ubi Paulus, *Si emptio*, inquit, *contracta sit togæ, puta, aut lancis, & pactus sit venditor, ne alterutrius emptio maneat, puto, resolvi obligationem hujus rei duntaxat nomine*. Item ex *l. Juris gentium* 7. §. *adeò* 6. *ff. de pact.* ubi cùm Ulpianus dixisset, *in emptione, cæterisque bonæ fidei judiciis, re nondum secuta, posse abiri ab emptione*, subjungit: *Si igitur in totum potest, cur non & pars ejus pactione mutari potest?*

Ad Legem in contrarium allegatam respondet Struvius *Concil. LL. ad l. citt.* ibi agi de alternativè debitis, in quibus electio est debitoris, qui proinde cùm determinatum aliquid ab ipso petitur, opponere potest pactum de alterutra re non petenda initum.

Dub. 3. an si quid emi purè, & absolutè possit, deinde ab eodem sub conditione emere, & posterior emptio priorem omnino tollat? *Videtur posse*; quia vulgò dicitur, pluribus modis aliquid deberi ex pluribus causis. 2

Sed retinenda est negativa. Patet ex *l. si id* 7. *ff. de rescind. vend.* ubi Paulus, *Si id, quod purè emi, sub conditione rursus emam, nihil agitur posteriore emptione*. *Excipitur*, si in secunda emptione conditionali facta est variatio vel circa pretium, vel circa mercem, & ex circumstantiis appareat, quòd contrahentes id fecerint animo novandi, & vertendi venditionem absolutam in conditionalem; tunc enim præsumerentur contrahentes à priori contractu recessisse, ut bene advertit P. Friderich *tr. de Empt. vend. n.* 875. & 878. Idem esset, si secunda venditio, etiam absque variatione in pretio, & merce novam aliquam utilitatem haberet, quæ in priore venditione non reperitur, aut quæ serviret ad confirmandum priorem contractum, ut si res primò vendita sit à pupillo, vel minore absque authoritate Tutoris, Curatoris, vel Judicis, & deinde ab eodem rursum ematur sub conditione, sed cum debita authoritate, vel postquam ipse major jam factus est; nam eo casu eventus conditionis facier, ut teneat secunda, non prima emptio, aut certè per secundam rata habeatur prima juxta *l. si id cit.* §. *idem potest.* 1.

Ad Rationem dubitandi dico, axioma illud procedere de pluribus causis diversi generis, non de ejusdem, uti sunt plures emptiones, plures stipulationes &c.

Dub. 4. cujus sint fructus, nati tempore inter initum, & dissolutum contractum medio? Resp. omnes fructus, quos res protulit eo tempore, quo perseveratum est in Venditione; pertinere ad primum Emptorem; nam & periculum tempore illo intermedio ejusdem Emptoris est, ut dictum est *à n.* 167. 21

Proceditque hoc, etsi venditio dissolvatur remedio *l. rem majoris* 2. *C. de rescind. vendit.* quando nimirum Venditor ultra dimidium justi pretii deceptus fuit, & emptor non vult supplere pretium, sed mavult contractum dissolvere. *Ratio est*, quia etsi emptor non dederit justum pretium, emptio tamen fuit valida, & sufficiens ad transferendum dominium, si traditio facta sit: & aliàs generale principium est, quòd res emptori, non venditori fructificet.

Neque obstat, quòd venditor ita læsus passus injuriam sit; quia injuriam passus est, non quòd emptor possederit, & fructus perceperit, sed quia justum pretium non dedit. *Ex quo sequitur*, emptorem in foro conscientiæ solùm teneri ad præstandum, quantum inter-

ntererat Venditoris, illud pretii supplementum statim nitio solutum fuisse.

8 Quæritur 2. quomodo Emptio Venditio resolvatur x Ædilitio Edicto? Resp. hoc Emptori contra Venditores, qui res vitiosas vendiderunt, duplex conceditur Actio, *Redhibitoria*, & *Æstimatoria*.

Actio Redhibitoria est Actio personalis, bonæ fidei, qua emptor, vel ipsius hæres propter vitium, quo cognito rem non emisset, agit adversùs Venditorem, & ejus hæredes, ut venditione in totum rescissa, rem redhibeat, i.e. recipiat, pretioque reddito, omnia in integrum restituantur *l. cùm autem* 23. §. *Julianus* 7. *l. debet autem* 27. *l. illud sciendum* 29. §. *condemnatio* 2. *l. quodsi nolit* 31. §. *in factum* 17. *& seqq. l. redhibitoria* 45. *l. si tamen* 48. §. *ædilitiæ* 5. *ff. de Ædilit. Edict.*

Æstimatoria est actio personalis, & bonæ fidei, qua emptor, aut hæres ipsius ob vitium, quo cognito tanti non emisset, agit adversùs venditorem, & ejus hæredes, ut quanto minoris rem emisset, de accepto pretio restituat *l. si tamen cit.* §. *ædilitiæ l. quoties* 31. *ff. eod. l. si minor* 9. *C. de act. empt. & vendit.*

9 Discrimen inter has actiones multiplex est. Nam 1. Redhibitoria locum tunc habet, quando vitium est ejusmodi, ut si ab emptore fuisset cognitum, res non fuisset empta, ne quidem minore pretio, quia fortassis nihil ad finem emptoris potuisset servire. Contrà Æstimatoria datur tunc, quando cognito vitio res quidem fuisset empta, sed minore pretio. 2. Redhibitoria rescindit contractum ex toto; Æstimatoria, salvo manente Contractu, tendit ad restitutionem pretii, quanto minoris rem emisset. 3. Priori, ut Ulpianus *l. sciendum* 19. §. *fin. ff. de Ædil. Edict.* monet, *sex menses utiles habet*; posterioris tempus legale *annus utilis est*.

Dub. 1. quid requiratur, ut emptori detur actio contra Venditorem ob vitium rei emptæ? Resp. 1. requiritur, ut Venditor sciverit rei vitium; nam si ignoravit, ut Wvinsenbach, & alii suponunt, & ex *l. Julianus* 13. *princ. ff. de act. empt.* sumitur non redhibitoria, sed æstimatoria læso emptori datur, & venditor ignorans solùm condemnatur, in id, quo minoris rem emisset, si vitium rei scivisset. 2. Ut sit vitium latens, quod sc. emptor, etiam inspecta re, non potuit animadvertere; nam si vitium manifestum fuit, aut tale, quod facilè deprehendi potuit, Redhibitioni locus non est *l. Labeo* 1. §. *si intelligatur*, *l. quæritur* 14. §. *fin. l. cùm sex* 56. *ff. de Ædilit. Edict.* 3. Ut sit vitium antecedens, non subsequens Emptionem Venditionem *l. actioni* 54. *ff. eod.* & *l. si apud* 3. *C. de Ædil. act.* Sed hoc probandum actori est, nisi vitium statim, ac intra triduum appareat; tunc enim præsumeretur antecessisse *arg. l. eum qui* 22. *ff. de Probat.* 4. Ut vitium non sit leve, sed tale, quod usum rei impediat, vel deteriorem reddat *l. Labeo cit.* §. *proinde* 8. *l. ob quæ* 4. §. *fin.* & *l. idem* 10. §. *sed siquis* 2. *ff. eod.* 5. Ut si res animata vendatur, sit vitium corporis, non animi, nisi hoc tale sit, ut redundet etiam in corpus, ut si servus sit erro, fugitivus, furiosus *l. Labeo cit.* §. *idem Vivianus* 10. *l. ob quæ cit.* §. *in summa* 4.

Dub. 2. an actioni Redhibitoriæ, vel Æstimatoriæ locus sit, quando res quidem non est vitiosa, sed venditor certas qualitates circa rem venditam asseveravit: quæ tamen non apparent? Resp. cum distinctione: Vel enim Venditor hoc dixit cum promissione de qualitatis existentia, vel sine hac, nudæ commendationis, vel jactationis gratia. *Si primum*, locus est Actioni Redhibitoriæ, vel æstimatoriæ *l. siquid* 18. *princ. &* §. *venditor* 1. *l. sciendum* 19. §. *planè* 1. *l. quoties* 61. *ff. de Ædil. Edict.* Et hinc redhibetur equus indomitus pro obsequioso, imperitus, aut ineptus pro perito & apto, vectuarius pro itinerario venditus. Stryck. *ad tit. cit. cit.* §. 22. *Si secundum*, Ædilitium Edictum cessat *l. sciendum cit. pr.* Nisi intuitu commendationis Emptor ad majus pretium fuerit inductus; aut asseveratio vim promissionis habuerit, velut si dixerit Venditor, servum non esse furem, aleatorem &c. *l. sciendum cit.* §. *planè*, & *ibi* Brunnem. *n.* 3. *&* 4. Stryck. §. 23. Clariss. P. Schmier *de Pact. & Contract. c.* 2. *n.* 269.

Dub. 3. quid Venditor, hoc Edicto conventus, teneatur restituere? Resp. interest, an gnarus fuerit vitii, vel non. *Si hoc secundum*, sufficit, si restituat id, quo minoris Emptor rem emisset, si vitium scivisset, ut dictum est *n.* 220. *Si primum*, tenetur præter pretium præstare omne damnum, & interesse, etiam extrinsecum, v. g. si servus fugitivus quidpiam abstulerit, vel alios servos corruperit *l. quæro* 58. *ff. de Ædil. Edict. l. si non* 1. *C. de ædil. act. l. Julianus* 13. *ff. de act. empt.* Quin & si contumax sit Venditor, & non pateat arbitrio Judicis, jubentis pretium reddere, condemnatur in duplum *l. redhibitoria* 45. *ff. de Ædil. Edict.*

Dub. 4. an præter Actiones Ædilitias hactenus explicatas detur ad redhibendum etiam actio civilis exempto? 223
Affirmant Bartol. Paul. Castr. & alii DD. communiter, juxta quos, postquam relatis Actionibus præscriptum est, adhuc superest actio Civilis exempto, quæ exemplo aliarum actionum personalium Civilium intentari usque ad annos 30. possit, quod probant *l. ex empto* 11. §. *Redhibitionem* 3. & *l. Julianus* 13. *pr. ff. de act. empt.* ubi conceditur Redhibitionem etiam empti Judicio peti posse. Sed responderi potest Empti actionem quidem dari, sed restrictam ad qualitates, quæ Edicto propositæ sunt. Hinc non improbabiliter Treutlerus, Bachovius, Arnoldus Rath apud P. Friderich *tr. de Empt. Vend. n.* 897. docent Actionem Civilem perpetuam ex empto ad effectum redhibitionis, aut *Quanto minoris* nullam competere: quod desumunt ex *l. cum proponas* 2. *C. de Ædilit. act.* ubi Gordianus Imp. dicit se non posse animadvertere, qua ratione Emptor servi fugitivi dominus post sex mensium lapsum cum venditore congredi quærat. atqui promptum huic esset remedium, si præter relatas duas actiones Ædilitias temporaneas superesset tertia Civilis perpetua. ergo &c.

Quæritur 3. qua ratione Emptio Venditio possit rescindi ex Retractu? Et 1. quidem *dubitatur*, quid, & 224
quotuplex sit Retractus? Resp. *Retractus*, alio nomine *Jus congrui*, & *Jus Protomiseos*, Germanis *Einstand Recht*; est *redemptio rei venditæ, eodem oblato pretio, jure sibi à lege, vel consuetudine, aut vi pacti concesso*. Jus istud per *l. dudum* 14. *C. de contrah. Empt.* ab Impp. Valentin. Theodos. & Arcadio abrogatum est, revocatum tamen, & receptum generali consuetudine Germaniæ, & omnium ferè locorum, sed non eodem ubique modo: unde notitia ejus ex Jure potissimùm Consuetudinario, & Municipali dependet.

Generaliter dividi potest in Conventionale, & Legale. *Conventionale* est, quando ex speciali conventione alicui reservatur facultas in casu, quo res venditur, eam præ quovis alio emendi. Apponitur crebrò in gratiam venditoris: & tunc non differt à pacto Retrovenditionis, de quo dictum *à n.* 57. *Legale Jus Retractus* aliud est *Legale scriptum*, quod Jure singulari scripto, aliud *Consuetudinarium*, quod consuetudine certis personis tribuitur. Capita, ex quibus conceditur, quinque omnino sunt.

1 *Propter dominium directum*: & ratione hujus, quando Emphyteuta rem Emphyteuticariam, Vasallus Feudum vult vendere, eas res emendi præ aliis jus habet Dominus directus *l. fin. C. de Jur. Emphyteut.* 225

2 *Propter creditum*: & ratione hujus in subhastatione bonorum debitoris licitatoribus extraneis præferuntur creditores, & ex his potior ille est, cui major debetur pecunia *l. cùm bona* 16. *ff. de reb. auth. Jud. possid.* 226

3 *Propter communionem*: & ratione hujus cohæres, vel alius, qui rem cum altero communem habet, potest illam, si distrahenda sit, emere præ quovis extraneo. *arg. l. sancimus* 34. §. *ne autem* 2. *C. de donat.*

4 *Propter Vicinitatem*: & ratione hujus Jus Retractus quorundam locorum statutis, & consuetudine competit, accolis, vicinis, vel civibus, aut illis, qui sunt in territorio, præ extraneis: unde *Retractus Territorialis*, Germanicè *Marck lesung* vocatur.

5 *Propter Consanguinitatem*: & ratione hujus jus retrahendi competit consanguineis venditoris. Retractus iste dicitur *Gentilitius*, item *Legitimus*, & *Linearis*, Germanicè *Erb Einstand*, *Erb lesung*: estque cæteris celebrior, & universalior, ac Jure etiam Pontificio approbatus *c. constitutus* 8. *de in integr. restit.* Hinc omissis reliquis, de hoc ulteriùs.

Dub. 2. quibus Jus Retractus Gentilitius competat? 227
Resp. competit consanguineis venditoris, ut modò dictum est: & quidem ex pacto, ut semper, qui propinquior est, præferatur cæteris. Hinc jus retrahendi res a parentibus venditas præ cæteris consanguineis habent Liberi: & perinde est, an masculi illi sint, vel fœminæ, Clerici, vel Laici, modò legitimi sint; nam naturalibus, nothis, ac spuriis hoc jus negatur, nisi legitimati sint: his enim Matth. de Afflict. & alii jus Retractus concedunt *arg. c. tanta* 10. *qui fil. legit.* & *Novell.* 74. *c.* 2. *Novell.* 89. *c.* 8. *&* 9. & *Novell.* 117. *c.* 3. Quando plures ejusdem gradus concurrunt, omnes admittuntur, si res dividi queat, aut communio placeat; secùs, præfertur is, qui priùs de Retractu egit, vel sorti res committitur *arg.* §. *optionis* 23. *fin. Inst. de Legat.* Neque hic locus est repræsentationi v. g. si venditor, & velit retrahere fratri, alterius fratris, vel sororis liberi cum eo non concurrunt;

sunt; quia simpliciter gradus propinquitas attenditur *arg. l. tutela* 3. §. *sed si* 5. & §. *proinde* 7. *ff. de legitim. tutor.* Si proximior jure isto uti non velit, uti illo potest proximè sequens; quia in Jure Retractus locus est Edicto successorio.

228 Porro qualitas Consanguinitatis in Retractu Gentilitio ita requiritur necessariò, ut hoc jus nulli alteri vel competere, vel cedi possit, ut cum aliis rectè notat P. Engl *hic num.* 24. P. Friderich *num.* 998. P. Schmier *de pact. & contract. c.* 2. *n.* 282. & ratio est, quia jus hoc ob favorem personæ competit, qui favor in extraneo non reperitur. *Ex quo sequitur* 1. jus istud non competere Affinibus. Genero, Socero, aut Privigno Venditoris, etiamsi fratrem uterinum habeat ex illo Venditore progenitum; quia non sunt consanguinei. *Sequitur* 2. idem jus non transmitti ad hæredem extraneum; nec enim per hoc, quòd quis hæres scribitur, etiam propinquus efficitur. *Sequitur* 3. jus hoc etiam à Religioso non transire ad Monasterium; quia maximè personale est. *Sequitur* 4. vicissim non posse retrahere consanguineos Religiosi professi, si Monasterium vendat rem patrimonialem ejusdem; quia per hoc, quòd translata est ad Monasterium, desiit esse res patrimonialis. *Sequitur* 5. non patrocinari pro jure Retractus, etsi res vendita à majoribus alicujus descenderit, & à consanguineis illius olim sit vendita; quia per hujusmodi venditionem, quæ sortita effectum est, desiit esse res familiaris Pluta de his vide apud Pal. *tr.* 32. *D.* 5. *p.* 29. §. 3.

229 Dub. 3. quæ res retrahi possint, & quomodo? Resp. retrahi possunt 1. bona immobilia, præsertim Genarchica, Avita, & Gentilitia, *Stammen-Gyter*, quæ sc. à Majoribus ad Venditorem pervenerunt. 2. Bona mobilia, si immobilibus cohæreant, aut simul cum iis veneant: in cæteris mobilibus, quanticunque pretii, cessat Retractus. 3. Annui reditus, ususfructus, aliaque Jura, & res incorporales, super re immobili constitutæ; quia inter immobilia censentur.

230 Obligationes Retrahentis sunt plures 1. Enim, qui rem alienatam vult retrahere, debet offerre pretium, de quo inter extraneum, & venditorem rite convenit, nisi sit justo majus; nam tunc Angel. Cuman. Paul. Castr. Jason, & alii putant satisfacere, si solvat pretium justum minus: quod tamen Bald. Joan. Andr. Imol. Aretin. Harpprecht, & alii negant. 2. Tenetur stare pactis contractui adjectis, & præstare, quæ ex more consueto ab Emptore præstita sunt, ut Laudemium, Arrham, *den Leutauff &c.* bibales, & similes modicos sumptus restituere. 3. Tenetur refundere impensas necessarias, & utiles ab emptore in rem factas, nisi modicæ illæ sint, & cum fructibus perceptis compensentur.

231 Dub. 4. intra quod tempus liceat retrahere? Resp. intra annum & diem *c. constitutus* 8. *de in integr. restit.* quod praxi Cameræ Imperialis, & moribus Germaniæ passim receptum est, teste Gail. *l.* 2. *obs.* 19. *num.* 14. etsi juxta *Const. Friderici*, quæ extat *l.* 5. *feud. tit.* 13. intra 30. dies instituenda foret. Estque hoc tempus de Jure communi ab initio utile, ita, ut absentibus, & ignorantibus non currat. Berlich *p.* 2. *concl.* 40. *num.* 25. Carpz. *p.* 2. *Const.* 32. *def.* 6. Reincking. *de Jur. retract. q.* 7. *n.* 43. & 86. P. Friderich *tr. de Empt. Vend. n.* 1011. Magnif. D. Christoph. de Chlingensperg *Inst. de oblig. quæ ex quas. contract.* q. 5. De Jure nostro Bavarico inter Nobiles computatur annus à tempore traditionis, inter plebem verò à tempore insinuationis factæ apud Magistratum: nisi consanguineo notificatus sit contractus; tunc enim annus retrahendi currit à notificatione: iis, qui ignorant, tempus hoc Jure duplicatur. Landrecht *tit.* 10. *art.* 2.

232 Si intra tempus retrahenti constitutum res ab emptore rursum alteri vendita sit, priorum semper venditorum consanguinei, posteriorum cognatis præferuntur; quia iis citiùs jus quæsitum est. Quodsi emptor pluris rem à se emptam distraxit, restituet retrahens nihilominus solum pretium primæ venditionis; emptor tamen posterior pro refusione residui actione empti contra suum venditorem aget *arg. l. postliminium* 19. §. *si is* 9. *ff. de captiv. & postlim. revers.* Pegius *de Jur. Protimis. l.* 2. *c.* 37. Magnif. D. Christoph. de Chlingensperg *l. cit. q.* 6.

233 Dub. 5. an jus retrahendi amittatur renuntiatione? Resp. affirmativè: & sufficit tacita, qualem fecisse censetur, qui delatam sibi emptionem post duorum mensium deliberationem recusavit. P. Friderich *tr. de Empt. Vend. num.* 1012. An eandem fecisse censendus sit, qui denuntiatione sibi facta, simpliciter dicit, se nolle emere, controversum est. Negat Berlich. *p.* 2. *concl.* 40. *num.* 48. Tiraquell. & alii. Affirmant cum Mollero Carpz. *p.* 2. *Const.* 32. *def.* 1. & Struv. *Synt. Jur. Exerc.* 23. *th.* 65. quibus etiam consentit P. Friderich *l. cit. num.* 1012. ubi negativam veram dicit esse duntaxat in casu, quo consanguineus solùm dicit, se hìc & nunc emere, se jam, vel hac vice non habere voluntatem emendi &c.

TITULUS XVIII.

De Locato, & Conducto,

Emptioni Venditioni subjungitur *Locatio Conductio*, utpote quæ valde affinis eidem est, & propterea iisdem ferè Juris Regulis, quibus illa consistit, & regitur, ut Justinianus *Inst. pr. h. tit.* & Cajus JCtus *l. locatio* 2. *ff. eod.* tant. Additur Contractus Emphyteuticus, inter utramque medius, & adeo iis similis, ut antequam à Zenone Imp. decerneretur esse Contractus distinctus *l. jus Emphyteuticarium* 1. *C. de Jur. Emphyteut.* in dubium, & quæstionem à Veteribus JCtis vocaretur, an Emptio Venditio, an verò Locatio Conductio sit.

§. I.

De Locatione Conductione.

SUMMARIUM.

1 *Definitio Locationis.*
2 *Hujus Explicatio.*
3 4 *Differentia ab aliis Contractibus.*
5 *Divisio in Publicam, & privatam.*
6 *In Perpetuam, & Temporalem.*
7 *Regularem, & Irregularem.*
8 *Locationem rei, & facti.*
9 *Expressam, & Tacitam &c.*
10 11 *Quinam inire Contractus Locationis Conductionis possint?*
12 *Quis præferri debeat, si eadem res sit duobus locata?*
13 *An primus Locator rem sibi locatam sublocare alteri possit?*
14 *An Conductor, inscio, vel invito Locatore, possit alium sibi socium in cubiculum à se conductum assumere?*
15 16 *Quænam res locari possint?*
17 *Quænam Operæ?*
18 *An quis in perpetuum alteri locare operam suam possit?*
19 *Utrum Nobiles possint operas subditorum suorum, quibus ipsi non indigent, aliis locare, vel delegare?*
20 *Locari nequeunt res propriæ Conductoris, Servitus prædialis.*
21 *Res fungibiles, & jus cudendæ monetæ.*
22 *Jurisdictio Spiritualis.*
23 24 *Qualis debeat esse Merces Locationis?*
25 26 27 *An consistere debeat in Pecunia numerata?*
28 29 *Ad quod tempus res Ecclesiæ sine solemnitatibus locari possint?*
30 *An valeat Locatio illarum ad tria triennia, vel novennia?*
31 32 33 *Quid dicendum de primo triennio, vel novennio in tali Locatione?*
34 35 *Ad quod tempus locari alteri possint fructus, & reditus pertinentes ad ipsas Ecclesias?*
36 37 38 *Ad quod tempus illi, qui pertinent ad Mensam Rectoris Ecclesiæ?*
39 40 41 *An Locationi, quam Prælatus, vel Rector Ecclesiæ fecit, stare teneatur ejusdem Successor?*
42 43 44 *An, & quando Contractui locationis stare debeant Successores alii?*
45 *Quæ obligatio ex Contractu Locationis Conductionis nascatur ex parte Locatoris?*
46 47 *An Locator rem locatam uni locare alteri licitè possit?*
48 49 50 *Quibus casibus Locator possit Inquilinum, etiam invitum, ante tempus Locationis finitum expellere?*
51 52 53 54 *An Locator totam pensionem exigere à Conductore possit casu, quo iste impeditur, ne re conducta liberè uti possit?*
55 *An minuenda sit pensio, si Conductor ob sterilitatem &c. ex re frugifera conducta fructus exspectatos non percipit?*
56 *Quænam sterilitas aut clades censeatur adeo magna, ut propterea remissio pensionis fieri debeat?*
57 58 59 *Exceptiones.*
60 *An augeri contrà pensio à Locatore possit ob extraordinariam fructuum ubertatem?*
61 *Quæ sit obligatio Conductoris?*
62 63 64 *Quam culpam præstare is debeat?*
65 66 67 *Ad quem damnum pertineat, si nesciatur, an culpa, vel casu incendium ortum sit?*

68 69

QUæritur 1. quid sit *Locatio Conductio*? *Resp. Locatio Conductio* est *Contractus Juris gentium, bonæ fidei, & solo consensu initus, quo persona, vel res aliqua alteri utenda, vel fruenda pro certo pretio, sive mercede conceditur, & ab eodem accipitur.* Ita quoad rem omnes. Adeoque Locatio, & Conductio est unus, idemque Contractus, sicut Emptio, & Venditio: nam *Locatio* dicitur ex parte concedentis, qui propterea etiam *Locator* appellatur; *Conductio* autem ex parte accipientis, qui idcirco vocatur *Conductor*: & pro rei conductæ diversitate diversa nomina subalterna accipit; nam si quidem Prædium Urbanum conduxit, *Inquilinus* dicitur *l. sed addes* 19. §. *si inquilinus* 4. & §. *seq. ff. h. tit.* si prædium rusticum, *Colonus l. si merces* 25. §. *vis major* 6. & *l. & hæc* 35. *princ. ff. eod.* si opus, *Redemptor l. cùm in plures* 60. §. *lege dicta* 3. *ff. eod.* si Vectigalia, *Publicanus*. Konig *n.* 7. *hic*.

Dicitur autem 1. Locatio Conductio esse Contractus *Juris gentium*; nam hoc Jure introductam expressè affirmat Hermogenianus *l. ex hoc Jure* 5. *ff. de J. & J.* & adstipulatur Paulus *l. locatio* 1. *ff. h. tit.* ubi testatur eam *naturalem* esse, *& omnium gentium*.

Dicitur 2. *Bonæ fidei*; nam inter hos recensetur §. *actionum* 28. *Inst. de action.* & *l. cùm venderem* 25. *ff. h. tit.* conf. si ex locato conducto agatur, alter alteri non in id solùm est condemnandus, quod in contractum nominatim deductum est, sed etiam in omne illud, quod insuper præstari æquum, & bonum est §. *in bonæ fidei* 30. *Inst. de action.*

Dicitur 3. *solo consensu initus*; nam Locatio Conductio ad sui perfectionem, & constitutionem neque continuò rei traditionem, neque verba, neque litteras desiderat, sed solo, nudoque consensu de aliqua re contenta est *l. locatio cit. l. qui ad certum* 14. *ff. eod. l. consensu* 2. *ff. de O. & A.*

Dicitur 4. *persona, vel res*; nam, ut *infrà n.* 17. locari potest tum persona ad operas, tum res ad usum, vel usumfructum.

Dicitur 5. *pro certo pretio, sive mercede*; quia sine certa mercede Locatio non contrahitur *l. & hæc distinctio* 35. §. *cùm fundum* 1. ibi *certo pretio ff. & l. licèt* 8. ibi *certis annuis quantitatibus C. hoc tit.*

Quæritur 2. quomodo Locatio Conductio differat ab aliis Contractibus? Resp. 1. *à Mutuo*; quia in Mutuo transfertur dominium rei mutuatæ à mutuante in mutuatarium; non item in Locatione Conductione, quippe in qua de rei locatæ usu solùm, aut fructu, vel operis concedentis agitur *l. cùm manu* 80. §. *fin. ff. de contrah. empt.*

2 Ab *Emptione Venditione*; tum quia etiam, si traditione rei venditæ perfecta sit, dominium illius transfert; tum quia in Emptione Venditione pretium debet consistere in pecunia numerata, cùm in Locatione secundùm dicenda *infrà num.* 26. consistere possit etiam in aliis rebus fungibilibus.

3 A *Deposito*, & *Pignore*; quia in his res traditur accipienti, ut custodiat, & servet, non autem, ut illa utatur.

4 A *Commodato*, & *Precario*; quia in his res quidem ad usum conceditur, sed gratis; & liberaliter; Locatio autem non fit, nisi interveniente mercede *l. si convenerit* 23. *ff. commun. divid.*

5 Ab *Emphyteusi*; quia locari etiam res mobiles possunt, Emphyteusis autem constituitur tantùm in re immobili: deinde in Emphyteusi transfertur dominium utile, quod in Locatione non transfertur: denique in locatione res conceditur pro mercede, in Emphyteusi canon solvitur non tam pro mercede, quàm in recognitionem dominii.

6 *A Contractibus innominatis*; quia licèt etiam in his res concedatur aliquando ad usum tantùm, sine translatione dominii, non tamen conceditur necessariò pro mercede; sed pro alia quavis re etiam non fungibili concedi potest.

Quæritur 3. quotuplex sit Locatio Conductio? Resp. quinque maximè divisiones, quas examinare oportet, reperio. Nam 1. dividitur in Publicam, & Privatam. 5
Publica est, qua prædium publicum, ad Cameram, seu Fiscum Principis spectans. *Privata*, qua prædium privatum, conducitur, vel elocatur. Inter has duas Locationis Conductionis species id discriminis præter alia intercedit, quòd prædii privati conductor, finita conductione, impedire non possit, ne dominus illius id alteri elocet, conductor verò prædii fiscalis, & publici, si tantum offerat, quantum novus, aliis conductoribus præferatur *l. congruit* 4. *C. de locat. præd. Civil. l. ne cui liceat* 32. *C. h. t.* & ibi Brunnem. *à n.* 1. Procedit autem hoc regulariter; nam aliquando etiam prædii privati conductor prælationem habet, in casu sc. quo prædium commune pluribus ab uno ex Sociis, aut condominis locaretur extraneo; tum enim socio alteri, aut condomino jus prælationis addicit Stryck. *Us. mod. Pand. h. tit.* §. 76. quòd Socii pro fratribus habeantur in Jure *l. verum est* 63. *pr. ff. pro Socio*; fratres autem extraneis præferantur *arg. l. cùm bona* 16. *ff. de reb. auth. Jud. possid.*

Dividitur 2. in Perpetuam, & Temporalem. *Perpetua* dicitur, in qua res utenda fruenda conceditur in perpetuum. *Temporalis* appellatur, in qua tempus aliquod pro usu determinatum est: quod aliquando est modicum, puta triennium, quinquennium, vel aliud decennio minus; aliquando ad tempus longum, ad decennium sc. & plures annos. Locationem perpetuam aliqui confundunt cum Emphyteusi; sed meliùs distinguitur; quòd perpetuitas, etsi concurrentibus præsertim aliis conjecturis, præsumptio pro Emphyteusi ex eadem formari valeat, reipsa tamen naturam Locationis Conductionis non destruat, quippe cùm ex illa non hoc ipso concludatur translatio dominii utilis, quod tamen necessariò transferre debet Emphyteusis. Clariss. P. Schmier *tr. de Pact. & Contract. c.* 2. *n.* 303. *& seqq.* 6

Dividitur 3. in Regularem, & Irregularem. *Regularis* dicitur, quando id agitur, ut juxta regularem hujus Contractus naturam res locata restituatur in specie. *Irregularis*, quando id agitur, ut contra naturam Contractus tantundem, id est, res in genere restituatur *l. in navem* 31. *ff. h. tit.* Stryck *ad eund. tit.* §. 4. *& seqq.* Clariss. P. Schmier *c.* 2. *cit. num.* 307. In priori dominium rei penes Locatorem manet, in posteriori transfertur in Conductorem: quæ proin causa est, ut quidam putent eam, exuta substantia Locationis, induere naturam mutui, vel alterius Contractus innominati. Lucem opinioni huic præfert *l. cùm manu* 80. §. *fin. ff. de contrah. empt.* ubi disertè statuitur, Contractum, in quo id agitur, ne dominium transeat ad emptorem, aut Locationem esse, aliud genus Contractus: ex quo proinde per argumentum à sensu contrario videtur inferri, Locationem non esse, quando id agitur, ut transferatur dominium. *Conf.* quando materia, in quam alter operam suam elocat, non est mea, non censetur esse Locatio Conductio §. *item quæritur* 4. *Inst. h. tit. l. locatio* 2. §. *adeo* 1. *ff. eod. l. Sabinus* 20. *l. convenit* 65. *ff. de contrah. empt.* atqui in Locatione Irregulari materia, in quam alter operam locat, non est mea, sed alterius fit, translato in eum dominio. ergo &c. 7

Dividitur 4. in Locationem rei, & in Locationem facti. *Locatio rei* est, quando fundus, domus, jumentum, vestimentum &c. alicui utendum, aut fruendum pro mercede conceditur: quo casu *Locator* is perhibetur, qui rem dat: *Conductor* autem, qui rem utendam, aut fruendam accipit *l. si quis* 9. *pr. &* §. *hic subjungi* 1. *l. sed addes* 19. §. *si dominus* 3. *l. sed in lege* 24. §. *si colonus* 1. *ff. h. tit.* *Facti Locatio Conductio* est, qua agitur, ut unus operam suam alteri, vel in re, vel in persona ejus præstet: unde duplicem communiter Locationem Operarum DD. subdividunt, in re sc. & in persona alterius. *In re* Locatio Operarum tunc fit, quando id agitur, ut quis alterius tabulam pingat, in area ejus ædificet insulam, ex auro illius conficiat annulum &c. & in hoc casu, sicut in Locatione rerum, is Locator salutatur, qui mercedem accipit; qui verò dat, Conductor dicitur. *In persona* autem Locatio operarum contingit, quando in id convenitur, ut nauta, vel auriga se det ad me vehendum, in quo casu aliqui contendunt, utrumque & Locatorem, & Conductorem sub diverso respectu appellari posse; alii verò cum Hoppio *ad pr. Inst. h. tit.* existimant, in ordine ad Actionem Locati Conducti illum Locatorem dicendum, qui Contractum inchoat, seque priùs alteri obtulit; Conductorem verò, qui placitum offerentis suscepit. 8

Di-

9 Dividitur 5. in Expressam, & Tacitam. *Expressa* est, quæ perficitur, expresso consensu; *Tacita*, quæ tacito consensu contrahitur. Exemplum Locationis tacitæ vulgare est: quando lapso tempore, quod Locationi à contrahentibus definitum est, Locator patitur Conductorem adhuc re conducta uti, nec eam ab ipso repetit; censetur enim ex tacito utriusque partis consensu continuata Locatio, in prædiis rusticis quidem, quorum fructus tantùm semel in anno proveniunt, ad unum integrum annum, in urbanis autem, quorum commoditas singulis momentis cedit, ad tempus domino lubitum; nam repetere poterit, quando voluerit, ut cum Bartol. *in l. item quæritur* 13. §. *fin. ff. h. tit.* & aliis contendit Engl *hic n.* 9. vel ut meliori fortassis ratione docent Menoch. *l.* 3. *præsumpt.* 85. *n.* 1. *& seqq.* Stryck. *ad tit. præsent.* §. 68. Konig *hic n.* 17. Clariss. P. Schmier. *de Pact. & Contract. c.* 2. *num.* 314. & alii plures, ad tantum tempus, quantum antecedenter in Contractu expressum erat, aut aliàs in loco Contractus determinari solebat: & videtur sententia hæc Juri conformior tum ob *l. item quæritur* §. *fin. cit.* ubi notanter dicitur, quòd *prout quisque habitaverit* (h. e. habitare solitus fuerit) ita & obligetur; tum quia in *l. qui ad certum* 14. *ff. h. tit.* deciditur, quòd, si Locatio Conductio cum expressione certi temporis facta sit, post tempus eodem modo, quo antea, renovata judicetur. *Excipitur*, quando in scriptis aliud tempus comprehensum est, in quod nempe, finita priori Locatione, & nulla facta resignatione, seu renuntiatione Locatoris, continuari Locatio debeat §. *fin. cit.*

Cæteræ divisiones, quibus Locatio Conductio scinditur in *Scriptam*, & *Non scriptam*, in *Puram*, & *Non puram &c.* planæ sunt, & ideo explanatione non indigent.

10 Quæritur 4. quinam inire Contractus Locationis Conductionis possint? Resp. possunt omnes, qui emendi, vendendique facultatem habent, nisi specialiter prohibeantur, ut cum communi tradunt Bonacin. *de Contract. D.* 3. *q.* 7. *p.* 1. *n.* 9. Haun. *tom.* 4. *de J. & J. tr.* 10. *n.* 457. Konig *hic n.* 7. Sunt autem in prohibitorum numero.

1 *Clerici*, & *Religiosi*, quibus non licet conducere prædia Laicorum *can. pervenit* 1. *caus.* 21. *q.* 3. & *c. multa* 1. *ne Cleric. vel Monach.* Intellige, si conductio fiat in ordine ad lucrum, & quæstus causa; secus; si ex causa necessitatis domesticæ *c. multa cit.* Panimoll. *decis.* 71. *n.* 26. *& seqq.* Konig *num.* 7. *cit.* Clariss. P. Schmier *c.* 2. *cit. n.* 321.

11 2 *Milites*, ne sc. omisso armorum usu, ad opus rurale se conferant, cùm potiùs armis occupari deceat *l. milites* 31. *C. h. tit.* Idem dicendum de *Curialibus*, qui obstricti, & obligati sunt Curiæ *l. Curialis* 30. *C. eod.*

3 *Tutores*, & *Curatores*; nam hi quamdiu administrant, aut Rationes Tutelæ, vel Curatelæ non reddiderunt, non admittuntur ad conducenda prædia fiscalia *l. tutores* 49. *pr.* & §. *secundùm* 1. *h. tit. l. un. C. ne Tutor, vel Curator vectig. conduc.* ne pupillus, aut fiscus damnum sentiat.

4 Fabri, Victores, aliique artifices, qui artem streperam exercent; nam hi prohibentur conducere domum vicinam habitationi Magistrorum aut Professorum, cùm aliàs eorum voces confunderentur *l. un. C. de stud. liberal. Urb. Rom.* quæ tamen prohibitio hodie in usu non est, nisi Magistri reclament, ut cum Bonacin. *p.* 1. *cit. n.* 2. advertit Konig *n.* 7. *fin.*

12 Dub. 1. quisnam alteri præferri debeat, si eadem res sit duobus locata? Resp. distinguendo, an res illa uni tantùm sit promissa, alteri autem tradita, an verò utrique solùm promissa, & neutri tradita. *Si primum*, præfertur ille, cui res titulo Locationis Conductionis tradita est *arg. l. quoties* 15. *C. de R. V. Si secundum*, is erit potior, cui primitus res fuit promissa *l. in operis* 26. *ff. l. si olei* 21. *C. h. tit.* Zoes. *ad ff. h. tit. num.* 6. Lauterbach. *ibid.* §. 16. Clariss. P. Schmier *c.* 2. *de Pact. & contr. n.* 328. *&* 329.

13 Dub. 2. an primus Conductor rem sibi locatam sublocare alteri possit? Resp. affirmativè, prout sumitur ex *l. si tibi* 7. *l. si cui* 48. *pr. ff. l. nemo* 6. *C. h. tit.* dummodo ad eundem usum, & æquè idoneo Conductori locetur. Laym. *l.* 3. *tr.* 4. *c.* 22. *num.* 2. Haun. *tom.* 4. *de J. & J. tr.* 10. *num.* 458. Wiestner *hic num.* 3. estque perinde, sive merces amplior, & major, sive minor constituatur. P. Schmier *l. cit. n.* 330. Quoad causam pignoris tamen distinctio est facienda inter sublocationem prædii urbani, & rustici; nam in sublocatione prædii rustici res secundi Conductoris non sunt obligatæ primo locatori, *sed fructus* tantùm *in causa pignoris manent*, ut ait Paulus *l. si in lege* 24. §. *si colonus* 1. *ff. h. tit.* & notat *ibid.* Brunnem. *num.* 3. *& seqq.* Stryck §. 65. P. Schmier *num.* 331. Contrà in sublocatione prædii urbani res secundi Conductoris oppignoratæ sunt locatori non minùs primo, quàm secundo *l. solutum* 11. §. *solutam autem* 5. *ff. de pignorat. act.* Brunnem. *ad l. cit. C. n.* 3.

Dub. 3. an Conductor, inscio, vel invito Locatore, possit alium sibi socium in cubiculum à se conductum assumere? Resp. cum distinctione inter id quod tenendum est de Jure, & inter id, quod observatur de consuetudine; nam *de Jure* dicendum est non posse, eò, quòd majus incommodum sustineat locator, si duo Socii in uno conclavi habitent, quàm si unus. *De Consuetudine* observatur sententia affirmans, præsertim in Academiis ubi Studiosi plerumque solent assumere contubernalem, sciente, & non contradicente Locatore. Stryck *ad h. tit.* §. 74. P. Schmier *l. cit. num.* 333.

Quæritur 5. quænam res locari possint? Resp. locari possunt res omnes, quæ hominum commercio exemptæ non sunt *arg. l. si in emptione* 34. §. *omnium* 1. *ff. de contrah. empt.* Neque refert, quales illæ sint, Mobiles, an immobiles, Corporales, vel Incorporales, propriæ, an alienæ; nam etiam res alienæ locari possunt *l. si quis* 9. *pr. &* §. *fin. l. ex conducto* 15. §. *planè* 8. *ff. h. tit.* Ratio est, quia Locatione, ut dixi, dominium non transfertur, sed tantùm usus conceditur.

Proceditque hoc, etsi res illa, quæ sic locatur, sit planè aliena, seu talis, in qua Locator nec dominium, nec usum, aut usumfructum habet, ita tamen, ut casu, quo res talis locata ab eo, cui Jura hæc, vel aliquod illorum competit, evincatur, Conductor Locatorem convenire possit ad totum id, quod sua interest, re conducta uti, aut frui non posse, sive deinde bona, sive mala fide locaverit *l. si tibi* 7. *& duab. seqq. ff. h. tit.* Liberatur tamen à præstatione interesse Locator, si rem similem æquè bonam Conductori præstet *l. si quis* 9. *ff. eod.* vel justam ignorantiam doceat *l. si fundus* 33. *ff. h. tit.*

Dub. 1. quænam operæ locari possint? Resp. duplicis generis sunt Operæ, Simplices, & Prægnantes. *Simplices* sunt, quibus equidem impenditur labor corporalis, sed nullum opus producitur, cujusmodi sunt ire Romam &c. *Prægnantes* sunt, quibus opus aliquod externum producitur, v. g. pingere tabulam, fabricare calicem, construere domum &c. Utriusque generis operæ locari possunt, si tamen honestæ sint, & mercenariæ: *honestæ* debent esse; quia Conductio operæ, vel operis turpis involvit peccatum, nec obligationem parit, cùm ad delinquendum nulla dari obligatio possit: *mercenariæ*, autem; nam *Operæ non mercenariæ*, seu *Liberales*, quales sunt, quæ viribus potiùs ingenii, seu animi, quam labore corporis expediuntur, veluti docere, orare, mederi &c. cùm æstimationem non recipiant, non locantur, & quod pro iis solvitur, non ut merces solvitur, sed ut honorarium, vel salarium *l. qui operas* 38. §. *Advocati* 1. *ff. h. tit. l. præses* 1. §. *proinde* 5. *ff. de extraord. cognit.* quod propterea non petitur *actione Conducti*, sed vel *Condictione certi*, si certum quid promissum sit; vel *ex stipulatu*, si in facto consistat, quod promissum est; vel *Condictione ex moribus*, si promissum est nudo duntaxat pacto; vel denique *Officio Judicis*. Azor. *in summ. C. h. tit.* Konig *hic n.* 14.

Dub. 2. an quis in perpetuum alteri locare operam suam possit? Negant Dynus, Cynus, Jacobus de Atena, & alii non pauci, quos refert, & sequitur Sichard. *C. h. tit. n.* 6. *&* 9. ex ratione, quòd non valeat pactum, quo quis se servum facit *arg. l. conventio* 37. *ff. de liberal. caus. l. nec si volens* 6. *& l. interrogatam* 24. *C. h. tit.* at in perpetuum operas suas locare alteri, speciem quandam servitutis habet *l. nihil* 2. *ff. de hom. lib. exhibend.* Sed communi DD. calculo rectè Covar. *de sponsal. p.* 2. *c.* 7. *n.* 5. Celer. *de process. execut. p.* 1. *c.* 9. *num.* 27. & aliis apud Harpprecht *princ. Inst. h. tit. n.* 38. recepta est sententia affirmans; quia longè diversa sunt esse servum, & esse famulum, & longè minùs servitutis speciem habet addicere suas operas in perpetuum alteri, quàm in perpetuum se subjicere Jurisdictioni alterius, quod tamen indubitatò est licitum.

Dub. 3. utrum Nobiles possint operas subditorum suorum, quibus ipsi non indigent, aliis locare, vel delegare? Resp. cum Berlich *decis. aur.* 67. *pag.* 222. *& seqq.* negativè. *Ratio est*, quia hæ operæ sunt obsequiales, seu officiales; operæ autem officiales delegari non possunt. Item sunt servitia realia, ac prædiis inhærent, ut adeo illi tantùm debeantur, ad cujus dominium directum prædia spectant. *Conf.* à paritate; quia Dominus Feudi Vasallos invitos alienare, & delegare non potest. *Excipiunt* aliqui, si necessitas foret, v. g. si dominus sine sua culpa ære alieno oppressus esset; tum enim putant posse illum pro subsidio Charitativo subditis suis man-

mandare, ut servitia illa personalia, quæ sibi debentur, pro mercede exhibeant aliis. Sed quia difficulter probatur subsidii hujus Charitativi obligatio, idcirco videtur etiam hoc casu standum Jure communi.

Dub. 4. quænam aliæ res locari nequeant? Resp. 1. *res propria* ipsius Conductoris *l. qui rem* 20. *C. h. tit.* quia cum proprium dominii sit posse re sua uti, pro ejus usu mercedem à domino præstari iniquum foret. *Excipitur*, quando dominus res suas pignoris, aut alio Jure in alium transtulit; nam has conducere ab isto potest *l. cum & sortis* 35. §. *pignus* 1. *l. si pignus* 37. *ff. de pignor. act. l. res pignoris* 37. *ff. de acquir. vel amitt. poss.*

2 *Servitus prædialis*, nisi locetur cum prædio, seu fundo, cui adhæret *l. locare* 44. *ff. hoc tit.* Aliud dicendum de Servitutibus personalibus; nam hæ separatim rectè locantur *l. si quis* 9. §. *hic subjungi* 1. *ff. eod.* Idem dicendum de Usufructu, & habitatione; nam etiam ipsæ locati possunt ab iis, quibus Jura hæc competunt §. *sed si cui* 5. *Inst. de us. & habit.* ita tamen, ut casu, quo Ususfructuarius, qui Usumfructum (& idem est de habitatione) locavit, intra tempus, pro quo facta locatio est, moriatur, cum usufructu etiam exspiret Locatio, adeo, ut hæres locatoris eo casu non ad interesse, sed ad solam mercedem pro rata temporis, quo Conductor re amplius uti non potest, remittendam teneatur; & ratio est, quia tempus ab Usufructuario Locatore præfixum habet sibi adjectam hanc tacitam conditionem *Si tamdiu vixerit*; cum enim ususfructus sit personalis, & cum persona exspiret §. *finitur* 3. *Inst. de Usufr.* ideo locum habet axioma, quòd *resoluto jure dantis, resolvatur etiam jus accipientis*.

3 *Res fungibiles*, præterquam ad pompam, & ostentationem *arg. l. si mihi* 3. §. *fin. ff. commod.* quia Locatione, si Regularis illa sit, res conceditut ad usum, ut elapso termino restituatur; res autem fungibiles, ad usum proprium concessæ, restitui nequeunt, cùm usu consumantur. Azor *p. 3. l. 8. de locat. c. 4. q. 6. & 7.*

4 *Jus cudendæ monetæ*, quod qui habent, alteri vendere, locare, vel cedere prohibentur, & qui contra fecerint, gratia Cæsarea, & jure monetæ excidunt, Conductores vero decem auri marcis mulctantur. *Recess. Imp. de Anno* 1551. *so haben bir uns auch* 46. *de anno* 1559. §. *ferner als sich auch* 175. *& de anno* 1570. §. *als dann* 132. Sed adversus hanc Legem, ut Stryck *ad ff. h. tit.* §. 67. notat, ubivis hodie peccatur; quia læsio, damnumve, cui occasionem cessiones ejusmodi faciunt, solis subditis, locupletatio verò solis Principibus obvenit.

5 *Jurisdictio*, non quidem temporalis, & patrimonialis (hæc enim hodiernis moribus aut separatim locari potest, aut una cum territorio, cui connexa est, censetur locata. Stryck §. 67. *cit.* Lauterbach *ibidem* §. 20. Clariss. P. Schmier *num.* 2. *de pact. & contract. n.* 336.) sed Ecclesiastica, propter qualitatem Spiritualem per *Rubr. & text. Ne Prælat. vic. suas &c.* ubi pluribus hoc explicabitur.

6 *Res Ecclesiarum*, & aliorum piorum locorum, etiam temporales, si *immobiles* sint, *aut mobiles pretiosæ*, quæ servando servari possunt; nam ut istæ ultra triennium locari possint, opus est, ut interveniat causa justa, & solemnitates Canonicæ, ut *infra à num.* 28. dicetur.

Quæritur 6. qualis debeat esse merces Locationis? Resp. 1. debet esse *vera*, non ficta, & simulata; atque ideo Locatio pro uno nummo facta est nulla: si tamen seriò quid voluerint agere contrahentes, donationis vim obtinet *l. sicut* 20. *& l. si quis* 46. *ff. h. tit.*

2 *Certa*, certitudine vel absoluta, qualis est, cùm contrahentes ipsi mercedem designant; vel relativa, quando eo referunt, unde certificari potest §. *& quæ* 1. *Inst. h. tit.* & *l. si merces* 25. *ff. eod.* Unde siquis alteri equum, fundum, vel domum suam locaverit, nulla expressa certa mercede, vel cum pacto, ut præstetur merces justa, aut illa, de qua postea inter contrahentes convenier, non Locatio Conductio, sed Contractus innominatus censeri debet §. *& quæ cit.* neque inde actio bonæ fidei, sed præscriptis verbis competet *l. si tibi* 22. *ff. de præscript. verb.* nisi Lege, vel moribus certa merces determinata sit. Gomez *tom.* 2. *var. c.* 3. *num.* 4. P. Konig *hic num.* 15. P. Schmier *c.* 2. *de Pact. & Contract. n.* 344.

3 *Justa*, ut æquivaleat usui rei, aut operæ hominis. Lauterbach. *ff. h. tit.* §. 33. P. Konig *n.* 15. *cit.* P. Schmier *num.* 345. Si injusta sit merces, etiam Locatio injusta erit, sed non irrita, irritabilis tamen, si vel dolus alterius intervenerit *tot. tit. ff. de dol. mal.* vel alteruter ultra dimidium læsus fuerit; nam ut *tit. præc. n.* 207. dixi, beneficium *l. rem majoris* 2. *C. de rescind. vend.* in hoc etiam contractu locum nanciscitur, ob rationis paritatem, & *arg. pr. Inst. h. tit.* & *l. locatio* 2. *ff. eod.*

Dubium est, utrum sicut pretium in Emptione, ita 25 Merces, seu Pensio in Locatione in pecunia tantum numerata, an etiam in aliis rebus fungibilibus consistat? Tres sunt sententiæ.

Prima pro mercede Locationis requirit pecuniam numeratam. Ita Gomez *tom.* 2. *var. cap.* 3. *num.* 3. *vers. item quæro*, Mantic. *de tacit. & amb. convent. l.* 5. *tit.* 1. *num.* 11. & *tit.* 2. *num.* 25. Less. *l.* 2. *de Just. cap.* 24. *num.* 1. Fachin. *l.* 2. *contr. c.* 82. *vers. sed hæc & similia*, & alii plures apud Haun. *tom.* 4. *de J. & J. tr.* 10. *num.* 438. Fundantur 1. *l. depositum* 1. §. *si quis servum* 9. *ff. deposit.* ubi dicitur, si pro servo custodiendo pecunia detur, vel accipiatur, locationem esse; secus, si operæ servi cum custodia compensentur. 2. *l. naturalis* 5. §. *at cum do* 2. *ff. de præscript. verb.* ubi Paulus, *At cùm do*, inquit, *ut facias, si tale sit factum, quod locari solet — pecunia data, locatio erit — si res, non erit Locatio:* sicque discrimen inter Locationem, & Contractum innominatum *Do, ut facias*, hoc constituitur, quòd in illa solvatur pecunia, in isto res. *tit. l. si merces* 25. §. *vis major* 6. *ff. h. tit.* 3. ubi dicitur, quòd si Colonus partiarius non pro pecunia, sed pro parte fructuum usum fundi obtineat, contractus talis speciem Societatis induat.

Secunda sententia contendit mercedem Locationis 26 constitui posse non solum in pecunia numerata, sed in quavis alia re fungibili, puta, vino, oleo, frumento &c. Ita Vultejus *pr. Inst. h. tit. n.* 14. Corras. *miscell. l.* 2. *cap.* 11. Valasc. *de Jur. Emphyt. q.* 20. *n.* 5. Vall. *hic* §. 1. *num.* 2. Zoes. *ad ff. ibid. n.* 5. Vvidmont *de Contract. tit.* 12. *n.* 3. & alii plures apud Barbos. *in Rubr. h. tit. n.* 7. & Haun. *l. cit. vers. secunda sententia*, ubi ipsemet eam sequitur, & deducit per complures *numeros seqq.* Nituntur 1. *l. si olei* 2. *C. h. tit.* ubi Impp. *Si olei* (inquiunt) *certa ponderatione fructus anni locasti, de contractu bonæ fidei habito propter hoc solum, quòd alter majorem obtulit ponderationem, recedi non oportet.* posset autem recedi, si, quod Adversarii volunt, hoc casu non locatio, sed contractus innominatus foret. 2. *l. & hæc distinctio* 35. *ff. eod.* ubi Africanus JCtus respondit, tunc etiam Conductionem esse, quod ita inter contrahentes convenit, *ut fructus mercedis nomine pensaretur*. 3. *l. licet* 8. *C. eod.* ubi proponitur fundus *certis annuis quantitatibus* locatus conductus: quæ verba non magis ad mercedem in pecunia, quam in fructibus applicari possunt.

Tertia sententia, & meo judicio probabilior cum 27 Hilliger *ad Donell. comment. l.* 13. *c.* 16. *lit. J. in notat.* Bachov. *ad Treutler. vol.* 1. *D.* 29. *th.* 3. *lit. G.* Brunnem. *ad l. si olei cit. n.* 2. Konig *hic n.* 16. Clariss. P. Schmier *c.* 2. *de Pact. & Contr. n.* 348. *&* 349. distinguit inter locationem operæ, & inter locationem rei, & quoad hanc inter locationem rei frugiferæ, & non frugiferæ. *In locatione operæ*, & *rei non frugiferæ* merces in pecunia numerata debet consistere, prout bene probant textus pro prima sententia allegati. Contrà in *Locatione rei frugiferæ* v. g. vineæ, agri, oliveti &c. merces consistere potest in re alia, fungibili tamen, e. g. in certa parte fructuum per Jura allata pro secunda sententia. Addidi *fungibili tamen*, seu tali, quæ usu quotidiano consumitur; nam si constituatur in re non fungibili, & ego e. g. alicui agrum meum utendum concedam, ut ille mihi vicissim bovem, aut equum det, vel solum quoad usum, non locatio erit, sed Contractus innominatus, nec solo consensu perficietur, sed tunc primum, cum res actualiter simul tradita fuerit juxta naturam contractuum innominatorum §. *præterea Inst. h. tit. l. si pecuniam* 5. *ff. de condict. caus. dat.* Engl *hic n.* 1.

Quæritur 7. ad quod tempus res Ecclesiæ locari possint 28 sine solemnitatibus in *Clem.* 1. & *Extrav. ambitiosæ de reb. Eccl. non alien.* requisitis? *Certum est*, prohibitas esse locationes rerum Ecclesiæ immobilium, & mobilium pretiosarum ad tempus longum; contra permissas ad tempus breve, etsi fiant sine solemnitate canonica.

Dubium 1. est, quodnam tempus sit ita breve censendum, ut ultra illud extensa Locatio indigeat solemnitate Canonica? Resp. hic distinguendum esse inter Jus antiquum, & novum; nam *Jure antiquo* tempus breve in proposita materia censebatur tempus quodcunque decennio minus *arg. c. fin. Ne Prælat. vic. suas &c.* Gloss. *fin. in Clem. cit.* Azor *p.* 2. *l.* 7. *cap.* 10. *q.* 3. Barbos. *l.* 3. *Jur. Eccl. c.* 30. *n.* 30. Pirh. *hic n.* 21. Vviest. *n.* 6. alii passim. *Jure novo* Locationes ejusmodi rerum ultra triennium, si absque solemnitatibus, & consensu Apostolico fiant, prohibentur, ut præter *cit.* [illegible] advertit Gibalin. *tom.* 2.

tom. 2. de negot. l. 4. cap. 8. art. 4. conf. 11. numer. 5. Zoes. *hic num.* 4. Schamb. *num.* 2. & patet per *Extrav. cit.*

29 Et hoc Jus hodie observandum est, ut recte monet Navarr. *Man. c. 27. n. 149. Excipitur* 1. ubi Constitutio hæc non recepra, aut per non usum, vel contrarium usum derogatum eidem est; nam in talibus locis absque solemnitate Locationes rerum Ecclesiasticarum ad novennium fieri hodiedum possunt. *Excipiuntur* 2. res modicæ, & exigui valoris; nam istæ locari possunt non ad decennium tantum, sed ad quodcumque tempus, cum omnino alienari possint.

Porro triennium hoc accipi debet formaliter, h. e. pro utili, & fructuoso. Unde si fundus aliquis alternis tantum annis est fertilis, ad sexennium; si tertio quoque anno ex eo integri fructus percipiantur, ad novennium sine solemnitate locabilis est, quòd annus in locatione non ex simplici decursu temporis, sed ex decursu cum proventu fructuum taxari debeat. Covar. *l. 2. var. c. 16. n. 5.* Mantic. *de tacit. & ambig. convent. tom. 1. l. 5. tit. 3. n. 22.* Azor *p. 2. l. 7. c. 10. q. 8. & l. 9. c. 2. q. 2.* Quarant. *V. alienatio n.* 18. Barbos. *l. 3. Jur. Eccl. c. 17. n.* 73. Gibalin. *tom. 2. de negot. l. 4. c. 8. art. 4. confect. 11. n. 8.* Pignatell. *tom. 4. conf.* 223. Vvidmont *de Contract. tit. 12. n. 20.* Konig *hic n. 12.*

30 Dub. 2. an in locis, ubi *Extrav. cit.* est usu recepta, prædium Ecclesiasticum ad tria triennia, & ubi non est recepta, ad tria novennia locari valide possit, addito pacto, ut finito uno triennio, vel novennio, Locatio censeri debeat renovata ad aliud triennium, vel novennium? Idem est, si Locatio una, eademque die fiat diversis e. g. Titio pro primo triennio, Cajo pro secundo, Mævio pro tertio. Baldus in *l. voluntas 4. C. de fideicommiss.* putat hujusmodi locationes validas esse etiam quoad triennium, vel novennium secundum, & tertium, ex ratione, quod tali conventione non una, sed tres locationes ineantur, quarum singulæ extendantur ad tempus à Jure permissum.

Sed melius dicitur ejusmodi Locationes rerum Ecclesiasticarum prohibitarum alienari, si sine solemnitate Jure requisita fiant, invalidas esse. Ita Covar. *l. 2. var. c. 16. n. 4.* Valasc. *de Jur. Empt. q. 29. n. 15.* Azor *p. 2. l. 9. c. 2. q. 3. & p. 3. l. 8. de locat. c. 3. q. 3.* Vasq. *de reditib. c. 2. §. 2. n. 25.* Molin. *tr. 2. de J. & J. D. 466. n. 11.* Barb. *de Offic. Episc. alleg. 95. n. 17.* Giballin. *tom. 2. de negot. l. 4. c. 8. art. 4. confect. 11. n. 6.* Pignatell. *tom. 6. conf. 95. num.* 234. *& seqq.* Zoes. *hic n. 6.* Pirh. *n. 22.* Schamb. *n. 3.* Konig *n. 12.* Vviest. *n. 8.* & colligitur ex *Novell. 7. c. 3. in fin.* ubi nullum dicitur esse pactum ea conditione factum, ut is, qui res ad Ecclesias Constantinopolitanas pertinentes in Emphyteusim concessit, teneatur postea illas concedere hæredibus accipientis: & ratio ibidem additur; quia hoc nihil aliud est, quam per revolutionem, & machinationem perpetuas eis Emphyteuses, magis autem privationes Ecclesiasticarum agi rerum. atqui ratio ista æque militat adversus locationes in dubitatione propositas; revera enim res Ecclesiastica locatur ultra tempus à Jure definitum. *Conf.* quia hujusmodi pactum adjectum Locationi fit in fraudem Legis, & sic quod una via prohibitum est, contra intentionem Legislatoris obtinetur per alteram contra *Reg. cum quid 84. in 6.*

Neque vim habet argumentum Baldi; quantumvis enim non una, sed tres triennales, vel novennales Locationes sint, revera tamen prædium Ecclesiasticum per eas ultra triennium, aut ad longum tempus locaretur, & conduceretur.

31 Dub. 3. an hujusmodi Locatio ad tria triennia, vel novennia etiam irrita sit quoad triennium, & novennium primum? Tres sunt sententiæ.

Prima vult illam vitiari in totum. Ita Bartol. *in Auth. qui rem C. de SS. Eccl. num.* 7. Navarr. *de alien. rer. Eccl. n.* 21. Covar. *l. 2. var. c. 16. n. 5.* Azor *p. 2. l. 7. c. 10. q. 4. & l. 9. c. 4.* Valasc. *de Jur. Emphyt. q. 29. n. 15.* Mantic. *de tacit. & ambig. convent. l. 5. tit. 5. princ.* Stephan. Gratian. *Discept. forens. c. 126. n. 22.* Vasq. *§. 2. cit. à n. 28.* Gibalin. *confect. 11. cit. n. 7.* Fundantur 1. *Clem. 1. de reb. Eccl. non alien.* ubi dicitur, ex locatione, ultra tempus à Jure permissum extensa *recipienti jus aliquod non acquiri*: & multo clarius *Extrav. ambitiosæ eod.* ubi statuitur, quod locatio, ultra triennium sine præscripta solemnitate facta, *nullius omnino sit roboris, vel momenti.* 2. *Novell. 7. c. 3. pr.* ubi Emphyteusi, ultra legitimum tempus datæ, robur adimitur; & *c. 7.* illam accipere præsumens dicitur ab Emphyteusi cadere. 3. *ratione*; quia solemnitas in locatione rerum Ecclesiæ ultra triennium ad formam illius pertinet; forma autem cum sit individua, evitari non potest dividendo per plura tempora. 4. *natura ipsius Locationis*, quæ est, ut sit contractus reciprocus pendens voluntate duorum. atqui hujusmodi contractus, si non valent, ut fiunt, neque valent, ut fieri potuerunt, cùm videatur intrare Axioma vulgare, *Quod potui, nolui & quod volui, non potui.*

Secunda sententia affirmat hujusmodi Locationem subsistere saltem pro primo triennio, vel novennio. Ita Bald. *in Auth. siquas ruinas C. de SS. Eccl.* Tusch. *practic. V. Locatio Concl. 406. n. 2.* Ricc. *ref. 102. num. 3.* Molin. *tr. 2. de J. & J. D. 467. n. 3.* Rebell. *de obl. Just. p. 2. l. 14. qu. 6.* Pirh. *hic n. 22.* Nituntur præcipue *Reg. 37. in 6.* quia in iis, quæ separari possunt, *utile per inutile vitiari non debet*. atqui in proposito tempus quoad excessum commode separari potest à tempore Jure permisso. ergo licèt ejusmodi Locatio non valeat quoad secundum, & tertium triennium, vel novennium, valebit tamen quoad primum. *Conf.* à pari cum donatione ultra 500. solidos facta absque insinuatione, quæ licèt invalida sit quoad excessum, valida tamen manet quoad summam Jure permissam *l. sancimus 34. pr. & l. siquis 36. §. fin. C. de Donat.* Item cum Indulgentiis concessis ab Episcopo ultra tempus ipsi permissum, quarum concessio licet sit irrita quoad excessum, valet tamen quoad annum à SS. Canonibus ipsi indultum, ut *in c. fin. de pœnit. & remiss. in 6.* notat Gloss. *fin.* & Barbos. *ibid. n. 2.* igitur valebit etiam Locatio quoad primum triennium, vel novennium, licet non valeat quoad secundum, & tertium.

Tertia sententia, quam defendunt Quarant. *V. alienatio n.* 18. Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 95. n. 11.* Donat. *tom. 1. Prax. Reg. p. 2. tr. 14. q. 42. n. 2.* Engl *tit. de reb. Eccl. non alien. n. 12.* Zoes. *hic n. 5.* Schambog. *n. 3.* Konig *n. 12.* est inter utramque priorem media, & quia easdem ope distinctionis satis bene combinat, videtur cæteris præferenda. Vel enim Locatio ejusmodi individua est, itaque inita, ut ex mente contrahentium non nisi pro triplicato triennio, vel novennio toto teneat; vel contra est dividua, itaque inita, ut primo triennio finito, incipiat nova Locatio. *Si primum*, Locatio neque pro primo triennio, vel novennio valet: quod bene probant argumenta primæ sententiæ: *Si secundum*, valet pro primo, & non pro reliquis. *Neque obstat*, quòd *Clem.* & *Extrav. cit.* dispositio generalis sit; nam Leges, etsi loquantur generaliter, non tamen improbare censentur, quæ aliis Legibus permissa sunt, ut sic correctio Juris vitetur, quam Leges oderunt. Porro individua Locatio tunc præsumetur facta, quando ita fit, ut ex conventione non nisi una merces pro toto tempore solvi debeat; dividua autem, si annua, seu singulis annis respondens Locationis pensio esset solvenda.

Quæritur 8. ad quod tempus locari alteri possint fructus, sive reditus Ecclesiastici? Resp. distinguendum esse inter fructus, & reditus ipsarum Ecclesiarum, & inter fructus, & reditus Beneficiales, seu pertinentes ad mensam Rectoris Ecclesiæ. Et hinc

Dub. 1. ad quod tempus locari alteri possint fructus, & reditus pertinentes ad ipsas Ecclesias? Videntur hodiedum locari posse ultra triennium, non obstante *Extr. ambitiosæ cit.* quia hæc solum prohibet alienationem *rerum, & bonorum Ecclesiasticorum*: quibus verbis res, & bona, seu possessiones Ecclesiarum, non verò fructus, & reditus ex his provenientes comprehendi videntur.

Sed dicendum, fructus, & reditus pertinentes ad ipsas Ecclesias à Prælato, vel Rectore Ecclesiæ ultra triennium locari non posse, posse infra triennium. Ita Gutier. *l. 1. can. qq. c. 8. n. 14.* Azor *p. 2. l. 7. c. 10. q. 3.* Less. *l. 2. de Just. c. 24. n. 68.* Bonac. *de Contract. D. 3. q. 8. p. 4. n. 32. vers. falsum verò*, Barbos. *alleg. 95. n. 20.* Vviest. *hic n. 12.* estque hoc teste communis DD. sententia, quam Tribunalium praxi, & Rotæ Decisionibus firmat Barbos. *l. cit.*

Pars 1. non obscure insinuatur *Extrav. cit.* ubi *omnium* 3
rerum, & bonorum, ac proinde etiam fructuum Ecclesiasticorum Locatio triennali major vetatur; neque enim verum est, quòd *rerum*, & *bonorum* nomine comprehendantur solæ possessiones: imò eo nomine etiam fructus comprehendi clare indicat Exceptio ejusdem *Extrav.* permittens alienationem *fructuum, & bonorum, quæ servando servari non possunt, pro instantis temporis exigentia.* cùm igitur exceptio firmet Regulam in casibus non exceptis, dicendum alienari, & consequenter locari tantum posse fructus, qui servando servari nequeunt. tales autem non sunt fructus post locationis triennium provenientes, utpote qui nondum extant. ergo &c.

Pars altera constat ex *c. vestra 2. h. tit.* ubi permittuntur hujusmodi fructus *locari liberè*, modo ejusmodi Locatio non *extendatur ad feudum, vel alienationem perpetuam*,

petuam, seu ad longum tempus. igitur ad breve tempus locari poterunt: & tale juxta *Extrav. cit.* est triennium, ut dixi *supra n.* 28. *Proceditque hoc*, ut *c. vestra cit.* habetur, *Statuto contrario non obstante*; quia licèt Episcopus cum Capitulo suo Cathedrali possit condere statuta in iis, quæ pertinent ad Jurisdictionem suam, non tamen potest statuto suo Ecclesiis sibi subjectis, harumque Rectoribus auferre privilegium à Jure indultum juxta *Reg.* 17. *in* 6. & tale est privilegium locandi fructus, & res Ecclesiæ ad tempus breve.

Dub. 2. ad quod tempus locari alteri possint fructus rerum beneficialium, pertinentes ad Mensam Rectoris Ecclesiæ? *Negant* ultra triennium sine consensu Apostolico locari posse Emman. Sa *V. conductio n.* 13. Gutier. *l.* 1. *can. qq. c.* 8. *n.* 14. Barbos. *alleg.* 95. *n.* 20. Fundantur 1. verbis *Extrav. cit. princ.* ubi loquitur de bonis, *ex quibus Ecclesiæ, Monasteria, & pia loca reguntur, illustranturque, & eorum ministri sibi alimoniam vendicant*. talia autem bona sunt reditus Beneficiales, & fructus destinati Mensæ, seu ad sustentationem Rectoris Ecclesiæ. ergo nec isti ultra triennium sine solemnitate Canonica locari possunt. 2. *Extrav. cit.* prohibentur alienari, & ultra triennium locari bona, & res Ecclesiasticæ quæcunque. inter res autem, & bona Ecclesiastica etiam sunt reditus, & fructus pertinentes ad mensam Rectoris Ecclesiæ. 3. si reditus Beneficiales ad longum tempus locare Beneficiarii possent, facilè posset contingere, ut sustentatione necessaria successu temporis vel ipsi, vel successores eorum carerent, si videlicet merces Locationis de præsenti acciperetur, & hæc consumeretur. atqui hoc tolerari non potest; quia cederet in dedecus Ecclesiæ. ergo &c.

Sed his non obstantibus, probabilius fructus, & redictus Beneficiales, qui ad Mensam Rectoris Ecclesiæ spectant, ultra triennium locari possunt. Ita Abb. *in c.* 2. *n.* 7. *de his, quæ fiunt a Prælat.* Covar. *l.* 2. *var. c.* 16. *n.* 6. *vers. sextò*. Vasq. *de reditib. c.* 1. §. 2. *num.* 34. Zerol. *prax. Episc. p.* 1. *V. alienatio* §. 3. Molin. *tr.* 2. *de J. & J. D.* 466. *num.* 7. Pal. *tr.* 12. *D. un. p.* 14. *num.* 12. Gibalin. *tom.* 2. *de negot. l.* 4. *cap.* 8. *art.* 4. *consect.* 11. *n.* 9. Pirh. *hic n.* 26. *princ.* Schambog. *n.* 3. Vviest. *n.* 11. Ratio est, quia *Extrav. cit.* Paulus II. consulere voluit indemnitati Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum piorum locorum, & propterea agit de bonis, quorum alienatio cedit in detrimentum dictorum locorum, & Cultus Divini. atqui per Locationem redituum, & fructuum, pertinentium ad mensam, seu sustentationem Rectoris Ecclesiæ, nullum Ecclesiæ, Monasteria &c. patiuntur detrimentum, nec diminuitur Cultus Divinus. ergo istorum Locatio in dispositione *Extrav. cit.* non comprehenditur, & consf. ultra triennium fieri potest.

Ad Argumenta adversæ sententiæ facilè respondetur. *Ad* 1. nomine *Ministrorum* in *Extrav. cit.* intelliguntur non Clerici Beneficiarii, aut Prælati, vel Rectores Ecclesiarum, sed cæteri, qui Ecclesiis, vel Monasteriis serviunt, & ab iis ex fructibus rerum locari prohibitarum stipendia sustentationis accipiunt. *Ad* 2. prohibitio ejusdem *Extrav.* afficit solùm illos, qui ultra triennium absque solemnitate Canonica locant reditus, & fructus spectantes ad ipsas Ecclesias, vel Monasteria, non verò ad illos, qui locant fructus, & reditus spectantes ad Mensam, vel sustentationem suam. *Ad* 3. ne Successor ex tali locatione patiatur damnum, aut ipse Beneficiarius, vel Rector Ecclesiæ per eam careat necessaria sustentatione, satis provisum est à Trid. dum *sess.* 25. *c.* 11. *de reformat.* irritat Locationes illas, quæ fiunt *anticipatis solutionibus*, vel Successoribus præjudicare possunt. Unde non facilè aliquis ejusmodi reditus ad longum tempus, & anticipata solutione conducet: & si conduceret, damnum, quod pateretur, sibi deberet imputare, cum scire debuerit, & potuerit, quod Locatio obitu, resignatione &c. Locatoris finiatur, & fructus, post Locatoris obitum provenientes, ad Successorem pertineant.

Dub. 3. an Locationi, quam Prælatus, vel Rector Ecclesiæ fecit, teneatur stare ejusdem Successor? Resp. cum distinctione: Vel enim facta est Locatio fructuum pertinentium ad ipsas Ecclesias, vel eorum, qui ad Mensam tantum Prælati, vel Rectoris Ecclesiæ spectant. *Si hoc secundum*, non tenetur tali Locationi stare ejusdem Successor per textus, aut *arg. c. fin. Ne Prælat. vic. suas &c.* & notant *ibidem* Gloss. *V. statutum terminum*, Covar. *l.* 2. *var. c.* 15. *n.* 6. *vers. secundum*, Pal. *tr.* 12. *D. un. par.* 14. *num.* 13. Vall. *hic* §. *num.* 6. Honor. *n.* 5. Engl *num.* 9. *vers. quartò*. Pirh. *n.* 26. Schamb. *n.* 4. Vviest. *num.* 15. Proceditque hoc, etsi Locatio facta sit ad tempus non longum, videlicet infra triennium, vel decennium. Ratio est, quia Locatio hoc casu facta est nomine, & de Jure proprio, quod jus & nomen cùm respectu rei locatæ extinguatur morte, vel resignatione Rectoris, necesse est, ut exspiret etiam ipsa Locatio. Excipitur, si res non amplius esset integra, ut si consiti sint agri, si pendeant fructus, vel inchoatus sit annus. Vall. *n.* 6. *cit.*

40 *Si primum*, iterum distinguendum est, an Locatio legitimè, & secundum Jura, an contra illa sit inita. *Si contra Jus*, ligare Successorem non potest; quia etiam non ligat Locatorem, utpote invalida. *Si secundum Jura est inita*, Successor in Dignitate, vel Officio tali Locationi stare tenetur. Abb. *in c. fin. cit. n.* 5. Covar. *n.* 6. *cit. vers. primum*, Pirh. *n.* 24. *hic*, cum aliis *supra*. Ratio est, quia talis Locator est legitimus Administrator Ecclesiæ & rerum ad Ecclesiam pertinentium. ergo si ad triennium, vel ultra, cum solemnitate Canonica tamen, res Ecclesiæ locet alteri, validus est Contractus. Contractui autem valido, ab Administratore nomine Ecclesiæ inito, stare Successor in Officio, vel Dignitate debet. ergo &c. *Conf.* nam Prælatus, & Rector Ecclesiæ respectu rerum Ecclesiæ, suæ administrationi commissarum, se habet, sicut Tutor respectu sui Pupilli. atqui si Tutor nomine Pupilli Contractum validè iniit, stare eidem debet etiam Tutor, qui eidem succedit in officio, imò ipse Pupillus *arg. l. si tutelæ* 8. *ff. de administr. Tutor.*

41 *Proceditque hoc*, etsi Prælatus, vel Rector Ecclesiæ, qui locavit, tantum ad triennium, vel etiam ad unum solummodo annum sit constitutus; adhuc enim stare Locationi, nomine Ecclesiæ, Monasterii, &c. per ipsum legitimè factæ, Successor debet, ut rectè advertit Covar. *c.* 15. *cit. n.* 6. *vers. ex hoc apparet*, Laym. *de reb. Eccl. non alien. n.* 80. Pirh. *n.* 25. *hic*, & probat ratio; alioquin enim Prælatus, vel Rector non haberent sufficientem, & legitimam potestatem administrandi, & deciperentur, qui cum eodem hujusmodi Contractus ineunt.

Excipitur tamen, nisi Successor, vel Ecclesia se læsam ex tali Contractu esse probare possint; tunc enim recurrere possunt ad beneficium restitutionis in integrum intra tempus quadriennii à Jure definitum *c. requisivit* 1. & *c. auditis* 3. *de in integr. restit.*

42 Dub. 4. an, & quando Contractui Locationis stare debeant Successores alii? Resp. distinguendo inter Successorem universalem, & particularem. *Successor universalis*, qualis est hæres, tenetur stare Locatione, facta à suo prædecessore, uti & hæres Conductoris *l. viam* 10. *C. hoc tit.* & ratio est, quia repræsentant personam defuncti, & succedunt in ejus obligationes. *Excipitur*, nisi in contractu appositum fuerit, *Quoad voluerit is, qui locavit*; tunc enim solvitur morte Locatoris *l. locatio* 4. *ff. eod.* quia voluntas cum vita cessare censetur: & hinc cum concedente etiam exspirant gratiæ, facultates, & privilegia, si hoc modo concessa fuerint, prout dicetur *l.* 5. *tit.* 33. *Extenditur* etiam ad casum, quo in bona vel omnia, vel aliquotam illorum partem, v. gr. dimidiam, tertiam, aut quartam succedit Fiscus, & Locatio ante delictum facta est; nam etiam ipse stare debet contractu Locatoris condemnati, prout sumitur ex *l. tutoris* 2. *C. ad Leg. Jul. de vi publ.* & ratio est, quia hoc casu & ipse Successor universalis est.

Contra *Successor particularis* regulariter stare contractu Locationis, à Prædecessore factæ, non tenetur 43 *l. emptorem* 9. *C. hoc tit. l. si merces* 25. §. *qui fundum* 1. & *l. qui fundum* 32. *ff. eod.* Ratio est, quia actio ex hoc contractu personalis est, adeoque ad successorem particularem non transit. Ex quo sequitur, si Locator vendidit rem locatam alicui tertio, quòd non teneatur emptor pati Conductorem in re conducta, sed possit illum expellere, etiamsi tempus Conductionis necdum elapsum sit: & idem est de Legatario, Usufructuario, Emphyteuta, &c. Venditor tamen, sive dominus, qui fundum ante tempus Locationis elapsum vendidit, aut tradidit Usumfructum, &c. eo casu, quo à fundo conducto expellitur, tenetur conductori præstare, quantum ipsius interest, quod re conducta uti non possit *l. ex conducto* 15. §. *ubicunque* 7. *l. si in lege* 24. §. *colonus* 4. *l. si fundus* 33. *ff. eod.* Laym. *l.* 3. *tr.* 4. *c.* 22. *n.* 10. Haun. *tom.* 4. *de J. & J. tr.* 10. *n.* 470. Engl *hic n.* 9. *vers. si locator*. Konig *hic n.* 25.

Dixi *regulariter*; nec enim desunt casus, quibus Successor particularis stare Contractu Locationis, ab antecessore factæ, debet. Et 1. quidem, quando Locator in ipsa donatione, venditione, &c. rei alteri locatæ donatario, vel emptori apposuit [illegible] contractu à se facto *l. emptorem cit.* 2. quando Successor conductori sal-

saltem tacitè concessit perseverare. 3. quando Conductor deduxit in pactum, ut Locator non posset rem alienare, & ut res ipsa hypothecata maneret, & pro securitate Contractus; nam tunc alienatio subsequens est invalida. Quòd si Conductor Hypothecam solum generalem in bonis Locatoris ad securitatem Locationis habet, dissident inter sese DD. nam communis sententia tenet posse expelli Conductorem à successore, si hic ipsi præstet, quod sua intererat servari Contractum. At Molina *tr.* 2. *D.*490. *n.*7. cum aliis non improbabiliter docet eundem nihilominus contra successorem, volentem eum expellere, se posse defendere, nec obligari ab eo acceptare æstimationem ejus, quod sua intererat manere Contractum.

45 Quæritur 9. quæ obligatio ex Contractu Locationis Conductionis nascatur ex parte Locatoris? Resp. hæc maximè triplex est. Nam 1. tenetur Conductori tradere, & præstare liberum rei locatæ usum, vel si operæ Locator sit, eidem has exhibere, convento tempore, & modo; alias si in culpa Locator fuit, ne liberè posset re locata uti, tenebitur ad interesse; si absque culpa impedimentum intervenit, remittere ex mercede pacta debebit *l. ex conducto* 15. §. *plane* 8. *l. sed addes* 19. §. *si quis dolia* 1. *l. qui insulam* 30. *pr. l. si fundus* 33. *vers. nam si colonus*, & *l. & hæc distinctio* 35. *princ. ff. hoc tit.*

2 Non potest regulariter rem locatam ante tempus conventum revocare, aut Conductorem ex domo, vel fundo locato expellere, etsi alius mercedem, seu pensionem majorem offerat *c. ex rescripto* 1. *hoc titul. l. ade* 3. & *l. si olei* 21. *C. eod.* Dixi *ante tempus conventum;* nam si tempus locationis finitum sit, integrum est Locatori, vel cum Conductore renovare Contractum, vel eidem renuntiare, & si cedere re locata nolit, vel propria authoritate, vel intentata actione *Locati*, prout voluerit, eundem expellere, uti constat ex *l. ne cui* 32. *C. eod.* ubi prohibetur, ne Conductor, finito conductionis tempore, impediat dominum uti frui re sua, vel eam alteri locare, aut molestiam inferre conductori novo.

3 Tenetur Conductorem servare indemnem, si ille fecerit expensas utiles, aut necessarias in rem conductam *l. dominus* 55. §. *in conducto* 1. & *l. colonus* 61. *pr. ff. eod.* aut si Locator ipsemet dolo, vel culpa lata, aut levi conductorem damnificaverit, e. g. vasa vitiosa locando, in quibus vinum corruptum, vel effusum est *l. sed addes* 19. §. *si quis dolia* 1. *ff. eod.*

46 Dub. 1. an Locator rem locatam uni, locare alteri licitè possit? Resp. cum distinctione: Vel enim tempus locationis finitum est, vel adhuc durat. *Si finitum est*, locari alteri potest, ut patet ex *l. ne cui cit. Proceditque hoc*, etiamsi primus Conductor, eandem, quam novus, vel etiam majorem mercedem vellet persolvere, ut bene advertit Pirh. *hic n.*9. Ratio est, quia lapso tempore Locationis, Contractus solvitur, & Locator non magis Conductori, quam cuivis alteri obligatur. *Excipitur* tamen, nisi per pactum speciale in scriptis factum aliter fuerit conventum, nempe, ut non liceat rem illam locare alteri, quamdiu primus Conductor eam habere vult, & tantum dare, quantum alius daturus esset *l. ne cui cit.* & *ibi Gloss. V. pacta.* Vel nisi alicubi hoc inductum sit consuetudine; nam quod fieri potest per pactum, etiam consuetudine induci potest *l. fin.* & ibi DD. *C. de fideicommiss.* Mynsing. *cent.* 4. *obs.* 23. Pirh. *hic n.* 9.

47 *Si tempus Locationis adhuc durat*, iterum distinguendum est, an Contractus Locationis Conductionis ita ineatur cum novo Conductore, ut ante tempus Locationis primæ finitum effectum sortitura sit locatio posterior alteri facta, an solum, ut Contractus quidem ineatur ante finem temporis præstituti, secundus tamen Locator ædes e. g. sibi de novo locatas non possit incolere, nisi finito tempore Locationis prioris. *Primum* regulariter fieri nequit; quia Locatio Conductio est contractus ultro citroque obligatorius, qui altero contrahente invito dissolvi non potest. *Alterum* nihil prohibet, quin fieri possit, cum per hoc primo Conductori relinquatur tempus conductionis integrum, & sic nullum ipsi creetur præjudicium. Neque contrarium probat textus *c. ex rescripto* 1. *hoc tit.* ubi Clemens III. sub pœna Excommunicationis prohibet, ne Magistri, seu Doctores Universitatis Bononiensis eum ædium, jam ab aliis ejusdem professionis personis conductarum, dominis conveniant, vel contrahant sine inquilinorum, sive priorum Conductorum eas inhabitantium consensu: nam Rescriptum istud solummodo factum est in favorem Professorum; & consequenter ad homines diversi generis, & functionis extendi non debet: imo ut eum Joan. Andr. Clar. Sylv. Suar. probabilius docet Vviest. *hic n.* 18. ad Professores alios extra Universitatem Bononiensem non extenditur, tum quia pœnale est, tum quia Juri communi derogans, & sic utroque ex capite odiosum, ac strictæ interpretationis.

Dub. 2. quibus casibus Locator possit inquilinum, etiam invitum, ante tempus Locationis finitum expellere? Resp. quinque omnino enumerantur, ut videre est apud Azor *p.* 3. *l.* 8. *de Locat. c.* 8. *q.* 2. Molin. *tr.* 2. *de J. & J. D.* 499. *per totam*, Less. *l.* 2. *de Just. c.* 24. *à n.* 32. Laym. *l.* 3. *tr.* 4. *c.* 22. *n.* 9. Barbos. *in c.* 3. *hoc tit. à n.* 21. Haun. *tom.* 4. *tr.* 10. *à n.* 531. Vall. §. 1. *hic n.* 3. Zoes. *n.* 13. Engl *n.* 9. Pirh. *n.* 13. & *seqq.* Konig. *n.* 25. Vviest. *n.* 19. & 20. & innuuntur *c. propter* 3. §. *verum hoc tit.* & *l. ade* 3. *Cod. eod.* Et 1. quidem, si de hoc inter ipsum, & Locatorem convenit; tunc enim locus est *Reg. Contractus* 85. *in* 6.

2 Si ex causa superveniente, & antea non prævisa, ædes, quas locavit alteri, propriis usibus necessarias esse probarit Locator, v. gr. quòd eæ, quas inhabitavit, incendio sint consumptæ, quòd uxorem duxerit, & familiam habere incipiat, quòd illam filius locans dare debeat patri habitatione carenti, &c. Ratio est, quia Locator contrahendo cum inquilino non censetur consensisse in casu necessitatis, vel suæ, vel aliorum, quibus Jure naturali præ extraneis obligatur, si hæc fortuito, & præter opinionem accidat. Proceditque hoc, etsi pactum præcesserit de conductore non expellendo; quia pactum istud non extenditur ad casus Jure exceptos *l. quæro* 54. §. *inter locatorem* 1. *ff. hoc tit.* nisi ex circumstantiis colligi possit, Locatorem voluisse huic suo privilegio renuntiare. Pirh. *n.* 13. *cit.*

3 Si post ædium Locationem factam urgeat necessitas refectionis, ut alias periculum interitus subsit; & illa fieri nequeat, nisi emigret Conductor. Debet tamen hoc casu Locator (quod etiam de superiore dicendum est) Conductori pro rata temporis remittere pensionem, ut habetur §. *verum cit.* vel si ita velit Conductor, refectarum ædium inhabitationem, quousque conductæ sunt, eidem permittere: potestque Locatorem Conductor ad istud cogere, ut monet Gloss. *marg. in l. si duo* 3. §. *cum inquilinus* 3. *ff. uti possidetis.*

4 Si Conductor in re sibi locata perverse versatus sit: quod duplici modo fieri potest, vel quia Conductor rem conductam notabiliter, & culpabiliter deteriorem reddit; vel quia in eam recipit meretrices, fures, usurarios &c. nam priore casu Conductor damno afficit Locatorem, in secundo domum ejus reddit infamem; non autem censetur dominus cum tali suo, aut ipsarum ædium præjudicio contraxisse. An pensio hoc casu pro rata temporis remittenda, vel soluta restituenda sit, non conveniunt DD. aliqui apud Gloss. *in cap. propter* 3. *V. perversè hoc tit.* & *in l. ade* 3. *V. versata es Codic. hoc tit.* volunt, nihil remittendum esse de pensione. Sed melius distinguitur: Vel enim Inquilinus malè versatur in domo cum damno Locatoris, vel sine illius damno inhonestè vivendo, & inducendo in eam scorta. *Si primum*, sit remissio pensionis pro residuo temporis; quia compensationem damni quærere Locator instituta adversus Conductorem actione potest. Gloss. *cit. Si secundum*, Locator de pensione nihil tenetur remittere; quia non debet sentire damnum ex culpa inquilini, quod fieret, quia fortè alium Conductorem non statim habet, cui domum priori ereptam locet.

5 Si Conductor non solvat pensionem, quando debebat solvere. Porro quando solvenda sit pensio à Conductore, videndum est, an convenerit inter contrahentes de certo tempore ejus solvendæ, an non. *Si primum*, solvi pensio debet eo tempore, de quo convenit. *Si secundum*, standum est consuetudine loci, quæ alicubi est, ut per partes solvatur, nim. dimidia pars post medium annum, altera medietas in fine anni: alibi ut quarta pars solvatur singulis angariis, seu post quodlibet trimestre. Si neque ex contractu, neque ex consuetudine certum quid liquet, intentio contrahentium censetur esse, ut saltem in fine anni solvatur merces, si ad annum, vel tempus longius fiat Locatio: si verò fit pro breviore tempore, in fine illius facienda solutio est. Colligitur ex *l. semper ff. de R. J.*

Ut autem assertio hæc procedat & ob non solutam pensionem Conductor expelli possit, de Jure Canonico necesse est, ut ab ejus solutione cessaverit per biennium, prout patet ex *c. propter cit.* & idem videtur dicendum de Jure Civili, ut colligitur ex *l. quæro* 54. §. *inter locatorem* 1. *ff. hoc tit.*

An verò his casibus à Locatore Conductor propria authoritate expelli possit, controversum est apud DD. Confor-

formius & Juri, & publicæ quieti est, quod Gonzal. *in c. propter vers. verum cit. n.* 3. Brunnem. *in l. quæro cit. n.* 5. Haun. *tom.* 4. *tr.* 10. *n.* 543. & alii plures notant, non posse his casibus Conductorem propria authoritate expelli, sed opus esse authoritate Judicis implorati; quòd Leges à propria sibi jus dicendi authoritate abhorreant *l. un. C. ne quis in sua causa &c.* & *l. qui Jurisdictioni* 10. *ff. de Jurisd.*

51 Dub. 3. an Locator totam pensionem exigere à Conductore possit casu, quo iste impeditur, quo minùs liberè possit re conducta uti? Resp. hic quatuor casus distinguendos esse. Nam 1. si impedimentum proveniat *à persona ipsius Conductoris*, quia v. g. equo, ædibus &c. conductis non amplius indiget, aut ob morbum, negotia, &c. ob quæ alio avocatur, iisdem uti non amplius potest, Locator à Conductore nihilominus exigere pensionem integram potest, nisi aliter convenerit. Navar. *Man. c.* 17. *n.* 197. Less. *l.* 2. *de Just. c.* 24. *n.* 8. Laym. *l.* 3. *tr.* 4. *cap.* 22. *num.* 3. *concl.* 3. Konig *hic num.* 19. & colligitur ex *l. sed addes* 19. §. *cùm quidam* 9. *ff. hoc tit.* Notat tamen cum aliis Less. *l. cit. num.* 10. *&* 11. hoc casu non esse summo Jure agendum, sed rem transigendam ex æquitate, ita, ut si æquè bene res alteri locanda sit, tantundem de pretio prioris conductionis detrahatur, quantum Locator percepit ex secunda Locatione.

52 2 Si impedimentum procedat *à Locatore*, refert, an impedimentum illud sit justum, an injustum. *Si justum est*, tenetur Conductori tantum ad mercedis remissionem, vel mercede jam recepta, ad ejus restitutionem faciendam pro rata temporis, aut saltem ad præstandam rem æque commodam ad usum intentum *l. qui insulam* 30. *pr.* & *l. & hæc distinctio* 35. *ff. hoc tit. Si injustum est*, h. e. dolosum, vel culposum, Conductor statim agere poterit, ut liberetur à pensione totius temporis, & etiam ad interesse lucri, quod percepisset, si non fuisset impeditus: nec audietur Locator ab impedimento cessare volens, si res non amplius est integra, puta, si Conductor alium fundum, vel domum jam conduxit *l. ex conducto* 15. §. *planè* 8. *l. si in lege* 24. §. *colonus* 4. *ff. eod.*

53 3 Si impedimentum dedit *tertius aliquis*, interest, an Locator illum tertium potuerit prohibere, ne impediret, an non. *Si potuit*, & non fecit, æque tenetur ad interesse, h. e. lucrum cessans, & damnum emergens, ac si ipse impedivisset *l. si merces* 25. §. *qui fundum* 1. *l. si fundus* 33. *in fin. ff. eod. Si non potuit*, in tantum excusatur, ut nonnisi ad remissionem mercedis pro rata teneatur *l. si fundus cit. in fin.* Eadem distinctio adhibenda est, quando res aliena locata est, & deinde evincitur; nam si sciens rem alienam esse locavit, tenetur ad damna, & totum interesse Conductori: si verò locavit bona fide, tenetur solùm ad obtinendum à domino usum Conductori, vel ad offerendum ei aliam rem æque bonam, aut si neutrum possit, ad remittendam pensionem temporis sequentis.

54 4 Denique si impedimentum accidat ex parte rei conductæ; quia v. g. domus ruinam minatur, nocturnis spectris infestatur, ob periculum pestis, aut belli tutam habitationem non præstat, liberatur Conductor à solvenda pensione pro tempore, quo inhabitare domum, vel alia re conducta uti frui non potest, quanquam, quod attinet ad impedimentum pestis, non ubique receptum sit. Navar. *Man. cap.* 17. *num.* 187. Covar. *pract. c.* 30. *n.* 3. Less. *l.* 2. *c.* 24. *n.* 7. Laym. *l.* 3. *tr.* 4. *c.* 22. *n.* 3. Konig *hic n.* 19. & colligitur ex *l. si quis* 9. §. *hic subjungi*, *l. item quæritur* 13. §. *exercitu* 7. *l. ex conducto* 15. §. *si vis* 2. *l. habitatores* 27. §. *iterum* 1. ibi, *si causa fuisset, cur periculum timeret* (conductor) *quamvis periculum verè non fuisset, tamen non debere mercedem.* Ratio est, quia Conductor non censetur promittere pensionem, nisi quatenus re conducta poterit uti, aut frui, atqui quando aliquid tale supervenit rei, ut justo timore impediatur, non censetur posse ea uti, vel frui. ergo &c. Conf. quia Contractus Locationis est bonæ fidei, in quo omnia ex æquo, & bono judicari debent. atqui non esset satis æquitati congruum, nullum usum, propter quem tamen pensio constituitur, ex re locata recipere, & tamen adigi ad persolvendam integram pensionem. ergo &c.

55 Dub. 5. an minuenda sit pensio, si Conductor ob sterilitatem, hostium incursum, vel alium casum fortuitum, sine culpa sua obvenientem, ex re frugifera conducta fructus exspectatos non percipit? Resp. distinguendo, an damnum ejusmodi casu, aut infortunio illatum sit modicum, an verò clades inde illata sit magna. *Si primum*, nihil colono, vel conductori propterea remittendum est, ut constat ex *l. si merces* 25. §. *vis major* 6. *ff. hoc tit.* ubi dicitur: *Modicum damnum æquo animo ferre debet colonus, cui immodicum lucrum non aufertur.*

Si secundum, pensionem Locator Conductori regulariter debet remittere: & quidem totam, si Conductor aliquo anno ex re conducta nihil omnino perceperit; partem autem, si aliquid quidem percepit, notabili tamen parte fructuum privatus fuit: debetque eo casu remitti pro rata damni. Ita Less. *l.* 2. *de Just. c.* 24. *num.* 15. *&* 16. Laym. *l.* 3. *tr.* 4. *cap.* 22. *n.* 7. Lug. *de Just. D.* 29. *n.* 36. Haun. *tom.* 4. *tr.* 10. *n.* 495. *&* 496. Barbos. *in c. propter* 3. *hoc tit. n.* 1. Gonzal. *ibid. n.* 1. *& seqq.* Vall. *hic* §. 1. *n.* 4. Zoes. *n.* 11. Engl *n.* 4. Pirh. *n.* 4. Konig *n.* 21. Vviest. *n.* 23. & communiter cæteri. Sumitur ex *c. propter. cit. prin. l. ex conducto* 15. §. *cum quidam* 3. *ff. & l. licèt* 8. *C. eodem.*

Ratio est, quia pensio, sive merces locationis promittitur, aut constituitur in compensationem fructuum, ex re, vel fundo conducto percipiendorum. ergo si nulli ex illo fructus percipiantur, vel modica solum pars, tunc vel tota remitti pensio debet, vel saltem pro rata, seu pro parte secundum proportionem damni illati; id enim bona fides exigit, & æquitas dictat, ne Conductor semper ferat periculum damnorum, Locator verò securus sit.

Porro quænam sterilitas, aut clades adeo magna 56
censenda sit, ut propterea fieri debeat mercedis, seu pensionis remissio, non convenit inter DD. non quidem, quando agitur, an remittenda sit tota pensio; nam hoc casu certum est apud omnes, eam omnino remittendam, quando fundus conductus, deductis expensis, nullos omnino fructus profert Conductori: sed quando agitur de remittenda pensione pro rata. 1. Enim aliqui cum Abb. *in cap. propter cit. n.* 13. putant immodicam cladem esse illam, quando colonus duas solum tertias, aut minus fructuum collegit, quos res conducta ferre consueverat. 2. Plerique apud Layman *l.* 3. *tr.* 4. *c.* 22. *n.* 7. Barbos. *in c.* 3. *hoc tit n.* 3. Gonz. *ibid. n.* 6. Haun. *tom.* 4. *tr.* 10. *n.* 498. existimant, tunc remittendam pensionem pro rata fructuum perceptorum, quando detracto semine, & expensis, in agrum colendum, & fructus colligendos factis, tam exigui fructus supersunt, ut nec dimidiam partem solvendæ pensionis, sive mercedis constitutæ adæquant. 3. Alii cum Menoch. *de arbitr. l.* 1. *cas.* 16. Gaill. *l.* 2. *obs.* 23. *num.* 1. Laym. *l.* 3. *tr.* 4. *c.* 22. *n.* 7. Engl *hic n.* 4. Konig *n.* 21. definiendum hoc dicunt vulgi judicio, & communi vicinorum opinione; vel etiam relinquendum hoc erit arbitrio prudentis Judicis, qui æquum hac in re judicium feret, si consulat communem sensum, & æstimationem vicinorum, & magnam cladem illatam pronuntiet tunc, quando deductis expensis, in culturam, & fructuum collectionem factis, supersunt fructus tàm exigui, ut non æquent dimidiam partem pensionis. Hinc istius sententiæ Patroni reipsa concurrunt cum secunda, quæ ex eo etiam videtur esse probabilior, quod alias exploratum in Jure sit læsionem magnam, seu immodicam censeri illam, quæ est ultra dimidium justi pretii, non autem, si sit infra, ut patet ex dictis *tit. præc. à num.* 187.

Addidi, regulariter ob sterilitatem, & cladem illatam fructibus Locatorem obligari remittere Conductori pensionem. Nam plures sunt Casus, in quibus propterea de pensione nihil remittitur, ut videre est apud Navar. *Man. c.* 17. *num.* 188. *& tribus seqq.* Azor. *p.* 3. *l.* 8. *de locat. c.* 20. *q.* 2. Less. *l.* 2. *de Just. c.* 24. *n.* 12. *& seqq.* Laym. *l.* 3. *tr.* 4. *c.* 22. *n.* 7. Haun. *tom.* 4. *tr.* 10. *à n.* 500. Barbos. *in c.* 3. *hoc tit. à n.* 6. Gonzal. *ibid. n.* 6. Vall. *hic* §. 1. *n.* 4. Zoes. *n.* 11. Engl *n.* 4. Pirh. *n.* 6. *&* 7. Konig *n.* 21. Vviest. *n.* 27. 57

Et 1. quidem, si de remissione non petenda cum Conductore expresse conventum est *l. si quis* 9. §. *Julianus* 2. *ff. hoc. tit. & l. dominus* 1. *C. eod.* quia in Contractibus regulariter valet pactum casum fortuitum in se recipiendi *l. semper* 34. *ff. de R. J. Excipitur*, si casus esset insolitus, & planè extraordinarius, qui non nisi rarissimè contingit; talis enim ejusmodi pacto comprehensus non censeretur, nisi id exprimatur *arg. l. fistulas* 78. §. *fin. ff. de contrah. empt.* Et procedit, etiamsi Juramento renuntiatum esset casibus fortuitis; quia Juramentum non extenditur ad incognita, & insolita, neque obligationem pacti, cui accedit, auget, sed tantum firmat. *Barb. l. c. n.* 8. Debet tamen tali casu res locari pro pensione minori, quanti sc. æstimatur illud onus, seu renuntiatio casus fortuiti. Less. *l. cit. n.* 13.

2 Si clades accidit culpa ipsius Conductoris, aut servorum, ut quia in colendo agro, vel colligendis fructibus negligentior fuit; quia *damnum, quod quis sua cul-* 58

pa ſentit, ſibi, non aliis imputare debet, ut habet *Reg. 86. in 6.*

3 Si ob præcedentium, vel etiam ſequentium annorum fertilitatem, & fructuum ubertatem damnum, anno præſenti illatum, conductori compenſetur *c. propter 3. hoc titul. l. ex conducto* 13. §. *Papinianus* 4. *ff. & l. licet* 8. *C. eodem*. Et hinc ſiquid remiſſum eſt de penſione, & annis ſequentibus tantum commodi colonus percepit ob extraordinariam fertilitatem, quantum damni anno ſterilitatis accepit, Locator à Conductore, quod remiſſum eſt, poteſt repetere, ut clarè habetur §. *Papinianus cit.*

59 4 Si colonus ſit partiarius, & eidem non certa, & ſtabilis penſio, ſed aliquota, v. g. tertia, vel quarta pars fructuum pendenda ſit; tunc enim etiam ob ſterilitatem nihil de penſione Conductoris remittitur *l. ſi merces* 25. §. *vis major* 6. *ff. h. tit.* ubi etiam ratio redditur; quia *partiarius colonus, quaſi ſocietatis jure, & damnum, & lucrum cum domino fundi partitur.*

5 Si fructus pereant, aut corrumpantur, dum jam plenè in domum, vel horreum collecti ſunt; quia tunc Colonus jam dominus illorum effectus eſt; res autem domino ſuo perit *l. pignus* 9. *C. de pignor. act.* Aliud eſt, ſi pereant, antequam inferantur in horreum, & multo magis, quando adhuc pendentes ſunt: quia tunc pars fundi eſſe cenſentur *l. fructus* 44. *ff. de R. V.* proprietas autem fundi ad Locatorem ſpectat: & ſic fructus eidem pereunt, conſ. remitti penſio Conductori debet.

6 Si ſterilitas, vel alia calamitas in aliquo loco ſæpe contingere ſolita ſit, ut ſiquis conduxit prædium juxta flumen, quod ſæpius exundat; quia in damnum, quod prævidiſſe creditur, tacitè conſenſiſſe videtur: ac proinde id non adſcribitur caſui fortuito, ſed ipſi Conductori ſcienti, & volenti imputatur: quod etiam aliqui extendunt, ſi quis fundum conduxit tempore belli.

60 Dub. 6. an ſicut ob immodicam ſterilitatem penſio alias ſolvenda pro rata remitti debet, ita è diverſo ea augeri à Locatore poſſit ob multo majorem, & extraordinariam fructuum ubertatem, qui uno vel pluribus annis ex fundo proveniunt? *Videtur non poſſe* ob *l. ſi merces* 25. §. *vis major* 6. *ff. h. tit.* ubi dicitur, quòd *Colono immodicum lucrum non auferatur*.

Sed diſtinguendum eſt, an ubertas illa proveniat ex induſtria, & opera Conductoris, vel bonitate fundi, an verò ex caſu mere fortuito, ut fieret in caſu, quo quis v. gr. conduxit molendinum, ex quo percipere ſolebat quotannis 50. flor. lucrum, nunc autem, quia impetu aquarum alia vicina molendina deſtructa ſunt, percipiuntur 100.

Si proveniat ex induſtria Conductoris, augeri non debet penſio; neque enim ipſi ſua induſtria eſſe damnoſa debet. Laym. *l.* 3. *tr.* 4. *c.* 22. *n.* 8. Pirh. *hic n.* 8. Konig *n.* 22. Idem dicendum, ſi ubertas proveniat ex bonitate fundi; hunc enim dominus cenſetur locaſſe majori mercede, quàm potuit, ut tradunt DD. *cit.* Si verò proveniat ex caſu merè fortuito, augeri penſio à Locatore poteſt; quia contrariorum eſt eadem ratio, igitur ſicut æquitas poſtulat, ut ob inſolitam ſterilitatem aliquid detrahatur de penſione: prout dictum eſt *num.* 55. ita etiam dictat, ut ob inſolitam ubertatem aliquid addatur.

Et cum hac diſtinctione intelligendus eſt textus allegatus pro ratione dubitandi.

61 Quæritur 10. quæ ſit obligatio Conductoris? Reſp. hæc maximè triplex eſt. Nam 1. tenetur ad ſolvendam integram mercedem, niſi, ut dictum eſt *ſupra à num.* 51. caſus accidat, quo minuenda, vel remittenda illa ſit. Si moram in ſolvendo traxerit, ſolvere etiam Uſuras debet *l. habitatores* 27. *l. dominus* 55. §. *fin. ff. l. præſes* 17. *ff. hoc tit.*

2 Solvere mercedem debet in tempore, de quo nominatim conventum, vel quo ſolvi illa ex conſuetudine loci debet, ut dictum eſt *ſupra n.* 50. Si operæ prægnantes locatæ ſint ea lege, ut merces pro parte ſolvatur, Conductor per partes ſolvere tenetur; ſin per averſionem locatæ ſint operæ, finito opere, ſolvitur merces integra *per l. qui inſulam* 30. §. *qui ædem* 3. *ff. eod. l. ſtipulationes* 72. §. *ſiquis* 1. *ff. de V. O.*

3 Tenetur Conductor rei rem conductam tempore convento in ſpecie reſtituere, & reſarcire damna, dolo, vel culpa ſaltem lata, & levi data. *l. ſiquis* 9. §. *ſi colonis* 3. *l. videamus* 11. §. *qui vinum* 3. *l. item quæritur* 13. §. *ſi navicularius* 1. *&* §. *exercitu* 7. *ff. h. tit.*

62 Dub. 1. utrum Conductor teneatur præſtare etiam culpam leviſſimam? *Ratio dubitandi* ſumitur ex §. *conductor verſ. qui pro uſu Inſt. h. tit.* ubi à Conductore deſideratur *Cuſtodia, qualem diligentiſſimus Paterfam. ſuis rebus adhibet.* atqui talis cuſtodiæ omiſſio eſt culpa leviſſima. Ergo Conductor teneri videtur ex culpa leviſſima. *Conf.* ex *l. in judicio* 28. *C. h. tit.* ubi Conductor ſolum eximitur à præſtatione caſus fortuiti.

Sed dicendum, regulariter Conductorem ſolummodo obligari ad præſtationem doli, vel culpæ latæ, aut levis, non verò leviſſimæ. Ita Azor. *p.* 3. *l.* 8. *de Locat. cap.* 7. *q.* 1. Molin. *tr.* 2. *de Juſt. D.* 494. *n.* 1. Leſſ. *l.* 2. *c.* 24. *n.* 30. Laym. *l.* 3. *tr.* 4. *c.* 22. *n.* 4. Haun. *tom.* 4. *tr.* 10. *n.* 520. Perez *in C. hoc tit. n.* 29. Zoeſ. *ad ff. ibid. n.* 16. Magnific. D. Chriſtoph. de Chlingenſperg *ad Inſt. tit. eod. q.* 9. Pirh. *n.* 18. Konig *n.* 23. Vvieſt. *n.* 28. Ratio eſt, quia in Locatione vertitur utilitas utriuſque contrahentium. in iis autem contractibus, qui utriuſque utilitatem ſpectant, præter dolum culpa ſolum lata, aut levis, non etiam leviſſima, aut caſus fortuitus præſtantur *l. ſi ut certos* 5. §. *nunc videndum* 2. *ff. commodat.* Simili modo, & ex eadem ratione etiam Locator, ſi rem vitioſam locavit, & inde damnum Conductor patitur, reſarcire illud tenetur tantum, quando vel dolo, vel culpa lata, aut levi Locatoris illatum eſt, ut rectè cum allegatis advertit Azor *l. cit. q.* 6.

Dixi autem *regulariter*; nam plures ſunt caſus, quibus Conductor tenetur præſtare culpam leviſſimam, aut etiam caſum fortuitum. Et 1. quidem, quando Locatio facta eſt principaliter ob utilitatem Conductoris; nam in Contractibus, quæ utilitatem præcipuè accipientis ſpectant, præſtatur etiam culpa leviſſima. 2. Si expreſſe conventum eſt, ut Conductor teneatur de minore culpa, vel caſu fortuito *l. ſi unus* 27. §. *illud* 3. *ff. de pact. l. pacta* 6. *C. eod.* Laym. *l.* 3. *tr.* 4. *cap.* 22. *num.* 4. 3. Si Conductor culpa ſua cauſam dedit caſui fortuito, ut quia in mora reſtituendi fuit; vel ſi convenit, ne ignem haberet, & habuit: tunc enim tenebitur, etiamſi caſu fortuito incendium acciderit; quia ignem habere non debuit *l. videamus* 11. §. *ſi hoc* 1. *ff. hoc titul.* Et idem eſt, ſi inter Locatorem, & Conductorem convenit, ne in villa urbana fœnum componeretur; tunc enim tenebitur Conductor, ſive ſervus ejus, ſive extraneus ignem incenderit; quia cauſam præbuit inferendo fœnum contra pactum in conductione appoſitum *l. videamus cit.* §. *fin. & l. ſeq. ff. eod.* 4. Ut quidam volunt, ſi res valde pretioſæ locatæ ſunt. Sed communius negatur ob principium generale, quòd in Contractibus, qui in utilitatem utriuſque contrahentis tendunt, tantùm præſtetur culpa lata, & levis. Idem dicendum de rebus, quæ ex natura ſua facilè franguntur, aut corrumpuntur, ut columnæ marmoreæ elaboratæ, vel vaſa vitrea, ut rectè Pirh. *hic n.* 19. *Excipitur*, ſi cum ſpecialis peritiæ, vel artis profeſſione eas conduxerit, aut operas ſuas circa res illas locaverit; tunc enim obligatur etiam de culpa leviſſima, ut Pirh. *l. cit.* Vvieſt. *n.* 29. & alii notant. 63

Ad rationem dubitandi Harpprecht *in* §. *Conductor cit. n.* 13. ait gradum Superlativum reducendum in gradum poſitivum; quia ſic ſubjecta materia, & contractus, de quo agitur, natura exigit. Vel ſi expoſitio hæc non arrideat, cum Haun. *tom.* 4. *tr.* 10. *n.* 522. dicendum, quòd textus ille intelligi ſolùm debeat de Locatione rerum, quæ principaliter ob utilitatem Conductoris conceduntur: quem caſum inter exceptos *n. præc.* primo loco poſui. *Ad Conf.* reſpondet Harppr. *l. cit. n.* 9. eo loco Imperatores exemiſſe Conductorem ſolùm à præſtatione caſus fortuiti, quòd de dolo ſolum & culpa lata, non etiam de leviſſima interrogari fuerint, ac proinde de hac reſpondere neceſſe non fuerit. 64

Dub. 2. ad quem damnum pertineat, ſi neſciatur, an culpa, vel caſu incendium ortum ſit, & quis probare debeat, culpa, vel caſu id accidiſſe? Fachinæus *l.* 1. *controv. cap.* 87. cenſet, Conductori incumbere onus probandi, quod ſufficientem diligentiam in cuſtodiendo igne adhibuerit, nullamque culpam, ex Contractu locationis præſtandam, commiſerit; alias compenſaturum totum damnum ex incendio datum. Et videtur hoc etiam probare ratio; quia Locator præſumptionem pro ſe habet, quod incendia plerumque culpa inhabitantium accidant *l. nam ſalutem* 3. §. *cognoſcit* 1. *ff. de Offic. Præfect. Vigil.* & *l. ſi vendita* 11. *ff. de peric. & commod. rei vendit.* atqui præſumptio eum, pro quo ſtat, ab onere probandi relevat, illudque in Adverſarium rejicit. *Conf.* quia vix eſt poſſibile, ut Locator valeat probare ea, quæ fiunt in domo, quam ipſe non inhabitat, ut proinde æquitate naturali dictante, illi potius imponenda videatur probatio, qui propter actualem habitationem ejus copiam habet. 65

Sed dicendum, eo caſu probationem culpæ imponendam Locatori ex generali principio, quòd Actori incumbat probatio *l. ei incumbit* 2. *ff. de Probat.* & *l. qui accuſa-* 66

re

e 4. *C. de edend.* Item quod culpa, vel delictum, ac eneraliter facta non præsumantur, sed probari debeant . *merito* 51. *ff. pro Socio, & l. dolum* 6. *Cod. de dol. mal.* Mynsing. *cent.* 6. *obs.* 88. *num.* 13. Gaill. *l.* 2. *obs.* 21: *n.* 5. Laym. *l.* 3. *tr.* 4. *c.* 22. *n.* 6. Engl *hic num.* 7. *V. quid ergo.* qui tamen addit, præsumptionem, qua plerumque præsumuntur incendia inhabitantium culpa orta esse, præsturam Actori magnum adminiculum, ut aliis indiciis, & imperfectis etiam probationibus concurrentibus, nonnunquam, maxime, ubi damnum incendio datum non est valde grave, dici possit, causam suam sufficienter probasse, nisi Conductor probationem inde sumptam elidat aliis probationibus.

67 *Ad argumentum contrarium* præsumptio hæc, etsi ut modò dixi, in concursu aliarum Conjecturarum multum juvet Actorem, sed sola tamen non probat admissam talem culpam, quæ præstari à Locatore debeat; potest enim admissa esse culpa levissima, quæ in Contractu Locationis Conductionis non præstatur: vel si admissa sit etiam culpa levis, aut lata, potest illa admissa esse à famulis extra officium suum delinquentibus, e. g. quod stabularius in culina aliquid coxerit, & incendium per incuriam illius sit ortum. atqui hujusmodi culpas Paterf. præstare non cogitur, ut constat ex *l. si vendita cit. Ad Conf.* argumentum illud non ex toto convincit; quia multoties etiam homines extranei, casu in domo incensa, aut in vicinia versantes, rei notitiam habent, potestque Locator petere, ut Judex ex officio domesticos audiat, & super causa, ac culpa incendii inquirat, quæ inquisitio per se etiam incumbit Judici; quia incendium sive dolo, sive culpa exortum criminali Judicio subjacet per ea, quæ tradit Mynsing. *l. cit. à n.* 5.

68 Dub. 3. quid statuendum, si quis operas, ad quas se per Contractum Locationis adstrinxit, non exhibeat? Resp. hic tres Casus sunt distinguendi, an sc. per Conductorem stet, quo minus Locator operæ operas suas exhibeat, an per Locatorem, an impedimentum aliunde proveniat, e. g. ex morbo Locatoris.

Si primum, tenetur Conductor nihilominus ad integram mercedem Locatori solvendam, modò interim operarius ille alteri operas suas non locaverit, nec ab alio mercedem acceperit *l. sed addes* 19. §. *cum quidam* 9. *& l. qui operas* 38. *ff. hoc tit.* & hinc communis sententia habet, quòd famulus, si dominus permissæ correctionis excedat terminos, ante finitum Locationis tempus impune aufugere, & nihilominus mercedem integram possit exigere, ut cum Baldo advertit Konig *hic num.* 20. qui tamen monet, prius adeundum Judicem, & ad eum querelas deferendas *arg. l. quisquis* 1. *Cod. in quib. caus. colon. censit. dom. accuss. poss. & l. si dominus* 2. *ff. de his, qui sui, vel alien. Jur.*

69 *Si secundum*, tenetur Locator operæ Conductori, quantum interest, operas non esse præstitas, vel opus non esse factum *arg. l. ex conducto* 15. §. *item* 6. *l. si fundus* 33. *ff. hoc tit. & in fin. C. de conduct. ob caus. dator.*

Hinc si famulus ante tempus elapsum, invito domino, servitio exeat, damnum ex fuga datum resarcire debet *arg. l. si servum* 1. *C. de serv. fugit.* & insuper perdit totum salarium, etiam pro præterito tempore, quo servivit, & solutum repeti potest *l. ex conducto* §. *item cit. & l. dominus* 55. §. *fin. ff. eod.* Sichard. *ad l.* 14. *C. eod.* Konig *num.* 20. *cit.*

Si tertium, videtur Locator operæ nullam posse à Conductore mercedem exigere. 1. Quia in Locatione rerum, si Conductor nullam percipiat utilitatem, nullam tenetur mercedem solvere, ut dictum est *num.* 55. *supra*. 2. *l. pecuniam* 5. *ff. de condict. caus. dat.* JCtus hunc Contractum Locationis operarum comparat Contractibus innominatis, *Do, ut facias, facio, ut des &c.* quorum natura est, ut si nondum sint utrinque impleri, pœnitere in illis liceat. ergo idem licebit etiam in Locatione operarum, & sic antequam istæ præstitæ sint, merces data revocari, & promissa denegari potest; nam cui datur actio ad repetendum, ei multo magis datur exceptio ad retinendum *juxta Reg.* 71. *in* 6. 3. *l. ex conducto* 15. §. *item* 6. *ff. hoc tit.* cum quidem pactus fuisset cum nauta, ut se ad certum locum deveheret, navi amissa dicitur reperi posse, quod datum est, quia *munere vehendi* nauta *functus non est*.

70 Sed distinguendum est cum P. Engl *hic num.* 8. *vers. fateor*, inter Locationem operarum, cujus objectum est certum, & determinatum opus, vel negotium perficiendum, ut cum pictor addicit operam suam ad mihi pingendam tabulam; & inter Locationem operarum, cujus objectum non est tam opus ipsum aliquod specificum, seu determinatum, quam ipsa operandi, seu deserviendi obligatio ad certum tempus, vel propter annuum salarium conventum ad singulos annos restricta, ut fit in Professoribus, Advocatis, Medicis, & similibus.

De priori casu procedunt Argumenta *supra* allata, ita, ut plus non debeatur, quam præstitum sit, pro rata sc. operæ; quia tunc Contractus videtur habere tacitam conditionem, ut merces debeatur, si, & quatenus opus, aut negotium perfectum fuerit.

In posteriori autem probabilius adhuc debetur merces 71 Locatori, etsi propter infirmitatem, vel aliud impedimentum operas suas non præstiterit, prout cum P. Engl *loc. cit.* docent Gaill. *l.* 1. *obs.* 44. *num.* 12. Harpprecht. *ad princ. Inst. hoc tit. num.* 521. ob textus satis claros *l. qui operas* 38. *l. præses* 1. §. *Divus* 13. *de var. & extraord. cognit. l. post duos* 15. *C. de Advocat. divers. Judic. l. pecuniam* 19. *& l. fin. Cod. de condict. ob caus. dator.* Ratio est, quia tunc licèt singulis diebus non præstentur operæ, manet tamen semper præstandi obligatio. Imo etiamsi morte intra annum eveniente non amplius præstari operæ possint, aut obligatio eas præstandi perdurare, nihilominus cum initio anni, quo Locator adhuc vixit, censeatur obligatio Conductori quasi tradita, in eumque sicut in Emptione periculum interitus translatum, ipsius Conductoris damno Locator morietur, & merces præstanda erit istius hæredibus. Et ex hoc capite multi cum Host. Joann. Andr. Baldo valde probabiliter docent, mercedem deberi famulo infirmo etiam pro tempore ægritudinis, in quo servire non potest; quia, ut Paulus Jurisconsultus *l. cum hæres* 4. §. *Stichus* 5. *ff. de Stat. liber.* ait, *servire nobis intelliguntur etiam hi, quos curamus ægros, qui cupientes servire, propter adversam valetudinem impediuntur.* Certè æquitatis, & miserationis ratio flagitat, ne ad breve tempus decumbenti merces imminuatur.

Quæritur 11. qualiter finiatur Locatio Conductio? 72 Respond. hanc exspirare ex variis causis. 1. si mutuo consensu ab ea contrahentes recesserint §. *fin. Inst. quib. mod. tollit. oblig.* 2. si lapsum sit tempus Locationi præfixum, & Locator rem repetierit: de quo vide *supra num.* 45. 3. si Conductor pensionem justo tempore non solverit, aut malè in re conducta versetur: de quo dictum *num.* 50. 4. si Locator rem locatam alicui tertio vendiderit, donaverit, legaverit &c. & Emptor, Donatarius, Legatarius, &c. ipsemet re locata uti cupiat: de quo actum *num.* 43. 5. si Locator, aut ejus hæres probaverit rem locatam propter supervenientem, & ante non prævisam causam propriis usibus necessariam esse: de quo *num.* 48.

Dub. 1. an finiatur Locatio morte Locatoris, vel 73 Conductoris? Resp. non finiri: sed si Locator moriatur ante tempus Locationis elapsum, ejus hæres pati debet Conductorem usque ad præfinitum tempus inhabitare, cum utpote hæres, factum authoris defuncti præstare teneatur. Et è converso si Conductor moriatur, hæres ipsius eodem Jure in Conductione succedet; quia repræsentat personam defuncti, & actiones, defuncto competentes, etiam in ipsum transeunt §. *fin. Inst. h. tit. & l. hæreditas* 62. *ff. eod.*

Dub. 2. an Conductor ante finitum Conductionis 74 tempus recedere possit, invito Locatore? Resp. potest, ex justa causa; secus non. Ita Azor. *p.* 3. *l.* 8. *de Locat. c.* 9. *vers. quarto*, Gail. *lib.* 2. *obs.* 23. *n.* 7. Boerius *decis.* 149. *n.* 8. *&* 9. Barbos. *in c.* 3. *h. tit. n.* 23. *&* 24. Petra *tom* 2. *comment. fol.* 100. *n.* 6. *& seqq.* Engl *hic n.* 9. *vers. quinto*, Pirh. *n.* 17. Konig *n.* 19. *&* 23. Wiest. *n.* 22.

Legitima verò causa subesse censetur. 1. si impetus, vel irruptio hostium, aut latronum timeatur *l. item quæritur* 13. §. *exercitu* 7. *& l. perinde* 34. *ff. h. tit.* 2. si lues Epidemica in eo loco grassetur, & immineat infectionis periculum *l. habitatores* 27. §. *iterum* 1. *ff. eod.* 3. si domus conducta spectris nocturnis infestetur *l. &* §. *cit.* 4. si ædes conductæ per alterius altiorem ædificationem obscurentur *l. si merces* 25. §. *si vicino* 2. *ff. eod.* 5. si ædificium ruinam minitetur *l. qui bona* 13. §. *de illo* 6. *& l. inquilino* 33. *ff. de damn. infect.*

Ex his ergo causis Conductor liberè emigrare è do- 75 mo conducta potest, & remittendum est ei de pensione secundum proportionem temporis, quo inhabitare, aut re conducta uti non licuit, ut constat ex *l. sed addes* 19. §. *siquis* 6. *& l. habitatores* 27. §. *fin. ff. hoc tit.* Si verò sine aliqua istarum, vel alia his simili ante finitum Locationis tempus rem sibi locatam deserat, solvere cogetur Locatori pensionem integram, & simul præstabit ei, quod interest *l. dominus* 55. §. *fin. ff. h. tit.* Sufficit autem justus periculi timor, etsi verum periculum non fuerit *l. habitatores, &* §. *iterum cit.*

Adverto tamen, quòd Conductor si ex aliqua istarum causarum discedat, debeat id domino denuntiare, & claves tradere, si commodè potest; alias si cum commode pos-

poſſet, non denuntiaverit, vel claves non reddiderit, & de cauſa dominus domum alteri non locavit, ad compenſationem damni ſubſecuti compelletur. Barboſ. *in c. 1. h. tit. num.* 25. & alii apud iſtum. Si tamen impedimentum eſt notorium, non eſt neceſſaria denuntiatio, vel proteſtatio, prout reſolvit Menoch. *conſ.* 120. *num.* 15. *&* 33.

76 Dub. 3. an Conductor, ſoluto Locationis contractu, diſcedens poſſit deducere expenſas, ſiquas fecit in rem conductam? Reſp. diſtinguendo inter ſumptus ordinarios, qui fiunt ordinarie pro habendo uſu ex re conducta, veluti pro arandis, & colendis agris, pro percipiendis fructibus, pro pabulo, & ferramentis equi conducti &c. & inter ſumptus extraordinarios. *Priores* non deducuntur, ſed eos Conductor de ſuo præſtare debet, Laym. *l.* 3. *tr.* 4. *c.* 22. *num.* 4. *verſ. limitari*. Haun. *tom.* 4. *de J. & J. tr.* 10. *n.* 549. Engl *hic n.* 10. Konig *n.* 20. *verſ. tertiò*, & alii paſſim.

77 *In poſterioribus* diſtinctio altera eſt adhibenda, an ſint neceſſarii, utiles, vel tantum voluptuarii. *Neceſſarii, & Utiles* (ſi tamen utilitas eorum perpetua ſit, & non tantum Conductorem, ſed etiam dominum rei locatæ concernant) regulariter, & niſi aliter inter contrahentes conventum, vel conſuetudine loci receptum ſit, deduci poſſunt, vel certè dominus pati debet, ut eos Conductor auferat, ſi ſine deterioratione prioris ſtatus auferri poſſint Fachin. *l.* 1. *contr. c.* 85. Laym. *n.* 4. *cit. coroll.* 1. Haun. *n.* 556. *& duob. ſeqq.* Engl *hic n.* 10. Konig *n.* 20. *verſ. tertiò*. & ſumitur ex *l. ſed addes* 19. *§. ſi inquilinus* 4. *l. dominus* 55. *§. in conducto* 1. *l. colonus* 61. *princ. ff. hoc tit. Voluptuariæ* expenſæ ordinarie non deducuntur (niſi dominus locupletior factus ſit, quòd propterea rem locatam jam pluris vendiderit, aut elocarit) ſi tamen tollere illas ſine deterioratione rei conductæ poſſit, id ipſi permittitur *l. utiles* 39. *§. videamus* 1. *ff. de hæredit. petit.*

78 Circa iſtud tamen beneficium tollendi impenſas utiles, & voluptuarias hoc notandum eſt, id tunc ſolùm habere locum, quando tollens inde commodum quoddam conſequitur: ſecus verò, ſi ex mera invidia picturas v. g. corrumpere, ornatum horti deſtruere &c. velit *l. in fundo* 38. *verſ. conſtituimus ff. de R. V.* non eſt enim malitiis hominum indulgendum, qui nihil agunt, quam ut noceant: & ſibi imputare debet, qui in re aliena ſcienter impenſas fecit. Engl *n.* 10. *ff. h. tit.*

79 Quæritur 12. quænam negotia ſint Locationi Conductioni affinia? Reſp. hujuſmodi non pauca referuntur. Et 1. quidem Contractus *Socidæ*, Germanicè *das Fiech beſtellen, auſthuen, Verleihen*, quo oves, & alia pecora, certo pretio æſtimata, ſolent ea lege locari, ut Conductor quotannis mercedis loco de ſingulis certam lanæ, butyri, vel caſei quantitatem ſolvat. Hic Contractus, ſi æſtimatio pecorum taxationis duntaxat gratia fiat, & ſolo dominio remanente penes locatorem, ſolum periculum transferatur in Conductorem, à Locatione Conductione non deviat *l. quæro* 54. *§. fin. ff. hoc tit.* Si verò æſtimatio Venditionis gratia fiat, ac dominium in Conductorem transferatur, degenerat in Contractum innominatum *l. cum fundus* 3. *ff. eod.* Si denique hoc modo fiat, ut communio quædam inter accipientem, & dantem intercedat, fructuſque, & ſumptus pro rata communes ſint, in Societatem declinat *l. cum duobus* 52. *§. utrum* 2. *ff. pro Socio*. Strych. *ff. h. tit.* §. 10. Miller. *ad Struv. Exercit.* 24. *th.* 14. *lit. O.* Clariſſ. P. Schmier *de pact. & contract. cap.* 2. *n.* 374. *& ſeqq.*

80 2 *Admodiatio:* quæ duplex eſt, Propria, & impropria. *Propria* dicitur, qua reditus alicujus Provinciæ æſtimantur, & conductori percipiendi conceduntur, certo pretio, ſeu mercede conſtituta, Germanicè *Verpachtung eines ampts, Vogtey, Herſchafft &c. Impropria*, qua omnis generis reditus, ad Provinciam non ſpectantes, alicui pro certa mercede locantur. Inter hanc ſpeciem, & Locationem non intercedit diſcrimen aliquod, præterquam in objecto, prout notat Struv. *de Admodiat. th.* 5. *&* 7. ubi plura de Admodiatione.

81 3 Contractus *Affictus*, quo prædium ruſticum non pro pecunia, ſed pro parte fructuum impenſis, & periculo conducentis locatur, qui propterea *Colonus partiarius*, vel *dimidiarius*, *ein Halb-Baur*, *oder Halb-Mayer* appellatur *l. ſi merces* 25. *§. vis major.* 6. *ff. hoc tit.* Hunc Contractum Brunnem. *ad l. cit. n.* 19. & alii ab eo *citati* ad Societatem referunt; quod *l. cit.* Cajus dicat, *Colonum partiarium, quaſi ſocietatis jure, & damnum, & lucrum cum domino fundi partiri.* Sed melius ad Locationem reducitur, tum quia vox *Colonus*, qua ibidem JCtus utitur, plerumque denotat Conductorem prædii ruſtici, tum quia in *l. cit.* tale negotium non cenſetur jure Societatis, ſed *quaſi Societatis*, q[uia] loquendi modus non veram Societatem, ſed analogia[m] duntaxat cum ſocietate ſignificat. Strych. *l. cit.* §. 15.

8[2] Dub. 1. qualis præſumatur Locatio, vel conceſſio Rectore Eccleſiæ, vel Beneficiario facta, ſi in inſtr[u]mento non fiat mentio de conſenſu, & authorita[te] Ordinarii? Reſp. hic diſcurrendum eſt aliter de Ben[e]ficiario ſimplici, qui adminiſtrationem rerum Eccleſi[æ] non habet, & aliter de eo, qui Rector Eccleſiæ e[ſt] & adminiſtrationem habet.

Si is, qui Locationem fecit, fuit Beneficiarius ſim[-] plex, non habens adminiſtrationem, & hic elocavit fun[-] dum Eccleſiæ ſibi aſſignatum ratione Beneficii, tunc cen[-] ſendum eſt eſſe conceſſionem, ſeu Locationem non rea[-] lem, ſed perſonalem, ita, ut effectum ulterius haber[e] non poſſit, niſi dum Beneficiatus vivit; nam in dubi[o] convenit actum quemlibet, ſeu Contractum ita expli[-] care, ut valeat potius, quàm ut pereat *c. Abbate* 25. *V[...] contra de V. S.* Beneficiarius autem non habens adminiſtrationem rerum Eccleſiæ non poteſt nomine Eccleſiæ fundum elocare, ergo debet intelligi, quod rem, ſeu fundum Eccleſiæ nomine proprio conceſſerit, ſeu locaverit, adeoque tantum ad vitam ſuam. Pirh. *hic num.* 28.

Si verò ſit Curatus, vel Rector Eccleſiæ, & elocavit fundum Eccleſiæ, videndum eſt, an ille fundus pertineat ad ipſam Eccleſiam, an verò incorporatus ſit menſæ Rectoris. *Si primum*, cenſetur elocatio facta ad tempus Jure conceſſum, *Si ſecundum*, cenſebitur facta ad vitam elocantis (quia ad ſic elocandum non indiget conſenſu Ordinarii) non verò ultra illam; quia ſucceſſori elocatione ſua nocere non poteſt. Proceditque hoc etiam caſu, quo elocavit ad tempus non longum, & interea mortuus eſt, antequam finiretur Locationis tempus; nam ea Locatio cenſeri debet conditionalis, videlicet ſi tamdiu vivat Prælatus, ſeu Rector Eccleſiæ, ut rectè Pirh. *num.* 27. & ratio eſt, quia cenſetur voluiſſe elocare, quamdiu jus habet percipiendi illos reditus, & non ultra illud tempus.

Dub. 2. utrum, ſi res locata fuerit alteri ſublocata, Subconductor, ſeu ſecundus Conductor poſſit mercedem ſolvere tam primo, quàm ſecundo Locatori? Reſp. eum teneri ſolvere ſecundo Locatori, qui etiam ad hoc illum efficaciter poteſt compellere: & *Ratio eſt*, quia cum hoc ſolo contraxit, non autem cum primo. Si tamen primo Locatori, cui nondum ſatisfactum eſt à ſecundo, fiat ſolutio, ſecundus Conductor liberabitur ab obligatione tam principali, quàm acceſſoria *l. ſolutum* 11. *§. ſolutam* 5. *ff. de pignorat. act.* Stryck *ff. h. tit.* §. 65. *in fin.*

§. II.

De Contractu Emphyteutico.

S U M M A R I U M.

Ad

128 129 130 *Ad quem transeat, ac spectet Emphyteusis si Emphyteuta Religionem profiteatur?*
131 132 133 *Quid si pactum sit initum, ne ad Ecclesiam, vel aliam potentiorem personam transferatur?*
134. 135 136 *Quæ obligatio nascatur ex Contractu Emphyteutico?*
137 *Ad quem pertineant impendia, quæ bonum, aut fundus Emphyteuticarius exigit?*
138 *An remittenda sit pensio Emphyteutæ ob sterilitatem, vel alium casum fortuitum?*
139 *Qualis, & quatenus Canon imponi Emphyteutæ possit?*
140 *Quibus casibus Laudemium non debeatur?*
141 142 *An liceat Emphyteutæ fundum Emphyteuticum vendere?*
143 *Quibus casibus hoc possit, domino non requisito?*
144 *Quid requiratur, ut ob venditionem rei Emphyteuticæ Emphyteuta incurrat pœnam caducitatis?*
145 *An, & quibus modis, præter Venditionem alienari Emphyteusis, domino irrequisito possit?*
146 147 148 *Quomodo emphyteusis finiatur?*
149 150 151 *Quando emphyteuta in pœnam commissi cadat ob non solutum Canonem?*
152 153 154 *Quando in pœnam commissi non cadat?*
155 *In qua Emphyteusi celeri satisfactione possit purgari mora?*
156 *Intra quod tempus?*
157 158 *An dominus directus recipiens Canonem ab Emphyteuta, qui celeri satisfactione moram non purgavit, caducitatem censeatur remisisse?*

85 QUæritur 1. quid sit *Emphyteusis*? Resp. *Emphyteusis* (Latinè idem, quod *Implantatio, seu Insitio*) est *Contractus Juris gentium, nominatus, bonæ fidei solo consensu constans, quo res soli, sive immobilis, videlicet ager, prædium &c. cum translatione dominii utilis, retento directo, seu proprietate, in perpetuum, vel ad tempus alicui utenda fruenda conceditur, cum onere certæ pensionis realis domino directo certis temporibus persolvendæ.* Ita Azor. *p.* 3. *l.* 10. *de Emphyteus. cap.* 1. *quæst.* 1. Molin. *tract.* 2. *de J. & J. D.* 445. *princ.* Less. *l.* 2. *cap.* 24. *num.* 3. Laym. *l.* 3. *tract.* 4. *cap.* 23. *num.* 1. *&* 2. Haun. *tom.* 3. *tract.* 9. *num.* 472. Harpprecht. *ad* §. 2. *Inst. h. tit. num.* 4. Vall. *hic* §. 2. *num.* 1. Engl. *num.* 11. Pirh. *num.* 31. Konig. *numer.* 28. Vviest. *num.* 30. & alii communiter. In hoc Contractu res immobilis, v. gr. prædium in Emphyteusin traditum, Germanico Idiomate dicitur *Erbrecht*, *Erbestand*, *Erb-Tingut*, simpliciter *Bauren-Leben*, *Hoff Gut*, *Gilthof*; Dominus directus retenta proprietate; alicui prædium tradens *der Grund Her*; Colonus id cum dominii utilis in se translatione accipiens *Erbrechter*, *Erbestander*, *Zinsmann*, *Huebner*, *Zietbaur*; Canon, sive pensio pro dominii directi recognitione solvenda *Stifft, oder Grund Dienst*, *Jahrliche Zlied*; Laudemium, sive certa pecunia pro novæ investituræ collatione, sive veteris renovatione solvenda *Hand-Lohn*, *Aufzug Zeld*, *Auf-und Alfahrt*. Manz. *ad* §. 3. *Inst. hoc tit.* Haun. *num.* 474. Vviest. *num.* 30.

86 Dicitur autem in Definitione 1. *Contractus*: quod generis loco in ea ponitur, & meritò; nam Emphyteusin esse Contractum, eumque à reliquis omnibus Zenonis Constitutione distinctum, indubitatum est ex §. *adeo* 3. *Inst. hoc tit. l. locatio* 1. *&* 2. *ff. eod. l. cùm dubitabatur* 3. *vers. sin autem* ibi *in emphyteuticis Contractibus C. de jur. emphyt. l. fin.* ibi *Nec emphyteuseos Contractum C. de reb. alien. non alien.* Et ratio perspicua est; quia ultro citroque propria vi, ac virtute obligationem parit: quod proprium est Contractus. *Conf.* quia si Contractus non esset, frustra, & ineptè veteres JCti dubitassent, an Emphyteusis esset Locatio Conductio, an verò Emptio Venditio, cùm utramque Contractum esse omnibus liqueat.

Dicitur 2. *Juris gentium*: intelligi, quoad præstationem annui Canonis pro fundi fructu, & recognitionem veri domini; nam eatenus videtur esse Jure Civili antiquior: non verò quoad formam, & nomen; quia hanc Juri Civili debet, utpote à Zenone Imp. acceptam, ut colligitur ex §. *adeo* 3. *Inst. h. tit.* & *l. Jus* 1. *C. de Jur. emphyt.*

87 Dicitur 3. *Nominatus*; nam Contractibus Nominatis accensendam esse, quadruplex monstrat ratio. 1. quia proprium, certum, & specificum, ac nulli alteri contractui commune nomen habet. 2. quia ex contractu Emphyteuticario propria, & specialis actio competit, nim. Emphyteutica, vel Emphyteuticaria, cùm ex Contractibus innominatis tantùm competat Actio præscriptis verbis. 3. nisi Veteres Emphyteusin pro Contractu nominato habuissent, non tam anxiè disputassent, utrum esset Locatio Conductio, vel Emptio, Venditio.

Dicitur 4. *Bonæ fidei*: quia Contractus Emphyteuseos quasi conflatus est ex Contractu Emptionis Venditionis, & Locationis Conductionis, quorum uterque bonæ fidei est; absurdum autem videtur esse Contractum ex duobus mixtum diversæ naturæ à simplicibus suis, ex quibus compositus est, censeri. *Neque obstat*, quòd actio, quæ descendit ex Emphyteusi, non referatur inter actiones bonæ fidei in §. *actionum autem* 28. *Inst. de action.* quia licèt verba Emphyteusin non exprimant, sententia tamen §. *cit.* quæ in Legibus maximè attendi debet, eandem continet, dum actionem locati, sub qua actio ex emphyteusi comprehenditur, inter bonæ fidei actiones recenset.

Dicitur 5. *solo consensu constans*: quibus verbis deciditur agitatissima inter DD. quæstio, an ad Substantiam Contractus Emphyteutici requiratur scriptura, quibusdam affirmantibus cum Clar. §. *Emphyteusis quæst.* 4. *num.* 1. Mascard. *concl.* 602. *num.* 1. *&* 2. Gomez *l.* 2. *var. cap.* 3. *num.* 16. *in fin.* Valasc. *de Jur. emph. quæst.* 7. *num.* 2. Azor. *p.* 3. *l.* 10. *de emph. cap.* 5. *quæst.* 3. Molin. *tract.* 2. *D.* 447. *num.* 7. Laym. *lib.* 8. *tract.* 4. *cap.* 23. *num.* 6. Haun. *tom.* 3. *tract.* 9. *num.* 485. Petra *tom.* 1. *comment. fol.* 86. *num.* 50. Pirh. *hic num.* 33. Vviest. *numer.* 32. quod intelligi volunt non tantùm de Emphyteusi Ecclesiastica ob *Novell.* 7. *pr. vers. quia verò cap.* 2. §. 1. *vers. unde siquid, cap.* 3. §. 2. *& Novell.* 120. *cap.* 5. sed etiam de Laica, seu communi ob *l. Jus* 1. *C. de Jur. Emphyt.* ibi *Pactionibus scriptura interveniente, habitis &c.* Sed pro neutra ex his textibus efficax ducitur Argumentum; non pro *Emphyteusi Laica*; quia licèt *in l. cit.* mentio scripturæ fiat, non tamen propterea sequitur, scripturam planè necessariam esse: patet exemplo dotis, quæ nudo pacto constituitur, & tamen lex meminit Instrumenti dotalis *l. fin. post princ. C. de dot. promiss.* Non *pro Ecclesiastica*; quia ad hanc per textus allegatos scriptura requiritur, non quatenus Emphyteusis est, sed quatenus Contractus alienativus, & translativus dominii utilis, ad mentem *cap. irrita* 1. *de his, quæ à Prælat.* Unde attendendum erit ad consuetudinem, & peculiaria locorum Statuta, his autem seclusis, dicendum, Scripturam ad substantiam istius Contractus non requiri, sed solùm ad probationem pactorum, quæ adjici solent, propter diuturnitatem temporis, in quod Emphyteusis extendi solet, ut falsitas evitetur. Ita Durand. *Specul. tit. de Emphyt. num.* 5. Rittershus. *l.* 1. *partit. feud. cap.* 2. *quæst.* 2. *p.* 81. Sarmient. *l.* 3. *select. interpret. cap.* 2. *num.* 5. Vultejus *l.* 1. *Jurisp. Rom. cap.* 36. *fin. pag.* 159. Giphan. *l.* 3. *D.* 29. *th.* 22. *num.* 25. Bachov. *ad Treutl. vol.* 1. *D.* 29. *th.* 9. *lit. D. pag.* 1125. Harpprecht. *ad* §. 3. *Inst. h. tit.* 583. *& seqq.* aliique plures ab his *citt.* & ratio est, quia vulgata Juris est regula, scriptam ad rei gestæ substantiam, aut fidem necessariò non requiri, à qua regula non est recedendum, donec apertè demonstretur, exceptio talis autem circa Contractum Emphyteuticum non probatur. ergo &c. 88

Dicitur 6. *quo res soli, seu immobilis*: ut denotetur objectum Emphyteuseos esse solas res immobiles, ut indicat Rubrica *tit. ff. si ager vectigal.* & ratio patet, quia Emphyteusis conceditur ad finem meliorationis; res mobiles autem aut usu pereunt, aut deteriores fiunt. Imò, spectata Contractus istius origine, solæ res steriles, ad culturam redigendæ, venerunt in Emphyteusin, ut cum aliis notat Struv. *ad ff. Exerc.* 11. *th.* 52. *&* 63. Clariss. P. Schmier *tract. de pact. & contract. cap.* 2. *num.* 400. Licèt successu temporis prædia fertilia quoque, tam urbana, quàm rustica dari in Emphyteusin cœperint *l. si finita* 15. §. *si de vectigalibus* 26. *ff. de damn. infect. Novell.* 7. *cap.* 3. §. 2. *Novell.* 120. *cap.* 1. *per totum*, Struv. *exercit. cit. th.* 60. Lauterbach *ad tit. ff. si ager vectig.* §. 8. P. Schmier *l. cit. num.* 400. 89

Dicitur 7. *Cum translatione dominii utilis, retento dicto, seu proprietate*: quo differt ab Usufructu, & Emptione Venditione; quia per Usumfructum sola utendi, fruendique facultas, à jure dominii separata, per Emptionem Venditionem, si traditione rei venditæ consummata sit, etiam dominium directum, seu proprietas in Emptorem transfertur.

Dicitur 8. *In perpetuum vel ad tempus*; quamvis enim primæva hujus Contractus natura sit, ut perpetuus sit, tamen etiam ad tempus, puta ad 10. 20. 30. pluresve annos, vel ad vitam concedentis, seu ad duas vel tres generationes pactis partium Emphyteusis concedi potest, ut constat ex *l. fin. ff. si ager vectigal.* 90

Novell.

Novell. 120. *cap.* 5. *princ.* ibi *ultra quinquennium volumus fieri*. Cujac. *in l.* 1. *C. de locat. præd. Civil.* Clar. *de Jur. Emphyt. quæst.* 28. *num.* 3. Giphan. *l.* 3. *Disput. Jur. civil.* 29. *th.* 21. Harpprecht *ad* §. 3. *Inst. h. tit. num.* 95. Haun. *tom.* 3. *tract.* 9. *num.* 483. Konig. *numer.* 30. *hic*. nec ideo vera, & propria Emphyteusis esse desinet; quia licèt naturalia Contractus mutentur, non tamen nomen, vis, & substantia ipsius Contractus subvertitur, quæ in hoc maximè consistit, quòd transferatur dominium utile cum onere præstandi annui canonis in recognitionem dominii directi.

Dicitur 9. *cum onere certæ pensionis &c.* quia hæc præcipuè hujus Contractus, & Juris Emphyteutici propria est; nam sine hac aut erit Venditio, si pretium semel solvitur; aut permutatio, si species cum specie permutatur; aut Donatio, si pro re nihil præstatur.

91 Quæritur 2. quomodo differat Emphyteusis ab aliis Contractibus? Resp. 1. differt à *Locatione*; quia res etiam mobilis locari potest, non tamen dari in Emphyteusin, cùm hæc ne in illis quidem Juribus constitui possit, quæ immobilibus comparantur, uti sunt reditus annui perpetui. 2. Emphyteusis præstat dominium utile ei, qui accipit; non item Locatio *l. non solet* 39. *ff. h. tit.* Et hinc Emphyteuta quandoque dominus in Jure vocari solet. 3. Conductor rei locatæ servitutem, aut aliud quodpiam jus imponere nequit; potest verò Emphyteuta, ita tamen, ut servitus finiatur, finita Emphyteusi *arg. l. Prætor ait* 1. §. *fin. ff. de Superficieb.* 4. In Locatione pensio solvitur, tanquam justa æstimatio fructuum, vel usus; in Emphyteusi autem principaliter in recognitionem dominii directi. Et hinc 5. inter fructus Emphyteuseos, & annuum Canonem plerumque non solet esse proportio, qualis tamen esse debet, & solet in Locatione Conductione.

92 *Ab Emptione Venditione*. 1. Quia in Emptionem venit res non tantùm immobilis, sed etiam mobilis; in Emphyteusin immobilis tantùm. 2. In Emptione rei ipsius, quæ venditur, dominium, & quidem verum, ac plenum, aut certè usucapiendi conditio à venditore in Emptorem transfertur; in Emphyteusin non tam ipsa res, quàm rei usus, & dominium duntaxat utile. 3. In Emptione debet intercedere pretium nummarium; in Emphyteusi pensio non præcisè in pecunia numerata, sed etiam in specie, vel quantitate, veluti vino, aut frumento, constitui potest. 4. In Emptione æstimatur res ipsa, quæ venditur pretio; in Emphyteusi nec res, nec usus rei æstimatur pensione illa, quæ quotannis solvitur, sed pensio ista penditur in recognitionem dominii directi. 5. In Emptione quando semel pretium ab Emptione solutum est, nihil ulteriùs Venditori præstatur, & si res intereat, Emptori perit; at verò in Contractu Emphyteutico præstatur annuus Canon, & interitus rei sine culpa levi Emphyteutæ contingens ad dominium directum spectat, Emphyteuta imposterum à præstatione Canonis liberato. Laym. *l.* 3. *tract.* 4. *cap.* 22. *numer.* 1. *vers. hinc etiam*, Haun. *tom.* 4. *tract.* 10. *num.* 443. Engl. *hic num.* 12. Konig. *num.* 37.

93 3 *Ab Usufructu*; quia Ususfructus non transfert dominium utile, sed est servitus tantùm personalis in solo usu consistens, quæ nec in hæredes transeat, nec quoad jus ipsum in alium cedi, vel transferri possit §. *finitur* 3. *Inst. de Usufruct. l. si usufructus* 66. *ff. de Jur. dot.* Præterea natura Ususfructus est, ut gratuitò constituatur sine annua pensione: quæ tamen omnia se aliter habent in Emphyteusi.

4 *A Feudo*; quia in hoc, & secundùm ordinariam naturam Feudi tantùm succedunt hæredes sanguinis, agnati, masculi, non extranei, aut fœminæ, qui tamen admittuntur ad successionem in Emphyteusi, ut dicetur *num.* 120. Deinde in Feudo regulariter non solvitur Canon, aut Laudemium, prout hoc fit in Emphyteusi, sed in Vasallus solùm obligatur ad obsequia personalia. Engl. *num.* 12. *cit. vers. cum fundo*.

5 *A Contractu Censuali reservativo*; quia in hoc in Censualistam seu accipientem transfertur dominium non tantùm utile, sed etiam plenum rei; & si Census, vel pensio annua, per eum reservata, biennio, aut triennio non solvatur, non propterea res Censualis in commissum cadit, sicut tamen cadit in Emphyteusi. Clar. §. *Emphyteusis quæst.* 1. *num.* 2. Laym. *l.* 3. *tract.* 4. *cap.* 23. *num.* 3. Pirh. *hic num.* 31. Vviest. *num.* 34.

94 6 *A Contractu Libellario*; quia Contractus Emphyteuticus propriè tunc fit, quando verus dominus proprietatis dat rem utendam fruendam alteri, Libellarius autem, quando Vasallus, vel Emphyteuta concedit alteri prædium pro pensione annua, quod ipse habuerat in Feudum, vel Emphyteusin. Deinde in Contractu Emphyteutico concedens est dominus directus rei, non verò in Libellario. Denique Emphyteusis renovari non solet, nisi mutato possessore; Libella verò renovatur anno vigesimo nono, possessore non mutato, data certa pecunia arbitrio boni viri.

7 *A Contractu Vitalitio*; quia Vitalitium, vulgò *Leib Zeding*, est concessio rei immobilis sub onere solvendæ pensionis annuæ ad vitam unius, vel utriusque conjugis; at Emphyteusis vel ad vitam illius, cui conceditur, vel ad unam, aut plures generationes, vel etiam in perpetuum concedi potest: conf. Emphyteusis à Vitalitio differt, ut genus à specie. Haun. *tom.* 3. *tract.* 9. *num.* 580. Vviest. *hic num.* 34.

Dubitatur, quid præsumendum sit, quando dubitatur, quo Jure solvatur pensio, Censuali, an Emphyteutico? Pro Censuali habendum contendit Covar. *l.* 3. *var. cap.* 7. *num.* 1. Mascard. *de Probat. concl.* 281. *num.* 1. & alii ab his *citt.* quòd in dubio, quod minimum est, sequi oporteat; Contractus autem Censualis minorem obligationem possessori imponit, quàm Emphyteuticus. ergo &c. 95

Sed rectiùs dicitur, quòd communiter intuendus sit mos Regionis, ut in dubio talis reputetur Contractus, qui in eo loco frequentari solet, ut habetur *l. semper* 34. *ff. de R. J.* & notat Molin. *tract.* 2. *de Just. D.* 381. *num.* 8. Laym. *l.* 3. *tract.* 4. *cap.* 23. *num.* 3. *fin.* Haun. *tom.* 3. *tract.* 9. *num.* 476. Vviest. *hic num.* 34.

Si ex consuetudine nihil decidi possit, recurrendum 96
est ad conjecturas, & pro Censuali reputabitur, si in Instrumento factæ concessionis posita reperiatur vox *Venditionis*; quia Emphyteuticus Contractus potiùs Locationis, quàm Venditionis est. Laym. *l. cit. num.* 4. Contrà Emphyteuticus æstimabitur, si in Instrumento facta reperiatur mentio Laudemii. Estque hoc verum, ut idem Laym. *l. cit.* notat, etsi istud longissimo tempore exactum non fuerit: per hoc enim fundus Emphyteuticus esse non cessat, adeò, ut à novo Successore in ejus Investitura Laudemium possit exigi, non obstante præscriptione, utpote, quæ se tantùm extendit ad præstationes præteritas, non autem ad futuras, nisi in casu, quo ipso facto, aut expressa protestatione fundus temporis diuturnitate tanquam liber à Laudemii solutione possessus fuisset.

Quodsi in Instrumento nulla Laudemii mentio fa- 97
cta sit seu expresse, seu implicitè (videlicet ut rusticus teneatur ad omnia onera, quæ Emphyteutis communiter imponi solent) atque à tempore immemoriali nullum Laudemium petitum, aut datum, adhuc in dubio præsumetur esse Contractus Emphyteuticus potiùs, quàm Censualis, maximè si rei concessio facta sit ab Ecclesia; tum quia ita minùs præjudicatur concedenti; tum verò quia ad substantiam Contractus Emphyteutici Laudemium non requiritur, cùm is variis modis, sive pactionibus institui possit, ut constat ex *l. Emphyteuticariis* 2. *& l. seq. C. de Jur. Emphyt.*

Quæritur 3. quotuplex sit Emphyteusis? Resp. tripli- 98
cem maximè divisionem invenio. Nam 1. dividitur in Ecclesiasticam, & Laicam, sive Communem. *Ecclesiastica* dicitur, quæ constituta est in re, cujus dominium directum, seu proprietas spectat ad Ecclesiam, Collegium Canonicorum, vel Monasterium, aut alium pium locum. *Laica*, sive *Communis*, quæ constituta est in re, videlicet prædio, aut fundo merè profano. Adeoque ad cognoscendum, an Emphyteusis aliqua Ecclesiastica, vel Laica sit, inspici debet persona, ad quam spectat dominium directum rei Emphyteuticæ, non illa, ad quam spectat dominium utile; nam si Emphyteusis constituta sit in re, quæ ad Ecclesiam &c. spectat, Ecclesiastica erit, etsi Emphyteuta sit Laicus; Laica verò, si constituta sit in fundo profano, etsi Emphyteuta sit Clericus Pirh. *hic num.* 32.

2 Dividitur in Novam, & Veterem. *Nova* est, 99
quæ originem habet à persona, cui ea primò concessa est, eamque non transcendit; *Vetus* autem, quæ ab una ad aliam personam devenit.

3 In Hæreditariam, Non Hæreditariam, & Mixtam. *Hæreditaria simpliciter* est, quæ accipienti, ejusque hæredibus quibuscunque etiam extraneis, & quibus dederit, concessa est. *Non hæreditaria*, sive ut vocant, *Ex pacto, & providentia*, seu *Familiaris*, & *Gentilitia* est, quæ alicui, & filiis, seu descendentibus concessa est, nulla facta mentione hæredum, ac proinde vi concessionis transit ad solos descendentes, & ad hos etiam, quando hæredes non sunt. *Mixta* denique appellatur, si pro filiis, seu descendentibus simul, & hæredibus concessa est: & nomenclationis istius clara est ratio; quia in ea neque descendens succedit, nisi sit hæres; neque hæres, nisi sit descendens.

dens. Clar. §. *Emphyteusis quæst.* 16. *num.* 1. Molin. *tr.* 2. *D.* 472. *& seqq.* Laym. *l.* 3. *tract.* 4. *cap.* 23. *num.* 12. Vviest. *hic num.* 35.

4 In Perpetuam, & Temporalem. Perpetua est, quæ sine limitatione temporis contrahitur in perpetuum: qualis in dubio censetur quælibet Emphyteusis. *Temporalis*, quæ contrahitur ad tempus aliquod determinatum.

10 Quæritur 4. quis Emphyteusin concedere possit? Resp. Emphyteusin in genere concedere possunt omnes, quibus præter dominium competit libera rerum suarum administratio, & alienandi facultas. In specie id possunt. 1. Civitates *l. agri* 1. *pr.* & §. *qui in perpetuum* 1. *ff. si ager vectig.* 2. Collegia Ecclesiastica, & Ecclesiarum Prælati, sed cum Canonum solemnitatibus *cap. nulli* 5. *de reb. Eccl. non alien.* & *Novell.* 7. *cap.* 3. 3. Privatus quilibet *l. jus* 1. *& duab. seqq. C. de Jur. Emphyt.* Addidi autem, *quibus libera rerum suarum administratio &c.* Et hinc quia ista pupilli, & minores non pollent, etiam prædia sua in Emphyteusin dare non possunt, nisi adhibita Tutoris, vel Curatoris authoritate, & Magistratus Decreto interveniente *l. sed si* 3. §. *nec usufructus* 5. *ff. de reb. eor. qui sub tutel. l. non solum* 4. *l. etiam* 13. & *tot. tit. C. de præd. min. sin. decret. non alien.* Hatpptecht *ad* §. 3. *Inst. h. tit. num.* 126.

11 Dub. 1. an, & qua ratione Prælatus bona Ecclesiæ, cui præest, possit in Emphyteusin dare? Ratio dubitandi sumitur 1. ex *Novell.* 7. *cap.* 3. & *Novell.* 120. *cap.* 1. quibus textibus Emphyteuticandi facultas conceditur Ecclesiæ; dummodo contractus ultra filios, & nepotes non porrigatur. 2. Ex *cap. ad aures* 7. *de reb. Eccl. non alien.* ubi Episcopus terras arabiles sub annuo censu in Emphyteusin dare permittitur ex causa majoris utilitatis, absque mentione ullius solemnitatis, ex quibus textibus videtur colligi Emphyteusin Ecclesiasticam non requirere aliquam solemnitatem Juris.

12 Sed melius respondetur distinguendo: Vel enim agitur de danda in Emphyteusin re aliqua modica, & Ecclesiæ parum utili, vel de re, aut fundo aliquo Ecclesiæ utili. *Si primum*, sicut ex justa causa secundùm dicta *Tit.* 13. *num.* 39. alienari, ita etiam in Emphyteusim concedi sine solemnitatibus possunt. *Si secundum*, ut ejusmodi res immobilis in Emphyteusin concedi possit, præter justam causam accedere etiam solemnitates debent, quæ ad alienationem rerum Ecclesiasticarum requiruntur *can. hoc jus porrectum* 2. §. *perpetua caus.* 10. *quæst.* 2. *can. Apostolicos* 13. *caus.* 12. *quæst.* 2. *cap. nulli* 5. *de reb. Eccl. non alien. & Extrav. ambitiosæ cod.* Ratio clara est, quia Emphyteusis est quædam species alienationis *cap. nulli citat.* & *Novell.* 7. *cap.* 1. *vers. alienationis*; quia per eam utile rei dominium transfertur in Emphyteutam: hinc generaliter, quibus alienare prohibitum est, iisdem etiam non est permissum dare in Emphyteusin, maximè si sint Prælati, & rerum Ecclesiasticarum Administratores.

103 Neque obstant textus allati pro ratione dubitandi. *Ad* 1. Constitutiones Imperiales *citt.* imprimis concernunt solam ferè Constantinopolitanam Ecclesiam; deinde in hac materia attendendæ non sunt, cùm aliter dispositum sit Jure Ecclesiastico *per Extrav. ambitiosæ cit.* ubi Contractus Emphyteuticus, circa res Ecclesiasticas sine solemnitatibus celebratus, generaliter, & indistinctè prohibetur, ac irritatur. Igitur prohibetur ex hac Constitutione etiam temporalis. *Et confirmatur* ex eadem *Extrav.* nam per istam nec locare Prælatus res immobiles Ecclesiæ ad tempus triennio longius potest. ergo multo minùs in Emphyteusin dare. *Ad* 2. in casu *cap. ad aures cit.* agitur de terris, & fundis, qui priùs silvosi, & inculti, postea agricolarum opera ad culturam redacti, & fertiles facti sunt: & has *ibidem* Alexander III. statuit iisdem agricolis sub annuo censu hæreditario jure in Emphyteusin concedi posse: & meritò; quia aliàs difficulter idoneus cultor repertus fuisset, & qui culturam hujusmodi fundorum suscepissent, non ita studiosè procurarent talium fundorum meliorationes, in plantandis arboribus &c. utpote quarum fructibus nunquam fuissent fruituri, vel ipsi, vel posteri illorum. Haun. *tom.* 3. *tract.* 9. *num.* 483. *fin.*

104 Dub. 2. an eædem solemnitates requirantur ad dandum in Emphyteusim fundum aliquem, qui jam antea in Emphyteusim datus ab Ecclesia fuit, sed ad hanc per mortem Emphyteutæ sine hæredibus decedentis, vel privationem illius ob delictum, aut alia ex causa quoad dominium utile reversus est? Resp. negativè: sed ejusmodi fundus à Prælato sine consensu Capituli, & aliis Juris solemnitatibus iterum concedi alteri in Emphyteusim potest, modò eadem causa in Emphyteusim sic concedendi cum Ecclesiæ utilitate subsit, quæ olim erat. Ita Abb. *in cap. ut super* 8. *de reb. Eccl. non alien. num.* 11. Clar. §. *Emphyteusis quæst.* 6. *num.* 1. Redoan. *de reb. Eccl. quæst.* 51. *num.* 6. *& quæst.* 60. *per totam.* Azor. *p.* 3. *l.* 10. *de Emphyt. cap.* 2. *quæst.* 8. Gaill. *l.* 2. *obs.* 161. *num.* 3. *&* 4. Bonac. *D.* 3. *de Contract. quæst.* 8. *p.* 4. *num.* 30. Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 95. *num.* 29. Pal. *p.* 15. §. 4. *num.* 3. Gibalin. *tom.* 2. *de negot. l.* 4. *cap.* 8. *art.* 4. *consect.* 10. *num.* 6. Monacell. *p.* 2. *tit.* 14. *form.* 2. *num.* 2. Zoes. *hic num.* 16. Pirh. *num.* 46. Engl. *num.* 15. Schamb. *num.* 8. Vviest. *num.* 38. & constat per *Extr. Ambitiosæ cit.* & *cap. fin. de Feud.* ubi permittitur Episcopus in rem Ecclesiæ, quæ in feudum antea fuit data, iterum concedere in feudum. Ergo etiam potest dare in Emphyteusin, si antea in Emphyteusin data est. *Ratio est*, quia hæc non censetur nova alienatio, sed potiùs executio ordinationis antiquæ, illius sc. qua olim decretum fuit, ut fundus ob utilitatem Ecclesiæ in Emphyteusin, aut feudum concederetur.

Imò non præcisè tenebitur Prælatus hujusmodi fundum iterum dare in Emphyteusin, sed potest illum etiam concedere in Usumfructum, elocare, vel alium contractum desuper celebrare, prout è majori Ecclesiæ utilitate id futurum duxerit. Engl. *num.* 15. *hic.* Et verum est hoc, etsi res illa semel duntaxat in Feudum, vel Emphyteusin concessa fuerit, ut *arg. cap. fin. cit.* notat Pirh. *num.* 46. *cit.* quia Canonicum dogma est, quòd res semel facta alienabilis censeatur perpetuò esse alienabilis, præsertim ubi conditio Ecclesiæ, de cujus bonis agitur, melior per id efficitur, prout fit, quando res ejus, quæ antea concessa fuit in Feudum, vel Emphyteusin, conceditur in usumfructum, utpote quo minus præjudicium creatur Ecclesiæ. 105

Excipi tamen duplex casus hic debet. *Unus est*, quando mutato rerum statu, causa primæ concessionis in Emphyteusin, aut Feudum cessavit; tunc enim non potest Prælatus rem ad Ecclesiam reversam de novo in Emphyteusin concedere, vel infeudare. prout cum allegatis *suprà* communiter Canonistæ cæteri teste Pirh. *num.* 47. *Alter* est, si fundus Emphyteuticus, aut Feudalis, postquam ad Ecclesiam reversus est, Mensæ Episcopi, vel Prælati sit applicatus, & incorporatus; tunc enim ut denuo alteri concedi in Feudum, vel Emphyteusin possit, opus est consensu Capituli, & aliis Juris solemnitatibus. Abb. *l. cit. num.* 10. cum reliquis *suprà*. 106

Dub. 3. quomodo facienda sit Infeudatio, vel concessio in Emphyteusin rei in Emphyteusin, aut feudum dari solitæ? Resp. si Prælatus denuo illam infeudare, aut in Emphyteusin concedere velit, debet illam facere eodem modo, & non minùs Ecclesiæ utili, quàm olim facta erat; alioquin irrita est concessio, nisi tractatus, & consensus Capituli, atque Superioris authoritas interveniat: intellige, non secundùm se totam, sed quoad excessum: nam intra limites, quibus constricta concessio fuit ante hac, valet; quia utile per inutile non vitiatur, quando commodè separari possunt, nisi apertè constet aliam fuisse mentem contrahentium. Clar. §. *Emphyteusis quæst.* 6. *num.* 2. Rosenthal. *tract. de feud. cap.* 4. *concl.* 37. Laym. *Disp. Can. thes.* 87. Gibalin. *tom.* 2. *de negot. l.* 4. *cap.* 8. *art.* 4. *consect.* 10. *num.* 4. *& seqq.* Joan. Emerix *decis.* 52. *num.* 14. Pirh. *hic num.* 48. 107

Ex quo sequitur 1. si res antea fuit concessa in Feudum, vel Emphyteusin pro masculis tantùm, non posse postea concedi pro fœminis. 2. Si concessa fuit Emphyteutæ ad vitam ejusdem tantùm, non posse postea concedi ad generationes duas, vel plures. 3. Si concessa fuit ad duas generationes, non posse postea concedi ad plures generationes. 4. Si infeudari est solita, non posse concedi in Emphyteusin. 5. Si in Emphyteusin concedi solita in majorem utilitatem, non posse concedi denuo pro minore utilitate. 108

Quæritur 5. cui concedi res in Emphyteusin possit? Resp. Emphyteusin accipere possunt, qui contrahere, aut contrahendo obligari; nam Emphyteuta contrahit cum domino directo, sibique non solùm commodum, sed etiam incommodum, seu obligationem imponit; sicque facultate contrahendi, seque obligandi præditus esse oportet. Et hinc, quia hac carent Pupilli, & Minores, Tutorum, ac Curatorum suorum authoritatem, ac consensum adhibeant, oportet, ne pactis, & conditionibus addi solitis fortè nimiùm obstringantur *arg. l. si infanti* 18. §. *parente* 2. *C. de Jur. deliber. l. quamvis* 32. *ff. de acquir. vel amitt. possess.* 109

Si Emphyteusis sit Ecclesiastica, attendi magis debent SS. Canones, quàm Leges Civiles, nisi hæ ab Eccle- 110

Eccleſia approbatæ, aut uſu receptæ ſint: ac proinde perſonæ, quas illi non admittunt, à ſucceſſione in Emphyteuſi Eccleſiaſtica excludendæ ſunt, ut rectè Molin. *tract.* 2. *de J. & J. D.* 446. *num.* 5. Pal. *tract.* 32. *D.* 10. *p.* 2. *num.* 2. Haun. *tom.* 3. *tract.* 9. *num.* 480. Vvieſt. *hic num.* 39. & ratio eſt, quia Legum Civilium Conditores adversùs Eccleſiam, & in ejus præjudicium ſtatuere nil potuerunt: quæ ratio probat, univerſim controverſias, quæ circa Emphyteuſes Eccleſiaſticas ortæ ſunt, potiùs ſecundùm *SS.* Canones, quàm Leges Civiles decidendas eſſe.

111 Dub. 1. an Prælatus Emphyteuſin, quæ ad Eccleſiam reverſa eſt, poſſit conſanguineis ſuis concedere? Negat cum aliis Harpprecht *in* §. 3. *Inſt. h. tit. num.* 196. fundans ſe *in Novell.* 120. *cap.* 5. & ducta inde *Auth. quibuſcunque C. de SS. Eccl.* ubi Oeconomis, & venerabilium Domorum ordinatoribus, eorumque conſanguineis interdicitur Emphyteuſin, & Locationes, ſeu Hypothecas rerum ipſis venerabilium Domibus competentium, accipere &c. cujus Conſtitutionis ratio eſt, ne iſti Adminiſtratores Eccleſiæ fraudem, & damnum inferre poſſint *can. decenter* 6. *diſt.* 89.

112 Verùm quia nulla Conſtitutio Canonica reperitur, ex qua conſanguinei Prælati ab hujuſmodi Emphyteuſibus repellantur, non appareat, quare ipſi in hac parte debeant eſſe deterioris conditionis, quàm alii; hinc dicendum poſſe, modò omnia bona fide, & cum evidenti Eccleſiæ utilitate agantur. Abb. *l.* 1. *conſ.* 41. Fachin. *l.* 7. *contr. cap.* 31. P. Engl. *hic num.* 16. Clariſſ. P. Schmier *tract. de Pact. & Contract. cap.* 2. *num.* 412. *& duob. ſeqq.*

113 Neque obſtat *Nov. & Auth. citt.* in contrarium; quia imprimis ibi ſermo non eſt de Prælatis, ſed tantùm de Oeconomis, & ſimilibus Adminiſtratoribus inferioribus Hoſpitalium, & aliorum piorum locorum, quorum poteſtas longè reſtrictior eſt, quàm Prælatorum, magiſque in illos, quàm in iſtos cadit fraudis præſumptio. Vel ſi etiam Prælati ibidem intelligendi eſſent, dicendum *Auth. & Novell. citt.* tantùm loqui de Emphyteuſi, quæ non ſervatis ſervandis, ex puro amicitiæ motivo, conſanguineis concedentis conſtituitur in damnum Eccleſiæ. Vel denique dices, eam Conſtitutionem, utpote merè Civilem, Prælatos, tanquam perſonas Eccleſiaſticas, & defectu Juriſdictionis ligare non poſſe.

114 Dub. 2. utrum Prælatus, vel alius rei Emphyteuticæ dominus Emphyteuſin, finita generatione, pro qua conceſſa fuit, aut alio modo ad Eccleſiam reverſam, teneatur dare cognatis ultimi Emphyteutæ, ſi petant, eoſque præferre extraneis? Affirmativam defendunt Bartol. *in l.* 1. §. *permittitur ff. de aqu. quot. & æſtiv.* Clar. §. *Emphyteuſis quæſt.* 43. Mantica *de tacit. & ambig. convent. tom.* 2. *l.* 22. *tit.* 35. *num.* 1. Gabriel. *l.* 7. *tit. de Jur. Emphyt. concl.* 1. Mynſing. *cent.* 5. *obſ.* 16. *& cent.* 6. *obſ.* 79. Seraphin. *deciſ.* 195. *num.* 1. Valaſc. *conſ.* 101. *&* 157. Molin. *tract.* 2. *D.* 484. *num.* 2. Rebell. *de oblig. Juſt. num.* 2. *l.* 11. *quæſt.* 19. Barboſ. *in cap. fin. hoc tit. p.* 161. eſtque teſte Mantica *l. cit.* in Sacro Auditorio ſæpiùs reſolutum. Fundantur diverſis Juris Civilis textibus, & præ cæteris. 1. *l. Imperator* 60. *ff. de pact.* & *l. cùm bona* 16. *ff. de reb. auth. Jud. poſſid.* ubi ſi bona debitoris vendantur, in emptione eorum creditores quidem cognatis, cognati autem extraneis præferuntur. 2. *l. jubemus* 3. §. *& filios* 5. *C. de Advocat. diverſ. Judicum*, ubi filii Advocatorum, ſi idonei ſint, ad officium ſuorum parentum præmortuorum ante extraneos admittuntur. 3. *l. ait Prætor* 1. §. *permittitur* 41. *& ſeqq. ff. de aqu. quot. & æſtiv.* ubi reſpondetur, quòd quando aquæ ductus conceſſus eſt perſonis, non tranſeat ad hæredem, vel emptorem; ſi tamen eis petentibus non concedatur, injuria ſit.

115 Sed dicendum, eſſe quidem aliquam æquitatem, ſeu benignitatem, ne dominus in conceſſione Emphyteuſis ad ſe devolutæ extraneos præferat conſanguineis ultimi Emphyteutæ, ſi rem rurſus in Emphyteuſin concedere, & non pro ſe, aut ſuis reſervare velit, interim in rigore non eſſe obligationem, vel jus petendi ex parte conſanguineorum. Ita Fachin. *l.* 1. *contr. cap.* 100. Mynſing. *cent.* 5. *obſ.* 47. *num. ult.* in hoc ſibi contrarius Roſenthal *tract. de feud. cap.* 4. *concl.* 26. Sarmient. *ſelect. l.* 3. *cap.* 7. *numer.* 2. Laym. *l.* 3. *tract.* 4. *cap.* 23. *num.* 17. Hunn. *ad Treutl. vol.* 1. *D.* 29. *quæſt. ult. pag.* 1803. *& ſeq.* Gaill. *l.* 1. *obſ.* 148. *num.* 2. Harpprecht *ad* §. 3. *Inſt. h. tit. numer.* 208. Card. de Luca *de Emphyt. diſc.* 12. *num.* 12. Monacell. *p.* 2. *tit.* 14. *form.* 2. *num.* 11. Engl. *hic num.* 17. Pirh. *num.* 46. *fin.* Clariſſ. P. Schmier *tract. de pact. & contract. cap.* 2. *num.* 416. Oſtenditur; nam ſi eſſet aliqua obligatio, ea foret vel ex pacto, vel ex Lege. *Non ex pacto*; quia ſupponitur juxta pactum Emphyteuticum rem eſſe liberè, & pleno Jure ad dominium reverſam; conf. ſicut aliàs quilibet in re ſua moderator, & arbiter eſt *l. in re mandata* 21. *C. mandat.* & qui Jure ſuo utitur, nemini facit injuriam *l. nullus* 55. *ff. de R. J.* ita etiam de Emphyteuſi ad ſe reverſa, tanquam de re ſua, dominus liberè diſponere, ſine ullius injuria, poterit. *Non etiam ex Lege*; quia non habetur hujus rei conveniens aliquis textus: imò in *Novell.* 7. *cap.* 3. §. *fin.* talis petitio conſanguineorum expreſsè removetur. *Adde*, quòd juxta communes Juris regulas, quibus tamdiu inſiſtendum, donec contraria exceptio oſtendatur, nemo invitus contrahere, aut vendere tenetur *l. invitos* 11. *C. h. tit. l. invitum* 11. & *l. dudum* 14. *C. de contrah. empt.*

Neque obſtant textus in contrarium allegati. *Ad* 11
1. textus illi loquuntur in ſpeciali caſu, quando ſc. bona debitoris obærati, authore Judice, poſſidentur, & venduntur; à diverſis autem ad diverſa non eſt bona illatio. *Ad* 2. ibi ſermo eſt de officiis publicis, in quibus diſtribuendis utique præ cæteris habenda eſt ratio filiorum, quorum parentes in eodem genere officii de Rep. optimè ſunt meriti; quia filii ſperantur ſimiles futuris ſuis parentibus, ſi deprehendantur ad illud officium idonei. At in propoſita materia diſputatur de Jure privato, quod ſententia adverſa nimiùm videtur reſtringere contra naturam dominii, ex qua cuilibet conceſſa eſt facultas libera diſponendi de re ſua pro libitu. *Ad* 3. alia eſt ratio rei in Emphyteuſim datæ, in qua jus nullum prætendere, vel probare proximior agnatus poteſt.

Dub. 3. an Laicus, qui ab Eccleſia, vel alio, à tri- 11
butis, & ſimilibus oneribus exempto, prædium in Emphyteuſin accepit, à tributorum &c. onere etiam ipſe exemptus ſit? Negant exemptum eſſe Roland. à Valle *conſ.* 18. *num.* 28. Frid. de Senis *conſ.* 109. *&* 111. Navar. *Man. cap.* 22. *numer.* 118. Valaſc. *de Jur. Emphyt. quæſt.* 17. *num.* 11. Molin. *tract.* 2. *D.* 446. *num.* 2. Leſſ. *l.* 2. *cap.* 24. *num.* 44. Bonac. *Bull. Cœn. can.* 18. *p.* 3. §. 1. *num.* 9. Alterius *ibid. cap.* 6. *dub.* 6. & alii plures apud Carol. de Graff. *eff.* 3. *num.* 74. Fundantur communi illo Principio; quia res conditionem accipit à perſona: & hinc ſi res tributis ſubjectæ ad Curiales perveniant, etiam ipſæ à tributis immunes fiunt *l. un. C. de impon. lucr. deſcript.* igitur cum in noſtro caſu perſona ſit Laica, & tributis ſubjecta, etiam prædiorum hujuſmodi dominium utile tributis obnoxium reddent. *Conf.* ſi aliqua eſſet ratio, cur hujuſmodi Emphyteuta Laicus deberet immunis eſſe, eſſet hæc, quòd ſic præjudicium afferretur Eccleſiæ. atqui huic nullum affertur præjudicium; quia tributi pendendi onus Emphyteutæ imponitur, non propter ipſa prædia, & fundos in Emphyteuſin acceptos, ſed propter iſtorum dominium utile, & propter utendi fruendi jus, non jam Eccleſiæ, ſed Laico competens.

Sed videtur præferenda affirmativa, tanquam Eccle- 11
ſiæ favorabilior, quam etiam defendunt Bartol. *in l. privatæ* 10. *C. de excuſat. muner.* Tiraquell. *de Retract. Conſang.* §. 1. *Gloſſ.* 13. *numer.* 10. Menoch. *l.* 2. *de arbitr. cap.* 162. *num.* 46. Fachin. *l.* 1. *contr. cap.* 91. Leo *Theſ. p.* 3. *cap.* 8. *num.* 119. Tambur. *de Jur. Abb. tom.* 1. *D.* 15. *quæſt.* 21. *num.* 9. Dian. *p.* 3. *tract.* 1. *reſ.* 24. Delben. *de Immunit. cap.* 5. *dub.* 7. *ſect.* 18. *num.* 1. Pignatell. *tom.* 2. *conſult.* 50. *per totam*, & alii plures apud P. Emman. Correa *in Idea Conſiliarii D.* 6. *num.* 1875. ſtantque pro ea teſte Pignat. *l. cit.* complures Declarationes Cardd. Deciſiones Rotæ. Sumitur 1. à paritate cum Emphyteuta Fiſci; nam hic etiam ipſe immunis eſt per *l. privatæ cit. & l. omnis* 2. *C. de Epiſc. & Cleric.* Eccleſia autem æquiparatur fiſco per tradita ab Everhard. *legal. arg. Loco à Fiſco ad Eccleſiam numer.* 2. ergo &c. 2. quia dominium utile connexum eſt cum directo, ſed hoc gaudet immunitate Eccleſiaſtica à tributis. ergo etiam illud *Conf.* roborant *Deciſio Rotæ Rom. die* 28. *Maii* apud Ant. de Marin. *Quotid. Reſol. cap.* 207. *num.* 4. Item *Declar. S. Congreg. Immunit.* & aliæ Deciſiones, præſertim *in Imolenſ.* 27. *Maji* 1654. ac denique *Reſcriptum ejuſdem Congreg. ad Epiſcopum Senogallienſem die* 8. *Dec.* 1668. in quo illi injungitur, ut tueatur ad tenorem Decretorum, ne bona Eccleſiarum Emphyteutica collectentur. 3. quia ſi hujuſmodi Emphyteuta legibus tributariis adſtringeretur, his indirectè afficeretur ipſa Eccleſia; nam propter hoc onus minor penſio ſolvitur ab Emphyteuta: Eccleſiæ autem legibus Civilibus ne indirectè quidem gravari poſſunt *cap. fin. de immunit. in* 6.

Neque obſtat *l. un.* in contrarium allegata; quia hu- 119
jus diſpoſitione ſpecialis favor Curialibus indultus eſt; à fa-

à favore autem speciali aliquibus indulto non rectè desumitur argumentum in Ecclesiæ odium, cùm aliàs regulare sit dogma ex eadem *lege* desumptum, quòd rem à tributis, & collectis immunem possidens, etiam ipse ab ipsis immunis sit. *Ad Conf.* patet ex dictis; nam neque dominium utile rerum Ecclesiasticarum, utpote quæ natura sua exemptæ sunt, legibus tributariis subjicitur, estque perinde, etiamsi obtineatur à Laico, modò Ecclesiæ nomine, & jure obtineatur.

120 Quæritur 6. quinam succedant in Emphyteusi? Resp. hic distinguendum est, an Emphyteusis sit temporanea, seu restricta ad certos annos, aut solam Emphyteutæ vitam, an verò perpetua sine aliqua restrictione temporis. *Si primum*, exacto tempore, pro quo concessa est, aut Emphyteuta mortuo, revertitur Emphyteusis ad dominum directum. *Si secundum*, considerandus est modus concessionis, an videlicet, concessa sit pro se, & filiis, an pro se, & hæredibus, an successoribus, an verò simpliciter, nulla facta mentione expressa hæredum, aut filiorum.

Si concessa est pro se, & filiis, succedere possunt etiam fœminæ. Ita communis DD. & inter hos Clar. §. *Emphyteusis quæst.* 32. *princ.* Covar. *l.* 2. *var. cap.* 18. *num.* 1. Fachin. *l.* 8. *contr. cap.* 97. Molin. *tract.* 2. *de J. & J. D.* 474. *num.* 10. Laym. *l.* 3. *tract.* 4. *cap.* 23. *num.* 13. Haun. *tom.* 3. *tract.* 9. *num.* 557. Gibalin. *tom.* 2. *de negot. l.* 4. *cap.* 8. *art.* 4. *consect.* 10. *num.* 2. Monacell. *p.* 2. *formul.* 2. *tit.* 14. *num.* 6. Jacob. Emerix *decis.* 653. *num.* 1. Vviest. *hìc num.* 44. & alii. Colligitur ex *Novell.* 7. *cap.* 3. *princ.* quæ Emphyteusin Ecclesiasticam etiam ad fœminas transire satis exprimit ibi, *Filiis tantùm masculis, aut fœminis, aut nepotibus utriusque naturæ*. Ratio est, quia *Filiorum* nomine etiam filiæ *pr. cit. l. filius* 84. *l. quisquis* 116. *l. pronuntiatio* 195. *pr. & l. justa* 201. *ff. de V. S.* masculino etiam fœmininum comprehenditur *l. qui duos* 62. *ff. de Legat.* 3. *Excipitur*, nisi aliter receptum sit consuetudine; nam ut Laym. *num.* 13. *cit.* notat, consuetudine receptum est, ut non admittantur fœminæ, nisi deficientibus masculis.

121 *Si concessa Emphyteusis sit pro se, & hæredibus*; interest, an concessa sit pro se, & hæredibus ejusdem cum addito *quibuscunque*; vel alia simili particula, an illa omissa simpliciter, & indistinctè. *Si primum*, extra dubium est, transire illam etiam ad extraneos; cùm enim generalis hæc particula ambitu suo hæredes omnes complectatur, procul dubio includet etiam extraneos *arg. cap. solitæ* 6. §. *præterea* ibi *Nihil excipiens dixit quodcunque de Major. & obed. Si secundum*, distinguunt communiter DD. inter Emphyteusin Ecclesiasticam, & Laicam; nam si *Laica sit*, concedunt vi talis concessionis etiam ad extraneos porrigi, si verò *Ecclesiastica* sit, volunt ad hæredes extraneos, & ultra accipientis filios, & nepotes, sive generationem ejus alteram non transmitti: & probant istud *ex Novell.* 7. *cap.* 3. *pr.* ubi de ejusmodi Emphyteusi agens Imperator eam fieri, & transire finit usque ad accipientis vitam, & si quos habet filios, & nepotes. Verùm ex textu isto nihil probatur; tum quia ibi expressè agitur de majori Ecclesia, cæterisque Religiosis Domibus Constantinopolitanis; tum etiam quia dispositio istius Novellæ Sanctionibus Canonicis nuspiam est approbata: imò Emphyteuses perpetuas ab Ecclesiis extra urbem illam sitis dari Imperator disertè permittit *Novell.* 120. *cap.* 6. §. 1. Hinc dicendum, seclusa consuetudine (quæ ubique observanda est) probabiliùs Emphyteusin, ab Ecclesia cum debitis solemnitatibus alicui, & descendentibus, ac hæredibus illius datam, non solùm transmitti ultra generationem alteram, sed etiam ad extraneos. Ita Abb. *in cap.* 8. *de probat. num.* 28. Clar. §. *Emphyteusis quæst.* 28. *vers. tertiùs*, Covar. *l.* 2. *var. cap.* 18. *cit. num.* 3. Molin. *tract.* 2. *D.* 469. *num.* 3. Laym. *l.* 3. *tract.* 4. *cap.* 23. *num.* 13. *concl.* 3. Barbos. *in cap. fin. h. tit. num.* 152. Harpprecht *in* §. 3. *Inst. ibid. num.* 18. Vviest. *hìc num.* 46. Ex quo sequitur eam perpetuam esse; talis enim ex natura est, & præsumitur esse, nisi ad certum tempus, personam, vel generationem restricta sit.

122 *Si denique concedatur simpliciter, nulla facta mentione expressa hæredum, aut filiorum*, juxta communem DD. censeri debet Emphyteusis familiaris, & ex providentia, ita, ut in ea non extranei hæredes, sed soli filii, & descendentes succedant, etsi hæredes non sint, sed vel hæreditatem repudiaverint, vel exhæredati sint. *Excipitur*, nisi alicubi consuetum sit, ut Emphyteuses concedantur cum facultate transferendi ad quoscunque etiam extraneos; nam sub hac forma concessæ simpliciter hæreditariæ censebuntur, etiamsi in concessione nec mentio hæredum, nec successorum facta sit. Unde pro Regula cognoscendi, qualis sit Emphyteusis, & qui in eam succedant, est mens concedentis per verba sufficienter expressa, aut per circumstantias explicata; si verò de hac non satis constat, talis existimabitur, qualis, & qualiter per consuetudinem loci, in quo conceditur, contrahi solet.

Dub. 1. an in Emphyteusi, deficientibus legitimis 123
succedant filii naturales illegitimi? Resp. distinguendo inter Emphyteusin Laicam, & Ecclesiasticam. *In Emphyteusi Laica* videndum, an tunc, quando Emphyteusin accepit, Emphyteuta jam habuerit filium naturalem, an non. Si habuit, iste, legitimis deficientibus, probabiliùs succedit, ex præsumpta patris intentione, qui si stipulatus Emphyteusin fuit sibi & filiis, censendus est etiam naturalibus fuisse stipulatus; secus, si talem, vel tales non habuit. *Ecclesiastica Emphyteusis* nunquam censeri debet concessa illegitimis, nisi id apertè expressum fuerit. Ita Clar. §. *Emphyteusis quæst.* 30. *num.* 1. Paleotus *de Nothis cap.* 30. Mantic. *de tacit. & ambig. convent. l.* 22. *tit.* 11. Stephan. Gratian. *Discept. for. cap.* 218. *à num.* 35. & *num.* 38. Molin. *tract.* 2. *D.* 475. *num.* 7. Barbos. *in cap. fin. h. tit. num.* 152. Haun. *tom.* 3. *tract.* 9. *numer.* 559. Monacell. *p.* 2. *formul.* 2. *tit.* 14. *num.* 6. Jacob. Emerix *decis.* 721. *num.* 5. & *decis.* 1919. *num.* 2. Vviest. *hìc numer.* 43. Ratio est, quia cùm Ecclesia illegitimos, utpote actu peccaminoso susceptos, meritò exosos habeat, non præsumitur, licèt posset, velle eisdem sua bona communicare.

Proceditque hoc, etiamsi legitimati sint rescripto 124
Principis Sæcularis; quia Princeps Sæcularis solùm legitimare potest quoad bona sibi subjecta. Imò etiam legitimatus à Pontifice non censetur legitimatus quoad hanc successionem, nisi id sufficienter exprimatur in legitimatione.

Quodsi tamen Emphyteusis concessa esset per verba liberè nominandi, quem voluerit, vel quemcunque voluerit, Emphyteuta, succedere in Emphyteusi etiam Ecclesiastica filius naturalis, imò spurius potest, si ita pater voluerit. Barbos. *num.* 152. *cit.*

Dub. 2. utrum pater uni filiorum Emphyteuticum 125
bonum donare, vel prælegare possit? Resp. distinguendo, an sit Emphyteusis simpliciter hæreditaria, an ex pacto, & providentia. *Si primum*, possessor Emphyteuseos eam uni liberorum in dotem dare, aut prælegare non prohibetur, modò id fiat sine diminutione portionis legitimæ aliis liberis debitæ. Clar. *V. Emphyteusis quæst.* 16. Laym. *l.* 3. *tract.* 4. *cap.* 23. *num.* 16. quia ejusmodi bona censentur potiùs libera, seu allodialia, quàm Emphyteutica.

Si secundum, interest, an Emphyteusis nova, an 126
antiqua sit. *Si nova est*, seu ab Emphyteuta primùm acquisita, accedente consensu Domini, uni filiorum prælegari potest, ut ex probabiliore docet Clar. *l. cit.* Laym. *num.* 16. *cit. concl.* 2. contra Molin. *D.* 478. Covar. *l.* 2. *var. cap.* 18. *num.* 2. Ratio est, quia pater stipulando pro se, & filiis suis, censetur stipulatus cum dependentia liberorum à sua persona, ita, ut nullum jus habeant ante mortem illius: conf. cum domino aliam formam contractus instituere potest, antequam jus acquiratur Descendentibus. Hoc tamen discrimen inter Emphyteusin ex providentia, & inter Hæreditariam, & Mixtam est, quòd ea, quæ ex pacto, & providentia est, non debeat computari in legitimam, nec Falcidia, vel Trebellianica ex ea deduci, quod tamen faciendum in Hæreditaria, & Mixta prælegata.

Si verò antiqua est Emphyteusis, possessor ejus ne 127
quidem cum consensu domini uni liberorum eam donare, vel prælegare potest, ut communis habet testé Laym. *l. cit. concl.* 3. quia post mortem primi acquirentis jus descendentibus acquisitum est ex vi primæ investituræ, quod jus prætor filiis cæteris non potest tollere.

Dub. 3. ad quem transeat, ac spectet Emphyteusis, 128
si Emphyteuta Religionem profiteatur? Resp. cum distinctione: Vel enim Monasterium, aut Religio, quam profitetur, est capax stabilium bonorum, & redituum, vel eorum est incapax. *Si hoc secundum*, uti est Ordo Minorum de Observantia, Capucinorum, & Societas JESU quoad Professos, & Coadjutores formatos, succedunt sequentes vocati; videlicet, si Hæreditaria est, & Religiosus ante Professionem de ea nihil disposuit, pertinet ad proximum consanguineum; si verò est ex pacto, & providentia, pertinet ad eos, qui secundùm Investituram vocantur, seu vi primæ concessionis, aut institutionis eam accipiunt: si verò nullus talis adsit, exspirat Emphyteusis, & revertitur

ad

ad proprietarium, seu dominum directum. Molin. *tr.* 2. *de J. & J. D.* 482. *paulò post princ.* Sanch. *l.* 7. *mor. cap.* 15. *num.* 52. Laym. *l.* 3. *tract.* 4. *cap.* 23. *num.* 14. *p.* 2. Pirh. *hic num.* 52. Ratio est, quia Professio talis Religiosi æquiparatur morti naturali.

129 *Si primum*, major est controversia; nam de hoc variæ sunt DD. sententiæ. Veriùs inter eosdem sentiunt, qui distinguunt inter Emphyteusin Hæreditariam, & non Hæreditariam. *Si Hæreditaria sit*, sive deinde sit Ecclesiastica, sive Civilis, ad Religionem, seu Monasterium transit, ut cum Innoc. Joann. Andr. Felin. Decio, Bartolo, ac communi DD. notat Pirh. *hic n.* 53. Vviest. *num.* 47. & sumitur ex *Auth. ingressi C. de SS. Eccl.* juxta quam cum persona Religiosa omnia illius bona, ac Jura ad Monasterium transeunt, si hoc capax illorum sit, adeoque etiam Emphyteusis, & quilibet Ususfructus, cùm nullo Jure excipiantur. Debet tamen hoc casu Monasterium, seu Ordo hujusmodi Emphyteusin ad se delatam vendere, vel alio modo alienare, saltem post mortem Professi; quia alioquin præjudicium fieret proprietatio, utpote cui omnis spes accipiendi Laudemium omnino præcideretur, si Monasterium penes se Emphyteusin perpetuo retineret. Molin. *D.* 482. *num.* 3. Less. *l.* 2. *cap.* 31. *num.* 84. Layman *l.* 3. *tract.* 4. *cap.* 23. *num.* 15. Pirh. *num.* 53. *citat.* Vviest. *num.* 48.

130 *Si verò Emphyteusis sit non Hæreditaria, sed ex pacto, & providentia*, Monasterium quidem, vel Religio, quamdiu Religiosus Professus vivit, commoditatem, seu utilitatem illius habet, eo tamen mortuo, in illa non Monasterium, sed qui ex Investitura ad eam vocantur, succedunt, vel si nullus hujusmodi adsit, Emphyteusis ad proprietarium, seu dominum directum revertitur. Molin. *l. cit. num.* 2. & 3. Sanch. *n.* 59. Laym. *num.* 15. Pirh. *num.* 53. Vviest. *num.* 48.

131 Dub. 4. an si in concessione, seu Investitura Emphyteuseos expressum sit, vel pactum initum, ne illa transferatur ad Ecclesiam, vel personam potentiorem, nihilominus eo non obstante, succedat Monasterium, vel Religio in illa Emphyteusi? Affirmant Sylv. *V. Emphyteusis num.* 27. Abb. *in cap. in præsentia* 8. *de probat. num.* 73. Laym. *l.* 3. *tract.* 4. *cap.* 23. *num.* 15. Pirhing *hic num.* 53. Fundantur 1. quia ejusmodi transitus non est propriè alienatio, cùm Monasterium possideat, & fruatur loco professi, cum quo unam veluti personam constituit. 2. quia illa prohibitio alienationis intelligenda est de voluntaria alienatione, non de illa, quæ ex Legis dispositione necessariò fit, qualis est ista, ut bona Professi ad Monasterium transeant, & quæ est accessoria ad personam ingredientis Religionem.

132 Sed melius defenditur negativa, quam etiam tenent Bartol. *in Auth. ingressi cit. numer.* 19. Barbatia *in cap. in præsentia cit. num.* 121. Valasc. *tom.* 1. *cons.* 101. *numer.* 8. Pal. *tract.* 17. *D.* 3. *p.* 4. §. 3. *num.* 8. & *tract.* 32. *D.* 10. *p.* 15. §. 6. *num.* 3. Fagn. *in cap. fin. h. tit. num.* 28. & *seqq.* Petra *tom.* 2. *comment. fol.* 302. *num.* 24. & 25. Vviestner *hic num.* 8. Ratio est, quia talis translatio Emphyteusis in Monasterium hoc casu repugnat pacto, & per hoc intento fini, ne sc. propter privilegia Ecclesiæ, & potentiam Emphyteutæ durior reddatur conditio proprietarii, seu domini directi, & difficiliùs consequatur, quæ sibi ratione Emphyteusis sunt debita.

133 Ex quo sequitur Responsio ad Argumenta adversæ sententiæ. *Ad* 1. esto, transitus iste non sit propriè alienatio, est tamen talis, quo durior fit conditio domini directi. & conf. repugnat fini expresso in pacto, quo cautum sibi voluit à præjudicio. *Ad* 2. prohibitio eò tendit, ne, ut dixi, conditio domini directi deterior fiat per translationem Emphyteusis in alium: quod cùm contingat in casu, quo Emphyteusis transiret ad Monasterium, etiam hic casus censebitur inclusus in pacto. Unde cùm dicitur, bona Professi transire ad Monasterium, id intelligendum, nisi aliter cautum sit pacto legitimo.

134 Quæritur 7. quæ obligatio nascatur ex Contractu Emphyteutico? Resp. ex hoc (quod commune est omnibus Contractibus propriè dictis) obligatur tam constituens Emphyteusin, seu dominus directus, quàm accipiens, seu Emphyteuta, aut Colonus. *Dominus directus* obligatur rei Emphyteuticæ possessionem unà cum utili dominio in accipientem transferre, post translationem liberum illius usum concedere; damna præterea, quæ ex vitio, eidem cognito, & non manifestato, sustinuit Emphyteuta, ipsi compensare §. *adeo* 3. *Inst. h. tit.* P. Konig. *hic num.* 40. Clariss. P. Schmier *tr. de Pact. & Contract. cap.* 2. *num.* 419.

Emphyteuta obligatur 1. ut re Emphyteutica arbitrio boni viri utatur fruatur, & si quæ damna, dolo, vel culpa lata, aut levi intulerit, compenset; est enim Emphyteusis negotium, in quo versatur utriusque contrahentis utilitas: ubi regulare est dogma, quòd præstanda sit etiam culpa levis *l. si ut certo* 5. §. *nunc videndum* 2. *ff. commod.* 135

2 Ut in recognitionem dominii directi solvat annuum Canonem, seu pensionem, quæ in pecunia, vel alia re fungibili consistere potest §. *adeo cit.* & *l. in Emphyteuticariis* 2. *C. de Jur. Emphyt.* Quantitas pensionis taxatur arbitrio contrahentium, attenta locorum consuetudine, & proportione fructuum percipiendorum. Juxta *Novell.* 7. *cap.* 2. §. 1. illa pensio justa est, quæ 20. annis collecta æquat valorem rei Emphyteuticæ.

3 Ut rem Emphyteuticariam, tempore finito, salvam, & integram cum melioramentis (saltem quæ fecit Emphyteuta ex natura Contractus) & accessionibus restituat *l. in Emphyteuticariis cit.* Garc. *de Expens. & meliorat. cap.* 6. *num.* 20. & *seq.* Zœs. *ad ff. h. tit. n.* 114. Struv. *exercit.* 11. *th.* 74. Miller. *ibid. lit. A.* Clariss. P. Schmier *l. cit. num.* 424. 136

4 Ut si novus sit Emphyteuta, ac noviter in possessionem rei Emphyteuticæ admittatur, præstet Laudemium: quod de Jure communi est quinquagesima pars pretii, quæ cæteroquin res Emphyteutica valet, seu duo pro 100. *l. fin. C. de Jur. Emphyt.* Sed in hoc observanda est consuetudo, quæ alicubi est, ut solvantur quinque pro centum. Strick. *ad ff. tit. si ager vectigal.* §. 12. P. Konig. *hic num.* 44. P. Schmier *l. citat. num.* 425.

Dub. 1. ad quem pertineant impendia, quæ bonum, aut fundus Emphyteuticarius exigit? Resp. hic distinguendum esse inter impendia; nam illa, quæ ad fundi conservationem, & fructuum collectionem pertinent, puta, ut domus, horreum, aggeres, fossæ, sepes, putei conserventur, ac reficiantur, præstare Emphyteuta debet *l. sed cùm* 65. *ff. de Ususfruct. & quemad. &c.* Illa verò, quæ in horum restaurationem, si absque culpa Emphyteutæ omnino collapsa sint, fieri debent, præstare dominus directus debet. Clar. §. *Emphyteusis quæst.* 8. *num.* 7. Molin. *tract.* 2. *de J. & J. D.* 454. Laym. *l.* 3. *tract.* 4. *cap.* 23. *num.* 7. Ratio est, quia substantia fundi ad dominum pertinet, jus autem fructuum ad Emphyteutam. Igitur meritò quæ hic impendia facit, ad fructuum perceptionem spectant, rei autem substantia domini damno perit. Quamobrem si Emphyteuta domos, vel stabula de novo ædificet, aut aliud quidpiam præstet, ad quod jure Contractus non tenetur, finita Emphyteusi absque culpa, aut crimine suo, melioramenta, aut eorum æstimationem repetere à domino directo potest *l. fructus* 7. §. *fin. ff. soluto Matrim. l. ad eum quem* 7. *C. de Ususr.* & docet Gloss. *in l. sed quid V. refigere ff. de usufr.* Laym. *l. cit.* & alii apud istum. 137

Dub. 2. utrum ob sterilitatem, aut alium casum fortuitum exemplo Conductoris sit remittenda Emphyteutæ pensio? Resp. distinguendo; an canon impositus Emphyteutæ sit exiguus, an magnus, & fructibus correspondens: *priori* casu non remittitur pensio; quia constituta censetur non tam in compensationem fructuum, quàm in recognitionem dominii, quod manet, etsi fructus non percipiantur. Secus autem *in casu posteriori*; quia tunc Emphyteusis proximè accedit ad Locationem Conductionem, & Canon intelligitur magis solvi pro rei usu, & fructibus, quàm in recognitionem dominii. Gaill. *l.* 2. *obs.* 23. *num.* 24. Valasc. *de Jur. Emphyt. quæst.* 31. Less. *l.* 2. *de Just. cap.* 24. *numer.* 49. & 50. Laym. *l.* 3. *tract.* 4. *cap.* 22. *numer.* 7. *in fin.* Gonzal. *in cap.* 3. *h. tit. num.* 8. Barbos. *in cap.* 1. *eod. num.* 10. Struv. *Synt. Jur. Civil. Exerc.* 24. *th.* 34. Miller. *ibid. lit. B.* Carpzov. *p.* 2. *const.* 38. *def.* 19. Pirh. *hic numer.* 7. *limit.* 7. *fin.* Konig. *num.* 43. Magnif. D. Christoph. de Chlingensperg *Inst. hoc tit. quæst.* 10. *ad Obs.* 1. 138

Dub. 3. qualis, & quantus Canon, seu Pensio imponi Emphyteutæ possit? Resp. Pensio hæc potest esse magna, vel modica: absolutè loquendo potest esse adæquata fructibus, detractis expensis, & habita ratione Laudemii; communiter tamen, & ex consuetudine solet esse minor, & modica, ut ex communi tradit Azor. *p.* 3. *l.* 10. *de Emphyteus. cap.* 7. *quæst.* 1. Neque etiam interest, utrùm in pecunia, an in fructibus sit constituta; neutrum enim determinatè requiritur ex natura Contractus, sed id servandum est, quod conventio, vel Statutum speciale loci, aut consuetudo in hac re præscribit. Azor. *cap.* 6. *cit. quæst.* 4. Solet autem com- 139

communiter Canon, sive pensio solvi ad finem anni, nisi aliud pacto sit conventum, vel consuetudine loci introductum. Clar. §. *Emphyteusis quæst.* 12. *n.* 1. Azor. *cap.* 7. *cit. quæst.* 2. Pirh. *num.* 34. cum aliis.

140 Dub. 4. quibus casibus Laudemium non debeatur? Resp. quinque maximè casus referuntur. 1. quando hæres necessarius accipit rem Emphyteuticam titulo hæreditatis; secus est in hærede extraneo. 2. si alienatio sit necessaria, ut si pater dotet filiam, non habens alia bona. 3. quando resoluto contractu, & pacto de redimendo, res redit ad venditorem. 4. quando plures hæredes eam inter se dividunt. 5. quando solùm mutatur persona domini directi. Sylv. *V. Emphyteusis num.* 28. Less. *l.* 2. *de Just. cap.* 24. Barbos. *in cap. fin. h. tit. num.* 31. *& seqq.* Pirh. *num.* 44. *hic in fin.* Universaliter autem advertit Stryck. *ad tit. ff. si ager vectig.* §. 12. in tota Laudemiorum materia principaliter ad consuetudinem locorum respiciendum esse.

141 Quæritur 8. an, & qua ratione liceat Emphyteutæ fundum Emphyteuticum, seu potiùs dominium utile, quod in eo habet, vendere. Resp. ut hoc possit, servare debet conditiones *cap. fin. hoc tit.* præscriptas. Et 1. quidem significare debet domino directo, quòd velit rem vendere, eique denuntiare, quantum pretium ab alio sibi offeratur, ut possit deliberare dominus, num ipsemet, oblato eodem pretio, rem Emphyteuticam velit emere; quia jus prælationis in ea habet. 2. si dominus post denuntiationem Venditionis non statim declaravit Emphyteutæ, an emere velit, vel non, duorum mensium spatio exspectare debet, antequam vendat: secus, si statim dicat se non empturum; tunc enim statim potest Emphyteuta vendere. 3. ut non vendat iis, qui emere prohibentur; quales sunt Curiales *l. Curialis* 30. *C. h. tit.* milites *l. milites* 31. *& l. fin. C. eod.* item Ecclesia, communitas, vel alia potentior, aut magis privilegiata persona, ut ex communi docet Clar. §. *Emphyteusis quæst.* 22. Molin. *tract.* 2. *D.* 459. *num.* 4. Laym. *l.* 3. *tract.* 4. *cap.* 23. *num.* 14. Rebell. *p.* 2. *l.* 13. *quæst.* 4. *num.* 4. Pirh. *hic num.* 42. *not.* 2. Ratio est, quia per talem alienationem conditio domini directi, seu proprietarii redderetur deterior, utpote qui rariùs Laudemium consequeretur, & difficiliùs ad ipsum Emphyteusis reversura esset.

142 Quodsi venditio Emphyteusis aliter fiat, Emphyteuta, ut *num.* 147. dicetur, expelli potest, & Emphyteusis cadit in commissum: idque ipso Jure, etiam sine sententia condemnatoria, vel declaratoria Judicis. Clar. §. *cit. quæst.* 13. *num.* 2. Estque hoc verum, etiamsi in alienatione protestetur Emphyteuta, se alienare, salvo, & reservato consensu, & jure domini directi; quia talis protestatio est facto contraria, nisi sit geminata protestatio, ut si dicat *Salvo, & reservato consensu domini, & non alio modo.* Clar. *quæst.* 13. *citat. num.* 5. Vviest. *num.* 40. Neque evitat Emphyteuta pœnam hanc alienationis perperam factæ, etsi rem ita venditam recuperet; quia jus jam est quæsitum domino directo, quod ipsi sine suo consensu per factum alterius auferri nequit. Clar. *l. cit. num.* 6. Molin. *tr.* 2. *D.* 459. *num.* 11. Harpprecht *in* §. 3. *Inst. hoc tit. à num.* 449. Haun. *tom.* 3. *de Just. tract.* 9. *num.* 532. Vviest. *l. cit.* Et extenditur hoc, ut sine consensu domini directi Emphyteuta etiam non possit vendere meliorationes, sive emolumenta, quæ suo labore fecit in re Emphyteutica *cap. fin. h. tit.* & *l. fin. C. de Jur. Emphyt.* quia etiam in his dominus præferri debet, si ea emere velit, quippe quæ facta sunt in re, cujus ipse directum dominium, seu proprietatem habet. Laym. *l.* 3. *tract.* 4. *cap.* 23. *num.* 18. Gonzal. *in fin. cit. num.* 6. *& seqq.* Pirh. *hic num.* 40.

143 Dub. 1. quando Emphyteuta rem Emphyteuticam possit vendere, etiam domino non requisito? Resp. hactenus dicta procedunt regulariter; quia non desunt casus, quibus Emphyteuta vendere Emphyteusin potest, sine novo domini directi consensu. Et 1. quidem, si in ipsa Investitura, sive concessione Emphyteuseos conventum sit, ut liceat rem Emphyteuticam vendere. Clar. §. *Emphyteusis quæst.* 13. *num.* 9. Laym. *l.* 3. *tract.* 4. *cap.* 23. *num.* 9. *vers. porro*, Barbos. *in cap. fin. h. tit. num.* 88. Joan. Emerix *decis.* 114. *num.* 1. Pirh. *hic num.* 41. & alii communiter. 2. Si concessa sit alicui Emphyteusis *pro se, & aliis, quibus ipse dederit*; intelligenda enim est talis clausula, ut consensus domini non requiratur, alioquin ultra Jus commune nihil operaretur. Clar. *l. cit. num.* 7. Laym. Barbos. & alii *suprà.* 3. Si dominus à novo Emphyteuta, cui res est vendita, quamvis sine consensu domini directi, Canonem, sive pensionem accipiat; tunc enim censetur consentire in alienationem, & pœnam caducitatis ab Emphyteuta incursam remittere. Laym. *num.* 9. *cit. limit.* 1. 4. Si Emphyteuta habeat consensum domini alio modo rationabiliter præsumptum; quia tunc non peccat contra Justitiam: conf. non est, cur pœnam caducitatis incurrat. 5. Si dominus directus sit Fiscus; quia huic, cùm agere contra quemcunque rei suæ possessorem possit, non præjudicatur, licèt illo non requisito Emphyteusis ab eo accepta vendatur. 6. Si socius vendat socio, i. e. illi, qui Emphyteusin cum illo communem habet; huic enim non tenetur præferre dominum.

Dub. 2. quid requiratur, ut ob venditionem rei Emphyteuticæ, sine domini consensu factam, Emphyteuta incurrat pœnam privationis, & caducitatis? Resp. non sufficit, ut Contractus quomodocunque sit factus; sed requiritur 1. ut secuta sit traditio rei Emphyteuticæ; quia ante illam non dicitur res perfectè alienata, cùm adhuc maneat in dominio venditoris Emphyteutæ. Clar. §. *Emphyteusis quæst.* 13. *num.* 3. Haun. *tom.* 3. *tract.* 9. *num.* 536. Pirh. *hic num.* 42. Porro etsi communior DD. teneat, debere traditionem esse veram, videtur tamen sufficere fictam; quia etiam hæc dominium transfert. Juta autem ad incurrendam caducitatem non requirunt aliam traditionem, quàm eam, per quam transferatur dominium. 2. Ut alienatio sit vera, & non tantùm simulata; quia simulata revera non est alienatio, ac proinde pœnam commissi non potest inducere, utpote quæ solùm alienanti rem Emphyteuticam à Jure statuta est. 3. Ut non sit alio ex capite invalida, quàm quòd inconsulto domino directo facta sit ob eandem rationem. Zœs. *ff. h. tit. numer.* 97. Haun. *num.* 530. Pirh. *num.* 42. 4. Ut alienatio sit pura, non conditionalis; nam si facta sit tantùm sub conditione, *si dominus directus nolit emere*, cùm ante eventum conditionis non sit perfecta, inducere pœnam caducitatis non poterit. Less. *l.* 2. *cap.* 24. *numer.* 53. Haun. *num.* 351. cum reliquis *suprà.* 5. Si Emphyteuta sine consensu domini directi alienet solummodo partem rei Emphyteuticæ, partem tantùm, & non totam amittit *arg. cap. un. de Vasall. qui contr. Const. Lother. &c. tit.* 38. *l.* 2. *feud.* ubi partem fundi alienans, tantùm parte privatur, nequis puniatur ultra id, quod deliquit. Rebell. *p.* 2. *lib.* 13. *quæst.* 4. *n.* 7. Fachin. *l.* 7. *contr. cap.* 99. cum allegatis.

Dub. 3. an, & quibus modis, præter Venditionem, alienari possit Emphyteusis, domino non requisito? Resp. posse, nisi alicubi contraria sit consuetudo; quia *l. cùm dubitabatur* 3. *C. de Jur. Emphyt.* prohibetur solùm venditio, irrequisito domino, facta mentione pretii: quæ proin prohibitio, cùm strictæ interpretationis esse debeat, ad alias alienationis species, quæ sine pretio fiunt, extendi non debet. Atque hinc ex communi DD. potest Emphyteuta rem Emphyteuticam, seu potiùs dominium utile, quod in ea habet, sine consensu domini, salvo tamen jure ipsius, alteri personæ, etiam extraneæ donare, legare, in dotem dare, si detur non æstimata, permutare, oppignorare, sive Hypothecæ subjicere, censum, usumfructum, vel aliam servitutem ei imponere, modò tria hæc observentur. 1. Ut hujusmodi alienatio non fiat in personam, in quam res Emphyteutica de Jure communi, vel ex conventione alienari prohibetur. 2. Ut nulla fraus subsit, qua res vendatur sub specie, ac titulo donationis. 3. Ut donatarius non statim ab ipso Emphyteuta in possessionem mittatur, sed domino priùs significetur, ut declaret, an ipsum tanquam idoneum velit ad Emphyteusin admittere, & investire: & ideo duobus mensibus exspectandum est domini responsum; quia dominus non solùm habet jus exigendi à donatario promissionem de solvendo Canone annuo, sed etiam accipiendi ab ipso Laudemium, si sit persona extranea: si secus Emphyteuta fecerit, cadet jure suo. Videatur Azor *p.* 3. *l.* 10. *de Emphyteusi c.* 8. Less. *l.* 2. *c.* 24. *num.* 44. Laym. *l.* 3. *tr.* 4. *cap.* 23. *num.* 9. *& duob. seqq.* Haun. *tom.* 3. *tr.* 9. *à num.* 546. Engl *hic n.* 19. Pirh. *num.* 43. *&* 44.

Quæritur 9. quomodo Emphyteusis finiatur? Resp. finitur 1. lapsu temporis, ad quod concessa sit; quia ad tempus concessa, eo lapso censetur denegata *l. agri* 1. *fin. & l. fin. ff. si ager vectigal.* Zoes. *ff. hoc tit. num.* 73. Konig *hic num.* 47. Clariss. P. Schmier *tr. de Pact. & Contract. c.* 2. *n.* 429. An casu, quo post lapsum temporis, in Contractu Emphyteutico designati, dominus directus Emphyteutam priorem patitur adhuc esse in possessione rei Emphyteuticariæ, hujusmodi taciturnitate ad instar conductionis censeatur Emphyteusis renovata, dubium est. Probabilior est negativa, quod hic majus sit præjudicium, quàm in Locatione; ac pro-

proin in continuationem Emphyteusis non facilè consensus domini præsumendus sit. Fachin. *l.* 1. *contr. c.* 84.

2 Extincta generatione, ad quam data est Emphyteusis: quo casu Emphyteusis pleno jure ad dominum directum revertitur, ita, ut liberum ipsi sit vel retinere eam pro se, & consolidare cum dominio directo, vel alii cuicunque etiam extraneo, præteritis cognatis, illam deferre, seu, ut loquuntur, refirmare, ut dictum est *num.* 115. *suprà.*

147 3 Totali interitu ipsius rei Emphyteuticæ, ut si ager casmate, vel diluvio pereat *l. jus Emphyteuticarium* 1. *C. de Jur. Emph.* quia res, quæ non est, nulla potest habere accidentia. Si pars tantùm Emphyteusis pereat, manet Emphyteusis, & obligatio Emphyteutæ, qui nihilominus Canonem conventum ex integro debebit solvere, nisi sit magnus secundùm dicta *n.* 138.

4 Si Emphyteuta rem Emphyteuticam alienet, & emptori v.g. tradat, non servatis conditionibus, quæ *cap. fin. h. tit.* præscribuntur. Less. *l.* 2. *de Just. cap.* 24. *num.* 53. Laym. *l.* 3. *tract.* 4. *c.* 23. *num.* 9. Zoes. *ff. h. tit.* §. *de Jur. Emphyt. num.* 100. Gonz. *in cap. fin. cit. num.* 6. *& seqq.* Haun. *tom.* 3. *tract.* 9. *num.* 529. Vallens. *hic* §. 2. *num.* 4. Engl. *n.* 19. Vviest. *num.* 50. Joan. Emeriz *decis.* 158. *n.* 2. Si tamen non tota res, sed pars solùm alienetur, non Emphyteusis tota, sed pars solùm amittitur, ut notat Brunnem. *ad l. fin. C. de Jur. Emphyt. num.* 5. & probat paritas rationis cum casu præcedente.

148 5 Si prædium, aut fundus Emphyteuticus Emphyteutæ dolo, aut culpa lata, vel levi notabiliter deterioretur, prout de Emphyteusi Ecclesiastica constat ex *Auth. qui rem C. de SS. Eccl.* de Laica ex ratione, quia Emphyteusis conceditur in eum finem, ut res Emphyteutica melioretur. igitur si contra naturam istius Contractus Emphyteuta deterioret, meritò cadet jure suo. Less. *num.* 51. Laym. *n.* 7. *fin.* Haun. *n.* 494. Engl. *n.* 19. Pith. *num.* 38. Konig. *num.* 52. Vviest. *num.* 49. Requiritur tamen, ut *l. citt.* Laym. Haun. Pirh. cum Monacell. *p.* 2. *tit.* 14. *formul.* 2. *n.* 7. notant, ut deterioratio sit perpetua, & quoad ipsius rei proprietatem, ac substantiam; nam si fundus sit deterior redditus solùm quoad perceptionem fructuum, & ad tempus, quo colonus est fruiturus, non potest expelli, cùm sit dominus fructuum, & ad eum damnum spectet.

6 Si pensionem, seu Canonem, in dominii directi recognitionem debitum, Emphyteuta tribus continuis annis, si Emphyteusis est Laica, aut biennio, Ecclesiastica, etiam non interpellatus, non solvit. Molin. *tr.* 2. *de Just. D.* 453. Laym. *num.* 8. Haun. *n.* 501. *& seqq.* & patet de Emphyteusi Laica ex *l. in Emphyteuticariis* 2. *C. de Jur. Emphyt.* de Ecclesiastica ex *cap. fin. h. tit. l. fin. C. de Jur. Emphyt. Auth. qui rem cit.* & *Novell.* 120. *cap.* 8. Sed hinc.

149 Dub. 1. quando Emphyteuta in pœnam commissi cadat ob non solutum Canonem? Resp. quando solutio per biennium, vel triennium culpabiliter est omissa. *Et procedit hoc* 1. etiamsi de solutione facienda à domino monitus Emphyteuta non fuerit; quia in hoc casu dies pro domino interpellat, ut habetur *c. fin. h. tit.* & notat *ibidem* Fagnan. *n.* 7. Barbos. *n.* 93. Gonz. *n.* 5. Debet tamen triennium, vel biennium hoc esse continuum: cons. qui primò, & quarto anno non solvit Canonem, solvit verò secundo, & tertio, & propterea expelli nequit, ut cum Bartol. *in Auth. qui rem cit.* observat Konig *hic n.* 18.

Procedit 2. etsi res Emphyteutica sit magni valoris, canon verò, sive pensio modica; nihilominus enim ob omissam solutionem pensionis Emphyteusis in commissum cadit. Clar. §. *Emphyteusis. q.* 8. *n.* 3. Mantica *l.* 22. *tit.* 27. *num.* 13. Molin. *tr.* 2. *D.* 453. *n.* 12. Rebell. *l.* 13. *q.* 8. *n.* 8. Zoes. *ff. h. tit.* §. *Emphyteusis n.* 76. Barbos. *in c. fin. h. tit. n.* 91. Pirh. *hic n.* 36. Vviest. *n.* 53. Ratio est, quia pensio solvitur ab Emphyteuta, potius in recognitionem dominii directi, quam ratione rei in Emphyteusin datæ, in qua longior dilatio inducere potest oblivionem Emphyteuseos, ideoque non attenditur quantitas pensionis.

150 *Procedit* 3. etsi partem pensionis Emphyteuta solverit: quia si integram solvere culpabiliter negligat, totam Emphyteusin amittet. Mantic. *n.* 14. *&* 53. Molin. *n.* 13. Rebell. *n.* 9. Zoes. *n.* 19. Barbos. *n.* 92. Pirh. *n.* 36. *cit.* Ratio est, quia non nisi integra, & tota pensio datur in recognitionem dominii: neque dominus partem pensionis ex re Emphyteutica, & locata recipere cogitur *l. eadem* 3. junct. Gloss. *V. in solidum C. h. tit.* quia solutio *partium non minima incommoda habet*, ut dicitur *l. plane* 3. *ff. famil. hercisc.*

Procedit 4. si, ex pluribus hæredibus, ad quos res Emphyteutica pervenit, unus non solvit partem pensionis, quam debet, cæteris suas pensiones solventibus, nihilominus tota res in commissum cadit, quia defunctus erat in solidum obligatus ad totam pensionem solvendam, quæ obligatio facta hæredum mutari nequit, sed in solidum ad omnes, & singulos hæredes transit *l. stipulationum* 2. §. *ex his igitur* 2. *ff. de V. O.* ac proinde hæc obligatio solvendi Canonem est aliquatenus individua, ita ut ab omnibus hæredibus pœna committatur *l. eadem* 4. §. *Caio* 1. *ff. eod.* Sylv. *V. Emphyteusis q.* 4. *n.* 10. Clar. *V. eod. q.* 8. *n.* 13. cum *citt.* Contrarium tamen defendunt Mynsing. *cent.* 3. *obs.* 66. Fachin. *l.* 1. *contr. c.* 92. Haun. *num.* 519. & inclinat Harpp. *num.* 511.

Procedit 5. etsi Emphyteusin acceperit ipsa Ecclesia, nam si Canonem biennio, aut triennio omisit solvere, etiam ipsa in pœnam commissi cadet: quia natura Contractus non mutatur ex eo, quòd Ecclesia habeat rem Emphyteuticam. Molin. *D.* 453. *cit. n.* Zoes. *n.* 76. Barbos. *n.* 95. Haun. *num.* 501. Pirh. *n.* 36. *in fin.* 15

Debet tamen dominus, ut Emphyteuta ob non solutum Canonem in pœnam commissi incidat, declarare, se velle ipsum privatum, ut patet ex *l. in Emphyteuticariis* 2. *C. de Jur. Emphyt.* & cum Sylv. Clar. Mynf. Tiraquell. Molin. & aliis docet Laym. *l.* 3. *tr.* 4. *c.* 23. *n.* 8. *vers. quarto*. Hinc facit fructus suos, usque dum hæc declaratio à domino directo fiat, & Emphyteutæ manifestetur. Fachin. *l.* 1. *contr. cap.* 94. Haun. *l. cit. n.* 514. cum Molin. & aliis. Si dominus omisit voluntatem suam declarare, cùm facilè potuisset, non potest deinde ejus Successor caducitatis pœnam exequi, ut docet Bald. *in l. ult. C. de revoc. donat.* Sed neque contra hæredem Vasalli, aut Emphyteutæ condemnatio per sententiam fieri potest, si contra delinquentem scienter omissa est. Mynsing. *cent.* 3. *obs.* 97.

Dub. 2. quando Emphyteuta, non solvens statuto tempore Canonem, sive pensionem annuam, Jure suo non cadat? Resp. plures enumerari casus. Et 1. quidem, si proprietarius omissionem solutionis dissimulavit, nec voluntatem Emphyteusin revocandi manifestavit Emphyteutæ non solventi pensionem, ut dictum est *n. præc.* censetur enim caducitatem sua taciturnitate remisisse. 151

2 Si dominus sit debitor Emphyteutæ, ita, ut tantum debeat, quanta est pensio, quæ ipsi debetur; tunc enim Emphyteuta potest uti compensatione, retinendo pensiones, quas aliàs deberet solvere, nec ideo cadit jure suo; quia saltem in materia odiosa, & ad evadendam pœnam hujusmodi compensatio locum habet, ut docet Abb. *in c.* 2. *de deposit. num.* 11. Sylv. *V. Emphyteusis num.* 8. Navar. *Man. c.* 17. *num.* 192. *in fin.* Mantic. *l.* 22. *tit.* 27. *num.* 65. Azor. *p.* 3. *l.* 10. *de Emphyt. c.* 6. *q.* 4. Molin. *tr.* 2. *D.* 453. *n.* 10. Laym. *l.* 3. *tr.* 4. *c.* 23. *n.* 8. Barbos. *in c. fin. h. tit. n.* 99. Pirh. *num.* 37. Vviest. *n.* 53.

Si pensio non solvatur ob probabilem ignorantiam, vel aliam justam causam, v. gr. quia hæres nescivit rem esse Emphyteuticam: tunc enim, etsi stricto Jure res habeatur pro commissa, quia Emphyteuta sibi imputare debet, quòd ignoraverit rei conditionem; tamen ex æquitate restituetur in integrum ob justum errorem, vel ex clausula generali *Si qua alia mihi justa causa videbitur l. hujus* 1. *in fin. ff. ex quib. caus. major.* & ratio est, quia ubi culpa non est, nec pœna commissi locum habere debet. Gloss. *in l.* 2. *V. secundum Legem C. de Jure Emphyt.* Clar. §. *Emphyteusis q.* 8. *n.* 9. Less. *l.* 2. *de Just. c.* 24. *n.* 48. Laym. *c.* 23. *cit. n.* 8. Haun. *tom.* 3. *tr.* 9. *n.* 512. cum cæteris *suprà*. 153

4 Si pensionem domino directo obtulit loco, & tempore congruo, & per dominum stetit, quo minùs reciperetur; tunc enim evitat pœnam caducitatis juxta Gloss. *cit.* quamvis ad hoc, ut omnino liberetur Emphyteuta ab onere solvendæ pensionis, requiratur, ut pensio oblata obsignetur, & deponatur. Clar. *q.* 8. *cit. n.* 10. Laym. *n.* 8. *cit.* Haun. *n.* 522. Joan. Emerix *decis.* 54. *n.* 3. Pirh. Vviest. *l. citt.*

5. Si Emphyteuta fructus tantùm modicos percepit ex re emphyteutica v. g. ob sterilitatem, incursionem hostilem, &c. quamvis enim eo casu non excusetur, quin teneatur solvere integrum Canonem, ut dictum est *suprà n.* 138. excusandus tamen est à caducitate ob solutionem propterea omissam. Clar. *q.* 8. *cit. n.* 6. *&* 7. Zoes. *ff. h. tit. n.* 88. *&* 89. Barbos. *in c. fin. h. tit. n.* 100. Haun. *n.* 521. Pirh. *n.* 37. *in fin.* Vviest. *l. cit.*

6 Si Canonem alius, tanquam ejus Procurator, vel negotiorum gestor, solvit pro Emphyteuta. Barbos. Haun. Vviest. *l. citt.*

7 Si nemo existat, cui eum solvat, veluti jacente hæreditate defuncti. Barbos. *n.* 111. Vviest. *l. cit.*

8 Si Emphyteuta post biennium elapsum celeri satisfactio-

factione, seu Canonis solutione moram purget *c. fin. cit.* Sed hinc.

5 Dub. 3. in qua Emphyteusi, & intra quod tempus debeat purgari mora, ut pœna commissi non incurratur? Resp. posse purgari moram, sive Emphyteusis sit Ecclesiastica, sive Laica, cum hoc tamen discrimine, quòd purgatio moræ in Emphyteusi Ecclesiastica admitti debeat ex rigore Juris, ut patet ex *c. fin. cit.* in Laica autem solùm ex æquitate; nam cùm in hac non incurratur pœna commissi, nisi post lapsum triennium, adeoque post longius tempus, quàm in Emphyteusi Ecclesiastica, meritò de rigore Juris purgatio moræ non admittitur, sed sicut in aliis casibus, in quibus dies, & pœna imponitur à Lege, pœna mox repeti potest. Clar. §. *Emphyteusis q.* 8. *num.* 15. Fachin. *l.* 1. *contr. c.* 198. Less. *l.* 2. *c.* 24. *num.* 48. Laym. *l.* 3. *tr.* 4. *c.* 23. *num.* 8. *vers. quintò*, Barbos. *in c. fin. cit. num.* 132. Haun. *tom.* 3. *tr.* 9. *n.* 509. Pirh. *hìc num.* 37. *limit.* 4. Vviest. *ibid. n.* 53. Clariss. P. Schmier *tr. de Pact. & Contract. c.* 2. *numer.* 435.

56 Circa tempus, intra quod Emphyteuta moram purgare possit, ut evitet privationem, discrepant DD. Quidam existimant, sufficienter purgasse moram, si citatus ad Judicem non incipiat litigare, sed illico paratus sit ad solvendum: quæ sententia, ut bene notat P. Engl *hìc n.* 18. non videtur concordare cum *c. fin. cit.* ubi ad privationem, vel amissionem non requiritur monitio domini directi. Hinc ipse tempus hoc intra unum, vel alterum mensem concludit; alii arctioribus adhuc terminis decem dierum illud definiunt, quòd id tempus modicum reputetur *l. promissor* 21. §. *si sine* 1. *ff. de constit. pecun.* Optimè sentiunt, qui cum Clar. §. *Emphyteusis q.* 8. *n.* 15. Haun. *tom.* 3. *tr.* 9. *num.* 508. Pirh. *hìc num.* 37. *limit.* 4. id determinandum relinquunt arbitrio Judicis, cùm Jure determinatum non sit. Idque commune est etiam aliis debitis; quia paria sunt solvere tempore constituto, & intra paucos dies juxta *l. si duo* 16. & *l. seq.* junct. Gloss. *marg. ff. de constit. pecun.* dummodo notabile damnum ex tali dilatione creditori non inferatur.

57 Dub. 4. an dominus directus recipiens Canonem ab Emphyteuta, qui celeri satisfactione moram non purgavit, caducitatem censeatur remisisse? Resp. distinguendo: Vel enim dominus directus eo casu, sciens expelli posse Emphyteutam, Canonem recipit cum protestatione, quòd salvum sibi velit esse jus expellendi Emphyteutam, vel sine ejusmodi protestatione recipit. *Si primum*, explorati Juris est, caducitatem eo casu non esse remissam; quia protestatione jus suum protestanti conservatur *l. hoc interdictum* 1. §. *quia autem* 1. *ff. quod legator. Si secundum*, iterum distinguendum inter Canonem præteriti temporis, & futuri. *Si dominus recepit Canonem futuri temporis*, satis convenit inter DD. ejus remissam dissimulanter à domino directo injuriam sibi illatam per omissionem solutionis, sicque renovatum Contractum. Laym. *l.* 3. *tr.* 4. *c.* 23. *n.* 8. *vers. sextò*, Barbos. *in c. fin. h. tit. num.* 117. Clariss. P. Schmier *tr. de Pact. & Contract. c.* 2. *n.* 443. *Excipitur*, si dominus directus sit Ecclesia; cùm enim huic quæsitum jus remittere Prælatus sine Capituli consensu nequeat, idcirco intelligi etiam non potest remissa caducitas per receptionem Canonis, nisi consenserit in id Capitulum. Laym. *l. cit. vers. sublimitandum*, Haun. *num.* 516. P. Schmier *numer.* 444.

58 Major controversia est *in receptione Canonis præteriti*; nam aliqui etiam magni nominis DD. quos sequitur Clariss. P. Schmier *à num.* 436. negant ejusmodi receptione, etiam absque protestatione facta, remissam caducitatem; alii contrà affirmant. P. Vviest. *hìc n.* 55. in Emphyteusi Ecclesiastica distinguit, an Prælatus ante receptionem Canonis declaraverit voluntatem repetendi rem Emphyteuticam caducam, an verò receperit Canonem absque protestatione ante hujusmodi declarationem. *Si primum*, negat remissam caducitatem; quia tunc dominium utile ab Emphyteuta jam amissum, & cum directo consolidatum est: cons. à Prælato sine justa causa, & requisitis solemnitatibus validè remitti nequit. *Si secundum*, caducitatem censet remissam; quia tali casu remittitur à Prælato jus primùm quærendum per ejusmodi declarationem, in quo Prælatus Ecclesiæ, vel Monasterio obesse potest, licèt iisdem, si per hoc læsæ sint, subveniatur beneficio restitutionis in integrum.

TITULUS XIX.

De Rerum Permutatione.

Locationi Conductioni subjungitur *Permutatio*; quia & ipsa Emptioni Venditioni affinis, adeòque similis est, ut vices etiam ipsius subeat *l. permutationem* 2. *C. h. tit.* quæ causa fuit, ut apud veteres JCtos in dubium, & quæstionem venerit, an idem sit Permutatio, quod Emptio §. *item pretium* 2. *Inst. de Empt. & Vendit. l. origo* 1. §. *sed an* 1. *ff. de contrah. empt.*

§. I.

De Permutatione rerum in genere.

SUMMARIUM.

1 *Permutationis duplex acceptio, & Definitio.*
2 3 4 *Explicatio Definitionis.*
5 6 *Differentia ab Emptione Venditione.*
7 8 *A Mutuo.*
9 *Ab aliis Contractibus?*
10 *An differat etiam à Contractu innominato* Do, ut des?
11 *Deciditur pro negativa.*
12 *Permutari possunt res omnes.*
13 *Si propriæ permutantium sint.*
14 *Et positæ in humano commercio.*
15 *Nec prohibitæ alienari.*
16 *Permutatio, re ab uno permutantium tradita, in altero parit obligationem etiam suam tradendi?*
17 *Dominium rei traditæ transfert.*
18 *Dat locum pœnitentiæ, & parit actionem præscriptis verbis.*
19 *Quæ competit ei, qui ex parte suam implevit Contractum.*
20 *Jus pœnitendi etiam ad hæredes transmittitur.*
21 *Si tradita re ab una parte, res ab altero vicissim tradenda apud hunc pereat, locus est repetitioni.*

Quæritur 1. quid sit *Permutatio*? Resp. *Permutationis* nomen dupliciter accipitur: aliquando quidem *genericè*, & *latè* pro quocunque contractu, 1
quo aliquid pro alio, sive in istius compensationem datur; & hoc sensu comprehendit etiam Emptionem Venditionem, aliosque Contractus reciprocos, sive ultro, citroque obligatorios ferè omnes. Molin. *tr.* 2. *D.* 396. *n.* 1. Rebell. *de oblig. Just. p.* 2. *q.* 1. *sect.* 1. *prop. fin.* Barbos. *in Rubr. h. tit. n.* 4.

Aliquando autem accipitur *Permutationis* nomen *specificè*, & *strictè* pro eo contractu, in quo una res pro alia commutatur, prout res contra distinguitur à pretio, & facto, ut cùm commutatur equus pro bove, triticum pro vino &c. In hac posteriore acceptione ad Titulum præsentem spectat, & communiter definitur: *Est Contractus innominatus, Juris gentium, bonæ fidei, re, & Consensu constans, quo res datur ea lege ut vicissim detur res alia.* Ita quoad sensum DD. omnes.

Dicitur 1. *Contractus*: quod ponitur loco generis. 2
Esse contractum constat ex §. *item pretium* 2. *vers. diversæ Inst. de Empt. & Vendit.* & *l. sicut* 1. §. *item* 1. *ff. h. tit.* Unde deferendus in hoc Ant. Faber, dum *lib.* 6. *conject. c.* 9. negat Permutationem Contractum esse, & dicit tantùm esse causam Contractus, ac rerum permutatione Contractum fieri.

Dicitur 2. *innominatus*: quod apertè sumitur ex *l. sicut* §. *item cit.* ubi Permutatio contra distinguitur ab iis contractibus, *qui nomen suum habent.* Consentiunt etiam DD. in his Surdus *cons.* 433. *n.* 30. Vultejus *l.* 3. *Jurispr. c.* 41. Vvesenbec. *ff. h. tit. n.* 10. Less. *l.* 2. *de Just. c.* 23. *num.* 1. Gibalin. *tom.* 2. *de negot. l.* 4. *c.* 3. *art.* 1. *n.* 1. contra Corras. 1. *Miscell.* 23. *n.* 4. *Neque obstat*, quòd nomen aliquod habeat magis speciale, quàm habeant Contractus innominati reliqui, hoc enim ipsum ita generale est, ut omnibus ferè Contractibus, etiam speciale, & à Jure impositum nomen habentibus, applicari valeat, quippe cùm quadam commutatione ferè omnes constent: quæ ratio causam dedit, ut Justitia, in Contractibus observanda, antonomasticè *Justitia commutativa* appellaretur.

Dicitur 3. *Juris gentium*: quia est contractus antiquissimus, ita, ut *origo emendi, vendendique ab ea cœperit; unusquisque enim secundùm necessitatem temporum, ac rerum utilibus inutilia permutabat, quando plerumque evenit, ut quod alteri superest, alteri desit*, donec *electa materia est*, pecunia sc. *cujus publica ac perpetua æstimatio difficultatibus* 3

bus permutationem æqualitate quantitatis obveniret: ut dicitur *l. origo contr. empt.* & sic Emptio Venditio induceretur.

Dicitur 4. *Bonæ fidei*: patet ex §. *actionum* 28. *Inst. de Action.* ubi actio, quæ ex permutatione competit, inter *Actiones bonæ fidei* computatur.

Dicitur 5. *re*, *& consensu constans*: quia solo consensu non perficitur, sed demum, *ex re tradita initium obligationi præbetur*, ut dicitur *l. sicut* 1. §. *ff. h. tit.* Et hinc quamvis duo de rebus suis mutuò commutandis tractent, & conveniant, nondum tamen erit Contractus Permutationis, sed nudum Pactum, ex quo non datur Actio secundùm dicta *Lib.* 1. *Tit.* 35. *n.* 6. *&* 7. Proinde si alteruter resilire velit, per nullam Actionem ad præstandum interesse compelli potest juxta textum expressum *l. ex placito* 3. *C. h. tit.*

4 Dicitur 6. *quo res datur ea lege, ut vicissim detur res alia;* nam rem dari, ut Permutatio fiat, necessum est; & quidem pro re: quæ nota differentialis est, qua Permutatio distinguitur à cæteris Contractibus. Addunt aliqui *certa in specie pro alia re certæ speciei*; quia putant, casu, quo res incerta, sive in genere commutatur pro alia re in genere, seu incerta, v. g. equus aliquis indeterminatè pro equo, & bove indefinitè, tum non propriè permutationem, sed magis Contractum innominatum *do, ut des* iniri: Sed alii negant inter Permutationem, & Contractum innominatum *do, ut des* ullum intercedere discrimen, & hinc particulas memoratas in Definitione Permutationis nobiscum omittunt.

5 Quæritur 2. quomodo Permutatio differat ab aliis Contractibus? Et 1. quidem dubitatur, quomodo differat ab *Emptione Venditione*? *Resp.* 1. ab *Emptione Venditione* differt multiplici ex capite 1. quia Permutatio, ut *num.* 2. dixi, est Contractus innominatus, in quo res datur pro re; Emptio Venditio verò est Contractus nominatus, in quo res datur pro pretio, seu pecunia numerata. Perez *C. h. tit. n.* 1.

2 Emptio Venditio perficitur solo consensu; non perficitur solo consensu Permutatio, sed opus est rei traditæ interventu, ut dictum est *n.* 1.

3 In Emptione Venditione, posito solo consensu circa rem, & pretium pro re, oritur actio efficax ad implendum Contractum; in Permutatione, *nulla re secuta, nemini actio competit, nisi stipulatio subjecta ex verborum obligatione quæsierit partibus actionem*, ut dicitur *l. ex placito* 3. *h. tit.*

4 In Emptione Venditione locus non est pœnitentiæ, in Permutatione est: nam si res adhuc sit integra, sive si contractus à neutra parte per traditionem completus sit, pœnitere uterque potest, cùm hoc commune sit Contractibus innominatis; si verò ab uno per traditionem impletus sit, non ab altero, pœnitere, & recedere à contractu poterit saltem ille, qui eundem implevit, ut colligitur ex *l. naturalis* 5. §. *& siquidem* 1. *ff. de Præscript. verb.* & explicatiùs dicetur *infrà n.* 18.

6 5 In Venditione non transfertur dominium, nisi pretium sit solutum, aut fides de eo habita; in Permutatione per traditionem rei transfertur dominium, etiamsi ab altera parte Contractus nondum sit impletus, ut patet ex *l. sicut* 1. §. *fin. ff. h. tit.* ubi dicitur, competere Condictionem illi, qui ex sua parte satisfecit, quasi re non secuta. condictio autem non datur, nisi non domino. Brunnem. *in l.* 2. *n.* 2. & *in l.* 4. *n.* 3. *C. h. tit.*

6 Venditio valida est, etsi res aliena emptori ignoranti vendita sit *l. rem alienam* 28. *ff. de contrah. empt.* at res aliena permutari non potest *l. sicut cit.* §. *ideoque* 3. cujus disparitatis ratio est, quia ad Emptionem Venditionem sufficit, si transferat habere licere: quod fieri potest etiam in re aliena, si bona fide ematur.

7 Denique Venditio Retractum admittit; eum non admittit Permutatio. Hinc ad avertendum Retractum possunt contrahentes, qui Emptionem Venditionem celebrare volebant, inire Permutationem, cùm in hoc utantur jure suo, uti cum Tiraquello, & aliis tenet Zoes. *ff. h. tit. num.* 7.

7 Dub. 2. quomodo Permutatio differt à *Mutuo*? Resp. inter Mutuum, & Permutationem quadruplex maximè est differentia; nam 1. Mutuum non tendit principaliter ad acquisitionem alterius rei, sed primariò spectat utilitatem, & usum debitoris *l. certi condictio* 9. §. *fin.* & *l. rogasti me* 11. *princ. ff. de Reb. credit.* At in Permutatione una res pro alia in modum compensationis, & una in alterius locum substituitur.

2 Mutuum perficitur traditione solius rei, quæ mutuò datur, nec includit redditionem æquivalentis, sed solùm obligationem, ut post temporis intervallum reddatur æquivalens ejusdem speciei. Permutatio verò utrinque requirit traditionem, neque censetur perfecta secundùm suam propriam rationem, nisi utrinque sit secuta traditio: unde non solùm res, quæ prior datur, sed etiam, quæ rependitur, dicitur permutari.

3 Mutuum exigit aliquod intervallum temporis inter 8
traditionem rei mutuatæ, & solutionem ex mutuo; alias foret inutilis mutuanti. Permutatio autem non postulat, ut intercedat ullum temporis intervallum inter dationem, & redditionem, nisi interdum per accidens ratione rerum, cùm permutatur res præsens cum ea, quæ multùm distat, & statim tradi non potest.

4 In Mutuo contrahitur obligatio ad illud idem, quod fuit traditum, in genere restituendum; nam frumentum pro frumento, oleum pro oleo, vinum pro vino, nummi pro nummis reddendi sunt *l. mutuum* 2. *pr. ff. de reb. credit.* At verò permutatio non in pari, sed in dissimili genere functionem accipit, ut si frumentum pro oleo, vinum pro frumento v. g. reddatur *l. Emptionem* 7. *C. h. tit.*

Dub. 3. quomodo Permutatio differat ab aliis Contra- 9
ctibus? Resp. 1. à *Deposito* & *Pignore* differt; quia in Deposito res pro custodia; in Pignore pro crediti securitate; in Permutatione autem pro alia reddatur. 2. à *Precario*, *Commodato*, *Locatione*, *Emphyteusi*; quia in his usus duntaxat, vel dominium utile; in Permutatione etiam directum, adeoque plenum in accipientem transfertur. 3. à *Cambio*, tanquam genus à specie sibi subjecta; nam duplex est Permutatio; specificè accepta, & Cambium: in illa res pro re, in hoc pecunia pro pecunia datur. 4. à tribus Contractibus innominatis *facio, ut facias, facio, ut des*, & *do, ut facias*; quia in primo factum pro facto, in secundo factum pro re, in tertio res pro facto; in Permutatione autem res pro re præstatur: item Permutatio secundùm dicta *n.* 3. est Contractus bonæ fidei; Contractus cæteri innominati plerumque à DD. censentur esse stricti Juris.

Dixi autem *à tribus Contractibus innominatis &c.* 10
nam an permutatio sit distinctus Contractus à Contractu innominato quarto *do, ut des*, multum litigatur inter DD. Affirmant Host. *in Summ. hic n.* 2. Vvesenbec. *ff. h. tit. n.* 10. Ant. Faber 6. *conject. c.* 9. *circa fin. c.* 10. Vallens. *hic n.* 1. Engl *n.* 2. Vvieft. *n.* 5. Konig *n.* 5. & plures alii, qui inter Contractum Permutationis, & Innominatum *do, ut des* hanc constituunt differentiam, quòd in hoc genus pro genere, vel pro specie, v. g. frumentum pro oleo, vel pro domo; in Permutatione autem detur species pro specie, e. g. fundus Cornelianus pro vinea Semproniana, Stichus pro Pamphilo, certa aliqua vestis, vel torques pro pariter certo libro, vel cratere præstetur. Addunt secundum discrimen, quòd Permutatio sit Contractus bonæ fidei, Contractus *do, ut des* autem stricti Juris.

Sed communior inter RR. & Juri conformior sen- 11
tentia est, quæ Contractum Permutationis à Contractu Innominato *do, ut des* non distinguit. Ità Alciat. *ad l.* 1. *pr. n.* 2. *ff. de reb. credit.* Pinell. *ad Rubr. c.* 4. *n.* 10. *C. de rescind. vendit.* Perez *in C. hic n.* 5. Zoes. *ff. eod. n.* 4. Barbos. *ad Rubr. h. tit. n.* 8. Haun. *tom.* 4. *de J. & J. tr.* 10. *n.* 1060. & alii. Fundantur pluribus Juris textibus, & præcipuè. 1. *l. sicut* 1. *ff. h. tit.* ubi generatim permutatione dicitur dari res pro re, 2. *l. emptionem* 7. *C. eod.* ubi inter Permutationes exempli loco ponitur datio certæ modiationis frumenti pro designato pondere olei in genere. 3. *l. naturalis* 5. §. *& siquidem* 1. *ff. de præscript. verb.* ubi Paulus JCtus, cùm statuisset, casu, quo res pro re datur, non Venditionem, sed Permutationem esse subjicit: *Explicitus est articulus ille, Do, ut des:* quibus verbis Contractum Permutationis, & Contractum *do, ut des* apertè supponit diversos Contractus non esse.

Atque hinc patet vanum, & à Juris Conditorum mente, ipsisque textibus alienum esse discrimen primum, quod inter Permutationem, & Contractum Innominatum *do, ut des* sententia adversa ponit. Simile huic est etiam discrimen, quod ponitur secundo loco, cùm fateantur DD. & in specie Hunnius *in Treutler. vol.* 1. *D.* 30. quòd Contractus *do, ut des* sit bonæ fidei.

Quæritur 3. quænam res permutari possint? Resp. res 12
omnes, si propriæ illæ permutantium sint, positæ in humano commercio, nec alienari prohibitæ. Ita omnes.

Dixi 1. *Res omnes*: Neque interest, mobiles illæ sint, an immobiles, corporales, vel incorporales, species, an quantitates *l. origo* 1. *pr. &* §. *sed an* 1. *ff. de contrah. empt. l. sicut* 1. *pr. ff. h. tit. & l. emptionum* 7. *C. eod.* Neque excluditur pecunia numerata; possum siquidem vel permutare pecuniam cum pecunia, prout contingit in Cambio, quam dixi speciem Permutationis esse; vel pecuniam, non tanquam pretium, sed tanquam corpus pro specie, ut notant Miller. *ad Struv. exercit.* 25. *th.* 19. *lit. A.* Gibalin. *tom.* 2. *l.* 4. *c.* 3. *art.* 1. *num.* 2. *vers. dixi secundò*, Clariss. P. Schmier *tr. de Pact. & Contract. c.* 5.

5. *n.* 49. *& seqq.* non enim omnis Contractus, in quo pecunia, & merx intercedit, est Emptio Venditio, sed is duntaxat, in quo pecunia habet rationem pretii, quo res mensurari, & æstimari solent, prout intelligenda venit *l. naturalis* 5. §. *& siquidem* 1. *ff. de Præscript. verb.* Quia tamen Contractus celebrari censentur, prout communiter celebrari solent; communiter autem, quando pecunia, & merx intercedit, pecunia rationem pretii habet, ideo in foro, nisi aliud de mente contrahentium constet, negotium tale pro Emptione Venditione habebitur.

13 Dixi 2. *si propriæ permutantium sint*; nam ut *l. sicut* 1. §. *ideoque* 3. *ff. h. tit.* Pedius respondisse fertur, *alienam rem dans nullam contrahit permutationem*: & ratio est; quia in Permutatione transferri debet dominium; hoc autem in alterum transferre potest nemo, qui illud ipse non habet. Ex quo sequitur, eum, cui ex pacto permutationis data est res, quam postea cognovit esse alienam, nulla actione cogi posse rem suam vicissim tradere; obligatus non est, ut dictum est *n.* 3. sed traditione rei, ac ejus in se dominii translatione, quæ translatio tali casu facta non est. Gibalin. *tom.* 2. *l.* 4. *de negot. c.* 3. *art.* 1. *n.* 3. Solùm igitur talem rem ex permutatione alteri tradens agere poterit *Condictione causa data, causa non secuta.* ut res, quam dedit, restituatur *l. sicut cit.* §. *fin. Neque obstat* 1. quòd *dict. l.* §. *unde* 1. dicatur, *si ea res, quam acceperim, vel dederim, postea evincatur, in factum dandam actionem*; supponendum enim est, utrumque ex permutantibus jam complevisse Contractum, & rem dedisse: nam tunc, qui rem propriam dedit, atque sic Contractum perfecit, alterum, qui rem alienam dedit, obstrictum habet, ut rem aliam det, aut interesse solvat *l. si cùm Patruus* 1. *C. h. tit.* Brunnem. *in l. sicut cit. n.* 4. Lauterbach. *ad ff. eod.* §. 11. Clariss. P. Schmier *de Pact. & Contract. c.* 5. *n.* 56. *&* 57. *Non obstat* 2. quòd Permutatio numeretur inter titulos ad producendam Præscriptionem habiles *arg. l. sequitur* 4. §. *sed & si* 17. *ff. de Usucap.* ideoque pariat Actionem Publicianam *l. sed &* 7. §. *sed & si* 5. *ff. de Public. in rem act.* nam, ut Permutatio vim habeat generandi Præscriptionem, & Actionem Publicianam, ponendi sunt termini habiles, ac tales figurandæ circumstantiæ, in quibus ab uno contrahentium data est res propria, & ab altero aliena; sic enim qui rem alienam ex titulo Permutationis bona fide accepit, & possedit, potest eam præscribere, & ejusdem nomine Actionem Publicianam intentare. P. Schmier *l. cit. n.* 59. *Non obstat* 3. quòd Permutationem rerum Ecclesiasticarum rite faciant Ecclesiarum Prælati, pupillarium, & ad minorennes spectantium horum Tutores, & Curatores &c. etsi propriæ non sint permutantium; quia cùm non suo, sed pupilli, minoris, Ecclesiæ &c. nomine hujusmodi permutationes faciant, non tam ipsi, quàm Ecclesia, minor, pupillus &c. easdem facere fictione Juris censetur.

14 Dixi 3. *& posita in humano commercio*; quia res, quæ extra commercium humanum sunt, Permutationi non sunt obnoxiæ, sicut nec aliis Contractibus. Atque hinc cùm etiam res futuræ sub commercio humano sint, cùm emi, & vendi possint, idcirco etiam poterit res, quæ existit, e.g. triticum præsens, permutari cum eo, quod in futura messe colligetur, ut rectè observat Navarr. *Man. c.* 17. *n.* 287. Less. *l.* 2. *c.* 23. *n.* 3. qui tamen addit, Contractum Permutationis non fore completum in sua ratione, nisi res, quæ tradenda est, existat, & tradita sit: licitum tamen est facere pactum, & inchoare ipsam Permutationem, tradendo rem præsentem, etiamsi altera nondum sit. Quodsi neutra existat, non potest quidem inchoari permutatio, cùm nulla possit fieri traditio, potest tamen fieri conventio de permutando, ut patet ex *l. sicut* 1. *ff. h. tit.* hæc enim consensu perficitur.

15 Dixi 4. *nec prohibitæ alienari*: nam ad Permutationem, sicut ad quemvis alium Contractum requiritur potestas, quæ deficit casu, quo Jus permutationem prohibet. censetur autem Permutatio prohibita omnium illarum rerum, quarum alienatio prohibita est; quia species quædam alienationis est *arg. c. nulli* 5. *de reb. Eccl. non alien.* cùm per eam transferatur dominium *l. cùm precibus* 4. *C. h. tit.* Atque hinc *sequitur* 1. permutare posse omnes, qui alienare: aut qui sunt veri, & liberi domini rerum suarum, vel dispositione Juris loco domini habentur. *Sequitur* 2. si res aliquæ alienari non possunt, nisi cum certo modo, & adhibitis Juris solemnitatibus, etiam non posse, nisi cum iis permutari. Ex quo *Sequitur* 3. permutari, solemnitate Juris servata, posse res Ecclesiarum *c. si Princeps* 1. *h. tit.* res Minorum *l. non solùm* 4. & *tot. tit. C. de præd. minor.* res Civitatum, & Universitatum *l. fin. C. de vend. reb. civil.* res feudales *l.* 2. *feud. tit.* 55. *c. Imperialem.*

16 Quæritur 4. quis sit Effectus Permutationis? Resp. hic multiplex est; nam 1. ex permutatione, postquam res ab uno fuit tradita, consurgit obligatio ex parte accipientis, ut ille vicissim det, quod promisit, ob Regulam generalem sumptam ex *l. sicut initio* 5. *C. de O. & A.* quòd Contractus, qui ab initio sunt voluntatis, postea fiant necessitatis. Lauterbach *ad ff. hoc tit.* §. 23. Haun. *tom.* 4. *tr.* 10. *n.* 1063. Clariss. P. Schmier *c.* 5. *de Pact. & Contract. n.* 75. *&* 76.

17 2. Dominium rei permutatæ transfert; neque enim satis est, uno permutante, & tradente rem suam, alterum ipsi præstare habere licere, sed rem ipsam præstare debet. Gibalin. *tom.* 2. *de negot. l.* 4. *c.* 3. *art.* 1. *num.* 2. *vers. ultimis verbis.* Ex quo sequitur, casu, quo is, qui rem sibi ex Permutatione traditam accepit, eandem vendat, & tradat alteri, non posse illum, qui dedit, contra emptorem aliquam movere actionem *l. cùm precibus* 4. *C. h. tit.* Brunnem. *ibid. n.* 4. Carpzov. *p.* 2. *const.* 33. *def.* 24. *n.* 3. Idem dicendum de quovis successore particulari, ut cum aliis notat Carpzov. *l. cit. n.* 5. *& duob. seqq.* & ratio clara est; quia si adversùs illum daretur tradenti actio aliqua, daretur vel actio in personam, vel in rem: non in personam; quia obligatio personalis non transit in successorem singularem *l. ult. in fin. ff. de contrah. empt.* non etiam in rem; quia Venditor per traditionem factus est dominus illius rei *l. sicut* 1. *ff. h. tit.* conf. eam vendendo alteri, & simul tradendo dominium in ipsum transtulit. atqui non tenetur actione reali alius, quàm qui possidet rem alienam, vel obligatam §. *omnium* 1. *Inst. de action. l. pignoris* 17. *ff. de pignor.*

18 3 Si neuter permutantium rem, circa quam permutandam conventum est, tradidit, pœnitere uterque potest; nam hoc solemne est Contractibus innominatis: si unus tradidit, pœnitere potest, qui tradidit, & quod dedit, repetere *Condictione causa data, causa non secuta*, etsi, qui accepit, neque in mora sit, neque in culpa, imò licèt paratus sit ex sua quoque parte implere Contractum *l. si cùm patruus* 1. *l. cùm precibus* 4. & *l. Emptionem* 7. *C. h. tit. Excipitur*, si stipulatio intervenerit; tunc enim pœnitentia in Permutatione excluditur *l. ex placito* 3. *C. h. tit.* Carpzov. *const.* 23. *cit. def.* 23. *n.* 8. *&* 9. nam eo casu non tam permutatio contracta est, quàm stipulatio ex causa permutationis *l. si ita* 6. §. *cùm pecuniam* 1. & *l. seq. ff. de Novation.*

4 Denique ex permutatione competit Actio præscriptis verbis. Sed de hac ulteriùs.

19 Dub. 1. quando Actio præscriptis verbis competat ex Permutatione? Resp. competit tantùm tunc, quando unus permutantium Contractum rei suæ traditione implevit; nam quamdiu consensus manet in nudis terminis, Contractus hic nullam actionem dat, si stipulatio, ut *n. præc.* dixi, non intervenerit: & ratio est, quia eo usque propriè Contractus non est, sed Pactum nudum, & ex re tradita primùm initium accipit *l. sicut* §. *item* 2. *ff.* & *l. ex placito* 3. *C. h. tit.* Competit autem hæc Actio ei, qui rem suam in alterum transtulit, & ejus hæredibus, contra accipientem, hujusque hæredes, & petitur per illam, ut vicissim & ipse Contractum impleat, vel interesse præstet *l. si cùm patruus* 1. *& l. cùm precibus* 4. *C. eod.* Carpz. *p.* 2. *Const.* 33. *def.* 23. *n.* 5. *&* 6. *& defin.* 24. *n.* 1. *&* 2. Zoes. *ad ff. h. tit. n.* 8. Honor. *hic n.* 2. Engl *n.* 2. Konig *n.* 14. Clariss. P. Schmier *c.* 5. *de Pact. & Contr. n.* 5. Est autem in arbitrio ipsius, an velit agere præscriptis verbis, an pœnitere, & Condictione ob causam, causa non secuta, repetere rem à se datam: imò utraque actio simul conjungi potest, sed alternativè. Brunnem. *in l.* 5. *C. h. tit.* Neque cessat actio hæc, etiamsi accipiens id, quod accepit, alienaverit in aliquem tertium; nam etsi hoc casu contra hunc actio danti nulla competat secundùm dicta *n.* 17. competit tamen actio præscriptis verbis in alienantem, ut pacto suo stet, vel interesse præstet *l. cùm precibus cit.* & *ibi* Brunnem. *n.* 4.

20 Dub. 2. utrum jus pœnitendi etiam transmittatur ad hæredes? Negativam cum pluribus aliis tuetur P. Konig *hic n.* 12. ex ratione, quia hoc jus, cùm pœnitentia sit voluntatis, personæ defuncti cohæret, conf. ad hæredem ejus non transit *arg. l. non solùm* 8. §. *tale legatum* 3. *ff. de liberat. legat. Et confirmatur*: quia hoc modo hæres videretur retractare voluntatem defuncti, quod ipse non potest.

Sed dicendum, hoc jus pœnitendi transmitti ad hæredes, sicut alia Jura. Ita Haun. *tom.* 4. *de J. & J. tr.* 10. *n.* 1064. cum aliis. Constat ex eo, quòd re adhuc integra possit alter contrahens pœnitere, cui utique hoc jus non est ablatum per mortem alterius. atqui hæres alterius non debet esse pejoris conditionis. ergo & ille debet posse pœnitere. *Conf.* nam pœnitentia hæc aliquo modo est cessio Juris, quæ hæredi competit, quatenus potest agere ad complendum Contractum. nihil autem obstat, quo

quo minus huic Juri cedere possit, & uti altero Jure agendi ad rescindendum Contractum. ergo &c.

Argumentum Adversariorum nimium probat; probat enim, quòd ne quidem mutuo consensu possit Contractum rescindere. *Ad Conf.* pœnitentia hæc non est talis retractatio, qualis hæredi negatur e. g. retractatio Legati, donationis mortis causa &c. Accedit, quia fortè defunctus nunquam habuit voluntatem non pœnitendi: quo casu non fiet ulla retractatio, sed tantùm executioni dabitur jus, quod sibi reservavit defunctus.

21 Dub. 3. cujus sit periculum in casu, quo quis Scyphos suos dedit, ut Stichum acciperet, si hic, antequam daretur, moriatur? Videtur ejus esse, qui scyphos dedit, quòd sit creditor certæ speciei, cui res debita perit, si non probetur culpa, mora, aut factum debitoris intervenisse *l. naturalis* 5. §. *& siquidem* 1. *in fin. de præscript. verb. l. si pecuniam.* 5. §. *fin. ff. de condict. caus. dat.*

Sed dicendum cum Ant. Perez. *in C. h. tit. n.* 8. Stichum quidem hoc casu perire danti, ita, ut agere iste non amplius possit præscriptis verbis, quanti interest Stichum dari; non tamen ipsi perire scyphos, sed hos repeti ab eo posse, non quidem ex capite causæ non secutæ, quòd sine alterius culpa cesset ejus implementum, sed ex causa pœnitentiæ *l. fin. ff. de condict. caus. dat.* nisi res non amplius sit integra ex parte ejus, qui scyphos accepit, ut quia Contractus implendi nomine sumptus fecit, & damnum sentit.

§. II.

De Permutatione Rerum Spiritualium, & Ecclesiasticarum.

SUMMARIUM.

22 23 24 25 26 *Utrum res Spirituales sub Permutationem cadant?*

27 *An, & quatenus prohibita, vel permissa sit permutatio rerum Ecclesiasticarum?*

28 *Qualis ad hanc requiratur causa?*

29 *Quando causa specialis utilitatis Ecclesiæ non requiratur?*

30 *An justa causa necessitatis, vel evidentis utilitatis, aliæque solemnitates Juris requirantur, quando Permutatio celebratur inter duas Ecclesias?*

31 32 *Deciditur pro affirmativa.*

33 34 *Solvuntur Argumenta contraria.*

35 36 *An permutari pro aliis mancipiis possint mancipia, seu servi Ecclesiæ?*

37 38 *An permutari possint Ecclesiæ obtentæ in proprietatem, & excessus redituum compensari pecunia?*

22 QUæritur 1. utrum res Spirituales sub permutationem cadant? Resp. hic distinguendum esse, utrum agatur de permutanda re Spirituali pro temporali, an pro alia itidem Spirituali. *Si primum*, exploratum est apud omnes, permutationem talem sine crimine Simoniæ fieri non posse; quia res spiritualis æstimationem non recipit. Haberetur autem pro tali, quæ æstimationem recipit, si permutaretur; quia huic æquiraretur, cùm inter res permutandas debeat esse æqualitas. *Proceditque hoc* non tantùm de rebus, sed etiam de Juribus Spiritualibus, e. g. Jure decimandi; nam neque hoc, aut alia similia permutari cum re temporali possunt, ob rationem allatam. *Neque obstat*, quòd fructus Decimarum vendi non prohibeantur; nam inter hos, & ipsum jus lata intercedit disparitas: & ratio disparitatis est, quia quando permutantur, aut venduntur fructus, venditur res merè temporalis; quando autem jus percipiendi Decimas, venditur, vel permutatur res Spiritualis, atqui res Spiritualis pro re, aut pretio temporali dari non potest, ut dixi: ergo &c. *Excipitur*, quando Jus Decimandi legitima authoritate Superioris absolutè & in perpetuum est separatum à titulo Spirituali; tunc enim jus illud est temporale, & cons. pro re, aut pretio temporali permutari, aut vendi potest.

23 *Si secundum contingat*, & agatur de permutanda re Spirituali cum alia re itidem Spirituali, videndum, an utraque sit purè spiritualis, an una Spiritualis purè, altera spiritualis mixta ex spirituali, & temporali, an denique utraque Spiritualis mixta. *In primo* casu permutatio fieri potest, ut cum cæteris notat Suar. *tom.* 1. *de Relig. l.* 4. *de Simon. c.* 31. *n.* 30. Vivian. *in c.* 9. *h. tit. pr.* Vallens. *n.* 3. *hic*, Zoes. *n.* 5. Pirh. *n.* 37. *& seqq.* Konig *n.* 6. & sumitur ex *c. fin. h. tit.* & ratio est, quia nulla in hoc apparet irreverentia, nullaque extat prohibitio, quippe quæ in Sacro Jure tantùm illas permutationes afficit, quibus Spirituale æquiparatur. Neque aliud probant verba Christi: *Gratis accepistis, gratis date* Matth. 10. *v.* 8. nam ut cum SS. PP. textum istum exponit S. Thomas apud Suar. *c.* 30. *de Simon. n.* 4. gratis dare est dare sine mercede, vel pretio temporali. Ex quo sequitur licitum esse pacisci mutuas preces, & Sacrificia, mutuam in Ministerio Sacro operam &c.

In secundo casu, cùm una res ex permutandis est Spiritualis purè, altera spiritualis mixta ex spirituali, & temporali, Permutatio est illicita, & Simoniaca; quia reipsa daretur spirituale pro temporali, quod rerum permutandarum alteri annexum est. *Excipitur*, nisi temporale sit separabile, & reipsa separetur, ac solum spirituale permutetur cum alio spirituali, & dein temporale seorsim pro alio temporali per diversos, & distinctos Contractus, ut *infrà n.* 37. *&* 38. dicam de permutatione Ecclesiarum inter se invicem. 24

In tertio casu attendendum est ad modum, quo Spirituale sibi annexum temporale habet; nam si eodem modo utrumque connexum sibi temporale habeat, permutari inter se possunt e. g. Rosarium cum alio Rosario, numisma affectum Indulgentiis cum alio numismate sacro, calix cum alio calice &c. modò nulla fiat comparatio inter spirituale, & temporale, qualis fieret, si v. g. Rosarium benedictum, pretiosæ materiæ commutaretur cum alio Rosario minùs pretiosæ materiæ, quòd istud plures benedictiones, aut Indulgentias habeat, aut plurium reliquiarum attactu sacratius sit; nam hoc casu Permutatio Simoniaca foret, ut bene advertit Gonzal. *in c. fin. h. tit. n.* 3. & patet ex ratione; nam eo casu non commutatur spirituale præcisè pro Spirituali, sed excessus ille, ut ita dicam, spiritualitatis censetur emi per excessum temporalis, quod est in alio.

Quodsi verò res ex spirituali, & temporali mixtæ habeant temporale diverso modo connexum cum spirituali, & commutentur, ut si calix consecratus commutetur cum Beneficio &c. committitur Simonia; quia talis commutatio non fit præcisè inter Spiritualia, sed inter Spirituale & temporale, cùm in calice præcipuè spectetur materia, & forma, i. e. temporale, in Beneficio verò præcipuum sit Spirituale: dum igitur hoc datur pro Calice etiam consecrato, Spirituale datur pro temporali. 26

Quæritur 2. an, & quatenus prohibita, vel permissa sit permutatio rerum Ecclesiasticarum? Resp. distinguendo inter res mobiles non pretiosas, & inter res immobiles, aut mobiles pretiosas. *Mobiles non pretiosas* Ecclesiarum e. g. vasa, & vestes sacras pro aliis, quæ quoad materiam ejusdem valoris sunt, permutare nihil prohibet. Ut verò *immobiles*, & *mobiles pretiosæ* permutari à Prælatis Ecclesiarum possint, requiritur justa causa, & solemnitates à Jure præscriptæ ad earundem alienationem; aliàs permutatio erit irrita, & nulla *can. sine exceptione* 52. *caus.* 12. *q.* 2. *c. irrita* 1. *c. cùm Apostolica* 7. *c. tuæ nuper* 8. *de his, quæ à Prælat.* & *Extrav. ambitiosæ un. int. comm. de reb. Eccl. non alien.* Unde etiam revocanda est à Successoribus *c. ut commutationes* 2. *h. tit.* imò ab ipsis Prælatis, à quibus permutatio in Ecclesiarum suarum præjudicium, & damnum est attentata *can. quod quis* 3. *caus.* 35. *q.* 9. *c. siquis* 6. *de reb. Eccl. non alien.* & notat Gloss. *in c. ut commutationes cit. V. inconsultè.* Vivian. *ibid. pr.* Zoes. *hic n.* 2. Pirh. *n.* 4. Wiest. *n.* 8. Ratio est, quia rei permutatio ejus alienatio est, ut habetur *c. nulli* 5. *de reb. Eccl. non alien.* & *Novell.* 7. *c.* 1. *vers. alienatio*, ac ratio probat, quippe cum per eam transferatur dominium *secundùm dicta n.* 17. *Ex quo sequitur*, easdem pœnas, quæ decretæ sunt in malè alienantes res Ecclesiasticas, etiam incurri ab iis, qui easdem illegitimè permutant; non tamen, antequam permutatio per traditionem rerum ex utraque parte completa sit, ut rectè advertit Pirh. *hic n.* 5. *not.* 2. & ratio est, quia antea non censetur Contractus esse absolutus, cùm non consensu, sed rei utrinque datæ traditione perficiatur, ut dictum est *n.* 3. *vers. dicitur* 5. 27

Dubitatur, qualis requiratur causa ad Permutationem rerum Ecclesiasticarum? Resp. ad permutandum quidem sufficit minor causa, quàm ad vendendum, semper tamen esse debet utilitatis Ecclesiæ, & quidem non cujuscunque, sed evidentis. Ita cum cæteris Pirh. *hic num.* 5. *not.* 1. Schamb. *n.* 2. Wiest. *n.* 9. Et quidem quòd minor causa sufficiat, quàm ad vendendum, patet; quia Permutatio rei Ecclesiasticæ cum alia re simili minùs obest Ecclesiæ, & sæpe eidem est utilis. Laym. *de rer. Eccles. alien. n.* 74. Quòd verò non sufficiat causa utilitatis cujuscunque, sed requiratur causa evidentis utilitatis, ita, ut res data Ecclesiæ non tantùm utilis, sed etiam melior, & magis profutura sit, patet ex *can. sine exceptione cit.* ibi, *Nisi fortè aliquid horum Episcopus faciat, ut meliora prospiciat.* 28

Excipi solet casus, quo Princeps ex rationabili causa v. g. Palatii, vel horti ampliandi, aut castri adversùs hostium incursus muniendi &c. rem Ecclesiæ immobilem 29

bi'em petit; tunc enim permutari hæc poterit cum alia ejusdem rationis re, modò ista æqualis æstimationis, & utilitatis sit cum re permutata, ut habetur *c. si Princeps* 1. *h. tit.* quod desumptum est ex *Novell.* 7. *c.* 2. §. 1. ubi eo casu præcisè requiritur, ut ex tali permutatione Ecclesia non patiatur detrimentum. *Ratio est*, quia ab Impp. Regibus, aliisque Principibus Ecclesiæ multis privilegiis munitæ, eorumque munificentia dotatæ, atque ornatæ sunt, & præsidio, ac defensione proteguntur; ut propterea omnino conveniens sit Ecclesiam in eos proniorem esse, quàm in cæteros fideles Laicos. Joan. Andr. *in c.* 1. *cit. n.* 2. Vivian. *ibid. in ration.* Barbos. *n.* 2. Pirh. *hic n.* 6. Vviest. *n.* 10. Verùm ne Ecclesiæ tali casu obtrudatur res deterior, & permutatio eidem damnosa sit, necesse est, ut in ejusmodi permutatione interveniat tractatus cum Capitulo, & consensus majoris partis ejusdem, ac Superioris, ut rectè advertunt DD. *citt.*

30 Quæritur 3. an causa justa necessitatis, vel evidentis utilitatis, aliæque solemnitates Juris exigantur etiam casu, quo Permutatio immobilium, & mobilium pretiosorum celebranda est inter ipsas Ecclesias, vel Monasteria? Negant Riccius *prax. decis.* 74. *n.* 3. & 4. *in* 1. *edit.* & *resol.* 60. *in* 2. *edit.* Bordonius *resol.* 27. *q.* 2. *n.* 3. Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 95. *n.* 55. & *duob. seqq.* Pal. *tr.* 12. *D. un. p.* 15. §. 3. *n.* 7. Tambur. *tom.* 3. *de Jur. Abb. D.* 13. *q.* 9. *num.* 8. & probabilem existimat Engl *tit. de reb. Eccl. non alien. n.* 16. Nituntur *c. non licet* 1. *de reb. Eccl. non alien. c. ad quæstiones* 6. *h. tit.* & *can. hoc jus* 2. §. *item sibi invicem caus.* 10. *q.* 2. qui sumptus est ex *Auth. hoc jus porrectum C. de SS. Eccl.* quibus textibus AA. isti volunt Prælatis specialiter permissam esse liberam permutationem bonorum Ecclesiasticorum. *Et confirmatur ex ratione*; quia ratio prohibendi, & irritandi alienationem bonorum Ecclesiasticorum non solemnem fuit, ut consuleretur indemnitati Ecclesiæ universalis, & non locorum Sacrorum, ac Religiosorum particularium, prout non obscurè insinuatur *Extrav. ambitiosæ cit.* ibi: *Qui immobilia, & mobilia pretiosa Deo dicata --- profanis usibus applicare --- præsumunt.* hæc autem ratio cessat, quando Permutatio celebratur inter duas Ecclesias, vel Monasteria; etsi enim particularis aliqua Ecclesia tali casu damnum aliquod pati ejusmodi permutatione possit, tamen, cùm quod demitur uni, adjiciatur alii Ecclesiæ, Ecclesia universalis inde nullum detrimentum capit.

31 Sed ad punctum Juris propinquiùs accedit, quæ universim docet, res Ecclesiarum immobiles, & quæ his æquiparantur, sine solemnitatibus permutari non posse, etiamsi talis Permutatio celebraretur inter ipsas Ecclesias. Ita Joan. Andr. *in c.* 1. *cit.* Berojus *l.* 1. *consf.* 179. *n.* 3. Quarant. *Summ. Bullar. V. alienatio n.* 15. Fill. *tr.* 44. *c.* 2. §. 2. *V. quod est*, Bonac. *de Contract. D.* 3. *q.* 8. *p.* 4. *n.* 20. Delbene *de Immun. Eccl. c.* 17. *dub.* 13. *n.* 1. Donat. *tom.* 1. *prax. Reg. p.* 2. *tr.* 14. *q.* 85. *n.* 4. Gonz. *in c.* 1. *cit. num.* 7. Vallens. *hic n.* 3. Vviest. *n.* 12. Fundantur 1. *can. sine exceptione. c. cùm Apostolica*, &c. *tuæ citt.* qui textus eodem modo loquuntur de Permutatione, quo de donatione, & venditione, atqui donatio, & venditio sine solemnitate, etiam inter Ecclesias celebrata, Prælatis est prohibita, & irritata. ergo etiam prohibita, & irritata erit permutatio inter easdem facta. 2. *Extrav. ambitiosæ cit.* & *Decret. S. Congr. Cardd. Trid. Interp.* jussu Urbani VIII. *edito* 7. *Sept.* 1624. quibus generaliter omnino, & indistinctè irritatur omnis alienatio rerum immobilium, & mobilium pretiosarum, ad Ecclesias, vel Monasteria spectantium, omneque pactum, per quod ipsarum dominium transfertur, si initum sit sine consensu Apostolico, aut memoratæ Congregationis expressa licentia. ergo etiam prohibetur, & irritatur permutatio illarum, celebrata inter duas Ecclesias, Monasteria, vel alia pia loca. 3. Praxi Romana, qua ipsismet Riccio, & Barbosa testibus *l. citt.* in Permutationibus, quæ celebrantur inter duas Ecclesias, eadem Juris solemnitas, idemque consensus adhibetur, qui adhiberi debet in permutationibus, & alienationibus, celebratis cum Laico. est autem hæc Curiæ praxis, & consuetudo potiùs censenda interpres Juris dubii, quàm ejus correctoria. *arg. c. cùm expediat* 39. *de Elect. in* 6. & *l. præcipimus* 32. *in fin. C. de Appellat.*

32 Quare dicendum, Jure, & praxi Curiæ Romanæ consideratis, solemnitates ad valorem Permutationis necessarias esse, etiamsi hæc fiat inter duas Ecclesias. Dixi, *spectato Jure, & praxi Curiæ Romanæ*; nam excipiendum est, nisi contrarium obtineat consuetudine, legitimè præscripta, quæ ubique servanda est. Et sic Donat. *l. cit. n.* 6. notat, extra Curiam Romanam non ubique adhiberi solemnitates, vel saltem consensum Apostolicum, quando permutatio inter duas Ecclesias celebratur.

Neque aliud probant Argumenta sententiæ appositæ. 33
Ad 1. textus illi sententiam nostram non impugnant. Ex *c. non licet cit.* potiùs ea confirmatur; requiritur enim ibi ad permutationem inter duas Ecclesias celebrandam *consensus ambarum partium*, h. e. Prælatorum, vel Oeconomorum utriusque Ecclesiæ; cons. non approbatur sine omni solemnitate. In *c. ad quæstiones* solùm deciditur, quòd pecunia interveniente, ad æqualitatem reduci possint permutationes Parochiarum cum possessionibus ad illas pertinentibus, si inæquales sint; an verò solemnitates ad hujusmodi permutationem requirantur, aliis Canonibus decisum supponitur. Denique *can. hoc jus cit.* expresse ad permutationem inter Ecclesias faciendam requiritur solemnitas & causa necessitatis; permittitur enim ibi alienatio *cum consensu eorum, qui & suprà referuntur*, sc. ut *vers. si autem* paulò antea dicitur, *majoris partis ibidem servientium, & si debitum urgeat, nec ex mobilibus solvi possit*, quod necessitatem indicat.

Ad Conf. ratio in *Extrav. cit.* insinuata non finalis, sed impulsiva duntaxat fuit: quod ex eo desumitur, quia prohibitio ibi relata non fuit primùm introducta à Paulo II. Constitutionis illius conditore, sed jam antè per antiquos Canones lata; antiqua autem prohibitionis ratio, & causa finalis non tam est, ne res Ecclesiarum profanis usibus applicentur, quàm ne Ecclesiæ, quarum res, & bona sunt, facilè depauperentur, & destituantur proventibus necessariis ad sustentationem Ministrorum, & Cultum Divinum. hujus autem periculum est, sive permutatio fiat inter Ecclesiam, & Laicum, sive inter duas Ecclesias. 34

Quæritur 4. an permutari pro aliis mancipiis possint 35
mancipia, seu servi Ecclesiæ? *Ratio dubitandi est*, quia si prohiberentur permutari, prohiberentur vel sine solemnitate, vel cum solemnitate. *Si primùm*, non opus est nova prohibitione de servis, cùm id generaliter teneat de rebus Ecclesiarum immobilibus, & mobilibus pretiosis. *Si secundum*, non est ratio, quare servi non possint, adhibita solemnitate, alienari, possint autem alia bona Ecclesiarum, cùm etiam ista sint dicata DEO.

Sed dicendum, non posse commutari, nisi in ordine ad libertatem, ita videlicet, ut mancipia, quæ erant Ecclesiæ, fiant libera, alia verò, quæ pro illis permutantur, subjiciantur servituti Ecclesiæ. Ita habetur *c. mancipia* 3. & *c. sequent. h. tit.* ubi etiam ratio datur; quia *quod semel Deo consecratum est, ad humanos usus transferri non decet*. mancipia autem, seu servi Ecclesiæ Divinis servitiis deputari censentur. ergo sine licentia Papæ Laicis, sive privatis personis donari, vel alia ratione in earum dominium transferri nequeunt.

Excipitur, nisi sint fugitivi; nam hos SS. Canones 36
permittunt distrahi *can. fugitivi* 54. *caus.* 12. *q.* 2. *Neque obstat*, quòd *l. sciendum* 2. *ff.* & *l. in fuga* 6. *C. ad Legem Flaviam de Plagia*. statuatur, etiam illum incidere in Legem Flaviam, qui fugam servi sui vendidit: intelligendum enim hoc est, quamdiu in fuga est; nam fuga species libertatis est *l. quis sit* 17. §. *idem* 10. *ff. de Ædil. Edict.* sc. ut Gonz. *in c.* 4. *h. tit. num.* 7. explicat, habito respectu ad fugiendi actum, quo potestatem domini elusit, & ab ejus nexibus defacto se liberatum invenit. Vel, ut idem Gonz. *n.* 7. *cit. ad fin.* notat, intelligi exceptio potest de Servo fugitivo, qui propriè non fugit, sed frequenter sine causa vagatur, seriusque domum redit.

Ad rationem dubitandi respondet Gonz. *l. cit.* servum Ecclesiæ alienari non posse etiam cum solemnitate; quia in tali alienatione deficit causa: Si verò sit fugitivus, ipsa fuga, vel consuetudo vagandi causam justam alienationi præbet, ut proinde pro libitu Episcopi alienari possit.

Quæritur 5. An vendi, aut permutari possint ipsæ 37
Ecclesiæ, vel Beneficia, si teneantur Jure proprietatis, & incorporationis? Resp. vendi quidem, seu pro pretio dari non posse, posse tamen ex justa causa utilitatis, & accedente Superioris authoritate, aliisque Juris solemnitatibus, permutari tum per se, tum quoad possessiones eis annexas. Patet ex *c. ad quæstiones* 6. *h. tit.* & docet *ibidem* Abb. *n.* 2. Honor. *hic n.* 5. Schambog. *num.* 3. Pirh. *n.* 10. & hoc teste communis DD. Quòd vendi, seu pretio dari nequeant, patet, quia sunt res Spirituales, quæ pretio æstimari nequeunt; nulla autem Emptio, & Venditio est sine pretio §. *item pretium* 2. *Inst. de Empt. & Vendit.* Quòd verò permutari possint, patet, ut dixi, ex *c. ad quæstiones cit.* & sumitur etiam ex *c. cùm venerabilis* 6. *de Except.* ubi Ecclesia S. Viti unà cum possessionibus, & pertinentiis cum aliis quibusdam Ecclesiis ab Episcopo cum consensu Canonicorum permutata fuisse asseritur. *Proceditque hoc*, etsi una Ecclesia, quæ permutatur cum altera auctiores reditus habeat, & propterea in permutatione petatur istorum compensatio pecunia-

niaria, ut rectè Vivian. *in c. 6. h. tit. verſ. & pro minus*. Barboſ. *ibid. num.* 1. Gonz. *n.* 3. Caniſ. *h. t. num.* 2. Zoeſ. *num.* 2. Honor. *num.* 5. Pith. *num.* 11. Schamb. *n.* 3. Engl *num.* 4. Konig *num.* 8. Ratio eſt, quia compenſatio tali caſu non fit pro jure Spirituali Eccleſiæ, ſed pro temporali ſolùm.

38 Ut verò omnis Simoniæ ſuſpicio evitetur, tali caſu conſultum eſt, ut duo diſtincti Contractus ſub diverſa verborum forma inſtituantur, quorum unus ſit Permutationis Eccleſiarum ſecundùm ſe, alter permutationis, aut venditionis poſſeſſionum, quæ ſunt annexæ Eccleſiis permutandis. Ita ſuadet Clemens III. *c. ad quæſtiones cit.* ſuadet, inquam; nam ut bene Pirh. *l. cit.* monet, abſolutè loquendo id non eſt neceſſarium, ſed videtur ſufficere, ſi fiat Contractus per modum, ſeu formam unius Contractus duobus æquivalentis hoc modo: *Parochiam N. unà cum prædiis, & juribus adhærentibus permutamus cum Parochia N. ita tamen, ut uberiores proventus alterius Parochiæ compenſentur, ſolutis* 1000. *aureis*. Ratio eſt, quia tali ratione jam evitatur ſuſpicio Simoniæ, cùm in ipſo Contractu exprimatur pro quo petatur, & exhibeatur ſatisfactio.

§. III.

De Permutatione Beneficiorum Eccleſiaſticorum.

SUMMARIUM.

39 *An permutari Beneficia poſſint obtenta in Titulum?*
40 *An Permutatio iſtorum ſit propriè Permutatio?*
41 42 *Quo Jure iſtorum Permutatio, abſque Superioris authoritate facta ſit Simoniaca?*
43 *Quam pœnam ita permutantes incurrant?*
44 45 *Permutari regulariter poſſunt omnia Beneficia.*
46 *Non tamen unita alteri Eccleſiæ, Monaſterio &c.*
47 *Aut reſervata Summo Pontifici?*
48 *Vel ea, in quibus permutant aut nullum, aut dubium, aut tantùm ad rem jus habet.*
49 50 51 52 *An permutari Beneficium poſſit cum Penſione?*
53 *Vel alio Jure ſpirituali diverſi ordinis?*
54 *An unum cum pluribus, vel plura pro uno?*
55 *An inæqualia inter ſe?*
56 *An eo caſu exceſſus compenſari poſſit, ſi inæqualia ſint quoad Spiritualia?*
57 *An caſu, quò inæqualia ſunt quoad temporalia? Rationes dubitandi.*
58 *Deciditur pro negativa.*
59 *Excipitur authoritas Papæ.*
60 *Reſpondetur ad rationes dubitandi.*
61 62 *Ex qua ratione authoritas Superioris requiratur ad faciendam Beneficiorum permutationem?*
63 64 *An Beneficia permutari poſſint antecedenter de ea facienda inter ſeſe tractare?*
65 *Authoritatem præſtare permutationi poteſt Pontifex, aut Epiſcopus loci.*
66 *Capitulum, Sede vacante, & alii Prælati habentes ſibi ſubjectum Clerum, & populum.*
67 68 69 *Non verò cæteri, ſecluſo privilegio, & conſuetudine legitimè præſcripta.*
70 *Ut Epiſcopus permutationem rite admittat, requiritur, ut ſita ſint in ipſius Diœceſi.*
71 *Ut conſentiant, qui jus nominandi, præſentandi, eligendi &c. ad illa habent.*
72 *Et ut permutatio non fiat, niſi inter duos.*
73 *An permutationem impediant Gratiæ Exſpectativæ? Deciditur pro negativa.*
74 *Excipitur, niſi permutatio fiat in fraudem exſpectantis.*
75 *Solvitur ratio dubitandi.*
76 *Qualis requiratur cauſa ad Beneficiorum permutationem?*
77 *An aliquando Epiſcopus poſſit ad eam faciendam cogere?*
78 *Quomodo cauſa probari debeat?*
79 *An Beneficia permutata debeant conferri permutantibus?*
80 *An ſi effectum permutatio ſortita non ſit, is, qui ſuo Beneficio ex hac cauſa renuntiavit, poſſit illud repetere?*
81 *An eo caſu opus ſit nova collatione? Reſpondetur affirmativè.*
82 *Solvuntur Argumenta oppoſita.*
83 84 *An ad valorem permutationis ſufficiat, ſi unus permutantium habeat jus in Beneficio?*
85 *Quid ſentiendum de Permutationibus fictis?*

Quæritur 1. An ſicut permutari poſſunt Eccleſiæ, & Beneficia obtenta in proprietatem, prout dictum eſt *n.* 37. ita etiam permutari poſſint Eccleſiæ, & Beneficia obtenta in Titulum? Reſp. poſſe permutari, ſi conditiones à Jure ad hoc requiſitæ obſerventur. Requiritur autem 1. ut ejuſmodi Permutatio fiat ex juſta cauſa *c. quæſitum* 5. *h. tit.* 2. ut uterque permutans habeat jus in Beneficio permutato *c. cùm venerabilis* 6. *de Except.* 3. Beneficia permutanda ab utroque permutantium in Superioris manibus dimitti debent *c. un. h. tit. in* 6. ibi *in manibus tuis*. 4. Accedere debet authoritas Superioris Eccleſiaſtici, & conſenſus eorum, qui jus præſentandi, vel eligendi ad illa habent *c. quæſitum cit.* & *c. nobis* 25. *de Jur. Patron.* 5. Si Permutatio fiat coram Summo Pont. exprimi ſimul debent cætera permutantium Beneficia. Rebuff. *prax. p.* 3. *tit. de Permut. n.* 34. Paſſerin. *in c. un. h. tit. in* 6. *n.* 37. Konig *hìc n.* 11. qui id confirmant praxi Romanæ Curiæ. 6. Denique Permutationis ſic factæ publicatio, antequam poſſeſſio Beneficiorum permutatorum capiatur ab iis, qui Permutationem fecerunt, fieri debet in Eccleſiis Cathedralibus, vel Parochialibus, intra quarum fines Beneficia ſita ſunt, prout decretum eſt à Gregor. XIII. *Conſtitutione* incipit *Humano edita* 5. *Jan.* 1573. Hæc tamen Conſtitutio quoad Permutationes, coram Ordinariis factas, ut Garc. *p.* 11. *de Benef. c.* 3. *n.* 289. Barb. *l.* 3. *Jur. Eccl. c.* 15. *n.* 180. Schamb. *hìc n.* 5. advertunt, & praxis plurium Diœceſium in Germania noſtra docet, non eſt ubique recepta. Sine his requiſitis facta permutatio invalida, & quidem ſi authoritas Superioris non interveniat, Simoniaca eſt *c. quæſitum cit.*

Dub. 1. an hæc Beneficiorum Permutatio ſit Permutatio propriè dicta? Reſp. ſi in rigore Juris accipiatur Permutationis nomen, non eſſe Permutationem propriè dictam; nam ad hanc, ut ex dictis *ſuprà* §. 1. conſtat, eſſentialiter tria requiruntur, ſc. partium conſenſus, traditio rei, & ut res, quæ permutatur, ſit propria permutantis: quæ omnia in permutatione Beneficiorum videntur deficere; nam 1. deficit *conſenſus*, ſeu *pactio partium*; quia omnis pactio circa Beneficia prohibita eſt ex communi omnium. 2. *traditio rei*; quia Beneficium non permutantes, ſed Ordinarius permutationem acceptans tribuit. 3. *proprietas rei permutatæ*; quia Beneficia poſſidentium non ſunt propria. Dicitur tamen Permutatio in Jure noſtro, quia cum partium conſenſu fit: quo diſtinguitur à Translatione, quæ fieri poteſt invitis poſſeſſoribus. Barboſ. *in c.* 5. *h. tit. num.* 3. Paſſerin. *in c. un. h. tit. in* 6. *n.* 7. & 8. 40

Dub. 2. quomodo, & quo Jure Permutatio Beneficiorum, abſque Superioris authoritate facta, Simoniaca ſit? Sunt, qui putant, Simoniacam eſſe Jure Divino, quòd per eam præceptum Chriſti *Matth.* 16. gratis acceptum non detur gratis, ſed pro alio, quod ſit loco pretii. Sed, ut bene notat Zoeſ. *hìc n.* 6. hoc ſuſtineri non poteſt, cùm Beneficium Eccleſiaſticum ſit Spirituale. Spirituale autem cum Spirituali, ſi purè fiat, h. e. ſine adjectione, vel reſervatione alicujus temporalitatis, Simoniam Juris Divini non continet. 41

Unde dubium procedit de Simonia Juris Eccleſiaſtici. *Et ratio dubitandi eſt*; quia per Jus Eccleſiaſticum fieri non poteſt, ut res Spiritualis habeat veram rationem pretii; eſt enim de ratione pretii, ut ſit temporale, & materiale, quale hìc non eſt Beneficium. atqui Simonia in hoc eſſentialiter conſiſtit, quòd Spirituale detur pro pretio temporali. ergo &c. *Conf.* nam ſi Permutatio Beneficiorum Simoniaca foret, etiam authoritate Epiſcopi licita fieri non poſſet; neque enim Epiſcopus diſpenſare in Jure communi poteſt.

Sed dicendum, rectè Permutationem Beneficiorum, propria authoritate factam Simoniacam dici de Jure Canonum, quatenus hoc Jure prohibita eſt taliter fieri, & eodem Jure, ſi ita fiat, præſumitur potiùs facta intuitu proventuum temporalium, qui acceſſorii ſunt, quàm muneris ſpiritualis, quod principale eſt: cujus perverſionis cùm ſit magnum periculum, Eccleſia id volens avertere, & omnem mali ſpeciem à perſonis Eccleſiaſticis tollere, jure optimo ſtatuit, ut Beneficiorum commutationes non occultè ex privata ſolùm, ſed Epiſcopi authoritate fierent; aliter autem commutatio facta Simoniaca foret, acſi Spiritualia, quæ in eis ſunt principalia, darentur pro fructibus temporalibus, qui ibidem ſunt acceſſorii, ut bene explicant Azor. *p.* 2. *l.* 7. *c.* 29. *q.* 2. & 3. Suar. *de Simon. l.* 4. *c.* 31. *n.* 5. Leſſ. *l.* 2. *de Juſt. c.* 35. *n.* 30. Barboſ. *l.* 3. *Jur. Eccl. c.* 15. *n.* 160. Paſſerin. *in c. un. h. tit. in* 6. *n.* 2. Zoeſ. *hìc n.* 6. & plerique alii. 42

Ad Rationem dubitandi dico in tali Permutatione Beneficiorum, propria authoritate facta, intervenire aliquid temporale, ſc. reditus, & proventus Beneficiorum, quorum intuitu cenſetur facta. *Ad Conf.* negatur paritas;

tas; nam cùm Beneficiarii inter se propria authoritate commutant Beneficia sua, non celebrant Contractum gratuitum, sed affectum conditione, *Do, ut des*; at quando fit authoritate Superioris, Permutatio gratuita est, cùm Superior illam gratis faciat, & nihil recipiat: ut proinde in hac Simoniacæ pravitatis nullum sit periculum, sit in priore.

43 Dub. 3. quam pœnam incurrant, qui sine authoritate Superioris illegitimè permutarunt Beneficia sua? Resp. incurrunt Excommunicationem majorem, ut habetur *Extrav.* 2. *int. comm. de Simon.*

An etiam Beneficiis sic permutatis ipso Jure priventur, controversum est inter DD. Affirmant aliqui cum Suar. *l.* 4. *de Simon. c.* 57. *num.* 41. & Garc. *p.* 11. *de Benef. c.* 4. *num.* 59. Negant Navar. *Man. c.* 23. *n.* 105. Less. *l.* 2. *c.* 35. *num.* 100. Laym. *l.* 4. *tr.* 10. *c.* 8. §. 5. *q.* 4. Rationem dant, quia cùm permutatio, sine Superioris authoritate facta, sit irrita, nullum potest producere effectum: proinde putant, sic permutantes, sicut propria authoritate resignarunt sua Beneficia, ita sua authoritate ad eadem redire posse, saltem in foro conscientiæ, & quamdiu per sententiam Judicis in pœnam iis non priventur juxta *c. cùm olim* 7. *h. tit.*

44 Quæritur 3. an Permutationi locus sit in omnibus Beneficiis? *Ratio dubitandi* est; quia si generaliter permissa foret Beneficiorum quorumcunque permutatio, per eam facilè elidi Jura Patronorum, Electorum, Collatorum, & ipsæ etiam Sedis Apostolicæ reservationes possent. Sed exiguam vim Argumentum hoc habet; cùm enim Permutationes, ut *n.* 71. dicetur, fieri nequeant, nisi cura istorum, & quorum aliàs interest, consensu, non est periculum, ne illi lædantur in suis Juribus. Hinc meritò regulæ loco à DD. traditur, Beneficia, in quibus permutantes certum jus quæsitum habent, ordinariè omnia permutari posse: & ratio est, quia Jura in hoc nihil distinguunt, & propterea neque nos debemus distinguere; & quod non reperitur prohibitum, censeri debet esse concessum.

Proceditque hoc 1. etiamsi permutans Beneficii illius, quod permutat, possessionem nondum acceperit *c. si tibi absenti* 17. *de Præbend. in* 6. & notant Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 17. *n.* 6. Barbos. *l.* 3. *Jur. Eccl. c.* 15. *n.* 164. Passerin. *in c. un. h. tit. in* 6. *n.* 47. Honor. *hic n.* 18. Vviest. *n.* 28. nam ut valeat Permutatio, sufficit, quòd permutans habeat jus in re, quod accipit per collationem acceptatam, licèt nondum habeat Beneficii permutandi possessionem.

Procedit 2. etiam in Beneficiis Manualibus; nam etiam hæc permutari possunt. Azor. *p.* 2. *l.* 7. *c.* 29. *q.* 9. Passerin. *in c. un. h. tit. in* 6. *n.* 52. Zoes. *hic num.* 20. Pirh. *n.* 29. Schamb. *num.* 14. Ratio est, quia, qui illa obtinent, habent jus in illis, quamdiu iisdem non privantur, & possunt illa in perpetuum retinere, adeoque nihil est, quod impediat Permutationem.

45 *Procedit* 3. licet sint Commendata: ubi tamen distinguendum est, an data sint in Commendam perpetuam, vel temporalem: *illa* commutari possunt; quia talis Commenda vim tituli habet, ac proinde in effectu idem est, acsi Beneficium ita commendatum collatum fuisset in titulum: *ista* ut commutari possint, opus est, ut interveniat authoritas ejus, qui commendavit; quia cùm Commenda talis titulum non præbeat in Beneficio, hoc revera non est Commendatarii; nemo autem, nisi rem suam, permutat. Abb. *in c. cùm olim* 7. *h. tit. num.* 3. Azor. *c.* 29. *cit. q.* 11. Zoes. *n.* 21. Pirh. *n.* 29.

46 Dub. 1. quænam Beneficia cum aliis permutari non possint? Resp. 1. permutari non possunt *Beneficia unita* alicui Ecclesiæ, Monasterio, vel alteri Beneficio. Azor. *p.* 2. *l.* 7. *c.* 29. *q.* 7. Garc. *p.* 11. *de Benef. c.* 4. *num.* 23. Pal. *tr.* 13. *D.* 6. *p.* 3. §. 2. *n.* 9. Zoes. *hic num.* 29. Pirh. *n.* 30. Schamb. *num.* 14. Vviest. *num.* 29. *Proceditque hoc*, sive unio jam sit sortita effectum, sive antequam effectum sortita sit; nam si effectum sortita est, hoc ipso extinctus est ejus titulus, & accessit Ecclesiæ, cui unitum est, ac proinde sicut conferri, ita & permutari non ampliùs potest, nisi dissolvatur unio, vel Beneficium, cui unitum est, cum alio permutetur. Si verò nondum unio sortita effectum est; permutatio cederet in præjudicium Ecclesiæ, Monasterii &c. cui unitum est; quia impediret effectum unionis, & faceret, ut Beneficium obveniret alteri permutantium, quod tamen vi unionis obvenire debuisset Ecclesiæ, Monasterio &c.

47 2 *Beneficia reservata Summo Pontifici*: quod intellige, non simpliciter, sed accommodè, sc. authoritate Ordinariorum, aut alia Papa inferiore; nam ut ejusmodi Beneficiorum permutatio teneat, fieri debet authoritate Papæ, cui sunt reservata. Azor. *c.* 29. *cit. q.* 10. Passerin. *in c. un. h. tit. in* 6. *n.* 25. Zoes. Pirh. Schamb. *l. citt.* Ratio est, quia Beneficia permutata debent conferri permutantibus secundùm dicenda *n.* 79. atqui Beneficia Papæ reservata conferri non possunt, nisi à Papa. ergo nec alius, quàm Papa, permutationem eorum potest admittere. Imò, ut valeat permutatio etiam coram Pont. facta, necesse est fieri mentionem reservationis; aliàs subreptitia erit admissio, utpote non declarata qualitate Beneficii, quæ si fuisset expressa, forsan approbata permutatio non fuisset. Pal. §. 2. *cit. num.* 5.

3 *Beneficia, ad quæ permutans solummodo habet jus personale*, seu ad rem per præsentationem, nominationem &c. quia gratiæ hujusmodi tantùm sunt personales, cons. personam illius, cui concessæ sunt, non excedunt. Abb. *in c.* 7. *h. tit. n.* 4. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 17. *n.* 7. *vers. hinc etiam*. Zoes. *hic n.* 22. Pirh. *num.* 29. *Excipitur*, nisi Ordinarius hujusmodi Permutationem specialiter permittat; tunc enim, ut Less. *l.* 2. *de Just. c.* 34. *n.* 199. advertit, ea prohibita non foret, quòd nuspiam hoc Jure expressum sit: unde si ob justam causam v. g. ad litem componendam, Superioris authoritate interveniente, fieret, id damnari non deberet. 48

4 *Beneficia litigiosa*; quia res litigiosa, quamdiu lis pendet, nequit alienari, & pignori dari, & propriè non est sua, ac propria. Ita *l. citt.* Azor. *q.* 4. Garc. *n.* 20. Passerin. *n.* 46. Zoes. *n.* 23. & reliqui *suprà*.

5 *Beneficia quocunque modo jam amissa*; quia tunc non ampliùs sunt res propria. Zoes. *n.* 24. cum cæteris.

6 *Beneficia solùm exspectata*; quia exspectatio jus non tribuit.

Dub. 2. an permutari Beneficium cum Pensione possit? Resp. cum distinctione: Vel enim pensio illa est temporalis, vel Clericalis, & Ecclesiastica. *Si primum*, cum illa Beneficium permutari ne quidem authoritate Summ. Pont. potest; quia tunc venditur Beneficium pro re merè temporali, quæ est Simonia contra Jus Divinum, ut ex communi docent Passerin. *in c. un. h. tit. in* 6. *n.* 53. Zoes. *hic n.* 26. Pirh. *num.* 29. *in fin.* ubi cum Suario, & aliis notat, etiamsi Papa ejusmodi permutationi authoritatem præstare nequeat, posse tamen cum ejusdem Papæ authoritate licitè fieri, ut pensio temporalis assignetur non in compensationem Beneficii, sed in congruam sustentationem resignantis illud in manibus Papæ. 49

Si secundum, & Pensio sit Clericalis, seu Ecclesiastica, iterum distinguendum est, an illa erecta sit in titulum Beneficii, vel non. *Si in titulum Beneficii erecta est*, permutari cum illa Beneficium potest etiam in manibus Episcopi, vel alterius Prælati Papa inferioris, habentis potestatem admittendi permutationes Beneficiorum; quia cùm hujusmodi Pensio assumat naturam Beneficii, ejus quoque jure censetur. Joan. Andr. *in c. un. cit.* & *de Clem. un.* Zabarell. *q.* 12. *ibid.* Suar. *l.* 4. *Simon. c.* 33. *n.* 2. Zoes. *hic n.* 26. Pirh. *n.* 29. Vviest. *n.* 33. cum communi cæterorum. 50

At si talis Pensio non sit erecta in titulum Beneficii, DD. inter se dissident, nam Paulus Romanus *de Pensionib. c.* 7. §. *venio*, Suar. *c.* 33. *cit. n.* 4. Zoes. Pirh. *l. citt.* cum aliis volunt; ad ejusmodi Permutationem opus esse authoritate Apostolica, ex ratione, quòd Prælatis inferioribus à Jure solùm sit permissa permutatio Beneficiorum inter se. pensio autem talis, licèt Clericalis, & Ecclesiastica sit Beneficium, tamen propriè non est, cùm natura sua nec perpetua sit, nec per Canonicam institutionem conferatur. 51

Sed verisimilius est, etiam Episcopum permutationem Beneficii cum pensione Ecclesiastica, in manibus suis factam, approbare posse, ut Frider. de Senis *de permut. Benef. q.* 18. Barbos. *l.* 3. *Jur. Eccl. c.* 15. *n.* 178. Vviestner *hic n.* 34. & alii docent. Ratio est, quia permutatio Beneficiorum, & facultas eam, si ex causa justa fit facta, approbandi Episcopo competens est favorabilis *Sarg. c. un. cit.* & in Juribus, quæ illam Episcopo adstruunt, Beneficii nomen largè accipiendum est ex mente Gloss. *in c. un. cit. V. Beneficia*, ita, ut etiam Pensiones Ecclesiasticas comprehendat. 52

Ex quo ruit Argumentum adversæ sententiæ; quamvis enim hujusmodi Pensiones Beneficium verè non sint, tamen iisdem æquiparantur, cùm instar Beneficii competant soli Clerico, & jus percipiendi reditus temporales in Spirituali officio fundatum habeant.

Dub. 3. an permutari possit Beneficium cum alio Jure spirituali diversi Ordinis, e. g. cum jure Patronatus, decimandi &c. 2. an unum Beneficium cum pluribus, vel plura cum uno? 3. an inæqualia vel quoad spiritualia, vel in temporalibus? 53

Ad 1. respondeo negativè. Ita Azor. *p.* 2. *l.* 7. *c.* 29. *q.* 22. Suar. *l.* 4. *de Simon. c.* 31. *n.* 14. *& seqq.* Pirh. *hic n.* 30. *in fin.* Schambog. *n.* 14. Vviest. *num.* 32. Ratio est, quia

quia Jure Canonico solum permissa est permutatio Beneficii cum Beneficio, non verò cum re alia diversi ordinis, nisi Beneficio æquipararetur, ut *num. præc.* dixi de Pensionibus Ecclesiasticis. *Et procedit* hoc maximè, quando id, quod commutandum esset cum Beneficio, habet aliquid temporale annexum, ob periculum Simoniæ,

54 *Ad* 2. distinguendum est, an plura illa Beneficia compatibilia inter se sint, aut saltem talia, quæ ex concessione Ordinarii, coram quo fit Permutatio, simul obtineri possint: an verò contrà sint incompatibilia, & talia, ut ex dispensatione Sedis Apostolicæ tantùm obtineri simul possint. *Si primum*, permutari potest unum Beneficium cum pluribus, & plura cum uno, sola interveniente authoritate Ordinarii, eam Permutationem admittentis. *Si secundum*, Permutatio eorum fieri nequit sine nova dispensatione Pontificis, quia dispensatio, ex qua unus permutantium plura illa Beneficia obtinet, de persona ad personam non transit. Azor. *c.* 29. *cit. q.* 11. Passerin. *in c. un. h. tit. in* 6. *n.* 55. Honor. *hìc n.* 17. Zoes. *n.* 13. Schambog. *n.* 14. Pirh. *n.* 28.

55 *Ad* 3. dicendum, hujusmodi Beneficia inæqualia permutari secum invicem posse. Neque refert, an inæqualia sint in temporalibus, ut quia unum pinguiores reditus habet quam alterum; vel in Spiritualibus, quòd unum Curatum sit, alterum simplex, unum adjunctam Dignitatem, Administrationem, aut Officium habeat, alterum non habeat: nam omnium eadem ratio est; quia permutatio solùm fit quoad Spiritualem titulum Beneficii, non attenta Dignitate, vel Præbenda ei annexa, aut reditibus temporalibus, ideoque inæqualitas ista non impedit, quo minùs, accedente Superioris authoritate, commutari possint. Azor. *c.* 29. *cit. q.* 15. Passerin. *n.* 52. Zoes. *n.* 14. Konig *n.* 7. cum *citt.* Sed hinc ulteriùs in praxi non rarò occurrens controversia, &

56 Dubium 4. est, an si Beneficia permutata sint inæqualia, excessus unius pecunia, vel alia re temporali compensari possit? *Certum est*, non posse compensationem hujusmodi fieri, si Beneficia permutata sint inæqualia in Dignitate, Titulo, vel Officio Spirituali: & hoc verum est, etiamsi ejusmodi supplementum, & compensatio fiat authoritate Superioris. Abb. *in c.* 6. *h. tit. num.* 3. Sylv. *V. permutatio* 2. *q.* 6. Suar. *l.* 4. *de Simon. c.* 34. *num.* 3. Pirh. *hìc num.* 31. Schambog. *numer.* 15. Ratio est, quia venderetur spirituale pro temporali, saltem ex parte; cons. committeretur Simonia non tantùm contra Jus positivum, sed etiam contra Divinum, & naturale. atqui Superior vitium Simoniæ contra Jus Divinum, & naturale non potest tollere. ergo &c. Estque perinde, quænam res detur in commutationem tituli spiritualis, modò ea temporalis sit, & pretio æstimabilis. *Ex quo sequitur*, committi Simoniam, si Beneficium dignius, & tenuius commutetur cum pinguiore, sed minùs digno, ea intentione, ut excessus dignitatis in uno compensetur per excessum fructuum in altero, ut bene notat Pirh. *l. cit.* ubi tamen advertit, ejusmodi intentionem, si purè, ac nudè ejusmodi permutatio fiat in manibus Superioris, non præsumi in foro etiam externo; quia in dubio semper præsumendus est actus factus bona intentione, quamdiu de mala non constat.

57 *Difficultas est*, an compensatio hujusmodi fieri possit, quando Beneficia permutata sunt inæqualia quoad temporalia, quòd unum sit pinguius altero? Posse hujusmodi compensationem fieri authoritate etiam Episcopi, vel alterius Ordinarii, putant Abbas, Cajetanus, & nonnulli alii *citt.* à Barbos. *in c.* 6. *h. tit. num.* 1. Nituntur 1. textu *c. ad quæstiones* 6. *h. tit.* ubi Clemens III. approbat Permutationem unius Ecclesiæ cum alia, quam admisit Episcopus, & in qua permisit, inæqualitatem possessionum eis annexarum pecunia reduci ad æqualitatem. 2. Episcopus ex justa causa Ecclesiis, & Beneficiis Ecclesiasticis imponere pensionem potest, ut dictum est *suprà Tit.* 12. *n.* 6. videtur autem justa causa, quando Beneficium pinguius permutatur cum tenuiore. ergo in hoc casu potest Episcopus partem fructuum uni detrahere, & assignare alteri inæquales habenti reditus. 3. si hujusmodi compensatio fieri non posset, id maximè esset ob periculum labis Simoniacæ. atqui hac carere compensatio ista videtur, cùm intentio contrahentium sit pecuniam dare, non pro Beneficio, quatenus quid spirituale est, sed solùm quatenus habet reditus temporales.

58 Sed his non obstantibus, dicendum, nulla authoritate Superioris Papa inferioris hujusmodi permutationem, & compensationem licitam reddi posse. Ita Sot. *l.* 9. *de Just. c.* 5. *art.* 2. Redoan. *de Simon. p.* 2. *c.* 14. *in fin.* Navar. *Man. c.* 23. *n.* 100. *vers. tertiò*, Suar. *l.* 4. *de Simon. c.* 34. *n.* 10. Fill. *tr.* 45. *c.* 7. *q.* 11. Reginald. *prax. l.* 23. *num.* 264. Barbos. *l.* 3. *Jur. Eccl. c.* 15. *n.* 181. Gonzal. *in c. fin. h. tit. num.* 3. Zoes. *hìc n.* 8. Engl *num.* 4. Pirh. *n.* 32. Schambog. *n.* 15. Konig *n.* 8. Vviest. *n.* 37. Clariss. P. Schmier *c.* 5. *de Pact. & Contract. n.* 71. Sumitur 1. *arg. can. si quis objecerit* 7. *caus.* 1. *q.* 3. ubi Paschalis Papa, *Qui connexorum*, inquit, *alterum vendit sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit*. atqui jus percipiendi reditus temporales Ecclesiasticis Beneficiis annexum est authoritate Sedis Apostolicæ, qua Parochiales, aliique Beneficiales tituli instituti sunt; & hoc jus verè vendit is, qui excessum pinguioris Beneficii redimi pecunia, vel alia re pretio æstimabili patitur. igitur eandem etiam pro titulo Spirituali, & ipso Beneficio censebitur recipere: quod Simoniacum est, ut ex ipsa Simoniæ definitione patet. 2. si hujusmodi permutationes fieri possent sine Sedis Apostolicæ authoritate, etiam licitum esset simpliciter alicui resignare Beneficium, non ex causa permutationis, dando illi gratis titulum spiritualem, sed vicissim recipiendo ab ipso pecuniam in compensationem redituum Beneficialium, saltem quatenus excedit reditus necessarios ad congruam sustentationem. atqui hoc Simoniacum, & illicitum est, ut omnes concedunt, & probat ratio; quia tali casu venderentur reditus illi, ut annexi titulo spirituali, adeoque ipse etiam titulus Spiritualis Beneficii, cui consequenter annexi sunt. ergo &c. 3. resignatio Beneficii cum pensionis, sive portionis fructuum reservatione non potest fieri, nisi in manibus Papæ, eam approbantis. talis est hujusmodi permutatio. ergo &c.

Dixi autem: *Nulla authoritate Superioris Papa inferioris*, nam Papæ authoritate fieri hujusmodi permutatio, & compensatio potest, ut omnes facile concedunt. Sed quomodo hoc fieri possit, difficile est explicare. *Et ratio difficultatis* oritur ex dictis *n. præc.* ideo enim Episcopus, & alii Superiores Papa inferiores hujusmodi permutationem non possunt admittere, quia per ejusmodi compensationem censeretur venditus ipse titulus spiritualis. sed si hoc verum est, neque Pontifex potest eam admittere, quia vendere titulum Spiritualem pretio temporali est Simonia prohibita Jure Divino, & naturali, in quo Pontifex dispensare non potest. Sed hæc difficultas occurrit etiam in materia Voti, & Juramenti, in quibus omnes admittunt Pontificem dispensare posse non propriè, sed impropriè. Idem igitur dicendum in quæstione præsenti, sc. in hoc casu, quando Pontifex admittit hujusmodi permutationem, & compensationem, eundem dispensare in Jure Divino impropriè, mutando materiam, & partem redituum separando à pinguioris Beneficii titulo, illamque applicando ei, qui tenue Beneficium recipit, & pingue dimittit in sustentationem ejusdem: perindeque erit, sive pars ista solvatur in fructibus, sive in pecunia, aut alia re pretio æstimabili. Pirh. *hìc n.* 34. qui addit, etiam Papam non solere hoc ordinariè permittere in permutatione Beneficiorum; quia periculum est Simoniæ, & mali speciem præbet. 59

Neque aliud probant Argumenta sententiæ oppositæ. *Ad* 1. in textu *c. ad quæstiones cit.* sermo est de Ecclesia, non prout confertur in titulum, sed prout est quædam proprietas Monasterii, & de possessionibus à spiritualis officii titulo omnino separatis, quas ejus possessiones ex justa causa, & adhibita solemnitate Canonica, permutari, & si in una parte sit excessus aliquis, ad æqualitatem compensari posse, dictum est *suprà n.* 37. *Ad* 2. negatur *Minor*: cujus falsitas patet ex *Tit.* 12. *n.* 12. ubi ostendo, intra quos terminos restricta Episcopis sit potestas imponendi Beneficiis pensiones. *Ad* 3. intentio permutantium eos non juvat; neque enim intentione sua separare possunt fructus annexos titulo Spirituali Beneficii ab ipso Beneficio: ac proinde non possunt facere, quo minùs pars illa redituum vendatur, & ematur, quatenus annexa est titulo Spirituali; & cons. ut illa vendita, non etiam censeatur venditus ipse titulus Spiritualis. 60

Quæritur 3. ex qua ratione authoritas Superioris requiratur ad faciendam Beneficiorum permutationem? Resp. causa prohibendi permutationes hujusmodi, factas sine Superioris authoritate, justissima fuit, eaque maximè triplex. 1. quia Beneficia Ecclesiastica sine Canonica institutione licitè obtineri non possunt. *Reg.* 1. *in* 6. ita autem obtinerentur à permutantibus, si absque authoritate Superioris via permutationis de uno Beneficio ad aliud transire possent. ergo &c. 2. non possunt Clerici de 61

ci de Beneficiis suis liberè disponere, sicut de bonis suis patrimonialibus. viderentur autem liberè de illis disponere, si pro libitu permutare illa possent, nulla interveniente authoritate altiori. 3. Ecclesia horret omnes pactiones circa Beneficia, ut patet ex *cap. accepimus* 5. & *cap. fin. de Pact.* atqui permutatio Beneficiorum, sine Superioris authoritate facta, est verè pactio, & talis esse cessat permutatio facta cum Superioris consensu; nam permutantes eo casu resignant liberè, quamvis sub modo, ut Beneficia dimissa conferantur permutantibus. ergo hæc licita, illa illicita erit.

2 *Proceditque hoc* non tantùm quoad Permutationem Beneficiorum quoad titulos, sed etiam quoad Præbendas iis connexas, ut rectè notat Suar. *l.* 4. *de Simon. c.* 32. *n.* 16. *&* 17. Vivian. *in c.* 5. *h. tit. pr.* Barbos. *ib. n.* 5. Pirh. *hic n.* 23. quia prohibitio Juris est generalis, & sine omni exceptione. Accedit, quia Præbendæ à titulis separari propria permutantium authoritate nequeunt, neque enim Canonicus e. g. jus percipiendi fructus Præbendæ habet, nisi propter spiritnale officium, ad quod tenetur ratione tituli: sicut igitur titulum permutare non potest authoritate propria, ita nec Præbendam annexam titulo.

3 Dub. 1. an sicut permutare Beneficia sua, irrequisito Superiore, Beneficiarii nequeunt, ita etiam prohibitum illis sit antecedenter inter se de ea facienda tractare, & convenire? Resp., non esse prohibitum, modò hujusmodi tractatio, & conventio non fiat absolutè, & ita, ut illam statim pro rata, ac firma habeant, sed referant eandem in futurum consensum legitimi Superioris, in cujus manibus resignare Beneficia sua velint. Ita Gloss. *in Clem. un. V. volentibus h. tit.* Abb. *ibid. n.* 5. *& in c.* 5. *eod. n.* 10. Sylv. *V. permutatio q.* 3. Garc. *p.* 11. *de Benef. c.* 4. *n.* 56. Bonacin. *de Simon. q.* 4. §. 12. *n.* 5. Barbos. *l.* 3. *Jur. Eccl. c.* 15. *n.* 162. Vivian. *in c.* 5. *cit. vers. possunt tamen*, Vvagn. *ibid. V. præsertim not.* 2. Gonzal. *in c.* 7. *n.* 4. Passerin. *in c. un. in* 6. *n.* 5. Vallens. *hic n.* 4. Zoes. *n.* 7. Honor. *n.* 7. Pirh. *n.* 21. Schamb. *n.* 10. Konig *n.* 11. Vviestner *n.* 21. Clariss. P. Schmier *c.* 5. *de Pact. & contract. n.* 63.

Ratio est, quia ejusmodi tractatus prævius videtur esse necessarius ad permutationem ritè faciendam, quippe sine qua partes de modo, quo illam coram Superiore fieri cupiunt, nunquam, aut saltem non tam facilè convenirent. atqui concessa re aliqua, concessa etiam censentur omnia, sine quibus illa commodè expediri, vel obtineri nequit. ergo cum permissa à Jure sit permutatio, accedente authoritate Superioris, permissus etiam censebitur tractatus prævius. Accedit, quia ejusmodi tractatus, & conventio, relata in Superioris consensum, non permutatio, sed via ad illam est, cùm ante ejus consensum perfecta non sit, neque effectum habeat. igitur non apparet, ex quo capite prohibita, vel irrita sit.

Imò ut rectè Suar. *l.* 4. *de Simon. c.* 32. *n.* 7. Reginald. *l.* 23. *n.* 262. Bonacin. §. 12. *cit. n.* 6. Barbos. *c.* 15. *cit. num.* 163. Zoes. & Pirh. *ll. citt.* notant, permutaturi Beneficia non tantùm convenire inter se de permutatione facienda, sed etiam obligare se possunt, quòd non velint eam revocare, sed stare conventione inita, nisi casu, quo Superior consensum suum negaret; talis enim conventio nuspiam reperitur prohibita.

Dub. 2. cujus Superioris authoritate Permutatio facienda sit? Resp. authoritatem permutationi Beneficiorum præstare potest. 1. Summus Pontifex; nam hic concurrentem cum omnibus Episcopis, & Ordinariis Jurisdictionem habet.

2 Episcopus proprius loci, in quo Beneficium situm est *c. quæsitum* 5. *h. tit.* Si ex Beneficiis permutandis unum subjectum sit uni Episcopo, & alterum alteri, authoritatem Permutationi eorum præstare debet uterque Episcopus. Poterit tamen eo casu ad majus commodum, & facilitatem alter eorum vicem suam, & potestatem admittendi Permutationem, & permutata conferendi permutantibus committere alteri Episcopo, ut omnia procedant coram uno, eodemque. Gloss. *in c. un. h. tit. in* 6. Barbos. *l.* 3. *Jur. Eccl. c.* 15. *num.* 174. Konig *hic n.* 11.

5 3 Capitulum Sede vacante: ubi tamen distinguendum est; nam etsi admittere possit permutationes Beneficiorum, quæ ad suam solius, vel suam simul, & Episcopi collationem spectant, non tamen potest admittere permutationem aliorum Beneficiorum, quorum collatio ad Episcopum solum spectat. Azor *p.* 2. *l.* 7. *c.* 29. *q.* 4. *vers. deinde dubitatur*, Garc. *c.* 4. *cit. n.* 80. Barbos. *l.* 3. *Jur. Eccl. c.* 15. *n.* 176. Passerin. *in c. un. in* 6. *n.* 35. Leur. *for. Benef. p.* 2. *q.* 713. *n.* 1. Honor. *hic n.* 11. Pirh. *n.* 27. *not.* 5. Vviest. *n.* 23. *Excipitur*, nisi causa permutandi sit necessaria, vel Capitulum sit in quasi possessione Juris conferendi, & admittendi renunciationes Beneficiorum, pertinentium ad collationem solius Episcopi.

4 Prælati, qui distinctum habent territorium, ab Ordinarii Jurisdictione exemptum, in quo ipsi Jurisdictionem absolutam, & independentem ab Episcopo exercent. Azor *c.* 29. *cit. q.* 4. Suar. *l.* 4. *de Simon. c.* 32. *n.* 14. Garc. *p.* 11. *de Benef. c.* 4. *n.* 70. Gonz. *in c.* 7. *h. tit. n.* 8. cum *citt.* quia admissio Permutationis non est actus Ordinis, sed Jurisdictionis Episcopalis: & idcirco competit etiam Episcopo nondum consecrato.

Dub. 3. an authoritatem permutationi Beneficiorum præstare possint etiam alii Prælati, qui etsi Jurisdictionem quasi Episcopalem non habeant, jus tamen conferendi, vel instituendi in Beneficia sibi subjecta habent? 67
Affirmant Angel. *V. permutatio n.* 5. Sylv. *V. permutatio* 2. *q.* 2. Sot. *l.* 9. *q.* 5. *art.* 2. *& q.* 7. *art.* 2. quos refert, & non obscurè sequitur Pal. *tr.* 17. *D.* 3. *p.* 15. *n.* 5. Argumentum ducitur ex *c. un. h. tit. in* 6. ubi permittitur Episcopis instituere permutationes Beneficiorum, spectantium ad suam collationem, igitur à sensu contrario, si collatio Beneficii non ad Episcopi, sed aliorum, etiam inferiorum, collationem jure speciali pertineat, permutationes hujusmodi sine consensu ordinarii Collatoris fieri non possunt, talis autem Collator potest esse Prælatus inferior carens Jurisdictione Episcopali; ergo tali casu hujus consensus requiritur; si autem hoc verum est, videtur ejus consensus, & approbatio ad permutationem sufficere: ergo &c.

Sed etsi sententia hæc, teste Suar. *l.* 4. *de Simon. cap.* 23. *num.* 14. sit valde probabilis, in praxi tamen tutior, communior, & Juri conformior est doctrina, quam defendunt Abb. *in cap.* 5. *hoc tit. num.* 4. Rebuff. *prax. p.* 3. *tit. de permut. num.* 20. Azor. *p.* 2. *l.* 7. *cap.* 29. *quæst.* 4. Garc. *part.* 11. *de Benef. cap.* 4. *numer.* 68. Laym. *l.* 4. *tract.* 2. *cap.* 17. *num.* 6. *vers. altera species*, Gonzal. *in cap.* 7. *hoc tit. num.* 8. *in fin.* Barbos. *in cap.* 5. *eodem num.* 8. 9. *& præcipuè* 13. Vvagn. *ibidem V. commutationes not.* 2. Passerin. *in cap. un. cit. num.* 33. *&* 39. Zoes. *hic num.* 8. Pirh. *num.* 26. Schambog. *num.* 13. Vviest. *num.* 24. & novissimè Clariss. P. Schmier *cap.* 5. *de pact. & Contract. num.* 69. juxta quos inferiores Prælati, qui Jurisdictionem quasi Episcopalem non habent in Clerum, & populum secluso privilegio, & consuetudine legitimè præscripta, non possunt admittere hujusmodi permutationes, sed requiritur interventus authoritatis, seu approbationis Episcopalis. 68

Ratio est, quia resignationis admissio pertinet ad eum, qui habet potestatem destituendi; nec enim fit sine destitutione, atqui potestas destituendi, secluso Jure speciali eam tribuente, ad Episcopum, non ad Prælatos inferiores pertinet *cap. admonet* 4. *de renunt. & c. cum ex injuncto* 12. *in fin. de Hæretic.*

Ad argumentum adversæ sententiæ, etsi tali casu non Episcopus, sed Collator inferior instituere permutantes in Beneficiis permutatis possit, non tamen sequitur, quòd etiam permutationi authoritatem præstare possit. Ratio est, quia institutio, & collatio Beneficiorum sunt actus Jurisdictionis voluntariæ; destitutio autem, quam, ut dixi, admissio Permutationis involvit, necessariæ, & contentiosæ, atqui ex eo, quòd alicui competat Jurisdictio voluntaria, non sequitur, quòd etiam eidem competat Jurisdictio necessaria, & contentiosa: ergo neque à Jure instituendi, & conferendi bene ducitur argumentum ad jus admittendi permutationes Beneficiorum, sed aliter probari hoc debet; aliàs in eo intentionem fundatam habebit Episcopus. 69

Dub. 4. quid requiratur, ut Episcopus, vel alius Prælatus, potestatem admittendi permutationes habens, legitimè eisdem authoritatem præstet? Resp. 1. Beneficia debent esse sita in ipsius Diœcesi; nec enim sufficit, si jus conferendi habeat: nam si illud situm sit extra Diœcesin, etsi conferre illud ex consuetudine, vel alio Jure speciali possit, authoritatem tamen præstare permutationi ejusdem nequit, sed hoc spectat ad Episcopum loci, in quo Beneficium situm est, ut bene notat Garc. *part.* 11. *de Benefic. cap.* 4. *num.* 71. Et hinc, quando unum Beneficium ex permutandis situm est in una Diœcesi, alterum in alia, ut *suprà num.* 65. monui, opus est, ut intercedat authoritas utriusque Episcopi, cujus Jurisdictioni subjecta sunt. 70

2 Requiri debet consensus illorum, qui jus nominandi, præsentandi, eligendi, & maximè conferendi Beneficia permutanda habent. Abb. *in cap.* 5. *hoc tit. n.* 9. 71

num. 9. Garc. *cap.* 4. *cit. num.* 72. Barbof. *l.* 3. *Jur. Eccl. cap.* 15. *num.* 182. Henr. Canif. *Summ. l.* 3. *tit.* 8. §. 2. Gonzal. *in cap.* 7. *hoc tit. numer.* 8. *in fin.* Pafferin. *in cap. un. eodem in* 6. *num.* 38. Zoef. *hic numer.* 12. Engl. *num.* 5. Pirh. *num.* 25. Konig. *num.* 11. Vvieft. *num.* 26. Ratio eft, quia in actibus, qui aliorum Juribus præjudicare poffunt, Jure communi requiri debet confenfus eorum, quorum intereft: intereft autem eorum, quibus jus nominandi, præfentandi, eligendi, &c. ad Beneficia permutanda competit: ergo &c. Eftque hoc ita verum, ut permutatio, fine iftorum confenfu facta, fit ipfo Jure invalida, vel faltem ad petitionem ipforum irritanda, ut docet Roch. de Curt. *de jur. patron. V. honorificum num.* 8. Lambertin. *lib.* 2. *de jure patron. part.* 3. *qu.* 2. *art.* 2. *num.* 4. Flamin. *l.* 2. *de refign. quæft.* 4. *à num.* 16. Leff. *l.* 2. *de Juft. cap.* 34. *numer.* 198. Pafferin. *num.* 41. Honor. *hic num.* 13. & reliqui fuprà. Si tamen ifti in permutationem, ex jufta caufa faciendam, confentire fine rationabili caufa nollent, ea nihilominus approbari, admittique ab Ordinario poterit, ut cum *citt.* rectè advertunt Abb. *in cap.* 5. *cit. num.* 9. Azor. *p.* 2. *l.* 7. *cap.* 29. *quæft.* 32. Garc. *par.* 11. *de Benef. cap.* 3. *num.* 19. & 21. Vvagn. *in cap.* 5. *cit. V. commutationes not.* 3.

72 3 Si Epifcopi permutare velint Beneficia, quæ ipfi ex difpenfatione Apoftolica poffident in fua Diœcefi, debent permutationem inftituere coram Metropolitano, qui quoad hoc eft Superior ipforum, & loco Epifcopi Ordinarii. Suar. *l.* 4. *de Simon. c.* 32. *n.* 9. Barbof. *l.* 3. *jur. Eccl. c.* 15. *n.* 177. Pirh. *hic n.* 27.

4 Non poteft Permutatio Beneficiorum coram Ordinariis fieri, nifi inter duos, quorum unus fuum Beneficium cedit alteri, ut fibi alius fuum viciffim cedat; nam Refignationes triangulares, & quadrangulares coram Ordinariis omnino prohibitæ funt, quòd verè permutationes non fint, fed potiùs refignationes in favorem, quas proinde folus Pontifex poteft admittere, ut dictum eft *Libr.* 1. *Tit.* 9. *n.* 26. & 27.

5 Beneficia permutanda debent effe talia, quæ fint permutationi obnoxia, h. e. non unita alteri Ecclefiæ, vel Beneficio, non refervata &c. fecundùm dicta *n.* 46. & *duob. feqq.*

73 Dub. 5. an Permutationem impediat Gratia Exfpectativa, quam tertius in beneficio permutando, vel in genere ad primè vacaturum habet? Ratio dubitandi eft, quia habenti Gratiam exfpectativam debet conferri beneficium, quando id vacat: vacat autem, quando id permutaturus refignat: ergo &c.

Sed adhuc dicendum, ejufmodi Gratiis exfpectativis non obftantibus, beneficia, ad quæ datæ funt, permutari poffe. Ita Azor *p.* 2. *l.* 7. *c.* 30. *q.* 8. Flores *var. l.* 1. *q.* 13. *n.* 20. Vivian. *in c. un. hoc tit. in* 6. *pr.* Pafferin. *ibid. n.* 1. & *feqq.* Barbof. *l.* 3. *jur. Eccl. c.* 15. *n.* 168. Zoef. *hic n.* 28. Schamb. *n.* 18. & ftatuitur *c. un. h. tit. in* 6. ubi Bonifacius VIII. voluit, ut permutationes beneficiorum, liberè, & fine fraude factæ, ab ejufmodi Gratiis exfpectativis non impediantur. *Ratio eft*, quia licèt hæc beneficia verè vacent, non tamen vacant aliter, quàm ex caufa permutationis, quæ facta non effet, fi permutantes fciviffent, unum ex illis prætenfum iri ab habente Gratiam exfpectativam, ut fic æquitas rigori Juris fit præferenda.

74 Dixi autem fine fraude; nam fi permutatio in fraudem, & præcisè ad excludendum Exfpectantem fuiffet facta; poffet ifte unum ex beneficiis permutatis petere, perinde, ac fi vacaffet per mortem, vel refignationem fimpliciter factam, ut colligitur ex *c. un. cit.* & notat Gloff. *ibid. in cafu*, & *V. fine fraude*. Neceffe tamen eo cafu erit probari fraudem, quæ non cenfebitur fatis probata ex eo, quòd habens beneficium tenue permutet cum habente beneficium pingue, vel Clericus juvenis cum fene; fed fortiora indicia debent concurrere, quale effet, fiquis permutaret beneficium tenue cum pingui proximè vacaturo, quia v. g. alter permutans eft morti vicinus, vel fi permutatio fiat inter Confanguineos &c. Rebuff. *prax. tit. de Permut. n.* 42. & *feqq.* Azor *p.* 2. *l.* 7. *c.* 29. *q.* 30. Pirh. *hic n.* 36.

75 *Neque obftat ratio dubitandi*; etfi enim de rigore Juris unum ex beneficiis refignatis ex caufa Permutationis conferri deberet habenti Gratiam exfpectativam ad beneficium proximè vacans, tamen ex æquitate hujufmodi Gratiæ exfpectativæ refignationes beneficiorum, ex caufa permutationis factas, impedire non debent, cum, uti dictum eft, refignatio non fit facta, nifi caufa permutandi.

Neque dici poteft, quòd Exfpectanti ullum fiat præjudicium, etfi ipfo neglecto, beneficia conferantur permutantibus; quia, ut ftatuitur *Clem. un. hoc tit.* & *infrà n.* 79. dicetur, beneficia vacantia ex caufa permutationis debent conferri permutantibus, & nifi hoc fiat, reftitui iifdem debent, & alii, quàm ipfis facta Collatio irrita eft: igitur nihil juris Exfpectans habet in beneficia, quæ ex caufa permutationis vacant; conf. etfi permutantibus conferantur, nullum Exfpectanti fit præjudicium.

Quæritur 4. qualis requiratur, & fufficiat caufa ad faciendam beneficiorum Permutationem? Refp. requiritur caufa jufta neceffitatis, vel utilitatis, ut habetur *c. quæfitum* 5. *hoc tit. in fin.* Ratio eft, quia cùm permutatio beneficiorum fit Jure prohibita, præftat, ne prohibitio hæc relaxetur, nifi jufta, & legitima caufa intercedente, non videtur autem poffe effe alia, quàm neceffitas, vel utilitas Ecclefiæ: ergo &c. 76

Ex quo fequitur non fufficere folam utilitatem, aut neceffitatem ipforum permutantium, nifi hæc in Ecclefiam faltem indirectè redundet. Pafferin. *in c. un. hoc tit. in* 6. *n.* 31. Ita autem redundare in eam cenfetur, fi Parochus, vel alius Beneficiatus in loco difficulter commoretur propter intemperiem aeris valetudini fuæ adverfantis; fi populus ab eo fit averfus, nec adeo citò fperetur reconciliatio; fi linguam, qua populares ibidem utuntur, non calleat &c. quia fic meliùs alibi DEO ferviet, & fervietur Ecclefiæ, qua decedit, per eum, cum quo permutat, modò ifte idoneus fit. Garc. *p.* 11. *de Benef. c.* 4. *à n.* 45. Pal. *tr.* 13. *D.* 6. *p.* 3. §. 1. *n.* 4. Barbof. *in c.* 5. *hoc tit. n.* 11. Gonz. *ib. n.* 3. Pirh. *hic n.* 25. Vvieft. *n.* 17. Clariff. P. Schmier *c.* 5. *de Pact. & Contract. n.* 61.

Dub. 1. an aliquando Epifcopus, vel alius Superior Ecclefiafticus Clericum poffit motu proprio ab una Ecclefia transferre ad aliam, vel illum cogere ad faciendam permutationem? Refp. poffe, fi utilitas, vel neceffitas Ecclefiæ ita fuadeat, v. g. quia minùs idoneus eft ad adminiftrandum, vel quia caufavit fcandalum in populo, inimicitias, & perfecutiones patitur &c. Abb. *in c. quæfitum* 5. *hoc tit. n.* 7. & 8. Flamin. *l.* 5. *de refign. q.* 3. *n.* 153. & *feqq.* Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 17. *n.* 6. *verf. altera*, Engl *hic n.* 6. Konig *n.* 7. Et fufficit ad translationem hujufmodi faciendam (quod etiam dicendum de Permutatione fpontanea) fi caufa hujufmodi adfit ex parte permutantis unius, & permutatio alteri non fit perniciofa. Garc. *p.* 11. *de Benef. c.* 4. *n.* 49. Barbof. *l.* 3. *Jur. Eccl. c.* 15. *n.* 172. Pal. *tr.* 13. *D.* 6. *p.* 3. §. 1. *n.* 4.

Dub. 2. an ad Permutationem faciendam, & admittendam fufficiat fubeffe caufam? Refp. non fufficere: fed etiam allegari à permutantibus debet, & ab Ordinario examinari, an jufta fit; aliàs difpenfatio nulla erit, utpote in Lege Superioris abfque caufæ cognitione. Quod à fortiori procedit, ftante *Conftit. S. Pii V.* 58. *verf. ad hæc*, ubi Ordinariis conceditur poteftas admittendi permutationes, quæ Canonicis Sanctionibus, & Apoftolicis Conftitutionibus permittuntur, & fi fecus factum fuerit, iritæ effe decernuntur, at nullæ aliæ Permutationes Canonicis Sanctionibus funt permiffæ, nifi eæ, quæ cedunt in neceffitatem, & utilitatem Ecclefiæ, agnitam ab Ordinario eas approbante. ergo &c. Eftque hoc adeo verum, ut etiam Superiori teftanti adeffe caufam ad permutationem faciendam, fides adhibenda non fit, nifi caufæ cognitionem præmiferit, ut ex Decio, Alciato, & aliis docet Harc. *p.* 11. *de Benef. c.* 4. *à n.* 54. Pal. *tr.* 13. *D.* 6. *p.* 3. §. 1. *n.* 5.

Dub. 3. an Beneficia, ex caufa Permutationis refignata, aliis Clericis, quàm permutare volentibus conferri poffint? Refp. hic diftinguendum eft inter Jus antiquius *Clement. un. hoc tit.* & inter Jus per *citam Clem.* introductum; nam ante decifionem iftius *Clem.* Prælatus, coram quo facta eft Beneficii refignatio caufa permutationis, Summo Juris rigore, feclufa æquitate, ita liberè poterat conferre beneficium, cui fic renuntiatum fuit, ac fi vacaret ex pura renuntiatione. Covar. *l.* 1. *var. c.* 5. *n.* 5. Barbof. *l.* 3. *Jur. Eccl. c.* 15. *n.* 167. Pirh. *hic n.* 18. 77

Poft *Clem. cit.* autem, fi Superior, vel Prælatus ad quem hoc fpectat, renuntiationem Beneficiorum caufa Permutationis admifit, conferri illa debent ipfis permutantibus, non aliis Clericis: & fi aliis Clericis conferantur, facta illorum collatio eft nulla, & irrita, prout ftatutum habetur *Clem. cit.* & docet *ib.* Gloff. *V. conferantur*, Vivian. *ibid. in ration.* Leff. *l.* 2. *de Juft. c.* 34. *n.* 197. Garc. *p.* 11. *c.* 4. *n.* 85. Barbof. *c.* 15. *num.* 166. Leuren. *p.* 2. *For. benef. q.* 713. *num.* 1. Honor. *hic n.* 16. Vallenf. *n.* 5. Zoef. *n.* 30. Engl *n.* 5. *verf. forma*, Pirh. *n.* 17. Konig *n.* 7. Vvieft. *n.* 21. Ratio eft, quia permutantes non omnino abfolutè refi-

resignat, sed adjecto modo, ut permutantibus beneficia resignata conferantur, quia spe sua frustrarentur, si eadem conferrentur aliis. Non tamen necesse est, ut resignationes ab utroque permutante, vel collationes ipsis simul, & eodem tempore fiant; sed possunt fieri ex intervallo, præsertim quando sunt in diversis Diœcesibus, adeoque resignari debent coram diversis Episcopis, & ab ipsis conferri. Rebuff. *prax. p.* 3. *tit. de permutat. numer.* 36. Azor *p.* 2. *l.* 7. *cap.* 29. *q.* 28. Less. *num.* 197. *cit.* Pirh. *num.* 18. *not.* 2.

80 Dub. 4. an si resignatione ab uno jam facta, alter permutantium nolit, vel non possit vicissim beneficium suum resignare, adeoque permutationem complere, is, qui resignavit, possit beneficium suum repetere? Resp. affirmativè. Colligitur ex *c. cùm universorum* 8. *hoc tit.* Ratio est, quia qui resignavit, non absolutè, & simpliciter resignavit, sed sub modo, ut cum alterius beneficio permutetur: ergo hoc non servato, repeti beneficium resignationis poterit per condictionem, causa data, & non secuta.

An vero hoc casu nova Collatione sit opus, vel propria authoritate resignans ad beneficium resignatum redire possit, controversia est inter DD. Abb. *in c.* 8. *cit. n.* 8. Rebuff. *prax. p.* 3. *tit. de permut. num.* 11. *&* 16. Garc. *p.* 11. *de benef. c.* 4. *num.* 5. Gonzal. *ad Reg.* 8. *Gloss.* 15. §. 2. *n.* 40. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 17. *num.* 7. *vers. hinc etiam*, Barbos. *l.* 3. *Jur. Eccl. c.* 15. *n.* 169. Passerin. *in c. un. hoc tit. in* 6. *n.* 16. Zoes. *hic n.* 32. Honor. *n.* 28. Pirh. *num.* 16. Schamb. *num.* 7. & alii plures existimant, tali casu opus esse nova Collatione beneficii sic resignati. *Fundantur* 1. quia per resignationem factam, licèt ex causa permutationis beneficium resignatum verè vacat, cùm possit post resignationem alteri conferri, ut colligitur ex *Clem. un. hoc tit.* ergo ita resignans amisit titulum beneficii: sed si amisit, non potest illud denuo occupare authoritate propria citra vitium intrusionis: ergo &c. 2. si in casu permutationis unus ex permutantibus, collatione jam alteri facta, decedat, superstiti ad beneficium à se resignatum regressus non datur: ergo nec dabitur casu, quo uterque superstes est, & uterque causa permutationis renuntiavit beneficium suum. 3. si unus permutationis causa tradidit rem suam alteri, alter verò nolit vicissim rem suam tradere, non est locus vindicationi rei, sed condictioni, quasi re non secuta, *l. sicut* 1. §. *fin. ff. hoc tit.* igitur rei ita traditæ dominium translatum est in accipientem; nemo enim rem suam potest condicere §. *sic itaque* 14. *Inst. de action.*

81 Sed etsi sententia hæc satis communis, & tutior sit, benignior tamen, & communior est contraria, quam defendunt Gloss. *in c. cùm universorum cit. V. simplicitati*, Innoc. *in c. inter cætera* 17. *de Præbend. pr.* Joann. Andr. *in c. un. h. tit. in* 6. *n.* 2. Flamin. *l.* 1. *de resign. q.* 14. *n.* 12. *& seqq.* Azor *p.* 2. *l.* 7. *cap.* 29. *q.* 21. *vers. altera est*, Tholosan. *Syntagm. l.* 17. *c.* 17. *n.* 33. Cevall. *commun. contr. commun. q.* 561. *à num.* 6. Less. *l.* 2. *de Just. c.* 34. *n.* 136. Vallens. *hic n.* 5. *&* 6. Wiest. *n.* 20. & alii, qui proinde tali casu resignanti regressum ad beneficium sine nova collatione permittunt. Sumitur ex *c. si Beneficia* 20. *de Præb. in* 6. ubi ita resignantibus permittitur, ut *ad Beneficia sua priora liberè revertantur.*

Ratio est, quia non servatis conditionibus jus à resignante non abdicatur, ut pluries decisum à Rota testatur Flamin. *l. cit. n.* 6. & probat ratio, quia actus conditionatus, non impletis conditionibus, perinde, ut non factus habetur *l. si quis sub conditione* 8. *ff. si quis omiss. caus. testam. & l. cedere* 213. *ff. de V. S.* atqui resignatio in nostro casu non est absolutè facta, sed sub conditione si non suspensiva, saltem resolutiva, *Si etiam alter Beneficium suum resignet, & hoc conferatur sibi*, quæ conditio ponitur non fuisse impleta: ergo &c.

82 Neque obstant Argumenta opposita. *Ad* 1. patet ex modò dictis, resignationem unius non esse perfectam, nisi post impletam conditionem, puta, resignationem etiam ab altero factam: conf. ante istam beneficium nec verè dimissum est, nec simpliciter vacat. *Ad* 2. negatur paritas; nam quando beneficium resignatum collatum est alteri ex permutantibus, hic titulum illius jam acquisivit: igitur resignans illum amisit. At si nemini adhuc collatum est, jus ad illud nondum intelligitur plenè abdicatum à resignante; quia sub conditione abdicatum est, quæ non secuta: igitur non erit eidem præclusus regressus liber ad beneficium ita resignatum. *Ad* 3. eadem est responsio; nam per traditionem transfertur dominium & proprietas rei; cujusmodi traditio in casu nostro non supponitur facta.

Dub. 5. an ad valorem permutationis sufficiat, si unus permutantium habeat jus in beneficio? Resp. negativè; requiritur enim, ut uterque habeat jus in beneficio permutato. Rebuff. *prax. p.* 3. *tit. de permut. n.* 9. Garc. *p.* 11. *de Benef. c.* 4. *n.* 19. Pirh. *hic n.* 14. König *n.* 7. Atque hinc 83

Sequitur 1. non valere Permutationem, factam ab aliquo, qui beneficium per Simoniam, vel aliàs sine vero titulo consecutus est; nemo enim potest permutare cum alio, nisi rem suam, vel in qua jus habet *c. cùm venerabilis* 6. *de Except. l. sicut* 1. *ff. hoc tit.* Less. *l.* 3. *de Just. cap.* 23. *num.* 195. Passerin. *in c. un. hoc tit in* 6. *n.* 43.

Sequitur 2. eum, qui obtinuit secundum beneficium incompatibile cum primo, non posse permutare primum cum alio simili; quia illud ipso Jure vacat, ita, ut non ampliùs sit ipsius. Less. Pirh. *l. citt.*

Sequitur 3. eum, qui permutavit beneficium suum cum altero, si deinde resciat, quòd is, cum quo permutavit, in beneficio à se possesso non habuerit jus, aperto vitio, redire ad beneficium suum pristinum posse; quia renunciavit ex causa, quæ non est secuta. Abb. *in c. cum venerabilis cit. n.* 23. Less. Pirh. *l. citt.* Proceditque hoc, etsi permutatio hæc facta sit cum legitima Superioris authoritate; quia Superior non simpliciter, & liberè confert tale beneficium, sed causa permutationis: ergo cùm hæc irrita sit, Superior non habet voluntatem conferendi, Azor *p.* 2. *l.* 7. *c.* 29. *q.* 21. 84

Sequitur 4. invalidas esse Permutationes fictas, qualis contingeret in casu, quo Titius vult resignare beneficium suum in favorem Sempronii, quia autem Sempronius videt, quòd Superior eam resignationem nolit admittere, fingit se habere aliquod beneficium, & hoc dicit se permutare velle cum beneficio Titii. In hoc casu dico, si Superior hanc permutationem admittat, & beneficium Titii Sempronio conferat, collationem fore invalidam. Ita contra Rebuff. *prax. p.* 3. *tit. de permut. num.* 14. docet Gomez *ad Reg. Cancell. de infirm. q.* 19. Less. *l.* 2. *cap.* 34. *num.* 200. 1. quia tales permutationes januam multis fraudibus aperiunt. 2. quia facta sic permutatio non est pemutatio, & conf. nullam vim habet. 3. quia collatio in hac permutatione est per errorem, & fraudem extorta. *Neque refert*, quòd error hic sit circa aliquod extrinsecum; nam etiam talis error, quando est causa Contractus, vel alicujus dispositionis, reddit illam irritam, vel certè in irritum revocabilem. 85

TITULUS XX.

De Feudis.

Alienationibus rerum Ecclesiasticarum, quæ Jure prohibitæ sunt, accensetur etiam Infeudatio illarum; quia licèt per eam non transferatur dominium directum, & plenum, ut fit Permutatione, transfertur tamen utile ab Ecclesia in Vasallum.

§. I.

De Origine, Natura, & Varietate Feudi.

SUMMARIUM.

1 *Origo Feudorum.*
2 *An Consuetudines feudales vim juris habeant?*
3 *Defenditur Affirmativa.*
4 *Quoad Capitula ordinaria tantùm, non extraordinaria.*
5 *Respondetur ad opposita.*
6 *Jus feudale unum est commune, alterum particulare.*
7 *Istud communi derogat.*
8 *Definitio feudi.*
9 10 11 *Ejusdem essentialia.*
12 *Est species Contractus, ubi quæ sit obligatio Domini directi?*
13 *Vasallus ex eo Contractu obligatur primò ad fidelitatem.*
14 *Secundò ad obsequia personalia.*
15 *Tertiò ad curam rei feudalis, & quartò si mutatio fiat, ad petendam renovationem Investituræ.*
16 *Contractus Feudalis est consensualis.*
17 *Nominatus.*
18 *Bonæ fidei.*
19 *In quibus feudum conveniat cum Emphyteusi?*
20 *In quibus ab eadem differat?*
21 *In quibus ab Usufructu?*

22 *Et aliis Contractibus?*
23 *Dividitur Feudum primò in Proprium, & Improprium.*
24 *Secundò in Nobile, & Non nobile.*
25 *Nobile aliud est Regale, & Non Regale.*
26 *Tertiò in Novum, & Vetus.*
27 *Discrimen inter hæc duo.*
28 *Potest conferri Feudum novum cum jure Fundi antiqui.*
29 *Quartò in Ligium.*
30 *Et non Ligium.*
31 *Hujus species est Feudum Francum.*
32 *Quintò in Ecclesiasticum, & Sæculare.*
33 *Quando tale esse censeatur?*
34 *Privilegia Feudi Ecclesiastici.*
35 *Sextò in Masculinum, & Fœmininum.*
36 *Addunt aliqui Mixtum ex utroque.*
37 *Septimò in Hæreditarium Gentilitium, & Mixtum.*
38 *In dubio præsumitur potiùs esse Gentilitium.*
39 *Octavò in perpetuum, & Temporale.*
40 *Nonò in Feudum Cameræ, Cavenæ, & Soldatæ.*
41 *Aliæ Feudorum Species.*

1 QUæritur 1. quæ sit Origo Feudorum? Resp. etsi umbram quandam Feudorum sit invenire apud antiquos Romanos, magis tamen receptum apud DD. est, ea originem suam Longobardis debere, qui ex Germanis orti, Italiam sub Imperatore Justino II. ingressi sunt, & occupata nobilissima ejus parte, Regnum Longobardiæ constituerunt, diuque obtinuerunt; nam cùm bella quotidie vel ab Italis vicinis, vel à Græcis ex Thracia, vel aliunde timerent, agros inter milites capitatim diviserunt pro cujusque virtute, quos dein *Feuda* appellarunt, desumpto nomine vel à *Fœdere*, aut potiùs *Fide*, & *Fidelitate* Latinis vocibus, vel à *Fede*, & *Feida* vocibus Germanis, & Francis. Originem istam non obscurè indicant Libri Consuetudinum Feudalium, in quibus sæpiùs fit mentio Longobardorum, & Legum Longobardicarum, ut videre est *lib.* 1. *feud. tit.* 10. *lib.* 2. *tit.* 1. & 58. Fachin. *l.* 7. *contr. c.* 1. Harpprecht *in Annot. ad Jul. Clar.* §. *feudum. q.* 1. *n.* 11. Haun. *tom.* 3. *de J. & J. tr.* 9. *n.* 581. Magnif. D. Christoph. de Chlingensperg *in LL. Feud. c.* 1. *q.* 1. Engl *hic n.* 8. Konig *n.* 19.

2 Dub. 1. quam authoritatem, & vim habeant Consuetudines Feudales? Fuerunt olim, qui cum Host. *de Immunit. Eccl.* Libris Consuetudinum Feudalium omnem denegarunt authoritatem; tum quòd majori ex parte complectantur Decisiones Gerardi Nigri, & Oberti de Orto, qui Consules Mediolanenses fuerunt, & Legis condendæ potestatem non habuerunt; tum quòd Consuetudines illæ sint particulares Italorum, præsertim Mediolanensium, adeoque Legibus Romanis nihil præjudicate, nec in foro Romano obligare possint.

3 Sed dicendum Libros feudales esse Authenticos, & in Imperio vim Juris habere, non quidem scripti, eò quòd non constent expresso Legislatoris consensu, quæ natura est Juris scripti; sed consuetudinarii, quia moribus, & usu in Imperio recepti, ab Imperatoribus, ac Principibus tacitè approbati, & pro talibus jam à Sæculo decimo quinto sunt habiti ut censerentur digni, qui & in Academiis prælegerentur publicè, & in causis Feudalibus Legis instar allegarentur: constat autem, consuetudinem, quæ judicio populi recepta, & frequenter in eodem controversiarum genere servata est, pro Lege custodiendam *l. de quibus* 32. *ff. de Legib.* & *l. præses* 1. *Cod. quæ sit long. consuet.* ut adeo Libris istis nihil desit, quin pro Lege sint observandi. Clar. §. *feudum q.* 3. Zas. *Epitom. de feud. prin.* Duaren. *in Consuet. feud. c.* 1. Vultejus *de feud. l.* 1. *c.* 1. *n.* 6. Fachin. *l.* 7. *contr. cap.* 2. Struv. *Synt. Jur. Feud. c.* 1. *th.* 7. *n.* 4. Harppr. *ad Clar. l. cit.* Magnif. D. Cristoph. de Chlingensperg *c.* 1. *cit. q.* 3. Engl *hic n.* 1. *vers. ipsum porro*, konig *n.* 20. *ibid.*

4 Intelligendum autem hoc solùm est de *Capitibus Ordinariis*, quæ occurrunt *in libr.* 1. & 2. *feud.* usque *ad Titulum* 58. *inclusivè*; nam ut bene advertit konig *hic n.* 13. *vers. planè*, Capita *extraordinaria*, quæ opera Cujacii, & aliorum adjecta sunt, dubiæ sunt authoritatis, cùm non perinde, ac priora, sint usu recepta. Hinc quoties eum Capitibus Ordinariis conveniunt, vel ad Ordinariorum explicationem faciunt, vel casum in Ordinariis non decisum continent, allegari possunt; non verò, si iisdem contrarientur. Hunn. *Disp. Feud.* 3. *th.* 54. & 55. Hartman. Pistor. *l.* 2. *q.* 15. *n.* 43. & *q.* 13. *num.* 59. Stryck. *Exam. Jur. feud. cap.* 1. *quæst.* 22. Struv. *th.* 7. *cit. num.* 10. Magnif. D. Christoph. de Chlingensperg *cap.* 1. *cit. q.* 5. Konig *l. cit. Excipiuntur* Constitutiones quædam Imperatoriæ, quæ identidem interseruntur; nam hæ vim Juris habent, & quidem scripti, ubi contrario usu, vel non usu non sunt abrogatæ.

Ad Argumenta contraria facilis est Responsio. *Ad* 1. imprimis Duar. *c.* 1. *cit. n.* 4. cum Vvilhelmo Ludvvello negat duos relatos Consules Librorum feudalium authores fuisse: & esto, fuerint, adhuc tamen vim Juris consuetudinarii potuerunt accipere, dum usu populi, & approbatione tacita Legislatorum recepti sunt. Argumentum retorqueri potest in quavis consuetudine; nam privatorum communiter est, & tamen, accedente consensu Legali Principis, vim Legis obtinet. *Ad* 2. Consuetudines istæ, quamdiu Italorum tantùm fuere, Jus particulare constituebant Italis; postquam verò communi Imperii usu receptæ sunt, factæ sunt Juris communis. 5

Dub. 2. quotuplex sit Jus feudale? Resp. duplex est, commune, & particulare. *Commune est*, quod Corpori Juris communis annexum est, & in toto Romano Germanico Imperio observatur, *gemeine Leben-Recht*. *Particulare est*, quod in hac vel illa Provincia specialiter constitutum est, ut pro Saxonia Jus Feudale Saxonicum, pro Bavaria Jus feudale Bavaricum. Struv. *Synt. Jur. feud. c.* 1. *aphor.* 6. Georg. Henr. Bruckner *Disp. de Curios. feud. th.* 9. Magnif. D. Christoph. de Chlingensperg *cap.* 1. *de feud. q.* 7. 6

Vis Juris feudalis particularis hæc est, ut Juri feudali communi deroget: cons. hoc præcipuè spectandum in decisione causarum feudalium est, & ubi id deficit, tum primùm recurrendum ad Jus feudale commune. Rosenthal. *de feud. c.* 1. *concl.* 15. Si aliud sit Jus feudale in loco, ubi situm est feudum, & aliud in loco, ubi contractus feudalis est celebratus, in iis, quæ ipsam rem feudalem concernunt, observandum est jus loci, ubi res sita est; in iis contrà, quæ Contractum feudalem spectant, attendi debet Jus loci, ubi Contractus est initus. Estque hoc verum, etsi utroque casu in Curia Domini aliud Jus vigeat, nisi specialiter statutum, vel consuetudine introductum sit, ut idem Jus, quod in Curia Domini viget, in omnibus feudis, & Contractibus feudalibus sit observandum. Magn. D. Christoph. de Chlingensperg *l. cit. q.* 8. & apud hunc Struvius *Synt. jur. feud. c.* 1. *aphor.* 12. Rosenthal *c.* 1. *cit. concl.* 14. *per tot.* 7

Quæritur 2. quid sit *Feudum*? Resp. *Feudi* nomen tripliciter sumitur. 1. *objectivè*, pro ipsa re, quæ in feudum datur, Germanicè *Lehen Gut*: in hoc sensu dicitur feudum mutari, alienari, oppignorari, contradistinguitur ab *Allodio*, seu *Bonis Allodialibus*, quæ omnimodo proprietatis jure spectant ad possessorem, vulgò *frey eigne Guter lib.* 2. *feud. tit.* 17. 26. & 44. 2. *effectivè* pro Jure feudali, quod à Domino in suis rebus à Vasallo conceditur cum obligatione fidei, & obsequii, *ein Lehens-Zerechtigkeit lib.* 1. *feud. tit.* 25. §. 1. & *lib.* 2. *feud. tit.* 1. §. *ult. tit.* 23. *tit.* 26. §. 1. *tit.* 55. §. 1. 3. *formaliter* pro ipso negotio, seu actu, quo jus feudi, contractu feudali interveniente, inter Dominum, & Vasallum constituitur, *Lehens-*Contract, *Legens Zebing. lib.* 1. *feud. tit.* 28. & *lib.* 2. *tit.* 20. Et in hac tertia acceptione definitur Feudum, quòd sit *Benevola, libera, ac perpetua concessio rei immobilis, aut ei æquivalentis, qua istius dominium utile, proprietate retenta, sub obligatione fidelitatis, & servitii, seu obsequii personalis exhibendi transfertur*. Ita Clar. §. *feudum q.* 4. Zas. *in Epitom. feudal. p.* 1. *n.* 3. Rosenthal *tr. de feud. c.* 1. *concl.* 3. *n.* 1. Less. *l.* 2. *de Just. c.* 24. *n.* 5. Pirh. *hic n.* 1. Engl *n.* 2. Vviest. *n.* 1. Is, qui rem aliquam in Feudum concedit, dicitur *Dominus* vel simpliciter, vel cum addito *Directus*, vulgò *der Lehen-Dert*; ille autem, cui conceditur, *Vasallus*, seu *Feudatarius*, vulgò *der Lehen-Trager*, *Lehenmann*. 8

Dub. 1. quænam pertineant ad substantiam Feudi? Resp. Hæc Definitio data indicat; nam 1. debet esse *concessio benevola, & libera*; quia est, & vocatur Beneficium *libr.* 2. *Feud. tit.* 23. & *alibi*: hinc à domino ordinariè gratis, & non pro pretio concedi solet. Quodsi aliquando pro eo pecunia exhibeatur, ex parte deficit à natura Feudi, & accedit ad Emphyteusin, quamvis etiam eo casu, quia pretium à valore feudi multùm exceditur, simpliciter adhuc sit Feudum, cùm per ejusmodi admodum exile pretium non cesset esse beneficium. Rosenthal *c.* 1. *cit. concl.* 3. *num.* 8. Less. *cap.* 24. *cit. num.* 5. Haun. *tom.* 3. *tract.* 9. *num.* 585. Engl *hic n.* 2. *vers. dico* 1. Pirh. Vviest. *l. citt.*

2 *Debet esse concessio perpetua*; quia Feudum regulariter extenditur ad descendentes, & hæredes masculos omnes illius, à quo acquisitum est *libr.* 1. *Feud. tit.* 1.

tit. 1. §. 4. & si ad certum duntaxat tempus concedatur, à natura Feudi propria recedit. Zas. *Epitom. feud. p.* 12. *num.* 4. & *seqq.* Pirh. *hic n.* 1. Vviest. *n.* 2.

10 3 *Debet Feudum constitui in re immobili, vel quæ huic æquipollet*: quales sunt res tum incorporales, tum corporales, quæ naturaliter mobiles, sed civiliter immobiles sunt, uti est Camera Principis, in qua Feudum *de cavena* cum obligatione quotannis præstandi certam pecuniæ summam rectè constituitur. Ita expressè statutum est *l.* 2. *feud. tit.* 1. §. *sciendum*, & docent Zas. *Epitom. feud. p.* 4. *num.* 21. Schrader. *de feud. p.* 2. *c.* 2. *num.* 9. Struv. *de feud. c.* 6. *aphor.* 1. Horn. *Jurispr. feud. c.* 7. *num.* 1. Magnif. D. Christoph. de Chlingensperg *de feud. c.* 4. *num.* 1. Clariss. P. Schmier *c.* 2. *de Pact. & contract. num.* 459. Ratio est, quia Feudum sic constitui debet, ut proprietas maneat penes concedentem, & dominium utile transeat in accipientem, ut patet ex definitione data *num.* 8. atqui ita res mobilis concedi non potest; quia in his dominium directum ab utili separari non potest, ita, ut illud maneat penes dantem, istud transeat in accipientem, quippe cùm res mobiles vel usu consumantur, vel si serventur, nullam utilitatem præstent illi, cui concessæ sunt.

11 4 *Debet in feudo dominium directo, seu proprietatis manere penes dominum feudi, utile transire in Feudatarium*, ut constat ex *l.* 2. *feud. tit.* 23. *in fin. Neque obstat*, quòd *ibidem* dicatur solus Usufructus transire: quia, ut bene Clar. P. Schmier *l. cit. num.* 464. cum aliis notat, in eo textu non intelligitur Usufructus formalis, qui speciem servitutis habet *l. rectè dicimus* 25. *pr. ff. de V. S.* seu causalis, qui cum utili dominio conjunctus est *argum. l. usufructus* 4. *ff. de Usufr.*

5 *Ratione feudi Vasallus domino obligatur ad fidelitatem*: quæ obligatio ita essentialis est feudo, ut etsi juramentum fidelitatis remitti Vasallo possit, hæc obligatio tamen remitti nequeat, & irritum sit pactum, quo convenitur, ne pro feudo ad fidelitatem domino exhibendam Vasallus sit obligatus, Schrader. *c.* 2. *cit. à n.* 25. Engl *hic n.* 4. P. Schmier *n.* 465. & 466.

6 *Præter fidelitatem Vasallus Domino in feudo proprio debet exhibere servitia, seu obsequia personalia*. Quænam verò talia sint, principaliter ad pacta, & conventiones, item ad speciales locorum consuetudines est attendendum. Engl *hic n.* 5.

12 Dub. 2. an feudum sit species quædam Contractus? Resp. affirmativè: & quidem reciprocus: quia obligationem ultro citroque ex consensu inducit. *Dominus Directus* vi istius Contractus obligatur 1. ut Vasallo conferat Investituram in re feudali: quæ duplex est, *propria*, qua Vasallus realiter, & corporaliter in Feudi possessionem introducitur; & *impropria*, qua eandem possessionem consequitur per traditionem Symboli, e. g. Sceptri, quo modo investiuntur Ecclesiastici, aut Vexilli, per quod investiunrur sæculares. 2. ut damnum, quod ex dilatione Investituræ Vasallus sustinuit, resarciat *l.* 2. *feud. tit.* 7. *in fin.* 3. ut auxilium, & consilium Vasallo præstet, simulque caveat, ne eidem, vel ejus rebus vis inferatur, aut periculum struatur &c. *l.* 2. *feud. c.* 9. *vers. dominus quoque*. Quæ omnia ut consequatur Vasallus, datur eidem contra Dominum, & hæredes actio personalis, quam Vult. *de feud. l.* 1. *c.* 2. *n.* 12. vocat *Condictionem ex moribus*, & ut idem ex Bartolo *n.* 13. notat, cùm nascatur ex Contractu nominato, nomine ex Contractu mutuato, appellari posset *actio feudalis*.

7 *Vasallus* ex Contractu feudali obligatur 1. ad fidelitatem Domino exhibendam, quæ in eo consistit, ut eundem, & personas ipsi proximè conjunctas in vita, honore, & bonis defendat, ac damna exinde timenda, quantum poterit, avertat *l.* 2. *feud. c.* 5. 6. & 7. Et procedit hoc adversùm quemcunque alium: ubi tamen excipitur Imperator, vel Rex Romanorum *l.* 2. *feud. c.* 55. *in fin.* Pontifex tanquam Pater & Superior universalis Ecclesiæ *arg. cap. venientes* 19. *de Jurejur.* Dominus antiquior, à quo Vasallus jam priùs aliquod feudum accepit *l.* 2. *feud. cap.* 28. *fin.* Patria, & bona Vasalli propria, ejusque pater: cui non obstat, quòd *c.* 28. *cit.* jubeatur Vasallus Dominum adjuvare etiam contra patrem; nam ut Engl *num.* 4. *hic vers. non tamen* rectè advertit, id intelligi congruè potest de patre non Vasalli, sed Domini, & quidem in eum casum tantùm, quo Dominus patrem suum causa publicæ utilitatis, vel alia justa causa impugnare potest, ut se contra ipsum defendere necesse habet. *Ratio horum omnium est*, quia his Vasallus arctiori vinculo ad fidelitatem obstringitur.

14 2 Obligatur ad servitia, seu obsequia personalia: quæ non semper æqualia sunt; crebriùs autem sunt militaria, ita, ut Vasallus, debitè requisitus (in casu gravioris periculi tenetur ultrò venire per textum *l.* 2. *feud. tit.* 26. §. 5. *vers. licèt*) Dominum ad bellum sequi, & pro eo etiam propriis sumptibus, si feudum pingue sit, pugnare, vel alium æquè idoneum sui loco substituere, vel certè mediam partem fructuum feudalium illius anni domino pro continuatione belli subministrare debeat *l.* 2. *feud. tit.* 55. §. 1. Sed hoc, si bellum sit justum; nam si injustum sit, Vasallus Domino servire non tenetur, nec debet, nisi tantùm ad defensionem ejus, non verò ad offensionem injustam alterius. Si dubitetur, an justum sit bellum, vel injustum, servitia præstanda erunt; quia in dubio Superioris mandatum præsumitur esse justum.

15 3 Obligatur, ut re, in feudum concessa, tanquam diligens, & bonus Paterfamilias utatur fruatur, & siquæ damna ex dolo, vel culpa lata, & levi intulerit, compenset. Rosental. *de feud. c.* 10. *concl.* 45. *n.* 37.

4 Si vel Dominus directus, vel persona Vasalli mutetur, petere intra annum, & diem renovationem Investituræ debet *l.* 2. *feud. tit.* 40. *pr.* & *tit.* 45. *pr. circa finem*. Hotn. *Jurispr. feud. c.* 17. *per tot.*

Competit in hunc finem Domino directo, & ejus hæredibus actio personalis, bonæ fidei, rei persecutoria, & perpetua, contra Vasallum, & ejus hæredes. Clariss. P. Schmier *c.* 2. *de pact. & contr. n.* 554.

16 Dub. 3. qualis Contractus sit Feudum? Resp. est Contractus consensualis, nominatus, & bonæ fidei.

Dixi 1. *esse Contractum consensualem*. Displicet quidem assertio ista non paucis, qui putant eum esse Contractum realem, & perfici traditione rei feudalis per Investituram. Sed persistendum in Assertione, quòd Investitura non ad essentiam Contractus feudalis requiratur, sed ad complementum illius tantùm, ad similitudinem Contractus Emphyteutici: unde sicut iste, ita etiam Contractus Feudalis solo partium inter se paciscentium consensu perficietur, & actionem producet, quam primum in idem placitum consenserunt. Horn. *Jurispr. feud. cap.* 12. §. 2. Clariss. P. Schmier *c.* 2. *de Pact. & Contract. n.* 451. & 452.

17 Dixi 2. *esse Contractum nominatum*. In quo contrarium defendit Magnif. D. Christoph. de Chlingensperg *c.* 1. *de feud. q.* 11. cum aliis, qui contendunt Feudum esse Contractum innominatum, quòd feudum per se non denotet Contractum sine Investitura. *Et confirmatur*; quia aliàs etiam Permutatio foret contractus nominatus, quod negatum est *tit. præc. num.* 2. Sed pro nostra Assertione militat communior Feudistarum, & aliorum DD. nominatim Rosental *de feud. c.* 1. *concl.* 3. *num.* 4. Schrader. *de feud. p.* 2. *c.* 2. *num.* 3. Struv. *de feud. c.* 8. *aphor.* 4. *num.* 2. Haun. *tom.* 3. *de J. & J. tr.* 9. *n.* 583. Clariss. P. Schmier *c.* 2. *cit. num.* 453. & *duobus seqq.* Ratio est, quia habet nomen specificum, proprium, & tale, quod prædicari potest de pluribus negotiis, solo numero philosophicè differentibus, & simul, antequam fiat traditio rei in Contractum deductæ, contra id, quod in Contractibus innominatis contingit, Actionem parit ad ipsam Investituram, qua res feudalis traditur, consequendam, ut dictum est *num.* 12. *Ad Argumentum contrarium* patet ex dictis *n. præc.* nam feudum non tam in ratione Contractus, quàm in ratione Juris realis, & utilis dominii Investituram desiderat. *Ad Conf.* negatur paritas; quia Permutatio habet nomen nimis genericum, & Contractibus specie diversis applicabile.

18 Dixi 3. *esse Contractum bonæ fidei*. Quod negant Rosental *de feud. cap.* 1. *concl.* 5. *n.* 1. & *seqq.* Schrader. *cap.* 2. *cit. num.* 4. Haun. *tr.* 9. *cit. n.* 583. Magnif. D. Christoph. de Chlingensperg *q.* 11. *cit.* qui proinde Feudum ad Contractus stricti Juris revocant, ex ratione, quòd Contractus feudalis ex consuetudine, quæ est Juris stricti, naturam suam participet. Sed nobiscum sentiunt Horn. *Jurispr. feud. c.* 12. §. 2. Struv. *de feud. c.* 8. *aphor.* 4. *n.* 4. Schamb. *de feud. tit.* 1. *n.* 13. Clariss. P. Schmier *de pact. & Contract. c.* 2. *n.* 456. & *duobus seqq.* Rationem dant, quia feudum est Contractus bilateralis, ut fatetur ipse Schrader. *l. cit. n.* 2. atqui omnis Contractus bilateralis est bonæ fidei, ut laudatus P. Schmier *tr. cit. c.* 1. *num.* 82. & *seqq.* optimè ostendit ex eo, quòd in his Contractibus sæpe quædam, antea improvisa, & incognita superveniant, ita, ut omnia, & singula in iisdem ab initio determinari nequeant: conf. potestatem ampliorem Judici concedi decuit ad determinandum ex æquo, & bono ea, quæ determinata non sunt. *Ad Argumentum partis adversæ* Consuetudines feudales, quantum fieri potest, cum Jure

communi sunt concordandæ *l. 2. feud. tit. 1. pr. in fin.* igitur sicut hoc, ita & illæ ex æquo, & bono interpretationem recipiunt.

19 Quæritur 3. quomodo feudum differat ab aliis Contractibus? *Et 1. quidem dubitatur*, quomodo differat ab Emphyteusi? Resp. Feudum cum Emphyteusi in multis convenit, in multis ab ea discrepat.

Conveniunt feudum, & Emphyteusis 1. quòd soleant præcipuè constitui in immobilibus. 2. quòd soleant concedi in perpetuum. 3. quòd in utroque transferatur dominium utile, & concedatur utilis rei vindicatio. 4. quòd alienari non possint inscio, vel invito proprietario, ita tamen, ut bona feudalia inter Vasallos, & Emphyteutica inter Emphyteutas dividi possint, non requisito domino. 5. quòd tam Emphyteuta, quàm Vasallus possit servitutem prædio acquirere, non autem servitute illud gravare. 6. quòd sicut Emphyteuta Emphyteusin, ita Vasallus feudum cedere Domino suo possint. Quæ similitudo, ut bene advertit Haun. *tom. 3. de J. & J. tr. 9. n.* 587. facit, ut ab uno ad alterum probabile fiat Argumentum, quando casus non est expressè decisus in Libris feudalibus, & ratio eadem pro utroque militat. *Probabile*, inquam, non convincens; nam in plutibus

20 *Differt Feudum ab Emphyteusi*. 1. quia Emphyteusis ex fine suo primario conceditur ad culturam, & meliorationem, ut dictum est *tit.* 18. *n.* 89. feudum verò simpliciter. 2. in Emphyteusi debetur domino directo annuus Canon, seu pensio realis; in feudo autem obsequium tantùm personale. 3. Vasallus non tenetur obsequium præstare domino, nisi iste hoc exigat; Emphyteuta debet pensionem solvere tempore constituto, etiamsi dominus solutionem non petat. 4. Novus Emphyteuta non indiget investitura; hac indigent Successores Vasalli. 5. Emphyteuta non nisi ab ipso domino mitti in possessionem potest *l. cùm dubitabitur* 3. *C. de Jur. Emphyt.* Vasallus investituram accipere potest per Procuratorem domini. 6. Vasallus Investituram accipere debet coram testibus, & præsentibus Convasallis, seu Paribus Curiæ; Emphyteutam verò potest, ac debet dominus propria authoritate suscipere vel per se, vel per litteras. 7. Emphyteuta non tenetur præstare domino Juramentum fidelitatis; hoc eidem tenetur præstare Vasallus. 8. In feudo nequit succedere fœmina, nisi sit feudum fœmineum, vel nisi id expressè pactum fuerit; potest succedere in Emphyteusi. 9. Vasallus dimittere feudum sine domini voluntate potest, cùm sit beneficium; non potest Emphyteuta rem Emphyteuticam, quia accepit, ut reddat meliorem. 10. Emphyteuta non prohibetur de Jure suo in Testamento disponere, illudque legare alteri; Vasallus istud non potest. 11. Emphyteuta potest rem oppignorare, donare, vendere, & quovis modo alienare, etiam in extraneum, domino consentiente, aut non volente emere; id Vasallus in feudo antiquo non potest, nisi cum consensu agnatorum. 12. ob alias causas amittitur feudum; ob alias Emphyteusis.

21 Dub. 2. quomodo feudum distinguatur ab Usufructu? Resp. etiam ab hoc in pluribus differt. Nam 1. feudum est jus in re quodammodo propria; Ususfructus jus in re aliena. 2. in feudo transfertur dominium utile in Vasallum, non verò in Usufructu ad Usufructuarium. 3. pro re feudali datur Vasallo utilis rei vendicatio adversùs quemcunque possessorem, etiam contra ipsum dominum, eam in præjudicium Vasalli detinentem; quæ actio non competit Usufructuario, cùm dominium in re non habeat. 4. Usufructuarii jus cum persona extinguitur; feudum autem etiam ad hæredes transit. 5. Usufructuarii jus ita personale est, ut alteri cedi non possit, sed hoc ipso, quòd Usufructuarius velit jus suum transferre in alium, exspirat Ususfructus, & ad dominum proprietatis revertitur *l. si ususfructus 66. ff. de Jur. dot.* contrà Vasallus feudum acceptum alteri locare, imò per modum feudi concedere, & ita alium subinfeudare potest, 6. denique feudum conceditur sub præstatione fidei, & servitiorum; non verò ususfructus. Struv. *Synt. jur. feud. cap.* 2. *aphor.* 3. *num.* 3. Giphan. *Disp. feud. n.* 12. Engl *hic n.* 3. Magnif. D. Christoph. de Chlingensperg *de feud. c.* 1. *q.* 12. & alii passim.

22 Dub. 3. quomodo feudum differat à Jure Superficiario, Contractu Censuali, Libellario, & cæteris contractibus? Resp. 1. à *Jure Superficiario* differt, quia feudum consistit in rei solo, conceditur sub conditione fidei, & alienari nequit sine consensu domini: Contrà Jus superficiarium consistit in Superficie, datur sub pensione, vel sine hac, & in alienatione ejus consensus domini non requiritur. Struv. *cap.* 2. *cit. aphor.* 10. *num.* 12. Schneidevv. *ad §. adeo n.* 13. *Inst. de locat. & conduct.* Schrader. *de feud. p.* 2. *c.* 2. *num.* 57. quos citat, & sequitur Magnif. D. Christoph. de Chlingensperg *l. cit. q.* 14. 2. à *Contractu Censuali*; quia in feudo transfertur tantum dominium utile, & si Vasallus rem feudalem, irrequisito domino, alienet, eam amittit; at in Contractu Censuali acquiritur dominium etiam directum, neque hoc amittitur ob alienationem, irrequisito domino, factam. Schrader. *l. cit. num.* 59. 3. à *Contractu Libellario*; quia feudum non solet revocari, non mutato possessore; bona verò per Contractum Libellarium concessa, revocantur statis, certisque temporibus, data certa pecunia, vel quam bonus vir arbitratus fuerit secundùm qualitatem rei in Libellariam datæ. Rittershus. *Jur. Justin. p.* 1. *c.* 8. *n.* 51. 4. à *Deposito*, & *Pignore*; quia in Deposito res solùm datur ad custodiam, in Pignore ad securitatem crediti. 5. à *Precariis*, *Commodato*, *Locato*; quia in his conceditur sola facultas utendi, aut etiam fruendi. 6. à *Venditione*, *Permutatione*, *Mutuo*, *& Donatione*; quia per istas acquiritur jus plenum, cùm per feudum transferatur tantùm Jus utile.

Quæritur 4. quotuplex sit Feudum? Resp. Feuda sunt diversissimi generis. Nam 1. dividitur feudum; in *Proprium*, seu *Rectum*, *& Improprium*, seu *Non rectum*. 23

Illud est, quod naturam feudi propriam, ejusque tam substantialia, quàm naturalia, nullo Statuto, consuetudine, vel conventione immutata, retinet. *Istud*, quod substantialia quidem feudi habet, in naturalibus tamen quibusdam deficit, quòd iisdem Statuto, consuetudine, conventione, seu pacto sit derogatum. Rosenthal *de feud. c.* 2. *concl.* 57. *& seqq.* Schrader. *p.* 2. *c.* 3. *n.* 1. *&* 2. Zoes. *de feud. p.* 2. *n.* 6. Engl. *hic n.* 6. Konig *num.* 5. *ibid.*

Porro ad naturam feudi propriam, ut ex Definitione feudi *n.* 8. allata patet, pertinet. 1. ut ex benevolentia Domini, super re immobili, pro hæredibus masculis, per Investituram sit constitutum. 2. ut Vasallus vi illius obligetur ad fidelitatem, quam Juramento debet promittere, & ab obsequia personalia incerta. 3. ut dominium rei directum maneat penes Dominum, utile, & quidem in perpetuum transferatur ad Vasallum, à quo neque invito sine culpa auferri, neque silum, à quo neque invito sine culpa auferri, neque sine Domini consensu alienari queat. 4. ut post mortem Vasalli, & Domini renovandum sit &c. Hæc requisita si habeat feudum, dicitur *Proprium* seu *Rectum*; si autem deficiat, erit *Improprium*, seu *Non rectum*, & *Degenerans*, qualia sunt *Feudum Francum*, *Fœmineum &c.*

In dubio præsumitur potiùs esse Feudum proprium, quàm improprium. Haun. *tom.* 3. *de J. & Jur. tr.* 9. *num.* 591. *Excipitur*, nisi constet, Statuto, vel consuetudine alicujus loci aliqua esse immutata ex iis, quæ alioquin solent esse ordinaria feudorum; nam eo casu, etsi dubium sit, qua mente Contractus feudalis sit celebratus, censebitur celebratus secundùm tale statutum, vel consuetudinem, ut rectè idem Haun. *l. cit.* notat, conf. pro improprio haberi debet.

Dividitur 2. in Feudum Nobile, & non Nobile. 24

Nobile illud dicitur, quod accipientis personam nobilitat, vel si is jam priùs Nobilis fuit, talem esse ostendit, quia vel annexam Jurisdictionem habet, vel confertur in Nobile ab eo, qui nobilitandi potestatem habet: hoc tamen exprimi in litteris Investituræ debet; aliàs præsumetur esse feudum commune, seu non nobile. Et hinc, licèt ad substantiam feudi Scriptura non requiratur, qui tamen feudum aliquod in Nobile accepit, curare debet, ut Scriptura desuper fiat.

Non nobile illud vocatur, quod non nobilitat, quia concessum est vel à persona, quæ nobilitandi potestatem non habet, vel si à tali concessum est, qui nobilitare potest, sine Nobilitatis mentione, sine Jurisdictione, vel alio simili jure concessum est. Vult. *de feud. cap.* 8. *num.* 9. *& seqq.* Rosental *c.* 2. *concl.* 2. *n.* 9. Konig *n.* 6. Vviest. *ibid. n.* 11.

Nobile subdividitur in Regale, & Non Regale. *Regale*, Germanicè *Fahnem-ader Scepter-Lehen*, quod Investitura, si Vasallus sit Sæcularis, vexillo; si Ecclesiasticus, Sceptro fieri consueverit, illud nuncupatur, quod ab Imperatore, vel alio Superiorem non recognoscente conceditur, & per quod datur investito omnis potestas, & jus in terris ad feudum illud pertinentibus, quo in Imperio, vel Regno suo utitur Imperator, vel ejusmodi Princeps, exceptis duntaxat iis, quæ huic in supremæ potestatis signum sunt reservata: & ejusmodi feuda sunt in Imperio Romano Electoratus, Archiducatus, Ducatus, Marchionatus, Comitatus, & hodiernis moribus Baronatus. *Zal. in Epitom. feud.*

feud. p. 4. *num.* 29. Rosenthal *c.* 2. *cit. concl.* 1. *num.* 4. Engl *hic n.* 10. Konig. *n.* 7. Clariss. P. Schmier *cap.* 2. *de pact. & contract. n.* 482. Magnif. D. Christoph. de Chlingensperg *c.* 2. *de feud. q.* 9. *Non regale* est, quod conceditur à domino Superiorem recognoscente, vel ab Imperatore quidem, aut alio Principe Supremo, non tamen cum ejusmodi plena potestate; sicut communiter fit, quando in feudum conceditur villa, pagus, prædium &c. Vult. *c.* 8. *cit. n.* 10. Schrader. *c.* 3. *n.* 3. *&* 9. Haun. *tom.* 3. *tr.* 9. *n.* 608. Vviest. *num.* 12. *hic cum citt.*

Dividitur 3. in Feudum novum, & vetus. *Feudum novum* est, quod initium habet à persona Vasalli, quia ad hunc beneficio solius domini, & non ex successione pervenit. *Vetus*, quod per successionem ab uno ex ascendentibus ad eum est devolutum. Posterius istud quidam subdividunt in Paternum, & Avitum, seu simpliciter antiquum.

Paternum dicunt, quod originem trahit à persona, quæ intra quartum gradum Vasallo conjuncta est, qualis est Pater, Avus, Proavus, Abavus ejusdem.

Avitum, sive *simpliciter antiquum*, quod acquisitum est ab aliquo majorum, supra quartum gradum conjuncto, videlicet Atavo, Tritavo &c. Verùm hæc subdivisio, ut optimè notant Rosenthal *de feud. cap.* 2. *concl.* 9. 10. 11. *&* 13. Vult. *l.* 1. *cap.* 8. *n.* 12. Struv. *cap.* 3. *aphor.* 3. *num.* 5. Horn. *Jurispr. feud. cap.* 3. §. 7. Clariss. P. Schmier *cap.* 2. *de Pact. & Contract. num.* 486. non est Legalis, cùm hodierno more, & effectibus spectatis, inter Feudum Paternum, & simpliciter antiquum vix sit ullum discrimen, quæ causa RR. commovit, ut inter se illa, discrimine sublato, confunderent.

Inter Feudum novum, & vetus triplex admodum notabile discrimen interjacet. 1. enim Feudum vetus alienari non potest, etiam cum consensu domini, si non etiam consensus agnatorum accedat; contrà feudum novum ut alienari possit, solius domini consensus sufficit. Mynsing. *cent.* 4. *obs.* 85. *n.* 1. Magnif. D. Christoph. de Chlingensperg *de feud. cap.* 2. *q.* 1. Clariss. P. Schmier *cap.* 2. *de Pact. & Contract. num.* 487. cum aliis. 2. si feudum sit Novum, & Vasallus illud renuntiet, vel sine consensu domini alienet, ad dominum illud revertitur; si autem antiquum sit, ad descendentes, & reliquos agnatos devolvitur, quia his in tali feudo ex antiquis Investituris quæsitum jus est, cui Vasallus præjudicare non potuit *l.* 1. *feud. tit.* 8. §. 1. Gail. *l.* 2. *obs.* 50. *num.* 11. Haun. *tom.* 3. *tr.* 9. *n.* 599. 3. in Feudo novo succedunt soli filii, & ex his descendentes, non verò Collaterales, si filii, & nepotes in linea recta deficiant; in feudo antiquo autem, si Vasallus sine liberis, & ab his descendentibus sit defunctus, ad successionem etiam admittuntur Collaterales, dummodo à primo acquirente descendant *l.* 1. *feud. tit.* 1. §. 2. Haun. *l. cit. n.* 596. Konig *hic n.* 8.

Porro licèt feudum vetus sine consensu agnatorum non possit concedi ut Novum; quia tali innovatione agnatis præjudicaretur: potest tamen feudum novum concedi cum jure feudi antiqui, & tanquam antiquum, cùm quilibet, ubi alteri nullum fit præjudicium, in re sua sit moderator, & arbiter *l. in re mandata* 21. *C. mandat.* & Contractus ex conventione Legem accipiant *Reg.* 85. *in* 6. atqui per hujusmodi concessionem nemini fit præjudicium, sed potiùs agnatorum conditio melioratur, ut nempe etiam succedant Collaterales, qui aliàs secundùm dicta *n. præc.* fuissent exclusi, si jure feudi novi fuisset concessum. ergo &c.

Dividitur 4. in Feudum Ligium, & Non ligium. *Ligium*, sic dictum à *Liga*, seu *Ligando*, est, quod conceditur ab aliquo Superiorem in temporalibus non recognoscente, & eo pacto, ut juramento promittat fidelitatem adversùs quemcunque, nemine excepto, subjiciendo se, & Allodialia sua bona omnia potestati, & Jurisdictioni illius *l.* 2. *feud. tit.* 99. *pr.* Clar. §. *feudum q.* 11. *num.* 1. Rosenthal *c.* 2. *concl.* 3. *à n.* 2. Haun. *tom.* 3. *tr.* 9. *n.* 620. Engl *hic num.* 11. Konig *n.* 10. Vviest. *num.* 13. Juramentum summæ hujus fidelitatis speciali nomine *Homagium* appellatur, & jurans se hominem alterius facere dicitur: & ita *Clem. Pastoralis* 2. *de re judic.* Rex Siciliæ dicitur *Homo ligius Ecclesiæ Romanæ*. Ex quo Clar. *l. cit. n.* 2. Rosenthal *concl.* 3. *&* 4. Horn. *c.* 3. §. 23. Haun. *num.* 621. cum cæteris *suprà cit.* deducunt, neminem posse à duobus summis Principibus, v. g. ab Imperatore, & Rege Galliæ feuda Ligia simul obtinere; cùm enim contingere possit, ut hi duo bella secum invicem gerant, sicut de facto gerunt, talia feuda obtinens obligaretur simul & semel militare pro Imperatore contra Galliæ Regem, & pro hoc contra Imperatorem: quod fieri non potest juxta pronuntiatum Christi: *Nemo potest duobus dominis servire.* Matth. 6. *v.* 24.

Feudum non ligium dicitur, quo Vasallus ita fidelitatem præstat uni adversùs aliquos, ut tamen alteri etiam domino fidelitatem adversùs alios spondeat *l.* 2. *feud. tit.* 99. Talia feuda sunt, quæ Vasallus obtinet à domino Superiorem recognoscente; semper enim huic fidelitatem sic jurat, ut exceptus censeatur Imperator, Rex, antiquior dominus, à quo Feudum aliud habet. *l.* 2. *feud. tit.* 28. *& tit.* 55. *utrobique in fine*. *Ex quo sequitur* feuda non ligia simul à diversis eidem Vasallo posse competere; cùm nihil inter se pugnans habeat. *Et hoc procedit*, etiamsi unum vel utrumque datum sit à supremo, vel duobus Supremis Principibus; non enim omne feudum, quod à Supremis Principibus datur, Ligium est, sed expressè id exprimi vel in Investitura, vel in Juramento fidelitatis debet: aliàs præsumetur esse non Ligium; quia qualitas Ligii est suprà naturam communem feudi, ideoque à speciali conventione dependens, & facti, quod in dubio non præsumitur, Joan. Koppen *Jur. feud. obs.* 2. *n.* 35. Engl *hic n.* 11. *vers. Romanus*, Konig *ibid. n.* 10. 30

Feudi non Ligii species Feudo Ligio extremè opposita, est *Feudum Francum*, seu *Liberum*, Germanicè *ein Frey-Lehen*, sic appellatum, quòd ejus ratione Vasallus non obligetur ad ullum servitium, sed tantùm ad fidelitatem præstandam domino, Rosenthal *c.* 2. *concl.* 59. *n.* 3. Vult. *de feud. l.* 1. *c.* 8. *n.* 50. Borcholt. *c.* 4. *n.* 20. *&* 32. Schrader. *c.* 4. *n.* 8. Haun. *tom.* 3. *tr.* 9. *n.* 622. Engl *hic n.* 6. Konig *n.* 13. Vviest. *n.* 13. Sunt autem hujusmodi feuda Franca; teste Schrader. *l. cit.* in Germania nostra valde usitata, præsertim quæ Civibus conceduntur, cùm hi ad ullum servitium ratione feudorum suorum dominis exhibendum ferè non obligentur. 31

Dividitur 5. in Feudum Ecclesiasticum, & Sæculare. *Ecclesiasticum*, si strictè istud sumatur, illud est, quod ab Ecclesia, sive ejus Prælato de bonis, ad Ecclesiam, vel Monasterium &c. pertinentibus constituitur. Bocer. *tr. de qualit. & differ. feud. c.* 2. Vult. *l.* 1. *c.* 8. *n.* 19. Konig *hic n.* 9. *Sæculare*, quod constituitur à Principe, vel alio domino sæculari, aut etiam à Prælato Ecclesiastico de bonis patrimonialibus ejusdem, Rosenthal. *c.* 2. *concl.* 5. Fagn. *in c. verùm* 7. *de for. compet. n.* 29. Konig *hic n.* 9. Magnif. D. Christoph. de Chlingensperg *c.* 2. *cit. q.* 6. 32

Et hinc, ut sciatur, Ecclesiasticum, an Sæculare sit feudum, attendi debet non persona domini concedentis, neque persona ejus, cui illud conceditur, sed bona, sive res immobilis, aut ei adhærens, vel æquipollens concessa in feudum; nam etiam feudum Ecclesiastico, vel Ecclesiæ concessum à domino Laico, si strictè accipiatur feudi Ecclesiastici nomen, pro Sæculari habendum est, ut rectè observat Engl *hic n.* 9. Vviest. *num.* 12. Et talia feuda sunt Territoria illa specialia, quæ multi Episcopi, & Prælati in feudum sibi concessa ab Imperatoribus habent; nam respectu illorum considerantur, ut Vasalli cæteri sæculares, & ut Principes, ac Status Imperii: unde & Jus gladii, quod utique tanquam Ecclesiasticis aliàs ipsis nequaquam competeret, aliaque Jura exercere possunt, ut bene Gail. *l.* 1. *obs.* 30. *n.* 4. *& seqq.* 33

Dixi autem, *Si strictè accipiatur nomen Feudi Ecclesiastici*; nam aliquando feudum Ecclesiasticum accipitur largiùs pro eo etiam, quod Ecclesia per suos Prælatos ab aliis, etiam Sæcularibus, tenet, & recognoscit, ut cum aliis notat Haun. *tom.* 3. *tr.* 9. *num.* 610. quòd etiam ipsum specialiter præ simpliciter Laico privilegiatum sit, quamvis non eo modo, quo feudum strictè Ecclesiasticum. Privilegium *Feudi strictè Ecclesiastici*, seu *ab Ecclesia dati* est, quòd coram quibuscunque testibus concedi possit, cùm ex adverso in feudo sæculari, ut *n.* 20. *suprà* dixi, Investitura, non nisi coram Paribus Curiæ, seu Convasallis, ab eodem domino feudum habentibus, fieri, nec per alios testes facta probari queat. *Feudi Ecclesiastici latiùs sumpti*, seu *ab Ecclesia accepti* privilegium est, quòd propter delictum, & infidelitatem Episcopi, vel Abbatis amittatur quidem, & ad dominum redeat, quamdiu delinquens in Prælatura manet, verùm eo mortuo, aut deposito, Successori illius sit restituendum, cùm delictum Prælati non debeat nocere Successori, vel ipsi Ecclesiæ. *l.* 2. *feud. tit.* 40. §. *item si. cap. delictum* 76. *de R. J. in* 6. Engl *hic n.* 48. Konig *n.* 9. Clariss. P. Schmier *tr. de Pact. & Contract. c.* 2. *n.* 498. & dicam *infrà* §. 5. 34

Dividitur 6. in Feudum Masculinum, & Fæmininum. *Masculinum*, vulgò *ein Manns-Lehen*, est, quod ad mares 35

res duntaxat tranfit. *Fœmininum*, quod etiam ad fœminas, faltem mafculis deficientibus: hinc vulgò *Vveiberader Gundel Lehen* vocatur. Porro Fœmininum fit ex duplici capite, vel quia à fœmina primùm eft acquifitum, vel quia eo pacto acquifitum eft, ut etiam ad fœminas tranfeat. Si primo ex capite Fœmininum fit factum, *Maternum* dicitur. Et fufficit, à fœmina originem ducere, etiamfi expreffè illud actum non fit, ut ex communi aliorum fenfu tradunt Rofenthal *c.* 7. *concl.* 25. *n.* 2. Schrader. *p.* 2. *c.* 4. *n.* 11. Magn. D. Chriftoph. de Chlingenfperg *c.* 2. *de feud. q.* 15. P. Vvieft. *hic n.* 14. quòd initium infpiciendum fit, & à primordio tituli pofterior formetur eventus *l. fi procuratorem* 8. *pr. ff. mandat.* cùm dominus dans feudum fœminæ eam ad fucceffionem habilitare videatur. *Excipitur*, nifi expreffè id actum fit, ut feudum primitus conceffum fœminæ fit mafculinum; nam actus agentium ex intentione illorum legem accipiunt.

36 Revocant huc aliqui feudum quoddam Mixtum, h.e. partim Mafculinum, partim fœmininum quod conceditur marito, & uxori: quo cafu fi fortè fuperftes effet fola filia, feudum pro dimidia tantùm parte ad filiam, pro altera verò ad dominum pertineret, cui, quà mafculum, effet apertum. Sed, ut bene notat Haun. *tom.* 3. *de J. & J. tr.* 3. *n.* 623. hujus fpeciei communiter DD. non meminerunt. Alii folùm unum caput agnofcunt, ex quo feudum fœmininum fiat, fc. fi à fœmina tanquam prima acquirente originem trahat; nam illa feuda, in quibus tam mares, quàm fœminæ poffunt fuccedere, fi primus acquirens fit mas, Hæreditaria volunt appellari. Verùm hæc doctrina, quatenus fignificare vult omne feudum hæreditarium etiam fœmineum effe, vera non eft, cùm conftet hæreditaria aliqua effe, quæ folis mafculis hæredibus deferuntur, ut mox dicetur.

37 *Dividitur* 7. in feudum Hæreditarium, Gentilitium, & Mixtum. *Hæreditarium*, vulgò *Erb-Lehen*, propriè illud dicitur, quod alicui fimpliciter, & abfolutè conceffum eft pro fe, & quibufcunque ejus hæredibus, etiam extraneis: unde ad iftud obtinendum fufficit, ut quis fit hæres. Clar. §. *feudum q.* 9. *n.* 2. Fach. *l.* 7. *contr. c.* 6. Engl. *hic n.* 8. Pirh. *n.* 3. Konig *num.* 11. Vvieft. *n.* 19. *Gentilitium*, quod etiam *ex pacto, & providentia*, vulgò *Stammen-Lehen* nuncupatur, illud eft, quod aliquis pro fe, & filiis, feu liberis, nulla hæredum facta mentione, obtinuit: ut iftud quis confequatur, & in eo fuccedat, fatis eft, fi fit filius, vel defcendens à primo acquirente, etiamfi hæres non fit. Clar. *l. cit. num.* 3. cum reliquis *fuprà*. *Mixtum* eft, quod neque fimpliciter hæreditarium eft, neque fimpliciter ex pacto, & providentia, fed participat de utroque, quia alicui conceffum eft pro fe, & filiis fuis hæredibus: & hinc, ut in tali feudo quis fuccedat, requiritur, ut fimul fit filius, & hæres, adeoque, ut in eo fimul fanguinis, & hæreditatis jura concurrant. Clar. *l. cit. n.* 4. cum cæteris.

38 In dubio præfumitur potiùs effe ex pacto, & providentia, quàm Hæreditarium, ut cum Vult. Mynfing. Schradero advertit Magnif. D. Chriftoph. de Chlingenfperg *de feud. c.* 2. *q.* 14. ex ratione. 1. quia in dubio præfumitur, quod eft de propria rei natura: fed feudum ex pacto, & providentia magis fervat naturam propriam feudi, quàm Hæreditarium. 2. Pacta funt facti, & non præfumuntur. atqui feudum hæreditarium non conftituitur, nifi fpeciali pacto, in Inveftitura expreffo, id actum fuerit *arg. titul.* 48. *l.* 2. *feud.* 3. contrahentes in dubio cenfentur fe conformare voluiffe difpofitioni Juris communis *c. cùm dilectus* 8. *de confuet.* atqui juris Feudalis authoritate feudum pertinet ad defcendentes fine qualitate hæreditaria, adeoque potiùs ex pacto, & providentia, quàm Hæreditarium eft. ergo &c.

39 *Dividitur* 8. in Feudum perpetuum, & Temporale. *Perpetuum* eft, quod ad defcendentes, vel etiam hæredes tranfmittitur. *Temporale*, quod perfonam, cui confertur, non tranfit, fed tamdiu duntaxat durat, quamdiu officium, cujus intuitu conftituitur, durat. Tale eft 1. *Feudum Guardiæ*, quod illi, cui cuftodia Civitatis, Oppidi, Caftri &c. commiffa eft, pro opera, folertia, & labore fuo conceditur. 2. *Feudum Gaftaldiæ*, quod Dux, Comes, Epifcopus, vel alius Dominus Ecclefiafticus, vel Sæcularis concedit Doctori pro patrocinio, five confilio, Gubernatori domus pro adminiftratione rei Oeconomicæ. 3. *Feudum Cancellariæ*, quod conceditur Cancellario pro functionibus fui muneris. Quo revocant *Feudum Advocatitiæ*, *Vogtey-Legen*, & cujufcunque Officii publici Jure feudi collati.

Dividitur 9. in feudum Cameræ, feudum Cavenæ, & feudum Soldatæ. *Feudum Cameræ*, *Cammer-Lehen*, datur tunc, quando Princeps, vel alius cuidam concedit certam pecuniæ fummam, percipiendam ex Camera concedentis. *Feudum Cavenæ*, *Ruchel-oder Rever-Lehen*, quando ex Cavena, id eft, Cella, vel horreo Principis, vel alterius concedentis in feudum datur in annos fingulos certa quantitas frumenti, aut vini. Quodfi conceffio hæc ex Camera, vel Cavena nec ex parte dantis, nec ex parte accipientis tranfeat ad hæredem, fed morte vel dantis, vel accipientis finiatur, dicitur *Feudum Soldatæ*. Conceffio Pecuniæ, ut vocant, *Gratiofæ*, *Unaden-Velt*, quæ à Principibus, vel Republ. concedi folet Officialibus emeritis, ac eorum viduis, & pupillis, non eft feudum; quia datur ob merita præterita, & non propter obfequia præftanda, prout in feudo requiritur. 40

Præter divifiones hactenus relatas, adhuc aliæ feudorum fuperfunt Species: quale eft 1. *Feudum Aulicum*, *Dof-Lehen*, quo Vafallus obligatur ad aulicum quoddam Officium Dapiferi, Marefchalli &c. 2. *Feudum Caftrenfe*, *Burg Lehen*, quod conceditur ex pacto, ut Vafallus teneatur ad defendendum certum Caftrum. 3. *Feudum Pignoratitium*, *Afand-Legen*, quod conceditur pro certa pecunia, ut à Domino redimi poffit. 4. *Feudum Aperturæ*, *die Deff-nung*, quod conceditur ea lege, ut Vafallus loco fervitiorum tempore belli, aut pacis arcem, vel civitatem domino aperire debeat. 5. *Feudum Equeftre*, *Ritter-Lehen*, quod confiftit in præftandis fervitiis equeftribus, & in horum recognitionem Domino feudi pro Relevio præftantur arma Equeftria, *ein Schies-Zeig*. 6. *Feudum Burfaticum*, *Veitl-Legen*, quod nulla præftat fervitia alia, nifi ut in mutationibus folvatur Relevium ex burfa, quod de Jure Bavarico funt 5. fl. pro 100. Illuftr. D. Baro Schmid *ad Statut. Bavar. tit.* 11. *art.* 4. *n.* 1. 7. *Feudum non jurabile*, quando in Inveftitura remittitur Juramentum. Plura de his Feudiftæ: nobis terminos explicaffe fufficiat. 41

§. II.

De Objecto Feudi, & Perfonis, quæ conftituere Feudum poffunt.

SUMMARIUM.

42 43 *Quænam res concedi in Feudum poffint?*
44 *An Feudum conftitui poffit in re aliena?*
45 *An res folo adhærentes in feudum dari poffint, exclufo folo?*
46 *An inveftitus de filva etiam jus venandi habeat?*
47 *An Caftro in feudum dato, etiam Territorium cenfeatur datum in Feudum?*
48 *An conceffio in feudum Territorio, tranfeat etiam Jurifdictio Territorialis?*
49 *An in feudum dare res fuas poffint etiam plebeii?*
50 *Deciditur pro affirmativa.*
51 *Rationes dubitandi folvuntur.*
52 53 *An res fuas in feudum dare poffint Minores?*
54 *An filiusfamilias?*
55 *An Imperator bona ad Imperium immediatè fpectantia?*
56 *Clerici feudum conftituere poffunt in bonis fuis patrimonialibus, & quafi patrimonialibus.*
57 *In bonis Ecclefiarum temporalibus, non nifi cum folemnitate.*
58 *Excipiuntur res modicæ, & ab Ecclefia infeudari folitæ.*
59 *Quænam talia cenferi debeant?*
60 *Cafus, quibus nec ifta fine folemnitatibus reinfeudari poffunt.*
61 *Quid circa reinfeudationem poffit Capitulum, Sede vacante?*
62 63 *Quomodo reinfeudatio fieri debeat?*
64 *An Prælatus infeudationem rei feudalis promittere in cafum apertionis poffit?*
65 *Deciditur pro Affirmativa.*
66 *Rationes dubitandi folvuntur.*
67 *Utrum tali promiffione ftare debeat Succeffor?*
68 *Saltem cafu, quo promiffio facta eft cum confenfu Capituli.*
69 *An promiffio Inveftituræ in cafum apertionis fieri poffit etiam cafu, quo poffeffor feudi liberos habet?*
70 *An poffit aliquis fibi ipfi in re fua conftituere feudum?*

Quæ-

42 QUæritur 1. quænam res concedi in Feudum possint? Resp. possunt res tantùm immobiles, & quæ his cohærent, vel iisdem æquiparantur. Ita habetur *l. 2. feud. tit. 1. in fin.*

In specie feudi susceptivæ sunt. 1. Res soli, seu fundi, veluti prædium, ager, Castrum, Comitatus, Marchionatus, Ducatus &c.

2 Quæ solo, vel fundo cohærent, quòd eidem vel infixæ sint, vel ita ipsi accedant, ut censeantur esse ipsius pars, ut vineæ, arbores, fructus, pendentes &c.

3 Servitutes, Jurisdictio, & Jura alia fundo, in feudum dato, debita, ut jus pascendi, venandi, piscandi &c. nam Jura immobilibus debita, etiam ipsa inter immobilia computantur.

4 Actiones tam personales, quàm reales, quibus persequi licet aliquam rem immobilem, si talia sint, ut iisdem se liberare debitor pecuniæ solutione nequeat: secus, si possit; nam hoc si fieret, materia feudi tandem consisteret in pecunia, quod fieri nequit nisi casu, quo pactum accederet, ut ex illa pecunia emerentur immobilia, quæ deinde assumerent rationem feudi. Haun. *tom. 3. de J. & J. tr. 9. n. 630. in fin.*

43 5 Annui reditus de Camera, vel Cavena Principis, & alii proventus annui ex re immobili, aut huic æquivalente, v. g. ex Societate, vel mensa alicujus nummularii debiti, modò sint perpetui, aut diu duraturi. Zas. *Epitom. feud. p. 4. n. 9.* Schrader. *de feud. p. 3. c. 2. n. 1. & c. 3. n. 1.*

6 Illa denique mobilia, quæ veniunt in consequentiam boni immobilis, & hoc vendito, vel alienato censentur etiam ipsa esse vendita, & alienata, uti est supellex ad fundum colendum necessaria. Imò etiam pecora, & alia animalia, quæ habentur in feudo, licèt non hoc ipso censeantur alienata, cùm fundus alienatus est, aliquo tamen modo cadere possunt sub feudum, non quidem, ut in feudum concedantur primò, & per se, sed ut fundus in feudum concedatur cum ipsis: quo casu Vasallus tenetur in locum demortuorum, vel inutilium alia substituere, ut in simili dicitur de Usufructuario; alioquin feudo aperto, tenebitur ad æstimationem. Haun. *l. cit. n. 628.*

44 Dub. 1. an Feudum constitui in re aliena valeat? Videtur non posse ob textum *l. 2. feud. tit. 3. pr. & §. 1.* ex quo videtur colligi feudum constituendum in re propria. *Sed dicendum*, feudum, in aliena re constitutum, valere eatenus, quatenus, illa re evicta, constituens obligatur, Vasallo, si hic fuerit in bona fide, aut rem aliam ejusdem bonitatis concedere, aut pecunias, quibus res alia comparari possit, numerare, prout expressè dicitur *l. 2. feud. tit. 8. pr. & tit. 25.* Struv. *c. 6. aphor. 9. n. 1. & seqq.* Clariss. P. Schmier *de Pact. & Contract. c. 2. n. 531.* cum aliis. Quoad interesse, an id præstandum Vasallo sit ab eo, qui rem alienam concessit in Feudum, cum laudato P. Schmier *n. 532.* & Horn. *Jurisprud. feudal. c. 7. §. 9.* distinguo; nam si Feudum Emptitium sit, locus erit evictioni etiam quoad interesse: at si Emptitium non sit, ad interesse præstandum concedens non obligabitur, ne beneficium, quod exhibuit, nimiùm ipsi damnosum fiat.

Dub. 2. an res solo adhærentes in feudum concedi possint, seorsim à fundo, & hoc excepto? Resp. distinguendo cum Schradero, & Rosenthal, quos sequitur Haun. *tom. 3. tract. 9. num. 629.* Nam si res istæ, ut à solo separatæ, nullam utilitatem afferunt, aut tantùm modici temporis emolumentum continent, non possunt separatim à solo constitui in feudum: & ratio clara est; quia non haberent rationem beneficii. Contrà possunt hæ res separatim à solo constitui in feudum, si seorsim a solo, vel jure soli aliquem usum, aut utilitatem perpetuam, vel ad tempus longum præbeant. *Ex quo sequitur*, in feudum, etiam solo excepto, constitui posse Superficiem, Usumfructum, aliasque servitutes, arbores item, silvas, vectigalia, Jurisdictiones &c.

4 Dub. 3. an investitus de silva etiam jus venandi habeat? Videtur habere; nam etiam investitus de stagno, aut piscina jus piscandi habet: cum quo par ratio videtur esse in jure venandi. Sed reipsa non est par ratio, quia jus venandi Jure moderno refertur inter Regalia, inter quæ jus piscandi non refertur. Hinc cum Schrader. *p. 3. cap. 4. num. 47.* Struv. *cap. 6. aphor. 11. num. 3.* Horn. *cap. 7. §. 18.* Magnif. D. Christoph. de Chlingensperg *cap. 4. quæst. 6.* Clariss. B. Schmier *cap. 2. de pact. & Contr. num. 534.* tenenda est sententia negativa; quia nostris moribus jus venandi non specialiter cohæret silvæ, quin separari à dominio utili ejusdem possit, & defacto regulariter separetur. Et hinc, nisi expressè constitutum sit, ut cum silva concessa in feudum etiam transferatur jus venandi, per concessionem silvæ in feudum censebitur duntaxat concessum jus lignandi, & alia, excepto venandi jure.

Dub. 4. an Castro in feudum dato, etiam Territorium totum censeatur datum in feudum? Resp. distinguendo, an concedatur in feudum à Principe, an à privato. *Si à Principe*, in arbitrio ipsius est, an illud dare velit cum, vel sine Territorio; nam etiam sine hoc dari potest, quòd Castrum non semper sit Corpus involvens territorium; sed aliquando duntaxat consideretur ut Casa alta sine Territorio. Gaill. *l. 2. obs. 62. num. 1.* *Si à privato*, communissima sententia est, teste Haun. *tom. 3. de J. & J. tract. 9. num. 635.* etiam Territorium censeri concessum in feudum; quia Castrum est caput Territorii, & cum hoc connexum: non potest autem privatus, sine consensu Principis, sejungere Castrum à Territorio. ergo &c. 47

Dub. 5. utrum integro Territorio in feudum concesso, transeat etiam Jurisdictio, seu Superioritas Territorialis? Resp. Affirmativè *arg. textuum l. 1. feud. tit. 14. & l. 2. tit. 55.* Horn. *c. 8. §. 12.* Magnif. D. Christoph. de Chlingensperg. *c. 4. qu. 3.* Clariss. P. Schmier *cap. 2. de pact. & Contract. num. 537.* Ratio est, quia Jurisdictio, seu Superioritas Territorialis Territorio cohæret: sicque ad quemcunque Territorii possessorem transit, ita tamen, ut dominium Jurisdictionis directè maneat penes concedentem, utilitas verò transeat in accipientem. Aliud est, si Jurisdictio non sit annexa Castro, sed competat personæ, aut officio, quod gerit persona; tum enim si personæ competat ratione sui, exspirat cum persona; si ratione officii, quod gerit, transit cum officio ad illum, ad quem transit officium. 48

Quæritur 2. quænam Personæ constituere Feudum possint? *Et 1. quidem dubitatur*, an etiam privati, plebeii, & rustici in bonis suis constituere feudum possint? *Rationem dubitandi* suggerit 1. textus *l. 1. feud. tit. 1. princ. & tit. 7.* item *l. 2. feud. tit. 10.* ubi ceteræ personæ enumerantur, quibus feuda dare licitum, nec tamen plebejorum fit mentio. 2. per feudi concessionem acquiritur concedenti quædam Jurisdictio in Vasallum quoad causas feudales, ut habetur *l. 2. feud. tit. 55. §. insuper 2. vers. præterea.* sed Jurisdictio competere non potest plebejo, & rustico, cùm sit munus publicum *l. privatorum 3. C. de Jurisd.* 3. Vasallum habere est quædam dignitas; nam Vasallus Domino debet *reverentiam, & se erga illum habere devotè, & benignè*, ut habetur *l. 2. feud. tit. 22. & 23.* sed rustico non competit dignitas. ergo &c. 4. Vasallus tenetur Dominum defendere armis, & vicissim Dominus Vasallum *l. 2. feud. tit. 6.* sed rusticis interdictum est armis *l. 2. cit. tit. 27. §. 5.* 49

Sed distinguendum est inter tempora. Antiquitus Feuda contulerunt solus Imperator, Rex, & qui Magistratum creandi, & bellum gerendi potestatem habent. Corvin. *Jur. feudal. tit. 4. pr.* cum tempore tamen etiam alii res suas infeudandi potestatem obtinuerunt. Nunc ii omnes, qui rerum suarum Allodialium administrationem habent, eas infeudare, imò etiam in feudum acceptas subinfeudare possunt *l. 2. feud. tit. 3. pr. Proceditque hoc* non tantùm de maribus, sed etiam de fœminis *tit. 3. cit. vers. fœminam quoque*; nisi impudicè, & luxuriosè vivant, bonaque sua dilapident. Zas. *in Epitom. de feud. p. 5. num. 33.* Schrader *de feud. p. 2. cap. 1. num. 59.* Struv. *Synt. Jur. feud. cap. 5. aphor. 3. num. 3. & 4.* Horn. *cap. 5. §. 13.* Haun. *tom. 3. de J. & J. tract. 9. num. 644.* Magnif. D. Christoph. de Chlingensperg *cap. 3. de feud. quæst. 1.* P. Vviest. *hic num. 18.* Clariss. P. Schmier *cap. 2. de pact. num. 513. & seqq.* & alii *arg. l. & mulieri 15. ff. de Curat. furios.* 50

Neque contrarium probant Argumenta in Ratione dubitandi allata. *Ad* 1. non fuit ibi JCtorum propositum omnes personas habiles recensere, cùm nulla ibi mentio fiat Summi Pontificis, Regis &c. Et si fuisset eorum mens plebejos à concessione feudi excludere, textus illi fuissent correcti per *tit. 3. l. 2. feud.* & ostendit correctionem ratio; nam Vasalli minimi (qui plebeii sunt *l. 2. feud. tit. 10. vers. cæteri*) feudum, quod ab alio tenent, alii rursum in feudum dare possunt. igitur nec arcebuntur à dandis in feudum bonis propriis. *Ad* 2. Rusticus, & plebejus capaces Jurisdictionis non sunt, quæ competat jure Magistratus, capaces verò ejusdem, si competat Jure feudi, cùm vers. *præterea cit.* cognitio causarum feudalium Domino feudi adjudicetur indistinctè. *Ad* 3. non immeritò Dominus à Vasallo honorem, & reverentiam exigit, cùm beneficium contulerit. Dignitas, quæ acquiritur concessione feudi, non arcet plebejum à subinfeudando; igitur neque ab infeudando. *Ad* 4. dum dicitur, quòd Dominus 51

Vasallum suum armis obligetur defendere, de eo Domino intelligi debet, qui bellum movere potest, qualis non est plebejus.

52 Dub. 2. an minores bona sua dare possint in feudum? Resp. distinguendo: Vel enim agitur de concedendo feudo novo, vel de renovando veteri. *Primum* minor sine authoritate Tutoris, vel Curatoris, & Judicis decreto non potest; ob defectum administrationis. Si tamen hoc faceret, Contractus claudicaret; h. e. Vasallus quidem resilire non posset, Minor tamen posset, si vellet, ætate legitima superveniente, Investituram confirmare *arg. l. Julianus* 13. §. *siquis* 29. *ff. de action. empt.* Haun. *tom.* 3. *tract.* 9. *num.* 645. *Posterius* etiam absque authoritate Tutoris, vel Curatoris potest; quia talis renovatio non est alienatio, sed veteris concessionis necessaria continuatio, ut adeo non sit periculum, ne minor in tali renovatione damnificetur. Haun. *num.* 645. *cit. vers. possunt*. Gonzal. *in cap. fin. h. tit. num.* 12.

53 *Dices*: juxta *l. obligari* 9. §. *pupillus* 1. *ff. de author. tutor. Pupillus ex omnibus causis, solvendo sine tutoris authoritate, nihil agit, quia nullum dominium transferre potest*, atqui Investitura facta illi, cui debetur, est quasi solutio. ergo sine Tutoris authoritate non valet. Respondet cum Giphanio Haunold. *l. cit.* textum loqui de solutione pecuniæ, circa quam nulla vertitur utilitas; deinde transfertur ibi dominium directum: At in casu nostro vertitur magna utilitas minoris; nempe quia à Vasallo exspectantur auxilia, & servitia; deinde dominium directum non transfertur.

54 Dub. 3. an Filiusfam. de suis bonis possit facere feuda? Resp. cum distinctione: nam de *Peculio Castrensi*, & *quasi Castrensi* potest; quia dominium illius, & administrationem habet: de *Peculio profectitio* non potest; quia nec proprietas, nec ususfructus ex eo ad filiumf. pertinet: in *Peculio adventitio* altera distinctio est adhibenda; nam si *regulare* sit, sicut sine consensu patris alienare, ita sine illo in feudum dare illud nequit. At si *Irregulare* sit, potest, cùm etiam Ususfructus illius sit filiif. per textum, & DD. *in l. patet* 15. §. *si stipulanti* 1. *ff. de Castrens. Pecul. l. fin.* §. *ipsum autem* 5. *C. de bonis, quæ liberis &c.* & *Novell.* 117. *cap.* 1. Ratio, quare de Adventitio Regulari filiusf. sine consensu patris non possit disponere, aut feudum in illo constituere, est, ne juvenili calore, & inconsiderantia ductus, facilè patrimonium dispergat, & postea tristem exitum sentiat. Hinc quoad filiumf. disceditur à communi Regula, qua aliàs Proprietarius sine consensu Usufructuarii rem alienare potest. Magnif. D. Christoph. de Chlingensperg. *cap.* 3. *de feud. quæst.* 3.

55 Dub. 4. utrum Imperator bona, ad Imperium immediatè spectantia, in feudum possit concedere? Resp. posse; si tamen ex Feudis Regalibus, & Majoribus (*so etwas merchliches eintragen, als Fürstentumber, Graffschafften, Stett und dergleichen*) apertum fiat, in feudum illa dare, aut eo nomine Gratias exspectativas concedere sine consensu Electorum nequit, sed hujusmodi Feudi ita aperti reditus in communes Imperii usus applicare tenetur, juxta varias Capitulationes, præsertim novissimas Augustissimi Leopoldi I. *art.* 30. Augustissimi Josephi *art.* 29. & Augustissimi Caroli *art.* 11. Excipiuntur Electoratus vacantes, nam hi necessariò rursus in feudum conferri debent, ne numerus Electorum minuatur, & publica lædatur incolumitas. Atumn. *ad aur. Bull. disc.* 4. *cap.* 7. *th.* 17. Schrader. *de feud. p.* 4. *cap.* 1. *num.* 7. Struv. *cap.* 5. *aphor.* 6. *n.* 2. Horn. *cap.* 5. §. 10. Magnif. D. Christoph. de Chlingensperg. *cap.* 3. *cit. quæst.* 4. Clariss. P. Schmier *cap.* 2. *de pact. & contr. num.* 508. & patet ex *Bull. Aur. tit.* 7. §. 5. ibi, *De ipso providere debebit, & poterit &c.*

56 Quæritur 3. an, & in quibus bonis feuda possint constituere Clerici? Resp. hic distinguendum est inter bona ipsorum Clericorum Patrimonialia, vel quasi Patrimonialia, & inter bona Ecclesiæ, quam administrant. *De bonis Patrimonialibus*; vel *quasi Patrimonialibus* certum est, quòd constituere in iisdem feudum possint, ut patet ex *l.* 2. *feud. tit.* 35. & ratio demonstrat; quoad hæc enim Clerici idem jus retinent, quod in illa habebant, antequam fierent Clerici. Haun. *tom.* 3. *tract.* 9. *num.* 648.

Bona, & res Ecclesiæ duplicis generis sunt; nam aliquæ sunt *Sacræ*, *Religiosæ*, & *Spirituales*: & de his iterum certum est, quòd sicut alienari nequeunt, ita neque in feudum dari possint, cùm sint commercio hominum exemptæ, & in nullius bonis existant *arg. l. pacta* 72. & *l. seq. ff. de contrah. empt.*

57 Aliæ contrà sunt *Temporales*, ad Ecclesiæ fabricam, mensam Prælati, & aliorum ejusdem Ministrorum destinatæ: & hæ, ut licitè, & validè in feudum dentur, adhiberi debent solemnitates Juris, quæ aliàs ad alienationem rerum Ecclesiasticarum requiruntur; aliàs constitutio feudi in tali re non valebit *l.* 1. *feud. tit.* 6. *princ. Proceditque hoc*, etsi Prælatus ipse ejusmodi bona ex reditibus Ecclesiasticis de novo ipsi Ecclesiæ acquisiverit, ut ex communi Zas. *in Epitom. p.* 5. *num.* 13. Rosenthal. *cap.* 4. *concl.* 5. *num.* 2. Laym. *de alien. rer. Eccl.* §. 5. *de feud. n.* 92. Pirhing. *hic num.* 5. & alii docent. Et intelligendum hoc est etiam de Subinfeudatione, ut cum *citt.* notat P. Wiest. *hic num.* 20. *Ratio est*, quia res Ecclesiæ sine dictis solemnitatibus ne quidem locari possunt ad longum tempus, ut dictum est *Tit.* 18. *num.* 28. quia Locatio est quædam alienatio; atqui infeudatio est magis propriè dicta alienatio, quàm Locatio, plusque damni exinde nasci Ecclesiæ potest, quàm per Locationem. ergo à fortiori nec infeudari, vel subinfeudari regulariter hæc bona sine solemnitatibus Juris poterunt.

Dixi *regulariter*; Excipitur enim 1. si infeudatio 58
hæc fiat à Summo Pont. quia hic, cùm Legislator sit, non ligatur solemnitatibus introductis à Jure Canonico: hinc etsi non possit infeudare bona Ecclesiastica licitè sine justa causa, potest tam licitè, quàm validè sine dictis solemnitatibus; quia hæ per authoritatem ipsius supplentur, ut dictum est *Tit.* 13. *num.* 117. *in fin.*

Excipiuntur 2. res modicæ, h. e. exigui valoris; nam istas Prælatus Pontifice inferior sine solemnitatibus Juris alienare potest *can. terrulas* 53. *caus.* 12. *quæst.* 2. & dictum est *Tit.* 13. *cit. num.* 39. ergo multò magis sine iisdem infeudare.

Excipiuntur 3. res aliæ Ecclesiæ in Feudum dari solitæ; has enim, si ad Ecclesiam reversæ fuerint, Prælatus, ubi expedire hoc judicaverit, denuo in Feudum absque dictis solemnitatibus dare potest, etiam non obstante Juramento, quod Prælati faciunt de non alienandis Ecclesiæ suæ rebus, prout habetur *cap. fin. vers. in primo h. tit.* & *l.* 1. *feud. tit.* 1. *princ.* Ratio est, quia talis infeudatio non censetur nova Infeudatio, vel alienatio propriè dicta, sed potiùs antiquæ alienationis, & infeudationis quædam executio: hoc ipso enim, quòd concessio rei in Feudum decreta sit cum consensu Capituli, & authoritate Apostolica, Decreto illo etiam ordinatum censetur, ut imposterum res illa, ubi ad Ecclesiam reversa fuerit, in Feudum denuo concedatur, & alienatio continuetur.

Dub. 1. quando censeri debeant res Ecclesiæ infeudari solitæ ad effectum, ut possint etiam sine solemnitatibus iterum infeudari? Non conveniunt DD. nam aliqui volunt unam dumtaxat solemnem talis rei infeudationem sufficere; alii plures exigunt; alii petunt, ut saltem à tempore longissimo, vel immemoriali in feudum concessa fuerit. 59

Videntur opiniones istæ conciliari per distinctionem posse. Vel enim constat, quòd res, de qua infeudanda agitur, aliquando legitimè infeudata fuerit, vel dubium est, an præcesserit talis concessio.

Si primum, tametsi post breve tempus ad Ecclesiam revertatur, rursum infeudari poterit absque solemnitate, prout *in c. ut super* 8. *de reb. Eccl. non alien.* docet Abb. *num.* 11. & cum eo præcipui in Jure Feudali DD. Sumitur ex *c. fin. h. tit.* ubi Innocentius III. iteratam concessionem feudi, ad Ecclesiam reversi, permittit liberè, *Si expedire videbitur*, sine ulla mentione temporis, quo facta sit prima concessio, aut numeri, quoties facta sit, non obscuro indicio, quòd sufficiat rem etiam semel duntaxat fuisse legitimè infeudatam, ut iterum infeudari possit, neque tunc requiri aut certum tempus, aut solemnitates alias.

Si secundum, exigetur, ut 40. saltem annis in feudum res illa concessa sit, ut rectè Everhard. *vol.* 2. *cons.* 19. *n.* 16. cum aliis: & ratio est, quia ex tanto tempore, non verò antea præsumuntur solemnitates intervenisse, & rite omnia fuisse acta, nisi de contrario constet, vel alia quæpiam præsumptio stet in contrarium, quæ illam alteram præsumptionem ex lapsu 40. annorum desumpta enervet, vel eidem æquipolleat.

Dub. 2. an absolutè, & in omni casu concessum sit res ab antiquo infeudari solitas, absque solemnitatibus Juris denuo infeudare? Resp. in quibusdam casibus concessum non esse; nam 1. excipitur, si bona illa, postquam ad Ecclesiam reversa sunt, mensæ Ecclesiæ incorporata fuerint; tunc enim cessant esse feudalia, quia dominium utile consolidatur cum directo. 2. si mutato rerum statu non amplius videatur expedire, ut res hujusmodi de novo concedantur in feudum. Colligitur ex *c. fin. h. tit.* ibi *Si viderit expedire*. igitur si non expediat, in feudum

dari

...ari non poterunt. 3. si sit specialis consuetudo alicujus Ecclesiæ, aut conventio inter Prælatum, & Capitulum, ut renovatio feudorum ad Ecclesiam reversorum fiat cum consensu Capituli; tunc enim ea observanda est, quia consuetudo est instar Legis, & contractus ex voluntate Contrahentium Legem accipiunt. 4. si res feudalis ad Ecclesiam reversa communiter pertineat ad Prælatum, & Capitulum; tunc enim reinfeudari non potest absque consensu Capituli. 5. si Laicis infeudatæ sint Decimæ; & postliminio ad Ecclesiam reversæ; nam istæ probabiliùs iisdem denuo infeudari non possunt, nisi à Summo Pont. quia post Concil. Lateran. sub Innoc. III. celebratum huic solùm concessum est eas infeudare *juxta cap. cùm Apostolica 7. de his, quæ à Prælat.* & *cap. statuto 2. §. sanè de Decim. in 6.*

6 Dub. 3. utrum res feudales, ad Ecclesiam reversas, Capitulum Sede vacante denuo infeudare possit? *Ratio dubitandi est*, quia Infeudatio est quædam species alienationis, & liberalitatis; hæc autem Capitulo, Sede vacante, de rebus Ecclesiæ non est permissa, juxta dicta *Tit. 9. num. 50.*

Complanati difficultas hæc ope distinctionis potest: Vel enim res illæ ad solum Episcopum, seu Prælatum spectant, vel ad solum Capitulum, vel sunt bona utrique, Capitulo sc. & Prælato, communia. *Si primum*, Capitulum, Sede vacante, ejusmodi bona infeudare non potest, sed exspectandum est usque ad novi Episcopi, vel Prælati Electionem, & Confirmationem; quia Capitulum, Sede vacante, Episcopo, vel Prælato succedit tantùm in administratione, & Jurisdictione necessaria, non verò etiam in voluntaria, & in iis, quæ sunt liberalitatis, & gratiæ, cujusmodi est feudum ad Ecclesiam reversum de novo infeudare. *Si secundum*, & res in feudum dari solita spectet ad solum Capitulum, istud, Sede etiam non vacante, hujusmodi rem iterum infeudare potest, neque opus est consensu Prælati, & aliis solemnitatibus aliàs de Jure requisitis; quia Capitulum plenam istarum rerum administrationem habet. *Si tertium*, & ejusmodi res, ac bona feudalia Prælato, & Capitulo communia sint, duplex est sententia, una affirmantium, eo casu potestatem infeudandi hujusmodi bona competere Capitulo Sede vacante; altera eam potestatem negantium: & hæc probabilior est; quia nuspiam legitur, quòd dispositio de hisce bonis sit concessa Capitulo.

Ex his patet ad *Rationem dubitandi*; quia Capitulo, Sede vacante, solùm interdicta est alienatio illorum bonorum, quorum ipsum administrationem plenam non habet.

62 Dub. 4. quomodo Prælatus rem feudalem, ad Ecclesiam reversam, denuo infeudare possit? Resp. debet in hoc servare modum infeudationis priùs decretæ, aut ab antiquo fieri solitæ, ita, ut nova concessio non sit damnosa, nec minùs utilis Ecclesiæ. Et hinc 1. irrita saltem, quoad excessum, foret, si res, antea concessa in feudum Temporale, concederetur in feudum perpetuum. 2. si antè concessa pro masculis, vel consanguineis tantùm, nunc porrigeretur ad extraneos, aut fœminas. 3. si concessa minùs potenti transferretur in potentiorem.

Quorum omnium ratio est; quia sic concedendo immutaret modum primæ concessionis; modum autem primæ concessionis immutare sine solemnitatibus à Jure præscriptis non potest, ut à Rota iteratò, & à Camera Imperiali toties judicatum restantur Tambur. *tom. 3. de Jur. Abb. D. 14. quæst. 7. num. 2. in fin.* & Rosenthal. *cap. 4. concl. 37. num. 1.* Accedit specialis ratio pro tertio casu; quia transferendo in potentiorem Prælatus conditionem Ecclesiæ difficiliorem redderet, quippe à quo tam facilè ampliùs recuperare feudum non posset Ecclesia.

Excipitur, si Vasallus feudum, à se ad Ecclesiam devolutum, nollet dimittere, & Ecclesia ob potentiam ipsius illum ad dimittendum feudum non posset cogere; tunc enim id alicui potentiori, qui recuperare illud à priore Vasallo posset, etiam non adhibitis solemnitatibus, concedere Prælatus posset, prout *cap. fin. h. tit. ad 3. quæsitum* respondit Pontifex. *Ratio est*, quia Ecclesiæ melius, & utilius est habere Vasallum, qui feudum ab ipsa acceptum recognoscat, quàm alium, qui minùs quidem sit potens, directum tamen dominium eidem negat.

Porro, quæ hactenus dicta sunt de bonis Ecclesiæ infeudari solitis, applicari cum proportione debent, & possunt quæstioni, qua quæritur, an, & quomodo bona Ecclesiæ Emphyteuticari solita denuo in Emphyteusin à Prælatis Ecclesiæ concedi possint?

Quæritur 4. an Prælatus Infeudationem rei feudalis promittere in casum apertionis possit? *Ratio dubitandi est*, quia est promissio de successione viventis, sc. de concedenda Investitura feudi ab alio adhuc possessi. atqui hujusmodi promissio nullam vim obligandi habet, cùm ansam præbeat captandæ, vel optandæ mortis alienæ. *Conf.* quia ob ejusmodi occasionem datam Jure Canonico *cap. qui in vivorum 1. & duob. seqq. de concess. Præbend. non vac.* & *cap. detestanda 2. eod. in 6.* irritatæ sunt Collationes, ac promissiones Beneficiorum non vacantium; Civili autem *l. stipulatio 61. ff. de O. & A.* & *l. fin. C. de pact.* reprobantur pactiones initæ de successione, & hæreditate viventis. 64

Verùm his non obstantibus, respondendum est affirmativè. Patet ex *l. 1. feud. tit. 3. vers. sed & illa, l. 2. tit. 26. §. moribus 2. vers. nisi tibi, & tit. 35. vers. ubi verò*, quibus textibus disertè habetur, quòd ejusmodi promissio subsistat, eamque sic promittens, aperto feudo implere debeat. Accedit ratio; quia *cap. fin. h. tit. vers. in primo.* Prælato conceditur facultas res, in feudum concessas, & ad Ecclesiam reversas, liberè reinfeudandi. Igitur hoc ipso etiam concessa facultas censetur Investituram promittendi alteri in casum apertionis ejusdem, si hæc, durante administratione sua eveniat; quia regulariter, quæ Jure concedi possunt, etiam promitti possunt in casum, quo possunt concedi, nisi promissio specialiter prohibita sit. 65

Ad rationem dubitandi, ejusmodi promissione non per se, sed præter intentionem promittentis præcisè per accidens datur occasio captandæ, vel optandæ mortis alterius: quod si irritam promissionem faceret, etiam irritas faceret Substitutiones, Fideicommissa, & alios Contractus in eventum mortis alterius initos. *Ad Conf.* negatur paritas; nam de promissione Beneficii non vacantis, & pactione de hæreditate viventis specialis in Jure extat prohibitio, nulla autem ejusmodi prohibitio habetur de promissione Investituræ in casum apertionis. *Neque obstat*, quòd eadem sit in utroque ratio; quia versamur in materia odiosa, ubi à paritate rationis Argumentum non valet. 66

Dub. 1. utrum si Antecessor Prælatus Feudum promisit alteri in casum apertionis ejusdem, sed illo mortuo primùm aperiatur feudum, promissione hac adstringatur ejusdem successor? *Videtur adstringi*; nam etiam casu, quo Dominus feudi Laicus promissionem ejusmodi fecit, ejus promissionis obligatio ad hæredes ejusdem transit. 67

Sed tenenda est negativa sententia, prout clarè habetur *l. 1. feud. tit. 3. pr. & l. 2. tit. 26. §. moribus 2. vers. secus est*, & *tit. 35. vers. cumque.* Ratio est, quia Prælati, cùm rerum, ad Ecclesias sibi commissas pertinentium, non domini, sed Procuratores duntaxat sint, rerum præsentium tantùm, & dum vivunt, emergentium administrationem, ac dispositionem habent, non futurarum, & post mortem suam gerendarum; proinde successorum suorum administrationi præjudicare non possunt: quod fieret, si de feudo, post mortem suam ad Ecclesiam, vel Monasterium reversuro, possent disponere.

Neque est paritas cum Dominis Feudorum Laicis; quia successor in Prælatura Dignitatem suam non hæreditario, & à defuncto accepto jure, sed jure Electionis, vel Postulationis &c. à Superiore consequitur; is autem, qui nullam ab Antecessore causam habet, ejusmodi factum præstare, & promissionem implere non tenetur, ergo &c.

Dub. 2. an successor talis teneatur hujusmodi promissione Antecessoris saltem casu, quo illa cum Capituli consensu facta est? *Videtur* respondendum negativè ob textus ex Jure feudali *num. præced.* allegatos, qui generaliter negant successores teneri ad implendas promissiones, quas Antecessores eorum Prælati fecerunt de feudis nondum apertis, neque distinguunt, an cum, vel sine Capituli consensu factæ sint. 68

Sed adhuc dicendum, successorem obligari hujusmodi promissione. Ita Matth. de Afflict. Joan. de Anania, Vultejus &c. quos citat, & sequitur Rosenthal *cap. 6. concl. 16. num. 7.* Ratio est, quia pactiones, promissiones &c. quæ à Prælato cum Capituli consensu fiunt, censentur factæ ab ipsa Ecclesia, vel Monasterio, utpote cujus personam simul repræsentant; Ecclesia autem, vel Monasterium tenetur stare pactionibus, aliisque suis actibus, ne datam fidem fallere, & secum pacifcentes fraudare videatur. ergo &c. *Conf.* quia successor in Prælatura non teneretur implere promissionem Ecclesiæ, nemo facilè cum Ecclesia, vel ejus Prælato, & Capitulo vellet contrahere, quod cederet in maximum damnum ipsius Ecclesiæ.

Neque obstat textuum *cit.* generalitas; nam ratio, & autori-

thoritas DD, maxima eam restringi jubet ad promissiones feudi, à Prælato sine Capituli consensu factas. *Ad Conf.* disparitas patet ex dictis; quia promissio, à Prælato sine Capituli consensu facta, non censetur esse promissio ipsius Ecclesiæ, qualis tamen censetur illa, quæ facta est ab eodem cum consensu Capituli.

69 Dub. 3. an promissio Investituræ in casum apertionis fieri possit etiam casu, quo possessor feudi liberos habet, ut adeo spes consolidationis tam propinqua non sit; *Videtur* tenenda negativa. 1. quia Dominus solùm potest hujusmodi infeudationem promittere de feudo, quod ad Dominum reverti speratur. sed tale feudum, cujus possessor liberos habet, non speratur ad Dominum reverti. ergo &c. 2. nullum oritur jus ex tali Exspectativa conditionali. 3. si jus aliquod orireur, transiret ad hæredes promissarii, & in hæredes promittentis.

Sed respondendum est affirmativè. Patet ex *l. 2. feud. tit.* 35. ubi generaliter, & non attento hoc, an Vasallus liberos habeat, nec ne, cautum est, ut vivente feudi possessore alius sub conditione, & tempore, quo feudum aperiatur, investiri à Domino possit.

Neque contrarium probant Rationes dubitandi allatæ. *Ad* 1. sufficit, quòd ejusmodi feudum in casu possibili, & qui humanitus aliquando, ac facilè potest contingere, conditio impleri possit: & talis est conditio aperturæ, etsi præsens possessor feudi liberos habeat; nam & hi mori possunt. *Ad* 2. ex tali Exspectativa conditionali oritur jus ad rem, & actio personalis, qua dominus ita obligatur, ut si facultatem rei tradendæ habeat, præcisè ad feudum tradendum teneatur, nec præstando interesse liberetur. *Ad* 3. Exspectativa hæc transit ad hæredes promissarii; quia his Dominus vi promissionis obligatur, non secus, ac ipsi promissario *l. 1. feud. tit.* 9. & in hæredes promittentis; quia etiam hi Exspectativam servare tenentur, modò non adjiciatur expressa restrictio ad solam personam promittentis.

70 Quæritur 5. an possit aliquis sibi ipsi in re sua constituere feudum? Resp. affirmativè: quod fieri potest, si quis Allodialia sua bona transferat in alterum, & ab ipso in feudum recipiat; vel cùm quis rem suam propriam dicit, & recognoscit se ab aliquo feudi nomine possidere: quod olim in Germania nostra usitatum fuisse apud Nobiles, antiqua Investiturarum instrumenta comprobant: atque hoc ea ratione, ut in potentioris alicujus tutelam, defensionem, & protectionem transirent. Menoch. *l. 3. præsumpt.* 91. *num.* 44. Schrader. *tract. feud. p.* 5. *cap.* 5. *num.* 3. Rosenthal. *de feud. cap.* 2. *concl.* 24. *num.* 1. Gail. *l.* 2. *obs.* 158. *num.* 1. Magnif. D. Christoph. de Chlingensperg. *de feud. cap.* 3. *quæst.* 8. Effectum talis constitutio istum habet, quòd per eam res Allodialis veri feudi naturam induat, & feudum novum constituatur, in quo proinde, nisi specialiter hoc agatur, fœminæ non succedunt. Zas. *Eptim. p.* 3. *de feud. num.* 8. *in fin.* Schrader *p.* 5. *cap.* 3. *num.* 93. Rosenthal. *cap.* 2. *concl.* 48. *num.* 28.

§. III.

De Subjecto Feudi, & Modis hoc acquirendi.

S U M M A R I U M.

Quæritur 1. quibus personis concedi Feudum possit? Resp. Regula generalis est, quòd Feudi accipiendi sit capax omnis ille, qui exprefsè non prohibetur; nam *personam Investituram accipientis non distinguimus*, ut dicitur *l. 2. feud. tit.* 3. §. 1. *verf. personam*. Hinc

71 1 Feudum accipere potest etiam *Fœmina*. *Neque obstat*, quòd fœminæ ad militiam aptæ non sint: quia etsi secundùm primævam feudorum naturam, & originem ii tantùm capaces feudorum fuerint, qui sunt idonei ad militiam, successu tamen temporis à rigore isto recessum est, & hoc ipso ab eo recedere censetur dominus, quòd in feudo investiat fœminam; censetur enim tacitè admittere, ut servitia, quæ ipsa expedire nequit, per substitutum præstet. Haun. *tom.* 3. *de J. & J. tract.* 9. *num.* 651. Magnif. D. Christoph. de Chlingensperg *de feud. cap.* 3. *quæst.* 10. Clariss. P. Schmier *cap.* 2. *de pact. & contr. num.* 523.

72 2 *Filiusfamilias*; quia nullo Jure feudi recipiendi factus est incapax. Ubi inter bona ipsius feudalia, & adventitia ejusdem hoc discrimen interjacet, quòd in his Usufructus competat patri, non verò in feudalibus, prout Vult. *l. 1. cap.* 4. *num.* 8. Borchold. *cap.* 5. *numer.* 48. Haun. *tract.* 9. *cit. num.* 652. Magnif. D. Christophor. de Chlingensperg. *cap.* 3. *cit. quæst.* 13. cum aliis notant. Ratio multiplex est. 1. quia feuda habent naturam bonorum Castrensium, vel quasi, ut Struv. *Synt. feud. cap.* 5. *aphor. ult. num.* 4. Vvesenbec. *de feud. cap.* 5. *num.* 4. & alii notant. igitur sicut Castrensium, & quasi Usumfructum filiusf. habet, ita etiam feudalium. 2. possunt filiof. etiam bona adventitia ea lege ab extraneo dari, ut Usufructus eorum non ad patrem, sed ad filium spectet. igitur etiam feudum: censetur autem ea lege dominus dedisse feudum filio, ut Usufructus spectaret ad ipsum; quia ipsi, non patri feudum concedens benefacere voluit. 3. naturaliter inest feudo, ut is lucretur fructus, qui investitus est; aliàs non Beneficium, sed onus imponeretur præcisè, si tanquam Vasallus præstare deberet servitia, & fructibus feudi gaudere non posset. censetur autem Feudum collatum secundùm naturam feudi. ergo &c.

73 3 *Minor*: Neque ad hoc opus est, ut accedat Authoritas Curatoris; & procedit istud non tantùm quoad favores, quos feudum Vasallo affert, sed etiam quoad obligationem ad servitia personalia; nam ad hæc ut obligare se possit, Minor Curatoris sui authoritate non indiget: cujus ratio est, quia Curator rebus tantùm Minoris datur, non autem personæ, ut proinde Minor in iis, quæ personam concernunt, à Curatore suo non dependeat, ut communiter notant DD. *in l. puberes* 101. *ff. de V. O. & l. obligari* 43. *ff. de O. & A.* Præstat verò minor servitia hæc per substitutum *l. 2. feud. tit.* 26. §. 5.

74 4 *Pupillus*: ubi tamen interest, an feudum recipiat cum, vel sine authoritate Tutoris. Cum authoritate Tutoris sui si feudum recipiat, Contractus cum eo initus ex utraque parte reciprocam obligationem inducit, ita, ut obligetur eo non tantùm Dominus directus Pupillo, sed etiam Pupillus ipsi. Juramentum tamen fidelitatis differtur, usque dum ad illud præstandum fiat habilis, Schrader. *p.* 4. *c.* 3. *n.* 4. Magnif. D. Christoph. de Chlingensperg. *c.* 3. *de feud. qu.* 11. Quodsi feudum recipiat sine Tutoris sui authoritate, instar aliorum Contractuum cum Pupillo initorum claudicat, ita, ut Pupillus quidem feudi utilitatem percipiat, conf. Dominus eidem obligetur, non verò ipse, quamdiu minor est, obligetur Domino, nisi major factus Contractum ratificet. Haun. *tom.* 3. *de J. & J. tract.* 9. *n.* 651. *verf. quoad illas personas*. Ratio est, quia Pupillus sine authoritate Tutoris contrahens conditionem suam meliorem quidem, non tamen deteriorem potest efficere. *pr. Inst. de Auth. Tutor.*

75 5 *Furiosus, Prodigus, Surdus, Mutus, & Cæcus*. Rosenthal. *cap.* 3. *concl.* 8. Haun. *num.* 653. Magnific. D. Christoph. de Chlingensperg. *quæst.* 12. & sumitur ex *l.* 2. *feud.*

feud. tit. 36. ibi, *Mutus, & surdus, cæcus, claudus, vel aliter imperfectus, etiamsi sic natus fuerit, totum feudum parentum retinebit.* Neque obstat, etsi ad servitia, vi feudi præstanda, vel omnino existant inhabiles, vel saltem ob defectum non satis idonei; quia aut feudum tale antiquum, aut novum est: si antiquum, personæ istæ in eo succedunt Jure consuetudinario, & vi primi Contractus; si novum, hoc ipso, quòd Dominus his personis constituat feudum, si scivit tali defectu illas laborare, præsumitur hanc gratiam ipsis fecisse, ut per Substitutum possint servire. Vult. *cap.* 4. *num.* 11. Struv. *cap.* 5. *aphor.* 14. Clariss. P. Schmier *cap.* 2. *de pact. & contr. num.* 525. cum *citt.*

77 6 *Servus:* huic tamen si Dominus proprium feudum dat, facit eum liberum, non secus, ac quando eum hæredem instituit, nisi hoc ignorans esse servum fecisset. Haun. *num.* 651.

7 *Communitas:* istæ tamen plerumque Investituram accipiunt per quasi Vasallos, *Lehentrager*, quorum morte renovatio Investituræ petenda est. Horn. *cap.* 5. §. 33. P. Schmier *num.* 527.

Ex quo sequitur, omnes ferè homines feudorum recipiendorum capaces esse, si non sint Hæretici, Apostatæ, Excommunicati, Banniti, Rei criminis læsæ Majestatis, aut horum filii, de alio publico crimine damnati, vel tales, qui quocunque ex capite honestè in Curia Domini stare non possunt; nam hi feuda accipere prohibentur. Borcholt. *de feud. cap.* 5. *ad fin.* Rosenthal. *cap.* 3. *concl.* 23. Horn. *cap.* 5. §. 36. Schamb. *de feud. tit.* 7. *num.* 16. Magnific. D. Christoph. de Chlingensperg *cap.* 3. *quæst.* 15. Konig. *hìc num.* 32. & sumitur ex *l.* 2. *feud. tit.* 37. Inter sic prohibitos iidem DD. referunt etiam infames, & natos ex incestis; aut nefariis nuptiis. Hæretici in Germania, quia publicè tolerantur, ideo etiam ad feuda recipienda capaces sunt redditi.

Quæritur 2. an Ecclesiastici possint accipere feudum, & tanquam Vasalli Sæculari cuidam Principi obligari? In negativam inclinat Zas. *p.* 5. *num.* 72. Laym. *l.* 3. *tr.* 4. *cap.* 24. *n.* 10. *vers. quartò*, Mynsing. *cent.* 5. *obs.* 48. & colorare eandem videntur. 1. speciosi textus *l.* 2. *feud. tit.* 21. *tit.* 26. §. *si quis* 4. *vers. qui Clericus*, *tit.* 30. *vers. ex hoc*, & denique *tit.* 36. quibus textibus Clerici, & Religiosi simpliciter, & absolutè Feudorum incapaces pronuntiantur ex ratione, quòd desierint esse milites hujus sæculi, qui facti sunt milites Christi. 2. quia Clericus est inhabilis ad jurandam fidelitatem, & exequendum ea, quæ in illo Juramento continentur, cùm contenta in formula Juramenti sint eidem prohibita *arg. l.* 2. *feud. tit.* 6. 3. quia licèt subinde servitia personalia præstari per substitutum possint, Clerici tamen ab his serviriis, etiam hoc modo præstandis Domino, prohiberi videntur, ut probabiliter desumitur ex *l.* 2. *feud. tit.* 21. ubi de Vasallo milite, qui militia deposita, Religionem ingressus est, quæstio mota fuit, an per substitutum servitia præstare possit, & feudum retinere; sed judicatum ibidem est, *Domini, vel agnati conditionem esse meliorem.*

78 Verùm his non obstantibus, dicendum, Clericos, saltem Sæculares, feudorum recipiendorum per se loquendo incapaces non esse. Ita Clar. §. *feudum qu.* 78. *num.* 3. Rosenthal. *cap.* 3. *concl.* 3. *& duabus seqq.* Fachin. *l.* 7. *contr. cap.* 34. *in fin.* Schrader. *p.* 4. *cap.* 3. *num.* 7. Obrecht *tract. de feud. l.* 2. *cap.* 2. *num.* 5. *& seqq.* Horn. *cap.* 5. §. 29. Herm. Hermes *fasc. Jur. publ. cap.* 29. *num.* 24. Haun. *tom.* 3. *tract.* 9. *num.* 654. Konig. *hìc n.* 30. Vviest. *ibid. num.* 49. Magnif. D. Christoph. de Chlingensperg. *cap.* 3. *quæst.* 14. Clariss. P. Schmier *cap.* 2. *de Pact. & Contract. numer.* 524. Fundamentum sententia ista in Jure utroque, & consuetudine legitimè recepta habet; nam 1. *cap. ex transmissa* 6. *&c. verum* 7. *de for. compet.* Clerici ad feuda expressè admittuntur. 2. *l.* 2. *feud. tit.* 40. §. *item si* id ipsum supponitur. 3. passim videmus, præsertim in terris Imperii, quòd Episcopi, Abbates, & aliæ personæ Ecclesiasticæ obtineant feuda, etiam majora, & Regalia, Dignitati suæ annexa. *Proceditque hoc*, non tantùm de Feudis, quæ Franca sunt, aut obsequium tantùm reale à Vasallo exigunt, sed etiam, quæ obnoxia sunt obsequio personali, si hoc à persona Ecclesiastica honestè obiri possit, vel præstari per substitutum, ut cum aliis *l. cit.* advertit Konig. Aliter loquendum de Feudis, quæ exigunt obsequium personale incompatibile cum statu Clericali, à persona Vasalli ipsa personaliter exhibendum; nam ab his Clerici excluduntur non ob incapacitatem personæ, sed incompatibilitatem obsequii.

79 Ad Argumenta contraria non est difficilis responsio. *Ad* 1. textus illi in præsenti materia curandi non sunt; quia Leges Civiles de rebus ad Ecclesias, vel Ecclesiasticas personas spectantibus specificè nil possunt disponere ob defectum Jurisdictionis in illas. Deinde esto, illo Jure exclusi à feudis fuerint Clerici, nunc saltem ipsos ad illa admittit consuetudo, qua, ut in aliis multis, ita etiam in hoc à propria feudorum natura recessum est. *Ad* 2. nulla est repugnantia Juramenti fidelitatis cum Statu Clericali, modò illa exhibenda non sit per obsequia personalia cum eodem Statu incompatibilia. *Ad* 3. id procedit in feudis, quæ exigunt obsequium personale incompatibile, exhibendum ab ipso Vasallo.

Dub. 1. an feudorum Laicalium capaces sint etiam 80
Regulares Professi? Negativam defendunt Decius *cons.* 131. *num.* 2. Cravett. *cons.* 303. *num.* 7. Natt. *cons.* 600. *num.* 10. *& seqq.* Afflict. *decis.* 320. *num.* 10. *fin. vers. ideo propter Juramentum*, Capyc. *decis.* 31. *num.* 3. *vers. sed si est factus Monachus*, Præposit. *tit. qui feud. dar. poss.* §. *& quia num.* 18. *usque ad* 53. Rosenthal. *cap.* 6. *concl.* 29. *per tot.* Spada *cons.* 57. *num.* 10. *& seq. vol.* 1. Cardin. de Luca *de feud. disc.* 34. *& seqq. & alibi eod. tit*, Rota *decis.* 1462. *num.* 55. *coram Coccino*, *& decis.* 1595. *num.* 12. *coram eodem*, pluresque alii, quos refert Vincent. Petra *tom.* 1. *Comment. fol.* 439. *num.* 2. Militanr pro hac sententia Argumenta tum communia cum iis, quæ Clericis *num.* 77. opposita sunt, tum specialia ratione proprii ipsorum Status. 1. quia sic determinatur à Juribus feudalibus. 2. quia ligantur Voto Paupertatis, quo cùm abdicarint à se dominium quodcunque, ideo nequeunt illud ampliùs reassumere pro feudo administrando. 3. quia Vasallus debet præstare Domino homagium, & fidelitatem promittere; quod non videtur cadere in Religiosum Professum. Unde putant DD. *citt.* Religiosos Professos omnino incapaces esse feudi Laicalis, imò etiam Monasterium ex persona Professi, & dicunt eo ipso, quòd Professionem emittant, illos feudum, quod habent, amittere, locumque dare proximiori agnato, si talis aliquis adsit, vel si non adsit, devolvi feudum ad Dominum directum.

Sed dicendum, etiam Religiosos Professos feudorum, 81
quantumvis Laicalia illa sinr, modò servitium personale cum Statu Ecclesiastico, & Religioso incompatibile nullum exigant, capaces esse: idque verum est, sive feudum devolutum ad ipsum sit post Professionem, sive antè illam; nam utroque casu feudum ad ipsum transit, ita tamen, ut illud non sibi, sed Monasterio suo acquirat, à quo proin tale feudum retinebitur, quamdiu Religiosus Professus vivit, hoc mortuo autem, dimitti debet, nisi forsan concessum esset Religioso intuitu Monasterii, quo casu penes Monasterium manebit perpetuo. Rosenthal. *cap.* 3. *concl.* 4. Fagnan. *in cap. quæ in Ecclesiarum de Constit. num.* 107. Haun. *tom.* 3. *tract.* 9. *num.* 654. *in fin.* Magnif. D. Christoph. de Chlingensperg. *cap.* 3. *de feud. qu.* 15. Vincent. Petra *tom.* 1. *comment. fol.* 440. *num.* 13. & cæteri, qui ad hujusmodi feuda admittunt Clericos Sæculares. Sumitur ex *cap. un.* §. *verùm de Stat. Regul. in* 6. ubi Religiosi ad feuda expressè admittuntur.

Addidi, *Modo tale feudum non exigat servitium in-* 82
compatibile; nam si feudum, exigens servitium incompatibile, devolvatur ad Religiosum Professum, statim ex incapacitate aperitur via ulteriori vocato, vel Domino feudi. Secus, si sit adhuc Novitius; nam cùm iste sit adhuc in statu retractabili, non aperitur terminus alteri vocato, nisi facta Professione. Graff. *de Effect. Clericor. eff.* 4. *à num.* 82. Card. de Luca *Annot. ad Discurs.* 17. *de feud. in Supplem. à num.* 6. Petra *tom.* 1. *comment. fol.* 443. *num.* 37. *&* 38. Quod ob eandem rationem dicendum de Scholasticis, & Coadjutoribus nondum formatis in Societate JESU, saltem antequam renuntiaverint bonis suis, cùm licèt ipsi Societati se in perpetuum obligent, non tamen ipsis in perpetuum, & absolutè se Societas obliget: cons. sunt etiam ipsi adhuc in statu retractabili.

Neque obstant Argumenta contraria. *Ad* 1. Jura feu- 83
dalia, ut *n.* 79. dictum est, nequeunt excludere Personas Ecclesiasticas. *Ad* 2. id nimium probat; sequeretur enim, quòd Religiosus in quacunque Religione etiam excluderetur ab hæreditate, dominio, & possessione quacunque: unde dicendum, etsi ob votum Paupertatis adsit incapacitas in Religioso, remanere tamen capacitatem in Monasterio, si illud possessionis bonorum in communi sit capax. *Ad* 3. quòd Religiosus Status non faciat incapacem præstandi homagii, patet ex *c. un. de Stat. Regul. in* 6. ubi permittitur Abbatissæ, ut cum honesta, & decenti Societate posset egredi è Monasterio ad dictum homagium præstandum: cui permissioni etsi per S. Pium V. derogatum fuerit, & statutum, ne in hunc finem

Abbatissæ egrederentur Monasterio, circa capacitatem tamen jurandi fidelitatem, & præstandi homagium nihil immutatum ab eo fuit, sed egressus solùm prohibitus ob majorem decentiam, cùm decentius sit homagium ab Abbatissa præstari per Procuratorem. Petra *tomo 1. comment. fol.* 441. *num.* 22.

84 Dub. 2. an Milites Ordinum Equestrium capaces sint feudi proprii, & exigentis servitium incompatibile cum Statu Clericali? Affirmant Nevizan. *conf.* 30. Natt. *conf.* 507. *&* 508. Spada *conf.* 59. *l.* 1. *num.* 1. *&* 20. *per totum*, Graff. *de Effect. Clericor. effect.* 4. *num.* 69. Capon. *discept.* 121. *num.* 44. Herman. Hermes *fasc. Jur. publ. cap.* 29. *num.* 24. Engl. *hic num.* 24. ex ratione, quia non sunt incapaces militiæ, ut adeo parati esse possint ad defensionem proprii domini. igitur nulla respectu ipsorum est repugnantia, quin & ipsi, tanquam proximi agnati ad successionem feudi antiqui admittendi sint.

85 Sed dicendum, præscindendo à specialibus Statutis, & consuetudinibus istorum Ordinum, Equites Regulares capaces non esse feudi proprii. Ita apud Gratian. *discept. for. cap.* 456. *num.* 47. *& cap.* 881. *num.* 6. & Rosenthal *cap.* 7. *concl.* 30. *num.* 3. *& seqq.* complures DD. & cum his Sperell. *decis.* 20. *per totam* Riccius *decis.* 201. *num.* 7. *p.* 1. Franch. *decis.* 479. *num.* 4. Card. de Luca *Disc.* 16. *de feud. num.* 2. Vincent. Petra *tom.* 1. *comment. fol.* 447. *num.* 95. & patet ex Stabilimentis Ordinis Equestris S. Joannis Jerosolimitani, in quibus prohibetur præstatio servitii militaris in bello contra fideles, ut innuit Card. de Luca *l. cit.* Petra *fol.* 448. Et ratio est, quòd cùm Religiosi sint, militia illorum dirigi debeat ad finem supernaturalem, ad quem non dirigitur, in qua pugnatur solùm ad finem politicum.

86 Ex quo sequitur ad rationem dubitandi allatam.

Dub. 3. an si aliquis Religiosus factus sit Episcopus, & ad ipsum devolvatur feudum, ejusdem sit capax? Resp. distinguendo: Vel enim tale feudum exigit servitium incompatibile, vel compatibile. *Si incompatibile*, certum est non esse capacem: redibit ergo feudum ad dominum directum, non ratione personæ, sed ex defectu finis. *Si compatibile*, talis Episcopus, etsi assumptus sit ex Ordine incapace successionis hæreditariæ, & possessionis bonorum immobilium in communi, succedit, sed quia ligatur Voto paupertatis Religiosæ, illud non sibi, sed Ecclesiæ suæ lucratur, eo modo, quo feudum delatum Regulari Professo transit ad Monasterium. Ita Fagnan. *in cap. quæ in Ecclesiarum de constit. à num.* 57. *& seqq.* Petra *tom.* 1. *comm. fol.* 441. *num.* 18. *& seqq.* & teste Card. de Luca *de feud. disc.* 47. *numer.* 20. judicatum est in causa feudi Castillonis Lacus Trasymeni, spectantis ad Cameram Apostolicam; nam cùm illud per obitum Ducis à Cornea devolutum fuisset ad fratrem ipsius Episcopum Squillacensem, assumptum ex Ordine Prædicatorum, ipsa Camera ad transactionem devenit, in qua Episcopus laudatus recepit scuta viginti millia pro omni ejus jure: sed malè fuisset ita transactum, si Episcopus Regularis non esset capax feudi; quia tunc nullum habuisset jus ad feudum, quod in transactione memorata supponitur. ergo dicendum, talem Episcopum feuda ad se devoluta, vita durante, acquirere pro Ecclesia.

87 Dub. 4. quodnam feudum dici debeat esse incompatibile cum Statu Clericali? Card. de Luca *disc.* 54. *de feud. num.* 19. dicit incompatibile esse omne illud, in quo debet præstari Juramentum fidelitatis; quia continet in se implicitè onus serviendi personaliter in militia. Sed quia ex hactenus dictis liquet, Episcopos, Clericos, imò Religiosos Juramenta fidelitatis præstare dominis feudorum posse, quin propterea obligentur ad militandum personaliter sub domino Laico, idcirco dicendum, tunc solùm pro incompatibili habendum feudum aliquod, quando obligat ad servitium, Statui Clericali repugnans, exhibendum ab ipsa persona Clerici, vel ad obsequium personale indeterminatum, ita, ut impetrari eidem possit à Domino, qualecunque ipsi libuerit. Petra *fol.* 446. *num.* 69.

88 Dub. 5. quid dicendum de Clericis, qui in Minoribus duntaxat Ordinibus constituti sunt? Resp. apud hos distinguendum esse, an Beneficiati sint, vel nullum Beneficium Ecclesiasticum habeant. *Si hoc secundum*, perinde, ac Laici ad quodcunque feudum, adeoque etiam incompatibile cum Statu Clericali, recipiendum habiles sunt, modò Statum Clericalem dimittant, ut ex communi testantur Clar. §. *feudum qu.* 78. Laym. *lib.* 3. *tract.* 4. *cap.* 24. *num.* 10. *vers. quartò*, Petra *tom.* 1. *comment. fol.* 442. *num.* 35. *Si primum*, à successione feudi incompatibilis etiam ipse excluditur: potest tamen, si res adhuc integra sit, & antequam per mortem ultimi possessoris eveniat casus succedendi, Beneficium, & Clericatum dimittere, & sic feudi recipiendi capacem se reddere. Jacob. Emerix *decis.* 726. *num.* 12. *&* 13. & ab hoc *citt.*

Quæritur 3. quot modis acquiratur Feudum? Resp. acquiri diversis potest, quorum alii sunt inter vivos, alii mortis causa. De posterioribus dicam §. *seq.* Priores sunt Pactum, & Investitura, Donatio, Emptio, Permutatio, Præscriptio. De Præscriptione feudi dictum est *Libr.* 2. *tit.* 26. *num.* 36. Donatio, Emptio, Permutatio feudi nihil peculiare habet ab iis, quæ ad Rubricas proprias Contractuum istorum ponuntur. Quare §. *præsenti* solùm superest, ut agatur de Pacto, & Investitura.

Dub. 1. quid hìc veniat nomine *Pacti*, & *Investituræ*? Resp. *Pacti* nomine hìc intelligitur Contractus Feudalis, quo Dominus alicui rem suam jure feudi concedit, idque vel gratis, & per modum Donationis, sive pro pecunia, vel re alia, qua ratione erit Emptio, Venditio, vel Permutatio. Contractum Investitura sequitur; nam in constitutione feudi, ut in aliis Contractibus consensualibus, per ipsum quidem Contractum acquiritur jus ad rem, seu personale, jus reale tamen, & in re solùm acquiritur traditione, quæ in Feudo speciali nomine *Investitura* vocatur, ab *investiendo* quòd per eam Vasallus possessione, quasi veste, induatur. 9

Definitur, quòd sit actus solemnis, per quem Vasallus in possessionem rei feudalis mittitur, simulque Domino ad fidem obligatur. Estque, ut *suprà numer.* 12. dictum est, duplex, una propria, altera impropria, & abusiva. *Propria* est, quam modò descripsi; *impropria* autem, quando feudum absque corporali possessionis traditione Vasallo solemniter ceditur, tradendo ipsi signum pro re, ut sceptrum, vexillum, gladium &c. Et hinc Interdictum *Adipiscendæ possessionis* duntaxat parit. *Excipitur*, si hujusmodi Investitura fiat in præsentia rei feudalis per traditionem clavium, vel per ostensionem rei eminus factam &c. his enim modis inducitur traditio ficta, ut dictum est *Libr.* 2. *tit.* 12. *à num.* 7. Habet tamen Investitura Abusiva hunc effectum; ut ita investitus propria authoritate apprehendere feudi possessionem possit. Haun. *tom.* 3. *tract.* 9. *num.* 656. *&* 659. 9

Dub. 2. in quo consistat solemnitas Investituræ? Resp. consistit 1. in ipsa solemnitate verborum, qua Dominus solet feudum tradere, vel signo quopiam repræsentare, dicendo: *Ego te investio &c.* arg. *l.* 2. *feud. tit.* 2. Hunn. *Disp. feud.* 8. *th.* 10. *vers. hujus Investituræ*, Magnif. D. Christoph. de Chlingensperg. *cap.* 5. *de feud. quæst.* 7. 2. in testatione, seu testificatione solemni, quæ fit aut testibus, aut Instrumento, quod in Jure feudali etiam *Breve testatum* vocatur *l.* 1. *feud. tit.* 3. *& tit.* 4. §. *item si* 3. alterutro enim modo probari Investitura debet, quando quæritur, utrum facta illa sit, prout habetur *l.* 2. *feud. tit.* 2. *pr. vers. si enim domino.* 92

Porro testes hi debent esse idonei: quales sunt 1. homines liberi, non servi *l.* 2. *feud. tit.* 58. §. 1. 2. masculi, non fœminæ *l.* 2. *feud. tit.* 32. 3. ne quid in perniciem Domini excogitetur, debent esse Pares Curiæ, h. e. Vasalli ejusdem Domini, in eodem Territorio feuda possidentes *l.* 1. *feud. tit.* 2. 3. 4. 10. 11. & *l.* 2. *feud. tit.* 58. §. 1. Possunt tamen aliquando adhiberi etiam extranei, modò illi ad testimonium dicendum sint habiles. Et hoc 1. si Dominus nullos habeat Pares Curiæ. 2. siquidem habeat, sed inidoneos, aut qui recusant venire. 3. in Investitura veteri; nam in hoc ista potissimùm à nova discrepat. 4. in Feudo Ecclesiastico. Schrader. *p.* 5. *cap.* 2. *num.* 6. Hunn. *D.* 8. *cit. th.* 65. Barhold, *de feud. cap.* 7. *num.* 27. Haun. *tom.* 2. *tract.* 9. *num.* 656. *&* 657. Magnif. de Chlingensperg. *cap.* 5. *cit. quæst.* 8. 93

Quoad Breve testatum verò distinguendum est inter Jus feudale, & Consuetudinem hodiernam: *De Jure Feudali*, ut hujusmodi Instrumentum fidem faciat, requiritur, ut testes videlicet Pares Curiæ, si haberi possint, aliàs in istorum defectu extranei id manu propria subscribant *l.* 2. *feud. tit.* 2. *& tit.* 32. De *consuetudine hodierna* subscriptio Parium Curiæ non adhibetur, sed sufficit, illud Instrumentum Sigillo Domini roborari, & in eo exprimi, quòd Pares Curiæ actui Investituræ interfuerint. Schrader. *p.* 5. *cit. cap.* 2. *num.* 12. Struv. *cap.* 8. *aphoris.* 8. Magnif. D. de Chlingensperg. *l. cit. quæst.* 9. 94

Dub. 3. quomodo fieri investitura possit? Resp. posse fieri purè, sub conditione, & sub die *l.* 1. *feud. tit.* 2. & 95

9. & *l.* 2. *tit.* 35. *Purè* fit Investitura, quando Vasallus simpliciter investitur de feudo, & neque dies, neque conditio adjicitur. *Sub Conditione*, quando conceditur ad certæ rei eventum, ut si aperiatur, si prior possessor antè mortuus fuerit &c. *Sub die*, cùm conceditur ex certo tempore, vel ad certum tempus.

Inter hos tres modos conferendi Investituram id discriminis interest, quòd si purè est facta, dominium utile statim in Vasallum transferat, non verò, si sub die, vel conditione: nam si sub die facta est, illud non transfert ad eventum illius diei: si verò sub conditione, usque ad eventum istius obligatio suspenditur, & dominium utile apud concedentem remanet. Hunn. *D.*8. *tit. thes.*44. & *seqq.*

96 Dub. 4. an Investituræ adjici certa aliqua pacta possint? Resp. posse hujusmodi Pacta adjici, modò honesta illa sint, & licita, etsi ludicra, qualia sunt, ut Beneficiarius, seu Vasallus singulis annis Domino pendat tres obolos in crumena holoserica, aut ovum afferat impositum currui sejugo &c. Knichen *de pact. investit. cap.* 1. *numer.* 13. *cum seqq.* Magnif. D. Christoph. de Chlingensperg. *cap.* 5. *de feud. quæst.* 12. Addidi, *Modo honesta sint*, & *licita*; nam inhonesta, cùm de Jure inter impossibilia recenseantur, adjici Investituræ nequeunt, quòd Pacta vinculum iniquitatis esse non possint. Et hanc ob causam invalidum est pactum Investituræ adjectum, ut propter feloniæ crimen feudum non amittatur; quia hujusmodi pactum, cùm impunitatem præstet sceleri, ad delinquendum invitat. Contrà valet pactum, ut feudum propter non petitam Investituram non amittatur; quia non petitio Investituræ duntaxat in omittendo consistit, & crimen de Jure nullum involvit.

97 Dub. 5. quid utilitatis habeat, si in Investitura dicatur feudum concedi propter merita, & servitia præstita aut in genere, aut in specie certorum servitiorum mentione facta? Respond. hanc notabilem utilitatem habet, quòd feudum nec Vasallo, nec ejus posteris possit ob ullam feloniam auferri, ut cum Schradero, & aliis notat Haun. *tom.*3. *tract.*9. *numer.* 665. præsertim si servitiorum non tantùm generaliter fiat mentio, sed quænam Vasallus præstiterit, in Instrumento Investituræ specificentur. Suadet præterea Schraderus, ut Vasallus curet clausulam sic concipi: *Feudum esse concessum sibi*, & *suis hæredibus*, *vel filiis*, *eo pacto*, *ut de uno ad alium revertatur*; vel: *hoc feudum esse concessum sibi*, & *hæredibus suis omnibus æquè principaliter*, vel *sibi*, & *hæredibus suis tam propter servitia*, *sive benemerita à se*, & *hæredibus præstita Domino feudi*, *ac imposterum ab iisdem præstanda*; adeoque inspectis singulorum meritis. Hujusmodi enim clausulæ hoc operantur, ut etiam non facta mentione filiorum, & hæredum, nihilominus censeatur feudum esse ex pacto, & providentia; item ut factum, vel delictum patris, etiam erga Dominum feudi perpetratum, filiis, vel agnatis non noceat.

98 Dub. 6. à quo petenda Investitura sit, si Vasallus ignoret Dominum feudi, vel nesciat, à quo debeat Investituram petere in feudo, quod scit sibi deberi? Respond. in Statutis Bavaricis *Tit.* 12. *art.* 5. hoc casu proceditur sequenti modo. 1. Judex tali Vasallo constituit terminum, intra quem inquirat Dominum feudi. 2. si istum non repererit intra hoc tempus, petitur ab ipso Juramentum, quo affirmet se necdum in notitiam venire potuisse, quis sit Dominus feudi sui; & hoc præstito, per annum, & diem possidebit, frueturque feudo. 3. post annum, & diem, si necdum in notitiam Domini devenit, iterum in Judicio apparebit, & affirmabit Jurejurando, se nec immediatum, nec mediatum Dominum scire: quo facto accipiet Investituram à Principe. 4. Quodsi postea Dominus compareat, is, quàm proximè potest, comparebit in Judicio, & probabit se abfuisse à Provincia, aut Juramento affirmabit se ignorasse, quòd feudum deberet concedere. 5. Juramento hoc præstito, nec illi, nec Vasallo præjudicabit, quòd Princeps feudum concesserit, sed Dominus Vasallo feudum concedet deinceps, prout jus requirit. Ita Jus Bavaricum *loc. citat.* qui modus non malè etiam Jure communi practicaretur.

§. IV.

De Successione in Feudo.

SUMMARIUM.

99 *An*, & *quousque succedatur in Feudis?*
100 *Qualis successio in istis detur?*
101 *Exceptiones.*
102 *Ut succedere aliquis in feudo possit, requiritur, ut habilis sit ad officia*, & *servitia ratione feudi præstanda:* & *propterea à successione removentur mente capti*, & *corpore imperfecti.*
103 *Qui tamen feudum retinent casu, quo debilitas supervenit.*
104 *Quoad infames respondendum est cum distinctione.*
105 *A successione feudali regulariter excluduntur Ascendentes.*
106 107 *Casus excepti.*
108 *An casu, quo admittuntur Ascendentes, simul etiam admitti debeant fratres defuncti?*
109 *Ex filiis non succedunt Adoptivi*, & *Arrogati.*
110 *Et extra legitimum Matrimonium procreati.*
111 *Quamvis legitimati sint per subsequens Matrimonium.*
112 *Hi tamen ex generali consuetudine admittuntur.*
113 *An succedant Liberi nati ex Matrimonio Morganatico?*
114 *An filius, repudiata hæreditate patris, succedere adhuc possit in feudo?*
115 *Resolvitur dubium.*
116 *Fœminæ regulariter non succedunt in feudo.*
117 *Exceptiones.*
118 *Quod etiam extenditur ad descendentes à fœminis.*
119 *An si fœmina semel admissa fuerit ad feudi successionem, nato postea masculo, teneatur illud restituere?*
120 *An feudum, ad aliquam lineam semel devolutum per fœminam semper in linea illa maneat, non attento masculo in alia linea existente?*
121 *Casus specialis.*
122 *Utrum si fœmina per successionem masculi à feudo semel exclusa sit, perpetuò exclusa maneat?*
123 *Resolvitur pro negativa.*
124 *Solvuntur Argumenta opposita.*
125 *An Clerici*, & *Religiosi succedant in feudo?*
126 *Propugnatur affirmativa.*
127 *Quoad Clericos minorum Ordinum*, & *Religiosos, simplicibus solùm Votis affectos.*
128 *Quoad constitutos in Sacris*, & *Religiosos Professos observanda est consuetudo legitimè introducta.*
129 *In quibus feudis Clerici*, & *Religiosi possint succedere?*
130 *Quando Religiosus Professus succedere possit in feudo?*
131 *Quam utilitatem ex tali successione capiat Monasterium?*
132 133 *An ob delictum Prælati, vel alterius Clerici Beneficiarii feudum amittat Ecclesia?*
134 *Quid censendum de Clerico, qui ex dispensatione Pontificis Matrimonium contrahit*, & *de Regulari Professo, qui ex simili dispensatione redit ad Sæculum?*
135 *Quis Ordo servandus inter succedentes in feudo?*
136 137 138 *Regulæ observandæ in successione Descendentium.*
139 140 141 142 *Ordo*, & *Regulæ observandæ, cùm succedunt fratres*, & *horum liberi.*
143 144 145 *Regulæ, quæ observari debent in successione reliquorum collateralium.*

QUæritur 1. an, & quousque detur Successio in Feudis? Resp. Successio feudalis sub initio constitutorum Feudorum nulla fuit; quia stabilia, & perpetua non fuere, sed pro arbitrio, & libitu Domini poterunt perinde, ut Precarium, revocari *l.* 1. *feud. tit.* 1. §. 1. Postea cœpit concessio feudi primùm extendi ad annum, tum ad vitam Vasalli; deinde ad ejus filium; tandem ad omnes descendentes, & collaterales porrecta est in infinitum *l.* 1. *feud. tit.* 1. §. 1. & 2. *Excipiuntur* feuda personalia, ut sunt feuda Cameræ, & Canevæ, quæ morte Vasalli extinguuntur: quod multò magis verum est in feudis Soldatæ; quia personalissimum est, & morte tam dantis, quàm accipientis extinguitur *l.* 2. *feud. tit.* 10. *in fin.* 99

Dub. 1. qualis Successio in feudis detur? Resp. etsi 100

aliàs Succeſſio Jure communi ſit duplex, ab inteſtato, & ex Teſtamento, Jure feudali tamen ſolùm datur ab inteſtato; nam ex Teſtamento ſucceſſio in iiſdem ordinaria nulla datur *l. 2. feud. tit. 9. §. 1.* cujus ratio eſt, quia Agnati in feudis non ultimi defuncti, ſed communis tam defuncti, quàm ipſorum parentis, qui primò feudum conſtituit, voluntate, qua unus alteri eſt ſubſtitutus, ſuccedunt. Eſtque hoc ita verum, ut etiam caſu, quo defunctus rem feudalem legavit alteri, ejus hæres neque ad æſtimationem feudi Legatario præſtandam obligari poſſit, quòd res feudalis ex legantis diſpoſitione extracta ſit, & extra commercium illius poſita. Magnif. D. Chriſtoph. de Chlingenſperg *cap. 6. de feud. quæſt. 2.*

101 *Excipitur* 1. niſi Dominus, & agnati conſentiant; nam diſpoſitio mortis cauſa Vaſallo negatur in favorem Agnatorum, cui proin renuntiare poſſunt. *Excipitur* 2. ſi feudum ſit hæreditarium, ſeu ea ratione conceſſum, ut Vaſallo liceat illud in quoslibet hæredes quocunque licito modo transmittere; quia de hoc ſi teſtetur defunctus, Agnatis non præjudicat, utpote quibus determinatè nullum eſt jus quæſitum in tali feudo. *Excipitur* 3. de Jure Bavarico Feudum Burſaticum; nam hoc cum conſenſu Domini abſolutè legari, vel teſtamento relinqui poteſt. *Landrecht tit. 31. art. 4. Excipitur* 4. feudum novum; nam ad feudum novum, niſi cum jure antiqui feudi conceſſum ſit, deſcendentibus jus quæſitum non eſt, niſi dependenter à primo acquirente. *Excipitur* 5. ſi Statuto, aut conſuetudine inducta eſt poteſtas diſponendi per ultimam Voluntatem de feudo.

102 Dub. 2. quid requiratur, ut ſuccedere quis in feudo poſſit? Reſp. duo expoſcuntur. 1. Ut ſit habilis ad officia, & ſervitia præſtanda *l. 2. feud. tit. 6. §. fin. & tit. 36.* 2. Ut deſcendat ex ſanguine primi acquirentis *l. 2. feud. tit. 31.*

Ex primo capite à Succeſſione in feudo removentur mente capti, vel corpore imperfecti, quales ſunt furioſi, muti, ſurdi, cæci &c. quia ſunt inhabiles ad præſtanda ſervitia. Vult. *l. 1. de feud. cap. 9. n. 171.* Roſenthal. *cap. 7. concl. 28. num. 1. & ſeqq.* Struv. *c. 9. aphor. 10. num. 3.* Haun. *tom. 3. de J. & J. tract. 9. n. 751.* Magnif. D. Chriſtoph. de Chlingenſperg *cap. 6. de feud. quæſt. 19.* Magnif. D. Verlohner *de Mod. acquir. legal. art. 7. quæſt. 1. num. 15. in fin. Excipitur* 1. ſi feudum ſit liberum à ſervitiis; quia tunc ratio ipſos excludendi ceſſat. Roſenthal. *l. cit. num. 20. Excipitur* 2. ſi imperfectus, qui vult ſuccedere, ita comparatus ſit, ut non obſtante ſuo defectu, poſſit juxta naturam illius feudi præſtanda præſtare; nam hoc caſu pariter nulla ratio illos arcet. Magnif. D. de Chlingenſperg *l. cit.*

103 Cæteri à Succeſſione in feudo excluduntur: neque refert, an à Nativitate ſint tales, an verò tales effecti ſint ſucceſſu temporis, modò tempore delatæ ſucceſſionis tales reperiantur; nam ſi poſt jus quæſitum tales primùm evadant, non propterea illud amittunt, quòd inter modos amittendi feudum ſuperveniens furor, aut cæcitas non numeretur. Haun. *num. 751. cit.* cum reliquis *ſuprà.* Quodſi ita inidonei, à feudi ſucceſſione excluſi, ſe commodè ſuſtentare nequeant, debebit aut Dominus feudi, aut agnati, ad quos feudum devolvetur, illis relinquere, quod pro ipſorum ſuſtentatione ſufficiat.

104 An ex capite inidoneitatis repelli à Succeſſione in feudo debeant etiam infames, dubium moveri poteſt: quod tamen ſolvi ope diſtinctionis poteſt; Vel enim in feudum, de cujus ſucceſſione agitur, annexam aliquam dignitatem habet, vel non. *Si primum*, non admittetur ad ſucceſſionem infamis, cùm *infamibus portæ non pateant dignitatum*, ut dicitur *Reg. infamibus 87. in 6. & l. neque 2. C. de dignit. Si ſecundum*, non obſtabit ſucceſſioni infamia; quia ob ſolam honoris amiſſionem feudo quis non privatur, prout colligitur ex *l. 2. feud. tit. 24.* Haun. *tom. 3. tract. 9. numer. 753.*

105 *Ex ſecundo capite* à ſucceſſione feudali regulariter excluduntur *Aſcendentes*; nam ut *l. 2. feud. tit. 50.* dicitur, *Succeſſionis feudi talis eſt natura, quòd aſcendentes non ſuccedant, v. g. pater filio.* Fitque hoc ex communi tam feudum concedentis, quam illud acquirentis voto; utriuſque enim propoſitum eſt ſolis deſcendentibus proſpicere. Vult. *l. 1. de feud. cap. 9. num. 204.* Struv. *Synt. Jur. feud. 9. aphor. 3.* Itter. *de feud. Imper. cap. 15. num. 1.* Haun. *tom. 3. tract. 9. num. 766.* Engl. *hic num. 26.* Konig. *num. 41.* Clariſſ. P. Schmier *p. 2. de ſucceſſ. ab inteſt. cap. 3. num. 49.* Magnif. D. Verlohner *de Mod. acquir. legal. art. 7. quæſt. 1. num. 3.*

Eſtque hoc verum tam reſpectu feudi novi, quàm reſpectu antiqui: *reſpectu novi* quidem; quia avus, & pater ejus, qui primùm acquiſivit, non ſunt in Inveſtitura comprehenſi, utpote qua deſcendentibus ſuis, non aſcendentibus regulariter cenſetur proſpexiſſe, ut paulò antea dictum eſt. *Reſpectu antiqui* autem; quia hoc aliunde priùs ad aſcendentes devolvitur. Struv. *aphor. 3. cit.* P. Schmier *num. 50.* Magnif. D. Chriſtoph. de Chlingenſperg *cap. 6. de feud. quæſt. 3.*

Dixi autem *regulariter*; nam plures ſunt caſus, in 106 quibus etiam Aſcendentes ſuccedunt in feudo. Et 1. quidem, ſi pater, vel avus feudum, in gratiam filii, vel nepotis feudo ſuo renuntiavit; tunc enim ſi filius, vel nepos ſine deſcendentibus moriatur, feudum, excluſis defuncti agnatis, ad patrem, vel avum revertitur. Mynſing. *cent. 3. obſ. 93.* Vult. *l. 1. de feud. cap. 9. num. 206.* Roſenthal *cap. 7. concl. 14. num. 8.* Schrader. *p. 7. cap. 6. num. 4.* Haun. *tom. 3. tract. 9. num. 767.* Engl. *hic num. 26.* Konig. *num. 41.* Magnif. D. Chriſtoph. de Chlingenſperg *cap. 6. de feud. quæſt. 4.* Magnif. Verlohner *quæſt. 1. cit. num. 4.* Clariſſ. P. Schmier *num. 51.* & teſte Mynſing. *l. cit.* receptum eſt paſſim in Camera Imperiali. *Ratio eſt*, quia pater, aut avus renuntians, vel refutans feudum, iſta conditione cenſetur hoc feciſſe, ut filio, aut nepote mortuo, ad priſtinum ſtatum revertatur feudum: unde hoc caſu reverſionem feudi ad patrem non tam ſucceſſionem, quam recuperationem appellant DD.

2 Si avus, conſentiente filio, feudum in nepotem 107 tranſtulit. Roſenthal. *num. 7.*

3 Si filius ob parentis bene merita eſt inveſtitus. Corvin. *Synopſ. Jur. feud. l. 2. tit. 4. in fin.* Engl., Konig. *l. citt.*

4 Si in feudo noviter acquiſito inveſtitus eſt ea lege, & pacto, ut pater ſuccedat *l. 2. feud. tit. 84.* Schrader *l. cit. num. 3.* Stryck. *de ſucceſſ. ab inteſt. diſſert. 7. cap. 2. §. 3. & duob. ſeqq.* cum aliis *ſuprà.*

5 Si feudum eſt merè hæreditarium; cùm enim hæredes extranei tunc poſſint ſuccedere, nulla prohibet ratio, quo minùs etiam pater ſuccedat. Roſenthal *num. 22.* cum *citt.*

6 Si conſuetudine ſpeciali, aut ſtatuto loci ita receptum eſt. DD. qui *ſuprà.* Sed hinc

Dub. 3. an caſu, quo aſcendentes admittuntur ad 108 Succeſſionem, ad eandem ſimul etiam admitti debeant fratres defuncti, ſiquos ille habet? Schrader. *loc. cit. num. 10.* Roſenthal *num. ult.* Engl. *num. 26. cit.* eos ad normam diſpoſitionis Civilis *Novell. 118. cap. 2.* admittunt. Struv. *cap. 9. cit. aphor. 3. num. 3.* Stryck. *cap. 2. cit. §. 7.* Haun. *tract. 9. cit. num. 770.* Magnif. D. Verlohner *num. 4. cit.* probabiliùs negant; quia in Jure feudali non tam propinquitas ſanguinis, in quo pater, & frater Vaſalli defuncti æquales ſunt, quàm lineæ obſervatur, in qua pater propinquior eſt, utpote qui cum filio ſuo defuncto conſtituit eandem lineam, cùm duo fratres ordiantur duas diverſas.

Quæritur 2. quinam filii ſuccedant in feudo? Reſp. 109 debent eſſe ex legitimo Matrimonio naturaliter procreati. Adeoque 1. excluduntur à Succeſſione feudali filii Adoptivi per expreſſum textum *l. 2. feud. tit. 26. §. adoptivus*, ibi *Adoptivus filius in feudum non ſuccedit:* quo vocabulo non ſolùm adoptivi in ſpecie, ſed etiam arrogati veniunt; nam eadem de his ratio eſt; quia Jus feudale in Succeſſionibus ad ſanguinis participationem reſpexit, quæ participatio Adoptivis & Arrogatis non datur. Accedit, quia ſi adoptivi ad ſucceſſionem in feudo vocarentur, invito domino ex aliena familia obtruderetur Vaſallis adverſus textum apertum. *l. 2. feud. tit. 12.* & agnatis, per primi acquirentis Inveſtituram vocatis, jus quæſitum adimeretur. Haun. *tom. 3. tract. 9. num. 748.* Engl. *hic num. 23.* Konig. *num. 40.* Clariſſ. P. Schmier *p. 2. de Succeſſ. ab inteſt. cap. 3. n. 29.* Magnif. D. Verlohner *de mod. acquir. legal. art. 7. qu. 1. num. 8.* Intelligi autem hoc debet de Adoptato quà tali, non de eo, qui alioquin etiam Jure ſanguinis conjunctus eſt; nam huic per adoptionem jus ſuccedendi non adimitur. Haun. *l. cit.*

2 Excluduntur omnes extra legitimum Matrimonium 110 procreati *l. 2. feud. cit. 26. §. naturales.* Vult. *l. 1. feud. cap. 9. num. 178.* Stryck. *de ſucceſſ. ab inteſt. diſſert. 1. cap. 3. §. 25. & ſeq.* Haun. *l. cit. num. 748. verſ. Excluduntur* 2. P. Schmier *l. cit. num. 29. & 30.* D. Verlohner *num. 6.* Konig. *num. 49.*

Et ratio eſt, quia Jura feudalia reſpexerunt participationem ſanguinis non quamcumque, ſed puram, & illibatam, atque à macula natalium liberam, ne alienus ſpurius ſurculus inſeratur illuſtri familiæ, ad ſucceſſionem per Inveſtituram ſpecialiter vocatæ.

Proceditque hoc 1. ut etiam non ſuccedant in feudo fœmineo,

mineo, quamvis aliàs de Jure Civili naturales succedant matri. Forster. *de Success. l. 6. cap. 39. numer.* 2. Hartm. Pistor. *p.* 2. *q.* 40. *n.* 2. Struv. *Synt. Jur. feud. c. 9. aphor.* 3. *num.* 7. Stryck. §. 26. Haun. *vers. cit.* P. Schmier *n.* 34.

Procedit 2. etiam de his, qui ex illegitimis, quamvis per matrimonium legitimum, descendunt; non enim per saltum datur successio. Haun. *l. cit.*

Procedit 3. etsi legitimati sint per Rescriptum Principis, ut patet ex §. *naturales cit.* quia in Principis potestate non est, domino directo, & agnatis in suis Juribus quæsitis præjudicare; & tametsi ipse Princeps natalibus restituens sit dominus feudi, neutiquam tamen censetur sibi aperturam feudi, & agnatis successionem impedire velle, nisi feudum novum sit, & illegitimos feudi dominus expresse vocaverit, ut prolixè ostendit Hartm. Pistor. *q.* 40. *cit. n.* 10. Haun. *l. cit. & num. seq.*

Dub. 1. utrum successio in feuda præclusa sit etiam filiis naturalibus legitimatis per subsequens Matrimonium? Resp. si rigidè Juris feudalis dispositioni insistamus, probabilius etiam ipsos excludi ob textum *l.* 2. *feud. tit.* 26. §. *naturales*, ubi non distinguitur, an legitimatio fiat per rescriptum Principis, an verò per subsequens Matrimonium: videtur ergo textus iste de omnibus speciebus legitimationum intelligendus; alioquin propositio generalis negativa falsa foret, quia falsificaretur in præcipua specie legitimationis. Accedit, quia in legitimatis per subsequens Matrimonium eadem est ratio, quæ in legitimatis per rescriptum Principis; neque enim præcedens macula per Matrimonium in rei veritate abstergitur.

Addidi, *Si rigidè Juris feudalis dispositioni insistamus;* nam quoad legitimatos per subsequens Matrimonium Constitutio hæc in Camera Imperiali, & omnibus fere Europæ Regnis abrogata est, cum passim sic legitimati ad successionem in feuda admittantur, prout testantur Mynsing. *cent.* 5. *obs.* 42. *n.* 1. Gaill. *l.* 3. *obs.* 141. *num.* 2. Fachin. *l.* 7. *contr. c.* 51. Harppr. *ad princ. Inst. de success. quæ ab intest. n.* 315. *& seqq.* Struv. *Synt. Jur. feud. c.* 9. *aphor.* 3. Myler. ab Ehrenbach. *Gamalog. Princ. Imp. c.* 24. §. 2. Haun. *tom.* 3. *tr.* 9. *n.* 750. Clariss. P. Schmier *p.* 2. *de success. ab intest. c.* 3. *n.* 32. Mag. D. Verlohner *de Mod. acquir. legal. art.* 7. *q.* 1. *n.* 7.

Usus enim, & Interpretes respexerunt in hoc non tam ad *cit.* Constitutionem feudalem, quam ad Jus Civile, & Canonicum, quorum utroque legitimati per subsequens Matrimonium legitimè natis per omnia ferè æquiparantur, prout patet ex *Novell.* 89. *c.* 8. *& c. tanta* 6. *qui fil. legitim.* An verò istud procedat etiam in feudis Regalibus, hic non decido. Videantur de hoc Publicistæ, qui in duas oppositas sententias abeunt, quorum rationes studiosè collegit Dominus ab Andlern *Jurispr. publ. & privat. l.* 2. *c.* 30. *n.* 31.

Dub. 2. an Liberi nati ex Matrimonio Morganatico, seu ea lege contracto, ne succedant patri ab intestato, sed certa pecuniæ quantitate contenti sint, succedant in feudo? Videtur respondendum affirmativè ob textum *l.* 2. *feud. tit.* 26. §. *filii*, ibi. *Filii nati ex una uxore, cum qua Matrimonium tali conditione contractum est, ne filii ex ea nati patri ab intestato succedant, in feudo succedunt.*

Verùm, ut Struv. *Synt. Jur. feud. cap.* 9. *aphor.* 5. *num.* 9. testatur, textus iste ex plerorumque DD. mente mendosus est, quod in eo particula *Non* omissa sit: quod colligitur ex addita in textu ratione; datur enim hæc ratio, quòd *quamvis ratione improbetur talis conditio,* seu pactum exclusivum à Successione, *ex usu tamen admittatur:* Quare tenenda est negativa sententia ob clarum textum *l.* 2. *feud. tit.* 29. ubi de hujusmodi filiis, *Isti*, inquit textus, *in proprietatem non succedunt, aliis extantibus; sed nec in feudo, etiam aliis non extantibus.* Clariss. P. Schmier *p.* 2. *de success. ab intest. c.* 3. *n.* 46.

Dub. 3. an filius, repudiata hæreditate patris, succedere adhuc possit in feudo? Rationem dubitandi facit textus *l.* 2. *feud. tit.* 45. ubi cum hoc agnatis fuisset permissum, de filio, *Ipse*, inquit textus, *non potest hæreditatem sine beneficio repudiare, sed aut utrumque retineat, aut utrumque repudiet.* Zas. *p.* 8. *num.* 6. Schrader. *p.* 7. *c.* 5. *n.* 74. Rosenthal *cap.* 7. *concl.* 21. *n.* 3. & plures alii distinguunt inter feudum ex pacto & providentia, & inter feudum hæreditarium, & de hoc posteriore intelligendum putant textum allegatum, quod hujusmodi feudum sit pars hæreditatis, & hæc pro parte tantum adiri non possit, sed aut tota adiri, aut tota repudiari debeat.

Sed communior inter Feudistas RR. teste Haun. *tom.* 115
3. *tr.* 9. *num.* 725. sententia est, *in cit.* textu sermonem esse de Feudo ex pacto, & providentia, & patet ex eo maximè, quia feudum hæreditarium, de Jure feudali scripto fuit penitus incognitum, & postea primum ex variis Investiturarum formulis introductum, & ab interpretibus excogitatum, ut notat Berlich. *p.* 2. *concl.* 56. *n.* 6. Hinc cum isto, & DD. ab ipso *citt. n.* 11. dicendum, quòd filius repudiata patris hæreditate, neque in feudo ex pacto, & providentia possit succedere. Quare in textu pro ratione dubitandi allegato statuitur discrimen inter agnatos, & filium, dum Agnatis permittitur retentio feudi ex pacto, & providentia, etiam hæreditate repudiata, quod filio negatur: disparitatis rationem dat Berlich *num.* 13. quod filii strictius teneantur parentum honorem defendere, quàm agnati, seu collaterales: cederet autem ad ignominiam patris, si filius repudiata hæreditate ejus memoriam negligat.

Quæritur 3. an fœminæ succedant in feudo? Resp. 116
regulariter & ordinariè non succedunt per textus apertos *l.* 1. *feud. tit.* 1. §. 3. *tit.* 8. §. *fin. tit.* 13. *vers. & si Clientulus*, *l.* 2. *feud. tit.* 11. *tit.* 30. *& tit.* 50. Ratio illas excludendi duplex præcipuè fuit. *Una*, quòd cùm successio in feudis contra primævam feudorum institutionem est introducta, finis hujus ordinationis fuerit conservatio familiæ; in fœminis autem familiæ non conservantur, quòd illæ sequantur familiam viri. *Altera*, quia fœmina non est apta ad præstanda servitia ratione feudi domino directo debita; nam ex primæva feudi natura Vasallus obligatur præstare domino servitia militaria, propulsare ipsius injurias, inter Pares Curiæ considere, & in causis feudalibus judicare &c. quæ omnia fœmineo sexui non conveniunt.

Extenditur inhabilitas hæc etiam ad istarum Descendentes, ut expresse dicitur *l.* 2. *feud. tit.* 11. & ratio est, quia nepos non debet esse melioris conditionis, quàm filia, ex qua descendit. Accedit, quia etiam in his militat causa, ob quam principaliter à successione feudali repelluntur fœminæ; nam etiam, qui descendunt ex fœmina, gentem, & agnationem, cui feudum concessum est, non propagant, quippe qui non matris, sed patris sui familiæ inseruntur *l. familiæ* 196. §. *fœminarum* 1. *ff. de V. S.* Addidi *regulariter, & ordinariè;* non enim omnino successionis feudalis sunt incapaces fœminæ. Atque hinc

Dub. 1. in quibus feudis succedere possint fœminæ, 117
& ab ipsis descendentes? Resp. 1. tale est *Feudum fœmineum*, tum proprie sumptum, & à fœmina primordialiter acquisitum *l.* 2. *feud. tit.* 50. tum impropriè, quo per expressum pactum in Investitura successio fœminis concessa est *tit.* 50. *cit.* & *l.* 1. *feud. tit.* 1. §. 3.
2. *Feudum hæreditarium;* cùm enim in hoc succedere possint extranei, non est ratio, quæ cogat dicere, quòd fœminæ, ex familia vocata descendentes, deterioris esse conditionis debeant; censebiturque tunc servitiorum obligatio esse remissa eatenus, ut per substitutum illa præstari valeant, ut contra Struv. *Synt. Jur. feud. c.* 9. *aphor.* 8. *num.* 4. tradunt Schrader. *p.* 7. *de feud. c.* 3. *num.* 1. Rosenthal *c.* 7. *concl.* 41. *n.* 23. Stryck. *de success. ab intest. dissert.* 1. *c.* 3. §. 5. Clariss. P. Schmier *simil. tract. p.* 2. *cap.* 3. *num.* 10. Magnif. D. Christoph. de Chlingensperg *cap.* 6. *de feud. quæst.* 8. *ad Object.* 3.
Feudum franchum, ut Vult. *l.* 1. *de feud. cap.* 9. *n.* 47. Fachin. *l.* 7. *contr. c.* 39. Struv. *l. cit. num.* 2. Stryck. §. 7. *& alii* volunt: quod tamen Bocer. *de success. feud. cap.* 3. *q.* 29. Haun. *tom.* 3. *tr.* 9. *num.* 783. & apud hunc Zasius, Schraderus, Rosenthal, Ludvvel, & alii plures consequentius negant, quòd in Feudo Franco cesset quidem una ratio excludens fœminas, puta obligatio ad servitia, maneat verò altera, & principalior, quæ consistit in favore, & propagatione familiæ secundum dicta *num. præced.*

Porro quoad successionem fœminæ in feudo fœmi- 118
nino illud præprimis notandum, locum ei ad succedendum non esse tamdiu, quamdiu masculus aliquis, licèt remotior, ex familia adest, prout patet ex *l.* 2. *feud. titul.* 17. *vers. non etiam*, *tit.* 30. *princ. & tit.* 50. Idem tenendum quoad descendentes ex fœmina; semper enim succedunt filii, & nepotes masculi, & his non extantibus, tum primum ad successionem admittuntur fœminæ *tit.* 17. *cit. tit.* 30. *& tit.* 51. §. 3. Vult. *l.* 1. *de feud. c.* 9. *num.* 66. *& seqq.* Hartm. Pistor. *p.* 2. *q.* 35. Struv. *c.* 9. *aphor.* 8. *n.* 5. Carpzov. *p.* 3. *Const.* 28. *defin.* 13. Magnif. D. Christoph. de Chlingensperg *c.* 6. *de feud. q.* 5. Magnif. D. Verlohner *de mod. acquir. legal. art.* 7. *q.* 1. *n.* 10. Clariss. P. Schmier *p.* 2.
de

de success. ab intest. c. 3. *n.* 12. *Excipitur* 1. nisi Investitura ita concepta sit, ut fœminæ succedant cum masculis, vel sicut masculi: nam hoc casu simul ad successionem vocantur. Rosenthal *concl.* 41. *num.* 4. Haun. *tom.* 3. *tract.* 9. *num.* 787.

119 Dub. 2. an si fœmina semel admissa fuerit ad feudi successionem, nato postea masculo, teneatur id restituere? Affirmat Isernias, Jacobinus de S. Georgio, & Forsterus apud Haun. *tract.* 9. *num.* 790. distinguit Sonsbeck. apud Struv. *aphor.* 8. *num.* 3. an fœmina sit investita prius, quàm masculus ille in lucem prodierit, an postea: priore casu feudum restituendum afferit; posteriore negat.

Sed meliùs sine discrimine negant restituendum Hartm. Pistor. *l.* 2. *quæst.* 35. *num.* 8. Struv. *num.* 3. *cit.* Haun. *num.* 790. Engl. *hic numer.* 20. Magnif. D. Christophorus de Chlingensperg *cap.* 6. *de feud. quæst.* 8. Magnif. D. Verlohner *quæst.* 1. *cit. num.* 13. Clariss. P. Schmier *cap.* 3. *cit. num.* 14. & faciunt textus *l.* 2. *feud. tit.* 17. *& tit.* 31. §. *similiter* 3. quibus mater, & matertera propter filium postea natum non excluduntur, sed post mortem demum fœminarum istarum quæstio de successione oritur. *Ratio est:* Vel enim talis fœmina jam est investita in feudo; & tunc procedit Regula, quòd effectus jam in suo esse constitutus non cesset, licèt res deveniat ad eum casum, à quo incipere non potuisset, *Reg. factum* 73. *in* 6. Vel nondum est investita; & tunc quia fœminæ jus successionis non per Investituram succedaneam primum quærendum, sed ex prima Investitura quæsitum jam est, illud eidem per supervenientem masculum auferri non potest.

Excipit Vult. *c.* 9. *num.* 79. & rectè casum, quo defunctus uxorem prægnantem reliquit, & illa postea filium peperit, nam hoc casu masculus etiam postea natus fœminam excludit à feudo, & ratio est, quia fictione Juris is, qui in utero est, pro jam nato habetur, quando de commodo ejusdem agitur *l. qui in utero* 7. *&* 26. *ff. de Stat. hom.*

120 Dub. 3. an feudum, semel ad aliquam lineam devolutum per fœminam, semper in ista linea maneat, ita, ut etiam fœminæ illud retineant, non attento masculo in alia linea existente? Resp. negative; quia nempe non admittitur fœmina, quamdiu superest masculus à primo accipiente descendens, Hartm. Pistor. *l.* 2. *q.* 35. *num.* 3. Struv. *Synt. Jur. feud. c.* 9. Haun. *tom.* 3. *tr.* 9. *num.* 788. Magnif. D. Chrystoph. de Chlingensperg *c.* 6. *de feud. q.* 9. Magnif. D. Verlohner *q.* 1. *cit. num.* 13. Atque hinc si Vasallus habeat duas filias & prima susceperit filium, altera filiam, filiabus istis, ad quas feudum paternum devolutum fuerat, decedentibus, filius ex una prognatus succedet non tantum matri suæ, sed etiam materteræ, exclusa filia, quæ ex hac nata est *l.* 2. *feud. tit.* 17. *& tit.* 51. §. 2.

Ratio est, quia etsi filia materteræ proximior in linea consanguinitatis sit, hæc tamen proximitas non attenditur, nisi inter personas ejusdem sexus, quòd sexus masculinus in materia feudorum regulariter potior sit.

121 Quodsi tamen duo fratres feudum novum acquisierint pro se, & hæredibus suis maribus, & in horum defectum etiam fœminis. ea ratione, ut fratres, aliique collaterales sibi invicem succedant, filiæ ex una descendentes alium fratrem, ejusque hæredes masculos à successione in parte feudi paterni excludent, ut habetur *l.* 2. *feud. tit.* 18. ubi etiam ratio datur; quia *unusquisque sibi, suisque hæredibus* potius, quam collateralibus *prospexisse censetur*, & id tantum in hujusmodi casu voluisse, ut tum demum ad collaterales pars feudi, quæ se contingit, devolveretur ad collaterales, si nulli ex suis descendentibus superessent, ut impediretur devolutio ejus ad Dominum directum. Haun. *num.* 789.

122 Dub. 4. utrum si fœmina per successionem masculi à feudo fœminino semel exclusa est, perpetuò exclusa maneat, ita, ut ne quidem masculis decedentibus, ipsa possit succedere, sed feudum aperiatur Domino? Affirmant Gaill. *l.* 2. *obs.* 148. *num.* 1. Schrader. *p.* 7. *c.* 4. *num.* 83. Rosenthal *c.* 7. *concl.* 44. Fachin. *l.* 7. *contr. c.* 45. Klock. *tom.* 2. *cons.* 3. Harppr. *ad princ. Inst. de hæred. quæ ab intest. num.* 196. Knichen. *de pact. Invest. p.* 1. *c.* 3. *num.* 38. *& seqq.* Haun. *tom.* 3. *tr.* 9. *num.* 793. Fundantur 1. textu *l.* 1. *feud. tit.* 6. §. 1. ubi sic pronuntiatur; *Relicto masculo, ulterius fœminæ non admittuntur;* est autem dictio *ulterius* adverbium temporis perpetuo exclusivum *arg. c. cùm accessissent* 8. *de Const.* 2. Ut dubitatio omnis præscinderetur, *eod. tit.* §. 2. *in fine* additur, *Et his omnibus casibus feudum amittitur, & ad dominum revertitur*, fuit autem inter casus *tit. cit.* relatos positus casus; quando fœmina fuit exclusa. ergo &c. 3. Quia fœminæ tantum in defectum masculorum vocantur. Igitur masculis succedentibus, non vocantur amplius; ubi autem nemo est, qui vocetur, feudum redit ad dominum. 4. Quia fœminis jus succedendi in feudis solum conceditur sub conditione, *si deficiant masculi.* igitur contraria conditione posita, jus hoc exspirabit. 5. Quia etiam cætera jura semel extincta non amplius reviviscunt. ergo nec jus succedendi in feudo.

Sed quamvis sententia hæc satis communis, & teste Mynsing. *cent.* 5. *obs.* 74. *num.* 8. crebrius recepta sit, in Jure tamen verior, & æquitati conformior est negativa, fœminis favorabilis, quam proinde pluribus aliis *citt.* tenet Mynsing. *l. cit.* Sonsbeck. *de feud. p.* 9. *n.* 131. Vult. *cap.* 9. *num.* 51. *& seqq.* Heig. *p.* 1. *q.* 26. Struv. *c.* 9. *aphor.* 8. *num.* 6. Hartm. Pistor. *l.* 2. *q.* 36. Stryck. Differt. 1. *c.* 3. §. 4. Vvesenbec. *de feud. c.* 6. *num.* 23. Carpzov. *p.* 3. *constit.* 28. *def.* 15. Konig *hic num.* 40. Clariss. P. Schmier *p.* 2. *de Success. ab intest. c.* 3. *num.* 24. Magnif. D. Christophorus de Chlingensperg *c.* 6. *de feud. q.* 7. Magnif. D. Verlohner *de Mod. acquir. legal. art.* 7. *q.* 1. *num.* 11. quorum opinionem in locis, ubi contraria consuetudo non est recepta, suadet Rosenthal *de feud. c.* 7. *concl.* 44. *num.* 15. & reipsa sequi etiam videtur Curia feudalis Patriæ nostræ apud Illustriss. D. Bar. Schmid. *controv.* 40. *num.* 10. *& duob. seqq.* Sumitur 1. ex *l.* 1. *feud. tit.* 8. §. 2. ubi absolutè dicitur, quòd in feudo fœmineo *succedat filia, filiis non extantibus:* conf. non excluditur absolutè fœmina, sed tantum, quatenus masculi existentia obstat, non autem obstat amplius, filiis, & descendentibus illorum, ac collateralibus masculis per mortem sublatis, ergo tunc ad successionem est admittenda. 2. ex *l.* 2. *feud. tit.* 17. ubi dicitur, *non patere locum fœminæ in feudi successione, donec masculus superest.* igitur eidem patebit locus, quoties non extant masculi; nam adverbium *Donec* non penitus removet, sed tantum suspendit jus, ut ex unanimi Interpp. opinione colligit Carpzov. *l. cit. num.* 14. 3. ex *l.* 2. *feud. tit.* 18. ubi in casu, quo duo fratres simul investiti sunt eo tenore, ut masculis deficientibus, fœminæ, si superessent, feudum haberent, uno istorum decedente, ad successionem admittitur ejus filia, ex ratione; quia acquirens *sibi suisque hæredibus videtur prospexisse*: quæ ratio stringit in omni feudo fœmineo, faverque fœminis contra Dominum directum. 4. jus succedendi fœminæ ex Investitura competens, non potest eidem, nisi ex legitima causa, auferri. talis autem non est exigentia masculi, utpote quæ solum tamdiu operatur, quamdiu masculus existit, & hoc deficiente, effectum quoque suum amittit. ergo &c. 5. sic eveniret, ut si quis habens filios, & filias, feudum pro descendentibus utriusque sexus acquireret, nunquam filiæ possent succedere, utpote quæ ab initio statim à filiis excludi deberent, & juxta doctrinam adversæ sententiæ in perpetuum exclusæ persisterent.

Neque contrarium probant Argumenta opposita. *Ad* 1. textus ille accipiendus est in terminis habilibus, & ita, ut concordet cum textu *l.* 2. *feud. tit.* 17. ubi fœmina solum excluditur, *donec masculus superest*, & sic pariet hunc sensum: *Relicto masculo, ulterius fœminæ non admittuntur*, quamdiu masculus superest. *Ad* 2. verba illa non debent referri ad §. 1. sed ad §. 2. ubi à successione in feudo excluditur mutus, ita, ut sensus sit: Quòd in omnibus casibus, quibus successurus in feudo est mutus, alio sc. successore non existente, feudum ad Dominum revertatur. *Ad* 3. & duo sequentia Argumenta, distinguendum est inter actum successionis, & jus succedendi. Ab actu successionis excluditur fœmina per successorem masculum, & manet ab illa successione actuali, quæ defertur masculo, nunquam non exclusa. At verò à jure succedendi, quod per Investituram antehac acquisitum est fœminæ, non excluditur, sed illud intactum retinet, usque dum masculi, qui primatum in successione tenent, extinguantur, eo ferè modò, quo excluduntur agnati remotiores per existentiam proximiorum, ne his existentibus possint actu succedere, per hoc tamen jus succedendi non perdunt, sed retinent, tunc actuandum, quando propinquior nullus adfuerit.

Quæritur 4. an Clerici, & Religiosi succedant in feudo? Negativam defendunt Menoch. *de arbitr. l.* 2. *cas.* 231. Bocer. *tr. de success. in feud. c.* 3. *quæst.* 23. Schrader. *tr. de feud. p.* 7. *c.* 5. Rosenthal *c.* 7. *concl.* 29. Struv. *Synt. Jur. Feud. c.* 9. *aphor.* 9. Hartm. Pistor. *l.* 2. *q.* 33. Vult. *l.* 1. *c.* 9. *num.* 142. Berlich. *l.* 3. *concl.* 39. *n.* 10. Gottofred. *Disp. feud.* 6. *th. lit. F. & th.*

& th. 9. lit. D. Haun. *tom.* 3. *tr.* 9. *n.* 752. Magnif. D. Christoph. de Chlingensperg *c.* 6. *de feud. qu.* 18. Magnif. D. Vverlohner. *de mod. acquir. legal. art.* 7. *q.* 1. *num.* 15. Clariss. P. Schmier *p.* 2. *de success. ab intest. c.* 3. *num.* 35. aliique plurimi, quorum sat longum Catalogum recitat Berlich. *l. cit. num.* 5. & Cameræ Imper. praxi confirmat Mynsing. *cent.* 5. *obs.* 48. Eandem sententiam, Jure feudali spectato, veram regulariter existimat Pirh. *hic n.* 21. Nititur sententia hæc duplici fundamento, quorum *unum* sumit ex textibus feudalibus, allegatis *supra num.* 77. per quos Clerici, & Religiosi, quia milites sæculi esse desierunt, feudorum Laicalium incapaces, pronuntiantur; *alterum* ex ratione, quòd iidem ad servitia, ratione feudi debita, sint inhabiles.

126 Affirmativam propugnant Clar. §. *feudum p.* 78. *n.* 3. Rosenthal. *cap.* 3. *concl.* 3. *& duabus seqq.* Fachin. *l.* 7. *contr. c.* 34. *in fin.* Less. *l.* 2. *de Just. c.* 41. *n.* 84. Laym. *l.* 3. *tr.* 4. *c.* 24. *num.* 10. *vers. quartò*, Konig *hic n.* 30. Vviest. *n.* 49. eamque de Jure Canonico veram existimat Pirh. *l. cit. n.* 23. Fundantur maximè in textibus utriusque Juris, juxta quos, ut *n.* 78. ostendi, Clerici, & Religiosi sunt capaces recipiendi feudum, etiam Sæculare. atqui si capaces sunt recipiendi, etiam capaces sunt succedendi, nisi jus, aut ratio excludat: quorum tamen neutrum contingit: non Jus; quia ex Juris textibus, si aliquid probaretur, probaretur omnimoda illorum incapacitas: non ratio; quia ex hac solum ostenditur, quòd succedere non possint in feudo exigente servitium cum statu Ecclesiastico incompatibile.

127 Ergo, quia *num.* 79. negantis sententiæ fundamenta jam dissolvi, & *n.* 78. Clericos, an Religiosos feudorum capaces esse suo modo asserui, circa præsentem Controversiam *judico* 1. textus, qui successionis feudalis Clericos, & Religiosos incapaces efficiunt, non comprehendere Clericos, in Minoribus dumtaxat constitutos, saltem si Beneficium Ecclesiasticum nullum habeant; nec Religiosos Simplicibus solum Votis affectos, qui ex Religione dimitti, & ad Sæculum redire possunt, nisi speciales Religionis, cui adlecti sunt, Constitutiones eosdem incapaces ad succedendum efficiant. *Ratio est*, quia de hujusmodi Clericis, & Religiosis Jus non loquitur; alias, si quod ante habuissent feudum, illud per susceptionem Ordinum Minorum, aut emissionem talium Votorum amitterent, quod est falsum, & contra certam praxim, teste Haun. *tom.* 3. *de J. & J. tr.* 9. *num.* 752. *vers. de iisdem.*

128 *Judico* 2. quoad Clericos in Sacris constitutos, & Religiosos Professos observandam esse consuetudinem legitimè introductam. Hodiernis moribus Imperii in re hac Curiæ feudales variant. In Germania nostra Personæ Illustres, ad Clericatum promotæ, Successionis feudalis capaces sunt, ut notat Rosenthal *l. cit. n.* 8. & in specie Canonici, ut aliis *citt.* advertit Magnif. D. Christoph. de Chlingensperg *cap.* 6. *de feud. quæst.* 18.

Excipe, nisi feudi natura Clericos, & Religiosos à Successione excludat. Et talia censentur esse 1. quæ exigunt servitium personale; à Statu Clericali, vel Religioso alienum, nisi illud præstari per Substitutum possit. Leur. *p.* 2. *for. Benef. q.* 643. *n.* 3. Petra *tom.* 1. *comment. fol.* 442. *num.* 24. *& seqq.* Pirh. *num.* 24. *hic*, Vviest. *n.* 50. 2. quæ exigunt servitium incertum; quia in his electa censetur industria personæ. Abb. *in c.* 8. *de Prob. num.* 69. Sanch. *l.* 7. *mor. c.* 11. *n.* 44. Vviest. *n.* 53. 3. quibus Regia, Ducalis, vel alia ejusmodi Dignitas, & Jurisdictio temporalis est annexa; quia quoad hæc *Auth. ingressi C. de SS. Eccl.* ubi bona Professi Monasterio addicuntur, contraria variorum Regnorum consuetudine est temperata. Molin. *tr.* 2. *D.* 140. *n.* 15. Sanch. *n.* 44. *cit.* Petra *n.* 14. 4. quæ clausulam in prima concessione appositam habent, qua Monasterium excluditur; hæc enim clausula, cum familiæ conservationem, finem utique honestum spectet, servanda est: & hinc tali casu feudum non ad Monasterium, sed ad proximos agnatos devolvetur, Molin. *l. cit. n.* 15. Sanch. *n.* 40. Vviest. *n.* 52.

129 *Judico* 3. etiam præscindendo à particularibus consuetudinibus, & Statutis, generatim Clericos, ac Religiosos recipere posse 1. feuda, de quibus in prima sui constitutione, consuetudine, vel Statuto cautum est, ut Clericus, vel Religiosus in illis succedat. 2. Feuda Franca, & quæ nullum servitium exigunt 3. quæ servitium quidem exigunt, sed tale, quod etiam à Persona Ecclesiastica præstari possit. 4. quæ exigunt quidem servitium militare, sed ita, ut præstare illud Vasallus per Substitutum possit. 5. quando feudum est fœmineum, vel proprie, vel impropriè 6. quando est hæreditarium, nec pro agnatis solum, sed etiam pro extraneis constitutum; nam in his omnibus rationes excludendi Clericos, & Religiosos cessant. Rosenthal *c.* 7. *concl.* 30. *per totam*, Schrader. *p.* 7. *c.* 5. *num.* 30. Vult. *cap.* 9. *à num.* 135. Haun. *num.* 752. *cit. vers. quidquid*, Clariss. P. Schmier *p.* 2. *de success. ab intest. c.* 3. *num.* 37.

130 Dub. 1. quando Religiosus Professus succedere possit in Feudo? Resp. cum distinctione: Vel enim Monasterium, aut Religio, in qua ille Professionem emisit, successionis in bona temporalia incapax est, vel est ejusdem capax. *Si primum*, neque Religiosus, neque Religio, vel Monasterium succedit in Feudum, sed illud ad agnatos, qui ad feudum sunt vocati, devolvitur, vel his deficientibus, ad Dominum redit. *Si secundum*, feudum ad se devolutum Professus, cum ipse per Professionem Jurium ejusmodi factus sit incapax, in Monasterium transfert, vel Religionem, quam profitetur, prout colligitur ex *Auth. ingressi C. de SS. Eccl.* ubi bona Professi generaliter addicuntur Monasterio.

131 Porro Monasterium, vel Religio, quamdiu Professus ejusmodi, cujus respectu feudum in eam translatum est, vivit, utilitatem omnem ex eo recipit: Professo autem mortuo, feudum ad proximos agnatos, vel eos, qui ex tenore Investituræ ad id vacantur, devolvitur, vel si ex his nemo superstes sit, ad Dominum directum redit. Molin. *tr.* 2. *D.* 140. *num.* 15. Sanch. *l.* 7. *moral. c.* 15. *num.* 36. *&* 46. Less. *l.* 2. *de J. & J. cap.* 41. *num.* 84. *vers. quinto*, Pirhing *hic n.* 25. Vviest. *Excipitur*, nisi sit feudum paternum simpliciter hæreditarium, quod ad omnes hæredes transit, & est instar proprietatis; hoc enim post mortem Vasalli ad Monasterium in perpetuum transit, ut ex communi docet Felin. *in c.* 8. *de probat. num.* 48. nisi aliter Statuto, vel consuetudine introductum sit.

132 Dub. 2. an ob delictum Prælati, vel alterius Clerici Beneficiarii, cui secundum Leges feudorum pœna privationis decreta est, feudum amittat Ecclesia? Resp. cum distinctione: vel enim feudum hujusmodi pertinet ad mensam solius Prælati delinquentis, vel ad solum Capitulum, vel communiter simul ad Prælatum, & Capitulum.

Si primum, ob crimen Prælati privatione dignum Ecclesia non amittit feudum absolute; quia delictum personæ non debet in Ecclesiæ detrimentum redundare, juxta *Reg.* 76. *in* 6. quamdiu tamen Prælatus delinquens vivit, & in administratione est, quoad omnium fructuum perceptionem feudum redit ad Dominum directum, etiam Laicum, iisque privatur Prælatus; eo autem mortuo, vel deposito, dominium utile, sive fructus revertuntur ad Successorem in Prælatura, ut expresse habetur *l.* 2. *feud. tit.* 40. §. *item si*, & docet Rosenthal *cap.* 10. *concl.* 3. *n.* 3. Gonzal. *in c. fin. h. tit. n.* 11. Pirh. *hic n.* 14. Schamb. *num.* 4.

Si secundum, & feudum pertineat ad solum Capitulum, delictum Prælati ipsi non nocet, nisi ejusdem delicti etiam ipsum sit particeps. Pirh. *l. cit.*

133 *Si tertium*, & feudum communiter simul ad Prælatum, & Capitulum spectet, videndum, an solus Prælatus deliquerit, vel an simul etiam delicti particeps sit Capitulum. *Si Prælatus deliquit solus*, fructus amittentur tantum quoad partem, quæ Prælato competit; quia in re dividua, quales sunt fructus feudi, nec innocens ob societatem delinquentis damnum, nec delinquens ex societate innocentis commodum referre debet. Si verò non solus Prælatus deliquit, sed delicti etiam particeps sit Capitulum, utrique quidem, dum vivunt, privabuntur fructibus feudi, iis tamen mortuis; vel amotis, feudum, sive ejus fructus, & commoditates ad Ecclesiam, seu Prælatum, & Capitulares illorum successores redibunt, prout colligitur ex §. *item si cit.* & probat ratio; nam Ecclesia delictum non commisit. *Neque obstat*, quòd acta à Prælato, & Capitulo censeantur acta ab ipsa Ecclesia; nam hoc procedit solum, quando non nimium inde exsurgit præjudicium, quod tamen exsurgeret, si Ecclesia ob delictum, commissum à Prælato, & Capitulo, in perpetuum privaretur feudo; quia sic subtraherentur paulatim alimenta ministris ejusdem, nec amplius haberet illa, ex quo refici ejusdem fabrica, reparari Altaria &c. possent.

134 Dub. 3. quid censendum de Clerico in Sacris constituto, qui ex dispensatione Pontificis Matrimonium contrahit, & de Regulari Professo, qui ex simili dispensatione redit ad sæculum, an per hoc restituatur ipsi capacitas succedendi in feudis, in quibus ratione Status Clericalis, vel Religiosi antea non potuit succedere? Resp. hic distinguendum est inter feuda ante dispensatio-

nem

nem obtentam aperta, & devoluta, & inter ea, quæ post obtentam dispensationem aperiuntur, & devolvuntur. *In prioribus* ita dispensatus non potest succedere; quia in his jam jus agnatis quæsitum est, quod per dispensationem non adimitur. *Quoad posteriora* jus succedendi recuperat; quia sic dispensatus quoad omnia æquiparatur Laico, & horum juribus utitur. Haun. *tom.* 3. *tr.* 9. *n.* 751. *vers. illud indubitatum*.

135 Quæritur 5: quis ordo servandus inter succedentes in feudo? Resp. ad successionem in feudo primo loco, & ordine vocantur Descendentes, seu liberi defuncti Vasalli, quo nomine veniunt ejusdem Nepotes, Pronepotes &c. in infinitum. 2. his deficientibus, si feudum antiquum sit, succedunt Collaterales, descendentes ex primo acquirentes, exclusis collateralibus primi acquirentis, & iis, qui ex his descendunt; quia primus acquirens *sibi suisque hæredibus videtur prospexisse*, ut dicitur *l.* 2. *tit.* 18. 3. deficientibus collateralibus, ex primo acquirente descendentibus, nisi aliter in prima feudi constitutione cautum sit, feudum ad Dominum directum redit.

Ex quo sequitur, Successionem Conjugum in feudo regulariter nullam esse *l.* 1. *feud. tit.* 15. *& l.* 2. *feud. tit.* 13. quoniam ex sanguine primi acquirentis non ducunt originem. *Excipitur* 1. nisi simul sint investiti in tali feudo *tit.* 15. *cit.* 2. nisi feudum sit hæreditarium; in hoc enim, cùm in illo admittantur etiam extranei, succedere conjuges non prohibentur. Rosenthal *cap.* 7. *de feud. concl.* 60. *n.* 16. 3. nisi successio per speciale pactum, consuetudinem, aut Statutum conjugibus fuerit reservata. Stryck. *de success. ab intest. Dissert.* 4. *c.* 2. §. 6. *&* 7.

Multo minus jus succedendi in feudo conceditur Fisco, nisi dominus directus simul jus Fisci habeat, vel omnes Agnati una cum domino directo obierint; quia ubi hæredes feudales deficiunt, cum dominio directo consolidatur feudum, ut supra dixi, & notat Stryck. *Dissert.* 5. *c.* 2. §. 2. *&* 3. ubi aliquot exceptiones ab hac Regula communi addit, quæ apud ipsum videri possunt.

136 Dub. 1. quid observandum in Descendentium successione? Resp. circa hos tres statui Regulæ solent. *Prima est*, quòd Descendentes succedant omnes etiam emancipati, & ex alio Matrimonio geniti. Neque refert, an hæredes sint, vel non sint; ubi tamen distinguendum est, an sponte repudiarint hæreditatem, an à patre exhæreditati sint; nam priores juxta *num.* 115. ad successionem in feudo non admittuntur, admittuntur posteriores, & quidem, ut plures volunt, etiamsi justè exhæredati sint, quòd defunctus de feudo per ultimam voluntatem disponere nihil possit, cùm istud à domino, non à patre accipiat filius. Haun. *tom.* 3. *tr.* 9. *n.* 755. *& seqq.*

2 Si plures sint Liberi ejusdem gradus, succedunt in capita, seu partes æquales, adeo, ut nulla parentum inæqualis dispositio subsistat, etiamsi dominus consentiat *l.* 1. *feud. tit.* 8. Si vero concurrant diversi gradus; puta, filii, & nepotes, hi cum illis jure repræsentationis admittuntur in stirpes *l.* 2. *feud. tit.* 11. Extenditur hoc jus repræsentationis non tantum ad nepotes, & pronepotes, sed ad omnes descendentes in infinitum *l.* 1. *feud. tit.* 1. §. *hoc quoque*, *& l.* 2. *tit.* 50.

137 3 Si plures sint liberi, qui simul vocantur ad feudum, in arbitrio illorum est, an velint feudum communiter retinere, an inter se dividere, vel etiam uni relinquere, qui alia iis ratione satisfaciat *l.* 2. *feud. tit.* 50. *&* 55. §. 1. *vers. præterea*, Hartm. Pistor. *l.* 2. *q.* 19. *n.* 94. Struv. *Synt. Jur. feud. cap.* 9. *aph.* 5. *n.* 4. Rosenthal *c.* 9. *concl.* 55. *num.* 1. *&* 2. Carpzov. *p.* 3. *const.* 29. *defin.* 15. *num.* 7. Magnif. D. Christoph. de Chlingensperg *c.* 6. *de feud. q.* 13. Clariss. P. Schmier *p.* 2. *de success. ab intest. c.* 3. *n.* 41.

Excipiuntur feuda Regalia, ut sunt Regnum, Ducatus, Marchionatus, in quibus divisio propter familiarum Illustrium splendorem, & dignitatem, nec non imperii utilitatem est prohibita, sed ea penes Primogenitum servari jubentur *vers. præterea cit.* & de Electoratibus specialiter cautum est *in Bull. aur. tit.* 7. *&* 24. Et hoc casu secundo, & ulteriore loco geniti titulum quidem integrum, item Principatus insignia, & dignitatem cum spe successionis retinent, nullam tamen Ducatus, vel Principatus partem consequuntur, sed Primogenitis, ut condecenter statui suo possint vivere, certam illis portionem, quam vulgo *Appanagium* vocant, assignare debet. Rosenthal *concl.* 55. *cit. num.* 11. Struv. *aphor.* 5. *num.* 5. Stryck. *c.* 3. §. 15. *& duob. seqq.* P. Schmier *n.* 44.

138 Regularibus feudis, quæ, ut modo dictum, divisionem non recipiunt, addi debent quædam alia feuda Nobilium, in quibus ex pacto inductum est, ut in iisdem succedat Senior familiæ, & vocantur *umbgehende lehen*, Struv. *n.* 5. *cit.*

Illud hic controversum inter DD. est, an casu, quo Princeps decedit, relinquens ex Primogenito nepotem, & simul secundo genitum filium, iste excludat Nepotem ex primogenito fratre, an verò ab hoc excludatur. Communior sententia cum Fachin. *lib.* 7. *controv. cap.* 2. Rosenthal *cap.* 7. *concl.* 26. *num.* 13. Haunod. *tom.* 3. *tract.* 9. *num.* 762. præfert nepotem ex primogenito, ex triplici ratione. 1. quia pater, & filius natura eadem persona esse censentur, & conf. nepos perinde habendus est, ac haberetur pater illius primogenitus, si viveret. 2. quia nepos, sicut Jure communi succedit in locum patris, ita etiam Jure feudorum. 3. quia in Successione Electorali expresse ita statutum est *in Bull. aur. Carol. IV. c.* 7.

Dub. 2. quo ordine, & modo in feudo succedant Collaterales? Resp. hic distinguendum est, an feudum de cujus successione agitur, sit novum, an antiquum. 139
Si novum est, in eo collaterales Vasalli, qui illud acquisivit, non succedunt, sed hoc sine descendentibus mortuo, feudum ad dominum directum redit, nisi aliter in Investitura expressum sit *l.* 1. *feud. tit.* 1. §. 2. *tit.* 20. & *l.* 2. *feud. tit.* 11. *&* 50. Idque verum est, licet in eodem feudo novo duo fratres simul investiantur; quia investitura simultanea per se, & secluso alio speciali pacto jus ad successionem non tribuit: conf. uno ex illis mortuo sine liberis, non succedet alter frater, sed pars defuncti revertetur ad dominum *l.* 1. *feud. tit.* 1. §. 2. *Excipitur*, nisi feudum novum concessum sit cum jure, & prærogativa antiqui, nam in hoc collaterales primi acquirentis, sine descendentibus decedentis, sucedunt, ut contra nonnullos tenet communior cæterorum: & ratio est, quia hoc jus est feudi antiqui, ut admittat collaterales Vasalli decedentis; igitur cum tale feudum concessum ponatur cum jure antiqui, etiam ipsum Collaterales Vasalli decedentis admittet. Struv. *Synt. Jur. feud. cap.* 9. *aphor.* 4. *à num.* 1.

Si verò feudum antiquum sit, deficientibus liberis, Jure feudali primo loco vocantur fratres defuncti: circa quos sequentes Regulæ observandæ sunt. 140

1 Si feudum paternum sit, perinde est, an fratres isti Germani sint, an consanguinei tantum; cum enim & hi non minus, ac Germani à primo acquirente descendant, idemque nomen, & insignia participent, Germanis quoad successionem in feudis æquiparantur *arg. tit.* 11. §. *his verò deficientibus l.* 2. *feud.* Gaill. *l.* 2. *obs.* 151. *n.* 1. Rosenthal *de feud. c.* 7. *concl.* 57. *num.* 1. Schrader *p.* 7. *c.* 7. *n.* 14. & novissime electus Universitatis Salisburgensis Rector Magnificus P. Franciscus Schmier *p.* 2. *de success. ab intest. c.* 3. *n.* 58. Uterini fratres à successione per fratres Germanos, & consanguineos excluduntur; quia in feudis sola agnatio spectatur *l.* 2. *feud. tit.* 11. Magnif. D. Christophor. de Chlingensperg *c.* 6. *de feud. q.* 15. Magnif. D. Vverlohner *de mod. acquir. leg. art.* 7. *q.* 2. *num.* 2. P. Konig *hic num.* 42. *cum supra citt.* Procedit hoc maximè in feudo masculino; nam in fœminino subinde consanguineum fratrem excludit uterinus. Casus potest esse iste: Titius ex primo matrimonio suscepit filium Cajum ex Bertha conjuge; hac mortua, ducit Liviam Viduam, quæ ex priori matrimonio suo habet filios Sempronium, & Mævium; & ex Titio insuper suscipit duos alios filios, Cornelium, & Fabium: hoc casu in feudo Liviæ fœminino, ipsa defuncta, succedunt Cornelius, & Fabius germani cum Sempronio, & Mævio uterinis; illis autem mortuis, hi duo soli, excluso Cajo consanguineo. Struv. *c.* 9. *aphor.* 4.

2 Si soli sunt fratres, qui ad successionem vocantur, succedunt in capita; si cum iisdem concurrant unius, vel plurium prædefunctorum fratrum liberi, hi cum patruis suis succedunt in stirpes secundum jus repræsentationis *l.* 2. *feud. tit.* 11. Et verum est hoc non solum in feudo hæreditario, ut nonnulli putant, sed etiam in feudo ex pacto, & providentia, ut rectius alii, quorum sententia etiam, teste Haun. *tom.* 3. *tr.* 9. *n.* 774. observatur in praxi; quia nec Jus commune, nec feudale distinguit. Quodsi tamen nulli supersunt fratres, sed soli liberi fratrum, absque concursu Patruorum, vocentur, non in stirpes, sed in capita omnes succedunt: quia non Jure repræsentationis veniunt, sed quilibet jure proprio. Mynsing. *cent.* 3. *obs.* 94. Vult. *c.* 9. *num.* 244. Rosenthal *c.* 7. *concl.* 56. *n.* 8. Struv. *c.* 9. *aphor.* 6. Haun. *tom.* 3. *tract.* 9. *n.* 774. Magnificus D. Verlohner *q.* 2. *cit.* 3. Clariss. P. Schmier *num.* 59. 141

& sua

& sua authoritate confirmavit Carolus V. in Comitiis Spirensibus anno 1529. & practicatur in Camera, teste Mynsing. *l. cit. in fin.*

142 3 Si præter liberos fratrum, his præmortuis, adsit superstes Propatruus, vel Patruus magnus unus, vel plures hujusmodi liberorum, succedunt soli, isto, vel istis exclusis, jure concesso per *Novell.* 128. *c.* 3. qua in successione Collateralium fratribus, & eorum liberis primus locus à Justiniano attributus est: quæ proinde Constitutio, cum per Jus feudale restricta non sit, etiam observari debebit in Successione feudali. *Neque* obstat, quod Propatruus, seu frater avi propinquior sit defuncto, quam Nepotes fratrum; quia ut *infra n.* 144. dicam, in Jure feudali non unice vicinitas graduum, sed ratio stirpis, & lineæ attenditur. propinquior autem defuncti lineæ est linea, in qua consistunt Nepotes fratrum, quàm in qua consistunt Propatrui illorum. ergo &c. Haun. *tr.* 9. *cit. n.* 775.

143 Dub. 3. quinam succedant in feudo, deficientibus fratribus, & horum liberis? Resp. si feudum antiquum sit, iisis deficientibus, succedunt Collaterales reliqui, descendentes à primo acquirente *l.* 2. *feud. tit.* 11. Circa quorum successionem sequentes iterum observandæ sunt regulæ.

1 Ex Collateralibus cæteris, si fratres, horumque liberi omnino deficiunt, succedunt soli agnati, si tales adsint; si non adsint, & Feudum sit fœmineum, etiam cognati, ut *supra num.* 140. dictum est de fratribus. Inter agnatos autem ii, qui propinquiores sunt gradu, & linea, præferuntur remotioribus: quæ propinquitas non à primo acquirente, (sic enim nec ultimi Vasalli liberi, nec fratres, nec alii collaterales, eandem cum ipso lineam tenentes primas partes in successione haberent) sed ut sincerior, & Juri feudali *l.* 2. *feud. tit.* 11. *tit.* 37. *& tit.* 50. propinquior sententia tenet, ab ultimo possessore, seu Vasallo est mensuranda. Rosenthal *c.* 7. *conclus.* 57. *num.* 10. Schrader. *p.* 7. *cap.* 7. *num.* 19. Vult. *c.* 9. *n.* 112. Acquirre, *in Consult. Besold. p.* 1. *Apol. num.* 6. D. Castillo *quot. Jur. Contr. l.* 3. *c.* 19. *num.* 140. Struv. *de feud. c.* 9. *aphor.* 7. Magnif. D. Christoph. de Chlingensperg *capit.* 6. *de feud. q.* 16. Magnif. D. Verlohner *de mod. acquir. leg. art.* 7. *q.* 2. *n.* 3. Magnif. P. Franciscus Schmier *c.* 3. *cit. n.* 61.

4 2 Ut iidem succedere possint in Feudo, non sufficit propinquitas sola Gradus, sed ut receptior Feudistarum sententia docet, requiritur etiam propinquitas lineæ *l.* 2. *feud. tit.* 50. *in fin.* ubi notandum, inter Ascendentes, & Descendentes unam, eandemque esse lineam. Inter collaterales autem primum sortiuntur locum, qui descendunt à patre Vasalli ultimi, seu fratres ejusdem Vasalli, horumque descendentes: secundum, qui ortum habent ab avo ejusdem, quales sunt ejusdem Patrui, horumque liberi; tertium, qui originem trahunt ab illius proavo, uti sunt ejus Propatrui, seu Patrui Magni, & horum posteri: & sic deinceps in infinitum. Explico rem per exemplum, quod dat Struvius *Synt. Jur. Feud. c.* 9. *aphor.* 7. Cornelius Vasallus duos reliquit filios, Mævium, & Sempronium: in hæreditatis divisione Mævius sortitur Feudum, qui pariter duos suscepit filios, Petrum, & Paulum: Petrus moritur ante Patrem, suscepto filio Joanne: unde ad Paulum, Mævio pariter mortuo, Feudum devolvitur, qui & ipse paulo post decedit, nullis relictis liberis: inter Agnatos ejus superstites existunt Petri ex Joanne filio nepos, & Pauli Patruus Sempronius. Hic, etsi gradu propinquior sit Paulo, quia tamen remotior linea est, excluditur à Petri nepote. Et hinc sequitur Regula.

5 3 Quando Feudum unam semel ingressum est lineam, in eadem non terminatur, nisi hæc ipsa in ultimo possessore extincta sit. Hartm. Pistor. *l.* 2. *q.* 19. *n.* 25. Knichen. *de Investit. Pact. p.* 3. *c.* 3. *n.* 41. Struv. *c.* 9. *aphor.* 7. Magnif. D. Christoph. de Chlingensperg *c.* 6. *cit. q.* 11. Magnif. D. Verlohner *q.* 2. 5. Ratio fundatur tum in Investitura, quæ ordinariè investitum, & omnes ejus descendentes complectitur, ut adeo non antea recurrendum sit ad Collaterales, quam linea, cujus principium investitum est, extinguatur; tum vero etiam in eo, quod qui in divisionem paternam, consensit, ut Feudum obtingat alteri, hoc ipso Juri suo renuntiasse, & illud in alterum cum descendentibus transtulisse censeatur tamdiu, quamdiu aliquis ex istis superest.

§. V.

De Renovatione, Alienatione, & Amissione Feudi.

SUMMARIUM:

146 *Investituræ Renovatio petitur, mutata vel persona Domini, vel Vasalli.*
147 *Qualis hæc mutatio esse debeat ex parte Domini?*
148 *Qualis ex parte Vasalli?*
149 *Intra quod tempus peti renovatio Investituræ debeat?*
150 *Quid præstari in renovatione Investituræ à Vasallo debeat?*
151 *Quotuplex Relevium de Jure Bavarico solvi debeat in prioris Vasalli morte?*
152 *An, & quomodo Vasallus possit alienare Feudum?*
153 154 *An, & in quo Feudo præter consensum Domini ad alienationem Feudi requiratur consensus Agnatorum?*
155 156 *Quod jus competat Agnatis, quorum consensu non requisito, Vasallus alienavit Feudum?*
157 158 *An Jus revocandi Feudum malè alienatum, quod Agnati habent, etiam competat filiis?*
159 160 161 *Qualis debeat esse consensus Domini, & Agnatorum, expressus, an tacitus?*
162 163 *Quid hic nomine alienationis veniat?*
164 *An vicissim, quando Dominus vult alienare Dominium directum, opus habeat consensu Vasalli?*
165 *An si Dominus à Vasallo accipiat Feudum in pignus, teneatur fructus computare in sortem?*
166 *Respondetur negativè.*
167 *Exceptiones.*
168 *Respondetur ad Argumentum oppositum.*
169 170 *Idem dicendum, quando Domino Emphyteuta in pignus dedit rem Emphyteuticam.*
171 *Feudum finitur ex triplici capite, nempe vel ex re ipsa.*
172 *Vel ex persona Domini.*
173 *Vel ex persona Vasalli: quod fit vel sine culpa.*
174 *Vel cum culpa, aut committendo.*
175 *Aut omittendo.*
176 *Casus, in quibus non amittitur Feudum ob non petitam suo tempore renovationem Investituræ.*
177 *Ut ob alienationem amittatur Feudum, requiritur traditio.*
178 *Sufficit tamen ficta.*
179 *An Vasallus à pœna caducitatis excusetur, si Feudum male alienatum in continenti recuperet?*
180 *Præfertur sententia negativa.*
181 *Respondetur ad Argumenta opposita.*
182 *An Feudum male alienatum à tertio bonæ fidei possessore præscribi possit?*
183 *Defenditur sententia affirmans.*
184 *Explicantur textus allegati in contrarium.*
186 *An casibus hactenus relatis Feudum amittatur ipso Jure, an per sententiam condemnatoriam?*
186 *Deciditur esse opus sententia.*
187 *Exceptiones.*
188 *Solvuntur Argumenta.*
189 *Ad quem devolvatur Feudum amissum, si illud sit novum?*
190 *Ad quem, si sit antiquum, & amissum ob neglectam petitionem Investituræ?*
191 *Alienationem sine consensu Domini factam?*
192 193 *Aut aliud delictum?*
194 195 *Ad quem pertineant fructus Feudi amissi?*
196 *Ad quem melioramenta, finito Feudo?*
197 198 *An jus revocandi Feudum, ob delictum commissum, transeat ad hæredes domini, & in hæredes Vasalli?*

QUæritur 1. quando peti Investituræ renovatio in Feudo debeat? Resp. Peti debet in duplici casu, 146
quando sc. mutatur persona domini, & quando mutatur persona Vasalli. Mutata persona domini Renovatio Investituræ petitur, ut appareat, quòd dominus, qui succedit, agnoscatur à Vasallo; Vasalli persona mutata autem, ut ostendat, quòd successionem in Feudum recognoscat à domino. In quo dispar est ratio Contractus feudalis à cæteris Contractibus, qui activè, & passivè in hæredes transeunt, neque opus renovatione habent. Et ratio diversitatis est, quia cùm in Feudis, ut *n.* 99. dictum est, primitus non obtineret successio, postea illa concessa est cum obligatione petendi renovationem in duplici memorato casu, quod onus contractus alii sibi annexum non habent. Rosenthal *de Feud. c.* 6. *concl.* 29. *n.* 5. Estque hoc verum etiam casu, quo Juramentum fidelitatis in casibus memo-

memoratis remittitur; nihilominus enim renovatio Investituræ petenda est, nisi & hæc remissa sit, prout remitti potest. Knichen. *de paction. Invest. p.* 3. *c.* 4. *n.* 29.

147 Dub. 1. quomodo mutari persona domini debeat, ut opus sit renovatione Investituræ? Resp. peti debet hæc renovatio, sive persona Domini mutetur per mortem, sive per alienationem dominii directi, hoc in aliam personam translato. Besold. *thes. pract. V. Lehens Jorderung.* Estque hoc verum etiam casu, quo fratres, qui dum in communione bonorum vixerunt, simul Investiti fuere, postea bona dividunt, ita, ut cuivis illorum certa obtingant Feuda; quia in locum plurium succedit unus Feudi dominus, & divisio ad alienationem pertinet *arg. l. divisionem* 1. *C. commun. utriusque Judic.* Hartm. Pistor. *sing. obs.* 186. Carpz. *p.* 2. *const.* 45. *def.* 26. *n.* 11. Magnif. D. Christoph. de Chlingensperg *c.* 7. *de Feud. qu.* 2. Quodsi ex pluribus Dominis, in communione viventibus, moriatur unus, distinguendum est, an iste post se relinquat liberos, vel non; nam priori casu peti à Vasallo Investitura debet, & Juramentum fidelitatis præstari; quia eatenus mutatur persona Domini; in posteriori, cùm superstitibus fidelitas jam sit jurata, juramento novo per mortem unius non est opus, quamvis renovatio Investituræ quoad illam partem, in quam succedunt superstites, vel saltem declaratio, qua Vasallus à cæteris hanc nunc recognoscere fatetur, rectè fiat. Magnif. D. Christoph. de Chlingensperg *l. cit. q.* 4.

148 Dub. 2. quænam mutatio sufficiat ex parte Vasalli, ut peti renovatio Investituræ debeat? Resp. triplex refertur casus 1. Quando Vasallus moritur, & alius eidem succedit *l.* 2. *Feud. tit.* 40. Collegia, Civitates, Universitates habentes Feuda, quia non moriuntur, solent constituere Vicarium Feudi vulgò *einen Lehentrager*, ad cujus mortem Investitura renovatur, vel certum iisdem tempus præfigitur, quo elapso renovationem Investituræ petant, & præstanda præstent. 2. Quando Vasallus utile dominium alienat, illudque in alium transfert *arg. l.* 1. *Feud. tit.* 34 *& tit.* 38. Quod procedit etiam casu, quo filii, succedentes in patris Feudis, & simul in his Investiti, illa denique inter se dividunt; quia post hujusmodi divisionem totum incipit habere unus, in quo antea solum habebat partem: adeoque verè alienatio, & mutatio contingit ex parte Vasalli. Hartm. Pistor. *q.* 47. *n.* 13. 3. Si Vasallus ob feloniam privetur Feudo, & hoc devolvatur ad agnatos. Struv. *c.* 10. *aphor.* 3. *in fin.*

149 Dub. 3. intra quod tempus petenda sit Investituræ renovatio? Resp. in Feudo novo tempus cum petendi est arbitrarium, adeoque Vasallus exspectare debet, donec à domino ad eam accipiendam vocetur. Vvesenbech. *de Feud, c.* 7. *n.* 2. Vvult. *c.* 7. *n.* 21. Konig *hic num.* 44. In Feudo antiquo autem, si paganus sit Vasallus novus, petere illam debet intra annum, & diem *l.* 2. *Feud. tit.* 40. *tit.* 52. §. *ult.* & *tit.* 55. *pr.* Si miles intra annum, & mensem *l.* 1. *Feud. tit.* 22. Et currere hoc tempus incipit ex eo tempore, quo primò Vasallus competit, aut Feudum sibi delatum, aut domino mortuo alium successisse *arg. l.* 2. *Feud. tit.* 9. §. *donare*. Bocer. *de Invest. Feud. c. ult. n.* 8. Magnif. D. de Chlingensperg *cap.* 7. *de Feud. q.* 9. Quodsi intra hoc, absque legitima causa, non petatur renovatio Investituræ, Vasallus privatur Feudo, ut *infra n.* 179. dicetur, & Feudum ita commissum ad Dominum quamdiu Vasallus, & ejus liberi vivunt, postea verò ad Agnatos revertitur *l.* 2. *Feud. tit.* 24. & *tit.* 55. Quodsi Dominus Vasallum, ubi debito modo, tempore, & loco Investituram petiit, recuset investire, Vasallus contra ipsum Condictionem, seu Actionem feudalem habet eo fere modo, quo actio empti, & venditi ex contractu Emptionis Venditionis Emptori, & Venditori competit.

150 Dub. 4. quid præstari in Renovatione Investituræ à Vasallo debeat? Resp. præstari debet Juramentum fidelitatis, nisi hoc à Domino relaxetur. In Bursaticis etiam datur *Relevium*, vulgo *Lehenraich*: quod aliquando est pars decima; aliquando vigesima, ut in Bavaria, ubi eo nomine solvuntur 5. pro 100. secundum dicta *num.* 41. Præstatur, mutato Domino feudali per mortem, non verò per alienationem dominii directi, ne si hoc etiam casu solvi deberet, hac ratione detur Dominis ansa repetitis alienationibus Vasallos flagellandi, & emungendi. Hartm. Pistor. *l.* 2. *q.* 50. *n.* 40. Balthas. *ad Statut. Bavar. tit.* 12. *art.* 8. *resol.* 5. *n.* 37. Magnif. D. de Chlingensperg *cap. de Feud. q.* 4. *ad Object.* 4. Ex parte Vasalli, ut propterea Relevium præstari debeat, de Jure Bavarico *Landrecht tit.* 12. *art.* 8. sufficit quævis ejusdem mutatio; de Jure communi feudali autem præstatur Relevium tantum eo casu, quo Feudum in novum Vasallum per alienationem transfertur, atque sic is de novo investitur. *textus & DD. in l.* 3. *C. de Jur. Emphyt.* Frantk. *de Laudem. c.* 4. *num.* 14. D. Chlingensperg *l. cit. in respons. ad Quæst.*

Dub. 5. quotuplex Relevium de Jure Bavarico sol- 151
vi debeat in prioris Vasalli morte? Resp. tantum unicum. Patet ex Statutis Bavaricis *art.* 8. *cit.* ibi: *Es soll auch kein Lehenhert, auf Absterben des Lehen Manns fir den Todtfahl einen sondern, und son den gesambten Erben biaerumben einen sondern Lehenraich forderen, sonder an einem Lehenraich begnigt sein. Excipitur*, nisi præscriptione inductum sit, ut post mortem Vasalli Relevium duplex præstetur, *Absfahrt, und Anstandt*, unum pro morte Vasalli, & alterum pro admissione hæredis ad successionem Feudi: Sed hæc præscriptio debet esse immemorialis; quia in hoc negotio Jus resistit, ut vidimus.

Quæritur 2. an, & quomodo Vasallus possit aliena- 152
re Feudum? Resp. sine Domini consensu non potest: & si ita fiat, alienatio est invalida, & ipse alienans Feudum perdit, emens verò Feudum sic alienatum, si scienter hoc faciat, pretium amittit; Notarius quoque alienationis Instrumentum conficiens punitur amissione officii, & amputatione manus: ratio est contemptus Domini. *textus*, & DD. *ad l.* 2. *Feud. tit.* 42. *tit.* 44. *tit.* 52. *tit.* 55. Dixi *sine domini consensu*; nam cum consensu istius Feudum alienare validè, & licitè potest, ut habetur *l.* 1. *Feud. tit.* 13. §. *etsi Clientulus*, & *l.* 2. *tit.* 34. §. *similiter &c.* Rosenthal *c.* 9. *concl.* 28. Pirh. *hic n.* 17. Konig *n.* 50. & alii passim.

Dub. 1. an sufficiat consensus Domini solus, aut 153
requiratur præterea, ut insuper agnati consentiant, in quorum præjudicium cedit alienatio? Resp. distinguendum esse inter Feudum novum, & antiquum; nam *Feudum novum* cum consensu Domini alienare Vasallus potest, etiam non requisito consensu filiorum, & agnatorum, qui alias secundum Investituram in Feudo successuri erant. Clar. §. *Feudum q.* 40. *&* 41. Mynsing. *cent.* 4. *obs.* 84. *in fin.* Gaill. *l.* 2. *obs.* 94. Laym. *l.* 3. *tr.* 4. *c.* 24. *n.* 5. Jacob Emerix *decis.* 1291. *n.* 11. Ratio est, quia in tali Feudo descendentibus, vel agnatis jus nondum quæsitum est. *Excipitur*, nisi Feudum novum alicui concessum fuerit, ut esset instar antiqui; tunc enim hujus qualitates induit: Item nisi concessum esset favore alicujus filii, aut fratris &c. in Investitura nominati; nam his casibus requireretur istorum consensus, cum agatur de illorum præjudicio. Gaill. *l.* 2. *obs.* 50. *cum citt.*

Si Feudum antiquum sit, distinguendum est, an il- 1
lud sit Hæreditarium, an ex pacto, & providentia. *De priore* Vasallus pro arbitratu suo inter vivos, & per ultimam Voluntatem, absque proximorum agnatorum consensu, imò ne quidem requisito novo consensu Domini (quippe qui in alienationem jam consensit tum, quando tanquam hæreditarium Vasallo dedit) perinde, ac de bonis propriis potest disponere; quia tale Feudum ratione primæ Investituræ ad quoscumque, etiam extraneos devolvi potest, reservata Domino directo fidelitate, à Feudi successore præstanda. Clar. *q.* 41. Gaill. *obs.* 154. Engl *hic num.* 37. *De posteriore* ut disponere Vasallus possit, illudque alienare, præter consensum Domini etiam consensus Agnatorum debet accedere; quia his ex pacto, & providentia primi tum conferentis, tum acquirentis jus acquisitum est, cui pactum, seu dispositio posterior obesse non debet. Clar. *q.* 41. *cir.* Mynsing. *cent.* 4. *obs.* 85. Gaill. *l.* 2. *obs.* 49. Laym. *l. cit. num.* 7. & constat ex *lib.* 2. *Feud. tit.* 39.

Dub. 2. quod Jus competat Agnatis, quorum consensu non requisito, Vasallus alienavit Feudum? Respond. Agnatos Vasalli, si in alienationem ipsi non consenserint, licet consenserit Dominus, Vasallo alienatore mortuo, tale Feudum, tanquam ad se devolutum, à quocumque possessore vindicandi potestatem habere *lib.* 2. *Feud. tit.* 39. *tit.* 45. Hartm. Pistor. *l.* 2. *q.* 4. Engl *hic n.* 39. Magnif. D. Christoph. de Chlingensperg *c.* 11. *de Feud. q.* 12. Neque tenebuntur emptori refundere pretium, quod pro feudo à se emptor exposuit, ne rem suam emere cogantur; sed emptor, si ignarus fuit conditionis, & qualitatis feudalis, a hæredibus alienantis repetere illud debebit. Hauno[ld] *tom.* 3. *tr.* 9. *num.* 835. & habetur *l.* 2. *Feud. tit.* 2 §. *Titius*. Si proximiores Agnati non revocant, d stinguendum est, ex qua causa proximior non revoc Feudum, an quia non potest, an quia non vult. *quia non potest*, quòd v. g. in alienationem consenrit,

t, aut hæres alienatoris sit, non statim admittitur
emotior; quia ipsi non nisi post mortem ejus, & fi-
iorum defertur successio. *Si quia non vult*, videndum,
x qua causa non velit. Nam si non vult, quia rem
ult relinquere possessori, remotior non admittitur ad
evocationem Feudi, donec successio ad eum defera-
ur; si verò non vult, quia Feudum vult repudiare,
emotior potest revocare statim, quod statim ipsi de-
eratur successio. Rosenthal *de Feud. c. 9. concl. 62.* cum
liis passim.

6 Manetque hæc potestas revocandi alienationem Feu-
li, sine suo consensu factam, remotioribus agnatis,
etsi proximior intra 30. annos revocare illud negle-
xerit, ut contra Pinell. *in Auth. nisi triennale C. de*
bon. matern. pluribus defendit Fachin. *l. 7. contr. c. 12.*
idque ex duplici ratione: *una est*, quia agnatis, non
consentientibus in alienationem, ex vi primæ Inve-
stituræ quæsitum est jus ad tale feudum. igitur per ne-
gligentiam proximioris hoc ipsis auferri nequit juxta
Reg. Id, quod nostrum est, sine facto nostro ad alium
transferri non potest: quæ est 11. *ff. Altera est*, quia
præscriptio solum nocet illi, contra quem præscriptum
est. atqui per lapsum temporis triennalis in casu præ-
senti solum præscriptum est contra proximiorem agna-
tum, qui agere poterat, non verò contra reliquos,
qui vivente proximiore agere non potuerunt juxta re-
ceptum Juris axioma, quòd *non valenti agere non*
currat præscriptio, nec extinguatur actio, quæ necdum
nata, seu competere cœpit *arg. l. sicut 3. C. de præ-*
script. 30. vel 40. an. ibi: *ex quo competere cœperunt*,
ergo &c.

Dub. 4. an feudum antiquum, ita malè alienatum
à Vasallo, revocare etiam possint filii alienantis?
Videtur idem dicendum de filiis, quod de aliis Agna-
tis. 1. Quia etiam filii sunt Agnati *l. filius 12. ff. de*
suis, & legitim. hæred. ergo ut pariter succedunt, ita
pariter revocare poterunt feudum malè alienatum à pa-
tre. 2. In feudo antiquo ex prima Investitura non mi-
nus jus quæsitum est filiis, quàm cæteris agnatis.
igitur non minus illi, quam isti revocare alienatio-
nem poterunt.

Sed probabilior videtur negativa, quàm etiam de-
fendunt Vult. *de feud. p. 1. cap. 11. num.* 88. Hattm.
Pistor. *p. 2. q. 13. num. 34. & seqq.* Carpz. *p. 2. const.*
48. *defin. 9. num. 2. & seqq.* Richter. *decis. 29. num. 4.*
& 7. Magnif. D. de Chlingensperg *c. 11. de feud. q. 13.*
Ratio est 1. quia in Jure feudali hoc jus revocandi fi-
liis nuspiam vel verbulo quidem unico datur. 2. Quia
ratio agnatos admittens, in filiis, & cæteris descen-
dentibus cessat; ideo enim Agnati feudum revocare
possunt, quia causam non à Vasallo alienante, sed
per Investituram à communi stipite, à quo illud ad
alienantem pervenit, habent, at filii non tam bene-
ficio primi acquirentis, quam mediante persona pa-
tris sui succedunt, & ab ipso patre feudum capiunt:
quod inde colligitur, quia aliàs si ab avo proximè
defuncto, & non à patre feudum obtineret filius, sa-
nè patruus filii, qui avo propinquior gradu est, fi-
lio excluso, succederet; de quo tamen contrarium li-
quet. ergo &c.

58 Aliud dicendum in feudo novo, quod non solum
patri, sed simul quoque filiis in specie, horum no-
minibus in Investitura expressis, vel saltem contem-
platione filiorum patri concessum fuit; tunc enim ces-
sat ratio, quæ filios à renovatione feudi, à patre
alienati, prohibet. Carpzov. *constit. 48. cit. def.* 10.
Ratio est, quia eo casu filii non tam à patre, quàm
à primo concedente, & ex gratia Domini feudum
consequuntur. ergo in eo ipsis à patre præjudicari non
potuit, sed meritò iis actio revocatoria dabitur. Idem
dicendum putat Carpzov. *defin.* 11. quando feudum
quidem antiquum est, sed filius non est patris alienantis.

Ad 1. Argumentum in contrarium allatum dico,
filios secundum mores feudales sub agnatorum nomi-
ne non comprehendi, sed ab his contradistingui *l. 1.*
Feud. titul. 8. l. 2. Feud. tit. 11. tit. 31. tit. 37. tit.
45. *Ad* 2. filiis ex prima investitura non aliter jus
ad Feudum quæsitum est, nisi mediante patre, qui
propterea jus istud ad ipsos non admittet, si illud
ante abdicavit.

159 Dub. 4. qualis requiratur consensus Domini, & A-
gnatorum, ut ex alienatione sine illo facta Feudum
non committatur, & excludatur potestas revocandi
Feudum, alias Agnatis competens? *Certum satis est*,
in Agnatis non sufficere consensum præsumptum ex eo,
quòd præsentes alienationi, à Vasallo factæ, non con-
tradicant; nam communis est Regula, quod tacens pro
consentiente non habeatur in iis, quæ ipsi præjudicio-
sa sunt, nisi casu, quo loqui deberet; non debet au-
tem Agnatus statim contradicere, cum eidem ad revo-
candum Feudum detur actio durans per 30. annos, ut
cum Schurffio, & Schradero notat Haun. *tom. 3. tr. 9.*
n. 836. erit igitur in Agnatis necessarius consensus ex-
pressus, ut jus revocandi alienationem amittant.

Similiter expressum consensum requiri etiam in Do- 160
mino, ut Feudum non committatur, putant nonnulli
cum eodem Haun. *l. cit. n. 826. quæst.* 24. Sed commu-
nior cum Schrader. *p. 8. c. 4. num.* 2. Rosenthal *c. 9.*
concl. 44. num. 3. Mynsing. *cent. 4. obs. 77. num.* 3.
Fachin. *l. 7. contr. cap.* 80. Engl *hic num.* 36. docet
sufficere tacitum, qui colligitur ex scientia, & taci-
turnitate Domini. Ratio petenda est ex causa, quæ
Imperatores movit ad prohibendam alienationem Feu-
di sine consensu Domini; nam hæc, ut patet ex *l. 2.*
Feud. tit. 52. & tit. 55. erat triplex, contemptus Do-
mini, ejusdem damnum, & honor Imperii. atqui si
Vasallus, præsente domino, & non contradicente
Feudum alienet, omnes hæ causæ cessant; nam 1.
contemptum se à Vasallo Dominus non potest con-
queri; quia dissensu suo alienationem potuisset impe-
dire. 2. Damnum non sentit; scit enim se novum
Vasallum habere, cujus opera uti possit. 3. servitia Im-
perii non diminuuntur; quia præstari à novo Vasallo
possunt, sicut & ab antiquo.

Addenda tamen hic duo videntur. 1. quod, ut Clar. 161
§. *feudum q. 31. in fin.* notat, Dominus in hac taci-
turnitate debeat notabili tempore saltem per annum
perseverare, ut tanto melius tacitus ipsius consensus
intelligi possit; non enim tam est officium Domini,
ut alienationem impediat, quàm Vasalli, ut consen-
sum requirat: ideoque Dominus, in continenti non
contradicens, non statim præsumetur jus suum remit-
tere, nisi longius taciturnitatis tempus, aliæque cir-
cumstantiæ confluant. 2. quod casu, quo constat de
consensu Domini tacito, vel expresso, idem Dominus
non præsumatur dare facultatem aliam, quam ad trans-
ferendum Jus utile, sine præjudicio dominii sui dire-
cti, cùm nemo præsumatur jactare jus suum *l. cum de*
indebito 25. ff. de Probat. Accedit, quia hoc casu non
Dominus, sed Vasallus contrahit. nemo autem contra-
hendo plus juris transferre in alium potest, quàm ipse
habeat *l. nemo potest 75. ff. de R. J.*

Dub. 5. quid hic veniat nomine alienationis, quan- 162
do hæc prohibetur fieri sine consensu Domini? Resp.
intelligitur prohibita non tantum Venditio feudi, sed
alius etiam quicunque Contractus, vel Actus, per quem
dominium, vel jus aliquod reale, sive in re constitu-
tum transfertur in alium sine consensu Domini, prout
sumitur ex *l. 2. feud. tit. 9. tit. 34. §. similiter, tit. 40. §.*
præterea, tit. 52. tit. 55. & notant Mynsing. *cent. 6. obs.*
30. Haun. *tom. 3. tr. 9. n. 806. vers. quares* 8. Magnif. D.
de Chlingensperg *cap. 11. de feud. q.* 2. Pirh. *hic n.* 16.
Vviest. *num.* 50. *Ex quo sequitur* 1. quod Vasallus sine
consensu Domini nec vendere, nec donare, nec in Em-
phyteusin dare, aut locare ad longum tempus, vel ul-
terius possit. *Sequitur* 2. non posse illud in Testamen-
to relinquere, vel legare, aut mortis causa de illo ul-
lo modo disponere, nisi idem Dominus, & Agnati
consentiant. *Sequitur* 3. etiam non posse sine eodem
consensu, & in præjudicium Domini, & Agnatorum
servitutem imponere feudo. Si tamen imposuerit ser-
vitutem prædialem feudo, v. g. jus pascendi, jus agen-
di &c. ipsi quidem Vasallo, quamdiu vivit, obstat,
Domino verò, aut agnatis succedentibus, etiamsi per-
severaverit per longa tempora, minimè nocet *l. 2. feud.*
tit. 8. pr. Sequitur 4. nec dari illud à patre filiæ in
dotem posse, ut habetur *l. 2. feud. tit. 9. §. donare.*
Ipsa tamen uxor feudum, quod habet, marito dare in
dotem potest, & consuetudine dotalitia in feudum con-
stituuntur *textus*, & DD. *in tit. 9. cit. tit. 13. & tit.*
17. *l. 2. cit. Sequitur* 5. etiam oppignorari alteri, quàm
Domino, sine hujus consensu non posse: & hinc in
generali omnium bonorum Hypotheca bona feudalia
non continentur. Videatur Clar. §. *feudum q. 31. n.* 10.
Rosenthal. *c. 9. concl.* 13. Haun. *tom. 3. tr. 9. à num.* 806.
Magnif. D. de Chlingensperg *c. 11. q. 2. & seqq.* Konig
hic num. 50.

Excipiuntur 1. feuda, quæ alicui concessa sunt *pro* 163
se, & quibus dederit, vel *pro hæredibus quibuscumque*;
nam hæc sine consensu Domini alienari valent *l. 2. feud.*
tit. 48. *Excipitur* 2. si alienetur in proximum agnatum
aliàs successurum; talis enim alienatio potius est refu-
tatio feudi, quæ fieri in favorem proximi Agnati po-
test. Engl *hic num.* 37. *Excipitur* 3. si quam disposi-
tionem, etiam non requisito consensu Domini, per-
mittat consuetudo; sic Laym. *l. 3. tr. 4. c. 24. n.* 2. cum
Clar.

Clar. §. *feudum q.* 33. notat, ex consuetudine permitti, ut Domino non requisito, Vasallus possit locare in tempus etiam longum, vel in Emphyteusin dare pascua, & terras incultas, constituere in re feudali servitutem, fructus, & commoditatem illius alienare: imò etiam alium Vasallum sibi subinfeudare, teste Glossa communiter recepta *in cap. quæ in Ecclesiarum V. alienandi feudum de constit.* Quæ omnia tamen fieri debent sine præjudicio Domini: atque hinc si in re feudali constituatur servitus, aut illa elocetur &c. mox ubi feudum ex aliqua causa ad Dominum reversum fuerit, servitus illa, vel jus Conductoris &c. extinguetur; quia dissoluto jure dantis, dissolvitur etiam jus accipientis *l. lex vectigali* 31. *ff. de pignor. & hypoth.* Item ut subinfeudatio legitimè fiat, requiritur, ut is, qui subinfeudatur, sit ejusdem conditionis, & qualitatis, cujus est ipse Vasallus subinfeudans, & saltem non inferioris, & ut fiat iisdem pactis, ac conditionibus, sub quibus subinfeudans feudum à domino accepit. Rosenthal. *c. 9. concl.* 44. *n.* 3. *&* 4. Haun. *tom.* 3. *tr.* 9. *num.* 837.

364 Porro sicut Vasallus feudum alienare non potest sine consensu Domini, ita vicissim ex communi DD. teste Engl. *num.* 43. Dominus nequit dominium directum, sive feudum, & Vasallum sine ejus consensu in alium transferre, ne alium acquirat Dominum, & forsan duriorem, quàm sibi ab initio per Contractum feudalem constituit *l.* 2. *feud. tit.* 34. *§. ex eadem* 1. Hodiernis tamen moribus, præsertim cum totæ Curiæ, Castra, Jurisdictiones, & Comitatus cum suis Juribus, & pertinentiis alienantur, jura quoque Vasallorum simul transeunt. Clar. §. *feudum q.* 28. Gaill. *l.* 2. *de pac. publ. c.* 15. *num.* 13. Vult. *l.* 1. *de feud. c.* 10. *n.* 71. Rosenthal *c.* 9. *concl.* 62. *n.* 28. Magnif. D. de Chlingensperg *c.* 11. *q.* 1. *ad Object.* 1. Engl *hic n.* 43.

365 Dub. 6. an si Dominus à Vasallo accipiat feudum in pignus, teneatur fructus computare in sortem? *Certum est*, si Dominus directus sit Ecclesia, vel Monasterium, fructus huic cedere, & in sortem non computandos; nam ita expresè statutum habetur *c. insinuatione* 1. *h. tit. & c. conquestus* 8. *de Usur.*

Quando Dominus directus est Laicus, non consentiunt DD. Nam aliqui cum Gloss. *in c. inquisitione, &c. conquestus citt.* putant his textibus contineri speciale privilegium concessum Ecclesiis, & Monasteriis, quando penes ipsa est dominium directum, ut eo citius feudum ad Ecclesiam revertatur. Hinc dicunt casu, quo Dominus directus est Laicus, fructus feudi, à Vasallo sibi oppignorati, computandos in sortem, ita, ut summa ex credito debita decrescat pro ratione fructuum perceptorum, & si isti sortem adæquent, debitum omnino extinguatur.

366 Sed dicendum, nec Dominum directum sæcularem obligari computare in sortem fructus perceptos ex feudo, quod sibi oppignoravit Vasallus, si hic interea non præstet servitia, alias ratione feudi debita. Ita Covar. *l.* 3. *var. c.* 1. *n.* 4. Molin. *tr.* 2. *de Just. D.* 323. *n.* 2. Pal. *tr.* 32. *D.* 4. *p.* 22. *n.* 3. Lug. *D.* 25. *n.* 147. Canis. *c.* 6. *de Usur. num.* 4. Gonz. *in c.* 1. *h. tit. num.* 2. *&* 3. Pirh. *hic num.* 20. Schamb. *num.* 5. Vviest. *n.* 56. Neque in hoc ullum periculum est Usurarum, ut desumi potest ex natura feudi; cùm enim hoc ex prima sua institutione gratis, & intuitu servitiorum, à Vasallo exhibendorum, concedatur, consequens est, ut Vasallus, quamdiu sine culpa, & cum Domini consensu feudo caret, ab obsequiis, & muneribus, Domino exhibendis, immunis sit, & vicissim Dominus fructus percipiat, quippe cum eo casu cesset causa; ob quam res in feudum data, & istius fructus concessi sunt.

367 *Exceptio* tamen triplex est facienda. 1. si feudum sit Francum; cum enim hoc à servitiis liberum sit, fructus ejus, si domino directo pro mutuo, vel alio debito oppignoratum sit, percipere iste non potest. Sylv. *V. feudum num.* 20. Barbos. *in c.* 1. *cit. num.* 2. *vers. limita tandem*, Gonzal. *ibid. num.* 4. *vers. tertius casus*, Vviest. *hic num.* 59. 2. si feudum non sit gratis concessum, sed data pecunia; quia cùm eo casu jus percipiendi fructus sit comparatum pretio, eos percipiens Dominus, & in sortem non computans excusari ab Usura nequit; ut bene advertunt Gonz. *l. cit. vers. secundus casus*, Gibalin. *l.* 4. *de Usur. c.* 3. *art.* 10. *q.* 1. *num.* 1. Pirh. *hic n.* 20. *not.* 2. Schambog. *n.* 5. Vviest. *num.* 59. *cit.* 3. si feudum cura, & industria Vasalli melioratum sit, & fructuosius redditum, quàm fuerat tempore primæ Investituræ; tunc enim æquitas suadet, ut Dominus directus non lucretur integros fructus feudi, dum illud pignoris loco detinet, sed eos tantum, qui ex feudo percepti sunt tempore, quo primum est concessum, excessus verò reliquorum fructuum ipsi Vasallo cedere debet. Canis. *in c.* 1. *h. tit. in fin.* Gonz. *ibid. vers. idem dicendum*, Zoes. *hic n.* 7. Pirh. Vviest. *l. cit.*

Neque verum est, quod *c. inquisitione, & c. conquestus citt.* Ecclesiis, & Monasteriis concessum sit speciale privilegium; Vel enim lucrum fructuum, qui ex feudo oppignorato à Domino directo percipiuntur, usurarium, & honestum est, vel contra justum est, & honestum. *Si primum*, neque Ecclesiastico concedi id debet, imo minus, quàm Laico Domino, cùm usuraria iniquitas etiam in Ecclesiasticis, imò magis sit detestanda, utpote quos lucris temporalibus specialiter non convenit inhiare. *Si verò secundum*, non magis concedi hoc lucrum Ecclesiasticis debet, quam Laicis, cum multa alia Laicis permittantur, quæ Ecclesiasticis prohibentur. 68

Dub. 7. an decisio *c. insinuatione, & c. conquestus citt.* locum habeat etiam in re Emphyteutica, ut si istam in pignus acceperit Dominus directus, hic fructus illius lucretur? *Ratio dubitandi est*, quia per *c. citt.* restringitur Jus commune, juxta quod Pignoris fructus in sortem computandi sunt *c. cùm contra* 6. *de Pignor.* atqui decisiones restrictivæ Juris communis, quia odiosæ sunt, ultra casum Jure expressum extendi non debent. ergo nec *c. citt.* decisio à Feudo extendi debet ad Emphyteusin.

Sed hoc non obstante, tenenda est affirmativa sententia, & dicendum, quòd Dominus directus rei Emphyteuticæ, sibi oppignoratæ, fructus suos faciat, & in sortem computare non teneatur, si interea, dum ipse rem illam in pignus retinet, Emphyteuta non solvat Canonem, seu Pensionem, alias præstandam ratione rei in Emphyteusin concessæ. *Ratio est*, quia in Emphyteusi eadem militat ratio, quæ in feudo, cùm feudum, & Emphyteusis ejusdem sint naturæ, & quod decisum, sive dispositum est de feudo, etiam locum habeat in Emphyteusi, nisi contrarium sit expressum in Jure, prout notavi *supra num.* 19. *in fin.* & advertunt Durand. *in Specul. tit. de feud.* §. 2. *num.* 63. *vers. non interest*, Everhard. *leg. arg. loc.* 29. *&* 30. Fagnan. *in c.* 1. *cit. num.* 7. *& seqq.* Pirhing *hic num.* 20. *not.* 3. Schambog. *num.* 5. Vviest. *n.* 58.

Addidi, *Si interea Emphyteuta non solvat Canonem;* 17 quia ut Feudum sub servitiorum, ita Emphyteusis sub Canonis solvendi obligatione conceditur: ex quo sequitur, si Canon solvatur, dominum directum non posse percipere fructus ex re Emphyteutica, in pignus sibi concessa; posse, si non solvatur, cum tunc cesset conditio, sub qua concessa est, & consf. contractus obligatio suspendatur.

Ad Rationem dubitandi dicendum hanc interpretationem *c. cit.* comprehensivam potius esse, quam extensivam.

Quæritur 3. qua ratione Feudum amittatur? Resp. 171 Feudum amittitur vel ex persona Vasalli, vel ex persona Domini, vel ex re ipsa.

Ex re ipsa extinguitur. totali rei feudalis interitu, ut si fundus feudalis terræ motu planè evertatur, si ædes feudales funditus evertantur; quia feudum est jus in re. igitur hac sublata, etiam illud oportet interire. Konig *hic n.* 51. Magnif. Christoph. Chlingensperg *c.* 13. *de feud. q.* 2. *&* 3. Magnif. P. Schmier. *c.* 2. *de pact. & contract. n.* 556. Quod si ædes feudales solum collabantur, vel incendio consumantur, retinetur feudum in area. Struv. *Synt. Jur. feud. c.* 15. *aphor.* 4. quo distinguitur feudum constitutum in aliqua domo ab usufructu in eadem constituto, qui domo exusta extinguitur. Ratio differentiæ est, quia ususfructus potius in superficie, quam in ipso solo consistit, feudum verò tanquam species dominii ad ipsum solum, & aream penetrat.

Ex persona Domini finitur feudum ex duplici maximè capite. 1. si Dominus directus sine hærede relicto decedat; nam eo casu in re feudali Vasallus præfertur fisco, & dominium directum cum utili dominio Vasalli conjungitur, quòd Vasalli, & Domini par debeat esse conditio, & hujus mentis in prima concessione videatur fuisse Dominus. Vult. *de feud. c.* 11. *n.* 7. Magnif. D. Chlingensperg *c.* 13. *cit. q.* 2. P. Konig *hic num.* 51. P. Schmier *c.* 2. *cit. num.* 557. 2. si Dominus delinquat in Vasallum, & delictum tale sit, quod, si à Vasallo commissum fuisset, induxisset privationem feudi: ex eadem ratione, quia nempe Dominus, & Vasallus correlativa sunt, & ut Feudista dicit *l.* 2. *feud. c.* 6. ad paria judicantur, privabitur ergo etiam ipse dominio directo ex iis causis, ex quibus Vasallus privatur dominio utili, sive feudo. Schambog. *de feud. tit.* 27. *per totum*, D. Chlingensperg *cap.* 13. *cit. q.* 16. *ad object.* P. Schmier *c.* 2. *cit. num.* 574. juxta quos etiam in hoc 172

sicut

cut in priori casu dominium directum ita à Domi-) amissum consolidatur cum utili, & utrumque pe-es Vasallum remanet.

Ex persona Vasalli finitur feudum aliquando cum Vasalli culpa, quam Felloniam appellant, aliquando sine culpa. Sine culpa finitur 1. si Vasallus moriatur, nullis relictis hæredibus feudalibus, qui de Jure possint succedere; tunc enim feudum Domino aperitur, i. e. cum dominio directo consolidatur arg. §. 2. fin. Inst. de Usufr. Vult. de feud. l. 1. c. 11. n. 6. D. Chlingensperg c. 13. cit. q. 2. P. Schmier n. 557. 2. si feudum sibi acquisitum omnino refutet, sive à se abdicet; hoc enim facere non prohibetur, modò id agat, ut illud obveniat illi, cui de Jure debet, videlicet filio, aut alteri proximo agnato suo, vel ipsimet domino, si feudum novum sit. Laym. l. 3. tr. 4. c. 24. n. 3. Engl hic n. 45. Konig. n. 52. Aliud esset, si id refutaret agnato remotiori, vel omnino extraneo; quia talis renuntiatio est alienationis species; conf. licèt hoc casu Vasallus refutans amittat feudum, non tamen amittit illud sine culpa. Struv. Synt. Jur. Feud. c. 12. aphor. 14. & c. 13. aphor. 1. & seq. 3. lapsu temporis, in quod constitutum est feudum, qualia sunt feudum Guardiæ, Gastaldiæ, Soldatæ. Bocer. tract. quib. mod. feud. absque culp. n. 2. & seqq. cùm enim pactum feudali negotio adjectum servari debeat arg. l. contractus 23. ff. de R. J. æquum est, ut tempore, quod contrahentibus placuit, finito, restituatur feudum.

174 Delicta, feudi amissionem inducentia, in duplici consistunt specie; nam aliqua consistunt in committendo, alia in omittendo.

Committendo Vasallus privatur feudo. 1. si rem feudalem notabiliter reddat deteriorem, subditos malè tradet, aliis causam præbeat devastandi feudum per bellum iisdem injustè motum arg. l. 1. feud. tit. 21. pr. & l. 2. tit. 6. vers. utile. 2. si scienter absque consensu domini feudum alienet, vel oppignoret: quo casu, si totum alienet, totum amittet; partem verò, si partem duntaxat distrahat l. 2. feud. tit. 38. 3. si personam domini, vitam, aut famam ipsius lædat, necem quovis modo machinetur, manus violentas in ipsum injiciat, contumelia, vel injuria eundem afficiat. 4. si eundem absque jus Magistratus criminaliter accuset, aut in eadem causa Advocatum, vel testem contra Dominum agat l. 2. feud. tit. 24. §. 2. v. item si delator. Quòd si cogatur testificari à Judice, id facere cum protestatione debet. 5. si offendat dominum majorem l. 2. feud. tit. 55. §. insuper. nisi pro servitio alterius domini, seu ejus, à quo feudum immediatè habet, id fecerit, & nisi requisitus ab isto paratus fuerit satisfacere majori domino, quem offendit. 6. si uxorem Domini sui, filiam, neptem ex filio, nurum, vel socrum, quamdiu ea in familia domini est, violet, aut violare attentet l. 1. feud. tit. 5. pr. & l. 2. tit. 24. §. 2. 7. si castrum domini, oppidum, aut vicum, vel alium locum, in quo dominus moratur, obsideat, vel oppugnet, etsi dominus obsidionis, aut oppugnationis tempore ibi non moretur, idque sciat, vel nesciat Vasallus. tit. 24. cit. §. porro. 8. si contra personas sibi conjunctas tale perpetraverit homicidium, quod parricidium appellari mereatur l. 1. feud. tit. 5. pr. & l. 2. tit. 24. §. 2. 9. si aliud quodcunque crimen grave committat, quod ipsum graviter infamet, ut in Curia domini honestè stare non possit: de quibus omnibus videantur textus citt. præsertim l. 1. tit. 5. tit. 17. & l. 2. tit. 24.

175 Omittendo amittitur feudum. 1. si Vasallus intra annum, & diem, secluso legitimo impedimento, renovationem Investituræ non petierit, aut fidelitatem non juraverit l. 1. feud. tit. 22. pr. l. 2. tit. 24. pr. & §. 1. tit. 52. §. ult. 2. si debitè requisitus, obsequia, & servitia, ob quæ beneficium ei datum est, præstare neglexerit l. 2. feud. tit. 24. §. 2. vers. sed non est. 3. si dominum suum, quem ad prælium euntem secutus erat, periclitantem dimiserit tit. 24. cit. §. 2. prin. nisi fortè Vasallus ad eum casum deveniat, ut moraliter certus sit sibi moriendum, nisi fugiat. Engl hic n. 46. vers. primi generis in fin. 4. si sciat, Domino gravem in vita, & bonis imminere jacturam, nec tamen id Domino denuntiet, aut damnum avertere studeat l. 2. feud. tit. 24. §. 2. pr. 5. si domino justitiam facere, ac filium v. g. qui dominum offendit, ad satisfactionem præstandam adducere, & persuadere renuat l. 2. feud. tit. 55. §. 2.

176 Dub. 1. quibus casibus non amittatur feudum ob renovationem Investituræ tempore præscripto non petitam? Resp. à P. Engl n. 44. hic, & aliis passim plures enumerari casus. Et 1. quidem, si Vasallus, qui passus est elabi tempus, sit minor 14. annis, seu impubes, quamvis Tutorem habens; majores 14. annis, qui 25. ætatis annum nondum impleverunt, ex neglectu hujus temporis feudum quidem amittunt, sed remedium tamen extraordinarium in integrum restitutionis habent. 2. si Vasallus justè ignoret casum evenisse, quo debeat Investituram petere; nam tempus ipsi tantùm currit à die notitiæ. 3. si non possideat feudum, modò diligentiam in avocanda possessione penes alium existente adhibeat, & ipse lata culpa eandem non amiserit; quia novo Vasallo tempus primùm computatur à die adeptæ possessionis feudi. 4. si lis fuerit inter Dominum, & Vasallum super feudo; nam hac durante Vasallus ad petendam ab eo Investituram non obligatur. 5. si filius, vel Agnatus successor in feudo justè ignoret rem esse feudalem, & bona fide eandem pro Allodiali babeat. 6. si eo loco, ubi dominus moratur, grassetur pestis, aut Vasallus ex alia justa causa absit, ut nec per Procuratorem petere Investituram possit. 7. si Dominus Vasallum, qui renovationem Investituræ intra annum, & diem neglexit petere, ad solita servitia admittat; censetur enim Juri suo renuntiasse, & injuriam remisisse. 8. denique si Vasallus, brevi tempore post annum & diem veniens, moram purgaverit, ob paritatem cum Contractu Emphyteutico, in quo post lapsum terminum, Canonis solutioni præfixum, conceditur Emphyteutæ, ut celeri satisfactione motam purgare possit, & sic pœnam amissionis effugere, ut dictum est suprà tit. 18. n. 154. & 155.

177 Dub. 2. quid requiratur, ut ob alienationem feudi, sine domini consensu factam, illud amittatur? Convenit inter DD. ad hanc amissionis pœnam incurrendam verbum Alienationis accipiendum cum effectu, ut adeo non censeatur Vasallus privatus feudo, nisi ad ipsum Contractum alienationis insuper accedat possessionis translatio arg. l. alienatum 67. ff. de V. S. & insinuat textus l. 2. Feud. tit. 55. pr. ibi, Qui feudum vendunt, & alio transferunt &c. Vult. l. 1. de feud. c. 11. n. 42. Haun. tom. 3. tr. 9. n. 893. Engl. hic n. 34.

An verò ad hanc pœnam incurrendam sufficiat traditio, per Constitutum facta, litigant inter se DD. Negat Schrader. p. 9. c. 1. num. 32. cum Afflicto, & aliis: Videtur hoc etiam probare ratio; quia alienatio hoc casu est ipso Jure nulla, igitur nec Constitutum valere potest, juxta Reg. 178. ff. ubi Paulus, Cùm principalis, inquit, causa non subsistat, plerumque ne ea quidem, quæ sequuntur, locum habent: unde hoc casu videtur intrare illud Brocardicum: Actus nullus, & inutilis pœnam non meretur.

Sed verior, & communior sententia affirmat cum Zas. p. 10. num. 8. Fach. l. 8. contr. c. 86. Haun. tom. 3. tr. 4. num. 893. Ratio est, quia pœna amissionis feudi lata est in eos, qui feudum sine consensu Domini vendunt, & in alios transferunt, ut dictum est numer. præc. atqui in casu Constituti verificatur translatum fuisse feudum; licèt enim eo casu alienans adhuc in possessione sit, non tamen suo, sed ejus, in quem alienavit, nomine possidet, conf. in hunc translata possessio est. ergo &c. 178

Argumentum contrarium nimium probat; probat enim, quòd nulla alienatione feudi, etsi absque consensu Domini facta sit, feudum amitteretur; quia alienatio nunquam valet. Dicendum ergo pœnam caducitatis statutam esse etiam alienationi invalidæ: quod notis statutam esse etiam alienationi invalidæ: quod novum non est, sed passim in Jure fit, ut patet in matrimonio cum impedimentis quibusdam contracto.

Dub. 3. an Vasallus à pœna caducitatis excusetur, si pœnitentia ductus, feudum malè alienatum in continenti recuperavit? Affirmat cum Isernia, & Afflicto Zas. p. 10. num. 4. & probari istud videtur 1. ex c. potuit 4. de locat. & conduct. ubi Emphyteuta pœnam caducitatis effugit, si celeri satisfactione postmodum sibi consulere statuisset, est autem ab Emphyteusi ad Feudum validum Argumentum. 2. ex l. qui possessionem 17. ff. de vi, & vi armat. ubi Qui possessionem, vi ereptam, vi in ipso congressu recuperat, in pristinam causam reverti potiùs, quàm possidere intelligendus esse pronuntiatur. ergo etiam, qui feudum in continenti recuperat, censebitur in pristinum statum reverti, perinde acsi nunquam alienasset. 3. ex c. siquis Presbyterorum 6. ubi qui res Ecclesiæ illicitè alienavit, si celeriter illas recuperet, non punitur, ibi, Nisi fortè alienator, & qui acceperit celeri restitutione sibi prospexerint. ergo nec talis alienator feudi puniendus est. 179

Sed præferenda est negativa, quæ teste Haun. tom. 3. de J. & J. tr. 9. n. 895. communis, & vera est ob clarum textum l. 2. feud. tit. 44. ubi Feudista, Hodie, inquit, si Vasallus ipsum (nempe feudum) alienaverit, si quidem illicitè, licèt postea recuperaverit, tamen penes ipsum non rema- 180

remanebit, utpote domino, ad quemcunque pervenerit, apertum, igitur jus avocandi Domino quæſitum jam eſt per ipſam alienationem, ſi autem quæſitum illi jam eſt, à voluntate Vaſalli non dependet, ut feudum recuperando iſtud eidem auferat; aliàs ſi Dominus ſtatim facta alienatione vellet feudum avocare, poſſet Vaſallus excipere, & offerendo ſe ad recuperationem mox faciendam, avocationem impedire, quod videtur abſurdum.

181 Neque obſtant Argumenta ſententiæ oppoſitæ. *Ad* 1. ab Emphyteuſi ad Feudum valet Argumentum, quando non aliter ſtatutum eſt Jure, prout ſtatutum in præſenti patet ex *tit.* 44. *cit. Ad* 2. negatur paritas; quia qui rem vi ſibi ereptam, vi in continenti recuperat, non purgat aliquod delictum à ſe commiſſum, prout illud in ſententia Adverſariorum purgaret Vaſallus, quam tamen purgationem nullum Jus ipſi indulget, ſed potiùs negat. *Ad* 3. ſi Jura feudalia vellent celeri recuperatione purgari delictum à Vaſallo, per feudi alienationem commiſſum, hoc expreſſiſſent, ſicut expreſſerunt SS. Canones *c. ſiquis cit.* igitur ſignum eſt, quòd non voluerint admittere purgationem moræ; & ſimili jure poſſet aliquis dicere, etiam in furto per celerem reſtitutionem purgari furtum, cujus contrarium habetur *l. qui ea mente* 65. *ff. de furt.* ubi Ulpianus. *Qui ea mente*, inquit, *alienum quid contrectavit, ut lucrifaceret, tametſi mutato conſilio, idem Domino poſtea reddidit, fur eſt; nemo enim tali peccato pœnitentia ſua nocens eſſe deſiit.*

182 Dub. 4. an Feudum ſine conſenſu Domini alienatum poſſit à tertio bonæ fidei poſſeſſore præſcribi? *Certum ſatis* videtur eſſe, quòd præſcribi poſſit dominium illius utile, & ita, ut deinceps tertius ille poſſeſſor Vaſallus ſit, dominio directo manente penes priorem Dominum; nam in hoc caſu videntur confluere omnia requiſita præſcriptionis, cùm nuſpiam caveatur, ne dominium utile rei feudalis via præſcriptionis in alium transferatur.

Difficultas eſt, quando quæritur, utrum à tertio bonæ fidei poſſeſſore ita præſcribi Feudum malè alienatum poſſit, ut hic acquirat dominium rei abſolutum, & iſta ex Feudali Allodialis efficiatur? *Negat* Harpprecht *ad pr. Inſt. de Uſucap. n.* 16. ob textus feudales, quibus præſcriptio rei feudalis videtur tolli. Nam 1. *l.* 2. *Feud. tit.* 40. *verſ. præterea* ſtatuitur, *ut liceat Dominis omnes alienationes Feudi factas, nulla obſtante præſcriptione revocare.* 2. *l.* 2. *Feud. tit.* 55. *princ. verſ. nos autem*, ubi Imperator Fridericus *hujuſmodi alienationes illicitas -- caſſat, & in irritum deducit, nullius temporis præſcriptione impediente.* 3. *l.* 2. *Feud. tit.* 83. ubi deciditur, ut caſu, quo *unus ex fratribus, qui paternum habeat beneficium, ſuam portionem dederit domino, vel alicui extraneo, dominus, vel extraneus tamdiu teneat ſine præjudicio, quamdiu ille, qui dedit, hæredem maſculum habuerit; ſi verò ſine hærede deceſſerit, alter frater, ſi vixerit, vel ejus hæres, ſine ullo obſtaculo, & temporis præſcriptione beneficium, quod hæreditarium eſt, vindicet à quocunque poſſeſſore.*

183 Sed ut communior, ita & verior ſententia affirmat cum Gaill. *l.* 2. *obſ.* 160. *num.* 1. *& ſeqq.* qui pro ſe allegat Afflictum, Præpoſitum, additque ita teneri communiter à Feudiſtis. Ratio eſt, quia tanto tempore plena ſecuritas in rebus poſſeſſis tribuitur, & Reip. intereſt ad minuendas lites, ne dominia rerum ſint incerta *l. ſicut* 3. *& l. omnes* 4. *C. de præſcript.* 30. *vel* 40. *ann. Conf.* quia, ut *lib.* 2. *tit.* 26. *num.* 36. *verſ. quartò* notavi, & docent Abb. *in cap. ad audientiam* 13. *de Præſcript. numer.* 17. ipſeque Harpprecht. *l. cit. n.* 167. ab ipſo Vaſallo dominium directum adversùs dominum præſcribi poteſt, ſi per 30. annos, numerandos à die interverſæ poſſeſſionis, Inveſtituram non petiit, nec ſervitia præſtitit, adeoque rem feudalem, ut Allodialem, bona tamen fide, & domino non contradicente, cæteriſque conditionibus ad præſcriptionem requiſitis poſſedit, igitur ita præſcribere etiam poterit tertius bonæ fidei poſſeſſor, cùm non videatur afferri poſſe convincens diſparitatis ratio.

184 Ad textus feudales in contrarium allegatos dico cum Gaill. *obſ. cit. n.* 2. illos intelligi poſſe, ut ſenſum pariant, domino in revocando Feudo nullam obſtare debere præſcriptionem ordinariam, aut ordinarii temporis, ſc. 10. aut 20. annorum; ad hanc enim requiritur titulus, quem non præſtat mala alienatio, ſine conſenſu Domini facta, utpote quæ per textum *l.* 2. *Feud. tit.* 40. caſſata, & irritata eſt. Vel dici poteſt cum P. Engl. *hic n.* 42. *verſ. quodſi*, illos intelligendos de illis Feudis, quæ habent annexa ſervitia militaria pro utilitate Reip. & plerumque à Principibus dantur, qui jus bellum gerendi habent; nam talia Feuda quoad dominium directum ſpectata, cenſentur pertinere ad Regni Coronam, vel Principatum, de quibus rebus *Tit.* 26. *cit. n.* 35. dixi, eas non præſcribi minori ſpatio, quàm 100. annorum.

Dub. 5. an caſibus hactenus relatis, quibus à Vaſallo Feudum amittitur, illud amittatur ipſo Jure, an per ſententiam condemnatoriam? Ipſo Jure amitti putat Bocerus apud Haun. *tom.* 3. *tr.* 9. *num.* 898. ex duplici ratione. 1. Quia per textus feudales amiſſio Feudi non Judicis ſententiæ, ſed ipſis cauſis legitimis, modiſque adſcribitur, prout videntur indicare verba *cadere à Feudo, amittere Feudum, carere beneficio, beneficium pertinere ad dominum, vel agnatum, ad hos reverti &c.* quibus paſſim Feudiſta utitur. 2. Quia ex vulgari Regula, per quas cauſas quid naſcitur, per eaſdem diſſolvitur. atqui Feudum ipſo Jure abſque Judicis ſententia Vaſallo acquiritur. igitur eodem Jure etiam amittetur.

Sed dicendum regulariter, & paucis exceptis caſibus, Feudum ipſo Jure non amitti, ſed opus eſſe ſententia condemnatoria. Ita Chr. §. *Feudum q.* 62. Zaſ. *p.* 10. *n.* 72. Borchold. *c.* 8. *n.* 117. Laym. *l.* 3. *tr.* 4. *cap.* 24. *n.* 11. *verſ. denique fin.* Roſenthal *c.* 10. *de Feud. concl.* 41. Haun. *tom.* 3. *tr.* 9. *num.* 898. & apud hunc Schrad. Vultejus, Rittershuſius. Patet ex *l.* 1. *Feud. tit.* 21. *& tit.* 22. §. 2. *Excipitur* 1. ſi Vaſallus Feudum abſque domini conſenſu illicitè alienavit; quia tunc ipſo Jure apertum eſt domino, ita tamen, ut hic caſu, quo Emptori jam facta traditio eſt, vindicare nequeat, niſi per ſententiam. 2. Si Vaſallus crimen læſæ Majeſtatis in dominum commiſit; quia tunc bona illius omnia addicuntur Fiſco *l. quiſquis* 5. *C. ad Leg. Jul. Majeſt.* 3. Si Feudum ſit Eccleſiaſticum, & Princeps, vel Communitas, illud ab Eccleſia in Feudum obtinens, Statuta contra libertatem Eccleſiaſticam faciat; nam tale Feudum iſto caſu ipſo Jure amittitur *c. gravem* 53. *de ſent. Excomm.* 4. Si ita convenit in conſtitutione Feudi, videlicet, ut Vaſallus ipſo Jure Feudo cadat; nam pacta dant legem contractui Feudali, quamvis contra ejus naturam adjecta ſint.

Ex quo ſequitur, extra hos caſus exceptos, ut privatio Feudi in Vaſallo inducatur ob delictum, opus ſemper eſſe ſententia condemnatoria. *Ex quo ſequitur*, quòd Vaſallus retinere fructus, ex re feudali ante ſententiam perceptos, poſſit, nec reſtituere illos teneatur poſt latam ſententiam, ut cum Corneo, Felino, Curtio juniore, Bruno, Peregrino tradit, & fusè probat Fachin. *l.* 7. *contr. c.* 94. Ratio eſt, quia priuſquam per ſententiam condemnetur Vaſallus, jure, & bona fide Feudum poſſidet. igitur nihil obſtat, quo minùs lucretur fructus uſque ad ſententiam perceptos. Patet *Conf.* quia eſt in bona fide, & juſtum etiam titulum habet, quem non amittit per hoc ſolum, quòd admiſerit crimen Feudi privatione dignum.

Ad 1. *Argumentum in contrarium allatum* dico per textus feudales, & verba in iiſdem uſitata non excludi, ſed potiùs includi ſententiam, quod inde patet, quia *l.* 1. *Feud. tit.* 21. expreſſè ſtatuitur, ut *nemo miles ſine cognita culpa beneficium ſuum amittat*: quod repetitur *titul.* 22. §. 2. & ſumitur ex pluribus aliis textibus, uti *Laudamenti, Arbitrii, Judicii, & ſententiæ* mentio fit. *Ad* 2. argumentum iſtud plus non probat, quàm quòd Feudum ipſo Jure amitti poſſit modis illis, qui fiunt ſine culpa, lege, aut conſenſu approbante, ut per Subinfeudationem, refutationem, licitam alienationem, pactum adjectum; non verò probat de amiſſione Feudi, quæ à Lege infligitur tanquam pœna, cùm regulare ſit dogma, quod pœna ante ſententiam non debeatur, niſi ita expreſſè ſit cautum Jure. 18

Dub. 6. ad quem devolvatur Feudum amiſſum? De modis, quibus Feudum aperitur per mortem, refutationem, Profeſſionem Religioſam, ſuſceptionem ſtatus Clericalis non ſupereſt difficultas, quæ non poſſit ex hactenus dictis expediri. Quæſtio remanet quoad amiſſionem Feudi ex delicto: in qua convenit inter DD. quòd Feudum novum propter delictum ad Dominum redeat. Patet ex *l.* 2. *Feud. titul.* 24. §. *denique* ibi, *Si tamen beneficium fuerit paternum*, igitur per argumentum à ſenſu contrario, ſi non eſt paternum, ſed novum, revertetur ad dominum, & non ad Agnatos. Haun. *tom.* 3. *tr.* 9. *numer.* 907. Ratio eſt, quia Agnati ad ſucceſſionem in Feudo jus non habent, niſi dependenter à primo acquirente, qui cum eo caſu privetur Feudo, jus ſuccedendi in illo ad filios, & agnatos non poteſt tranſmittere. 18

In

190 In Feudo antiquo tres casus in considerationem veniunt. Et 1. quidem, quando Vasallus privatur Feudo ob neglectam petitionem Investituræ. 2. Quando ob alienationem illicitè factam. 3. Quando ob aliud delictum ex suprà commemoratis.

In primo casu tres sunt sententiæ. *Prima* favet Agnatis, quòd facto alterius jure sibi quæsito nemo privari possit. Est autem Agnatis per primam Investituram quæsitum jus ad successionem in Feudo, ergo ubi Vasallus Feudum ob neglectam Investituram perdiderit, ad hos devolvetur. *Secunda* cum Fachin. *l.* 7. *contr. c.* 25. respondet pro Domino ob textus feudales præcipuè duos. 1. *l.* 2. *Feud. tit.* 55. *pr. vers. præterea*, ubi statuitur, *ut siquis infeudatus major* 14. *annis sua incuria, vel negligentia per annum, & diem steterit, quòd Feudi Investituram à proprio domino non petierit, transacto hoc spatio, Feudum amittat, & Feudum ad Dominum redeat*. 2. *l.* 2. *Feud. tit.* 24. *pr.* ubi eadem amissio ob non petitam Investituram decernitur ratione ingratitudinis ibi, *Tanquam ingratus existens*. cùm ergo ingratitudo non in alium committatur, quàm dominum, consectaneum erit Feudum in ultionem ingratitudinis debere reverti ad Dominum. *Tertia sententia* mediam ingreditur viam, ut sc. Feudum, quamdiu Vasallus & descendentes illius vivunt, sit apud dominum, ipsis verò mortuis ad Agnatos revertatur: quæ sententia benignior est, & quia etiam in illa verificantur textus feudales *citt.* videtur retinenda.

191 *In secundo casu*, quando Feudum antiquum amittitur ob alienationem illius sine Domini consensu factam, quatuor sunt sententiæ. *Prima* cum Isernia, Afflicto, Zasio, Gaillio, Borchold, & aliis vult tale Feudum devolvi ad filios alienantis, aut si nullos habeat, ad agnatos. *Secunda* cum Baldo contendit filios, & descendentes alienantis penitus excludi, sed non Agnatos, & per hos excludi dominum, ex ratione, quòd Vasallus etiam cum consensu Domini alienans præjudicare Agnatis nequeat, ut dictum est *num.* 155. *Tertia* cum Sonsbeckio, & Hotomanno docet, illud exclusis etiam Agnatis, reverti ad dominum ob textus feudales *l.* 1. *Feud. tit.* 5. *pr. l.* 2. *tit.* 24. §. *denique*, *tit.* 38. *pr. tit.* 44. *vers. hodie*, *tit.* 55. *pr. vers. callidis*, quibus textibus dicitur Feudum ob alienationem, sine ipsius consensu factam, eidem aperiri, & ad ipsum reverti. *Quarta*, & verior sententia cum Hartm. Pistorio, Vultejo, Rittershusio, quos citat, & sequitur Haun. *tom.* 3. *tr.* 9. *n.* 911. *vers. quarta* mediam init viam, & dicit, eo casu quidem Feudum reverti ad Dominum, & penes hunc manere, quamdiu alienans, & descendentes ex ipso vixerint, his tamen deficientibus, ad proximos agnatos devolvi, ex triplici argumento. 1. Quia textus feudales pro tertia sententia allegati satis commodè in hunc sensum explicari possunt. 2. Ex paritate cum fideicommisso, quod si ex causa delicti confiscatum fuerit, in vita tantùm delinquentis apud fiscum manet, post mortem verò cæteris, quibus competit, restituendum est. 3. Ex æquitate, ne rem facilè Agnati ex facto alieno contra communes Juris Regulas suo Jure quæsito priventur, præsertim ob solam alienationem, ubi non tam gravis culpa in Dominum committitur.

192 *In tertio casu* plerumque DD. distinguunt, an delictum tale perpetratum sit extra personam Domini, an in ipsum Dominum. *Si primum*, Agnatis per illud nullum fit præjudicium, sed Feudum antiquum proximiori defertur, exclusis filiis delinquentis *l.* 2. *Feud. tit.* 37. Hartm. Pistor. *l.* 2. *q.* 15. & 16. Haun. *tom.* 3. *tr.* 9. *n.* 907. Magnif. D. Christoph. de Chlingensperg. *c.* 13. *de Feud. q.* 17. Estque hoc verum, licèt illud delictum tale sit, ut bona delinquentis confiscari debeant; nam Feudum non confiscabitur, cùm delicta suos debeant tenere authores *l. sancimus* 22. *C. de pœnis*. neque per unius malè factum Agnatis innocentibus præjudicium inferri possit *Reg. non debet* 22. *in* 6. nisi forsan ob crimen læsæ Majestatis ex primo capite Legis Juliæ, & causa perduellionis, ac insidiarum in vitam Principis totius familiæ nomen in perpetuam ignominiam aboleretur; tunc enim, exclusis Agnatis, Feudum reverteretur ad dominum. Gaill. *l.* 2. *de Pac. publ. c.* 13. *n.* 16. Engl *hic n.* 47. *pr.*

193 *Si secundum*, & delictum à Vasallo commissum sit in ipsum Dominum communiter tradunt DD. filiis, & descendentibus per illud præjudicari; quia ob conjunctionem arctissimam defunctum repræsentant, & periculum est, ne cum sanguine etiam paternam malitiam participarint, ut dicitur *l. quisquis* 5. §. *filii* 1. *C. ad Leg. Jul. Majest.* Controvertitur, an etiam excludantur Agnati? In quo iterum sunt tres sententiæ. *Prima* Agnatis favet, *secunda* Domino, *tertia* media aliquid Domino, aliquid Agnatis tribuit, dum ait Feudum sic amissum aperire Domino, & ab hoc retineri posse, quamdiu delinquens, & ejus filii, vel descendentes vivunt, post istorum mortem autem restituendum Agnatis. Ita Clar. §. *Feudum q.* 66. Vultejus *l.* 1. *c.* 11. *n.* 145. Vvesembec. *cons.* 73. *n.* 29. Struv. *c.* 15. *aph.* 14. Bocer. *n.* 143. & *seq.* Haun. *tom.* 3. *tr.* 9. *n.* 908. Magnif. D. Christoph. de Chlingensperg *c.* 13. *de Feud. q.* 17. Magnif. P. Schmier *c.* 2. *de Pact. & contr. n.* 571. & sumitur ex *l.* 2. *Feud. tit.* 78. & *tit.* 98. ubi juxta correctionem Cujacii particula *Non* est expungenda.

Dub. 7. ad quem pertineant fructus Feudi amissi? 194
Resp. si Feudum amissum sit ex culpa Vasalli, fructus percepti ante sententiam condemnatoriam, sicubi illa opus est, pertinent ad delinquentem, ut dictum est *n.* 187. Post sententiam condemnatoriam percepti cedunt Domino, si huic statim aperiatur Feudum, vel Agnatis, si isti in Feudum succedant immediatè, excluso Domino. Haun. *tom.* 3. *tr.* 9. *n.* 918.

Quodsi verò sine Vasalli culpa e.g. per mortem Feudum aperiatur, ex mente Feudistæ *l.* 2. *Feud. tit.* 28. §. *his consequenter*, respondendum est cum distinctione: Vel enim Vasallus moritur ante Martium, & tunc omnes anni illius fructus unà cum Feudo ad Dominum transeunt; si verò moritur post Calendas Martias usque ad mensem Augusti inclusivè, tunc fructus totius anni ad hæredes Vasalli allodiales pertinent. Computandum autem est anni initium regulariter loquendo à Septembri, quòd eo tempore, omnibus ferè totius anni fructibus perceptis, ager de novo in futurum annum coli incipiat, & sic si Vasallus post Calendas Martii decedat, hoc ipso supervixerit mediam anni inchoati partem, consf. cùm propiùs ad tempus fructuum quærendorum accesserit, censeatur acquisivisse jus percipiendi fructus pro illo anno, quod proinde ad hæredes Allodiales transmittet; secus, si decedat ante Martium.

Dixi *Regulariter*; nam responsio data non procedit 195
de fructibus Vindemiæ, & aliis tardiùs colligi solitis, cùm iniquum sit, quòd Vasallus, qui integro anno coluerat vineam, fructus hosce, tardiùs colligi solitos, & collectos post finitum jam annum, ad hæredes non possit transmittere. Dicendum ergo, in ordine ad fructus illius anni, quo Vasallus moritur, hæredi suo Allodiali reservandos, nihil interesse, quo anni tempore mortuus sit, dummodo post Calendas Martii decesserit. Zaf. *de Feud. p.* 10. *n.* 109. Magnif. D. de Chlingensperg *c.* 13. *de Feud. q.* 18. & alii passim.

Dub. 8. ad quem, finito Feudo devolvantur melio- 196
ramenta rei feudalis? Resp. si Feudum ex culpa amittitur, unà cum ipso etiam melioramenta ad dominum, vel agnatos devolvuntur *arg. l. in Emphyteuticariis* 2. *C. de Jur. Emphyt. Excipiuntur* meliorationes extraordinariæ, ex quibus Feudi pretium auctum sit, & quas ex lege feudalis conventionis Vasallus facere non tenetur; harum etenim pretium exigere Vasallus non minùs potest, quàm si sine culpa Feudum amissum esset, ob regulam generalem, quod nemo cum alterius jactura locupletari debeat.

Quodsi verò Feudum amittatur sine culpa, tunc penes dominum est electio, ut vel permittat auferri, vel impensas meliorationis refundat juxta textus *l.* 2. *Feud. tit.* 28. §. *ad hoc* Vide plura apud Haun. *tom.* 3. *tr.* 9. *à n.* 919.

Dub. 9. an jus revocandi Feudum, ob delictum com- 197
missum, transeat etiam ad hæredes domini, quando dominus ante mortem suam querelam contra Vasallum non movit, nec apparet, quòd movere voluerit? vel ex adverso, an Vasallo ante revocationem mortuo, contra hæredes ejus jus revocandi competat? Resp. ad utrumque casum negativè. Ita Clar. §. *Feudum quæst.* 64. & *seqq.* Struv. *Synt. Jur. Feud. cap.* 15. *aphorism.* 12. Magnif. D. Christoph. de Chlingensperg *capit.* 13. *de Feud. quæst.* 19. Engl. *hic numer.* 49. Konig *num.* 48. estque communis DD. nisi dominus culpam Vasalli ignorasset, vel aliter in Investitura cautum fuisset. *Ratio est*, tum quia dominus sciens injuriam, & non vindicans, vel saltem de ea protestans censentur remisisse; partim quia hujusmodi actio, qua vindicatur injuria domino illata, regulariter ex natura sua tanquam nimis personalis non datur hæredibus injuriam passi, neque contra hæredes injuriam facientis *arg. his solis* 7. *C. de revocand. donat.*

Neque obstat, quòd felonia commissa, domino com- 198
petat *Condictio causa data, causa non secuta*, ut dicitur *l.* 2. *Feud. tit.* 21. quæ condictio aliàs hæredi, & in hæredem datur. Nam dicendum tantùm competere Condictionem hanc impropriè, & quæ pro diversitate casus simi-

similis sit actioni ingrati, qua revocatur donatio. Igitur sicut ista successoribus donatoris non datur juxta *l. fin. C. de revocand. donat.* ita neque Condictio ob feloniam commissam dabitur hæredibus domini, vel in hæredes Vasalli delinquentis.

De Judicio Causarum feudalium dictum est *libr. 2. tit. 1. à n. 64.*

TITULUS XXI.

De Pignoribus, & aliis Cautionibus.

ALienationibus, & Contractibus in securitatem conventionis, & debiti adjici nonnunquam aliquæ Cautiones solent. Est autem Cautio multiplex: & alia quidem *Simplex*, quando nuda promissione Creditor securus redditur; *alia Juratoria*, quando Creditor securus redditur, mediante Juramento à debitore præstito; alia *Idonea*, eaque duplex, videlicet *Pignoratitia*, quæ fit per pignora, & *Satisdatoria*, quæ per fidejussores idoneos. De Fidejussoribus agetur *Tit. seq.* præsente autem præcipuè de Pignoribus sermo erit.

§. I.

De Pignoris Natura, & Varietate.

SUMMARIUM.

1 *Diversa acceptio, & definitio Pignoris.*
2 *Differentia Pignoris ab Hypotheca.*
3 *Convenientia cum eadem.*
4 *Dividitur primò in Expressam, & Tacitam; Expressa in Generalem, & Specialem.*
5 *Quænam bona comprehendantur sub Hypotheca generali?*
6 *Tacita subdividitur in Conventionalem.*
7 *Et Legalem: ubi quibus casibus Legalis Hypotheca imponatur.*
8 *Dividitur secundò Pignus in Voluntarium, & Necessarium: hoc in Prætorium, & Judiciale.*
9 *Forma Pignoris, & Hypothecæ.*

1 QUæritur 1. quid sit *Pignus*? *Resp. Pignus*, *à pugno*, seu manu appellatum est, ut dicitur *l. plebs 238. §. pignus 2. ff. de V. S.* & ratio appellationis istius ibidem additur, *quia res, quæ pignori dantur, manu traduntur*. Tripliciter sumitur, 1. *Pro re ipsa*, quæ in crediti securitatem Creditori traditur, & obligatur: & ita accipitur: *§. contra autem 1. Inst. quib. alienar. licet, & toto tit. ff. & C. de distract. Pignor.* 2. *Pro ipso Jure reali*, quod in re sibi oppignorata Creditor habet: *toto tit. ff. & C. qui potior. in pignor.* 3. *Pro ipso Contractu Pignoratitio*; & ita sumitur *l. hujus 1. §. fin. ff. de pact. l. pignus 1. pr. & §. si igitur 1. ff. de pignorat. act.* Hoc tertio sensu potissimùm accipitur in præsenti, & communiter definitur, quòd sit *Conventio, qua res aliqua obligatur creditori in securitatem debiti.*

2 Quæritur 2. quomodo pignus differat ab Hypotheca? Resp. si genericè accipiatur Pignus, illud ab Hypotheca solo nominis sono differt, ut dicitur *l. res 5. §. inter 1. ff. h. tit.* Si autem strictè sumatur, magisque specificè, in hoc ab Hypotheca distinguitur, quòd *Pignus* propriè locum habeat in rebus, quæ manu traduntur creditoribus, ideòque ferè tantùm locum habet in rebus mobilibus *l. plebs cit. Hypotheca* autem ferè consistat in immobilibus, & quæ non traduntur creditoribus, sed penes debitorem manent, obligatæ tamen creditori: adeoque Pignus perficitur re, Hypotheca verò solo consensu, seu conventione *§. item Serviana 7. Inst. de action. l. si rem 9. §. propriè 2. ff. de pignorat. act. l. contrahitur 4. ff. h. tit.*

3 Quoad effectum tamen Pignus, & Hypotheca conveniunt; nam 1. per utrumque res fit obligata creditori in securitatem debiti. 2. Tam per Contractum Pignoratitium, quàm per Hypothecarium acquiritur jus distrahendi rem pignori, vel Hypothecæ datam, si debitor sit in culpabili mora solvendi. 3. Pro utroque datur Actio Hypothecaria, seu jus rem sibi oppignoratam à quovis possessore petendi, si solutionem debiti non possit consequi creditor *§. item Serviana cit.*

4 Quæritur 3. quotuplex sit Pignus, seu Hypotheca? Resp. Pignus latè acceptum, seu Hypotheca duplex est, una Expressa, altera Tacita. *Expressa* constituitur vel expresso consensu, aut conventione partium, vel præcepto, aut sententia Judicis, vel jussu, & voluntate testatoris, dum v. g. prædia sua obligat pro Legatis à se relictis. Estque alia *Generalis*, qua creditori obligantur omnia bona debitoris; alia *Specialis*, qua eidem obligatur una, vel plures res certæ, ac determinatæ.

Sub Generali Hypotheca comprehensa censentur bona debitoris omnia, tam præsentia, & jam acquisita, quàm futura, & acquirenda, quamvis istorum non sit facta mentio. *Excipiuntur* tamen 1. bona, quæ debitoris defuncti hæres per se acquirit *l. Paulus 29. pr. ff. h. tit.* 2. Quæ debitor, si eorum expressa mentio fuisset facta, verisimiliter obligaturus non fuisset ob eorum necessitatem, vel specialem affectionem *l. obligationem 6. &c. ff. h. tit. l. executores 7. C. quæ res pignor. obligar. poss.* 3. Quæ alienari principaliter ob favorem alicujus v. g. pupillorum, aut minorum prohibentur *arg. l. Imperatoris 1. & l. si pupillorum 7. §. si obligavit 5. ff. de reb. eor. qui sub tutel.* 4. denique generaliter non includuntur in Hypotheca generali, quæ specialiter obligari nequeunt. Durand. *in Specul. tit. de pignor. p. 1. n. 30.* Negusant. *de pignor. p. 2. membr. 2. nu. 61.* Wiestner. *hic n. 4.* 5

Quæritur 4. quid sit, & quotuplex sit *Hypotheca Tacita*? *Resp. Hypotheca*, seu *Pignus Tacitum* est, quod sine expressa hominum conventione inducitur. Etiam ipsum est duplex, videlicet aut Conventionale, aut Legale. 6

Conventionale dicitur, quod solo tacito consensu partium, ac reipsa contrahitur: quale constituitur domino in rebus, in prædium urbanum illatis, non solùm pro pensione, sed etiam pro deterioratione ipsius rei locatæ *l. Pomponius 2. & l. eo jure 4. ff. in quib. pign. vel Hypoth. tacit. contrahit. l. fin. C. eod.* modò eo animo inductæ fuerint, ut ibidem quasi perpetuò sint *l. in prædiis 7. §. videndum 1. ff. eod.* Dixi *in prædium urbanum:* nam aliud obtinet in prædiis rusticis; quia, ut res in ea invectæ obligatæ sint, non sufficit nudum factum invectionis, sed insuper requiritur expressa conventio *l. eo jure cit. Excipiuntur* fructus in prædio locato nati; nam isti ob mercedem domino feudi tacitè intelliguntur pignori esse sine expressa conventione *l. in prædiis cit. & l. quamvis 3. C. eod.*

Pignus, seu *Hypotheca Legalis* est, quam Leges citra ullum hominis factum in favorem quorundam creditorum imponunt rebus. Talem Hypothecam habet 1. *Maritus* in bonis uxoris, vel ejus, qui dotem sibi promisit, pro ea sibi præstanda *l. un. §. & ut plenius 1. C. de rei uxor. act.* 2. *uxor* in bonis mariti pro securitate & restitutione dotis, imò & bonorum Paraphernalium, quorum ille administrationem habet *c. ex litteris 5. hoc tit. l. un. & §. cit. l. ubi adhuc 29. C. de Jur. dot.* 3. *Minores*, & *Pupilli* in bonis suorum Curatorum, & Tutorum; uti etiam in bonis Matris, si hæc sit Tutrix, & in bonis Vitrici, si Tutrix denuo nubat *l. pro officio 20. C. de administr. Tutor. & l. fin. C. de legit. tutel.* 4. *Ecclesia* in bonis Prælati, vel alterius Administratoris ratione bonorum Ecclesiasticorum, si is ea malè administret; quia fungitur, sive gaudet jure minorum *c. requisivit 1. & c. auditis 3. de in integr. restit.* 5. *Legatarii*, & *Fideicommissarii* in rebus Testatoris ratione rerum sibi ab hoc relictarum *§. sed & olim 2. Inst. de Legat. & l. cùm hi 1. C. commun. de Legat.* 6. *Fiscus*, & *Camera Principis* in bonis suorum debitorum tam præsentibus, quàm futuris *l. universa 1. & l. certum 2. C. in quib. caus. pignus &c.* 7. *Mutuans* pecuniam ad ædium refectionem in iisdem ædibus, ex sua pecunia ita refectis *l. creditor 25. ff. de reb. credit. & l. conventio 1. ff. h. tit.* 8. *Pupillus* in re empta ex pecunia pupillari *l. idemque 7. ff. qui potior. in pignor.* 9. *Venditor* in re vendita contra Emptorem, usque dum de pretio integrè ipsi satisfiat *l. quodsi 31. §. idem Marcellus 8. ff. de Ædilit. Edict. l. Julianus 13. §. offerri 8. ff. de act. empt. l. hæreditatis 22. ff. de hæredit. vel action. vendit.* 10. *Redemptor* in servo, quem ab hostibus redemit *l. qui Testamento 20. §. potestatis 1. ff. qui testam. facere poss. l. in bello 12. §. si pignori 12. & l. si patre 15. ff. de captiv. & postlim. revers.* Plura de Hypothecis tacitis, & ordine, quo veniunt Creditores Hypothecarii, videantur apud Harpprecht *in §. creditor. 4. Inst. quib. mod. re contrah. oblig. à num. 12.* & Molin. *tr. 2. D. 427. & 536.* 7

Quæritur 5. quæ sint aliæ Pignoris divisiones? Resp. Pignus in latiori sensu acceptum præterea dividitur in Voluntarium, & Necessarium. *Voluntarium* est, quod constituitur per voluntatem debitoris creditori: quod fieri potest dupliciter, videlicet vel per voluntatem ultimam, quando nimirum Testator creditori rem aliquam 8

quam Pignori, vel Hypothecæ esse jubet *l. non est 26. ff. de Pignor. act.* vel per conventionem, & actum inter vivos, estque vel *Pignus in specie*, vel *Hypotheca*, ut ex dictis patet.

Necessarium est, quod authoritate, seu imperio Magistratus constituitur: estque etiam ipsum duplex, nempe vel Prætorium, vel Judiciale. *Prætorium* dicitur, quod à Prætore, seu Magistratu constituitur ante latam sententiam, dum actor mittitur in possessionem, vel quasi possessionem rerum debitoris, ut ipsi cautum sit *l. si prætorium 1. & l. seq. C. de Prætor. Pignor. Judiciale* vocatur, quod ex causa judicati capi solet, dum videlicet Judex captione, & distractione pignorum ex bonis condemnati sententiam definitivam, à se latam, exequitur *toto tit. C. si in caus. judic. pign. capt. sit:* in qua executione initium fieri debet à mobilibus; his autem deficientibus, vel non sufficientibus proceditur ad immobilia, & nomina; prout statuitur *l. à Divo Pio 15. vers. in venditione 2. ff. de Re judicat.*

9 Quæritur 6. quæ sit forma Essentialis Pignoris, vel Hypothecæ? Resp. ut est Contractus, consistit in voluntate debitoris, rem suam tradentis in securitatem debiti; ut verò est Pactum, stat in nudo consensu debitoris obligantis rem suam. De cætero nec scripturam, nec certam verborum formulam necessatiò, & essentialiter requirit *l. Prætorium 1. ff. de Pignorat. act. l. contrahitur 4. ff. de Pign. & Hypoth. & Auth. siquis C. quæ res pignori &c.* Scriptura tamen super illo erecta præter probandi facilitatem, etiam hanc utilitatem habet, quòd in concursu Creditorum is, qui habet Hypothecam munitam publico Instrumento, præferatur illi, qui non habet publico Instrumento, aut huic æquivalente munitam, etiamsi iste habeat aliquod privatum scriptum, & dicat se esse tempore priorem, nisi hanc prioritatem aliis modis probare possit, & fraudis præsumptionem elidere *l. scripturas 11. C. qui potior. in pignor.*

§. II.

De Rebus, quæ in Pignus, vel Hypothecam concedi possunt, vel non possunt.

SUMMARIUM.

10 11 *Quænam res Pignori, vel Hypothecæ subjici possint?*
12 13 14 *Quæ contrà non possint?*
15 *An Prælatis, vel Rectoribus Ecclesiarum prohibita sit etiam constitutio Hypothecæ generalis in bonis Ecclesiasticis?*
16 *Respondetur negativè.*
17 *Solvuntur Argumenta opposita.*
18 19 20 21 *Quinam pignori, vel Hypothecæ dare possint?*
22 *An Creditor possit retinere Pignus, quod ei Oeconomus ex rebus Domini sine istius consensu, & ratihabitione dedit?*
23 *Quinam creditores accipere Pignus possint pro credito?*

10 QUæritur 1. quæ res Pignori, vel Hypothecæ subjici possint? Resp. res omnes, quæ vendi, vel alio modo alienari possunt, nisi specialiter sint exceptæ. Et in specie quidem.

1 Res non solùm mobiles, sed etiam immobiles; ut sunt ædes, fundi, prædia, ut omnes fatentur.

2 Res non solùm, quæ actu possidentur, sed etiam illæ, quæ sunt adhuc in spe, ea conditione, ut si extiterint, in pignus, vel Hypothecam cedant.

3 Res non solùm corporales; sed etiam Actiones, & Jura.

4 Ipsum Pignus, quod quis habet à suo debitore, rursus alteri oppignorare potest: ubi tamen advertendum, casu quo primus debitor solvit, cessare oppignorationem secundam; quia cessat jus primi debitoris in pignore.

5 Jurisdictio temporalis; quia est res vendibilis: secus est de Jurisdictione spirituali; quia est res invendibilis, & posita extra humanum commercium.

11 6 Ususfructus *l. si is 11. §. ususfructus 2. ff. h. tit.* Item Emphyteusis, ut dictum est *suprà Tit. 18. n. 145.*

7 Feudum cum consensu domini directi, non tamen sine tali consensu *l. 2. Feud. tit. 8.* saltem oppignoratione propriè dicta, seu quæ possessionem feudi transferat: de quo *Tit. præc. n. 162. in fin.*

8 Nomina debitorum, vulgò *Sculdforderungen l. ge 13. §. cùm pignori 2. ff. h. tit. & l. nomen 4. C. quæ res pignori &c.* quæ oppignoratio si fiat, primus debitor, à secundo creditore monitus, non potest solvere primo creditori; secundus enim creditor habet jus, ut debitore secundo non solvente, exigat debitum à primo debitore.

9 Servitutes Rusticæ, ut contra Donell. *tr. de Pignor. c. 10.* & alios tenet communis Juristarum cum Bartholo: in quo distinguuntur à Servitutibus Urbanis, quæ principaliter, & solæ Hypothecæ, vel Pignori non possunt subjici, ut patet ex *l. 11. cit. in fin.* sed tantùm in consequentiam i. e. si prædium oppignoratum, vel Hypothecatum fuerit; tunc enim etiam servitutes, quæ ei inhærent, oppignoratæ, vel hypothecatæ censentur; quia accessorium sequitur principale. *Reg. accessorium 42. in 6.*

Quæritur 2. quæ res in Pignus, vel Hypothecam 12
concedi nequeant? Resp. in hac re Regulæ generalis loco à DD. traditur, illarum rerum oppignorationem censeri prohibitam, quæ absolutè, & per seipsas prohibentur vendi *l. pupillus 1. §. eam rem 2. ff. quæ res pignori &c. l. fin.* juncta Gloss. *V. Hypothecam in Addit. C. de reb. alien. non alien.* Ratio est, tum quia oppignoratio est species quædam alienationis latè acceptæ; tum quia est veluti via, ac dispositio ad venditionem, ad quam per illam devenitur; ideo enim creditori datur pignus, ut si debitor fuerit in mora solvendi, illud vendere, & ex eo sibi satisfacere Creditor possit, ut constat ex *tit. ff. de distract. pignor.* In specie autem.

1 Sine justa causa, & requisitis à Jure solemnitatibus Hypothecæ speciali non possunt subjici res, seu bona Ecclesiæ immobilia, aut mobilia pretiosa, ut habetur *can. hoc jus porrectum 2. caus. 10. q. 2. c. nulli 5. & Extrav. ambitiosæ inter commun. de reb. Eccl. non alien.*

2 Beneficia, & Pensiones Ecclesiasticæ, quia cùm sint 13
res Sacræ, & in jure Spirituali fundatæ, in commercium hominum non veniunt, & propterea nec vendi possunt.

3 Calices, patenæ, cæteraque Ecclesiarum supellex, affecta consecratione, vel benedictione ob eandem rationem. Ex causa tamen urgentis necessitatis valde gravis, ejusmodi res in securitatem crediti pignori dari possunt etiam Laico; quia eo casu pro pretio, valori, & æstimationi illorum commensurato, etiam vendi possunt.

4 Res communi, & publico usui deputatæ, uti plateæ, & viæ publicæ, nisi Princeps consentiat; quia sine istius consensu etiam vendi non possunt, prout dicitur *§. idem Juris 2. Inst. de inutil. stipulat. §. fin. inst. de Empt. & Vendit.*

5 Res litigiosæ, ut patet ex *toto Tit. C. de litigios.* 14
tum ex *suprà* dictis; quia videlicet vendi non possunt.

6 Res alienæ, nisi vel Dominus consentiat, vel postea ratum habeat, vel oppignorare eam volenti jus aliquod in eam competat. Si dominus postea ratum habeat, ratihabitio retrotrahitur ad diem oppignorationis factæ, non tamen in præjudicium tertii, ut cum aliis observat Molin. *tract. 2. de J. & J. D. 529. numer. 3.*

7 Liber homo *c. lator 2. h. tit. l. ob as 12. C. de O. & A. l. qui filios 6. C. quæ res pignori &c.* & præsertim *Novell. 134. c. 7. Excipitur* casus extremæ necessitatis; nam in hac pater filium vendere, vel pignori dare ad illam sublevandam potest, ut cum aliis ostendit Gonzal. *in c. 2. cit.* Idem dicendum de eo, qui captus est; nam iste se in pignus dare alteri pretium solvendi potest, donec ipse hoc ei restituat, vel serviendo satisfaciat *l. ab hostibus 2. & l. si liberum 9. C. de postlim. revers.* Hæc satis certa.

Dubium inter DD. est, an Prælatis, & Ecclesiæ Re- 15
ctoribus prohibita sit etiam constitutio Hypothecæ generalis in bonis Ecclesiasticis? Affirmant prohibitam Bonacin. *tr. de alien. q. un. p. 2. n. 23.* Donat. *tom. 1. prax. Regul. p. 2. tr. 14. q. 67. num. 1.* & apud hos Covar. & Molina. *Moventur* 1. textu *Extrav. ambitiosæ cit. & Decreto S. Congr. Cardd. Trid. Interpr. jussu Urbani VIII. edito*, ubi omnium rerum, & bonorum Ecclesiasticorum alienationes, & Hypothecationes prohibentur generaliter, & omissa illa particula *Specialis*, quæ habetur Jure antiquiori *c. nulli cit.* quod signum minimè obscurum est, quòd Pontifex etiam Generalem Hypothecam bonorum Ecclesiasticorum voluerit esse prohibitam, si sine solemnitate Canonica fiat. 2. *à pari:* nam Populatores agrorum etiam diurnos privilegio Asyli Ecclesiastici non gaudere communiter solùm statuitur ex eo, quòd Gregorius XIV. *Constit.* incipit *Cùm alias*, *edita 9. Calend. Jun.* 1591. referens eos, qui asylo non gaudent, etiam recenseat Depopulatores agrorum, & hos indistinctè, atque omissa particula *Nocturnus*, ut Jus antiquum

quum *c. inter alia 6. de Immunit. Eccl.* volebat. igitur cùm etiam in nostro casu Pontifex *Extrav. citat.* omiserit particulam *speciales* insertam *c. nulli cit.* meritò concludetur prohibitam esse etiam Hypothecam generalem. 3. *à ratione:* quia potest contingere, ut debita nomine Ecclesiæ contracta tanta sint, ut ad ea expungenda mobilia non sufficiant, & conf. necesse sit immobilia, & mobilia pretiosa in solutum dare, vel distrahere; sic autem per Hypothecam generalem æquè perveniretur ad alienationem immobilium, & mobilium pretiosorum, ut perveniretur per specialem. igitur cùm eadem pugnet ratio, generalis non minùs, ac specialis debet esse prohibita.

16 Sed his non obstantibus, dicendum, quòd Hypotheca generalis, si justa causa hoc exigat, vel suadeat, Prælatis Jure tam antiquo, quàm novo sit licita, atque ab iis fieri etiam sine solemnitatibus aliàs requisitis possit. Ita Abb. *in c. nulli cit. n.* 3. Joann. Andr. *ibid. num.* 1. Redoan. *de reb. Eccl. non alien. Rubr.* 1. *c.* 6. *n.* 12. Molin. *tr.* 2. *de J. & J. D.* 466. *n.* 1. König *hic n.* 20. Vviest. *n.* 10. & docui *suprà Tit.* 13. *num.* 20. Colligitur ex *c. nulli cit.* per argumentum ductum à sensu contrario. *Conf.* nam ex duabus speciebus oppositis unius assumptio censetur esse alterius exclusio, & vicissim unius exclusio alterius assumptio *arg. l. si inter* 15. *ff. de except. rei judic.* junct. Gloss. *in Clem.* 2. *V. directè contrariis de testib.* igitur cùm *c. nulli cit.* expressè loquatur de Hypotheca speciali, tantùm ista censetur prohibita.

17 Neque contrarium evincunt Argumenta opposita. *Ad* 1. per *Extrav. cit.* ut bene notant Quarant. *Summ. Bullar. V. alienatio n.* 5. Pirh. *de reb. Eccl. non alien. n.* 54. Vviest. *hic n.* 11. antiquæ prohibitioni tantùm adduntur duo casus, sc. ne rerum Ecclesiasticarum immobilium alienatio fiat, inconsulto Pontifice, & ne fiat absque ejus consensu Locatio earundem ultra triennium; quoad cætera autem Jus antiquum per eam mansit penitus incorrectum, imò firmatum etiam, ut colligi potest ex verbis *Præterquam in casibus Jure expressis.* ergo &c. *Ad* 2. negatur paritas; constat enim, quòd *Constitutione Gregoriana cit.* Sæculari potestati ultra casus, Jure antiquo expressos, aliquid permissum sit, ut clarè indicant ejusdem verba, quibus Depopulator agrorum diurnus expressè ab Asylo excluditur: hoc non ita constat de Hypotheca Generali. *Ad* 3. neque Juris Antiqui Constitutio se extendit ad casum, quo Ecclesiarum bona etiam in communi pro tanta quantitate obligantur, ut illa exponantur distractionis, vel alienationis periculo; quia verò hoc periculum in Hypotheca generali plerumque non est, est autem in Hypotheca speciali, meritò ista prohibita, illa fuit permissa. Accedit, quia, ut *suprà n.* 5. dictum est, in Hypotheca generali non censentur inclusa, quæ principaliter ob favorem alicujus sunt alienari prohibita: talia autem sunt bona Ecclesiarum immobilia, & mobilia pretiosa; nam quòd alienari prohibeantur, est favor Ecclesiæ.

18 Quæritur 3. quinam Pignori, vel Hypothecæ dare possint, vel non possint? Resp. Pignori dare possunt, qui contrahere, vel alienare; contrà qui contrahere, vel alienare nequeunt, neque Pignus possunt constituere. Ratio est, quia, debito non soluto, Creditor, ut *infrà n.* 31. potest rem pignori datam distrahere. igitur necesse est, ut, qui pignus constituit, habeat potestatem alienandi.

19 In specie autem 1. non potest Maritus obligare fundum dotalem, etiam consentiente uxore *l. un. §. & cum* 15. *C. de rei uxor. act.* Quod fallit in bonis dotalibus mobilibus *arg. l. intestato* 3. *§. si dotalem* 2. *ff. de suis, & legit. hæred.* & *l. etsi* 3. *C. de Jur. dot.* & in immobilibus æstimato datis, quorum periculum statim in maritum transit *l. plerumque* 10. *pr.* & *§. si ante* 4. *ff. de Jur. dot.* & *l. quotiens* 5. *C. eod.* licèt harum rerum Hypotheca, soluto Matrimonio, post *l. in rebus* 3. *C. eod.* inutilis sit.

20 2 Licèt Tutor, vel Curator res Pupilli, & Minoris mobiles non pretiosas propria authoritate subjicere possit Pignori, non tamen immobiles, aut mobiles pretiosas, quæ servando servari possunt, nisi accedat Decretum Judicis *l. lex* 22. *C. de administr. Tutor.* Quod si pro mutuo habendo Tutor, vel Curator ex rebus Pupilli, aut Minoris Pignus dedit, ad Creditorem spectat, ut probet, quòd mutuum conversum fuerit in utilitatem Pupilli, vel Minoris; aliàs obligatio Pignoris nulla est: Qua ratione conciliari debet *l. si in rem* 3. *C. quand. ex fact. Tutor.* cum *l. curator* 3. *C. si aliena res pignori &c.* & *l. Tutor* 16. *ff. de Pignorat. action.*

21 3 Procurator, habens omnino liberam rerum administrationem potest juxta facultatem sibi concessam oppignorare res domini, etiam ad contractus gratuitos: si verò habeat administrationem universalem quidem, sed non liberam, tum solùm oppignorare res domini poterit, si dominus hoc solebat facere; secus, si dominus id non solebat *l. solutum* 11. *fin. & l. seqq. ff. de Pignorat. act.*

22 *Dubitatur*, an Creditor possit retinere Pignus, quod ei Oeconomus ex rebus domini sine istius consensu, & ratihabitione dedit? Resp. cum distinctione: Vel enim Creditor sciebat rem esse alienam, vel ignorabat. *Si primum*, non habet jus retinendi Pignus, benè tamen repetendi, quod dedit sub Pignore. *Si secundum*, & pecunia, quam sub Pignore dedit, conversa fuit in utilitatem Domini, Pignus retinere Creditor potest *l. Procurator* 1. *C. si aliena res pignori &c.* non tamen tenetur dominus, si Pignus nondum traditum est, ad illud tradendum, sed duntaxat ad solvendum tantum, quantum in suam utilitatem conversum est: nisi fortè casu vel nulla, vel non tanta utilitas in dominum redundarit, quàm quanta debuit, & rationabiliter ab Oeconomo, vel Negotiorum gestore sperabatur.

23 Quæritur 4. quinam Creditores accipere Pignus possint pro credito? Resp. possunt Creditores regulariter omnes, ex quacunque causa sint tales, modò facultatem contrahendi, & seipsos obligandi habeant. Et hinc quia Pupilli sine Tutoris authoritate seipsos obligare nequeunt, etiam pignus non possunt accipere ob metum Actionis Pignoratitiæ *l. pupillo* 38. *ff. de Pignorat. action.*

§. III.

De Effectibus Pignoris, & ejus dissolutione.

SUMMARIUM.

24 *Quænam obligatio oriatur ex Contractu Pignoratitio in Debitore?*
25 26 *Quæ sit Creditoris obligatio?*
27 28 *Quod jus Creditor in Pignore, vel Hypotheca habeat?*
29 *Potest creditor rem sibi oppignoratam oppignorare alteri.*
30 *Requisita, ut hoc ritè fiat.*
31 *Potest etiam eandem vendere.*
32 *Et multo magis fructus.*
33 *Ex contractu Pignoratitio datur Debitori Actio Pignoratitia personalis directa.*
34 *Si debitum omne solverit.*
35 *Creditori competit Actio Pignoratitia personalis contraria.*
36 *Item Serviana Locatori fundi, & quasi Serviana Creditori cuilibet.*
37 *Modi, quibus solvitur obligatio Pignoris.*

Effectus Contractus Pignoratitii maximè triplex est. 1. obligatio tum Debitoris, tum Creditoris. 2. Jus in re oppignorata. 3. actio, eaque multiplex. Hinc. 24

Quæritur 1. quænam obligatio oriatur ex Contractu Pignoratitio? *Ac* 1. *quidem dubitatur*, quænam oriatur ex eo obligatio in debitore? Resp. 1. Debitor, qui Pignus promisit, tenetur illud tempore, & loco statuto creditori tradere; aliàs frustra promitteret. 2. traditum Creditori non potest ab eo repetere, nisi eidem vel per solutionem, vel alia ratione satisfecerit. 3. si Creditor in conservando Pignore aliquas expensas fecit, tenetur is, qui dedit Pignus, easdem solvere *l. si necessaria* 8. *l. si servos* 25. *ff. de pignorat. act.* & *l. creditor* 7. *C. eod.* Debet tamen, ut *l. si servos citat.* dicitur, Creditor in faciendis expensis, etiam utilibus, ita moderatus esse, ut non cogat debitorem vel Pignus vendere, vel relinquere Creditori.

Dub. 2. quæ sit obligatio Creditoris ex Contractu Pignoratitio? Resp. 1. Creditor, qui Pignus habet, obligatur ad illud fideliter custodiendum, teneturque non solùm de dolo, & lata culpa, sed etiam de levi *l. si servos cit. l. quæ fortuitis* 6. *C. eod.* & *l. sicut* 19. *C. h. tit.* 25

2. Non potest uti Pignore, nisi usus cedat in commodum debitoris, ut cùm prædia sibi oppignorata elocat; quia cultura meliora redduntur *l. creditor* 23. *ff. h. tit.* Idemque dicendum est, quando usus nullum prorsus incommodum affert debitori; tunc enim præsumi debet de consensu debitoris, ut patet ex dictis *suprà Tit.* 16. *n.* 9. Secus, si Pignore utatur Creditor, committit furtum *§. furtum* 6. *Inst. de oblig. quæ ex delict.* & *l. si pignore* 54. *ff. de furt.* teneturque resarcire damna pignoris quo usus est *l. creditor* 3. *C. de pignor. act.*

2 3 Si debitum totum solutum sit Creditori, tenetur ille pignus sibi datum illico reddere *l. pignoris* 11. *C. di pignor. act.* neque potest recusare solutionem sibi oblatam; quia Pignus traditur non absolutè, sed in securitatem debiti. Addidi, *si totum solutum fuerit*; nam si non totum solutum fuerit, Pignus retinere Creditor potest; quia jus Pignoris indivisum est pro toto debito *l. quamdiu* 6. *C. de distract. Pignor. & l. qui pignori* 19. *ff. h. tit.*

4 Nec solùm Pignus restituere debet, sed etiam fructus, meliorationes, & accessiones *l. si fundus* 16. *pr. & l. si inter* 21. §. *quidquid* 2. *ff. h. tit. l. si convenerit* 18. §. *si nuda* 1. *ff. de Pignor. act. Proceditque hoc*, non tantùm de fructibus perceptis à Creditore, sed etiam de iis, quos ipse ex re sibi oppignorata percipere potuisset, & per negligentiam intermisit percipere *l. si creditor* 3. *C. de Pignor. act.* Ratio est, quia fructus Pignoris spectant ad debitorem, tanquam dominum: & contractus Pignoris tam in bonum debitoris, quàm creditoris celebratus est. atqui in hujusmodi Contractibus, qui sunt gratia utriusque, tenetur contrahens etiam ex culpa levi, si per eam damnificetur alter contrahens. ergo si culpa levi etiam aliquos fructus non percepit Creditor, quos potuisset percipere, damnum illud reparare debitor debet.

Quæritur 2. quod sit jus Creditoris in Pignore, vel Hypotheca sibi concessa? Resp. etsi proprietatem illius non acquirat, tamen si traditum ipsi sit, possessionem ejusdem habet, ita, ut si aliter debito ipsius non satisfiat à debitore, satisfactionem ex pignore, vel hypotheca quærere sibi possit. Hinc fit, ut Creditor rem ita sibi obligatam à quovis alio possessore vindicare sibi possit *l. pignoris* 17. *ff. h. tit.* donec ipsi pro debito sit satisfactum, adeoque sublata obligatio Pignoris *l. si cùm venditor* 66. *ff. de Evictiov.*

Proceditque hoc, etsi res, in Pignus, vel Hypothecam concessa, sit vendita alteri à domino ejusdem, seu debitore; quamvis enim eo casu dominium illius transferatur in Emptorem, semper tamen res illa secum onus suum, seu Pignoris obligationem trahit, ut decernitur *cap. ex litteris* 5. *hoc tit. & l. si debitor* 12. *C. de distract. pignor.* Imò obligatio ista ad emptorem transit, etsi res oppignorata vendita, vel distracta sit ex mandato Judicis; quia per hoc non potest tolli jus Pignoris competens Creditori, cùm factum, seu sententia Judicis tertio præjudicare non debeat *cap. ex tenore* 11. *de for. compet. c. cùm super* 17. *de sent. & re judic. l. Prætor* 2. §. *si quis à Principe* 16. *ff. ne quid in loc. publ. &c.* Imol. *in cap.* 5. *cit. num.* 2. Abb. *n.* 3. Pirh. *hic n.* 6.

8 *Ex quo sequitur*, quòd Creditor rem sibi oppignoratam, sive expressè, sive tacitè oppignorata sit, vindicare sibi etiam ab Emptore ejusdem possit, quo tamen casu iste, nempe Emptor, liberabitur à solutione ejus, quod Venditori debet pro ea re sibi vendita.

Excipitur, si cum consensu Creditoris fundus, Hypothecæ subjectus, alienatus sit; tunc enim jus Hypothecæ remisisse censetur, dummodo effectus secutus sit, adeoque alienatio, & traditio rei facta *l. sicut* 8. §. *si voluntate* 6. *ff. quib. mod. Pign. solvit.* Idem dicendum, si Creditor convenit, ut res, Pignori ipsi obligata, filiæ debitoris in dotem detur *l. Lucius* 11. *ff. eod.*

9 Dub. 1. an Creditor rem sibi oppignoratam possit alteri oppignorare? Resp. potest: idque extenditur etiam ad hæredem Creditoris, ut tradit Gloss. *in c. cùm contra* 6. *h. tit. in notat.* Abb. *ibid. n.* 4. Pirh. *hic n.* 10. Hoc tamen ut rite fiat, sequentia sunt advertenda.

1 Primus Creditor non potest in plus, seu pro majore quantitate debiti Pignus obligare secundo Creditori, quàm ei fuerat obligata à domino, seu primo Debitore *l. etiam* 1. junct. Gloss. *V. placuit*, *& l. seqq. C. si pignus pignori &c.* Ratio est, quia aliàs rem domini, seu primi Debitoris difficiliorem redderet, ut qui Pignus difficiliùs recuperare posset.

10 2 Non potest Pignus ultra tres vices alteri dari, ita, ut quidem primus Creditor possit rem sibi oppignoratam dare secundo Creditori in Pignus, & hic tertio, non tamen ultra, ut vitetur processus in infinitum, à quo etiam natura abhorret. *arg. c.* 2. *de Rescript. in* 6. Durand. *in Specul. hic n.* 22. Abb. *l. cit. n.* 7.

3 Si primus Debitor solvit Debitum, pro quo rem suam in Pignus primo Creditori dedit, extinguitur etiam jus Pignoris in secundo Creditore, cui primus Creditor rem sibi Pignori datam oppignoravit; quia resoluto jure Authoris, resolvitur etiam jus Successoris, qui à primo causam, seu jus Pignoris dependens habebat *l. si creditor* 2. *C. si pignus pignori &c.* & *ibi* Gloss. *in casu*, *l. lex* 31. *ff. h. tit.* Abb. *l. cit. n.* 5. Pirh. *n.* 20. *citat.* Proinde ejusmodi solutione facta, secundus Creditor Pignus ampliùs retinere non potest. Idem dicendum est, quando fructus à primo Creditore percepti extinguunt debitum principale unà cum fructibus perceptis à secundo Creditore, ut notant Abb. & Pirh. *l. citt.* & ratio est, quia hoc modo jam extinctum est principale debitum, & pro quo res obligabatur Pignori.

Dub. 2. an Creditor possit rem sibi oppignoratam vendere? Resp. si debitum ipsi constituto tempore solutum non sit, potest rem sibi oppignoratam vendere, sive deinde inter ipsum, & debitorem ab initio convenerit, ut liceret vendere, sive non: imò etiam si convenit de non distrahendo, quo tamen casu ad distractionem validè, & ritè peragendam opus est trina denuntiatione per intervalla arbitraria *l. si convenit* 4. *fin. ff. de Pignorat. act. Neque obstat*, quòd Creditor non sit dominus Pignoris; quia hæc est natura Pignoris, ut ex eo satisfactionem quærere sibi Creditor possit, si Debitor sit in mora solvendi. 31

Multo magis potest Creditor licitè vendere fructus, quos ex re oppignorata percepit, ita tamen, ut pretium, quod ex fructibus divenditis percipit, computare in sortem debeat, sicut in sortem computare debuisset ipsos fructus, si hos non divendidisset. Abb. *in cap.* 6. *num.* 5. *in fin. h. tit.* 32

Interrogari potest, quamdiu exspectare Creditor solutionem debeat, ut rem sibi oppignoratam possit distrahere? Respond. cum distinctione; nam si conventum est super distractione, & modo distrahendi, standum est pacto *l. si convenit cit.* Si verò nihil de distrahendo Pignore actum est, Debitori semel denuntiatio facienda, & post hanc biennium exspectandum est, quo elapso, si Debitor nondum solverit, procedit venditio Pignoris *l. fin.* §. *fin. autem* 3. *C. de jur. domin. impetrand.*

Quæritur 3. quænam Actiones competant ex Contractu Pignoris, vel Hypothecæ? Resp. competunt quatuor diversæ Actiones, & una quidem ex his Debitori, cæteræ autem tres Creditori. 33

Dub. 1. quænam Actio competat Debitori? Respond. Debitori, si is debitum integrè solvit, & aliud debitum non intervenit, competit Actio pignoratitia personalis directa, qua agit contra Creditorem, vel hæredes ejusdem, ut Pignus integrum unà cum fructibus restituat, vel si ex culpa sua deterius reddidit, damnum resarciat, nisi in debito fuerit compensatum: quodsi Pignus interierit ex culpa, tunc agit ad restituendum excessum valoris ultra debitum, prout habetur *l. pignoris* 11. & *l. seq. C. de Pignorat. action.*

Addidi, *si aliud debitum non intervenit*; nam si supervenit aliud debitum, etiamsi non fuerit res pro illo debito oppignorata, retinere tamen Creditor pignus potest, donec solvatur, ut statuitur *l. un. C. etiam ob Chirographariam &c. Proceditque hoc* 1. etiam in debito contracto ante Pignoris traditionem, ut bene notat Haun. *tom.* 4. *de J. & J. tr.* 10. *n.* 942. *in fine*; dolo enim agit, qui vult solvere debitum habens Pignus constitutum, & non aliud. *Procedit* 2. ut Pignus retineri possit etiam pro impensis factis à Creditore in custodiam, & conservationem Pignoris *l. si necessarias* 8. §. *fin. ff. de Pignorat. act.* quia revera etiam istæ debentur. *Procedit* 3. ut retineri possit etiam pro usuris, si in sortem, & usuras simul, & simpliciter obligatum, atque acceptum sit *l. solutum* 11. §. *si in sortem* 3. *ff. eod.* 34

Dub. 2. an etiam Creditori competat Actio Pignoratitia? Resp. Huic datur Actio Pignoratitia personalis contraria. Ista convenite Debitorem quadruplici casu potest. 1. Si iste possessionem Pignoris à Creditore impetravit ex Precario, vel ex Conducto, ut illud restituat *l. si quasi* 3. *& l. si pignore* 22. §. *si post distractum* 3. *ff. de Pignor. action.* 2. Si sumptus aliquos in Pignus fecit, ut illos Debitor solvat *l. si necessarias* 8. *ff. eod.* 3. Si Debitor dedit Pignori rem alienam, vel alteri jam priùs oppignoratam, donatam &c. *l. si rem alienam* 9. *pr. l. tutor* 16. §. *contrariam* 1. *& l. si quis* 36. §. *sed etsi* 1. *ff. eod.* 4. Si pignus à Creditore venditum Emptori evictum sit *l. in creditore* 38. *ff. de eviction.* 35

Dub. 3. quænam aliæ Actiones Creditori dentur ex Pignore? Resp. 1. si prædium rusticum locavit, competit ei *Actio Serviana*, qua Creditor res coloni, in fundum conductum illatas, vel invectas, & expressa conventione pro mercede Locationis, & deterioratione fundi pignori suppositas, ab earum quovis possessore petit. Haun. *tom.* 4. *de J. & J. tr.* 10. *n.* 945. cum aliis. 2. Cuivis Creditori tam ratione Hypothecæ, quàm ratione Pignoris propriè, & in specie acceptorum, competit *Actio quasi* 36

quasi Serviana, quæ alio nomine communiter appellatur *Hypothecaria*, & *Utilis Serviana*, & definitur, quòd sit vindicatio, qua Creditor persequitur res Pignori sibi expressè, vel tacitè obligatas. Instituere hanc potest contra singulos debitoris hæredes in solidum, quo differt à Personali Pignoratitia, ut habetur *l. fin. C. si unus ex pluribus &c.* Si eam instituere velit contra possessorem extraneum, priùs actione Personali conveniendus, & excutiendus est reus principalis, seu Debitor, qui Pignus dedit, aut ejus hæredes, vel fidejussores *l. persecutione* 24. cum *Auth. seq. C. h. tit.* Ut locus Actioni Hypothecariæ sit, Actor duo probare debet: unum est, quòd res, quam persequitur, fuerit sibi à Debitore oppignorata, vel Hypothecæ subjecta; alterum, quòd ea tempore Contractus fuerit in bonis Debitoris.

37 Quæritur 4. quibus modis dissolvatur obligatio Pignoris? Resp. id variis modis contingere. 1. Si debitum extinctum sit per solutionem totius debiti, vel per aliam satisfactionem *l. nec creditores* 11. *C. de Pignor. Action.* 2. Si Debitor pecuniam, aut rem debitam exhibuerit Creditori, & eo recipere recusante, eam obsignaverit, & solemniter deposuerit *l. nec creditoris cit.* 3. Si Creditor debitori remiserit debitum vel expressè cum eodem paciscendo de non petendo debito, vel tacitè reddendo illi Syngrapham *l. sed tibi* 17. *§. de pignore* 2. *ff. de Pact. l. creditricem* 7. *C. de remiss. pignor.* 4. Si debitor absolvatur per sententiam Judicis, licèt injustam *l. si deferente* 13. *ff. quib. mod. Pign. vel Hypothec. solvit.* 5. Si tempus sit lapsum, ad quod Pignus, vel Hypotheca contracta est *l. item* 6. *pr. ff. eod.* 6. Si debitor Pignus, vel Hypothecam alienavit, consentiente Creditore; tunc enim censetur iste remisisse obligationem Pignoratitiam *l. si debitor* 4. §. *si in venditione* 1. *ff. eod.* 7. Similiter remisisse obligationem censetur Creditor, si Pignus debitori restituit, quando non constat, quòd ad alium finem restituerit *l. postquam* 3. *ff. de Pact.* 8. Denique obligatio Pignoris exspirat intuitu totali rei oppignoratæ, sive interitus ille sit physicus, sive moralis, qualis esse potest in re incorporabili, v. g. Usufructu *l. sicut* 8. *in pr. ff. quib. mod. pign. vel Hypothec. solvit.*

§. IV.

De Pacto Antichreseos, & Legis Commissoriæ nonnunquam Contractui Pignoris addi solito.

SUMMARIUM.

38 Quæritur 1. quid sit, & an licitè Contractui Pignoris addi Pactum Antichreseos possit? Resp. *Antichresis* est conventio, seu pactum, quo inter Creditorem, & Debitorem convenit, ut donec debitum solvatur, Creditor in vicem Usurarum ex fundo oppignorato fructus percipiat, ita, ut eas non teneatur computare in sortem.

Hoc Pactum Jure Civili non obscurè approbatur *l. conventio* 1. §. *pacto* 3. & *l. si is* 11. §. *si Antichresis* 1. *ff. hoc titul.* & licitè addi Contractui Pignoris videtur etiam probare ratio: cùm enim debitor utatur, & fruatur commodis pecuniæ sibi creditæ, æquum esse apparet, ut vicissim creditor in ejusmodi commodorum compensationem utatur, & fruatur re sibi oppignorata.

39 Sed apertè repugnat Jus Canonicum *c. quoniam* 2. & *c. de Usur. c. illo* 4. & *c. cùm contra* 6. *h. tit.* ubi ejusmodi Pactum, etsi non expressis verbis, implicitè tamen damnatur ut usurarium, dum jubentur fructus in sortem computari, & possessiones oppignoratæ restitui. Et hinc, ut notat Duarenus *de usur. c.* 1. Gonzal. *in c.* 6. *cit. n.* 13. & alii, his textibus priùs allegatæ Leges Civiles sunt abrogatæ. Nec immeritò: quia Usura est, quidquid ultra sortem accipitur. atqui hoc fieret, si fructus non computarentur in sortem. ergo &c.

Quare dicendum Creditorem ex ejusmodi Pacto non posse fructus ex re oppignorata percipere, præcisè ex eo, quòd debitor utatur, fruaturque commodis rei creditæ, sed eosdem computare in sortem debet, sive in partem solutionis debiti, ita, ut illius quantitas secundùm ipsorum æstimationem decrescat, imò si ista debitum adæquet, omnino extinguatur. Ita omnes.

Dixi *præcisè*: nam plures sunt casus, in quibus fructus, ex re oppignorata percepti, in sortem computari non debent. Et talis est 1. si à Vasallo in Pignus datus sit fundus feudalis domino feudi; nam hic fructus feudi sibi oppignorati suos facit; ut habetur *c. insinuatione* 1. *de feud.* & *c. conquestus* 8. *de Usur.* quorum textuum decisio, etsi solùm loquatur de feudo Ecclesiæ, à communi tamen DD. extenditur etiam ad feuda sæcularia, ut dictum est *Tit. præc. n.* 166. 40

2 Potest maritus percipere fructus possessionum, i.e. agrorum &c. pro dote sibi obligatorum, nec tenetur in dotem necdum sibi traditam computare, cùm frequenter dotis fructus non sufficiant ad onera matrimonii supportanda *c. salubriter* 16. *de usur.*

3 Potest Clericus fructus Beneficii sui à Laico injustè possessi, & sibi oppignorati licitè percipere, & retinere, ita, ut eos non teneatur in extenuationem sortis conferre *cap. plures* 1. *in fin. de Usur.* quia sic per viam occultæ compensationis redimit id, quod ad se legitimè spectabat. 41

4 Potest Creditor ex fructibus Pignoris compensationem sibi facere sumptuum, quos circa rem oppignoratam fecit, si moderati illi sint, & necessarii, vel utiles *l. si necessarias* 8. *pr. l. si servos* 25. *ff. de Pignor. act. l. creditor* 7. *fin. C. eod.* junct. Gloss. *fin.* & *l. in summa* 6. *C. h. tit.*

5 Universim, ne Creditori mutuatio, & Pignoris frugiferi detentio damnosa sit, in sortem computare eos tantùm fructus tenetur, qui supersunt, deducto lucro cessante, damno emergente, expensis factis, labore impenso &c. *c. plures* 1. & *c. quoniam* 2. *de usur. c. ad nostram* 7. *de Jurejur. l. si necessarias, l. si servos, l. in summa citt.*

Quæritur 2. quid sit, & an licitum sit *Pactum Legis Commissoriæ*, adjectum Contractui Pignoris? *Resp. Pactum Legis Commissoriæ* tunc datur in Pignore, quando inter Creditorem, & Debitorem convenit, ut si iste debitum intra statutum tempus non solvat, pignus pro eo datum committatur, & transeat in dominium Creditoris. 42

Pro cujus Conventionis honestate militat non contemnenda ratio, quòd sc. cuilibet, qui rerum suarum administrationem habet, de iis pro libitu pacisci liceat, & paciscendo conditionem suam deteriorem facere *l. Juris gentium* 7. §. 13. *l. in traditionibus* 48. *ff. de Pact.* & *l. in re mandata* 21. *C. mandat.* ergo sicut alia, ita etiam Commissionis pactum debitor potest addere. *Conf.* à pari cum Emptione, & Venditione, in qua pactum hoc permissum est addere, & pacisci, ut si Emptor constituto tempore non solverit pretium, res sit inempta *l. cùm venditio* 2. &c. *ff. de Leg. Commissor.* & dictum est *Tit.* 17. *à n.* 52.

Sed his non obstantibus, dicendum, ejusmodi Pactum adjectum Contractui Pignoris regulariter prohibitum, & irritum esse ipso Jure, ita, ut nulla ex eo obligatio oriatur. Constat ex *c. significante* 7. *h. tit.* & *l. fin. C. de pact. pignor.* Nec immeritò facta est pactorum hujusmodi prohibitio; nam duplex causa ad istam faciendam movere poterat; & *primò* quidem, ut ita coerceretur fœneratorum avaritia, quorum fraudibus talium Pactorum licentia obnoxios reddit debitores, utpote qui fiducia solutionis in tempore faciendæ, & reddendi Pignoris facilè in ejusmodi Pactiones consentiant: *deinde* verò ut tolleretur Usurariæ iniquitatis periculum, quod obvium in hujusmodi Pactis foret, cùm plerumque Pignora pecuniæ creditæ quantitatem valore suo multum excedant. 43

Ad Argumentum in contrarium allatum dico, per *citt.* ibi Leges cuique licitum esse pacta inire circa rem suam, non tamen quæcunque, sed illa tantùm, quæ Juri sunt consona. *Ad Conf.* negatur paritas cum venditione; nam in hac nullum est periculum Usurariæ; non magnum autem alterius iniquitatis; cùm enim res ferè pretio justo venire soleant, injuriam, aut damnum non patitur 44

titur Emptor, si pretio ad tempus solutioni præfixum non numerato, res pro inempta habeatur.

45 Quæritur 3. quo Jure irritum sit Pactum Legis Commissoriæ additum Pignori? Resp. probabiliùs irritum esse solo Jure positivo; nam hoc secluso, non apparet, quare non Creditor pacisci possit, ut debitor in pœnam fidei non servatæ Pignus committat, etiamsi æstimatio Pignoris excedat debiti quantitatem, modò excessus sit moderatus. Imò juxta Bartolum, & communem aliorum nec Jure positivo absolutè reprobatur, sed solùm tunc, quando Pignus datur in solutum in pœnam commissi.

46 Hinc ajunt, si inter Creditorem, & Debitorem conventum sit hoc modo, ut si debitum intra constitutum tempus non fuerit solutum, Pignus sit emptum, aut in solutum datum creditori justo pretio, seu quanti tunc arbitrio boni viri, vel Judicis æstimabitur, ejusmodi Pactum tenere etiam de Jure positivo; neque enim in tali casu, si propriè loquamur, intervenit Pactum Legis Commissoriæ, cùm non id agatur, ut debitor absolutè perdat Pignus, unà cum excessu ultra debitum, & Creditor aliquid ultra sortem accipiat; sed solùm, ut cogatur debitor Pignus justo pretio vendere, quod licèt sit aliquod onus, non tamen imponitur vi mutui dati, sed in pœnam debiti statuto tempore non soluti, & in Creditoris indemnitatem.

47 Addidi *justo pretio*; nam etsi hoc quidam extendant ad Pactum, quo Creditor cum debitore convenit, ut in pœnam solutionis non factæ statuto tempore venditum sit Pignus pretio determinato, quod sit minus justo, meritò tamen hujusmodi Pactum ab aliis reprobatur cum Covar. Palao &c. Neque est paritas cum priore casu; nam in hoc Creditor occasione dilatæ solutionis acquirit aliquid ultra sortem, & debitor damnum in Pignore patitur, quod ne fieret, irritatum Lege est Pactum Commissorium.

48 Quæritur 4. an si paciscentes non addant, ut pignus ob solutionem non factam sit venditum justo pretio, sed solùm dicant, *sit venditum*, justum adhuc sit Pactum? Affirmant Tiraquell. Bartol. & alii: negant non pauci apud Gonzal. *in c. significante 7. h. tit. n.* 11. quia, ut ajunt, talis conventio æqualem captionem, & asperitatem habet, ac Lex Commissoria, cùm vis, & potestas utriusque pacti eò recidat, ut Creditor pro debito ad diem non soluto consequatur dominium Pignoris, quod fortè majoris est pretii, & æstimationis, quàm debitum.

49 Tenenda via media, & dicendum cum communi DD. post Covar. tenere ejusmodi Pactum, si subintelligatur pretium justum postea designandum. Et hac via potest defendi, quod habetur *l. fin. pr. ff. de contrah. empt.* ubi sustinetur Pactum Commissorium, in Pignore interpositum inter debitorem, & fidejussorem, etsi non fuerit adjecta mentio justi pretii. *Proceditque hoc*, etsi debitum, quod solvere debuisset debitor, si paulò minus, quàm res oppignorata valeat; nam ejusmodi Pacta etiam in foro conscientiæ tolerantur tum ratione pœnæ Conventionalis, tum ratione compensationis alicujus ob periculum, quod non rarò fidejubentes manet, ut docet Molin. *tr.* 2. *de J. & J. D.* 334. *n.* 5. quamvis moneat, consulendum esse hominibus, ut ab hujusmodi Pactis abstineant.

50 Quæritur 5. an licitum sit Pactum Legis Commissoriæ, si non ab initio, vel in continenti, sed ex intervallo adjiciatur? Affirmant Bartolus, Abbas, Negusantius, Hunnius &c. & fundamentum huic suæ opinioni accipiunt ex *l. Titius* 34. *ff. de Pignorat. act.*

Sed verius est esse illicitum, etiamsi adjectum sit ex intervallo, ut rectè Covar. *l.* 3. *var. c.* 2. *n.* 8. Zoes. *ff. h. tit. num.* 19. Pirh. *hic num.* 32. Haun. *tom.* 4. *tr.* 10. *n.* 931. Constat ex *l. fin. C. de Pact. Pignor.* ubi generaliter prohibetur Pactum Legis Commissoriæ. Accedit ratio, quia non minor subest suspicio fraudis, & usuram non minùs sapit ex intervallo additum, quàm initio statim adjectum. Certè parum interest ad Usuram, sive Creditor à Debitore ex intervallo aliquid accipiat ultra sortem ratione mutui, sive in continenti.

Ad Legem ab Adversariis allegatam expedita est responsio, videlicet casum Legis illius esse longè diversum, neque loqui Legem illam de Pacto Commissorio ex intervallo adjecto, sed de actuali venditione pro debito post moram jam à debitore contractam, prout ex textu paret.

51 Quæritur 6. an Pactum Legis Commissoriæ firmetur, & convalescat adjectione Juramenti? Resp. negativè; nam etsi ejusmodi Juramentum pariat obligationem Religionis, cùm sine peccato servari possit, & propterea eo stante Debitor debeat, quamdiu illud non relaxatur, jus tamen per illud Creditor nullum accipiat *arg. c. ex administrationis* 1. *& c. debitores* 6. *de Jurejur.* Abb. *in c.* 7. *h. tit. n.* 3. Azor. *de Pignorib. c.* 10. §. *ego verò*, Haun. *tom.* 4. *tr.* 10. *num.* 932. Pirh. *hic num.* 29. Vviest. *n.* 21. Imò si Debitor justè impeditus intra diem statutum non solvit, non obstabit Juramentum, quin, eo non relaxato, Pignus postea redimere, solutione oblata, possit, prout statuitur *c. significante* 7. *h. tit.* quia non censetur se obligasse in casum inculpabilis moræ.

Quæritur 7. an valeat hujusmodi Pactum, si debitor renuntiavit beneficio Legis prohibentis tale Pactum? Resp. negativè. Abb. *l. cit.* §. *quæres*, Pirh. *n.* 30. Ratio est, quia etsi Debitor renuntiare possit Juri principaliter introducto in suum favorem, non tamen renuntiare potest Juri, quod etiam constitutum est in odium, & pœnam Creditorum, & quidem publicæ utilitatis causa, ne fraudibus, & Usuris, ac injustitiis occasio præberetur *l. tamen* 11. junct. Gloss. *C. ad S. C. Macedon.* talis autem est Lex prohibens Pactum Commissorium. ergo renuntiatio favoris, per eam concessi, nihil operatur, sed ea non obstante, debitor semper potest, oblato debito, Pignus repetere. 52

§. V.

De Cautione Usufructuarii.

SUMMARIUM.

53 *Quid sit Usufructuarius, & quid Ususfructus?*
54 *Quid cavere Usufructuarius debeat pro securitate Domini proprietatis?*
55 *Qualis debeat esse hæc Cautio?*
56 57 *An omnes Usufructuarii præstare eandem debeant?*
58 59 *An præstari debeat in omni usufructu?*
60 61 *An possit Usufructuario remitti?*

Quæritur 1. quid sit *Usufructuarius*, & quid *Usus-fructus*? *Resp. Usufructuarius* est, cui Ususfructus est constitutus, seu concessus: *Ususfructus* verò est Jus alienis rebus utendi fruendi, salva earum substantia. *princ. Inst. de Usufr. & l. usus fructus* 1. *ff. eod.* 53

Ex quo colligitur 1. non posse constitui Usumfructum in re propria; quia est servitus, res autem sua nemini *l. uti frui* 5. *ff. cert. petat.* 2. Usumfructum propriè dictum tantùm consistere posse in rebus, quæ usu non consumuntur §. *constituitur* 2. *de Inst. de Usufr.* quia salva manere debet substantia rei in Usumfructum concessæ. 3. fructus rei in Usumfructum concessæ pertinere ad Usufructuarium, & quidem jure dominii, quod tamen ab eo priùs non acquiritur, quàm ipse illos perceperit §. *is verò* 36. *Inst. de Usufruct.* Hinc si Usufructuarius, maturis licèt fructibus, decesserit, ii ad hæredes illius non pertinent, sed domino proprietatis acquiruntur §. *is verò cit.*

Amittitur Ususfructus morte naturali, vel civili Usufructuarii §. *finitur* 3. *Inst. de Usufruct.* non tamen per Ingressum Religionis, sive Professionem, etsi hæc aliàs morti civili æquiparetur; nam tunc acquiritur Monasterio, si hoc sit capax bonorum in communi, quamdiu vivit Professus, ut ex communi docet Pirh. *hic numer.* 36. *not.* 5.

Quæritur 2. quid cavere debeat Usufructuarius pro securitate domini proprietatis? Resp. Cautio, in Contractu Ususfructus addi solita, diversa est pro diversitate bonorum, quæ in Usumfructum concessa sunt; nam si Ususfructus sit propriè dictus, & constitutus in rebus, quæ usu non consumuntur, Usufructuarius cavere debet, quòd velit uti re, in Usufructum sibi concessa, salva ejus substantia, h. e. ea moderatione, ut non pereat, deterioretur &c. & finito usufructu eam restituere, si adhuc extet, vel si culpa ejusdem interiit, æstimationem illius. Ita habetur *c. fin. h. tit. & tot. tit. ff. de Usufruct.* 54

Si verò Ususfructus sit improprius, sive constitutus in pecunia, aut aliis rebus fungibilibus, quæ ipso usu consumuntur, Usufructuarius solùm cavet, se finito usufructu tantam, v. g. pecuniæ quantitatem, quantam accepit, vel aliam rem fungibilem ejusdem valoris, & qualitatis, vel istius æstimationem restiturum *c. fin. cit. & l.* 2. 4. 7. *ff. de Usufruct. ear. rer. quæ us. consum.*

Quæritur 3. qualis debeat esse hæc Cautio? Resp. debet esse idonea, videlicet Pignoratitia, vel fidejussoria, 55

ria, siquidem Pignora, aut Fidejussores invenire Usufructuarius possit, ut decisum est *c. fin. cit.* & apud DD. passim receptum.

Dubitatur, an eo casu, quo obstante inopia dare Pignora, aut Fidejussores invenire non potest, admitti possit Cautio Juratoria? In cujus dubii resolutione multùm variant DD. ut videre est apud Fachin. *l.* 8. *contr. c.* 40. Optimè Menoch. *de arbitr. c.* 139. *n.* 2. id relinquit arbitrio Judicis, qui qualitatem personæ Usufructuarii perpendat, & siquidem sit honestæ, ac probæ vitæ, ita, ut nullum sit interitus, vel deteriorationis, aut corruptionis periculum, Cautionem Juratoriam ab inope Usufructuario admittat. Si verò persona Usufructuarii suspecta sit, eam rejiciet, & Usufructuario Proprietarium, tanquam custodem adjunget, vel rem fructuariam sequestrabit apud virum bonum, qui eidem fructus præstet.

56 Quæritur 4. utrum Cautionem hanc præstare omnes Usufructuarii debeant? Resp. regulariter præstandam esse ab omnibus, ut habetur *l. si cujus* 13. *pr. ff. de Usufruct.* & ratio additur, quia sicut usufructuarius potest uti re fructuaria, ita & dominus proprietatis securus esse debet de proprietate.

Excipitur tamen 1. Pater, qui Usumfructum legalem habet in bonis Adventitiis filii; nam huic Jura remittunt hujus cautionis necessitatem *l. cùm oportet* 6. §. *non autem* 2. & *l. fin.* §. *sin autem* 4. *C. de bonis, quæ liberis &c.* Mater verò non excusatur à cautione ista præstanda, si usumfructum in bonis filii habeat *l. hac edictali* 6. §. *his illud* 1. *C. de secund. nupt.* Ratio discriminis est; quia Usufructus ad Patrem spectat virtute patriæ potestatis, quæ potestas non datur in matre §. *fœminæ* 10. *Instit. de Adoption.*

57 *Excipitur* 2. Fiscus; nam hic non solet satisdare *l. legatorum* 1. §. *si ad fiscum* 18. *ff. ut legatorum*, *l. nisi* 3. §. *item* 5. *ff. si cui plus &c.* Ratio est, quia semper præsumitur esse solvendo *l. si maritus* 2. *ff. de fund. dotal.*

Excipitur 3. Usufructuarius, cui in diem certum proprietas relicta est *l. si ususfructus* 9. §. *planè* 2. *ff. Usufructuar. quemad. caveat*; quia cessat cautionis præstandæ ratio, cùm proprietas ad ipsum spectet, hinc in casu *l. pecuniæ* 8. *ff. de aliment. vel cibar.* non cavet Usufructuarius; quia proprietas quoque ad ipsum spectat.

58 Quæritur 5. utrum cautio ista præstari debeat in omni Usufructu? Resp. præstari debet in omni Usufructu, quomodocunque constituatur, sive à Lege, sive à Judice, sive Testamento, aut Contractu, sive ipso Jure, sive tuitione Prætoris *l. si usufructus* 9. §. *illud* 1. *ff. Usufructuar.*

59 Neque refert, sive is constituatur à vero domino, sive ab eo, qui tantùm habet dominium utile, ut Superficiarius & Emphyteuta *l. non solùm* 1. *pr. ff. quib. mod. ususfruct.*

Imò præstanda est, etsi non Ususfructus, sed aliud quid sub appellatione Ususfructus relinquatur v. gr. habitatio, vel operæ servorum, aut animalium, messis, aut vindemia *l. huic* 5. §. *& si* 3. *ff. Usufructuar.*

Item si non Ususfructus, sed usus tantùm relictus est *l. huic cit.* §. *si sed* 1. *& l. usu* 11. *ff. eod.* Distinguitur *Ususfructus* ab *Usu* tantum, quia *Usus* est jus utendi tantùm, non autem fruendi re aliena, salva ejus substantia: qui usum habet, uti solùm re aliena potest ad suum, & suorum commodum; qui Usumfructum, rem illam etiam alteri utendam potest concedere; hoc enim est frui.

60 Quæritur 6. an Cautio ista Usufructuario remitti valeat? Resp. distinguendo inter Usumfructum relictum Testamento, & inter eum, qui constitutus est contractu inter vivos. *In hoc posteriore* Cautionem istam à constituente remitti posse communis est doctrina apud Haun. *tom.* 1. *tr.* 3. *n.* 110. *In priore* Cautio ista à Testatore probabiliùs remitti nequit, ut clarè habetur *l. si ususfructus* 1. *C. de Usufruct. l. scire* 7. *C. ut in possession. legat.* quæ Leges cum expressè loquantur de Testatore Usumfructum relinquente, ad Usumfructum inter vivos constitutum extendi non debent.

61 Addidi autem *à Testatore*; nam ab hærede etiam in Usufructu, testamento relicto, remitti Cautio ista potest, ut rectè Gloss. *in l. cit. V. cautionem*: & ratio est, quia hujusmodi remissio Testatori denegatur in favorem hæredis, in cujus favorem Cautio est introducta; favori autem pro se præcisè introducto quilibet renunciare potest. ergo &c.

TITULUS XXII.

De Fidejussoribus.

Altera Idoneæ Cautionis species, ut *Tit. præc. in princ.* dictum est, est *Cautio Fidejussoria*, qua quis Creditorem fide sua securum esse jubet *l. ubi* 57. §. *qui verò* 6. *in fin. ff. de V. O.* sive alienam obligationem suscipit in eventum, quo eam debitor non est impleturus.

§. I.

De Fidejussionis Natura, Varietate, & Requisitis.

SUMMARIUM.

1 *Definitio Fidejussionis.*
2 *Essentialia ejusdem.*
3 *Divisio in Voluntariam, & necessariam; Judicialem, & Extrajudicialem.*
4 *Principalem & Succedaneam; Simplicem, & Indemnitatis; Idoneam, & non Idoneam.*
5 6 7 *Quando adhiberi Fidejussores possint?*
8 9 *An possint se obligare in plus, seu majorem summam?*
10 11 12 *An casu, quo Fidejussor se obligavit in plus, obligatio Fidejussoria tota sit inutilis?*

Quæritur 1. quid sit *Fidejussio*? Resp. *Fidejussio* dicitur à *Fide*, & *Jussu*, vel *Jussione*; quia, qui fidejubet, alterum de sua fide certum esse jubet *l. ubi autem* 75. §. *qui verò* 6. *in fin. ff. de V. O.* Aliàs latinè appellatur *Intercessio*, Germanicè *Birgschafft*. Definitur: quòd sit *Contractus, in quo quis promittit se soluturum, quod debet alius, si debitor principalis non solverit.* Ita quoad sensum DD. omnes. Is, qui ita promittit, & obligationem alienam in se suscipit, *Fidejussor* dicitur. 1

De Jure Civili Fidejussio est species aliqua stipulationis, & cons. certam requirit verborum formam *l. Græcè* 8. *pr. ff. & l. blanditus* 12. *C. h. tit.* Canonico tamen Jure ad certa verba non restringitur: imò hodiernis moribus, & generali usu Germaniæ nostræ valet etiam per Epistolam, & Procuratorem inter absentes contracta, teste Harprecht §. *fin. Inst. h. t. n.* 3. Struv. *Exercit.* 47. *th.* 37. Stryck. *ad hunc tit.* §. 1. Magnif. P. Schmier *c.* 4. *de Pact. & Contract. n.* 47.

Ex essentia supponit obligationem in eo, pro quo fit; 2
nam Fidejussoris obligatio est accessoria obligationi principali §. *in omnibus* 1. *& §. fidejussor* 3. *Inst. h. tit.* ubi præter alios latè Harprecht. Ex quo

Sequitur 1. non esse propriè Fidejussorem, qui pro alio debitorem se principalem constituit; quia non obligatur accessoriè, & in defectum alterius.

Sequitur 2. si principalis obligatio sit omnino invalida, etiam Fidejussoriam invalidam esse *l. qui contra* 10. *l. fidejussor.* 16. *pr. l. si à reo* 70. §. *si à furioso* 4. *de fidejuss.* & ratio est, quia deficiente principali, etiam non subsistit, quod ei est accessorium. *Reg. cùm principalis* 178. *ff. & Reg. accessorium* 42. *in* 6. Et hinc

Sequitur 3. si quis fidejubeat in promissione Usurarum, vel rei temporalis pro Beneficio Ecclesiastico, vel alia re, aut Jure Spirituali, vel quod huic annexum est, Fidejussionem irritam esse; quia hujusmodi promissiones Jure sunt reprobatæ: & idem dicendum de cæteris Contractibus, sive deinde illi ex ipsa rei natura, sive ex humani Juris dispositione reprobentur.

Quæritur 2. quotuplex sit Fidejussio? Resp. quinque 3
potissimùm reperiri ejusdem divisiones. 1. dividitur in Necessariam, & Voluntariam. *Necessaria* dicitur, quæ à Lege, vel Magistratu exigitur: cujus exemplum habetur *l. si cujus* 13. *ff. de Usufruct.* *Voluntaria* est, quæ talem exactionem non habet. Gloss. *in l.* 7. §. 1. *ff. qui satisdar. cog.*

2 In Judicialem, & Extrajudicialem. *Judicialis* est, qua Fidejussor constituitur in Judicio: & hæc propriè *Satisdatio* appellatur. *Extrajudicialis*, qua constituitur Fidejussor extra Judicium: & hæc generis nomen retinet, & in Contractibus potissimùm adhibetur. Fidejussor Judicialis, si caveat de Judicio sisti, *Vas*; si de judicato solvendo, *Præs* nuncupatur. Vinn. *Inst. in princ. h. tit.* aliique DD.

3 In Principalem, & Succedaneam, *Principalis* est, 4
qua Fidejussor se obligat pro debitore principali *l. si plures* 27. §. *præterea* 2. *& §. si fidejussor* 4. *ff. h. tit.* *Succedanea*, qua Fidejussor pro Fidejussore intercedit *l. Græcè* 8.

8. §. *fin. ff. eod.* cujusmodi Fidejussor succedaneus Germanicè appellatur *Rudhbirg*.

4 In Fidejussionem simplicem, & Indemnitatis. *Simplex* est, qua quis pro debito se simpliciter obligat, & omittit solvere Creditori, quod alius ei debet. *Fidejussio indemnitatis* autem, qua quis se obligat in residuum, atque in eum casum, quo debitum integrum reditor aliàs non potest consequi. Fidejussor indemnitatis in vulgari nostra dicitur *Schadlosbirg*.

5 In Fidejussionem idoneam, & non idoneam. *Idonea* est, qua Creditori de receptione debiti cautum est r Fidejussorem idoneum, seu talem, qui simul facultes tantas habeat, ut Creditor probabiliter servari innis possit, & simul facilè conveniri, ac solutio ab dem impetrari possit. *Non iconea Fidejussio* est, quæ à reditore licitè recusari potest; quia videlicet Fidejussor on est satis locuples pro quantitate rei debitæ, vel salm difficulter conveniri potest.

Quæritur 3. quando adhiberi Fidejussores possint? esp. licentia adhibendi Fidejussores est amplissima; um 1. adhiberi possunt in omnibus conventionibus, ve obligationibus, sive deinde illæ contrahantur re, ve verbis, litteris, aut solo consensu. *Excipitur* obliitio dotis, nam pro ista conservanda, aut restituenda, nstante Matrimonio, Fidejussores à marito nec exigi, c dari possunt *l. sive 1. & l. seq. C. ne fidejussor. dot. den*r. Rationem ibi dat Imperator, *ne causa perfidiæ geretur in connubio:* quod utrique fieret, si uxor plus fii alienæ, i. e. Fidejussoris extranei tribueret, quàm sius mariti, cui tamen corpus, & vitam credidit. *rocedit* autem hoc de uxore; nam si extraneus dom dedit pro muliere cum obligatione eam sibi redndi, soluto Matrimonio, is rectè Fidejussionem exit, cùm eo casu cesset prohibitionis ratio, & diffintia non sit penes uxorem, sed penes extraneum. rez *in l. cit. n.* 5. Molin. *tr. 2. de J. & J. D.* 425. *n.* 2. onig *hic num.* 14.

2 Parum refert, sive obligatio principalis, cui adiitur fidejussio, sit naturalis, & civilis simul, sive naralis tantùm, ut siquis pro Servo, vel pro Pupillo, e Tutoris authoritate contrahente, fidejubeat; nam si ejusmodi pupillus ex eo Contractu naturaliter som obligetur, ipse tamen Fidejussor ejusdem obligatur etiam civiliter, & efficaciter *l. naturaliter* 13. *ff. condict. indebit. l. Marcellus* 25. junct. Gloss. *V. oblito ff. h. tit.* Pirh. *hic n.* 3.

3 Nihil refert, an obligatio oriatur ex Contractu, l quasi Contractu, aut ex delicto, vel quasi delicto; m Fidejussores dari possunt etiam in causa criminali, agatur civiliter, vel criminaliter quidem, non tamen pœnam sanguinis, aut aliam corporalem *l. siquis* 56. *fin. ff. h. tit. & l. si à reo* 70. §. *fin. ff. eod.* parum enim ctoris, & Fisci interest, an mulcta pecuniaria solvatur eo, vel à fidejussore: multum autem interest, si ingenda sit pœna corporalis; cùm enim nemo sit donus membrorum suorum, non potest quis pro alio istam se obligare.

4 Potest etiam Fidejussor pro Fidejussore accipi *l. Græ*8. §. *fin. ff. h. tit.* imò id frequens est, ut debitor incipalis Fidejussori suo constituat alium Fidejussom, qui priorem indemnem servet, ut notat Laym. 3. *Theol. Mor. tr.* 4. *c.* 29. *n.* 2.

5 Denique Fidejussio adhiberi potest obligationi etm futuræ tantùm, quo casu fidejussio resolvitur in nditionalem, & interim in pendenti est, donec poitur obligatio principalis, ea autem non posita, evascit, ut rectè advertit Konig *hic n.* 15.

Quæritur 4. in quid obligare se vel obligari Fidessores possint? Resp. Fidejussores pro alio intercendo se obligare possunt in eam summam, quam incipalis debet, vel etiam in minorem, sive in ejus rtem duntaxat, ita ut si v. g. debitor principalis deat 100. ipse tantùm obligetur in 50. vel 20. *l. fidessores 9. ff. h. tit.*

Dubium est, an etiam in summam majorem, quàm bitor principalis debeat, obligari Fidejussor possit? *Rationem dubitandi facit*, quia Fidejussor potest obligari us, seu arctiùs, & magis, quàm obligetur Debitor incipalis, ita, ut cùm iste obligatur solùm naturali, & inefficaciter, ipse obligetur etiam civiliter *l. fidessor* 16. §. *Fidejussor* 3. *ff. h. tit.* cùm ille obligatur simiciter, ipse obligetur sub instrumento habente paratam ecutionem, vel sub Hypotheca *l. creditori* 2. & *l. pioribus* 25. *C. h. tit.* cùm ille obligatur sine Juramento, sine pœna conventionali, ipse obligetur sub Juramen, vel sub pœna conventionali, si ipse in mora sit. loss. *in l. sicut* 65. *ff. h. tit.* Gomez *l.* 2. *var. c.* 13. *m.* 1. Molin. *tr.* 2. *de J. & J. D.* 541. *numer.* 7. Zoes. *ff. h. tit. num.* 13. Pirhing *hic num.* 6. Vviest. *num.* 20.

Sed licèt hæc ita se habeant, adhuc tamen dicen- 9
dum, quòd Fidejussor in plùs, seu summam majorem, quam principalis debet, obligari de jure nequeat §. *fidejussores* 5. *Inst.* & *l. Græcè* 8. §. *illud* 7. *ff. h. tit.* Ratio est, quia, ut dictum est *num.* 2. Fidejussoris obligatio accessoria est; absurdum autem est, plus esse in accessione, quàm sit in re principali. Accedit, quia ab æquitate est alienum, ut ejus, qui nullo Jure cogente, & solo proximi amore ductus, fidem suam pro altero interponit, gravior, & damnosior sit conditio, quàm ipsius principalis: quod fieret, si fidejussor in plus obligari posset, quàm obligetur Debitor principalis.

Ad rationem dubitandi nego paritatem; nam in casibus ibi expressis Fidejussor non obligatur ad plus extensivè, seu ad majorem summam, seu ad magis intensivè, seu arctiùs, & efficaciùs, quod non repugnat, ut communiter advertunt DD.

Quæritur 5. an casu, quod Fidejussor in plus se obligavit, quàm debeat principalis Debitor, Fidejussoria obligatio omnino, & in totum sit inutilis, an verò solùm quoad excessum? Totam obligationem eo casu tolli existimat Fachin. *l.* 8. *contr. c.* 51. cum pluribus à se *citt.* propter textum *l. Græcè* 8. §. *illud* 7. *ff. h. tit.* ibi *Placuit eos omnino non obligari.* ergo nec obligantur ad summam concurrentem debiti principalis. *Conf.* quia ejusmodi fidejussio æquiparatur cum ea, qua Fidejussor purè promisit, quod principalis debet sub conditione, quæ tota inutilis est. 10

Sed verius est, eo casu obligationem Fidejussoris solùm tolli quoad excessum, ut bene Gloss. *in l. cit. V. omnino non*, Gomez *l.* 2. *var. c.* 13. *num.* 2. Molin. *tr.* 2. *D.* 541. *n.* 3. Perez *in C. h. tit. num.* 16. Zoes. *ff. eod. num.* 9. Brunnem. *ad l. Græcè* 8. *ff. h. tit. n.* 4. Stryck. *Us. mod. tit. cit.* §. 9. Pirh. *hic num.* 7. Konig *num.* 19. Vviest. *num.* 20. Ratio est, quia quantitas minor inest majori, ita, ut majorem promittens etiam minorem promisisse censeatur. 11

Ad Argumentum sumptum ex *l. Græcè cit.* aliqui putant pro *omnino non* legendum *non omnino*: & esto, accipienda esse verba illa, prout jacent, satis ex textu liquet, illa solùm referri ad excessum; quia Ulpianus ibidem ait, *commune esse universis, qui pro aliis intercedunt, ut in duriorem causam non obligentur;* est autem indubitati Juris *l. hactenus* 11. §. *si quis* 1. *ff. de constitut. pecun.* & *l. rogatus* 33. *ff. mandat.* quòd intercessores cæteri, nempe constitutores, & mandatores, si pro majori summa intercedant, obligentur ad summam in principali obligatione comprehensam. ergo & fidejussores obligabuntur. *Ad Conf.* negatur paritas; quia pura obligatio non inest conditionali, sicut tamen obligatio minoris summæ inest obligationi summæ majoris: cùm igitur excessus à principali debito separari possit, procedit Regula, quòd utile per inutile vitiari non debeat. *Reg.* 37. *in* 6. 12

§. II.

De iis, qui fidejubere pro aliis possunt, vel non possunt.

SUMMARIUM.

13 *Fidejubere non possunt Pupillus, & Minor sine authoritate Tutoris, vel Curatoris.*
14 *Servus, nisi jussu domini, aut ex re peculiari.*
15 *Miles.*
16 *Religiosus absque consensu sui Prælati.*
17 *Clericus cum limitatione.*
18 *Prælatus cum distinctione.*
19 *Mulier.*
20 21 22 *Casus excepti, in quibus mulier tenetur Fidejussione.*
23 24 *An possit mulier renuntiare beneficio S. C. Vellejani?*
25 *Resolvitur affirmativa.*
26 *Respondetur ad Argumenta opposita.*

Regulæ generalis instar est, quod fidejubere omnes possint, qui possunt se obligare, nisi specialiter prohibeantur, prohibentur autem præter infantes, furiosos, & his similes. 13

I. *Pupillus*, nisi accedat authoritas Tutoris; quia sine isto obligari non potest §. *neque* 1. *Inst. de authorit. Tutor.*

II. *Minor* habens Curatorem; nam hic sine Curatoris sui authoritate non potest pro alio intercedere, ut rectè Haun. *tom.* 3. *de J. & J. tr.* 9. *n.* 58. *Excipitur*, si fidejubeat

jubeat pro Patre incarcerato; nam pro hoc Fidejussio Minoris tenet, eumque obligat etiam civiliter: imò si hoc non faceret, posset exhæredari, si sit masculus, & octodecim annorum.

Addidi *Habens Curatorem;* nam si Curatorem non habeat, tenetur quidem fidejussione à se facta, sed læso succurritur per beneficium restitutionis in integrum: quod ipsum beneficium datur etiam minori, si fidejusserit cum Curatore suo, & ita fidejubendo læsus sit, Gomez. *l.* 2. *var. c.* 13. *num.* 19. Molin. *tr.* 2. *de J. & J. D.* 540. *num.* 25.

14 III. *Servus*, nisi jussu domini, vel ex re peculiari fidejubeat *l. servus* 19. & *l. sed & si* 20. *ff. h. tit.* quia extra istam non habet, ex quo fidem suam liberare, & pro debitore principali solvere possit.

Intelligi autem hoc debet de servis propriè dictis; nam qui impropriè tales sunt, quales sunt Adscriptitii, & Originarii, aut ii, quos propter quandam cum Servis similitudinem homines proprios, vulgò *leibeigne* vocamus, fidejubere pro aliis possunt, ut rectè Zoes. *ff. h. tit. n.* 3. Vviestner *hic n.* 4. & ratio est; quia reipsa homines liberi sunt, & habent bona propria, quæ alienare possunt.

15 IV. *Miles*, qui in castris, atque expeditione versatur, & stipendia meret *l. de die* 8. §. *qui mulierem* 1. *ff. qui satisdar. cog. l. milites* 30. *ff. locat.* & *l. milites* 15. *C. de re militar.* quia forensium negotiorum occupatio eos à militiæ studio avocare non debet, quod facilè fieret, si dum militandum est, exactionibus ob Fidejussionem interpositam vexari possent. Hinc etsi fidejusserint, Fidejussione solvuntur, nisi in rem suam fidejusserint.

Proceditque hoc etiam de Militibus nostri temporis, in expeditione versantibus, ob rationis identitatem, ut rectè Harpprecht *Inst. princ. h. tit. n.* 79. Konig *hic n.* 12. Vviest. *ibid. n.* 6.

16 V. *Religiosus*; nam hic, ut fidejubere possit, opus habet consensu Prælati, & majoris partis Capituli, in Religionibus, ubi capitulariter proceditur: in cæteris, ubi Capitulum seu Conventus non congregatur, sufficit, si Religiosus fidejubendi facultatem à Superiore suo habeat, modò Fidejussio non fiat cum notabili damno Collegii, nec ultra quantitatem in hoc genere definitam *c. quod quibusdam* 4. *h. tit. & c. si quorundam* 2. *de Solution.*

Si absque ejusmodi facultate Religiosus fidejubeat, fidejussio non tenet, & ex ea nec Religiosus, nec Monasterium obligatur, nisi quatenus inde aliquam utilitatem percepit. Host. *in c.* 4. *cit. n.* 2. Franc. *in c.* 2. *ne Cleric. vel Monach. in* 6. *n.* 6. Molin. *tr.* 2. *de J. & J. D.* 540. *n.* 23. Pirhing *hic n.* 16. Konig *n.* 11. Vviest. *n.* 14. Ratio est, quia Religiosus non habet, ex quo Creditoribus satisfaciat, si debitor Principalis, pro quo fidejussit, deficiat.

17 VI. *Clericus*; nam hic, etsi simpliciter fidejubere possit; quia, ut colligitur ex *c. Clericus* 1. *h. tit.* verbis, *Fidejussionibus inserviens*, abusus tantummodo prohibetur: non tamen debet esse frequens in fidejubendo, præsertim pro Laico, ne videlicet Sæcularibus negotiis implicetur, & seipsum ære alieno gravet cum dedecore Status Clericalis, & damno Ecclesiæ. In uno igitur, vel altero casu, præsertim causa pietatis, & Charitatis fidejubere potest etiam pro Laico, & obligare non tantùm bona sua Patrimonialia, sed etiam reditus sui Beneficii, deque iis satisfacere, ut cum Abbate docet communis DD. *in c.* 1. & 2. *h. tit.*

Si extra ejusmodi causam fidejubeat, & res Ecclesiæ suæ obliget pro debitore, præsertim Laico, illicita quidem est Fidejussio, non tamen invalida; quia vi ejusdem obligabitur Clericus, ut Creditoribus satisfaciat pro eo, pro quo fidejussit, ex bonis suis Patrimonialibus, vel quasi Patrimonialibus, aut si ista deficiant, de ipsis Beneficii redditibus jam perceptis, retento tantùm, ne ipse egeat, prout colligitur ex *c. pervenit* 2. *h. tit.* & docet Abb. *ibid. n.* 12. Ratio est, quia *multa fieri prohibentur, quæ tamen facta roboris obtinent firmitatem*, ut dicitur *c. Ad Apostolicam* 16. *de Regular.*

18 VII. *Prælatus*, ut constat ex *can. te quidem* 29. *caus.* 11. *q.* 1. ubi fidejussio ipsis etiam Episcopis est interdicta: non tamen sine exceptione; quia ex reditibus Mensæ suæ, si id fiat ex justa causa, & non in magna quantitate, neque cum notabili detrimento Ecclesiæ, fidejubere possunt, ut advertit Sylvest. *V. fidejussor q.* 4. Sanch. *l.* 6. *moral. c.* 14. *n.* 39. cum communi DD. Ratio est, quia talis facultas pertinere videtur ad liberam potestatem administrandi, quam habet Prælatus: & cùm fidejubere sit opus Charitatis, ac beneficentiæ, non debet censeri à Prælatis Ecclesiæ alienum.

Dubitari potest, quis obligetur Fidejussione à Prælato facta? Resp. distinguendo: Vel enim Prælatus fidejussit nomine proprio, vel Ecclesiæ nomine. *Si primum*, obligabitur solus Prælatus. *Si secundum*, videndum, an Prælatus hoc fecerit, requisito consensu Capituli, vel eo non requisito, *Si prius*, obligabitur Ecclesia, vel Monasterium *arg. c. quibusdam* 4. *h. tit.* & *ibi* Canonistæ communiter. Ratio est, quia Prælatus, & Capitulum repræsentant totum corpus Ecclesiæ: si tamen per hujusmodi Fidejussionem notabile damnum Ecclesiæ inferretur, huic subveniretur remedio restitutionis in integrum *arg. c. requisivit* 1. & *c. auditis* 3. *de in integr. restit. Si verò posterius contingat*, & Prælatus consensum Capituli non requisiverit, Ecclesia autem, vel Monasterium ejusmodi Fidejussione læsum sit, ipsum, vel ipsa tali Fidejussione non obligabitur, quippe quam Prælatus fidejussione sua in damnum illius grave obligare non poterat.

VIII. *Mulier;* nam hæc fidejubere non potest, non solùm pro marito, ut antiquitus statuebatur *l. & primò* 2. *pr. ff. ad S. C. Vellejan.* sed etiam pro qualibet, etiam pro omnino extranea persona *l. Vellejano* 1. §. *nam sicut* 1. *ff. & l. mulieribus* 1. *C. ad S. C. Vellejanum*; quibus textibus mulier, à Fidejussionibus generaliter removetur propter imbecillitatem sexus, *l. fœmina* 2. *ff. de R. J. Proceditque hoc*, ut ejusmodi Fidejussione non teneantur etiam in foro conscientiæ, cons. si ex causa Fidejussionis aliquid solverint, solutum condicere, seu repetere poterunt. Imò Creditor ita solutum ante omnem sententiam tenebitur restituere; quia accepit solutionem indebiti, & soluti dominus non est effectus, cùm totam obligationem hoc casu Leges improbent *l. si mulier* 16. §. *si ab ea* 1. *ff. ad S. C. Vellejan.*

Excipiuntur tamen complures casus, in quibus mulier fidejubere potest, & fidejussionibus suis obligatur etiam civiliter. Talis est 1. si ipsa major intercedit apud Creditorem minorem, nam eo casu, si is, pro quo intercessit, non sit solvendo, ipsa conveniri potest, ne minor suo debito defraudetur *l. si apud* 12. *ff. de minor.*

2 Si in dotem alterius aliquid promiserit, vel fidejusserit *l. fin. C. ad S.C. Vellejan.* ubi ratio datur, quia *ferendum non est, quasi casu fortuito intervenien te, mulierem fieri indotatam, & sic à viro forsitan repelli.*

3 Si intercessit pro Servo, ut consequatur libertatem *l. veterum* 24. *C. eod.* quod cum aliis nonnullis Tiraquell. *caus. piæ privil.* 113. extendit etiam ad alias causas pias, ex ratione, quia id de intercessione pro Servo maximè statutum est, quòd ea sit causa pia.

4 Si sciens se ex Fidejussione non teneri, nihilominus pro alio intercedat, atque ita Creditorem ignorantem decipiat *l. si decipiendi* 36. *ff. ad S.C. Vellejan.* Idem dicendum, si præsens expressè, vel tacitè, se tamen spontè consentiret, ut bona sua à marito qua propria obligarentur *l. si sine* 5. *C. eod.* quia, ut *il* Imperator loquitur, hoc *Senatus consulto infirmitati non calliditati mulierum consultum est:* & ut *l. & primò cit.* §. *sed ita* 3. habetur: *Jura deceptis, non decipientibus opitulantur.*

5 Si pro fidejussione, quam interposuit pro extraneo, accepit pretium *l. antiquæ* 23. *C. eod.* quod tamen intelligendum est, non de quocunque minimo pretio, sed de tali, quod respectu periculi fidejussionis, si venderetur, justum foret, ut rectè Brunner *in l. cit. n.* 2. quia eo casu censetur intercessisse non tam imbecillitate sexus, quàm cupiditate lucri ducta, ac proinde indigna videtur beneficio SCti, ut post quod quasi pretio nummario æstimavit.

6 Si id, pro quo se obligavit, aut fidejussit, debeat Creditori æquivalenter, ut si fidejusserit pro debitis defuncti, cujus hæreditatem ipsa ab hærede emit, aut si fidejusserit pro illo, qui in æquali quantitate pro ipsa fidejussor extitit; vel denique si fidejusserit pro suo Creditore, cui tantundem ipsa debet *l. sed eum* 3. *l. aliquando* 13. *l. si mulieri* 22. *l. debitrix* 2. *ff. ad S. C. Vellejan. l. frustra* 2. *C. eod.*

7 Si postquam ipsa se, vel res suas pro extraneo obligavit, integro biennio à prima obligatione elapso, pignus dedit, aut obligationem innovavit *l. si mulier* 22. *C. eod.* Hoc tamen non habet locum, si initio pacta fuit de dando Pignore, vel obligatione post biennium innovanda; hoc enim non esset innovare, sed obligationem priorem exequi.

8 Denique Tabor *in not. ad Colleg. Argent. h. t. th.* apud Konig *hic num.* 13. docet S.C. Vellejanum cessare apud fœminas illustres, quæ ipsæ Regnis, ac Territori præ-

..sit, & Majestatem, vel Regalia habent, ac pro-de..stas efficaciter fidejubere posse.

Dubium esse potest, an S. C. Vellejanum mulieri ad-c..rosit, si beneficio illius renuntiavit? Satis con-ni..inter DD. non prodesse illud mulieri, in tribus ..ibus casibus. 1. Si fidejussionem confirmavit ..ento; quia observantia renuntiationis per ejus-..od Juramentum confirmatæ vacat omni culpa, ac ..ile locus est Regulæ *c. quamvis* 2. *de Pact. & c. ..ontingat* 28. *de Jurejur.* & Juramentum est obser-..nam. 2. Si pro aliquo fidejussit Instrumento publi-.., dhibitis tribus testibus; tunc enim valet fidejus-.., & fidejubens obligatur naturaliter, & civiliter *l. ..iua* 23. §. *fin. C. ad S. C. Vellejan.* Obtinuit au-..consuetudo, ut sufficiat subscriptio Notarii Publi-.., præsentibus tribus testibus. 3. Si renuntiatio facta ..presse, & in particulari, coram publico Magi-..ai. Less. *l.* 2. *de J. & J. c.* 27. *n.* 16.

Controversia major est in Renuntiatione simplici, ..jurata, aut aliis instructa solemnitatibus. In qua ..ivam defendunt Vinn. *select. qq. l.* 1. *c.* 48. Zoes. *ff. ..C. Vellejan. num.* 17. Præn. D. Dominicus de Bas-..cis. *Justinian.* 18. *num.* 10. D. Gletle *p.* 3. *Pandect. ..num.* 10. P. Vviest. *hic num.* 9. Fundantur triplici ..he. 1. Quia favor iste mulieribus Jure publico ..ssus est; adeoque Pactis, & renuntiationibus pri-..um non subjacet. 2. Quia fidejubere est officium ..i, & eodem modo prohibitum fœminis, sicut pro-..ur iisdem agere Judices, & alia civilia officia *l. ..mo* 2. §. *postea* 1. *ff. ad S. C. Vellejan. & l. fœminæ* 2. *..R. J.* 3. Quia si renuntiare beneficio huic possent ..næ, finis, per illius concessionem à Jure inten-..facilè eludi posset; nam ideo beneficium hoc il-..atum est, ut fragilitati, & imbecillitati earum ..leretur. atqui parum huic consuleretur, si post ..tiationem hujus privilegii non ampliùs prodes-..sis hoc SCtum, utpote quæ eadem facilitate ad ..tiandum huic privilegio, qua ad fidejubendum, ..i possent. ergo &c.

S.. tenenda sententia affirmativa, utpote in Theo-..etior, & in praxi receptissima, ac dicendum, ..beneficium non prodesse fœminæ, quæ privilegio ..renuntiavit, si antequam renuntiaret, de eodem ..ienter fuit edocta. Ita Gaill. *l.* 2. *obs.* 77. Fachin. *..ontr. c.* 60. Perez *in Cod. tit. ad S. C. Vellejan. n.* 23. ..ld. *ad ff. eod.* §. 9. *in fin.* Lauterbach. *ibid.* §. 24. ..k. *us. mod. ibid.* §. 18. *& seqq.* Clariss. D. Rudolphi *in ..togat. Pallad. q.* 32. Clariss. D. Franz. *in Jurispr. ..upl. q.* 10. *n.* 14. Magnif. P. Schmier *c.* 4. *de Pact. & ..ract. n.* 68. Ratio est 1. quia hoc S. C. principali-..atum est in favorem, & commodum mulierum *l. ..mo cit.* §. *verba* 2. *ff. ad S. C. Vellejan. l. qui exceptio-..*10. *pr. ff. de condict. indebit.* igitur renuntiari eidem ..t ex Regula communi, qua quisque dicitur re-..iare posse favori principaliter propter se introdu-.. 2. Mulier subinde tenetur renuntiare huic SCto, ..ita, si Judicium velit suscipere pro debitore, pro ..intercessit *l. fin.* §. *mulier.* 4. *ff. ad S. C. Vellejan.* aut ..icem liberorum agere *Auth. matri, & aviæ C. ..d. mulier. &c. Novell.* 118. *c.* 5. igitur supponitur, ..renuntiare eidem beneficio possit. 3. Juxta dicta .. mulier non juvatur hoc SCto, si sciens se non ..i, fidejussit. ergo eodem non juvabitur, si de eo ..ienter edocta, renuntiationem fecit.

..gumenta opposita sic dissolvuntur. *Ad* 1. Benefi-.. per hoc SCtum indultum mulieribus, introdu-.. quidem est à Jure Publico, sed non immediatè ..onum publicum: nam per se, & principaliter mu-..m favorem respicit: in quo differt à S. C. Macedo-..o, quod respicit immediatè, & principaliter com-..um Reip. cùm istius intersit, filiorumf. mores ser-..integros. *Ad* 2. munus fidejussionis muneribus ci-..us conjungitur, non quòd species quædam muneris ..is sit (nam invitis non imponitur,) sicut tamen im-..tur munus civile *l. munus* 214. *ff. de V. S.* sed ob ..itudinem; quòd sicut in officiis civilibus requiritur ..lectus virilis, ita etiam in Fidejussione, & propte-..icut illis, ita isti se immiscere fœminam nequa-..n deceat. *Ad* 3. mulieres non esse tam faciles ad ..ntiandum, quàm faciles sunt ad fidejubendum, ..do de beneficio, quod habent ex Jure, sufficientem ..uere certitudinem; constat enim, quòd ex natura ..rctum, ac Jurium suorum valde tenaces sint, ut ..timeri non debeat, adeo facilè huic Juri, si noti-.. illius habeant, illas renuntiaturas.

§. III.

De Effectu Fidejussionis.

S U M M A R I U M.

27 *Effectus Fidejussionis est obligatio Fidejussoris, & Actio inde Creditori competens.*
28 *Habet tamen Fidejussor adversùs Creditorem primò beneficium* Ordinis, *seu* Excussionis.
29 *Casus excepti, quibus beneficium istud non competit.*
30 *Secundò beneficium* Divisionis.
31 *Sex Casus excipiuntur.*
32 *Tertiò Beneficium* Cedendarum Actionum.
33 *An absque hac cessione Fidejussori solidum solventi competat Actio adversùs Confidejussores, vel Debitorem principalem?*
34 *Exceptiones.*
35 36 *Quomodo ab obligatione sua liberari Fidejussor possit?*
37 *Quibus aliis modis finiatur Fidejussio?*

Effectus Fidejussionis duplex est, videlicet obligatio 27
Fidejussoris ad solvendum id, pro quo fidejussit, & Actio inde creditori, ejusque hæredibus adversùs eundem competens. Dixi, *pro quo fidejussit;* interest enim, in quantum fidejusserit, an scilicet in totam causam, an verò pro debito solùm, quantum id ab initio, cùm contrahebatur, fuit; nam *si hoc secundum*, ad plus non obligatur, quàm ut illud solvat: *si primum*, tenebitur etiam ad incrementum debiti, quod ex mora v. g. quoad Usuras est auctum *l. fidejussores* 68. §. *pro Aurelio* 1. *ff. h. tit. & ibi* Brunnem. *n.* 1. *l. quæro* 54. *pr. ff. locat.* ubi modò laudatus Brunnem. *num.* 1. *& seqq.* Magnif. P. Schmier *c.* 4. *de Pact. & contract. n.* 85. *&* 86. Ne verò nimis onerosa, & odiosa Fidejussio Fidejussoribus fieret, triplex maximè ipsis à Jure concessum est beneficium, videlicet Ordinis, divisionis, & cedendarum Actionum. Atque hinc

Quæritur 1. quo ordine conveniri Fidejussor à Creditore possit? Resp. olim quidem concedebatur Creditori 28
potestas conveniendi Fidejussorem æquè, ac debitorem principalem, imò illum ante istum ut habetur *l. creditori* 2. & *l. jure* 5. *C. h. tit.* Verùm hoc Jus per Jus recentius *Novell.* 4. *c.* 1. & *Auth. præsente C. h. tit.* antiquatum est ab Imperatore Justiniano, & introductum *Beneficium Ordinis*, seu *Excussionis*, quo Fidejussor à Creditore conventus, eum ad debitorem principalem remittere, & petere potest, ut priùs excutiatur iste, ejusque bona, antequam sibi fiat molestia. Prodest autem Beneficium istud Fidejussori, etiamsi is fidejussionem suam firmaverit Juramento, ut cum communi tradit Covar. *in c. quamvis de Pact. p.* 1. §. 4. *n.* 4. & ratio est, quia Juramentum sequitur naturam, & conditiones actus, sive contractus, cui adjectum est *Reg. accessorium* 42. *in* 6. fidejussoriæ autem obligationis, ut modò vidimus, ea natura est, ut Fidejussor ante debitorem principalem non conveniatur, & antè conventus excipere, ejusque excussionem petere possit, antequam solutionem ipse præstet. ergo &c.

Excipiendi tamen complures sunt casus, in quibus Ex- 29
cussio hæc omitti, & Fidejussor ante debitorem conveniri potest. Tales sunt 1. si Fidejussor renuntiavit huic beneficio specialiter, quod facere potest; quia tantùm in favorem illius concessum est. 2. Si Debitor à Provincia longè absit, vel etiam lateat, & sine magno incommodo, ac difficultate conveniri nequeat. 3. Si sit difficilis conventionis; quia potens, injuriosus, rixosus, ita, ut difficulter possit excuti. 4. Si notoriè non sit solvendo; quia frustra petitur, & instituitur excussio ejus, quem constat in bonis non habere, quod solvat. 5. Si Fidejussor malitiosè neget se intercessisse pro alio, & mendacii postea convincatur; in pœnam enim mendacii amittit privilegium. *Novell. cit.* 6. Si pro filio pater, aut alius intercessit pro eo, qui naturaliter solùm, non autem civiliter, & efficaciter obligatur; quia cùm actio adversùs istos non competat, adversùs eos non est locus excussioni.

Quæritur 2. an singuli Fidejussores teneantur in soli- 30
dum? Resp. cum distinctione: Vel enim singuli expressè se obligarunt solùm pro parte debiti, vel obligarunt sese in solidum. *Si primum*, pro illa sola conveniri possunt; quia ad plus non tenetur Fidejussor, quàm in contractu fidejussionis conventum sit. *Si secundum*, singuli quidem conveniri in solidum possunt; is tamen, qui convenitur, uti potest *Beneficio Divisionis*, & Creditorem remittere ad reliquos Fide-

i -jussores, ut etiam ipsi pro virili parte concurrant ad solutionem debiti, pro quo fidejusserunt. Obtinet autem beneficium hoc quilibet Confidejussor, ut opponere hujusmodi exceptionem possit, prout statuitur §. *si plures* 4. *Inst. h. tit. l. non rectè* 3. *C. & l. inter* 26. *ff. eod.* ne officium suum ipsi nimiùm damnosum sit.

31 *Excipiuntur* tamen sequentes sex casus. 1. Si cæteri Confidejussores non sint solvendo; cùm enim tunc divisio impossibilis sit, ille Fidejussor, qui solvendo est, solvere totum debet §. *si plures cit.* 2. Si intercesserunt pro uno Tutore rem pupilli salvam fore *l. fin. ff. rem pupilli &c.* ubi additur ratio, *ne ex una Tutelæ causa plures, ac variæ quæstiones apud diversos Judices constituerentur.* 3. Quando se intercessisse falsò, ac temere inficiati sunt *l. si dubitet* 10. §. *ita demum* 1. *ff. h. tit.* ubi Ulpianus dat rationem; quia *inficiantibus auxilium divisionis non est indulgendum.* 4. Siquis pro alio cum muliere intercessit *l. si Titius* 48. *pr. ff. h. tit.* quia, ut ibi Papinianus, *scire potuit, aut ignorare non debuit, mulierem frustra intercedere.* 5. Si quis beneficio divisionis renuntiavit *arg. l. fin. ff.* & *l. siquis* 29. *C. de Pact.* 6. Denique cùm hoc beneficio Fidejussores non juventur ipso Jure, sed ope exceptionis *l. non rectè* 3. *C.* & *l. inter* 26. *ff. h. tit.* is, qui hac omissa, solidum Creditori solvit, non potest à Creditore petere soluti partem tanquam indebitam; aut eam à reliquis Confidejussoribus postulare §. *si plures* 4. *Inst. vers. sed si ab uno*, & *l. ut fidejussor* 39. *ff. h. tit.* Porro Exceptio hæc ante sententiam definitivam opponi debet; nam post illam, saltem si sit executioni mandata, & vi illius solutio facta, opponi non ampliùs potest, ut cum Gomesio, & aliis tradit Less. *l.* 2. *c.* 27. *num.* 22.

32 Quæritur 3. quomodo succurratur Fidejussori, qui nec Ordinis, sive Excussionis, nec Divisionis beneficiis ex aliqua causa uti potest? Resp. huic superest Beneficium *Cedendarum Actionum*, vi cujus adversùs Creditorem, si hic ab eo totum debitum exigat, potest excipere, & ab eo petere, ut sibi cedat actiones, quas adversùs debitorem principalem, Confidejussores reliquos, & pignorum possessores habet §. *si quid* 6. *Inst. l. si mandatum* 13. & *l. fidejussoribus* 17. *ff. l. cùm alter* 11. & *l. sicut* 21. *C. h. tit.* Estque hoc adeo verum, ut si Fidejussor, à quo solutio totius debiti petitur, ad hoc solvendum paratus sit, sed à creditore petat cedi sibi actiones, quas habet adversùs debitorem principalem, hic verò cedere eas recuset, vel culpa sua nequeat, Creditor ab agendo repellatur: & ratio est, quia etsi cum Fidejussore non conveneris, æquum tamen est, ut huic debitum, pro quo intercessit, totum solventi actiones suas cedat, cùm hoc Creditori non noceat, plurimum prosit Fidejussori, ut se servet indemnem.

33 Quæritur 4. an absque hac cessione Fidejussori solidum solventi competat Actio adversùs Confidejussores, vel Debitorem principalem? Resp. adversùs Confidejussores nulla eidem competit *l. ut fidejussor* 39. *ff. & l. cùm alter* 11. *C. h. tit. De Debitore principali* distinguendum est: Vel enim fidejussit pro eo præsente, & vetante, & pro præsente, & sciente, aut mandante, vel pro absente, & ignorante. *Si primum*, caret actione *l. potest* 41. *ff. mandat. & l. fin. C. de negot. gest. Si secundum*, habet contra eum Actionem mandati §. *siquid* 6. *Instit. h. tit.* junct. *l. si remunerandi* 6. §. *si passus sim* 2. *ff. mandat. Si tertium*, ipsi competit Actio negotiorum gestorum *l. sed videamus* 4. *ff. de negot. gest.* junct. *l. Lucius* 38. *in fin. ff. mandat.*

34 *Excipitur* 1. si Fidejussor potuit defendere causam actione peremptoria, quæ competebat Fidejussori soli, & hanc non intendit. 2. Si potuit opponere Exceptionem Dilatoriam, vel Declinatoriam, & non opposuit. 3. Si potuit appellare, & non appellavit. 4. Si non monuit Debitorem de solutione à se facta, ac propterea debitor iterum solvit. 5. Si solvit ante diem, vel ante impletam conditionem. 6. Si solvit Procuratori Creditoris ficto &c. De quo latè Molin. *tr.* 2. *de J. & J. D.* 546. *à n.* 14.

35 Quæritur 5. quomodo ab obligatione sua liberari Fidejussor possit? Resp. Regula universalis est, quòd Fidejussor ante debiti solutionem à Creditore liberationem impetrare non valeat *l. si pro ea* 10. *ff. mandati.* Hæc tamen Regula non est perpetua, sed plures sunt casus Jure proditi, in quibus ille, etiam antequam solvat, agere adversùs Debitorem principalem potest, ut ipsum obligatione liberet.

36 Tales sunt 1. si debitor nimis diu, & culpabiliter solutionem protrahat *c. fin. h. tit.* & *l. Lucius* 38. junct. Gloss. *ibid. V. ex tempore.* & *V. condemnetur ff. mandat.* 2. Si debitor incipit labi facultatibus, & ad inopiam vergere, sicque periculum sit, ne postea non sit solvendo *c. pr. l. Lucius*, & *l. si pro ea citt.* 3. Si Fidejussor debit[...] principali à Judice sit condemnatus; cùm enim adver[...] Fidejussorem condemnatum parata sit executio, perit[...] est, acsi solvisset *c. fin. l. Lucius citt.* & *l. fidejussor* 45. *h. tit.* 4. Si Fidejussor pactum fecit cum debitore, ut p[...] certum tempus, solutione non facta, etiam eum à fi[...] jussione liberet *l. Lucius*, & *l. si pro ea citt.* quia notissi[...] Juris Regula est, Contractus à Conventione Legem [...]cipere *l. contractus* 23. *ff. de R. J.* 5. Si Fidejussor ex[...] gente, vel necessaria causa peregre sit profecturus, &[...] non reditutus *arg. l. filiusfam.* 8. §. *fin. ff. de Procur.* 6. Si graves, seu Capitales inimicitiæ ortæ sint inter [...]bitorem, & Fidejussorem Debitoris culpa; secus, si c[...]pa Fidejussoris: tunc enim agere non posset; quia al[...] in fidejussoris potestate esset se à fidejussione liberare [...] libitu. 7. Si fidejussor adveniente termino, timore p[...]næ, aut aliter offert solutionem, & quia non oportet c[...] creditori minoti dare, deponit in loco Sacro, vel de[...]tato. Plures alios Casus addunt Menoch. *de arbitr. c.* [...] Harpprecht *ad* §. 6. *Inst. h. tit.* & alii.

Quæritur 6. quibus aliis modis finiatur Fidejuss[...] Resp. 1. finitur, si debitor principalis ipse solvit debitu[...] non tamen si id, quod in solutum dedit, postea evin[...]tur. 2. Si creditor fidejussori obligationem remittat; q[...] est in favorem creditoris, & favori pro se principali concesso quilibet renuntiare potest. 3. Si Creditori fi[...]gata à Creditore liberatio *l. si testamento* 49. *ff. h. tit.* Si inter Creditorem, & Debitorem principalem fiat [...]vatio obligationis principalis, in quam fidejussor n[...] consensit, nec de novo fidejussit. *l. novatione* 4. *C. h.* 5. Si fidejussor succedat debitori in bonis, ut ejus hær[...] Si tamen obligatio fidejussoria est utilior creditori, qu[...] obligatio debitoris, tunc obligatio quoad illum excessi[...] permanet, sicut vicissim permanet obligatio debitoris, [...] debitor succedat fidejussori, & obligatio debitoris sit [...]gis utilis creditori *l. hæres* 21. §. *quod si* 3. *ff. h. tit.* 6. De[...]que juxta Baldum, & alios plures apud Gabriel. *concl. h. tit.* cessat fidejussio, si Creditor tempus proroget [...]bitori. Sed distinguendum est, an fidejussor simplici[...] datus sit, an verò intercesserit solùm ad tempus. *Si p[...]mum*, ad omnem casum, & causam obligari cense[...] donec creditori sit satisfactum. *Si secundum*, haud [...] hic ultra illud fidejussor non obligatur. Vide Berli[...] *p.* 2. *concl.* 25.

TITULUS XXIII.

De Solutionibus.

PIgnoribus, & Hypothecis, de quibus actum *T[...]* 21. & Fidejussionibus, de quibus *Tit. præc.* [...]ritò præsente *Titulo* succedit Solutio; nam in hu[...] securitatem illæ adduntur.

§. I.

De Solutionis Natura, & Requisitis, ut rite fiat Solutio.

SUMMARIUM.

1 *Diversa Solutionis acceptio.*
2 *Definitio ejusdem.*
3 4 5 *Quo loco solutio fieri debeat?*
6 7 *Quo tempore?*
8 9 *An Condictionem indebiti, quasi plus solver[...] habeat ille, qui ex errore ante tempus solvi[...]*
10 11 *Quid requiratur ex parte rei, quæ solvitur*
12 13 14 *Utrum solutio facienda sit in eadem sp[...] monetæ, in qua mutuum v. g. datum est?*
15 16 17 *An obligatus ad factum præcisè tenea[...] facere, an verò liberetur, si loco facti inter[...] solvat?*

QUæritur 1. quid sit *Solutio*? Resp. *Solutionis* non[...] dupliciter sumitur. 1. *Latè*, & *generaliter* pr[...]beratione, & satisfactione quomodocunque fa[...] *l. solutionis* 54. *ff. de Solution. l. liberationi* 47. *& l. s[...]tionis* 176. *ff. de V. S.* quo modo solvisse dicitur non [...]lùm is, qui pecuniam, aliamve rem præstitit; sed eti[...] qui compensatione, transactione, novatione, pacto [...] non petendo, aut quocunque alio modo ab obligati[...] est liberatus. Perez *in Cod. h. tit. n.* 1. Vallens. *hic num.* Konig *num.* 1. Vvieftner *num.* 11. Magnif. P. Schmie[...] 8. *de Pact. & Contract. n.* 1. Et in hoc sensu verifica[...] illud Germanicum: *Anbeisung ist ein Zahlung.* 2. *Stri[...]* & *specialiter* accipitur pro naturali præstatione, seu [...]ditione ejus, quod debetur *l. siquis* 46. *pr. l. solutam* [...] *pr. l*

pr. l. siquis 67. *l. verborum* 107. *ff. h. tit.* Et in ea significatione salvatur divetbium Germanicum, priori contrarium *Anbeisung ist kein Zahlung.* Lauterbach. *ad tit. præf.* §. 1. Hæc acceptio est præsentis potissimùm Tituli.

2 Definitur *Solutio* in hoc secundo sensu accepta, quòd *sit rei debitæ debito loco, & tempore Creditori facta redditio.* Host. *hic n.* 1. Ex quo sequitur, ut ritè fiat Solutio, requiri tria. 1. Ut id, quod solvitur, sit idipsum, quod debetur; nam, ut Paulus *l. mutuum* 2. §. *mutui* 1. *ff. de reb. credit.* monet, *invito creditori aliud pro alio solvi non potest.* 2. ut fiat debito loco; nam multum & creditoris, & debitoris interest, quo loco fiat Solutio, ut infrà dicetur. 3. ut fiat debito tempore; quia ut *l. solidum* 85. *ff. h. tit.* dicitur *solidum non solvitur non minùs quantitate, quàm die*; De his ulteriùs.

3 Quæritur 2. quo loco Solutio fieri debeat? Resp. cum distinctione: Vel enim certus locus solutioni adjectus est, vel non est expressus locus, ubi debitum solvi debeat.

Si primum, solvi debet in loco convento *l. is qui* 9. *ff. de eo, quod certo loco &c.* nec alibi à creditore peti potest, & si alibi creditor peteret, loco plus petiisse diceretur *l. arbitraria* 2. §. *siquis Ephesi* 1. *ff. eod. Excipitur* 1. si debitor nunquam ad destinatum locum veniret; tunc enim Creditor eundem etiam extra illum locum utiliter conveniret, modò loci, ubi Solutio facienda esset, mentionem faciat *l. alio loco* 1. *ff. eod.*

Si secundum, iterum distinguendum, an contractus sit merè gratuitus, an verò onerosus. *In Contractu, & Pacto merè gratuito* sufficit Solutionem fieri in loco, ubi res tempore donationis, vel promissionis fuit, neque necesse erit, ut expensis donatoris transferatur ad donatarium, aut promissarium absentem, nisi aliud actum fuerit.

In Contractu oneroso attendenda iterum est qualitas Contractus. Nam 1. si debitum veniat ex tali Contractu, in quo idem reddi debet, quod est acceptum, redditio fieri debet in loco rei acceptæ: & hinc Depositarius rem depositam reddet in loco, in quo illam custodiendam accepit, Commodatarius rem commodatam in loco, in quo commodata hæc illi est, Gibalin. *de Usur. l.* 1. *c.* 3. *art.* 4. *n.* 7.

2 Si debitum venit ex Contractu, ubi aliud accipitur, aliud præstatur, ille locus intelligitur solutioni destinatus, in quo facta est traditio rei, quæ in Contractum venit, sive deinde ibi contractum fuerit, sive non. Et hinc in Contractu Emptionis Venditionis solvi pretium debet in loco traditæ mercis, in Contractu Locationis Conductionis merces, seu pensio in loco rei ad usum concessæ, vel operæ præstitæ.

3 Si debitum enatum sit ex delicto, solutio facienda est, ubi moratur Creditor; quia Debitor ex delicto perfectè indemnem præstare Creditorem debet, Magnif. P. Schmier *c.* 8. *de Pact. & Contract. n.* 70.

Quæritur 3. quo tempore fieri solutio debeat? Resp. iterum distinguendo: Vel enim certus terminus solutioni præfixus est, vel de tempore solutionis nihil actum est inter partes.

Si primum, solutio facienda est in termino convento, etiamsi illam non urgeat Creditor; quia dies ipse interpellat pro Creditore *c. fin. de Locat. & Conduct.* & *l. magnam* 12. *C. de contrah. & committend. stipulat.* Dixi *in termino convento*, h. e. intra illum terminum; non enim prohibetur Debitor solutionem offerre Creditori ante tempus conventum, modò dies, ut communiter solet, non Creditoris præcisè, sed Debitoris gratia adjectus sit *l. quod certa* 70. & *l. quidies* 98. §. *mihi* 4. *ff. h. tit.*

7 *Si secundum contingat*, & nullus solutioni præfixus sit terminus, differri solutio poterit, donec debitum petat Creditor; quia interim cogitari prudenter potest, quòd ipse quoad dilationem solutionis invitus non sit. *arg. l. debitores* 10. & *ibi* DD. *C. de Pignorib. Excipitur* 1. nisi debitum descendat ex delicto; nam ad restituendum v. g. id, quod furto ablatum est, primum quodque tempus pro termino est, ut notat Sylvest. *V. mora q.* 1. & ex hoc Konig *hic n.* 27. *Excipitur* 2. si Creditor fortè non petat debitum ex aliqua ignorantia, timore, impotentia, vel alia causa, unde debitor possit conjicere, quòd invito Creditore solutionem differat; tunc enim si non statim solvat, erit in mora culpabili. Molin. *D.* 564. Hæc satis certa.

8 *Dubium est*, an Condictionem indebiti, quasi plus solverit, habeat ille, qui ex errore solvit hodie, quod primùm solvere debuit post semestre? Resp. cum distinctione; nam si pecunia fuit debita in certum diem, condictio indebiti ipsi non competit *l. in diem* 10. & *l. eam si* 17. *ff. de condict. indebit. Excipitur*, si Debitor probaverit, quòd ratione præproperæ solutionis tempore intermedio extra sortem aliquid Creditoris lucro cesserit; tunc enim illud repeti posset, ut putat Konig *l. cit. n.* 26.

At si debita pecunia solùm fuit in diem incertum, videndum, qua incertitudine incertus sit ille dies; nam si certum est quidem eum diem aliquando exiturum, incertum verò quando, ut cùm quis dicit, *Solvam, quando moriar*, antè solvens Condictionem indebiti non habet, saltem quoad substantiam soluti; quia hoc in casu certum est, id, quod solutum est, debitum iri *l. quod si* 18. *ff. de condict. indebit.* Si verò incertum sit, an dies ille sit exiturus e. g. *si navis ex India venerit*, condici solutum tanquam indebitum potest *l. quodsi cit.* & *l. promisit* 18. *ff. eod.* quia tunc promissio conditionata solùm est, & quod ante adventum illius diei solutum est, absolutè nondum debebatur. 9

Quæritur 4. quid requiratur ex parte rei, quæ solvitur? Resp. 1. requiritur, ut solvatur idipsum, quod debetur; quia, ut dictum est *suprà n.* 2. invito Creditori aliud pro alio solvi non potest: quod ita verum est, ut debito etiam non satisfiat, si solvatur res æquè bona; quia ea non debetur, & invito Creditori adimi non potest jus quæsitum, quod ipse habet ad rem determinatè debitam. 10

2 Ut solvatur res propria debitoris, si ejus obligatio ad dandum tendat: secus, si tendat ad tradendum; tunc enim sufficit præstare Creditori rem habere licitè, ut fit in Emptione Venditione, in qua res etiam aliena vendi, & emi potest *l. ex empto* 11. §. *& imprimis* 2. *ff. de action. empt.*

3 Ut solvatur totum illud, quod debetur; nec enim regulariter permittitur, ut debitor invito creditori particulatim solvat *l. Titius* 41. §. *Lucius* 1. *ff. de Usur. & fructib. l. obsignatione* 9. *C. h. tit.* quia quod simul acceptum est, simul reddi debet, & una obligatio una solutione tollenda, cùm plerumque solutio, & exactio partium non minima habeat incommoda teste JCto *l. planè* 3. *ff. famil. hercisc.*

Dixi *Regulariter*; nam plures sunt casus, in quibus solutio fieri per partes potest. 1. Si Creditor ultro admittat solutionem particularem: & in hoc sensu §. *item* 1. *in fin. Instit. quib. mod. oblig. tollit.* Imperator, *Quod debetur*, inquit, *pro parte rectè solvitur*, intellige creditori volenti. 2. Si ita contractum sit inter creditorem, & debitorem, ut liceret particulatim solvere *l. Titius, &* §. *Lucius cit.* 3. Si hoc suadeat favor libertatis *l. cùm hæres* 4. §. *item si* 6. *ff. de stat. liber.* 4. Si tantùm per partes creditum sit; quia obligatio eo modo distrahi potest, quo modo contracta est *c. omnis* 1. *de R. J.* & *l. nihil* 35. *ff. eod.* 5. Si quis ex diversis causis eidem creditori aliquid debeat, v. g. 100. ex Locatione, & 100. ex mutuo *l. in potestate* 1. *C. h. tit.* 6. Si debitum ex una parte sit liquidum, vel confessatum, non ex alia; tunc enim differri potest solutio partis, de qua dubium est, an debeatur, de quo casu loquitur *l. quidam* 21. *ff. de re credit.* & *l. permittendum* 8. *ff. si pars hæredit. petat.* Vide Harpprecht *in princ. Inst. quib. mod. re contrah. oblig. n.* 47. *& seqq.* 11

Quæritur 5. utrum Solutio facienda sit in eadem specie monetæ, in qua mutuum v. g. datum est? Videtur respondendum affirmativè; quia si in diversa specie fieret solutio, aliud pro alio solveretur contra *l. mutuum* 2. §. *mutui* 1. *ff. de reb. credit.* 12

Sed tenenda est negativa sententia, & dicendum per se, & regulariter solutionem in quacunque specie currentis, & valentis monetæ fieri posse. Colligitur ex *l. si alii* 1. §. *cui certum* 1. *l. cùm certum* 9. & *l. Titiæ* 35. *ff. de aur. & argent. legat.* ubi dicitur, legato auro, vel ipsum aurum, vel pretium auri præstandum esse. *Ratio est*, quia pecunia in suo genere regulariter mutuam functionem recipit, nec in solutione attenditur materia, sed valor, & æstimatio *l. origo* 1. *pr. ff. de contrah. empt.*

Ex quo sequitur, casu, quo inter contrahentes placuit, ut quemadmodum in antiquis Obligationum Instrumentis sæpe legitur, solutio fiat in aureis Rhenanis, *in guten genehmen Rheinischen Gulden*, eam non solùm in moneta aurea, sed etiam in argentea usuali fieri posse; quia ex communi loquendi usu, & praxi Romani Imperii per aureos Rhenanos non solùm intelliguntur floreni ex auro, sed etiam floreni ex argento, vel aliæ pecuniæ, in eo valore, qui aureum Rhenanum adæquant, acceptæ, sicut pro re certa, & notoria tradunt Wehnerus *in observ. pract. lit. G. V. Gold-Gulden pag.* 247. *& seqq.* §. *hisce tamen omnibus &c.* Besold. *in Thesaur. pract. V. Gulden pag.* 593. Berlich *p.* 2. *concl.* 37.

n. 9. Mynsing. *cent. 1. obs. 65. & obs. 83. n. 2.* Magnif. P. Schmier *c. 8. de pact. & contract. n. 34. & 35.*

13 Dixi *per se, & regulariter*; nam triplex addi debet Exceptio. 1. Nisi de eadem specie reddenda expresse conventum sit; cùm enim conventio det legem contractui, eo casu solutio præstanda erit in specie conventa, si adhuc extet. *Si adhuc extet*, inquam; nam si non ampliùs extet, cùm ad impossibile nulla sit obligatio, solutio eo casu fieri poterit in moneta alia, quæ pro illo tempore viget, in ea quantitate, quæ monetæ tempore contractus definitæ æquivaleat, habito respectu ad lucrum cessans, & damnum emergens *arg. c. olim 20. de censib. & ibi* Gonzal. *num. 4.* Engl *hic nu. 13. vers. primò igitur casu*, Magnif. P. Schmier *c. 8. cit. n. 43. & 44.*

Excipitur 2. nisi speciali Jure aliter cautum sit: sic novissimo Jure *Recess. Imper. de Anno* 1559. §. *die jestgemeldten*, si solvenda est summa notabilis quantitatis, Creditor invitus non cogitur recipere solutionem in pecunia minuta ultra 25. florenos.

14 *Excipitur* 3. nisi Creditor ex solutione monetæ in diversa materia, aut forma pateretur damnum *l. debitorem 99. ff. h. tit.* quod fieret, si pretium monetæ interea decrescat; tunc enim non potest dissolvi obligatio, nisi tantundem addatur, quanto pretium diminutum est.

Sic limitata Responsione, facilis est solutio ad Rationem dubitandi oppositam; dicendum enim tali casu non solvi aliud pro alio, etiamsi pro moneta argentea solvatur aurea, aut vicissim, modò solvatur secundùm valorem proportionatum, & in moneta proba; reproba enim pecunia solventem non liberat *l. eleganter 24. §. qui reprobos 1. ff. de Pignorat. act.*

15 Quæritur 6. an obligatus ad factum præcisè teneatur facere, an verò liberetur, si loco facti interesse solvat? Hoc secundum affirmat Bachov. *ad Treutl. vol. 2. D. 27. thes. 1. lit. L.* Eckold. *ad ff. de V. O. n. 16.* & plures alii propter textus *l. siquis 13. §. si quis promiserit 1. ff. de re judic. l. stipulationes 72. pr. l. quotiens 81. pr. l. si insulam 84. l. siquis stipulatus 112. §. siquis ita 1. ff. de V.O.* & alios passim. Et confirmant ex ratione; quia licèt in promissione faciendi principaliter, & expresse factum in obligationem veniat, virtualiter tamen, & ex mente interpretativa promittentis facto succedit obligatio ad interesse, ita, ut si is nolit præstare factum, possit obligationi suæ satisfacere, si offerat interesse.

16 Sed probabilius est, promissorem facti præcisè obligari ad factum ponendum, nec satisfacere offerendo interesse; si facti præstationem urgeat Creditor. Ita Corras. 2. *Miscell.* 3. Bronchorst *cent. 4. assert. 41.* Zoes. *ad ff. de V. O. n. 53.* Konig *hic num. 19.* Ratio est, quia promissor dandi præcisè obligatur dare, nec liberatur offerendo interesse pro re promissa, ne scilicer, ut *num. 10.* dictum est, creditori obtrudatur aliud pro alio. atqui inter promissorem dandi, & promissorem faciendi æquale jus obtinet, ut colligitur ex §. *omnium 1. Inst. de action.* ibi, *dare, aut facere oportere.* ergo nec promissor faciendi satisfacit, si interesse duntaxat offerat.

17 Neque obstant textus allati in contrarium; nam dici potest, eos loqui tantùm de casu, quo factum promissum ampliùs præstari non potest: vel hoc solum velle, quòd post commissam à debitore moram in præstando facto Creditor non ampliùs teneatur præstationem ejusdem accipere, sed possit determinatè ad interesse agere. *Ad Conf.* ibi fit manifesta Petitio Principii; quæritur enim, an promissio faciendi cum hac interpretativa mente sit præstita, & acceptata.

§. II.

De Persona ejus, cui, & à quo Solutio præstanda est.

SUMMARIUM.

18 19 20 *Cui solutio præstanda sit?*
21 22 *Per quem?*
23 *Quomodo Creditor consequi solutionem debiti à Debitore possit.*
24 *Ubi de ordine servando, antequam Debitor detrudatur in carcerem.*
25 *Hunc effugere potest, si cedat bonis omnibus.*
26 *Et promittat, cùm ad pinguiorem fortunam venerit, se satisfacturum pro residuo.*
27 28 *Casus, quibus cessio bonorum non liberat à molestiis carceris.*
29 30 31 32 *Personæ, quibus competit Privilegium competentiæ.*

Quæritur 1. cui solutio præstari possit? Resp. præstari potest 1. ipsi Creditori, si rerum suarum administrationem habeat. Neque interest, an solutio volenti, vel etiam invito fiat; quia solutionem debito modo, tempore, & loco factam tenetur acceptare, vel si recipere eam nolit, poterit debitor eas pecunias Magistratui consignare, & ita à debito imposterum liber fiet *l. obsignatione 9. C. h. tit.* 18

2 Si Creditor rerum suarum administrationem non habeat, solvi debet Tutori, vel Curatori ejusdem: cui solvendo ut plenissimam liberationem debitor impetret, authoritas, & Decretum Judicis debet accedere; nam hac non apposita, si solutio Tutori, vel Curatori fiat, Pupillus, vel Minor adversùs illam petere potest restitutionem in integrum *§. fin. Inst. quib. alien. licet, vel non. l. exemplo 1. C. si advers. Solut.* & ibi DD.

3 Rectè etiam solvitur Procuratori Creditoris, si vel sit Procurator in rem suam, vel in rem alienam quidem, sed instructus speciali mandato ad recipiendam solutionem, vel omnium negotiorum administrationem habens *l. verò 12. pr. ff. h. tit.* nam ut *l. qui hominem 34. §. si Titium 3. ff. eod.* dicitur, *qui omnibus negotiis suis aliquem proponit, intelligitur etiam debitoribus mandare, ut Procuratori solvant.* 19

4 Solvi potest creditori creditoris: si tamen huic solvatur sine creditoris immediati mandato, liberatio non ipso Jure, sed ope duntaxat exceptionis contingit, quatenus creditori immediato poscenti solutionem debitor opponere potest Exceptionem doli, eumque repellere *l. si opera 6. ff. de dol. mal. & met. except.*

5 Rectè solvitur Servis, & filiisfamilias, si ipsi exigendis pecuniis præpositi sint, aut liberam peculii administrationem habeant, *l. siqui servo 18. l. solutam 49. l. dispensatori 51. ff. h. tit.* 20

4 Denique rectè solvitur ei, qui Solutionis causa in Contractu adjectus est *§. siquis alii 4. Instit. de inutil. stipulat.* eo tamen casu Creditor haber actionem mandati adversùs adjectum ad restituendum solutum, ut §. *cit.* dicitur.

Aliis, quàm recensitis, non rectè solvitur; quia Creditore interest, cui solvatur.

Quæritur 2. per quem Solutio præstari possit, vel debeat? Resp. 1. præstari potest per ipsum debitorem, si rerum suarum administrationem habeat; nam si hanc non habeat, ut sunt Pupilli, Minores, Prodigi, non rectè solvit sine authoritate Tutoris, vel Curatoris; quia Solutio est species alienationis, quæ Pupillis, Minoribus &c. sine Tutoris, vel Curatoris authoritate prohibita est. Estque hoc ita verum, ut Solutio aliter facta sit irrita, nec dominium soluti in Creditorem transferat, si apud hunc extet; nam si pecunia soluta apud hunc periit, vel cum propria pecunia commixta est, convalescit Solutio, & sequitur plena liberatio solventis, ne quod favore Pupillorum, & Minorum est introductum, in eorundem detrimentum detorqueatur *l. quodsi 14. §. fin. ff. h. tit.* Stryck. *in Us. Modern. ad tit. cit. §. 1.* 2

2 Præstari Solutio potest per Procuratorem debitoris, si instructus sit mandato vel speciali, vel generali cum libera: neque est opus, ut dominus solutionem ita factam habeat ratam, prout dicitur *l. quodlibet 87. ff. h. tit.* ubi etiam ratio additur, *quia cùm quis Procuratorem omnium rerum suarum constituit, id quoque mandare videtur, ut creditoribus suis pecuniam solvat.*

3 Præstari potest per quemcunque alium non tantùm sciente, & volente debitore, sed etiam illo ignorante, vel invito; quia, ut *l. solvere 53. ff. h. tit.* dicitur, *Jure Civili* (imò & naturali) *constitutum est, licere etiam ignorantis, invitique meliorem conditionem facere.* Qua in re tamen faciendum est discrimen aliquod inter eum, qui solvit pro Debitore sciente, & volente eum, qui pro ignorante, & eum, qui pro invito. *Primus* actione mandati totum, quod solvit, repetere à debitore potest *arg. l. si remunerandi 6. §. si passus sim 2. & l. Papinianus 28. ff. mandat.* *Alter* id repetere potest actione negotiorum gestorum *l. qui servum 41. l. cùm pecuniam 43. ff. de negot. gest.* & ibi Brunnem. *n. 3.* *Tertius* autem omni actione caret; quia donandi animo solvisse censetur *arg. l. fin. C. eod.*

Quæritur 3. quomodo Creditor consequi solutionem debiti à debitore possit? Resp. etsi debitum liquidum sit, præstare tamen illius solutionem creditor sibi ex bonis debitoris propria authoritate non debet, cùm jus sibi dicere nemo possit *l. extat 13. ff. quod met. caus.* 3

Quare in petenda, & obtinenda solutione sequens ser-

vandus

ndus est ordo. 1. Creditor, si tempus solutioni præ-
fixum transierit, convenire debet amicabiliter debito-
rem, ut eam sibi præstet.

2 Si hujusmodi conventioni non acquiescat, adire debet Judicem, qui debitorem citet.

24 3 Si citatus compareat, & debitum fateatur, vel de eodem aliunde constet, v. g. sententia judicata, aut instrumento publico, vel privato, à debitore agnito, Judex illi solutionem faciendam imperabit.

4 Si vero debitor nec satisfactionem præstare, nec Creditorem idonea cautione securum reddere de solutione in tempore exhibenda possit, procedet Judex ad executionem, & debita solvet de debitoris bonis, ea vendendo in publica subhastatione.

5 Bonis deficientibus, aut ad debita solvenda non sufficientibus, Judex ad instantiam unius, vel plurium Creditorum debitorem detrudet in carcerem, donec aliunde integrè solvat. Covar. *l. 2. var. c. 1. n. 2.* Gomez *l. 2. var. c. 11. n. 5.* Molin. *tract. 2. de J. & J. D.* 571. Pal. *tr. 32. D. 1. p. 10. §. 26. n. 1. & 2.*

25 Quæritur 4. quomodo effugere Debitor squallorem carceris, & cæteras hujusmodi molestias possit? Resp. potest effugere, si bona sua omnia Creditoribus dimittat, ut ex iis pro viribus sibi satisfaciant, & promittat, se, cùm ad pinguiorem fortunam venerit, satisfacturum pro residuo, pro quo solvendo bona ejusdem non suffecere §. *fin. Instit. de Action. l. qui bonis 1. ff. qui bon. ceder. poss. l. is qui 4. ff. de cession. bonor.* Dixi *Bona sua omnia*, & quidem de rigore Juris usque ad saccum, & peram, ex æquitate autem, & honestate veste, & victu quotidiano retentis.

26 Addidi. *Et promittat, cùm ad pinguiorem fortunam pervenerit, se satisfacturum pro residuo*; nec enim cedendo bonis debitor omnibus suis debitis, sed tantum importunis creditorum exactionibus liberatur ad tempus, donec scilicet melior fortuna affulserit; nam hac affulgente, si bona aliqua acquisierit, ab iisdem creditoribus conveniri denuo potest, non tamen in solidum, sed in id tantum, quod deducto quotidiano victu, & familiæ sustentatione, præstare potest; quia, ut §. *fin. cit.* dicitur, inhumanum visum est, eum qui fortunis se omnibus exuit, in solidum conveniri, & condemnari.

27 Quæritur 5. an omnes debitores indiscriminatim bonorum cessione effugiant carcerem? Resp. negativè; nam 1. carcerem cessione bonorum non effugiunt, qui ex furto, rapina, vel àlio delicto mulctam pecuniariam debent; in his enim, ne delicta maneant impunita, locus est Regulæ, *Qui non habet in ære, luat in cute*, juxta *l. fin. ff. de in jus vocand. & l. quotiens 1. §. fin. ff. de Pœnis.*

2 Qui spe cessionis bonorum debita contraxerunt, aut in ea bona aliqua occultasse convincuntur; quia cùm dolosè committant in Legem, istius auxilium frustra implorant *c. quia frustra 14. de Usur. & l. auxilium 37. in fin. ff. de minor.*

3 Qui bona sua in fraudem creditorum alienarunt, aut dissiparunt *l. fin. §. fin. ff. quæ in fraud. creditor.* nam fraus sua, & dolus nemini patrocinari debet. *l. nec ex dolo 12. ff. de dol. & l. non fraudantur 134. ff. de R. J.*

28 4 Qui prodigè, & luxuriosè bona sua consumpserunt; cùm enim turpitudine sua inopiam sibi acquisiverint, commiseratione digni non sunt. Perez *in C. qui bon. ced. poss.* & Corvin. *ibid. §. sunt & alii.*

5 Qui Cessionis beneficio renuntiarunt; potest enim debitor huic beneficio probabilius renuntiare, idque non tantùm cum Juramento, sed etiam simpliciter, ut communior DD. habet: & ratio est, quia etsi jus per cessionem bonorum evitandi molestias carceris aliquo modo pertineat ad bonum commune, directè tamen, & principaliter concessum est in bonum ipsorum debitorum, sive in eorum subsidium, & miseriæ levamen *l. cum & filiifam. 8. & l. fin. C. qui bon. ceder. poss.* atqui favori, & juri directè, & principaliter sibi indulto renuntiare cuivis integrum est; quantumvis illud indirectè, & secundario commune bonum Reip. spectet *c. si de terra 6. de privil. & l. si quis 29. C. de Pact.* ergo &c.

29 Quæritur 6. quinam conveniri nequeant ultra id, quod congrua sustentatione retenta, facere possunt? Resp. ii, qui Privilegium *Competentiæ* habent. Tales sunt.

1 Parentes adversus liberos *l. sunt qui 16. in fin. & l. cum ex causa 30. ff. de re judicat.* Ratio clara est, quia liberi alimenta debent Parentibus, & reverentiam, cui utique repugnat Patrem pro eo, quod debet filio, & solvere non potest ob egestatem, rapi in carcerem.

2 Liberi adversus parentes; nam quod in parentibus vetat reverentia, hoc in filiis amor naturalis prohibet.

30 3 Ascendentes cæteri respectu descendentium, & vicissim; nam illi Parentum nomine, isti Liberorum in Jure veniunt.

4 Ut vult Gonzal. *in c. 3. h. t. n. 9.* & alii, fratres adversus fratres, & deduci hoc videtur ex *l. patronus 17. ff. de re judicat. & l. verum 63. ff. pro Socio.*

5 Patronus, Patrona, horum liberi, & Parentes adversus Libertum, *l. patronus cit.*

6 Donator, si conveniatur ex Donatione *l. inter eos 19. §. is quoque 1. ff. de re judic.* ne videlicet ex sua liberalitate omnino inops reddatur.

7 Socii omnium bonorum adversus Socios *l. sunt qui cit.* imo & Socius unius rei, si conveniatur ex ea societate *l. verum cit.*

8 Maritus; hic enim in restitutione dotis tantum condemnatur in id, quod facere potest *l. patronus cit.*

9 Uxor, si conveniatur à Marito ex promissione dotis *l. non tantum 20. ff. de re judic.* 31

10 Socer utriusque conjugis: & quidem Socero uxoris, id est, patri mariti, competit privilegium hoc tam soluto, quàm stante matrimonio *l. rei judicatæ 15. §. socero 2. ff. solut. matrim.* Socero verò mariti, sive patri uxoris videtur solum competere, si conveniatur stante Matrimonio, non item, si soluto *l. sed hoc 22. pr. ff. de re judic. & l. si de dote 84. ff. de Jur. dot.*

11 Mulieres honestæ ob pudorem sexus. *Auth. sed hodie C. de Offic. divers. Judic.* & *Auth. hodie C. de custod. reor.*

12 Milites militiæ tum armatæ *l. miles 6. pr. & l. item miles 18. ff. de re judicat.* tum togatæ, ut communior habet: quales sunt Advocati, & bonarum Artium Professores, ac Doctores *arg. l. citt. & l. Medicos 6. C. de Professor. & Medic.*

13 Clerici *c. Odoardus 3. h. tit.* quia sunt milites militiæ cœlestis *can. reprehensibile 19. caus. 23. qu. 8.* Unde gaudent omnibus privilegiis militaribus, ut post alios docet Gonzal. *in c. 3. h. tit. n. 14.* dummodo eorum statui non repugnent. 32

14 Illi, qui ob inopiam miseratione digni sunt, uti sunt emancipatus, vel exhæredatus, & qui paterna hæreditate abstinuit, aut ex minima parte hæres extitit: Item qui bonis cessit, si post cessionem à prioribus Creditoribus conveniatur, ut dictum est *n. 27.* Nec non illi, quorum bona omnia à creditoribus sine ipsorum dolo malo sunt vendita: de quibus latè Gonzal. *in cap. 3. cit. num. 13.* Denique juxta quosdam, qui sine sua culpa injuria temporum eo paupertatis redacti sunt, ut non sint solvendo: de quibus Haun. *tom. 1. de J. & J. tr. 2. num. 260.*

§. III.

De Privilegio Competentiæ, quod datur Clericis debitoribus, qui non sunt solvendo.

SUMMARIUM.

33 34 *Quid requiratur, ut Clericus debitor fruatur Privilegio Competentiæ?*
35 *Quinam Clerici Privilegio isto gaudeant?*
36 *An eo gaudeant etiam constituti in ordinibus Minoribus?*
37 *Quinam Clerici Privilegio isto priventur?*
38 *An Clericus possit Privilegio huic renuntiare?*
39 *Statuitur sententia negativa.*
40 *Respondetur ad Rationes dubitandi.*
41 *An renuntiare eidem Privilegio nequeant etiam cæteri, quibus id competit?*
42 *Utrum Fidejussor Debitorum, gaudentium hoc Privilegio, eodem & ipse gaudeat?*

Quæritur 1. quid requiratur, ut Clericus debitor fruatur beneficio, sive Privilegio Competentiæ? Resp. requiritur 1. ut debitor ob inopiam solvere nequeat; nam si ad solvendum sit potens etiam quoad partem, & contumaciter recuset solvere, in carcerem conjici, & in subsidium excommunicari potest. Fagnan. *in c. 3. h. tit. n. 4.* 33

2 Ut de inopia, ob quam debitor non est solvendo, constet, ut colligitur ex *c. 3. cit. V. constiterit:* & hinc illam probare debet saltem summarie, & præsumptivè ex fama, vel communi hominum æstimatione, aut redituum suorum tenuitate. Fagnan. *l. cit. n. 31.*

3 Ut ad inopiam, & impotentiam solvendi redactus non sit propria sua culpa, aut dolo. Fagnan. *n. 44. & duob. seqq.*

4 Ut Clericus conveniatur ratione debiti in causa Civili; quia super crimine criminaliter conventus, & ad pœnam pecuniariam condemnatus, si solvendo non sit, 34

sit, non effugit carcerem, sed quod in ære non habet, luere in cute debet. Abb. *in c. 3. cit. n. 5.*

5 Ut conveniatur actione personali; nam conventus actione reali non potest uti hoc beneficio, quod personale duntaxat est. Fagnan. *n. 52.*

6 Ut recognoscat, & fateatur debitum; nam si hoc neget pertinaciter; & postea de eo convictus fuerit, privilegium istud allegare non potest. Pirh. *hic num. 23. not. 3.*

7 Ut præstet cautionem idoneam de solvendo, si ad pinguiorem fortunam pervenerit *c. 3. cit.* nam inopia, & impotentia solvendi non extinguit, sed tantum suspendit obligationem solvendi in tempus melioris fortunæ.

35 Quæritur 2. quinam Clerici gaudeant privilegio Competentiæ? *Certum est* de Clericis, qui in majoribus Ordinibus constituti sunt: item de iis, qui in Minoribus solum constituti, sed Beneficium Ecclesiasticum habent, aut si isto carent, habitum, & tonsuram Clericalem deferentes, alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi deserviunt, vel in Seminario, aut Studio aliquo Generali versantur, quod eo gaudeant.

36 *Dubium est* de iis, qui in Minoribus constituti, nulli Ecclesiæ serviunt, nec in Studiis ex Episcopi mandato versantur. Non conveniunt DD. nam quidam negant, alii affirmant. Fagnan. *in c. Odoardus 3. h. tit. n. 24. & 25.* distinguit: nam si hujusmodi Clerici in minoribus constituti, imò prima solum tonsura initiati, conjugati non sint, & habitum, ac tonsuram deferant, affirmat iis competere dictum privilegium propter generalitatem *c. Odoardus cit.* At si abjectis Clericatus indiciis, publicè se pro Laicis gerant, aut conjugati sint, negat iis patrocinari Privilegium allegatum; quia tales, licèt Characterem Ordinis indelebilem habeant, & retineant, in omnibus tamen, ut Laici reputantur.

37 Quæritur 3. utrum omnes Clerici gaudeant hoc Privilegio? Resp. negativè; nam plures à fruitione illius excluduntur. Et quidem

1 Qui tempore Contractus negavit se esse Clericum, ut sic alios alliceret ad contrahendum; nam qui negat qualitatem suæ personæ, ob quam concessum illi est privilegium, illud amittit *arg. l. si is 2. & l. seq. C. si minor se majorem &c. Excipitur*, nisi aliter contrahens sciverit, illum esse Clericum; nam fraus scienti non fit *l. cum donationis 34. C. de Transact.*

2 Si bona propria occultavit, ut ex eis non satisfaceret Creditoribus; tunc enim potest excommunicari, & in carcere detineri, donec solvat; quia revera non est impotens ad solvendum.

3 Si sit suspectus de fuga. Molin. *tr. 2. de J. & J. l. D. 571. n. 22.*

4 Si coram Judice falso negavit debitum. Pirh. *hic n. 23. not. 3.*

5 Si aliud quoddam ex requisitis *n. 33. & 34.* allatis eidem desit. His enim casibus etiam Clericus apprehendi, & in carcerem detrudi potest, non præcisè propter debitum Civile, sed propter dolum, & crimen commissum.

38 Quæritur 4. an Clericus possit dicto beneficio, seu Privilegio competentiæ renuntiare? Videtur posse; nam 1. id innuere videtur *l. si quis 51. C. de Episc. & Cleric.* & *l. si quis 29. C. de Pact.* juxta quos textus renuntiari potest privilegio competenti ratione militiæ, dignitatis, Sacerdotii. 2. Clerici privilegio competentiæ renuntiare possunt tacitè, sive per actum ejus retentioni contrarium, v. g. dolosè contrahendo, bona occultando, dissipando &c. ut *n. præc.* dictum est. atqui taciti non major vis est, quam expressi *l. nonnumquam 52. ff. de condit. & demonstr.* ergo etiam possunt eidem renuntiare expressè.

39 Sed verius est non posse renuntiare. Ita communior. *Ratio est*, quia privilegium hoc non est privatus singulorum, sed publicus favor totius Ordinis, seu Status Clericalis, ne videlicet in opprobrium istius Clerici cogantur mendicare, aut alias sordide vivere; publici autem favoris renuntiatio nulla est *l. Jus publicum 38. ff. de Pact. Proceditque* hoc, etsi renuntiationi adjectum sit Juramentum; quia Juramentum hoc bono publico præjudiciosum est, & conf. jurantem non ligat.

40 Neque contrarium probant Argumenta opposita. *Ad 1.* textus illi, ut rectè notat Barbos. *in l. alia 14. §. eleganter ff. solut. matrim. n. 21.* solum procedunt in privilegio, quod principaliter Clerici personæ, aut Clero certæ Provinciæ concessum est, non verò in eo, quod toti Ordini Clericali, & ipsius Clericatus, sive Sacerdotii favore principaliter concessum est; hoc enim censetur esse Jus publicum, cui privatorum pactionibus renuntiari non potest. *Ad 2.* retorquetur imprimis Argumentum; nam Clericus, etsi expressè renuntiare privilegio fori nequeat, potest tamen tacitè per actum contrarium, incedendo in habitu Laicali, sive non deferendo habitum, & tonsuram, aut non inserviendo Ecclesiæ secundum præscriptum Trid. *Sess. 23. cap. 6. de reform.* habet ergo aliquando tacita renuntiatio majorem vim, quàm expressa: & hoc contingit in præsenti materia; quia tacita renuntiatio vim habet ex dispositione Juris potius, quàm ex voluntate Clerici, qui dolose contrahendo, bona dissipando &c. privilegium competentiæ etiam invitus amittit.

Quæritur 5. utrum ne cæteræ personæ *n. 30. & seqq.* relatæ renuntiare valide Competentiæ privilegio possint? Etiam harum renuntiationem nullam esse existimat Baeza *de Inope Debitore c. 16. n. 82.* & alii. Sed videtur distinguenddm cum Covar. & cæteris, & dicendum, non posse renuntiare illos, quibus hoc privilegium competit ob reverentiam, ut sunt Parentes, Patroni, Conjuges; posse cæteros, uti sunt Socii, Milites &c. juxta Regulam sumptam ex *l. si Judex 41. ff. de Minorib. & l. si quis 29. C. de Pact.* ubi dicitur *antiqui Juris esse, ut omnes licentiam habeant, his, quæ pro se introducta sunt, renuntiare.*

Dubium est, utrum Fidejussor Debitorum gaudentium hoc privilegio, eodem & ipse gaudeat? Resp. negativè: sed conveniri potest, ultra quam potest Debitor principalis, pro quo fidejussit. *Ratio est*, quia hoc beneficium est personale, quod de persona ad personam non transit. Poterit tamen eo casu Fidejussor suscipere Judicium, tanquam defensor rei principalis, & necessarius; vel si hoc nolit, denuntiare principali, ut veniat, & suscepto in se Judicio, privilegii Exceptionem in sua persona opponat: quo utroque casu Exceptio privilegii istius valebit: in secundo quidem, quia tunc debitor principalis fit actor; in primo autem, quia tunc debitor Fidejussor non amplius nomine proprio, sed ipsius debitoris principalis agit, & conf. privilegium hoc ultra personam debitoris non transit.

§. IV.

De Debitis relictis ab Antecessore in Prælatura, vel Beneficio.

S U M M A R I U M.

42 43 *Successor in Prælatura tenetur solvere debita, ab Antecessore in Ecclesiæ utilitatem contracta.*
44 *Ubi an Creditor probare debeat id, quod dedit, in Ecclesiæ utilitatem conversum esse?*
45 *Respondetur cum distinctione.*
46 *Solvitur Argumentum oppositum.*
47 *Similiter solvere Successor debet ea, quæ contracta quidem sunt in propriam Beneficiarii personam, sed ex causa necessaria.*
48 *Quid de reliquis debitis, quæ Antecessor contraxit inutiliter, & prodigè?*
49 *Resolvitur pro negativa.*
50 *Diluitur Argumentum oppositum.*
51 *Unde solvi debeant ab Antecessore relicta, si hic reliquit Patrimonialia bona tantum?*
52 *Unde si Ecclesiastica sine Patrimonialibus?*
53 *Quid dicendum, si reliquit tam Patrimonialia, quàm Ecclesiastica?*
54 *Vel contra, si nec Patrimonialia, nec Ecclesiastica?*

Quæritur 1. an Successor in Prælatura, vel Beneficio teneatur solvere debita, ab Antecessore suo contracta? *Certum est*, quod teneatur solvere, si contracta illa sint nomine Ecclesiæ, & pro necessitate, vel utilitate ejusdem; nam clara hujus rei habetur decisio *c. ad hæc 1. h. tit.* 43

Dubium est, utrum eo casu creditor probare debeat, id, quod dedit, in Ecclesiæ utilitatem conversum esse? 44 Non concordant DD. Ant. de Butrio *c. quod quibusdam 4. de Fidejussor. n. 9.* Fachin. *l. 2. controv. c. 77. §. ego vero*, Pal. *tr. 32. D. 4. p. 5. n. 10.* putant Successorem ad ea debita solvenda non teneri, nisi Creditor probet, id, quod dedit, in Ecclesiæ utilitatem conversum esse. Nituntur textu *c. quod quibusdam cit.* ubi, ut Ecclesia obligetur Creditoribus ob debitum ex mutuo, diserte exigitur, quod illud ad Ecclesiæ utilitatem conversum sit. igitur nisi hoc aliunde constet, illud debet probare Creditor.

Contra Abb. *in c. 4. cit. n. 7.* Ancharan. *ibid. num. 9.* 45 Molin. *tr. 2. D. 300. n. 8.* & alii communius docent, Creditori non incumbere probationem istam, nisi casu, quo hæc ipsi incumbit, ut obligetur Antecessor. Colligitur ex *c. ad hæc cit.* ubi Successor obligatur ad solvenda debi-

debita, quæ pro Ecclesiæ necessitate Antecessor contraxit, nec petitur, ut probetur mutuum, ex quo hujusmodi debita orta sunt, in Ecclesiæ utilitatem conversum esse. *Ratio est*, quia si hujusmodi probatio exigeretur à Creditore; nemo facilè reperiretur, qui Ecclesiis, dum inopia laborant, mutuo dato subvenire vellet.

46 Neque aliud eruitur ex *c. quod quibusdam cit.* & allegato ab Adversariis; quia ibi sermo dumtaxat est de mutuo contracto in ea quantitate, ut pro eo solvendo necesse sit alienare res Ecclesiæ immobiles, vel mobiles pretiosas, quo casu, ut obligetur Ecclesia, etiam vivente Prælato, vel Beneficiario, ad debitum ab eo contractum solvendum, necesse est, ut creditor probet, id, quod dedit, in utilitatem Ecclesiæ conversum esse, ut dictum est *supra Titul.* 13. *num.* 146. *&* 147.

47 Quæritur 2. an Successor teneatur solvere debita, ab Antecessore Prælato, aut Beneficiario contracta, in propriam ipsius Beneficiarii, vel Prælati personam? *Certum satis* est apud DD. quod solvere illa successor debeat, si ab Antecessore contracta sint pro necessaria, & decenti sustentatione personæ suæ, pro valetudinis reparatione, imò etiam pro ejus defuncti sepultura; cum enim Ecclesia Rectorem suum, vel Prælatum teneatur alere, eique subministrare congrua vitæ subsidia, debita, ob hunc finem contracta, pro necessitate Ecclesiæ contracta censebuntur, & idcirco à Successore ex reditibus Ecclesiasticis Prælaturæ, vel Beneficii, in quo succedit, dissolvi debent.

48 *Dubitari* potest de reliquis debitis, quæ Antecessor contraxit ex mutuo pro splendore, aliisque vel inutilibus, vel saltem non necessariis rebus, & usibus? Videtur etiam hoc casu obligari Successor ex *c. ad hæc* 1. *h. tit.* ubi Prælatus disertè æquiparatur filio. atqui filius, si defuncti Patris hæres existat, ad ejus debita omnia, saltem secundum hæreditatis vires, si Inventarium confectum sit, solvenda obligatur per textum, & Gloss. *l. fin. C. de Jur. deliber.* & ratio est, quia hæres in universum jus defuncti, & cons. non solùm quoad commoda, sed etiam quoad obligationes, & onera eidem succedit *l. hæres* 37. *ff. de acquir. hæred.* & *l. hæreditas* 62. *ff. de R. J.*

49 Sed tenenda est negativa, & dicendum, quod Successor super hujusmodi debitis de Jure conveniri non possit. Ita Covar. *l.* 2. *var. c.* 15. *num.* 16. Gonzal. *ad c. adhæc cit. num.* 5. *&* 6. P. Engl *hic num.* 18. P. Konig *num.* 8. P. Reiffenstuel *num.* 16. *&* 17. Magnif. P. Schmier *c.* 8. *de Pact. & Contract. n.* 18. & communis DD. & meritò, ne alieno facto successor, vel Ecclesia prægravetur.

50 *Ad Argumentum oppositum* non est eadem successoris, quæ hæredis, ratio. Disparitas est, quia hæres succedit defuncto ex voluntate defuncti, vel jure sanguinis, quo illum contingit, & repræsentat ejusdem personam, ac propterea hæreditatis acceptatione ad debita personalia defuncti se obligat: non ita Successor in Dignitate; non enim proprie hæres est, sed impropriè solum, quòd in eadem Sede, & Ecclesia, atque in eodem Officio subrogetur. Hinc sicut Dignitatem non ex defuncti voluntate, sed Ecclesiastici Superioris Institutione consequitur, ita nec personalibus Antecessoris obligationibus afficitur.

51 Quæritur 3. unde solvi debeant debita, relicta ab Antecessore Prælato, vel Rectore Ecclesiæ, aut alio Beneficiario? Resp. cum distinctione: Vel enim defunctus reliquit tantum Bona Patrimonialia sine Ecclesiasticis, vel Ecclesiastica tantùm sine Patrimonialibus, vel tam Ecclesiastica, quàm Patrimonialia, vel denique nec Patrimonialia, nec Ecclesiastica.

Si primum, iterum distinguendum est an habuerit sufficientes reditus sibi ab Ecclesia assignatos, vel non habuerit. *Si prius*, debita, ab ipso etiam propter necessitatem, v. g. infirmitatem contracta, ex Patrimonialibus ejus bonis solvi debent *arg. c. ex præsentium* 3. *de Pignorib. Si posterius*, tunc vel scivit Beneficium non habere sufficientes reditus, & tamen acceptavit, vel hoc nescivit. *Si scivit*, iterum ex Patrimonialibus solvi debita illius relicta debent; quia censetur in tali casu voluisse ex Patrimonio suo addere, quod ad congruam sustentationem ex reditibus Ecclesiasticis non suffecerat. *Si ignoravit*, vel præter opinionem, & ob causam accidentariam, v. g. ob fructuum unius, aut alterius anni sterilitatem, incursiones hostium &c. reditus non suffecere, tunc Successor in Beneficio obligandus erit, ut ex futuris reditibus Beneficii debita à defuncto contracta solvat, dummodo tale onus sustinere possit, ut pluribus *citt.* advertit Pirhing *hic num.* 19.

52 *Si secundum contingat*, & defunctus reliquerit bona Ecclesiastica sine Patrimonialibus, Ecclesia indulget Clerico tanquam pauperi, ob honorem etiam Status Clericalis, ut omnia ejus debita solvantur ex reditibus Ecclesiasticis; nam etiam vivens tali casu solvere illa posset. Possuntque eo casu reditus ejus Ecclesiastici in Arresto poni, & Creditori assignari, ut eos percipiat, donec debitum sit solutum, ut tradit Abb. *in c.* 2. *de fidejuss. num.* 3. *&* 12.

53 *Si tertium fiat*, & defunctus reliquit tam Patrimonialia, quàm Ecclesiastica, quoad eam quantitatem, quam competens, & decens ejus sustentatio requirebat, solvenda sunt ejus debita ex reditibus Ecclesiasticis; reliquum verò debitorum ex bonis Patrimonialibus solvendum est, ac proinde ea pars redituum Beneficialium, quæ honestæ, ac decenti sustentationi Beneficiarii superest, reservari debet, ut ad pias causas applicetur. Pirh. *n.* 20.

54 *Si denique quartum ponatur*, & defunctus nec Patrimonialia, nec Ecclesiastica bona reliquit, expensas necessarias v. g. factas in infirmitate, vel funeris causa solvere debet Ecclesia, aut Successor in Beneficio, modò iste onus hoc ferre possit; alioquin enim ad Episcopum spectabit aliunde providere, & subsidium afferre: in cæteris, quæ expensas necessarias, & utiles superant, damnum ferre debebit Creditor, quippe qui nullo ex capite Ecclesiam obligare potest ad ea solvenda.

§. V.

De Solutione indebiti, & sic soluti repetitione.

SUMMARIUM.

55 56 *Quot modis aliquid indebitum esse possit?*
57 *Qui sciens solvit, quod nec naturaliter, nec civiliter debitum fuit, non potest illud repetere.*
58 *Potest, qui solvit ex errore facti.*
59 *Et probabilius etiam, qui ex errore Juris.*
60 *Qui solvit civiliter duntaxat indebitum, naturaliter debitum non potest illud condicere.*
61 *Potest, qui solvit indebitum naturaliter, civiliter debitum.*
62 63 *Quousque se extendat jus repetendi indebitum?*
64 65 *Cuinam incumbat onus probandi, quod indebitum solutum sit?*
66 *Casus, quibus repetitio indebiti non conceditur.*
67 *Exceptiones.*
68 *Utrum repetitio indebiti competat etiam ei, qui eidem renuntiavit.*

Quæritur 1. quot modis aliquid indebitum esse possit? Resp. sicut debitum, ita etiam indebitum variis modis dicitur, prout videre est apud Abb. *in c. fin. h. tit. n.* 8. potissimum autem tripliciter. 55

1 Enim indebitum esse aliquid potest naturaliter simul, & civiliter, quando videlicet solvitur, quod nec naturali, nec civili obligatione debetur *l. si non sortem* 26. *§. indebitum* 3. *ff. de condict. indebit.* Porro solutio hæc dupliciter fieri potest, scilicet vel à sciente se non debere, vel ab ignorante, & ignorantia hæc potest esse vel facti tantum, qualis esset, si debitor ignorans suum Procuratorem, aut Oeconomum solvisse suo Creditori, quod ille ipsi debebat, iterum idem eidem solvit; vel si hæres ignorans defunctum solvisse, denuo solvat debitum à defuncto contractum; vel potest esse ignorantia Juris, ut si is, qui pecuniam mutuam accepit, aliquid solvat ultra sortem, existimans se ex contractu mutui de Jure obligatum esse. Huc revocari potest debitum sub conditione propria, cujus scilicet eventus incertus est; nam ante eventum conditionis nec naturaliter, nec civiliter debetur.

2 Potest aliquid esse *indebitum naturaliter, & civiliter debitum*, ut siquis spe futuræ numerationis Chirographo suo fateatur sibi numeratam esse pecuniam, quæ non est numerata; nam is saltem post biennium ad solutionem ejus, quod litteris expressum est, obligatur, non quidem naturaliter, cum nihil acceperit, sed civiliter, sive ex litteris, seu Jure Civili *vers. multum Inst. de litterar. oblig.* 56

3 Denique potest aliquid esse *indebitum civiliter tantum, naturaliter tamen debitum*: ita indebitum est, quod Pacto nudo promissum est; nam ex ejusmodi Pacto nascitur quidem obligatio naturalis, non tamen Civilis, spectato saltem Jure Civili, cùm hoc Jure Pacta nuda non pariant actionem *l. Juris gentium* 7. *§. sed cum nulla* 4. *& ibi* Gloss. *V. obligationem ff. de Pact.*

Quæritur 2. an is, qui solvit, quod nec naturaliter, nec 57

nec civiliter debitum erat, possit illud condicere, seu repetere? *Certum est* 1. non posse repetere, si solvit sciens se non debere. Patet ex *l. nunc videndum* 1. *in fin. l. si non sortem* 26. §. *indebitum* 3. *ff. de condict. indebit. & l. indebitum* 9. *C. eod.* Ratio est, quia si ex circumstantiis aliud non appareat, donasse videtur juxta *Reg.* 53. *ff.* ibi, *Cujus per errorem dati repetitio est, ejus consultò dati donatio est. Proceditque* hoc etiam casu, quo is ea mente solvit, ut repeteretur; neque enim sic solutum potest repetere, qui sciens esse indebitum solvit *l. quod si quis* 50. *ff. de condict. indebit.*

58 *Certum est* 2. posse repeti, si, quod ita indebitum erat, solutum est mero errore facti, prout constat ex *l. nunc videndum cit.* & *seqq. ff. de condict. indebit.* Ratio est, quia error, sive ignorantia facti in damnis, imò etiam in compendiis, seu lucris nemini nocet per Regulam *l. error facti* 8. *ff. de Jur. & fact. ignor.*

Dubium est, quando solutio indebiti facta est per errorem Juris? Quo casu repeti solutum posse, negant Duaren. *h. tit. c.* 3. Perez *in Cod. ibid. num.* 24. Zoes. *ff. hic num.* 14. & alii complures ob *l. si non* 6. *l. cum quis* 10. *C. de Jur. & fact. ignor. l. si per ignorantiam* 6. *C. h. tit.*

59 Verius est, etiam hoc casu condictioni indebiti locum esse. Ita Abb. *in c. fin. h. tit. num.* 15. Gonz. *ibid. n.* 5. Molin. *tr.* 2. *de J. & J. D.* 567. *num.* 1. Sichard. *in C. h. tit.* Vvesenbec. *in ff. num.* 9. Vinnius *l.* 1. *select. c.* 47. Vvidmont *de Contract. tit.* 26. *num.* 33. Pirh. *hic num.* 31. Vviest. *n.* 52. Ratio est, quia quando Jura statuunt indebitum solutum posse repeti, nullam faciunt distinctionem inter errorem Juris, & facti. 2. In damno vitando, & suum repetentibus etiam error Juris obesse non solet *l. error facti cit.* & *l. Juris ignorantia* 7. *ff. de Jur. & fact. ignor.* 3. Quando id solvitur, quod nullo Jure debetur, illud, quod ita solutum est, sine causa penès accipientem est. Sed quod sine causa penès accipientem est, æquitas non patitur, ut penes eundem remaneat, ne is cum jactura alterius locupletetur *l. nam hoc* 14. *ff. de condict. indeb.*

Ad argumentum contrarium Legibus ibi *citt.* oppono alias, & ipsam æquitatem naturalem, juxta quam cùm iniquum sit ejusmodi lucrum, Lex positiva contra eam prævalere non potest. Ne verò in Legibus Antilogia admitti debeat, dicendum, prædictas Leges solum loqui in casu speciali.

60 Quæritur 3. an possit repetere, qui solvit, quod civiliter duntaxat erat indebitum, naturaliter debitum? Resp. negativè: proceditque hoc, sive solutum sit errore Juris, sive facti. Ita *l. citt.* Perez *n.* 8. Zoes. *n.* 7. Gonzal. *n.* 6. Vvidmont *n.* 46. & 47. Vviest. *n.* 53. *Ratio est*, quia repetitio indebitè soluti nititur solum æquitate naturali *l. nam hoc* 14. *cit.* igitur cessat eo casu, quo obligationem inducit æquitas, & ratio naturalis. *Conf.* nam debitum, seu obligatio naturalis sufficiens est ad faciendam compensationem *l. etiam quod natura* 6. *ff. de compensat.* igitur multo magis ad retentionem illius, quod acceptum est *arg. l. ob negotium* 20. *ff. eod.* & patet etiam ex ratione: nam negata etiam compensatione, non hoc ipso denegatur retentio *l. si necessarias* 8. §. *si pignori* 1. *ff. de Pignorat. act.* igitur cùm melior sit conditio possidentis, quam petentis, retinere solutum poterit, cui ita solutum est.

61 Quæritur 4. an repetere solutum possit, qui solvit, quod Jure naturali tantum indebitum erat, sed civiliter debitum? Resp. affirmativè. Ita Gloss. *in c. fin. cit. V. indebitam h. tit.* Abb. *ibid. num.* 14. Pirh. *hic num.* 32. Consequenter, siquis spe accipiendi pecuniam mutuam Chirographum dedit, in quo eam reddere promisit, sed postea pecuniam non recepit, si solvit, quasi ex promissione Chirographi ad id obligatus fuerit Jure Civili, repetere solutum potest, saltem intra biennium; quia intra illud tempus Chirographum potest repetere, vel agentem per Exceptionem non numeratæ pecuniæ repellere *l. quod si* 7. *C. de non num. pecun.* cui autem datur Exceptio, etiam conceditur repetitio. Estque perinde, sive solverit per errorem facti, sive per errorem Juris; quia, ut *supra num.* 59. dictum est, error Juris non nocet, quando agitur de damno vitando, & non lucro captando.

62 Quæritur 5. quousque se extendat Jus repetendi indebitum? Resp. *extendi se* 1. ad eum, qui dubitans, an debitum sit, solvit *l. fin. C. de condict. indebit.* quia *in re obscura melius est favere repetitioni, quàm adventitio lucro*, ut *Reg. non debet* 41. *ff. de R. J.* sapienter pronuntiat Ulpianus.

2 Extendit se ad eum, qui solvit, quod promisit sub conditione incerta de futuro, aut in diem incertum; nam ante eventum conditionis, vel diem illum nondum debebatur, sed tantum spes erat debitum iri *l. sub conditione* 16. *ff. de condict. indebit.*

3 Extendit se, etsi id, quod indebite solvisti, non amplius extet; potes enim petere ejus æstimationem, quantum ex re alienata, vel consumpta factus est ditior is, qui à te accepit *l. si non sortem* 26. §. *libertus* 12. *ff. h. tit.* Usuras tamen, seu fructus rei civiles, aut merè industriales non potes repetere *l. pecuniæ* 1. *C. eod.*

63 4 Extendit se non solum ad quantitatem solutam, sed etiam ad factum præstitum v. g. si per errorem putasti te esse obligatum Petro ejus res custodire, vel negotium suscipere, potes æstimationem facti, seu custodiæ, vel negotii utiliter gesti repetere per conditionem indebiti *l. si non sortem*, & §. *libertus cit.*

5 Extendit se, siquis non tantum suo, sed etiam alieno nomine indebitum solvit, v. g. Procurator pro domino, Testamentarius pro hærede *l. si quis* 2. *l. nec novum.* 5. & *l. seq. ff. eod.* ubi domino permittitur repetitio illius, quod Procurator ejusdem solvit, si ille, scilicet dominus ratum non habuit.

64 Quæritur 6. cuinam incumbat onus probandi, quòd indebitum solutum sit? Resp. juxta *cap. fin. cit.* & *l. cùm de indebito* 25. *ff. de Probat.* res expedienda est distinctione inter triplicem casum. *Primus est*, quando reus, super indebito conventus, pecuniam quidem acceptam ab initio fatetur, eam autem indebitam fuisse negat. *Secundus*, quando super indebito conventus, negat pecuniam sibi numeratam, deinde convictus, quòd solutio ipsi facta sit, dicit, eam sibi fuisse debitam. *Tertius*, quando, qui de indebito soluto conqueruntur, & illud repetunt, sunt Pupillus, Mulier, Miles, & similes.

65 *In primo casu* onus probandi incumbit Actori; quia præsumptio est pro reo, qui pecunias accepit, cùm, ut *l. cum de indebito cit.* dicitur, *nemo ita resupinus sit, ut facilè suas pecunias jactas, & indebitas effundat. In secundo casu* solutionem sibi fuisse debitam demonstrare debet, qui istud asserit *c. fin.* & *l. cùm de indebito citt.* quia inficiatione illa, & mendacio ipsius existimatio gravatur, ut in alio ei non credatur. *In tertio casu* onus probandi in reum conventum, & solutionem confessum transfertur *l. cùm de indebito cit.* §. *sin autem* 1. quia dictæ personæ ob simplicitatem, & Juris imperitiam onere probandi sublevantur. *Excipitur*, nisi Pupillus, Minor &c. contendant soluti partem tantum fuisse indebitam; hoc enim casu probare debent, quòd debito plus persolverint *l. cit.* §. *sed hæc* 2.

66 Quæritur 7. quibus casibus repetitio indebiti non concedatur? Resp. 1. quando solutum fuit à sciente se non debere, ut dictum est *n.* 57. Debet autem eo casu etiam Creditor scire, non tanquam debitum, sed tanquam donatum sibi concedi; alias ex defectu acceptationis non tenebit donatio, poteltque revocari, ut colligitur ex *l. si ego* 18. *ff. de reb. credit.* 2. Quando solutum fuit ex causa pietatis, ex qua putabatur debitum, cùm non deberetur. Ita in favorem causæ piæ statuitur *l. cum is* 32. §. *mulier.* 2. *ff. h. tit.* Ratio est, quia præsumitur velle donare ex pietate, casu, quo fortè non teneretur solvere. 3. Quando transactum fuit sine dolo litis causa *l. in summa* 65. §. *& quidem* 1. *ff. eod.* 4. Quando ex causa Jurisjurandi solutum est; non enim eo casu conceditur repetitio, etsi postea constet, nullam obligationem fuisse. Sed hoc tantum procedit, si puto me debere, & juro me velle solvere, sive debeam, sive non debeam; secus, si solum juro, quia puto me debere. 5. Quando solutum est vi sententiæ, quæ transiit in rem judicatam *l. pecuniæ* 1. *C. h. tit.* Quod verum est, etsi novis vel instrumentis, vel testibus productis probari postea posset indebitum fuisse solutum *l. Imperatores* 35. *ff. de re judic.*

67 Sed huic ultimo quintuplex addenda Exceptio est. 1. Si causa sit publica, qualis est Fisci, Cameræ Regiæ, vel Civitatis; hæc enim, si nova Instrumenta reperiantur, restituitur in integrum. 2. Si sententia sit lata ex falsis testibus, vel Instrumentis; nam ista in rem judicatam non transit. 3. Si probes, illum, in cujus favorem lata est, dolum commisisse. 4. Si per te non stetit, quo minùs tempore sententiæ Instrumenta produceres, & probares immunitatem à debito. 5. Si sententia lata fuit Juramento delato ob defectum probationum Creditori, & postmodum reperiantur Instrumenta, quibus probetur nil te debuisse.

68 Quæritur 8. utrum Condictio indebiti competat etiam ei, qui eidem renuntiavit? Resp. affirmativè: Ita communis cum Bartolo. *Ratio est*, quia talis renuntiatio procedit ex errore, quo renuntians credit, se de-

debere reipsa, quod solvit; non enim præsumi potest soluturum, & Condictioni indebiti renuntiaturum, si scivisset esse indebitum. *Proceditque hoc*, etsi renuntiationem ejusmodi confirmaret Juramento; nam sicut renunciatio malè supponit verè deberi, ac propterea nulla est, ita idem etiam supponit Juramentum. *Si tamen* ita solvens renuntiaret privilegio huic etiam pro casu, quo comperiat indebitum se solvisse, tenebit renuntiatio; quia eo casu error cessat, & succedit donatio.

§. VI.

De Effectibus Solutionis.

S U M M A R I U M.

69 *Solutio dominium rei solutæ transfert in Creditorem.*
70 *Tollit obligationem tam principalem debitoris, quàm accessorias.*
71 *Modus, quo possit securum se facere debitor post solutionem factam, ne denuo cogatur solvere.*
72 73 *In quale debitum computetur solutio, si is, qui ex pluribus causis obligabatur solvere, aliquam summam, non exprimens, quod debitum voluerit solvere?*

69 QUæritur 1. quinam sit Effectus Solutionis? Resp. Effectus Solutionis est maximè triplex, unus ex parte Creditoris, alius ex parte debitoris, tertius ex parte rei solutæ.

Primus est, quòd dominium rei solutæ transeat ad Creditorem, & quidem irrevocabiliter *l. successores* 10. *C. h. tit.* modo solvens dominus ejusdem fuerit; alias in Creditorem tantum transferetur conditio usucapiendi rem in solutum acceptam *l. pro soluto* 46. *ff. de Usurpat. & Usucap.*

70 *Secundus est*, quòd per Solutionem Debitor ipso Jure liberetur à debito, & cons. tollantur obligationes omnes eidem accessoriæ tum rerum, tum personarum, ut sunt Fidejussiones, Pignora, Hypothecæ *pr. Inst. quot. mod. toll. oblig. l. in omnibus* 43. *l. Stichum* 95. *§. naturalis* 4. *ff. h. tit.* Ratio est, quia sic obligatio accessoria ab initio non constituitur, ubi nulla est obligatio principalis, ita ista sublata, etiam illa concidit juxta *Reg. cum principalis* 178. *ff. de R. J.*

Tertius est denique, quòd res soluta præsumatur fuisse debita, ita, ut regulariter onus probandi indebitam fuisse incumbat solventi, ut dictum est *n.* 65. ubi etiam Exceptiones ponuntur.

71 Quæritur 2. quid debitor facere post solutionem debeat pro securitate sua, quòd solverit? Resp. vel Chirographum aliquod Creditori dedit, quando contraxit debitum, vel nullum datum est. *Si primum*, per *Conditionem sine causa* illud potest repetere *l. fin. C. h. tit.* vel etiam ad exhibendum agere *l. fin. C. ad exhibend.* *Si secundum*, aut quod datum, amissum est, potest à Creditore petere Apocham, vulgo *Quietantiam*, qua contineatur confessio soluti debiti *l. pecunia* 14. *C. h. tit.* Brunnem. *ibid. à n.* 1. Gaill. *l.* 2. *obs.* 37. Lauterbach. *ad l. cit.* §. 31. Eckold *ad ff. h. tit.* §. 9. Konig *hic n.* 32. Magnif. P. Schmier *c.* 8. *de Pact. & Contract. n.* 75.

72 Quæritur 3. in quale debitum Solutio imputetur, si is, qui ex pluribus causis obligatus erat alicui solvere, aliquam summam eidem solvit, nihil exprimens, quam causam, seu debitum velit dissolvere? Resp. cum distinctione: Vel enim utrumque debitum est æquè principale, vel unum principale, alterum accessorium eidem, ut est debitum ex mutuo, & usura.

Si primum, debito semper censetur duriorem causam,
73 & obligationem voluisse dissolvere, per quam scilicet plus gravatur: cons. siquid debeat sub Hypotheca, vel sub pœna, aut Usuris, aliud sine istis, censetur illud voluisse dissolvere præ isto *l. quoties* 1. *l. cæterum* 3. *cum duab. seqq. l. cùm ex pluribus* 97. *&* 103. *ff. l. in potestate* 1. *C. h. t.* Zoes. *ad ff. hic num.* 33. Lauterbach. §. 34. *& seqq.* Stryck. §. 20. Fleck *Biblioth. Jur. l.* 3. *tit.* 58. *n.* 24. *& seqq.* P. Schmier *l. cit. n.* 79. & ratio est, quia quisque præsumitur facere, quod sibi utilius est.

Si secundum, & summa soluta non sufficiat pro extinguendo utroque debito, prius censeri debet extincta obligatio accessoria principali inhærens: cons. si Titius 1000. debeat ex mutuo, & 500. ex Usuris per 10. annos nunquam solutis: postea verò quingentos offerat, censeri debet solvere Usuras, non capitale; quia tali casu non in debitoris, sed creditoris potestate est, in quam summam velit imputare, cùm creditor juste possit petere, ut prius solvantur Usuræ, quam Capitale: & hinc eo casu non censetur id actum, quod debitori, sed quod creditori utilius est *l. in his* 5. *§. apud Marcellum* 3. *ff. & l. in potestate* 1. *C. h. tit.* Carpzov. *p.* 2. *const.* 29. *defin.* 17.

T I T U L U S XXIV.

De Donationibus.

COntractibus, & Solutioni obligationis, quæ ex Contractu nascitur, Donatio additur, quæ etsi non Contractus proprie dictus, sed Pactum legitimum duntaxat sit, sæpe tamen per stipulationem, vel alium Contractum perficitur.

§. I.

De Donationis Natura, & Requisitis.

S U M M A R I U M.

1 *Definitio Donationis.*
2 *Requisita.*
3 *Regulariter non præsumitur.*
4 5 *Casus, in quibus præsumitur.*
6 *Promissio, & Donatio non acceptata nullam pariunt obligationem.*
7 *Hinc à donante pro libitu revocari potest.*
8 *Neque ad hæredes transit.*
9 *Excipitur Donatio facta Ecclesiæ, vel alteri piæ causæ.*
10 *Limitatio.*
11 *Qualis debeat esse acceptatio Donationis?*
12 *Quomodo differat Donatio à Promissione, Pollicitatione, & Stipulatione?*

QUæritur 1. quid sit *Donatio*? Resp. *Donatio* nomen accepit à *Dono*, & idem sonat, quasi *Doni datio*, ut advertit Paulus *l. senatus* 35. *§. donatio* 1. *ff. de mort. caus. donat.* Communiter definitur, quod sit *Liberalitas, quæ nullo Jure cogente exercetur*, prout colligitur ex *l. donationes* 1. *& l. donari* 29. *pr. ff. h. tit.* sive ut Host. *in Summ. h. tit.* Abb. *ibidem*, & alii describunt, *est rei licitæ* (i. e. non prohibitæ donari) *nullo Jure cogente, ex mera liberalitate facta Collatio, seu datio.* Brevius Pal. *D.* 2. *de Just. commut. p.* 1. *n.* 7. eam sic definit: *Est liberalis propriorum bonorum alteri facta concessio.* 1

Ad ejus Essentiam requiritur 1. ut res donata non 2
fuerit aliunde debita, saltem de Jure, sive ex Justitia. 2. Ut donans habuerit potestatem donandi, seu alienandi rem suam. 3. Ut voluerit donare, seu dominium ejus irrevocabiliter transferre in donatarium. 4. Ut voluntatem istam signo aliquo externo manifestarit donatario; alias procedet Regula: *Cogitatum in mente retentum nihil operatur.* 5. Ut donatio acceptata fuerit à donatario.

Quæritur 2. quomodo animum suum donator expli- 3
care debeat? Resp. sufficit, ut eam quocumque modo declaret, etiam per Epistolam *l. nec ambigi* 6. *& l. si aliquid* 13. *C. h. tit.* modò signum illud sit omnino indubium; nam Donatio regulariter non præsumitur, quoties alia interpretatio, vel conjectura fieri potest *l. cum de indebito* 25. *pr. vers. sin verò ff. de Probat.*

Dixi *regulariter*; nam plures sunt casus, in quibus 4
Donationem Jura præsumunt. Talis est 1. si vir Nobilis, seu Illustris, & dives aliquid det, modo summa, vel res data non sit magna. Gloss. *l.* 32. *§. fin. ff. de Legat.* 3. Menoch. *de arbitr. Judic. c.* 88. *num.* 39. *&* 52 Pirh. *hic num.* 31. Konig *n.* 19. & colligitur ex *c. prudentes* 1. *h. t.*

2 Si inter dantem, & recipientem arctum sanguinis, & amicitiæ vinculum intercedat per *l. vir uxori* 39. *ff. de Donat. int. vir. & uxor.* modo summa quantitatem Jure taxatam non excedat.

3 Quando bene merita præcesserunt; quod enim postea datur, censetur donatum in remunerationem præcedentium meritorum. Menoch. *l. cit. n.* 57.

4 Si Venditor, nulla necessitate, vel dolo indu- 5
ctus, rem magni valoris minimo pretio vendat, cùm bene nosset justum pretium; nam quod deest de justo pretio, & non accepit, donasse præsumitur. Menoch. *l. cit. num. ult.*

5 Si Creditor reddat Chirographum Debitori; videtur enim inter eos conventum, ne debitum petatur *l. Labeo* 2. *§. & ideo* 1. *ff. de Pact.* Proceditque hoc, etiamsi plures tabulæ ejusdem debiti fuerint scriptæ, nec omnes redditæ, ut notat Konig *hic n.* 19. *cit.*

6 Siquis sciens indebitum solvat, prout dictum est *Tit. præc. n.* 57. Videatur Menoch. *l. cit.*

Quæritur 3. an promissio, vel donatio, antequam 6
acce-

acceptetur à promiſſario, vel donatario, obligationem pariat in promittente, vel donante? Reſp. negativè; quia Leges propter bonum publicum irritarunt omnem obligationem, ita, ut nec naturalis, nec civilis ex promiſſione, vel donatione nondum acceptata ſurgat, ut patet ex *l. abſenti* 10. *ff. h. tit.* & *l. contractus* 16. *C. de fid. Inſtrum.* Proceditque hoc juxta communem apud Sanch. *l.* 1. *de Matrim. D.* 6. *à n.* 22. etiam de Jure Canonico; quia in hoc nullibi reperiuntur quoad iſtud requiſitum correctæ Leges Civiles. *Neque obſtat* quòd poſſit aliquis ſola ſua voluntate amittere dominium, vel poſſeſſionem rei; nam eſto, hoc ita ſit, non tamen poteſt quis ſola ſua voluntate facere, ut res ſua ad alium pertineat; alias te invito facere poſſem, ut eſſes dominus omnium mearum rerum: quod falſum eſt; quia non poſſumus inviti, & repugnantes aliquid acquirere.

7 *Ex quo ſequitur* 1. poſſe donatorem donationem ſuam, antequam illa à donatario acceptetur, non tantùm moderari, verùm etiam pro libero arbitrio ſuo revocare, idque quolibet modo, quo contraria voluntatis intentio demonſtratur, ut communiter DD. cum Palao *de Juſt. commut. D.* 2. *p.* 2. *n.* 2. & ratio eſt, quia ita mutando, vel revocando donationem nec fidem violat, nec jus aliquod donatarii lædit, cùm nec ipſe obligationem contraxerit, nec iſte jus adhuc acquiſiverit. Proceditque hoc, etſi donatio Juramento ſit confirmata, quia Juramentum ſequitur naturam actus principalis, ac proinde & ipſum habet imbibitam hanc conditionem: *ſi donatarius donationem acceptet.*

8 *Sequitur* 2. ſi donans donatarium certiorem faciat de donatione à ſe facta, hic verò ante acceptationem litterarum moriatur, donatarium donatæ rei non fieri dominum, nec donationem poſt mortem donatoris amplius acceptare poſſe, niſi ea mente ſervo ejus res data fuerit, ut ſtatim domini fiat *l. ſi cum* 2. §. *ſed ſi* 6. *l. abſenti* 10. *ff. h. tit.* Carpz. *l.* 5. *reſp.* 62.

Sequitur 3. ſimiliter, ſi donatarius moriatur, nondum acceptata donatione, rem donatam ad hæredes ejuſdem non tranſmitti; videtur enim acceptatio in arbitrium ipſius collata, non hæredum; aliud namque eſt velle dare jus ad hæredes tranſiturum, aliud velle dare hæredibus, Engl *de Pact.* §. 11. *n.* 6.

9 Quæritur 4. an, ut valeat Donatio facta Eccleſiæ, vel ad aliam piam cauſam, requiratur acceptatio Adminiſtratoris Eccleſiæ, vel cauſæ piæ? Affirmat Trentacinq. *l.* 3. *de Donat. reſ.* 1. *n.* 1. *arg. l. abſenti* 10. *ff. h. tit.* quæ generaliter loquitur.

Verius negant Tiraquell. *de privil. cauſ. piæ privil.* 115. Carpzov. *l.* 5. *reſp.* 62. *n.* 16. Stryck. *de cautel. contract. ſect.* 3. *c.* 9. *n.* 2. Konig *hic num.* 21. Ratio eſt, quia cùm ejuſmodi promiſſiones, & donationes DEO fiant, ſaltem regulariter, vim voti habent, quod ſi de meliori bono ſit, ſtatim à DEO acceptatur, ut proinde acceptatione Adminiſtratoris Eccleſiæ opus non habeat, ut donator obligetur ad dandum id, quod donavit, vel promiſit, ſaltem ex obligatione Religionis: *ex obligatione Religionis*, inquam; nam Jus Cauſa pia per ejuſmodi promiſſionem, antequam ab Adminiſtratore ejuſdem acceptetur, nullum acquirit: & propterea Votum tale, priuſquam acceptetur, commutari, vel diſpenſari ab Epiſcopo poteſt.

10 Addidi *Regulariter*; nam ſi verba donantis, & intentio ipſius directè feratur ex. gr. in ipſos pauperes, quibus res danda eſt, rationem Voti non habet, & propterea ante acceptationem non obligat talis Donatio. In dubio tamen, cùm aliquid donatum, vel promiſſum eſt piæ cauſæ, præſumitur animus vovendi; quia ejuſmodi promiſſiones in abſentia promiſſarii communiter concipi ſolent in ordine ad Deum.

11 Quæritur 5. qualis debeat eſſe acceptatio Donationis? Reſp. ut valida ſit Donationis acceptatio, requiritur 1. ut promiſſio, vel Donatio non revocetur ante acceptationem; ſi enim revocetur, nihil proderit acceptatio *arg. l. ſi verò* 12. §. *ſi mandavero* 16. *ff. mandat.*

2 Ut, ſi illa abſenti fiat, per nuntium, vel Epiſtolam à promittente, vel donante miſſam, intimetur donatario, vel promiſſario, ut colligitur ex *l. abſenti* 10. *ff. h. tit.* & hinc ſi aliquis tertius, qui caſu audivit, id referat donatario, & is donationem acceptet, acceptatio erit invalida.

3 Ut promiſſarius promiſſionem, donatarius donationem acceptet coram nuntio, quem ipſi miſit promittens, vel donans; nec enim ſufficit, ſi tantum acceptet coram aliis.

4 Ut ſicut vult Sanchez, & alii multi apud Leſſ. *l.* 2. *de Juſt. c.* 18. *num.* 43. acceptatio facta donatori, vel promittenti innoteſcat per nuntium, vel Epiſtolam. Sed melius hoc alii negant; quia cùm per acceptationem promiſſarius ſe non obliget promittenti, non eſt ratio, cur ea huic intimari debeat. Videatur Lugo *D.* 23. ubi plura de acceptatione promiſſionis, vel donationis.

Quæritur 6. quomodo differat Donatio à Promiſſione, Pollicitatione, Stipulatione? Reſp. 1. à *Promiſſione* differt; quia hæc eſt datio fidei libera, & ſpontanea de re licita, & hinc inducit ſolùm obligationem ad dandum, & licèt det jus ad rem promiſſam, non verò dat jus in re: Donatio verò transfert dominium rei donatæ in donatarium; neque enim perficitur, niſi traditione reali, vel æquivalente, ſufficiente ad transferendum dominium, cùm ſine hac adhuc imperfecta ſit, & incompleta. 12

2 Differt à *Pollicitatione*; quia hæc eſt nuda promiſſio abſque acceptatione promiſſarii *l. ſi pollicitus* 1. *& ſeqq. ff. de pollicit. & l. nuda* 4. *ff. de contrah. & committ. ſtipul.* Donatio verò, ut *n.* 6. dictum eſt, requirit acceptationem, quod ipſi cum promiſſione commune eſt, & inſuper etiam traditionem ad hoc, ut ſit perfecta, ut modò inſinuatum.

3 Differt à *Stipulatione*; quia hæc eſt promiſſio ſub certa verborum forma, nimirum præcedente Creditoris interrogatione, & ſubſequente reſponſione debitoris obligationem acceptantis *l. ſtipulatio* 1. *ff. de V. O.* Donatio verò, uti & promiſſio ſimplex certam verborum formulam non requirit.

§. II.

De Varietate Donationum, & præcipuè de Donatione inter vivos, & mortis cauſa.

SUMMARIUM.

13 *Dividitur Donatio primò in Perfectam, & Imperfectam.*
14 *Secundo in Puram, & non puram.*
15 *Tertiò in Gratuitam, & Remuneratoriam.*
16 *Requiſita, ut cenſeatur eſſe Remuneratoria.*
17 *In odioſis hæc ſub nomine Donationis non venit.*
18 *Quartò in Donationem inter vivos, & mortis cauſa.*
19 *Quando cenſeatur eſſe mortis cauſa Donatio?*
20 21 22 *Quid judicandum in dubio?*
23 *Quid cenſendum, cum mentioni mortis additur irrevocabilitas?*

QUadruplex maximè apud DD. invenitur Donationum diviſio. 1. in Perfectam, ſeu Realem, & in Imperfectam, ſeu Verbalem. 2. in Puram, & non puram. 3. in Gratuitam, & Remuneratoriam. 4. & præcipuè in eam, quæ fit inter vivos, & eam, quæ mortis cauſa.

Quæritur 1. quid ſit Donatio Perfecta, & Imperfecta? Reſp. *Perfecta eſt*, qua donans rem alteri & actu donat, & ſimul in effectu tradit; *Imperfecta*, cùm quis per verba de præſenti actu quidem alteri rem donat, ſed nondum tradit, quia fortè ad manum eam non habet, vel quia adhuc eadem indiget. Prior propriiſſimè Donatio dicitur, & definiri poteſt, quòd ſit liberalis doni datio: poſterior quoad effectum non differt à Promiſſione gratuita, multum tamen diſtinguitur ab illa quoad modum tendendi ipſius actus; promiſſio enim pro objecto habet obligationem futuræ translationis dominii in alium: Donatio verò ex vi modi ſui tendendi eſt actualis abdicatio proprii dominii, & ejuſdem in alium translatio, complenda per traditionem futuram, & incompleta per præſentem. 13

Quæritur 2. quid ſit Donatio Pura, & non pura? Reſp. *Pura donatio* eſt, in qua nulla limitatio ponitur, atque ideo res donata ſtatim debetur, intellige, moraliter, non phyſicè; non enim continuo venire creditor debet cum ſacco ad rem ſibi donatam ſtatim recipiendam, ut monet JCtus *l. quod dicimus* 105. *ff. de ſolution.* ſed arbitrandum eſt tempus judicio prudentis ex circumſtantiis. *Donatio non pura* alia eſt *Conditionalis*, ut *Dono tibi hoc, ſi verè indiges*; alia *in diem*: & hæc vel *in diem certum*, v. g. ad Calendas proximas Januarias; vel *in diem incertum*, v. g. cum navis ex India venerit. 14

Quæritur 3. quid ſit Donatio mere gratuita, & Remuneratoria? Reſp. *Gratuita* eſt, quæ fit ex mera liberalitate donantis, & propter nullam aliam cauſam, quàm ut munificentiam ſuam exerceat. *Remuneratoria*, quæ fit ex debito gratitudinis, & ob merita Donatarii. Hæc non eſt proprie dicta Donatio; quia iſta, ut colligitur ex *l. donationes* 1. *pr.* & *l. Aquilius* 27. *ff. h. tit.* pro cauſa ſolam liberalitatem habet, quod non ſit in 15

Dona-

)onatione remuneratoria. Poteſt tamen & ipſa dici)onatio; quia ut nomen hoc Donatio aliqua mereaur, ſufficit, ſi res donata non ſit debita ex Jure, eu Juſtitia.

16 Ut donatio aliqua Remuneratoria cenſeatur. 1. debet fieri ob merita vel Donatarii, vel ejus, cujus inuitu donatur alteri; non enim requiritur, ut illi ipſi dones, qui de te bene eſt meritus, ſed ſufficit, ſi intuitu illius dones alteri, v. g. filio intuitu Patris. 2. donator debet exprimere ſe ob merita donare; quia etiam bene meritis poteſt donari liberaliter. Quodſi tamen merita præceſſerunt, & contrarium non exprimatur, in foro externo præſumitur eſſe Donatio non gratuita, ſed remuneratoria & Antidoralis, ut notat Menoch. *l.* 2. *de arbitr. c.* 88. *num.* 53. & alii. 3. debet probari, quòd merita præceſſerint; alias in foro externo pro Remuneratoria non habebitur, etſi donans expreſſerit, ſe donare ob merita. Menoch. *c.* 134. Qualia autem merita eſſe debeant, juxta eundem Menoch. *c.* 132. & alios relinquendum eſt arbitrio Judicis, qui ut judicium de hoc ferre poſſit, in conſiderationem adducet conditionem donatoris, donatarii, & cauſam, ob quam fit Donatio.

1 *Dubium eſt*, an prohibitiones, quibus certæ perſonæ prohibentur donare, intelligendæ ſint etiam de Donationibus Remuneratoriis? Affirmat cum non paucis Gonzal. *in c.* 3. *hoc tit. num.* 9. Negat Sanch. *l.* 6. *de Matrim. D.* 6. cum communi DD. Et videtur ſententia hæc præferenda priori; quia in odioſis termini, & verba in ſenſu ſtricto, & proprio accipienda ſunt; Donatio autem Remuneratoria, ut dictum eſt, non eſt proprie dicta Donatio; qui enim bene de ſe merito donat, non tam videtur donare, quam ſolvere.

1 Quæritur 4. Quid ſit Donatio inter vivos, & mortis cauſa? Reſpond. *Donatio inter vivos* eſt, qua quis res ſuas, aut bona aliqua confert alteri irrevocabiliter, & ſine ulla mortis cogitatione, vel mentione. *Donatio mortis cauſa* autem, qua aliquis mortis imminentis metu, vel ſaltem ejus aliquando futuræ intuitu res, ſeu bona ſua in alium confert eo animo, ut morte ſecuta, ejus fiant. §. *mortis cauſa* 1. *Inſt. h. tit.*

Concipi autem mortis cauſa Donatio poteſt dupliciter. 1. cum quis nullo præſentis periculi metu perterritus, ſed ſola cogitatione mortalitatis, ſive mortis aliquando abſolute futuræ donat in tempus, quo mortuus fuerit. Hæc Donatio non exſpirat, niſi donatarius ante donantem moriatur, vel Donatio à donante revocetur. Laym. *l.* 3. *tr.* 4. *c.* 42. *n.* 4.

1 2. Quando quis mortis imminentis periculo motus e. g. quia periculoſam navigationem ſuſcepturus, aut bellum initurus eſt, donat: quod iterum dupliciter fieri poteſt. 1. enim donare poteſt ita, ut res ſtatim fiat accipientis, ea conditione tamen, ut ſi mors non ſequatur, donator rem ſic donatam velit ad ſe reverti, ſibique reſtitui.

Hanc donationem ergo donator, morte non ſecuta, revocare poteſt, & rem donatam repetere. Gloſſ. *in l.* 2. *V. accipientis ff. de mort. cauſa donat.* 2. Poteſt donare ita, ut eam donans non ſtatim velit eſſe accipientis, ſed tum demum, ſi mors ſecuta fuerit. Hæc ſtatim quidem tenet, ſi tamen periculum tale ceſſat, & mors non fuerit ſecuta, ipſo Jure exſpirat, ſine ulla alia revocatione; quia tacitè revocata cenſetur. Gloſſ. *fin. in l.* 3. *ff. de mort. cauſ. donat.*

Quæritur 5. qualis cenſeri debeat eſſe Donatio, quando dubium eſt, an ſit Donatio inter vivos, an mortis cauſa? *Ratio dubitandi* in ſpeciem minimè levis eſt; quia Donatio rerum ſuarum quædam jactatio eſt, adeoque eſt ſtricti Juris, ita, ut in dubio nemo præſumatur donare, quoties alia interpretatio, vel conjectura fieri poteſt, ut ex *l. cùm de indebito* 25. *ff. de Probat.* dictum eſt *n.* 3. atqui magis jactantur res per Donationem inter vivos, quàm eam, quæ fit mortis cauſa, cùm iſta ſit revocationi obnoxia, non verò illa. ergo in dubio potius cenſeri debet Donatio mortis cauſa, quam Donatio inter vivos.

Sed hoc non obſtante, dicendum, in dubio præſumendum, quòd ſit Donatio inter vivos. Ita communis cum Bartolo *in l.* 11. *ff. de dot. prælegat.* & habetur clarè *l. Seja* 42. §. *cum pater* 1. *ff. de mort. cauſ. donat.* ubi juxta reſponſum Papiniani, ſi infirmus, & in articulo mortis conſtitutus abſolutè, & citra mortis mentionem donet, *non tam mortis cauſa, quam moriens donaſſe* cenſendus eſt. *Ratio eſt*, quia in dubio præſumenda eſt talis Donatio, quæ verbo Donationis proprie accepto ſignificatur, juxta Regulam generalem, qua in dubio pro verborum proprietate præſumitur, donec aliud fuerit demonſtratum *l. non aliter* 96. *pr. ff. de Legat.* 3. atqui verbo *Donationis* propriè accepto ſignificatur Donatio inter vivos, & ſimplex, non mortis, aut alia cauſa facta. ergo &c.

Ad Rationem dubitandi abſolutè, & abſque mortis mentione donans, ſatis declarat, quòd mere liberaliter donet, hoc ipſo, quòd ſine addita cauſa donet: ſed neque perdere intelligitur id, quod donat, niſi perſonis indignis donet. Hinc qui contendit ſe mortis cauſa donaſſe, probare hoc debet; probabit autem ex circumſtantiis, præcipue donantis, qualis eſſet, ſi is, qui donavit inter vivos, & mere liberaliter donandi facultate careat: tunc enim cenſebitur eſſe mortis cauſa donatio; quia actus ſemper ita explicari debent magis, ut valeant, quam ut pereant. 22

Quæritur 6. qualis ſit Donatio, in qua quidem mortis ſit mentio, ita tamen ſit, atque ea mente, ut ab eo, qui donat, revocari non valeat? Videtur eſſe Donatio mortis cauſa, ut colligitur ex *l. ſi alienam* 13. *fin.* §. *de mort. cauſ. donat.* ibi, *Sic quoque poteſt donari mortis cauſa, ut nullo caſu ſit ejus repetitio, i. e. nec ſi convaluerit quidem donator.* 23

Sed reſpondendum, eſſe Donationem inter vivos. Ita cum communi Fachin. *l.* 5. *contr. c.* 23. Stryck. *de cautel. contract. ſect.* 3. *c.* 9. §. 9. Magnif. P. Schmier *c.* 7. *de Pact. & contr. num.* 149. & deſumitur ex *l. ubi ita* 27. *ff. de mort. cauſ. donat.* ubi Marcianus, *Ubi ita*, inquit, *donatur mortis cauſa, ut nullo caſu revocetur, cauſa donandi magis eſt, quàm mortis cauſa donatio: & ideo perinde haberi debet, atque alia quævis inter vivos donatio, ideoque inter viros, & uxores non valet; & ideo nec Falcidia locum habet, quaſi in mortis cauſa donatione.* Ratio eſt, quia irrevocabilitas eſt differentia eſſentialis Donationis inter vivos à Donatione mortis cauſa, ita, ut omnis Donatio, quæ irrevocabilis eſt, ſit Donatio inter vivos.

Ad rationem dubitandi, textu *l. ſi alienam cit.* ut cum explicat Fachin. *l. cit.* & Brunnem. *in l. ubi ita cit. num.* 2. aliud nihil aſſeritur, quàm quod mortis cauſa Donationi adjici poſſit Pactum, ne ullo caſu revocetur, an verò ex ejuſmodi adjectione Donatio alteretur, & Donatio inter vivos eſſe incipiat, intactum relinquitur, quamvis hoc dubium poſtea decidatur *l. ubi ita cit.*

§. III.

De iis, qui donare poſſunt, vel non poſſunt.

SUMMARIUM.

QUæritur 1. quis donare poſſit? Reſp. diſtinguendum inter mortis cauſa Donationem, & Donationem inter vivos. *Mortis cauſa* donare poteſt, qui teſtari *l. Marcellus* 15. *ff. de mort. cauſ. donat. l. cum hic* 32. §. *ſimiles* 8. *ff. de Donat. inter vir. & uxor.* Hæc tamen Regula ſolum procedit affirmativè, non autem negativè; nam filiusfamilias, qui non poteſt facere Teſtamentum, nec voluntate Patris, tamen mortis cauſa donare, patre permittente, poteſt, ut *l. tam is* 25. §. *filiusfam.* 1. *ff.* notat Marcianus. 24

In Donatione inter vivos diſtingui debet, an Donatio fiat ex bonis propriis ipſius donatoris, an ex alienis, quæ à donatore adminiſtrantur. *Ex bonis propriis* quivis donare poteſt, qui eorum liberam adminiſtrationem habet, & à Jure donare non prohibetur: ut ex alienis, quæ adminiſtrat, donare quis poſſit, opus habet ſpeciali mandato; quia ſub generali mandato poteſtas donandi non continetur *l. filiusfam.* 7. *ff. hoc tit.* Ex quo 25

Sequitur 1. quòd donare non poſſint ii, qui rerum ſuarum adminiſtrationem non habent, quales ſunt Pupilli, minores, prodigi, quibus bonorum adminiſtratio eſt interdicta. 26

2 Ii, qui rerum ſuarum adminiſtrationem quidem habent, ſed Donationes facere à Jure prohibentur. Et ex hac cauſa 1. donare non poteſt Pater filio, quem in poteſta-

testate sua habet *l. cum de bonis* 11. *C. hoc tit.* & *l. si pater* 2. *C. de inoffic. Donat.* Ratio est, quia quamdiu filius est sub potestate Patris, censetur facere unam personam civilem cum Patre, & sic Pater sibi ipsi donaret. 2. non potest donare uxor marito, & maritus uxori *l. moribus* 1. & *l. hæc ratio* 3. *ff. de donat. int. vir. & uxor.* ne scilicet, ut ibi dicitur, vel nimius amor alterutrum ad paupertatem redigat, vel certè difficultas donandi, & denegatio rei ab altero desideratæ inimicitiarum, & litium causam præbeat. 3. denique donare non potest miles suæ focariæ, sive concubinæ; quamvis enim alias etiam inhonestæ donationes valeant, & tam bene meretrici, quàm alteri donari possit, *milites tamen meos*, inquit *l. si ancillam* 2. *C. de donat. inter vir. & uxor.* Imperator, *à focariis suis hac ratione, fictisque adulationibus spoliari nolo.* Quod ipsum ad Clericos extendit *Rota decis.* 46. *n.* 6. Covar. *Reg. peccatum part.* 2. §. 2. *n.* 2. Konig *hic num.* 10.

27 3 Donare non possunt ex alienis rebus, qui illarum administrationem etiam generalem habent, nisi vel Jus hoc ipsis permittat, vel speciali mandato instructi sint. Tales sunt Tutores Pupillorum, & Curatores Minorum, vel Prodigorum *l. Tutor* 22. *l. Lucius Titius* 46. §. *ult. ff. l. non omni* 16. *C. de admin. & peric. Tutor.* Administratores Civitatum, & Rerump. Prælati &c. de quibus *num. seqq.*

His tamen ferè omnibus non omnes, nec in quacumque quantitate, vel causa factæ Donationes vetantur: & hinc ulterius.

28 Quæritur 2. quas Donationes possit facere Filiusfamilias sine consensu Patris, Minor sine authoritate Curatoris? Resp. 1. Filiusfamilias donare, Patris consensu non requisito, potest de Peculio suo Castrensi, vel quasi Castrensi; quia hujus liberrimam administrationem habet. 2. potest Minor donationes facere in rebus communibus juxta status sui conditionem, sicut alii ejusdem conditionis facere solent; quia, ut cum Lessio, & aliis notat Lugo *D.* 23. *num.* 143. ad sic donandum Minores habent tacitum consensum Curatoris. 3. tam Minor, quàm Filiusfam. si pubertatem attigerint, absque consensu Curatoris, vel Patris donare possunt mortis causa; Minor quidem de omnibus suis bonis, Filiusfam. verò de iis, quorum administratio, & Ususfructus ipsi competit independenter à patris consensu. Ita quoad Filiumfamilias contra communem satis probabiliter Fachin. *lib.* 5. *contr. c.* 25. *& alii.* Quoad Minorem verò idem Fachin. *l. cit. cap.* 61. cum Baldo, & aliis. Sumitur ex *l. filiusfam.* 7. §. *hæc omnia* 6. *ff. hoc tit.* & *l. cùm hic status* 32. §. *similes* 8. *ff. de Donat. int. vir. & uxor.* ubi dicitur *mortis causa donare posse, cui testari permissum est;* est autem puberi minori permissum testari absque authoritate Curatoris. ergo &c. *Conf. ex ratione:* quia per talem Donationem non infertur præjudicium, vel Minori, vel Patri.

29 *Dubium est*, an Donationes à Minore sine Curatoris authoritate extra hos casus factæ, teneant, & donatarius sic acceptum salva conscientia retinere possit? Respondendum hìc est secundum diversas sententias; nam qui dicunt ejusmodi Donationes naturaliter saltem esse validas, cons. respondere debent, quòd Donatarius sic acceptum retinere possit, donec repetatur à Curatore, vel ipso Minore: quod negare debent, qui Contractus Minoris, sine authoritate Curatoris initos, putant esse etiam naturaliter nullos. Quid absolutè dicendum sit, ad alium locum examinate spectat.

30 Quæritur 3. quibus casibus subsistat Donatio Patris facta filio? Resp. 1. si Pater filio pecuniam, arma, vel alia mobilia donet eunti ad bellum, aut si libros professuro aliquam disciplinam. 2. Si faciat Donationem Remuneratoriam secundum dicta *num.* 17. *supra.* 3. Si Matrimonium contracturo det aliquid in dotem. 4. Si donet post contractum Matrimonium; quia per hujus contractum à Patria potestate liberatur. 5 Si donet filio naturali illegitimo; quia Jure Cæsareo non est in potestate Patris. 6. Si donet filio Usumfructum, quem in ejusdem bonis adventitiis habet. 7. Denique valet Donatio Patris in filium omnibus illis casibus, in quibus valet Donatio inter conjuges. Ita ex variis Juribus Navar. *Man. c.* 17. *à n.* 145. Imò etiam cæteræ Donationes filio à Patre factæ non sunt absolutè, & penitus nullæ; confirmari enim possunt tum Juramento, tum morte donantis, tum etiam emancipatione, si illas Pater antea non revocaverit, ut cum aliis tradit Perez *in Cod. h. tit. num.* 10.

31 Quæritur 4. quales Donationes facere possint Clerici de reditibus suis Ecclesiasticis? Resp. possunt facere Donationes ad pias Causas, item Remuneratorias proportionatas meritis, non autem profanas, uti constabit ex dicendis *Tit. seq. à num.* 19. Quodsi id faciant in magna quantitate, peccant mortaliter, nisi fortè parati sint compensationem facere, & tantumdem refundere in causas pias ex Bonis Patrimonialibus, & aliis, quorum liberam administrationem, & dominium habent *n.* 19. *cit.* & 22. cæterum probabile est eos, qui accipiunt dono ejusmodi bona à Clericis, ad restitutionem non obligari; quia illi ad superflua, in pias causas applicanda, probabilius non tenentur ex Justitia secundum dicta *Tit. cit. n.* 32. Imò, ut notat Lugo *D.* 4. *n.* 48. *&* 49. ejusmodi dona accipientes ne quidem peccati, saltem gravis, facilè damnandi sunt, modò ejusmodi Donationes non petant à Clericis, vel ad eas inducant.

Quæritur 5. an, & quales Donationes possint facere Religiosi? Resp. distinguendum esse, an ejusmodi Religiosus extra Monasterium degat, vel an in Monasterio sub obedientia Prælatorum vivat. 32

Si primum, & Religiosus e. g. Beneficium aliquod habeat, potest de reditibus Ecclesiasticis, quorum libera administratio ipsi permissa est, disponere æquè, ac Beneficiarii Sæculares, adeoque Eleemosynas, aliasque Donationes honestas facere, etiam sine consensu Prælati Ordinis, ut docent Molin. *tract.* 2. *D.* 276. *num.* 5. Laym. *l.* 3. *tr. c.* 12. *n.* 9. Pirh. *hic num.* 16. & ratio est, quia ejusmodi Donationes ad liberam administrationem pertinent.

Si secundum, & Religiosus vivat sub Obedientia Superiorum, iterum distingui debet, an hujusmodi Religiosus administrationem bonorum Monasterii habeat, an verò nullam habeat administrationem. *Si habet administrationem*, uti sunt Oeconomi, Procuratores &c. possunt Donationes facere, aliasve alienationes secundum facultatem ipsis à Superiore immediato, vel mediato concessam, & quantum Ordinis Statuta, aut consuetudo permittit. Molin. *l. cit. num.* 3. Sanch. *l.* 7. *moral. c.* 19. *n.* 92. Laym. *l. cit. num.* 10. §. *tertiò*, Pirh. *num.* 16. *cit. Si nullam habent administrationem bonorum;* nullas omnino Donationes, etsi alias justas, facere possunt absque expressa, vel saltem tacita Superioris licentia juxta *c. cum ad Monasterium* 6. *de Stat. Monach.* & *can. non dicatis* 11. *caus.* 12. *q.* 1. quia tales solum usum rerum sibi concessarum habent. Molin. *l. cit. num. ult.* Sanch. *num.* 95. Laym. *l. cit.* §. *denique.* Pirh. 16. *cit.* 33

Quæritur 6. quas Donationes facere possint Prælati Ecclesiæ tum Regulares, tum Sæculares? Resp. 1. res immobiles, & mobiles pretiosas, etiam in remunerationem obsequiorum Ecclesiæ præstitorum, donare aliter non possunt, quàm quo modo iis easdem alienare permissum est, videlicet cum justa causa, & intervenientibus solemnitatibus Juris ad alienationem rerum Ecclesiasticarum requisitis, nisi sint res immobiles exigui pretii *c. sine exceptione* 52. *caus.* 12. *q.* 2. *c. irrita* 1. *cùm Apostolica* 7. & *cap. seq. de his, quæ fiunt à Prælat. c. nulli* 5. *de reb. Eccl. non alien.* & ratio est, quia has alienare, nisi modo prædicto, non possunt. ergo nec donare. 34

2 Ex rebus mobilibus Ecclesiæ non pretiosis possunt facere Donationes Remuneratorias, modò meritis commensuratæ sint; quia Donatio Remuneratoria, ut dictum est *num.* 15. propriè Donatio non est, & hinc juxta dicta *num.* 17. Lege, donationem vetante Prælatis, tanquam odiosa, non comprehenditur.

3 Nec ex immobilibus, nec ex mobilibus quibuscumque, etiam non pretiosis, facere ipsis permissum est Donationes merè liberales immodicas, & in notabili, vel magna quantitate. Ita statuitur *c. fraternitatem* 2. *h. tit.* & ratio *ibidem* datur; quia Prælati, licet Ecclesiasticorum redituum, & similium bonorum mobilium non pretiosorum generalem, liberamque administrationem habeant, eorum tamen dominio careant, atque insuper Ecclesiæ conditionem meliorem facere debent, non deteriorem; facerent autem deteriorem, si donationes ejusmodi mere liberales facere possent in magna quantitate, quia donare quodammodo perdere est *l. filiusfam.* 7. *ff. hoc tit. l. ordinem* 2. *Cod. de Consul. & non spargend. ab his pecun. &c.* 35

4 Modicas, etiam merè liberales, facere possunt ex bonis Ecclesiæ mobilibus non pretiosis cum consensu Capituli, imò etiam sine illo, si loci consuetudo illud permittat, prout sumitur ex *c. cæterum* 3. *hoc tit.* & universalis omnium ferè Ecclesiarum praxis demonstrat. *Ratio est*, quia hoc pertinere videtur ad rectam, & liberam administrationem, quam in Ecclesiæ rebus 36

Præ-

Prælatus habet, ſimulque per ejuſmodi rerum donationes evitatur ſuſpicio avaritiæ, cui perſonæ Eccleſiaſticæ aliquando obnoxiæ ſunt, & iſtarum bona exiſtimatio, hominumque erga ipſas benevolentia, ac ſtudium liberalitatis erga Monaſteria conſervantur.

37 5 Ex reditibus Menſæ ſuæ aſſignatis, ſi Sæculares Prælati ſint, poſſunt facere Donationes, etiam merè liberales, & in majori aliqua quantitate, non requiſito conſenſu Capituli; quia horum redituum perfectum dominium habent: ut tamen ejuſmodi Donationes ipſis ſint licitæ, quando ex ſuperfluis ſuſtentationi ſuæ reditibus fiunt, fieri debent in piam cauſam. Addidi autem Prælati Sæculares; nam Prælati Regulares in hoc conſulere debent Regulas ſui Ordinis, & conſuetudinem legitimè præſcriptam.

38 6 Si Prælatus ex reditibus Eccleſiæ donationem immodicam merè liberalem faciat cum conſenſu Capituli, illicita quidem illa eſt; quia magnam prodigalitatem continet: ſed tamen valida; quia Prælatus cum Capitulo repræſentat Eccleſiam, vel Monaſterium, eique agendo, & contrahendo obeſſe poteſt. Excipitur, ſi tanta ſit, ut ob eam neceſſarium ſit bona immobilia, aut mobilia pretioſa Eccleſiæ diſtrahere, & alienare; talis enim Donatio non valeret, etiam facta cum conſenſu Capituli; quia bona hæc etiam cum iſtius conſenſu ſine juſta cauſa neceſſitatis, aut utilitatis alienari non poſſunt.

39 Quæritur 7. utrum valida ſit Donatio omnium bonorum tam præſentium, quàm futurorum? *Certum eſt* 1. validam eſſe Donationem omnium bonorum præſentium tantùm; quia hæc nullo Jure irritatur, modò cùm excedit 500. ſolidos, abſque inſinuatione non fiat. 2. Satis convenit inter DD. validam eſſe Donationem, ſiquis dicat: *Dono tibi omnia mea bona*. quia per illa verba intelliguntur donata bona tantùm præſentia, non verò etiam futura *l. ſi ita 7. ff. de aur. & argent. legat.* Et hinc ut cenſeatur etiam futurorum bonorum fieri Donatio, opus eſt expreſſione futurorum bonorum, ut rectè monet P. Konig *hic numer.* 17. 3. Juxta communem valet Donatio, quando Donator dicit: *Dono tibi omnia mea bona etiam futura mobilia, & immobilia;* quia his non comprehenduntur Jura, & actiones, niſi aliunde conſtet de intentione contraria. 4. Pariter valida eſt Donatio bonorum etiam futurorum, comprehenſis Juribus, & actionibus, ſi fiat ad pias cauſas, ut omnium ferè ſententia habet; quia Jus Civile non poteſt impedire officia pietatis, & Conſilia Evangelica: & ſi tradere aliquis perſonam ſuam poteſt Eccleſiæ, vel Monaſterio, quare non etiam ſua bona? 5. Denique conveniunt DD. validam eſſe Donationem, quæ fit ex cauſa onerosa, v. gr. Matrimonii, Tranſactionis &c. quia nullo Jure invenitur eſſe prohibita.

40 *Dubium ſolum eſt*, an valeat Donatio omnium bonorum præſentium, & futurorum merè liberalis, & ad cauſam aliquam profanam? Negant Clar. §. *donatio quæſt.* 16. Gomez. *tom.* 2. *var. cap.* 4. *num.* 15. Schneidevvin. *Inſt. hoc tit. num.* 86. Carpzov. *l.* 5. *reſp.* 65. ſumunt hoc authoritate *l. fin. Cod. de Pact. l. ex eo* 4. *C. de inutil. ſtipulatio l. ſtipulatio* 61. *ff. de V. O.* Addunt rationem, quia per ejuſmodi Donationem aufertur libera facultas teſtandi, quæ cauſa publicæ utilitatis permiſſa eſt; is enim, *qui nulla bona in civitate reliquit, hæredem habere non poteſt*, ut loquitur Julianus *l. Lex Cornelia* 20. *ff. de vulg. & pupill. ſubſtit.*

41 Verior eſſe videtur affirmativa ſententia, quam tenent Harpprecht. *ad* §. 2. *Inſt. hoc tit. num.* 115. *& ſeqq.* Lauterbach. *ad tit. ff. eod.* §. 31. Stryck. *in uſu modern. ibid.* §. 9. P. Konig. *hic num.* 16. Magnif. P. Schmier, *cap.* 7. *de pact. & contr. num.* 118. & alii RR. paſſim. *Ratio eſt*, quia talis Donatio nullo Jure invenitur prohibita, imò potiùs approbata per textus expreſſos *l. ſiquis* 35. §. *ſed & ſi* 4. *C. hoc tit. l. ſi unquam* 8. *Cod. de revocand. donat. l. ſi totas* 5. *C. de inoffic. donat.* & *l. omnes* 17. §. *Lucius* 1. *ff. quæ in fraud. creditor.* in quibus de omnibus omnino bonis ſit ſermo.

42 *Neque obſtant* Leges in contrarium allegatæ: quia loquuntur tantùm de Pactis, & Stipulationibus captatoriis, quæ inducunt votum captandæ mortis alterius; talis autem non eſt Donatio omnium bonorum inter vivos, cùm ut effectum ſortiatur, non opus ſit morte Donatoris, ſed hoc vivente ad bona præſentia tradenda ſtatim agi poſſit; quoad futura autem Donatario expediat, ut Donator diu vivat, & ita plus acquirat. *Ad Argumentum ex ratione* imprimis Donator omnium bonorum nunquam damnatur in ſolidum, ſed ſemper tantum retinet, quantum ipſi ad ſuſtentationem congruam neceſſarium eſt *l. inter eos* 19. §. *is quoque* 1. *ff. de re judic.* & ſic ſemper bona habet, de quibus teſtari poſſit. Deinde facultas teſtandi ita eſt Juris publici, ut tamen illam privatus ſaltem indirectè ſibi poſſit adimere, prout fit ingreſſu in Monaſterium, & arrogatione, quorum priore bona Profeſſi omnia transferuntur in Monaſterium, poſteriore in Arrogatorem.

§. IV.

De Forma, & Modo ſervando in Donatione.

SUMMARIUM.

43 *Quid ſit Inſinuatio?*
44 *In qua Donatione requiratur?*
45 *Apud quem Judicem?*
46 47 *An valeat facta ſine Inſinuatione?*
48 49 50 *Caſus, in quibus Inſinuatio non requiratur.*
51 52 53 54 *An Donator poſſit renuntiare Legi exigenti inſinuationem?*

De Forma, & modo ſervando in Donatione mortis cauſa dicitur *infrà Tit.* 16. *num.* 67. ubi quot teſtes ad eam requirantur. In Donatione inter vivos unica Solemnitas hic examinanda venit, nempe Inſinuatio apud Judicem. Quare de hac

Quæritur 1. quid ſit *Inſinuatio*, & ad quam Donationem requiratur? Reſp. *Inſinuatio* Donationis tunc fit, quando donator coram Judice, ſive in Judicio, ſive extra declarat ſuam voluntatem donandi, & petit illam in acta redigi, & ſcripturam ſuper ea confici *l. donatio* 25. *in fin. & l. in donationibus* 31. *C. hoc tit.* Clar. §. *donatio quæſt.* 15. *num.* 4. Azor. *p.* 3. *l.* 11. *de donat. cap.* 6. *quæſt.* 1. Pirh. *hic numer.* 5. Imò ex recepta conſuetudine, ut idem Pirhing teſtatur, ſufficit, ſi Donatio ſcripta ipſi Judici denuntietur ſine alia ſcriptura. 43

Ratio, cur inſinuatio requiratur, eſt, tum ut obvietur fraudibus, quæ in Donationibus magnæ quantitatis intervenire poſſunt, tum ne profuſis Donationibus Cives ad paupertatem redigantur cum damno Reipub. cujus intereſt Cives habere locupletes. Hinc non quæcunque Donatio, ſed solùm illa Inſinuationem exigit, quæ magnæ eſt quantitatis.

Quantitas autem hæc non ſemper fuit eadem; nam antiquo Jure inſinuationem exigebat Donatio excedens 200. ſolidos, poſtea extenſa eſt ad 300. ut conſtat ex §. *aliæ autem* 2. *Inſt. hoc tit. & l. ſancimus* 34. *C. eod.* Hodierno Jure inſinuanda eſt ſolùm apud Judicem Donatio, ſi exceſſerit 500. ſolidos, non verò ſi infra illam ſummam ſit facta §. *aliæ, & l. ſancimus citt.* junct. *l. ſiquis* 36. §. *fin. C. eod.* Solidus autem in Jure accipiendus eſt pro aureo, & quidem, ut generalis, & paſſim recepta conſuetudo populorum habet, pro aureo Hungarico, ſeu Ducato, qui veteri illi ſolido, ſeu aureo ſuffectus eſt, quamvis levioris ſit ponderis. Mynſing. *ad* §. *aliæ cit.* Schneidevv. *ibid. num.* 24. Pirh. *hic num.* 5. 44

Parum autem refert, coram quo Judice Inſinuatio Donationis fiat, an coram proprio, & competente, an coram alieno, & incompetente; nam fieri apud quemcunque poteſt, ut notant Gaill. *l.* 2. *obſ.* 39. *num.* 28. Lauterb. *ad tit. cit. ff.* 11. Stryck. *ibid.* §. 5. Magnif. P. Schmier *cap.* 7. *de Pact. & Contract. num.* 127. & ſumitur ex *l. data* 27. *l. in hac* 30. *C. hoc tit.* Ratio eſt, quia confirmatio Donationis ita inſinuatæ eſt actus Juriſdictionis voluntariæ, nec ullam Judicis cognitionem, ſed nudam illius præſentiam expoſcit. *Neque obſtat* textus *l. ſecundùm* 32. *C. hoc tit.* ubi Imperator Anaſtaſius declarat, Donationem exceſſivam apud Judicem non alium, quàm Magiſtrum Cenſus, qui Conſtantinopoli erat competens, inſinuari poſſe; quia id Conſtantinopoli erat ſingulare, nec obſervabatur in civitatibus, & locis aliis, prout conſtat ex *l. cit.* 45

Quæritur 2. an valeat Donatio, ultra ſummam lege præſcriptam abſque Inſinuatione facta? Reſp. non valet in foro externo; quia Donatarius, ejuſque hæredes liberè poſſunt exceſſum repetere: *exceſſum*, inquam: quia Donatio talis non in totum invalida eſt, ſed quoad exceſſum duntaxat, qui eſt ultra 500. ſolidos, prout habetur *l. ſancimus* 34. *pr. C. hoc tit.* In foro conſcientiæ valde probabile eſt, valere totam, & etiam quoad exceſſum, ut exiſtimant Molin. *tract.* 2. *D.* 278. *num. ult.* Leſſ. *l.* 2. *de Juſt. cap.* 18. *n.* 99. Lugo *D.* 23. *n.* 156. Pirh. *hic n.* 7. Konig. *ibid. n.* 27. Ratio eſt, quia Leges vel non ſimpliciter irritarunt ejuſmodi Donationem, ſed tantùm ſub conditione, ſi Donator illam revocaverit; vel ſaltem cum tanto rigore non ſunt receptæ. 46

Ex

47 *Ex quo sequitur*, per ejusmodi donationem transferri dominium rei donatæ in donatarium, quamvis revocabiliter, ac proinde etiam excessum tamdiu retineri ab eo posse, donec is repetatur vel ab ipso Donatore, vel ab ejus hæredibus. Possunt autem excessum istum tam Donator, quàm ejus hæredes repetere tuta conscientia, etsi fraus vel metus in Donatione non intervenerit, ut communis contra Rebellum notat, & ratio est; quia etsi in isto casu cesset periculum, ob quod invalidatæ à Lege sunt Donationes ejusmodi, non tamen cessat periculum universale, quæ sola fuit ratio motiva Legislatoris.

48 Quæritur 3. quænam Donationes ab obligatione faciendæ Insinuationis exceptæ sint? Resp. plures à DD. enumerantur. 1. Donationes mortis causa *l. fin. C. de donat. mort. caus.*

2 Donationes ad Causas pias. Less. *l. 2. de J. & J. cap.* 18. *num.* 102. Haun. *tract.* 9. *num.* 155. Pirh. *hic numer.* 6. Konig. *num.* 24. Reiffenstuel *num.* 16. Magnif. P. Schmier *cap.* 7. *de Pact. & Contract. num.* 136. cum communi TT. & Juristarum Orthodoxorum. Colligitur *arg. cap. relatum* 11. *de Testam.* ubi in Legatis ad pias causas non requiritur solemnitas à Jure Civili præscripta. *Neque obstat* textus *l. illud* 19. *Cod. de SS. Eccl. & l. sancimus* 34. §. *aliàs* 1. *Cod. hoc tit.* ubi validæ solùm dicuntur illæ Donationes, quæ fiunt ad causas pias intra 500. solidos, cæteræ, quæ hos excedunt, statuuntur opus habere Insinuatione; quia Leges istæ à Jure Canonico non sunt approbatæ, & ideo vim nullam habent.

49 Donationes, quæ fiunt ad redemptionem captivorum, vel in reparationem ædium, quæ corruerunt, vel incendio consumptæ sunt *l. siquis* 36. *C. hoc tit.* modò res in hunc finem donata ad eum usum duntaxat expendatur.

4 Donationes Remuneratoriæ, modò non multùm excedant merita; nam si hæc multùm excederent, quoad excessum merè liberales forent, & opus Insinuatione haberent. Clar. §. *donatio quæst.* 3. *num.* 3. & 4. Zoes. *ff. hoc tit. num.* 43. & 44. Molin. *D.* 279. *num.* 6. Pirh. *hic num.* 6. Konig. *num.* 27.

5 Donationes, quarum singulæ non excedunt 500. solidos, etsi simul sumptæ multùm excedant, & eidem Donatario fiant, ut colligitur ex *l. sancimus* 34. §. *siquis* 3. *C. hoc tit. Excipitur*, nisi fiant eodem quasi tempore, ac brevi intervallo unius, vel alterius diei interjecto, aut eodem Instrumento; tunc enim censerentur factæ in fraudem Legis, & constituere Donationem moraliter unam. Brunnem. *ad l. cit. num.* 28. *& seq.* Lauterbach. *l. cit.* §. 25. Stryck. *de cautel. Contract. sect.* 3. *cap.* 9. §. 5. Magnif. P. Schmier *cap.* 7. *de Pact. & Contract. num.* 131.

50 6 Donatio à Principe in privatum, & à privato in Principem facta *l. sancimus cit. princ. & Auth. seq. C. hoc tit.* quod etiam ad Proceres Imperii alii DD. extendunt apud Konig. *l. cit.*

7 Donatio facta militibus à Magistris militiæ, sive in pecunia, sive in aliis mobilibus *l. siquis* 36. §. *simili* 1. *C. hoc tit.*

8 Denique omnes aliæ Donationes, quæ fiunt ob causam v. gr. pro dote, pro sustentatione Studiorum tempore &c. *l. hoc Jure* 19. §. *Labeo* 1. & §. *sed & hæ* 5. *ff. hoc tit.*

Ratio est, quia cùm hæ Donationes non fiant ob solam liberalitatem, propriæ, & perfectæ Donationes non sunt; igitur ad eas Lex requirens Insinuationem, utpote liberam voluntatem donandi restringens, & cons. odiosa, extendi non debet.

51 Quæritur 4. an Donator possit renuntiare Legi exigenti Insinuationem? Satis convenit inter DD. renuntiationem hujusmodi, si simplex sit, & Juramento non confirmetur, invalidam esse; quia Lex, qua Insinuatio inducta est, dat formam Contractui, ita, ut is sine illa invalidus sit. Legi autem, quæ dat formam Contractui, renuntiare privatus non potest. Accedit, quia talis renuntiatio est contra finem Legis præscribentis Insinuationem; eadem enim facilitate, qua ad donandum quis inducitur, induci etiam posset ad renuntiandum Insinuationi.

52 *Major difficultas est*, an renuntiatio ejusmodi valeat, apposito Juramento? *Ratio dubitandi est* 1. quia Leges Civiles, quæ Insinuationem exigunt, eam requirunt ob utilitatem publicam; quæ autem ob utilitatem publicam introducta sunt, pactis privatorum, etiam juratis, tolli non possunt. Tali casu concederetur una via, quod alia via prohibitum est, & permitteretur per obliquum, quod directè fieri non potest.

53 Sed his non obstantibus, dicendum, si Donationi, quæ sine Insinuatione ultra summam Lege præscriptam facta est, adjiciatur Juramentum de ea non revocanda, convalescere Donationem etiam quoad excessum, ita, ut subsistat in utroque foro. Ita Clar. §. *donatio quæst.* 18. *num.* 2. Azor. *p.* 3. *l.* 11. *de donat. cap.* 6. *quæst.* 10. Gaill. *l.* 2. *obs.* 39. *num.* 12. *& seqq.* Pirh. *hic num.* 6. Ratio est, quia hujusmodi Juramentum nihil continet, quod sit bonis moribus naturalibus contrarium; aliàs nullo casu Donatio supra summam Lege præscriptam subsisteret, ergò cùm sine peccato, & dispendio salutis æternæ servari possit, obligat, & servari debet *cap. cum contingat* 28. *de Jurejur.*

Argumenta in contrarium allata efficacia non sunt. 54
Ad 1. Lex, qua Insinuatio ad valorem Donationis requiritur, utilitatem publicam solùm intendit secundariò, & in consequentiam, principaliter autem respicit favorem donantium, ne domesticis fraudibus, præsertim conjunctarum personarum, prodigaliter donando, bonis suis priventur, ut habetur *l. data* 27. *C. h. tit. Ad* 2. via hæc, quam casu hoc aperit Juramentum, non est illegitima, nec ad objectum prohibitum, cùm *l.* 2. *tit.* 24. *num.* 85. jam ostenderim, quòd Juramentum habeat vim confirmandi contractus, & actus Jure positivo irritos, si turpitudinem non contineant, in tertii præjudicium non vergant, & principaliter ob utilitatem publicam non sint prohibiti.

§. V.

De Revocatione Donationum.

SUMMARIUM.

55 *Donatio mortis causa est revocabilis, non autem Donatio inter vivos, nisi in tribus casibus.*
56 57 *Primò ob ingratitudinem Donatarii.*
58 59 60 *Casus, quibus ob ingratitudinem non revocatur.*
61 62 63 *An Donatio revocari possit etiam ab eo, qui renuntiavit Juri illius ob ingratitudinem revocandæ?*
64 65 66 *An Donatio ob ingratitudinem revocetur ipso Jure?*
67 68 69 *An actio pro revocanda Donatione competens transeat ad hæredem Donantis?*
70 *Et in hæredes Donatarii ingrati?*
71 *Secundò revocatur Donatio, si Donans, ea facta, suscipiat Liberos?*
72 73 *Quibus ex isto capite competat Jus revocandi?*
74 75 76 *Quando revocationi huic sit locus?*
77 78 79 *Quibus casibus ob ingratitudinem non revocetur?*
80 81 82 *In quo foro Donatio facta Ecclesiæ firma sit?*
83 *Tertiò revocatur Donatio, si sit inofficiosa.*
84 *Quid sit Donatio inofficiosa, & in quantum illa revocetur?*
85 *An revocari ob inofficiositatem possit tota Donatio, quæ facta est animo fraudandi liberos sua legitima?*
86 *An etiam Parentes, & alii Ascendentes revocare possint Donationem inofficiosam à Liberis factam?*
87 *An revocationi etiam locus sit casu, quo Pater, vel alius repudiat Legatum, aut renuntiat hæreditati sive separatæ sive delatæ, sed nondum aditæ, si postea nascantur eidem Liberi?*
88 *Quando Donatio inofficiosa revocari possit?*

EX dictis *suprà num.* 23. constat Donationem mortis causa, & inter vivos in hoc essentialiter à se differre, quòd illa, cùm species quædam ultimæ voluntatis sit, usque ad ultimum donantis spiritum revocari possit, non item Donatio inter vivos, quippe quæ, si semel ritè perfecta est, irrevocabilis manet, etsi nudo solùm pacto, nulla etiam Stipulatione interveniente, vel traditione rei donatæ facta sit, prout habetur *l. si apud* 2. *& l. fin. C. de revocand. donat.* & ratio est, quia jus semel alicui acquisitum non debet ei sine causa auferri, ne quidem authoritate Principis, nisi ob causam utilitatis publicæ. Zoes. *ff. hoc tit. num.* 73. Procedit autem hoc regulariter; nam tres celebres causæ, & casus sunt, ob quas Donatio inter vivos, etsi traditione perfecta sit, revocari, atque rescindi potest. Et quidem 55

I. *Ob ingratitudinem* Donatarii erga donantem *cap. fin. hoc tit.* & *l. fin. C. de revocand. donat.* Circa quam causam, & casum, 56

Dub. 1. in quibus casibus Donatio ob ingratitudinem revocari possit? Resp. quinque communiter assignantur, quorum priores quatuor referuntur *cap. fin.* *t.* quintus *l. fin. cit.* Videlicet

1 Si Donatarius atroces injurias in eum, qui donavit, effundat, sive deinde in verbis fiat, sive factis, t si v. gr. adulterium committat cum ejus uxore, vel uprum inferat illius filiæ.

2 Si impias, & violentas manus in Donatorem injecerit, sive deinde id fiat manibus, sive pedibus, sive per lapidem, sive per aliam rem, & sive per se, ive per alium juxta *l. non solum* 11. *pr. ff. de injur.* modò percussio sit injuriosa, & non sine peccato mortali.

3 Si grave damnum inferat donatori in rebus, seu bonis ejusdem externis: debet autem hoc damnum esse reipsa illatum; nec enim sufficit quòd Donatarius illud attentarit inferre, ut patet ex *l. fin. cit.* & notat Molin. *tract.* 2. *D.* 281. §. *tertia*.

57 4 Si absque justa causa per se, vel per alium grave periculum vitæ donanti inferre præsumpserit, etiamsi mors ipsa non sit secuta.

5 Si noluit implere Pacta, vel gravamina, ad quæ verbo, vel scripto in Donationis acceptatione se obligavit.

6 Alii addunt revocari Donationes titulo ingratitudinis posse etiam ob alias causas quinque relatis majores, vel æquales. Sed contrarium apertè colligi videtur ex textu *l. fin. cit.* ubi Donationis revocatio ad causas relatas disertè restringitur; nam iis enumeratis dicitur: *Ex his tantummodo causis donationes everti concedimus. Neque obstat*, quòd eadem, vel major sit ratio; quia Lex pœnalis, qualis est ista, etiam ob paritatem, vel majoritatem rationis ad casus non expressos extendi non debet.

58 Dub. 2. an omnes Donationes revocari ex causa ingratitudinis possint? Resp. negativè; nam 1. excipitur Donatio remuneratoria meritorum, ut colligitur ex *l. si pater* 34. §. *si quis* 1. junct. Gloss. *V. irrevocabilis*, & *l. Aquilius* 27. *ff. hoc tit.* Ratio est, quia Donatio remuneratoria, ut nuper dictum est, non propriè Donatio, sed potiùs Permutatio, sive compensatio meritorum, Donatario debita ex honestate, & gratitudine. Igitur Lex revocationem Donationum permittens, cùm sit odiosa, & pœnalis, ad Donationes remuneratorias extendi non debet. *Excipitur*, si hujusmodi Donatio excedat merita; nam quatenus ea excedit, merè liberalis Donatio est.

59 2 Donatio facta ob causam, qualis est constitutio dotis facta à Patre *l. si dotem* 24. *C. de Jur. dot.* Ratio est, quia fuit data ob causam, ob quam Pater tenebatur filiam dotare, & sic non merè liberaliter dedit, sed magis debitum persolvit. Idem probabiliùs dicendum est, si extraneus dotem dedit; nam licèt non teneretur ad dotandum, quia tamen dedit ex causa onerosa, ideo non videtur merè liberaliter dedisse. Quod de dote dictum est, etiam tenendum de Donatione propter nuptias. Molin. *num.* 13. Pirh. *num.* 37. Wiest. *num.* 28.

60 3 Donatio facta Ecclesiæ, Monasterio, vel alteri piæ causæ. Clar. §. *donatio quæst.* 21. *num.* 5. Less. *l.* 2. *cap.* 18. *numer.* 105. & cum his communiter cæteri. *Ratio est*, quia talis Donatio censetur facta DEO, in quem, tanquam liberalissimum bonorum omnium largitorem, & remuneratorem cadere ingratitudo nequit. Potest tamen, si fructus rei, quæ Ecclesiæ donata est, ad mensam Prælati spectent, iis privari Prælatus in pœnam ingratitudinis ad tempus vitæ suæ, ut monet Zoes. *ff. hoc tit. num.* 97. Pirh. *loc. cit.*

61 Dub. 3. an Donatio revocari possit etiam ab eo, qui renuntiavit Juri illius ob ingratitudinem revocandæ? Tiraquellus, Gutierez, Molina, Perez, Haunoldus distinguunt; nam etsi existiment, si renuntiatum sit huic privilegio simpliciter, locum adhuc revocationi esse, tamen id negant, si renuntiatum sit ei cum Juramento. *Rationem dant;* quia non revocare Donationem ex causa ingratitudinis est de re licita, & jus revocandi illam est favor ipsius donantis. igitur Juramentum non revocandi eandem tenet, & conf. obligat. *Conf.* à pari cum eo, qui jurat se soluturum lytrum prædoni, usuras usurario; hic enim ex vi Religionis Juramenti tenetur stare promissis *cap. debitores* 6. *de Jurejur.* ergo & donans tenebitur non revocare donationem, si non revocaturum se Juramento obstrinxit.

62 Sed meliùs negatur ejusmodi renuntiationem etiam juratam tenere. Ita communis apud Pal. *part.* 2. §. 2. *num.* 5. Ratio est, quia renuntiatio Juris revocandi Donationem ob ingratitudinem futuram donatario ansam delinquendi præbet; inducit enim ad committendam ingratitudinem: ideoque cùm sit contra bonos mores, nec ipsa, nec Juramentum ei adjectum obligat promittentem. *Reg. non est* 58. *in* 6.

Ex quo cadit ratio adversæ sententiæ; quia potestas revocandi non est præcisè favor ipsius donantis, sed introducta ob bonum publicum, ut videlicet absterreantur homines à vitio ingratitudinis. *Ad Conf.* licèt omissio revocationis licita sit, postquam ingratitudo est commissa, illic tamen, & nulla est promissio, qua renuntiatur Jure revocandi Donationem ob ingratitudinem Donatarii committendam, cùm renuntiatio ista causam non habeat, quæ cohonestet ansam delinquendi, quam præbet. Hinc disparitas est inter Juramentum de non revocanda Donatione ob ingratitudinem futuram, & inter Juramentum de lytro solvendo prædoni, vel usuris Usurario; nam duo hæc ultima Juramenta causam habent, ex qua cohonestentur, videlicet redemptionem injustæ vexationis, qua se liberat ita jurans. 63

Dub. 4. an si Donatarius aliquo ex quinque suprà relatis modis commiserit ingratitudinem erga donantem, Donatio revocetur ipso Jure? Resp. negativè: sed revocanda est per sententiam Judicis: & hinc Donatarius res sibi donatas, & traditas retinere interea potest, donec ingratitudo in Judicio probata sit à donante, ut colligitur ex *l. fin. cit. C. de revocand. don.* ibi, *Si fuerint in Judicio dilucidis argumentis cognitionaliter approbatæ.* 64

Dixi *interea;* nam probata ingratitudine, & lata sententia, obligatur Donatarius etiam in foro conscientiæ donatum reddere: fructus tamen ex re donata, ante litis contestationem perceptos, nequaquam cogendus est restituere; quia eos percepit ex re sua: imò valde probabile est, quòd non sit cogendus restituere fructus, etiam durante lite ante sententiam perceptos, quamvis DD. communiter contrarium teneant. 65

Addidi *res donatas, & traditas;* nam si res donata nondum sit tradita donatario, non tenetur donans post commissam ingratitudinem eidem rem donatam tradere, sed potest eundem excipiendo repellere. Abb. *in cap. cit. num.* 5. cum communi. *Ratio est*, quia, cui post solutionem, aut traditionem datur repetitio, ei ante illam datur exceptio *l. invitus* 156. *ff. de R. J.* Imò si donatarius, postquam res ipsi tradita est, ingratus existens donantem dolo, aut vi impediat, ne in Judicio revocationem petere possit, potest is via occultæ compensationis uti, ut rectè Less. *cap.* 18. *cit. num.* 108. 66

Dub. 5. an actio pro revocanda Donatione competens, etiam transeat ad hæredem Donantis? Negant Abb. *in cap. fin. hoc tit. num.* 4. Molin. *num.* 3. Brunnem. *in l. fin. cit. num.* 9. Videtur colligi ex textu *l. fin. cit.* ubi jus revocandi Donationes primis tantùm personis conceditur, & ad Successores non extendenda dicitur. *Conf.* ex ratione; quia actio hæc donanti competit ob illatam ipsi injuriam. Atqui actio injuriarum morte extinguitur, & ad hæredes non transit *l. injuriarum* 13. *ff. de injuriis.* ergo &c. 67

Sed meliùs adhibetur distinctio, quam etiam non obscurè insinuat *l. fin. cit.* Vel enim donans, in se admissæ ingratitudinis conscius, tacuit, nec revocavit Donationem, cùm posset eam non revocare, vel ignoravit commissam, aut scivit quidem, sed morte præventus, vel aliter impeditus revocare non potuit, cùm vellet. 68

Si primum, actio, & revocandi jus ad hæredes non transit, ut clarè decisum est *cap. fin.* & *l. fin. cit.* quia ipsa taciturnitate sua ingratitudinem remisisse censetur.

Si secundum, actio hæredibus Donatoris competit, prout non malè desumitur ex *cap. fin. cit.* ibi, *Qui hoc tacuit*, & ex *l. fin. cit.* verbis *Etenim si ipse, qui hoc passus est, tacuerit.* atqui ignorans, aut revocare non valens non censetur tacuisse, & conf. jus revocandi Donationem ad hæredes transmittit. ergo &c.

Multo magis hæredes Donatoris agere possunt contra Donatarium, tanquam contra indignum, si iste Donatori mortuo injuriam e.g. eum graviter infamando irroget, ut notat Pal. *D.* 9. *de Just. p.* 31. §. 4. *in fin.* & colligitur ex *l. hæredes* 1. *C. quib. ut indign.* 69

Ad Argumentum, in contrarium ex *l. fin. cit.* allegatum, dico, ibi non agi de casu, quo donans ingratitudinem vel ignoravit, vel morte præventus per revocationem non potuit vindicare; dicitur enim, *qui passus est*, quod scientiam indicat. *Ad Conf.* dicendum, hunc casum esse specialem: conf. non obstant ea, quæ aliàs generaliter sancita sunt de actione injuriarum, ut notat Ripa *in l. fin. cit. quæst.* 62. *num.* 208.

Dub. 6.

70 Dub. 6. an actio hæc transeat etiam in hæredes Donatarii ingrati? Abbas, & Molina hic eodem modo discurrunt, quo nos in casu *Dub. præced.* Verior est sententia eorum, qui simpliciter transire contra istos actionem negant. Ita ex communi JCtorum sensu Barb. *in cap. fin. cit. num.* 24. Ratio est, quia *cap. fin. cit.* nulla istorum mentio fit, & vers. *etenim cit.* non statuitur, quid in hos liceat; igitur locum in ipsis habebit generalis Regula, quæ non concedit actionem injuriarum, aut alias ex delicto descendentes, instituï contra hæredes §. *non autem* 1. *vers. est enim Instit. de perpet. & temp. act.* cùm delictorum pœnæ suos debeant tenere Authores, & delinquentes *cap. quæsivit* 2. *de iis, quæ à majori part.* & *l. sancimus* 21. *C. de pœn.*

71 II. Revocari Donatio inter vivos potest, si quis liberos non habens, omnia sua bona, vel partem eorum donavit, & postea inopinatò, ac præter spem liberos suscipiat, prout habetur *l. si unquam* 8. *C. de revocand. Donat.*

72 Dub. 1. an omnibus competat Jus revocandi Donationes propter supervenientiam Liberorum? Videtur respondendum negativè; nam *l. si unquam cit.* loquitur de sola Donatione, quæ à Patrono libertis facta est, igitur ad alios Donatores extendi non debet.

Sed standum adhuc est pro affirmativa sententia; licèt enim Lex ista de Patronis tantùm loquatur, communiter tamen à DD. extenditur ad Donationes factas à quocunque Donatore quibuslibet aliis personis extraneis, h. e. qui non sunt de numero liberorum, seu descendentium donantis: & quidem meritò; quia Lex illa non statuit novum Jus, sed Jus naturæ declarat, & fundatur in præsumptione Juris, qua præsumitur ejusmodi Donatio facta esse cum virtuali, seu tacita conditione, *Nisi liberi nascantur*, cùm nemo censeatur alienas successiones propriis, seu extraneos liberis suis anteponere voluisse. Quare dicendum, si Donator, quiscunque ille sit, post factam omnium, vel notabilis partis bonorum suorum donationem præter omnem spem, & exspectationem suscipiat liberos, illum revocare Donationem à se factam posse. Ita Covar. *l.* 1. *var. cap.* 19. Molin. *D.* 282. *num.* 1. Brunnem. *ad l. cit. num.* 7. & *seqq.* Lauterbach. *ad tit. eund.* §. 53. Magnif. P. Schmier *cap.* 7. *de Pact. & Contract. numer.* 167. & 168.

73 Dixi, *Notabilis partis*: talis censebitur, quæ tanta est, ut Donator, si de liberis cogitasset, eam donaturus verisimiliter non fuisset; nam si Donatio foret modica solùm, ita, ut Donator, etiamsi de Liberis cogitasset, præsumi posset eam nihilominus facturus fuisse, liberorum nativitate non revocaretur, ut notat Clar. §. *donatio quæst.* 22. *num.* 5.

Revocatur autem tali casu, liberis supervenientibus, Donatio ipso Jure, ita, ut donator exspectare non debeat sententiam Judicis, sed ante illam donatum possit repetere, prout notat Gloss. *in l. si unquam cit.* antequam tamen ipse bona donata repetat, Donatarius in foro conscientiæ ad restitutionem illorum non obligatur; quia dominium non amittit per supervenientiam liberorum, sed per repetitionem Donatoris, vel potiùs restitutionem à se factam; per repetitionem enim probabiliter solùm contrahit obligationem restituendi.

74 Dub. 2. quando revocationi huic sit locus? Resp. locus ei est 1. non tantùm, quando post Donationem factam plures Donator liberos suscipit, sed etiam quando prolem unicam; nam liberorum appellatione unus quoque, unave proles comprehenditur, & qui unam tantùm reliquit, sine liberis decessisse non intelligitur. *l. non est* 148. *ff. de V. S.*

2 Eidem locus est, etiamsi liberi, donatione jam perfecta suscepti, moriantur ante Patrem, qui Donationem ejusmodi fecit. Ita cum Bartolo Fachin. *l.* 3. *contr. cap.* 90. *V. cæterùm*, Zoes. *in ff. h. tit. num.* 119. Pirh. *hic num.* 41. Wiest. *num.* 14. contra Gomesium, & plures alios. *Ratio est*, quia in Donatione, ut *numer.* 72. dictum est, subintelligitur conditio, *Nisi nascantur liberi*. igitur his susceptis, jam deficit conditio, sub qua facta est Donatio; conf. etiam ipsa deficit, & extinguitur, ut donata ad Donatorem revertantur, modò Donator illa velit repetere. atqui res, quæ semel extincta est, non ampliùs reviviscit *l. qui re.* 98. §. *si servus* 7. *ff. de Solution.* Si tamen donans filiis natis, & postea mortuis, res donatas, cùm facilè potuisset, repetere omisisset, intelligeretur Donationem confirmasse, aut renovasse, ut bene advertit P. Wiest. *l. cit.*

75 3 Locus eidem revocationi est in Donatione firmata Juramento; quia hoc sequitur conditiones actus, cui adjectum est. Igitur sicut Donatio, ita & Juramentum ipsi appositum tacitè includet conditionem, *Nisi nascantur liberi*. Clar. *quæst.* 27. *num.* 1.

4 Locus illi est in iis, quæ dotis causa donata sunt mulieri extraneæ: ubi tamen adhibenda distinctio: Vel enim Matrimonium postea cum sit dotata secutum est, vel non est secutum. *Si hoc secundum*, revocari Donatio potest, tanquam datum ex causa, causa non secuta. *Si primum*, revocari non potest, nisi quatenus præjudicat legitimæ filiorum, ut cum pluribus aliis bene advertit Lugo *D.* 23. *sect.* 11. *num.* 196. & ratio est, quia cùm dos talis donata sit, ut alliciatur maritus ad contrahendas nuptias cum tali persona, injuria ei fieret, si revocaretur ista Donatio.

5 Similiter revocari potest Donatio facta ob causam, v. gr. ad Studia litterarum prosequenda, si res adhuc sit integra, seu causa nondum posita, nisi fortè Donatarius ad illam causam ponendam determinatè, & expressè se obligasset. Lug. *loc. cit.* Secus, si res non ampliùs sit integra, quia e. gr. Titius Studia jam inchoavit; tunc enim revocari non posset ampliùs ob rationem datam de Dote.

6 Denique nonnulli cum Tiraquello existimant revocari Donationem posse, si donans ingrediatur Religionem, ex ratione, quòd Monasterium sit loco filii *cap. in præsentia* 8. *de probat.* igitur sicut nativitate filii, sic etiam donantis Professione Donatio revocabitur. Sed Argumentum hoc leve est; imprimis enim ea fictio Juris commentitia est, & Monasterium loco filii *cap. cit.* non haberi ostendetur infrà *Tit.* 26. *num.* 183. Deinde Donatio nativitate filii revocatur ob præsumptionem, quòd Pater non fuisset donaturus, si de liberis nasciturìs cogitasset; quæ præsumptio non habet locum in Monasterio, cùm multis ideo donet, & liberaliùs, quia ingressuri sunt Religionem.

Dub. 3. quibus casibus supervenientibus liberis, non revocetur Donatio? Resp. 1. si donatio facta sit filio etiam emancipato; hæc enim, supervenientibus liberis, non revocatur, nisi quatenus est inofficiosa, & per eam cæteris tolleretur Legitima. Molin. *D.* 273. *num.* 1. Ratio est, quia dispositio *l. si unquam cit.* solùm loquitur de extraneis, igitur de filio emancipato non procedit. Extendunt hoc aliqui etiam ad casum, quo Donatio facta est uni ascendentium v. grat. patri, matri, avo, vel aviæ, ut videre est apud Less. *cap.* 18. *cit. numer.* 109. & probare videtur ratio suprà allata.

2 Si liberi, qui superveniunt, sint Spurii, vel naturales. Molin. *l. cit. num.* 9. Ratio est, quia his communiter parentes providere non solent, nisi de necessariis alimentis. *Excipitur*, nisi legitimati fuerint vel per subsequens Matrimonium, vel per Rescriptum Principis. Lug. *loc. cit. num.* 189. contra Tiraquellum, & alios; nam pro talibus legitimatis parens non minùs solet esse providus, quàm pro legitimis.

3 Si Donatio facta sit causa remunerationis, vel alia, quæ commodum Donatoris respicit. Molin. *loc. cit. numer. ult.* Ratio est, quia ut sæpiùs dictum est, non est propriè dicta Donatio, sed potiùs mercedis præstatio, ac congrua bonorum administratio, ideoque etiam irrevocabilis dicitur *l. si pater* 34. §. *si quis* 1. *ff. h. tit. Excipitur*, si excedat merita; nam quoad excessum merè liberalis est, & ideo revocationi obnoxia. 7

4 Si Donator cum Juramento renuntiasset jure revocandi Donationem, supervenientibus liberis; talis enim Donatio liberorum nativitate non tota, sed quoad legitimam duntaxat revocaretur. Molin. *numer.* 6. Less. *num.* 111. Ratio est, quia cùm Pater filiis tantùm teneatur dare Legitimam, Juramentum istud sine peccato, & præjudicio tertii servari potest, & consf. obligatorium est. Idem dicendum, si aliunde constet, quòd de liberis cogitarit Donator, & tamen donarit. Molin. *loc. cit.*

5 Siquis habens liberos, etiam filium unicum, donet, & postea eidem alii nascantur filii, hæc enim Donatio, ut prior, solùm revocaretur quoad Legitimam, si hæc liberis postea natis fuisset adempta. Fachin. *l.* 3. *contr. cap.* 87. contra Lopez, & alios: & videtur clarè contineri *l. si totas* 5. *C. de inoffic. donat.* Ratio est, quia *l. si unquam cit.* privilegium hoc revocationis illi duntaxat conceditur, qui liberos non habebat, cessatque hoc casu ratio revocationis, quòd non præsumatur cogitasse de liberis. 7

6 Si donatum sit Ecclesiæ, vel alteri piæ causæ; solùm enim revocatur in tantum, quantum satis est ad legitimam prolis, quæ nata est postea, ut communiter omnes teste Lug. *D.* 23. *num.* 194. Ratio est, quia

pia

pia causa est instar filii; quod autem donatum est priori filio, non revocatur, nisi quoad legitimas aliorum filiorum postea susceptorum. Accedit, quia quod donatur Ecclesiæ, donatur Deo, & pro salute animæ, adeoque est causa æquè favorabilis, ac causa filiorum. *Auth. si qua mulier C. de SS. Eccl.*

Dub. 4. an Donatio facta Ecclesiæ tantùm Jure fori externi firma sit, an etiam Jure Poli, sive in foro conscientiæ interno? Putant non pauci, nec postremi nominis DD. eam, supervenientibus liberis, totam revocari posse, & desumunt hoc ex *canon. fin. caus.* 17. *quæst.* 4. ubi relatus S. Augustinus laudat factum Aurelii Episcopi, qui cum aliquis omnium suorum bonorum (Usufructu tantùm retento) Donationem fecisset Ecclesiæ, & postea suscepisset liberos, donanti omnia reddidit; & addit S. Pater: *In potestate habebat Episcopus non reddere, sed Jure fori, non Jure Poli.*

Sed meliùs dicitur ejusmodi Donationem firmam etiam esse in foro conscientiæ, ita, ut neque in hoc revocari possit, nisi quoad Legitimam secundùm rigorem Juris loquendo. Ita Lugo *num.* 147. Haun. *tractat.* 9. *num.* 277. Pirh. *hic num.* 43. Wiest. *num.* 21. Ratio est, quia meritò præsumitur donans id, quod Legitimam liberis postea natis debitam superat, absolutè donare voluisse Ecclesiæ, cùm nemo prudens magis prospicere velit liberis suis, quàm saluti animæ suæ, ad quam piæ hujusmodi Donationes tendunt.

Ad textum ab Adversariis allegatum respondeo, S. Augustinum ibi solùm dicere voluisse, quòd æquitati, honestati, ac pietati magis consentaneum fuerit, ut totum reddatur, & sic Ecclesia purgetur ab omni avaritiæ suspicione. Addit Lugo *l. cit.* si ex his titulis Prælatus velit donata reddere, intervenire debere solemnitates Juris, ad alienationem requisitas.

III. Revocari Donatio inter vivos potest, si sit inofficiosa, seu contra officium pietatis in liberos, ut si Pater, vel Mater uni, aut pluribus filiis in tanta quantitate donavit, ut reliquis filiis legitima, h. e. portio, Lege ipsis debita, auferatur, vel minuatur *l. si pater* 2. *l. si totas* 5. *l. si mater* 7. & *l. si liqueat* 8. *C. de inofficios. donat.*

Dub. 1. quid sit *Donatio inofficiosa*, & in quantum illa revocetur? Resp. *Donatio inofficiosa* est, quæ tantæ est quantitatis, ut non sit salva portio Legitimæ illis, quibus debetur *l.* 1. & *tot. tit. C. de inoffic. donat.* *Inofficiosa* dicitur; quia est contra officium pietatis, liberis, & aliis similibus personis debitum. Si talis Donatio fiat, liberi, & alii, qui gravati sunt in Legitima sibi debita, post mortem Patris, vel Matris ita donantis, querelam instituere apud Judicem possunt, & petere rescissionem Donationis, non quidem totius, sed quatenus ea immodica est, & Legitimæ detrahit, ut id, quod conquerenti juri legitimæ debetur, ad Donatoris Patrimonium redeat *l.* 2. *l.* 5. *l.* 7. & *l.* 8. *C. de inoffic. donat.* Ratio est, quia donans à Pietatis officio recessit, & peccavit tantùm secundùm legitimam portionem, non verò in tota Donatione. Igitur ne pœna sit major delicto, conveniens fuit eam non revocari totam, sed tantùm quoad excessum. *Conf.* quia Donationis revocatio, tanquam exorbitans, & odiosa, extendi non debet ultra, quàm Jure expressum sit. Atqui nusquam Jure expressum est eas revocari in totum. ergo &c.

Dub. 2. an si Donatio inofficiosa sit facta animo fraudandi liberos sua legitima, revocari possit tota Donatio. Abb. *in cap. fin. num.* 5. *hoc tit.* Clar. §. *Donatio quæst.* 24. *num.* 2. & 4. Less. *cap.* 18. *num.* 112. Zoes. *ff. hoc tit. num.* 76. distinguunt: Vel enim aliquid relictum est liberis, vel nihil eis relictum est.

Si primum, existimant, eam revocari solùm usque ad Legitimam: *si secundum*, volunt revocari totam, utpote in odium fraudis. Verius est Donationem inofficiosam in utroque casu tantùm revocari quoad legitimam. Ita Molin. *D.* 283. *num.* 12. Fachin. *l.* 6. *controv. cap.* 84. Pal. *tract.* 32. *D.* 2. *p.* 30. §. 1. *num.* 2. Pirh. *hic num.* 47. *fin.* Wiest. *num.* 25. & probant Argumenta *num. præced.* proposita. *Ad rationem adversæ sententiæ*: hæc revocatio concessa quidem est in odium fraudis, sed hoc ipso, quòd odiosa sit, non ampliùs extendi debet, quàm eam extendat Lex illam permittens. Certè cùm revocatio Donationis in totum sit extra pœna commissæ fraudis, saltem ante sententiam non tenebitur Donatarius ad restituendam totam. Mol. Pirh. *l. citt.*

Dub. 3. an etiam Parentes aliique Ascendentes revocare possint Donationem inofficiosam à liberis factam? Resp. affirmativè, & hoc usque ad legitimam portionem ipsis debitam in bonis Descendentium, ut apertè colligitur ex *l. si filius* 4. *C. de inoffic. donat.* Ratio est, quia querela inofficiosæ Donationis ad similitudinem Querelæ inofficiosi Testamenti est introducta *l. fin. C. eod.* atqui hæc non tantùm liberis adversùs Testamentum inofficiosum parentum, sed etiam parentibus adversùs Testamentum inofficiosum Liberorum competit *l. nam etsi* 15. *ff. de inoffic. testam.* ergo & illa.

Dub. 4. an revocationi etiam locus sit casu, quo Pater, vel alius repudiat Legatum, aut renuntiat hæreditati sive à se speratæ, sive etiam delatæ, sed nondum aditæ, si postea nascantur eidem liberi? Resp. hoc casu non esse locum revocationi, ut benè aliis citt. advertit Pirh. *hic numer.* 48. Ratio est, quia cùm Leges Civiles de revocandis Donationibus sint exorbitantes, eæ strictè interpretandæ sunt de Donatione propriè dicta, per quam alienatur jus acquisitum; non autem de illa, per quam remittitur Jus non acquisitum, quæ non est propriè alienatio, conf. neque etiam Donatio. 87

Dub. 5. quando Donatio inofficiosa revocari possit? Resp. revocari non potest, nisi post mortem Donatoris; quia tunc primùm incæpit donatio illa cedere in præjudicium filiorum, utpote quibus ante mortem parentum non debetur Legitima. *Ex quo sequitur* Donationem ejusmodi usque ad mortem donantis, nisi alio laboret vitio, validam esse, quamvis illicita sit, utpote facta in damnum filiorum, quod post mortem donantis sentient. Hinc impleri ab isto non debet, etiamsi Juramento sit confirmata; quia Juramentum non est vinculum iniquitatis, neque obstringit ad id, quod sine peccato impleri non potest. 88

PARS III.

De Dominio, & cæteris Juribus Clericorum.

A Pactis, & Contractibus Clericorum Compilatio nostra nos ducit ad Clericorum Jura: quæ duplicis generis proponuntur; nam aliqua promiscuè omnibus competunt, quale est Jus Peculii, & Successionis tum Testamentariæ, tum Legitimæ; alia propria Parochis, sicut est Jus Sepulturæ, Decimandi, & alia Parochialia. De his ergo usque ad Titulum XXX. inclusivè agetur.

TITULUS XXV.

De Peculio Clericorum.

PEr Contractus, & Pacta de bonis disponitur inter vivos, per Testamenta, & ultimas Voluntates mortis causa: ut constet, de quibus bonis alterutro modo disponere Clerici possint, interseritur præsens Titulus *de Peculio Clericorum.* Est autem *Peculium* sic dictum, quasi *Pusilla pecunia*, seu *parvum Patrimonium* sit *l. depositi* 5. §. *peculium* 2. *ff. de peculio*. Dupliciter potest accipi: *primò* strictè, & propriè, quo modo acceptum eam Patrimonii, sive bonorum portionem denotat, quam filiusf. vel servus permissu patris, aut domini ab illius rationibus separatam, & propriam habet *l. cit.* §. *fin.* *Secundò* latè, quo modo sumptum significat quodcunque Patrimonium, sive bona alicujus, etiam qui Juris sui est *l. cogi* 16. *princ. ff. ad S. C. Trebell.* Hoc secundo modo accipitur præsenti Titulo.

§. I.

An, & quorum Bonorum Clerici Dominium habeant?

SUMMARIUM.

1 *Bona, quæ ad Clericos pertinent, sunt triplicis generis, Patrimonialia, quasi Patrimonialia.*
2 *Et Beneficialia, quæ à simpliciter Ecclesiasticis distinguuntur.*
3 4 5 *Simpliciter Ecclesiasticorum dominium particulare est penes ipsas Ecclesias.*
6 *Patrimonialium, & quasi patrimonialium Clerici sunt verè domini.*
7 *Quod etiam dicendum de Distributionibus quotidianis.*
8 *Fundamenta sententiæ negantis Bonorum Beneficialium dominium Clericis.*
9 *Resolvitur pro sententia affirmante.*

10 *Solvuntur argumenta prioris sententiæ.*
11 12 *Ad quem pertineant res à Prælatis, vel aliis Clericis Beneficiatis emptæ?*
13 14 *Inter quæ bona connumerari debeant, Clericis donata, vel Testamento relicta?*
15 *Cui bonorum generi accensenda sint bona relicta à Clerico?*
16 *Vel empta ab eodem, quando non constat ex quibus bonis ea emerit?*

1 QUæritur 1. quotuplicis generis sint bona, quæ ad Clericos pertinent? Resp. sunt triplicis maximè generis. 1. *Patrimonialia*, quæ Clericis aliunde, quam ratione Beneficii, vel Officii, aut Ministerii Ecclesiastici, v. g. ex hæreditate, legato, donatione, contractu, usucapione, labore, vel industria obvenerunt, ut si Clericus sit Musicus, Pictor, Sculptor &c. & ex hac arte sua lucrum faciat.

2 *Quasi Patrimonialia*, quæ acquiruntur Clericis quidem ut talibus, sed tamen intuitu sui laboris v. g. concionando, legendo Sacra, confessiones audiendo &c. Huc revocantur funeralia; & cæteri reditus, qui *Stolæ* dicuntur: item Distributiones quotidianæ, quæ dantur iis, qui Officiis Divinis intersunt: & denique illa, quæ de congrua sustentatione ex proventibus Beneficialibus sibi debita frugaliùs vivendo comparserunt, & *Parsimonialia* appellantur.

2 3 *Ecclesiastica:* quæ duplicis generis sunt: nam aliqua ex his tribuuntur Clericis; alia sunt, vel etiam manent penes Ecclesias, Monasteria, & alia pia loca, quibus ea fidelium liberalitate donata sunt. Priora *Beneficialia* dicuntur, & sunt reditus, seu proventus annui, quos Clerici ratione alicujus Dignitatis, vel Beneficii Ecclesiastici, in titulum collati, percipiunt. Posteriora simpliciter *Ecclesiastica* appellantur, & sunt bona, ac res mobiles, vel immobiles ipsarum Ecclesiarum, aliorumque locorum Sacrorum, & Religiosorum, quibus Clerici serviunt, vel præsunt, impendenda in eorum fabricam, ministrorum salaria, Eleemosynas pauperum, infirmorum curam &c. quibus accensentur villæ, prædia & fundi, ex quibus reditus Beneficiales proveniunt.

3 Quæritur 2. quis dominium Bonorum Ecclesiasticorum, à Beneficialibus distinctorum, habeat? Innocent. *in cap.* 3. *de caus. poss. & propr. num.* 3. Navar. *comment. de spoliis* §. 2. *num.* 3. Donat. *prax. regul. tom.* 1. *p.* 2. *tract.* 14. *quæst.* 27. *num.* 1. dominium istorum Christo tribuunt. *Fundantur* 1. variis textibus Juris Pontificii, quibus vocantur Pecuniæ Christi *can. qui Christi* 1. & *can. qui abstulerit* 6. *caus.* 12. *quæst.* 2. Christi Patrimonium *cap. cùm secundùm* 16. *de præbend.* & *cap. cùm ex eo* 34. *de Elect. in* 6. Res DEI. Trid. *sess.* 25. *cap.* 1. *de reform.* ibi, *Nec res Ecclesiasticas, quæ DEI sunt &c.* 2. quia hujusmodi res, & bona à fidelibus DEO, & Christo Domino in Cultum Divinum, & Beatorum Cœlitum honorem offeruntur, & dicantur *can. res Ecclesiæ* 26. *caus. cit. quæst.* 1. 3. accedit communis sensus, & vox fidelium; dicentium, quòd Ecclesiarum bona, & proventus spectent ad Sanctum, vulgò *dent Deiligen*, in cujus venerationem Ecclesia consecrata est: & hinc eorum Administratores *die Deiligen-Aflegær* appellantur.

4 Sed his non obstantibus, communis est sententia cum Cajetan. 2. 2. *quæst.* 47. *art.* 1. quòd dominium particulare ejusmodi Bonorum Ecclesiasticorum sit penes ipsas Ecclesias, sive Collegia, & Capitula Clericorum; aut ubi talia non sunt, penes communitatem fidelium ad Ecclesiam spectantium, si Ecclesia sit Sæcularis; si verò regularis, penes ipsa Monasteria, seu Conventus, & Communitates Religiosorum, si illa dominii sint capacia. De *Monasteriis, eorumque Ecclesiis* patet ex *can. non dicatis* 11. *caus.* 12. *quæst.* 1. *can. quoniam* 68. *caus.* 16. *quæst.* 1. & disertè traditur à Trid. *sess.* 25. *cap.* 3. *de Regular.* De *Ecclesiis* Sæcularibus videtur sumi ex variis textibus, maximè verò ex *cap. quorundam* 1. *de Testam.* ubi Gregorius IX. vel potiùs I. ut *ibidem* notat Gonz. *num.* 1. ad Antonium, vel potiùs Anthemium Campaniæ Archidiaconum rescribens, *Quidquid*, ait, *Ecclesiæ ante ipsius consecrationem fuisse cognoverit, vel in Episcopatus Ordine prædictum Episcopum acquisivisse, in ejusdem Ecclesiæ dominio conservetur. Ratio* de utrisque est, quia ejusmodi res, & bona fidelium liberalitate oblata, & donata sunt ipsis Ecclesiis, quamvis cum onere eas non nisi in Ecclesiæ, vel Monasterii necessitates, & utilitates, atque ad Cultum Divinum, salutem animarum, egentium alimenta &c. expendendi.

5 Dixi: *Dominium particulare*, nam dominium universale in omnium Ecclesiarum, & Monasteriorum bonis Ecclesia universalis habet. Addidi, *Dominium hoc particulare, si Ecclesia sit Regularis, esse penes ipsa Monasteria, si hæc dominii sint capacia;* nam si incapacia sint dominii, dominium etiam particulare rerum ipsis oblatarum erit penes Sedem Apostolicam, vel ut Gloss. *in cap. causa* 13. *V. Ecclesiam de V. S.* habet, penes ipsum locum Sacrum, seu Religiosum, tanquam personam fictam, eo modo, quo dominium bonorum defuncti, ne vacantia censeantur, fingitur esse penes hæreditatem, donec hæres aditione ejusdem dominus eorum fiat.

Argumenta in contrarium allata vim minorem, quàm speciem habent; nam *Ad* 1. ejusmodi res dicuntur *Pecunia, Bona, Patrimonium &c. Christi*, non quòd in ejus speciali dominio sint, sed quòd ejus intuitu donatæ sint Ecclesiis, & Monasteriis. *Ad* 2. id solùm indicat onus, & obligationem ejusmodi res, & bona non aliter, quàm ad Cultum Divinum impendendi. *Ad* 3. non minùs usu receptæ sunt Phrases, quibus eadem bona dicuntur pertinere ad Ecclesiam, vel Monasterium: & hinc Administratores illarum vulgò *Kirchen-Pfleger, Kirchen-Prebst &c.* nuncupantur.

Quæritur 3. penes quos sit dominium bonorum, quæ sunt Patrimonialia, vel quasi patrimonialia Clericorum? Resp. est penes ipsos Clericos. Et quidem quòd *Bonorum Patrimonialium* verè domini sint, & consf. de iis liberè disponere possint tam inter vivos, quàm per ultimam voluntatem, constat ex *can. Episcopi* 19. *& seqq. caus.* 12. *quæst.* 1. *can. quicunque* 2. *ead. caus. quæst.* 3. *cap. quorundam* 1. *& cap. quia nos* 8. *de testam. Ratio est*, quia per Ordinis, vel Clericatus assumptionem non fiunt incapaces dominii, neque eo se abdicant, aut à Jure privantur, cùm proprium habere disertè permittantur *can. sertè ego* 18. *caus. citat. quæst.* 1. Idem dicendum de *Quasi Patrimonialibus*, ut cum S. Thoma communis TT. & Canonistarum habet. *Ratio est*, quia dantur Clerico, tanquam merces laboris, & operis præstiti, sine ullo gravamine, aut onere expresso, vel tacito. *Neque refert*, quòd hæc stipendia laborem, & operam præstitam interdum excedant; quia liberè, & absolutè à fidelibus ipsis donantur.

Dubitari potest de *Distributionibus quotidianis*. Navarr. *de Eccl. redit. quæst.* 1. *monit.* 30. *numer.* 2. negat Clericis istarum dominium ex ratione; quia non minùs ipsæ, quàm reditus Beneficiales acquiruntur Ecclesiæ intuitu; imò his subrogantur, & ex Trid. Decreto *sess.* 21. *cap.* 3. *de reform.* in Ecclesiis, in quibus non sunt speciales Distributiones quotidianæ, ex Præbendarum proventibus sunt detrahendæ: & quod plus est aliquando in ipsis solis Præbendæ consistunt, ut colligitur ex *cap. olim* 16. *de V. S.* atqui ex doctrina Navarri Clerici non habent dominium redituum Beneficialium, ergo nec Distributionum.

Sed etsi redituum Beneficialium, quos *Fructus grossos* appellant, domini non forent Clerici (de quo tamen contrarium *infrà num.* 9.) dicendum tamen, quòd Distributionum quotidianarum plenum, ac liberum acquirant dominium. Ita cum S. Thoma TT. & Canonistæ magno sensu. Sumitur indubitatè ex *cap. un. de Cleric. non resid. in* 6. ubi Bonifacius VIII. statuit Clericos, qui Divinis Officiis non interfuerint, Distributionum quotidianarum dominium non acquirere. igitur ab iis, qui iisdem interfuerint, acquiretur per argumentum à sensu contrario.

Ad Argumentum Navarri imprimis negatur, quòd Distributiones dentur intuitu Ecclesiæ; dantur enim potiùs intuitu personæ, & ut stipendium pro præsentia in Divinis Officiis: deinde non subrogantur fructibus grossis, sed potiùs dum ex istis pars aliqua juxta mentem Trid. detrahitur, fructus grossi convertuntur in Distributiones, harumque naturam induunt quæ prorsus diversa est, ut patet ex eo, quia licèt in impetratione Beneficii exprimendus sit valor fructuum Beneficii priùs obtenti, non tamen exprimendus est valor Distributionum quotidianarum: denique etsi istæ subrogarentur fructibus grossis, ac proinde Præbendæ rationem haberent, nihilominus Clerici ipsarum dominium consequerentur, cùm etiam fructuum Beneficialium, ut mox videbimus, dominium sibi acquirant.

Quæritur 4. an Clerici Sæculares sint domini Bonorum Beneficialium, seu Redituum, quos ex Beneficiis suis Ecclesiasticis annuatim percipiunt? Negant complures, præsertim antiqui; alii distinguunt, & concedunt id quidem de iis, quæ sustentationi ipsorum congruæ sunt necessaria; negant de iis, quæ redundant & su-

& ſuperflua ſunt. Utraque ſententia iiſdem ferè argumentis nititur. 1. variis Juris Canonici textibus, juxta quos, quidquid Clerici ex Eccleſiæ bonis habent, Patrimonium Chriſti, Jus, & Res Eccleſiæ, Patrimonium, & res pauperum, eſurientium panis, & egentium animarum tributum eſt, atqui ejuſdem rei dominium, ſaltem ſtabile, & permanens, penes duos ſimul eſſe non poteſt. ergo Clerici redituum Beneficialium non erunt domini. 2. Clerici, qui ejuſmodi res & bona in uſus profanos expendunt, furtum, rapinam, & ſacrilegium committunt *can. Clericos 6. cauſ. 1. quæſt. 2. can. qui Chriſti 1. cauſ. 12. quæſt. 2.* atqui nemo dominus rei ſuæ furtum committit, ſed alienæ. ergo &c. 8. iiſdem *can. quiſquis 19. cauſ. 12. qu. 2. & cap. fraternitatem 2. de donat.* vocantur diſpenſatores tantùm, & adminiſtratores. igitur non ſunt domini. 4. non poſſunt etiam de reditibus his liberè, & ad quaſcunque, ſed pias ſolùm cauſas diſponere, vel teſtari, prout dicetur *infrà num. 19. & Tit. ſeq. num. 82.* atqui hoc repugnat naturæ dominii; quia qui dominium habet, vi illius liberam habet facultatem diſponendi de rebus ſuis. ergo &c.

Sed dicendum, probabiliùs Clericos Beneficiarios Sæculares habere perfectum dominium redituum Beneficii ſui, non tantùm quoad partem, quæ ad congruam ipſorum ſuſtentationem, & ſtatus decentiam conſervandam eſt neceſſaria, ſed etiam quoad eam, quæ redundat, & ſuperflua eſt. Ita communis TT. & Canoniſtarum RR. cum S. Thom. 2. 2. *quæſt. 185. art. 7. in Corp. Colligitur* 1. ex Trid. *ſeſſ. 23. cap. 1. & ſeſſ. 24. cap. 12. de reform.* ubi ſtatuitur, ut Beneficiarii, qui abſque neceſſitate diu abſunt, aut Profeſſionem Fidei intra præſcriptum tempus emittere negligunt, non faciunt fructus ſuos. igitur per argumentum à ſenſu contrario ii, qui præſentes ſunt, & Profeſſionem ſtatuto tempore faciunt, fructus illos faciunt ſuos, & quidem omnes, cùm nulla fiat exceptio. atqui fructus ſuos facere, eoſque lucrari apertè ſignificat acquiſitionem dominii. ergo &c. 2. *ex can. quatuor 17. cauſ. 12. quæſt. 2.* ubi refertur diviſio redituum, & oblatorum Eccleſiis jam dudum antè facta in quatuor partes, quarum una ſit Pontificis (i. e. Epiſcopi) altera Clericorum, tertia pauperum, quarta fabricæ applicanda. atqui hoc loco nulla fit exceptio redituum ſuperfluorum, ſed integra quarta adjudicatur Clericis. ergo &c. 3. *ex cap. pervenit 2. de fidejuſſor.* ubi præcipit Summus Pontifex, ut creditoribus Clerici ſatisfiat ex reditibus Beneficiorum. atqui ſi dominium iſtorum non haberent, injuſtè ex his iiſdem ſatisfieret, cùm creditori ſatisfacere debitor ex alienis nequeat. ergo &c. 4. *ex Conſtitutione Julii III.* incipit *Cùm ſicut edita 3. Junii 1550.* ubi expreſsè ait Pontifex, *pecunias, & alias res, occaſione Eccleſiarum, & Beneficiorum Eccleſiaſticorum pro tempore provenientes, poſtquam ad manus Beneficiatorum pervenerunt &c. non ulteriùs in Eccleſiaſticis, ſed potiùs ipſorum Beneficiatorum propriis, & ab iis acquiſitis bonis judicari, & propterea quodammodo pro ſæcularibus, & profanis haberi &c.* 5. *ex ratione*, quia non conſtat, quòd fundatores, & alii fideles voluerint, aut velint Clericis reditus iſtos obvenire ſolùm ut uſufrariis, & adminiſtratoribus. ergo in hoc dubio melior eſt conditio poſſidentium, & ſtat pro iiſdem præſumptio dominii ob paritatem cum operariis, & Officialibus Eccleſiarum profanis, qui quantumvis liberaliſſima aliquando ſtipendia pro labore ſuo aſſignata habeant, ea tamen omnia ſua faciunt. 6. denique ſi Clerici bonorum, & redituum ſuorum Eccleſiaſticorum non eſſent domini, ſed uſuarii, & adminiſtratores tantùm, Eccleſia illos, qui malè ea expendunt, & eos, qui ſic expenſa accipiunt, cogere deberet, & poſſet ad faciendam reſtitutionem: quod non facit.

10 Argumenta in contrarium allata non ſunt efficacia. *Ad* 1. Bona Eccleſiaſtica à SS. PP. & Canonibus vocantur *Bona DEI*; quia ſunt deſtinata tum ab Eccleſia, tum à donatoribus, ut ad honorem, & cultum DEI impendantur: *Patrimonium Chriſti* dicuntur; quia propter Chriſtum, & hujus amore donata ſunt: *Bona pauperum* denique: quia Clerici ex his nutriuntur, qui antiquitus dominium in particulari nullum habebant, ſed verè tunc pauperes fuerant: quodſi de veris pauperibus, & relatè ad noſtra tempora velis textus iſtos intelligi, Eccleſiaſtica bona dicuntur Bona pauperum, quia, ut *infrà num. 19.* dicetur, pauperibus eroganda ſunt, ſi ſint ſuperflua. *Ad* 2. dum dicitur, quòd Clerici, qui Eccleſiaſticos proventus malè expendunt, vocentur fures, & latrones, vel referri debet ad ea tempora, quibus nondum fundata erant Beneficia, ſed Clerici in commune vivebant ex gratuitis fidelium Eleemoſynis; vel ſi velis, intelligendum eſſe etiam de Clericis noſtri temporis, dicendum eſt, textus *citt.* aut tantùm loqui de bonis ipſarum Eccleſiarum, quæ in profana expendendo verè fiunt fures, cùm diſpenſatores eorum duntaxat ſint, non verò domini; aut exagerationem oratoriam eſſe, ſed juſtam, quali etiam in avaros Laicos SS. PP. aliquando invehi conſueverunt, quòd ab ipſis negligerentur pauperes, in extrema, aut valde gravi neceſſitate conſtituti. Et in hoc ſenſu S. Hieronymus, prout refertur *can. Hoſpitalem diſt. 42.* etiam de Laicis, *Aliena*, inquit, rapere convincitur, qui ultra neceſſaria retinere probatur. *Ad* 3. etiam adminiſtrator, & diſpenſator quis eſſe bonorum ſibi propriorum poteſt; & in hoc ſenſu dicitur prodigis declaratis adminiſtratio bonorum interdicta: vel ſi contendas id intelligendum de adminiſtratione, & diſpenſatione bonorum alienorum, dic Clericis illam competere reſpectu bonorum ſimpliciter Eccleſiaſticorum, quæ ſc. non ad Clericos, ſed ad Eccleſiam Jure proprietatis pertinent. *Ad* 4. quòd Clerici de reditibus à ſe perceptis liberè teſtari nequeant, non eſt defectus dominii; nam etiam pupillus bonorum ſuorum verè eſt dominus, licèt poteſtate teſtandi careat: ſed cauſa eſt, ut dum vivunt, in pauperes, & cauſas pias, quod ſibi ſupereſt, erogent, & non intendant acervare opes contra obligationem, ſub qua dantur eiſdem Eccleſiaſtici reditus.

11 Quæritur 5. ad quem pertineant res à Prælatis Eccleſiarum, vel aliis Clericis Beneficiatis emptæ? Reſp. cum diſtinctione: Vel enim Prælatus, aut Beneficiarius emit res iſtas ex bonis ſuis patrimonialibus, aut quaſi patrimonialibus; vel contrà emit illas ex ipſarum Eccleſiarum bonis, quorum ſolam adminiſtrationem habet; vel denique ex reditibus Eccleſiaſticis ſuperfluis ſuſtentationi ſuæ.

Si primum, non eſt dubium, quin res emptæ ad Prælatum, vel Beneficiarium emptorem ſpectent; in hoc enim Clerici non ſunt deterioris conditionis, quàm Laici.

Si ſecundum, res ab eo emptæ acquiruntur Eccleſiæ, ex cujus bonis ſunt emptæ, ita, ut ab hac vindicari poſſint, quantumvis emptæ eſſent, non Eccleſiæ, ſed proprio Prælati, vel Clerici, imò alieno alicujus conſanguinei, aut amici nomine, ut habetur *cap. inveſtigandum 1. cap. Presbyter 2. & cap. inquirendum 4. h. tit. Ratio eſt*, quia Eccleſia hujuſmodi emptionem factam præſumit, vel ſi aliter facta ſit, ratam ſolùm habet in commodum ipſius Eccleſiæ, ex cujus bonis facta eſt emptio.

12 *Si Tertium*, & emptio facta eſt ex reditibus ſuperfluis accommodatis Prælato, vel Clerico Beneficiario, diſſident inter ſe DD. nam Gloſſ. *in can. placuit 1. cauſ. 12. quæſt. 3.* Turrecrem. *ibid.* Sarmient. *p. 3. cap. 2.* Pirh. *hìc num. 19. & ſeqq.* dicunt illas acquiri Eccleſiæ, non emptori, videturque hoc colligi ex *can. placuit citat. can. fixum 4. cauſ. cit. quæſt. 5. cap. Presbyter 2. & duob. ſeqq.* juxta quos textus à Clerico aliunde, quàm ex patrimonio proprio quæſita bona Eccleſiæ eſſe debent.

Sed probabiliùs dicendum ea, quæ à Prælato, vel alio Beneficiario ex reditibus Eccleſiaſticis ſibi appropriatis non Eccleſiæ, ſed ſuo nomine empta ſunt, non Eccleſiæ, ſed ipſi Prælato, & Clerico emptori acquiri: eſtque perinde, ſive res empta ſit mobilis, ut equus, veſtis, libri, ſive immobilis, ut domus, horti, vineæ &c. Ita Navar. *de reditib. Eccl. quæſt. 1. monit. 47.* Azor. *p. 2. l. 7. cap. 10. quæſt. 1.* & communis aliorum. *Ratio eſt*, quia cùm Clerici, ut *num. 9.* dictum eſt, ſint domini redituum ſuorum Eccleſiaſticorum, non eſt ratio, cur non etiam fiant domini eorum, quæ ex iis compararunt, eum juxta Regulam *cap. Eccleſia 3. ut lit. pend.* ſubrogatum ſapiat naturam ejus, qui ſubrogatur. Accedit, quia *ex Conſtit. Pauli IV. edita 25. Octob. 1556. & Pii IV. edita 3. Aprilis 1560.* hujuſmodi bona accenſentur Spoliis Clericorum, & cedunt Cameræ Apoſtolicæ: quod utique non fieret, ſi eorum dominium eſſet penes Eccleſiam.

Neque obſtant textus in contrarium allegati; quia intelligendi ſunt vel de rebus emptis ex bonis ipſarum Eccleſiarum, vel de emptis quidem ex Beneficialibus bonis, Eccleſiarum tamen nomine. Non malè etiam ſentiet, qui dixerit intelligendos eſſe ſolùm de Epiſcopis, & Clericis, qui proprios, & à reditibus Eccleſiarum diſtinctos proventus Beneficiales non habent; aut ſi tales habent, dicendum eſt, ex ipſis empta ideo relinquenda eſſe propriæ Eccleſiæ, quia Clerici de Jure communi teſtandi facultatem non habent.

13 Quæritur 6. inter quæ Bona connumerari debeant, quæ donata, vel teſtamento relicta ſunt Epiſcopo,

Paro-

Parocho, aut alii Clerico administratori Ecclesiæ? Resp. id pendere ex intentione donatoris, vel testatoris; nam si iste principaliter donare, vel relinquere voluit ipsi Ecclesiæ, donum vel relictum cedit ipsi Ecclesiæ: si verò personæ Episcopi, aut Parochi, cedit personæ ejusdem, & peculio Patrimoniali illius miscetur *cap. requisivisti* 15. *de testam.*

Difficultas est, quid judicandum sit, quando dubium est, qua intentione donator donationem, vel testator Legatum fecerit? Resp. tunc recurrendum est ad conjecturas, quæ duplex est: una se tenet ex parte rei donatæ, vel legatæ, altera ex parte donatarii, vel legatarii. *In prima* observandum est, qualis sit res donata, vel legata; nam si illa conveniat usui Ecclesiastico, ut si calix, patena, vel alia similis res donata, aut legata est, præsumendum, donum, aut Legatum factum esse intuitu, & favore Ecclesiæ; secus, si personæ magis conveniat, ut vestis quotidiana &c. Menoch. *l.* 3. *præsumpt.* 27. *num.* 3. & *l.* 4. *præsumpt.* 112. *num.* 8. & 9. Konig. *hic num.* 4.

14 *In secunda* videndum, an donatio, vel legatum factum sit Prælato, vel alteri Beneficiario, habenti administrationem bonorum Ecclesiæ, an verò alteri Clerico, nullam administrationem habenti. *Si hoc secundum*, & e.g. aliquis ex Canonicis instituatur hæres, vel aliquid ei legetur, ita legatum aut relictum censetur legatum, vel relictum ipsi Canonico tanquam amico, non verò Ecclesiæ. *Si primum*, distinguendum, an hujusmodi donatio, vel legatum fiat personæ extraneæ, an verò conjunctæ, aut bene meritæ de donatore, vel testatore; in priore enim casu præsumitur donator, vel testator respexisse Ecclesiam, in secundo personam ipsius donatarii, vel legatarii *cap. requisivisti cit. de testam.* Abb. *ibid.* Corras. *l.* 2. *Miscell. cap.* 4. Menoch. *præs.* 27. *cit. num.* 3. & 4. Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 117. *num.* 14. & 15. Konig. *hic loc. cit.*

15 Quæritur 7. cui bonorum generi, patrimonialium, an Ecclesiasticorum, accensenda sint bona relicta à Clerico, de quibus dubium est, quo titulo illa acquisiverit? Resp. distinguendo: Vel enim constat, quòd ejusmodi Clericus præter Beneficii sui fructus aliunde aliqua acquisiverit ex patrimonio, aut industria sua, vel de hoc non constat. *Si primum*, præsumendum est, quòd fructus Beneficii applicarit ad sustentationem suam, bona relicta autem Patrimonialia, vel Industrialia sint, ad quæ proinde hæredes ejusdem ab intestato venientes jus habeant. *Si secundum*, præsumendum est ea titulo Ecclesiæ, aut Beneficii acquisita esse: proinde Ecclesia illa sibi vendicare post mortem Clerici potest, nisi aliud hæredes ejusdem probaverint; non facilè enim Clericus aliter quid potest acquirere, ne gravi præsumptione oneretur *can. sicut* 21. *caus.* 12. *quæst.* 1. Covar. *in cap.* 1. *de testam. num.* 9. & *seqq.* Konig. *num.* 7.

16 Idem dicendum, quando constat, quòd Clericus aliquid emerit, dubium autem est, an illud emerit ex bonis patrimonialibus, an verò ex Beneficialibus; vel enim is habuit Patrimonium aliquod proprium, vel nullum, vel admodum tenue. *Si primum*, præsertim si hoc amplum fuit, reditus verò Beneficii tenues, & congruam sustentationem non excedentes, res à Beneficiario, vel Prælato empta præsumitur empta ex patrimonio proprio. *Si secundum*, aut *tertium*, præsumitur empta ex reditibus sui Beneficii; alio enim modo peculium, quo ejusmodi res sibi compararet, honestè obtinere non potuit.

§. II.

Quomodo expendere Clericus Bona, quæ sub dominio illius sunt, licitè possit?

SUMMARIUM.

17 *Bona Patrimonialia, & quasi patrimonialia Clericus expendere potest ad usus etiam profanos.*
18 *Et ad pios expensa compensare sibi ex Beneficialibus, quamvis animum compensandi non habuerit.*
19 *Beneficialia expendere debet ad usus pios.*
20 *Quæ superflua congruæ sustentationi sunt.*
21 *Hæc latitudinem patitur, & metienda ex praxi timoratorum.*
22 23 *Aliter expendens peccat mortaliter, si in gravi quantitate: ubi, quæ talis sit?*
24 25 *Pauperum nomine quinam hic veniant?*
26 27 *Obligatio hæc in Clericis non oritur ex virtute Charitatis, vel misericordiæ.*
28 29 30 *Neque ex virtute Religionis.*
31 32 33 *Aut Justitiæ,*
34 35 36 *Sed ex præcepto Ecclesiæ tantùm.*

QUæritur 1. quomodo Clericus expendere possit bona sua patrimonialia, vel quasi patrimonialia? Respond. hæc expendere potest in quoscunque usus honestos, etiam profanos; quia ut dictum est *numer.* 6. horum bonorum Clericus plenum dominium habet, idque nullo modo ligatum. Idem dicendum de *Parsimonialibus*, quæ parciùs vivendo corrasit Clericus, ut cum Covar. Navar. & aliis contra Abb. Zoes. & nonnullos advertit Azor. *p.* 2. *lib.* 7. *cap.* 9. *quæst.* 5. Imò si ex his suis Patrimonialibus bonis, vel quasi Patrimonialibus, aut Ecclesiasticis necessariis ad sustentationem congruam aliquid expenderit ad causas pias, potest postea compensationem sibi facere ex reditibus Beneficialibus sustentationi suæ superfluis. 17

Procediturque hoc, etsi non habuerit animum compensandi; imò si habuerit animum contrarium non compensandi, ut contra Palao, & alios cum communiore observat Lug. *tom.* 1. *de Just. D.* 4. *num.* 92. *Ratio est*, quia præcepto satisfit, quando ponitur opus præceptum, ut patet in exemplo præcepti de audienda Missa die festo, cui satisfacis, modò Missæ interfueris humano modo, etsi animum non habueris satisfaciendi per ejus auditionem præcepto Ecclesiæ. ergo etiam non obstante illa voluntate compensationis non faciendæ, verè jam satisfactum est præcepto, ut adeo non tenearis de fructibus Beneficii erogare id, quod jam erogasti ex patrimonialibus tuis, sed possis illos tibi reservando compensationem facere patrimonialium tuorum, ex quibus obligationi, quæ ratione fructuum Beneficii tibi incubuit, jam satisfecisti. 18

Quæritur 2. quomodo expendere Clericus debeat Bona Beneficialia congruæ sustentationi superflua? Resp. obligatur expendere illa in pauperes, vel alias causas pias, & quidem sub culpa ex genere suo mortali, nisi aliunde illi ab hac obligatione debeatur immunitas. Ita communis omnium TT. & Canonistarum. Colligitur ex Trid. *sess.* 25. *cap.* 1. *de reform.* ubi interdicit Episcopis, ne ex reditibus Ecclesiæ consanguineos, aut familiares suos augere studeant, sed si pauperes sint, iis ut pauperibus distribuant: & paulò post idem extendit ad omnes, qui habent Beneficia Ecclesiastica. 19

Dixi 1. *Bona Ecclesiastica congruæ sustentationi superflua.* Porro nomine *Sustentationis congruæ* intelliguntur communiter ea, quæ necessaria sunt, ut Clericus honestè vivat juxta conditionem status, gradus, qualitatis, & regionis, in qua Clericus commoratur: adeoque intelliguntur etiam moderata convivia, largitiones moderatæ, etiam divitibus factæ tum ex gratitudine, tum ex benevolentia. Atque hinc 20

Infertur 1. congruam sustentationem non consistere in indivisibili, sed sicut in pretiis invenitur supremum, medium, & infimum, sic in congrua sustentatione inveniri posse eosdem gradus: & idcirco, ut rectè Navarr. Molin. Lugo inferunt, si infimum sustentationis congruæ respectu talis Beneficiarii essent 800. aurei, medium 900. supremum 1000. posset ille, qui solùm insumpsit 800. reservare sibi 200. alios, qui supersunt usque ad 1000. & de his disponere, prout voluerit. 21

Infertur 2. congruam sustentationem istam non esse æquali valore pro omnibus taxandam, sed respiciendam imprimis qualitatem Beneficii; quod enim sufficit Parocho rurali, non sufficit Canonico Cathedralis Ecclesiæ, & quod huic sufficit, non sufficit Episcopo: deinde attendi debet ad qualitatem, & usum regionis; nam quod in uno loco sufficit, non sufficit in altero: denique attendi etiam debet ad qualitatem personæ; nam ratione nobilitatis, doctrinæ, ac meritorum crescit mensura sustentationis congruæ, ut desumitur ex *cap. de multa* 28. *de præbend.* & *Extrav. Execrabilis Joannis XII. eod.*

Infertur 3. Regulam securiorem & meliorem assignari non posse, quàm praxin illorum, qui timoratæ conscientiæ sunt, & in eodem Dignitatis gradu. Hinc tutò expendere potest Canonicus pro sustentatione sua, quod videt expendere alios pios, & timoratos Canonicos ejusdem Ecclesiæ: & sic de cæteris.

Dixi 2. *Sub culpa ex genere suo mortali*; nam ita textum Trid. explicant DD. *Limita*, si in gravi quantitate; quia culpa, quæ sic committitur, admittit parvitatem materiæ.

Porro quænam sit materia notabilis, & tanta, ut eam ex

ex fupêrfluis expendendo in caufas profanas Clericus peccet mortaliter, variæ funt DD. fententiæ. Hurtad. *D.* 160. *de Charit. f.* 15. §. 105. *& feqq.* quem refert, & fequitur Diana, putat univerfaliter quemlibet Ecclefiafticum, etiam ditiffimum, fatisfacere obligationi fuæ, fi feclufis neceffitatibus gravibus, eroget in communibus neceffitatibus quartam partem redituum, vel dimidium illius, quod remanet fuftentationi congruæ. Lugo exiftimat fententiam hanc effe nimis laxam: hinc dicit eam materiam in præfenti quæftione cenferi poffe etiamnum levem, qua fola retenta, expenfis reliquis, moraliter adhuc exiftimari poffent expenfi effe omnes reditus fuperflui: talem autem quantitatem ipfe putat effe vigefimam partem redituum, fuperfluorum, eò quòd tam parum haberi poffit pro nihilo.

Ego judico in re ifta regulam univerfalem ftatui nullam poffe, fed determinationem relinquendam effe prudentum arbitrio, qui fpectatis tum reditibus Beneficii, tum Beneficiatorum nobilitate, laboribus, meritis &c. ftatuant, quando erogatio in ufus profanos fit mortaliter peccaminofa. Hoc certum eft, ut peccetur mortaliter, plus requiri, quàm cæteroquin in materia furti ad peccatum mortale fufficiat; neque enim adeò ftrictè cenferi debet Ecclefia velle obftringere, cùm Clerici etiam fuperfluorum, ut dictum eft, domini fint.

Dixi 3. *In pauperes, vel alias caufas pias. Pauperum* nomine veniunt hìc non folùm illi, qui non habent neceffaria ad vitæ confervationem, fed etiam, qui non habent neceffaria ad ftatum fuum confervandum, & fecundùm quid pauperes funt.

In fpecie poteft Clericus. 1. Ex iis folvere non tantùm fua, fed etiam confanguineorum fuorum debita, quamvis contracta ob finem profanum, fi aliunde folvere ifta vel ipfe, vel ifti nequeant.

2 Poteft ex his reditibus juvare eofdem confanguineos, uti etiam familiares, ut fecundùm decentiam ftatus fui vivere, non verò, ut ad majorem fplendorem illum poffint attollere.

3 Poteft fratri, vel confanguineo fuo fubminiftrare fumptus ad ftudendum litteris, vel addifcendam artem.

4 Poteft dotare ex iis puellas, ut contrahere Matrimonium poffint, quod ftatum ipfarum deceat &c.

5 Poteft ex iis alere liberos fuos, non folùm, quos ex legitima uxore fufcepit ante Clericatum, fed etiam quos poft illum fufcepit illegitimè, feu fpurios. De quibus vide Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 3. *n.* 3. *prope fin. & duob. feqq.* Pirh. *hic n.* 15. Vvieft. *n.*43. & alios ab his *citt.*

Cæterùm quamvis abfolutè Clericus erogare bona fuperflua poffit in pauperes, & pias caufas quafcunque, decet tamen, ut potiùs fuccurrat pauperibus fuæ Ecclefiæ: imò in gravi neceffitate omnino tenetur fuccurrere his præ aliis; ficut enim ante diftributionem bonorum ad hoc tenebatur ipfa Ecclefia, ita cùm diftribueret bona fua in Clericos, hoc onus unà cum bonis in eofdem tranftulit.

Quæritur 3. unde proveniat obligatio Clericis impofita ad eroganda fuftentationi fuæ fuperflua in caufas pias? Quatuor funt fententiæ: quarum *prima* vult obligationem iftam oriri ex virtute Charitatis. *Secunda* ex virtute Religionis. *Tertia* ex Juftitia. *Quarta* ex præcepto tantùm pofitivo Ecclefiæ. Et hinc

Dub. 1. an obligatio hæc expendendi fuperflua in caufas pias oriatur ex virtute Charitatis, & Mifericordiæ? Ita quidem affirmant aliqui ex ratione; quia cùm Clerici ratione gradus fui fint Patres, & Tutores pauperum, fpeciali obligatione Charitatis præ Laicis videntur obftringi, ut his fuccurrant ex bonis fuis.

7 Sed etfi omnino deceat ob rationem datam, ut Clerici magis, quàm Sæculares fint liberales in pauperes, ex hac tamen fpeciali profeffione curæ, & tutelæ pauperum non fequitur, quòd ex virtute Charitatis adeo ftrictè, & graviter obligentur, ut aliter expendendo fuperflua peccent mortaliter; nam 1. lex Charitatis, & mifericordiæ, ut cum S. Thom. 2. 2. *q.* 32. *art.* 5. communiter docent TT. non obligat fub mortali ad fubveniendum pauperibus, nifi in extrema, vel faltem gravi neceffitate conftitutis. atqui poteft fieri, ut in aliquo loco, vel Provincia nulli fint pauperes, qui gravem neceffitatem patiuntur, vel fi fint, ut illis per Magiftratum, vel per alios jam fit provifum. igitur tali cafu Clerici ex Charitate, & mifericordia non obligabuntur fuperfluos reditus erogare in pauperes: peccant autem & hoc cafu graviter, fi eos expendant in ufus profanos: ergo contra aliam Legem, quàm Charitatis, & mifericordiæ. 2. Ob circumftantiam perfonæ, & ftatus non augetur peccatum contra mifericordiam, ut quod in Laico tantùm eft veniale, in Clerico fit mortale, ut docet S. Thom. 2. 2. *q.* 186. *art.* 10. atqui Laici, licèt aliquando abundantiores reditus habeant, quàm Clerici, non tamen peccant mortaliter contra Charitatem, & mifericordiam, fi dempto extremæ, vel gravis neceffitatis cafu, fuperfluos reditus expendant aliter, quàm in pauperes. ergo nec Clerici. 3. Clerici fatisfaciunt obligationi fuæ expendendo reditus fuos fuperfluos in alia, quàm Charitatis, & mifericordiæ opera, v. g. in Cultus Divini augmentum, in fundationem Beneficii, vel Altaris, & fimiles ufus.

Ex quo cadit argumentum contrarium; nam quòd Clerici ratione gradus fui fint patres, & tutores pauperum, ut dixi, decentiam quidem indicat, non verò obligationem; aliàs non tantùm bona Ecclefiaftica, fed etiam Patrimonialia tenerentur in ufus pios expendere, cùm hoc fanctitas ftatus non minùs fuadeat, quàm alterum.

Dub. 2. an obligatio ifta oriatur ex virtute Religionis? Affirmat Lugo *tom.* 1. *de J. & J. D.* 4. *f.* 2. *num.* 16. cum pluribus aliis. *Fundantur*; quia ad Religionem augendam, & Cultum Divinum promovendum fundatores Beneficia, & illorum reditus ordinarunt. igitur ne huic fundatorum fuorum intentioni Beneficiarii contraveniant, tenebuntur id, quod fibi fuperfluum eft, ad Divinum Cultum impendere. hoc faciunt, fi erogent in caufas pias. ergo &c. *Conf.* reditus Ecclefiaftici, ut Trid. loquitur, funt res Dei. has autem indecens, & turpe eft aliter expendere, quàm in ufus pios, & Deo, ad cujus honorem donata funt, gratos. igitur etfi ejufmodi res fine ullo pacto, & conditione donatæ effent, qualitas tamen earum prohibet eas expendi in ufus profanos, & fic peccatur adversùs Religionem. 28

Sed dicendum, quòd obligatio hæc etiam non oriatur ex virtute Religionis. *Ratio eft* 1. quia reditus Beneficiales in fe non funt res Sacræ, vel benedictæ, ficut funt Calices; cæteraque vafa, & veftimenta Sacra, fed merè temporales, ficut bona, & reditus Laicorum. igitur non apparet, quare abufus illorum ad caufas profanas fit peccatum grave adversùs Religionem, 2. Si applicatio fuperfluorum redituum ad caufas profanas adverfaretur Religioni, eidem etiam adverfaretur infumptio parfimonialium, & quafi parfimonialium ad caufas profanas; nam ejufdem naturæ, & rationis funt cum reditibus Beneficialibus fuperfluis. fequelam ipfi etiam Adverfarii negant. ergo &c. 3. Si titulo Religionis, adeoque ex præcepto naturali obligatio ifta defcenderet, non apparet, quomodo Pontifex Clericis dare facultatem ad caufas profanas teftandi poffit, ut aliquibus dedit Julius III. & Paulus V. item quomodo ea facultas induci poffit per confuetudinem, quæ tamen confuetudo datur, & ab Ecclefia toleratur multis in locis, tefte Barbof. *l.* 3. *Jur. Eccl. c.* 17. *n.* 67. 29

Ad Argumentum Adverfariorum dico piæ intentioni fidelium jam fatisfieri, dum ejufmodi reditus diftribuuntur Clericis, ratione eorum obligatis ad officium, & fervitium Divinum; hoc enim, & non plus fundatores intendiffe per donationem à fe Ecclefiæ factam probari poteft. *Ad Conf.* ex ea folùm fequitur, quòd bona illa, dum adhuc funt in poteftate Ecclefiæ, impendi debeant in Cultum Divinum; nam eò ufque funt Bona Dei: at fi erogata aliquando in Clericos fint, bona Dei, & Ecclefiæ effe definunt, & incipiunt effe bona propria Clericorum; nam eodem modo dantur Clericis reditus ifti, ficut ftipendium fuum datur Cantoribus, & aliis Ecclefiæ Miniftris Laicis, & difcrimen folùm eft, quòd iftis detur titulo officii temporalis, Clericis autem titulo obfequii, & muneris Spiritualis. atqui Cantores, & fimiles Miniftri Laici non tenentur expendere reditus fuos in caufas pias. ergo nec Clerici, feclufo alio præcepto. 30

Dub. 3. an Clerici Beneficiarii fuperfluos congruæ fuftentationi reditus teneantur expendere in pauperes, vel alias caufas pias ex obligatione Juftitiæ? Affirmat Navarr. *tr. de redit. Eccl. q.* 2. *monit.* 7. *n.* 1. Tann. *tom.* 3. *D.* 4. *de Juft. q.* 6. *dub.* 8. *num.* 215. Laym. *l.* 3. *tr.* 2. *c.* 3. *n.* 3. & inclinat in eam fententiam Pirh. *hic n.* 6. *& feqq.* ubi dicit eam effe omnium ferè Canoniftarum, & plurimorum TT. Nituntur 1. authoritate complurium textuum Juris Canonici, & præcipuè Decreto Trid. *feff.* 25. *c.* 1. *de reform.* ubi res Ecclefiæ dicuntur effe vota fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum, ac propterea, quod congruæ Clericorum fuftentationi fuperfluum eft, jubetur expendi in caufas pias. atqui Decretum iftud haud æquum foret, fi Clerici Beneficiarii nullo Juftitiæ titulo ad faciendum hoc tenerentur, ficque dominium redituum fuorum haberent omnino abfolutum; quia is, qui abfolutè dominus eft, rerum fuarum moderator eft, & de iis fuo arbitratu poteft difponere. 2. DD. omnes fatentur, Clericos Beneficiarios peccare mortaliter, fi reditus Beneficiales fuperfluos in notabili quantitate, non in pauperes, vel alios ufus pios, fed in profanos expendant. atqui fi ex juftitia ad 31

hoc non obligantur, non poteſt oſtendi, quo ex capite ad hoc obligentur. 3. Cui datur aliquid cum onere dandi illud, vel partem ejuſdem alteri, ex Juſtitia tenetur illud alteri dare, & ad reſtitutionem obligatur, ſi in alios uſus expendat, vel abſumat inutiliter. atqui fideles tam abundantes reditus Eccleſiaſticos fundarunt, & Prælatis, ac Beneficiariis aſſignarunt, non niſi cum onere, ut quæ eorum honeſtæ ſuſtentationi ſuperflua ſunt, in pauperes, vel alios pios uſus erogent. igitur contrarium faciendo contra Juſtitiam peccant, & ad reſtitutionem tenebuntur. 4. Clerici de bonis Beneficialibus teſtari non poſſunt, aut per ultimam voluntatem de iis diſponere, etiam ad cauſas pias, ſed moriens Eccleſiæ, unde profecti ſunt, debet relinquere, ut habetur *c. ut unuſquiſque* 3. *h. tit.* hujus autem prohibitionis ratio alia reddi nequit, niſi quia illa, quæ intuitu Eccleſiæ, ſive titulo Eccleſiaſtico acquiſita ſunt, inter bona profectitia numerantur, ideoque poſt mortem Beneficiarii ad Eccleſiam redire debent, ſicut bona profectitia filiifam. poſt mortem hujus ad patrem. ergo &c. 5. Si Clerici Beneficiarii bonorum, & redituum Beneficialium abſolutum haberent dominium, ſine obligatione Juſtitiæ expendendi illos in cauſas pias, injuriam ipſis Eccleſia faceret, illos reditus ſibi vendicando poſt mortem, & poteſtatem teſtandi de illis adimendo Clericis; nullus enim, qui abſoluto jure eſt dominus bonorum ſine ullo gravamine, vel onere annexo, prohibetur de illis teſtari, niſi ob defectum ætatis, vel judicii, aut poteſtatis adminiſtrandi bona ſua.

32 Sed his non obſtantibus dicendum: Obligatio expendendi ſuperfluos reditus in cauſas pias non eſt Juſtitiæ obligatio. Ita DD. *n.* 35. citandi. Ex hinc ſequitur, ſi Clericus Beneficiarius reditus congruæ ſuæ ſuſtentationi ſuperfluos aliter, quàm ad cauſas pias expendat, non tamen obligatum eſſe ad iſtorum reſtitutionem. *Ratio eſt*, quia nemo cogendus eſt ad reſtitutionem alicujus rei, niſi conſtet eſſe alienam, & lege Juſtitiæ alteri debitam; nam ut communis Regula habet; in dubio nemo ſpoliandus eſt jure, quod poſſidet. atqui nulla ratione, vel authoritate conſtat Beneficiarios lege Juſtitiæ obligari ad partem aliquam redituum ſuorum dandam alteri. ergo &c. *Min. probatur:* nam ſi contrarium conſtaret, id conſtaret vel ex modo donationis fidelium, vel ex diſpoſitione Eccleſiæ. *Non primum*; quia non conſtat, quòd fideles, qui hæc bona contulerunt, illa donaverint ſub hoc modo, & conditione: & quamvis intenderint, vel deſideraverint ex ſuperfluis ali pauperes, tamen valde eſt credibile, eos hanc obligationem non impoſuiſſe, tum quia non dubitabant Clericos hoc ſponte facturos, tum quia moleſtiores, ac reverentiores erant, quàm ut Clericis auderent hanc obligationem imponere. *Non ſecundum;* quia nuſpiam in SS. Canonibus clarè explicatur, quòd Eccleſia Clericis impoſuerit obligationem Juſtitiæ ad expendendos reditus ſuperfluos in cauſas pias, & conſ. reſtituendi illos, quos aliter, quàm in prædictum finem expenderunt. atqui oportuiſſet clariùs explicare, ſi voluiſſet obligationem iſtam imponere, cùm magni momenti res ſit, utpote quæ ad omnes Beneficiarios pertinet, & ſummopere ad ædificationem publicam, ac pauperum ſuſtentationem confert. *Conf.* ſi Clerici reditus, qui congruam ſuſtentationem excedunt, in conſanguineos, & alias cauſas profanas conferendo peccarent contra Juſtitiam, non ſolùm ipſi, ſed etiam ii, in quos contulerunt, obligarentur ad id, quod acceperunt, reſtituendum pauperibus, vel Eccleſiæ, imò ad hoc compellendi eſſent à Prælatis Superioribus ſuis Eccleſiaſticis: quod tamen iſti ſine ullo officii ſui neglecti ſcrupulo non præſtant, atque ad id ex officio præſtandum ſe obligatos non agnoſcunt. ergo &c.

33 Argumenta Adverſariorum non evincunt intentum. *Ad* 1. præceptum erogandi reditus ſuperfluos in cauſas pias, etſi obligationem Juſtitiæ non imponat, vel ſupponat, iniquum tamen nequaquam eſt, quia conforme eſt juſto deſiderio fidelium, ſervit ad diſciplinam Cleri, & ædificationem populi, & ſubſidium pauperibus affert ex iis bonis, quæ ſic decentiùs expenduntur. *Ad* 2. infrà *n.* 35. dicam, obligationem iſtam oriri ex præcepto Eccleſiæ, ad id motæ tum fidelium juſto, ut dixi, deſiderio, tum ipſa ſtatus Clericalis conditione, in quo conſiſtentes ſpecialem pauperum curam profiteri debent. *Ad* 3. fideles bona hæc, ex quibus deſumuntur proventus Eccleſiaſtici, dederunt ſolùm cum ſpe, quòd ſuperfluum erogandum eſſet in pauperes, & non cum obligatione, ut dictum eſt *n. præc.* atqui ſpes iſta Juſtitiæ obligationem non inducit. ergo &c. *Ad* 4. ratio, cur Jure communi prohibitum ſit Clericis teſtari de reditibus Eccleſiaſticis congruæ ſuſtentationi ſuperfluis, eſt, partim quia par eſt, ut id, quod ipſis ſupereſt, relinquatur Eccleſiæ, partim verò quia hac ratione avocantur à ſtudio accumulandi divitias, & incitantur, ut in vita erogent in uſus pios. Accedit, quia in multis locis, ut *Titulo ſeq.* dicitur, defacto eſt conſuetudo teſtandi apud Clericos, ſciente, & non prohibente Magiſtratu Eccleſiaſtico. *Ad* 5. non eſt novum, quòd etiam ille, qui perfectum dominium bonorum ſuorum habet, teſtari tamen de illis nequeat, ut patet in pupillo, prodigo &c. Neque hanc facultatem negando Clericis Eccleſia infert injuriam, cum rationabiliſſimè eam iiſdem neget.

Dub. 4. an obligatio erogandi ſuperflua in cauſas pias ſufficienter explicetur per ſolum præceptum poſitivum Eccleſiæ? Videtur non explicari ſufficienter, ſed in hoc ipſo præcepto Eccleſiæ ſupponi obligatio aliqua altior, deſcendens à Jure naturali, & Divino. 1. Quia antiqui Canones, & Concilium Trid. ſe fundant in eo, quòd res Dei ſint, & patrimonia pauperum, ſicque obligata pauperibus, atque ad cauſas pias. atqui non tantùm Jure poſitivo, ſed Divino, ac Naturali malum eſt res alteri obligatas diſſipare. ergo &c. 2. Si ſolùm oritur obligatio hæc ex præcepto Eccleſiæ, poſſet Papa in illo diſpenſare, & ſic diſpenſatus poſſet licitè expendere reditus ſuperfluos in cauſas profanas. atqui nunquam legitur Pontifex in hoc diſpenſaſſe. 3. poſſet etiam hæc obligatio per contrariam conſuetudinem tolli, ſicut per eam tolli poſſunt alia præcepta merè humana. 34

Verùm hæc non obſtant, quia adhuc verius ſit, obligationem, quam habent Clerici ad reditus ſibi ſuperfluos erogandos in pauperes, & alias pias cauſas, deſcendere ex ſolo Jure poſitivo, & præcepto Eccleſiæ, non verò naturali, & Divino. Ita Sot. *l.* 40. *de Juſt. q.* 4. *art.* 3. Sarmiento *p.* 2. *c.* 1. *&* 2. *& p.* 4. *c.* 1. Leſſ. *l.* 2. *de Juſt. c.* 4. *n.* 47. Haun. *tom.* 1. *de J. & J. tr.* 4. *n.* 82. Vvieſt. *hic n.* 37. & TT. ac JCti RR. alii. *Ratio eſt*, quia non apparet, ex quo alio capite inducta ſit obligatio iſta; quamvis enim Eccleſia ad ſtatuendum iſtud præceptum moveri potuerit, & permota fuerit, quòd ejuſmodi obligatio ſit pio fundatorum deſiderio accommodatior, aptior ad augendum cultum Divinum, utilior ad retinendos in diſciplina, & honeſtate Clericos, convenientior ad ædificationem fidelium publicam, & communem &c. tamen, ut hactenus oſtenſum eſt, tituli iſti non videntur adeo ſtrictè obligare Clericos, ut ſi aliter, quàm in cauſas pias, diſpenſent ſuperfluam portionem fructuum, propterea peccent mortaliter ob ſolos prædictos titulos, ſecluſo omni præcepto poſitivo Eccleſiæ. 35

Argumenta in contrarium non ſunt efficacia. *Ad* 1. jam dictum eſt *n.* 30. reditus iſtos fuiſſe res DEI, antequam aſſignarentur Clericis; poſtquam autem aſſignatio iſta facta eſt, facti ſunt res propriæ Clericorum. Obligantur quidem quoad partem ſuperfluam pauperibus; ſed major obligatio, quàm præcepti Eccleſiaſtici non probatur. *Ad* 2. negatur, quòd Pontifex in hoc nunquam diſpenſaverit; nam ita diſpenſatum eſt cum Clericis in Urbe, & iſtius diſtrictu ad 10. milliaria degentibus, ut diſponere liberè de Beneficialibus poſſent, perinde, ut de propriis, ac patrimonialibus bonis, prout habetur in Conſtitutionibus trium diverſorum Pontt. Sixti IV. incipit *Etſi diverſis edita Calend. Jan.* 1474. Julii III. incipit *Cupientes edita Idibus Maji* 1550. Pauli V. incipit *In eminenti* 18. *April.* 1606. unde potiùs in hoc confirmatur noſtra ſententia; nam ſi obligatio hæc eſſet Juris naturalis, vel Divini, non poſſet in ea diſpenſare Pontifex, utpote in Lege Superioris. *Ad* 3. ſi diſpenſatione hæc obligatio tolli poteſt, etiam tolli conſuetudine, ſaltem immemoriali poteſt, cùm iſta vim, & præſumptionem privilegii habeat. 36

T I T U L U S XXVI.

De Teſtamentis, & Ultimis Voluntatibus.

POſt examinatum Dominium Clericorum, in quibus rebus iſtud iiſdem competat, ſequitur *Succeſſio hæreditaria*, & primò quidem *Teſtamentaria*, quippe quæ eminentiorem præ *Legitima* ſedem obtinet. Hinc ſit

§. I.

§. I.

De Teſtamenti Natura, Origine, & Libertate.

SUMMARIUM.

1 *Definitio ultimæ voluntatis in genere, & hujus ſpecies.*
2 *Definitio Teſtamenti.*
3 *Originem ſuam debet tum Juri Naturali.*
4 *Tum Civili.*
5 *Et Gentium minùs propriè dicto.*
6 7 *Solvuntur Argumenta oppoſita.*
8 9 10 *Poteſt teſtandi facultas abrogari per Legem, Statutum, & conſuetudinem.*
11 *Gravi metu extortum ſubſiſtit Jure naturali.*
12 13 *Non tamen poſitivo.*
14 *Idem dicendum, ſi teſtator ſit dolo inductus.*
15 *Non autem, ſi blanditiis, precibus &c.*
16 *Niſi junctæ ſint circumſtantiæ, quæ vim, metum, & dolum ſignificent.*
17 18 19 *Cui deferatur hæreditas relicta per Teſtamentum metu, vel dolo extortum?*
20 21 *Cui, ſi defunctus doloſè impeditus, vel prohibitus fuit, quo minùs Teſtamentum conderet, vel conditum immutaret?*
22 *Diviſio Teſtamenti in ſolemne, & non ſolemne; ſcriptum & nuncupativum.*

TEſtamentum ſpecies quædam eſt Ultimæ Voluntatis: hinc, ut cognoſcatur ipſius Natura, priùs

Quæritur 1. quid, & quotuplex ſit *Ultima Voluntas*? Reſp. *Ultima Voluntas*, prout hìc ſumitur, *eſt libera, & gratuita diſpoſitio de bonis in tempus mortis, ſeu poſt mortem*. Molin. *tr.* 2. *de J. & J. D.* 124. *n.* 1. Pith. *hìc in princ.* Vvieſt. *ibid. n.* 1.

Dicitur *Ultima*, non quòd ſimpliciter ultima ſit, ſed quòd tunc primùm fiat firma, & irrevocabilis, quando per mortem aufertur poteſtas revocandi; nam ante mortem quocunque tempore pro diſponentis arbitrio revocari poteſt. Hinc *Ambulatoria* dicitur, & primùm firmari morte: quod etiam Paulus innuit *Hebr.* 9. *verſ.* 17. dum, *Teſtamentum*, inquit, *in mortuis confirmatum eſt; alioquin nondum valet* (ſeu firmum non eſt) *dum vivit, qui teſtatus eſt*. *Proceditque hoc*, etſi Teſtator juraverit, ſe non revocaturum Teſtamentum, vel Ultimam Voluntatem à ſe conditam; nam etſi eo caſu revocatio ſit illicita, non tamen invalida eſt: de quo late Lugo *D.* 24. *ſ.* 2. Et per hoc differt Voluntas ultima à diſpoſitionibus, quæ factæ ſunt inter vivos; nam hæ ſtatim ſunt firmæ, nec revocari ampliùs poſſunt, niſi ex cauſis approbatis à Jure, ut dictum eſt *ſuprà Tit.* 24. *de Donation.*

Species Ultimæ Voluntatis quinque enumerantur, Teſtamentum, Codicillus, Legatum, Fideicommiſſum, & mortis Cauſa Donatio. Præcipua ex his eſt Teſtamentum: ideo ſpecialiter illius in Rubrica fit mentio.

2 Quæritur 2. quid ſit *Teſtamentum*? Reſp. *Teſtamentum* ſic dictum eſt à Verbo *Teſtor*, indeque derivato nomine *Teſtamen*, vel potiùs *Teſtatio*; quia teſtatio mentis, ſeu voluntatis noſtræ de rebus, ſeu bonis noſtris coram teſtibus declaratio eſt. Modeſtinus JCtus *l. teſtamentum* 1. *ff. qui teſtam. fac. poſſ.* illud his verbis definit, quòd *ſit voluntatis noſtræ juſta ſententia de eo, quod poſt mortem noſtram fieri volumus.*

Hæc definitio aliquantum obſcurior eſt, cùm dubium relinquat, quid *juſtæ voluntatis* nomine intelligatur. Aliqui eo nomine ſignificari volunt quamcunque, quæ legitima, & Juris Regulis conformis ſit; alii eam eſſe aſſerunt, quæ continet ſolemnitates præſcriptas, & directam hæredis inſtitutionem. Utrique non ſatis bene; quia priores Teſtamentum non ſecernunt à Legato, Fideicommiſſo, Codicillo, & Donatione mortis cauſa; poſteriores verò excludunt Teſtamenta inter Liberos, militare, ad pias cauſas, & alia non ſolemnia.

Hinc meliùs *Teſtamentum generatim acceptum*, & prout etiam minùs Solemne includit, Codicillum verò excludit, à RR. dicitur eſſe *Voluntas ultima, directam hæredis inſtitutionem continens*; in hoc enim tam Solemne, quàm minùs Solemne Teſtamentum conveniunt, utrumque verò à Codicillo differt, quo non fit directa hæredis inſtitutio.

3 Quæritur 3. cui Juri originem ſuam debeat facultas teſtandi? Tres ſunt ſententiæ. *Prima* vult facultatem iſtam procedere à Jure naturali. Ita Covar. *l.* 3. *var. c.* 6. *n.* 7. Molin. *tr.* 2. *de J. & J. D.* 124. *in fin.* Konig *hìc num.* 8. & apud hos plures alii. *Secunda* originem ejus referr in Jus gentium. Ita Clarus §. *teſtamentum q.* 2. *n.* 2. Gilcken *in l.* 1. *C. de hæred. inſtit. n.* 8. *Tertia* contendit eam facultatem originem ſuam traxiſſe à ſolo Jure Civili. Ita Accurſius, Corneus, & alii *citt.* à Clar. §. *cit.* & Haun. *tom.* 2. *de J. & J. tr.* 6. *n.* 14. Conciliari ſententiæ iſtæ poſſunt, ſi ſingulis aliquid tribuatur. Igitur

Dico 1. conſentaneum admodum rationi naturali eſſe, ut rata, & firma eſſe ſinantur Teſtamenta, & ultimæ voluntates noſtræ: quod fatetur Conſtantinus Imper. *l. habeat* 1. *C. de SS. Eccl.* ubi cùm aſſeruiſſet omnibus liberam poteſtatem diſponendi mortis cauſa de rebus ſuis, rationem dat; quia *nihil eſt, quod magis hominibus debeatur, quàm ut ſupremæ voluntatis, poſtquam jam aliud velle non poſſunt, liber ſit Stylus, & licitum* (Bald. apud Gloſſ. *in l. cit. V. licitum* legit *liberum*) *quod non redit, arbitrium.*

Dico 2. poteſtatem teſtandi non ita eſſe Juris naturalis, ut ſi Lex poſitiva, quæ defunctorum ultimas 4
voluntates ratas haberi præcipit, deficeret, teſtamenta &c. firma perſiſterent: cujus ratio eſt, quia nemo poteſt de re aliqua diſponere pro eo tempore, pro quo non habet ampliùs ullius rei dominium, aut jus ſuum transferre in alterum, pro quo tempore Juris omninò incapax eſt. talis eſt diſpoſitio Teſtamentaria; fit enim pro mortis tempore, quo moriens Juris in hæc corporalia omninò incapax fit, & omnium rerum externarum amittit dominium. *Conf.* quia bona defuncti ex natura rei ſunt bona vacantia, cùm defunctus jus, quod in illa habuit, per mortem omne amiſerit. atqui bona vacantia cedunt occupanti. igitur etiam res à defuncto relictæ hoc modo occupanti cederent, non obſtante voluntate defuncti, niſi Lex illa roboraret. Dicendum igitur, quòd ultimæ voluntates defunctorum, conſiderata ſola rerum natura, nil aliud ſint, quàm juſtum teſtatoris, ſed infirmum tamen ex naturâ ſua deſiderium, ac proinde dominium rerum ab ipſo relictarum transferre non poſſint, niſi Lege poſitiva confirmentur.

Dico 3. facultatem teſtandi originem traxiſſe par- 5
tim à Jure Civili, partim à Jure gentium minùs propriè dicto. *A Jure Civili* quidem, quatenus hoc Jure apud aliquem populum primò teſtandi uſus inter Cives ſuos Legibus eſt introductus; *à Jure gentium* autem, quatenus deinde aliarum gentium tam moribus, quàm Legibus receptus fuit. Eſt autem hoc Jus gentium minùs propriè dictum; quia ad Jus gentium propriè dictum ea duntaxat pertinent, quæ gentes ſervare tenentur inter ſe, & quæ omnium, ac ferè omnium gentium uſu ad earum commune bonum, & felicitatem promovendam recepta ſunt. atqui Teſtamenti confectio, licèt pleraramque gentium moribus recepta ſit, ipſam tamen communis boni, & felicitatis promotionem, ac ſocietatis inter eas conſervationem immediatè non reſpicit. ergo &c.

Neque obſtat Reſolutioni huic 1. *l. fin. C. quor. bon.* 6
ubi Impp. *Lex ipſa Naturæ*, inquiunt, Conſanguineos *ſucceſſores facit*; nam dici poteſt, Conſanguineos Lege Naturæ defuncto ſucceſſores fieri conditionatè ſolùm, & ex ſuppoſito, ſi per Legem poſitivam concedatur Teſtamenti factio; tunc enim obligatio naturalis pietatis poſtulat potiùs bona relicta defuncti Conſanguineis, quàm extraneis cedere.

Non obſtat 2. uſus antiquiſſimus, quo ante omnem Legem Civilem conditam tempore antiquorum Patriarcharum, teſtamenti factio, quamvis non ita ſolemnis, ut nunc, apud omnes ferè gentes invaluit; quia negari non poteſt, etiam priſca illa Patriarcharum tempora ſuas habuiſſe Leges, ſi non ſcriptas, ſaltem conſuetudinarias, quibus introduci ab una, vel altera gente potuit teſtamenti factio, & deinde à cæteris recipi, ſicque fieri Juris gentium minùs ſtrictè dicti.

Non obſtat 3. Doctorum concors ſententia, qua tra- 7
ditur Legitimam, quatenus includit alimenta neceſſaria liberis, iiſdem, ſi ſeipſos non poſſint alere, ipſo naturæ Jure deberi; dicendum enim deberi liberis ex ſuppoſito, quòd parentes eorum de bonis ſuis diſponendi poteſtatem à Jure poſitivo acceperint.

Non obſtat 4. ingenita illa homini à natura propenſio, qua ſi ante omnem particularem caſum interrogati fuiſſent, num tribuere dominis tantam vim cuperent, ut poſſint de rebus ſuis ad animæ ſuæ ſalutem, & charorum ſibi ſolatium in tempus mortis diſponere, omnes profectò, ſaltem moratiores, & immortalitatis animæ ſuæ conſcii pro ſimili diſpoſitione votum dediſſent; hoc enim plus non probat, quàm juſtum deſiderium, ſed imperfectum, quod ſecutæ Leges perfecere, & efficax reddidere.

Quæritur 4. an teſtandi facultas per Legem, ſtatu- 8
tum, vel conſuetudinem abrogari poſſit? Negant non

S pauci

pauci tum ex iis, qui Testamenti factionem Juri naturæ tribuunt, tum ex cæteris, qui illam Gentium Juri adscribunt, simili ducti ratione; quia sc. tam Jus naturale, quàm Gentium immutabile est, & propterea humanæ reformationi non subjacet: Naturale quidem, quia ab altiori potestate est positum; Gentium autem, quia secundùm naturale dictamen, arbitraria gentium conventione inductum est, & sic obligationem Justitiæ parit, quæ ab una sola parte, manentibus iisdem circumstantiis, non potest excuti.

9 Sed verior videtur affirmativa, quam etiam defendunt Vasq. *de success. creation. l.* 1. §. 1. *n.* 9. Ludvvell. *c.* 2. *p.* 1. *fol.* 15. Stryck. *de Cautel. testam. c.* 1. §. 9. & novissimè Clariss. P. Schmier. *tr. de success. hæred. p.* 1. *c.* 1. *n.* 38. *Proceditque hoc*, etiam si concederetur, quòd testamenti factio originem suam ex Jure naturæ trahat, prout concedit laudatus P. Schmier, *l. cit. n.* 12. *& seqq. Ratio est*, quia Testamenti factio non est Juris præceptivi, sed permissivi tantùm. atqui ea, quæ Juris permissivi tantùm, quamvis Naturalis sunt, ab humana Jurisdictione infringi, vel circumscribi possunt, ut patet in libertate congenita omnibus, quæ servitute Jure gentium inducta tolli, & in potestate contrahendi, à natura concessa cunctis, quæ per Leges positivas minoribus, & aliis auferri potuit.

10 Argumentum contrarium nimium probat; probat enim nulli Genti liberum fuisse aut facultatem testandi inter suos admittere, aut admissam certis limitibus claudere: cujus tamen contrarium apertè convincitur 1. ex iis, quæ de Atheniensibus in Solone narrat Plutarchus, apud quos ante Solonis tempora Testamenti nullus fuit usus: idem de Germanis antiquis testatur Tacitus *de Morib. German.* non quòd Testamenta improbaverint, sed quòd propinquiores sibi voluerint hæredes ab intestato esse. 2. ex natura Feudi, & Fideicommissi familiæ, in quibus successio Testamentaria regulariter abrogata est, & bona Feudalia, vel Fideicommissaria illis, qui de familia sunt, necessariò relinqui debent. 3. ex Statutis quorundam locorum, quibus aut non de omnibus bonis, aut solùm in favorem certarum personarum testari licet. Heig. *l.* 1. *q.* 23. *num.* 9. *& seqq.* Miller *ad Struv. Exercit.* 28. *th.* 3. *lit. N.* P. Schmier *l. cit. n.* 41.

11 Quæritur 5. An Testamentum, quod incusso gravi metu extortum est, subsistat? *Satis certum est*, spectato solo Jure Naturali, illud subsistere: quia hoc Jure ad confectionem Testamenti sufficit voluntas libera; libertatem autem gravis metus non tollit, cùm coacta voluntas revera sit voluntas *l. si mulier* 21. §. *si metu* 5. *ff. quod met. caus.*

Difficultas est, an subsistat etiam Jure positivo? Menoch. *de arbitr. cas.* 395. *n.* 7. Peregrin. *l.* 2. *de Jur. fisc. tit.* 6. *n.* 4. Fachin. *l.* 10. *contr. c.* 15. Harppr. *Inst. de testam. ordin. n.* 44. affirmant subsistere, quamvis dicant rescissioni esse obnoxium. *Moventur* 1. quia plus probari non potest, quàm quòd ad Testamenti confectionem requiratur, ut illa sit voluntaria: talis autem est, etsi sit metu extorta, ut dictum est. 2. quia aliud medium superest, quo hæres indemnis fiat, videlicet rescissio Testamenti, quam rescissionem generaliter concedit Prætor omnibus metum passis *l. ait Prætor* 1. *ff. quod met. caus.* 3. aditio hæreditatis metu facta subsistit; quia permittitur adversus illam restitutio in integrum. ergo etiam subsistet Test.

12 Verùm his non obstantibus, verisimiliùs dicitur, Testamenta metu extorta, esse ipso Jure invalida. Ita Vasq. *de Successión. creation. l.* 2. §. 17. *num.* 5. Brunnem. *in l.* 2. *C. si quis aliq. testar. n.* 5. Haun. *tom.* 2. *de J. & J. tr.* 6. *à n.* 183. Magnif. D. Verlohner *tr. de Testam. art.* 1. *q.* 1. *n.* 3. *&* 4. P. Vviest. *hic num.* 48. *Ratio est* 1. quia, ut dicitur *l. habeat* 1. *C. de SS. Eccl.* libertas testandi debet esse plenissima, ita, ut quivis possit habere hæredes, quos optat. atqui non ita optatus hæres est ille, cujus institutio ex Testatore est metu gravi extorta, ergo &c. 2. Testamentum, quod factum est vi illata coactis testibus, ut ejusdem confectioni interfint, nullum, & irritum est, ut dicitur *l. qui testamento* 20. §. *fin. ff. qui testam. facer. poss.* ergo multò magis irritum erit, quando ipse testator coactus est vi, vel metu ad instituendum hæredem sibi ingratum. 3. Testamenti factio, ut *n.* 5. dixi, est creatura Juris Civilis, & ad hoc introducta favore decedentium. atqui exiguus præstaretur favor defuncto, si valeret Testamentum metu extortum; sic enim deberet habere hæredem, quem noluit. ergo ne, quod favore defuncti introductum est, ad ejus læsionem videatur inventum contra *l. quod favore* 6. *C. de LL.* & *Reg. quod ob gratiam* 61. *in* 6. dicendum, quòd Testamentum metu gravi extortum invalidum sit.

Ex his patet ad Argumenta opposita. *Ad* 1. per coactam voluntatem volumus quidem, sed quod nobis ingratum est, testator autem, ut dictum est, debet posse hæredem habere sibi gratum. ergo &c. *Ad* 2. per rescissionem Testamenti juvari quidem hæres potest, non tamen defectus, utpote cujus Testamentum primùm morte perficitur, & consf. primùm post illam rescindi potest. *Ad* 3. ab aditione hæreditatis malè arguitur ad institutionem hæredis: nam illa perficitur inter vivos, hæc morte; illa rationem contractus habet, non etiam Testamentum: mirum igitur esse non debet, quòd ille subsistat, hoc corruat, quando metu ab invito extortum est.

Quæritur 6. an validum sit Testamentum, ad quod Testator inductus est falsis suggestionibus, & dolosis persuasionibus, ut siquis improbè mentiatur, quòd is, qui propinquior ab intestato venit, jam sit mortuus, vel quòd testatorem affecerit gravi injuria, ejus hæreditatem contemnat, non appetat &c. Resp. ejusmodi Testamentum perinde esse invalidum, ac id, quod metu extortum est. Ita Jason. *in l. fin. C. si quis aliq. testar.* Barri. *de success. test. & intest. l.* 1. *tit.* 9. *num.* 13. Berlich. *p.* 3. *pract. concl.* 7. *à n.* 2. Hartm. Pistor. *p.* 1. *q.* 29. *à n.* 3. Carpzov. *p.* 3. *const.* 5. *defin.* 8. Brunnem. *in l. fin. ff. si quis aliq. testar. n.* 8. Haun. *tom.* 2. *de J. & J. tr.* 6. *num.* 192. Manz. *de testam. tit.* 3. *q.* 2. *à n.* 2. Magnif. D. Verlohner *simil. tr. art.* 1. *q.* 1. *n.* 5. P. Vviest. *hic n.* 49. Ratio est, quia hujusmodi suggestiones, mendacia, doli aliquando voluntarium omnino tollunt, plerumque admodum minuunt. igitur conveniens fuit, ut non minùs irritarentur per Jus positivum Institutiones ita factæ, ac irritatæ sunt extortæ metu. 13

Aliud esset, si testator antea offensus, aut aversus ab hærede, ab isto sine importunitate, vi, aut dolo, blando sermone, vel officiis placatus, aut aliàs suasionibus, precibus, lacrymis inductus fuisset ad illum instituendum; nam ejusmodi institutiones haberi pro validis debent. Gaill. *l.* 2. *obs.* 117. *n.* 4. Carpz. *defin.* 7. Brunnem. *n.* 1. *&* 2. Manz. *q.* 3. *à n.* 4. Vviest. *n.* 50. & sumitur ex *l. fin. C. si quis aliq. test.* cujus expressa verba sunt: *Judicium uxoris postremum in se provocare maritali sermone non est criminosum.* Ratio est, quia ista libertatem testandi nec tollunt, nec minuunt. 15

Dixi *sine importunitate vi, aut dolo &c.* nam si blanditiæ jungerentur cum circumstantiis, quæ vim, metum, vel dolum significarent, Testamentum redderetur irritum. Tales sunt 1. si pater novercæ instigationibus impulsus, contra proprium sanguinem suæ voluntatis indicium dedit *l. non est* 2. *ff. de inoff. testam.* 2. si ad blanditias accedant, vel præcesserunt aliæ fraudulentæ machinationes, aut violentæ minæ. 3. si blanditiæ adhibeantur etiam sine minis, ab aliqua potente persona; quia hujus persuasiones minis æquiparantur. 4. si preces, & blanditiæ sint instantissimæ, & importunæ; nam hæ vim minarum habent. 5. si moribundo jam testatori, & vi morbi oppresso adhibeantur; nam huic quantumvis moderatæ preces, etiam sibi charissimorum, molestæ, & odiosæ sunt, ut proin testator his consentiens, non ex animi sententia, sed suæ tantùm quietis gratia fecisse præsumatur. Vide Berlich. *concl.* 7. *cit. à n.* 29. Harpprecht. *Inst. de testam. ordin. n.* 47. Manz. *q.* 3. *cit. à n.* 15. 16

Quæritur 7. cui deferatur hæreditas, relicta per Testamentum metu, vel dolo extortum? Illi, qui Testamentum ejusmodi putant subsistere, volunt eam deferri Fisco, & hoc colligunt 1. *ex l. qui dum captat.* 1. *ff. si quis aliq. testar.* ubi generaliter statuitur, ut siquis dolo, aut vi prohibuerit, ne defunctus testamentum conderet, vel conditum mutaret, hæreditas deferatur Fisco. 2. *ex l. Civili* 1. *Cod. eod.* ubi crimen refertur cogentis, vel inducentis aliquem, ut quem noluit, hæredem scriberet. 3. *ex ratione;* nam sic inducens, vel compellens aliquem meritò privatur hæreditatis commodo. 17

Verùm his non obstantibus, adhæreo sententiæ, cujus fundamentum jam posui, dum *n.* 12. *&* 14. dixi, Testamentum metu, vel dolo extortum esse invalidum: dico proin hoc casu locum non esse Fisco, sed hæreditatem devolvi ad hæredes ab intestato, vel scriptos priori Testamento; ne sc. isti, tanquam insontes, graventur alieno scelere. Ita Jason *in l.* 1. *cit. num.* 3. Vasq. *l.* 2. *de success.* §. 17. *n.* 5. Barry *l.* 1. *de success. test. & intest. tit.* 9. *n.* 10. Manz. *de testam. tit.* 3. *q.* 1. *à n.* 21. *Excipitur*, si qui coegit testatorem, ut se institueret, erat solus tanquam proximior successurus ab intestato; tunc enim hæreditas defertur Fisco, & ita deferri potest sine agnatorum remotiorum injuria, utpote qui eo casu jus in hæreditatem non habuerunt, neque acquisiverunt per hoc, quòd pro- 18

pin-

pinquior in pœnam Jure ſuo exciderit; quia pœna unius non debet eſſe alterius præmium.

9 Argumenta contraria vim non habent. *Ad* 1. Lex illa pœnalis eſt: conſ. ad noſtrum caſum extendi non debet; aliud enim eſt prohibere dolo, vel metu, ne defunctus teſtamentum condat, vel conditum mutet, aliud eundem compellere ad illud condendum, vel conditum immutandum. Accedit, quia etiam priori caſu non eſt univerſaliter verum, quòd hæreditas deferatur fiſco, ut videbimus *n. ſeq.* *Ad* 2. Lex illa Codicis damnat quidem crimen metu compellentis ad Teſtamentum conficiendum, hæreditatem tamen non adjudicat fiſco. *Ad* 3. etiam in noſtra ſententia Teſtamentum metu, vel dolo extorquens privatur hæreditatis commodo.

20 Quæritur 8. cui deferatur hæreditas caſu, quo defunctus doloſè impeditus, vel prohibitus fuit, quo minùs Teſtamentum conderet, vel conditum immutaret? Reſp. multum intereſſe, quis dolum fecerit, an is, qui ſperabat hæreditatem ab inteſtato ſibi obventuram, aut ſciebat ſe Teſtamento hæredem eſſe ſcriptum, an verò alius extraneus.

Si primum, videndum, an ſolus defuncto ſit ſucceſſurus ab inteſtato, vel in Teſtamento ſcriptus, an verò cum eo alii. *Si ſolus*, tota hæreditas ei auferatur, & applicatur fiſco *l. qui dum captat* 1. *ff. ſiquis aliq. teſtar. Si plures*, fiſco cedit duntaxat portio illius, vel illorum, qui deliquerunt, reliquis ſuæ portiones manent intactæ, ne alieno graventur ſcelere, ut rectè notant Menoch. *de arbitr. caſ.* 395. *n.* 13. *& ſeqq.* Barry *de ſucceſſ. teſt. & inteſtat. l.* 1. *tit.* 9. *n.* 11. Vvieſt. *hic n.* 45.

21 *Si verò ſecundum contingat*, & doli, vel metus author ſit aliquis extraneus, major eſt controverſia. Menoch. *l. cit. à num.* 20. utitur diſtinctione, & putat eo caſu dolum extranei non obfuturum hæredibus venientibus ab inteſtato, nociturum tamen hæredibus eo Teſtamento, cujus mutatio ſic doloſè impedita eſt, ſcriptis. Meliùs alii cum Barry *l. cit.* indiſtinctè aſſerunt, dolum eo caſu illis, qui nihil egerunt, ſive ex Teſtamento, ſive ab inteſtato ſucceſſuri ſint, nequaquam obfuturum. *Ratio eſt*, quia *l. qui dum captat. cit.* & *l. un. ff. quib. non compet. bonor. poſſeſſ.* confiſcatio ſolùm decernitur, quando Teſtamentum mutari prohibuit inſtitutus, ejuſve dominus, vel pater. *Conf. à pari*; nam etiam Legatariis aut fideicommiſſariis univerſalibus factum inſtituti, defunctum doloſè prohibentis à mutando Teſtamento, non nocet *l. Marcellus* 3. §. *fin. ff. ad S.C. Trebell.* igitur etiam non nocebit factum extranei prohibentis mutationem inſtitutis non communicantibus in delicto.

22 Quæritur 9. quotuplex ſit teſtamentum? Reſp. Jure Civili antiquo duo Teſtamentorum genera in uſu fuerunt: quorum altero utebantur Pacis tempore, & appellabant *Calatis comitiis*; quia coram univerſo populo in Comitia coacto conditum fuit; altero, cùm in prælium exituri eſſent, quod *Procinctum* dicebatur, & nuncupabatur coram Commilitonibus. Acceſſit deinde tertium Teſtamentorum genus, quod appellabatur *Per æs, & libram*; quia per imaginariam quandam venditionem, adhibito Libripende, quinque teſtibus, Civibus Romanis puberibus præſentibus, & emptore familiæ conficiebatur, prout refertur §. *ſed ut nihil* 1. *de teſtam. ordin.*

Hodierno Jure Teſtamentorum genus duplex eſt, Solemne, & non Solemne. *Solemne*, quod etiam *Perfectum* dicitur, eſt, in quo adhibentur omnes Solemnitates Jure communi præſcriptæ. *Non ſolemne*, quod etiam *Imperfectum*, & *Privilegiatum* appellatur, illud vocatur, quod etſi ſolemnitates à Jure communi præſcriptas, vel nullas, vel non omnes habeat, ex privilegio tamen, ſive Juris favore valet. Utrumque dividitur in Scriptum, & Nuncupativum. *Teſtamentum ſcriptum*, ſeu *in ſcriptis* eſt, quod ſcripto perficitur; Nuncupativum, quòd vivæ vocis adminiculo ſine ſcriptura.

§. II.

De Teſtamento Solemni.

SUMMARIUM.

23 24 *Solemnitates requiſitæ in Teſtamento ſolemni ſcripto.*
25 *In Nuncupativo.*
26 27 *Differentia inter Scriptum, & Nuncupativum.*
28 29 30 *Qualitates in teſtibus Teſtamentariis requiſitæ.*
31 *In territorio Pontificio derogatum eſt Legibus quoad numerum teſtium.*
32 33 *Extra illud ſervandæ ſunt etiam in foro Canonico.*
34 *Nec eximuntur iiſdem Clerici?*
35 *Reſpondetur ad Argumenta contraria.*
36 *Teſtamentum deſtitutum ſolemnitatibus invalidum eſt in foro externo.*
37 *Et potuit invalidari in foro etiam interno.*
38 *An defacto ita invalidatum ſit, argumenta pro negativa.*
39 *Deciditur pro affirmativa.*
40 *Solvuntur Objectiones.*

QUæritur 1. quænam Solemnitates requirantur ad *Teſtamentum Solemne* ſcriptum? Reſp. ad hoc de Jure communi requiritur 1. ut ſit ſcriptum à teſtatore, vel ejus juſſu ab alio, expreſſo ipſius teſtatoris, & hæredis, vel hæredum nomine. Si alius Teſtamentum ſcripſerit, teſtator illud debet ſubſcribere, aut ſi ſcribendi ignarus eſt, adhibere debet teſtem alium ultra præſcriptum aliàs numerum §. *ſed cùm* 3. *Inſtit. de teſtament. ordin. l. hac conſultiſſima* 21. *C. h. tit.* 23

2 Ut adhibeantur in illo ſeptem, vel, ut ſuprà dictum eſt, octo teſtes idonei, iique ſint rogati, ſeu ad hoc vocati, & invitati *l. hac conſultiſſima cit.* & *l. hæredes* 21. §. *in teſtamentis* 2. *ff. qui teſtam. fac. poſſ.*

3 Ut his teſtibus ſimul præſentibus, eumque videntibus teſtator illud exhibeat, dicatque hanc ſuam eſſe ultimam voluntatem *l. hac conſultiſſima cit. Receſſ. Imp. de Anno* 1512. *Tit. von den Teſtamenten*, §. *die Form. &c.*

4 Ut teſtes omnes, & ſinguli nomen ſuum propria manu ſubſcribant, eique ſigillum apponant §. *ſed cùm*, *l. hæredes*, *l. hac conſultiſſima citt.* & *l. cùm antiquitas* 28. §. *cùm autem* 1. *C. h. tit.* Si unus, vel alter illorum litteras neſciat, ſubſcribere loco illius, vel illorum alius teſtis poteſt, facta tamen mentione alienæ ſubſcriptionis. Manz. *de teſtam. tit.* 4. *n.* 132. 24

5 Ut totum negotium teſtandi peragatur uno, eodemque loco, & tempore, unoque contextu, i. e. nullo actu alieno, ſive extraneo, qui ad confectionem Teſtamenti non ſpectet, interveniente, niſi ob urgentem neceſſitatem ad modicum intervallum interruptio aliqua facta ſit; ea enim non obeſt *l. citt.*

Præſentia Notarii publici non eſt neceſſaria, quamvis conſultum ſit, ut Inſtrumentum publicum fiat ſuper conteſtatione teſtatoris, & ſubſcriptione, ac ſigillatione teſtium, ut bene advertit Pirh. *hic n.* 3. *in fin.*

Quæritur 2. quænam ſolemnitates requirantur ad *Teſtamentum ſolemne Nuncupativum*? Reſp. ad hoc ſufficit, ſi teſtator coram ſeptem teſtibus idoneis, & rogatis, ſimul, uno eodemque tempore ultimam ſuam voluntatem tam circa hæredis inſtitutionem, quàm circa Legata, & alia palàm articulata, ſive diſtincta voce declaret, ut intelligi poſſit §. *fin. Inſt. de Teſtam. ord. l. hac conſultiſſima cit.* §. *per nuncupationem* 2. *l. in Teſtamentis* 26. *C. h. tit.* Neque requiritur certa verborum formula, quibus hæres nuncupatur, ſed valida eſt nominatio hæredis, *quam ſemineſcis, & balbutientis lingua profudit*, ut *l. quoniam* 15. *C. h. tit.* dicitur. 25

Differt igitur Teſtamentum ſolemne Nuncupativum à ſolemni in ſcriptis. 1. Quia in hoc plerumque celatur ultima voluntas, & ignoratur hæres inſtitutus, ob quam cauſam etiam *Clauſum* vocari ſolet; in Nuncupativo autem debent palàm nuncupari, & declarari hæredes, ut ſciant teſtes, quinam ſint inſtituti §. *per nuncupationem cit.* & *l. jubemus* 29. *princ. C. h. tit.* 26

2 Ad Teſtamentum ſcriptum neceſſaria eſt ſcriptura, ſine qua nullum eſt Teſtamentum; Nuncupativum verò fieri poteſt nuda voce coram teſtibus: & quamvis defacto etiam ipſum à Notario publico in Scripturam redigi ſoleat, manet tamen Nuncupativum; quia Scriptura non ad ſubſtantiam illius pertinet, ſed adhibetur ſolùm facilioris probationis cauſa, ne teſtibus antea mortuis, quàm defuncti voluntatem coram Judice declararent, copia probationis deficeret. Clar. §. *teſtamentum q.* 4. *num.* 1. Vinnius *in* §. *fin. Inſt. de teſtam. ordin. numer.* 3. Pirh. *hic n.* 2. Vvieſt. *n.* 62.

3 In Teſtamento nuncupativo teſtes nec ſubſcribunt, nec ſubſignant: horum utrumque requiritur ad Teſtamentum ſcriptum, & quidem conjunctim; nam ſiquis ſubſcribat tantùm, & non ſubſignet, aut viciſſim, habetur pro non adhibito *l. ad teſtium* 22. §. *ſiquis* 4. *ff. qui teſtam. facer. poſſ.* 27

4 Addunt alii, quòd in Teſtamento nuncupativo teſtes non debeant eſſe rogati: ſed contrarium eſt verius jux-

juxta *Auth. rogati C. de testib.* quæ generaliter, & indistinctè in Testamentis testes rogatos exigit.

28 Quæritur 3. quinam testes idonei in hunc finem sint? Resp. ut quis idoneus in finem istum sit testis, debet esse 1. Homo liber §. *testes*, 6. *Inst. & l. hac consultissima cit.* quia Servi Juris Civilis communionem non habent *l. qui testamento* 20. §. *servus* 7. *ff. qui testam. facer. poss.*

2 Mas, & pubes §. *testes & l. qui testamento citt. princ.* & §. *mulier* 6. quibus textibus impubes, & fœmina à munere isto arcetur, ista quidem ob fragilitatem sexus, ille autem ob ætatem, & judicii infirmitatem.

3 Sanæ mentis, ob cujus defectum idoneus testis non est, qui mente captus, & furiosus est, extra furoris remissi, sive dilucidi intervalli tempus *l. qui testamento cit.* §. *ne furiosus* 4. Idem dicendum de prodigo §. *testes cit.* quia à furioso non multùm distat, & in Jure eadem ferè, qua iste, conditione censetur *l. lege* 1. *ff. de Curat. furios. & l. his qui* 12. §. *Divus* 2. *ff. de tutor. & curat. dat.*

4 Non mutus, aut surdus §. *testes cit.* vel cæcus *arg. l. si non speciali* 9. *C. h. tit.* quia si cæcus sit, testatorem videre; si surdus, ea, quæ dicuntur, audire, & intelligere; si mutus, eorum, quæ audiit, rationem non potest reddere.

5 Non ipse hæres illo Testamento institutus §. *sed*
29 *neque* 10. *Instit. de testam. ordin.* ob suspicionem falsitatis. Legatarii tamen testes adhiberi possunt §. *legatariis* 11. *Inst. de testam. ordin.* & ratio est, quia licèt ipsi emolumentum aliquod ex testamento percipiant, principaliter tamen sunt testes negotii, quod commodum hæredis concernit; & si ipsi quoque testes esse non possent, testium defectu ultimæ voluntates non raro corruerent.

6 Non domesticus ipsius testatoris, vel hæredis ob
30 eandem rationem. *Domesticorum* autem nomine hìc veniunt solùm illi, quorum alter in alterius potestate, vel ambo in potestate tertii sunt constituti. Hinc etsi pater in filii, filius in patris, aut frater in fratris, si uterque in ejusdem patris potestate sint, Testamento testes esse non possint §. *sed neque cit.* potest tamen testis esse maritus in testamento uxoris, libertus in testamento patroni, famulus conductus in testamento heri, frater in testamento fratris emancipati, pater in testamento filii, qui non ampliùs sub ipsius patria potestate consistit, imò etiam in testamento filii consistentis sub ejus potestate patria, si iste testetur de bonis suis Castrensibus.

7 Denique non talis, qui Lege intestabilis est esse jussus, & cui propter insignem improbitatem Testimonii fides ipsa Lege est abrogata, & adempta: ut sunt, qui ob carmen famosum, vel aliud crimen publico, vel privato etiam judicio damnati sunt, si damnationem sequatur infamia. Harpprecht *in §. testes cit. n.* 28. Manz. *de testam. tit.* 5. *à num.* 55. Pirh. *hìc num.* 3. *Ratio est*, quia tales ad testimonium dicendum in Judicio non admittuntur. ergo multo magis repellentur in Testamento.

31 Quæritur 4. an solemnitates enumeratæ requirantur ad Testamentum etiam de Jure Canonico? Satis convenit inter DD. in terris Summo Pontifici etiam quoad dominium temporale subjectis, sufficere, si Parochianus coram Presbytero, h. e. Parocho suo (hic enim in isto loco significatur nomine Presbyteri proprii) & coram duobus, vel tribus testibus idoneis condiderit Testamentum suum: quod apertè colligitur *ex c. cùm esses* 10. *h. tit.* & notat Imol. *ibid. n.* 13. Clar. §. *testamentum q.* 57. *n.* 2. cum communi DD. Unde dicendum, quòd in eodem Pontificio territorio per dictam Constitutionem derogatum sit Legibus Civilibus quoad numerum testium: *quoad numerum*, inquam, *testium*; nam cæteræ solemnitates Testamentorum probabiliùs etiam ibi sunt observandæ, ut cum communi advertit Covar. *in c. cit. n.* 6. contra Abb. Molin. & alios paucos. *Ratio est*, quia divortium à Jure Civili, & ejus correctio statuenda non est, nisi SS. Canonibus sit expressa, sed potiùs in dubio hi cum illo conciliari debent *arg. can. si in adjutorium* 7. *dist.* 10. *& c. intelleximus* 1. *de nov. oper. nunt.*

32 *Controversia est*, an dispositio *c. cùm esses cit.* se extendat etiam ultra terras subjectas dominio temporali Papæ? Affirmant Abb. *in c. cit. repet. num.* 17. Fagnan. *ibid. n.* [illegible] *&* 40. Card. Sfrondrati *de leg. in præsumpt. fundat. p.* [illegible] §. 1. *n.* 4. *& plures alii. Fundantur* 1. ipso textu *Constit. cit.* nam consuetudinem, & Legem, qua plures requirantur testes, Pontifex ibidem reprobat, tanquam alienam à consuetudine generali Ecclesiæ, ab institutis SS. PP. & ab ipsa Lege Divina, secundùm quam *in ore duorum, vel trium testium stat omne verbum.* Deut. 19. v. 15. & Matth. 18. v. 16. atqui Lex ejusmodi vim obligandi non habet, nec valorem Testamenti potest tollere. ergo &c. 2. Quando Leges Civiles peccatum nutriunt, Sanctiones Canonicæ ipsis contrariæ observandæ sunt etiam in foro sæculari, & extra territorium temporale Papæ; nam ratione peccati omnis anima judicio Apostolico subjecta est *can. si Imperator* 11. *dist.* 96. & *c. novit.* 13. *de Judic.* atqui Leges Testamentariæ, dum septem testes ad valorem Testamenti petunt, peccatum nutriunt, ut patet ex textu, & pœna ibi adjecta; nam ibi pœnam Excommunicationis (quæ omnium Ecclesiasticarum gravissima est, & non infligitur, nisi propter peccatum mortale) Pontifex decernit in eum, qui Testamenti coram Parocho, vel duobus testibus confecti valorem, & executionem impedit. ergo &c. 3. Leges, quæ Jus commune faciunt, ubilibet observari debent, etiam extra dominium temporale Pontificis Legislatoris. atqui Constitutio *c. cit.* facit Jus commune; quia Corpori Juris communis inserta est. ergo &c.

Verùm his non obstantibus, dicendum, dispositio- 33
nem *c. cit.* ultra territorium temporale Romanæ Ecclesiæ non porrigi; & hinc in terris Imperii solemnitates Jure Civili proditæ etiam hodie requirentur ad Testamenti valorem. Ita Gloss. *in c. cùm esses cit. V. improbamus*, Clar. §. *testamentum q.* 57. *n.* 3. Menoch. *l.* 1. *præsumpt. q.* 80. *n.* 21. *& seqq.* Molin. *tr.* 2. *de J. & J. D.* 133. *num.* 4. *&* 8. Gonzal. *in c. relatum* 11. *h. tit. num.* 14. D. Gletle *p.* 5. *pandect. q.* 7. *a n.* 13. Magn. D. Christoph. de Chlingensperg *Inst. tit. de Testam. ord. q.* 25. Pirh. *hìc num.* 9. Engl *num.* 12. König *num.* 54. Tviest. *n.* 65. & novissimè Clariss. P. Schmier *de success. hæred. p.* 1. *c.* 2. *num.* 18. *& seqq.* Patet ex inscriptione; inscribitur enim Episcopo Hostiensi, cujus Diœcesis est intra Territorium temporale Papæ: quod satis indicat, quòd Constitutionem illam Pontifex extra temporale territorium suum extendi non voluerit. Accedit ratio; quia Pontifex Leges Civiles, quæ formam præscribunt actibus merè profanis, & peccatum non continent, nec vult, nec potest corrigere *arg. can. verum* 7. *can. duo* 10. *dist.* 96. *c. novit.* 13. *de Judic. & c. causam* 7. *qui fil. legit.* atqui Testamentum, spectans causam merè profanam, est negotium, sive actus merè temporalis, & Leges Civiles, quæ pro illo certas solemnitates præscribunt, peccatum non continent, ut videbimus in responsione ad Argumenta opposita. ergo &c.

Proceditque hoc, non tantùm de Laicis, sed etiam 34
de Clericis; nam etiam isti, si in terris Imperii Testamentum merè profanum condant, probabiliùs observare debent solemnitates Jure Imperiali præscriptas. Laym. *l.* 1. *tr.* 4. *c.* 13. *num.* 5. *& in c.* 10. *de const. n.* 15. Gletle *p.* 5. *pand. q.* 7. *n.* 15. Magn. D. Christoph. de Chlingensperg *tit. quib. non est permiss. test. fac. q.* 19. *object.* 2. Pirh. *hìc num.* 11. Vviest. *num.* 67. *Ratio est*, quia cùm in communi vitæ societate viventes sint cives, & membra Reip. æquum est, & rectæ rationi consentaneum, ut in rebus natura sua Politicis Leges ejusdem, modò Clericali statui non repugnent, etiam ipsi observent; *turpis* enim *est pars suo universo non congruens*, ut dicit Aug. *l.* 3. *Conf. num.* 8. *Excipitur*, si contrarium habeatur per consuetudinem legitimè præscriptam, vel per statuta locorum particularia; nam hæc derogare Juri communi possunt, & cons. ubilibet attendenda sunt.

Argumenta in contrarium allata majorem speciem, 35
quàm efficaciam habent. *Ad* 1. *dum* Pontifex *c. cùm esses cit.* dicit, consuetudinem, qua plures testes ad Testamenti valorem requiruntur, esse alienam à Lege Divina, SS. PP. institutis, & generali Ecclesiæ consuetudine, non voluit dicere eam consuetudinem esse contra Legem Divinam, sed solùm præter illam; quia licèt ipsa duos, vel tres testes esse sufficientes dicat, plures tamen adhiberi non prohibet. Hinc *c. cit.* non reprobatur, sed tantùm pro terris dominii temporalis Pontificii abrogatur consuetudo illa: in quibus proinde decisioni huic standum est, cùm Pontifex, tanquam supremus Princeps superiorem non recognoscens, potestatem legislativam etiam temporalem habeat, possitque Leges condere, & conditas abrogare. *Ad* 2. negatur, quòd Leges Testamentariæ Civiles peccatum nutriant, sed potiùs eidem occurrunt; quia solemnitates, illis Legibus proditæ, inventæ sunt ad evitandas fraudes, & excludendam omnem subornationem, quæ in Testamentis sæpe intervenire solent. *Ad* 3. non est novum, quòd Constitutio aliqua Pontificia sit Corpore Juris communis clausa, & tamen ad Ecclesiæ universalis vastitatem non extenditur.

Exem-

xemplum est *c. ex rescripto* 1. *de locat.* & alia plura Re-ri a Apostolica, quæ Localia tantùm sunt, etsi De-cretalibus inserta inveniantur, ut *in c. ex rescripto cit.* oit Joan. Andr. & Gonzal. *num.* 5. Quare neque in ofa Controversia obstabit, quòd Constitutio *c. cùm* *sse cit.* inserta sit Corpori Juris communis; adhuc nii ad Ecclesiæ Romanæ territorium restringenda est, t imitur non solùm ex ejus inscriptione, sed multo ma s ex subjecta materia, & ratione contra extensio-er illius allata.

(uæritur 5. in quo foro invalidum sit Testamentum n requisitis à Jure solemnitatibus conditum? *Certum* *est*. illud invalidum esse in foro externo. *Ratio est*, u Judex secundùm Leges pronuntiare debet *can. in istis* *ist.* 4. & *l. nemo* 13. *C. de sent. & interloc.* atqui secun-dùm Leges hujusmodi Testamentum nullum est, & pro nfecto haberi debet §. *ex eo* 7. *in fin. Inst. quib. mod. te-st. infirm. & l. hac consultissima cit. princ. vers. non* *scriptum*, & §. *ex imperfecto* 1. ubi Imperator, *Ex* *imperfecto autem Testamento*, inquit, *voluntatem tene-re defuncti* (*nisi inter solos liberos*) *non volumus*. Ex sequitur, quòd Judex contra Testamentum ejusmo-di & hæredes, ac Legatarios in eo scriptos adjudicare hæreditatem debeat hæredibus ab intestato venientibus, ue à Legatis profanis liberos pronuntiare, ut rectè dirtit Menoch. *l.* 1. *de præsumpt. q.* 80. *n.* 7. cum com-muni DD.

Certum est 2. solemnitates in Testamento exigi Legi-slita potuisse, ut illis destitutum, & non privilegia-tum Testamentum esset irritum etiam in foro conscien-tiæ; sicut de facto ex Decreto Trid. *sess.* 24. *c.* 1. *de reform.* *matr.* etiam in foro conscientiæ irritum est Matrimonium clandestinum. *Ratio est*, quia cùm Testamenti factio adi-possit Legibus, à fortiori per eas etiam invalida reddi unt Testamenta, quæ destituta sunt solemnitatibus à requisitis.

Certum est è contrario 3. potuisse à Jure ita decerni as solemnitates Testamentis, ut iis non observatis, a illa essent quidem in foro externo, tenerent tamen oro interno. Sequitur ex priori; si enim Leges irri-potuerunt Testamenta in foro utroque, potuerunt n in foro externo tantùm.

Controversia solùm inter DD. & magnis partium stu-agitata est, an de facto Testamenta, quæ solemnita-uris præscriptas non habent, sint irrita etiam in foro scientiæ; Negant Fachin. *l.* 4. *contr. c.* 5. Molin. *tr.* 2. 1. *num.* 16. Less. *l.* 2. *de J. & J. c.* 19. *num.* 12. Zoes. *ff.* *it. num.* 43. & plures alii ab his *citt. Nituntur* 1. au-itate *l. & si inutiliter* 2. *& l. fin. C. de fideicom-*, cui consonat §. *fin. Inst. de fideicommiss. hæred.* hæres fideicommissa, per Testamentum minùs sole-relicta, cogitur solvere, vel jurare, quòd nihil tale tatore audiverit: & additur ratio, *ne pereat ultima ntas Testatoris fidei hæredis commissa*. ergo volun-lla non fuit omnino irrita. 2. *l. non dubium* 16. *C. de* *m.* ubi hæres ex Testamento, vel ab intestato obli-ir ad Legata, & Fideicommissa, à Testatore relicta, enda, etsi voluntas ultima testatoris Legibus non sit iixa. Non posset autem obligari, si ejusmodi volun-fuisset omnino nulla. ergo &c. 3. Leges irritantes tamenta minùs solemnia fundantur in præsumptione dis; nam ad hanc evitandam numerus testium, & solemnitates requiruntur in Testamentis *l. fin. C. de* *icomiss.* atqui præsumptio ista cessat, quando con-de contraria voluntate defuncti, adeoque de falsitate sumptionis. ergo tum etiam cessant Leges Testamen-ejusmodi irritantes. 4. Ex Testamento minùs solem-ascitur obligatio naturalis, ut communis habet sen-ia, & probat etiam ratio; quia aliàs hæres ab inte-per Testamentum minùs solemne scriptus posset re-re, quod ex ejusmodi Testamento solvit ad testatoris intatem implendam: hoc autem non potest, ut dici-*l. etsi inutiliter & l. non dubium citt.* & ideo non st repetere; quia naturaliter obligabatur solvere, hoc m nihil est aliud, quàm quod ejusmodi Testamen-in foro conscientiæ validum sit. ergo &c. 5. Simplex missio valida est in foro conscientiæ, & adimplenda, t Jus Civile nullam ex ea concedat actionem: & ra-nicè est, quia parit obligationem naturalem, talem m parit Testamentum minùs solemne, ut dictum ergo &c. 6. Etsi *l. quid sit* 1. *ff. de Liber. & po-m.* pro forma exhæredationis desideretur, ut expri-ur nomen; prænomen, & cognomen, non tamen nia requiruntur, sed unum sufficit, ut ibidem dici-. ergo nec requirentur omnes solemnitates ad valo-Testamenti.

Hæc Argumenta tanti æstimo, ut judicem, senten-n iis firmatam admodum probabilem, & cons. hære-dem, si eam sequi velit, in praxi tutum esse, si res, Te-stamento imperfecto sibi relictas, tamdiu retineat, do-nec Judex pro hærede ab intestato pronuntiarit. Specula-tivè tamen loquendo, & spectatis principiis intrinsecis, dico, probabiliùs ejusmodi Testamentum non solemne, & non privilegiatum etiam in foro conscientiæ nullum, & irritum esse. Ita Clar. §. *testamentum q.* 90. *nu.* 5. Co-var. *in c.* 10. *h. tit. num.* 12. *& seqq.* Menoch. *de præsumpt.* *l.* 1. *q.* 80. *num.* 28. Azor. *p.* 3. *l.* 6. *c.* 9. *q.* 1. Vasq. *tr. de te-stam. c.* 3. *dub.* 1. *num.* 3. Haunold. *tom.* 2. *de J. & J. tr.* 6. *n.* 36. Arnold. Rath. *de testam. n.* 92. Magn. D. Verlohner *simil. tr. art.* 3. *q.* 6. *n.* 4. Clar. P. Schmier *tr. de Jur. Leg.* *c.* 1. *n.* 184. *& tr. de success. hæred. p.* 2. *c.* 2. *n.* 43. & plures alii tum TT. tum JCti.

Rationem, omissis cæteris, quas alii in medium proferunt, adduco unicam, eamque solidam; quia Le-ges absolutè irritantes contractum, vel actum, si ju-stæ sint, censentur illum irritare etiam in foro con-scientiæ; tales sunt Leges, quæ ponunt solemnitates Testamentis. ergo &c.

Major communis doctrina est: & hinc etiam ex Ad-versariis multi fatentur, actus Electionis, emptionis, venditionis, donationis &c. si Lex illos ob defectum so-lemnitatis irritet, etiam in conscientia non ligare.

Minor ostenditur variis Juris Civilis textibus 1. §. *ex eo* 7. *fin. Inst. quib. mod. testam. infirm.* ibi, *Nam im-perfectum Testamentum sine dubio nullum est*. 2. *l. si bina* 11. *ff. de injust. rupt. &c.* ibi, *Quia sequens nul-lum est*. 3. *l. hac consultissima cit.* §. *ex imperfecto* 1. ibi, *Ex imperfecto autem Testamento voluntatem tenere defuncti* (*nisi inter solos liberos à parentibus utriusque sexus habeatur*) *non volumus*. Et additur, ut si inter liberos conditum sit ejusmodi Testamentum, sed ad-mixta sit persona extranea, pars istius accrescat libe-ris &c. *Conf.* nam Testamenti factio, ut *n.* 5. dictum est, præcisè est creatura Juris positivi: igitur tantam præcisè vim Testamenta, & ultimæ defunctorum vo-luntates habent, quantam ipsis Jus positivum tribuit: hoc autem Testamento, solemnitatibus destituto, nisi privilegiatum sit, vim omnem adimit. ergo &c.

Neque obstant Argumenta sententiæ adversæ. *Ad* 1. Leges ibi allegatæ plus probant, quàm vellent Adversa- 40 rii; probarent enim, etiam pro foro externo non requi-ri ultimatò illas solemnitates, sed istis deficientibus, of-ferri posse terminum hæredi ab intestato, quo juret sibi non constare, quòd defunctus alium sibi hæredem volue-rit. Deinde hæres ejusmodi tenetur solvere fideicommis-sa, non vi Testamenti, quasi hoc validum fuerit; sed quia testator fidei ejusdem commisit eorundem solutio-nem: ad quod ut teneatur, non requiritur, Testamen-tum fuisse validum, sed quòd hæres sciat hanc fuisse reve-rà voluntatem defuncti. *Ad* 2. ibidem additur, *Si sua sponte agnoverit*, videlicet eam fuisse voluntatem defun-cti. *Ratio*, cur eo casu hæres obligetur ad solvenda Le-gata, & Fideicommissa defuncti, est, quia repræsen-tat personam defuncti, & quando hæres fatetur eam fuis-se voluntatem defuncti, perinde habetur, ac si ipse de-functus id nunc declararet. ergo non debet hæres contra-rium velle, ne sibi ipsi contrarius sit, sed debet volunta-tem defuncti, quam repræsentat, perinde tueri, ac si sua propria esset: unde per talem agnitionem solemnizatur voluntas defuncti. Proceditque hoc, ut hæres sciens vo-luntatem defuncti teneatur ejusmodi Legata solvere, etiamsi de ea voluntate defuncti Legatarius nihil omnino sciat. *Ad* 3. Leges illæ fundantur in præsumptione pe-riculi universalis fraudum, sæpe alioquin committenda-rum, nisi Testamenta imperfecta universaliter irriten-tur: quæ præsumptio cùm sit verissima, etsi periculum fraudis in casu aliquo particulari cesset, Testamentum ta-men, absque debitis solemnitatibus conditum, etiam eo casu manebit invalidum. *Ad* 4. cùm juxta nostram sen-tentiam, ut dictum est, Testamenti factio sit creatura Juris positivi duntaxat, meritò negari potest, quòd Te-stamentum minùs solemne obligationem naturalem in-ducat. Ad probationem adjectam dico, ideo hæredem in tali casu solutum non posse repetere, quia voluntatem defuncti sponte agnovit, & eam sciens, volensque, Le-gata, testamento imperfecto relicta, solvendo est exe-cutus. *Ad* 5. negatur paritas: quia promissio simplex vim obligandi à Jure naturali habet; Testamentum autem valorem suum acquisivit à Jure positivo, absque quo & ipsum, & quævis voluntas ultima fuisset justum quidem, sed inefficax desiderium relinquendi res suas alteri, ut di-ctum est *n.* 4. Hinc mirum non est, quòd simplex promis-sio obligationem naturalem pariat; ultima voluntas in-dependenter à Jure positivo eam non pariat, nisi in eo, qui illam sponte agnoverit. *Ad* 6. iterum negatur pari-tas; hoc ipso enim, quod textus dicat unum sufficere,

vult dicere non omnia requiri copulativè, sed disjunctivè duntaxat.

§. III.

De Testamento non solemni.

SUMMARIUM.

41 *Testamentum non solemne privilegiatum est septuplex: primò Pium.*
42 43 *Quando tale esse censeatur?*
44 45 46 *Valet sine solemnitatibus Juris.*
47 48 49 *In quocunque, etiam Sæculari foro.*
50 51 52 *Alterum Militare.*
53 54 *Tertium inter liberos.*
55 *Quartum Rusticorum.*
56 *Quintum conditum tempore pestis.*
57 *Sextum oblatum Principi.*
58 *Septimum Judiciale, seu conditum, & publicatum apud Acta.*
59 60 61 *Probabilius hoc offerre Testator debet per seipsum, & non sufficit, ut id faciat per Procuratorem.*
62 *Codicilli definitio.*
63 *Differentia à Testamento.*
64 *Non potest eo dari, vel adimi hæreditas directè.*
65 *Modi, quibus fieri Codicillus potest, & Clausula Codicillaris.*
66 *Effectus istius Clausulæ.*
67 *Solemnitas requisita ad Donationem mortis causa.*

41 TEstamentum non solemne validum, seu privilegiatum, ut *n.* 22. dixi, est quod licèt solemnitates Legibus præscriptas non omnes habeat, ex privilegio tamen, & speciali favore Juris sustinetur. Ejusmodi Testamenta sunt septem, videlicet Testamentum ad pias causas, militare, parentum inter liberos, Rusticorum, tempore pestis confectum, oblatum Principi, & apud acta conditum. His accedit Codicillus, qui licèt Testamentum non sit, est tamen species ultimæ voluntatis, in qua non requiritur tanta solemnitas, quanta ad Testamentum solemne.

42 Quæritur 1. de *Testamento Pio.* Ac 1. quidem *dubitatur*, quando Testamentum pium, seu ad pias causas factum censeri debeat? Resp. Testamentum pium nomen suum præcipuè accipit à fine, seu motivo supernaturali, cujus intuitu conditum est. Estque omne illud, quo hæreditas vel tota, vel ejus pars relinquitur, ut cultus, vel obsequium præstetur DEO, ut eidem pro acceptis Beneficiis habeantur gratiæ, ut Cœlitibus exhibeatur veneratio, ut peccatorum deleantur maculæ, ut à pœna his commerita obtineatur liberatio, ut Divina gratia, meritum, & præmium augeatur in cœlo &c. Bald. *in l. 1. C. de SS. Eccl.* Abb. *hic n. 9.* Vviest. *n.* 82.

In particulari ad pias causas condita Testamenta, & Legata relicta censentur, quibus instituuntur Ecclesiæ, Monasteria, & alia pia loca, iisque pro fabrica, sustentatione Religiosorum, aut Ministrorum, & aliis personarum ibi receptarum necessitatibus aliquid relictum est.

43 2 Testamenta, & Legata, quibus relictum aliquid est pro servorum libertatibus, Eleemosynis pauperum, redemptionem captivorum, & carceratorum liberatione, pro conversione infidelium, & Hæreticorum, pro educatione Orphanorum, pauperum puellarum dotatione, instructione pauperum in studiis, artificiis, & opificiis &c. modò ea non ex merè profani, ac privati boni, aut finis intuitu relicta sint. Menoch. *l. 4. præsumpt.* 115. *n.* 3.

3 Piis causis enumerari solent relicta pro refectione viarum, ac pontium, pro munitione civitatis adversus hostiles incursus, pro constructione munimentorum, aut ad aliam publicam utilitatem; quia licèt hujusmodi causa verè pia non sit, cùm ad finem supernaturalem non referatur, ob utilitatis tamen publicæ favorem causis piis æquiparatur, earumque privilegiis gaudet. Menoch. *l. cit. n.* 22.

44 Dub. 2. an solemnitates Juris Civilis requirantur in Testamento pio? Resp. negativè. Patet ex *c. relatum* 11. *hoc tit.* ubi Alexander III. Judicibus Velitrensibus præcipit, ut pronuntient pro Testamento pio, etsi illud trium solùm, aut duorum testium subscriptione, vel assertione munitum sit: idque meritò; quia bonum animæ Legis humanæ subtilitas impedire non debet. Quæ ratio cùm universalis sit, probat per *c. relatum cit.* derogatum Juri Civili esse non tantùm quoad numerum testium; sed etiam quoad reliquas solemnitates, ut communiter Interpretes docent.

Adeoque valet 1. voluntas ultima, qua Ecclesia, Monasterium &c. institutum est solo nutu, aut aliis signis externis, sine scriptura, aut voce, modò his mentem suam defunctus sufficienter expresserit. Tiraquell. *caus. piæ privil.* 8. & 12. Clar. §. *testamentum q. 6. n.* 7. Molin. *D.* 134. *n.* 8.

2 Valet quoad Legata pia, etiamsi ipsum Testamentum, in quo hæc Legata relicta sunt, fuerit solùm inchoatum, adeoque invalidum. Covar. *in c.* 11 *cit. n.* 10. Molin. *n.* 9. Pirh. *hic n.* 21. *not.* 6.

3 Valet quoad eadem Legata, etiamsi hæreditas non fuerit adita ab hærede, quia v. g. mortuus est, vel hæreditatem repudiavit: imò in Testamento ad pias causas non est necessaria ulla hæredis institutio. Clar. *l. cit. n.* 8. Molin. *n.* 3. *in fin.* Pirh. *n.* 21. *not.* 3.

4 Valet secundùm hæc ipsa Legata, etiamsi Testamentum, in quo sunt relicta, quoad institutionem hæredis, & alia ob defectum solemnitatum fit irritum. Covar. *num.* 2. & 3. Clar. §. 6. *nu.* 2. Molin. *num.* 2. Imò in Testamento pio etiam subsistunt Legata profana, siquæ in illo facta à testatore sunt *arg. Reg. accessorium* 42. *in* 6.

5 In eodem Testamento ad causas pias testes esse possunt, qui alioquin in aliis negotiis plenam probationem facere non possunt, sive sint masculi, sive fœminæ, sive rogati, sive non rogati, ut *loc. citt.* notant Covar. *n.* 4. & 5. Clar. *n.* 3. & 4. Molin. n. 4.

6 Iidem testes in Testamento pio juxta communiorem, & veriorem sententiam non requiruntur ad valorem Testamenti, sed solùm ad probationem, quando alia non habetur probatio. Rota *p.* 2. *decis.* 74. *n.* 12. *Ex quo sequitur*, si hæredi certò constet de voluntate defuncti, v. g. per scripturam ipsius indubitatam, vel quòd ex ore ipsius audiverit, velle se, ut hoc vel illud ex rebus suis expendatur in usus pios, hæredem in conscientia obligari ad exequendam hanc ejus voluntatem, etsi nullus interfuerit testis.

Quorum omnium ratio est, quia Institutiones, & Legata pia regulantur secundùm sanctiones Ecclesiasticas, quibus Legales solemnitates omnes sublatæ, & ad illorum valorem, ultra Naturalis, & Divini Juris requisita, quidquam exigi vetitum est *c. relatum cit.*

Dub. 3. utrum per dispositionem *c. cit.* tantùm Legibus Civilibus derogatum sit pro territorio temporali Papæ, an verò etiam pro terris Imperii, & aliis Regnis? *Primum* defendit Henric. Canis. *in c. cit. num.* 5. præcipuè ductus inscriptione illius *cap.* & paritate *c. cùm esses* 10. *hoc tit.* cujus dispositionem *n.* 3. dixi ultra ditionem temporalem Pontificis non extendi, quia rescriptum Pontificis, quod ibi refertur, inscriptum, & datum est Episcopo Hostiensi, cujus Diœcesis est intra territorium temporale Papæ: atqui etiam rescriptum, hoc *cap.* contentum, inscriptum est Judicibus Velitrensibus, qui locus pariter situs est intra territorium temporale Papæ: ergo &c. *Conf.* ex ratione, quæ data est *suprà num.* 33. *cit.* quia Pontifex Leges Civiles, quæ formam præscribunt actibus merè profanis, & peccatum non continent, in territorio, quod temporali ejus dominio subjectum non est, nec vult, nec potest corrigere. Tale est Testamentum à Laico factum de rebus suis ad causas etiam pias; nam & res temporalis merè est, & potestas, qua de rebus suis ita testatur, ex Civilis præcisè Juris dispositione inducta.

Sed meliùs dicitur, Dispositionem *c. cit.* non concludi dominio temporali Papæ, sed in quocunque etiam sæculari foro observandam esse. Ita omnium ferè DD. sententia, teste Konig *hic num.* 10. quam confirmat consuetudo, & praxis Curiarum etiam sæcularium universalis, quæ optima est Juris dubii interpres. *Ratio est*, quia Testamenta, & ultimæ voluntates conditæ ad causam piam, hoc ipso, quòd finem supernaturalem, sc. Cultum Divinum, Sanctorum venerationem, & Spiritualem animæ salutem spectent, sunt causæ spirituales, & Ecclesiasticæ; proinde non sæcularis, sed Ecclesiasticæ potestatis est, de illis statuere.

Ad Argumentum allatum in contrarium negatur paritas; nam *c. cùm esses cit.* constitutio non ideo præcise territorio temporali Papæ constringitur, quia Episcopo Hostiensi inscribitur, sed quia concernit materiam merè profanam: At dispositio *c. relatum cit.* est de causa Spirituali, & Ecclesiastica, ut dictum est. Quòd inscriptio illius sit particularis, non obest; quia sufficit quòd sit de re spectante ad potestatem spiritualem Papæ, & rescriptum illud sit insertum Corpori Juris communis.

munis. *Ad Conf.* Testamentum pium non materia,
sed causa, & finis efficit, ob quem est conditum: qui
cùm Spiritualis sit, etiam ipsum Testamentum inter
causas Spirituales, & conf. potestati Ecclesiasticæ sub-
jectas referet.

50 Quæritur 2. de solemnitatibus requisitis ad reliqua
Testamenta Privilegiata? Resp. de his pro varietate
ipsorum varia etiam sunt constituta.

Primum est Testamentum Militare: in hoc distin-
guendum est inter Jus Justinianæum, & novum Im-
perii; nam *Jure Justinianæo* militis Testamentum,
quod ab eo in Castris, & expeditione fuit conditum,
nullas omnino exigebat solemnitates, sed sufficiebat,
si quocunque modo, etiam litteris sanguine proprio
inscriptis in clypeo, vel gladio in arena de ejus ulti-
ma voluntate constaret. *in princ. & §. planè* 1. *Inst.
de militar. testam. l. militibus* 1. *l. Divus* 24. *& l.
miles* 35. *ff. eod.*

Jure novo Imperii favor iste permansit militibus so-
lùm tunc, quando in conflictu existunt; nam si in
Castris, sed extra conflictum, vel procinctum ad con-
flictum testentur, duo saltem testes sunt adhibendi,
prout voluit Maximilianus I. *Constitutione edita* 1512.
tit. de Testam. §. 2. Non est autem necesse, ut testes
isti habeant qualitates, aliàs requisitas in testibus Te-
stamentariis; nam esse possunt etiam non rogati, et-
iam fœminæ, prout colligitur ex *l. Divus cit.*

Porro ratio, quare in testamento militis remissæ so-
51 lemnitates sint, vel nimia Juris imperitia, & istius
peritorum in castris defectus fuit, vel potiùs favor
tum Reip. ne solius Testamenti ordinandi causa sta-
tionem deserere cogantur; tum ipsorum militum, ut
voluntates ipsorum ultimæ non ita facilè destituan-
tur: & fortassis etiam commilitonum, ut in expedi-
tione faciliùs hæredes existant.

Gaudent autem hoc privilegio non tantùm Milites,
qui in numerum relati juramentum militare ad vexilla
præstiterunt, sed & illi, qui licèt milites non sint,
castra tamen cum simili periculo vitæ, & quidem mi-
litum causa sequuntur, ut sunt Curiones Castrenses,
Consiliarii, Medici, Chirurgi, Mercatores, *l. un. ff. de
bonor. possess. ex testam. milit.*

52 Addidi, *favorem istum concedi Militi, quando in
Castris, & expeditione versatur*; nam de Veteranis,
qui missionem obtinuerunt, distinguendum est: Vel
enim ejusmodi miles Testamentum condit post missio-
nem, aut extra castra; & tunc Jure communi utitur
§. *sed hactenus* 3. *Inst. de milit. testam. & l. ne qui-
dam* 17. *C. eod.* Vel illud ante missionem, & quidem
in castris, vel expeditione condidit; & tunc si is in-
tra annum, quo à bello reversus est, moriatur, Testa-
mentum est validum, & in eo militariter condito in-
stitutus hæreditatem acquirere potest: secus, si moria-
tur postea; tunc enim non valet, nisi casu, quo hæ-
redi conditio post annum demum extitura adjecta fue-
rit §. *sed hactenus cit. Ratio est*, quia conditio, quan-
docunque existens, retrotrahitur, atque ideo perinde
habetur, ac si ab initio purè institutio facta fuisset *l.
si pupillus* 26. *de cond. inst.* Magnif. D. Christoph. de
Chlingensperg *Inst. de milit. testam.* q. 3.

II. *Testamentum Parentum* (quo nomine hic etiam
53 Ascendentes veniunt) *inter Liberos*. In hoc distin-
guendum est, an Nuncupativum sit, an verò Scri-
ptum. *Si Nuncupativum est*, ut valeat, sufficiunt duo
testes, coram quibus testator suam voluntatem expri-
mat: neque necesse est, ut illi omni Jure sint habi-
les; nam in hoc Testamento etiam fœmina testis esse
potest, cùm in eo non Jus Civile, sed Gentium ob-
servetur. *l. fin. C. famil. herc. Auth. quod sine C. h. tit.* Fa-
chin. *l. 4. contr. c.* 11. Gaill. *l. 2. obs.* 112. *n.* 4. Vinn.
l. 2. select. qq. c. 18. Gletle *de testam. p.* 1. *capit.* 3.
§. 2. *n.* 5. Imò testes hoc casu non requiruntur de sub-
stantia, sed tantùm de probatione, ut aliis *citt.* be-
ne advertunt Magn. D. Verlohner *de testam. art.* 4. *q.* 4.
n. 2. Clariss. P. Schmier *p.* 1. *de success. hæred. cap.* 3.
num. 106.

Si verò scriptum sit, Jure Codicis aliud non requi-
ritur, quàm ut de voluntate patris sufficienter constet:
unde si scheda reperiatur, de qua constet, quòd ani-
mo conficiendi Testamenti à patre sit conscripta, vel
subscripta, perinde custodienda illa, & executioni man-
danda est, ac si omnes solemnitates adessent *l. hac con-
sultissima* 21. §. *ex imperfecto* 1. *C. h. tit.*

54 Hodie verò illa tantùm Scriptura Patris valet, quæ
habet conditiones expressas *Novell.* 107. *c.* 1. vi cujus
requiritur 1. ut Testamentum hoc pater ipse scribat,
vel ab alio scriptum saltem subscribat, & liberi ma-
num patris agnoscant. 2. ut in ejusmodi Scriptura de-
claret tempus Testamenti conditi. 3. ut claris verbis
exprimat liberorum nomina, & uncias, ex quibus hæ-
redes eos esse cupit. 4. ut si facere divisionem rerum
suarum inter eos voluerit, res singulas inter ipsos di-
stribuendas notet. 5. si in eodem Testamento aliquid
relinquat uxori, vel alteri personæ extraneæ, aut eam
cum liberis in partem hæreditatis vocet, ut respectu
istius valeat Testamentum, necesse erit, ut sint adhi-
biti saltem duo testes, ut colligitur ex *Novell. cit. c.* 1.
vers. si tamen junct. *l.* 12. *ff. de testib.* Carpzov. *p.* 3.
constit. 4. *defin.* 20. Imò, ut notat Konig *hic num.* 9.
probabilior sententia quinque desiderat *arg. l. ult. §. fin.
C. de Codicill.* aliàs quoad istiusmodi personam extra-
neam Testamentum erit invalidum, & quod ipsi reli-
ctum est, accrescet liberis *l. hac consultissima, & §. ex
imperfecto cit.* Magnif. D. Christoph. de Chlingensperg
tit. de Test. ordin. q. 28.

Porro causa hujus privilegii Testamento inter libe-
ros indulti est, quòd hìc nulla præsumatur fraus, cùm
liberi aliàs ab intestato essent successuri: imò ad pa-
ternam hæreditatem quodammodo ab ipsa natura vo-
centur, & non tam in bona paterna, quàm propria
succedant. Estque hoc juxta communem DD. verum,
etsi liberis inæquales partes sint assignatæ: cujus ra-
tio est, quia aliàs privilegium nullam haberet vim,
& frustraneum esset Testamentum, si omnes æquales
partes deberent accipere, sicut ab intestato.

III. *Testamentum Rusticorum*. Tale dicitur non so- 55
lùm, quod Aratores, vinitores, pastores, & similes
agrestes, sed etiam quod alii, quamvis nobiles, ruri
degentes condunt; nam sicut illis, sic istis quoque,
cùm ruri testantur, quoad testium numerum, & sub-
scriptiones aliquid remissum est *l. fin. C. hoc tit. &
Constit. Maximiliani cit.* idque meritò, quia *cit. Lex,
& Constitutio* non tam rusticitati, quàm difficultati
cogendi tot testes, qui scribere norint, consulere vo-
luit: in necessitate tamen duntaxat, & quando tot te-
stes in loco, ubi Testamentum conditur, inveniri non
possunt; nam si ibidem haberi possint septem testes,
iique litterati, totidem adhiberi, & subscribere Testa-
mentum debent. Si verò totidem testes litterati non
reperiantur, videndum, an septem alii, qui partim
litterati, partim illiterati sint, haberi possint, vel
non; nam priori casu totidem adhibendi sunt, & sub-
scriptio facienda ab iis, qui litteras callent, etiam pro
reliquis illiteratis. Posteriore autem casu, quo neque
septem testes illiterati cum litteratis mixti inveniun-
tur, valebit Testamentum confectum coram quinque
testibus, non tamen coram paucioribus, Jure commu-
ni spectato, ut patet ex *l. fin. cit.* ibi, *Minus autem
nullo modo concedimus.*

IV. *Testamentum conditum tempore pestis*. In hoc 56
aliqui existimant sufficere quinque testes, si plures ha-
beri nequeant, ut putat Konig. *hic num.* 12. imò
quibusdam visum fuit, eo casu sufficere duos, vel tres
legitimos, cùm plures metu contagionis convocari
non possunt, aut comparere nolunt: & rationem dant
quia tempore necessitatis meritò à solemnitate Lega-
li, & Regulis Juris communis receditur. Sed com-
munior, & verior sententia est, spectato Jure scripto
quoad testium numerum nihil in hoc Testamento re-
missum esse, sed tantùm hoc relaxatum, ne omnes
uno, eodemque tempore, & simul adhiberi necesse
sit, prout colligitur ex *l. casus* 8. *C. hoc titul.* idque
ob periculum, & metum contagionis. Fachin. *l.* [illegible]
contr. cap. 92. Barry *l.* 1. *de Testam. numer.* 8. *vs.
hæc omnia*, Berlich. *p.* 2. *concl.* 5. *numer.* 6. Brunnem.
in l. 8. *citat. numer.* 1. Magnific. D. Christoph. de
Chlingensperg *tit. testam. ordin. quæst.* 24. Magnific.
D. Verlonher *de testam. articul.* 4. *quæst.* 5. *num.* 2.
Dixi *spectato Jure scripto*; nam Jure consuetudinario
passim subsistunt, & etiam in Camera Imperiali susti-
nentur Testamenta, luis contagiosæ tempore condita,
si condita illa sint coram tribus, vel saltem duobus
testibus, prout testatur Gaill. *l.* 2. *observ.* 118. *n.* 16.
Mynsing. *cent.* 1. *obs.* 96. *n.* 1. Brunnem. *l. cit. n.* 4.
& 5. Gletle *de testam. p.* 1. *c.* 3. §. 1. *num.* 8. Ko-
nig. *hic num. cit.* P. Vviest. *n.* 97. P. Schmier *p.* 1.
de success. hæred. c. 3. *n.* 135.

V. *Testamentum oblatum Principi*, quod etiam *In-* 57
sertum dicitur: quòd tum fit, quando testator sine ul-
la solemnitate ultimam suam voluntatem libello sup-
plici insertam offert Principi, ac Princeps illud in
Consilio lectum in scrinia referri jubet *l. omnium* 19.
C. hoc tit. ubi licèt Principis nomine præcipuè Impe-
rator, seu Princeps supremus veniat, nihil tamen pro-
hibet, quo minùs offerri Testamentum possit ejus Cu-
riæ, aut Cancellariæ, vel etiam Secretariis, aut Con-
silia-

siliariis à Principe, aut ejus Curia hoc fine ad ægrotum missis *arg. l. omnium cit.* Imò idem Jus etiam ad Principes inferiores, & Imperii Status porrigitur, ut monet Myllerus *de Princip. & Statib. Imper. cap.* 28. *num.* 1. & ex eo Konig. *hic num.* 5. Ratio privilegii est, quia authoritate Principis defectum solemnitatum supplet, imò easdem superat, ut dicitur *l. omnium cit.*

58 VI. *Testamentum Judiciale*, seu *conditum, & publicatum apud Acta:* quod tunc fit, quando Testator voluntatem suam ultimam scripto comprehensam ipsemet offert Judici, aut viva voce declarat, quæ sit ejus voluntas ultima, simulque petit, ut ad acta referatur; nam ita ordinatum Testamentum, etsi nec testes, nec ullas alias solemnitates habeat, publica fide sustinetur *l. omnium cit. Ratio est*, quia acta Judicialia non minùs, quàm authoritas Principis supplent numerum, & nomina testium, omnemque falsitatis suspicionem removent. *Proceditque hoc*, etsi obligatio facta sit Judici aliàs incompetenti, ut *l. cit.* innuitur, ibi *Cujuscunque Judicis.:* neque opus est, ut fiat in ipso loco Judicii, quia ex communi DD. hujusmodi Testamenti factio est actus jurisdictionis voluntariæ, & quidem simplicis, qui coram quovis Judice, & tam in, quàm extra territorium jus dicentis expediri potest, Berlich. *p.* 3. *concl.* 4. *numer.* 12. Wesemb. *ff. de testam. numer.* 10. Stryck. *de caut. capit.* 7. §. 34. Gletle *de Testam. p.* 1. *cap.* 3. *numer.* 3. *&* 4. Konig. *hic n.* 5. Imò ut Magnif. Dom. Verlohner *art.* 4. *cit. q.* 2. *numer.* 2. ex Dauth. *de Testam. num.* 435. Lautterbach. *de Testam. Judic. Thes.* 20. advertit, Comites, Barones, Nobiles Testamenta sua possunt condere apud propria acta; & coram suis Judicibus, seu Scabinis, ex ratione, quia in actibus Jurisdictionis voluntariæ etiam quis in propria causa Judex esse potest, nisi desideretur causæ cognitio.

59 *Dubium est*, an requiratur, ut ipse Testator Testamentum personaliter offerat Judici, an verò sufficiat, si illud offerat per nuntium, vel procuratorem? Hoc secundum sufficere existimant Andr. Gerhardus, Fulgosus, Alexander apud Berlich. *p.* 3. *concl.* 4. *num.* 31. *in fin.* quibus consentiunt Myller *de Princip. & Stat. Imp. cap.* 28. §. 4. Struv. *ad ff. Exercit.* 32. *th.* 9. Miller *ibid. lit. L.* Stryck. *de cautel. Testam. capit.* 8. §. 13. *& seqq.* Clariss. P. Schmier *de success. hæred. p.* 1. *capit.* 3. *numer.* 88. *& seqq. Fundantur* 1. quia *l. omnium* 19. *C. hoc titul.* non requirit oblationem, aut insinuationem personalem. 2. Quia in Testamento apud acta facto sublatæ sunt omnes solemnitates Juris Civilis, & solùm in eo desiderantur, quæ sunt de Jure naturali, & gentium. atqui considerato Jure naturali, & gentium, Testamentum non minùs per alium, quàm per Testatorem offerri potest. 3. Quia in omni negotio Civili Procurator admittitur, idemque est facere per alium, & per seipsum *Reg.* 68. *& 72. in 6.* ergo cùm oblatio Testamenti nuspiam reperiatur excepta, etiam ipsa fieri per procuratorem poterit.

60 Sed dicendum, requiri oblationem personalem ab ipso testatore. Ita Bocer. *class.* 3. *D.* 2. *thes.* 7. Modest. Pistor. *ad l. omnium citat.* Hartman. Pistor. *q.* 3. *num.* 1. *num.* 9. *& num.* 10. Daniel Moller. *ad Constit. Saxon. p.* 3. *const.* 3. *num.* 3. *& seqq.* Ferdin. Vasq. *de success. creation. l.* 2. §. 17. *requis.* 27. *n.* 83. *&* 84. quos citat, & sequitur Berlich. *concl.* 4. *citat. numer.* 32. Colligitur ex *l. omnium cit.* cujus verba ad ipsum Testatorem directa sunt, adeoque factum ejus proprium *l. cit.* ipsi non remittitur. *Ratio est*, quia cùm ultimæ voluntates omnium maximè fraudibus subjectæ sint, tanto etiam majorem cautelam adhiberi opus est ad illas excludendas, ne fortè spurium Testamentum Judici offeratur pro vero, & sic subvertatur ultima Testatoris voluntas.

61 Ad Argumenta contraria sufficiens responsio dari potest. *Ad* 1. etsi expressè præsentia Testatoris *à l. omnium cit.* non requiratur, eam tamen requiri in Testamento ad acta condito sufficienter colligitur tum ex *l. cit.* ubi Imperator, vel alius Judex inferior vult hominum voluntates audire, quod non fieret, si Testator suam voluntatem per litteras, vel procuratorem duntaxat indicaret; tum ex aliis Juribus, quæ in genere ad substantiam Testamenti exigunt, ut testator præsens à testibus videatur, & audiatur. *Ad* 2. in ejusmodi Testamento non omnes solemnitates sublatæ sunt; nam *l. omnium cit.* dicitur, hoc Testamentum omnium aliorum Testamentorum solemnitatem superare, dum sc. in eo testes non sunt necessarii, reliquæ verò solemnitates in eo nihilominus observantur. *Ad* 3. licèt in aliis casibus Regulæ *citt.* locum habeant, non tamen in hoc nostro casu: ratio disparitatis est; quia in aliis, siquid fraude actum præter intentionem mandantis est, facilè rescindi, & retractari potest; at in Testamento id fieri non potest, cùm mortuus aliquando Testator non revertatur ampliùs, ut Testamentum spurium, pro suo obtrusum Judici, possit everrere: unde actus offerendi planè personalissimus erit, ut dicit Konig. *hic n.* 6.

Quæritur 7. de *Codicillo*, & *Donatione mortis causa*: Et 1. quidem *dubitatur*, quid sit *Codicillus*? Resp. *Codicillus*, sic dictus, quia est quasi parvus Codex, definiri potest, quòd sit *ultima voluntas minùs solemnis defuncti, sive testati, sive intestati, de eo, quod is post mortem de rebus suis fieri vult, absque directa hæredis institutione*. Ita quoad rem communiter DD. licèt in verbis quidam dissentiant. 62

Differt à Testamento 1. quoad testium numerum, & qualitates; nam in Codicillo sufficiunt testes quinque, iique non rogati, imò etiam fœminæ §. *fin. Inst. & l. fin. junct.* Gloss. *C. de Codicill. Excipitur* Codicillus à cæco factus; nam in hoc necessarii sunt septem testes, aliaque, quæ requiruntur in eorum Testamento *l. hac consultissima* 8. *C. qui Testam. fac. poss.*

2 Codicillus etiam ab eo, qui intestatus decedit, fieri potest; valet enim, quo quis relinquit Legata solvenda ab eo, qui in bonis ipsi successerit: eaque tenetur solvere hæres etiam ab intestato §. *non tantùm* 1. *Inst. de Codicill. & l. siquis* 3. *ff. de Jur. Codicillor.* 63

3 Testamentum non valet, nisi unicum; Codicilli non unus tantùm, sed plures fieri possunt: & si contrarii quidem non sint, omnes subsistunt; si verò contrarii sint, prior revocatus censetur *l. cùm proponatis* 3. *C. eod.*

4 In Testamento scripto necesse est, ut Testator ultimam suam voluntatem subscribat manu propria, & obsignet; in Codicillo autem neutrum requiritur, sed sufficit, si in scriptis factum fuerit, ut testes quinque requisiti interfuerint ejus confectioni, illudque uno, eodemque tempore subscripserint §. *fin. Inst. de Codicill. l. Divi* 6. §. *Codicillos* 1. *ff. de Jur. Codicill.* ibi, *Neque signari necesse est.*

5 Testamenti præcipua pars, imò caput, & fundamentum est institutio, sive subrogatio hæredis in universum jus, quod tempore mortis testator habuit §. *ante hæredis* 34. *Inst. de Legat.* Contrarium contingit in Codicillo; hoc enim hæreditas directè nec dari nec adimi, aut hæredi Testamentario conditio adjici potest §. *Codicillis* 2. *Inst. l. per manus ff.* 10. *l. hæreditatem* 2. & *l. si idem* 7. *C. eod.* 64

Dixi *directè*; potest enim in Codicillo Fideicommissum relinqui, adeoque hæres institui indirectè: & hinc si hæreditas Codicillis directè relicta fuerit, Institutio directa trahitur ad Fideicommissariam, quasi hæres ab intestato succedens rogatus esset restituere hæreditatem, ei, qui scriptus est in Codicillo *l. siquis* 3. *princ. ff. de Jur. Codicill.* idque, ut sustineatur ultima voluntas eo modo, quo potest. Zoes. *ff. eod. numer.* 7. Pirh. *hic numer.* 7. Similiter potest Testator in Codicillo significare, hæredem institutum commisisse aliquid, ob quod dignus sit privari hæreditate, seque velle, ut privetur; & tunc si delictum probetur, privabitur *l. hæreditas* 3. *C. de his, quibus ut indign. &c.*

Dub. 2. quot modis fieri Codicilli possint? Resp. fieri possunt quatuor modis. 1. Ante Testamentum: & tunc per subsequens Testamentum vel confirmantur, vel revocantur. 2. Cum Testamento, sive in Testamento per adjectam Clausulam Codicillarem. 3. Post Testamentum. 4. Ab intestato. 65

Porro Clausula Codicillaris aliquando additur Testamento expressè, aliquando tacitè adjecta censetur: quod fit maximè in triplici casu. 1. Si Testator dicat, se velle suam dispositionem valere omni modo, quo potest. 2. Si Testator jurat se velle, ut omnia in Testamento serventur, vel ut hæres de iis servandis juret. 3. Censetur apposita Clausula Codicillaris in Testamento militis, & in Testamento inter liberos, saltem quoad ea, quæ sunt in utilitatem liberorum.

Effectus Clausulæ Codicillaris, Testamento explicitè, vel implicitè adjectæ est. 1. Quòd si Testamentum sit nullum ob defectum solemnitatis, Legata valeant, & hæres ab intestato teneatur illa solvere, dummodo Testamentum habeat solemnitatem ad Codicillum requisitam. 2. Hæres ab intestato, si non sit necessarius, debet hæreditatem restituere hæredi per 66

tale

ale Testamentum instituto, sicut si institutus fuisset per substitutionem Fideicommissariam, quamvis retinere sibi possit quartam Trebellianicam, ut colligitur ex *l. posthumus* 12. §. *si paganus* 1. *ff. de injust. rupt. &c. Ratio est*, quia talis Institutio fieri potuisset in Codicillo, ut dictum est *numer.* 64.3. Si Testator injustè exhæredavit, vel scienter præteriit hæredem necessarium, tenetur hæres ille vi Clausulæ Codicillaris restituere hæreditatem hæredi instituto Testamento illo invalido, retenta solùm portione sibi debita.

Ratio est; quia quoad alia poterat Testator per Substitutionem Fideicommissariam eum gravare per Codicillum. Dixi, *si scienter præteriit*; si enim fecit ex ignorantia, vel per imprudentiam, & oblivionem, non præsumitur voluisse illi præferre hæredem extraneum.

67 Dub. 3. quæ solemnitates requirantur ad *Donationem mortis causa*? Resp. ad hanc de Jure communi requiritur eadem solemnitas, quæ ad Codicillos sufficit *l. fin. C. de donat. mort. caus.* Quare necessarii sunt quinque testes, non tamen rogati, aut masculi. Qui autem cum paucioribus testibus testari possunt, poterunt etiam cum paucioribus donare mortis causa, aut Codicillos condere *l. Marcellus* 15. *ff. de mort. caus. donat.* Magnif. D. Christoph. de Chlingensperg *tit. de Testament. ord. q.* 29.

Illud cum Harpprecht *Inst. de Codicill. n.* 21. hic restat notandum, solemnitatem hactenus descriptam ad valorem Codicilli, & mortis causa donationis (quod etiam de Legatis, & Fideicommissis dicendum) non requiri ad valorem, sed tantùm ad probationem: idque verum est non tantùm in foro interno, sed etiam externo. Patet ex §. *fin. Inst. de fideicommiss. hæred.* *l. & si inutiliter* 2. & *l. fin. C. de fideicommiss.*

§. IV.

De Hæredis Institutione,

SUMMARIUM.

68 *Testamentum generaliter condere possunt, qui specialiter non prohibentur.*
69 *Natura prohibentur Infantes, & mente capti.*
70 *Ebrii ebrietate perfecta.*
71 *Ob vitium corporis surdi, & muti simul à nativitate.*
72 *Lege ob defectum ætatis prohibentur Impuberes.*
73 *Ob vitium morum prodigi, contrahentes incestas nuptias, Hæretici.*
74 *Damnati ob carmen famosum, rei læsæ Majestatis, & repetundarum, aliique Lege intestabiles.*
75 *Ob defectum Status filiusfamilias, Servi.*
76 *Capti bello justo, obsides apud hostem.*
77 *Deportati, Banniti.*
78 *Damnati ad capitale supplicium.*
79 *Canone prohibentur testari Usurarii manifesti.*
80 *Excommunicati ob Hæresin.*
81 *Religiosi Professi, & Coadjutores formati Societatis JESU.*
82 *Clerici Beneficiati de Beneficialibus Sustentationi superfluis.*
83 *Consuetudine induci potest, ut hi testari possint ad causas pias.*
84 *An etiam ad profanas, argumenta negativæ sententiæ.*
85 *Conducitur pro affirmativa.*
86 *Solvuntur Argumenta contraria.*
87 88 89 *Prohibiti testari ne quidem ad causas pias testari possunt.*
90 *Hæredes institui possunt omnes, qui Jure non prohibentur.*
91 *Enumerantur qui ab hæreditate repelluntur ut indigni absolutè.*
92 *Indigni secundùm quid.*
93 *Incapaces simpliciter Jure civili recensentur.*
94 *Incapaces secundùm quid.*
95 *Prohibiti institui Canone sunt Hæretici, & persecutores Cardinalium.*
96 *Jure speciali FF. Minores de Observantia, & Capucini.*
97 *Professi Societatis JESU, & Coadjutores formati ejusdem.*
98 *Domus Professæ Societatis cum limitatione.*
99 *Potest hæres tuta conscientia retinere partem Institutionis nomine relictam FF. Minoribus.*
100 *Quo tempore hæres debeat esse capax.*
101 *An noceat incapacitas temporis intermedii.*
102 *Quinam sint Hæredes necessarii?*
103 *Tales non sunt Fratres, & Sorores.*
104 *Necessarii solùm institui debent in Legitimam.*
105 *Quæ Jure recentiore est Triens, vel Semis.*
106 *Quod tamen non procedit in filiis adoptivis.*
107 108 *Requisita, ut exhæredare possit pater filium.*
109 *Filius patrem, frater fratrem.*
110 *Quo Jure debeatur Legitima?*
111 *Quomodo relinquenda?*
112 *An onerari illa possit Fideicommisso &c.*

PRæcipua Testamenti pars, ut *num.* 64. insinuavi, est Institutio hæredis, eaque adeo necessaria, ut sine ipsa Testamentum non valeat *l. proximè* 3. *ff. de his, quæ in Testam. delent. &c.* Ut rite fiat hæc Institutio, requiritur 1. ut fiat ab habente potestatem testandi. 2. Ut Testamento instituatur, capax sit Institutionis, & successionis. 3. Ut in eo non prætereatur, qui debuisset institui. Atque hinc

Quæritur 1. quinam possint Testamentum condere? Resp. in hoc Regula generalis est, quòd omnes homines de bonis suis ante mortem testari possint, qui specialiter non prohibentur *l. habeat* 1. *C. de SS. Eccl.* & *l. ex facto* 43. *ff. de vulg. & pupillar. substit.* ubi iniquum esse asseritur, seclusa gravi causa, auferre Testamenti factionem homini sanæ mentis. *Ratio est*, quia Testamenti factio est de genere permissorum; & Edictum de iis, qui testari nequeunt, prohibitorium, cujus hæc est natura, ut posse censeatur, cui specialiter non interdicitur. Estque hoc ita verum, ut ne quidem illi, qui actu nihil in bonis habent, condere Testamentum prohibeantur, modò aliquid habere possint; quia per Testamentum homo disponit, non tantùm de iis, quæ habet, sed etiam de iis, quæ habebit tempore mortis. Porro ii, qui testari prohibentur, triplicis maximè generis sunt; nam aliqui prohibentur natura, alii Lege, alii Canone. 68

Dub. 1. quinam natura prohibeantur Testamentum condere? Resp. hi sunt duplicis generis; nam aliqui prohibentur testari ob defectum animi, alii ob vitium corporis. 69

Ob defectum animi 1. testari non possunt *Infantes*, sive ii, qui nondum habent rationis usum, ut bonum à malo sufficienter possint discernere. Konig. *hic numer.* 15.

2 *Mente capti, & furiosi*, ut habetur §. *præterea* 1. *vers. item furiosi Inst. quib. non est permiss. testament. facer.* Intellige, tum, quando actu usu rationis carent: valet enim Testamentum, quod condiderunt tempore lucidi intervalli; item quod condiderunt; antequam inciderent in furorem, vel amentiam *vers. item cit.* ubi ratio redditur; *quia neque Testamentum rectè factum, neque ullum aliud negotium rectè gestum postea superveniens furor perimit.*

3 *Ebrii* ebrietate perfecta, & cum quodam mentis temporario exilio, quamdiu ejusmodi ebrietas durat. Aliud est, si sit modica, & talis, quæ usum rationis non adimit. Reisner. *de Testam. vol.* 1. *p.* 2. *cap.* 12. *n.* 3. & ex eo Konig. *n.* 15. *cit.* 70

In dubio, an quis fecerit Testamentum tempore ebrietatis, vel furoris, aut lucidi intervalli, standum est judicio testium, & conjectura sumenda ex ipso Testamento: nam casu, quo istud ritè ordinatum est, pro ejus valore pronuntiandum; secus, si in eo sint impressa delirii vestigia. Qua verò ratione ipsi testes hac in re judicium formare possint, præcipuè quoad ægrotos delirantes, latè tradit Lugo *D.* 24. *n.* 63.

Ob vitium Corporis testari prohibentur Surdi, & Muti simul à nativitate §. *item surdus* 3. *Inst. quib. non est permiss.* & *l. discrept.* 10. *C. qui testam. facere &c. Ratio est*, quia voluntatem suam certò manifestare non possunt. 71

Dixi *à nativitate*; nam si defectus iste proveniat solùm ex morbo, vel casu, eo effectus, testari non prohibetur, modò antè didicerit litteras, & testetur in scriptis, quæ sua sit ultima voluntas.

Addidi *Muti, & surdi simul*; nam siquis tantùm sit mutus, aut tantùm sit surdus, testari potest, modò voluntatem suam voce, aut scripto possit exprimere §. *item surdus*, & *l. discretio citt.*

Idem dicendum de *Cæco*; nam is solùm testari non potest in scriptis, quòd scripturam recognoscere nequeat: nuncupativè autem, & observata solemnitate à Jure præscripta, potest *l. hac consultissima* 8. *C. qui testam. fac. poss. & Recess. Imp. de Anno* 1512. *tit. de Notariis* §. *aber zu eines blinden.*

Dub. 2. quinam testari prohibeantur Lege? Resp. isti sunt triplicis generis; nam aliqui testari prohibentur ob defe-

defectum ætatis, alii ob vitium morum, alii verò ob defectum, vel conditionem status.

Ob defectum ætatis testari prohibentur *Impuberes*, ut habetur §. *præterea* 1. *inst. quib. non est permiss.* & *l. si filiusfam.* 9. *ff. qui testam. facer. Ratio est*, quia licèt aliquod judicium habeant, fragile tamen illud, & ad hunc actum non satis firmum, & cons. non justa voluntas esse videtur *l. fin. Cod. de testament. milit. Proceditque* hoc, etsi impubes ejusmodi sit pubertati proximus, vel præcocitas Judicii, & malitia ætatem suppleat, ut rectè advertit Konig. *hic n.* 18. quia Leges præcisæ certum annorum numerum ad Testamenti factionem postulant: hinc Ulpianus *l. in omnibus* 1. §. *unde quæritur* 1. *ff. de tutel. & ration. distrah.* respondit, pupillos ne quidem authoritate Tutoris interveniente, testari posse.

Dixi *Impuberes;* nam Puberes, licèt alios actus inter vivos, quando minores adhuc sunt, sine Curatorum suorum consensu celebrare nequeant, possunt tamen sine eorum consensu testari. *Ratio est*, quia consensus Curatoris solùm requiritur, ne Minor sibi præjudicet, atqui testando non sibi præjudicat, cùm Testamenti effectus primùm post mortem eveniat. ergo &c.

73 *Ob vitium morum* intestabiles à Jure Civili redditi sunt 1. *Prodigus*, cui à Judice bonorum administratio est interdicta §. *item prodigus* 2. *Inst.* & *l. is cui* 18. *ff. qui testam. fac. poss. Proceditque hoc*, etiam de Testamento, quo salubriter, & prudenter posteritati suæ consuluerunt, nisi hoc fecerint ante interdictum; quia *LL. citt.* loquuntur generaliter: unde non est attendenda *Novella Leonis* 39. quia ejusmodi Testamentum etiam tempore interdicti confectum approbatur.

2 *Qui incestas nuptias scienter contraxit*; nam horum bona omnia statim fisco cedunt. *Novell.* 12. *c.* 1. Si tamen liberos ex justo Matrimonio habeat, hi succedunt, & fisco præferuntur, imò & ascendentes usque ad tertium gradum. *Novell.* 134. *c. ult.*

3 *Hæretici*, & eorum credentes, fautores, receptatores *l. Manichæos* 4. §. *ergo* 5. & *Auth. credentes C. de Hæret. & Manichæis. Procedit* autem hoc de Hæreticis non toleratis; nam illi, qui in Germania nostra Confessionem Augustanam profitentur, testari possunt, quia ob pacem, & fœdus cum eis initum, permittente, & tacitè consentiente Pont. retinent Jura, & immunitates Civiles, ut notat Laym. *l.* 2. *tr.* 1. *c.* 16. *n.* 4.

74 4 *Damnati ob carmen, & libellum famosum*, ut habetur *l. is cui* 18. *cit. in fin.* quæ tamen Legis sanctio hodie parum attendi videtur ob frequentiam illorum, qui libellis famosis aliorum famam proscindere satagunt: habet tamen, ut notat Stryck. *de cautel. testam. c.* 5. §. 50. etiam nunc effectum illum, ut si Advocatus, ad impugnandum Testamentum adhibitus, Exceptionem intestabilitatis ex hoc capite opposuerit, omnino audiendus sit, cùm claram Legem, nullibi mutatam pro se habeat.

5 Rei criminis læsæ Majestatis *l. ex judiciorum* 20. *ff. de accusat.* item *rei repetundarum*, ut habetur *l. ead.* ubi hoc delictum priori crimini læsæ Majestatis conjungitur, & asseritur, ob tale crimen facultatem de bonis suis testandi amitti.

6 Denique quicunque *Lege intestabiles* sunt esse jussi *l. cùm Lege* 26. *ff. qui testam. fac. poss.* ubi ratio redditur; quia *cùm Lege quis intestabilis jubetur esse, eò pertinet, ne ejus testimonium recipiatur, & eò amplius --- ne ipsi dicatur testimonium*, condi autem Testamentum nequit, nisi adhibitis testibus. ergo qui Lege intestabiles facti sunt, cùm testimonium ipsis dici non possit, condere Testamentum non poterunt.

75 *Ob defectum, vel conditionem Status* denique condendi Testamenti facultatem non habent. 1. *Filiusfamilias:* ubi tamen distinguendum est inter ejusdem bona; solùm enim testari non potest de bonis adventitiis *Inst. princ. quib. non est permiss. l. qui in potestate* 6. *pr. ff.* & *l. senium* 3. §. *filium* 1. *C. qui test. fac.* de Castrensibus autem, & quasi Castrensibus, si pubes sit, Testamentum condere non prohibetur *princ. cit.* & *l. fin. C. eod.* neque opus est ad hoc consensu patris; quia in his Patrisfamilias locum obtinet *arg. l. nulla* 4. *ff. de Jud.* & passim DD.

2 *Servi*, sive deinde sint servi hominis, sive pœnæ, v. g. ad metalla damnati *l. ejus* 8. *l. filiusf.* 16. *l. si filiusf.* 19. *ff. qui testam. facer.* Neque potest ad Testamentum condendum consensum eisdem præstare dominus; quia *Testamenti factio non privati, sed publici Juris est*, ut ait Papinianus *l. testamenti* 3. *ff. eod.* Intelligi autem hoc debet de Servis propriè dictis; nam improprie tales vulgò *leibeigne*, à Testamenti factione de Jure communi non excluduntur.

3 *Capti bello justo*, item *Obsides*, qui sunt loco captivorum §. *servi* 3. *Inst. de Jur. person. l. eum qui* 8. *princ.* & *l. obsides* 11. *ff. qui testam. fac. Procedit hoc* antiquo Jure Romano; hodierno enim inter Christianos, sublata hac servitute, capti bello, & obsides potestatem testandi habent, & eorum Testamenta, licèt in captivitate apud Turcas, & Infideles condita, sustinenda sunt; quia etsi ab ipsis ejusmodi Captivi habeantur pro servis, nos tamen tales eos non reputamus. Fleck. *Biblioth. Jur. l.* 2. *tit.* 20. *n.* 29. Manz. *de testam. tit.* 12. *n.* 179. Magnif. D. Christoph. de Chlingensperg *tit. quib. non est permiss. qu.* 1. Magnif. D. Verlohner *de mod. succed. art.* 2. *qu.* 1. *n.* 5. & 6. Clariss. P. Schmier *de success. hæred. p.* 1. *c.* 1. *n.* 47. 76

4 *Deportati*, ac quibus igni, & aqua interdictum est *l. ejus qui* 8. §. *si cui* 1. & *seq. ff. qui test. fac. poss.* Idem videtur dicendum de *Bannitis*, aut *proscriptis* ab Imperatore, vel Camera Imperiali; non verò de *Relegatis*, aut proscriptis ex aliquo Statu Imperii. *Ratio diversitatis est*, quia priores desinunt esse Cives Romani, & simul habentur pro hostibus Imperii; posteriores autem Jus Civitatis Romanæ retinent, ac proinde jus testandi salvum iisdem manet, Gaill. *de Pac. publ. l.* 2. *c.* 12. *n.* 3. & 5. Haun. *de J. & J. tr.* 6. *n.* 220. Konig. *hic n.* 24. 77

5 *Damnati ad mortem, seu capitale supplicium*, spectato saltem Jure antiquo *l. ejus qui cit.* & *l. siquis* 6. §. *sed etsi* 6. *ff. de injust. rupt. &c.* ubi additur ratio, quia servi pœnæ fiunt, bonaque eorum confiscantur. Verùm hæc ratio Jure Recentiori *Novell.* 134. *c. ult.* non procedit; nam isto Jure solummodo publicantur illorum bona, qui Majestatis crimine damnati sunt, vel qui postquam de capitali crimine sunt accusati, mortem sibi ipsis consciverе, & supplicium antevertеrunt; cæterorum verò bona parentibus, & liberis usque ad tertium gradum servantur. Hinc non pauci cum Magnif. D. Verlohner *q.* 1. *cit. n.* 9. existimant, hodie, spectata saltem æquitate, ita damnatos, seclusa contraria consuetudine, de bonis suis testari posse. 78

Dub. 3. quinam testari prohibeantur Canone? Resp. horum duo sunt genera; nam aliqui prohibentur in pœnam delicti, alii ob conditionem status.

In pœnam delicti intestabiles de Jure Canonico sunt. 79
1. *Usurarii manifesti*, nisi priùs satisfecerint, & usuras restituerint, vel cautionem idoneam de iis restituendis præstiterint *c. quanquam* 2. junct. Gloss. *V. aliter de Usur. in* 6. *Proceditque hoc*, etsi condidisset Usurarius Testamentum, antequam manifestus fieret; quia *c. cit.* Usurario absolutè negatur facultas testandi: atqui etsi condiderit Testamentum ante crimen, vel manifestationem illius, si tamen decedat in crimine, verè dicitur testari ut Usurarius; quia testari non est tantùm scribere, vel nuncupare hæredem, sed sua bona vi ultimæ dispositionis illi relinquere, ergo &c. Addidi *Manifestus*; nam, si dum vivebat, manifestum non fuit ejusdem crimen, etsi manifestetur post ejus mortem, Testamentum ab Usurario conditum valet; quia Testamentum morte Testatoris confirmatur, quo tempore Usurarius notus adhuc non erat.

2 *Excommunicati ob Hæresin*, eorumque fautores, receptatores, defensores &c. *c. excommunicamus* 13. §. *credentes de Hæret.* Quod aliqui extendunt etiam ad reliquos Excommunicatos non toleratos, ex eo, quòd nequeant communicare cum testibus, sine quibus condi Testamentum non potest. Sed argumentum istud non evincit intentum; esto enim communicando cum testibus, & sic condendo Testamentum Excommunicatus agat illicitè, non tamen agit invalidè, cùm non obstante Excommunicatione, jus, & dominium temporalium bonorum retineat, & per ipsam potestatem de iis disponendi non amittat. Hinc dicendum, ita Excommunicatos adhuc testari validè. Ita Engl *hic n.* 8. Wiest *n.* 23. Clariss. P. Schmier *p.* 1. *de success. hæred. c.* 1. *n.* 61. Magnif. D. Christoph. de Chlingensperg *tit. quib. non est permiss. q.* 10. & sumitur ex *c. excommunicamus* §. *credentes cit.* quo textu SS. Canones potestatem testandi solùm adimunt excommunicatis ob Hæresin; igitur per argumentum à sensu contrario reliqui Excommunicati potestatem testandi retinent; exceptio enim firmat regulam in casibus non exceptis *l. quæsitum* 12. §. *item respondit* 13. junct. Gloss. *V. non potest ff. de instruct. vel instrum. legat.* 80

3 Denique, qui hostiliter persequuntur, capiunt, percutiunt aliquem ex S. R. E. Cardinalibus, vel ad capturam ejus, percussionem &c. cooperantur *c. Felicis* 5. *de pœnis in* 6.

Ob

1 *Ob conditionem Status* Canone testari prohibentur. 1. *Religiosi Professi*; nam isti regulariter neque ad causas pias, etiam cum licentia Superioris sui ordinarii testari possunt *can. quia ingredientibus 7. caus. 19. q. 3. & c. quia 2. hoc tit. Ratio est*, quia cùm velle, & nolle non habeant *can. non dicatis* 11. *caus.* 12. *q.* 1. in iis deficit voluntas, & simul bona, de quibus testentur, cùm ob Votum solemne Paupertatis ferè incapaces dominii, ac proprietatis sint, & quidquid acquirunt, acquirant Monasterio. *Auth. ingressi C. de SS. Eccl.* Idem dicendum de *Coadjutoribus formatis* Societatis JESU; non verò de iis, qui post biennium Novitiatus Simplicia Vota in eadem ediderunt, & *Scholastici*, vel *Coadjutores nondum formati* dicuntur; nam etsi & hi verè Religiosi sint, sunt tamen capaces dominii, ut habetur in Bullis Gregorii XIII. incipit *Quantò fructuosiùs*, & *Ascendente Domino*: igitur etiam testari poterunt de bonis suis, saltem de Superiorum suorum licentia. Multo magis testari possunt *Novitii*; quia cùm nondum emiserint Vota Substantialia Religionis, dominium bonorum nec ademptum, nec ligatum ipsis est. Imò ex privilegio Pontificio de bonis, quorum administrationem, & usum habent, aliquando testari possunt etiam Religiosi Professi: & tale de facto habent Ordines Militares S. Joannis Equitum Melitensium, & S. Mariæ Teutonicorum &c.

2 2 *Clerici Beneficiati*, non quidem absolutè (nam de Patrimonialibus, & quasi Patrimonialibus integra ipsis ut disponendi, ita etiam testandi potestas est) sed de Beneficialibus, seu intuitu Ecclesiæ principaliter quæsitis, & congruæ sustentationi superfluis, ut clarè habetur *c. quorundam* 1. *C. adhæc* 8. *& c. quia nos* 9. *h. tit. Procedit* autem hoc, spectato Jure communi; nam ex privilegio Pontificio potestas testandi Clericis dari potest, non solùm ad causas pias, sed etiam ad profanas; cùm enim potestas ista sublata sit Clericis Jure tantùm Ecclesiastico, Pontifex, qui est supra omne Jus Ecclesiasticum, dispensare in Lege potestatem eam tollente poterit.

3 Gravis est difficultas, & celebris controversia, an per consuetudinem, saltem immemorialem, induci possit, ut Beneficiarii de reditibus Ecclesiasticis superfluis, & illis, quæ ex his comparata sunt, liberè, ac licitè testari, vel per aliam ultimam voluntatem possint disponere? *Certum est*, quòd consuetudine induci possit, ut testari valeant ad causas pias; nam id apertè colligitur ex *c. relatum* 12. *hoc tit.* ubi Alexander III. disertè asserit, non improbandam consuetudinem, vi cujus de bonis mobilibus per Ecclesiam quæsitis aliqua pauperibus, & Religiosis locis, & iis, qui viventi serviunt, juxta servitii meritum conferantur. Accedit ratio, quia per hoc nihil fit, quòd adversatur Juri naturali Justitiæ, vel intentioni Fundatorum, & cons. non apparet, quo ex capite reprobetur hujusmodi consuetudo. Punctum controversiæ in eo situm est, an obtineri à Clericis per consuetudinem, saltem immemorialem, possit facultas disponendi de bonis Beneficialibus superfluis ad causas profanas?

4 Negativam acriter defendunt Abb. *in cap. 7. hoc tit. n.* 5. Navar. *de redit. Eccl. q.* 1. *monit.* 53. *& q.* 3. *monit.* 1. *& duob. seqq.* Molin. *tr.* 2. *de J. & J. D.* 147. *n.* 31. Tann. *tom.* 3. *D.* 4. *q.* 6. *dub.* 8. *n.* 249. Vasq. *de redit. c.* 2. §. 1. *n.* 83. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 3. *n.* 7. Henric. Canis. *in cap.* 1. *hoc tit. n.* 18. P. Engl. *hic n.* 3. P. Pirh. *n.* 42. P. Krimer *num.* 2149. P. Reiffenstuel *n.* 335. P. Schmier *p.* 1. *de success. hæred. c.* 1. *num.* 91. *& seqq.* & alii, ex quorum sententia consuetudo ista irrationabilis, ac proinde invalida est. *Fundantur* 1. *arg. c. relatum cit.* ubi Pontifex, ut vidimus, solùm approbat consuetudinem relinquendi ad causas pias: igitur à contrario inferendum videtur, quòd improbari debeat consuetudo, qua Clerici de bonis, intuitu Ecclesiæ quæsitis, testantur ad causas merè profanas. 2. Clericis Testamenti factio ad causas profanas prohibita est à SS. Canonibus, ut congerendis opibus minùs intenti, magis autem proni sint ad causas pias promovendas, & Eleemosynas largiendas, dum vivunt: atqui si consuetudo universaliter permittens facultatem testandi ad causas profanas legitimæ consuetudinis authoritatem habet, finis iste non obtinetur, sed potiùs excitantur studia fini huic contraria: igitur consuetudo ista non legitima, sed irrationabilis dici debet. 3. Beneficiarii majorem facultatem à Jure sibi concessam habent, ut disponere de bonis Ecclesiasticis sibi superfluis possint inter vivos, quàm mortis causa. atqui ex DD. omnium confessione graviter peccant Clerici, si ejusmodi bona in magna quantitate expendant ad usus profanos e. gr. donando consanguineis divitibus. Ergo similiter, imò magis peccabunt mortaliter, si de iis ad easdem causas disponant mortis causa. 4. Episcopi de superfluis redditibus Ecclesiasticis testari nequeunt, nisi ad causas pias, imò nec ad has quidem sine speciali facultate Summi Pontificis. atqui Episcopi ideo non possunt testari ad causas profanas, quia præsumuntur habere amplos, & superfluos reditus. ergo nec Clerici ita testari poterunt, si & ipsi superfluos, & abundantes reditus habeant. habent autem persæpe, præsertim in Germania nostra. ergo &c. 5. Ejusmodi consuetudo non leve damnum infert Ecclesiis, & parum utilitatis affert hæredibus profanis: illis quidem, quia hoc modo Beneficiatorum bonis alio aversis ipsæ negliguntur; his autem, quia ut experientia constat, Clericorum bona apud hæredes profanos vix unquam fructificant, imò mala magna, & clades familiis afferunt, manifesto indicio maledictionis Divinæ. 6. Multi dubitant, alii etiam negant, uspiam introductam esse consuetudinem de reditibus superfluis testandi ad causas profanas; quia dicunt, in iis locis, ubi ex consuetudine Clerici de bonis suis indistinctè ad causas profanas testantur, hoc permitti, quòd Beneficia ibi censeantur non dare superfluos reditus.

Hæc sententia quamvis admodum probabilis sit, & in praxi suadenda, probabilior tamen tum authoritate, tum ratione videtur affirmativa, cum qua dicendum, posse per consuetudinem, saltem immemorialem, induci facultatem disponendi de reditibus Ecclesiasticis etiam ad causas profanas. Ita Covar. *in cap. 7. hoc tit. num.* 23. Azor. *p.* 2. *l.* 7. *cap.* 9. *q.* 1. Garc. *p.* 2. *de Benef. c.* 1. *num.* 16. *& seqq.* Barbos. *Jur. Eccl. l.* 3. *cap.* 17. *num.* 68. Gonz. *in c.* 12. *hoc tit. num.* 2. Haun. *tom.* 2. *tr.* 6. *num.* 257. Gletle *de Testam. p.* 1. *cap.* 4. §. 7. *n.* 13. *& seqq.* Schambog. *de Testam. p.* 1. *q.* 40. *per totam.* Magnif. D. Verlohner *de Tastam. art.* 2. *q.* 1. *n.* 15. Magnif. D. Christoph. de Chlingensperg *tit. quib. non est permiss. test. facer. q.* 19. Wiest. *hic n.* 20. & apud hos plurimi alii *citt. Ratio est* 1. quia quòd Clerici Beneficiarii de ejusmodi bonis testari nequeant, Jure humano tantùm est introductum. atqui Jus humanum, etiam Ecclesiasticum, consuetudine legitimè præscripta abrogari potest *c. fin. de consuet.* idque vel in totum, vel in partem. ergo &c. 2. Facultas de bonis istis testandi à Clericis obtineri potest per privilegium Pont. & tale ex concessione Julii III. & Pauli V. habent Clerici Romani, & Urbi Romanæ vicini. atqui consuetudo, saltem immemorialis, in Jure æquiparatur privilegio *c. super* 26. *de V. S.* ergo &c. 3. Consuetudine induci potest, ut fructus Beneficii vacantis ad aliquod tempus cedant hæredibus defuncti, vel aliis personis, etiam sæcularibus; nam hæc non reprobatur *Extrav. 2. Joann. XXII. de Elect.* 4. Pontifices, & alii Superiores Ecclesiastici sciunt, hanc consuetudinem testandi etiam ad causas profanas passim vigere, nec contradicunt, vel illam damnant, utique contradicturi, si irrationabilis esset. 85

Neque sententiam istam subruunt Argumenta *n.* 84. allata. *Ad* 1. textus *c. relatum cit.* tantùm constituit Jus humanum, cui derogari potest per consuetudinem, nisi ista improbetur ut irrationabilis; non autem improbata est ullo Jure consuetudo testandi etiam ad causas profanas. ergo &c. *Ad* 2. quòd ob ejusmodi facultatem testandi ad causas profanas aliquando Clerici studeant bona congerere, & minùs liberales fiant in pauperes, & causas pias, per accidens solùm est, neque facit, ut propterea ipsa consuetudo reprobari debeat; nam etiam ex eo, quòd iisdem per Jus commune sublata sit potestas testandi liberè, quandoque illi accipiunt ansam ea prodigendi, vel negligendi, neque tamen propterea Jus potestatem hanc tollens irrationabile dici debet, aut potest. *Ad* 3. etiam adversùs Legem, qua inter vivos ad causas profanas disponere prohibentur Clerici, prævalere consuetudo, saltem immemorialis, potest, cùm & ipsa sit Lex merè humana, quamvis de facto meliùs negetur, ejusmodi consuetudinem alicubi vigere, & legitimè introductam esse. *Ad* 4. quòd aliqui etiam ex nostræ sententiæ Patronis defendant, Episcopos ad causas profanas de superfluis reditibus suis testari non posse, causa non est, quòd putent pro ipsis ejusmodi consuetudinem induci non posse, sed quòd existiment, talem consuetudinem de facto nondum esse inductam. *Ad* 5. damnum, quòd ex consuetudine hac patiuntur Ecclesiæ, non est injustum, cùm superflua ipsis ex Justitia non debeantur, & si aliquando fuissent debita, consuetudine, præsertim immemoriali, sic debita esse desiissent. Quòd verò talia bona apud Laicos non fructificent, causa non est, quasi injusto titulo illa acquisiverint, sed quia cùm sine labore illa acquisierint, leviter illa prodigant. *Ad* 6. difficile est ne- 86

gare aut consuetudinem hujusmodi alicubi vigere, aut omnia Beneficia in tali Diœcesi, ubi consuetudo hæc viget, adeo esse tenuia, ut non plura ex illis reditus superfluos afferant.

87 An verò cæteri, qui Jure testatoris prohibiti sunt, saltem testari possint ad pias causas, in dubium vocari potest: in quo, ut certa ab incertis dividantur, pro certo habendum est etiam ad pias causas testari non posse. 1. Infantes, mente captos, & furiosos, saltem extra tempus dilucidi intervalli; quia ob defectum usus rationis carent judicio, & voluntate. 2. Hæreticos, & Majestatis crimine condemnatos; quia talium bona addicuntur fisco. 3. Religiosos, ut dictum est *n.* 81.

Dubium procedit in reliquis: in cujus resolutione non conveniunt DD. Affirmant cum quibusdam Riccius *prax. aur. p.* 4. *ref.* 89. & duplex sententia ista fundamentum habet. 1. *ex l. habet* 1. *C. de SS. Eccl.* ubi Constantinus Augustus potestatem relinquendi sua locis Sacris, & causis piis concedit unicuique generaliter, & nullo inter personas facto discrimine. 2. Quia SS. Canones in Testamento ad pias causas plus non exigunt, quàm quod requiritur Jure naturali, & gentium, ut dictum est *numer.* 44. atqui Jure naturali, & gentium isti non prohibentur testari ad causas pias. ergo &c.

88 Hæc opinio pia quidem, & ubi consuetudo locorum non adversatur, in praxi tenenda est; si tamen Juris rigorem velimus attendere, verior est negativa, quam etiam defendunt Clar. §. *testamentum* 3. 5. *n.* 2. Tholosan. *l.* 32. *Synt. c.* 8. *num.* 3. Vasq. *l.* 3. *de success.* §. 12. *num.* 2. Barry *l.* 1. *de success. testat. & intest. tit.* 4. *num.* 12. Vviest. *hic num.* 21. & apud hos plures. *Ratio est*, quia potestas condendi Testamentum introducta est Jure Civili, ut dictum est *n.* 4. igitur quibus illa hoc Jure adempta est, iis neque ad causas pias competere potest, nisi concessa, vel restituta sit à SS. Canonibus: nuspiam autem in his concessa, vel restituta prædictis legitur, ut testari possint ad causas pias: ergo &c. *Conf.* ex *cap. licèt* 4. *vers. quamvis de sepult. in* 6. ubi Filiof. specialiter indulgetur, ut cum consensu patris per ultimam voluntatem de bonis adventitiis relinquere ad causas pias posset, igitur ante hoc indultum neque ad causas pias etiam de consensu patris testari poterat: hoc autem non ob aliam causam, nisi quia Lege prohibetur. ergo sine speciali indulto Canonum nec cæteri Lege intestabiles testari possunt ad causas pias.

89 Neque contrarium evincunt Argumenta opposita. *Ad* 1. generalis illa particula *Unicuique* in *l. habeat cit.* ut *ibid.* Interpretes explicant, intelligi debet de personis habilibus: ratio explicationis istius est, quia *l. cit.* Imperator solùm abrogavit Leges Imperatorum antiquiorum, quibus vetabatur per ultimam voluntatem aliquid relinqui Collegiis Orthodoxis, tanquam illicitis; quoad habilitatem autem personarum, quæ prohibentur testari, nihil mutavit. *Ad* 2. in Testamentis, & ultimis Voluntatibus ad causas pias sufficit observari ea, quæ Jure gentium requiruntur quoad solemnitates, & modum testandi; at quoad personarum habilitatem spectandum est Jus Civile, quòd cùm personis hujusmodi testandi potestatem ademerit generaliter, censebitur adempta illis etiam quoad causas pias.

90 Quæritur 2. quinam Hæredes esse, & institui possint? Resp. Hæredes esse possunt omnes omnino homines, nisi specialiter prohibeantur, quicunque illi sint, sive Laici, sive Clerici, & ipsi etiam Religiosi. Si tamen Religiosus instituatur hæres, ipsi relicta acquiruntur Monasterio, cùm ipse proprietatis sit incapax. *Excipiuntur* Scholastici Societatis JESU, & Coadjutores nondum formati, qui hæredes in particulari ita institui possunt, ut sibi acquirant, nisi jam bonis suis renuntiaverint.

Neque institui tantùm possunt personæ in particulari, sed etiam Communitates, & Collegia, Ecclesiæ, Hospitalia, Monasteria, Congregationes, & Conventus utriusque sexus Regularium: imò ipse DEUS, & SS. Cœlites, ut patet ex *l. Lex Falcidia* 1. §. *ad municipium* 5. *ff. ad Leg. Falcid. l. quoniam* 26. *C. de Sc. Eccl. & Novell.* 131. *cap.* 9. Si DEUS, & BB. Cœlites sint instituti, vel Legati nomine ipsis aliquid relictum, illud impendi debet in horum Cultum, Altarium, & Templorum ornatum, alimenta pauperum &c. ut rectè aliis *citt.* advertit P. Vviest. *hic num.* 116.

Dixi autem, quòd omnes homines, Communitates &c. hæredes esse possint, nisi specialiter prohibeantur. Horum autem duplex est genus; alii enim prohibentur ipso Jure, & vocantur *Incapaces*; alii quidem ipso Jure possunt existere hæredes, sed sine effectu, cùm eis auferatur hæreditas, & hi appellantur *Indigni*. Ex iis, qui Incapaces dicuntur, alii tales facti sunt Lege, alii Canone, alii Jure speciali.

Dub. 1. quinam ab hæreditate capienda repellantur ut *Indigni*? Resp. hos duplicis esse generis; nam aliqui sunt absolutè tales, alii secundùm quid. *Absolutè indigni* sunt, quibus hæreditas aufertur, & acquiritur fisco. *Secundùm quid indigni* sunt, quibus aufertur hæreditas, & acquiritur proximè venientibus ab Intestato. 91

Sub priori Indignorum Classe sunt. 1. Qui testatore per vim occiso, ante quæstionem, ob homicidium de familia habitam, tabulas Testamenti aperuit, recitavit, descripsit, atque hæreditatem adiit *l. cùm aliter* 1. & *tot. tit. ff. de S. C. Silan. l. si ea quæstio* 3. *C. de his, quib. ut indign. hæred. aufer.* 2. Qui mortem testatoris, vel injuria, vel veneno necati, non vindicavit *l. necessarios* 5. §. *fin. l. si sequens* 15. §. *cùm ex parte* 1. & §. *seq. ff. de S. C. Silan. l. hæredem* 17. *ff. de his, quæ ut indign. l. hæredes* 1. *l. cùm fratrem* 9. & *l. cùm Silanianum* 11. *C. de his, quib. ut indign.* 3. Qui testatorem occidit *l. fin.* §. *præterea* 4. *ff. de bon. damnat.* imò & is, qui occiso non succurrit, cùm facilè potuisset *l. indignum* 3. *ff. de his, quæ ut indign.* Excipitur, nisi occisus ante mortem injuriam remiserit expressè, vel tacitè, reum post factam injuriam instituendo, vel Testamentum, cùm posset, non immutando. 4. Qui patronum post ejus mortem, quasi illicitæ mercis negotiatorem, detulit *l. Divi* 1. *ff. eod.* Neque obest, quòd hoc agendo præmium à Rep. mereatur; quia, cùm ingratitudinis quædam sit species Patroni delatio à Liberto facta, aliud à Rep. expectare præmium debet, quàm hæreditatem, vel partem Legati, quam sibi fiscus hoc casu non ut pœnam, sed ut debitam sibi vendicat. Brunnem. *ibid. n.* 6. 5. Qui Testamentum usque ad ultimam sententiam impugnavit tanquam falsum per calumniam *l. alia* 8. *C. de his, quib. ut indign.* Idem dicendum de eo, qui Testamentum inofficiosum dixit, atque succubuit *l. Papinianus* 8. §. *meminisse* 14. *ff. de inofficios. testam.* 6. Qui contra Legum præcepta, & Constitutiones Principum sciens uxorem duxit; quæ enim per supremam voluntatem hujus uxoris ei relicta sunt, à fisco vendicantur *l. aufertur* 2. §. *idem si* 1. *ff. de his, quæ ut indign. l. siquis* 6. & *Auth. ex complexu C. de incest. & inut. nupt.* 7. Qui vivi, & ignorantis Testatoris bona tanquam sua alicui donavit, adeoque spem futuræ successionis præmatura dispositione antevertit; nam mortuo testatore, hæreditas applicatur fisco *l. aufertur cit.* §. *fin.* 8. Qui fidem in fraudem Legis accommodavit, ac secretò promisit, quòd velit relicta in Testamento restituere personis, quæ capere aliquid prohibentur *l. in fraudem* 10. *pr. ff. de his, quæ ut indign.* 9. Qui postquam Testamento institutus est hæres, postea in Codicillis à testatore pronuntiatur indignus *l. hæreditas* 4. *C. quæ his, quib. ut indign.* 10. Qui in priori Testamento institutus, in posteriore ab eodem Testatore præteritus, & ipsi à testatore sciente hæres incapax prælatus est *l. cùm quidam* 12. *ff. de his, qui ut indign.* 11. Qui semel institutus, Testatorem volentem mutare Testamentum quo minùs mutaret, actu prohibuit juxta dicta *n.* 20.

In secunda Indignorum Classe numerantur. 1. Qui capitales inimicitias cum Testatore exercuit; nam si apparet noluisse Testatorem relicta præstari, Exceptione doli mali repelli potest *l. si inimicitiæ* 9. *princ. ff. de his, quæ ut indign. l. apud Celsum* 4. §. *præterea* 10. *ff. de dol. mal. & met. except.* 2. Qui testatori palam, & apertè maledixit, ac infaustas voces adversùs eum jactavit *l. si inimicitiæ cit.* §. *sed etsi* 1. 3. Qui Testamentum in odium hæredis celavit, aut suppressit; talis quippe amittit Legatum *l. si Legatarius* 25. *C. de Legat.* 4. Qui à tutela gerenda, etsi capax esset, se excusavit; nam si ejus gerendæ intuitu Legatum ipsi relictum est, illud amittit, & ipsum Legatum hæredi accedit *l. post legatum* 5. §. *amittere* 2. *ff. quib. ut indign.* 5. Qui successione agnita, non præstitit Legata, fideicommissa, & Libertates intra spatium unius anni. *Nov.* 1. *c.* 1. §. 1. 92

Dub. 2. quinam Lege facti sint incapaces Institutionis Testamentariæ? Resp. etiam isti sunt duplicis generis; nam aliqui sunt simpliciter incapaces, alii secundùm quid. 93

Simpliciter incapaces de Jure Civili sunt. 1. Peregrini, qui Jus Civitatis Romanæ ex causa pœnæ amiserunt, quales sunt Deportati *l. qui deportantur* 1. *C. de hæred.*

ed. instituend. quibus æquiparantur damnati in perpetuum ad triremes, & Banno Imperiali percussi. 2. Damnati ad metallum, vel aliud opus publicum l. si in metallum 3. ff. de his, quæ pro non script. habent. 3. Hæretici non tolerati eorumque fautores, & Apostatæ l. fin. C. de hæretic. & l. his, qui sanctam 3. C. de Apostat. 4. Liberi perduellium, seu reorum criminis læsæ Majestatis l. quisquis 5. §. filii 1. C. ad Leg. Jul. Majest. 5. Nubens intra annum luctus l. siqua mulier. 1. de secund. nupt. Sed Legis istius rigor Jure Canonico temperatus est c. super illa 4. & c. fin. eod. 6. Collegia illicita, quæ sc. speciali Lege, aut S. C.to approbata non sunt l. Collegium 8. C. de hæredib. instituend. & ratio est, quia favorem non merentur, cùm sint fomenta conspirationum, & fabricæ machinationum adversùs Rempublicam. 7. Denique omnes ob delictum prohibiti testari; tales enim, sicut condere Testamentum nequeunt, ita neque ex ipso capere possunt. Clar. §. testamentum q. 34. n. 2.

9 *Secundùm quid incapaces* de Jure Civili sunt. 1. Imperator, qui institui nequit in causa litis §. fin. Inst. quib. mod. testam. infirm. quia, ut l. Imperatorem 91. ff. de hæred. instituend. ait Paulus, *Imperatorem litis causa hæredem institui invidiosum est; nec calumniæ facultatem ex Principali Majestate capi oportet*. 2. Servus, suspectus de adulterio commisso cum domina; nam ab hac non potest institui, priusquam cognitio de adulterio, cujus illa insimulata est, terminetur pr. Inst. de hæred. instit. 3. Filii naturales; nam hi, licèt non extante legitima prole, hæredes à patre scribi ex asse possint, Novell. 89. c. 12. ea tamen extante, scribi duntaxat possunt in unica uncia l. matre 2. C. de natural. liber. 4. Nepotes naturales ex filio legitimo, vel legitimi ex filio naturali; nam de his idem jus est, quod de filiis naturalibus l. fin. C. eod. 5. Filii spurii, & ex coitu per Leges damnato geniti; nam his licèt alimenta necessaria Canonica æquitate parentes jubeantur relinquere c. cùm haberes 5. de eo, qui duxit in matr. quam poll. per adult. ab ipsis tamen (ab aliis enim non prohibentur instituti) hæredes scribi, vel eisdem ab intestato succedere nequeunt. Auth. licèt C. de natur. liber. & Novell. 74. c. 6.

Dub. 3. quinam Hæredes institui prohibeantur Canone, vel alio Jure speciali? Resp. eorum, qui Canone prohibentur institui, duo sunt genera. 1. Hæretici, eorundem credentes, receptatores, fautores, ac defensores c. excommunicamus 13. §. credentes de Hæret. 2. percussores, & hostiles persecutores Cardinalium c. fin. de pœn. in 6.

Illi autem, qui speciali Jure Institutionis sunt incapaces, maximè Religiosi sunt, non tamen omnes; nam illi, qui capaces sunt possidendi bona immobilia, etiam scribi hæredes possunt tam in communi, quàm in particulari secundùm suas personas, ita tamen, ut, quemadmodum num. 90. monui, sibi relicta acquirant non sibi, sed Monasterio. Tales autem ex Decreto Trid. sess. 25. cap. 3. de Regular. sunt omnes Ordines Religiosi tam virorum, quàm mulierum, etiam Mendicantes.

6 *Excipiuntur* ob speciales Ordinis sui Constitutiones, & Regulas 1. FF. Minores de Observantia, & PP. Capucini; nam isti, ut patet ex c. exiit 3. v. ad hæc cùm Fratres de V. S. in 6. & Clem. 1. §. item quod v. cùm enim eod. neque in communi, neque in particulari institui hæredes possunt, sed si quid ipsi relinquatur Institutionis nomine, aut Conventibus, vel Ecclesiis ipsorum, Institutio, tanquam in persona incapaci facta, nulla est, & hæreditas cohæredi adjuncto, vel substituto, aut si substitutus, vel cohæres datus non fit, ab intestato succedenti obveniet, ut cum aliis notat Sylv. V. testamentum 1. q. 6.

97 2 Professi, & Coadjutores formati Societatis JESU in particulari, prout habetur p. 6. Const. c. 2. §. 12. Aliud dicendum de iis, qui nondum ediderunt sua ultima Vota, sicut & de ipsa Societate, ejusque Collegiis, & Domibus Probationis; nam istæ capaces sunt possidendi bona immobilia. igitur scribi etiam hæredes possunt. Imò pro valido habendum erit Testamentum, quo instituitur hæres Professus, vel Coadjutor formatus, si instituatur intuitu Societatis, vel certi alicujus Collegii, aut Domus; quia præcipuè attendendum est, cujus respectu, & cujus contemplatione aliquid fiat. Manz. de testam. tit. 6. n. 183. Haun. tom. 2. tr. 6. n. 286. Vviest. hic n. 123.

98 3 Domus Professæ Societatis ejusdem, non tamen absolutè; nam scribi hæredes & ipsæ possunt: si tamen immobilia ipsis in Testamento relinquantur (idem est, si donentur) nequeunt illa retinere, sed oblata opportuna occasione, debent ea vendere, & inde redactam pecuniam in necessarios usus convertere; quia præter Ecclesiam, domum, hortum suburbanum cum domo sua ad extraordinariam Religiosorum relaxationem, bona immobilia, vel reditus stabiles possidere non possunt. Const. cap. 2. cit. §. 5. & Const. Julii III. incip. Exposcit edita 12. Cal. Aug. 1550.

Dub. 4. an cohæres, vel hæres substitutus, aut ab intestato succedens hæreditatem, vel ejus portionem, FF. Minoribus Institutionis nomine relictam, tuta conscientia retinere possit, vel contrà æstimationem Fratribus dare teneatur? Secundum affirmat cum quibusdam aliis Sylv. V. Testamentum 1. q. 6. si hujusmodi hæres, vel cohæres sciat, quòd testator dispositionem suam jure Codicilli, & meliori, quo potest, modo valere voluerit. Deducunt hoc argum. l. cùm servus 39. §. fin. & l. sed si res 40. ff. de Legat. 1. quo utroque textu, si is, cui res relicta est, illius in specie recipiendæ ob personæ suæ conditionem capax non est, æstimatio ejusdem ipsi debetur, si hujus saltem sit capax. 99

Sed meliùs negatur, quòd eo casu hæres etiam in foro conscientiæ teneatur ad æstimationis præstationem. Ita Bald. in Auth. ingressi C. de SS. Eccl. numer. 4. Felin. in cap. 8. de probat. numer. 52. Rodriq. tom. 2. Regul. q. 78. art. 2. Gletle de testam. p. 2. c. 1. §. 2. num. 11. Vviest. hic num. 122. & novissimè Clariss. P. Schmier. p. 1. de success. hæred. cap. 1. n. 190. Colligitur ex Clem. 1. vers. cùm enim de V. S. ubi FF. Minores dicuntur successionis nullatenus capaces esse; jam autem essent aliquo modo capaces successionis, si ipsis deberetur æstimatio pro rebus relictis. ergo &c. Conf. quia clausulæ *Ut testamentum valeat jure Codicilli, & meliori modo, quo potest*, effectus est conversio Institutionis in Fideicommissum universale; hujus autem incapaces sunt Conventus, & Ecclesiæ Minorum non minùs, quàm Institutionis directæ per vers. cùm enim cit. ergo &c.

Neque obstant textus allati; distinguendum enim est inter eos, qui successionis hæreditariæ simpliciter capaces sunt, & inter eos, qui ejusdem omnino sunt incapaces: prioribus, si rei relictæ recipiendæ ob conditionem personæ capaces non sunt, debetur æstimatio illius, non verò posterioribus, quippe cùm receptio æstimationis sit quædam species successionis.

Dub. 5. quo tempore hæres debeat esse capax? Resp. hic distinguendum est inter hæredem extraneum, & suum. Nam si *Extraneus* instituitur hæres, tria in eo tempora debent inspici, quibus capax esse debet, nim. tempus facti Testamenti, quia Institutio incapacis non valet; tempus mortis testatoris, quia per hanc Institutio confirmatur; & tempus aditæ hæreditatis, quia tunc res hæreditariæ hæredi acquiruntur cum effectu §. in extraneis 4. Inst. de hæred. qual. & differ. l. si alienum 49. §. in extraneis 1. ff. de Hæred. instituend. At in *Hærede suo*, & *necessario* tempus aditionis non consideratur, sed sufficit duobus temporibus, nempe testamenti conditi, & mortis testatoris capacem esse: quia in suis hæredibus non est necessaria aditio, cùm ipsa suitas absque ulteriori facto iisdem pro aditione sit l. in suis 14. ff. de suis, & legit. Harpprecht ad §. in extraneis 4. cit. num. 2. Manz. de testam. tit. 6. q. 9. à num. 1. Magnif. D. Verlohner de testam. art. 6. q. 2. num. 9. Clariss. P. Schmier de success. hæred. p. 1. c. 1. n. 194. & seqq. 100

Quodsi medio tempore, quod intercessit inter institutionem, & mortem Testatoris, vel inter mortem hujus, & aditionem hæreditatis incapacitas superveniat, hæredi illa non nocet; quia tria tantùm tempora, ut dictum est, inspici debent, ut ait Florentinus l. si alienum cit. vers. medio autem. Et hinc si Civis Romanus sit hæres scriptus, postea vivo Testatore peregrinus factus, mox iterum ad civitatem pervenit, incapacitas tempore, quo peregrinus fuit, non attenditur, ut rectè infert Ulpianus l. sed si 6. §. solemus 2. ff. eod. Conf. nam neque si ipse Testator medio tempore inter Testamentum à se conditum, & mortem suam factus est incapax, propterea Testamentum vitiatur, vel irritatur §. non tamen 6. Inst. quib. mod Testam. infirm. 101

Quæritur 3. quinam præteriti in Testamento nequeant, ita, ut vel institui, vel nominatim exhæredari illos necesse sit? Resp. Tales sunt 1. Filii, & Filiæ legitimæ, horumque, si præmortui sint, nepotes, & neptes §. sui autem 2. Inst. de hæred. qual. & differ. etiam posthumi, etiam adoptati ab ascendentibus princ. & §. nominatim 1. Inst. de exhæred. liber. Imò hodierno Jure etiam emancipati §. emancipatos 3. Inst. eod. 2. re- 102

spectu

ſpectu matris etiam filii illegitimi; nam hi, licèt, ſi inſtituti ſint, hodierno Jure ab hæreditate abſtinere poſſint, à matre tamen inſtitui hæredes debent; aliàs ipſis præteritis, invalidum fiet Teſtamentum. P. Vvieſt. *hic n.* 103. 3. Libetis non exiſtentibus, à filiis inſtitui parentes, aut his deficientibus, aſcendentes alii gradu propinquiores debent *l. nam etſi* 15. *princ. ff. de inoffic. Teſtam. & Novell.* 115. *c.* 4. *in princ.*

103 Frater fratrem non tenetur inſtituere, ſed impune illum præterire poteſt: & idem multo magis eſt de cæteris conſanguineis collateralibus. Quodſi tamen frater, fratre germano, vel conſanguineo ſine cauſa exhæredato, hæredem inſtituat perſonam turpem, ut ſunt meretrices, concubinarii, lenones, arenarii, mimi, luſores publici, filii Presbyterorum, adulterini, inceſtuoſi, & quocunque coitu legibus damnato procreati, Teſtamentum iſtiuſmodi, etſi Jure ipſo nullum non ſit, obnoxium tamen impugnationi eſt, & propoſita à fratre, vel ſorore querela inofficioſi, rumpi poteſt *l. fratres* 27. *C. de inoffic. Teſtam.*

104 Dub. 1. an Hæredes neceſſarii in tota ſubſtantia neceſſariò inſtitui debeant? Reſp. negativè; quia nimis durum Teſtatoribus foret, in eventum mortis non habere liberam poteſtatem diſponendi de rebus ſuis, & de aliis bene merendi. Satisfacient ergo Teſtatores, ſi hæredibus neceſſariis, quos à ſucceſſione excludendi juſtam cauſam non habent, relinquant Legitimam, ſeu illam bonorum portionem, quæ iisdem Jure debetur; nam de cætera ſubſtantia pro voluntatis ſuæ arbitrio poſſunt diſponere.

105 Porrò Legitima hæc antiquo Jure erat Quadrans, ſeu parta pars ſubſtantiæ defuncti, ut §. *ſed hæc* 3. & §. *fin. inſtit. de inoffic. teſtam.* dicitur; novo autem Jure, & quo hodie utimur, portio iſta aucta eſt, ut debeatur iiſdem Triens, & aliquando ſemis, ut de Liberis patet ex *Auth. noviſſima C. de inoffic. Teſtam.* & *Novell.* 18. *c.* 1. de Parentibus, & aliis aſcendentibus, uti etiam de Fratribus, & Sororibus, quando iiſdem præteritis, perſona turpis eſt inſtituta, colligitur ex *c. cit. in fin.* ubi Legitima aucta dicitur perſonis omnibus, quibus ab initio, h. e. Jure antiquo, competebat querela inofficioſi. atqui iſtam habebant parentes præteriti à filiis §. *neceſſarius* 1. *Inſt.* & *l. nam etſi* 15. *ff. de inoffic. teſtam.* & Fratres, ſi ipſis neglectis inſtituta fuit perſona turpis §. *non autem* 1. *Inſt. de inoff. teſtam.* & *l. fratres* 27. *C. eod.* ergo &c.

106 Dixi *Triens, & aliquando Semis*; nam portio Liberis debita (quod etiam ex communiore dicendum de Fratribus) augetur pro eorumdem numero, & Triens quidem iiſdem debetur, ſi quatuor ſint, vel pauciores; ſemis autem, ſi quinque, vel plures. *Auth. & Novell. citt. Excipiuntur* Filii adoptivi; nam horum portio Legitima nullo Jure eſt aucta, & conſ. iiſdem non debetur plus, quàm Quadrans, ut Jus antiquum diſpoſuit. Manz. *de teſtam. tit.* 12. *q.* 3. *num.* 15. *Ratio eſt*, quia illorum Legitima tantùm aucta eſt, quibus de Jure antiquo Querela inofficioſi competit *juxta citat. c.* 1. *Novell.* atqui arrogatis non querela, ſed conditio ex Lege Divi Pii competit. ergo &c.

Dub. 2. an ſemper filiis debeatur Legitima? Reſp. negativè; nam aliquando exhæredari poſſunt: quod tamen ut rite fiat, ex præſcripto *Novell.* 115. *c.* 3. tria requiruntur.

107 1 Ut fiat ex juſta cauſa. Sunt autem cauſæ 14. ibi relatæ. 1. ſi quis parentibus ſuis manus intulerit. 2. ſi eiſdem maledixerit, vel alia gravi injuria affecerit. 3. ſi pro patre carceri incluſo detrectaverit fidejubere. 4. ſi parentem furioſum neglexerit, & hic poſtea ſanus factus teſtetur. 5. ſi vitæ illius inſidias ſtruxerit. 6. ſi accuſet in cauſa criminali, extra caſum, quo contra Principem, vel Rempublicam parens deliquit. 7. ſi damnum grave dederit. 8. ſi captivum non redemerit. 9. ſi teſtamentum condere prohibuerit. 10. ſi ut maleficus cum maleficis verſetur. 11. ſi ſit Hiſtrio, & cum Hiſtrionibus maneat. 12. ſi Novercæ ſe miſcuerit. 13. ſi à vera Religione deſciſcat, & fiat Hæreticus. 14. ſi filia ante annum 25. libidinosè vixerit, & ut ita vivat, honeſtum matrimonium reſpuat. Præter has cauſas nulla alia, quamvis æquè gravis, vel gravior, ſi in prædictis non contineatur, ad exhærendum filium, vel filiam ſufficit, ut expreſsè Imperator *c.* 3. *cit. princ.*

108 2 Ut illa cauſa diſertè, & in ſpecie in Teſtamento exprimatur; ſecus, nullum præjudicium inde generabitur Liberis, ut iterum habetur *c.* 3. *cit. in fin.* imò, ut cum Com. & Covarr. teſte Konig. *hic n.* 36. innumeri alii docent, Teſtamentum ejuſmodi erit ipſo Jure invalidum.

3 Ut cauſa hæc exhæredationis ab hærede in Teſtamento inſtituto probetur *c.* 3. *cit. in princ.* Probationis tamen defectus non vitiat Teſtamentum: & hinc etſi in illa hæres defecerit, propterea tamen exhæredatus Teſtamentum impugnare, aut hæreditatem ſibi vindicare nequit. Konig. *l. cit. in fin.*

Iiſdem requiſitis opus eſt, ut rite exhæredentur, vel præteréantur parentes à Liberis caſu, quo his aliàs ſuccedunt, vel fratres à fratribus, caſu inſtitutæ perſonæ turpis. Pauciores tamen in his ſunt exhæredandi cauſæ. Nam cauſæ exhæredandi parentes *Novell.* 115. *cit. cap.* 4. referuntur octo. 1. ſi pater filium accuſaverit criminaliter. 2. ſi nurui ſe miſcuerit. 3. ſi vitæ filii ſit inſidiatus. 4. ſi teſtari eum prohibuerit de periculo caſtrenſi, vel quaſi caſtrenſi. 5. ſi pater matrem, & mater patrem interfecerit. 6. ſi captivum neglexerit reducere. 7. ſi furioſo alimenta denegaverit. 8. ſi veram Religionem contempſerit, & Hæreticis adjunxerit. 109

At verò cauſæ, ob quas fratres ab hæreditate fratris etiam caſu inſtitutæ perſonæ turpis arceantur, *Novel.* 22. *c.* 47. tres duntaxat enumerantur. 1. ſi frater fratri mortem machinetur. 2. ſi eum capitaliter accuſet. 3. ſi facultatibus ejus magnum damnum inferat.

Dub. 3. quo Jure liberis, parentibus, & fratribus debeatur Legitima, & quo Titulo, ac quomodo hæc illis ſit relinquenda. 110

Ad 1. diſtinctio fieri debet inter perſonas, quibus ea debetur; nam fratribus in caſu inſtitutæ perſonæ turpis debetur Jure ſolùm Civili, ut communis DD. habet teſte P. Vvieſt. *hic n.* 110. qui rationem dat, quòd etſi Jus naturale prohibeat inſtitui perſonam turpem, non tamen præcipiat, fratrem præ quovis alio, etiam pia cauſa, in hæreditatis partem vocari. At Liberis, & Parentibus quoad ſubſtantiam ſaltem debetur Jure naturæ; Liberis quidem à parentibus in alimenta, parentibus autem à Liberis, ſi ſine filiis iſti decedant, titulo pietatis, & gratitudinis. De Parentibus patet ex *cap. ſi pater* 1. *v. fin. h. tit. in* 6. ubi Bonifacius VIII. diſertè ait, matrem à filio Teſtamento privari non poſſe portione Jure naturæ debita: de filiis autem ex *l. ſcimus* 36. §. *illud præterea* 2. ibi, *Ne filius fraudetur debito naturali C. de offic. teſtam.* de utriſque ex *Novell.* 1. *pr.* §. *primum* 2. ubi Imperator dicit filiis, nepotibus, patribus, & matribus Legitimam deberi ſecundùm naturam. Addidi *Quoad ſubſtantiam*; nam determinatio quantitatis, quòd debeat eſſe Triens, vel Semiſſis, eſt à Jure Civili: unde etiam *Legitima* appellatur, videlicet à Legibus, quibus determinatio iſta facta eſt.

Ad 2. antiquo Jure hæredibus neceſſariis relinqui Legitima poterat quoquo modo, ſive Jure hæreditario, ſive Jure Legati, Fideicommiſſi, Donationis mortis cauſa &c. §. *igitur* 6. *Inſt. l. Papinianus* 8. §. *ſiquis mortis* 6. *ff. & l. omni modo* 30. *princ. verſ. & hac C. de inoffic. teſtam.* Verùm hoc Jus quoad Liberos, & Parentes correctum eſt per *Novell.* 115. *cap.* 3. *pr.* ut adeo hoc Jure iſtis Legitima relinquenda ſit titulo Inſtitutionis. 111

Ad 3. Legitima Liberis, Parentibus, ac Fratribus in caſu turpis perſonæ inſtitutæ relinqui liberè, & ſine onere debet, ita, ut illa à teſtatore neque Fideicommiſſo, neque conditionibus, aut dilationibus, vel alia ratione gravari poſſit, prout patet ex *l. quoniam* 32. *& l. ſcimus* 36. §. *cùm autem* 1. *C. de inoffic. teſt.* & meritò quidem; cùm enim Legitimæ portio Legis diſpoſitione potiùs, quàm judicio Teſtatoris definita ſit, conveniens non fuit, eam iſtius arbitrio gravaminis adjectione deteriorem reddi. 112

§. V.

De Subſtitutionibus, & Legatis.

SUMMARIUM.

125 *Re-*

125 *Reciproca.*
126 *Definitio Subſtitutionis Indirectæ, ſeu Fideicommiſſariæ.*
127 *Differentia à Subſtitutionibus Directis.*
128 *Diviſio Fideicommiſſi in univerſale, & Particulare.*
129 *Expreſſum, & Tacitum: Purum, & conditionatum.*
130 *Commune, & Familiare.*
131 *Quis Fideicommiſſum poſſit relinquere?*
132 *Quomodo?*
133 134 *Cui?*
135 *Quis eodem onerari?*
136 *Privilegia Filiifam. Fideicommiſſo onerati.*
137 138 *Quando. Subſtitutus excludatur per ingreſſum Religionis, & ſuſceptionem Clericatus.*
139 *Fiduciarius Hæres in Fideicommiſſo poteſt deducere Trebellianicam.*
140 *Requiſita ad hoc.*
141 *Eam deducere poteſt Hæres ſuus ſimul cum Legitima.*
142 *Probabiliùs etiam de Jure Civili.*
143 *Etiam quando Legitima eſt Semis.*
144 *Caſus, in quibus deductio Trebellianicæ ceſſat.*
145 *Onera hæreditatis cui incumbant?*
146 *Legati definitio.*
147 *Differentia à Fideicommiſſo, Inſtitutione directa, &c.*
148 149 *Quis facere Legata poſſit, & cui?*
150 *Quæ res legari poſſint?*
151 152 *An etiam aliena?*
153 154 *Quomodo Legatum relinqui poſſit.*
155 156 157 *Cui debeatur, ſi relictum ſit perſonæ, vel loco incerto?*
158 159 *Quando peti Legata poſſint, & ſolvi debeant?*
160 *Gravatus Legatis ex his deducere poteſt Falcidiam.*
161 *Hujus definitio, & quis deducere illam poſſit?*
162 163 *Ex quibus deducenda?*
164 165 *Secundùm quod tempus bonorum quantitas ſpectetur ad hunc effectum?*
166 167 168 *Quibus caſibus deductio Falcidiæ ceſſet?*

1 PRæter Hæredis Inſtitutionem, quæ ut *princ.* §. *præced.* dixi, præcipua eſt Teſtamenti pars, frequenter fiunt Subſtitutiones, & Legata. Subſtitutiones quidem, ut caſu, quo hæres inſtitutus hæres eſſe non vult, vel non poteſt, Teſtamentum effectum ſuum habeat in alio, quem Teſtator hæredi inſtituto ſubſtituit; Legata autem, quia non tenetur ſubſtantiam totam Hæredibus relinquere, ſed trientem duntaxat, vel ſemiſſem, prout dictum eſt *num.* 105. extra quam portionem, quæ aliis relinquuntur, qui Hæredes non ſunt, Legata vocantur.

1 Porro *Subſtitutionis* nomen dupliciter poteſt accipi. 1. *Genericè*, & prout non in hæreditate tantùm, ſed etiam in Legato, & Donatione mortis cauſa fieri poteſt: quo ſenſu communiter definitur, quòd ſit *unius, vel plurium in alterius vel aliorum locum ad rem aliquam in ultima voluntate facta vocatio.* Molin. *tract.* 2. D. 182. *num.* 1. 2. *Preſſiùs*, & prout à DD. paſſim ſolet: & tunc Subſtitutio eſt *vocatio ad hæreditatem, vel iſtius partem, ſi in hæreditatis partem quis inſtitutus eſt, in locum alterius, ſcilicet hæredis inſtituti.* P. Wieſt. *hic num.* 165. Eſt autem Subſtitutio duplex, directa, & indirecta.

15 Quæritur 1. quid, & quotuplex ſit *Subſtitutio directa?* *Reſp. Subſtitutio Directa* eſt ſubſtitutio, per quam ſubſtitutus immediatè, & ſine miniſterio alterius inſtituti hæreditatem teſtatoris conſequitur. Ita fit, quando Teſtator in ultima ſua voluntate dicit *Inſtituo hæredem Titium, & ſi is hæres non erit, Cajus hæres eſto;* nam ſi Titius hæres non ſit, Cajus eo caſu hæreditatem immediatè, & propria manu, non verò alterius v. g. inſtituti Titii miniſterio conſequitur. Species Subſtitutionis Directæ ſex enumerantur, videlicet Subſtitutio Vulgaris, Pupillaris, Exemplaris, Compendioſa, Reciproca, & Militaris. Tres tamen poſteriores ad priores revocari poſſunt, cùm ab his ſola verborum conceptione differant: & hinc quidam DD. tres tantùm ſubſtitutionis directæ ſpecies ponunt.

6 *Subſtitutio Vulgaris*, ut eam definit Duarenus *de Vulg. & pupill. ſubſtit. cap.* 4. eſt *Subſtitutio directa, & ſimplex, qua inſtituitur ſecundus hæres in caſum, quo primus hæres non erit.* Dicitur *Vulgaris:* quia per illam cuivis ætati, & perſonæ inſtitutæ in caſum vulgarem ſubſtituitur. *Effectus* præcipuus illius eſt, ut caſu, quo hæres inſtitutus hæreditatem adire vel non potuit, vel non voluit, locus fiat ſubſtituto, & ſic ſuſtineatur Teſtamentum *l. quamdiu* 69. *ff. de acquir. vel amitt. hæred. & l. æquiſſimo* 2. §. *ſi duo* 8. *ff. de bonor. poſſeſſ. ſecund. tabul.*

Exſpirat ex triplici capite, 1. Si inſtitutus ipſe hæreditatem adeat *l. poſt aditam* 5. *C. de impub. ſubſtit.* Ratio eſt, quia deficiente conditione, deficit actus conditionatus; atqui ſubſtitutus vocatus eſt ad hæreditatem ſub conditione, ſi illam inſtitutus non adeat, & hæc deficit, eo hanc adeunte, Ergo deficiet etiam ſubſtitutio, & jus hæreditatem illam petendi. 117

2 Si ſubſtitutus ante inſtitutum, vel aditam hæreditatem decedat; tunc enim jus ſubſtitutionis cum ipſo intermoritur, ita, ut nihil inde accedat hæredibus ejuſdem *l. un.* §. *in noviſſimo* 5. *C. de caduc. tollend.* jus enim, quod necdum habuit defunctus, niſi in ſpe, & quod in bonis ejus non fuit, non poteſt tranſmitti ad hæredes illius: nec hæreditas, quam ſubſtitutus nondum adiit, deferri potuit, eo præmortuo.

3 Si inſtitutus profeſſus eſt Religionem ſucceſſionis hæreditariæ capacem; tunc enim ſubſtituto excluſo, profeſſo ſuo ſuccedit monaſterium, vel Religio, prout colligitur *ex Novell.* 123. *cap.* 37. ubi monaſterii favore ſublata ſunt omnia ſubſtitutionum onera. Ratio eſt, quia Religioſus ipſa ſua Profeſſione ſe, ſuaque bona, & jura omnia transfert in monaſterium. *Auth. ingreſſi Cod. de SS. Eccl.* Ergo in illud etiam transfertur jus adeundi hæreditatem delatam, & ejus aditione excludendi ſubſtitutum. Additur *ſucceſſionis hæreditariæ capacem:* nam ſi inſtitutus profeſſus eſt Religionem incapacem hæreditariæ ſucceſſionis, manet jus ſuum ſubſtituto, cùm eo caſu nec profeſſus, nec Religio hæreditatem adire poſſit, & conſ. cenſeri debeat impleta conditio, *ſi hæres non erit*, ſub qua facta eſt ſubſtitutio. 118

Subſtitutio Pupillaris eſt *ſubſtitutio directa, & ſimplex, qua quis in ſua puberum poteſtate conſtitutum, & poſt mortem ſuam in alterius poteſtatem non recaſurum, hæredem inſtituit, eique alium hæredem ſubſtituit ſub conditione, ſive in caſum, quo is ante pubertatis annos deceſſerit.* Colligitur *ex princ. Inſt. de pupill. ſubſtit. l. hæredes* 1. §. *ſubſtituere* 2. & *l. ſeq. princ. ff. de vulg. & pupill. ſubſtit.* & approbatur à Jure Canonico *cap. ſi Pater* 1. §. *fin. h. tit. in* 6. *Ratio eſt*, quia cùm impuberes ob Judicii imbecillitatem Teſtamenti condendi jus ante pubertatem ipſi non habeant, ut dictum eſt, *num.* 72. ne omnino inteſtati decedant, meritò vicem eorum parentes ſupplent. 119

Effectus ejuſdem præcipuus eſt, quòd ſubſtitutus pupilli à ſucceſſione, & ipſa etiam legitima excludat matrem pupilli, & cæteros ejuſdem conſanguineos, ſive aſcendentes, ſive laterales, quin ulli eorum querela Inofficioſi competat, prout ſtatuitur *cap. ſi pater cit. l. Lucius* 45. *princ. ff. de vulg. & pupill. ſubſtit. l. Papinianus* 8. §. *ſed nec impuberis* 5. *ff. de inoffic. teſtam. l. precibus* 8. *Cod. de impuber. & aliis ſubſtit.* Ratio eſt, quia Teſtamentum filius impubes non ipſe ſibi fecit, ſed pater. igitur mater, ſi conqueri poſſet, deberet conqueri non de filio, ſed de marito; de marito autem conqueri non poteſt, quòd in Teſtamento præterita fuerit, quia iſte uxorem inſtituere non tenetur. ergo &c. 120

Exſpirat autem ſubſtitutio hæc variis modis. 1. Patre condente novum Teſtamentum; tunc enim prius Teſtamentum; quo Subſtitutio facta eſt, rumpitur. 2. Eo deportato, & paſſo maximam capitis diminutionem. 3. Morte Subſtituti ante impuberem, cui eſt ſubſtitutus. 4. Impuberis emancipatione, per quam exit è poteſtate patris; quia, ut ſubſiſtat hæc ſubſtitutio, opus eſt, ut impubes ſubſtitutus ſit in poteſtate patris teſtatoris, non tantùm tempore conditi Teſtamenti, ſed etiam mortis teſtatoris. 5. Eodem pubertatem adepto, dum Teſtator vivit; quia per Subſtitutionem Pupillarem ei tantùm proſpectum eſt, qui Teſtamentum non poteſt condere. 6. Hæreditate non adita ab impubere, ſi ipſi extraneus ſubſtitutus fuit; quia aditionis omiſſione Teſtamentum paternum corruit, & conſ. etiam evaneſcit Subſtitutio Pupillaris. 121

Subſtitutio Exemplaris, ſic dicta, quia ad exemplum Pupillaris eſt introducta, ex qua cauſa etiam *Quaſi pupillaris* vocatur, eſt *Subſtitutio ſimplex, & directa, qua pater, aut mater vel alius ex aſcendentibus filio, aut nepoti mente capto, vel*, ut communis DD. addit, *prodigo, aut ſurdo, & muto à natura ſubſtituit hæredem alium in caſum, quo in eodem ſtatu, ſeu non recuperata ſanitate, ille eſt deceſſurus.* Sumitur ex §. *qua ratione* 1. *Inſt. de pupill. ſubſtit.* & *l. humanitatis* 9. *C. de impub. & aliis ſubſtit.* 122

Effectus illius præcipuus eſt, quòd eo, cui exemplariter

riter hæres substitutus est, in furore, vel amentia, hisque vicina intemperie decedente, bona ejus undecunque quæsita ad Substitutum devolvantur, *l. humanitatis cit. l. sed si plures* 10. §. *ad substitutos* 5. *ff. de vulgar. & pupill. substit.*

Exspirat hæc Substitutio iis ferè modis, quibus Pupillaris. Et 1. quidem, si testandi facultas auferatur Testatori. 2. Si ejus Testamentum corruat, vel ex eo hæreditas non adeatur. 3. Si liberi nascantur ei, cui substitutio facta est. 4. Et præcipuè, si furiosus, & mente captus resipuerit, h. e. non solùm ad breve intervallum, sed ita sanitatem recuperaverit, ut ea stabilis, vel saltem ad notabile tempus duratura videatur §. *qua ratione*, *l. humanitatis citt.* ubi etiam ratio redditur; quia jam potest sibi facere Testamentum.

123 *Substitutio Militaris*, quam aliqui statim post Vulgarem collocant, est *Substitutio directa*, & *simplex*, *qua quis ex solo privilegio hæredem sibi substituit.*

Sunt autem Milites pluribus modis privilegiati quoad faciendas Substitutiones. 1. Enim miles substituere potest etiam puberi, & mentis compoti: & tunc si institutus post pubertatem decedat, is, qui eidem substitutus est, admittetur saltem ad bona, quæ institutus à patre est consecutus *l. centurio* 15. *ff. de vulg. & pupill. substit.* 2. Potest substituere unum ad tempus certum, vel incertum, alium substituere, ut bona ipsius relicta post illud tempus ab instituto transeant ad substitutum; nam eo casu secundò institutus, seu militariter substitutus adveniente tempore, hæreditatem capit immediatè à testatore, neque primò institutus potest aliquid deducere, sicut potest Hæres Fiduciarius *l. centurio cit.* 3. Potest substituere filio, qui sui juris non est futurus post ejus mortem *l. cum filiusf.* 28. *ff. de testam. milit.* 4. Substitutio militis vim habet, etiamsi hæreditas non adeatur ab instituto *l. miles* 41. §. *fin. ff. de testam. milit.*

124 *Substitutio Compendiosa* dicitur, quæ plures Substitutionum species pro diversis temporibus, verbis saltem generalibus expressas continet, ita, ut pro uno tempore sit Vulgaris, pro alio Pupillaris, vel Exemplaris &c. Talis est, si Testator dicat: *Titius filius meus hæres esto, & quandocunque decesserit, Cajus hæres esto*; vel: *Instituo hæredem Titium filium meum, & quandocunque mortuus fuerit, substituo Cajum*: nam hæc Substitutio, si Titius hæreditatem non adierit, erit Substitutio Vulgaris; si autem adita hæreditate, ante pubertatem decesserit, Pupillaris; si verò post pubertatem mortuus sit amens, vel furiosus, Exemplaris; & aliquando, si sana mente decesserit, Fideicommissoria.

125 *Substitutio Reciproca* denique illa dicitur, in qua testator duos, vel plures hæredes instituit, eosque sibi invicem substituit, ut si unus non possit, aut nolit esse hæres, ejus portio reliquis, vel uni ex reliquis accrescat. Exemplum ponitur *l. jam hoc jure* 4. §. *quod jus* 1. *ff. de Vulg. & pupill. substit.* si v. g. testator dicat: *Titius ex semisse hæres esto, & ex altera semisse Cajus: quòd si verò Titius hæres non sit, Cajus hæres erit solus, & vicissim Titius, si Cajus non fuerit.* Ob hanc verborum brevitatem ab aliquibus appellatur *Breviloquia*; sed ne confundatur cum Compendiosa, quæ non minùs brevis est, melius retinetur nomen Reciprocæ.

126 Quæritur 2. quid sit *Substitutio indirecta*? Resp. *est, qua hæres Testamento institutus, vel ab intestato veniens à defuncto gravatur, & obligatur, ut hæreditatem totam, vel ejus quotam, h. e. mediam, tertiam, vel aliam similem partem alteri restituat, seu tradat.* Ita DD. communiter. Hæc Substitutio etiam *Fideicommissoria*, dicitur; id verò quod ita restitui jubetur, *Fideicommissum*, cui restitutio facienda est, *Fideicommissarius*; is autem, qui ejusmodi restitutione alteri facienda gravatur, *Hæres fiduciarius*.

127 *Differt* Substitutio Fideicommissoria, seu Indirecta ab aliis directis. 1. Quia directè substitutus hæreditatem suam manu ab ipso Testatore accipit; indirectè institutus mediante alio, seu ministerio hæredis primò instituti. 2. Substitutus directè, si semel hæreditatem adiit, modò testandi sit capax, eam per Testamentum, vel aliam ultimam voluntatem transmittere potest, ad quem vult: hoc non potest Hæres fiduciarius; nam tradere eam debet illi, qui per Fideicommissum ipsi à Testatore est substitutus. 3. In Substitutionibus directis hæreditas tota devolvitur ad Substitutum hæredem sine diminutione, seu detractione alicujus partis; at in Substitutione indirecta hæres primò institutus detrahit Quartam Trebellianicam: de qua *num.* 139.

128 Dub. 1. quotuplex sit Fideicommissum? Resp. est duplex, Universale, & Particulare. *Universale est*, quando hæres fiduciarius gravatur relinquere alteri hæreditatem totam, vel ejus quotam. *Particulare*, quando res singularis una, vel plures in restitutionem veniunt, e. g. fundus, torques, certa pecuniæ summa &c. Hoc posterius in plerisque sequitur naturam Legalis, & Jure novo reipsa ab eo non differt, ut notat Zoes. *ff. ad S. C. Trebell. n.* 9. Pirh. *hic n.* 72. Hinc præter ea, quæ infrà *à num.* 146. de Legatis dicam, de hoc secundo Fideicommissorum genere non est opus plura addere.

Subdividi Fideicommissum tripliciter potest. 1. In Expressum, & Tacitum. *Expressum est*, quando voluntas fideicommittentis expressa oratione, & verbis inflexis manifestatur. *Tacitum*, quando præsumitur ex propotionatis indiciis, ut si testator prohibeat, ne bona immobilia alienentur extra familiam *l. peto Luci* 69. §. *fratre* 3. *ff. de Legat.* 2. 2. In Purum, & Conditionatum. *Purum* est, quando Hæres fiduciarius absolutè gravatur, ut hæreditatem restituat. *Conditionatum*, quando sub conditione gravatur, qualis non infrequenter est illa, *Si hæres fiduciarius sine liberis decesserit.* 1

3 In Fideicommissum Commune, & Familiare. *Commune est*, ubi non specialiter attenditur ad familiam. *Familiare*, ubi principaliter respicitur ad familiam. Et ita sua bona immobilia sæpe relinquere solent Nobiles, & Illustres, dum ultima sua voluntate caveant, ut hæres institutus ea post mortem alii de familia restituat, sicque bona illa ad familiæ nitorem, & splendorem conservandum perpetuè apud eandem maneant. Porro hujusmodi Fideicommissi familiæ, si ea conditione relinquantur, ut in iis succedat natu maximus de familia, vocantur *Majoratus*; si verò ita ordinentur, ut primogenitus primùm succedat cum suis descendentibus, & in horum defectum secundogenitus cum suis descendentibus, & sic deinceps, *Primogenituræ* dicuntur. Anton. Peregrin. *de fideicommiss. art.* 27. *n.* 24. Knipschilt *de fideicommiss. famil. cap.* 6. *num.* 268. Magnif. D. Christoph. de Chlingensperg *Inst. tit. de fideicomm. hæred. quæst.* 2. 1:

Dub. 2. quis Fideicommissum relinquere possit, & quomodo id fieri debeat? Resp. Fideicommissa relinquere possunt omnes, qui jus testandi habent *l. sciendum.* 2. *ff. de Legat.* 1. Neque opus est, ut, quando quis relinquit Fideicommissum, actu testetur; quia etiam ab intestato Fideicommissa relinqui possunt §. *præterea* 10. *Inst. de fideicommiss. hæred. l. eam quam* 14. & *l. ex testamento* 29. *C. de fideicommiss. Ratio est*, quia testator hæredes ab intestato sufficienter honorasse censetur, quòd hæreditatem non ademerit, quam eis adimere potuisset *l. conficiuntur* 8. §. *sed ideo* 1. *ff. de Jur. Codicill.* Similiter in ejusdem testatoris arbitrio est, quale Fideicommissum velit relinquere, Universale, vel Particulare, Purum, vel Conditionatum, Commune, an Familiare. 13

Olim fiebant per verba precatoria, *Rogo*, *peto*, *fidei committo*, & similia: hodie scrupulosa verborum conceptione sublata, fieri possunt per verba qualiacunque; nec per verba tantùm, sed etiam per scripturam, libellum, epistolam, imò & nutum *l.* & *in epistola* 22. *C. de fideicomm.* & *l. nutu* 21. *pr. ff. de Legat.* 3. Ut tamen legitimè relinquatur Fideicommissum, observandæ sunt solemnitates, Testamentariæ quidem, si relinquatur in Testamento; Codicillo propriæ autem, si fiant in Codicillo. *Excipitur*, nisi quis præsens rogetur; tunc enim licèt pauciores, quàm Testamentum, vel Codicillus requirat, adhibeantur testes, imò si nulli, Fideicommissum potest subsistere, si Fideicommissario juramentum exigente, is, qui rogatus est, recuset jurare, quod fidei suæ nihil commissum fuerit §. *fin. Inst.* & *l. fin. C. de fideicommiss.* 13

Dub. 3. cui Fideicommissa relinqui possint? Resp. olim relinqui poterant etiam iis, qui Institutionis incapaces sunt: imò inde originem suam illa traxerunt; usitatissimum namque erat, ut qui vellent bona sua ad aliquos transmittere, qui hæredes Testamento institui, vel Legata ex eo capere Jure non poterant, instituerent alium Institutionis capacem, eumque rogarent, ut hæreditatem, vel ejus partem, vel rem etiam singularem restitueret alteri, qui volebant. 13

Hodie Fideicommissum universale relinqui solùm potest capacibus directæ Institutionis, & cum quibus Jure communi Testamenti factio est §. *legari* 24. *Inst. de Legat.* juncta *l. per omnia* 1. *ff. de Legat.* 1. Si incapaci relictum sit, distinguendum est, an palàm illi relictum sit, an verò tacitè, ex fide secretò interposita. *Si primum*, fidei commissum ita relictum habetur pro non scripto, neque hæres illud tenetur præstare *l. ult. in. fin. ff. quib. ut indign. l. qui deportantur* 1. *C. de hæred. instituend. Si secundum*, fiscus relictum vendicat *l. si ei* 1. *C. de delator.* Ratio sic statuendi fuit, ne Lex, quæ aliquos Institutionis hæreditariæ incapaces reddit, Fideicommissorum Beneficio facilè eluderetur. Perez. *in C. de* 13

C. de fideicommiſſ. numer. 3. Zoeſ. *ff. ad S. C. Trebell. num.* 2. *&* 3. Haun. *tom.* 2. *de J. & J. tract.* 7. *num.* 129. Vvieſt. *hic num.* 203.

135 Dub. 4. quis Fideicommiſſo onerari poſſit? Reſp. eo onerari poſſunt omnes, ad quos judicio defuncti aliquid relinquentis, vel non adimentis eſt perventurum, etiamſi ſolùm ſuccedant ab inteſtato; nam & his defunctus dediſſe videtur, quod cùm poſſet, non ademerit *l. ſi incertus* 1. *§. ſciendum* 6. *ff. de Legat.* 3. Imò ipſe etiam Fideicommiſſarius rogari, & gravari poteſt, ut quæ ex Fideicommiſſo ab Hærede Fiduciario accepit, rurſum alii reſtituat *§. eum quoque* 11. *Inſt. de fideicomm. hæred.* & ita contingit hodie in Fideicommiſſo perpetuo Familiæ, vi cujus ſenior familiæ gravatur onere conſervandi bona ex Fideicommiſſo accepta, eaque poſt mortem ſuam reſtituendi alteri de familia ſeniori futuro.

136 Filius tamen in hæreditate, quam Fideicommiſſo univerſali gravavit pater, triplex Beneficium habet. 1. Si in Teſtamento patris fuit præteritus, & ipſe hæreditatem paternam alia via e. g. reſciſſo Teſtamento, eſt conſecutus; hic enim Fideicommiſſum præſtare non cogitur *l. quidam* 31. *C. de fideicommiſſ.* 2. Si naſcantur eidem Liberi: nam tunc iſti, extraneo ſubſtituto excluſo, ſuccedunt; quia, niſi aliud probetur, non cenſetur pater filium voluiſſe gravare aliter, quàm ſub tacita hac conditione, *Si ſine liberis deceſſerit*, prout ſtatuitur *l. cùm avus* 102. *ff. de condit. & demonſtr. & l. cùm acutiſſimi* 30. *Cod. de fideicommiſſ.* 3. Si filius (idem dicendum de extraneo) Fideicommiſſo gravatus, ſuſcipiat Clericatum, vel ingrediatur Religionem, ibique Profeſſionem emittat; nam eo caſu Clericus bona illa, quæ aliàs ceſſiſſent Subſtituto, hoc excluſo, relinquere poteſt Eccleſiæ, vel alteri piæ cauſæ ea verò, quæ ſub fideicommiſſo relicta ſunt filio, aut extraneo, ipſa Profeſſione tranſeunt ad Monaſterium, modò iſtud ſit capax ſucceſſionis hæreditariæ, prout in favorem Religionis ſpecialiter conſtitutum eſt *cap. in præſentia* 8. *de probat.* & *Auth. niſi rogati Cod. ad S. C. Trebell.* quæ ſumpta eſt ex *Novell.* 123. *cap.* 37.

137 Dub. 5. an ſemper excludatur Subſtitutus, & ſuccedat Eccleſia, vel Monaſterium hæreditariæ ſucceſſionis capax, quando inſtitutus, gravatus Fideicommiſſo reſtituendo alteri, ingreditur Religionem, vel ſuſcipit Clericatum? Reſp. cum diſtinctione: Vel enim hæres Fideicommiſſo gravatus eſt abſolutè, vel addita conditione, *Si ſine liberis deceſſerit. Si primum*, probabiliùs Subſtitutus non excludetur perpetuo, ſed ſuccedet poſt mortem Profeſſi naturalem, ut cum communiore docet Molin. *tract.* 2. *de J. & J. D.* 190. *num.* 35. *Ratio eſt*, quia diſpoſitio *cap. in præſentia*, *& Auth. cit.* eſt exorbitans à Juris communis Regulis, & ſolùm loquitur de caſu, quo expreſsè additur dicta conditio. igitur ad caſum, quo illa tacitè ſubintelligi poteſt, extendi non debet.

138 *Si ſecundum*, regulariter quidem Subſtitutus excluditur, multis tamen caſibus admittitur. Talis eſt 1. ſi de contraria voluntate teſtatoris expreſsè conſtet vel ex Teſtamento, vel ex aliis perſpicuis indiciis, quòd nolit per Monaſterium excludi Subſtitutum. Covar. *l.* 1. *var. cap.* 19. Pirh. *hic num.* 76. Reiffenſtuel *ibid. num.* 625. cum aliis. *Ratio eſt*, quia per *Auth. & Novell. cit.* Subſtitutus à Monaſterio excluditur ex præſumpta ſolùm voluntate teſtatoris, quòd is iſtud illi fuiſſet prælaturus, ſi de Religione cogitaſſet, atqui tali caſu præſumptio iſta ceſſat. ergo &c. 2. Si Inſtituto in eventum, quo deceſſerit ſine liberis, Subſtitutus ſit filius, aut nepos, vel etiam cauſa pia, puta pauperes, captivi, Eccleſia Parochialis &c. quia tum privilegiatus concurrit cum privilegiato, quo caſu ceſſantibus privilegiis, ſervatur Jus commune. 3. Si hæres gravatus Religionem ingrediatur animo fraudandi Subſtitutum; quia fraus ſua nemini patrocinari debet, & conſ. nec Monaſterium, mediante Profeſſione gravati in fraudem facta, bona illa conſequi poterit. 4. Si hæres ad ingreſſum Religionis ſuaſionibus, & blanditiis Regularium fuiſſet inductus; quia eo in caſu Monaſterium nec cætera Profeſſi bona conſequitur *can. conſtituit* 42. *cauſ.* 16. *quæſt.* 7. 5. Si ingreſſus Religionem revertatur ad ſæculum, vel ante Profeſſionem moriatur, aut Profeſſionem quidem emiſit, ſed invalidè; quia *Auth. & Novell. citt.* quando ad excluſionem Subſtituti exigunt ingreſſum gravati in Monaſterium, accipi debent de ingreſſu cum effectu, ut eo perſona Divino ſervitio perpetuò mancipetur. 6. Si Monaſterium in bona Profeſſi ſuccedere recuſet; nam hoc ſi fiat, ſtatim à Profeſſione edita ad bona à teſtatore relicta ſubſtitutus admitti debet: quod ipſum dicendum, ſi Profeſſionem edat in Religione, quæ ſucceſſionis hæreditariæ capax non eſt. 7. Si conditio, *Si ſine liberis deceſſerit*, apponatur in contractu oneroſo; quia Jura, quæ Subſtitutum excludunt, ſolùm loquuntur de ultimis Voluntatibus, aliiſque contractibus gratuitis, ut proinde ad alios caſus extendi non debeant.

Dub. 6. an hæres fiduciarius hæredi per Fideicommiſſum univerſale ſubſtituto teneatur reſtituere omnia, quæ à teſtatore accepit? Reſp. negativè, ſed poteſt ſibi retinere quartam partem eorum, quæ rogatur reſtituere, prout ſtatuitur *§. ſed quia* 5. *Inſt. de Fideicommiſſ. hæred.* Pars hæc *Trebellianica* dicitur à Trebellio Conſule Romano, & Senatusconſulto, quod ſub ipſo factum eſt, & ab Authore *Trebellianicum* appellatur. 139

Ut verò deduci Trebellianica iſta poſſit, duo requiruntur. 1. Ut qui deducere eam vult, ſit hæres, & quidem directus *l. mulier* 22. *ff. ad S. C. Trebell.* nam hæres fideicommiſſarius, etſi etiam ipſe hæreditatem per Fiduciarii manum acceptam, vel partem illius jubeatur tertio reſtituere, non tamen propterea poteſt Trebellianicam deducere, & eam ſibi retinere. 2. Ut deducturus Trebellianicam hæreditatem adierit; nam ſi illam non adiit, deductio Trebellianicæ ceſſat, quippe quæ ſolùm conceſſa eſt hæredi. 140

Dub. 7. an Hæres ſuus, & Neceſſarius v. g. filius Fideicommiſſo gravatus, poſſit deducere Trebellianicam ſimul cum Legitima? Reſp. affirmativè: idque verum eſt, ſive purè, ſive ſub conditione ſit gravatus reſtituere alteri. Res ſatis clara eſt de Jure Canonico; nam *cap. Raynutius* 16. *& cap. Raynaldus* 18. *hoc tit.* Pontt. Innocentius III. & Gregorius IX. diſertè approbant ſententiam Judicis delegati, pronuntiantis utramque à liberis Fideicommiſſo gravatis deduci poſſe. *Neque obſtat*, quòd textibus *citt.* liberi Fideicommiſſo gravati fuerint ſub conditione, *Si ſine liberis deceſſerint*; quia Apoſtolica deciſio ſe in hoc non fundet, ſed in eo, quòd Trebellianicam detrahere permiſſum ſit hæredi extraneo, & conſ. permiſſum etiam eſſe debeat hæredi filio, ne hic deterioris conditionis ſit, quàm ille: quæ ratio non minùs urget, ſi filius purè, quàm ſi ſub conditione gravetur. 141

De Jure Civili quid in dubio iſto dicendum, controvertunt DD. Negant hoc Jure utramque ſimul deduci ab Hærede ſuo, & neceſſario poſſe, Perez. *in C. ad S. C. Trebell. num.* 11. Zoeſ. *ff. ibid. n.* 92. Vviſenbac. *D.* 9. *ad dict. S. C. tum num.* 13. Stuvius *Exercit.* 36. *n.* 30. Vinnius *l.* 2. *ſelect. qq. cap.* 29. & alii Legiſtæ plerique allegantes pro ſe plures Juris iſtius textus. Affirmat Fachin. *l.* 5. *contr. cap.* 1. Brunnem. *ad l. jubemus* 6. *C. ad S. C. Trebell. num.* 4. Clariſſ. P. Schmier *p.* 1. *de ſucceſſ. hæred. cap.* 4. *num.* 28. & allegatur pro hac ſententia *Novell.* 108. *cap.* 1. qua antiquas Leges correctas vult Fachin. *l. cit.* Omnibus conſideratis ſaltem dubia manet Juris Civilis diſpoſitio: ſed ex hac ipſa dubietate aſſumi Argumentum pro affirmativa poteſt; nam quando dubia eſt Juris Civilis diſpoſitio, Leges interpretationem accipiunt à SS. Canonibus *arg. cap. intelleximus* 1. *& cap. ſeq. de nov. oper. nunt.* ita, ut iſtorum perſpicua diſpoſitio in utroque foro ſit obſervanda; eſt autem SS. Canonum diſpoſitio in caſu propoſito ſatis clara, ut fatentur Adverſarii. ergo &c. 142

Dub. 8. an Trebellianica deduci poſſit, quando etiam Legitima eſt ſemis, ſeu dimidia pars bonorum, ut fit, quando quinque vel plures ſunt Liberi, qui rogati ſunt reſtituere hæreditatem? Negat Covar. *in cap. Raynutius cit. §.* 11. *num.* 10. *in fin.* Rationem dat, quia abſurdum videtur eſſe, quòd obligatus hæreditatem reſtituere, ex ea plus conſequatur, quàm is, cui illa reſtituenda eſt. hoc autem fieret, ſi in caſu præſenti liceret utramque deducere; quia præter ſemiſſem, Legitimæ nomine deductam, Hæres fiduciarius nomine Trebellianicæ conſequeretur etiam alterius ſemiſſis partem quartam. ergo &c. 143

Sed adhuc tenenda eſt affirmativa, quam etiam defendunt Cravetta *conſ.* 50. Fachin. *l.* 5. *cit. c.* 3. Haun. *tom.* 2. *de J. & J. tr.* 7. *n.* 37. Pirh. *hic n.* 80. Vvieſt. *num.* 221. cum aliis, & evincunt hoc textus Canonici, ac rationis paritas: ideo enim præter Legitimam deduci à Liberis Trebellianica poteſt, quia aliàs deterior eſſet conditio iſtorum, quàm hæredis extranei, quippe qui ex Inſtitutione conſequeretur Trebellianicam, cùm illi ex voluntate Teſtatoris nihil, ſed tantùm id conſequerentur, quod ipſis debetur Juris Beneficio, & à teſtatore negari non poteſt. atqui hæc ratio non minùs militat pro Trebellianicæ deductione, quando Legitima eſt Semis, quàm quando Pars minor eſt. ergo &c.

Ex quo cadit Argumentum allatum pro adversa sententia; nam absurdum videri non debet, quod æquitas, & favor liberorum suadet. Neque inæqualitas hoc casu est nimia; etsi enim ultra semissem sibi nomine Legitimæ debitam consequantur etiam Trebellianicam, singuli tamen adhuc consequuntur minus ex hæreditate, quàm Fideicommissarius.

144 Dub. 9. quibus casibus cesset deductio Trebellianicæ? Resp. complures casus cum aliis refert Barry *de testat. & intest. l.* 15. *tit.* 7. Præcipui sunt. 1. Si hæres aliquo modo tentavit evertere Fideicommissum. 2. Si hæres institutus, & gravatus hæreditatem non adiit, vel illam adiit per Fideicommissarium coactus. 3. Si hæres gravatus est restitutione facienda piæ causæ, nisi etiam ipse sit pia causa. 4. Si ejus detractionem testator prohibuerit. 5. Denique cessat deductio Trebellianicæ in omnibus Testamentis, in quibus cessat deductio Falcidiæ: de qua *infra num.* 160. *& seqq.*

145 Dub. 10. ad quem pertineant onera, & actiones hæreditariæ, ad Hæredem Fiduciarium, an verò ad Fideicommissarium? Resp. cum distinctione. Vel enim Hæres Fiduciarius detraxit quartam Trebellianicam, vel eam non detraxit. *Si primum*, ratione illius sustinere debet omnia onera, & actiones, quamvis inter ipsum, & Fideicommissarium cum proportione dividi debeant. Zoes. *ff. ad S. C. Trebell. Si secundum*, actiones hæreditariæ omnes competunt Fideicommissario, & adversus ipsum; hæres autem fiduciarius ab omnibus oneribus ipso Jure liber est §. *sed quia* 7. *vers. si verè Inst. de fideicommiss. hæred. Proceditque hoc*, etsi Fideicommissario petente, coactus sit adire hæreditatem, modò Trebellianicam non deduxerit §. *sed quia cit. V. sed etiam*, & *l. quia poterat* 4. *ff. ad S. C. Trebell.*

146 Quæritur 3. quid sit *Legatum*? Resp. Legati nomen dupliciter sumi potest, scilicet pro re legata, & deinde pro actu legandi. Hæc secunda acceptio est propria, & in hac definitur à Justiniano §. *legatum* 1. *Inst. de Legat.* quòd sit *donatio quædam à defuncto relicta, ab hærede præstanda;* vel, ut alii cum Molin. *tract.* 2. *D.* 193. *n.* 2. est *Ultima voluntas, qua defunctus rem particularem, h. e. id, quod rationem hæreditatis non habet, alicui ab hærede præstandum liberaliter relinquit*. Dicitur *ab hærede præstanda:* non quòd necessarium istud sit; nam aliquando præstatur ab ipso testatore, aliquando ab alio: sed quòd ordinarium sit; plerumque enim præstatur ab ipso hærede, non quidem quoad dominium (quia hoc ex Juris dispositione recta via à defuncto transfertur ad Legatarium) sed quoad possessionem, quam si Legatarius apprehendat authoritate propria, Legatum hæredi restituere tenetur *l. hoc interdictum* 1. §. 2. *ff. quod Legatorum.*

147 Differt autem Legatum 1. *à Fideicommisso universali;* quia hoc non est donatio rei particularis, ut Legatum, sed universalis, quæ hæreditatis rationem habet. 2. *Ab hæredis Institutione directa;* quia Legatum non habet sibi annexa ea onera, quæ sibi annexa habet hæreditas. 3. *A Donatione inter vivos;* quia hæc statim firma est, Legatum autem, ut quævis alia ultima voluntas, usque ad extremum spiritum est revocationi obnoxia. 4. *A Donatione mortis causa;* quia hæc etiam vivente transit in donatarium, quamvis ante mortem hujus non sit firma; non ita Legatum. Item donatio mortis causa conventionem, sive acceptationem exigit; Legatum autem solius defuncti, rem aliquam post mortem suam in aliquem conferre volentis, voluntate relinquitur. Zoes. *ff. de Legat. num.* 9.

148 Dub. 1. quis facere Legata possit, & cui? Resp. legandi facultatem habent omnes, qui Testamenti faciendi jus habent *l. sciendum* 2. *ff. de Legat.* 1. ut adeo in re ista locum sit *Regulæ* 42. *in* 6. quòd *accessorium sequatur naturam principalis;* est autem Legatum accessorium Testamenti. ergo &c. Relinqui Legata regulariter omnibus, & iis possunt, qui possunt hæredes institui, vel saltem institui *leg.* 4. *Instit. de Legat.*

149 Dixi *Regulariter;* nam Regula hæc plures Exceptiones patitur, vi quarum Legati capaces aliqui sunt, etiamsi Institutionis sint incapaces. Tales sunt 1. Professi, & Coadjutores formati Societatis Jesu; quia Legata his facta, cùm sint rerum singularium, se habent instar Eleemosynæ, & rei donatæ, cujus Religiosi omnes capaces sunt, ita tamen, ut non sibi acquirant, sed Monasterio. 2. FF. Minores reformati, & Capucini Ordinis S. Francisci ob eandem rationem, modò Legato non adjiciatur conditio, vel modus ipsorum Professioni repugnans, qualis esset, si eis legaretur vinea, vel domus Monasterio non contigua sub conditione, ut eam retineant, excolant, locent &c. 3. Spurii; nam istis, etsi hæredes instituti nequeant, ut dictum est *suprà n.* 94. *in fin.* Jure tamen saltem Canonico aliquid relinqui potest in alimenta competentia, sicut, & in dotem, quæ loco alimentorum succedit *cap. cùm haberet* 5. *de eo, qui dux. in matr.* Hoc tamen, ut rectè advertit Molin. *tract.* 2. *D.* 195. *num.* 4. potiùs æs alienum his filiis debitum, quàm Legatum est: Unde si competentia alimenta excedat, aut Spurius aliunde habeat, ex quo competenter vivat, quoad excessum in utroque foro erit invalidum.

Dub. 2. quænam res legari possint? Resp. ut res aliqua legari possit, necessarium est 1. ut existat, vel saltem existere in rerum natura possit *l. si servus* 108. §. *qui quinque* 10. *ff. de Legat.* 1. & *l. quidam* 7. *ff. de tritic. vin. ol. leg. Ratio est*, quia impossibilium nulla est obligatio. *Reg.* 185. *ff.* & *Reg. nemo* 6. *in* 6. 2. Ut non sit extra commercium humanum, i. e. talis, quæ ab aliquo acquiri, haberi, & possideri non possit. Unde Templa, aliaque sacra, vel publico usui destinata loca, uti & liber homo, legari non possunt §. *non solùm* 4. *Inst. de Legat. l. si servus* 39. §. 8. *& seqq. ff. de Legat.* 1. *Estque hoc ità verum*, ut eo casu ne quidem eorum æstimatio debeatur *l.* 39. *cit.* §. *fin.* 3. Ut alienari, & per consequens legari non sit prohibita. Hinc legari nequeunt, quæ juncta, aut fixa ædibus, & istarum parietibus adhærent *l. cætera* 41. §. *sed & ea ff. de Legat.* 1. 4. Ut non sit res propria ipsius Legatarii; quia quod est proprium alicujus, ampliùs ejus fieri non potest §. *sed si* 10. *Inst. de Legat.* 5. Ut etiam non sit res talis, quæ Legatario tota debetur; nam si tali casu plus in Legato non sit, quàm sit in debito, inutile Legatum est, quippe per quod Legatarius nihil amplius acquirit, quàm quod aliàs eidem debetur §. *è contrario* 14. *Inst.* & *l. sin autem* 29. *ff. de Legat.* 1. 6. Et universim res legata talis esse debet, ut ex ea ad Legatarium aliquid commodi, & emolumenti pervenire possit; quia id exigit natura donationis, cujus Legatum species quædam est §. *legatum* 1. *Inst. de Legat.* 150

Dub. 3. an valeat Legatum rei alienæ, seu quæ nec ad Testatorem, nec ad Legatarium spectet? De Jure Civili res est explorata; nam hoc spectato, distinguendum est: Vel enim Testator eam relinquens scivit illam alienam esse, vel hoc nescivit. *Si hoc secundum*, nullum Legatum est; *Si primum*, validum est, ita tamen, ut ea domino invito auferri non possit: sed hæres eo casu tenebitur illam justo pretio redimere, & redemptam Legatario tradere, vel si consequi à domino eandem nequeat, solvere Legatario justam æstimationem ejusdem §. *non solùm* 4. *Inst. l. unum* 67. §. *si rem* 8. *ff. de Legat.* 2. & *l. cùm alienam* 10. *C. eod.* 151

Controversia est, an idem teneat etiam de Jure Canonico? Negat Gloss. *fin. in cap. filius noster* 5. *h. tit.* Abb. *ibid. num.* 5. Imol. *num.* 9. & alii apud Covar. *ibid. num.* 9. ob textum *cap. filius cit.* ubi Gregorius I. pronuntiat rei alienæ legatæ retentionem injustam esse, & præcipit eam restitui ex ratione, quòd non *Lege Sæculi*, seu Civili, qua hæres rem alienam legatam præstare cogitur, sed *Lege Dei*, quæ eam domino restitui jubet, vivendum sit: unde putant hoc textu correctam fuisse dispositionem Juris Civilis.

Sed retinenda est affirmativa sententia, quam etiam defendunt Covar. *l. cit. n.* 10. Mantica *de Conject. ult. volunt. l.* 9. *tit.* 10. Fachin. *l.* 5. *contr. c.* 38. Zoes. *ff. de Legat. & Fideicomm. n.* 24. Gonzal. *in cap.* 5. *cit. num.* 13. Magnif. D. Christoph. de Chlingensperg. *Inst. tit. de Legat. quæst.* 7. P. Pirh. *hic num.* 84. P. Wiest. *ibid. num.* 136. Clariss. P. Schmier *p.* 1. *de success. hæred. c.* 1. *n.* 245. *cum duob. seqq.* & patrocinatur eidem apertè *can. si Episcopus* 5. *caus.* 12. *quæst.* 5. *Ratio est*, quia differentia inter Jus Civile, & Canonicum inducenda non est, nisi id Jure Canonico expressum sit, vel recessum à Jure Civili necessitas suadeat. atqui neutrum fit in casu proposito. *Non primum*, ut patebit ex Responsione ad textum allegatum pro adversa sententia. *Non secundum;* quia Leges Civiles, quæ alienæ rei Legatum permittunt, nihil iniquitatis continent, cum secundùm ipsas domino invito res sua non auferatur, sed eidem solùm offeratur occasio illam vendendi pro justo pretio. 152

Ad Argumentum contrarium in textu *citat.* & casu ejusdem pater filio vix reliquit sustentationem congruam, & hac ipsa privatus fuisset, si Legatum rei alienæ, Ecclesiæ Messanensi factum, debuisset redimere: unde cùm Legitima sub alimentorum nomine Jure naturæ debeatur filiis, meritò decidit Pontifex Legatum istud ab Episcopo Messanensi retineri non posse, cùm filius eo casu obligatus non fuerit illud redimere, vel æstimationem ejusdem præstare.

Dub. 4. quomodo Legatum relinqui possit? Resp. relinqui 153

rui potest, prout Testatori placuerit. Et 1. quidem non tantùm purè, & simpliciter, sed etiam non purè & adjecta conditione, modo, die, & tempore, sive vel certo e. g. ad proximas Calendas Junias, vel incerto, ut cùm Studiorum cursum Legatarius absolverit, cùm ex peregrinatione, expeditione bellica salvus redierit &c.

2 Relinqui potest vel in Testamento, ubi hæres instituitur aliquis, vel sine hæredis institutione; nam sine Testamento legans censetur hæredem ab intestato succedentem gravasse, ut talia Legata solvat *l. si quis* 3. *princ. ff. de Jur. Codicill.*

3 Relinqui potest cum, vel sine scriptura, & nudis verbis, ut sumitur ex *c. indicante* 4. *h. tit. Proceditque* hoc non tantùm de Legatis factis ad piam causam, sed etiam ad profanam, ut rectè notat Pirh. *hic n.* 37.

4 Si nudis verbis, seu nuncupativè absque hæredis institutione, aut Testamento, vel Codicillo legatum relictum sit, nulla requiritur solemnitas *l. ult. C. de fideicomm.* sed sufficit, quòd de voluntate, ac dispositione defuncti, obligantis hæredem ad solvendum Legatum, undecunque constet, ut colligitur ex *cap. indicante cit.* & notat *ibidem* Gloss. *V. nudis verbis*, Abb. *num.* 2. Vivian. *in ration.* Pirh. *loc. cit.*

5 Si in Testamento relictum sit, distinguendum est inter Legata profana, & ad causas pias; nam Legata profana à Testamento pendent, ita, ut si Testamentum corruat, etiam ipsa, tanquam accessoria, corruant, & invalida fiant *l. si ex testamento* 29. *C. de fideicomm.* *l. fin. §. illud C. de Codicill. l. si nemo* 9. *C. de testam. tutel.* Si verò relicta sint ad causas pias, à valore Testamenti non pendent, sed etiam hoc corruente, præstanda sunt ex sententia communiter recepta non tantùm in terris Ecclesiæ, sed etiam in Imperio Romano, adeoque in utroque foro, Ecclesiastico, & Sæculari, ut aliis *citt.* tradit Pirh. *hic num.* 88.

Dub. 5. an, & cui debeatur Legatum, si hoc relictum sit loco, vel personæ incertæ, v. g. quia duo eodem nomine appellantur? Resp. eo casu, nisi ex conjecturis, aut circumstantiis colligi possit, cui illorum potiùs relinquere Testator voluerit, Legatum corruere, & neutri deberi *l. si fuerit* 10. & *l. si quis* 28. *ff. de reb. dub. Proceditque* hoc probabiliter non tantùm in foro externo, sed etiam in foro animæ, ut notat Pirh. *n.* 89. ubi rationem dat, quia *LL. citt.* utrique adimunt Legatum absolutè, & hæ justæ sunt, quippe spectantes bonum publicum, quietem possessionum, & litium diminutionem; Leges autem justæ in foro externo observandæ sunt etiam in foro interno. ergo &c.

Controversia est, an etiam caduca fiant Legata relicta Ecclesiæ, vel alteri pio loco incerto, aut pauperibus generatim? Affirmant Socinus *in l. quidam* 5. *ff. de rebus dub. n.* 12. Sed contra expressam dispositionem Juris, quo Legata incerta favore pauperum, & qui istorum nomine veniunt, sustinentur. Clarus est textus *l. id quod* 24. *C. de Episc. & Cler.* cujus tenor est: *Id, quod pauperibus Testamento, vel Codicillo relinquitur, non ut incertis personis relictum evanescat, sed omnibus modis ratum, firmumque consistat*. Quare dicendum, ejusmodi Legata omnino præstanda esse.

Cui autem præstanda sint, media distinctione eruitur. Vel enim ejusmodi Legatum relictum est pauperibus, vel Ecclesiæ. *Si pauperibus*, in pauperes illius loci, in quo Testator mortuus est, distribui debet. *Novell.* 131. *c.* 11. *Si verò Ecclesiæ, vel alteri pio loco*, ex pluribus in dubio censetur relictum illi, cui testator speciali affectu addictus fuerat. *Si de affectu speciali non constet*, videndum, an ex duabus Ecclesiis, inter quas dubium est, una sit Parochialis, altera non, vel an utraque sit Parochialis defuncti, eò quòd in utraque habuerit domicilium, an verò neutra. *Si primum*, Legatum applicabitur Ecclesiæ Parochiali. *Novell. cit. cap.* 9. *Si secundum*, inter utramque ex æquo dividetur. Tiraquell. *caus. piæ privil.* 56. & alii passim. *Si tertium*, dabitur pauperiori *cap.* 9. *cit.* quia in dubio censetur testator legasse illi Ecclesiæ, cui legando majus opus Charitatis exercet. Quodsi verò Ecclesiæ illæ sint æquè divites, vel æquè pauperes, in optione Episcopi erit applicare illud, cui voluerit, vel potiùs inter easdem dividetur, ut cum aliis notat Covar. *in cap.* 4. *h. tit. num.* 2.

158 Dub. 6. quando peti possint, & solvi debeant Legata? Resp. in hoc generalis est Regula, Legata primùm esse præstanda post mortem Testatoris, & quidem non ante aditam hæreditatem *l. omnia* 32. *princ. ff. de Legat.* 2. *Excipiuntur* Legata pia; hæc enim persistunt firma, etiamsi hæreditas non adeatur.

An statim post aditam hæreditatem peti possit, pendet ex modo, quo aliquid Legato relictum est; nam si purè relictum est, peti statim potest; si verò sub conditione in futurum pendente, ante eventum conditionis non debetur, nec peti potest *l. un. §. sin autem* 7. *C. de Caduc. tollend. l. si cùm hæres* 4. & *l. si post diem* 5. §. *sed si* 2. *ff. quand. dies Legat. &c.* quia antè non est certum debitum.

Excipitur 1. si Legatum relictum sit sub conditione impossibili; quia pro puro hoc Legatum habetur *l. si post diem cit. §. itemque* 4. *Excipitur* 2. si conditio remittatur à Jure, & pro non adjecta habeatur, qualis est, si Legatum relictum sit Virgini sub conditione, *Si non nupserit*; nam etiam nubenti debetur tale Legatum *l. cùm tale* 72. §. *Meviæ* 5. *ff. de condit. & demonstr. Excipitur* 3. si quo minùs conditionem impleret Legatarius, per hæredem, vel per eum stetit, in cujus persona illa implenda fuit; tunc enim ea pro impleta habetur *l. si post diem cit. §. etiamsi* 5. *Excipitur* 4. quando Legatum v. g. 100. aurei alicui puellæ in dotem, *Si nupserit*, relictum fuit principaliter, non intuitu ipsius personæ, sed pietatis; nam ea mortua, hujusmodi Legatum non exspirat, sed alteri puellæ pauperi maritandæ applicandum est, ut rectè advertit Sylv. *V. Legatum* 1. *quæst.* 10. *Excipitur* 5. & generaliter, quandocunque præsumi potest, quòd Testator nihilominus relicturus Legatum fuisset, etsi conditio impleta non fuisset: ita *Novell.* 123. *cap.* 37. statuitur deberi Legatum alicui relictum sub conditione. *Si nupserit*, etiam casu, quo loco nuptiarum ingreditur Religionem, ex benigna interpretatione voluntatis defuncti, adhuc legaturi, si cogitasset de Religione. 159

Dub. 7. quod Beneficium competat Hæredi, quando à Testatore ultra modum gravatus est Legatis, ita, ut iis solutis, non remaneat ei quarta pars bonorum defuncti? Resp. eo casu ex Legatis detrahere potest, quantum necesse est ad illam quartam complendam, ut habetur *Inst. de leg. Falcid. & C. eod.* Statutum id fuit tum propter hæredes, ne solum nomen hæredum absque hæreditate haberent, tum propter ipsos Testatores, ne eorum hæreditas propter nimium Legatorum onus repudiaretur. Lex detractionem istam concedens *Falcidia* appellatur ab ejus authore Cajo Falcidio Tribuno plebis; à Lege autem translatum nomen est ad ipsam partem, quam detrahere, vel dettahendo complere per eam concessum est. 160

Est igitur Falcidia *quarta pars bonorum, ex Legatis, Fideicommissis, & mortis causa donationibus ab hærede deducta, & sibi servata*. Deducere hanc licet cuicunque hæredi, non tantùm necessariò, sed etiam voluntario, & extraneo: imò si ille sit de numero descendentium, vel ascendentium, de bonis Testatoris non tantùm quartam illorum partem, sed legitimam suam portionem integram accipere potest; quia hanc Testator de bonis suis disponendo non potuit diminuere. Molin. *tr.* 2. *de J. & J. D.* 213. *n.* 1. 161

Dub. 8. quæ deducenda sint, priusquam à Legatis detrahatur Falcidia? Resp. 1. deducendum est totum æs alienum defuncti, sive omnia debita, & quæcunque in foro conscientiæ obnoxia sunt restitutioni §. *cùm autem* 3. *Inst. de leg. Falcid.* & ratio est, quia Legata solvenda sunt ex bonis Testatoris; sed bona ejus non intelliguntur, nisi quæ deducto ære alieno supersunt *l. subsignatum* 39. §. *bona* 1. *ff. de V. S.* 2. Deducendæ sunt expensæ funeris §. *cùm autem cit.* & quidquid hæres in Testamenti insinuatione, Inventarii confectione & universim ratione hæreditatis, vel manumissionis servorum quovis modo necessariò expendit. 3. Deinum deduci debent omnia Legata privilegiata, seu illa, ex quibus Falcidia non potest detrahi. 162

His deductis, residuum bonorum, relictorum à defuncto, in quatuor partes dividitur, & harum quarta hæredi manet, tres reliquæ inter Legatarios pro rata portione ejus, quod cuique relictum est, distribui debet §. *fin. Inst. de leg. Falcid.* 163

Quodsi etiam hæredi titulo Legati aliquid relictum sit, non tenetur illud computare in quartam partem titulo hæreditatis sibi debitam, sed pari jure cum aliis Legatariis uti potest *l. in quartam* 91. *ff. ad leg. Falcid.* Quo Falcidia differt à Trebellianica; in hanc enim hæres gravatus, seu fiduciarius computare etiam illud debet, quod Legati nomine ipsi relictum est: imò etiam fructus perceptos eo tempore, quod inter mortem Testatoris, & restitutionem Fideicommissi intercedit, ut habetur *in l. Fideicommissaria* 28. §. *planè* 1. *ff. ad S. C. Trebell.*

Dub. 9. secundùm quod tempus quantitas bonorum defuncti spectari debeat, ut Falcidiam ritè deducat Hæres? Resp. spectari debet secundùm tempus mortis defuncti §. *quantitas* 2. *Inst. de leg. Falcid.* Et hinc si quid post Testatoris mortem, incerta, & nondum adita hæreditate, 164

tate, bonis accrescat, vel decrescat, Legatariis nec prodest, nec nocet, sed totum hæredis lucro, vel damno cedit *leg. in ratione* 30. *princ.* & *l. in quantitate* 73. *princ. ff. ad leg. Falcid. Ratio est*, quia hæreditas mortis tempore hæredi defertur, ut eam, si velit, statim adire possit: eoque tempore ut plurimum cedit dies Legatorum, h. e. Legatariis quæritur jus ad Legata: quæ proinde, quanta eo tempore fuerunt, tanta debentur, ita, ut nec bonorum incremento augeantur, nec decremento decrescant. Magnif. D. Christoph. de Chlingensperg. *Inst. de leg. Falcid. quæst.* 5.

165 Quodsi hæreditas ita decrevit post mortem Testatoris, ut hæres non possit quartam detrahere, liberum hæredi erit adire Hæreditatem, nec ad eam adeundam cogere illum Legatarii poterunt *l. nam quod* 14. *§. quare* 6. & *l. cogi* 16. *§. generaliter* 2. *ff. ad S.C. Trebell.* Si Hæreditatem non adeat, etiam extinguentur Legata, nec debebuntur ab intestato, nisi specialiter hoc Testator voluerit *l. eam* 14. *Cod. de fideic.* Si verò adeat hæreditatem, solida, seu integra Legata præstare debet, nec quidpiam potest deducere. Pirh. *hic num.* 92.

166 Dub. 10. quibus casibus cesset deductio Falcidiæ? Respond. hos casus recenset Gloss. *fin. in §. ult. Inst. de leg. Falcid.* Molin. *tract.* 2. *de J. & J. D.* 213. *numer.* 9. Pirh. *hic numer.* 93. Vviestener. *numer.* 155. & *seqq.* Et

1 Quidem deduci Falcidia nequit de Legatis relictis ad causas pias, prout ex *cap. nos quidem* 3. & *Author. similiter Cod. ad l. Falcid.* communiter deducunt DD. qui proinde docent ea *Auth.* abrogatam esse *l. Lex Falcidia* 1. *§. ad municipium* 5. *ff. ad leg. Falcid.* ubi dicitur Falcidia etiam ad ea, quæ DEO relinquuntur, porrigi. *Excipitur*, nisi hæres institutus etiam ipse sit causa pia; tunc enim dettahere Falcidiam potest, quia tali casu privilegiatus concurrit cum pariter privilegiato, & conf. statur Jure communi.

2 De Jure Codicis *l. in Testamento* 7. *C. ad leg. Falcid.* deduci Falcidia nequit de Legatis relictis in Testamento militari; quia militis in disponendo voluntas sola spectatur: quod Jus tamen alicui cum Mantica *de conject. ult. volunt. l.* 6. *tit.* 1. *num.* 37. volunt esse sublatum per *Novell.* 1. *cap.* 4.

167 3 Quando servis libertas, aut aliquid in eorum libertatem legatur *§. fin. Inst. de leg. Falcid.* & *l. Papinianus* 8. *§. quarta* 9. *ff. de inoffic. testam.*

4 Quando testator non ignarus virium patrimonii sui, expresse prohibuit Falcidiam detrahi. *Auth. sed cum testator C. ad leg. Falcid.* & *Novell.* 1. *cap.* 1. & 2.

5 Quando alicui legatur Instrumentum, vel Scriptura de re aliqua, cujus Legatarius jam erat dominus *l. si prædiorum* 15. *C. eod.*

6 Quando prælegata est dos, ut uxori restituatur *l. cùm dotem* 57. *ff. eod.* quia in hac uxor recepit, quod suum est.

7 Si aliis aliquid legetur tanquam debitum; quia Falcidia non debetur, nisi deducto ære alieno, ut *suprà num.* 162. dictum est.

8 Quando res aliqua ita legatur, ut in perpetuum alienari non possit, sed apud successores ejus, cui relicta est, semper maneat. *Auth. sed & ea C. ad. leg. Falcid.* & *Novell.* 1. *cap.* 1.

168 9 Quando Hæres de bonis hæreditariis aliquid surripuisse, detraxisse, vel occultasse convictus fuerit. *Novell.* 1. *cap.* 2. *princ. vers. sancimus.*

10 Quando Hæres, Inventario non rite confecto, adiit hæreditatem, resque hæreditarias tractare cœperit. *Novell.* 1. *cap.* 2. quia de iis subtraxisse præsumitur: & hinc in foro externo tenetur Legata præstare integra, etiam ultra vires hæreditatis. *Auth. sed cum testator C. ad Leg. Falcid.*

11 Quando hæres à Judice admonitus, intra annum Testatoris voluntatem executus non fuit; nam eo lapso, non solùm perdit jus detrahendi Falcidiam, sed etiam tota hæreditate spoliari potest, excepta legitima portione, si sit de numero eorum, quibus illa debetur. *Novell.* 1. *cap.* 1.

12 Si Hæres Legata integra sciens, prudensque solvit; tunc enim tenetur & reliqua solvere, neque illa, quæ jam solvit, repetere potest *l. error* 9. *C. ad leg. Falcid.* & *Novell.* 1. *cap.* 3. Idem est, si solvit ex Ignorantia Juris, & persona talis sit, in qua ignorantia hæc non toleratur: secus, si ex ignorantia facti v. g. quia putavit, plus esse in hæreditate *l. error. cit.*

§. VI.

De Testamenti Resolutione.

SUMMARIUM.

169 *Testamentum validè confectum resolvitur aut Juris, aut adminiculo hominis.*
170 *Prius contingit primò, quando rumpitur.*
171 *Quod fit Agnatione Posthumi.*
172 *Etiam quoad Legata.*
173 *Cum triplici exceptione.*
174 *Arrogatione, vel Adoptione.*
175 *Ubi an rumpatur etiam quoad Legata pia.*
176 *Et denique mutatione voluntatis Testatoris.*
177 *Ubi quando Testamentum posterius deroget priori.*
178 *Testamentum irritatur, quando Testator patit diminutionem capitis.*
179 180 *Exceptiones.*
181 *An Testamenta etiam irritentur superveniente f. rore, surditate, prodigalitate?*
182 *An secuta Testatoris Professione Religiosa? Argu menta sententiæ affirmantis.*
183 *Resolvitur negativa.*
184 *Si professus ille sit Religionem successionis hæredita ria incapacem, statim effectum habet.*
185 *Si capacem, exspectanda est mors ejusdem natu ralis.*
186 *Testamentum destituitur propriè, & impropriè.*
187 *Quot modis destituatur propriè?*
188 *Quid sit Querela inofficiosi? & quibus competat?*
189 *Contra quos?*
190 *Quando cesset?*

Olim resolvebatur Testamentum solo lapsu decennii, hodie temporanea ista Testamenti evacuatio sublata est, ut constat ex *l. sancimus* 27. *C. de Testam.* & remanserunt duo duntaxat modi, quibus resolvi Testamenta, etiam validè confecta, possunt, videlicet via Juris, & facto hominis. *Via Juris* id contingit tripliciter, cùm sc. Testamentum rumpitur, irritatur, vel destituitur. *Adminiculo hominis* autem, quando, mota Inofficiosi querela, rescinditur officio Judicis.

Quæritur 1. quando *rumpatur* Testamentum? Resp. tunc illud *rumpitur*, quando *in eodem statu manente Testatore, ipsius Testamenti jus vitiatur*, i. e. si vitium infirmans directè incurrit in ipsum Testamentum, etsi persona Testatoris maneat in eodem statu juridico, nullam patiens capitis diminutionem *§. rumpitur* 1. *Inst. quib. mod. testam. infirm.* Fit autem hoc tribus modis, Agnatione posthumi, Arrogatione, vel Adoptione, & voluntate Testatoris mutata.

Dub. 1. quando Testamentum rumpatur *Agnatione Posthumi*? Resp. Agnatione posthumi Testamentum rumpitur, quando Testatori post mortem, vel post Testamentum absolutum, & perfectum nascitur filius ex justis nuptiis procreatus, de quo nulla in Testamento facta est mentio *§. nominatim* 1. *vers. posthumi Inst. de exhæred. liberor. Proceditque hoc*, etsi iste illico, & in obstetricis manibus decesserit, ut clarè habetur *l. quod certatum* 3. *C. de posthum. hæred. instit.*

Difficultas est, utrum rumpatur hoc casu tantùm quoad institutiones, an verò etiam quoad Legata? Videntur hæc adhuc deberi ob *Auth. ex causa C. de Liber. præterit.* ubi dicitur *Testamentum ex causa exhæredationis, vel præteritionis irritum esse quoad Institutiones, cætera autem* (conf. etiam Legata) *permanere firma.*

Sed retinenda est communis sententia, juxta quam, si Testamentum rumpatur agnatione posthumi, etiam Legata non conservantur. Ita Gaill. *l.* 2. *obs.* 113. *numer.* 2. Menoch. *de arbitr. cas.* 137. *num.* 1. Barry *de testat. & intestat. l.* 10. *tit.* 10. *num.* 9. Brunnem. *in l. sicut* 9. *C. de testam. milit. num.* 5. Magnif. D. Christoph. de Chlingensperg. *Inst. quibus mod. testam. infirment. quæst.* 3. Magnif. D. Verlohner *tract. de testam. art.* 9. *quæst.* 1. *num.* 1. Clariss. P. Schmier *p.* 1. *de success. hæred. cap.* 1. *num.* 461. P. Vviest. *hic num.* 226. *Ratio est*, quia donatio inter vivos, quæ duorum voluntate nititur, fortior est, quàm Legatum, aut Fideicommissum, quod ex sola Testatoris voluntate pendet: atqui donatio inter vivos, nativitate Liberorum, tanquam inofficiosa, revocatur, ut dictum est *suprà Tit.* 24. ergo multo magis Legatum.

Excipitur 1. si quid legatum sit ad piam causam in quantitate moderatam; nam etiam illi, qui Liberos habent, 17:

bent, ejusmodi facere Legata assolent. Barry *l. cit. n.* 10. *Excipitur* 2. si quid Legatum sit pro exoneranda conscientia e.g. in restitutionem usurarum, & aliorum malè partorum? quia talia Legata sunt non tam liberalitas, quàm necessaria restitutio. *Excipitur* 3. generaliter quodcunque Legatum, si tale sit, ut verisimiliter Testator illud censeatur fuisse relicturus, etsi filios habuisset; quia tunc præsumptio contraria cessat.

Sic limitatæ responsioni non obstat Argumentum sumptum ex *Auth. cit.* quia hæc solùm procedit in filio jam nato, vel nascituro, scienter præterito, non verò nascituro, vel nato præterito ignoranter; de isto enim, & non de illo præsumi potest, quòd ejusmodi Legatum relicturus non fuisset.

74 Dub. 2. quando Testamentum rumpatur *Arrogatione*, vel *Adoptione*? Resp. Adoptione, vel Arrogatione rumpitur, quando Testator post Testamentum conditum sibi arrogat aliquem, qui sui juris est, vel adoptat unum ex descendentibus, & in familiam, ac potestatem suam redigit §. *rumpitur cit.* junct. *l. cùm in adoptivis* 10. *C. de adoption. Ratio est*, quia suus hæres Testamento prætetitus id agnatione rumpit §. *cit.* is autem, qui arrogatur, vel ab aliquo ascendente adoptatur, fit suus hæres §. *posthumorum* 2. *Inst. de exhæred. liberor.* nam adoptio, & arrogatio est quædam quasi Agnatio Civilis. ergo &c. Idem dicendum, ut rectè monet P. Jacobus Vvex. *Ariadn. p.* 2. *tab.* 6. *ad lib.* 2. *Inst. membr.* 1. *num.* 1. *in fin.* quando vitium natalium per legitimationem à filio naturali tollitur.

15 Controverti hîc potest, an Testamentum atrogatione, vel adoptione rumpatur etiam quoad Legata pia? In quo opus est distinctione: vel enim hæc relicta sunt in moderata aliqua quantitate, vel contra in magna. *Si primum*, quoad ea Testamentum non rumpitur; quia quoad illa, ut ex *num.* 173. patet, etiam non rumpitur agnatione. *Si secundum*, videndum est, an adoptatus sit aliquis ex descendentibus, vel alius extraneus. *Si aliquis ex descendentibus*, rumpetur Testamentum quoad talia Legata; quia in hoc naturalia, & Civilia jura concurrunt. Si extraneus, nec Legata, etiam in magna quantitate relicta, nec ipsum etiam Testamentum pium hujusmodi Arrogatione evacuabitur, sed sufficiet, si conservatis cæteris, quæ in tali Testamento ordinata sunt, sic arrogato præstetur Quarta, quæ ei debetur ex Constitutione Divi Pii *l. Papinianus* 8. §. *siquis impubes* 15. *ff. dein offic. testam.*

7 Dub. 3. quomodò Testamentum rumpatur mutatione voluntatis Testatoris? Resp. hæc mutatio fieri dupliciter potest, verbo, vel facto. *Quoad mutationem verbalem* regula traditur, eam ad eversionem Testamenti non sufficere, licèt coram septem testibus expressa sit, nisi decennium à tempore conditi Testamenti elapsum fuerit *l. sancimus* 27. *C. h. tit.* Vim majorem habet *Realis*: & hæc duplici modo potest contingere. 1. quando prius Testamentum ex voluntate consulta Testatoris conscinditur, vel laceratur, aut quocunque modo corrumpitur *l. qui in testamento* 1. *princ. ff. de his, quæ in testam. &c.* & *l. fin. ff. de liber. & posthum.* 2. quando Testator aliud Testamentum confecit §. *posteriori* 2. *Inst. quib. mod. testam. infirm.* & *l. hac consultissima* 21. §. *siquis* 3. *C. de testam.*

7 Si tamen priori Testamento addita fuisset clausula, derogans omni Testamento posteriori, huic necesse esset derogari in Testamento secundo, ut monet Haun. *tom.* 3. *tr.* 6. *n.* 177. *Excipitur* 1. si Testamentum posterius sit conditum inter Liberos; nam per hoc revocatur Testamentum anterius factum inter extraneos, quæcunque demum clausula fuerit huic opposita, modò Juramento promissorio confirmatum non sit, neque opus est, ut clausulæ illius fiat mentio in Testamento posteriore, ut ex *Auth. hoc inter liberos C. h. tit.* & *Novell.* 107. *cap.* 2. communiter DD. colligunt. *Excipitur* 2. si Testamentum prius, munitum tali clausula, sit profanum, & posterius pium; nam per hoc etiam sine mentione clausulæ rumpitur profanum prius, ut *in Auth. cit.* cum aliis docet Jason. *Ratio est*, quia ob nimium studium, quo quilibet Christianus præsumitur non minùs animæ suæ, quàm liberis velle prospicere, pari passu procedit Testamentum inter Liberos conditum, & conditum ad causas pias.

8 Quæritur 2. quando *irritetur* Testamentum? Resp. Testamentum irritatur, quando vitium id infirmans, & resolvens directè afficit personam testatoris, quòd is post Testamentum ritè confectum, & perfectum mutarit statum, patiendo vel maximam, vel mediam, vel minimam capitis diminutionem, ubi libertas in prima, in secunda civitas, in tertia familia v. gr. per Arrogationem perditur §. *alio* 4. *Inst. quib. mod. testam. infirm.* & *l. siquis* 6. §. *irritum* 5. *cum seqq. ff. de injust. rupt. irrit. testam. Ratio est*, quia capite diminutus aut bona sua omnino perdit, ut fit in eo, qui passus est capitis diminutionem maximam, vel mediam, aut saltem illa in potestate sua habere desinit, ut fit in illo, qui passus est capitis diminutionem minimam, quippe qui illa in domum, & familiam alienam transtulit.

179 *Excipitur* 1. Testamentum militis, de peculio Castrensi, vel quasi Castrensi factum; hoc enim jus arrogatione non rumpitur *l. siquis cit.* §. *fin. Ratio est*, quia hæc bona per Arrogationem non amittit, sed retinet etiam post illam tam dominium, quàm administrationem illorum.

Excipitur 2. Testamentum eorum, qui post illud ritè perfectum ab hostibus capti sunt: nam istorum Testamenta, non tantùm, si redeant, sed etsi in hostium potestate decedant, quasi jure postliminii sustinentur, & effectum consequuntur perinde, ac si in hostium potestatem non devenissent, aut cùm caperentur, occubuissent §. *fin. Inst. quib. non est permiss. testam. fac.* & *l. Cornelia* 12. *ff. qui testam. facer. poss.*

180 *Excipitur* 3. si capitis diminutionem passi statum postea recuperent, & mortis tempore cives, suique Juris sint: ubi tamen distinguendum est inter passos capitis diminutionem infimam, & inter passos capitis diminutionem maximam, vel mediam; nam priorum voluntas præcedens ut reconvalescat, necesse est, ut Testator de novo declaret, quòd eandem valere velit: quod tamen non requiritur, ut reconvalescat voluntas præcedens in posterioribus §. *non tamen* 6. *Inst. quib. mod. testam. infirm.* & *l. qui ex liberis* 11. §. *testamento* 4. *vers. planè ff. de bonor. poss. secund. tabul. Ratio est*, quia capitis diminutionem maximam, aut mediam passus statum mutat invitus; passus verò infimam, volens: is autem, qui statum mutat invitus, non censetur mutare priorem voluntatem; secus, si statum mutet volens. ergo &c.

181 Dub. 1. an Testamenta etiam irritentur furore, surditate, & prodigalitate superveniente? *Ratio dubitandi est*; quia hujusmodi naturali, aut morali vitio laborans perinde, ut capite diminutus, in eum statum devenit, in quo Testamentum non potest facere, ut constat ex dictis *num.* 69. Verùm hæc ratio levis est, cùm maxima sit inter hunc, & capite diminutum disparitas; iste enim statum, i. e. libertatem, civitatem, aut familiam amittit, ille hæc omnia retinet. igitur licèt Testamentum de novo non possit condere, nihil tamen impedit, quo minùs antea rite conditum hæredem, & exitum habeat. P. Vviest. *hic num.* 237.

182 Dub. 2. an Testamentum, ante ingressum Religionis conditum rumpatur, aut irritetur, secuta postea Professione? Affirmant non pauci DD. sed non ex eadem ratione; nam 1. aliqui cum Gloss. *in Auth. siqua mulier V. competere C. de SS. Eccl.* putant id rumpi Professione, quasi agnatione, quòd Professo Monasterium loco filii sit. 2. alii irritari id putant professione eadem, quasi capitis diminutione, quòd per eam mutetur status, & Professus sui Juris esse desinat. 3. alii cum Bartol. Bald. &c. existimant Professionem continere tacitam quandam revocationem, quòd profitendo censeatur se, suaque omnia dedicasse Monasterio.

183 Sed meliùs cum communiter DD. negatur, Testamentum Professione aut rumpi, aut irritari; quia non apparet, ex quo capite rumpatur, aut irritetur. Non enim rumpitur 1. *quasi posthumi præteriti agnatione*; quia Monasterium vel non habetur loco filii, vel si loco filii habetur aliquando, non habetur, nisi in casibus Jure expressis, qualis tamen præsens non est. Non 2. *quasi capitis diminutione*; quia etsi Professione mutetur status, ea tamen mutatio est alterius, & sublimioris ordinis, quàm quæ capitis diminutione inducitur, ut adeo à capitis diminutione ad Professionem Religiosam non liceat ducere Argumentum. Non denique 3. *quasi mutata voluntate priore*, qua Testamentum condidit; quia imprimis tacita revocatio non sufficit *l. sancimus* 27. *C. hoc tit.* Et si sufficeret, hæc tamen immeritò ex Professione præsumitur; quia Religiosus tantùm illa bona sua Monasterio dedicasse præsumitur; de quibus ante ingressum, vel Professionem dispositionem non fecit. *Auth. nunc autem C. de Episc. & Cleric.* ibi, *Si priùs testamentum non fuit.*

184 Dub. 3. quando effectum habeat Testamentum, conditum a Religioso ante ingressum suum in Religionem? Resp. cum distinctione: Vel enim testator ingressus est Religionem successionis hæreditariæ incapacem, vel contra ejus capacem.

Si primum, ejus Testamentum statim à Professione

emissa effectum habet, ita, ut hæreditas ei relicta statim deferatur, & Legata debeantur, non secus, acsi naturaliter fuisset mortuus, ut cum communi notat Pal. *tract.16. D. 1. p. 14. num. 5. Ratio est*, quia Professio in ejusmodi Religione edita quoad omnes effectus, ac proinde etiam quoad Professi bona idem operatur, quod mors naturalis.

185 *Si secundum*, Testamentum Testatoris talem Religionem ingressi effectum non habet usque ad mortem naturalem illius, adeò, ut ante illam nec hæreditas, nec Legata danda sint iis, quibus relicta sunt, sed omnia Professi bona tam quoad proprietatem, quàm quoad usumfructum interea maneant penes Monasterium, ut cum aliis rectè advertit Sanch. *l.7.mor. cap. 3. num.69.* tunc enim Professio non æquiparatur morti naturali, sed Monasterium repræsentat personam Professi, quamdiu iste superstes est. Et hinc si hæres, vel legatarius decedant ante Testatorem Professum, hæreditatem, & legata ad hæredes suos non transmittent, sed illa, tanquam caduca, pleno jure, & perpetuo remanebunt penes Monasterium *arg. l. satius* 48. §. *Cornelio* 1. *ff. de jur. fisc.*

Excipitur, si Testator voluisset, ut suum Testamentum ab ipso Professionis die effectum haberet; potest enim Religionem ingrediens disponere de rebus suis, prout voluerit. Quocunque autem modo disposuerit, dispositionem illam emissa Professione revocare non ampliùs potest; quia revocatio talis condendi Testamenti potestatem supponit, qua caret Professus.

186 Quæritur 3. quomodo *destituatur* Testamentum? Resp. Testamentum destituitur, cùm vitium id infirmans directè afficit hæredem; cùm enim istius institutio caput, & fundamentum Testamenti sit, ut dictum est *num.* 68. hærede deficiente, etiam Testamentum irritum fieri necesse est.

Fit autem hoc dupliciter, propriè, & impropriè. *Impropriè* destituitur, quando hæres scriptus moritur ante Testatorem; tunc enim non potest jus succedendi transmittere ad hæredes suos, cùm ipsemet nondum hæres fuerit; quia nemo vivus hæredem habet. *Propriè* destituitur, quando Testatore defuncto, adiri hæreditas potuisset, sed ob omissam aditionem effectum non consequitur.

187 Quod iterum dupliciter potest contingere. 1. si ideo non adiit hæreditatem, quia intra annum deliberandi mortuus est, si simpliciter repudiet hæreditatem. *Si secundum contingat*, simpliciter destituta hæreditas dicitur, non verò, *si primum*; quia eam adeundi jus intra annum hæres illo institutus ad hæredes suos transmittit: qui si eam repudient, tum enim verò per se loquendo Testamentum destitutum dicetur *l. testamentum* 1.*ff.de injust.rupt.&c.* & *l.cùm in antiquioribus* 19. *C.de jur.deliberand.* non tamen omnino; quia, ut testis est Haun. *tom.2.de J.&J. tract.6.num.* 151. non desunt DD. qui tali casu Legatariis, & Fideicommissariis velint concessam facultatem, ut saltem Legata, & Fideicommissa consequantur ex *Novell.* 1. *cap.* 1. §. 1. *vers. si verò nullus aliter.* Quidquid de hoc sit, destituto hujusmodi Testamento, Legata tamen pia in eo relicta præstanda sunt, ut communissima habet sententia apud Barry *l.* 10. *de testat.&intestat.tit.* 13. *num.* 14.

188 Quæritur 4. quid sit Querela inofficiosi? & quibus competat? Resp. Querela inofficiosi est remedium extraordinarium, Jure introductum, competens personis, quæ cùm Lege hæredes deberent institui, contra pietatis officium immeritò exhæredatæ, vel præteritæ fuerunt: *Inst. princ.* & *l. hoc colore 2.ff. de inoffic. testam.*

Competit hoc omnibus iis, quibus ex Juris dispositione debetur Legitima, transmittuntque hi illam etiam ad hæredes, cum discrimine tamen: nam si Sui isti sint, transmittunt ad eos etiam non præparatam; si verò extranei, per contestationem litis, vel ejus comminationem, aut agnitam bonorum possessionem jam præparatam *l. scimus* 36. §.*fin.* & *l.siquis* 34. *C. de inoffic. Testament.*

189 Instituenda autem est Querela ista contra hæredes institutos, postquam delatam sibi hæreditatem adiverunt *l. Papinianus* 8. §. *si conditioni* 10. *ff. eod.* Petitur per illam; tum ut Testamentum, contra officium e. g. paternum factum, rescindatur; tum ut hæreditas quasi ab intestato restituatur agenti *l. quæ nuper* 31. *C.* & *l. eum qui* 21. §. *item respondit* 2. *ff. eod.*

Hodie in linea ascendente, vel descendente regulariter locum non habet; quia ex recepta in praxi sententia, si inter Ascendentes, & Descendentes injusta exhæredatio, vel præteritio contingat, Testamentum quoad Institutiones habetur pro nullo, & præteritis, tanquam ab intestato, permittitur ex æquo cum aliis ad hæreditatem venire. *Novell.* 115. *cap.*3. & 4. quod confirmatur in Jure nostro Bavarico *Landrecht tit.* 35. *art.* 1. *Excipitur* 1. si legitima causa exhæredationi adscripta est, quæ tamen ab hærede probari non potest, 2. si post commissam ingratitudinem, & subsecutam exhæredationem reconciliatio inter patrem, & filium facta est; nam hoc duplici casu Testamentum etiamnum valet, & per Querelam everti debet. *Landrecht tit.* 35. *cit. art.* 1. Fachin. *lib. 6. contr. cap.* 79. Anton. Faber. *Error. pragm. decad.* 14. *erro.* 7. Magnif. D. Christoph. de Chlingensperg. *Inst. tit. de inoffic. testam. quæst.* 3.

Cessat Querela hæc pluribus casibus. 1. si suppetat aliud remedium ordinarium, quo exhæredatus, salvo Testamento, ad hæreditatem, vel partem, illius perveniat §. *tam autem* 2. *Inst. de inoffic. testam. Ratio est*, quia Querela hæc est remedium extraordinarium, cui locus non est, quando aliud Ordinarium datur. 2. si instituta sit causa pia; quia quòd Testamentum ex inofficiosi querela everti possit, sapit meram Juris Civilis subtilitatem, quæ in Testamentis ad pias causas factis non attenditur: hinc tali casu filius consequetur solam Legitimam. Tiraquell. *caus.piæ privil.* 14. 3. si exhæredatus Testamentum approbavit, aut Querelæ quomodocunque, etiam tacitè v. gr. Legatum eo relictum agnoscendo renuntiavit *l.siquando* 35. §. *& generaliter* 2.*C.eod.* potest tamen eo casu ex textu *cit.* agere pro supplemento Legitimæ. 4. si quinquennio tacuerit post aditam hæreditatem *l. siquis filium* 34. *in fin. C. eod.* Legitimam tamen, & istius supplementum petere potest usque ad 30. annos. Brunnem. *in l. cit. num.* 6. 5. si exhæredatio facta sit ex justa, veraque causa. *Novell.* 115. *cap.* 3. §. 14. *vers. sive igitur.* Plura de his Civilistæ.

§. VII.

De Executione Testamenti, & aliarum Ultimarum Voluntatum.

SUMMARIUM.

191 *Licet cuilibet constituere Executores Testamenti sui.*
192 *Talis potest esse fœmina, minor* 25. *annis, Clericus, & Religiosus.*
193 *Nec unus tantùm, iique etiam diversæ professionis.*
194 *Religiosus ad munus istud suscipiendum indiget licentia Superioris.*
195 196 *Gesta tamen absque hac valent.*
197 *Initio munus hoc suscipitur liberè, ad susceptum autem implendum compelli quis potest.*
198 *A Judice Executoris competente.*
199 *Etiamsi id Testator prohibuerit, aut Legatarii non petant.*
200 *Tempus, intra quod executio fieri debet.*
201 *Non est continuum, sed utile.*
202 *Pœna intra hoc tempus non exequentis Testamentum.*
203 *Ubi cui pars Executori relicta accrescat?*
204 *Debet dare rationem Executionis suæ.*
205 *Religiosi, & Clerici non exempti Episcopo.*
206 *Exempti Clerici Sæculares Papæ, vel ejus Legato.*

Quæritur 1. quotuplicis generis sint Executores Testamentorum? Resp. quemadmodum Tutores, ita & Executores Testamentorum, aliarumque Ultimarum Voluntatum sunt triplicis generis, videlicet Testamentarii, Legitimi, & Dativi. *Testamentarii* vocantur, qui ab ipso Testatore in ultima sua voluntate designati sunt; *Legitimi*, qui à Lege, seu Jure dati; *Dativi*, qui à Magistratu, seu Judice constituti.

Cuilibet Testatori licet Executorem Testamenti sui constituere, quem ipse vult. Si Executorem ipse non constituit, executio, etiam quoad Legata, est penes hæredes, ut colligitur ex *cap. nos quidem* 3. *hoc tit.* ibi, *Cujus desiderium*, i. e. supremæ voluntatis executio, *à Religiosa fœmina ejus hærede protrahitur. Excipiuntur* ea, quæ pro redemptione captivorum, vel pauperum alimentis sunt relicta; horum enim executio, alio à Testatore non destinato, non ad hæredes, sed ad Episcopum loci, tanquam patrem pauperum, & miserabilium personarum spectare debet *l. nulli* 28. *C. de Episc. & Cler.* & *Novell.* 131. *cap.* 10. nisi aliud consuetudo loci legitimè introducta habeat.

192 Quæritur 2. quinam eſſe Teſtamentorum, & Ultimarum Voluntatum Executores poſſint? Reſp. poſſunt eſſe quicunque: & ii quidem 1. non tantùm mares, ſed etiam fœminæ *cap. nos quidem* 3. *hoc tit.* & *l. à filio* 15. *ff. de alim. legat.*

2 Non tantùm majores, ſed etiam minores 25. annis, modò decimum ſeptimum ætatis annum exceſſerint; quia hæc ætas ſufficit, ut quis ſit Procurator ad negotia *cap. quia generaliter* 5. §. *fin. de Procurator. in* 6.

3 Non tantùm Laici, ſed etiam Clerici: imò & Religioſi, etiamſi Teſtamentum conditum ſit ſolùm ad cauſas profanas, ut colligitur ex *cap. tua* 17. *cap. Joannis* 19. *h. tit. cap. Religioſus* 2. *eod. in* 6. qui ultimus textus de Religioſo ultimæ voluntatis executore generaliter loquitur, nulla diſtinctione facta inter cauſas pias, & profanas. *Ratio eſt*, quia juſtæ voluntatis defuncti ad cauſas etiam profanas executio inter pia opera numerati ſolet, quæ Religioſum non dedecent.

193 4 Conſtitui poſſunt Executores, non unus tantùm, ſed plures. Si plures conſtituantur, & unus eorum decedat, abſens ſit, vel aliàs impeditus, poſſunt procedere reliqui *cap. Religioſus cit.* §. *ſanè*, ubi etiam ratio additur, *ne ſcilicet Teſtatoris voluntatem diu impediri, vel nimis differri contingat. Excipitur*, niſi in talem caſum aliud ſit Teſtamento expreſſum §. *ſanè cit.* cùm enim rationabilis voluntas Teſtatoris pro Lege habeatur, id, quod Teſtamento expreſſerit, in hujuſmodi eventum obſervandum erit. Vivian. *in* §. *ſanè cit.*

5 Perinde eſt, ſive Executores, quando plures conſtituuntur, unius, an diverſæ profeſſionis ſint; poteſt enim conſtitui Laicus cum Clerico, vel Religioſo. *Neque obſtat*, quòd aliàs in uno, eodemque officio non debeat eſſe diſpar profeſſio *can. in nova* 22. *cauſ.* 16. *quæſt.* 7. quia id non procedit, quando qui diverſæ profeſſionis ſunt, admittuntur ad aliquid agendum, ut non Collegium, vel ut corpus unitum, ſed ut ſinguli, & diverſa capita. Pirh. *hic num.* 102.

194 Quæritur 3. an omnes Religioſi, & quo pacto Executores Teſtamentorum, & Ultimarum Voluntatum eſſe poſſint? Reſp. poſſunt omnes, quibus id per Regulam, & Conſtitutiones peculiares Ordinis ſui non repugnat, non tamen ſine licentia Superioris ſui, prout ſtatuitur *cap. Religioſus* 2. *cit.* & *Clem. un. h. tit.*

Dixi, *quibus id non repugnat &c.* propter FF. Minores Ordinis S. Franciſci, qui Executores Teſtamentorum eſſe omnino prohibentur, ita, ut neque Superior ipſis date licentiam poſſit. *Clem. exivi* 1. §. *item quod verſ. cumque dicti de V. S.* & redditur ibi ratio; *quia pro nulla re temporali poſſunt in Judicio experiri*; Executoris autem munus ſæpe expediri, & rite obiri nequit ſine litigio.

Addidi, *non tamen ſine licentia Superioris*: Hanc in Religionibus non exemptis dare poteſt non tantum Prælatus Ordinis, ſed etiam Epiſcopus, & Sede Epiſcopali vacante, Capitulum; in Exemptis verò ſolus Prælatus Ordinis, iſque non ſupremus tantum, ſed etiam immediatus, niſi per peculiares Ordinis Conſtitutiones aliud quid præſcribatur, prout fit in Societate JESU, ubi ad munus Executoris Teſtamenti ſuſcipiendum facultatem dare poteſt ſolus Generalis, ſeu is, cui ab iſto poteſtas hanc concedendi communicata eſt. *Conſt. p.* 6. *c.* 3. §. 7. *litt. D.*

195 *Dubium eſt*, an geſta à Religioſo, qui munus exequendi Teſtamentum ſine licentia Superioris contra Canonum prohibitionem ſuſcepit, ſint valida? Negant cum pluribus aliis Sylv. *V. teſtamentum* 2. *q.* 2. *dict.* 3. Covar. *in c. tua nos* 17. *hoc tit. n.* 2. *in fin.* Molin. *tr.* 2. *de J. & J. D.* 247. *n.* 9. Moventur 1. *arg. l. non dubium* 5. *C. de LL.* ſecundum quam nulla ſunt, quæ Lege prohibente fiunt. 2. *Ratione*: quia Religioſus velle, & nolle non habet, niſi dependenter à ſuo Superiore: igitur iſto nolente, Religioſus executoris munus ſuſcipiens perinde ſe habet, ac is ſe habet, qui non vult eſſe executor, ſed hujus acta, ſiquid agit circa executionem Teſtamenti, invalida ſunt; quia verus executor non eſt. ergo etiam Religioſi executionis munus ſuſcipientis ſine Superioris ſui licentia.

196 Sed adhuc probabilius eſt ejuſmodi executionem regulariter eſſe validam. Ita cum communiore DD. Menoch. *l.* 2. *præſumpt.* 46. *num.* 14. Azor *p.* 1. *l.* 12. *c.* 11. *q.* 1. Pal. *tr.* 16. *D.* 4. *p.* 13. §. 1. *num.* 8. & plures alii ab his citt. *Ratio eſt*, quia adeſt ſufficiens voluntas, & conſenſus teſtatoris, & executoris, ſpectato Jure naturali: & licèt Canones prohibeant, non tamen irritant executionem factam.

Ex quo patet ad Argumenta allata in contrarium. *Ad* 1. Lex illa ſolum procedit, quando non ſiſtitur intra terminos prohibitionis, ſed res aliqua ad formam requiritur; non autem ita requiritur licentia in noſtro caſu. ergo &c. *Ad* 2. quamvis Religioſus ſine licentia Superioris non poſſit velle, aut nolle aliquid licitè, poteſt tamen velle, & nolle ſimpliciter, quod ſufficit ad valorem actus, à Jure non irritati, ut notat Frid. Senenſ. *conſ.* 293. *in fin.*

Quæritur 4. an is, cui à Teſtatore Executoris munus 197 eſt demandatum, compelli poſſit ad illud ſuſcipiendum? Reſp. regulariter non poſſe compelli ad illud ſuſcipiendum, poſſe tamen ad implendum, ſi illud expreſſe, vel tacite in ſe ſuſcepit. Ita paſſim DD. & colligitur ex *c. Joannes* 19. *h. tit. Ratio eſt*, quia officium Executoris eſt inſtar officii Procuratoris, quod licet à principio voluntarium, poſt ſuſceptum tamen mandatum neceſſariò implendum eſt *l. invitus* 17. *C. de Procurat.*

Dixi *regulariter*; quia imprimis ad id munus ſuſcipiendum cogi poteſt Religioſus à Superiore ſuo Regulari. Deinde ſi ita neceſſitas exigat, Clericum ſibi ſubditum, recuſantem acceptare munus Executoris, compellere poteſt Epiſcopus ad pia Legata exequenda, ſi non ut Executorem Teſtamentarium, ſaltem ut Delegatum, & Commiſſarium ſuum, ut recte advertit Pirh. *hic num.* 113.

Addidi *Expreſſè, vel tacitè*; ſufficit enim acceptatio tacita, quæ ex facto aliquo cognoſci poſſit, ut actum aliquem muneris exerceat, vel ſi litteras, in quibus Executoris munus ipſi demandatum eſt, ſcienter accepit, nec contradixit, aut contra proteſtatus eſt *arg. Clem.* 1. *de Procurat.* & tradit Bartol. *in leg. Titius* 24. *ff. de Conſtitut.*

Dubium eſt, à quo Judice Executor Teſtamenti ad 198 exequenda Legata in illo relicta compelli poſſit? Reſp. cum diſtinctione: Vel enim Teſtator eſt Clericus, vel Laicus. *Si primum*, inſinuatio Teſtamenti coram ſolo Judice Eccleſiaſtico, & ab hoc ſolo fieri compulſio debet, nec immiſcere ſe eo caſu Judex Sæcularis in Executionem poteſt.

Si ſecundum, Gloſſ. *in c.* 17. *V. piis voluntatibus h. tit.* diſtinguit inter Legata pia, & non pia. *In Legatis piis* admittit Executorem compelli ad ea exequenda poſſe tam à Judice Sæculari, quàm ab Eccleſiaſtico; at *in profanis* putat compulſionem ſpectare ad ſolum Judicem Sæcularem. Sed melius ſentit Gloſſ. *in c.* 7. *V. ab Epiſcopo hoc tit.* cum communi doctrina, juxta quam compulſio etiam tali caſu eſt mixti fori, ita, ut inter Judicem Laicum, & Eccleſiaſticum locus præventioni ſit. *Primum* colligitur ex *c. nos quidem* 3. *can. ſi hæredes* 6. *c. tua* 17. *hoc tit.* & ſtatuitur in Trid. *ſeſſ.* 21. *cap.* 8. *de reform. Alterum* de Legatis profanis ſumitur ex *c.* 6. *cit.* & *c. Joannes* 19. *hoc tit.*

Ratio utriuſque eſt, quia Judex Eccleſiaſticus ſubvenire debet miſerabilibus perſonis, & deſtitutis omni auxilio *c. ſuper. quibuſdam* 26. *de V. S.* ſed defunctus eſt talis perſona, cum ipſemet agere non poſſit, ut ultima ſua voluntas impleatur. ergo &c.

Proceditque hoc 1. etiamſi Teſtator prohibuiſſet in 199 Teſtamento, ne Epiſcopus, vel Judex Sæcularis Executorem ad exequendum compellat, prout conſtat ex *c. tua cit.* & ratio eſt, quia cum Teſtator ſit perſona privata, non poteſt tollere, vel impedire diſpoſitionem juris publici, & communis.

Procedit 2. etſi is, cui talia Legata in Teſtamento relicta ſunt, id non exigat, vel non poſſit exigere, prout colligitur ex *c. nos quidem cit.* ubi proceſſum eſt ad ejuſmodi compulſionem ex mero officio Epiſcopi, nemine petente.

Quæritur 5. intra quod tempus Hæredes & Execu- 200 tores ultimam Voluntatem defuncti implere debeant? Reſp. diſtinguendo: vel enim Teſtator ipſe certum tempus executioni præſcripſit, vel non præſcripſit. *Si primum*, intra illud tempus implenda eſt ejus Voluntas ultima; quia hæc eſt inſtar Legis, & pro Lege habenda *can. ultima* 4. *cauſ.* 13. *qu.* 2. *Si ſecundum*, executio fieri debet, quamprimum poſt aditam Hæreditatem poteſt, ut communis docet cum Sylv. *V. Teſtamentum* 2. *q.* 6. Quodſi hæres, vel Executor poſt præviam monitionem, ſaltem unam, à Judice Eccleſiaſtico, vel Sæculari factam, illam intra annum non exequatur, eo elapſo, poteſtis exequendi, ſaltem quoad pia Legata, devolvitur ad Epiſcopum, ut habetur *c. nos quidem* 3. *h. tit. Auth. hoc amplius Cod. de fideicomm.* & *Novell.* 131. *c.* 10.

Dubium eſt, an tempus Executori ab homine, vel 201 jure ſtatutum ad implenda defuncti juſſa ſit continuum, vel utile? Continuum eſſe, & conſ. etiam ignoranti, & legitimè impedito currere, docet Durand. *in Specul. l.* 2. *p.* 2. *tit. de Inſtrum. addit.* §. 13. *num.* 39. ex ratione,

tione, quia definitum est in favorem eorum, quibus aliquid in Testamento relictum est, præsertim si in piam causam e.g. pauperum alimenta relictum sit, ne Legatis, sive relictis diu carere debeant. atqui tempus definitum in favorem alterius continuum est juxta doctrinam receptam Gloss. *in c. 3. V. numerandum de præbend. in 6.* ergo &c.

Hæc sententia valde probabilis est, probabilius tamen est illud esse utile, adeoque ignoranti, & legitimè impedito non currere. Ita Abb. *in repetit. c. cum esses* 10. *hoc tit. num. ult.* Covar. *in c. 3. cit. n.* 3. *&* 4. Barbos. *ibid. num.* 3. Pirh. *hic num.* 122. *Ratio est*, quia hoc tempus executoribus concessum non statutum est in merum favorem Legatariorum, sed in odium, & pœnam Executorum negligentium, ut patet ex *c. 3. cit.* ibi *implere neglexerit*. atqui tempus statutum in favorem unius & odium alterius ignoranti, & legitime impedito non currit. ergo &c.

Hinc cadit Argumentum sententiæ oppositæ.

202 Quæritur 6. quæ sit pœna Hæredis, vel Executoris, si hic intra tempus à Jure definitum negligat exequi voluntatem Testatoris ultimam? Resp. in pœnam privatur rebus à defuncto sibi relictis cum fructibus, & cæteris emolumentis, ut habetur *c. si hæredes 6. hoc tit. Auth. hoc amplius C. de fideicomm.* & *Novell.* 1. *c.* 1. §. *si quis autem* 1. *princ. Extenditur hoc* 1. tam ad Legata pia, quàm ad profana, cum discrimine tamen; nam qui Legata profana exequi negligit; pœnam istam primum incurrit post annum negligentiæ; atqui pia, etiam intra illum, ut patet ex *Novell.* 131. *c.* 12. *vers. si autem Legatum. Extenditur* 2. tam ad Executorem, qui hæres est, quàm ad eum, qui non est hæres; nam *l. si Patroni* 55. §. *quid ergo* 3. *ff. ad S. C. Trebell.* generaliter pronuntiat, *eum, qui destituit supremas defuncti voluntates, indignum esse, ut aliquid consequatur ex ea voluntate. Excipiuntur*, hæredes necessarii; nam hi, etsi negligentes sint in exequenda ultima voluntate Testatoris, etiam quoad Legata pia, non tamen ideo privantur sua portione Legitima, quippe quæ illis non ex voluntate Testatoris, sed ex Juris dispositione obvenit.

203 *Dubium est*, cui applicanda sint emolumenta, quibus ob negligentiam in executione Testamenti commissam privatus est Hæres, vel Executor? Quod resolvendum est distinctione: *vel enim Testator jam ipse de his disposuit in Testamento*; & tunc omnino standum est voluntate Testatoris, & emolumenta applicanda illi, cui Testator voluit. *Vel contra nihil de illis disposuit*, & tunc iterum distinguendum est, an dispositio facta sit ad pias causas; an verò ad profanas. *Si primum*, Episcopus facultatem habet vindicandi sibi omne lucrum, seu commoda, quæ Hæredi, vel Executori relicta erant, & quibus ob negligentiam privatus fuit, ita tamen, ut ad pias causa ea applicet, ut habetur *Auth. licet C. de Episc. & Cleric.* & *Novell.* 131. *c.* 11. *vers. si quis autem hoc facere &c. Si secundum*, lucrum, & commoda, relicta executori, deferuntur aliis cohæredibus, aut collegatariis, vel etiam hæredibus ab intestato venientibus, ac deinceps aliis secundum ordinem præscriptum *in Auth. hoc amplius C. de fideicomm. & Novell.* 1. *c.* 1.

204 Quæritur 7. quænam sit obligatio Executoris post executionem factam? Resp. tenetur ad rationem reddendam; cum duplici tamen limitatione. 1. Si res sint minimæ; nam de his ejus Juramento creditur, si commodè Instrumentum non poterat confici. 2. Si quæ Testator ipsi secretò exequenda commisit; hoc casu tamen ipsi non creditur, nisi commissionem secretam sibi factam vel ex Testamenti ipsius tabulis, vel per idoneos testes probet.

205 *Dubium est*, cui rationem executionis Testamenti, & aliarum ultimarum voluntatum reddere debeant Clerici, & Religiosi Testamentorum Executores? Resp. cum distinctione inter Religiosos, & Clericos Sæculares.

Religiosi, etiam Exempti, si claustrales sint, seu in Monasterio degant, rationem reddere Episcopo suo Diœcesano debent; nam in hoc puncto eidem subjiciuntur, ut patet ex *Clem. un. h. tit.* Idem dicendum de *Clericis Sæcularibus non exemptis*.

206 Major difficultas est *de Clericis Sæcularibus exemptis*; nam paritas rationis etiam ad hos videtur extendi. Melius tamen negatur, & dicitur, istas Executionis Testamentariæ rationes Papæ duntaxat, vel ejus Legato, aut alteri suo legitimo Superiori teneri reddere. Ita Gloss. *in Clem. cit. V. tales*, Abb. *ibid. n.* 8. Barbos. *n.* 5. Pirh. *hic n.* 111. Vviest. *n.* 289. *Ad rationem dubitandi* negari etiam potest, quòd eadem sit ratio in Clericis Sæcularibus, quæ in Religiosis exemptis; nam ut Gloss. *cit.* dicit, impulsiva hujus prohibitionis causa fuit, quia Religiosi plus in his delinquebant, quàm Sæculares.

§. VIII.

De Commutatione Ultimarum Voluntatum.

SUMMARIUM.

Quæritur 1. an commutare Ultimas voluntates possint Executores? Respond. non posse, sed standum ipsis omnino est voluntate defuncti, & hæc, si de facto, & de Jure, sive licitè, & honestè possit, omnino implenda, ita, ut relicta à Testatore in alios, quam destinata sunt, usus converti, etiam de hæredum consensu, nequeant *c. conquestus* 16. *de for. compet. can. nos quidem* 3. *hoc tit. Clem.* 2. *de Relig. domib.* & Trid. *sess.* 22. *c.* 6. *de reform. Ratio est*, quia Executorum munus, & officium, ut ipsum eorum nomen indicat, est executione, seu ministerio suo implere, quod supremæ voluntatis suæ elogio defunctus constituit. 207

Excipitur 1. si mutetur in melius quoad tempus, terminum executioni à Testatore præfixum præveniendo; quia talis præventio non censetur esse contra voluntatem defuncti *arg. l. post mortem* 12. *C. de Fideicomm.* ubi rogatus post mortem suam restituere hæreditatem alteri, potest restituere illam etiamnum vivens. 208

Excipitur 2. si ipse Testator Executori facultatem in opus, quod melius judicaverit, commutandi specialiter concessit; quia etiam hac in re defuncti voluntas servanda, & commutandi facultas Executori adimenda non est. Socin. *de oblat. l.* 19. *num.* 21. Vviest. *hic num.* 292.

Excipitur 3. si Legatum relictum certo loco, aut alteri usui, ad illum applicari non possit; tunc enim Legata, saltem pia, ita implenda sunt, ut quàm minimè recedatur à voluntate defuncti: quod fiet, si cum Episcopi consensu Executores id, quod ita relictum est, applicent ad alium usum pium. Molin. *tract.* 2. *Disp.* 249. *num.* 7.

Dubium est, an Executor, jussus pecuniam distribuere in pauperes, aut impendere in alios usus pios, partem aliquam sibi ipsi applicare possit, si ipse sit verè pauper? Negat hoc posse, nisi in casu extremæ necessitatis, cum quibusdam aliis Sylv. *V. Testamentum* 2. *q.* 2. *dist.* 5. & videtur hoc etiam probare ratio. 1. Quia Testamento relicta expendenda sunt secundum voluntatem defuncti *c. tua* 17. *h. tit.* hoc autem non facit Executor, partem à Testatore pauperibus relictorum applicando sibi *arg. l. si mandavero* 22. §. *si tibi* 7. *ff. mandati*, ubi dicitur eum, qui jussus est dare, quæ (vel potius, ut alii legunt, *cui*) voluerit, & illud ipse consumpserit, mandati actione teneri. 2. Quia siquis pro Pœnitentia à Confessario injuncta jussus est aliquid pecuniarum erogare in pauperes, nullam ejus partem potest applicare sibi. ergo similiter hoc negandum est de Executore Testamenti. 209

Sed respondendum est distinguendo: Vel enim Testator voluit, ut pecunia ab ipso relicta certis, & ab Executore distinctis personis distribuatur; & tum si de hoc constat, ejus mens omnino implenda est *c. tua* 17. *h. tit.* Vel contra nulla determinata persona ab eo est destinata, sed Legatum solum relictum pauperibus in genere; & tunc verius est, si Executor verè pauper sit, eum posse relictorum partem aliquam applicare sibi. Ita Menoch. *l.* 4. *præsumpt.* 125. *n.* 17. Sanch. *l.* 6. *mor. c.* 11. *num.* 54. *&* 55. Barbos. *de Offic. Episc. allegat.* 83. *numer.* 21. & apud hos plurimi alii *citt. Ratio est*, quia si ipse vere pauper sit, relictorum pars, 210

quam

quam ipse sibi attribuit, jam est expensam in pauperem, & cons. impleta Testatoris voluntas: Imò ejusmodi applicatio congruit ordini Charitatis, quæ à seipso incipit.

211 Addidi autem, *Partem aliquam;* nam jussus erogare pecuniam in pauperes, eam totam nec sibi, nec alii soli applicare potest, quòd Testator utendo numero plurali censeatur voluisse subvenire egestati plurium.

212 Neque obstant Responsioni nostræ Argumenta opposita. *Ad* 1. dispositio *l. cit.* intelligi debet de eo, qui sibi applicat relictum, quod ex mente Testatoris in alios distribuendum erat; non verò de illo, qui partem aliquam sibi retinet ex iis, quæ distribuenda erant in pauperes solum in genere. *Ad* 2. negatur paritas; nam Confessarius injungendo hujusmodi Eleemosynam, eam injunxit pœnitenti in pœnam, pœnæ autem rationem non haberet, si pœnitens eam posset retinere sibi.

213 Quæritur 2. an ad commutandas ultimas Voluntates necessaria sit authoritas Superioris, & cujus? *Necessariam* illam esse, indubium est ex iis, quæ hactenus dicta sunt. Cujus Superioris authoritate opus sit, expediri distinctione potest: Vel enim res ibi relictæ ad causam piam relictæ sunt, vel contra ad causam profanam.

Si primum, extra controversiam est, eam commutationem fieri posse à Summo Pontif. Colligitur ex *Clem.* 2. *de Relig. Domib.* nam ibi Clemens V. postquam dixit, ea quæ ad certum usum largitione sunt destinata fidelium, ad illum, non alium usum converti debere, addidit Clausulam, *Salva Sedis Apostolicæ authoritate*, igitur Argumento à sensu contrario authoritate Sedis illius commutatio fieri potest. Nec immeritò; nam penes Sedem Apostolicam est suprema, generalis, & immediatè à Christo collata administratio, & dispositio omnium rerum, quæ relationem ad finem supernaturalem habent, ita, ut disponere de iis libere possit, prout publicæ, & privatæ necessitates exegerint, aut utilitates suaserint, ut cum S. Thom. 2. 2. q. 100. *art.* 1. communiter docent TT. & Canonistæ. atqui relicta ad causas pias vel maximè relationem habent ad finem supernaturalem. igitur si ita vel necessitas, vel utilitas suaserit, illa ad alium usum, quàm à Testatore præscriptum sit, applicare Pontifex, & sic ultimam Voluntatem commutare poterit.

214 *Si secundum*, & ultima Voluntas solum tendat ad causam profanam, ad commutationem illius sufficit authoritas Principis, vel Magistratus Sæcularis supremi, ut cum communi docet Suar. *l.* 2. *de Legib. c.* 14. *num.* 11. & colligitur ex *l. legatum* 4. *ff. de administr. rer. ad civit. pertin. Ratio est*, quia res istæ, & voluntates subditorum, quatenus istas respiciunt, proprio Principi ita subjiciuntur, ut de iis saltem ex justa, & publicam utilitatem concernente causa disponere valeat, prout sumitur ex *l. Lucius* 11. *princ. ff. de eviction.* & *l. quod semel* 5. *ff. de Decret. ab Ordin. faciend.*

Dubium est, an commutare ultimas Voluntates etiam possint Episcopi? Negant Molin. *tr.* 2. *D.* 249. *n.* 5. Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 83. *num.* 2. Pirh. *hic num.* 132. *in fin.* & alii ab his *citt.* juxta quos solius Principis, videlicet Papæ, si causa pia sit, vel Principis Sæcularis, Superiorem non recognoscentis, si causa profana, proprium est ultimas Voluntates Testatorum è rationabili causa commutare. *Fundantur* 1. textibus compluribus Juris Canonici *c. conquestus* 16. *de for. compet. c. nos quidem* 3. *h. tit. c. tua* 17. *eod.* & præsertim *Clem.* 2. *de Relig. Domib.* qua Episcoporum curæ commendatur, ut in certos usus largitione fidelium relicta in eos convertantur; illorum autem conversio, aut commutatio soli Papæ vindicatur. 2. Ex *l. legatum* 4. *cit.* qua prohibetur, ne pecunia, quæ civitati, aut municipio relicta est, in aliam rem, quam defunctus voluit, citra supremi Principis authoritatem convertatur. atqui in Hierarchia Ecclesiastica Supremus Princeps est solus Papa. ergo &c. 3. Ex *ratione:* quia Legem Superioris relaxare, aut ei derogare inferior non potest. ita derogaret Episcopus, si commutaret ultimas voluntates defunctorum; quia commutatio ista Jure Ecclesiastico communi vetita est *can. ultima* 4. *caus.* 13. *quæst.* 3. *c. nos quidem*, *c. tua*, & *Clem. citt.*

215 Sed his non obstantibus, communior, & in praxi apud Episcopos recepta sententia est, quæ iisdem rerum ad certos usus pios relictarum à Testatore, in alios similes usus conversionem, ex justa causa, & ad instantiam hæredum, vel saltem de consensu illorum permittit. Ostenditur 1. ex *can. præter hoc* 6. *vers. deinde dist.* 32. ubi asseritur, quòd *oblationes vivorum*, & *mortuorum in Episcoporum dispositione sint*. 2. Ex Trid. quod *sess.* 22. *c.* 6. *de reform.* Episcopis non tantum præscribit modum, quem observare debent in commutationibus ultimarum Voluntatum, sed etiam Commutationes istas ex justa causa faciendi potestatem iisdem generali Delegatione confirmat. 3. Ex *ratione:* quia Testatorum voluntas, quando ex justa causa in alios, præsertim meliores usus, relicta convertuntur, non infringitur, sed declaratur, ut licet non formalis, virtualis tamen, & interpretativa eorum dispositio adimpleatur.

Argumenta Adversariorum faciunt quidem illorum sententiam admodum probabilem, non tamen convincunt. *Ad* 1. *Clem. cit.* intelligi debet de casu, quo Testamento relicta ad causas pias convertuntur ad usum minus pium, & minùs utilem, ac sine justa ab ipsis hæredibus, vel executoribus: tres reliqui textus executionem ultimarum Voluntatem Episcopo quidem commendant, non verò adimunt eidem potestatem eas commutandi in melius. *Ad* 2. Lex illa Civilis attendenda non est, cùm potestatem sic commutandi, ut paulò antea dixi, Episcopi à Sede Apostolica per Delegationem generalem acceperint. *Ad* 3. ita commutando non ipsi Episcopi Juri communi Ecclesiastico derogant, sed eidem jam antea derogavit Pontifex, & Conc. Trid. dum *l. cit.* vel confirmavit, vel concessit generalem potestatem ex justa causa commutandi ultimas Voluntates. 216

Quæritur 3. an præter Pontificem, & Episcopus potestatem commutandi ultimas Voluntates etiam habeant alii? Resp. habent omnes, quicumque Jurisdictionem quasi Episcopalem obtinent: adeoque etiam S. R. E. Cardinales, quamvis Presbyteri, vel Diaconi tantum, in Ecclesia sui Tituli: item Prælati Episcopis inferiores, qui Jurisdictionem quasi Episcopalem in certum Territorium, & populum exercent: & probabilius etiam Capitulum, Sede Episcopali vacante; quia commutatio ista non est actus Ordinis, sed Jurisdictionis Episcopalis, & quidem probabiliter Ordinariæ, ut rectè advertit P. Wiest. *hic n.* 303. hæc autem ab Episcopo Sede vacante ad Capitulum transit. 217

Dubium est, an ea potestas etiam competat Vicario Generali? Resp. distinguendo inter Vicarium generalem Sede plena, & ea vacante. *Vicarius Generalis*, *Sede plena*, relicta in certos usus convertere in alios, etiam meliores, vi mandati sui generalis non potest; quia Commutationes istæ sunt de causis gravioribus, & arduis, quas ut exequi Vicarius Generalis Episcopi possit, speciali mandato ejusdem indiget. 218

De Vicario Generali Capituli Sede vacante distinguendum est inter Jus antiquum, & novum Trid. nam jure antiquo etiam ipse opus habebat speciali mandato Capituli ad faciendam ejusmodi commutationem; nunc autem post Trid. sufficit mandatum generale: & ratio est, quia ex ejusdem S. Synodi Decreto totum exercitium Jurisdictionis Episcopalis à Capitulo Sede vacante transfertur in Vicarium Generalem à se electum, vel confirmatum: conf. etiam sine speciali mandato ea poterit: quæ alias tale mandatum requirerent, nisi specialiter aliquid sibi reservasset Capitulum. Gattier. *l.* 1. *qq. can. c.* 11. *n.* 10. 219

Quæritur 4. quænam causa esse debeat, ut ad commutandam ultimam Voluntatem sufficiat? Resp. sufficit quæcumque causa justa, & rationabilis, ut rectè observat Monet. *de commut. ult. volunt. c.* 6. *n.* 109. 220

Talis in specie est. 1. si Ultima Voluntas impleri nequeat: quia impossibilium nulla est obligatio *l. impossibilium* 185. *ff.* & *Reg.* 6. *de R. I. in* 6. igitur tali casu impleri illa debebit in alio.

2 Si in ejus executione occurrat magna difficultas; nam id quoque, quod valde difficile est, reputatur moraliter impossibile, cum id tantum dicamur posse, quod commode possumus *c. statuimus* 13. *de offic. deleg. in* 6. & *l. nepos* 125. *ff. de V. S.* 221

3 Si in ejus commutatione inveniatur evidens utilitas; nam hæc necessitati æquiparatur, & hinc quæ ob necessitatem, fere omnia etiam permittuntur ob evidentem utilitatem inde provenientem.

4 Si eam suadeat pietas, v. gr. redemptio captivorum, detentorum à paganis, sublevatio pauperum tempore famis &c. cùm enim tali casu oppignorari, & distrahi possint res Ecclesiarum mobiles, calices, vasa &c. ex eadem causa etiam commutari ultimæ voluntates poterunt.

5 Si alia similis causa urgeat: unde ut in hujusmodi

Voluntatibus ultimis commutandis prudenter procedat Superior, in considerationem adducet non tantum causam ipsam, sed etiam Legata, an pia illa, vel solum profana sint; certum enim est, quod ad commutanda Legata profana minor sufficiat causa, quàm ad commutanda Legata pia.

§. IX.

De Portione Canonica Episcopali.

S U M M A R I U M.

222 *Quid sit Portio Canonica Episcopalis?*
223 *Cui debeatur, & ex quo capite?*
224 *Quibus casibus non præstetur?*
225 *An debeatur ex iis, quæ Ecclesiis obveniunt Jure Institutionis, aut mortis causa donatione.*
226 *An ex relictis Ecclesiæ, vel Monasterio exempto? Argumenta sententiæ affirmantis.*
227 *Concluditur pro negativa.*
228 *Respondetur ad Argumenta contraria.*
229 *Quid dicendum, si Testator Episcopo reliquit propriam suam portionem?*
230 *Præsertim, quando addidit conditionem, ut ea portione Episcopus esset contentus?*
231 *Cui Episcopo debeatur Portio Canonica, quando Testator Legatum fecit Ecclesiæ alterius Diœcesis?*

PОrtio Canonica sic dicitur, quia à SS. Canonibus introducta, & approbata est. Duplex dividitur, una *Episcopalis*, altera *Parochialis*. De hac ex instituto agetur *infra Tit. 28. num. 83.* de Episcopali hic.

222 Quæritur 1. quid sit *Portio Canonica Episcopalis?* quibus debeatur? & quo ex capite?

Ad 1. respondeo, regulariter, & spectato jure, est quarta pars obventionum, & bonorum mobilium, ac immobilium, quæ inferioribus Ecclesiis, Monasteriis, Hospitalibus, cæterisque Sacris, & Religiosis locis, intra Diœcesim sitis, per ultimam Voluntatem à defunctis pro anima sua relicta sunt *can. Vulteranæ 25. & pluribus seqq. caus. q. 2. c. conquerente 16. de Offic. Judic. Ordin.* Dixi *regulariter*, *& spectato Jure*; nam ex consuetudine pro diversitate locorum diversa est, prout innuit *c. requisivisti 15. h. tit.* & alicubi quidem minor est quarta, alibi autem major, videlicet tertia, vel etiam dimidia. Gloss. *in cap. 15. cit. V. quartam.*

223 *Ad* 2. debetur Episcopo: *Episcopi* autem nomine hic veniunt etiam Prælati inferiores quicunque, qui in certum territorium, & populum, pleno jure sibi subjectum, jurisdictionem quasi Episcopalem exercent.

Ad 3. tria sunt capita, ex quibus Portio ista debetur Episcopis, & iis, qui jurisdictionem quasi Episcopalem in populum habent, videlicet Superioritas, quam in Ecclesias sibi subjectas obtinent *can. decrevimus 10. caus. 10. q. 1.* onus pastorale, quod iisdem incumbit *c. conquerente cit.* & communicatio, quæ intercedit inter ipsum, & Ecclesiam, cui aliquid est relictum *c. requisisti cit.*

224 Quæritur 2. quibus casibus Portio hæc non præstetur? Resp. casus ejusmodi plures aliis *citt.* enumerat P. Vvest. *hic num. 258. & seqq.* & 1. quidem, siquid Ecclesiæ, vel aliis ejusmodi locis obvenerit ex contractu, vel donatione inter vivos. 2. si relictum sit personæ, non Ecclesiæ, vel dignitati. 3. si pauperibus Studiosis alendis, puellis egenis dotandis, aut aliis miserabilibus personis; quia relictum censetur ipsis personis. Neque refert, etsi istæ in certa aliqua domo simul habitent, modo illa Episcopi authoritate erecta non sit. 4. si relictum sit Ecclesiæ, vel Monasterio, non pro anima, sed ob aliam causam, e. g. pro servitio ab Ecclesia sibi præstito. 5. si pro ædificatione, vel reparatione Ecclesiæ, pro supellectili, & ornamentis Sacris, pro excitando Sacello, vel Altari, pro fundatione Beneficii, vel Missæ &c. 6. si locus Sacer, cui aliquid relictum est, gaudeat speciali privilegio Apostolico, quo eximatur à Portione reddenda Episcopo: sed hoc privilegium, ut ejusmodi immunitatem defacto præstet, obtineri debet in forma speciali. 7. si tales Ecclesiæ, & loca Sacra vi consuetudinis, vel potius præscriptionis ab obligatione portionem istam solvendi sint factæ immunes; nam adversus illam præscriptio quadragenaria cum titulo conjuncta prævalet, ut patet ex *c. de quarta 4. de præscript.*

225 Quæritur 3. an Canonica Portio debeatur etiam ex iis, quæ Ecclesiis, Monasteriis &c. obveniunt mortis causa donatione, aut jure Institutionis. *Rationem dubitandi* faciunt *c. ex parte, c. officii, c. requisisti, & c. fin. citt.* ubi cum de Portione Episcopali agitur, ponuntur verba *Relicti, & Legati*, quæ proprie conveniunt iis, quæ Legati, non quæ Institutionis, aut donationis mortis causa nomine ad successores transeunt.

Sed adhuc respondendum est affirmativè cum communi DD. idque ex paritate rationis: ideo enim ex Legatis debetur Episcopo portio Canonica, quia pro animæ salute per ultimam Voluntatem relicta sunt; hoc autem contingit non minus per mortis causa donationem, & institutionem hæredis, quàm per Legatum relictum Ecclesiæ: ergo &c. Quare dicendum, Portionem Canonicam Episcopo solvendam ex iis omnibus, quæ ad hunc finem, sc. pro animæ salute; ultima Voluntate à defuncto relinquuntur, & obveniunt Episcopis Diœcesanis: Imò non de his tantum, sed etiam de hæreditate, quæ Ecclesiæ ab intestato defertur, Episcopo portionem illam deberi, non obscure traditur *c. de sancto 2. de success. ab intest.*

Ad rationem dubitandi textus *citt.* de Legatis loquuntur, non quod ex illis solis debeatur Canonica Portio, sed quod ea frequentissimè obveniant Ecclesiis, hæreditates autem rarò. Deinde verbo *relicta* etiam includitur Hæredis Institutio, ut colligitur ex *c. Raynutius 16. vers. mortuo*, & *l. quoniam 15. C. de testam.* & ideo necesse non erat specialem mentionem fieri de Institutione. Sed neque opus erat fieri mentionem de mortis causa donatione; cum enim ista ultimis Voluntatibus connumeretur, facilè quisque colligere poterat, eandem in hac, quæ in aliis Voluntatibus ultimis obligationem esse.

Quæritur 4. an Episcopo debeatur Portio Canonica etiam de relictis Ecclesiæ, vel Monasterio exempto? Affirmat Hostiens. *in Summ. de Sepultur. num. 12.* Laym. *l. 3. tr. 5. c. 12. num. 13.* & alii ab his *citt.* *Nituntur* 1. textibus *citt.* & *can. constitutum 60. caus. 16. quæst. 1.* ubi generaliter, & indistinctè portio ista conceditur Episcopo ex iis, quæ Ecclesiis, & aliis locis piis Diœcesanis sunt relicta. 2. *paritate* cum Portione Canonica Parochiali, quam etiam Exempti solvere de funeralibus, & cæteris hujusmodi obventionibus debent. *Clem. dudum 7. §. & deinde vers. verum de sepultur.* 3. *praxi hodierna* nonnullarum Ecclesiarum Cathedralium Germaniæ nostræ, quæ nomine Portionis Canonicæ partem vigesimam, vel aliam similem exigunt de iis omnibus, quæ locis Religiosis, etiam exemptis, ultima Voluntate relinquuntur à Clericis Beneficiatis, saltem Parochis. 226

Verùm his non obstantibus, melius negatur, quod ex his Portio Canonica debeatur Episcopo. Ita Innoc. *in c. requisisti cit. in princ.* Sylv. *V. Canonica portio q. 3.* Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 86. numer. 10.* Pirhing *hic num. 100.* Vviestner *num. 267.* & ipso teste cæteri Doctorum plerique. *Ratio est* 1. quia in Ecclesiis exemptis cessat causa, ob quam cæteræ Ecclesiæ Portionem Canonicam Episcopo debent solvere, cum illarum Diœcesanus non ipse, sed Papa sit. 2. Portio Canonica tantum solvitur Episcopo ab Ecclesiis sitis intra Diœcesin ejusdem. atqui locus exemptus in Diœcesi æquiparatur loco extra Diœcesin sito; & propterea dicitur esse *in Diœcesi quidem*, sed non *de Diœcesi*. 3. Portio Canonica est unum ex Juribus Episcopalibus, pertinentibus vel ad Legem Episcopi Diœcesanam, vel Jurisdictionis. atqui à Lege Diœcesana eximuntur Monasteria omnia, à Lege Jurisdictionis autem saltem Exempti. ergo &c. 227

Argumenta contraria debilia omnino sunt. *Ad* 1. rationes allatæ satis probant, textuum *citt.* generalitatem restringi solum ad loca non exempta. *Ad* 2. negatur paritas. nam ratio solvendi Portionem Canonicam Parochialem locum habet, etiamsi defunctus sepultus sit in loco exempto; solvitur enim ideo, quia defuncto ab Ecclesia Parochiali ex obligatione ministrata sunt Sacramenta, aliaque Divina. *Ad* 3. defalcatio illa vicesimæ, vel alterius similis partis potius habet rationem spolii, quàm Portionis Canonicæ, & exigitur non tantum ex iis, quæ Ecclesiis, & locis sacris, sed etiam, quæ personis privatis, & consanguineis relicta sunt ab ejusmodi Clericis, ex quibus tamen, ut ex *num. 224.* patet, Portio Canonica peti non potest. 228

Quæritur 5. an siquis in Testamento Episcopo reliquit propriam suam partem, & præter hanc alia multa in eodem Testamento relicta sint Monasteriis, vel aliis piis causis, Episcopus, non obstante, quòd propriam portionem ex Testamento sit consecutus, adhuc petere possit 229

possit Portionem Canonicam ex aliis piis legatis, relictis in illo Testamento? Resp. cum distinctione: Vel enim Testator Episcopo propriam aliquam Portionem legavit absolutè, vel conditionatè, ut illa sola esset contentus.

Si primum, Jus suum Episcopo inviolatum manet, ita, ut non obstante, quòd illam Portionem consecutus sit, insuper petere possit Portionem Canonicam ex aliis Legatis piis, ut decisum est *c. officii* 14. *hoc tit. Ratio est*, quia quando concurrunt duo debita, quæ ex diverso capite, & à diversis relicta sunt, nisi vel is, cui debentur, alterutri debito sponte renuntiaverit, vel ex parte relinquentis detur animus compensandi, utrumque debitum peti potest *l. Titia* 19. §. *qui Marco* 1. *ff. de annuis Legat.* atqui in proposito casu duo concurrunt debita, quæ ex diverso debentur capite, & à diversis, nempe Legatum ex mente Testatoris ab hærede, & Portio Canonica ex dispositione Juris ab Ecclesia solvenda: neque dici potest, quòd Episcopus renuntiarit Portioni Canonicæ, aut ex parte relinquentis datus fuerit animus compensandi: *primum non*; quia renuntiatio est stricti Juris, neque sine necessitate est asserenda: *sed neque secundum*; quia cùm relinquens non sit debitor Episcopi, deberet exprimere adjecta conditione, seu pacto, *ut Episcopus contentus sit Portione legata*. cum igitur hoc non fecerit, non censetur legando ipsi portionem ex hæreditate, eidem voluisse auferre Portionem Canonicam.

Si secundum contingat, & Testator propriam Portionem Episcopo leget ea conditione, ut illa sola esset contentus, multum interest, an Episcopus Legatum illud repudiaverit, an verò acceptarit: *Si repudiavit*, Portionem Canonicam Jure sibi competentem exigere potest ex omnibus Legatis relictis Ecclesiæ, vel Monasterio &c. *Proceditque hoc*, etsi Testator prohibuisset eam solvi; quia hæc Portio debetur Episcopo ex dispositione Canonis, seu Juris communis, cui pactis privatorum derogari non potest. *Si acceptavit* Portionem sibi legatam sub ea conditione, ultra id, quod ipsi relictum est, petere amplius nihil potest, ut decisum est *c. officii cit.* & ratio est. quia ita acceptando Legatum Portioni alias sibi debitæ renuntiasse censetur. *Excipitur*, nisi constet, quòd Testator in fraudem modicum quid pro Mortuario, & funeralibus constituerit, ut in cæteris Episcopus Portione Canonica privaretur; nam tali casu ipse nihilominus ex aliis piis relictis Portionem à Canone constitutam potest exigere *c. officii cit.* & ratio *ibidem* datur; quia dolus, & fraus alicui patrocinari non debent.

Quæritur 6. cui Episcopo debeatur Portio Canonica ex Legato, quòd à Testatore alterius Diœcesis e. g. Ratisbonensis relictum est Ecclesiæ sitæ in nostra Eystettensi? Respond. deberi Episcopo Eystettensi non Ratisbonensi. Ita aliis *citt.* Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 86. *numer.* 29. *Ratio est*, quia portio Canonica præstanda est Episcopo, non ratione personæ relinquentis, sed ratione Jurisdictionis, Curæ Pastoralis, & Superioritatis, quæ cùm respectu Ecclesiæ sitæ in Diœcesi Eystettensi competat soli Episcopo Eystettensi, etiam portio Canonica huic est solvenda.

TITULUS XXVII.

De Successionibus ab intestato.

HActenus de Testamentaria Successione. Sequitur de ea, quæ ab Intestato conceditur. Hæc quia ex dispositione Legis, justam defuncti voluntatem supplentis, datur, *Legitima* appellatur *l. legitimam* 8. *ff. de hæred. petit.* & *l. ea verò* 3. §. *de illo* 2. *ff. pro Socio*.

§. I.

De Natura Successionis ab Intestato, & requisitis.

SUMMARIUM.

1 *Definitio Successionis ab intestato, & divisio.*
2 *Locus ei est, quando succedi non potest ex Testamento.*
3 *Differentia ejus à Successione Testamentaria.*
4 *Ordo Successionis ab intestato.*
5 *Modus computandi Gradus in ordine ad Successionem in linea recta.*
6 *In linea transversa.*
7 *Forma hujus Successionis.*
8 9 *Probanda, ut locus eidem sit.*
10 *Materia, finis, effectus.*

QUæritur 1. quid sit *Successio ab Intestato*, & quotuplex? Resp. *est hæreditatis legitimæ extra casum ultimæ Voluntatis defuncti acquisitio tot. tit. ff. si quis omiss. caus. testam. &c.* Duplex est; nam alia est successio in stirpes, alia in capita. *Successio in stirpes* illa dicitur, quando non habetur ratio multitudinis, vel paucitatis personarum succedentium, sed stirpis, ex qua descendunt singulæ, ita, ut hæreditas dividatur, non in personas æqualiter, sed in stirpes §. *cum filius* 6. & §. *fin. Inst. de hæred. quæ ab intestat. Successio in capita*, quando inter ejusdem gradus hæredes secundum numerum personarum viventium hæreditas dividitur. *Novell.* 118. *c.* 3. *in fin.* 1

Quæritur 2. quando locus sit Successioni legitimæ, seu ab intestato? Resp. locus eidem tum demum est, quando succedi non potest ex Testamento *l. quamdiu* 39. *ff. de acquir. vel amitt. hæred.* & *Reg.* 89. *ff. de R. J.* quod multiplici modo fieri potest. 1. quando defunctus nullum condidit Testamentum, vel quia non voluit, vel quia non potuit, quod sc. impeditus fuerit aut facto, quia v. g. morte præventus est; aut Jure, quia furiosus, impubes, filiusf. aut alius Lege, vel Canone prohibitus *l. intestati* 1. *princ. vers. planè ff. de Suis, & legitim. hæred.* 2. quando Testamentum quidem condidit, sed invalidum, eo quod solemnitates, ad ejus valorem à Jure requisitas omiserit *l. fin. C. fam. hercisc.* 3. quando Testamentum à defuncto confectum validum quidem fuit, sed ruptum, & invalidum factum, v. g. agnatione posthumi præteriti, capitis diminutione, aut Querela inofficiosi proposita. 4. denique quando ex Testamento, quod defunctus condidit, nemo hæres existit, eo, quod vel mortuus fuerit ante Testatorem, vel hæreditatem adire nolit. *princ. cit.* & *l. intestatus* 64. *ff. de V. S.* 2

Quæritur 3. in quo differat, & in quo conveniat Successio Legitima, & Testamentaria? Resp. differt, quòd ista fiat voluntate Testaroris, illa ex dispositione Legis, defectum justæ voluntatis supplentis: in cæteris plerisque conveniunt; nam 1. in utraque succeditur in jus universum defuncti *l. hæreditas* 62. *ff. de R. J.* 2. utraque Fideicommissum relinqui potest §. *præterea* 10. *Inst. de Fideicomm. hæred.* 3. ex utraque Falcidia detrahitur *l. filiusfam.* 18. *ff. ad Leg. Falcid.* 4. in utraque aditione hæreditatis opus est *l. si ex pluribus* 9. *ff. de Suis, & legitim. hæred.* alias hæreditas non transmittitur ad transversales hæredes *l. quoniam* 7. *C. de Jur. deliber.* 3

Quæritur 4. quo ordine succedatur ab intestato? Respond. ordo iste describitur *Novell.* 118. & non obscure approbatur etiam à Jure Canonico *can. Sacerdotes* 1. *caus.* 12. *qu.* 4. 1. & ante omnes ab intestato succedunt defuncto ejusdem Liberi legitimi, aliique ex his præmortuis descendentes. *Novell. cit. cap.* 2. quia ad bona à defuncto relicta vocantur voto ipsorum parentum, quippe qui meritò credi possunt, quòd relicta à se bona potius velint pertinere ad eos, per quos illorum diuturnitatis memoria in ævum est duratura, *l. liberorum* 220. §. *fin. ff. de V. S.* 2. si Liberos legitimos, vel ex his descendentes defunctus nullos reliquerit, succedunt eidem Ascendentes. *Novell. cit. c.* 2. parentes enim cum Liberis eadem penè persona reputantur §. *quodsi* 4. *vers. ei verò Inst. de inutil. stipul.* imò istis succedendo, ad propria sua bona reverti videntur *l. successorium* 1. §. *largius* 12. *ff. de Success. edict.* 3. deficientibus tam Ascendentibus, quàm Descendentibus, ab intestato succedunt consanguinei ejusdem collaterales. *Novell. cit. cap.* 3. 4. si neque ex istis aliquis extet, marito succedit uxor, & vicissim *l. un. C. unde vir, & uxor &c.* Clerico autem, si Beneficium aliquod habuit, Ecclesia, in qua habuit Beneficium *can. fin. caus.* 12. *q.* 5. *c. sed hoc* 1. *hoc tit.* & *l. si quis Presbyter* 20. *C. de Episc. & Cleric.* nam Ecclesia Clerico Beneficiato est loco uxoris *arg. c. inter* 2. *de translat. Episc.* 5. & ultimo succedit Fiscus, Sæcularis quidem, si defunctus sit Laicus *l. scire* 1. & *l. vacantia* 4. *C. de bon. vacant.* Ecclesiasticus autem de Jure communi, quando defunctus est Clericus, & non ministravit in aliqua Ecclesia. Gloss. *fin. in c. sed hoc cit.* Vivian. *ibid. in ration.* Barbos. *n.* 2. *in fin.* Pirh. *hic n.* 27. 4

Quæritur 5. quomodo computandi sint gradus in ordine ad Successiones in hæreditatibus? Resp. distinguendo inter consanguineos lineæ rectæ, & transversæ. *In linea recta* ascendentium, & descendentium in ordine ad Successionem eodem modo computantur gra- 5

gradus, quo modo computantur Jure Canonico in ordine ad Matrimonium. Et hinc etiam quoad Successiones procedit Regula: *Tot sunt gradus in linea recta, quot sunt generationes, & personæ, una dempta*, nempe communi stipite, à quo prima origo consanguinitatis inducitur, & numeratio incipit: conf. pater, & filius erunt in primo gradu, avus, & nepos in secundo, proavus, & pronepos in tertio, & sic deinceps.

6 At in Linea transversa, vel laterali aliter computantur gradus in ordine ad successiones, quàm in ordine ad Matrimonium: nam in ordine ad successiones tot censentur esse gradus consanguinitatis, quot sunt personæ collaterales: & hinc duo fratres erunt in secundo gradu, Patruus, sive patris frater, & nepos ex fratre in tertio, Patrueles verò, Consobrini, & Amitini, seu fratrum, & sororum filii in quarto, & sic de cæteris, prout latè describitur *Inst. de gradib. cognat.* & refertur *can. ad sedem* 2. *cauf.* 35. *quæst.* 5. Ex quo formant aliqui hanc Regulam pro cognoscendo gradu consanguinitatis in linea laterali quoad successiones, videlicet: *Tot gradibus in linea transversa unus distat ab altero, quot gradibus uterque distat à communi stipite*. Regulæ veritas patebit in allatis exemplis.

7 Quæritur 6. quæ sit forma Successionis ab intestato? Resp. Forma illius consistit in eo, ut deferatur ab illo, qui intestatus obiit, ad eum, qui ratione consanguinitatis proximus eidem est. *Intestatus* dicitur, qui vel nullum condidit Testamentum, vel si aliquod condidit, condidit Testamentum invalidum, vel si validum, tale tamen, quo ob rescissionem factam à Judice, vel alia ex causa effectum non habuit, prout dictum est *supra num.* 2. Unde, ut locus sit successioni ab intestato, duo requiruntur. 1. ut is, de cujus successione agitur, obierit. 2. ut intestatus obierit.

8 *Primum* ex istis probari debet ab eo, qui succedere in bona defuncti cupit: quod fieri potest pluribus modis, videlicet per duos testes, & nonnumquam etiam per unicum, si locus sit valde distans. Carpzov. *p.* 1. *const.* 16. *defin.* 38. 2. per attestationem Judicis, vel Magistratus loci, ubi quis mortuus esse dicitur. Carpzov. *Jurisp. Consist. l.* 2. *defin.* 168. *num.* 5. 3. per attestatum Parochi ex libro mortuali. Rota *decis.* 220. *num.* 1. *p.* 2. *divers.* 4. aliquando per famam, & diuturnam absentiam. Carpz. *p.* 3. *const.* 15. *def.* 17.

9 *Quoad alterum* distinguendi tres casus sunt: Vel enim dubitatur, an conditum sit Testamentum; vel contra constat conditum esse Testamentum, sed dubitatur, an valide; vel denique dubium est tam de condito Testamento, quàm de jure ejus, qui hæres esse ab intestato cupit. *Si primum*, onus probandi incumbit illi, qui hæreditatem ex Testamento petit adversus hæredem ab intestato; quia testatum decedere est quid facti, quod probare debet, qui in allegatione ejusdem suam intentionem fundat. Hinc hæres ab intestato successionem sibi à Lege delatam retinere eò usque potest, donec probetur in Testamento contrarium esse dispositum. *Si secundum*, si ex oculati inspectione Testamenti nullum deprehendatur in eo vitium, vitiosum id esse probare debet is, qui illud impugnat; quia in dubio præsumptio est pro valore actus. *Si denique tertium*, nisi unus litigantium in possessione sit, uterque probare debet, volens succedere ex Testamento, conditum esse Testamentum, & volens succedere ab intestato, se propinquitate sanguinis ad hæreditatem vocari; uterque enim se in facto fundat. Cfr. P. Schmier *p.* 2. *de success. hæred. c.* 1. *à n.* 24.

10 Quæritur 7. quæ sit materia, finis, & effectus Successionis ab intestato? Resp. *ad* 1. Materia, seu objectum successionis ab intestato est hæreditas legitima, quæ nempe legitimi Juris dispositione obvenit extra casum ultimæ Voluntatis defuncti. Konig *hic n.* 22.

Ad 2. Finis, ob quem introducta est Successio ab intestato, est, ut hæreditas intestati iis obveniat, quos propinquitas sanguinis, & naturæ conjunctio vocavit. Konig *n.* 26.

Ad 3. Effectus ejus idem est, qui successionis Testamentariæ, ut patet ex *n.* 3.

§. II.

Qua ratione succedant Liberi, & horum Descendentes?

SUMMARIUM.

11 *Primum inter hæres ab intestato locum obtinent Liberi.*
12 *Legitimè nati, aut legitimati per subsequens Matrimonium.*
13 *Vel oblationem Curiæ Principis.*
14 *Item Arrogati, & adoptati.*
15 16 *Spurii excluduntur à successione tam paterna quam materna.*
17 *Naturales, si legitimi nulli adsint, Patri succedunt ad duas uncias.*
18 *Matri verò cum Legitimis æqualiter.*
19 *Idem dicendum de Vulgo natis.*
20 *Liberi primi gradus succedunt in capita, ulteriorum in stirpes.*
21 *Corollaria.*
22 *Ex diversis nuptiis procreati, succedunt tantum parenti suo.*
23 *Nisi intervenerit pactum Parificationis prolium.*
24 *Jure repræsentationis gaudent etiam Pronepotes &c.*
25 *Nisi Pater repudiaverit hæreditatem.*

PRimum ante cæteros inter hæredes ab intestato locum obtinent Liberi, ut ex *Novell.* 118. *c.* 1 dictum est *supra num.* 4. idque sine discrimine sexus, ætatis, status, & conditionis; nam pari jure, spectato Jure communi, gaudent tam nati, quam nascituri, tam mares, quam fœminæ, tam emancipati quam Sui, tam Clerici, & Religiosi, quàm Laici. Hinc quamdiu Liberi supersunt, tamdiu alii consanguinei cujuscumque gradus excluduntur à Successione. Veniunt autem hic *Liberorum* nomine non tantum filii, & filiæ, sed etiam alii descendentes, e. g. nepotes, pronepotes; nam etiam isti, exclusis lateralibus, succedunt avo, & aviæ, non quidem vivente patre suo, vel matre, sed his præmortuis, non tamen in capita, sed in stirpes, ut infra dicetur *n.* 20.

Quæritur 1. quinam Liberi jus prælationis ante alios in successione ab intestato habeant? Resp. Liberi legitimi, Tales sunt 1. Liberi procreati ex matrimonio vere, aut putative justo.

2 Legitimati per subsequens Matrimonium; nam isti per omnia æquiparantur Legitimè natis, ut proinde cum istis succedant æqualiter in bonis parentum non tantum Allodialibus, sed probabilius etiam in Feudalibus *arg. c. tanta* 6. *qui fil. legit.* §. *sui autem* 2. & §. *sed ea omnia* 14. *Inst. de hæred. quæ ab intest. l. cum quis* 10. & *Auth. seqq. C. de natural. liber. Novell.* 118. *c.* 1. *cit.* Mynsing. *cent.* 5. *obs.* 42. Gaill. *lib.* 2. *observ.* 141. *n.* 2.

3 Legitimati per oblationem Curiæ Principis; nam & hi succedunt æqualiter cum legitimis Liberis, sed soli patri. *Novell.* 89. *cap.* 3. Addidi, *per oblationem Curiæ Principis*; nam Legitimati per rescriptum Principis, vel per Comitem Palatinum non succedunt, nisi quando nulli extant Liberi justi, & legitimi. *Novell.* 89. *c.* 9. quod procedit, spectato Jure communi; nam, ut ex Gaillio, & Struvio notat Konig *hic num.* 7. usu fori, & praxi hodierna invaluit, ut legitimati cum filiis ex matrimonio post contracto natis simul succedant.

4 Filii adoptivi, seu legitimi tantum §. *sui autem* 2. & §. *sed ea omnia* 14. *Inst. de hæred. quæ ab intestat.* & *Novell.* 118. *c.* 1. *Proceditque hoc*, sive cum sui Juris esset, adoptatus, vel arrogatus quis sit ab alio, sive adoptatus sit, dum adhuc erat in potestate patris sui. *Neque refert*, an adoptatus sit ab aliquo extraneo, vel ab aliquo Ascendente e. g. avo paterno, vel materno; nam quomodocumque sit adoptatus, vel arrogatus, succedit patri adoptivo, vel arrogatori instar filii naturalis, & legitimi, ac proinde, si plures ille filios naturales, & legitimos habeat, cum istis in æquales portiones *l. cum in adoptivis* 10. §. *sed ne* 1. *C. de Adoption.* Plura de his Legistæ.

Quæritur 2. an, & quando succedere ab intestato possint filii illegitimi? Resp. cum distinctione; nam duplicis generis sunt filii illegitimi, videlicet Spurii, & Naturales tantum. *Spurii* secundùm Leges dicuntur, qui nati sunt ex meretrice publica, corpus suum passim prostituente; secundùm Canones autem, qui geniti sunt ex muliere, cum qua nec conceptionis, nec nativitatis prolis, nec etiam intermedio aliquo tempore matrimonium consistere potuit. *Naturales* vocantur cæteri, qui extra matrimonium ex concubina, uxoris loco domi detenta, vel ex alia seducta, soluta tamen, sunt geniti.

Jam ii, qui Jure Canonico Spurii appellantur, excluduntur ab omni successione tam materna, quam paterna, licèt nulli extent Liberi legitimi. *Auth. ex complexu C. de incest. & inutil. nupt.* & *Novell.* 89. *cap. ult.* adeo, ut ipsis, si propria industria aut alia via licita

licitâ vitam conſervare poſſint, etiam alimenta non debeantur, ut habetur textibus *citt.* & dicetur *Lib.* 5. *tit.* 16. idque merito, ut vel hac ratione parentum libido refrænetur.

17 *Quoad Liberos Naturales* autem, diſtinguendum eſt: vel enim præter ipſos nulli adſunt Legitimi liberi, vel tales adſunt. *Si primum*, ſuccedunt ab inteſtato, ſed in duabus unciis tantum, inter ipſos, & ipſorum matrem defuncti concubinam, ſi ſuperſtes ſit, dividendis; reliquæ autem decem unciæ obveniunt aliis defuncti agnatis, & cognatis. *Auth. licet C. de natural. liber.* & *Novell.* 89. *c.* 12.

18 *Si ſecundum*, excluduntur quidem ab hæreditate paterna, non tamen à materna; nam ad hanc inſtar Liberorum, à matre ſua ex legitimo thoro genitorum, & quidem cum iis æqualiter admittuntur, imò eædem proles, matre defuncta, non minus, ac aliæ proles legitimæ, ab inteſtato ſuccedunt aviæ maternæ, aliiſque per maternam lineam aſcendentibus *l. Modeſtinus* 8. *ff. unde cognati &c.*

19 Idem dicendum de iis, qui Jure tantum Civili Spurii, ſeu *Vulgo quæſiti* dicuntur, quod ſc. ex vaga & promiſcua libidine concepti ſint; nam etiam illi ad matris, & parentum maternorum ſucceſſionem una cum legitimis admittuntur, ut aliis *citt.* advertit Konig *hic num.* 7. *Excipitur*, niſi mater illuſtris ſit, & alios Liberos ex juſto matrimonio procreatos habeat; nam hoc caſu Spurii ex bonis maternis alendi duntaxat ſunt *l. ſiquis* 5. §. *ergo* 4. *ff. de agnoſc. & alend. liber. l. ſi qua* 5. *C. ad S. C. Orfitianum.*

20 Quæritur 3. quomodo parentibus ſuccedant Liberi? Reſp. diſtinguendo inter Liberos primi gradus, quales ſunt filii, & filiæ, & inter Liberos ulteriorum graduum, quales ſunt nepotes, & pronepotes; nam etiam hi Liberorum nomine veniunt, ut dicitur *l. liberorum* 220. *ff de V. S.* & notavi *ſupra n.* 11.

Si omnes, qui ſuccedunt, ſunt liberi primi gradus, ſuccedunt in capita, tot ſc. æqualibus factis portionibus, quot ſunt perſonæ *Auth. in ſucceſſione C. de Suis, & legit. liber.* Si verò ſint ulterioris gradus, ſive ſoli inter ſe, ſive cum aliis proximioribus concurrant, tantum ſuccedunt in ſtirpes, ita, ut nepotes defuncti non plus capiant ex hæreditate, quàm conſecutus fuiſſet pater illorum, ſi ſupervixiſſet, prout ſtatuitur *Auth. cit.* & *Novell.* 118. *c.* 1. & quidem merito; cum enim non ex ſua, ſed ex patris ſui perſona ad hæreditatem avi vocentur, abſurdum eſſet, eos plus capere, quàm parens illorum.

21 *Ex quo ſequitur* 1. ſi ad hæreditatem patris capienдам concurrant ſoli filii, tot eſſe faciendas portiones, quot ſunt filii, qui debent ſuccedere. *Sequitur* 2. ſi duo filii concurrant cum tribus nepotibus ex alio fratre ſuo præmortuo, hæreditatem dividendam ſolum in tres partes æquales, quarum duæ cedunt filiis, tertia nepotibus æqualiter inter hos dividenda. *Sequitur* 3. ſi ſoli nepotes ſuperſint ex filiis, ex Titio quidem quinque, ex Cajo decem, hæreditatem, non pro numero nepotum, ſed pro numero filiorum, ex quibus illi ſuperſunt, dividendam eſſe: proinde tantum capient quinque nepotes ex Titio, quantum acquirunt decem ex Cajo. *Neque obſtat*, quòd tali caſu nepotes ſuo jure ſuccedant; quia, ut cum aliis rectè advertit Pirhing *hic num.* 8. non aliter ſuo jure nepotes ſuccedunt, niſi poſtquam jure repræſentationis in locum primum, videlicet parentum ſuorum, Juris fictione intrarunt.

22 Quæritur 4. quomodo parentibus ſuccedant Liberi ex diverſis nuptiis procreati. Reſp. regulariter ſolum ſuccedere parenti ſuo, ex quo procreati ſunt: adeoque ſi patrem communem habeant, non verò matrem, ſuccedent omnes in bona paterna; ſi matrem, in bona materna: bona verò parentis non communis ſervantur duntaxat illis, qui ex eodem progeniti ſunt *l. fœminæ* 3. *& duabus ſeqq. Codic. de ſecund. nupt. leg. de emancipatis* 13. §. *cum enim* 2. *Codic. de legitim. hæredib. Novell.* 22. *c.* 25. 26. *&* 29. & *Novell.* 84. *c.* 1.

Excipitur, niſi intervenerit pactum Unionis, ſive unificationis prolium, quo bona utriuſque matrimonii communicantur, & liberi ex diverſis matrimoniis quoad jus ſucceſſionis, tanquam ex uno matrimonio nati, habentur; nam ejuſmodi pactum eſt validum, in Germania paſſim receptum, & ab Imperiali Camera approbatum, ut rectè advertit Gaill. *l.* 2. *obſ.* 125. *n.* 6. *&* 7. & ex eo Konig *n.* 9. modo fiat cum plena, & exacta cognitione cauſæ, in præſentia amicorum, Tutorum, aut Curatorum, iiſque conſentientibus, & accedat authoritas Præfecti loci, à quo contractus talis confirmari, & actis publicis inſinuari debet; nam quolibet iſtorum deficiente, non ſubſiſtit, teſte eodem Gaill. *l. cit. n.* 7.

Quæritur 5. an jure repræſentationis gaudeant etiam Pronepotes & Abnepotes &c. Reſp. affirmativè. 24
Ita communis contra Bartol. & alios, qui hoc jus adimunt Abnepotibus. Sumitur ex *Novell.* 118. *cit.* quæ repræſentationem abſolutè concedit in Deſcendentibus, nec eam reſtringit ad certum gradum. Hinc ſi Fideicommiſſum devolvatur ad Nepotem, tanquam proximiorem, & hic moriatur ſuperſtitibus Pronepotibus, & Abnepotibus defuncti Teſtatoris Fideicommiſſum inſtituentis, tunc Abnepotes una cum pronepotibus acquirunt Fideicommiſſum, in locum ſuorum parentum, quos repræſentant. Vide Haunold. *tom.* 1. *tract.* 5. *à num.* 406.

Quæritur 6. an ſiquis repudiavit hæreditatem, ejus 25
filius jure repræſentationis adhuc poſſit ſuccedere? Affirmativa videtur colligi ex *l. defunctis* 6. *C. de Legit. hæredib.* ubi dicitur ſuis extantibus hæredibus, & abſtinentibus, vel repudiantibus hæreditatem, jure conſanguinitatis ſuccedere poſſe fratrem defuncti. Sed etſi hoc caſu jure conſanguinitatis ſuccedant agnati, & cognati proximi, & conſ. etiam nepotes defuncti ex filio repudiante hæreditatem, non tamen ſequitur, quod ſuccedant jure repræſentationis. Sumitur ex *l. inteſtati* 1. §. *ſciendum* 8. *ff. de ſuis, & legit. hæred.* Ratio eſt, quia ſi principalis nolit adire hæreditatem, non apparet, quomodo alius ipſius nomine, eumque repræſentando illam adire poſſit. Succedet ergo hoc caſu repudiantis filius tunc ſolum, cum repudiantis fratres fuerint mortui, & tunc quidem non jure repræſentationis, ſed proprio majoris propinquitatis.

§. III.

Qua ratione ab inteſtato ſuccedant Aſcendentes?

S U M M A R I U M.

26 *Poſt liberos ſuccedunt Aſcendentes.*
27 *Primi gradus æqualiter.*
28 *Ulteriorum in ſtirpes.*
29 *Concurrunt cum iis fratres utriuſque conjuncti.*
30 *Non tamen Aſcendentes gradu remotiores.*
31 32 *An cum Aſcendentibus ad hæreditatem ab inteſtato admittantur etiam Liberi fratris præmortui?*
33 *An Nepotes?*
34 *An filiis illegitimis illorum parentes ſuccedunt?*
35 *Quid circa hæc fiat in praxi?*

SI defunctus poſt ſe nullos reliquit liberos, ſeu filios, nepotes &c. ab inteſtato ſuccedunt Aſcendentes utriuſque ſexus, nim. pater, & mater, avus, & 26
avia, proavus, & proavia &c. ſervata tamen graduum prærogativa, ita, ut proximiores gradu excludant eos, qui remotiores ab ipſis ſunt. *Novell.* 118. *cap.* 2. *Proceditque hoc* 1. etſi defunctus jam fuerit emancipatus. *Novell. cit.* & *l. leg.* 14. *C. de Legitim. hæred. Procedit* 2. etſi fuerit illegitimus naturalis, dummodo ſaltem reſcripto Principis fuerit legitimatus. *Novell.* 89. *c.* 13. *Procedit* 3. licet fuerit poſthumus, ut cum Card. de Lugo advertit Haun. *tom.* 1. *de J. & J. tr.* 5. *n.* 460. Atque hinc, ſi patre jam mortuo naſcatur filius, & hic quoque moriatur, mater ei ſuperſtes ſuccedet in omnibus bonis patris: econtra ſi moriatur mater in puerperio, filius vivus natus ei ſuccedit, & ſi ipſe quoque moriatur, transfert ad patrem ſuperſtitem omnia bona materna. His poſitis.

Quæritur 1. qua ratione ſuccedant Aſcendentes, 27
quando ordo illorum eſt ſimplex, ſeu talis, ut præter ipſos nullus alius jus ſuccedendi habeat? Reſp. hoc caſu multum referre, an Aſcendentes, qui ſuccedere debent, ſint ejuſdem gradus, ut pater & mater, avus, & avia, an gradu diſpares, ut Pater, & Avus: item quoti ſint gradus.

Nam 1. ſuccedunt Aſcendentes primi gradus, pater, & mater, ſi ſint ſuperſtites, & quidem æqualiter in bona acquiſita filii, undecumque illa provenerint, ſive à patre, ſive à matre, ſive aliunde, prout contra Bartolum cum aliis notat Mynſing. *cent.* 6. *obſ.* 55. *num.* 3. & *ſeqq.* & confirmat ex *Novell.* 118. *c.* 2. ubi Imperator generaliter, & indiſtinctè vult hæreditatem filii ſine liberis mortui inter parentes ex æquo dividendam.

2 Si tam pater, quam mater defuncti præmortui 28
fuerint, ſuccedunt utrinque avi, & aviæ, qui in æquali gradu defuncto conjuncti ſunt, non tamen in capita,

pita, ſed in ſtirpes, ita, ut unam medietatem hæreditatis accipiant Aſcendentes à patre, alteram Aſcendentes à matre, ſive plures fuerint, ſive unus. *Novell. cit. cap.* 2.

3 Si adſint Aſcendentes gradu diſpares, e. g. pater defuncti cum avo, vel avia ejuſdem materna, aut viciſſim mater cum avo, & avia paterna, ſuccedit propinquior, & excludit remotiorem. *Auth. defuncto & Novell. cit. c.* 2. quia, ut ibi advertit Gloſſa *V. proximi*, in Aſcendentibus repræſentationis locus non eſt, ſicut in Deſcendentibus: unde licèt iſti mixtim ſuccedant, & remotiores cum propinquioribus, non tamen illi.

29 Quæritur 2. utrum in totam hæreditatem ſuccedant Aſcendentes, ſi præter ipſos ſuperſint fratres, & ſorores defuncti, & conſ. ſit ordo mixtus? Reſp. cum diſtinctione: Vel enim fratres iſti, aut ſorores ſolum ſunt ex una parte conjuncti defuncto, vel tam ex patre, quàm ex matre, conſ. Germani.

Si primum, hi à ſuperſtitibus parentibus defuncti excluduntur. *Si ſecundum*, cum iiſdem ſuccedunt, & quidem in capita, ſeu æqualiter, ita ut ſi defunctus præter ſuum patrem, & matrem habeat fratrem unum germanum, & ſororem, ejus bona dividenda ſint in quatuor partes æquales pro numero perſonarum ſuccedentium. Patet ex *Novell.* 118. *c.* 2. *verſ. ſi verò*, ubi Imperator concurſum hunc cum defuncti Aſcendentibus indulget expreſsè fratribus, & ſororibus defuncti germanis: conſ. indultum iſtud ad fratres, & ſorores ex una tantum parte conjunctos extendi non debet.

30 Parum autem refert, quales ſint Aſcendentes defuncti, an pater, vel mater, avus, vel avia &c. ſemper enim fratres, & ſorores germanæ defuncti concurrunt cum proximioribus, excluſis remotioribus, ut docet Gloſſ. *in Auth. defuncto cit. V. proximis*. Et hinc quando *in Auth. & Novell.* 118. *c.* 2. *verſ. ſi verò* dicitur, quod fratres utrinque conjuncti vocentur cum aſcendentibus gradu proximis, intelligendum eſt de gradu proximis, non abſolute, ſed qui ſuperſtites ſunt.

31 Quæritur 3. an cum aſcendentibus ad hæreditatem ab inteſtato admittantur etiam Liberi fratris, aut ſororis præmortuæ? Reſp. iterum diſtinguendo: vel enim præter illos cum Aſcendentibus concurrit adhuc alius frater, aut ſoror defuncto utrinque conjuncta, vel præmortuis fratribus & ſororibus, adſunt tantum illorum filii, aut filiæ.

Si primum, etiam ipſi ad hæreditatem patrui admittuntur, & jure repræſentationis ſuccedunt ad ſtirpes, h. e. ut eam hæreditatis partem accipiant, quam habuiſſet pater illorum, ſi is ſupervixiſſet, prout expreſsè ſtatutum eſt *Novell.* 127. *c.* 2. qua derogatum eſt *Novell.* 118. *c.* 3. ubi à ſucceſſione removebantur.

32 *Si ſecundum*, major eſt controverſia. Affirmant Haun. *tom.* 1. *de J. & J. tr.* 5. *n.*478. Konig *hic n.* 13. & plures alii ab his *citt.* & colligunt hoc ex *Novell.* 127. *cit.* quæ fratrum filios indifferenter cum Aſcendentibus admittit ad ſucceſſionem Patrui. Verùm ex hac *Novella* non multum probatur: expreſsè enim ſolum agit de caſu, quo fratris, vel ſororis defunctæ liberi concurrunt cum fratre, aut ſorore defuncti: & hinc quia correctoria eſt *Novell.* 118. eo caſu extendi non debet ad caſum, quo omnibus fratribus, & ſororibus præmortuis, ſoli iſtorum liberi cum Aſcendentibus de hæreditate certant. Quare probabilius Perez *in C. ad S. C. Tertull. n.*8. cum aliis putat, eo caſu, excluſis liberis fratrum, & ſororum, ad patrui defuncti hæreditatem admitti ſolum avum, & aviam, vel alios aſcendentes.

33 Quæritur 4. an privilegium, quod per *Novell.* 127. *cit.* conceſſum eſt filiis fratrum utrinque conjunctorum, extendatur etiam ad nepotes fratris utrinque conjuncti premortui? Reſp. negativè: ſed hujuſmodi nepotes, & pronepotes per parentes, & fratres ipſius defuncti excluduntur, ut colligitur ex Rubrica *Novella cit.* qua ſtatuitur, *Ut fratrum filii ſuccedant pariter ad imitationem fratrum, etiam Aſcendentibus extantibus*, neque fit mentio nepotum, aut pronepotum. accedit, quia in his ratio ceſſat, quæ pugnat in filiis præmortui: nam iſti ad hæreditatem admittuntur jure repræſentationis, quia repræſentant patrem, & conſ. fratrem demortui, atqui jus repræſentationis ultra fratrum filios in linea collaterali locum non habet. *Auth. poſt fratres, fratrumque filios. Cod. de legit. hæred.* ergo &c.

34 Quæritur 5. an liberis ſuis præmortuis ab inteſtato etiam ſuccedant parentes eorum illegitimi? Reſpon. ſuccedunt eo modo, & caſu liberis, quo iſti iiſdem ſuccedunt, ſi præmoriantur inteſtati. Hinc in ſpuriis, ſeu ex damnato coitu procreatis nulla parentum ſucceſſio eſt; quia neque Spurii parentibus ab inteſtato ſuccedunt, ut dictum eſt *num.* 16. Naturalium hæreditas primò devolvitur ad eorum liberos: ſi verò ſine liberis deceſſere, & mater ſola ſuperſtes ſit, ipſa filii ſui naturalis hæres erit ex aſſe: ſi una ſuperſtes ſit pater, iſte ſuccedet in duas uncias, reliquæ autem decem unciæ devolventur ad matrem §. *fin. Inſt. ad S. C. Orfitian.* junct. *Auth. licet C. de natural. liber.* Si cum matre ſuperſtes ſit frater naturalis ex eadem matre, eodemque patre procreatus, iſte cum matre fratri ſuo defuncto ſuccedet æqualiter, ut *arg. Auth. defuncto C. ad S. C. Tertull.* vult Salycet. *ibid. n.* 5. Haunold. *tom.* 1. *tr.* 5. *n.* 483. Wieſt. *hic n.* 12. quia talis frater, licèt non ſit legitimus, quoad hunc tamen ſucceſſionis effectum germanus cenſetur.

Hæc omnia ita ſe habent de Jure communi. Præter hoc ſpectanda ſunt etiam Statuta particularia, & conſuetudo cujuslibet loci; nam ut Perez *l. cit. n.* 9. advertit, in multis locis receptum eſt, ut ſoli parentes liberis ſuccedant, excluſis fratribus, & ſororibus, multoque magis reliquis conjunctis ex tranſverſo. Pariter in pleriſque locis receptum eſt, ut bona paterna tranſeant ad lineam paternam, materna ad maternam. E contrario in quibuſdam locis (ut in Auſtria) Aſcendentes nullo modo ſuccedunt Deſcendentibus, prout aliis *citt.* notat Konig. *hic num.* 13. qui tamen monet, hujuſmodi Statutum, vel conſuetudinem limitandam eſſe, ne aliquando per eam excludantur à ſucceſſione Parentes pauperes, & in hac poſthabeantur conſanguineis collateralibus; nam illis potius, quam iſtis ſuccurrendum ſuadet pietas Parentibus debita.

§. IV.

Qua ratione ab inteſtato ſuccedant Conſanguinei Collaterales?

SUMMARIUM.

36 *Ordo Succeſſionis in Collateralibus.*
37 *Inter hos primum locum obtinent Fratres, qui ſuccedunt in capita.*
38 *Horum liberi in ſtirpes, quando eſt ordo mixtus.*
39 *Quando ſimplex, in capita.*
40 41 *Quomodo ſuccedant fratres conſanguinei, & uterini?*
42 43 44 *Quomodo iſtorum Liberi?*
45 *An etiam ſuccedant Legitimi tantum?*
46 *Illegitimi?*
47 *Legitimati?*
48 49 50 51 *Quomodo ſuccedant Collaterales cæteri?*

SI hæredes Aſcendentes, & Deſcendentes demortuus nullos reliquerit. 1. Et ante cæteros ad hæreditatem admittuntur Fratres, & Sorores defuncti germani, horumque liberi, excluſis fratribus, & ſororibus conſanguineis, & uterinis. *Auth. ceſſante C. de legit. hæred. Auth. itaque Communia de ſucceſſ. & Novell.* 118. *c.* 3. *Ratio eſt*, quia cùm fratres germani duplici vinculo, agnationis per patrem, & cognationis per matrem defuncto conjuncti ſint, meritò aliis fratribus in ſucceſſione præferuntur; duo enim vincula fortius ligant, quàm unum. 2. Fratribus, aut ſororibus germanis, ſeu ex utraque parte conjunctis non extantibus, ad hæreditatem vocandi ſunt fratres conſanguinei, & uterini, horumque liberi, excluſis omnibus aliis collateralibus. *Auth. poſt fratres C. de legit. hæred. Novell.* 118. *c.* 3. *verſ. his autem exiſtentibus*. Si neque iſtorum aliqui, vel liberi illorum adſint, ſuccedunt reliqui conſanguinei gradu propinquiores, excluſis remotioribus, uſque ad decimum gradum, vel etiam ultra. *Auth. poſt fratres cit.* & *Novell.* 118. *c.* 3. *in fin. & c.* 4. His poſitis.

Quæritur 1. quomodo defuncto ſuccedant fratres, vel ſorores ejuſdem germani, & horum liberi? Reſp. 7
diſtinguendo inter tres caſus. Nam 1. ſi ſoli fratres hæredes ſint, ſuccedunt in capita, & æqualiter, ita, ut in tot partes dividenda hæreditas ſit, quot inteſtatus reliquit fratres. *Auth. itaque C. communia de Succeſſion.* & *Novell.* 118. *c.* 3.

2 Si præter fratres germanos adſint liberi ab aliquo 8
defuncti fratre, vel ſorore germana præmortua relicti, illi ſuccedunt in capita, iſti in ſtirpes, ita ut iis tantum obveniat pars illa, quæ patri ipſorum, ſi ſuperviveret, obtigiſſet. *Auth. ceſſante C. de legit. hæred. Auth. itaque cit. Novell.* 118. *c.* 3. *Neque obeſt*, quòd gradu remotiores ſint fratribus defuncti; quia repræſentant patris ſui præmortui perſonam, & ideo fictione Juris in eodem gra-

gradu cenſentur cum fratribus, & ſororibus ſuperſtitibus defuncti. Hoc tamen jus repræſentationis, & fictio ultra fratrum, & ſororum filios, & filias, ut n. 3 monui, non extenditur: conſ.. ſi ex aliquo fratre præmortuo ſuperſint nepotes, & pronepotes, à cæteris fratribus, & fratrum liberis excluduntur, prout rectè notat Pirh. *hic num.* 18.

Si denique ſoli extant filii fratrum utrimque conjunctorum, ipſis præmortuis, ſuccedunt illi, excluſis agnatis, & cognatis, quamvis in eodem gradu ſecum ſtantibus, prout habetur *Auth. poſt fratres cit.* & *Nov.* 118. c. 3. Nec immeritò; quia frater defuncti, ſi ſuperſtes eſſet, eos excluderet. ergo etiam ejuſdem filius, utpote qui fictione Juris ſubintrat in locum patris. De modo, quo in bonis Patrui ſuccedunt hujuſmodi filii fratrum præmortuorum, controverſia eſt inter DD. Accurſius, Bartolus, & alii eorum ſectatores contendunt illos ſuccedere in ſtirpes. Communior docet eos ſuccedere in capita, & ſic conſtitutum eſt à Carolo V. *in Comitiis Spirenſibus Anno* 1529. *tit. Kayſerliche Conſtitution, und Sazung, vvie Brüder-oder Schweſter, Kinder &c.* quod confirmat etiam ratio; quia quando filii diverſorum fratrum ſoli ſuccedunt, tunc non repræſentant perſonam patrum ſuorum, ſed proprio conjunctionis jure, ſive ex propria perſona ad hæreditatem Patrui vocantur. ergo cùm illi ſint æqualiter conjuncti, etiam æquales accipere debent hæreditatis partes.

Quæritur 2. quomodo defuncto ſuccedant fratres & ſorores ejuſdem conſanguinei, & uterini? Reſp. diſtinguendo; Vel enim omnes ſunt fratres conſanguinei, vel omnes uterini, vel partim ſunt conſanguinei, partim uterini. *Si omnes ſunt conſanguinei*, omnes ſuccedunt æqualiter in bona defuncti, undecunque illa provenerint. Idem dicendum, *quando omnes ſunt uterini*.

Si partim ſint conſanguinei, partim uterini, non conveniunt DD. Communis ſententia diſtinguit inter bona paterna, materna, & aliunde acquiſita defuncto. *In bona paterna* juxta illam ſuccedunt ſoli fratres conſanguinei, *in materna* ſoli uterini, *in aliunde acquiſita*, utrique æqualiter. Sumunt hoc ex *l. de emancipatis* 13. *C. de legit. hæredib.* ibi: *Exceptis maternis rebus, in quibus, ſi de eadem matre fratres, vel ſorores ſint, eos ſolos vocari oportet.*

Verùm non minùs probabilis eſt ſententia, quæ ſine diſtinctione fratres tam conſanguineos, quàm uterinos ad fratris ſui defuncti hæreditatem vocat. Ita Fachin. *l.* 6. *contr. cap.* 5. Haun. *tom.* 1. *tr.* 5. *à n.* 415. P. Konig. *hic n.* 17. P. Schmier *p.* 2. *de ſucceſſ. hæred. c.* 2. *n.* 92. aliique non pauci, & non ignobiles DD. quod probant 1. ex *Novell.* 118. *cap.* 3. *verſ. his autem non exiſtentibus*, ubi fratres ex uno tantùm parente conjuncti, ſive per patrem, ſive per matrem conjuncti ſint, æqualiter vocantur ad hæreditatem defuncti, neque fit diſcrimen bonorum, unde illa provenerint. 2. Quia poſtquam bona pervenerunt ad filios, deſinunt eſſe paterna, vel materna, & efficiuntur bona fratris; ad bona autem fratris admittuntur fratres conſanguinei, & uterini æqualiter. 3. Ex Adverſariorum ſententia ſequeretur, quòd conſanguinei etiam cum germanis deberent admitti in bonis paternis, & uterini in bonis maternis, quos tamen conſtat à germanis penitùs excludi.

Ad textum in contrarium allegatum expedita reſponſio eſt; dici enim poteſt cum P. Konig. *l. cit.* Legem illam per *Novell. cit.* correctam fuiſſe.

Quæritur 3. quomodo defuncto ſuccedant Liberi relicti à fratribus, & ſororibus conſanguineis, & uterinis? Reſp. cum diſtinctione: Vel enim ipſi ſoli hæreditatem prenſant, vel præter ipſos ſuperſunt adhuc aliqui fratres, vel ſorores defuncti. *Si primum*, ipſi Patruo defuncto ſuccedunt in capita, ut rectè Pirh. *hic n.* 22. *in fin.* Konig. *n.* 17. *Ratio eſt*, quia tunc ſuccedunt, non jure repræſentationis, ſed proprio agnationis, vel cognationis.

Si ſecundum, videndum eſt, an fratres illi, vel ſorores ſuperſtites defuncto ſint conjuncti utrinque, an ex una duntaxat parte. *Si utrinque conjuncti ſint*, liberi fratrum non germanorum ſuperſtites ad hæreditatem Patrui ſui jus nullum habent; quia neque illorum parentes jus aliquod habent, ut dictum eſt *ſuprà n.* 36. *Si conjuncti ſint ex una duntaxat parte*, liberi fratrum non germanorum ſuperſtites ſuccedunt in ſtirpes juxta *Auth. poſt fratres cit.* Molin. *D.* 164. *concl.* 5. Pirh. *hic n.* 22. Konig. *n.* 16.

Non improbabiliter tamen Zoeſ. *ff. de ſuis, & legit. hæred. num.* 38. hoc caſu liberos fratrum non germanorum ſuperſtites, tanquam remotiores, omnino excludit, & totam hæreditatem tribuit fratribus non germanis defuncti. Hinc diſparitatem aſſignat inter fratrum germanorum liberos, & inter liberos fratrum non germanorum; quia priores ideo cum ſuperſtitibus fratribus defuncti germanis ſuccedunt, quòd jus repræſentationis eos in pari cum illis gradu fictione Juris conſtituat: hoc autem jus repræſentationis locum non habet in iis, qui ex una ſolùm parte conjuncti ſunt, ut ipſe quidem exiſtimat colligi poſſe ex *Novell.* 127. *cap.* 2. quæ ſolùm de fratribus utrinque conjunctis loquitur.

Quæritur 4. an, & quod jus ſuccedendi competat Fratribus Legitimis tantùm, item illegitimis, & legitimatis? 45

Ad 1. Fratres legitimi tantùm, ſi tranſeant in poteſtatem patris adoptantis, vel arrogantis, & ipſi ſibi invicem ſuccedunt, niſi ante mortem fratris adoptivi præceſſerit emancipatio *l. poſt conſanguineos* 2. §. *parvi autem* 3. *ff. de Suis, & legit. hæred.* & *l. cùm in adoptivis* 10. §. *ſed ne* 1. & §. *fin. C. de adoption.*

Ad 2. diſtinguendum eſt, an ſolùm habeant communem patrem, an verò matrem communem. *Si primum*, nec ſibi invicem, nec aliis ſuccedunt. Stryck. *de Succeſſ. ab inteſt. diſſert.* 2. *cap.* 1. §. 35. Clariſs. P. Schmier *p.* 2. *de Succeſſ. hæred. cap.* 2. *n.* 95. *Ratio eſt*, quia nec agnati ſunt, nec cognati: non agnati; quia agnatio ex ſolis juſtis nuptiis oritur §. *ſi adverſus ea* 12. *Inſt. de Nupt.* §. *vulgò quæſitos* 4. *Inſt. de ſucceſſ. cognat. l. ſi ſpurius* 4. *ff. unde cognati.* non cognati; quia cognatio per matrem contrahitur, quæ hic diverſa ponitur §. *vulgò quæſitos cit.* *Si ſecundum*, modò germani fratres legitimi non adſint, tum ſibi invicem, tum cognatis per matrem ſuccedunt. Stryckius *l. citt.* §. 36. P. Schmier *numer.* 97. *Ratio eſt*, quia jus cognationis per matrem, quæ certa eſt, aſſequuntur. Eſtque in his perinde, ſive ex eodem patre, ſive ex diverſo ſint geniti; nam ex eodem patre geniti, cùm ob defectum patris Legalis appellari germani nequeant *l. ſi ſpurius cit.* præ natis ex diverſo patre quoad ſucceſſionem in bona à fratre illegitimo relicta prærogativam non habent. 46

Ad 3. iterum diſtinguendum eſt, an legitimati ſint per ſubſequens matrimonium, an per Reſcriptum Principis. *Si prius*, ſuccedunt fratribus ſuis etiam legitimè natis; quia per omnia pro legitimis reputantur, ut declarabitur ex inſtituto *libr.* 4. *tit. qui fil. legit.* *Si poſterius*, ſibi invicem quidem ſuccedunt, non tamen fratribus legitimè natis, niſi legitimati fuerint, antequam illi in rerum natura extiterint, vel alii fratres legitimi non extent. Stryck *l. cit.* §. 40. *& ſeqq.* P. Schmier *n.* 98. 47

Quæritur 5. quomodo defuncto ſuccedant cæteri Conſanguinei laterales? Reſp. circa horum ſucceſſionem ſequentia notanda ſunt. 48

1 Succedunt ſemper propinquiores, excluſis remotioribus: & quidem non in ſtirpes, ſed in capita, ſi plures exiſtant ejuſdem gradus, ita, ut æqualiter inter ipſos ſecundùm numerum perſonarum dividatur hæreditas; quia in talibus ſola cognatio, & propinquitas ſpectatur. *Auth. poſt fratres cit.* & *Novell.* 118. *c.* 3. *&* 4.

2 Succedunt, ſolo graduum facto diſcrimine, non verò ſexus, aut cognationis, vel agnationis: neque refert, utrum ex una ſolùm parte, vel ex utraque conjuncti ſint; nam ſi e. g. Titius ab inteſtato mortuus, aliis hæredibus propinquioribus non extantibus, duos reliquit Patruos, unum patri ejus conjunctum ex utraque, alterum ex una duntaxat parte, non minùs ſuccedet iſte, quàm ille, & quidem in omnibus bonis, ſive materna illa ſint, ſive paterna. 49

3 In horum ſucceſſione locum non habet jus repræſentationis; quia hoc jus *cit. Nov. c.* 3. §. *hujuſmodi* conceditur ſolis fratrum filiis, non verò eorum nepotibus, vel aliis collateralibus, ut jam ſuprà eſt dictum. Hinc ſi defunctus habuerit duos Patruos, & unus horum mortuus reliquerit filios, hi cum altero Patruo mortuo non ſuccedunt. 50

4 Succedere poſſunt ab inteſtato uſque ad gradum 10. ſecundum computationem Civilem, ut tradit Gloſſ. *in Auth. in ſucceſſione C. de ſuis, & legit. hæred.* vel ut complures DD. volunt, etiam ultra decimum gradum in infinitum, quam ſuam doctrinam colligunt ex *l. vacantia* 4. *C. de bon. vacant.* & *Nov.* 118. *cap.* 3. §. *fin. & c.* 4. ubi omnes agnati, & cognati ad hæreditatem vocantur ſecundùm gradus prærogativam, nulla facta reſtrictione ad certum gradum. 51

§. V.

Quomodo ab inteſtato ſuccedat Uxor, Eccleſia, Fiſcus, & alii &c.

SUMMARIUM.

52 QUæritur 1. quando in bona mariti ſui ſuccedat Uxor, & viciſſim uxori maritus? Reſp. conjuges, ſecluſo pacto dotali, conſuetudine, & ſtatuto, de Jure communi ſibi invicem non ſuccedunt ab inteſtato, niſi cùm defuerit omnis alia parentum, liberorum, & propinquorum, ſeu collateralium conſanguineorum naturalis, vel legitima ſucceſſio; tunc enim præfertur conjux Fiſco, & omnia Conjugis bona, de quibus diſponere poterat, & non diſpoſuit, eidem cedunt *l. un. ff. unde vir, & uxor &c.* & *l. un. C. cod.*

53 Ad quod tamen duo requiruntur. 1. Ut inter illos fuerit verum, & legitimum matrimonium, etſi non conſummatum; quia *nuptias non concubitus, ſed conſenſus facit*, ut Ulpianus *l. nuptias* 30. *ff. de R. J.* notat. 2. Ut tempore mortis cohabitaverit marito ſuo; nam ſi divortium inter conjuges interceſſerit, ſucceſſio iſta locum non habet: cujus ratio eſt, quia cauſa hujus ſucceſſionis eſt individua conjunctio, & ſocietas maris, & fœminæ, qua ceſſante, neceſſarium eſt, ut etiam vocatio ad ſucceſſionem ceſſet *arg. c. ceſſante* 60. *de appellat. Excipiunt* aliqui cum Zoeſ. *ff. unde vir, & uxor &c. n.* 3. ſi conjux ſuperſtes non dedit cauſam ſeparationis, ac divortii; tunc enim putant jus ſucceſſionis eidem non denegandum.

54 Dixi, *niſi cùm defecerit omnis alia liberorum &c. ſucceſſio*: quod intelligendum eſt, ſi uxor habeat aliunde, quo vitam ſuſtentet; nam ſi pauper illa ſit, & nec dotem, nec aliunde habeat, ex quo vivat, etiam liberis exiſtentibus, cum iiſdem, ſi non ſint plures, quàm tres, ſuccedit in quartam partem bonorum mariti: ſi verò ſint plures, in partem virilem, *in einen Kindts-Theil.*

55 Ubi tamen iterum tria ſunt advertenda. 1. Quòd portio hæc matris, ſeu quarta non poſſit excedere 100. libras auri (libra auri conficit 72. ſolidos juxta *l. quotieſcunque* 5. *C. de ſuſceptor.*) plus enim, quàm 100. libras accipere non poteſt. 2. Quòd iſtius quartæ portionis ſolus uſusfructus ad uxorem ſpectet, proprietate ſervata liberis, ſiqui extiterint; his autem deficientibus, etiam dominio iſtius portionis potietur, ut rectè Konig *hic n.* 19. 3. Quòd in hanc portionem, ſeu quartam computari debeat etiam id, quod uxori à marito relictum, vel donatum eſt: quæ omnia habentur *Auth. præterea C. unde vir, & uxor &c. Nov.* 53. *c.* 6. & *Novell.* 117. *c.* 5.

56 Quæritur 2. quando, & in quibus bonis Clerico ſuccedat Eccleſia, cui ſervivit? Reſp. diſtinguendo inter bona, quæ Clericus obtinere poteſt; nam ut vidimus *ſuprà Tit.* 25. *n.* 1. hæc triplicis generis ſunt, videlicet Patrimonialia, Quaſi patrimonialia, & Eccleſiaſtica. *In Bonis Patrimonialibus*, & *Quaſi patrimonialibus* non ſuccedit Eccleſia, niſi quando Clericus nullos alios hæredes reliquit, qui ad ipſius hæreditatem vocentur *c. ſed hoc* 1. *h. tit. In Bonis Eccleſiaſticis* facienda eſt diſtinctio; poſſidere enim Clericus poteſt Bona Eccleſiaſtica immobilia, & mobilia. *In Bonis Eccleſiaſticis primi generis* certi, & expediti Juris eſt, quòd nec Teſtamentariæ, nec Legitimæ Succeſſioni ſit locus, cùm ea ſint ipſius Eccleſiæ, non Clerici, ac proinde extra ipſius defuncti bona, & hæreditatem. *In Bonis ſecundi generis*, ſeu ex reditibus Beneficii acquiſitis, & congruæ ſuſtentationi ſuperfluis, de Jure communi ita ſuccedit Eccleſia, ut excludat etiam hæredes legitimos defuncti, ut habetur *c. inveſtigandum* 1. & *c. fin. de Pecul. Cleric. c. cùm in officiis* 7. & *c. relatum* 11. *de Teſtam.*

57 *Dubitatur*, quomodo diſtribui debeant hujuſmodi bona, quæ Eccleſiæ ex reditibus Eccleſiaſticis à defuncto relictis cedunt? Reſp. hic videndum eſt, qui[s] perſona defunctus fuerit: nam ſi defunctus Canon[icus] fuit in Collegiata, vel Cathedrali Eccleſia, diſtribu[un]tur inter ſingulos Canonicos, vel alios ſimplices [Prae]bendarios, aut ſi ita viſum fuerit, in maſſa comm[uni] pro futuris neceſſitatibus aſſervari poſſunt *cap. rela[tum]* 12. *de Teſtam.* Si verò defunctus fuit Epiſcopus, [Pa]rochus, vel alius ſimilis, & bona, ſive reditus à C[ol]legio ſeparatos poſſedit, bona Beneficialia à defun[cto] relicta cedunt ejus in Eccleſia, vel Beneficio ſucce[ſſo]ri, cum obligatione tamen, ut illa diſtribuat in [u]s[us] pios *c. relatum cit. fin. de Offic. Ordin. in* 6. Vall. [...] *n.* 6. Engl. *ibid. n.* 23. Vvieſt. *n.* 21.

Quæritur 3. quibus caſibus Bona Beneficialia reli[cta] à Clerico ad Eccleſiam non deferantur? Reſp. t[res] dari caſus poſſe. 1. Ubi eſt Jus ſpolii; nam ubi [hoc] viget, bona illa cedunt Cameræ Apoſtolicæ per Co[n]ſtitutiones Julii III. Pauli III. & IV. & V. & Grego[rii] VIII. in iis verò Provinciis, in quibus Conſtitution[es] iſtæ receptæ non ſunt, prout receptæ non ſunt in L[u]ſitania, Gallia, & Germania, ab Epiſcopis, aliiſq[ue] collatoribus vindicari ſolent. 2. Ubi aliud obtentu[m] eſt privilegio Apoſtolico; nam hoc obtineri poteſt, [ut] ralia bona cedant non Eccleſiæ, ſed Prælato, vel R[e]ctori Eccleſiæ, aut alii perſonæ Eccleſiaſticæ, in[o] etiam perſonæ ſæculari, cùm Pontifex adminiſtrati[o]nem redituum Eccleſiaſticorum habeat. 3. Ubi co[n]trarium inductum eſt per conſuetudinem legitimè pr[æ]ſcriptam.

58 59 *Dubium eſt*, an ejuſmodi conſuetudo induci poſſi[t], ut conſanguinei etiam in Bonis Beneficialibus ab in[te]ſtato ſuccedant Clericis? Negant complures cum Na[varr.] *de reditib. Eccl. quæſt.* 3. *monit.* 11. *numer.* [...] & aliis *Tit. præc. num.* 84. *citt.* qui proinde, ſicut il[li] ut corruptelam reprobant conſuetudinem liberè teſtan[di] de bonis Beneficialibus, ita non meliorem judican[t] conſuetudinem ſuccedendi ab inteſtato: utrumque pro[] bant iiſdem ferè Argumentis. Sed cùm iſtis reſpon[ſum] ſatis ibidem ſit, idcircò dicendum, ubi conſue[] tudo legitimè præſcripta id permittit, etiam in Boni[s] Beneficialibus relictis à Clerico conſanguineos ejuſ[] dem ab inteſtato poſſe ſuccedere. In probationem ſer[] vient Argumenta *Tit. cit. num.* 85. allata, & ipſa et[] iam praxis; nam, ut teſtis eſt Covarr. *in cap.* 7. *de Teſtam. num.* 27. Barboſ. *in l. divortio ff. ſolut. matr. p.* 2. *n.* 63. Oliva *de foro Eccl. p.* 2. *q.* 30. *n.* 1. hujuſ[] modi conſuetudo in Gallia, Regno Caſtellæ, & alib[i] defacto viget.

60 Quæritur 4. quando Laico, vel Clerico ſuccedat Fiſcus? Reſp. tum demum ſuccedit Fiſcus, quando nullus alius eſt, qui ab inteſtato ſuccedendi jus habeat; tum enim Fiſcus ſibi bona defuncti, tanquam vacantia, vendicat, Sæcularis quidem, ſi defunctus ſit Laicus, Eccleſiaſticus autem de Jure communi, ſi defunctus ſit Clericus, ut dictum eſt *num.* 4. Antequam autem Fiſcus ad ſe bona hæc trahat, priùs proclamationem publicam debet facere, qua denuntietur, ut ſiquis putet defuncti hæreditatem ſibi deberi, compareat; nam ſi intra tempus præfixum compareat aliquis, & jus ſuum legitimè probet, huic, non Fiſco adjudicanda hæreditas erit.

61 Addidi *Eccleſiaſticus de Jure communi*; nam huic Juri Eccleſiæ, ut bene advertit P. Vvieſt. *hic num.* 19. in multis Provinciis derogatum eſt, in quibus bona Patrimonialia Clericorum, ſi inteſtati, & abſque conſanguineis deceſſere, apprehendit Fiſcus Sæcularis, excluſo Eccleſiaſtico: quæ conſuetudo, cùm Eccleſia acquieſcente introducta ſit, tolerari debet, modò bona, à Clerico Eccleſiæ intuitu acquiſita, ab illo intacta maneant.

62 Quæritur 5. quis ſuccedat Peregrino, ſi iſte ſine Teſtamento in Hoſpitali obeat? Reſp. de Peregrinis *Auth. omnes peregrini C. communia de ſucceſſion.* conſtitutum eſt, ut ſi inteſtati deceſſerint, bona ipſorum per manus Epiſcopi loci, ſi fieri poteſt, hæredibus tradantur, vel in pias cauſas erogentur: ſi verò hoſpes aliquid ex talium bonis acceperit, Epiſcopo jubetur reſtituere triplum, quibus ei viſum fuerit, aſſignandum.

§. VI.

De Hæredibus Novitiorum, & Profeſſorum inteſtatorum.

SUMMARIUM.

QUæritur 1. ad quem pertineant bona relicta à Novitio Ordinis Religioſi ante Profeſſionem demortuo? Reſp. ſi diſpoſitionem de illis aliquam fecit, extra dubium eſt, ea pertinere ad illum, in quem illa Teſtamento, donatione, aut ceſſione alia tranſtulit, ſive deinde tranſtulerit in Monaſterium ipſum, ſive in alium vel alios; quia liberrimam de ſuis bonis teſtandi, & diſponendi facultatem habet.

Controverſia eſt, quis ei ſuccedat, ſi ille decedat, nullo Teſtamento condito, vel alia diſpoſitione facta? Clarus §. *Teſtamentum q.* 28. *n.* 6. Decius *in cap. in præſentia* 8. *de probat. n.* 73. & alii ejus bona addicunt Monaſterio, excluſis hæredibus ab inteſtato venientibus. Rationem dant, quia Novitius ipſo Religionis ingreſſu, & perſeverantia in illa uſque ad obitum perſonam ſuam, & conſ. etiam bona ſua cenſetur tacitè, & ipſo facto Monaſterio dedicaſſe, prout non obſcurè innuitur *Auth. ingreſſi C. de SS. Eccl.* atqui taciti & expreſſi eadem vis eſt, idemque judicium *l. cùm quid* 3. *ff. ſi cert. petat.* ergo ſicut, ſi expreſſè ſe, ſuaque bona dedicaſſet Monaſterio, excluderentur conſanguinei, ita etiam excludentur, ſi tacitè per ingreſſum, & perſeverantiam in Religione. *Conf.* Novitius, quamdiu à Religione non recedit, perſona Eccleſiaſtica, & Religioſa reputatur ac Profeſſorum inſtar privilegiis Canonis, & Fori defenditur. igitur æquum erit, ut ſicut Profeſſorum, ita etiam ipſius ſine Teſtamento mortui bona Monaſterio cedant.

Verùm his non obſtantibus, dicendum, eo caſu Novitii defuncti bona, non ad Monaſterium, ſed ad conſanguineos ejuſdem, qui ab inteſtato veniunt, pertinere. Ita Gutier. *l.* 2. *qq. Canon. cap.* 1. *num.* 101. Molin. *tr.* 2. *de J. & J. D.* 140. *n.* 2. Sanch. *l.* 7. *mor. cap.* 3. *n.* 92. Pal. *tr.* 16. *D.* 1. *p.* 16. *n.* 2. & apud hos Abbas, Berojus, Navar. Suar. & plurimi alii. *Ratio eſt*, quia bona Novitii ad Monaſterium transferuntur vel Profeſſione Religioſa, vel ultima ipſius voluntate, aut diſpoſitione alia valida. atqui ponitur nondum fuiſſe Profeſſus, & ponitur etiam, quòd nullam adhuc fecerit validam diſpoſitionem de illis. ergo &c. *Proceditque hoc*, ut tali caſu Monaſterium ne quidem Legitimam conſequatur; quia nuſpiam Jure expreſſum eſt, quòd Monaſterium Novitio ſit loco filii. Imò, ſecluſa prævia conventione, Monaſterium ne quidem alimentorum expenſas poteſt petere; quia ne hoc quidem Jure cautum eſt, & caveri etiam non expediebat, ne per obligationem eas refundendi adimeretur, vel minueretur libertas ad ſæculum redeundi.

Neque multum urget adducta ratio in contrarium; quia Novitius per ingreſſum in Religionem, & habitus ſuſceptionem perſonam ſuam Religioni non tradidit abſolutè, ſed ad probationem tantummodo. *Neque refert*, quòd ad mortem uſque perſeveraverit; quia mors non habet vim efficiendi Religioſum ex Novitio; & conſ. etiam vim non habet faciendi, ut traditio ad probationem fiat abſoluta ſui, & ſuorum bonorum traditione, ſicque excludendi hæredes venientes ab inteſtato. *Ad Conf.* privilegium Canonis, & fori competere etiam illi poteſt, qui Religioſus, & Clericus non eſt actu, neque confert Monaſterio jus Novitii perſonam, & bona retinendi.

Quæritur 2. quis Profeſſo ſuccedat in bonis, ſi is ante Profeſſionem ſuam de iiſdem non diſpoſuit? Reſp. cum diſtinctione: Vel enim Religio, in qua Profeſſionem edidit, ſucceſſionis eſt incapax, vel contra illius capax. 67

Si primum, omnia illius bona, Profeſſione facta, ſtatim devolvuntur ad hæredes illius ab inteſtato, perinde, acſi morte naturali fuiſſet defunctus, ut communis omnium ſenſus, & certa doctrina eſt. *Ratio eſt*, qui Religioſus emittendo Profeſſionem ſe ſpoliat omni dominio, & poſſeſſione. igitur ne bona illius domino careant, ad alium tranſire debent: non tranſeunt autem ad Monaſterium ob incapacitatem ipſius ad ſucceſſionem. ergo ad hæredes ejuſdem venientes ab inteſtato, cùm nemo alius ad illa jus habeat.

Si ſecundum, & Religio ſit ſucceſſionis capax, emiſſa Profeſſione, omnia illius bona, quocunque titulo quæſita ſint, tranſeunt ad Monaſterium. *Auth. ingreſſi, & Auth. ſiqua mulier C. de SS. Eccl. Novell.* 5. *cap.* 5. & *Novell.* 123. *n.* 38. idque approbatum etiam eſt de Jure Canonico *can. ingredientibus* 7. & *can. ſiqua mulier* 9. *princ. cauſ.* 19. *q.* 3. *Ratio eſt*, quia æquitas dictat, ut Religioſus, qui perſonam ſuam ſervitio Divino mancipat, etiam bona ſua cultui ejuſdem conſecret, eaque relinquat potiùs Monaſterio, à quo alimenta vitæ neceſſaria perpetuò eſt percepturus, quàm aliis, quibus nihil debet, & à quibus nihil accipit. 68

Jus autem ſuccedendi habent omnia Monaſteria Regularium, præter Domos, & Collegia Societatis JESU, & Monaſteria FF. Minorum de Obſervantia, & Capucinorum: nam cæteris omnibus tam virorum, quàm mulierum, etiam Mendicantium, conceſſit Concilium Trid. *ſeſſ.* 25. *cap.* 3. *de Regular.* ut bona immobilia poſſidere poſſint, & conſ. in iis etiam ſuccedere. 69

Quæriiut 3. quænam bona, & jura Profeſſione Religionis, quæ capax eſt ſucceſſionis, ab inteſtato transferantur in Monaſterium? Reſp. Regula univerſalis eſt, transferri bona, & jura omnia, quorum capax eſt Monaſterium, adeoque 70

1 *Peculium* non tantùm *Caſtrenſe*, ſed etiam *Adventitium filiifam.* ſi hic ſit Religionem Profeſſus; quia hujus verè eſt dominus, licèt adminiſtrationem, & uſumfructum ejuſdem habeat pater: quem probabiliùs retinet etiam poſt Profeſſionem factam à filio, ut aliis multis *citt.* docet Sanch. *l.* 7. *mor. capit.* 13. *numer.* 39. *Ratio eſt*, quia in amittendo Uſufructu non domini, ſed uſufructuarii mors attenditur *l. ſi Pater* 3. *C.* & §. *fin. Inſt. de Uſufruct.* igitur multo minùs attendetur mors Civilis, quæ contingit per Profeſſionem.

2 *Feudum*; nam hoc ſi tale ſit, ut obſequia vi illius debita à Monaſterio præſtari poſſint, tranſmittitur ad Monaſterium, non tamen in perpetuum, ſed tantum, quamdiu Religioſus Profeſſus vivit. Sanch. *l.* 7. *mor. cap.* 15. *numer.* 36. cum communi. *Ratio eſt*, quia Regula generalis eſt, quòd bona Profeſſi omnia tranſeant ad Monaſterium, à qua Regula non ſunt excepta Feuda. 71

3 *Emphyteuſis*, niſi conceſſa illa ſit ſub conditione, ne ad Eccleſiam, vel potentiorem perſonam transferatur; tunc enim non tranſmittitur ad Monaſterium, ne contrà, quàm contractum eſt, propter Eccleſiæ privilegia, aut Emphyteutæ potentiam durior fiat conditio domini proprietatis, ut probabiliùs tenet aliis *citt.* Pal. *tr.* 16. *D.* 3. *p.* 4. §. 3. *n.* 8. 72

4 *Majoratus*, quatuor caſibus duntaxat exceptis, videlicet 1. niſi habeat annexam ſibi ſummam Dignitatem, e. g. Regnum, Ducatum &c. 2. niſi habeat annexam Juriſdictionem temporalem in aliquod oppidum. 3. niſi in ejus inſtitutione adjecta ſit clauſula Religioſum excludens. 4. denique niſi ad agnationem, & familiæ conſervationem, vel cum onere nomen familiæ, & iſtius arma, atque inſignia deferendi ſit inſtitutus. His enim caſibus Profeſſo ſuo in hujuſmodi Majoratu non ſuccedit Monaſterium, ſed ille à die Profeſſionis ad proximum agnatum devolvitur. Molin. *tr.* 2. *D.* 623. *n.* 3. 73

5 *Jus Patronatus*, ut colligitur ex *Auth. ingreſſi*, & aliis textibus *ſuprà citt.* juxta quos Profeſſi bona, & Jura omnia in Monaſterium transferuntur. *Excipitur*, niſi ex diſpoſitione Fundatoris apud familiam remanere debeat, vel annexum ſit Majoratui &c. qui ex natura ſua, vel inſtitutione excludat Monaſterium. 74

Quæritur 4. an ad hoc, ut Monaſterium acquirat bona- 75

na Professi sui, necessarium sit, ut illa apprehendat? Resp. distinguendo inter bona, quæ Professus habuit tempore Professionis, & inter ea, quæ Professo obveniunt post editam Professionem. *In primi generis bonis* non opus est apprehensione, sed absque hac tam dominium, quàm possessio in Monasterium transit; quia in ea bona succedit non Jure hæreditario, tanquam propriè dictus hæres, sed jure cujusdam acquisitionis naturalis, & accessoriæ personæ, prout innuitur *Auth. ingressi C. de SS. Eccl.* ibi *Ipso ingressu* (h. e. ipso facto, quo quis Religionem ingreditur) *se suaque dedicat DEO*; & *Novell.* 5. *cap.* 5. ibi *Ingredientem namque simul sequerentur res*, h. e. ipso Jure, & per sequelam. Aliud dicendum *in Bonis secundi generis*, quæ obveniunt Professo post editam Professionem; hæc enim sine traditione acquiruntur Monasterio solùm quoad dominium, non verò quoad Possessionem, ut aliis *citt.* advertit Sanch. *l.* 7. *mor. c.* 12. *n.* 28.

76 Major controversia est, an hæreditas delata Professo acquiratur Monasterio immediatè, an solùm mediatè, mediante videlicet acceptatione, & aditione ipsius Professi. Legistæ teste Fachin. *l.* 6. *contr. cap.* 16. affirmant secundum, & suadere hoc etiam videtur. 1. Textus *l. Deo nobis* 56. *C. de Episc. & Cleric.* ubi statuitur Monachos in omnem parentum substantiam succedere, professione Monastica non obstante. 2. Monachus æquiparatur servo. atqui hæreditas delata servo non acquiritur domino, servo invito, & nolente eam adire *l. cum proponas* 3. *C. de hæred. instit.* 3. si ad acquirendam hæreditatem, vel legatum Monasterio non esset necessaria aditio, & acceptatio Professi, ratio foret, quia proprium velle, & nolle non ampliùs habet. atqui hoc non obstat; quia licèt defectus proprii velle, & nolle ejus aditionem, & acceptationem à Superioris voluntate dependentem reddat, non tamen facit, ut ejus aditio, vel acceptatio non sit necessaria ad hæreditatem, vel legatum Monasterio acquirendum.

77 Sed his non obstantibus, probabilius est, non esse opus aditione Monachi, ut hæreditas, vel legatum ipsi delatum acquiratur Monasterio. Ita Covar. *in cap.* 1. *de Testam. numer.* 31. Molin. *tract.* 2. *D.* 140. *numer.* 19. Sanch. *l.* 7. *mor. cap.* 12. *num.* 36. & apud hos plurimi alii *citt. Ratio est*, quia ipsa Professione bona, & Jura Monachi omnia, omnisque ejus voluntas transfertur in Monasterium. igitur transfertur etiam jus, & voluntas adeundi hæreditatem, vel legatum acceptandi.

78 Opposita Argumenta non multùm urgent. *Ad* 1. ex *l. cit.* rectè quidem probatur, per Professionem non amitti jus Suitatis, & successionis, non tamen rectè infertur, quòd illud Professo competat, cùm omne jus, & voluntas ipsius translata sit in Monasterium. *Ad* 2. licèt Professus Religiosus æquiparetur servo quoad ipsam acquisitionem, quatenus, quidquid acquirit, acquirit Monasterio; quoad modum tamen acquirendi comparatur filiof. atqui si hæreditatem sibi delatam nolit acceptare filiusfam. potest illam adire pater *l. fin. C. de bonis, quæ liberis &c.* ergo etiam Monasterium adire poterit hæreditatem, vel legatum Professo suo delatum, etsi iste acceptare eandem nolit. *Ad* 3. hoc ipso, quòd in Monasterium per Professionem cum cæteris juribus translatum sit jus, & voluntas adeundi, vel recusandi hæreditatem, istud eandem adire etiam sine Professo suo, & immediatè potest.

79 Quæritur 5. utrum ex bonis Professi debeatur Legitima filiis ejusdem, vel aliis descendentibus, aut ascendentibus, quos reliquit in sæculo? Resp. affirmativè. Patet de filiis, & aliis descendentibus ex *can. siqua mulier*, *Auth. ejusdem initii*, & *Novell.* 123. *c.* 38. *citt.* Idem probabiliùs dicendum de Parentibus, aliisque Ascendentibus, ut communior docet: nec immeritò; nam & ipsi, deficientibus descendentibus, Hæredes necessarii liberorum suorum sunt, ut proinde etiam ad istos meritò extendantur textus *citt.* ob rationis identitatem.

80 *Major controversia est*, an ipsis debeatur Legitima statim post Professionem, ante mortem patris Religionem professi naturalem? In qua etsi omnes facilè concedant, quòd debeatur statim, quando Religio, quam Pater professus est, est incapax successionis, complures tamen cum Felin. Guttier. & Rodriq. volunt, Legitimam ante mortem non deberi, quando Religio, quam professus est, est successionis capax. *Fundantur* 1. quia *can. & Auth. siqua mulier* dicitur, patre post ingressum, & ante factam inter liberos dispositionem mortuo filios Legitimam percepturos. igitur eo nondum mortuo, per argumentum à sensu contrario illam non percipiunt. 2. Legitima filiis non debetur à patre superstite *l. hic titulus* 1. §. *si impuberes.* 21. *ff. de collation. bonor.* & ratio est, quia debetur jure successionis *c. cùm simus* 14. *de Regular.* ibi, *Quæ ipsi ex successione proveniunt*; successio autem, & hæreditas viventis non est *l. qui superstitis* 94. *ff. de acquir. hæred.* ergo nisi de Professis, qui liberos in sæculo relinquunt, aliter sit statutum, etiam ipsis viventibus Legitima non debebitur.

Sed probabilius est statim deberi Legitimam ante mortem naturalem patris. Ita Abb. *in c.* 8. *de probat. num.* 59. Covar. *in c.* 2. *de testam. num.* 7. Barb. *in c.* 14. *de Regular. num.* 3. Fagn. *ibid. num.* 7. *& seqq.* & colligitur ex *c. cum simus* 14. *de Regular.* ubi Cœlestinus III. de filio, qui cum patre suo Monachalem habitum induerat, in hæc verba rescripsit: *Si ad annos discretionis pervenerit, & habitum retinere noluerit Monachalem, ipsi liberum erit eum dimittere, & bona paterna, quæ ipsi ex successione proveniunt* (sive Legitimam) *postulare.* Neque dicas, in casu *cap. cit.* patrem jam fuisse mortuum morte naturali; nam hoc dicere est divinare, cùm de ea morte nulla fiat in textu mentio: imò potiùs colligitur contrarium; quia ut in lectione integra illius *c.* apud Fagn. *l. cit.* habetur, pater solùm laboraverat lepra, quæ est minùs periculosus morbus, nec adeo citò mortem affert.

Ex quo patet *ad arg.* 1. nam argumento à sensu contrario non est locus, ubi aliud expressum est Jure, præsertim posteriore, prout expressum est in casu nostro per *c. cum simus cit.* *Ad* 2. quando ex morte Civili idem effectus resultat, qui ex morte naturali, id, quod dispositum est de morte naturali dispositum etiam censetur de casu mortis Civilis. atqui Professio Religiosa est mors quædam Civilis, & ex hac idem effectus resultat, qui ex morte naturali; quia per utramque patria potestas cessat. ergo &c.

Quæritur 6. an per consuetudinem, vel statutum jus succedendi in bona Professorum, quod Monasteriis competit, tolli iisdem possit? Resp. consuetudine legitimè præscripta tolli potest, non verò statuto municipali, vel Provinciali, sed statutum tale, quo decernitur, ut, qui Religionem ingrediuntur, excludantur ab hæreditate, vel successione parentum, aliorumque consanguineorum; vel ut tantùm parte aliqua hæreditatis, aut vitalitio contenti sint, quibuscunque id verbis concipiatur, est irritum. Ita plurimis aliis *citt.* Sanch. *l.* 7. *mor. c.* 12. *n.* 14. *& seqq.*

Ratio primæ partis est, quia jus succedendi in Hæreditate, vel Legato, quod delatum est Professo, Monasteriis solùm Jure humano competit. igitur per contrariam consuetudinem, si legitimè præscripta sit, tolli omnino, & abrogari potest: erit autem legitimè præscripta, si non fuerit minor quadraginta annis; quia tantum tempus requiritur ad præscribendum contra Ecclesiam. Quare ubi talis est consuetudo, excluso Monasterio, bona Professi, & Hæreditates ab intestato ipsi delatæ, devolventur ad filios, & consanguineos ejusdem.

Ratio secundæ partis; quia Magistratus Sæcularis, etiam Supremus, non potest privilegia Ecclesiis, & Ecclesiasticis personis ab Imperatoribus concessa, & ab eis acceptata, auferre sine consensu Pontificis, cùm Jurisdictionem in Ecclesiasticas personas non habeat. atqui jus succedendi concessum est Monasteriis ab Imperatoribus, ut constat ex *Novell. citt.* & ab Ecclesia acceptatum. ergo &c. *Conf.* quia tale statutum, ejusque effectus dirigitur in illud tempus, quo Religionem ingressus jam est professus; non enim ante Professionem excluditur à successione, nec illius incapax redditur. atqui tunc jam est omnino exemptus à Jurisdictione sæculari, adeoque tali statuto nullo modo ligari potest. ergo &c.

TITULUS XXVIII.

De Sepulturis.

SUccessioni tum Testamentariæ, tum Legitimæ, de qua in *duobus præc. Tit.* annectitur præsens Titulus *de Sepulturis*; quia sæpe defunctus in ultima voluntate sua de loco, & modo sepulturæ suæ disponit.

§. I.

§. I.

De Loco Sepulturæ Sacræ.

S U M M A R I U M.

1 *In quo loco ſepeliendi Fideles ſint?*
2 3 *Ubi Cæmeteria poſſint conſtrui?*
4 5 *An quivis fideles ſepeliri poſſint in Eccleſia?*
6 *Quænam Eccleſiæ jus ſepulturæ habeant?*
7 *Quis dare poſſit hoc jus?*
8 *An eidem Regulares renuntiare?*
9 *In quo ex omnibus ſepeliri defunctus debeat?*

1 QUæritur 1. in quo loco ſepeliendi fideles ſint? Reſp. olim ſepeliri corpora humana poterant in quovis loco honeſto, qui propterea Religioſus fiebat, & conſ. extra commercium humanum poſitus, modò illud domino loci ſciente, & non contradicente factum ſit §. *nullius* 7. & §. *religioſum* 9. *Inſt. de rer. diviſ. l. invito* 2. *C. de religioſ. & ſumpt. funer.* Quod hodie per Jus Canonicum ſublatum eſt, ſecundùm quod, ut locus aliquis ob ſepulturam corporis humani ibidem factam Jure, & privilegiis loci Sacri, ac Religioſi gaudeat, non ſufficit, quòd privata, ſed requiritur, ut publica Epiſcopi authoritate ad fidelium ſepulturam ſit deputatus, ut colligitur ex *c. ad hæc* 4. *de Religioſ. domib.* Talia defacto ſunt Eccleſiæ, & Cœmeteria, ita dicta, quòd ibi fidelium corpora quaſi dormiant, donec ex hoc ſuo quaſi ſomno tubæ ſupremæ ſono ad ultimum Judicium excitentur, & reſurgant.

Quæritur 2. ubi Cœmeteria poſſint conſtrui? Reſp. conſtrui poſſunt in, vel extra civitatem, plerumque prope Eccleſiam conſecratam: idque ob triplicem rationem. 1. quia fideles piè credebant, ſe inferni tenebras faciliùs evaſuros meritis, & patrociniis Sanctorum, quorum oſſibus ſua ſociarent. S. Ambroſ. *homil.* 6. *de Sanctis*. 2. ut participes fierent Sacrificiorum, quæ in Eccleſiis offeruntur, & vivorum eas ingredientium charitas excitaretur ad preces fundendas pro animabus defunctorum, ibi requieſcentium *can. cùm gravia* 17. *cauſ.* 13. *q.* 2. 3. ut Fideles Eccleſias per Cœmeteria adeuntes, commonefierent mortalitatis, & futuri exitus ſui è vita, qua nulla eſt ſalubrior cogitatio. *Eccl.* 7. *verſ.* 40. ob hanc enim maximè cauſam in aditu urbium (& templorum) collocata fuiſſe notat S. Chryſoſt. *homil. de fid. & leg. natur.*

Addidi, *plerumque prope Eccleſiam*; nam ex cauſa rationabili conſtrui aliquando poſſunt etiam in loco remoto ab Eccleſia, præſertim ſi deſtinata ſint pro peſtiferis, & in contagioſo morbo decedentibus, ut bene notat Sylv. *V. Sepultura c.* 1.

Quæritur 3. an quivis fideles, etiam Laici, ſepeliri in Eccleſia poſſint? Reſp. olim in Eccleſiis ſepeliri poterant tantùm Epiſcopi, Abbates, digni Presbyteri, & ex Laicis, qui pro Sanctis ſunt habiti, & miraculis coruſcabant, vel in Dignitate conſtituti erant, ut habetur *can. præcipiendum* 15. *in fin.* & *can. nullus* 18. *cauſ.* 13. *q.* 2. & explicat *ibid.* Gloſſ. *V. fideles*, & Turrecrem. *in fin.*

Hodie tamen ſepeliri in Eccleſia poſſunt quicunque fideles Chriſtiani, etiam Laici, ut conſtat ex *can. gravia* 17. *cauſ. & qu. cit.* & notat *ibid.* Gloſſ. *V. ſepeliantur.* Barboſ. *de Offic. & poteſt. Paroch. c.* 26. *num.* 8. Pirh. *hic num.* 1. modò ipſe defunctus ibi ſepeliendus Eccleſiaſtica Sepultura non ſit privandus, & Eccleſia jus Sepulturæ habeat; non enim jus iſtud cuilibet Eccleſiæ competit, ſed tantùm Parochialibus, & iis, qui jus illud vel privilegio, vel conſuetudine legitimè præſcripta obtinuerunt.

Ex privilegio jus ſepeliendi Fideles in Templis, & Cœmeteriis ſuis habent Ordo Prædicatorum, & Minorum S. Franciſci *Clem. dudum* 2. *verſ. hujuſmodi*, & *Extrav. ſuper Cathedram* 2. §. *hujuſmodi quoque int. comm. hoc tit.* quod privilegium aliis etiam Religioſis communicari tradit Molin. *tr.* 2. *de J. & J. D.* 224. *n.* 21. Donat. *tom.* 3. *prax. regul. tr.* 9. *q.* 8. *n.* 2. Pirh. *hic n.* 30. Vvieſt. *ibid. n.* 18.

Neque opus eſt, ut corpus defuncti, qui apud ipſos ſepulturam elegerit, priùs deferatur ad Eccleſiam Parochialem; quia jus habent liberè, i.e. ſine ulla contradictione ſepeliendi, ut dicitur *Clem. cit.* Et hinc ſi Presbyteri Parochiales admoniti corpus defuncti deferre nolint ad Eccleſiam Regularem, poſſunt Regulares ipſimet, etiam contradicente Parocho, vel Epiſcopo, illud levare, & deferre ad ſuam Eccleſiam, ut rectè aliis *citt.* advertit Pirh. *hic n.* 31.

Quæritur 4. quis date jus, ſeu privilegium ſepeliendi poſſit? Reſp. univerſim in tota Eccleſia dare poteſt Papa, & quidem ſolus, cùm nullius alterius poteſtas ſeſe ad Eccleſiam univerſam extendat. Præter Pontificem illud dare poteſt Legatus à Latere intra ſuam Provinciam, Epiſcopus intra ſuam Diœceſim, Prælati alii, Juriſdictione quaſi Epiſcopali præditi, intra ſuum territorium. 7

Ut tamen Epiſcopus, vel alius Prælatus inferior licitè illud det, opus eſt juſta cauſa, & conſenſu Capituli, ut notant Abb. *in c.* 9. *hoc tit. num.* 9. Molin. *D.* 214. *cit. num.* 21. Pith. *hic num.* 32. *Ratio eſt*, quia ejuſmodi privilegium, vel conceſſio reputatur inter cauſas arduas, & præjudicioſas. atqui Epiſcopus ſine conſenſu Capituli res arduas expedire, & in præjudicium unius Eccleſiæ jus illi competens dare alteri nequit, ergo &c.

Quæritur 5. an poſſint Regulares dicto juri ſepeliendi renuntiare? Reſp. diſtinguendo: Vel enim agitur de jure Sepulturæ in Eccleſia Regulari jam erecta, vel de jure ejuſdem in Eccleſia primùm erigenda. 8

Si primum, ad hujuſmodi juris renuntiationem opus eſt ſolemnitate ad alienationem rerum Eccleſiaſticarum requiſita. *Extrav. ambitioſæ de reb. Eccl. non alien. int. comm.* Neque obſtat, quòd *Extrav. cit.* mentio ſolùm fiat de rebus Eccleſiaſticis; nam, ut *l. rei* 23. *ff. de V. S.* ait Ulpianus, *Rei appellatione & cauſæ, & jura continentur.*

Si ſecundum, renuntiationi eſt locus; conſ. caſu, quo in limine fundationis cum Parocho concordia facta eſt de non recipiendis ad Sepulturam illius Eccleſiæ Parochianis, pactum illud ſervandum eſt; quia renuntiatio iſta non eſt Juris jam quæſiti, ſed primùm acquirendi, ſicque locum non habet diſpoſitio *Extravag. ambitioſæ cit.* cùm dici non poſſit, quòd alienetur jus Eccleſiæ. Matthæucc. *in Offic. Curiæ Eccl. c.* 48. *n.* 2.

Quæritur 6. in quonam ex his locis, quibus jus ſepeliendi competit, quiſque ſepeliri debeat? Reſp. ſi defunctus Eccleſiam, vel Cœmeterium certum deſtinavit Sepulturæ ſuæ, debet in eo ſepeliri: ſi nullam elegit certam Sepulturam, inferri debet Sepulturæ Majorum ſuorum: ſi Majorum etiam Sepultura careat, ſepeliendus eſt in Parochia ſua, in qua habuit domicilium, & Sacramenta, cæteraque Divina percepit. Verùm de his diſtinctis §§. agendum eſt latiùs. Sit ergo: 9

§. II.

De Electione Sepulturæ Sacræ.

S U M M A R I U M.

10 11 *Quinam eligere ſibi Sepulturam poſſint?*
12 *An pater filio impuberi?*
13 *An filiusf. conſtitutus in poteſtate patria?*
14 *Quinam Regulares ſibi eligere Sepulturam poſſint?*
15 *In quo loco ſint ſepeliendi Novitii?*
16 *An Sepultura eligi poſſit in loco minùs religioſo?*
17 *Vel in Eccleſiis Monialium? Argumenta ſententiæ affirmantis.*
18 *Deciditur pro negativa.*
19 *Hinc, qui ibi elegit Sepulturam, hanc accipere in Parochiali debet.*
20 *Solvuntur Objectiones.*
21 22 *An electio Sepulturæ referri poſſit in arbitrium alienum?*
23 *Pœna inducentium ad electionem Sepulturæ in certo loco.*
24 *Requiſita ad pœnam hanc incurrendam.*
25 *Quomodo probari debeat electio certæ Sepulturæ?*
26 *An ſufficienter probetur aſſertione Confeſſarii?*

QUæritur 1. quinam eligere ſibi Sepulturam poſſint? Reſp. regulariter poſſunt omnes, tam maſculi, quam fœminæ, etiam extra Parochiam ſuam, vel Sepulturam Majorum, modò locus, qui eligitur pro Sepultura, talis ſit, qui jus Sepulturæ vel ex Jure communi, vel ex privilegio habet, & eligens ſit pubes, mentis compos, & aliunde non prohibitus Sepulturam ſibi eligere. Ita Gloſſ. *in cap. nos inſtituta* 1. *V. propriam hoc tit.* Sylv. *V. ſepultura q.* 6. Molin. *tr.* 2. *D.* 214. *n.* 10. Pirh. *hic num.* 14. Vvieſt. *ibid. num.* 19. & habetur *c. nos inſtituta cit.* ibi, *Nulli tamen negamus propriam eligere Sepulturam, & etiam alienam.* Idem ſupponitur *c. is qui* 3. *eod. in* 6. Pro ratione reddi poteſt tritum illud, quo ſuprema Teſtatoris volun- 10

tas adimplenda dicitur *can. ultima* 4. *cauf.* 13. *q.* 2. *l. non negare* 5. *ff. quemad. testam. aperiant.* & *l. habeat* 1. *C. de SS. Eccl.*

11 *Excipiuntur* 1. amentes, & mente capti ob defectum usus rationis; nam Electio Sepulturæ est actus humanus, cujus incapaces sunt mente capti. *Excipiuntur* 2. impuberes; nam isti ob defectum ætatis, & judicii satis maturi eligere sibi Sepulturam nequeunt, sed eorum loco Sepulturam ipsis eligit pater, ubi consuetudo loci sic habet, vel si consuetudo talis non extet, sepeliendus is est in Sepultura Majorum, vel Parochiali *c. de uxore* 7. *hoc tit.* & *c. licèt* 4. *in princ. eod. in* 6. *Excipiuntur* 3. Religiosi; nam his, cùm velle, & nolle non habeant, potestas eligendi Sepulturam extra suum Monasterium non est, nisi ita remoti sint, ut ad id, cùm moriuntur, commodè deportari nequeant; tali enim casu ex licentia à Jure indulta Sepulturam sibi eligere permittuntur *c. fin. hoc tit. in* 6. Quodsi verò eo casu Sepulturam sibi non elegerint, sepeliendi sunt in Parochia loci, ubi defuncti sunt, nisi vicinum sit Monasterium sui Ordinis. Ita cum aliis Sanch. *l.* 6. *moral. c.* 14. *n.* 4.

12 Quæritur 2. an, seclusa consuetudine, pater filio suo impuberi eligere Sepulturam possit? Videtur posse: nam etiam filio suo impuberi Testamentum facere, sive Hæredem ipsi substituere potest *c. si pater* 1. *de Testam. in* 6. & *l. hæredes* 1. *ff. de Vulg. & Pupillar. substit.* Sed meritò negatur paritas. *Ratio disparitatis est*, quia Jus Sepulturæ est Spirituale, jus autem testandi temporale. atqui patris potestas non ita se extendit in filium ad jura spiritualia, sicut ad temporalia. ergo &c.

Quare dicendum, seclusa consuetudine, patrem filio suo impuberi non posse eligere Sepulturam, ut rectè cum aliis advertit Pirh. *hic n.* 20. *not.* 2. Multo minùs poterunt consanguinei, & amici pro amico, & consanguineo defuncto. Imò, ut Gloss. *in c. licèt cit. V. vel in Parochali* tradit, nec consuetudo parentibus, & amicis dat adeo liberam potestatem, ut pro impubere eligere Sepulturam possint, ubi voluerint, sed tantùm, ut liceat illum sepelire vel in Sepultura Majorum, vel in Parochia, prout voluerint.

13 Quæritur 3. an eligere sibi Sepulturam possit filiusfam. qui adhuc in potestate patria est? *Ratio dubitandi est*, quia per Voluntatem ultimam, etiam pro anima sua, sine patris assensu, relinquere nihil potest, nisi Peculium Castrense, vel quasi Castrense habeat; est autem electio Sepulturæ quasi quædam ultima Voluntas. ergo &c.

Sed dicendum, si Filiusf. pubes est, eligere sibi Sepulturam potest, etiam absque patris consensu, ut habetur *c. licèt* 4. §. *quamvis h. tit. in* 6.

Neque contrarium probat ratio dubitandi allata; negatur enim paritas. *Ratio dubitandi est*, quia, ut *n. præced.* dictum est, jus Sepulturæ est Spirituale, quoad res autem, & Jura Spiritualia filius non ita subjectus est patri, sicut quoad bona temporalia, sed potiùs est sui Juris.

14 Quæritur 4. an nulli Regulares eligere sibi Sepulturam possint? Resp. à communi regula, quæ Religiosis Sepulturæ electionem prohibet, triplex maximè exceptio datur.

1 Si remoti à Monasteriis suis decedant: de quo dictum *n.* 11.

2 Si extra Claustra Beneficiis sint præpositi; quia hi in multis velle, & nolle proprium habent, ut notat Gloss. *in c. fin. V. non habeant h. tit. in* 6.

3 Prælati Regulares: iique non tantùm supremi, sed inferiores quoque, & alii in sua Religione subordinati, ut sunt Provinciales, Priores, Rectores, Guardiani; nam his electionem Sepulturæ permittit Sanch. *l.* 6. *mor. c.* 14. *n.* 7. Rodriq. *tom.* 3. *Regul. q.* 60. *art.* 1. Pellizar. *Man. Regul. tom.* 2. *tr.* 8. *cap.* 5. *n.* 126. quia in multis, præsertim ad suam personam pertinentibus, velle, & nolle proprium habent. Bene tamen advertit P. Wiest. *hic n.* 22. quòd hoc ipsorum velle non sit omnino absolutum, sed dependens ab Ordinis Regulis, & Constitutionibus: quæ proinde spectandæ sunt, ut decerni possit, quid hujusmodi Prælatis in casu præsenti liceat.

15 Quæritur 5. in quo loco sepeliendi sint Novitii? Resp. sepeliendi sunt ibi, ubi Sepulturam elegerint. Franc. *in c. fin. hoc tit. num.* 2. Sanch. *c.* 14. *cit. n.* 10. Pirh. *hic num.* 25. *Ratio est*, quia electio Sepulturæ prohibita est solis Religiosis; Novitii autem non sunt propriè Religiosi, præsertim in odiosis, & habent adhuc velle, & nolle proprium. ergo &c. Si Novitius decedens Sepulturam sibi non elegerit, sepeliri debet in Monasterio, sive deinde decesserit intra Monasterium, sive extra illud, in domo v. g. parentum ubi valetudinis gratia cum licentia Superiorum versabatur. Rodriq. *tom.* 2. *Reg. quæst.* 39. *art.* 4. Sanch. *l. cit. n.* 11. Pirh. *num.* 25. *cit. Ratio est*, quia Novitii gaudent juribus, & privilegiis sui Ordinis. Expensas funeris, si Novitius proprium patrimonium non habet solvere Monasterium, seu Ordo debet; quia hujus sunt membra, in eum admissi, ut probentur. Rodriq. *q.* 60. *citat. art. ult.* Sanch. *n.* 12. Pirh. *l. cit.* ubi rectè monet, hac in re servandam esse consuetudinem receptam in quavis Religione.

16 Quæritur 6. an quis relicta Majorum, aut Parochiali Sepultura, eligere Sepulturam possit in loco minùs Religioso, sive in quo Missæ Sacrificium, cæteraque Divina, & Orationes publicæ rariùs, e. g. solùm semel, aut bis quotannis peragi solent? *Ratio dubitandi* oritur ex *c. fraternitatem* 3. *h. tit.* ubi ejusmodi electio, tanquam antiquæ institutioni, & rationabili Ecclesiæ consuetudini contraria rejicitur, & dicitur esse invalida.

Sed tenenda est affirmativa sententia, prout clarè decernitur *c. cùm quis* 2. §. *fin. hoc tit. in* 6. ubi talis electio impugnari prohibetur. *Ratio est*, quia electio Sepulturæ est pars ultimæ Voluntatis defuncti *cap. de uxore* 7. *hoc tit.* quæ si rationabilis, & honesta sit, modis omnibus adimpleri debet. atqui defunctus ad electionem Sepulturæ in loco minùs Religioso moveri poterat honesta, & rationabili causa, v. g. quòd speciali devotione feratur in Sanctum, qui ibi colitur, vel quòd ob viciniam a successoribus, aut hæredibus faciliùs adeatur &c. ergo &c.

Ad textum *c. fraternitatem cit.* variæ sunt Interpp. responsiones: præ aliis placet, quæ cum Gonzal. *ibid. n.* 9. id exaudiendum vult de electione Sepulturæ in loco minùs, i. e. non religioso, sed profano.

Quæritur 7. utrum eligi Sepultura etiam possit in Ecclesiis Monialium? Samuelius *de Sepult. tr.* 1. *D.* 6. *contr.* 11. *concl.* 7. Murga *tom.* 1. *tr.* 7. *disquis.* 12. *sect.* 4. *concl.* 7. *n.* 22. Gonz. *in c.* 3. *hoc tit. n.* 5. Ventrigl. *prax. de elect. sepult. tom.* 1. *annot.* 52. §. *un. num.* 47. id concedunt in Ecclesia Monialium exteriori, quamvis de interiori negent; & videtur istud posse probari. 1. Ex *can. ubicunque* 6. *cauf.* 13. *q.* 2. ubi Ecclesiis Sanctimonialium jus Sepulturæ expressè conceditur. 2. Ex declaratione Gregorii XIII. apud Marsil. Portel, Pellizarium, qui declarasse dicitur corpora volentium sepeliri intra Monasteria Monialium debere sepeliri in Ecclesia exteriori, & non intra claustra. 3. Ex *Const. Leonis X.* incipit *Dudum per nos*, & in *Bullar. tom.* 1. *est numero* 32. ubi Pontifex iste privilegia Ordinum Mendicantium communicat etiam horum Monialibus. 4. Ex *Constit. Pauli V.* incipit *Expositum*, & in *Bullario tom.* 1. *est ordine* 47. ubi laudatus Pontifex jus tumulandi in Ecclesiis Monialium S. Francisci præsupponit.

Sed dicendum, neque in Ecclesia exteriori Monialium eligi Sepulturam, aut recipi corpora defunctorum posse sine licentia S. Congreg. Ita Nicol. *flosc. V. Sepultura n.* 5. Vinc. Petra *tom.* 2. *comment. fol.* 198. *n.* 28. *& seqq.* Pignatell. *tom.* 4. *consult.* 177. Matthæucc. *Off. Cur. Eccl. cap.* 48. *n.* 4. Illustriss. D. Præpositus Frising. *tom.* 1. *cons.* 15. *à n.* 153. & expressè resolutum est à S. Congreg. *in Feretrana* 21. *Novemb.* 1603. *in Ferrariensi* 12. *Jul.* 1604. *in Gravinensi* 1. *Octob.* 1650. *in Foro Sempronien si* 23. *Aug.* 1652. *&* maximè *in Maceratensi* 8. *Nov. anni ejusdem*: quæ Declarationes, cùm sint maximæ authoritatis, & teste Petra *l. cit. n.* 29. omnia Tribunalia eas recipiant, præsertim Sacra Rota, dubium omne tollunt.

Hinc qui Sepulturam ibi elegit, sepeliri debebit in Sepultura Majorum, vel si talem non habeat, in Parochiali; quia cessante dispositione hominis, remanet dispositio Juris, quod assistit Parocho, qui habet intentionem fundatam sepeliendi in sua Ecclesia omnes, qui decedunt intra limites suæ Parochiæ. *Proceditque hoc* etiam de Puellis, quæ educationis melioris causa in Monasteriis Monialium degunt, si ibi decedant, ut contra Pellizarium probabiliùs docent Pignatell. *tom.* 7. *cons.* 63. Matthæucc. *Offic. Cur. Eccl. cap.* 32. *num.* 8. nam sæculares omnino sunt, & in Monasterio manent, non tanquam in habitatione propria, sed aliena, animo revertendi ad propriam, cùm primùm licebit: & hinc quemadmodum Parochus illius Parochiæ assistere debet Matrimoniis illarum, ita debet etiam illas tumulare; utrumque enim inter Jura Parochialia censetur.

Ad Argumenta contraria non difficilis responsio. *Ad* 1. *can.*

can. cit. loquitur non de facultate eligendi sepulturam in Ecclesiis Monialium, sed de necessitate temporum, vel locorum. *Ad* 2. de Declaratione illa non constat authenticè, & si constaret, dicendum eam vel revocatam per posteriora S. Congr. Decreta, vel intelligendam de casu, quo privilegio, vel indulto speciali licet Ecclesiis Monialium Laicos ad Ecclesiasticam Sepulturam recipere, qui apud illas elegerint sepeliri. *Ad* 3. communicatio illa privilegiorum intelligenda est, quatenus illa Monialium sexui, & statui non contradicunt. *Ad* 4. Pauliana illa Constitutio procedit in puncto Juris, cui in facto obstant resolutiones Sacræ Congreg. quas vidimus.

Quæritur 8. an electio Sepulturæ referri possit in arbitrium alienum? Resp. posse; nam ita referri potest etiam potestas disponendi de bonis suis, saltem ad pias causas.

Dubium est, an casu, quo Titius v. gr. electionem Sepulturæ suæ commisit arbitrio Sempronii, iste autem vivente Titio non elegit, eligere eidem sepulturam possit, ipso mortuo? *Videtur posse*; nam etiam defunctus ita potest committere alteri dispositionem de bonis suis, ut locus illi etiam post mortem sit, saltem ad pias causas, prout habetur *cap. cùm tibi* 13. *de Testam.*

Sed dicendum, non posse ampliùs pro Titio eligere Sepulturam. Lapus *in c. is qui* 3. *h. tit. in* 6. *n. ult.* Vinc. Petra *tom.* 2. *comment. fol.* 396. *numer.* 43. Matthæucc. *Off. Cur. Eccl. c.* 48. *n.* 27. Pirh. *hic num.* 28. *Ratio est*, quia per mortem Parochiani statim jus sepeliendi acquisitum est illi Ecclesiæ, apud quam sepeliri debebat, cùm, non electa sepultura, decessit. Unde hoc casu Titius sepelietur in Sepulchro Majorum suorum, vel in Ecclesia Parochiali. *Conf.* nam mandatum, & delegatio re adhuc integra exspirat morte committentis, & delegantis *c. gratum* 20. *de Offic. deleg.* igitur morte committentis electionem sepulturæ etiam exspirabit commissio.

Neque obstat Argumentum sumptum ex *c. cùm tibi cit.* nam defunctus est absolutus dominus bonorum suorum. ergo sicut disponere de illis pro libitu suo potuit, ita potestatem disponendi concedere alteri, saltem ad pias causas. At facultas eligendi sepulturam est privilegium, contra Jus concessum à SS. Canonibus: quod proinde extendi non debet.

Quæritur 9. an validum sit votum, vel juramentum, quo quis se obligat ad eligendum in certo loco Sepulturam? Resp. cum distinctione: Vel enim ejusmodi Votum, aut Juramentum factum est sponte, & tunc indubitatò tenet, nisi mutatus sit status aut ipsius eligentis, quia v. g. factus est Episcopus; aut loci, quia destructus est. Rodriq. *tom.* 3. *Regul. q.* 58. *art.* 7. *§. pen.* Vel contrà ad ejusmodi Votum, Juramentum, aut etiam simplicem promissionem inductus est à Religiosis, vel Clericis in favorem suæ Ecclesiæ, & tunc irrita, ac nulla sunt, ut patet ex *cap. animarum* 1. *hoc tit. in* 6. *& Clem. cupientes* 13. *in fin. de pœnis*, ubi in contrarium facientes statuitur pœna Excommunicationis ipso facto incurrendæ, & reservatæ Summo Pontifici.

Porro ut pœna hæc incurratur, requiritur. 1. Ut inducens sit Clericus, vel Religiosus; nam Laicus illam non incurrit, cùm textus *citt.* solùm loquantur de Clericis, & Religiosis. 2. Ut inductus sit ad votum, Juramentum, vel promissionem eligendæ Sepulturæ; nam inducens tantùm ad eligendam sepulturam sine Voto, Juramento, vel promissione inducti non incurrit eam Excommunicationem. Sylv. *V. Excommunicatio* 7. *num.* 49. Petra *tom.* 2. *Comment. fol.* 396. *num.* 45. Matthæucc. *Off. Cur. Eccl. c.* 48. *n.* 29. 3. Ut ita inducatur ad eligendum in favorem propriæ Ecclesiæ; nam si quis inducat ad eligendam Sepulturam in aliena Ecclesia, e. g. Religiosus S. Francisci ad eligendam Sepulturam in Ecclesia S. Dominici, inducens ab Excommunicatione hac liber est. Rodriq. *art.* 7. *cit. dub.* 4. 4. Ut inductus non debuerit aliàs sepeliri in Ecclesia, in qua ex inductione elegit Sepulturam; nam si Parochus Parochianum suum inducat ad eligendam Sepulturam potiùs in Parochiali, quàm aliena Ecclesia, immunis à pœna est, utpote quæ statuta est in favorem Parochorum, ut proinde in odium illorum detorquenda non sit. Pal. *tr.* 29. *D.* 3. *p.* 2. *n.* 21. 5. Ut inductio sit sortita effectum; nam si aliàs elegisset defunctus sepulturam in tali loco, inducens non fit reus istius pœnæ. Pal. *l. c. n.* 22.

Quæritur 10. quomodo probari debeat electio certæ Sepulturæ? Resp. ex communi sufficienter probatur. 1. per duos, vel tres testes, deponentes de electione defuncti. 2. per Testamentum, vel Codicillum, quamvis invalidum, & per quamlibet Scripturam propriæ manus, Illustriss. Præpos. Frising. *tom.* 1. *Conf.* 15. *n.* 45. 3. per testem unicum, concurrentibus aliis adminiculis, Sebast. Medices *de Sepult. q.* 8.

Dubitari potest, an sufficienter probetur assertione Confessarii? Affirmat Laur. de Franchis *Contr. Episc. & Reg. p.* 2. *q.* 64. *n.* 6. meliùs cum Donato *tr.* 9. *q.* 22. negat P. Vviest. *hic n.* 25. nam Regula universalis est, quòd unius assertio non sufficiat, sed duo saltem requirantur; ab hac autem Regula non reperitur exceptus præsens casus. ergo &c. *Excipitur*, nisi loci consuetudine, vel statuto tribueretur major vis dicto Confessarii, vel alterius hominis; nam tunc standum iisdem foret; & talem consuetudinem, vel Statutum esse in Curia Archiepiscopali Neapolitana, testis est M. Ant. Genuens. *prax. Cur. Neapol. c.* 76. *n.* 8. 26

§. III.

De Sepultura Majorum.

SUMMARIUM.

27 *Qui nullam sibi Sepulturam elegit, sepeliendus est in Sepulchro Majorum.*
28 *Quodnam sit præferendum, si pater & avus in uno, proavus, & atavus in alio loco sepulti sunt?*
29 30 *Vel si pater in uno, cæteri progenitores in alio?*
31 *In quo loco sepeliendi sint filii Naturales, Spurii, & Adoptivi?*
32 *Uxor superstes marito suo?*
33 *Vel præmortua?*
34 *An vicissim maritus sepeliri debeat in Sepulchro uxoris?*
35 *Defenditur negativa.*
36 *Requisita, ut uxor obtineat Sepulchrum mariti sui.*
37 *Ubi sepeliendi sint famuli domestici Ordinum Mendicantium?*

Quæritur 1. ubi sepeliendus sit, qui vivens nullam sibi Sepulturam elegit? Resp. si Sepulturam Majorum suorum habeat, illius corpus eidem est inferendum *can. Ebron.* 2. *can. placuit* 7. *& seqq. caus.* 13. *q.* 2. *c. nos instituta* 1. *hoc tit. Ratio est*, quia ex instinctu naturali, & communi voto quilibet suis potiùs, quàm extraneis conjungi velle præsumitur, juxta exemplum Veterum Patriarcharum, qui in Sepulchris Patrum suorum sepeliri voluere. *Genes.* 25. 49. *&* 50. *Majorum* autem nomine hìc intelliguntur pater, avus, & alii superiores, seu Ascendentes *leg. Jurisconsultus* 10. *ff. de gradib. affinit.* 27

Quæritur 2. cui Sepulturæ inferendus sit defunctus, si pater, & avus ejusdem sepulti sint in uno loco, proavus verò, & atavus in alio? Resp. hoc casu defunctus potiùs inferendus est Sepulchro, quod sibi delectum habuit pater, & avus, quàm quod proavus, & atavus. Sylv. *V. Sepultura q.* 8. *dict.* 1. Vincent. Petra *comm. tom.* 2. *fol.* 393. *n.* 25. Præpos. Frising. *tom.* 1. *conf.* 15. *n.* 50. *& seqq.* Pirh. *hic n.* 4. Vviest. *n.* 30. *Ratio est*, quia jus sepulturæ habet se instar domicilii inter vivos; filius autem patris, & avi potiùs, quàm remotiorum progenitorum domicilium sequitur *l. assumptio* 6. *ff. ad municipal. Conf.* quia unio Sepulturæ procedit ex mutuo affectu dilectionis, quæ intercessit inter vivos; hic autem major solet esse in patrem, & avum, quàm in cæteros progenitores magis remotos. 28

Quæritur 3. quid si pater diversum etiam ab avo, & cæteris progenitoribus Sepulchrum habeat? Resp. in hoc conveniunt DD. 29

Abb. *in c.* 1. *hoc tit. n.* 5. Molin. *tr.* 2. *de J. & J. D.* 214. *n.* 13. Præposit. Frising. *tom.* 1. *conf.* 15. *n.* 57. *& seqq.* Pirh. *hic n.* 4. distinguunt; nam si pater sponte sibi elegit Sepulchrum proprium, diversum à Sepulchro Majorum suorum, dicunt filium sepeliendum in Sepulchro sui patris, etsi iste adhuc superstes sit; si verò pater præter voluntatem suam casu aliquo ibi sepultus est, tunc censent filium sepeliendum in Sepulchro avorum, seu majorum suorum.

Alii cum Gloss. *in c. is qui* 3. *V. ab antiquo hoc tit. in* 6. Sylv. *V. Sepultura q.* 8. *dict.* 1. Vviest. *hic n.* 30. indistinctè docent, casu, quo pater sepultus est in uno loco, avus, & majores cæteri in alio, alium sepeliendum potiùs cum avo, & aliis majoribus, quam cum patre. *arg. c. nos instituta* 1. *hoc tit.* ubi dicitur, unumquemque in Majorum suorum Sepulchris sepeliendum esse: quod adhuc clariùs statuitur *c. is qui cit.* ubi Bonifacius VIII. præcipit, eum, qui, non electa sepultura decedit, sepeliri 30

liri debere in ea potiùs Ecclesia, in qua Majorum ipsius ab antiquo sepultura extitit, talis autem non est locus, ubi solus pater, sed ubi cæteri progenitores sepulti sunt. ergo &c.

Excipiunt, si progenitorum singuli Sepulchrum diversum habuerint; tunc enim sepeliendus filius erit cum patre, saltem si iste Sepulturam pro familia elegisset; aliàs rectiùs deferetur ad Parochialem.

31 Quæritur 4. in quo loco sepeliri debeant filii Naturales, Spurii, & Adoptivi? Resp. 1. *Filii naturales* sepeliendi sunt cum patre, nisi is in Dignitate sit constitutus. *arg. l. ex facto* 17. §. *siquis* 4. *ff. ad S. C. Trebell.* Moron. *cent. respons.* 51. *numer.* 59. Præpos. Frising. *tom.* 1. *cons.* 15. *num.* 64. Potestque, ut iidem notant, si decedant impuberes, ipsis pater eligere Sepulturam.

2 *Spurii*, tanquam filiorum nomine indigni, non cum patre, sed cum matre sepeliendi sunt, nisi ista sit fæmina illustris: quo casu ipsi, uti & naturales, si pater in dignitate sit constitutus, sepeliendi essent in Parochia, nisi aliàs sibi elegissent Sepulturam. Sylv. *V. Sepultura q.*8. *dist.*4. Samuel. *tr.* 1. *D.*5. *contr.* 5. *concl.*4. Præpos. Frising. *n.*65.

3 *In Adoptivis est* adhibenda distinctio: Vel enim moriuntur, vivente patre adoptivo, in cujus potestate erant; & tunc sepelientur in illius sepulchro: vel contrà decedunt, adoptante, vel arrogante jam mortuo: & tunc non in hujus, sed patris sui naturalis sepulchro sunt tumulandi, ut rectè Sylv. *l. cit.* Pirh. *hic numer.* 4. & ratio est, quia morte adoptantis cessat adoptio.

32 Quæritur 5. in quo loco sepelienda sit uxor, an in sepulchro Majorum suorum, an cum viro suo? Resp. cum distinctione: Vel enim maritus ejus jam est præmortuus, vel adhuc superstes post mortem illius.

Si primum, & uxor sibi sepulturam nullam elegit, in mariti sui, & si plures maritos habuit, in horum ultimi sepulchro tumulanda est *can. Ebron.* 2. *& can. seq. caus.* 13. *q.* 2. junct. *c. is qui* 3. §. *mulier hoc tit. in* 6. *Proceditque hoc*, etiamsi illa post mortem mariti reversa sit in domum patris, vel in alium locum se transtulerit; quia retinet nihilominus domicilium, & honorem mariti, quod privilegium cùm non detur loco, sed personæ, non amittitur ob variationem locorum. Sylv. *V. Sepultura q.* 9. *dict.* 5. Franc. *in c.* 3. *cit.* §. *mulier n.*2. Præp. Frising. *Cons.* 15. *cit. num.*109. Pirh. *hic n.*12. *not.*2.

33 *Si secundum*, altera adhibenda distinctio est: Vel enim maritus elegit sibi sepulchrum proprium, vel non elegit, sed est absens, aut amens, ita, ut non possit declarare voluntatem suam circa Sepulturam. *Si prius*, in Sepulchro mariti sui uxor sepeliri debet; quia animi destinatione videtur ibi maritus sepultus esse. Idem dicendum, si maritus non elegit propriam sepulturam, intendit tamen sepeliri in Sepultura Majorum suorum. *Si posterius*, uxor sepelienda est in sepulchro Majorum suorum, vel si tale non habeat, aut in eo sepeliri nequeat, in Parochiali Ecclesia, in qua decessit. Abb. *in cap.* 7. *hoc tit. num.* 6. Sylv. *V. Sepultura quæst.* 8. *dict.* 5. Franc. *in* §. *mulier cit. n.* 3. Pirh. *hic n.*12. *not.* 2.

34 Quæritur 6. an vicissim, si uxor prior decessit, electa sibi Sepultura, & postea moriatur maritus, non electa Sepultura, maritus debeat tumulari in Sepulchro uxoris suæ, an verò in Sepulchro Majorum? *Videtur affirmandum prius*; nam propter unionem, quæ fuit inter conjuges in vita, Jus disposuit, quòd uxor debeat sepeliri in Sepulchro mariti, ut patet ex *can. Ebron cit.* ibi, *Ut quos conjunxit unum conjugium, conjungat unum Sepulchrum*. igitur idem vicissim dicendum de marito, cùm maritus, & uxor æquali jure censeantur, & gaudeant.

35 Sed dicendum, eo casu maritum non in Sepulchro uxoris suæ præmortuæ, sed Majorum suorum, vel Parochiali Sepulchro sepeliri debere, nisi consuetudo alia vigeat. Ita Abb. *in c.*7. *hoc tit. n.* 7. Franc. *in* §. *mulier cit. n.*3. *vers. secundò quæritur*, Pirh. *hic n.* 13. Vviest. *n.* 32. & colligitur ex *can. unaquæque* 3. *caus.* 13 *q.* 2. ubi dicitur, *Unaquæque mulier sequatur virum suum*; non autem vicissim dicitur, quòd è converso etiam maritus debeat sequi uxorem. *Ratio disparitati: est*, quia uxor sequitur domicilium, honorem, & jura mariti, non autem vice versa maritus uxoris *leg. cùm te* 10. *C. de nupt.*

Ad rationem in contrarium allatam maritus, & uxor æquali jure censentur, & gaudent quoad usum Matrimonii, non verò quoad alia; quoad hæc enim est caput mulieris: & hinc à rationis paritate ab uxore ad maritum argumentum trahi non potest.

Quæritur 7. quid requiratur, ut uxor obtineat Sepulturam mariti sui? Resp. 1. requiritur, ut hæc sibi non elegerit propriam Sepulturam; nam eligere sibi Sepulturam potest, etiam sine licentia mariti, cùm in hoc sit sui Juris. Sperell. *dec.*88. *num.*18. Petra *tom.* 2. *fol.*392. *num.* 16. Matthæucc. *Off. Cur. Eccl. c.* 48. *numer.* 26. Unde si propriam sibi elegit, in ipsa sepelienda est. 6

2 Ut fuerit legitima ejus uxor, cum qua videlicet aut consummatum est Matrimonium, vel saltem contractum per verba de præsenti, eaque deducta ad domum mariti; nam sponsa de futuro non est sepelienda in Sepulchro Sponsi, cùm nondum acquisiverit domicilium mariti. Matthæucc. *loc. citat. limit.* 2. Pirhing *hic numer.* 10. & apud hunc Franc. *in* §. *mulier cit*, *fin. n.* 3.

3 Ut mulier non fuerit separata à marito, propter adulterium facto divortio; quia tunc non est de domo, & familia viri, nisi ei ante mortem sit reconciliata. Sylv. *V. Sepultura quæst.* 8. *dict.*5. Samuell. *tr.* 1. *D.* 5. *contr.* 3. *concl.* 3. *&* 4. Præpos. Frising. *tom.* 1. *cons.* 15. *num.* 110. *&* 111. Matthæucc. *limit.* 3. Pirh. *l. cit.*

4 Ut in viduitate non impudicè vivat; nam hoc si fiat, perdit honorem, & privilegia mariti sui defuncti. *arg. l. his solis* 7. *C. de revoc. donat.*

Quæritur 8. ubi sepeliendi sint famuli domestici Ordinum Mendicantium? Resp. si ipsi sibi Sepulturam non elegerunt, & intra Monasterii, Collegii, vel Residentiæ, cui servierunt, septa sint mortui, in horum Ecclesiis, vel Cœmeteriis, etiam Parocho loci invito, sepeliri possunt per privilegia concessa FF. Minoribus à Clem. IV. & Soc. J. à Paulo III. prout videre est apud Rodriq. *tom.* 2. *qq. Regul. q.* 68. *n.* 2. Molin. *tr.* 1. *de J. & J. D.* 214. *n.* 16. Donat. *prax. regul. tr.* 10. *q.* 21. *n.*2. Pirh. *hic n.*9. Vviest. *n.* 34. & habetur *in Compend. privil. Societ. V. Familiares* §. 1.

§. IV.

De Sepultura Parochiali.

S U M M A R I U M.

38 *Qui Sepulturam Majorum non habet, sepeliendus est in Parochia propria.*
39 *Ubi sepeliendus sit, qui in loco, ubi mortuus est, habet quasi Domicilium?*
40 *Ubi qui duplex domicilium habet?*
41 *Ubi Peregrini, & Advenæ?*
42 *Quid de iis tenendum, quando decesserunt in Monasteriis?*
43 *Deciditur pro Ecclesia Parochiali.*
44 *Præscindendo à specialibus privilegiis.*
45 *Clericus sepeliri debet in Parochia Beneficii sui.*
46 47 48 *Etiamsi extra hanc mortuus sit.*

Quæritur 1. ubi sepeliendus, qui neque Sepulturam Majorum habet, neque aliquam sibi elegit? Resp. de jure sepeliendus est in propria Parochia, ubi domicilium habuit, & Sacramenta, cæteraque Divina percepit *c. nos instituta* 1. *hoc tit.* & *cap. animarum eod. in* 6. 3

Proceditque hoc, etsi non fuisset ibidem mortuus, sed in villa, vel alibi in loco extra Parochiam suam sito, ad quem se contulit recreationis, culturæ, vel amici invisendi causa, modò ad Parochialem Sepulturam commodè portari possit, ut statuitur *c. is qui* 3. *pr. hoc tit. in* 6. *Ratio est*, quia per hoc, quòd quis transeat à loco domicilii ad alium locum, ibique ad tempus habitet, non amittit prius domicilium, nec fit incola, aut Parochianus loci, ad quem migravit ob ejusmodi causam *l. domicilium* 20. & *l. eum qui* 27. §. *Celsus* 2. *ff. ad municipal.*

Addidi *de Jure*; quia ex consuetudine, vel etiam ex conventione Parochorum ab Ordinariis approbata aliquando defunctus sepelitur ibi, ubi mortuus est, etiamsi loci illius Parochianus non fuerit. P. Vviest. *hic n.*36.

Quæritur 2. ubi de Jure sepeliendus sit, qui extra domicilii sui Parochiam se contulit in locum aliquem animo, non quidem ibi perpetuò manendi, sed ad tempus non breve, v. g. unum annum, vel majorem anni partem, ut sunt Litterarum Studiosi, Famuli conductitii &c. 39

Pontius *l.* 5. *de matr. c.* 13. *num.* 12. aliis DD. allegatis contendit, illum sepeliendum in loco domicilii, si ad eum commodè portari valeat. Communior cum

cum Sà *V. Parochus num.* 2. Sanch. *l.* 3. *de matrim. D.* 23. *num.* 13. Pirh. *hic num.* 7. Vvieft. *num.* 37. existimat eum, si in tali loco decedat, sepeliendum in ipso obitus: idque meritò; nam huic sententiæ patrocinatur tam consuetudo, quàm etiam ratio: qui enim tali animo in ejusmodi locum secedunt, contrahunt ibi quasi domicilium, adeoque etiam Parochiani ejusdem efficiuntur, ita, ut Parochus illius loci Sacramenta Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & Extremæ Unctionis ipsis administrare, imò & Matrimoniis illorum, dum ibi actu versantur, assistere valeat, prout colligitur ex *can. questi* 46. *caus.* 16. *quæst.* 1. & *c. fin. de Paroch.* Accedit, quia hoc omnino necessarium est propter casuum frequentiam, & distantiam à loco domicilii proprii, propter quam multa permittuntur, quæ aliàs non permitterentur, ut ait Gloss. *in c.* 5. *V. locorum distantiam de in integr. restit.*

40 Quæritur 3. ubi sepeliendi sint, qui in duabus, vel pluribus Parochiis domicilium habent? Resp. qui in diversis Parochiis domicilium habet, in illa sepeliendus est, in qua vivens Sacramenta percepit, & Officiis Divinis interfuit: si hoc factum sit in utraque, in illa sepeliri debet, quæ prævenerit: si autem neutra prævenit, vel uterque Parochus inter se litiget, litem hac in re componet Episcopus. Molin. *tr.* 2. *de J. & J. D.* 214. *num.* 13.

Sed quid, si defunctus unum quidem duntaxat domicilium habuit, sed positum in confinio duarum Parochiarum, ita, ut ex una parte sit de Parochia unius Ecclesiæ, ex altera de Parochia alterius? Resp. hic, si Sepulturam sibi nullam elegerit, nec aliquam Majorum habeat, sepeliendus est in illa Parochia, ubi domus aditum habet; quia ex aditu judicatur, cui cedat *l. si cui ædes ff. de Legat.* 3. Bartol. *in l. quòd conclave num.* 6. *ff. de damn. infect.*

Quodsi domus defuncti duas habeet januas, judicabitur secundùm principaliorem, & aditum magis frequentatum, & talis solet esse anterior. Illustriss. Præp. Frising. *tom.* 1. *conf.* 15. *num.* 92. & apud hunc Bartol. Felin. Barbos. Riccius.

41 Quæritur 4. ubi sepeliendi sint Peregrini, & Advenæ? Resp. hi, si moriantur in locis, per quæ transeunt, animo moram ibi non trahendi, nec commodè ad Sepulturam Majorum, vel propriam Parochiam eorum corpora deferri possint, sepeliendi sunt vel in Ecclesia Cathedrali secundum quorundam sententiam, vel potius in Parochiali, in qua sunt defuncti, præsertim si à Parocho ejusdem loci Sacramenta perceperint. Abb. *in c.* 10. *h. tit. num.* 10. Sylv. *V. Sepultura q.* 8. *dict.* 2. Molin. *loc. cit. n.* 17. Pirh. *hic n.* 8. qui addunt hac in re consuetudini cujusque loci standum esse. Idem dicendum de Vagis, & qui nuspiam domicilium, vel quasi domicilium habent, ut notant Abb. *in c.* 1. *hoc tit. n.* 4. Sylv. *loc. cit.* Vvieft. *n.* 38. Et eadem est ratio de damnatis ad mortem, si sepeliri permittantur. Sylv. *dict.* 3. Pirh. *loc. cit.*

42 Difficultas est de hujusmodi Peregrinis, & Advenis, aliisque Sæcularibus, quando decesserunt intra Monasterium, nulla sibi electa Sepultura. Lezan. *tom.* 2. *V. Sepultura quoad Regulares n.* 47. Bonac. *tom.* 1. *de Sacram. D.* 4. *q.* 7. *p.* 2. *n.* 10. Barbos. *de Off. Paroch. c.* 20. *n.* 22. Donat. *prax. Regular. tom.* 3. *tr.* 10. *q.* 22. *n.* 6. Samuel. *de Sepult. disp.* 4. *contr.* 15. *n.* 35. *&* 55. & alii apud Petram *tom.* 2. *fol.* 273. *n.* 45. volunt eorum corpora debere sepeliri in Ecclesia Monasterii Regularium, ubi decedunt: quod *probant* 1. *ex can. placuit* 1. *caus.* 16. *q.* 1. ibi, *Vel si fortuitò quenquam advenientium fratrum ibi mori contigerit*: ubi sub nomine *Fratrum* Donatus, Lezana, & alii istius sententiæ Patroni intelligendum putant quemcunque Advenam Sæcularem, ut, si mori eum contigerit in Monasterio, ibidem recipi ad Sepulturam possit. 2. quia jus tumulandi plurimùm dependet à Jure administrandi Sacramenta, ut adeo hoc Jure concesso, tanquam majore, etiam prius, tanquam minus, concessum meritò censeatur: atqui Regulares habent jus administrandi Sacramenta iis, qui intra septa, & clausuram illorum pro tempore commorantur, prout PP. Dominicanis concessit Nicolaus V. PP. Theatinis Pius IV. & Pius V. Minoribus de Observantia Clemens IV. PP. Minimis Julius II. & competere omnibus Mendicantibus cum aliis notat Mirand. *Man. p.* 2. *q.* 49. *art.* 1. *in fin.* 3. quia tales personæ dicuntur esse extra territorium Parochi, & in territorio exempto. ergo sicut Parochus nullum jus posset habere circa defunctum, qui obiret in aliena Parochia, ita nec si obeat in Monasterio, habente exemptionem localem.

43 Sed his non obstantibus, dicendum, inspecto Jure communi, & præscindendo à specialibus Ordinum, & Monasteriorum privilegiis, peregrinum, & quemvis externum in Monasterium receptum, sepeliendum probabiliùs esse non in Ecclesia Monasterii, ubi decessit, sed in Parochiali, intra cujus territorium est Monasterium, si defunctus propriam Parochialem non habeat, vel commodè ad eam portari nequeat. Ita Lavor. *Elucubr. Canon. tit.* 2. *c.* 12. *num.* 145. Pignatell. *tom.* 1. *consult.* 306. Antonell. *de Regim. Eccl. l.* 1. *c.* 12. *n.* 21. Passerin. *tom.* 2. *de Stat. hom. q.* 187. *art.* 4. *n.* 230. Trullench. *de Jur. Paroch. c.* 9. *dub.* 1. *n.* 5. Petra *tom.* 2. *comment. fol.* 275. *n.* 47. *& seqq.* Matthæucc. *Offic. Cur. Eccl. c.* 48. *n.* 14. & extant circa hoc complures Declarationes S. Congreg. *in Ravennatensi* 20. *Januarii* 1674. *in Ripana* 3. *Novemb.* 1652. & novissimè decisum est ab eadem 3. *Febr.* 1694. Colligitur etiam ex *can. in nostra* 10. *hoc tit.* ubi expresè cavetur, non posse Regulares sepelire, nisi eos, qui verè ibi Sepulturam elegerint.

Dixi, *Præscindendo à specialibus Ordinum, & Monasteriorum privilegiis*; constat enim, quòd complures Ordines, præsertim Mendicantes, habeant hujusmodi privilegia: quæ tamen, ut vim, & vigorem adhuc hodie possint exerere, debent data esse post Tridentinum, vel si ante illud data sunt, post illud à Pontifice confirmata verbis ita prægnantibus, quæ suadeant, mentem Pontificis fuisse de novo illa concedere; nam per dictam Synodum omnia hujusmodi privilegia fuerunt abrogata, prout constat ex *sess.* 24. *cap.* 11. *&* 13. *de reformat.* Vide Petram *tom.* 2. *cit. fol.* 277. *num.* 51. *& duobus seqq.* 44

Ad Argumenta contraria facilis est responsio. *Ad* 1. verba illa *can. cit.* intelligi debent de Monachis alterius Monasterii, prout advertunt Turrecr. *ibid.* Host. *in c.* 7. *hoc tit.* Passerin. *l. cit. n.* 230. Petra *n.* 49. *circa fin.* & colligitur ex antecedentibus illius textus: loquitur enim priùs de Fratre Monacho in Monasterio commorante, & sic ex contextu interpretatio insurgit, quòd dein sermo sit de Fratre Monacho adveniente. *Ad* 2. id Argumentum stringit fortasse in casu, quo constat de privilegio hujusmodi exteris receptis administrandi Sacramenta: extra hunc casum sicut Sepultura, ita etiam administratio tali Laico facienda prohibita Regularibus est, prout constat ex *Clem.* 1. §. 1. *de privil.* & Trid. *sess.* 24. *c.* 3. *de refor. Ad* 3. Monasterium exemptum, licèt non sit de Diœcesi, est tamen situm in Diœcesi, & sic Advena in eo existens dicendus est existere in Parochia, intra quam Monasterium situm est.

Quæritur 5. in quo loco sepeliri Clericus debeat? Resp. si Beneficiatus sit, & Sepulturam vel à se, vel à Majoribus suis electam non habeat, sepeliendum in Parochia, in qua Beneficium obtinuit, stabilem residentiam, & servitium personale exigens. Ita Sylv. *V. Sepultura q.* 8. *dict.* 6. Franches *de Eccl. Cath. c.* 17. *n.* 18. Donat. *tom.* 3. *prax. Regul. tr.* 9. *q.* 26. *num.* 1. Matthæuc. *Off. Cur. Eccl. c.* 48. *n.* 9. *& duobus seqq. Ratio est*, quia Clericus Beneficiatus domicilium proprium ibi contrahit, ubi habet Beneficium stabilem residentiam exigens *c. dilectus* 29. *de Rescript.* & *l. omnes* 33. *pr. C. de Episc. & Cleric.* & ad utrumque locum interpretes. *Proceditque hoc*, etsi ejusmodi Clericus Beneficiatus à loco Beneficii aliquamdiu absit; nam ipsa obligatio in Ecclesia residendi, eique deserviendi facit, ut domicilium contrahatur, ut rectè Abb. *in c.* 27. *de Rescript. n.* 4. Mascard. *de probat. concl.* 535. *n.* 5. Sanch. *l.* 7. *conf. cap.* 1. *dub.* 23. *n.* 3. 45

Dubium est de casu, quo Clericus Beneficiatus in una Parochia habet Beneficium, in alia habitationem, & in hac posteriori decessit? Videtur tumulandus in hac secunda, vel saltem esse locum præventioni: idque 1. ob decisionem Rotæ, qua Parochianus S. Dominici, non obstante, quòd ex deputatione Episcopi serviverit Ecclesiæ S. Jacobi, adjudicatus tamen est Ecclesiæ S. Dominici. 2. qui Sepultura non electa, decedunt, tumulandi de Jure sunt in Parochia, in qua domicilium habent, ut dictum est *n.* 38. & si præter domicilium habitationis domicilium adhuc aliud habuit defunctus, locus est præventioni *n.* 40. 3. qui sine Sepultura à se, vel à Majoribus suis electa decedunt, sepeliri debent in illa Parochia, cui deberetur Portio Canonica. atqui si ejusmodi Clericus Sepulturam elegisset alibi, portio Canonica debita fuisset Parochiæ habitationis, in qua decessit, nam hæc de Jure debetur illi Ecclesiæ, ex qua defuncti corpus assumitur *c. certificari* 9. *& c. seq. hoc tit.* ergo &c. 46

Sed his non obstantibus, dicendum, seclusa speciali consuetudine, pactis, & Concordatis inter Ecclesias, Cle- 47

Clericum tali casu sepeliendum in Parochia, in qua Beneficium habuit. Ita Professor, & Antecessor meus P. Jacobus Wiestner p. m. *hic n.* 41. *& seqq.* & stant pro hac responsione DD. omnes, quatenus indiscriminatim docent, Clericos Beneficiatos, si Sepulturam vel à se, vel à Majoribus electam non habeant, sepeliendos esse in Parochiis, in quibus obtinuerunt Beneficium exigens stabilem residentiam, & servitium personale. *Ratio est*, quia generaliter Fideles, qui Sepulturam Majorum, aut à se electam non habent, tumulari debent in Parochiis, in quibus proprium domicilium habent; & si duplex domicilium in diversis Parochiis habuerunt, in illa, in qua Sacramenta, cæteraque Spiritualia, & Divina perceperunt, & obierunt ex obligatione *c. nos instituta* 1. *hoc tit. & c. animarum* 1. *eod. in* 6. atqui Clericus Beneficiatus ipsa obligatione residendi in Beneficio, eique deserviendi domicilium contrahit in Parochia Beneficii, & præterea vivens in eadem Sacramenta percepit, cæteraque Spiritualia, & Divina ex obligatione obiit. ergo &c.

48 In contrarium adducta non admodum urgent. *Ad* 1. Decisio allegata potiùs nobis favet; quia ibi Clerici corpus adjudicatum est Ecclesiæ S. Dominici ex hac solùm ratione, quia is non erat de Corpore Ecclesiæ S. Jacobi, sed ejus servitio ad tempus duntaxat, & non perpetuò, ut veri Beneficiati solent, addictus. igitur à sensu contrario, si fuisset de Corpore Ecclesiæ S. Jacobi, eique instar veri Beneficiati perpetuò adstrictus, fuisset in hac, & non in Ecclesia S. Dominici tumulandus. *Ad* 2. licèt in aliis, habentibus plura domicilia, præferatur domicilium habitationis, vel saltem concurrat, in Clericis tamen præfertur domicilium Beneficii, quia istud respectu ipsius censetur principale esse, ut notat Innoc. *in c.* 17. *de privil.* Abb. *in c.* 27. *de Rescript. n.* 4. Felin. *ibid. n.* 6. *Ad* 3. non tam locus, ex quo corpus per accidens assumitur, quàm locus, in quo defunctus Sacramenta percepit, spectandus est; nam in hoc, & non in priore solvenda est portio Canonica, ut patet ex *c. nos instituta cit. c. de his* 4. *hoc tit. & c. cùm quis* 2. *eod. in* 6.

§. VI.

De Personis Sepultura Sacra indignis.

SUMMARIUM.

49 *Recensentur, qui Ecclesiastica Sepultura indigni sunt.*
50 *Si horum aliquis sepulturam Ecclesiasticam accepit, corpus ejus procul ab Ecclesia abjici debet.*
51 52 *Et Ecclesia reconciliari.*
53 *Pœna ita sepelientium.*
54 55 56 *Requisita, ut incurrantur.*
57 *Sepultura Ecclesiastica privantur Excommunicati vitandi.*
58 *An etiam non vitandi, sed publici?*
59 *Tenetur negativa, si datis pœnitentiæ signis decesserint.*
60 *Solvuntur objectiones.*
61 *Absolvi tamen priùs debent à Censura.*
62 *A quo?*
63 *Et quomodo?*
64 65 66 *Quando Ecclesiastica Sepultura privandi sint Suicidæ?*
67 68 69 *An fideles, ob gravia delicta ultimo supplicio affecti, si pœnitentes obierint, in loco Sacro sepeliri possint?*
70 *Quid cum iis faciendum, qui moriuntur in carcere, aut occiduntur, dum ex eo fugiunt?*
71 *Quid agendum, si mater moriatur prægnans?*

49 QUæritur 1. quinam repellantur à Sepultura Ecclesiastica, tanquam illa indigni? Resp. 1. ab ea repelluntur Pagani, Judæi, aliique Infideles *can. Ecclesiarum* 28. *de consecr. dist.* 1. 2. Hæretici, eorumque in crimine Hæreticos credentes, receptatores, fautores, & defensores *can. fin. caus.* 24. *q.* 2. *c. excommunicamus* 13. §. *credentes de Hæret.* etiamsi eorum Hæresis primùm post mortem fit manifestata *can. sanè* 3. *caus. & q. cit.* 3. Infantes fidelium, qui decesserunt sine Baptismo. *Rit. Rom. tit. de Exequiis, rubr. quib. non lic. dar. Eccl. Sepult.* Medices *de Sepult. p.* 1. *q.* 11. *n.* 15. Samuel. *de Sepult. tr.* 2. *D.* 1. *contr.* 4. *n.* 4. 4. Catechumeni, ut contra Samuel. *l. cit. num.* 19. ex communi DD. tradit, & authoritate S. Ambrosii firmat Laym. *l.* 3. *tr.* 5. *c.* 12. *n.* 11. quia quamvis Ecclesia pro eis oret, nondum tamen eam ingressi sunt per Baptismum. 5. Excommunicati, saltem vitandi, etiamsi Contritionis signa ante obitum dederint; quia quibus non communicamus vivis, nec defunctis in Sepultura communicare debemus *can. quicunque* 37. *caus.* 11. *q.* 3. *c. de Communione* 1. *caus.* 34. *q.* 2. & expressiùs *c. sacris* 12. *pr. h. t.* 6. notorii, & denuntiati Interdicti, nisi constet, vel rationabiliter præsumatur, quòd signa Pœnitentiæ dederint *c. à nobis* 28. *de sent. excomm. c. is cui* 20. *eod. in* 6. & *Clem.* 1. *hoc tit.* 7. Usurarii manifesti, nisi priùs restituerint, vel de satisfaciendo idoneam cautionem præstiterint *Can. quia in omnibus* 3. *de Usur. & c. quanquam* 2. *ibid. in* 6. 8. Raptores, & Incendiarii, si ante restitutionem sine signis Pœnitentiæ decedant *c. super eo* 2. *& c. in litteris* 5. *de raptorib.* 9. ii, qui Decimas Ecclesiæ debitas injustè detinent *c. prohibemus* 19. *de Decim.* 10. Maledici, sive Blasphemi *c. statuimus* 2. *de Maledic.* 11. Religiosi proprietarii *c. Monachi* 2. *& c. super quadam* 4. *de Stat. Monach.* 12. qui Confessionem annuam, & Communionem Paschalem voluntariè negligunt *c. omnis* 12. *de pœn. & remiss.* 13. qui in Torneamentis, & Hastiludiis occiduntur, si talia illa sint, ut ex iis probabile mortis periculum immineat *c. felicis* 1. *& c. fin. de Torneam.* 14. qui ferro, veneno, laqueo, præcipitio in puteum, vel flumen &c. mortem sibi ipsis spontè intulerint *c. placuit* 12. *caus.* 23. *q.* 5. 15. qui occumbunt in duello, etiam privato, ex condicto certo loco, & tempore instituto. Trid. *sess.* 25. *c.* 19. *de reform.* junctis *Const. Gregorii XIII.* incipit *ad tollendam* 1582. *& Clem. VIII.* incipit *Illius vices* 1590. 16. denique fures, latrones, concubinarii, & quicunque peccatores publici, sine Pœnitentia notoriè decedentes *c. quibus* 16. *caus.* 13. *q.* 2. De quibus latè Præp. Frising. *tom.* 1. *conf.* 15. *n.* 129.

Quæritur 2. quid faciendum casu, quo alicui Sepultura Ecclesiastica concessa fuit, cui illa negari debuit? Resp. 1. si ossa ita sepulti ab aliorum Fidelium corporibus discerni possint, exhumari debent, & ab Ecclesiastica sepultura procul abjici *c. Sacris* 12. *hoc tit.* Dixi. *Si discerni possint*; nam si discerni nequeant, non expedit illa extumulari ad vitandam vexationem cadaverum cæterorum Fidelium, ut habetur *c. cit.* & additur *ibidem* ratio; quia *licèt non obsit justis Sepultura nulla, vel vilis, impiis tamen celebris, & speciosa non prodest.* 50

2 Si sepultus sit Excommunicatus denuntiatus, & vitandus, Ecclesia, vel Cœmeterium, in quo sepultus est, reconciliari debet; quia per Sepulturam ejusdem pollutum censetur *c. consuluit* 7. *de consecr. Eccl. vel Altar.* Addidi *denuntiatus, & vitandus*; nam si defunctus ibi sepultus sit Excommunicatus quidem, sed toleratus, (ut in Germania sunt Lutherani) etsi licitè in loco Sacro sepeliri nequeat (cùm valdè indecens sit in tali loco sepeliri, qui præcisus est ab Ecclesia, nec Suffragiorum Ecclesiæ capax) si tamen sepultus ibidem sit, per ejus Sepulturam locus Sacer non violatur, consequenter reconciliatione non indiget, ut cum communi advertit Pirhing. *hic n.* 70. 51

3 Si sepultus sit Infidelis, non tantùm corpus ejusdem extrahendum, & Ecclesia reconcilianda est, sed etiam tigna, & parietes illius radendi, atque lavandi sunt, ut præscribitur *can. Ecclesiam* 28. *dist.* 1. *de consecr. Proceditque hoc*, non tantùm casu, quo corpus Infidelis ibidem sepultum est, antequam consecraretur Ecclesia, ut consecrari possit; sed etiam postquam consecrata est, ut Missæ, & Divina Officia celebrari in ea possint, ut satis clarè colligitur ex *can. cit.* ubi tantùm excipitur, *Si fideles fuerint, qui in ea sepulti sunt.* igitur dispositioni primæ hujus *can.* subjacebit Ecclesia, in qua post consecrationem sepultus est Infidelis. 52

4 Qui scienter in loco Sacro sepeliunt Excommunicatum non toleratum, aut Usurarium manifestum, aut nominatim Interdictum, præter reatum peccati mortalis Censuram Excommunicationis ipso facto incurrent, à qua absolvi priùs non debent, nisi postquam ad arbitrium Episcopi Diœcesani competentem satisfactionem exhibuerint iis, quibus eo facto injuria irrogata est, prout statuitur *c. quicunque* 2. *pr. de Hæret. in* 6. *& Clem. eos qui* 1. *hoc tit.* 53

Dubium est, quid requiratur, ut incurratur hæc Pœna? Resp. 1. requiritur, ut qui reus sit hujus pœnæ, corpus Excommunicati, Usurarii &c. sepeliverit propriis manibus, vel mandato suo procuraverit sepeliri. Hinc ab ejusmodi Censura immunes sunt, qui consulunt, vel non impediunt, qui funus comitantur, vel cantant, aut Crucem, & luminaria deferunt; qui suis humeris cadaver ad Sepulchrum deferunt, vel Sepulchrum 54

chrum effodiunt; modò poftea corpus ei non inferant. Pirh. *hic n.* 80. *Ratio eft*, quia verè, & propriè non fepeliunt, & licèt aliquo modo cooperentur, cooperantur tamen folùm remotè, ut adeo *Conftitutio Clementina cit.* quippe pœnalis, ad iftos extendi non debeat.

55 2 Requiritur, ut in loco Sacro fepelivetint. Hinc Excommunicationem non incurrunt, qui ejufmodi corpora fepeliunt in loco profano: quod probabiliùs verum eft, etiamfi locus ille fit vicinus, vel contiguus Ecclefiæ, aut Cœmeterio, ut contra Abb. *in c. Sacris* 12. *hoc tit. n.* 3. cum communi advertit Gloff. *in Clem. cit. V. Cœmeteriis. Excipitur*, nifi ad ejufmodi locum efferatur cum pompa funebri, & ceremoniis Ecclefiafticis; cùm enim pompa funebris ordinetur ad Sepulturam Ecclefiafticam, dum hac privantur Excommunicati, etiam illa privati cenfentur. Pirh. *num.* 80. *cit. not.* 4.

56 3 Requiritur, ut fcienter in loco Sacro Excommunicatum &c. fepeliverint, nam qui ex ignorantia, etiam culpabili, prædictos in tali loco fepeliunt, ab hac Cenfura funt liberi: & ratio eft, quia *Clem. cit.* pœnam iftam folùm fert in eos, qui *fcienter præfumunt* tales fepelire in loco facro.

4 Requiritur denique, ut fponte, nulla vi, aut metu coacti hoc fecerint. Et hinc qui gravi metu coacti hoc fecerunt, pro Excommunicatis haberi non debent, ut colligitur ex *eadem Clem.* ibi, *Qui propriæ temeritatis audacia &c.*

57 Quæritur 3. quinam Excommunicati priventur Sepultura Ecclefiaftica? *Certum eft* 1. ea privari Excommunicatos vitandos, cujufmodi poft *Concil. conftant.* & in eo editam *Conftitutionem Martini V.* incipit *Ad evitanda fcandala*, funt notorii Percuffores Clericorum, & publicè, ac nominatim denuntiati. Patet ex *c. facris* 12. *h. tit. & c. Epifcoporum* 8. *de privil. in* 6. ubi ipfis jus Sepulturæ Sacræ apertè adimitur. *Excipitur* 1. nifi viventes reconciliationem petierint, nec per eos fteterit, quo minùs reconciliarentur: tunc enim poft mortem ab Excommunicatione abfolvendi, & Sepulturæ Ecclefiafticæ, fed non ante abfolutionem mandandi effent *arg. c. à nobis* 28. *de fent. Excommunic.*

Certum eft 2. fepeliri in loco Sacro poffe Excommunicatum toleratum, faltem occultum. Ita facilè omnes, & demonftrat hoc etiam ratio; quia cùm privatio Sepulturæ fit evitatio publica, etiam requirit caufam publicam, ne aliàs pœna excedat delictum, & is, qui præfumitur bonus, hac ratione infametur.

58 *Punctum Controverfiæ* verfatur in eo, utrum in loco Sacro fepeliri poffit Excommunicatus toleratus, fed publicus? Negant cum quibufdam aliis Zoef. *h. tit. n.* 9. & Engl *n.* 19. fed ex ratione diverfa: *Prior* ideo, quia putat per Sepulturam uniufcujufque Excommunicati, etiam non vitandi, violari Ecclefiam, feu locum Sacrum; *Pofterior* autem, quia ait *Conftitutio Martini V. cit.* nullum favorem indultum effe Excommunicatis; effet autem maximus favor, fi vi illius Excommunicati non vitandi gaudere poffent Sepultura Ecclefiaftica. ergo &c.

59 Sed dicendum eft, probabiliùs Excommunicatos non vitandos quofcunque, fi datis Pœnitentiæ fignis deceſſerint, in loco facro fepeliri poffe, quamvis expediat, ut antequam in tali loco mandentur terræ, ab ea Excommunicatione abfolvantur. Ita Suar. *de Cenfur. D.* 12. *fect.* 4. *n.* 5. Pal. *tr.* 29. *D.* 2. *p.* 6. *num.* 12. Petra *tom.* 2. *comment. f.* 397. *n.* 48. Pirh. *hic n.* 68. Vvieft. *num.* 5. & hoc tefte communius DD. *Ratio eft*, quia *Conftit. Martini V. citt.* Fidelibus permiffa eft communicatio externa cum ejufmodi Excommunicatis, nec diftinguitur inter vivos, & mortuos.

60 Neque urgent rationes contrariæ. *Ad primum* Zoefi dictum eft *n.* 51. per fepulturam Excommunicati tolerati locum facrum non violari: & ratio eft, quia violatio hæc Ecclefiæ fundatur in prohibitione fepeliendi Excommunicatum in loco facro, quæ prohibitio per *Conftit. Martini V. cit.* reftricta eft ad folos Excommunicatos vitandos. *Ad fecundam* P. Engl non obeft, quòd *Conftitutio cit.* Excommunicatis non faveat; quia prohibitio Sepulturæ propriè non cadit in ipfos Excommunicatos, cùm fepelire feipfos nequeant, fed in alios Fideles; his autem poft Concilium Conftantienfe, & *Conft. cit.* non magis prohibita eft communicatio, quæ fit in Sepultura, quàm alia inter vivos.

61 *Dubitatur*, à quo abfolvi poffit, & debeat Excommunicatus in articulo mortis, ut gaudere poffit Ecclefiaftica Sepultura? Refp. abfolvi poteft à quolibet etiam fimplici Sacerdote, faltem fi alius Ordinariam, vel Delegatam poteftatem abfolvendi ab Excommunicatione habens non adfit. *Proceditque hoc*, etfi Cenfura fit refervata Papæ; quia in articulo mortis omnis refervatio ceffat, idque ob neceſſitatem, ne occafione denegatæ abfolutionis aliquis pereat, ut loquitur Trident. *feff.* 14. *cap.* 7. *de Pœnit.*

Dixi, *faltem fi alius Ordinariam, vel Delegatam poteftatem abfolvendi ab Excommunicatione habens non adfit*; nam multi cum Laym. *l.* 5. *Theol. tr.* 6. *c.* 12. *n.* 14. docent, fi talis aliquis Sacerdos adfit, v. g. Parochus, vel Regularis privilegiatus, fimplicem Sacerdotem ne quidem in articulo mortis abfolvere valide à peccatis mortalibus, & Cenfuris poffe: quod probant ex eo, quia Sacerdoti fimplici in articulo mortis conceffa eft hæc poteftas ob neceſſitatem; conceffio autem ob neceſſitatem facta præcisè durat tamdiu, quamdiu durat neceſſitas; hæc verò ceffat præfente alio, qui poteftatem abfolvendi habet. ergo &c. 62

Verùm quia complures TT. & Canoniftæ contrarium tenent, & exiftimant, etiam præfente Ordinario quemlibet Sacerdotem in articulo mortis poffe abfolvere, hinc in praxi tutum erit fequi fententiam ex his duabus, quam quis voluerit. 63

A quocunque autem fiat abfolutio ab excommunicatione, fieri debet fecundùm præfcripta Canonum, ut innuitur *c. fin. h. tit.* videlicet, ut Excommunicatus priùs non abfolvatur, quàm realem fatisfactionem parti læfæ præftiterit, vel faltem, fi ftatim exhiberi non poffit, cautionem, feu promiffionem fatisfaciendi dederit.

Quæritur 4. quando Ecclefiaftica Sepultura privandi fint Suicidæ, feu qui feipfos occiderunt, aut in proximum periculum mortis fe conjecerunt? Refp. tum folùm quando id fecerunt fponte, & nulla urgente caufa, & infuper conftat, quòd ipfemet fibi quis manus intulerit, nec de facto pœnituerit *c. placuit* 12. *cauf.* 23. *q.* 5. 64

Ex quo fequitur, fepultura Ecclefiaftica privari non poffe. 1. Qui feipfos occiderunt furore, amentia, aut alia mentis alienatione. Pirh. *hic n.* 65. Vvieft. *num.* 7. Præpof. Frifing. *conf.* 15. *n.* 217. R. P. Schmier *p.* 3. *de Jurib. Eccl. c.* 2. *n.* 33.

2 Si cafu id factum fit, qualis eft, cùm qui ad puteum accedit aquam hauſturus, in eum prolabitur, & aqua fuffocatur. Vvieft. *n.* 8. 65

3 Si quis in flumen, vel per feneftras præcipitem fe dederit, ut malum fibi impendens evitaret, v. g. incendium, infidias, vel aliud vitæ, aut etiam pudicitiæ periculum. Pirh. *n.* 64. & colligitur ex *c. ex parte* 11. *h. tit.*

4 Siquis animo fe occidendi feipfum lethaliter vulneravit, aliquamdiu tamen fupervixit, & pœnituit. Sylv. *V. Sepultura q.* 6. §. *tertiò in fin.* Samuell. *tr.* 2. *de Sepultur. D.* 1. *contr.* 4. *n.* 2.

5 Siquis reperiatur mortuus in puteo, vel è laqueo fufpenfus, in flumine fubmerfus, veneno, vel alio fimili modo interfectus, ut non conftet, quòd à feipfo interfectus fit. Farin. *prax. crim. q.* 128. *n.* 19. Covar. *var. l.* 2. *c.* 1. *num.* 11. Barbof. *de Offic. Paroch. c.* 26. *n.* 49. Engl *hic n.* 20. Pirh. *n.* 65. Vvieft. *num.* 8. Petra *tom.* 2. *comment. fol.* 398. *n.* 51. Præpof. Frifing. *tom.* 1. *conf.* 15. *n.* 420. R. P. Schmier *l. cit. num.* 34. & alii apud iftos. *Ratio eft*, quia in dubio præfumitur potiùs cafu, aut per vim, vel infidias ab alio, quàm fponte, & à feipfo interfectus effe, cùm de nemine præfumatur delictum, præfertim adeo grave *arg. l. meritò* 51. *ff. pro Socio.* 66

Quæritur 5. an Fideles, ob gravia delicta ultimo fupplicio affecti, fi pœnitentes obierint, in loco Sacro fepeliri poffint? *Rationem dubitandi* facit textus *can. placuit* 12. *cauf.* 23. *q.* 5. in quo Sepultura Ecclefiaftica denegatur iis, qui pro fuis fcelcribus ultimo fupplicio affecti funt. Sed refpondendum eft affirmativè. Ita Abb. *in c.* 11. *h. tit. n.* 4. Covar. *l.* 2. *var. c.* 1. *n.* 11. Pirh. *hic n.* 62. Schambog. *n.* 27. & 28. Vvieft. *n.* 2. & patet ex *can. quæfitum* 30. *cauf.* 13. *q.* 2. *Ratio eft*, quia Ecclefia non negat Ecclefiafticam Sepulturam, quibus concedit fua Sacramenta, ut colligitur ex *can. quæfitum cit.* atqui extremo fupplicio afficiendis, fi verè pœnitentes fint, Ecclefiaftica Sacramenta fua non negat. ergo &c. *Neque* obftat *can. placuit cit.* nam ut Gloff. *ibid. V. pro fuis fceleribus* notat, id intelligendum eft, nifi fuerint contriti. 67

Majoris indaginis difficultas eft, an rationabilis, vel faltem tolerabilis fit confuetudo, qua certorum reorum corpora in pœnam criminis, ad aliorum exemplum, vel in perpetuum, vel ad certum tempus in loco publico fufpenfa, & infepulta relinquuntur. Negant nonnulli 68

cum

cum Brunnem. *in l. corpora* 1. *ff. de cadaver. punitor.* & probare istud videntur complures juris utriusque textus. 1. Quia, ut ex *can. quæsitum cit.* est annotatum, Ecclesia Sepulturam in loco Sacro non negat iis, quibus concedit sua Sacramenta. 2. Quia, ut dicitur *l. fin. Cod. si reus, vel accusat. mort. & l. defuncto 6. ff. de public. Judic.* reo defuncto, crimen, & ipsa etiam criminis pœna extinguitur. 3. Quia *l. cùm sit 6. C. de sepulchr. violat.* prohibetur mortuorum reliquiis ulla fieri injuria. 4. Quia *l. corpora* 1. *& l. fin. ff. de cadaver. punitor.* jubentur corpora capite damnatorum, & animadversorum dari cognatis, & quibusvis aliis ea petentibus.

69 Verùm hi textus plus non probant, quàm quòd non passim, & omnia animadversorum cadavera sine discrimine ad hominum spectaculum, & ferarum laniatum relinqui insepulta possint; hoc enim inhumanum, & consf. à ratione alienum omnino foret. *Dicendum ergo*, si atrociora sint crimina, ad hominum terrorem, animadversorum cadavera suspensa furca, implexa rotæ, palo suffixa &c. relinqui sine Sepulturæ honore posse. Ita Covar. *c.* 1. *cit. n.* 11. Perez *in Cod. si reus, vel accusat. mort. in fin.* Zoes. *ff. de cadav. punitor. à n.* 1. Petra *tom.* 2. *comm. fol.* 397. *n.* 50. Schambog. *hic num.* 27. Vviest. *n.* 15. *Ratio est*, quia ex tali exemplo in totam communitatem redundat utilitas publica, quæ semper prævalere debet bono privato, quod Sacra Sepultura defuncto affert. *Conf. à pari*; quia à nemine reprobatur consuetudo, qua punitorum cadavera ad Anatomiæ, & alios artis suæ usus conceduntur Medicis, ut inde eruant aliqua suæ artis arcana ad procurandam sanitatem corporum. atqui sanitas corporum minùs curanda est, quàm felicitas Reip. quæ procuratur exponendo in furcis, & rotis morte punitorum cadavera. ergo &c.

70 Quæritur 6. quid faciendum de cadaveribus reorum, qui ex vulnere, morbo, vel casu moriuntur in carcere, aut occiduntur, dum fugam ex eo parant, vel capiuntur?

Resp. in his adhibendam distinctionem, quam insinuat Farin. *prax. crim. q.* 10. *n.* 78. *&* 79. Nam si de crimine, cujus rei aguntur, condemnati jam sunt, aut saltem de illo per judicialem confessionem, legitimam probationem, aut facti evidentiam legitimè, & ita constat, ut ipsis nulla prorsus defensio competat, concedendum est ejusmodi cadavera, si crimen insuper atrox, aut publicè perniciosum sit, ea, quam vivi merebantur, ignominia affici, & in furcam, vel rotam agi, ibique relinqui posse.

Secus, si nec condemnati, nec convicti, aut in notorio, & flagranti crimine deprehensi sint; nam in horum cadavera eo rigore non potest procedi, neque etiam de consuetudine proceditur: & ratio clara est; quia talis ante legitimam probationem criminis in furcam, aut rotam agi non poterat vivus. igitur multo minùs poterit mortuus.

71 Quæritur 7. quid agendum, si mater moriatur prægnans? Resp. iterùm cum distinctione: Vel enim simul cum matre etiam proles est mortua, vel adhuc vivit, matre mortua, vel saltem dubium est, an vivat?

Si simul cum matre etiam proles sit mortua, non est exsecanda ex ventre matris defunctæ, sed una cum illa sepeliri debet, ut notat Gloss. *in can. si quidquid* 35. *de consecr. dist.* 4. Sylv. *V. Sepultura q.* 10. *dict.* 1. Pirh. *hic num.* 63. Vviest. *n.* 3. *Ratio est*, quia fœtus est pars ventris, seu matris *l. temporibus* 1. §. *ex hoc rescripto* 1. *ff. de inspiciend. ventr. & custod. part.*

Si verò partus adhuc deprehendatur vivere, aut dubium sit, an vivat, mater scindi debet, postquam est mortua, & fœtus extrahi, ut baptizetur. *Sylv. l. cit.* Dixi, *postquam est mortua*; dum enim vivit, scindenda non est, si sine periculo mortis inferendæ scindi non possit, ut cum Sylv. notat Pirh. *l. cit.*

§. VI.

De Jure Sacræ sepulturæ, & hujus sumptibus.

SUMMARIUM.

Quæritur 1. an jus Sepulturæ Sacræ dari alicui possit? Resp. quæstionem hanc quadrupliciter formari posse. 1. An dari alicui jus sepulturæ possit, ita, ut fiat dominus Sepulturæ? 2. An alicui jus istud dari possit, ut ipse in sua Ecclesia possit sepelire alios, qui id petierint? 3. An dari sic possit, ut quidem non transferatur dominium loci sacri, transferatur tamen jus sepeliendi, & usus loci sacri, qui uni Ecclesiæ competebat, & tribuatur alteri Ecclesiæ, vel Monasterio? 4. Denique an possit jus istud dari, ut ipse, & sui in certa Ecclesia, vel loco sepeliantur, neque ipsis invitis alius extraneus in eo sepeliri possit? 72

Primo modo jus sepulturæ, etiam authoritate Episcopi, dari nequit, quia res Sacræ, & Religiosæ, qualis est sepultura, & locus sepulturæ sacræ, non possunt esse sub dominio alicujus. *Secundo modo* spectatum jus sepulturæ dare potest Summus Pontifex pro tota Ecclesia, & Episcopus pro sua Diœcesi, sed hic nonnisi ex justa causa, & cum consensu Capituli, ut dictum est *n.* 7. *Tertio modo*, cùm alienatio quædam sit, indiget solemnitate requisita in alienatione rerum Ecclesiasticarum. *Quarto denique modo* concedi potest locus sepulturæ à quolibet habente liberam Sepulturam, sive jus admittendi alios ad sepulturam in sua Ecclesia, vel loco sacro: neque opus est speciali consensu Episcopi; quia sic admittens ad sepulturam habet facultatem à Jure Communi, vel ex legitimo speciali privilegio concessam. Pirh. *hic num.* 33. 73

Dub. 1. quot modis possit aliquis habere sepulchrum proprium ad usum? Resp. duobus modis. 1. Ut sit commune toti familiæ, pro se sc. uxore, & liberis utriusque sexus per lineam masculinam descendentibus; tale sepulchrum *Familiare* dicitur: possuntque in eo sepeliri, etiamsi hæredes non sint, non tamen extranei sine consensu ipsorum, ad quos jus istud pertinet. 74

2 Ut sit constitutum pro se, & hæredibus suis; & hoc *Hæreditarium* appellatur: & admittuntur ad illud Hæredes tantùm; consf. ad familiares illud se non extendit, nisi simul Hæredes sint *l. familiares* 5. *& l. seq. ff. de Relig. & sumpt. funer. l. in sepulchrum* 4. *& l. jus sepulchri* 13. *C. eod.* Molin. *tr.* 2. *de J. & J. D.* 214. *n.* 5. *&* 6.

Dub. 2. quomodo acquiratur jus sepulturæ familiaris, aut hæreditariæ? Resp. olim tale jus Sepulturæ acquirebatur, siquis in loco, vel fundo suo Sepulchrum ædificavit. Hodie ad acquirendum jus sepulturæ pro se, & familia sua, vel hæredibus, cum exclusione extraneorum, requiritur licentia ab iis concessa, qui eam dare possunt, ut sunt Episcopus, sive Ordinarius loci, vel ex privilegio etiam Religiosi, qui illam in suis Ecclesiis, Capellis, Cœmeteriis concedere possunt. Debet tamen cum licentia ædificandi Sepulturam accedere ipsa ædificatio subsecuta; nam ad hoc, ut privativè quoad alios jus sepulturæ acquiratur in certo loco, non sufficit sola licentia Sepulturam ibidem ædificandi. Multo minùs quæsitum tale jus censetur ex solo cursu decennali, & cadaverum illatione; vel ex Jure Patronatus, quod quis habet in Ecclesia. Videatur Barbos. *de Offic. Paroch. c.* 26. *n.* 12. *& duob. seqq.* 75

Dub. 3. an Ecclesia locum, alteri ad Sepulturam Familiarem, vel Hæreditariam datum, concedere possit aliis? Resp. potest, extincta tota Familia, vel Hæredibus deficientibus, quia tunc jus illud redit ad Ecclesiam, sicut mortuo Usuario, usus redit ad proprietarium *l. pen. C. de Usufr.* Imò etiamsi superstites adhuc aliqui sint de familia, vel hæredibus, potest Prælatus Ecclesiæ, etiam invitis illis, propter necessitatem, vel aliam justam causam, extraneum aliquem admittere ad Sepulturam in tali loco. Abb. *in c.* 13. *h. tit. n.* 5. Sylv. *V. Sepultura q.* 3. *dict.* 2. Barbos. *de Offic. & potest. Paroch. c.* 26. *cit. n.* 15. Pirh. *hic n.* 34. 76

Quæritur 2. ad quid teneantur Religiosi, vel Clerici Sæculares, si in suis Ecclesiis sepelire præsumant aliquem, qui de Jure in aliqua Parochia sepeliri debebat? Resp. debent restituere corpus, seu cadaver sepultum, unà cum omni- 77

omnibus, quæ ratione illius acceperunt. Ita ſtatuitur *c. ex parte* 5. & *c. in noſtra* 10. *h. tit.*

Neque obſtat, quòd alias defunctorum corpora, Sepulturæ ſemel tradita, exhumari, & aliò transferri prohibeantur, ut conſtat ex *l. nemo* 14. *C. de religioſ. & ſumpt. fun.* & ex *Declaratione S. Congr. Epiſc. & Regul. edita* 11. *Sept.* 1643. qua reprehendi juſſi ſunt Regulares, quòd cadaver ſepultum in ſua Eccleſia, ut à Curia Sæculari recognoſceretur, ſine conſenſu Epiſcopi permiſerint exhumari, ut refert Laur. de Franchis. *Contr. Epiſcop. & Regul. p.* 2. *q.* 66. *n.* 2. *Non*, inquam, *hoc obſtat*; quia caſus noſter eſt ſpecialis, & Jus ſpeciale communi derogat, illudque reſtringit.

Proceditque hoc etiam caſu, quo raptor cadaveris eſſet Parochus; nam & ipſe funus, & quæ intuitu ipſius acquiſivit, reſtituere debet, ita, ut ne quidem ei debeatur Portio Canonica, niſi tamen componere cum eo illi, qui injuriam paſſi ſunt, velint. Barboſ. *in c.* 6. *h. tit. n.* 3.

8 Dub. 1. ubi ſepeliendum ſit cadaver defuncti, ſi alia Eccleſia aſſerat ſibi competere Jus Sepulturæ ex cauſa ſpeciali, vel quia in Eccleſia illa dicitur eſſe Sepulchrum Majorum defuncti, vel quia prætenditur, quòd defunctus ibi Sepulturam elegerit?

Reſp. ſi lis iſta tam citò decidi nequeat, ſepeliendum eſſe in Eccleſia Parochiali, etiam Appellatione poſtpoſita; quia Sepultura hominis non recipit dilationem *l. ne corpora* 38. *ff. de Religioſ. & ſumpt. funer.* Porro onus probandi incumbit Eccleſiæ aſſerenti, quòd ſibi jus ſepeliendi competat contra Eccleſiam Parochialem; quia Eccleſia Parochialis intentionem fundatam habet, quòd Parochiani ſui in illa ſepeliri debeant, ut bene advertit Pirh. *hic num.* 41.

9 Dub. 2. an corpus defuncti ſepultum alibi, quàm altera Eccleſia prætendat, ante omnia reſtitui debeat, ſi Eccleſia hæc fuit, & eſt in poſſeſſione Juris ſepeliendi?

Reſp. non eſſe reſtituendum, niſi prius Eccleſia talis probet jus, ſeu titulum proprietatis, ſaltem apparenter juſtum, ut latiùs dictum eſt *lib.* 2. *tit.* 13. *num.* 30. ubi oſtenditur, caſum iſtum à Regula generali, quæ ſpoliatum ante omnia reſtitui jubet, exceptum eſſe: & quidem meritò ad evitandam vexationem cadaveris, quæ aliàs ſequi poſſet; poſſet enim contingere, ut pars, ſeu Eccleſia, conventa Interdicto Poſſeſſorio, probaret titulum proprietatis, ſeu jus ſepeliendi ſibi competere: quo caſu corpus iterum exhumandum, & reſtituendum eſſet, cùm cauſa proprietatis abſorbeat cauſam poſſeſſionis.

0 Quæritur 3. an pro Sepultura aliquid exigi, vel accipi poſſit? Reſp. poſtquam fundus aliquis ſemel ad Fidelium ſepulturam eſt deputatus, benedictus, vel conſecratus, neque pro ipſo fundo, neque pro jure ſepeliendi in illo, neque pro ipſo actu Sepulturæ ſine Simoniæ vitio aliquid tanquam pretium accipi, vel peti poteſt. *Ratio* eſt manifeſta; quia hæc omnia Spiritualia ſunt, & Spirituale pretio temporali vendi non poteſt.

1 Dixi, *poſtquam eſt conſecratus*, & *tanquam pretium*; nam ſi res temporalis non habeat rationem pretii, aut non detur pro re Sacra, peti illa, & accipi poteſt. In ſpecie poteſt aliquid licitè peti, & accipi. 1. Pro fundo, ſeu terra nondum Sacra, vel benedicta, ut in Cœmeterium convertatur; quia terra illa eſt res merè temporalis, & pretio æſtimabilis. igitur ſicut aurum pro Calice, & fundus pro Eccleſia ædificanda emi, & vendi poteſt, ita etiam terra pro conſtituendo Cœmeterio. 2. Pro loco Sepulturæ digniore, aut pro obligatione non admittendi ad certum aliquem Cœmeterii locum, vel Sacellum, niſi cadavera defunctorum ex certa familia; quia hujuſmodi obligatio accidentalis, & pretio æſtimabilis eſt. 3. Pro conſervatione, & reparatione Cœmeterii, vel loci ſpecialis Sepulturæ. 4. Pro ſuſtentatione Miniſtrorum, & ſtipendio Clericorum ad id ex officio ſuo non obligatorum. 5. Si fideles tali occaſione aliquid ſponte, & ex devotione offerant Parocho. 6. Si Parochus aliter ſuſtentationem congruam, & ſufficienter non habeat. 7. Si conſuetudine legitima introductum ſit, ut pro ſepultura aliquid detur. Vide Barboſ. *de Offic. & poteſt. paroch. cap.* 26. *cit. à num.* 16. Pirh. *hic num.* 35. Vvieſt. *num.* 49.

2 *Dubitatur*, an ſiquis habeat Sepulchrum proprium, ſuis ſumptibus emptum, & ædificatum pro ſe, & ſuis, vendere illud quoad proprietatem poſſit juxta valorem fundi, & habito reſpectu ad ſolas expenſas in eo ædificando factas?

Affirmat Suar. *l.* 4. *de Simon. c.* 14. *n.* 18. Negat communior DD. cum Abb. *in c.* 13. *h. tit. n.* 4. *Ratio eſt*, quia poſtquam locus aliquis ad Fidelium Sepulturam publica authoritate Ordinarii Prælati deputatus, benedictus, vel conſecratus eſt, non ampliùs eſt in ullius privati dominio, ac propterea vendi non poteſt. atqui talis locus eſt etiam Sepulchrum proprium Familiæ Chriſtianæ in Eccleſia, vel Cœmeterio aliquo poſitum. ergo &c. Idem dicendum de ſtructura, & ornamentis Sepulchri; ea enim, cùm ſint ſuperædificata, & impoſita loco Sacro, cenſetur eſſe ſacra, & in nullius dominio eſſe.

Neque dicas, non vendi Jus Spirituale Sepulturæ, ſed materiale; nam cùm hoc ſit inſeparabiliter connexum cum Spirituali, non poteſt quis vendere materiale, niſi etiam Spirituale vendere cenſeatur juxta *can. ſiquis* 7. *cauſ.* 1. *quæſt.* 3.

Quodſi Jus Sepulturæ annexum ſit Caſtro alicui, vendito Caſtro, non quidem venditum cenſebitur jus Sepulturæ, per conſequentiam tamen etiam ipſum ad emptorem tranſibit, ſicut in ſimili contingit, quando ejuſmodi Caſtro annexum eſt Jus Patronatus.

§. VII.

De Portione Canonica Parochiali.

SUMMARIUM.

83 *Quid ſit Portio Canonica Parochialis? & unde pendenda?*
84 85 *Cui?*
86 87 *A quo?*
88 89 90 *Quibus caſibus non debeatur?*
91 *Pars quarta illius à Parochia præſtari debet Epiſcopo?*
92 *Quomodo?*
93 *Quænam pars priùs deducenda ſit, Portio Parochialis, an Epiſcopalis?*

Quæritur 1. quid ſit *Portio Canonica Parochialis*? 83
Reſp. eſt pars eorum, quæ occaſione funeris, & ſepulturæ corporis, extra Parochiam tumulati, obvenerunt Eccleſiæ, in qua ejuſmodi corpus tumulatum eſt. De Jure ferè eſt quarta *cap. cùm ſuper* 8. *h. tit.* de conſuetudine aliquando tertia, & aliquando media *cap. nos inſtituta* 1. & *cap. relatum* 2. *h. tit.* vel potiùs ſecundùm Gloſſ. *in cap. nos inſtituta cit. V. tertiam*, & textum *cap. certificari* 9. *eod.* pro temporum, & locorum varietate varia.

Penditur ex omnibus, quæ occaſione funeris obvenerunt tali Eccleſiæ: adeoque non tantùm de Legatis piis, ſed etiam de aliis, quæ Eccleſiæ illi per ultimam Voluntatem relicta ſunt, de oblationibus, quæ occaſione funeris ibidem factæ ſunt, de commodis cæteris, quibus intuitu funeris fruita eſt &c. ut apertè colligitur ex *cap. nos inſtituta cit.* & notat Abb. *ibid. num.* 7. Molin. *tract.* 2. *de J. & J. D.* 214. *num.* 4. Pirh. *hic num.* 44. Vvieſt. *num.* 51. Spectanda tamen in his omnibus eſt conſuetudo, ut hoc loco AA. monent.

Quæritur 2. quibus Portio hæc ſolvi debeat? Reſp. 84
ſolvi debet Eccleſiæ Parochiali, in qua defunctus alioquin ſepeliri debuiſſet, ſive in illa Parochia ſit mortuus, ſive in alia *cap. nos inſtituta cit.* & aliis pluribus textibus *h. tit.* Ratio portionem iſtam attribuendi Parochis datur *cap. cit.* quia dignus eſt Operarius mercede ſua 1. *Tim.* 5. *v.* 18. & qui fuerunt paſſionum ſocii, eſſe debent & conſolationum 2. *Corinth.* 1. *v.* 7. cùm igitur Parochus ſuſtineat onus celebrandi Divina Officia, & Parochianis ſuis, dum vivunt, Sacramenta, aliaque Spiritualia miniſtrandi, æquiſſimum erat, ut eidem præſtaretur ſaltem portio eorum, quæ occaſione funeris, & Sepulturæ alicujus Parochiani Monaſterio, vel Eccleſiæ alteri extraneæ obveniunt, ne debitis ſibi ſubſidiis defraudetur.

Quodſi defunctus duo domicilia habuit in duabus 85
Parochiis, eſt diſtinguendum; nam ſi Sacramenta, aliaque Divina, dum vivebat, in utraque percepit, portio Canonica inter utramque dividenda eſt, ut deciſum eſt *cap. cùm quis* 2. *verſ. cùm ab eo h. tit. in 6.* At ſi in una ſolùm Sacramenta, aliaque Divina percepit, vel in una quidem percepit Sacramenta, in altera officia Divina audivit, communior ſententia cum Sylv. *V. Canonica portio, quæſt.* 14. vult totam attribuendam illi Eccleſiæ, in qua defunctus Sacramenta percepit: quod colligitur ex *cap. nos inſtituta cit.* ubi tertia pars jubetur dari illi Eccleſiæ, in qua defunctus cœleſti pabulo refici conſuevit: cui conſonat *cap. cùm quis cit.* & *Clem.* 2. *h. tit.*

Quæritur 3. à quo ſolvi Portio iſta debeat? Reſp. 86
ſolvi debet ab illa Eccleſia, in qua Sepultura electa eſt *cap. nos inſtituta cit. cap. in noſtra* 10. & *Clem. dudum* 2. *h. tit.*

Pro-

Proceditque hoc 1. etsi Ecclesia illa haberet privilegium sepeliendi eos, qui apud ipsam Sepulturam eligunt, prout constat ex *cap. in nostra cit.* quia privilegium ejusmodi intelligi debet conformiter Jure communi. hoc autem Jure Quarta Parochialis solvenda est Parocho generatim, & sine exceptione, si alibi sepultum sit corpus Parochiani.

Procedit 2. etsi talis Ecclesia, in qua Parochiani corpus sepultum est, sit exempta, ut colligitur ex *Clem. dudum cit. V. verùm ne h. tit. Ratio est*, quia Portio Parochialis Ecclesiæ Parochiali solvitur, quòd in ista defunctus Sacramenta, aliaque Divina perceperit, vel de Jure debuerit percipere: quæ ratio æquè procedit, sive Parochianus sepultus sit in Ecclesia exempta, vel non exempta.

87 *Proceditque* 3. etsi Parochianus Ecclesiæ inferioris sepultus esset in Ecclesia Cathedrali; nam adhuc portio Canonica ex Mortuariis solvi debet Ecclesiæ parochiali, cùm etiam hoc casu urgeat prædicta ratio.

Procedit 4. etsi defunctus ad Monasterium se transtulerit; nam si in infirmitate constitutus ad illud se transtulit, & in ea infirmitate decessit, de bonis Monasterio relictis à defuncto, Ecclesiæ parochiali, cujus parochianus fuit, debet solvi Portio Parochialis canonica, ut habetur *cap. de his* 4. *h. tit.*

Procedit 5. etsi quis sepultus sit in Sepulchro Majorum; per hoc enim, quòd sepulchrum alibi habeat, non desinit esse Parochianus suæ Parochiæ. Pirh. *hic num.* 53.

88 Quæritur 4. quibus casibus Portio Canonica non debeatur? Resp. 1. non debetur ex iis, quæ defunctus reliquit aliis Ecclesiis, ab Ecclesia Sepulturæ suæ distinctis. Gloss. *in cap.* 1. *V. Judicii h. tit.*

2 Si relictum sit aliquid Ecclesiæ, in qua funus ad tempus solùm depositum est, suo tempore aliò transferendum ad Sepulturam perpetuam; quia in tali Ecclesia sepulturam propriè non habet. Azor. *p.* 2. *l.* 9. *cap.* 13. *quæst.* 4. *cas.* 13.

3 Si relictum sit Ecclesiæ, in qua sepulturam defunctus accepit, pro ornamentis, fabrica, anniversario, & ad Cultum Divinum perpetuum, sine fraude tamen. Barbos. *de Offic. Paroch. cap.* 25. *num.* 47.

4 Si donatum, vel legatum sit aliquid Testamento ante Sepulturam electam condito, adeoque independenter à Sepultura, à defuncto electa in tali Ecclesia. Azor. *l. cit. cas.* 10.

5 Si Ecclesia Parochialis diu nimis vacavit, ut defunctus in illa Sacramenta, aliaque Divina percipere non potuerit; quia tunc cessat ratio illius exigendæ, & consequenter etiam jus ad illam. Vviest. *hic n.* 53.

89 6 Si eadem Ecclesia, dum defunctus decessit, non propria defuncti, sed parochialis Rectoris, culpa fuit interdicta; quia tunc in ea defunctus sepeliri de Jure nec potuit, nec debuit. Sylv. *V. Catholica portio n.* 2. *cas.* 8.

7 Si defunctus sit Novitius Religionis, & dum sanus erat, ingressus est Monasterium, atque in illo, vel alibi, quò sanitatis causa se recepit, mortuus; quia tunc jam desiit esse parochianus alterius Ecclesiæ. *c. de his* 4. *h. tit.*

90 8 Si Legatum Ecclesiæ Parochiali à defuncto relictum sit, ea quantitate, ut Portionem Canonicam ipsi debitam æquet, & ea conditione, ut ultra illud Quartæ Parochialis nomine nihil ampliùs exigatur. Donat. *tom.* 3. *prax. Regul. tr.* 11. *q.* 22.

9 Si Monasterium, vel Ecclesia à Portione Canonica præstanda per privilegium Apostolicum specialiter exempta sit, prout exempta sunt Monasteria, & Domus FF. minorum S. Francisci, Prædicatorum, & aliorum Ordinum Mendicantium. Donat. *tr. cit. q.* 4. *&* 5.

10 Si obligationi Portionis istius præstandæ Parocho per consuetudinem legitimè præscriptam fuit derogatum: talis autem erit si fuerit 40. annorum cum titulo, vel immemorialis sine titulo. Abb. *in c.* 9. *h. tit. n.* 6. *&* 7.

91 Quæritur 5. an Portio hæc Canonica ad Ecclesiam Parochialem tota spectet? Resp. negativè; nam quarta pars illius præstanda est à Parochia Episcopo, tanquam Ordinario loci. *arg. c. conquerente* 16. *de Offic. Judic. Ordin.* ubi generatim statuitur, ut Mortuariorum, sive Legatorum, Oblationum, aliorumque Funeralium, quæ Ecclesiis inferioribus obveniunt, quarta pars solvatur Episcopo.

Ex quo sequitur 1. casu, quo defunctus extra propriam Parochiam Sepulturam elegit in loco non exempto, ex iis, quæ Ecclesiæ Sepulturæ obvenerunt, de Jure duas solvendas esse Portiones Canonicas, unam Episcopalem *c. officii* 14. *& c. requisisti* 15. *de Testam.* alteram Parochialem *c. nos instituta & c. cùm nuper cit.*

Sequitur 2. eodem casu electæ Sepulturæ in Ecclesia non exempta Episcopum duas ejusmodi Portiones consequi; unam enim consequitur ab Ecclesia Sepulturæ ex iis, quæ ipsi permanent, ut paulò antea dictum est; alteram à Parochia, in qua defunctus de Jure sepeliri debuit, videlicet quartam quartæ Portionis parochialis.

Sequitur 3. casu, quo Sepultura electa est in loco exempto, Episcopo unam solùm deberi portionem Canonicam, videlicet quartam Portionis præstandæ Parocho; nam Ecclesia exempta portionem Canonicam ex iis, quæ ipsi obveniunt, non solvit.

Quæritur 6. quænam pars priùs deducenda sit, portio Parochialis Canonica, an Episcopalis? Resp. priùs deducendam Portionem parochialem, & tum primùm Episcopalem, ut cum communi advertit Abb. *in c.* 9. *h. tit. n.* 11. *Ratio est*, quia portio parochialis debetur ab ipso Testatore, Episcopalis verò ab Ecclesia tum Legataria, tum parochiali, vel Sepulturæ. Accedit, quia parochus habet magis specialem curam quàm Episcopus. 9

TITULUS XXIX.

De Parochiis, & alienis Parochianis.

Cum juxta dicta *Tit. præc.* de Jure quilibet in parochia propria sepeliendus sit, hinc meritò à Sepulturis ad parochias, & harum constitutionem, Jura, & Limites describendos transitur.

§. I.

De Parochiæ Constitutione.

SUMMARIUM.

1 2 *Diversa acceptio nominis* Parochia, *&* Parœcia.
3 4 *Requisita, ut Ecclesia aliqua dici Parochialis possit.*
5 *An ad constitutionem Parochiæ requiratur Fons baptismalis?*
6 *Cœmeterium, & jus administrandi alia Sacramenta?*
7 *Quis numerus, ut Ecclesia aliqua dicatur habere populum?*
8 *An Parochia sit Beneficium Curatum?*

Quæritur 1. quid sit *Parochia*, & *Parœcia*? Resp. Nomina hæc antiquitus diversa sonabant, ut Gonzal. *in c.* 2. *h. tit. n.* 7. notat; nam Parochi apud Veteres erant, qui peregrinantibus, præcipuè Reip. causa publicè exhibebant necessaria, juxta illud Horatii: 1

Proxima Campano ponti, quæ villula tectum
Præbuit, & parochi, qui debent ligna, salemque.

Et in isto sensu *parochia* erat præbitio, seu spatium intra quod Veteres illi Parochi tenebantur peregrinantibus necessaria ministrare. At *parœcia* antiquis significabat sacram viciniam, seu plurium domorum conglobationem, vel conventum eorum, qui ejusdem erant Fani consortes, qui propterea etiam *parœci* appellabantur.

Hodie sublato isto discrimine, *parochia*, & *parœcia* idem significant, diversa tamen pro diversa istorum nominum acceptione; nam 1. in quibusdam Juris Canonici textibus Parochiæ, & Parœciæ nomen sumitur *latè, & minùs propriè* pro tota Diœcesi, seu Territorio, in cujus populum, & Clerum Episcopus Jurisdictionem Spiritualem exercet: & ita accipitur *can.* 14. *&* 33. *Apost. can. si quis* 4. *& seqq. dist.* 92. *& c. nullus* 3. *h. tit.* ubi pro Diœcesano Parochianus ponitur. 2. *strictè*, & in sensu præsentis Rubricæ pro certa alicujus Diœcesis Ecclesia, quæ populum certis limitibus distinctum habet, & Presbyterum, sive Rectorem, à quo Sacramenta, Verbum Divinum, aliaque Spiritualia eidem ex officio ministrentur. 3. denique, nec minus frequenter sumitur pro ipso territorio, sive districtu, in quo hujusmodi populus alicui Ecclesiæ deputatus, & intra certos limites constitutus degit. Abb. *in Rubric. hic num.* 1. Sylv. *V. Parochia*, Pirh. *hic n.* 1. Konig *n.* 3. Vviest. *n.* 1. 2

Quæritur 2. quid requiratur, ut Ecclesia aliqua dici Parochialis possit? Resp. 1. & præcipuè ad constituendam Parochiam requiritur potestas ligandi, & solvendi in foro Pœnitentiali, seu interno conscientiæ: idque ex necessitate muneris Parochialis, cujus præcipua pars est fidelibus administrare Sacramenta. Gloss. *in Clem.* 2. *V. impendant de Sepultur.* Abb. *ibid. n.* 28. Card. de Luca *Theatr. V. & J. de Paroch. discurs.* 23. *n.* 8. 3

2 Locus certis limitibus constitutus, in quo populus alicui Ecclesiæ deputatus degit, prout sumitur ex *can. un. caus.* 13. *q.* 1. Trid. *sess.* 24. *c.* 13. *de reform.* ibi *In locis*,

locis, ubi Parochiales Ecclesiæ certos non habent limites &c. quia Parochi populum regere dicuntur *c. in Ecclesiis* 1. *de Capell. Monachor.*

4 3 Authoritas Episcopi designantis eidem limites, & constituentis populum Parochianum *can. nullus* 11. *caus.* 16. *q.* 7. Præsumitur autem Ecclesia erecta authoritate Episcopi ex lapsu temporis, ex celebratione Divinorum Officiorum, & Sacramentorum administratione, ut cum aliis notat Barbos. *de Offic. paroch. c.* 1. *num.* 38. *&* 39.

4 Ut habeat Rectorem certum, & quidem unicum *can. in apibus* 41. *caus.* 7. *q.* 1. *can. præcipimus* 5. *caus.* 21. *q.* 2. *c. cùm non ignores* 15. *de præbend.* sicut enim una mulier duos sponsos, & unum corpus duo capita sine monstruositate habere non potest, ita nec una Parochia duos Parochos *can. sicut* 4. *caus.* 21. *q.* 2. *Neque obstat*, quòd aliquando cura Parochialis spectet ad Capitulum Ecclesiæ Collegiatæ, vel Regularis; nam Capitulum est una persona ficta, & consequenter licèt constituatur ex pluribus Canonicis, vel Religiosis, fictione Juris tamen adhuc est unicus Rector. Videatur Hieron. Gonzal. *ad Reg.* 8. *Cancell. Gloss.* 6. *n.* 34. *& seqq.*

5 Quæritur 3. utrum ad constitutionem Parochiæ requiratur etiam Fons Baptismalis, Cœmeterium, seu Jus sepeliendi mortuos, aliaque Sacramenta administrandi? Hæc quidem requirunt aliqui, & plerumque etiam Ecclesiæ Parochiali competunt. Sed dicendum, etsi illa, quando adsunt, signa sint, ex quibus colligi status Ecclesiæ possit, non tamen esse signa certa, & consequenter ad constitutionem Ecclesiæ Parochialis essentialiter non requiri. Gonzal. *l. cit. n.* 48. *& seqq.* Barbos. *de Offic. paroch. c.* 1. *n.* 34. Vviest. *hic n.* 8.

6 Ostenditur 1. *de Fonte Baptismali*; quia Ecclesia Baptismalis, & Parochialis interdum sunt distinctæ, ita, ut in una Parochia, quæ propterea etiam cæterarum *Matrix* vocatur, Fons Baptismi erectus sit pro aliis etiam Parochiis, & hæ quidem administrare Parochianis suis reliqua Sacramenta possint, non verò Baptismum.

Ostenditur 2. *de Cœmeterio*; quia Jus Sepulturæ ex privilegio etiam Religiosis Mendicantibus, ut dictum est *Tit. præc. n.* 6. & ex consuetudine, vel etiam concessione Episcopi competere potest aliis præterea Ecclesiis, & Capellis Sæcularibus. Flamin. *de resign. l.* 2. *q.* 1. *n.* 108.

Ostenditur 3. *etiam de administratione aliorum Sacramentorum*; quia ex accidenti contingere potest, ut Ecclesia Parochialis alia Sacramenta, quàm Pœnitentiæ, & Eucharistiæ administrare nequeat, ut P. Vviest. *l. cit.* notat.

7 Quæritur 4. quis numerus requiratur, ut Ecclesia aliqua dicatur habere populum? Volunt aliqui sufficere decem homines propter textum *can. unio* 3. *caus.* 10. *q.* 3. ibi: *Ecclesia, quæ usque ad decem habebit mancipia, super se habeat Sacerdotem:* nam decem homines, ut ait Gloss. *fin. in can. cit.* faciunt plebem, sicut decem oves faciunt gregem *l. oves* 3. *pr. ff. de Abigeis.*

Sed dicendum, ad constituendam Parochiam requiri, & sufficere decem, non qualescunque homines, sed Patresf. seu totidem familias distinctas. Ita Marsil. *de Eccl. redit. p.* 1. *c.* 22. *n.* 10. Barbos. *in can. cit. n.* 20. Card. de Luca *de Paroch. Disc.* 23. *n.* 13. Pirh. *hic n.* 1. Vviest. *n.* 4. & ita habet usus Germaniæ nostræ, in qua, si in aliquo oppido, vel pago, ubi Hæretici cum Catholicis permixti degunt, decem familiæ alterutri Religioni addictæ numerentur, his, & illis Parochus concedi solet.

Neque obstat textus *can. unio cit.* quia ut DD. allegati existimant, ibi pro *Mancipia* legendum est *Mancipias* seu *Municipia*: quæ opinio admodum verisimilis est, cùm non sit credibile Concilium Toletanum, ex quo Canon iste desumptus est, de Mancipiis, seu Servis locutum esse.

Quæritur 5. an Parochia sit Beneficium Curatum? Resp. solutio hujus quæstionis pendet à duplici acceptione Beneficii Curati; nam aliquando sumitur latè, prout Cura includit etiam potestatem, sive Jurisdictionem fori externi, quæ exercetur visitando, Leges, & Censuras ferendo, ab his absolvendo, incarcerando, & alia faciendo, quæ ad morum correctionem spectant *c. dudum* 54. §. *verùm vers. sed cùm in Jure de Elect.* Aliquando verò accipitur propriè, & strictè pro cura, sive potestate, & Jurisdictione Spirituali, quæ in foro Pœnitentiæ interno per Sacramentorum, præsertim Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, administrationem ex officio exercetur.

Si primo modo accipiatur Beneficium Curatum, Parochiale Beneficium à Curato differt; *si secundo modo*, cum eo ferè convenit, ut species cum genere; dantur enim Beneficia Curata, quæ non sunt Parochialia.

§. II.

De Juribus Parochiarum.

S U M M A R I U M.

9 10 11 12 *Recensentur* 12. *Jura parochialia.*

13 *Sacramenta administrari parochianis possunt etiam ab alio de licentia Parochi, vel ex privilegio Apostolico, quale respectu Sacramenti Pœnitentiæ, & Eucharistiæ habent Regulares.*

14 *Non tamen respectu Baptismi, & Extremæ Unctionis.*

15 *Obligatio Parochi ad Sacramenta administranda, & Parochianorum ad ea suscipienda.*

16 *Munus prædicandi ex Officio competit Parochis, & Episcopis.*

17 *Ex privilegio Regularibus Mendicantibus, & qui cum ipsis communicant.*

18 *Qui non debent necessariò esse constituti in SS. Ordinibus.*

Quæritur 1. quæ sint Jura Parochialia? Resp. hoc recensent Abb. *in Rubr. h. tit. num.* 2. Host. *in Summ. hic n.* 2. Azor. *p.* 2. *l.* 3. *c.* 12. *q.* 4. Card. de Luca *de Paroch. discurs.* 24. *n.* 8. Pirh. *hic n.* 3. Schambog *n.* 7. Konig *n.* 13. Vviest. *n.* 10. *& seqq.* Sunt autem sequentia. 9

1 Fons Baptismalis; etsi enim validè, & in necessitate etiam licitè baptizare quivis, quamvis Laicus, possit, ex officio tamen post Pontificem, & Episcopum Parochianos baptizandi jus competit parochis *arg. can. in sacris* 56. *caus.* 16. *q.* 1. *c. cùm olim* 18. *de præscript.*

2 Forum pœnitentiale, cui ita subjiciuntur parochiani, ut ab alio Sacerdote, vel etiam parocho sine proprii parochi licentia de Jure communi, & regulariter validè absolvi nequeant ob defectum Jurisdictionis ad absolutionis valorem requisitæ *c. omnis* 12. *de pœn. & remiss.* 10

3 Dispensatio Sacramenti Eucharistiæ; hanc enim dispensare de Jure communi ad parochum pertinet, ita ut qui absque illius licentia extra necessitatis casum ea Fidelibus ministraret, graviter peccaret, & si Religiosus esset, privilegio non munitus, incurreret Excommunicationem Pontifici reservatam. *Clem.* 1. *de privil.*

4 Solemnizatio, & benedictio Matrimoniorum. *Trid. sess.* 24. *c.* 1. *de reform. matr.* ubi aliter, quàm coram Parocho proprio, vel de hujus, aut Ordinarii Diœcesani licentia coram alio Sacerdote contracta irritantur.

5 Administratio extremæ unctionis; quia istam licitè non administrat Sacerdos, nisi sit proprius infirmi Parochus, vel ab hoc Delegatus: imò Regulares, extra casum necessitatis hoc administrantes, incurrunt Excommunicationem reservatam Papæ. *Clem.* 1. *cit.*

6 Auditio Missæ diebus Dominicis, & Festis; sicut enim Parochi per se, vel per alios illis his diebus celebrare, ita Parochiani iisdem diebus illi in propria Parochia interesse Jure communi antiquo tenentur *can. in Dominicis* 3. *& seqq. caus.* 9. *q.* 2. & *c. ut Dominicis* 2. *h. tit.* quibus Juribus tamen jam per privilegia Regularium, & universalem consuetudinem derogatum est, ut adeo nunc quilibet pro sua commoditate etiam diebus Festivis, extra Parochiam Missam frequentare possit. 11

7 Verbi Divini prædicatio, ut patet ex Trid. *sess.* 5. *c.* 2. *de reform.* ubi Sacra hæc Synodus Parochos obligat, ut diebus Dominicis, & Festis Verbum DEI per se, vel per alios idoneos prædicent.

8 Benedictio, & dispensatio Cinerum prima die Quadragesimæ; palmarum Dominica Festum paschatis antecedente; Cereorum in Festo purificationis.

9 Benedictio Fontis Baptismalis, celebratio Missæ in Cæna Domini, & Sabbato Sancto, delatio SS. Sacramenti, & Processiones per Parochiam. 12

10 Denuntiationes Matrimoniorum, Festorum, Vigiliarum, quibus est jejunandum, Jubilæorum, & Indulgentiarum.

11 Jus Sepulturæ, vel Portionis Canonicæ, si Sepulturam Parochianus alibi eligat.

12 Jus Decimarum, Primitiarum, & Oblationum. De Jure Sepulturæ, & Portionis Canonicæ dictum est *Tit. præc.* de cæteris sunt aliqua hìc ulteriùs explicanda. Quare

Quæritur 2. an extra casum necessitatis nullus alius, præter Parochum, Parochianis illius administrare Sacramenta possit? De quatuor Sacramentis procedit quæstio, videlicet de Eucharistia, Pœnitentia, Baptismo, & extrema unctione; nam hæc sola Parochus ministra- 13

re, vel administrare Parochianis suis potest, & debet. Qua in re

Certum est 1. quòd hæc Sacramenta ministrare, vel administrare possit etiam alius de licentia, & commissione Parochi; id enim solùm prohibetur cæteris, ne Jus Parochi violetur, quod non fit, si hæc ipso consentiente fiant.

Certum est 2. quòd per privilegia sibi à Summis Pontt. concessa Regulares Mendicantes, & qui cum ipsis in privilegiis communicant, possint in Ecclesiis suis, parochorum licentia non requisita, SS. Eucharistiam ministrare fidelibus omnibus, quibus ejus sumptio non est prohibita, excepta Communione Paschali, & sumptione Sacri Viatici.

Certum est 3. eosdem ex simili privilegio, si ab Ordinario approbati, & à Superioribus suis expositi sint, ex delegata sibi à Pont. potestate posse audire quorumcunque fidelium, quibus id non est specialiter prohibitum, Confessiones, non solùm intra, sed etiam extra suas Ecclesias, e. g. in Sæcularium ægrotantium domibus, Parochorum licentia minimè requisita.

14 *Dubium est* de administratione Baptismi, & extremæ Unctionis: cui occasionem præbet *Constitutio Pauli III.* incipit *cum inter*, *edita* 1545. ubi Clericis Regularibus Societatis Jesu conceditur facultas administrandi Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & *alia Sacramenta*. ex quibus verbis, ne dici debeat, quòd redundans aliquid contineant, videtur colligi, quòd iisdem Religiosis Societatis (conf. etiam iis, qui in privilegiis cum ipsis communicant) hac Constitutione concessa sit etiam administratio Baptismi, & Extremæ Unctionis.

Sed revera hoc non infertur, imò contrarium; additur enim *sine alicujus præjudicio:* quod non abesset, si sine Parochorum licentia Regulares administrare Sacramenta Baptismi, & Extremæ Unctionis possent. Verba illa *Alia Sacramenta* intelligi debent de Religiosis degentibus in terris Infidelium, & Hæreticorum, Catholicas Parochias non habentibus; nam ibi administrare Sacramenta hæc possunt, & administrando nulli alteri præjudicium inferunt.

Quare cum de privilegio Apostolico ulli concesso non satis constet, habeatur autem generalis prohibitio *Clem.* 1. *de privil.* dicendum erit, hæc duo Sacramenta extra casum necessitatis, sine consensu proprii Parochi, vel Episcopi administrari non posse licitè, nisi à proprio Parocho.

15 Quæritur 3. quæ sit obligatio Parochi, ut Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ parochianis suis administret, & parochianorum, ut illa ab ipso suscipiant?

Resp. *Ad* 1. parochus administrare illis Sacramenta hæc tenetur sub gravi, cùm sit officium illius, ut pascat gregem suum: nec tantùm semel in anno, aut quando aliàs obligantur parochiani illa suscipere, ut quidam cum Sylv. *V. Confessor* 1. *n.* 14. voluerunt, sed quoties id ipsi rationabiliter petierint, & parochus expedire judicaverit, ut cum communi advertit Bonac. *D.* 4. *q.* 1. *p.* 1. *n.* 14. & *D.* 5. *q.* 7. *p.* 4. §. 2. *n.* 23. *Ratio est*, quia parochus non debet subtrahere ea, quæ ad commodum Spirituale subditorum suorum spectant.

Ad 2. tempore nascentis Ecclesiæ, dum adhuc primævo Spiritu fervebant, Fideles reficiebantur Sacro Epulo quotidie *can. Episcopus* 59. junct. Gloss. *fin. dist.* 1. *de consecr.* post crescente fidelium numero, & Charitate refrigescente, ex obligatione ad Sacra Mysteria accedebatur ter in anno, videlicet in Nativitate Domini, Paschate, & Pentecoste *can. etsi* 16. & *can. sæculares* 19. *dist.* 2. *ibid.* Hodie præceptum Ecclesiæ est, ut saltem semel in anno, & quidem paschali tempore Sacramentum Altaris accedant omnes *c. omnis* 12. *de pœnit. & remiss.* ubi idem præcipitur etiam de Confessione semel in anno de peccatis propriis coram parocho suo, tanquam proprio suo Sacerdote, instituenda.

16 Quæritur 4. quibusnam potestas concionandi competat? Resp. ex officio munus prædicandi verbum Dei incumbit parochis, & Episcopis: præter hos sine commissione à Papa, Episcopo, vel parocho loci nullus alius concionari potest, vel debet, ut notat Gloss. *in c. quod Dei* 5. *V. privilegiatum de Stat. Monach.* imò *c. excommunicamus* 13. §. *quia vero de Hæretic.* statuitur excommunicandos esse eos, qui officium prædicandi sive publicè, sive privatim sine Episcopi licentia sibi usurpare præsumpserint.

17 Excipiuntur Religiosi Mendicantes, & qui cum iis in privilegiis participant juxta *Extrav.* 1. *de privil. int. com.* & *Constit. Pauli III.* in favorem Societatis Jesu *editam* 1545. juncto Trid. *sess.* 5. *c.* 2. *de reform.* Hi enim 1. cum Superiorum suorum licentia, & petita benedictione Episcopi Verbum Dei prædicare possunt in propriis Ecclesiis suorum Ordinum: 2. Iidem Regulares concionari possunt etiam in Ecclesiis Parochialibus, si Parochus consentiat, vel Episcopus facultatem det. 3. Possunt prædicare Verbum Dei in publicis, & plateis, requisita tamen licentia Diœcesanorum, si commodè peti potest, vel si peti illa nequeat, non repugnantibus locorum Parochis, ut apertè significat Gregorius XIII. in *Bulla*, quæ incipit, *Decet Romanum Pont.* 1575. Societati data.

Quæritur 5. an Regulares privilegiati, ut tribus memoratis casibus concionari possint, debeant esse constituti in SS. Ordinibus? Resp. negativè: sed sufficit, si primam Tonsuram habeant, & aliàs sint idonei, ut constat ex *Bulla Gregorii XIII.* incipit *Vigore* Societati data 1584. ubi decernit, & declarat, unumquemque ex Societate, aliàs idoneum, etiam ad SS. Ordines non promotum, Prædicationis munus in vim privilegii hujusmodi exercere potuisse, & posse; quod privilegium (sicut & alia Religiosis concessa) etiam competit Novitiis *arg. c. Religione* 21. §. *quamvis de sent. Excomm. in* 6. Pirh. *hic n.* 6. *in fin.* 18

§. III.

De Limitibus Parochiarum.

SUMMARIUM.

19 *Explicatur* Limitum *nomen?*
20 21 *Parochiis, & Diœcesibus constitui possunt sola authoritate Ecclesiastica.*
22 23 *Non sunt Præscriptioni obnoxii, si certi sint.*
24 *Secus, si incerti.*
25 *Quæstio super iis mota, si facti præcisè sit, decidi potest à Judice Sæculari.*
26 27 28 *Si Juris quæstionem admixtam habeat, de ea cognoscit solus Judex Ecclesiasticus.*
29 30 31 *Ita, ut neque Præscriptione acquiri possit à potestate Laica.*

Quæritur 1. quid intelligatur nomine Limitum; & quis constituere illos Parochiis, vel Diœcesibus possit? Resp. *ad* 1. *Limes*, ut rectè aliis *citt.* advertit Pirh. *hic n.* 9. est *Linea*, seu *longitudo distinguens spatium à spatio*. Solent hi aliquando designari per lapides in confinibus positos; in Parochiis verò, & Diœcesibus communiter per montes, flumina, paludes &c. Dixi *designari*; nam ejusmodi lapides, montes, flumina &c. propriè tantùm sunt signa Limitum, non verò ipsi limites. Ex quo sequitur, etsi Lapis limitaneus auferatur, vel fluvius ejusmodi exsiccetur, aut alium acquirat alveum, non ideo tamen Fines, seu Limites mutatos censeri, cùm signatum à signo suo non pendeat. 19

Ad 2. videntur limites Parochiarum, & Diœcesium constitui posse authoritate Sæculari; sic enim si fides est Beato Rhenano, Cranzio, Cromero, & aliis Sedem Episcopalem Argentinensem, & Constantiensem Dagobertus, Bremensem, & alios Carolus M. Polonicas Miesca, sive Miezlaus primus Polonorum Rex Christianus alias alii Reges, & Principes erexere & distinxere; Imò ab Isacio Angelo Ecclesias Cathedrales in Metropolitanas mutatas patet ex Constitutione dicti Imperatoris *l.* 1. *Jur. Orient. tit. de Metropolit.* 20

Sed dicendum, Diœcesium & Parochiarum limites constitui, & mutari sola Ecclesiastica authoritate posse. Sumitur ex *can. lege Imperatorum* 1. *dist.* 10. & *c. sicut unire* 8. *de excess. Prælat.* nec aliter habet perpetua, & antiquissima praxis Ecclesiæ; sic enim quædam Diœceses jam ab Apostolis, & S. Clemente sunt institutæ *can. urbes* 1. *& seqq. dist.* 80. *can. Provinciæ* 1. junct. Gloss. *V. eod. dist.* 99. Aliæ fundatæ sunt ab aliis S. Petri Successoribus, ut rectè monet Barbos. *de Offic. Episc. p.* 1. *tit.* 1. *c.* 7. *n.* 7.

Idem constat de institutione, & divisione Parochiarum; nam istas primùm Dyonisius Papa divisit, vel saltem divisionem, ab Evaristo prædecessore suo factam, sed Valeriani persecutione sublatam, aut confusam restituit, ut constat ex *can. Ecclesias un. caus.* 13. *q.* 1. & *c. pastoralis* 9. *de his, quæ fiunt à Prælat.* Reliquarum deinde Parochiarum erectiones, divisiones, & uniones factæ sunt, & defacto solùm fiunt à Summis Pontt. & Episcopis in propriis suis Diœcesibus. 21

Neque obstat ratio dubitandi; etsi enim quædam Diœceses fundatæ, & institutæ legantur ab Imperatoribus, & Regibus, semper tamen id factum est, interveniente authoritate Apostolica, ut notat Tholosan. *Synt. l.* 15. *c.* 12. *n.* 4.

Quæ-

22 Quæritur 2. an Limites Diœcesium, & Parochiarum præscribi possint? Rationem dubitandi facit 1. *c. quia indicante 9. de præscript.* ubi satis clarè dicitur, quòd præscriptione 40. annorum fines isti præscribi possint. 2. Jura Episcopalia, & Parochialia, v.g. visitandi, decimandi &c. imò ipsa prædia limitanea, aliaque bona, in quibus sunt fines, præscribi possunt. ergo etiam ipsi fines. 3. Saltem poterunt præscribi præscriptione immemoriali; nam prohibitio, qua vetatur alicujus rei præscriptio, non afficit immemorialem, quippe quæ vim privilegii habet.

23 Sed dicendum, fines, & limites Diœcesium, & Parochiarum, si certi sint, non esse præscriptioni obnoxios. Ita communiter omnes. *Ratio est*, quia præscriptioni locus non est in rebus, respectu quarum eidem resistunt Leges, & Canones, quippe à quibus vim suam omnem habet præscriptio. atqui præscriptioni finium, si certi illi sint, clarè resistunt SS. Canones *can. quicunque 4. & tribus seqq. caus. 16. q. 3.* & *c. super eo 4. h. tit.* imò Leges etiam Civiles *l. agros 3.* ibi *Cujuslibet spatii temporis præscriptione cessante C. de fund. limitroph.* ut textum hunc explicat Balb. *V. amplia.* Nec immeritò; nam triplici ex ratione limites à præscriptionis Lege exempti sunt. 1. Ne Diœcesium, & Parochiarum limites, authoritate publica, & ob utilitatem publicam constituti, facile confundantur. 2. Ut evitarentur lites, & jurgia, quæ frequentissima orirentur, si ita sublatis antiquis limitibus, authoritate privata possent constitui novi. 3. Quia Conditores Legum, & Canonum in terminis, & limitibus, præter Jus publicum agnoverunt quid sacrum, ut notat Gonzal. *in c. 3. de probat. num. 6.* sacræ autem, & religiosæ res præscribi nequeunt §. *sed aliquando 1. Inst. de usucap.* & *l. alienationem 9. ff. de usurpat. & usucap.*

Addidi, *Si certi sint limites;* nam si non constaret legitimè, & certò de finibus, aut appareret divisionem non esse factam authoritate Ecclesiastica, ei, qui in possessione est, prodesset præscriptio, quippe pro quo etiam est præsumptio, quòd si possessor rei suæ *can. volumus 2. caus. 16. q. 4.* & *c. quia indicante cit.*

24 Neque obstant Argumenta opposita. *Ad 1.* ibi *Finium* nomine accipitur pars fundi, in qua positi sunt Fines, & Limites, & quæ non minus, ac alia bona, & Jura præscribi possunt. *Ad 2.* etsi præscribatur solum, in quo positi sunt limites, ut quoad proprietatem pertineat ad alium dominum, non tamen ita præscribi potest, ut illud cesset esse limes Parochiæ, vel Diœcesis, & hæc magis extendatur, vel restringatur, quam altera. *Ad 3.* ex communiori adversus ejusmodi Limites ne quidem præscriptio immemorialis currit; quia SS. Canones præscriptionem limitum indefinitè prohibent, adeoque universaliter, quippe cùm propositio indefinita universali æquivaleat: quod maximè verum est in hoc nostro casu, cum in isto rationes allatæ etiam contra præscriptionem immemorialem probent.

25 Quæritur 3. cui competat cognitio quæstionis motæ circa fines Diœcesium, & Parochiarum? Resp. cum distinctione: Vel enim quæstio, & contentio est de solo facto, vel etiam de Jure. *Si de facto solo* v.g. an, quando, & qua authoritate divisio Parochiarum facta sit, quousque earum limites extensi sint, an certi districtus incolæ in hac, vel illa Parochia Sacramenta perceperint, Primitias obtulerint &c. spectare cognitio quæstionis etiam ad Judicem Sæcularem potest, modo etiam reus conventus sit Laicus; quia quæstio facti, etiamsi de re Spirituali sit, merè est temporalis, nisi admixtam habeat quæstionem Juris.

26 *At si contentio sit etiam de Jure;* major est controversia; videtur enim etiam hujus cognitio competere Curiæ Sæculari. 1. Quia plus Spiritualitatis non habet, quam ille, quæ est de finibus, divisione, extensione, restrictione Regnorum, Ducatuum, Comitatuum. hæc autem temporalis præcisè est. ergo & illa. 2. Curiis Sæcularibus speciali Jure competit cognitio causarum Juris Patronatus. his autem accensendæ sunt quæstiones Limitum, præsertim Parochialium, utpote cum illis connexæ, cum Patroni sit præsentare Clericum ad Parochiam, sive curam animarum intra certos limites exercendam. ergo &c. 3. De causis Decimalibus Jure speciali cognoscere Curiæ Sæculares possunt, quæ non minus, quam causæ Juris Patronatus cum causis finium Parochialium connexæ sunt, cum jus eas percipiendi ad omnia prædia, intra Parochiæ limites sita, se extendat: unde cum connexorum sit idem Judicium, Curiæ Sæculares, quæ de causis Decimalibus possunt cognoscere, hoc ipso etiam possunt cognoscere de causis Limitum Parochialium.

27 Verùm his non obstantibus, dicendum, cognitionem causarum, & quæstionum de Limitibus tam Parochialibus, quàm Diœcesanis motarum, spectato Jure, competere soli Judici Ecclesiastico. Ita supponere videntur plerique DD. & colligitur ex *cap. Antigonus 1. de pact. cap. ex litteris 3. de probat. cap. quia 2. de Religios. domib. cap. si Episcopus 1.* & *cap. super eo 4. h. tit.* ubi quæstiones istæ, vel à conciliis, vel à Pontt. diremptæ sunt. *Confirmat* hoc etiam praxis Curiarum Ecclesiasticarum moderna; nam ab his, non à Curiis Sæcularibus causæ istæ passim cognoscuntur, & deciduntur. *Ratio est*, quia dum Finibus Parochialibus, & Diœcesanis agitur, agitur de extensione, vel restrictione; primò quidem, & principaliter curæ Pastoralis; secundariò autem, & accessoriè Juris percipiendi Decimas, Primitias, Oblationes &c. quæ Jura omnia cùm, vel Spiritualia, vel Spiritualibus annexa sint, etiam ipsa quæstio Spiritualis erit.

Ad Argumenta opposita responsio non est difficilis. 28
Ad 1. patet ex modò dictis, quæstionem de limitibus Parochiarum, & Diœcesium Spiritualem esse, & propterea limites potestatis Sæcularis excedere. *Ad 2.* negatur paritas; nam Jus Patronatus, licèt Spirituale sit, in Laicum tamen potest cadere ex generali, & Juri communi inserto privilegio; non ita Cura animarum, cujus extensionem, & restrictionem, ut dictum est, quæstiones motæ super limitibus Diœcesium, & Parochiarum respiciunt. *Ad 3.* iterum negatur paritas; quia causæ ortæ super Jure Patronatus, vel Decimarum solùm accessoriè connexæ sunt causis Limitum Parochialium: cùm igitur accessorium ad principale, non principale ad accessorium trahi debeat, ex eo, quòd Jure speciali ad aliquem pertineat, quæstio causarum Juris Patronatus, & Decimarum, non sequitur, quòd etiam ad eum pertineant causæ limitum.

Quæritur 4. utrum potestas cognoscendi de causis 29
istorum finium acquiri possit præscriptione à potestate Laica? *Videtur posse;* nam privilegio Apostolico acquiri potest à Laicis, ut cum Gloss. *in cap. 2. de Judic. V. non præsumant* communiter docent DD. atqui præscriptio, si immemorialis sit, æquivalet privilegio Apostolico *cap. super quibusdam 26. pr. V. præterea de V. S.* & *l. hoc jure 3. §. ductus aquæ 4. ff. de aqu. quotid. & æstiv.* ergo &c.

Sed dicendum, ejusmodi causarum cognitionem à 30
Curia, seu Judice Sæculari nulla quanticunque temporis, etiam immemoriali, consuetudine, vel præscriptione acquiri posse. Ita communis TT. & JCtorum, quorum omnium sensus est, causas Spirituales nullius temporis præscriptione foro Sæculari posse subjici. *Ratio est*, quia Laicus de Jure est incapax quasi possessionis Jurisdictionis Spiritualis, & Ecclesiasticæ, quam ejusmodi causarum cognitio petit. atqui incapax possessionis, vel quasi etiam est incapax præscriptionis. ergo &c.

Et hinc patet ad rationem dubitandi; nam præscri- 31
ptione immemoriali acquiri potest, quod potest acquiri privilegio Apostolico, si præscripturus sit possessionis, vel quasi possessionis capax; secus, si sit incapax, cùm tempus immemoriale vim tollendi incapacitatem non habeat, sicut tamen habet privilegium Apostolicum.

TITULUS XXX.

De Decimis, Primitiis, & Oblationibus.

INter Jura Parochiarum *Tit. præced. num. 12.* recensui etiam Jus accipiendi Decimas, Primitias, & Oblationes, cui, quia unum ex præcipuis est, integer hic Titulus assignatur.

§. I.

De Decimarum Natura, Varietate, & Obligatione.

SUMMARIUM.

1 *Etymon Decimarum, & harum divisio in Profanas, & Ecclesiasticas.*
2 *Ecclesiasticarum in Spirituales, & Temporales.*
3 *In dubio præsumuntur esse merè Ecclesiasticæ.*
4 *Merè Ecclesiasticæ pro Fructuum diversitate.*
5 *Aliæ sunt Prædiales, aliæ Personales, aliæ Mixtæ.*
6 *Quo Jure debeantur? Argumenta Adversariorum.*
7 *Deciditur, quoad substantiam eas deberi Jure naturali, & Divino.*
8 *Quoad quantitatem solo Ecclesiastico.*
9 *Solvuntur Objectiones.*
10 *Debentur titulo Justitiæ, & Religionis.*

11 *Etsi Ministri Ecclesiæ habeant Patrimonialia, unde vivant.*
12 *Solvi debent per se loquendo ex omnibus fructibus.*
13 14 *Ex illicitè acquisitis cum distinctione.*
15 16 17 *Quomodo, quando, & ubi solvendæ sint Decimæ?*
18 *Quinam ad Decimas solvendas obligentur?*
19 *An Judæi, & Infideles?*
20 *An Clerici?*
21 *An Religiosi?*
22 *An Pauperes?*
23 *Quis Decimas præstare debeat, quando dominus prædii illud locavit Colono?*
24 *Quis, quando id vendidit, & lapsas nondum præstitit?*
25 *Respondetur ad Fundamentum oppositum.*
26 *Solvendæ sunt Parocho.*
27 *Cum Exceptione.*
28 *Personales solvuntur Parocho Domicilii.*
29 *Prædiales illi, intra cujus fines situm est prædium.*
30 *Quid dicendum de Mixtis?*
31 32 33 *Cui debeantur Decimæ Novalium?*

1 QUæritur 1. quid sint *Decimæ*? Resp. *Decimæ*, si nominis Etymón spectemus, Decima cujusque rei pars est *l. siquis rem* 2. §. *fin.* junct. Gloss. *V. Decimam ff. de Pollicit.* Communiter dicuntur esse duplicis generis, Profanæ nimirum, & Ecclesiasticæ. *Profanæ* sunt species quædam Tributi, quod olim temporales domini subditorum prædiis imponebant: & hæ *Dominicæ*, & *Indominicatæ* dicebantur, ut ait Franc. de Reye *Inst. Jur. Canon. l. 2. c. 12.* *Ecclesiasticæ* verò, quæ Ecclesiis, & Clero solvuntur. Et hæ iterum sunt duplicis generis, *Ordinariæ*, & *Extraordinariæ*. *Illæ* sunt, quæ statis temporibus, & stabiliter ex fructibus prædiorum, & lucris personæ solvuntur. *Istæ*, quæ extra ordinem, & in certis quibusdam casibus à Summo Pont. imponuntur. Tales erant, de quibus agitur *Clem. 2. h. tit.* & *Extrav. un. eod.* Item illæ, quas Summi Pontifices ex bonis Ecclesiasticis pro subsidio Terræ Sanctæ, aut in Bellum Sacrum contra Saracenos, Franciæ, aliisque Regibus frequenter concesserunt. Priores communiter definiuntur, quod sint Decima pars fructuum, & proventuum justè quæsitorum Deo in recognitionem universalis dominii debita, & Ecclesiæ Ministris propter Spirituale Ministerium solvenda.

2 Quæritur 2. quotuplicis generis sint *Decimæ Ecclesiasticæ*? Resp. duplicis: Spirituales, & Temporales. *Spirituales*, quas alii *mere Ecclesiasticas* dicunt, sunt, quæ naturam, & statum suum primævum conservant, & ministris Ecclesiæ penduntur tanquam stipendia ob Spiritualia illorum obsequia, & functiones, quas fidelibus impendunt. *Temporales*, seu *minus strictè Ecclesiasticæ*, quæ primitus pro sustentatione ministrorum Ecclesiæ institutæ quidem fuerunt, deinde tamen authoritate legitima Pontificis à titulo Spiritualis officii separatæ, Laicis quoque personis vel in feudum, vel alio titulo obvenerunt. Et hæ passim sub nomine *Decimarum Laicalium* veniunt.

3 Cæterum in dubio præsumuntur Decimæ esse merè Ecclesiasticæ, & non Laicales. Unde asserenti esse Laicales incumbit onus probandi. Ita cum communi Card. de Luca *de Decim. disc. 6. n. 17.* & hoc teste multoties decisum est à Rota. *Ratio est*, quia prioribus assistit titulus originarius spiritualis, cujus mutatio, utpote odiosa, non præsumitur, sed probari debet. Manent autem Ecclesiasticæ, etiam quando Laicis conceduntur; quia his conceditur sola utilitas, ita, ut dominium directum illarum penes Ecclesiam maneat: & hinc si ad illam revertantur, pariter ad primævum suum statum, atque naturam redeunt.

4 Quæritur 3. quotuplicis generis sint *Decimæ Spirituales*, seu *mere Ecclesiasticæ*? Resp. sunt triplicis generis; nam etiam in triplici differentia sunt fructus, unde præstantur, nim. *Prædiales*, qui colligitur ex prædiis; *Personales*; qui à persona ipsa, & hujus industria proveniunt; & *Mixti*, qui partim à re, partim à persona habentur.

5 A diversitate hac fructuum etiam Decimæ diversa capiunt nomina; nam *Prædiales* (quæ etiam *Reales* dicuntur) sunt, quæ præstantur ex fructibus Prædiorum, & fundorum, v. g. agrorum, vinearum, pratorum, hortorum, silvarum, arborum &c. *Personales*, quæ ex lucro, hominis industria quæsito, penduntur, v. g. ex negotiatione, venatione, militia, artificio &c. *Mixtæ*, quæ solvuntur ex fructibus mixtis, seu talibus, qui partim ex industria proficiscuntur, & partim ex prædio, ut sunt fructus animalium, lana, lac, caseus, butyrum &c. Has plerique ad Prædiales revocant: quæ est quæstio de nomine, & parum attinet ad substantiam rei.

Porro ex Prædialibus, prout nunc in usu sunt, al[iæ] quæ dicuntur *Majores*, quæ ex frumento, vino, & similibus solvuntur; aliæ *Minores*, quæ ex fructibu[s] hortorum, fœtibus animalium, aliisque ejusmodi rebu[s] minutis præstantur.

Quæritur 4. quo Jure in Lege nova debeantur Decimæ? Gloss. *in c. 1. V. Decimarum h. tit. in 6.* Ancharan *ibid.* & Innoc. *in c. fin. de Paroch.* voluere eas deber[i] Jure Divino. Alii autem apud Covar. *l. 1. var. c. 17. n. 2.* distinguunt, & Prædiales quidem ajunt deberi Jure Divino, Personales verò Jure Ecclesiastico tantum. *Nituntur* 1. variis textibus Juris Canonici *c. Parochianos 14. h. tit.* ubi dicitur, quòd *Decimæ non ab homine, sed ab ipso Domino sint institutæ*; *c. tua 25. eod.* ubi Innocentius III. ait, eas *Constitutione Divina deberi*; *c. cum non sit 33. eod.* ubi idem Pontifex docet *in signum universalis dominii, quasi quodam titulo speciali sibi Dominum Decimas reservasse.* Similia habentur *can. fin. caus. 16. q. 1.* & alibi, ubi dicuntur Decimæ esse *Juris Divini, esse Dei, deberi Deo &c.* 2. textu *Matth. 23.* ubi Christus, cum dixisset, *Decimatis mentham, & anethum*, subjunxit: *Oportuit hæc facere, & illa non omittere*; ubi illud *Oportuit* indicat obligationem Juris Divini. 3. Decimæ Jure Divino debebantur in antiquo Testamento. ergo eodem etiam debentur in novo. Imò cum ante Legem Mosaicam jam fuerint agnitæ ab Abrahamo *Gen. c. 14. v. 20.* & à Jacobo *Genes. 28. v. 22.* signum est eas deberi Jure naturali. 6

Difficultas hæc solvi tota ope distinctionis potest, qua utuntur Covar. *l. 1. var. c. 17. princ.* Azor. *p. 1. l. 7. c. 23. q. 4.* Guttier. *qq. Canon. l. 2. c. 21. n. 9.* Suar. *tom. 2. de Relig. l. 1. c. 10. num. 3.* P. Vvex *Ariadn. p. 5. tr. 1, q. 3. num. 3. & 4.* P. Pirh. *hic num. 6.* P. Vviest. *n. 7.* Clariss. P. Schmier *de Jurib. Eccl. p. 3. c. 3. n. 33. & seqq.* cum plerisque TT. & Canonistis RR. duce S. Thoma: qui dupliciter considerant Decimas, quæ Clericis præstari solent, primò materialiter, & quoad substantiam, prout sunt necessaria sustentatio Clericorum; & secundo formaliter, secundum determinationem, seu certam quotam; ut sunt decima pars fructuum. *Priori modo spectatas* Decimas concedunt deberi Clericis Jure Divino, imò & naturali; posteriori autem modo consideratas contendunt descendere ex solo Jure Ecclesiastico.

Prima pars manifesta est, quia ratio naturalis dictat, quod fideles teneantur alere illos, qui sibi inserviunt in Spiritualibus, cùm omnis operarius sit dignus mercede sua: cui consonat Jus Divinum *Matth. 10. v. 10. 2. Cor. 9. v. 7. 11. & 17. 1. Timoth. 5. v. 18.* & alibi.

Pars secunda ostenditur; nam si alio Jure deberentur Decimæ, deberentur vel naturali, vel divino: *non naturali*: quia ratio naturalis non probat plus, quam ut præbeatur Ecclesiæ ministris congrua sustentatio, quod fieri sæpe potest per nonam, octavam, duodecimam partem fructuum &c. *Non Divino*; quia in Lege nova nullum extat præceptum Divinum de decima parte fructuum Ecclesiæ ministris solvenda; & Lex Mosaica, Decimarum præstationem injungens, cæremonialis præcisè fuit, cons. per Legem novam abolita. Superest igitur, ut secundum quotam spectatæ Decimæ debeantur solum Jure Ecclesiastico: & ita deberi constat ex pluribus textibus tum Decreti, tum Decretalium, præsertim hoc Titulo, & novissimè ex Trid. *sess. 25. c. 13. de reform.*

Neque obstant Argumenta adversæ Sententiæ. *Ad* 1. Decimæ Jure Divino dicuntur introductæ, in quantum necessariæ sunt ad sustentationem Ministrorum Ecclesiæ; si autem velis textus istos extendi etiam ad Decimas spectatas secundum quotam, dic eas deberi Constitutione Divina; quia primum in Lege antiqua fuerunt constitutæ præcepto Divino, & quia exemplo illius sumptum est præceptum Ecclesiæ, ac propterea per quandam imitationem etiam hoc Divinum dicitur, sicut PP. præceptum jejunii Quadragesimalis aliquando Divinum vocant, quia exemplum illius præcessit in Christo. *Ad* 2. Christus utendo verbo *oportuit* præteriti temporis satis indicat, se tantum loqui de tempore Legis scriptæ, cui adhærentes Judæi tenebantur Divino præcepto ad solvendas Decimas. *Ad* 3. Præceptum illud Juris Divini per mortem Christi, ut *num. præced.* dixi, extinctum est, Abraham, & Jacob Patriarchæ eas solverunt spontè, prior in signum gratitudinis, posterior ex voto libero.

Quæritur 5. quo Titulo debeantur Decimæ? Resp. debentur simul titulo Religionis, & Justitiæ; atque ita solutio Decimarum erit utriusque Virtutis actus: *Religio-*

nis

nis quidem, quatenus fit Ecclesiæ Ministris in recognitionem Divini Dominii, & supremæ Excellentiæ: *Justitiæ* autem, quatenus fit in sustentationem Ministrorum Ecclesiæ ipsis Jure Justitiæ debitam. Ex quo consentaneum est, cum, qui Decimas malitiosè non solvit, contra utramque Virtutem delinquere.

Proceditque hoc de Decimis, non tantum spectatis secundum substantiam, sed etiam de iis consideratis secundum determinationem factam ab Ecclesia, seu secundum quotam, ut cum Suarez advertit Pirh. *hic n.* 153. Ratio est, quia Ecclesia præcepto suo eas determinando, ipsarum obligationem constituit intra objectum Justitiæ, & consf. ex Justitia illud est observandum, sicut ex Justitia observandum est pretium, quod Lex Civilis, vel Magistratus posuit frumento, & aliis mercibus.

Dubitari potest, an adhuc debeantur Decimæ Ministris Ecclesiæ, si isti aliunde habeant ex quo se alere possunt? Resp. distinguendo: Vel enim sustentationem competentem habent ex aliis reditibus Ecclesiasticis, vel solum ex Patrimonio, artificio &c.

Si hoc secundum, adhuc eis debentur tam Jure Ecclesiastico quam Divino & naturali; quia non dantur illis ut pauperibus, tanquam Eleemosyna ex mera misericordia, vel Charitate, sed ex Justitia, ut dictum est, tanquam merces debita laborantibus. Suar. *l.* 1. *c.* 11. *n.*9. Laym. *Tr.* 6. *c.* 2. *n.* 1. Pirh. *hic n.* 6.

Si primum, Jure Ecclesiastico quidem per se loquendo adhuc debentur, non tamen Jure naturali, & Divino; quia tunc non haberent rationem necessariæ sustentationis, ideoque cessaret ratio, ob quam Decimæ debentur Jure naturali, & Divino. Laym. *tr. cit. cap.* 3. *n.* 9. Pirh. *l. cit.* Addidi *per se loquendo*; nam defacto in multis locis abrogatæ sunt Decimæ, ne pendi debeant Ministris Ecclesiæ, quòd his de necessaria sustentatione aliunde provisum sit.

Quæritur 6. ex quibus rebus solvendæ sint Decimæ; Resp. in hoc attendendam consuetudinem. Per hanc *Personales* in plerisque locis omnino sublatæ sunt; *Prædiales* verò ex nonnullis fructibus solvi desierunt. De Jure communi solvendæ essent ex omnibus fructibus, & proventibus, qui, aut naturæ beneficio, aut hominum ministerio annuatim producuntur *c. nuntios* 6. *c. ex parte* 21. *&c. hoc tit.*

An ex illicitè quæsitis pendi debeant, controversia, & dubium moveri potest, cujus movendi causam dat textus *c. ex transmissa* 23. *h. tit.* ibi, *De omnibus, quæ licitè potest acquirere, Decimas erogare tenetur*: ex quibus verbis Argumento ducto à sensu contrario videtur inferri Decimas ex rebus illicitè acquisitis generaliter non deberi.

Sed distinguendum est: Vel enim tales illæ res sunt, ut retineri non possint, sed restitui debeant, ut sunt ea, quæ acquiruntur per furtum, usuram, venditionem ultra justum pretium, Simoniam &c. vel contra tales res sunt, ut illicitè illas acquisieris, licitè tamen retineas, ut sunt, quæ accipiuntur ob fornicationem, homicidium, sententiam injustam &c.

Si hoc dicendum, per se loquendo ex ejusmodi re deberentur Decimæ, ne turpis lucrator melioris conditionis sit, quam alius bene operans; Ecclesia tamen ex tali re Decimas acceptare non solet, ne videatur approbare factum, vel peccato communicare, ut ait S. Thom. 2. 2. *q.* 87. *art.* 2. *ad* 2.

Si primum contingat, & res illæ tales sint, quæ restitui debeant, Prædiales quidem Decimæ ex illis debentur, non verò personales, ut recte cum S. Thom. *l. cit.* advertit Gloss. *in c.* 23. *cit. V. licite*, & communis DD. Quod *Decimæ Prædiales* eo casu debeantur etiam ab injusto possessore prædii, si fructus inde percipiat, clarum est, quia ipsum prædium onus Decimarum sustinet, & cum onere suo ad quemvis possessorem transit: unde sicut dominus, si prædium suum possideret, teneretur solvere Decimas, ita & injustus ejus possessor. Quod autem *Decimæ personales* ex sic acquisitis non debeant solvi, ratio est, quia ea, quorum dominium non acquiritur, verè non acquiruntur, & quæ obnoxia restitutioni sunt, non acquiruntur justè; non enim computari possunt inter bona possidentis *l. si fratres §. fin. ff. pro Socio*, & *l. non possunt*. 11. *ff. de jur. Fisc.*

Quæritur 7. quomodo, quando, & ubi solvendæ sint Decimæ? Resp. *ad* 1. Decimæ Prædiales solvendæ sunt integræ *c. cum homines* 7. *c. ex parte* 21. *c. non est* 22. *can. tua nobis* 26. *c. cum non sit* 33. *h. tit.* in Personalibus deduci expensæ possunt *c. pastoralis* 28. *eod.* Ratio disparitatis est, quia Decimæ personales præstantur ex lucro, prædiales ex fructibus; non reputatur autem lucrum, nisi id, quod remanet deductis expensis, contra in fructibus terræ omnia, quæ ex terra nascuntur, fructus nuncupantur. ergo &c.

Ad 2. ea in re observanda est loci cujusque consuetudo: præscindendo ab ista *Decimæ Personales*, ubi illæ adhuc in usu sunt, commodissimè solvuntur sub finem cujuscunque anni, sicut alii census, & tributa tunc solvi solent. *Mixtarum* quædam rectius solvuntur statim, quædam post tempus: de lana ovium solvuntur statim, ac tonsæ sunt; de fœtibus animalium, cùm sine matre vivere possunt. *Decimæ prædiales* præstari debent statim collectis fructibus, ut decisum est *c. cum homines cit.* puta de frumento, postquam à solo est separatum, antequam inferatur horreo, de vino, & oleo, postquam expressum est, & antequam recondatur cellario &c. 16

Ad 3. sufficit, si dominus Prædii, vel colonus Parochum moneat, ut Decimas à solo separatas, aut collectas curet avehi: neque necesse est, nisi aliter ferat consuetudo, ut is, qui ad Decimas est obligatus, suis expensis eas deferat in domum, vel horreum Decimatoris, ut cum communiori advertit Laym. *l.* 4. *tr.* 6. *c.* 5. *n.* 2. Ratio est, quia Ecclesia quoad Decimas se habet ut usufructuarius, sive pensionarius, cui pensio fructuum solvi debet, ubi res fructifera sita est. Ex quo sequitur, si ob moram Decimatoris damnum aliquod contingat in Decimis, ipse id ferre, & sibi imputare debeat. 17

Quæritur 8. quinam ad Decimas solvendas obligentur? Resp. per se, & ratione personæ ad Decimas solvendas obligantur omnes, & soli fideles baptizati, qui de manu Sacerdotis Sacramenta tenentur suscipere, nisi aliquo legitimo titulo exempti sint; ratione rei fructiferæ autem quicumque alii, qui prædia ad Decimas præstandas obligata, possident; quia res transit cum suo onere. 18

Ex quo sequitur 1. ad Decimas præstandas etiam teneri Hæreticos; quia licet defacto non recipiant Sacramenta, & alia Spiritualia à Ministris Ecclesiæ, tenentur tamen illa recipere, & ipsi Ministri parati sunt ad hæc ipsis ministranda, imo ex officio ad hoc obligantur, ut quantum possunt, eos ad frugem meliorem revocent.

2 Judæi, & alii Infideles non baptizati, licèt per se, & ratione personæ suæ ad Decimas solvendas non obligentur, cùm secundum illam Ecclesiæ subjecti non sint, si tamen in terris Christianorum juri subjectis possideant prædia, ratione istorum etiam ipsi solvere tenentur Decimas; quia ex quo tempore Diœceses distinctæ sunt in Parochias, prædiis intra harum fines existentibus annexa est obligatio pendendi Decimas; quæ proinde cum re ad quemcunque istius possessorem transit. 19

3 In Clericis distinguendum est inter bona, quæ recipiunt, & possident Clerici titulo Spirituali ratione Beneficii, vel Ministerii Spiritualis, & inter ea, quæ possident titulo temporali, ut sunt bona patrimonialia, vel alio simili titulo acquisita. *Ex prioribus* solvere Decimas non tenentur, ut clare patet ex *c. novum* 2. *h. tit.* *Ex posterioribus* tenentur obligatione reali, seu ad reales Decimas omnes, & Clerici simplices probabilius etiam obligatione personali, seu ad Decimas personales, ubi adhuc in usu sunt; quia & ipsis Parochus proprius ministrare Sacramenta debet. 20

4 In Religiosis inspicienda sunt singulorum Ordinum privilegia; nam Jure communi ad Decimas præstandas etiam ipsi eorumque Monasteria obligantur. Excipiuntur *c. nuper* 34. *h. tit.* prædia & terræ; quas acquisiverunt ante Lateranense Concilium, si propriis manibus, seu sumptibus illa excolant; nam ab onere ex istis solvendi Decimas Innocentius III. *l. cit.* generaliter omnes Religiosos eximit. 21

5 In pauperibus distinguenda est necessitas; nam *si constituti sint in extrema necessitate*, Decimas solvere non obligantur, quippe cum eo casu omnia sint communia; *si in necessitate communi*, ita, ut solutis Decimis, ipsis remaneant adhuc necessaria ad se, suosque alendos, obligantur solvere, quia obligatio Justitiæ paupertate debitoris non cessat; *si denique in gravi*, dissident inter se DD. & pars affirmat eos teneri, pars negat, omnes vero in hoc conveniunt, non esse cum rigore ab iisdem exigendas, quippe cum ipsi Clerici ex redditibus suis Ecclesiasticis in tali casu pauperibus ex præcepto Ecclesiæ teneantur succurrere. 22

Dubitatur, quis Decimas præstare debeat, quando dominus prædii illud locavit Colono? Resp. cum distinctione: Vel enim ita inter dominum prædii, & colonum convenit, ut uterque fructuum partem aliquotam, v. g. dimidiam, tertiam, aut quartam percipiat, vel ut unus percipiat fructus omnes, alteri verò præter pensionem certam pecuniam, aut fructuariam. 23

Si primum, uterque de parte ex conventione sibi debita Decimas debet solvere absque diminutione seminis,

aut sumptuum *c. à nobis 24. & c. tua nobis 26. h. tit.* nisi, antequam fructus dividerentur, Decimæ fuissent solutæ ex toto cumulo; hoc enim si factum esset, de residuis novem partibus, inter ipsos divisis, neuter aliquid amplius deberet Parochiæ Decimarum nomine. Gloss. *in c. tua cit. V. sic & dominus.*

Si secundum, ille Decimas præstabit solus, qui fructus omnes ex prædio percipit, alteri autem manebit pensio indecimata. Abb. *in c. cit. n. 14. & 15.* Neque in hoc nimium gravatur Colonus, cùm propter hoc onus solvendi Decimas integras Dominus prædii ab eo pensionem minorem exigere debeat.

Gravior difficultas est, an casu, quo Titius prædium suum vendidit Cajo, illudque tradidit, Decimæ, prioribus annis à Titio non solutæ, peti possint à Cajo? Abb. *in c. 7. h. tit. n. 6.* cum aliis putat in optione Ecclesiæ esse, à quo eas velit petere, an à Cajo emptore, an verò à Titio venditore.

Sed præplacet sententia affirmans super Decimis præteritis conveniendum possessorem antiquum. Ita Laym. *l. 4. tr. 6. c. 2. n. 5.* Canis. *de Decim. c. 4. n. 3.* Van Espen *J. E. U. p. 2. tit. 33. c. 9. n. 24. & seqq.* Wex. Ariadn. *p. 5. tr. 1. q. 4. contr. 2.* Pirh. *hic n. 116.* Schamb. *n. 51.* Clar. P. Schmier *p. 3. de Jurib. Eccl. c. 3. à n. 136.* cum communiore DD. & colligitur ex *c. cum non sit 33. h. tit.* ubi onus præstandi Decimas imponitur ipsis fructibus, ut adeo illas præstare teneatur is, ad quem fructus indecimati pervenerunt.

25 *Neque obstat*, quod *c. Decimæ 66. caus. 16. q. 1.* Decimæ nuncupentur *egentium animarum Tributa*; Tributa autem præterita, si soluta non sint, à possessoribus possunt exigi *l. Imperatores 7. ff. de Public. & vectigal.* Nam contra est; quia Decimæ non sunt propriè, sed solum ob similitudinem quandam Tributa vocantur, quòd à Clericis, qui eas percipiunt, tribuantur egentibus: unde mirum non est, quòd recedant à Tributorum natura, & ad Tributa non soluta solvenda adstringi possint novi prædiorum possessores, non verò ad præstandas Decimas fructuum perceptorum ab antiquis possessoribus.

26 Quæritur 9. quibus personis, & Ecclesiis Decimæ solvendæ sint? Resp. olim, quando Diœceses nondum erant divisæ in suas Parochias, uniuscujusque Diœcesis Decimæ pertinebant ad Clerum illius Diœcesis, & colligebantur ab Episcopo, qui deinde cum proportione pro cujusque meritis, & necessitate eas distribuebat in Clericos Diœcesis *can. decimas 1. & can. pervenit 3. caus. 16. q. 7.*

Post divisas Parochias illæ Jure communi solvendæ sunt propriis Parochis, adeo, ut hi super perceptione illarum fundatam in Jure intentionem habeant adversus quemcunque, etiam Episcopum, cui proinde, cum Parocho concurrenti, incumbet onus probandi, quod jus Decimarum vel ex privilegio, vel aliunde habeat *c. cum à nobis 24. c. cum contingat 29. &c. h. tit. Ratio est*, quia Decimæ ex primæva sua institutione pendendæ sunt Ministris Ecclesiæ, qui populo præbent Sacramenta, vel alia Spiritualia. atqui Rectoribus Ecclesiarum Parochialium, seu Parochis præcipua cura, & onus Ministerii Spiritualis incumbit, ad quod ex officio, & speciali titulo obligantur. ergo &c.

27 *Excipitur* quarta pars Decimarum; nam hæc à Parocho, ubi consuetudine contraria abrogata non est, pendi debet Episcopo, ut expressè statutum est *c. conquerente 16. de Offic. Ordin. c. de quarta 4. de præscript. c. cum olim 19. de Censib. c. quoniam 13. h. tit.* idque ad imitationem Legis antiquæ, in qua populus Levitis solvebat Decimas, ipsi verò Levitæ ex his Decimis decimam partem dabant Sacerdotibus, ut constat *2. Esdræ 10. v. 37.*

Sunt præterea etiam aliqui casus; quibus etiamnum hodie Episcopo Decimæ debentur integræ. Et 1. quidem, si ipsemet sit immediatus Curatus alicujus Ecclesiæ, quam per Vicarium administrat. 2. Si prædia intra suam Diœcesim sita nulli Parochiæ assignata sint. 3. Si adhuc hodie aliqua Diœcesis in Parochias divisa non sit, sed omnis Cura animarum ad Episcopum spectet, quas procurat per Sacellanos, aut Vicarios. 4. Si privilegio Apostolico, præscriptione, vel alio speciali Jure Jus decimandi acquisiverit Episcopus, ut infra dicetur latius *à num. 34.*

28 *Dubium est*, cui Parocho, vel Ecclesiæ solvendæ sint Decimæ? Resp. distinguendo inter diversa Decimarum genera; nam 1. *Decimæ personales*, ubi adhuc in usu sunt, spectato Jure communi, debentur illi Parochiæ, à qua Sacramenta Ecclesiæ, cæteraque Spiritualia ex obligatione ministrantur, & percipienda sunt *c. fin. de Paroch. & c. ad Apostolicæ 20. hoc tit.* Siquis duo habeat Domicilia, videndum, quodnam ex his sit principale. Si unum sit principale, alterum accessorium, præstandæ sunt illi Parochiæ, in qua Domicilium principale habet. Si utrumque sit æque principale, inter eas sunt dividendæ: quod etiam faciendum, si unum quidem domicilium habeat, sed tale, ut una pars illius sit in una Parochia, altera in alia.

2 *Decimæ prædiales* de jure communi solvendæ sunt illi Parochiæ, intra cujus fines sita sunt prædia *can. cum sint 18. c. ad Apostolicæ 20. c. cum contingat 29. hoc tit.* Estque hoc verum, etsi dominus prædii alibi habitet, & recipiat Sacramenta, ut rectè advertunt DD. communiter. *Ratio est*, quia onus solvendi Decimas prædiales reale est, & impositum non personis, sed prædiis. atqui in solvendo debito reali non consideratur persona, sed res, cui est impositum debitum *l. Imperatores 7. ff. de public. & vectigal.*

3 *Decimæ Mixtæ* ex fœtibus animalium, lacte, caseo &c. debentur illi Parochiæ, in cujus territorio pecora pascuntur, accubant, dormiunt; quia naturam prædialium imitantur, & sub istis simpliciter comprehenduntur. Et hinc si pecora diversis anni temporibus pascantur intra fines diversarum Parochiarum, Decimæ inter has pro ratis temporis, quo in singulis aluntur, dividendæ sunt, nisi alia sit locorum consuetudo. Quod ipsum aliqui cum Rebuff. *de Decim. q. 6. n. 16.* faciendum existimant casu, quo pecora in una Parochia accubant, in alia pascuntur. Sed probabilius cum S. Thom. *2. 2. quæst. 87. art. 3. ad 2.* eo casu Decimæ debentur integrè illi Parochiæ, in qua pascuntur; quia cum fœtus animalium proveniant ex fructibus prædiorum, meritò Decimæ ex iis solvuntur illi Parochiæ, cui solvendæ sunt Decimæ prædiales.

Quæritur 10. cui debeantur Decimæ Novalium? Resp. cum distinctione inter diversas hujus nominis acceptiones; non enim eamdem semper in jure, & usu etiam significationem habet, ut patet ex *c. quid per Novale 21. de V. S.*

1 Et *latissimè* sumitur pro terra proscissa, quæ anno cessavit, ut dicitur *l. silva 30. §. novalis 2. ff. de V. S.*

2 *Latè*, & *adhuc impropriè* pro fundo culto quidem, sed qui alios jam proferat fructus, quàm quales antè dederat, ut si ex prato ager, ex horto vinea fiat.

3 *Strictius*, & *propriè* pro agro de novo ad cultum redacto, de quo non extat memoria, vel sulcus, aut aliud indicium, quòd aliquando cultus fuerit, ut habetur *c. quid per novale cit.* ut si locus palustris, derivata aliò aqua, vel silva arboribus evulsis, aut dumetum extirpatis, & combustis sentibus, in agri, aut vineæ formam sit redactus *leg. fin. §. ult. ff. de termino moto.*

4 *Strictissimè* pro fundo ab hominum memoria inculto, & ad culturam redacto, ex quo Ecclesia Parochialis nullos, aut valde exiguos fructus Decimarum nomine accepit, ut habetur *c. cit.*

De Novalibus primo modo acceptis quæstio, & dubium nullum prudenter haberi potest, ad quem Decimæ ex iis spectent; cùm enim usitatissimum in terris nostris sit, ut omnes passim agri tertio quoque anno quiescant, Decimæ, quæ ex his aliis annis colliguntur, ad eum, vel eos spectabunt, qui jus Decimandi habent in illo fundo.

Decimæ *Novalium in secunda significatione acceptorum* solvi debent illi Ecclesiæ, cui antea solvebantur, nisi aliter habeatur ex conventione, privilegio, vel consuetudine speciali. *Ratio est*, quia etsi terræ mutetur qualitas, non tamen mutatur ipsius substantia; terra enim, quæ fuit ab antiquo Decimalis, non fuit obligata ad certum genus fructuum, sed ad eos, quos tulerit.

In tertia significatione spectatorum Novalium Decimæ, spectato jure communi, & seclusis privilegiis, præstandæ sunt Parocho, vel Ecclesiæ Parochiali, intra cujus fines illa exsurgunt *can. quoniam 13. & c. cum contingat 29. hoc tit. Ratio est*, quia Decimæ Novalium sunt Prædiales, & reales, cum sint onus ipsius terræ, seu fundi. ergo ut ex aliis prædiis, ita etiam ex Novalibus solvi debent Decimæ illi Parochiæ, intra cujus fines existunt Novalia.

Quartæ acceptioni denique locus est in Privilegiis Apostolicis; nam ut vi istorum aliquis immunis sit ab onere pendendi Decimas ex Novalibus, ut aliis *citt.* advertit Pirh. *hic n. 98.* tria hæc requiruntur. 1. quod terra, sive locus ille noviter redactus ad culturam fuerit. 2. quod talis locus ab hominum memoria non fuerit cultus, neque habitatus. 3. quod Ecclesia Parochialis nullos, vel exiguos solum fructus ex tali terra prius perceperit.

§. II.

§. II.

De Modis acquirendi Jus percipiendi Decimas.

SUMMARIUM.

34 *Referuntur octo modi, quibus acquiri jus deciman-di potest.*
35 *Quomodo acquiri Jus istud possit Privilegio Aposto-lico?*
36 *Donatione Laicorum?*
37 *Venditione?*
38 *Quid in negotio Decimarum possit Compositio, & Transactio?*
39 *Utrum Decimæ infeudari etiam Laicis possint?*
40 *Vel postquam ad Ecclesiam redierunt, reinfeudari.*
41 *Duplex limitatio.*
42 43 44 *Quanti temporis debeat esse præscriptio, ut per eam acquiratur jus Decimandi alicui Ecclesiæ, vel loco Sacro?*
45 46 47 *An Decimæ præscribi etiam possint à Laicis?*
48 *Qui præscripsit Decimas prædiales intra fines alienæ Parochiæ, non hoc ipso potest percipere etiam Decimas ex Novalibus postea factis.*
49 *Exceptiones.*
50 51 *Idem dicendum de eo, qui habet privilegium percipiendi Decimas.*

34 QUæritur 1. quibus modis acquiri jus Decimas percipiendi possit? Resp. acquiri potest octo præcipuè modis. 1. Collatione, vel unione Beneficii Curati; cùm enim Beneficio Curato per se annexum sit Jus Decimarum, & hoc ipso, quòd quis assecutus sit hujusmodi Beneficium, aut hoc Dignitati ipsius, vel Ecclesiæ unitum, etiam assecutus est jus Decimandi. 2. Privilegio Sedis Apostolicæ; nam vi istius jus percipiendi Decimas competere aliquando potest, non solum Ecclesiis, Monasteriis, & aliis locis, ac Personis Ecclesiasticis, sed etiam Laicis. 3. Donatione Laicorum cum consensu Episcopi. *c. cum Apostolica 7. de iis, quæ fiunt à Prælat.* 4. Venditione; nam hæc facultas percipiendi Decimas, à spirituali titulo separata, ab una Ecclesia in aliam transferri potest: opus tamen est, ut talis venditio fiat ex justa causa, & adhibitis solemnitatibus; quia est alienatio rei immobilis. 5. Permutatione Decimarum unius Ecclesiæ cum Decimis alterius *c. ad quæstiones 6. de rer. permut.* 6. Transactione, seu amicabili compositione *c. statuimus 2. & c. veniens 8. de Transact.* 7. Infeudatione. 8. Denique Præscriptione.

35 Quæritur 2. quibus Ecclesiis *Privilegio Apostolico* applicari Decimæ possint? Resp. applicari possunt Ecclesiis quibuscumque, sive illæ sint intra, sive extra territorium Parochiæ, de cujus Decimis applicandis agitur. Ita DD. omnes teste Pal. *tr.* 10. *p.* 8. *n.* 10. *Ratio est*, quia Pontifex habet supremam potestatem, qua, ut *infra n.* 53. dicam, potest concedere privilegium ad eas non solvendas. igitur potest etiam concedere privilegium ad eas solvendas alibi, quam ubi, & cui Ecclesiæ Jure communi deberentur.

Neque refert, quòd Ecclesia extra territorium talis Parochiæ sita non serviat illis Fidelibus, quorum Decimæ eidem applicantur; nam omnes unum corpus in Christo sumus, & membra debent juvari à membris. igitur ubi necessitas, vel utilitas exigit, Pontifex applicare Decimas etiam Ecclesiæ extraneæ potest.

Semper tamen Ecclesiæ, in qua sita sunt prædia, relinqui pro ejus Ministris sustentatio congrua debet; alias applicatio non valeret, ut bene aliis *citt.* notat Pal. *tr.* 10. *cit. p.* 10. *n.* 4. & ratio est, quia Pontifex non est omnium Decimarum Dominus, sed dispensator; esset autem iniqua dispensatio decimarum, quæ Beneficiatum privaret stipendio sibi debito, & vellet gratis servire Ecclesiæ.

36 Quæritur 3. an, & quando *donatione Laicorum* transferri jus percipiendi Decimas in alium possit? *Rationem dubitandi* facit *c. cum Apostolica 7. de iis, quæ à Prælat.* ubi Innocentius III. interrogatus, *utrum quando Decima tenetur à Laico, si conferatur Ecclesiæ, ad confirmandam donationem, Episcopi consensus sine Cleri consensu sufficiat*, respondet, *monendum esse Laicum, qui Decimam detinet, ut eam restituat Ecclesiæ, ad quam spectat*, manifesto indicio, ejusmodi Donationem fuisse invalidam.

Sed distinguendum est, an Laicus, qui donat Decimas, justo, & valido titulo eas possederit, an injusto. *Si primum*, per Donationem, in quem voluerit, locum Religiosum transferri liberè, & non accedente consensu Episcopi, Jus Decimas percipiendi potest, ut aliis *citt.* notat Barbos. *in c. 7. cit. n. 6. Si secundum*, per Donationem ab iniquo detentore transferri non potest, sed ipsæ Decimæ, & jus eas percipiendi restituendum est Ecclesiæ, cum cujus injuria & damno detinentur, ut habetur *can. cum Apostolica cit.* Excipitur ibidem casus, quo Laicus, qui sic accipit Decimas à non habente potestatem, induci non posset, ut eas Ecclesiæ, ad quam pertinent, reddat; tunc enim accedente Episcopi consensu, transferre is illas poterit, non quidem in alium Laicum, sed in Clericos, præsertim Religiosos, vel alteri, cuicumque voluerit, Ecclesiæ applicare. Et hæc est mens, sensusque textus in ratione dubitandi allati.

Quæritur 4. an vendi Decimæ, & jus illas percipiendi possit etiam Laicis? Ita quidem sæpe contingit, sed perperam, cum ejusmodi translationi vehementer obstent SS. Canones *can. Decimas 1. caus. 16. q. 7. c. adhæc 15. c. quamvis 17. & c. prohibemus 19. h. tit.* Neque excusari mos iste potest per consuetudinem; quia cum *c. citt.* consulatur indemnitati Ecclesiarum, & istis onerosa, atque damnosa sit consuetudo permittens Decimarum translationem in Laicos, non consuetudo legitima, sed potius corruptela est per textus, & DD. *in c. consuetudines 1. & alia de consuet.* 37

Quare ut licitè vendatur Jus percipiendi Decimas, requiritur 1. Ut vendatur alteri Ecclesiæ, vel personis Ecclesiasticis, non Laicis. 2. Ut jus istud à Spirituali titulo sit præcisum, & separatum; alias committeretur Simonia. 3. Ut venditio ejusmodi fiat ex justa causa, & adhibitis solemnitatibus jure præscriptis ad alienationem bonorum Ecclesiasticorum.

Quare ipsæ Solemnitates etiam adhiberi debent in Permutatione Decimarum unius Ecclesiæ cum Decimis alterius; quia permutatio est species quædam alienationis *c. nulli 5. de reb. Eccl. non alien. & Novell. 7. c. 1. vers. alienationis.*

Quæritur 5. quid in negotio Decimarum possit compositio, & Transactio? Resp. dupliciter fieri hæ possunt nempe super Decimas jam præteritas, & super Decimas in futurum solvendas, aut non solvendas. 38

Si primum, fieri Transactio, vel amicabilis Compositio potest non solum cum personis Ecclesiasticis, sed etiam cum Laicis: neque opus tunc est consensu Episcopi, vel Superioris. *Ratio est*, quia fructus Decimæ tunc spectantur ut res præcisè temporales, & ideo Laici, ut conducere eas possunt, ita etiam possunt de iis transigere, vel componere.

Si secundum, ut valeat compositio, vel transactio, requirit causæ cognitionem, & consensum Papæ, vel Episcopi; quia Decimæ sunt cibus Clericorum; de futuris alimentis autem non potest transigi sine Judice *l. cum hi 8. ff. Transaction.* Addidi *Consensum Papæ, vel Episcopi*, qui requiritur, ut ejusmodi Transactio, vel compositio valeat in perpetuum: & quidem, si fiat cum Laicis, opus est consensu Pontificis; si cum Ecclesia, vel personis Ecclesiasticis, consensu Episcopi, vel Superioris habentis jurisdictionem quasi Episcopalem, qui nomine Episcopi hìc comprehenditur. Plura de hoc vide *Lib. 1. tit. 36. n. 8.*

Quæritur 6. utrum Decimæ infeudari etiam Laicis possint? *Certum est* illas concedi Laicis in Feudum, etiam perpetuum, posse à summo Pont. ob generalem, & supremam administrationem, quam à Christo sibi communicatam habet. Idem poterant jure antiquo etiam Episcopi, & alii Prælati inferiores: sed hæc facultas ipsis sublata est per Decretum Urbani II. in Concilio Turonensi celebrato 1096. & Concilii Lateranensis sub Alexandro III. anno 1179. vel 1180. ubi statuitur, ut imposterum omnes concessiones Decimarum in Feudum perpetuum Laicis, etiam quoad jus decimandi à titulo Spirituali abstractum, sine authoritate Pontificis factæ, sint non solum illicitæ, sed etiam ipso jure irritæ, prout habetur *Can. Decimas 1. caus. 16. q. 7. c. quamvis 17. & c. prohibemus 19. h. tit.* Idem judicium est de quacumque alia Decimarum alienatione per donationem, venditionem, permutationem, Emphyteusin facta, ut recte cum aliis notat Pirh. *hic n. 141.* 39

Dubium duntaxat restat, an Episcopus, vel Prælatus Ecclesiæ Decimas à Laico legitimè in Feudum perpetuum obtentas, si istæ per Vasalli mortem aperiantur, & ad Ecclesiam redeant, iterum concedere in Feudum alteri Laico possit? Resp. posse ex justa causa, neque casu illo opus est solemnitatibus juris, ut cum aliis advertit Laym. *l. 4. tr. 6. c. 6. n. 5. Ratio est*, quia prohibitio Concilii Lateranensis solum afficit infeudationem bonorum, quæ pertinent ad Mensam Episcopi, vel Ecclesiæ. atqui talia bona non pertinent simpliciter ad Mensam Episcopi, vel Ecclesiæ, 40

clesiæ, cùm non habeant dominium utile eorum, sed solum directum. ergo &c.

41 Addenda tamen duplex est limitatio. 1. Nisi jam Ecclesiæ, vel Mensæ Episcopi incorporatæ sint; tunc enim primævam naturam assumunt, & propterea sine Sedis Apostolicæ authoritate in Laicos transferri non amplius possunt. 2. Nisi nova infeudatio sit Ecclesiæ damnosa, aut minus utilis, quam olim fuerit, quòd causa, ob quam in Feudum Laico concessæ sunt, mutato rerum statu, cessarit; tunc enim iterum requireretur consensus Apostolicus, ut bene notat P. Wiestner *hic num.* 91.

42 Quæritur 7. quanti temporis debeat esse Præscriptio, ut per eam acquiratur jus decimandi alicui Ecclesiæ, vel loco Sacro? Non pauci cum Abbat. *in c. cùm sint* 18. *h. t. n.*6. *in fin.* distinguunt, an Ecclesia, quæ præscribit jus decimandi, sit Parochialis, vel non. Si Parochialis non sit, requirunt tempus 40. annorum cum titulo, immemoriale sine titulo; si verò Parochialis sit, putant sufficere decennium. Fundamentum istius sententiæ est, quia ut illius propugnatores existimant, in priori distinctionis casu præscribenti resistit Jus, in posteriori assistit, dum *c. cit. & c. ad Apostolicæ* 20. *eod.* dicit, eo casu sequendam esse *consuetudinem diu obtentam*; tempus autem 10. annorum in jure censetur longum, seu diuturnum. ergo &c.

43 Sed melius cum communi cæterorum, etiam quando Ecclesia præscribens Parochialis est, & fundi, seu prædia, quorum Decimæ præscribuntur, sita sint intra fines illius, ut legitimè illas præscribat, requiritur tempus diuturnius, videlicet 100. annorum, si adversus Romanam Ecclesiam, 40. autem, si adversus Ecclesiam Romanam inferiorem, & specialiter non privilegiatam. *Ratio est*, quia est præscriptio adversus Ecclesiam. atqui adversus Ecclesiam bona immobilia, quibus etiam accensentur jura, non præscribuntur minori tempore, ut patet ex *c. de quarta* 4. *c. ad aures* 6. *c. illud* 8. *princ. de præscript. & Auth. quas actiones C. de SS. Eccl.*

44 Ad rationem in contrarium allatam dico, id procedere, quando præscriptio fit adversus personas privatas; nam adversus istas præscribuntur Decimæ, ut aliæ res immobiles, decennio inter præsentes, vicennio inter absentes cum titulo, tricennio sine titulo *l. diutina* 4. *& l. fin. C. de long. temp. præscript.* at quando præscriptio fit adversus Ecclesiam, aliud tempus Jura *citt.* taxarunt. Habet tamen aliquid prærogativæ hoc casu Ecclesia Parochialis in præscriptione Decimarum ex fundis, qui intra fines suos sunt siti, præ alia Ecclesia extranea: illa enim, ut Decimas ex fundis suis contra Ecclesiam extraneam, vel non Parochialem tempore 40. annorum præscribat, titulo non indiget, quòd assistentia juris, quam habet, sit loco tituli; ista autem posterior titulo habet opus, quo possessionem suam legitimet adversus Ecclesiam Parochialem.

45 Quæritur 8. an Decimæ præscribi etiam possint à Laicis? Resp. distinguendo: Vel enim Laicus præscriptionem obtendit adversus Laicum, vel adversus Ecclesiam, aut personam Ecclesiasticam.

Si adversus Laicum, & hic Decimas Canonicè, & perpetuò, ac irrevocabiliter omnino possedit, Laicus adversus istum præscribere potest Decimas, ut cum Felin. *in c.* 7. *de præscript. n.* 4. docet communis DD. Ratio est, quia per hujusmodi concessionem Decimæ à Spiritualis officii titulo omnino avulsæ, & rebus Laicorum patrimonialibus accessisse videntur, ut adeo Laicus non amplius sit incapax possessionis illarum.

46 *Si adversus Ecclesiam*, vel *personam Ecclesiasticam*, major est difficultas. Pro affirmativa videtur militare, quòd Regulæ instar ab aliquibus traditur, videlicet præscriptione, saltem immemoriali, acquiri posse, quod acquiri potest privilegio Principis, cum illa huic æquiparetur; potest autem Jus Decimandi acquiri Laicis privilegio Principis, seu Papæ, ut dictum est *num.* 34. ergo &c.

Sed dicendum, Laicos nequidem tempore immemoriali præscribere posse Decimas adversus Ecclesiam, vel personam Ecclesiasticam. Ita DD. facilè omnes, & colligitur ex *c. causam* 7. *de præscript.* ubi disertè habetur, quòd *Laici Decimas, quia detinere, seu possidere illas non possunt, nulla possint ratione præscribere.*

47 Proceditque hoc non tantum de jure Decimandi directo, ut per se clarum est, quia eatenus jus illud est Spirituale; sed etiam de indirecto, & abstracto à titulo Spirituali, ob generalitatem *c. causam cit.* quod etiam confirmatur ex ratione; nam Decimarum possessio, ut notat Gloss. *in c.* 14. *V. commodo de restit. spoliat.* & Abb. *in c.* 5. *eod. num.* 24. involvit titulum proprietatis, cujus respectu Decimarum post *Concilium Turonense*, & *Lateranense citt.* Laici sine privilegio Apostolico incapaces sint.

Ad rationem in contrarium allatam, dico, tempus immemoriale respectu Laici possidentis Decimas facere quidem præsumptionem Privilegii Apostolici aliquando obtenti, non tamen complere præscriptionem posse: hinc quocumque tempore aperiatur possessionis vitium, restituere istas Ecclesiæ debebit Laicus. Regula, quæ additur, non procedit in casibus, quibus præscribens sine Principis privilegio est possessionis incapax; quia vitium possessionis tempus immemoriale non sanat.

Quæritur 9. an; qui præscripsit Decimas prædiales 48
intra fines alienæ Parochiæ, possit vi illius præscriptionis percipere etiam Decimas ex Novalibus postea factis intra eandem Parochiam? Resp. non posse per se loquendo, & nisi ex rationabili causa ostendat, etiam ipsas ad se pertinere. Ita expressè decisum est *c. cum contingat* 29. *h. tit. Ratio est*, quia nemo plus præscribit, quam possidet. atqui Decimas Novalium, quippe quæ antea non existebant, præscribens non possedit, neque illas unquam percepit. ergo &c.

Dixi *per se loquendo*; nam triplex datur Exceptio, 1. Si cum possessione Decimarum antiquarum alienæ Ecclesiæ inchoetur etiam possessio Decimarum provenientium ex Novalibus, uno, vel pluribus, & hæc tempore Jure definito continetur *arg. c.* 1. *de præscript. in* 6. 2. Si cum veteribus Decimis percipiantur semper Decimæ Novalium intra ejusdem Parochiæ fines successive exurgentium; quia tali casu non deest possessio. Rebuff. *q.* 14. *num.* 20. 3. Si præscribens ex terris illis incultis jam antea aliquid Decimarum nomine percepit; tunc enim hujusmodi terra jam fuit obligata ad Decimas, & per accidens est, quòd talis generis fructus non tulerit.

Quæritur 10. an privilegium percipiendi Decimas ex 50
prædiis, intra fines Parochiæ alicujus sitis, extendatur etiam ad Decimas Novalium, quæ post concessionem talis privilegii fiunt intra fines talis Parochiæ? Resp. hac in re ante omnia præ oculis habendum esse tenorem privilegii, & mentem Papæ illud concedentis.

Controversia est, quando est dubium de mente concedentis: & *rationem dubitandi* facit *c. ex parte* 27. *h. t.* ubi Innocentius III. Abbati Monasterii S. Columbæ, quod ex privilegio Apostolico obtinebat Decimas in certis Parochiis, rescribit in hæc verba: *Cum tibi, quod majus est, sit concessum, ut videlicet Decimas ex laboribus terræ Parochiarum tuarum cum integritate percipias, de Novalibus eas percipere satis potes; quia ubi majus conceditur, minus concessum videtur. Conf.* à pari cum privilegio non solvendi Decimas, quod etiam ad Decimas Novalium se extendit, ut dicetur *infra num.* 56.

Sed dicendum, ejusmodi privilegium ad Decimas 51
Novalium, quæ post concessionem ejusdem fiunt, non extendi. Sumitur ex *c. statuto* 2. *princ.* & *§. statuimus hoc tit. in* 6. *Ratio est*, quia hujusmodi privilegia sunt odiosa, cùm cedant in præjudicium Ecclesiarum Parochialium. igitur restringenda sunt ad prædia prius culta, neque extendenda ad Novalia, seu prædia deinceps colenda, nisi aliud vel ex verbis privilegii, vel ex mente concedentis constet.

Ad rationem dubitandi Monasterio S. Columbæ in *l. cit.* meritò adjudicatæ sunt Decimæ etiam Novalium, quia Parochiæ, ex quibus colligebant, erant eidem incorporatæ. *Ad Conf.* nego paritatem; nam privilegium non solvendi Decimas ex vi verborum magis est universale propter negationem absolutam, quam includit. Accedit, quia cùm illud solum privet Ecclesiam Decimis prædiorum, quæ ad unam personam, vel Monasterium pertinent, minus grave præjudicium affert Ecclesiæ, ad quam Decimæ alias spectant.

§. III.

De Exemptione ab onere solvendi Decimas.

SUMMARIUM.

52 *Modi, quibus Emptio ab onere solvendi Decimas impetretur.*
53 *Privilegio eximere potest Pontifex.*
54 *Et quidem solus.*
55 *Quod privilegium est odiosum.*
56 *Proin ad Decimas Novalium non extenditur.*
57 58 *Amittitur triplici ex capite.*
59 *Exemptio hæc obtineri etiam potest consuetudine.*
60 *Etiam in totum.*
61 *Non tantum à Clericis, sed etiam à Laicis.*
62 *Tempus ad hoc requisitum.*

63 Tem-

63 *Tempus requisitum, ut immunitas ista acquiratur præscriptione.*
64 *Ita tamen, ut denuo imperari solutio possit, causa sic exigente.*
65 *Quid circa hoc possit Transactio, & amicabilis Compositio?*
66 *An emi illa pro re temporali?*

52 Certum est, posse aliquem eximi ab onere, & obligatione solvendi Decimas, ut omnes fatentur, & ratio demonstrat; nam obligatio hæc, prout ad singulas personas tendit, non est naturalis, aut juris Divini positivi, sed Ecclesiastici tantum. Et procedit hoc non tantum de quota Decimæ, sed etiam de tota solutione; nam etsi præceptum solvendi Decimas quoad partem Ministrorum sustentationi necessariam naturale sit, id tamen solum respectu Communitatis procedit: atque hinc si per ea, quæ cæteri ad Ministrorum Ecclesiæ sustentationem contribuunt, eorumdem necessitati sufficienter provisum sit, poterunt ab obligatione ista absolvi cæteri. Sunt autem quinque omnino modi, de quibus quæri potest, an per eos imperari possit exemptio ab onere solvendi Decimas, nim. Privilegium, Consuetudo, Præscriptio, Amicabilis Compositio, & Transactio. Atque hinc, ut à primo incipiamus.

53 Quæritur 1. an, & quomodo à Decimis solvendis eximat privilegium? Resp. eximere, si datum sit à legitima potestate: patet ex ratione allata *n. præc.*

Dubium est 1. quisnam dare privilegium istud possit? Resp. dari potest à solo Summo Pont. Ita omnes. *Quod dari possit à Summo Pont.* patet ex usu, & praxi perpetua Ecclesiæ; tale enim privilegium Cruciferis Urbanus II. Fratribus Ordinis de Redemptione Captivorum Honorius IV. FF. Prædicatoribus Gregorius XI. FF. Conventualibus S. Francisci Clemens IV. & Sixtus IV. Carthusianis Martinus V. Cisterciensibus Hadrianus IV. Congregationi Cassinati S. Benedicti Eugenius IV. Carmelitis Sixtus IV. Ordini Minimorum S. Francisci de Paula Julius II. Camaldulensibus Leo X. Monialibus S. Claræ Sixtus IV. Leo X. & Paulus III. Societati Jesu Paulus III. Julius III. & Gregorius XIII. indulsere.

54 *Quòd vero solus Pontifex privilegium hoc dare possit*, ex eo ostenditur; quia si alius dare id posset, possent vel Principes Sæculares, vel Episcopi, & alii Prælati Ecclesiastici: *non Principes Sæculares*, ut patet ex *c. tua* 25. *hoc tit.* & probat ratio; quia causa Decimarum est fori Ecclesiastici, & conf. Sæcularem potestatem excedit: *non Episcopi, & alii Prælati Ecclesiastici* ex antiqua Regula, quia inferior in Lege Superioris dispensare non potest. *Neque obstat*, quòd per Trid. Episcopis detur facultas applicandi Decimas uni, vel alteri loco, uniendi Beneficia, vel unita dissolvendi pro numerositate populi, & novos Clericos assignandi, quibus Decimæ dentur pro qualitate sui ministerii; nam ut Rebuff. Suar. Pal. notant, hoc faciunt ut Delegati Sedis Apostolicæ, & præterea hoc non est dispensatio, vel relaxatio Juris communis, sed debita solum administratio Decimarum.

55 Dub. 2. an privilegium exemptionis à solutione Decimarum prædialium, concessum Regularibus, & aliis, qui de jure communi solvere deberent Decimas, censeri debeat esse favorabile, an verò odiosum? Resp. esse simpliciter, & absolutè odiosum. Suar. *l.* 1. *de Decim. c.* 18. *n.* 6. Pirh. *hic n.* 70. & alii communiter. *Ratio est*, tum quia juri communi derogat; tum quia cedit in præjudicium tertii, sc. Ecclesiarum Parochialium, & Parochorum, vel Clericorum, qui illis Decimis per hoc privantur. Et hic

Infertur 1. Privilegium hoc esse strictæ interpretationis, & quamvis extendi debeat ad omnia, quæ secundùm communem verborum proprietatem continet, non tamen debere extendi ultra proprietatem, & usitatam significationem verborum privilegii. *Ratio est*, quia in Rescripto, seu privilegio Principis nihil videtur concessum, quod cum incommodo alterius sit, nisi exprimatur *l. Prætor ait.* 2. §. *siquis à Principe* 18. *ff. ne quidem in loco publico &c.*

56 *Infertur* 2. Idem privilegium non procedere, si valde damnosum esset Ecclesiis, ita sc. ut Ecclesia, ejusque Ministri non habeant congruam sustentationem; nam si hoc fieret, quoad excessum ab Episcopo loci deberet corrigi, & ii, qui privilegium tale habent, compelli ad necessaria Ecclesiæ Ministris subministranda, prout habetur *c. statuto* 2. §. *ubi autem h. tit. in* 6.

Inferunt aliqui 3. hoc privilegium non extendi ad Decimas Novalium, & aliorum prædiorum deinceps acquirendorum à privilegiato. Sed neutrum sat bene, prout de Decimis Novalium colligitur ex *c. ad audientiam* 12. *hoc tit.* de Prædiis postea acquirendis ex *c. quia circa* 22. *de privileg. Ratio est*, quia licèt privilegium hoc strictæ interpretationis sit, est tamen concessum per verba indefinita, & generalia; conf. omnes species, & partes comprehendit, quas includit significatio illorum propria. atqui etiam Novalia, & prædia postea acquirenda sunt propriè dicta prædia, & decimæ ex illis collectæ sunt propriè dictæ Decimæ. ergo &c. Vide *suprà n.* 51.

Dub. 3. an, & quomodo amittatur privilegium non solvendi Decimas? *Ratio dubitandi est*; quia privilegium à Principe legitimè semel concessum, debet esse perpetuum. *Reg. decet* 16. *in* 6. Verùm hæc Regula universalis non est, sed plures alias Exceptiones habet. In casu quæstionis non procedit, sed privilegium non solvendi Decimas amittitur. 57

1 Si privilegium cedat in enormem læsionem, vel gravamen Ecclesiæ, & personarum, ad quas Decimæ pertinent. Colligitur ex *c. suggestum* 9. *h. tit.* & ratio est, quia in concessione privilegii includitur tacita conditio, *nisi enormiter lædatur Ecclesia Parochialis*.

2 Conventione, seu partium compositione *c. suggestum cit. c. dilecti* 8. *in fin.* &c. *nuper* 34. *h. tit.* Ratio est, quia talis conventio, seu compositio potest esse justa, & rationabilis, partique utrique utilis, adeoque per illam poterit tolli privilegium, vel limitari juxta conditiones conventionis.

3 Præscriptione, sive non usu, vel usu contrario, si v. g. privilegiati Decimas solvant, ut colligitur ex *c. si de terra* 6. *h. tit.* & *c. accedentibus* 15. *de privil.* ubi tamen distinguendum est inter non usum per viam tacitæ renuntiationis, & non usum per viam præscriptionis: ut priori modo amittatur privilegium, sufficiunt 30. anni; ut posteriori, contra Ecclesiam requiruntur 40. De primo casu loquitur *c. si de terra cit.* de secundo *c. accedentibus cit.* & sic combinari possunt textus in speciem contrarii. Vide Barbos. *in c. accedentibus cit. n.* 4. P. Wiest. *hic n.* 56. 58

Quæritur 2. an, & qua ratione obligati ad Decimas præstandas ab illis liberari possint per consuetudinem non solvendi inductam? *Certum est* 1. sic abrogatas defacto in pluribus locis esse Decimas personales, & minutas, reales ut praxis, & observantia habet.

Certum est 2. si Ministri Ecclesiæ aliunde non habeant sustentationem congruam, Decimarum obligationem omnino, & ex toto abrogari non posse; nam eatenus Decimarum præstatio est Juris naturalis. 59

Certum satis apud AA. est 3. posse eas saltem ex parte abrogari, si Ecclesiæ, ejusque Ministris ex fundatione, Oblationibus, piis Legatis &c. aliunde sufficienter provisum sit; quia tunc obligatio Juris Naturalis cessat.

Dub. 1. utrum immunitas ista obtineri per consuetudinem etiam in totum possit, ita ut Decimæ nomine nihil omnino solvatur? *Videtur* non posse obtineri in totum; quia sic Ecclesiæ Ministri privarentur stipendio curæ, & laboris sui, quod est contra Justitiam. 60

Sed esto, Decimæ debeantur tanquam stipendium curæ, & laboris, & quidem ex Justitia, ut ultro concessi *n.* 10. *supra.* tantum debentur conditionate, si stipendium laboris, & curæ aliunde non habeant. Quare si istud aliunde habeant, dicendum, immunitatem à Decimis etiam in totum per consuetudinem obtineri posse. Ratio patet ex dictis.

Neque consuetudo ejusmodi quidquam injustitiæ in se aliunde continet, si legitimè præscripta illa sit; nam si contra Justitiam foret ex hoc, quod per ejusmodi exemptionem aliquorum gravarentur cæteri: quod tamen non fieret; quia cæteri Parochiani propter exemptionem unius, vel aliquorum non plus solvunt, quam solverent, si omnes darent; solvunt enim decimam duntaxat suorum bonorum.

Dub. 2. utrum immunitatem istam per consuetudinem possint obtinere etiam Laici? *Videtur non posse*; quia Laicus non potest præscribere jus percipiendi Decimas, ut hæ ipsi solvantur ab aliis, ut dictum est *n.* 46. ergo neque præscribere jus retinendi Decimas, quas ipse solvere deberet Ecclesiæ; nam retinendo Decimas quasi à seipso illas accipit.

Sed dicendum, posse exemptionem istam per consuetudinem obtineri etiam à Laicis. Ita communiter DD. & probat hoc etiam ratio allata superius. *Proceditque hoc*, ut non solum una, vel altera persona per ejusmodi consuetudinem eximi possit à debito Decimarum, sed omnes in aliqua Provincia, vel Oppido, sub clausula tamen, ut Clerici adhuc sustentationem congruam habeant, ut aliis citt. advertit Pirh. *hic n.* 128. ubi dicit ejusmodi consuetudinem esse in Italia. 61

Ad rationem dubitandi nego paritatem inter Jus percipiendi Decimas, & inter immunitatem à Decimis solvendis; nam illud, quia Spirituale est à Laico legitimè possideri non potest, potest autem immunitas à solutione De-

cimarum, cum illa Spirituale nihil sit, sed tantum sit commoditas temporalis, sive libertas ab onere Decimarum, fundo à natura sua adhærens. Quod additur, hoc modo videri aliquem quasi à seipso accipere Decimas, pariter negatur; neque enim immunitas hæc est jus percipiendi Decimas, sed jus percipiendi integros fructus ex agris propriis sine detractione, sive onere Decimarum.

62 Dub. 3. quantum temporis requiratur, ut per consuetudinem obtineatur immunitas à solutione decimarum? Videtur sufficere decennium; quia generaliter ad consuetudinem contra Legem tale tempus sufficiens est, ut dictum est *Libr.* 1. *tit.* 4. *n.* 9.

Sed distinguendum est, an consuetudo talis immunitatem à decimis inducat via conniventiæ tantum, sciente sc. & tolerante Summo Pont. & iis, quorum interest, an verò eam inducat via præscriptionis.

Si primum; non requiritur certum, & determinatum tempus, sed sufficit tantum tempus, & tot actus Legi contrarii, ut præsumi possit notitia, & consensus tacitus Legislatoris, eorumque, quorum interest.

Si secundum, etsi, cùm Integra quædam communitas consuetudine acquirit immunitatem à decimis, nullus requiratur titulus (hoc enim discrimen est inter præscriptionem, & consuetudinem) contra Ecclesiam tamen opus est, ut consuetudo non solvendi decimas 40. annis continuata sit, ut communis DD. habet cum Molin. *tr.* 2. *D.* 75. *n.* 9. *Ratio est*, quia etsi decennium sufficiat ad consuetudinem inducendam adversus Legem, quando nullum affertur alteri præjudicium, longius tamen requiritur tempus, quando alicujus jus læditur; tunc enim idem tempus requiritur, quod ad præscriptionem: cum ergo ad præscribendum contra Ecclesiam requirantur anni quadraginta, etiam requirentur tot anni ad inducendam consuetudine exemptionem à decimis solvendis Ecclesiæ.

63 Quæritur 3. an, & quomodo immunitas à solutione decimarum obtineri possit per præscriptionem à personis, & communitatibus particularibus? Resp. posse; nec à Clericis tantum, sed etiam à Laicis, pro quibus urget ratio *n.* 59. assignata, & dicta *n.* 52.

Dub. 1. quantum tempus requiratur, ut præscriptione acquiratur immunitas à solutione decimarum? Resp. cum distinctione: Vel enim is, contra quem præscribitur, est Parochus, aut Ecclesia Parochialis, vel est Monasterium, aut alia Ecclesia non Parochialis, vel denique est privatus aliquis Clericus, aut Laicus.

Si primum, quia jus assistit Parocho contra præscribentem, præscriptio non perficitur, nisi 40. annis cum titulo, vel tempore immemoriali sine titulo *c. Episcopum* 1. *de præscript. in* 6. *Si secundum*, præscriptio contra ejusmodi Ecclesiam, vel Monasterium completur 40. annis sine titulo *c. de quarta* 4. *& c. ad aures* 6. *de præscript. Si tertium*, contra præsentem immunitas à solutione decimarum præscribitur annis 10. contra absentem 20. juxta principia Juris vulgata.

64 Dub. 2. an privatus præscriptione, & populus consuetudine ita liberari possit ab onere solvendi decimas, ut harum præstatio in futurum eidem amplius imperari nequeat? Resp. negativè; sed si opus fuerit, earum præstationem imperare denuo Summus Pontifex poterit, ut bene cum aliis advertit Less. *l.* 2. *de Just. c.* 39. *n.* 25. *Ratio est*, quia potestas, quam Pontifex habet ad imperandas decimas, ei competit, ut est Pastor Ecclesiæ universalis, & conf. Jure Divino, contra quod Jus nulla consuetudo, vel præscriptio, aut Lex humana valere potest. igitur licèt cedere possit jure suo, vel Ecclesiarum, nunquam tamen privari potest potestate condendi Legem, solvendi decimas, vel eas renovandi, quando, & ubi censuerit expedire.

Dixi *Summus Pontifex*; nam, ut Suar. *l.* 1. *de Decim. c.* 12. *n.* 11. rectè advertit, potestas imperandi decimas, ubi Legi huic per consuetudinem, vel præscriptionem est derogatum, de facto non est in aliquo inferiore Prælato Ecclesiastico: & ratio est, quia talis consuetudo in tali populo abiit in jus commune, contra quod Episcopi, & Prælati inferiores disponere nihil possunt.

65 Quæritur 4. quomodo acquiri immunitas solvendi Decimas possit Transactione, & amicabili Compositione? *Certum est*, quòd privata Conventione transigi possit de *Decimis præteritis*, seu fructibus Decimarum, de quibus est controversia, an debeantur.

De futuris distinguendum est; nam ad tempus triennio longius opus est intervenire authoritatem Episcopi juxta *Extrav. ambitiosæ de reb. Eccles. non alien.* Ut in perpetuum, vel ultra vitam transigentis Transactio valeat, opus insuper est Authoritate Apostolica *can. veniens* 8. *de Transact.*

Dubitatur, an hæc immunitas emi, aut alias pro re temporali commutari possit? Videtur posse, siquidem juxta dicta immunitas à solvendis Decimis nihil est Spirituale. 66

Sed etsi hoc verum sit, atque adeo is, qui immunitatem emeret, nihil Spirituale acquireret, nihilominus tamen alter, qui immunitatem venderet, hoc ipso jus suum Decimandi, quod Spirituale est, vendere censeretur: quod est Simoniacum.

Quare tenenda est sententia negativa, quæ etiam patet ex *c. fin. de rer. permut.* ubi contractus inter duos Prælatos initus, quorum unus volebat à petitione Decimarum absistere, si alter certam pecuniæ summam refunderet, penitus annullatur, ex ratione, quòd *permutatio à Spirituali ad temporalia* à Jure *improbata sit*.

§. IV.

De Judice Causarum Decimalium, & Pœnis fraudantium Decimas.

SUMMARIUM.

67 *Quid possit Parochus, ut recuperet Decimas non solutas?*
68 *Quomodo illas debeat petere in Judicio possessorio?*
69 *Quomodo in petitorio, si agatur super Jure Decimandi?*
70 *Quomodo si super ipsis Decimis?*
71 *Adversus quem agere possit in possessorio?*
72 *Adversus quem in petitorio?*
73 74 *Ad quem Judicem spectet causa Decimarum in petitorio?*
75 76 *Ad quem in possessorio?*
77 *Pœna fraudantium Decimas.*
78 *Religiosorum non solventium, & solvere prohibentium.*

Quæritur 1. quid possit Parochus, ut recuperet Decimas non solutas? *Certum est* 1. Parochum, si non petat Decimas tempore collectionis, posse eas postea petere à quocumque illarum detentore injusto. Ita omnes contra Paris. *Ratio est*, quia qui non petit debitum statim, ac potest, non censetur idcirco illud remittere. 67

Certum est 2. Parochum non posse Decimas, sibi non solutas, sua authoritate per vim accipere, ut iterum communis habet: *cujus ratio est*, quia universim loquendo ob bonum pacis, & tranquillitatis publicæ non est licitum ulli creditori privata authoritate occupare bona debitoris, eumque possessione, & usu illorum privare, ut debitum suum recuperet. atqui Decimæ, antequam solvantur, adhuc verè sunt in bonis, & dominio Parochiani. ergo &c. Ex quo sequitur, &

Certum sit 3. Parochum Decimas sibi negatas petere debere, instituta actione adversùs detentorem. Sed hinc

Quæritur 2. qua actione Ecclesia, vel ejus loco Parochus, aut Episcopus in Judicio exigere possit Decimas sibi debitas? Resp. hìc distinguendum, an agatur Judicio possessorio, an petitorio. 68

Si possessorio, intentabit Remedia possessoria: & 1. quidem *Interdicto Adipiscendæ* aget, si Decimarum, de quibus controversia est, possessionem numquam antea habuit, v. g. quia proveniunt ex Novali, quod primum intra fines Parochiæ suæ exsurrexit. 2. *Interdicto retinendæ*, si in Decimarum hactenus possessarum collectione turbetur ab alio. 3. *Interdicto recuperandæ* denique, si possessionem Decimarum amisit, quia vel alius fructus Decimales violentè collegit, vel quia qui debebat Decimas solvere, illas ipsi præstare negavit.

At si agatur petitorio, iterum distinguendum erit, an agatur super ipso jure Decimandi, ad quem pertineat, an verò super ipsis Decimis, seu fructibus Decimalibus. *Si primum*, Ecclesia, vel Parochus perinde, ac super cæteris rebus incorporalibus instituere potest, & debet actionem Confessoriam, vel Negatoriam, *Confessoriam* quidem, qua petat à Judice declarari, sibi in prædio controverso competere jus decimandi; *Negatoriam* autem, qua postulet decidi, jus illud non competere alteri *arg.* §. *æquè* 2. *Inst. de Actionib.* junct. *c. intelleximus* 1. *de nov. oper. nuntiat.* 69

Si secundum, adhibenda est distinctio tertia, & videndum, an agatur pro decima parte fructuum jam separata à cumulo reliquorum, & assignata, ac quasi tradita Ecclesiæ, vel Parocho, an verò pro Decimis nondum separatis à fundo, & reliquis fructibus. *Si prius contingat*, Ecclesia, vel Parochus eo casu postulabit Decimas illas 70

sibi

ſibi adjudicari, inſtituta actione reali, quæ *Rei vindicatio* dicitur. *Si poſterius fiat*, Eccleſia agere ad ſeparationem, & ſolutionem poterit *Conditione ex Canone*, quæ eſt Actio perſonalis in rem ſcripta, & datur quaſi domino, ſive utile dominium in re habenti. P. Jacob. Wex. *Ariadn. p.* 5. *tract.* 1. *quæſt.* 8. *num.* 12.

7 Quæritur 3. adversùs quem Eccleſia, vel Parochus agere ſuper Decimis poſſit? Reſp. ſecundùm datam diſtinctionem. Vel enim agit in poſſeſſorio, vel in petitorio.

Si poſſeſſorio, videndum, quod intentet remedium; nam ſi agat *Interdicto adipiſcendæ poſſeſſionis*, inſtituere actionem debet adversùs poſſeſſorem iniquum; *ſi retinendæ*, adversùs turbatorem poſſeſſionis ſuæ; *ſi recuperandæ*, adversùs ſpoliatorem, vel eum, ad quem ab hoc illud pervenit.

7 *Quodſi agatur petitorio*, iterum diſpiciendum, quænam intentetur actio; nam ſi intentetur *Actio Confeſſoria*, vel *Negatoria*, inſtituetur illa adversùs eum, qui jus decimandi ſibi injuſtè arrogat; ſi *Rei vindicativa*, adversùs eum, qui Decimas à fundo ſeparatas contra jus collegit; *ſi Condictio ex Canone*, adversùs quemvis fructuum non decimatorum poſſeſſorem.

Eandem Condictionem inſtituet etiam adversùs illum, qui fructus ſive adhuc hærentes in fundo, & à reliquis non ſeparatos, ſive jam ſeparatos, & decimatos, per dolum, vel notabilem culpam, aut negligentiam deſtruxit, vel perdidit; petere enim ejuſmodi Condictione poterit æſtimationem fructuum Decimalium, nempe id, quod Eccleſia; aliis annis ſpectatis, ſolebat, & poterat Decimarum nomine ex prædio tali percipere.

Addo tamen, de Jure Canonico parum curari de nomine Actionis, cùm non ſit neceſſe nomen Actionis in Libello exprimere: hinc perinde erit, ſive in Libello Judici oblato dicatur, quòd Eccleſia Decimas, tanquam ſibi debitas, condicat, ſive dicatur, quòd eas vendicet tanquam ſuas; ſed ſufficiet, ſi aliàs ſit rectè formata petitio.

Quæritur 4. ad quem Judicem ſpectet cauſa decimarum in *petitorio*, quando quæſtio juris eſt, ſeu quando agitur de jure Decimandi, cuinam id competat? Reſp. per ſe loquendo, & ſpectato jure, atque uſu communi, cognitio quæſtionis ſuper hujuſmodi caſu ortæ, & deciſio illius ad Judicem Eccleſiaſticum ſpectat privativè. Ita omnes etiam Legiſtæ, ſuffragante praxi Cameræ Imperialis, utpote quæ appellationes in cauſis Decimarum in petitorio non recipit, teſte Gaill. *l.* 1. *obſ.* 38. *num.* 2. Ratio eſt, quia cauſæ Eccleſiaſticæ, & his annexæ ad Forum Eccleſiaſticum ſpectant. tales autem ſunt cauſæ Decimarum, quando de iis contenditur in petitorio, ut patet ex *cap. adhæc* 15. *cap. tua* 25. & *cap. ſeq. h. tit.* ergo &c.

Addidi, *per ſe loquendo, & ſpectato jure, atque uſu communi*. *Excipitur enim* 1. ſi cognitio cauſarum Decimalium Judici Sæculari data ſit privilegio Apoſtolico; nam eo etiam Laico competere illam poſſe eſt extra dubium, cùm Ordinem, & Statum Clericalem eſſentialiter non ſupponat. *Excipitur* 2. ſi lis mota ſit ſuper Decimis, quæ privilegio, vel alia conceſſione Apoſtolica perpetuò, & omnino irrevocabiliter in Laicos translatæ ſunt; quia tali conceſſione à titulo Spirituali omnino avulſæ, & inter bona Laicorum patrimonialia, & profana cenſentur.

7 Quæritur 5. quis ſit Judex, quando lis eſt circa Decimas in poſſeſſorio? Reſp. diſtinguendo: Vel enim litigantium uterque, aut ſaltem reus conventus eſt Laicus, vel Communitas Sæcularis? *Si primum*, diſcuſſio quæſtionis ad Judicem Eccleſiaſticum tantùm pertinet; quia actor ſequitur forum Rei *cap. ſi Clericus* 5. & *cap. cùm ſit* 8. *de for. compet.*

Si ſecundum, iterum diſtinguendum eſt, an quæſtio ſuper poſſeſſione, & facto orta admixtam ſibi habeat aliquam quæſtionem proprietatis, ſive Juris, an non. *Si prius*, v. g. cùm titulus poſſeſſionis juſtificandus eſt, etiam inter Laicos agitata quæſtio ſuper Decimis ad Judicem Eccleſiaſticum tantùm pertinet; quia non temporalis, ſed Spiritualis eſt.

7 *Si poſterius*, probabilius eſt mixti fori, ita, ut illa tractari poſſit vel coram Judice Laico, vel coram Eccleſiaſtico. Conſtat ex praxi, quæ optima juris interpres eſt: & oſtendi etiam à paritate cum juramento poteſt; nam licèt etiam hic actus Spiritualis ſit, & cognitio de valore illius, obligatione, honeſtate &c. ad Judicem Eccleſiaſticum ſpectet, pro obſervantia tamen illius, & executione, quæ in facto ſolo conſiſtit, adiri Judex etiam Sæcularis poteſt, & ab illo compelli jurans, ut juramentum obſervet. igitur idem dicendum de Decimis, ſi ſuper his oriatur aliqua quæſtio, quæ merè eſt facti.

Quæritur 6. quæ ſint pœnæ fraudantium Decimas? 77
Reſp. præter peccatum mortale graviſſimum injuſtitiæ, quod incurrunt, ut patet ex *cap. quamvis* 17. *h. tit.* duplex illis in jure dictata eſt pœna.

1. Enim jubentur excommunicari, ut habetur *cap. pervenit* 5. *cap. ex parte* 21. *cap. tua nobis* 26. *h. tit. Clem.* 2. *de judic.* & Trid. *ſeſſ.* 25. *cap.* 12. *de reform.* ubi additur, *ab hoc crimine eos abſolvi non poſſe, niſi plena reſtitutione facta*, intellige, ſi reſtitutio ſit poſſibilis, & Decimæ ab eo, cui debentur, non remittantur.

2 Ad Sepulturam Eccleſiaſticam mortui admitti non debent, ut ſtatuitur *cap. prohibemus* 19. *h. tit.* Ratio eſſe poteſt; quia eas detinent cum animarum ſuarum periculo, & notoriè delinquunt. Sed qui decedunt in notorio aliquo peccato, privandi ſunt Sepultura Eccleſiaſtica, ut dictum eſt *Titulo* 28. *num.* 49. ergo &c.

Tertia contra Religioſos additur in *Clem.* 1. *h. tit.* 78
ubi contra illos, ſi vel ipſi Decimas, quas deberent, non ſolvant; vel ſolvere alios prohibeant, & admoniti ab iis, quorum intereſt, intra duos menſes iiſdem non ſatisfecerint, ſtatuitur, ut tamdiu ſint, & maneant ſuſpenſi ab officiis, adminiſtrationibus, & Beneficiis ſuis, vel ſi hujuſmodi Beneficia, & adminiſtrationes non habeant, tamdiu excommunicati, donec deſtiterint, & ſatisfecerint.

§. V.

De Primitiis, & Oblationibus.

S U M M A R I U M.

79 *Definitio primitiarum, & differentia à Decimis.*
80 *Oblationum triplex acceptio.*
81 *Præceptum ſolvendi primitias non eſt juris Naturalis.*
82 *Olim debebantur jure Eccleſiaſtico, cui ferè jam derogatum eſt.*
83 *An detur in jure præceptum faciendi Oblationes? Ratio dubitandi.*
84 *Statuitur negativa.*
85 *Exceptiones.*
86 *Exhibendæ de jure communi ſunt Parocho.*
87 *Exceptiones.*
88 *Caſus, quibus Oblationes acquiruntur Epiſcopis.*
89 *Aliis Clericis, & Eccleſiis.*
90 *Religioſis.*
91 *Laici Oblationum capaces non ſunt.*
92 93 *Perſonæ, à quibus factæ Oblationes ab Eccleſia non admittuntur.*
94 *Adminiſtratio earum de jure communi ſpectat ad Parochum.*
95 *Per ſe loquendo converti debent in uſus ab offerentibus intentos.*
96 *In alios, juſta cauſa exigente, à Pontifice.*
97 *Et Epiſcopo.*
98 *Non tamen à Magiſtratu Sæculari.*
99 *Secluſo Jure ſpeciali.*

HÆc ſecunda Rubricæ præſentis pars eſt: ubi quatuor quæri poſſunt. 1. quid ſint Primitiæ, & Oblationes? 2. quid Juris ſit de utriſque? 3. cui, & à quibus ſint faciendæ? 4. ad quem pertineat adminiſtratio Oblationum deſtinatarum ad certos uſus?

Quæritur ergo 1. de Primitiarum, & oblationum 79
conceptu. Et 1. quidem dubitatur, quid ſint *Primitiæ*? Reſp. *Primitiæ* ſunt frugum initia, ſeu primi fructus, qui DEI beneficio ex agris, vineis, hortis, arboribus producuntur, ut colligitur *Exod.* 23. *v.* 13. & 15. *Num.* 18. *v.* 12. *Deut.* 16. *v.* 2.

Differunt à Decimis 1. quia Primitiæ ſunt primi fructus, eo anno collecti; Decimæ verò ſunt certa fructuum omnium eo anno collectorum portio. 2. Primitiæ immediatè ſolvuntur DEO in gratiarum actionem pro novis fructibus (quamvis deinde etiam cedant in alimenta Sacerdotum, & Miniſtrorum Eccleſiæ) at verò Decimæ immediatè dantur Miniſtris Eccleſiæ, tanquam merces laborum, & debitum Miniſterii ſui ſtipendium.

Dub. 2. quid ſint *Oblationes*? Reſp. *Oblationis* nomen tripliciter poſſe accipi. 1. *latè & genericè* pro 80
omni Oblatione ad cultum Divinum facta: & ſic comprehendit etiam Decimas, Primitias, & ipſum Sacrificium.

2 *Strictè*, & *magis ſpecificè* pro re quacunque temporali,

porali, quæ intuitu Religionis à fidelibus immediatè Deo absque immolatione exhibetur, ut in Ecclesiæ usum, ejusque Ministrorum sustentationem cedat & in hac acceptione Oblatio differt à Decimis, quia hæ debentur ex justitia; à primitiis; quia istæ sunt tantùm primi fructus; à Sacrificio; quia res, quæ sacrificatur, priùs consecratur, & sic in eo sacrum aliquid offertur; at verò in oblationibus cæteris nihil Sacrum offertur, nec res offerenda priùs sacrificatur.

3 Et *strictiùs* accipitur Oblationis nomen pro dono, quod fideles sive per se, sive per Diaconum ad Altare offerunt, & ad manus Sacerdotis deferunt. In hoc tertio sensu accepta Oblatio differt ab Oblatione accepta in secundo sensu, sicut species à genere: discrimen à Decimis, & Primitiis utrique commune est.

81 Quæritur 2. de jure primitiarum, & oblationum. Et quidem 1. dubitatur, an sit præceptum aliquod solvendi primitias? *Certum est* 1. eas solvendi præceptum non esse juris naturalis; quia licèt oblatio primitiarum intendatur in recognitionem Dei, ut Authoris omnium fructuum naturalium, & hæc recognitio sit debita jure naturali, recognitio tamen ista non ita jure naturali determinata est ad primitias, ut non aliis modis recognosci Deus, & gratitudo pro beneficiis ostendi possit.

Certum est 2. in Lege scripta eas fuisse debitas jure Divino, ut patet ex textibus *citt. num.* 79. *& Malach.* 3. *verf.* 8. ubi Deus gravissimè conquestus est adversus populum Judaicum, quòd præceptas sibi Decimas, & Primitias non exhibuerit.

82 *Certum est* 3. in Lege nova olim primitias fuisse debitas, non quidem jure Divino; nam præceptum illud Mosaicum cum cæteris ceremonialibus morte Christi exspiravit; sed Sanctionibus Ecclesiasticis, quibus præceptum illud Mosaicum resuscitatum fuit, ut colligitur ex *can. prætor 6. fin. dist.* 32. *can. revertimini 65. caus.* 16. *quæst.* 1. *can. Decimas* 1. *ead. caus. quæst.* 7. *& cap. decimam* 1. *junct.* Gloss. *V. in primitiis h. tit.*

Certum est 4. Juri huic Ecclesiastico in plerisque locis contraria consuetudine derogatum jam esse, ut adeo primitiarum nomine rarò aliquid solvatur Ecclesiæ. Neque improbari consuetudo hæc debet; cùm enim obligatio solvendi primitias ab Ecclesia principaliter decreta fuerit propter competentem sustentationem Ministrorum, ideo, si istam illi aliunde habeant, nihil prohibet, quo minùs per contrariam consuetudinem abrogari obligatio ista possit.

Certum est 5. ibi, ubi adhuc Lex Primitiarum viget, esse obligationem istas solvendi ex præcepto Ecclesiastico, quo cùm quantitas, in qua solvi debeant, determinata non sit, hinc quoad istam standum erit consuetudine loci.

83 Dub. 2. an detur aliquod in jure præceptum de Oblationibus faciendis Dominicis, & Festis diebus solemnioribus, inter Missarum solemnia? Affirmant Gloss. *in can. omnis Christianus 69. V. vacuus dist.* 1. *de Consecr. & in can. statuimus 55. V. Oblatione caus.* 16. *quæst.* 1. Host. *in summ. tit. de paroch.* §. 2. *num.* 4. Lapus *alleg.* 58. *n.* 1. *& 7. &c.* & indicari videtur apertè in textibus *citt.* maximè *canon. omnis Christianus*, cujus luculentus in rem præsentem textus est: *Omnis Christianus procuret ad Missarum solemnia aliquid Deo offerre, & ducere ad memoriam, quod Deus per Moysen dixit, Non apparebis in conspectu meo vacuus; etenim in collectis SS. PP. liquidò apparet, quòd omnes Christiani offerre aliquid Deo ex usu SS. PP. debeant.*

84 Sed contrarium tenet communis sententia tam inter TT. quàm Canonistas, juxta quos per se loquendo, nullo jure, nec positivo Divino, nec Naturali, nec Ecclesiastico tenentur Parochiani ab Oblationes inter Missarum solemnia faciendas, adduntque vi juris eosdem etiam ad hoc cogi non posse ullis Censuris, vel aliis pœnis Ecclesiasticis. Idem dicendum de quibuscunque aliis Oblationibus. *Ratio est*, quia Oblationes per se & ex natura sua sunt prorsus spontaneæ, & liberæ juxta illud: *Ab omni homine, qui ultroneus est, accipietis.* Exod. 35. *v.* 2. *Conf.* quia nemo facilè reperitur, qui talem obligationem agnoscat, & de ea neglecta se in Tribunali Sacro accuset.

85 Dixi *per se loquendo*; nam per accidens quinque modis deberi possunt, videlicet 1. promissione, quando aliquis promisit eam Voto, vel alia simplici promissione acceptata. 2. Donatione inter vivos, vel ultima Voluntate. 3. Indigentia Ecclesiæ, vel Ministrorum ejusdem, non habentium aliunde sustentationem congruam 4. Consuetudine, quando populus longo tempore, videlicet 10. annis, Oblationes in certis solemnitatibus fecit quasi ex obligatione, sive intentione obligationis contrahendæ. 5. Præscriptione, si ipsi Rectores Ecclesiæ longo tempore ejusmodi Oblatio nes quasi debitas exegerunt, & acceperunt à Parochianis.

Neque aliud probant Canones *citt.* nam ut eruditè notat Gonzal. *in cap.* 13. *de V. S. num.* 2. intelligi debent de Oblationibus debitis ex uno memoratorum capitum.

Quæritur 3. de Circumstantia personarum, quibus & à quibus solvi primitiæ, & Oblationes debeant? Et 1. quidem dubitatur, quibus primitiæ, & oblationes solvi debeant? Resp. *Primitiæ* Jure communi exhibendæ sunt Parocho illius Parochiæ, intra cujus fines prædia, & fundi, ex quibus fructus producuntur, existunt, nisi consuetudo sit in contrarium. Barbos. *de Off. Paroch. cap.* 27. *num.* 8. *& 9.* ubi dat rationem; quia sunt onus reale: & hinc etiam Clerici, qui ejusmodi terras, obligationi primitiarum exhibendarum obnoxias, colunt, solvere illas debent. *Oblationes* verò jure communi pertinent ad Rectorem illius Parochiæ, intra cujus districtum fiunt. *Proceditque* hoc non tantùm de Oblationibus, quæ fiunt ad manum Sacerdotis in Missa, sed etiam de iis, quæ fiunt ad Altare, vel Imaginem etiam depictam in domo privata, nisi aliud constet, vel colligi possit de mente offerentium; nam hæc præ omnibus observanda est.

Et hinc 1. ad Sacerdotem celebrantem, non verò ad Parochum pertinent Oblationes, quæ Sacrum dicenti traduntur in stipendium. 2. Neomystis relinquendæ sunt, quæ offeruntur in horum primitiis; quia horum intuitu censentur dari. 3. Parocho in aliena Parochia Missam pro Parochiano suo v. g. Sponso celebranti, non Parocho loci cedunt, quæ tali occasione fiunt; quia fieri censentur contemplatione ipsius celebrantis. 4. Eæ, quæ fiunt ad certum Altare, vel Sacellum, relinquendæ sunt Altari vel Imagini, aut Sacello, si constet, aut præsumi possit, ea intentione factas esse, ut in honorem, & ornatum Imaginis, Altaris, vel Sacelli insumantur. 5. Imò si ad domum privatam & Imaginem ibi depictam fiat Oblatio, & domus illa pauper sit, relinquendæ sunt illi domui; quia præsumi debent intuitu domus, & paupertatis ejusdem factæ. Vide Azor. *p.* 1. *l.* 7. *cap.* 27. *quæst.* 13. Barbos. *de Offic. Paroch. cap.* 24. *à num.* 22. Reginald. *l.* 19. *num.* 85. Pirh. *hic num.* 180. Illustriss. D. Præpos. Frising. *tom.* 1. *Consil.* 9. *per totum.*

Dub. 2. an præter Parochum, etiam alii Oblationum accipiendarum capaces sint? Formari dubium hoc potest 1. de Episcopis. 2. De aliis Clericis. 3. De Religiosis. 4. De Laicis.

Ad 1. dico, Episcopo debentur Oblationes duobus casibus: quorum *prior* est, si in Diœcesis suæ Ecclesia Parochiali ipse sacrificet; nam Oblationes, quæ tum ad Altare ab Ecclesiæ illius Parochianis fiunt, cedunt Episcopo sacrificanti. Franc. Leo *Thes. for. Eccles. p.* 2. *cap.* 13. *num.* 20. 2. Si Capella, vel Imago, ad quam fiunt Oblationes, sita sit in loco nullius Parochiæ; quia ibi Parochus est Episcopus, intra cujus Diœcesim est locus Oblationis, conf. ad ipsum ut Parochum Oblationes ibi factæ pertinent. P. Wiest. *hic num.* 142.

Ad 2. Clerici, & Ecclesiæ aliæ non Parochiales jus accipiendi Oblationes acquirere possunt ex triplici capite, videlicet 1. si ejusmodi Clerici, vel Ecclesiæ sint exemptæ. 2. Si jus istud obtinuerint privilegio. 3. Si consuetudine, vel potiùs præscriptione. Aliàs de Jure communi Oblationes ad eos non pertinent, sed ad Parochum illius Parochiæ, intra cujus districtum Altaria, vel Sacella sita sunt, ut dictum est *num.* 85.

Ad 3. Religiosi obtinere Oblationes possunt ex quadruplici capite. 1. Si Sacerdotes, ad quos eæ de Jure, vel consuetudine pertinent, has ipsis largiantur tanquam pauperibus. 2. Si offerantur in Ecclesiis Parochialibus Monasterio suo unitis, & à se procuratis. 3. Si offerantur ipsis intuitu Ministerii Altaris, Orationum, cæterique Cultus Divini, à se exhibiti. 4. Si jus accipiendi Oblationes obtinuerint privilegio, vel præscriptione: & ita de facto, ut P. Wiest. *hic numer.* 143. notat, Oblationes quæ ad Imagines Ecclesiarum Regularium fiunt, non Parocho, cui de jure deberent, sed Monasterio pro Religiosis ibi servientibus acquiruntur.

Ad 4. Laici Sæculares Juris percipiendi Oblationes, quæ Religionis intuitu in Ecclesiis fiunt, incapaces omnino sunt, secluso privilegio Apostolico, ut expressè habetur *can. quia Sacerdotes* 13. *can. Sanctorum* 14. *& can. fin. caus.* 10. *quæst.* 1. *can. pervenit* 3. *caus.* 16. *quæst.* 7. *cap. quamvis* 17. *hoc tit.* ubi prohibetur,

ne

ne Laico Decimæ, & Oblationes conccdantur à Prælatis Ecclesiæ. Ratio perspicua est, quia jus percipiendi Oblationes, ad Cultum Divinum factas, est Spirituale, atqui proprietas, & possessio Juris Spiritualis, secluso privilegio Apostolico, non cadit in Laicos. *Ex quo sequitur*, quòd isti Jus hoc nec per consuetudinis, aut præscriptionis viam possint acquirere. Neque contrarium probat consuetudo, qua festo Purificationis B.V. cerei offeruntur Laicis; quia hæc non est Oblatio, de qua hìc agitur, sed tantùm donatio alicujus rei benedictæ, qua Fideles juventur, & excitentur ad devotionem; ut bene advertit Suar. *tom.* 2. *de Relig. l.* 1. *cap.* 7. *num.* 5.

92 Dub. 3. à quibus personis fieri, & accipi possint Ecclesiasticæ Oblationes? Resp. fieri, & accipi possunt ab omnibus Christi fidelibus baptizatis, modò ab Ecclesia præcisi non sint, & non obstet Lex Justitiæ, Pietatis, Charitatis, aut timor scandali, vel Ecclesiæ prohibitio specialis.

Hinc 1. non sunt accipiendæ Oblationes Infidelium, Hæreticorum, & eorum, qui Excommunicati denuntiati sunt, ut patet ex Concil. Laodic. *cap.* 37. Illiberitano *cap.* 28. & statuitur à Clem. Rom. *l.* 3. *Const. Apost. cap.* 8. quia ab Ecclesia sepatati, vel præcisi sunt.

2 A Raptoribus *cap. super* 9. *de Raptorib.* Usurariis manifestis *cap. quia in omnibus* 3. *de Usur.* Oppressoribus pauperum *can. Oblationes* 2. *dist.* 90. quia censentur aliena offerre, & quæ sunt restitutioni obnoxia.

3 A Debitore, si per ejusmodi Oblationes fiat impotens ad solvenda debita sua; quia ejus bona illo casu ex Justitia sunt obnoxia Creditoribus.

3 4 A Filiof. si deinde parentes necessitatem passos sustentare non posset; quia tunc Oblatio facta Ecclesiæ repugnaret Pietati parentibus debitæ.

5 A Meretrice, vel Peccatore publico, antequam emendentur; quia putaretur Ecclesia Oblationes recipiens favere illius delicto, aut saltem illud ob ejusmodi Oblationes dissimulare, ne puniat.

6 Denique ab aliis, quos Ecclesia ab Oblationibus speciali prohibitione arcet in pœnam criminis, quales sunt Rebaptizati, & ii, qui infantes suos rebaptizari curant *can. eos quos* 118. *de consecr. dist.* 4. & Concil. Illerdens. *cap.* 13. Sacrilegi *can. de viro* 17. *caus.* 12. *quæst.* 2. Violatores Immunitatis Ecclesiasticæ per extractionem reorum ex Asylo Sacro *can. miror* 8. *caus.* 17. *quæst.* 4. Notoriè diffidentes *can. Oblationes* 2. *dist.* 90. Pœnitentes publicè *can. eos quos cit.* Matricidæ *can. latorem* 15. *caus.* 33. *quæst.* 2.

Quæritur 4. ad quem pertineat administratio Oblationum destinatarum ad certos usus? Resp. Jure communi, & Parochialitatis ea præ aliis competit Parocho, nisi aliud inductum sit consuetudine; hac enim induci potest, ut Oblationes ejusmodi percipiantur, custodiantur, & in usus ab offerentium intentione destinatos convertantur ab aliis, etiam Laicis, sed ab his non Jure proprio, quia ejusmodi Juris, utpote Spiritualis, incapaces sunt; sed tanquam à meris ministris ab Episcopo, vel Parocho ad id deputatis. Hæc satis certa.

9 *Dubium est* 1. in quos usus converti debeant Oblationes Ecclesiis, aliisque locis miraculosis factæ? Respond. regulariter converti debent in eos usus, ad quos Fidelium offerentium intentione destinatæ sunt. *Clem. quia contingit* 2. *de Relig. domib.* Si certi usus ab offerentibus non sint expressi, impendendæ sunt in ejusmodi locorum miraculosorum fabricam, ornamenta, & conservationem, atque augmentum Divini in iis Cultus, ut ex communi sensu DD. tradit Card. de Luca *de Decim. disc.* 19. *num.* 10.

Excipitur, si Ecclesia, vel locus ejusmodi miraculosus talibus Oblationibus non indigeret; tum enim, si justa causa id exigat, vel suadeat, legitima authoritate in alios, præsertim, qui publicum Ecclesiæ bonum spectent, usus converti poterunt, ut clarè desumitur ex *Clem. quia contingit* 2. *de Relig. domib.* & Trid. *sess.* 22. *cap.* 6. *de reform.*

9 Dub. 2. qua authoritate converti in ejusmodi usum Oblationes possint? *Certum est*, posse ita converti saltem authoritate Apostolica, ut patet ex Trid. *cap.* 6. *cit. & Clem. quia contingit* 2. *de Religios. Domib.* ibi, *Salva quidem Sedis Apostolicæ authoritate:* & ratio est, quia Pontifex habet supremam, generalem, & liberam rerum, ad finem supernaturalem destinatarum, & Ecclesiasticarum omnium administrationem, ac dispositionem, immediatè à Christo ipso acceptam, ex doctrina communi cum S. Thom. 2. 2. *quæst.* 100. *art.* 1. *ad* 7.

Dubium procedit de Episcopo, & aliis inferioribus Prælatis; & *Rationem dubitandi* faciunt verba *Clem.* præallegata, ubi potestas convertendi Oblationes in alios usus per modum Exceptionis adstruitur Papæ, atqui ex communi Regula expressio, & exceptio unius firmat Regulam in contrarium pro casibus non expressis, vel exceptis. ergo hoc ipso potestas illa censeri debet negata Episcopis, aliisque inferioribus Prælatis.

Sed dicendum, etiam Episcopali authoritate Oblationes, ad certos usus destinatas, in alios usus converti posse, si causa justa sic suadeat, vel exigat. Ita P. Vviest. *hìc num.* 150. & consentire videntur, quotquot docent, quòd ultimæ Voluntates defunctorum, justa causa suadente, vel exigente, ab Episcopo commutari possint, quod cum Sylv. *V. Legatum* 4. *quæst.* 12. communis sententia DD. docet. Colligitur 1. ex *can. præter* 6. *hoc vers. deinde dist.* 32. ubi ejusmodi Oblationes dicuntur esse in dispositione Episcopi. 2. Ex Trid. *cap.* 1. *cit.* ubi Episcopis stabilita est facultas faciendi commutationes ultimarum Voluntatum, & cons. etiam convertendi Oblationes in alios usus, quàm sint destinatæ. 3. Ex mente, & intentione offerentium, quæ per ejusmodi conversionem non immutari, sed potiùs declarari censetur; meritò enim præsumi potest, quòd in ejusmodi usus oblata voluissent converti, si scivissent hac conversione obtineri utilitatem majorem. 97

Ad textum *Clem. cit.* dico, prohibitionem verbis illius contentam commodè referri posse ad casum, quo aut deest justa causa de Oblationibus aliter disponendi, aut conversio fit in usus profanos, proprios, aut minùs utiles, ut aliis *citt.* explicat P. Vviest. *hìc numer.* 150. *fin.*

Dub. 3. an conversio Oblationum in usus alios fieri possit etiam potestate Magistratus Sæcularis? Respond. 98
non posse, qualiscunque ille sit Magistratus, etiam Supremus, Jure communi spectato. Ita expressè *cap. quæ in Ecclesiarum* 7. *de constit. cap. fin. de reb. Eccl. non alien. cap. si adversùs* 7. *de Immunit.* Ratio est, quia ad res spirituales, quæ ad finem supernaturalem, h. e. cultum Dei, Sanctorum venerationem, & animarum salutem pertinet, potestas sæcularis se non extendit, quippe quæ merè Politica est, & immediatè temporalem solùm felicitatem Reip. spectat. atqui res oblatæ Ecclesiis hoc ipso, quòd ad cultum Dei oblatæ sint, spirituales fiunt. ergo &c.

Addidi, *Jure communi spectato*; quia Jure speciali potestas ista competere etiam Magistratui, & Principi Sæculari potest, ut omnes fatentur, & probat manifesta ratio; nam ejusmodi potestas non ita Spiritualis est, ut non à titulo Spirituali separari queat, cùm non supponat Ordinem aut Episcopalem, aut Sacerdotalem, aut alium. 99

PARS IV.

De Clero Regulari, hujusque Juribus, & Obligationibus.

HActenus de Clericis actum est: Ordo doctrinæ nunc postulat, ut etiam aliquid dicamus de altero Personarum Ecclesiasticarum genere, videlicet de Regularibus, quod fiet per novem insequentes Titulos.

TITULUS XXXI.

De Regularibus, & Transeuntibus ad Religionem.

REgularem Professio ad Regulam in Ordine aliquo ab Ecclesia approbato efficit: isti Novitiatus præmittitur. Hinc antequam ad ulteriora pergamus, de Regularium Novitiatu, & eorum Professione tractandum venit.

§. I.

De Natura, Institutione, & Varietate Status Religiosi.

SUMMARIUM.

1 *Diversa acceptio Vocis* Religio.
2 *Definitio Status Religiosi.*
3 *Quoad substantiam originem habet ex institutione Christi.*

4 *Quoad*

4 *Quoad modum ab Ecclesia.*
5 *Triplex Statuum Religiosorum genus.*
6 *Quodnam ex his sit perfectius?*
7 *Diversitas Religionum sumitur ex fine, & mediis, quibus ad eum finem utuntur.*
8 *Quatuor principales Regulæ.*
9 *Divisio Ordinum in Monachales, Clericales.*
10 *Mendicantes, Militares, Hospitalarios.*
11 *Societas JESU pertinet ad Ordines Clericorum, & Mendicantium.*
12 *Etiam prout complectitur Scholasticos, degentes in Collegiis.*

1 QUæritur 1. quid sit *Religio*, sive *Status Religiosus*? Resp. *Religio* varias significationes habet; accipitur enim 1. pro Virtute, qua Deo debitus exhibetur Cultus, 2. Pro communitate, seu universitate verum Deum rite colentium per fidem, vel etiam bona opera: & sic comprehendit omnes Christianos; unde etiam *Religio Christiana* dicitur. 3. Pro communitate, quæ per specialem vivendi modum se Deo, ejusque obsequio dedicat: quod dupliciter fieri potest, *minus strictè* per Ordinem susceptum, Votum Castitatis, vel aliud quodcunque vinculum; & *strictiùs* per tria Vota Substantialia in Religione ab Ecclesia approbata.

2 Sic accepta Religio *Status Religiosus* dicitur, quia hominem in certo, & ex natura sua perpetuo statu collocat: illi autem, qui eam profitentur, vocantur Religiosi, & Regulares: *Religiosi* quidem à Religione, quam profitentur; *Regulares* autem à Regula, sub qua vivunt. Definitur in hoc sensu sumpta *Religio*, sive *Status Religiosus*, quòd sit stabilis in commune vivendi modus fidelium, ad Christianæ Charitatis perfectionem tendentium, editis tribus substantialibus Votis Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ, ab Ecclesia approbatus. Ita Laym. *l.* 4. *tract.* 5. *cap.* 1. *num.* 1. & quoad sensum DD. cæteri.

3 Quæritur 2. quo Jure sit institutus Status Religiosus, Divino, an Ecclesiastico tantùm? Resp. si spectetur secundùm se, & quoad substantiam suam, institutus est ab ipso Christo Domino in nova Lege; si verò quoad peculiarem, & determinatum modum vivendi, sive Regulam, originem suam debet institutioni Ecclesiæ. Ita Suar. *tom.* 3. *de Relig. l.* 3. *cap.* 2. *num.* 3. *& seqq.* Bellarm. *l.* 2. *de Monachis cap.* 4. Ponr. *l.* 7. *de Matr. cap.* 2. *&* 3. Pirh. *hic num.* 18. *&* 19. Wiest. *tit. de Stat. Monach. & Canon. Regul. num.* 1. *& duobus seqq.* cum communi DD.

Pars 1. *responsionis* constat ex variis textibus Evangelii, quibus Christus Dominus ad tria Consilia Evangelica observanda, & ad Vota perpetua de illis facienda cohortatus est homines, *Paupertatis* quidem *Matth.* 19. *v.* 21. *Vade, & vende omnia &c. Castitatis* ibidem *v.* 12. *Sunt Eunuchi, qui seipsos castraverunt propter Regnum cœlorum &c. Obedientiæ*, quæ in abnegatione sui, & propriæ voluntatis consistit *Matth.* 16. *v.* 24. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum.* Nec inanis fuit hæc cohortatio, sed eidem Apostoli magna promptitudine, & fervore obsecuti sunt: quod ostenderunt, dum omnium nomine respondens Petrus, *Ecce*, inquit, *nos reliquimus omnia, & secuti sumus te*; ut adeo ipsi primi fuerint Religiosi novi Testamenti, & conf. Status Religiosi institutio non sit ita Novitia, quemadmodum Hæretici nostri temporis criminantur.

4 *Pars* 2. patet ex eo, quia Religionum institutio pendet ad approbatione Ecclesiæ, sine qua, ut *infrà num.* 21. dicetur, nullus est Ordo Religiosus. *Ex quo sequitur*, quòd Ecclesia libera sua voluntate possit certas conditiones statuere, per quas constituatur Status Religiosus, easque pro temporum varietate mutare, uti etiam fecit non in uno exemplo. 1. *In ordine ad contrahendum Matrimonium*, cujus contractus post emissa Vota Religiosa nunc est invalidus, prioribus Sæculis tantùm erat illicitus. Pirh. *hic num.* 19. 2. *In ordine ad firmitatem vinculi* per Vota Religiosa inducti; de facto enim Vota Religiosa omnia, præter Simplicia Societatis, inducunt absolutam indissolubilitatem, quam non induxerunt primis temporibus; poterant enim Religiosi ob justam causam dimitti ex communitate Religiosa, & omnino liberari ab obligatione suorum Votorum, ut fusè probat Suar. *tom.* 3. *de Relig. l.* 2. *cap.* 14. *num.* 14. *& pluribus seqq.* & ex eo refert Pirh. *loc. cit.* 3. *In ordine ad dominium rerum temporalium*; nam hujus defacto incapaces sunt Religionem professi, qui tamen illius incapaces non erant antiquitus, quippe qui per ultimam Voluntatem de illis disponere, imò alii ipsis succedere ab intestato poterant, ut constat ex *l. generali* 13. *C. de SS. Eccl. & l. si quis* 20. *C. de Episcop. & Cleric.*

Quæritur 3. quot sint genera statuum Religiosorum? Resp. sunt maximè tria, videlicet eorum, qui profitentur Vitam Contemplativam; eorum, qui Activam; & denique eorum, qui ex utraque mixtam. *Vitam Contemplativam* profitentur Religiones Monasticæ SS. Basilii, Benedicti, Bernardi, Brunonis &c. quia ex proprio instituto principaliter soli orationi, lectioni spirituali, & rerum Divinarum contemplationi vacant. *Vitam Activam* habent Religiones Militares, & Hospitalarii; quia principaliter exercentur in operibus Misericordiæ tum Spiritualibus, tum temporalibus circa proximum. *Vitam Mixtam* denique Religiones illæ, quæ utrique scil. tam activæ, quàm contemplativæ Vitæ æqualiter intenti sunt, uti sunt Religiosi SS. Augustini, Dominici, Francisci, Societatis Jesu &c. 5

Inter istos tres modos vivendi Vita Contemplativa est simpliciter melior, & perfectior, quàm sit sola Activa juxta illud Christi: *Maria* (per quam Vita contemplativa adumbratur) *optimam partem elegit*. Luc. 10. v. 42. Utraque tamen perfectior est Vita Mixta, ut communiter notant DD. cum S. Thom. 2. 2. *quæst.* 188. *art.* 6. *in Corp. prope finem*. Ratio est, quia hæc Vita est magis conformis Vitæ Episcoporum, quæ omnium perfectissima est, imò Apostolorum, & ipsius Christi Domini, qui omnis Perfectionis Idea, & Exemplar perfectissimum est. Accedit, quia Religiones, quæ Vitam Mixtam profitentur, instructæ sunt optimis mediis, & exercitiis ad Charitatis Christianæ perfectionem consequendam, atque vi Instituti sui simul vacant Deo, & proximo propter Deum. 6

Quæritur 4. unde desumatur diversitas Ordinum Religiosorum? Resp. desumitur ex duobus. 1. Ex fine cujuscumque proprio, ac particulari, ad quem quisque Ordo est institutus. 2. Ex diversis mediis, & Spiritualibus Exercitiis, quibus ad finem suum tendit, & ad ipsa Vota observanda utitur. Utrumque proponitur per Regulas, & Constitutiones cujuscumque Ordinis: proinde illæ Religiones diversæ erunt, quæ vel diversas Regulas, vel diversas saltem Constitutiones habent. 7

Addidi *diversas Regulas, vel constitutiones*; nam plures sunt Ordines, qui eadem utuntur Regula, sed tantùm diversas Constitutiones habent: imò communiter à DD. non nisi quatuor Regulæ approbatæ numerantur, videlicet SS. Basilii, Augustini, Benedicti, Francisci. *Prima* utuntur penè omnes Monachi Græci, & Ecclesiæ Orientalis. *Secunda* Canonici Regulares, & Eremitæ S. Augustini, Præmonstratenses, Dominicani, Ordo Servorum B. V. &c. *Tertia* PP. Benedictini, Cistercienses, Cluniacenses, Camaldulenses, Cœlestini &c. *Quarta* Minores de Observantia, Conventuales, Capucini, tertii Ordinis de pœnitentia &c. peculiarem, & à ceteris distinctam Regulam habent Carthusiani, Minimi S. Francisci de Paula, & Societas Jesu. Vide Barbos. *l.* 1. *Jur. Eccl. cap.* 41. ubi fusè recenset, qui Ordines sub quavis Regula militent. 8

Quæritur 5. ad quot supremas species reduci tota Religionum, seu Ordinum diversitas possit? Resp. maximè ad quinque; nam aliqui Ordines sunt Monachales, alii Clericales, alii Mendicantes, alii Militares, alii Hospitalarii. 9

Monachales sunt, qui vi proprii instituti per se primò non ordinantur ad ministeria Clericorum, sed principaliter profitentur Vitam contemplativam, & solitariam, ut constat ex *can. Monachus* 4. & *can. seq. caus.* 16. *quæst.* 1.

Clericales sunt, qui per se primò, & ex proprio Instituto suo Ministeriis Spiritualibus occupantur, & ad ea Ordinatione Ecclesiastica deputantur.

Mendicantes, qui Vitam Activam contemplativæ jungentes, vi Instituti sui excludunt possessionem bonorum immobilium, & vivunt ex piorum largitionibus, & Eleemosynis; quales sunt Ordines Prædicatorum, Minorum S. Francisci, Eremitarum S. Augustini, Carmelitarum &c. 1

Militares, qui per se primò, & vi proprii Instituti ordinantur ad militandum pro defensione Fidei Christianæ, & Ecclesiæ Catholicæ adversùs Barbaros aliosque ejusdem hostes: cujusmodi sunt Ordo Equitum S. Joannis Jerosolymitani, S. Mariæ Teutonicorum &c.

Hospitalarii denique, qui per se primò, & ex vi Instituti sui ordinantur ad exercitium Hospitalitatis, h. e.

h. e. peregrinorum receptionem, infirmorum curationem &c.

Quæritur 6. ad quam speciem ex relatis pertineat Societas Jesu? Resp. pertinet simul ad speciem Ordinum Clericalium, simul etiam ad speciem Mendicantium. *Primum* patet; quia ex Instituto suo occupatur in Ministeriis Spiritualibus, & procuratione salutis animarum, cultusque Divini, & inter hos etiam connumeratur in confirmatione Instituti sui. *Alterum* indubitatum est quoad Societatem professam, & Coadjutores formatos; nam isti per se loquendo habitare deberent in Domibus Professis, quæ ex vi Instituti Societatis bona stabilia possidere nequeunt, sed vivunt ex solis piorum Eleemosynis, ut patet ex *Constit. societ. p. 6. cap. 2. numer. 4. & 5.* & *Constit. Apost.* Pauli III. 1540. Julii III. incipit *Exposcit edita 1562. Calend. Aug.* & S. Pii V. incipit *Dum indefessæ edita 1571. die 7. Jul.*

Difficultas aliqua moveri posset de Societate, prout complectitur Scholasticos, degentes in Collegiis, quæ ex vi Instituti Societatis reditus, seu Census, & possessiones, seu bona stabilia studentium usibus, & necessitatibus applicanda habent. *Rationem dubitandi* facit *cap. un. §. confirmatos de Relig. domib. in 6.* ubi dicitur Mendicantes esse, quibus per Regulam, quam profitentur, interdictum est habere reditus, aut possessiones aliquas.

Sed dicendum, societatem, etiam ut sic consideratam, verè, & propriè Mendicantem esse, & cæteris Ordinibus Mendicantibus accensendam, prout constat ex *Constit. Pii V. cit.* in qua declaratur, non tantùm societatem, sed etiam *singulas illius personas verè, & non fictè Mendicantes fuisse, esse, & fore*; adeòque etiam Scholasticos. *Ratio est* 1. quia una Religio non potest diverso Jure censeri, aut simul esse diversorum Ordinum; alias non una esset, sed multiplex, atqui Scholastici unam societatem constituunt cum Professis, & Coadjutoribus formatis. *Const. p. 5. cap. 1. num. 1.* & *Declar. ibid. Lit. A.* ergo etiam Scholastici ejusdem sunt Ordinis Mendicantium. 2. Major, & dignior pars trahit ad se minorem, quæ proinde etiam denominationem ab ea accipit. atqui major, & dignior pars societatis sunt Professi, & Coadjutores formati, quæ Mendicantes sunt. ergo &c. 3. Religiosorum diversitas, ut *num. 7.* dixi, sumitur ex fine, ad quem tendunt. atqui scolastici Societatis sunt quasi in via, ut fiant Professi, vel Coadjutores formati. ergo meritò ab istis denominationem accipiunt.

Neque obstat ratio dubitandi allata; nam textus *cap. un. citt.* intelligendus est respectu totius Corporis, seu Religionis: unde sufficiet, quòd ista vi Instituti sui saltem quoad partem præcipuam redditibus, & possessionibus careat; aliàs si hæc obstarent, præter FF. Minores de Observantia, & Capucinos jam nullus ampliùs daretur Ordo Mendicans, quippe cùm cæteris omnibus possessionem bonorum immobilium permiserit Trid. *sess. 25. cap. 3. de Regular.*

§. II.

De Requisitis ad Substantiam Status Religiosi.

SUMMARIUM.

13 *Requisita ad Substantiam Religionis.*
14 *An ad hanc requiratur solemnitas Votorum? Rationes dubitandi.*
15 *Deciditur pro negativa.*
16 *Solvuntur objectiones.*
17 *An requiratur obligatio tam ex parte Religiosi, quàm ex parte Religionis perpetua?*
18 *Resolvitur quæstio.*
19 *Respondetur ad rationem dubitandi.*
20 *An requiratur Vita communis?*
21 *Respondetur, ex natura Status Religiosi non requiri.*
22 *An necessarium sit esse approbatam à Summo Pont.*

Quæritur 1. quænam requirantur ad substantiam veræ Religionis? Resp. quatuor maximè. 1. Ut serventur tria Consilia Evangelica, paupertatis, castitatis, & obedientiæ §. *cùm ad Monaster. 6. in fin. de Stat. Monach.* Ratio est, quia cùm status Religiosus ex vi institutionis suæ tendat ad perfectionem, debet observare ea, de quibus Christus in Evangelio dixit: *Si vis perfectus esse &c.*

2. Ut hæc Consilia Evangelica Voto, perpetuam obligationem continente, firmentur. S. Thom. 2. 2. *quæst. 186. art. 6.* Ratio est, quia status perpetuitatem denotat, saltem ex parte voventis.

3. Ut hæc Vota emittantur in aliqua Religione à Sede Apostolica approbata, ita, ut non tantùm approbetur ipse vivendi modus, sed etiam expresè, ut vera Religio, ut constat ex *cap. fin. de Religios. Domib.* & *cap. un. eod. in 6.* quibus textibus Religionum approbatio causis Majoribus, Sedi Apostolicæ reservatis, connumeratur.

4. Ut is, qui hæc Vota Religiosa emisit, vivat sub certa aliqua Regula, seu Constitutionibus, & sub Prælati, seu Superioris Jurisdictione, aut potestate speciali, qui illa Vota per se, vel per alium loco sui constitutum acceptet, & ipsum Religiosum sibi subjectum habeat.

14 Quæritur 2. an de Essentia Religionis sit, ut Vota, quæ in illa emittuntur, sint solemnia? Non defuerunt DD. qui affirmativam defenderent, videturque hoc colligi 1. ex *cap. porrectum 13. h. tit. cap. religioso 21. §. fin. de sent. Excomm. in 6.* & aliis textibus, quibus dicitur, Religiosorum fieri per professionem; Professio autem non fit, nisi per Vota solemnia. ergo &c. 2. Ut fiat quis Religiosus, opus est, ut seipsum Deo, & Religioni tradat per Vota Religiosa. atqui per Vota simplicia non fit hujusmodi traditio sui, sed tantùm promissio. ergo &c. 3. Si sufficerent Vota Simplicia, Religiosus dici posset etiam ille, qui emisso Voto Paupertatis, & Castitatis, Obedientiam vovet alicui Episcopo, vel Confessario, quod falsum est. 4. Saltem Vota solennia constituunt Statum longè perfectiorem, & firmiorem, quàm simplicia; per illa enim vovens magis perpetuò, & stabiliter se tradit Religioni, eique adstringitur arctiùs.

15 Sed tenenda est negativa sententia, videlicet ad constituendam verè, & propriè dictam Religionem satis esse emittere in illa Vota Simplicia. Est indubitatum hodie post *Constitutionem Gregorii XIII.* incipit *Ascendente*, ubi statuitur eos, qui in Societate Jesu tria Vota substantialia, tametsi simplicia, emiserunt, verè, & propriè Religiosos esse. Neque aliud natura ipsius Status Religiosi exigit. 1. Quia, ut multis ostendit Pontius *l. 7. de matr. cap. 22. num. 2. & 3.* & ex eo notat Pal. *tract. 16. D. 1. p. 1. num. 5.* primis Ecclesiæ Sæculis in Religionibus SS. Basilii, Augustini, Benedicti non solemnia, sed simplicia edebantur Vota. 2. Solemnitas Votorum, ut ex *cap. un. de Vot. in 6.* & *Constit. Gregorii XIII. cit.* constat, ex sola Ecclesiæ institutione inventa, & introducta est. ergo sicut Ecclesia approbare potuit Religionem cum Votis solemnibus, ita etiam cum Simplicibus. 3. Etiam per Vota Simplicia potest se perpetuò, & irrevocabiliter tradere Religioni, & traditio sic facta à Superiore Religioso acceptari, ita, ut vovens vi talis traditionis teneatur per media in tali Religione præscripta ad perfectionem Christianam tendere, hoc autem, & non plus ad Statum Religiosum, ex natura institutionis suæ requiritur. ergo &c.

16 Neque obstant Argumenta contraria. *Ad* 1. textibus *citt.* ad constituendum Religiosum requiritur Professio, quia eo tempore, quo editi sunt, Ecclesia non acceptavit Religionem, nisi cum Votis Solemnibus. *Ad* 2. patet ex *Ratione tertia*; quòd etiam per Vota Simplicia possit fieri traditio, quæ ad Statum Religiosum requiritur. *Ad* 3. subjectio, quæ per Votum Obedientiæ fit Episcopo, vel Confessario, non acceptatur ab Ecclesia, nec approbatur, sicut tamen acceptari, & approbari debet subjectio per Votum Obedientiæ; qua quis Religiosus efficitur. *Ad* 4. major firmitas Religiosi Status, quæ ex Solemnitate Votorum provenit. Religioso Statui essentialis non est, cùm sine illa perstiterit, & in Societate Jesu adhuc persistat ratio vera Religionis.

17 Quæritur 3. an possit dari vera, & propriè dicta Religio, in qua Religiosus habeat perpetuam obligationem manendi in Religione, etsi Religio non teneatur ipsum perpetuò retinere, sed ob justas causas eundem possit dimittere? *Ratio dubitandi est*, quia emittens Vota Religiosa quasi contrahit cum Religione, & Religio cum ipso, dum ipse se Religioni tradit, & Religio traditionem acceptat, ac vicissim se obligat ad præbenda ei alimenta, aliaque necessaria. igitur Contractus iste sequi debet naturam aliorum Contractuum; conf. vitiosè claudicare non potest; quod tamen fieret in casu præsentis dubii; nam Religiosus susciperet obligationem perpetuam, & absolutam, Religio vicissim revocabilem, & conditionatam, quamdiu scilicet ad commune bonum Religionis expedire id judicaverit.

Verùm

18 Verùm hoc non obstante, certa est affirmativa sententia, prout de Societate Jesu declararunt Summi Pontifices, Julius III. in confirmatione Instituti Societatis 1550. & Gregorius XIV. in Bulla edita 1591. Dicendum itaque, ad hoc, ut aliquis sit verè ac propriè dictus Religiosus, sufficere, si saltem ex parte voventis detur obligatio perpetuò manendi in Religione, licèt Religio non habeat vicissim obligationem absolutam eum perpetuò retinendi. Ita Suar. *tom.* 3. *de Relig. l.* 2. *cap.* 14. *num.* 12. Sanchez *l.* 5. *moral. cap.* 1. *numer.* 26. *prop. fin.* Less. *l.* 2. *de l. & l. cap.* 41. *numer.* 8. *vers. neque obstat*, Pirh. *hic num.* 6. Ratio est, quia ad Statum Religiosum non requiritur major immobilitas, quàm quæ requiritur ad Statum in genere. atqui ad Statum in genere sufficit, ut quis seipsum non possit ab ea vitæ conditione liberare, nec propria sponte recedere, quamvis possit potestate Superioris, præsertim supremi, ab ea eximi: Patet in Servo, qui in immobili Statu Servitutis esse dicitur, licèt Dominus illum manumittere possit, ideo solùm, quia eo se Statu propria sponte liberare non potest. ergo etiam ad Statum Religiosum sufficiet; aliàs ne Professi quidem veri Religiosi essent, cùm liberari à vinculo Professionis saltem Pontificis authoritate possint.

19 *Ad Rationem dubitandi* ergo, quòd Contractus ejusmodi vitiosè claudicet, quia utriusque, Religionis videlicet, & Religiosi voluntate est initus, liberum autem est contrahentibus adjicere contractui conditiones, quas sibi convenientes, vel necessarias judicaverint. Adde, non esse contra Justitiam naturalem, ut bonum privatum communi cedat. est autem bonum Religionis bonum commune. ergo &c.

20 Quæritur 4. utrum ad substantiam veræ Religionis requiratur Vita communis? Resp. spectato Jure Ecclesiastico novo, & hodierno, affirmativè. Ita Suar. *tom.* 3. *de Relig. l.* 2. *cap.* 4. *numer.* 1. Pellizar. *tom.* 1. *tract.* 1. *cap.* 1. *quæst.* 12. *num.* 18. Pirh. *hic num.* 18. & patet ex *cap. fin. de Religios. domib.* & *cap. un. eod. in* 6. ubi statuitur, Vota Religiosa, seu Professionem Religiosam debere fieri in Religione approbata à Sede Apostolica. atqui secundùm præsentem Ecclesiæ consuetudinem Sedes Apostolica non approbat, nisi Statum Cœnobiticum, seu in commune viventium sub uno capite, seu Prælato Ecclesiastico, & sub una Regula approbata ad Christianam Perfectionem tendentium. igitur ut quis fiat Religiosus, necesse est, ut fiat membrum talis communitatis, cons. in communi vivat, vel saltem habeat communem Prælatum, & Regulam, sub qua vivat.

21 Dixi, *Spectato Jure Ecclesiastico novo, & hodierno*; nam ex natura sua Status Religiosus non necessariò requirit vitam communem. Si enim illam requireret, requireret eam vel ratione Status ut sic, vel ratione Perfectionis: non ratione Status ut sic; quia hic solùm dicit immobilitatem: non ratione Perfectionis; quia ad hanc tendere etiam vitam solitariam degens potest. ergo &c. Sufficit ergo per se loquendo ad Vitam Religiosam, si is, qui eam profitetur, habeat reliqua, quæ *num.* 13. recensui, requisita, h. e. ut observet Consilia Evangelica, ut horum observantiam firmet Voto, & quidem perpetuo, & ut hæc Vota, tanquam Substantialia Religionis, Dei nomine ab aliquo, ad hoc potestatem habente, acceptentur: & tales Religiosi, ut Suar. *num.* 3. & 4. Pellizar. *num.* 20. Pirh. *num.* 17. existimant, erant antiqui illi Anachoretæ, & quædam Virgines, ac Viduæ.

22 Quæritur 5. an necessarium sit Religionem esse approbatam à Summo Pontifice, & Sede Apostolica? *Rationem dubitandi* faciunt antiquæ Religiones SS. Basilii, Augustini, Benedicti, quæ ab initio à solis Episcopis pro suis Diœcesibus approbatæ fuerunt, ut adeo Pontificis approbatio necessaria esse non videatur.

Sed distinguendum est inter tempora Ecclesiæ ante Lateranense celebratum sub Innocentio III. & tempora, quæ Concilium hoc subsecuta fuere. Priscis illis temporibus Ordinariorum loci approbatio sufficiebat; at in memorato Concilio approbatio Ordinum Religiosorum soli Romano Pontifici deinceps est reservata, prout refertur *cap. fin. de Religios. Domib.* quod Decretum deinde confirmavit Gregorius X. *cap. unic. eod. in* 6. ut adeo nulla Religio nunc esse possit, quæ Sedis Romanæ approbationem non habeat.

§. III.

De Personis Status Religiosi capacibus, vel non.

SUMMARIUM.

Quæritur 1. quinam effici Religiosi possint? Resp. generaliter possunt omnes Christiani, qui Jure non prohibentur. Prohibentur autem

1 *Infantes*, *furiosi*, *amentes*, ut colligitur ex *cap. sicut* 15. *h. tit.* Ratio est, quia in his desideratur usus rationis, & hunc supponens consensus, ac deliberatio, sine quibus nec Professio Religiosa, nec alia Vota obligatoria esse possunt.

2 *Servi* sine licentia Domini: nam sine hac Religionem professi, Dominis repetentibus intra triennium, restituendi sunt cum omnibus, quæ in Monasterium attulere, fide tamen de impunitate accepta *can. fin. caus.* 17. *quæst.* 2. & ratio est, quia, cùm Servus sui Juris non sit, injustè subterfugit Domini potestatem.

3 *Conjux* post matrimonium jam consummatum, nisi adsit justa causa perpetui divortii, vel alter conjux consensum dederit *cap. quidam* 3. & *cap. placet* 12. *de conversione conjugat.* ubi de hoc ex instituto agetur.

4 *Episcopus* consecratus, vel saltem confirmatus; nam hoc Ecclesiam suam propter vinculum Spiritualis Matrimonii, quod inter eam, & ipsum intercedit, inscio aut non consentiente Papa, non potest deserere *cap. licèt* 18. *hic*, *cap. inter* 2. *de Translat. Episc. cap. nisi cùm pridem* 10. *de renunt.*

5 *Magno ære alieno gravatus*; nam obligatio solvendi debita est Juris naturalis, & Divini, & Consiliis Evangelicis prævalet: proinde talis ingressum in Religionem aliquamdiu differre debebit, dum Creditoribus satisfecerit, prout constat ex *Const. Sixti V.* incipit, *Cùm de omnibus edita Cal. Decemb.* 1558.

6 *Ratiociniis*, sive *rationibus reddendis obnoxii*, sive deinde obnoxii ita sint ratione administrationis publicæ, prout decretum jam erat *can. un. dist.* 53. sive ratione administrationis Privatæ, ut colligitur ex *Const. Sixti V. cit.* ubi generaliter à Religione excludit quoscunque ratiociniis obnoxios, si ex hujusmodi causa vel jam illata sit lis aut molestia, vel timeri debeat, ne inferatur.

7 *Criminosi*, quibus timetur pœna mortis, mutilationis, triremis, fustigationis, perpetui exilii, vel alia similis reum infamem reddens. *Constit. Sixt. V. cit.* & *Clem. VIII.* incipit, *In suprema* §. 3. *edita* 2. *April.* 1620.

8 *Liberi* quando ipsorum parentes in extrema, vel etiam gravi necessitate sunt constituti, nam hoc casu ingressum Religionis differre debent, donec illis prospectum sit, ut habetur *can. si qui filii* 1. *dist.* 30. & probat ratio; nam Jure naturali, & Divino obligantur parentibus egentibus subvenire.

9 *Parentes*, si educatione, & opera illorum adhuc indigeant Liberi ob eandem rationem, imò majorem; quia filius ad alendum Patrem solùm obligatur per accidens ratione necessitatis, Pater autem ad alimenta, & educationem Liberorum, tanquam eorum principium, per se, & ratione muneris sui, quod non obscurè

ſcitè indicat Apoſtolus 2. *Cor.* 12. *v.* 14. ibi *Non debent filii Parentibus theſaurizare, ſed parentes filiis.*

3 10 *Non habentes legitimam ætatem*: quæ diverſa eſt Jure antiquo, & novo; nam *Jure antiquo* Novitiatus inchoari, imò Profeſſio emitti poterat à mare 14. ætatis anno expleto, à fœmina anno 12. prout habetur *cap. ad noſtram* 8. *cap. ſignificatum* 11. *cap. cùm virum* 12. *h. t.* & *cap. non ſolùm* 2. *eod. in* 6. quod deinde limitatum eſt *recentiori Jure*, binis ſucceſſivè vicibus: primo quidem per *Clem. fin. h. tit.* qua fœmina Profeſſionem primùm edere permittitur decimò tertio, & mas decimo quinto ætatis anno expleto; deinde verò per Trid. *ſeſſ.* 25. *cap.* 15. *de Regular.* ubi ad valorem Profeſſionis requiritur, ut eam emittens, ſive mas, ſive fœmina ſit, annum decimum ſextum ætatis expleverit.

9 Quæritur 2. quinam Servi prohibeantur ingredi Religionem? Reſp. Jura prohibentia ſervis ingreſſum Religionis, intelligi debent non tantùm de Servis propriè dictis, ſed etiam de Adſcriptitiis, & Originariis, ut aliis *citt.* docent Sylv. *V. Religio* 2. *quæſt.* 3. *in fin.* Azor. *p.* 1. *l.* 12. *cap.* 1. *quæſt.* 3. Sanch. *l.* 5. *moral. cap.* 4. *num.* 48. Pirh. *hic num.* 129. Vvieſt. *num.* 3. *in fin.* Magnif. P. Schmier *p.* 1. *de Perſon. Eccl. cap.* 3. *num.* 93. *Ratio eſt*, quia cùm tales glebæ, ſeu fundo colendo adſcripti, aut ex origine ſua addicti ſint, inde avelli Domino invito, vel ignorante nequeunt, ac proinde ſi abſque Dominorum ſuorum licentia ad Religioſum Statum diſcedant, intra triennium ab iiſdem repeti poſſunt. Porro triennium iſtud computandum eſt à die, quo ad Domini notitiam pervenit ingreſſus ejuſmodi Servi in Religionem, ut rectè advertit P. Vvieſt. *loc. citat.*

0 Si lapſum ſit hoc triennium, diſtingui debet, an Religio bona fide eum receperit, ignorans eſſe Servum, cùm finxerit ſe eſſe liberum, an verò mala. *Si mala*, etiam poſt triennium revocari Servus ita in Religionem receptus poteſt, ne delictum alterius alteri damnoſum ſit. *Si bona*, lapſo triennio, repeti non poteſt ampliùs, etſi profeſſionem nondum emiſerit, ut cum aliis notant Sanch. *l. cit. num.* 43. & 44. ubi dat rationem; quia Dominus non repetens ejuſmodi Servum, cùm poſſet, cenſetur renuntiaſſe Juri ſuo; vel ut alii volunt, intra hoc tempus adverſùs Dominum cenſetur præſcriptum quodammodo. *Neque obſtat*, quòd alias Servus fugitivus etiam longi temporis lapſu non poſſit uſucapi *l. ſervum* 1. *C. de Serv. fugitiv.* nam hoc ſpecialiter conceſſum eſt in favorem Eccleſiæ.

1 Quæritur 3. quando Pontifex Epiſcopo dare poſſit, & ſoleat licentiam ingrediendi Religionem? Reſp. iis caſibus, quibus Epiſcopus renuntiare poteſt Epiſcopatui; tales autem *cap. niſi cùm pridem* 10. §. *intueri de Renunt.* enumerantur ſex.

1 Conſcientia criminis, non tamen cujuſcunque, ſed talis dumtaxat, propter quod executio officii, etiam poſt peractam pœnitentiam, impeditur. 2. Debilitas corporis, per quam impotens redditur ad exequendum officium Paſtorale. 3. Defectus ſcientiæ neceſſaria ad Spiritualium, & temporalium adminiſtrationem, ſi facilè tolli nequeat. 4. Malitia plebis, quæ ita duræ cervicis exiſtat, ut proficere nequeat apud ipſam. 5. Grave ſcandalum populi, quod aliter ſedari non poſſit. 6. Irregularitas perſonæ non diſpenſabilis. Quibus addi ſeptimus caſus poteſt, ſi facilè haberi poſſit alius, qui æquè bene profuturus credatur Eccleſiæ.

2 Extra hos caſus, & cauſas Papa Epiſcopo ingreſſum Religionis concedere non ſolet, nec de Jure debet, etſi hoc petat Epiſcopus ex deſiderio majoris Perfectionis propriæ; quia totius populi Diœceſani bonum commune præferri debet privatæ ipſius Epiſcopi utilitati, ut docet S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 185. *art.* 5. Suar. *tom.* 3. *de Relig. l.* 1. *cap.* 20. *num.* 7. Pal. *tract.* 16. *p.* 7. §. 1. *n.* 3. & 4. Vvieſt. *hic num.* 5.

3 *Proceditque hoc* etiam de Epiſcopis Titularibus, aut Relegatis; quia & ipſi alligati ſunt certæ Eccleſiæ, etſi per accidens ob Infidelium occupationem, vel ob Tyrannorum perſecutionem non poſſint actu præeſſe Epiſcopatui. Pirh. *hic num.* 125. ubi excipit, niſi fortè impedimentum ſit perpetuum, ſine ſpe aliquando recuperandi Epiſcopatum.

4 Quæritur 4. an ſicut Epiſcopus, ita etiam alii Curati, & Beneficiarii Sæculares arceantur ab ingreſſu Religionis? Reſp. negativè: ſed liberè poſſunt ad Regulares tranſire per textum *can. un. cauſ.* 19. *quæſt.* 1. & *can. duæ* 7. *cauſ. cit. quæſt.* 2. ubi Urbanus II. de Clericis Sæcularibus, *qui populum ſub Epiſcopo retinent* h. e. curam animarum exercent, loquens, *Quiſquis igitur*, ait, *hoc Spiritu* (quòd ſc. *in aliquo Monaſterio*, *vel Regulari Canonica ſe ſalvare voluerit*, *ut* ſonant verba antecedentia) *ducitur*, *etiam Epiſcopo ſuo contradicente*, *eat liber noſtra authoritate*: adeoque licentia Epiſcopi non eſt opus.

An verò teneatur Clericus Beneficiarius licentiam ab Epiſcopo ſuo ſaltem petere, magis dubiæ quæſtionis eſt. S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 189. *art.* 7. Azor. *p.* 1. *l.* 11. *cap.* 16. *quæſt.* 3. videntur accedere ad affirmativam. Sed Suar. *tom.* 3. *de Relig. l.* 5. *cap.* 4. *num.* 14. Pal. *tract.* 16. *D.* 1. *p.* 7. §. 1. *num.* 1. propendent in negativam, quòd nullo Jure obligatio hæc imponatur, & textus *l. licèt* 18. *h. tit.* loquatur de Regularibus tranſeuntibus ad Religionem ſtrictiorem. Ego huic ſententiæ aſſentior; addo tamen ab ita ingreſſuro Religionem Clerico, ſi Beneficiarius, præſertim Curatus ſit, propoſitum hoc inſinuandum Epiſcopo, vel ſaltem poſt ingreſſum denuntiandum, ut loco ſui de Paſtore alio provideat, ne oves deſertæ maneant, ut cum iiſdem notat P. Jacob. Vvex. *Ariadn. p.* 5. *tract.* 3. *cap.* 5. §. 1. *n.* 46. Clariſſ. D. Auguſtin. Michel *Theol. Canonic. mor. tom.* 1. *append.* 1. *quæſt.* 2. *p.* 1. *n.* 27. & 28. Magnif. P. Schmier *p.* 1. *de Perſon. Eccl. cap.* 3. *num.* 92.

Quæritur 5. quibus caſibus ære alieno gravatus licitè ingredi Religionem poſſit? Reſp. 1. ſi Creditores 35
in ingreſſum ejuſdem conſentiant; nam volenti non fit injuria. 2. Si nec habeat, unde ſolvat, nec ſperare poſſit ſe acquiſiturum, etſi in ſæculo maneat; quia inanis eſt actio, quam inopia debitoris excludit *cap. olim* 16. *de reſtit. ſpoliat.* & *l. nam is* 16. *ff. de dol.* 3. Si ſolvere quidem partem debitorum poſſit, non autem ſpes ſit, quòd aliquando par ſit futurus toti æri alieno ſolvendo; tunc enim ſufficiet, ſi in favorem Creditorum bonis & actionibus ſuis cedat, & hac ceſſione facta, ingredi Religionem poterint; quia ultra, quàm quis poteſt, nemo tenetur *Reg. impoſſibilium* 185. *ff.* & *Reg. nemo* 6. *in* 6. 4. Si debita ſunt incerta, h. e. nulli determinato debita, ſed reſtituenda pauperibus, vel alteri cauſæ piæ; tunc enim ſatisfaciet, ſi ſe ſuaque omnia Religioni tradat, quippe cùm ejuſmodi traditione obligationem ſuam jam impleat. Pal. *tract.* 16. *D.* 1. *p.* 7. §. 4. *num.* 2.

Extra hos caſus ingreſſus Religionis, ſi fiant ante 36
ſoluta debita, & ſatisfactionem præſtitam Creditoribus, illicitus eſt Debitori, quamvis ab eodem facta ſuſceptio Habitus, & ipſa Profeſſio valida ſit, prout declaravit Clemens VIII. *Conſt.* incipit *In ſuprema* §. 3. *edita* 2. *April.* 1602. ubi ſæpiùs memoratam Conſtitutionem Sixtinam quoad nullitatem ſuſceptionis Habitus, & profeſſionis revocavit ad Jus commune, quo Jure illa nuſpiam irritatur. An verò eo caſu ſic Religionem ingreſſus labore manuum ſuarum, vel alia via decenti teneatur bona acquirere, quibus ſatisfacere poſſit Creditoribus, controverſum eſt apud DD. In affirmativam inclinat cum aliis quibuſdam Suar. *tom.* 3. *de Relig. l.* 6. *cap.* 10. *num.* 7. qui etiam putant eo caſu Prælatum Religionis teneri, ut ad ſic ſatisfaciendum Creditoribus tali ſuo Religioſo facultatem concedat. Sed veriſimiliùs Sylv. *V. Religio* 2. *quæſt.* 4. Sanch. *l.* 4. *mor. cap.* 19. *num.* 14. Leſſ. *l.* 2. *cap.* 41. *num.* 32. Pal. §. 4. *cit. num.* 8. utrumque negant; quia ſic profeſſus non creditorum, ſed Religionis eſt, & profeſſione, facta cum ceſſione bonorum, debita extinxit, igitur ex iiſdem nec Religioſus, nec Religio obligatur ampliùs, niſi in quantum iſta inde facta eſt ditior.

Quæritur 6. quouſque debitor volens Religionem 37
ingredi ſuſpendere propoſitum ſuum debeat, & in ſæculo permanere ad ſatisfaciendum Creditoribus? Certum eſt, ſi intra breve tempus, e. g. biennium, vel triennium ſperet ſe iiſdem ex acquiſitis ratione officii, Beneficii, artificii &c. ſatisfacturum, & interim grave, atque extraordinarium periculum committendi aliquod peccatum mortale ipſi non immineat, illum teneri eò uſque ingreſſum ſuſpendere. Ita Navar. *Comment. de Regular. n.* 8. Azor. *p.* 1. *l.* 12. *cap.* 1. *qu.* 5. Sanch. *l.* 4. *mor. cap.* 19. *num.* 8. Suar. *tom.* 3. *de Relig. l.* 5. *cap.* 7. *num.* 2. Leſſ. *l.* 2. *cap.* 41. *n.* 32. Pal. *tract.* 16. *D.* 1. *p.* 7. §. 4. *num.* 3. Ratio eſt, quia tali caſu debitor cenſetur abſolutè potens ad ſatisfaciendum, cùm abſque gravi difficultate, & brevi tempore id facere poſſit.

Difficultas in eo ſita eſt, an poſſit Religionem in- 38
gredi, ſi primùm poſt biennium, vel triennium, & non antea abſque notabili difficultate ſperet ſe debitum grave ſoluturum? *Negat* cum aliis Valent. 2. 2. *D.* 5. *quæſt.* 6. *p.* 7. *verſ. præter has*, & videtur iſtud probare ratio; quia præceptorum obligatio non eſt omittenda ob opus conſilii, & perfectionis, quale eſt ingreſſus Religionis, atqui quamdiu ſpem debitor habet, quòd ſatisfacere etiam poſt longum tempus Creditoribus poſ-

fit, tamdiu obligatione naturali præcepti adstringitur. Igitur hanc omittere ob ingressum Religionis non potest. *Contrà* alii cùm S. Thom. 2. 2. *quæst.* 189. *art.* 6. *ad* 3. affirmant statim ingredi Religionem posse, si bona, quæ habet, Creditoribus cedat, eo ducti fundamento, quòd obligatio, cujus impletio moraliter est impossibilis, neminem stringat; & talis censeatur esse, cui satisfieri non potest, nisi post longum tempus, cùm ipsa exspectatio tanti temporis gravem admodum difficultatem habeat, & sæpe cum Spiritualis salutis detrimento conjuncta sit.

39 Teneo sententiam mediam, & cum Pal. §. 4. *cit. n.* 6. & 7. distinguendum puto, an debita orta sint ex liberali debitoris promissione, an verò ex contractu, vel delicto. *Si primum*, nullum debitor exspectare tempus tenetur, sed statim potest Religionem ingredi: quia liberalis promissio tacitam imbibit conditionem, *Nisi ad meliorem vitæ frugem transiero*: quod probatur à paritate cum Matrimonio, cujus promissio hanc conditionem imbibit, licèt omnium, quæ in hominum favorem fieri possunt, favorabilior sit, igitur à fortiori eandem imbibent reliquæ. *Si Secundum*, judico cum DD. primæ sententiæ suspendi Religionis ingressum debere, quamdiu spes est Creditoribus satisfactionem præstandi etiam post biennium, vel triennium, ob argumentum pro ea Sententia allatum, & quia non constat hunc favorem Religioni esse concessum, ut debita ejusdem ingressus dissolvat. *Argumentum sententiæ secundæ* moralem impossibilitatem non probat; hæc enim non statim censeri potest adesse, si longiori tempore sit differenda solutio; aliàs probata hac necessaria dilatione, statim à debitorum solutione excusaretur debitor, etsi Religionem non ingrederetur, quod nullus concedet.

40 Quæritur 7. quibus casibus liberi ob paupertatem parentum non teneantur differre Religionis ingressum? Resp. 1. si liberi nec habeant, nec sperare possint media, unde parentum egestati succurrant; quia tunc cessaret finis istius dilationis. Magnif. P. Schmier *p.* 1. *de Person. Eccl. cap.* 3. *num.* 102. 2. Si Filius casu, quo suspenderet Religionis ingressum, pateretur periculum peccandi proximum, quod aliter, quàm per Religionis ingressum vitari non posset. Pal. *tract.* 16. *D.* 1. *p.* 7. §. 5. *num.* 7. qui tamen cum Suar. *tom.* 3. *de Relig. l.* 5. *cap.* 5. *num.* 32. notat tale periculum moraliter vix esse possibile: unde prævalere adversùs naturale præceptum parentibus succurrendi vix aliquando poterit. 3. Si filium pater ad peccatum provocet, & provocationem aliter vitare nequeat, nisi Religionis ingressu: quod tamen rarò continget; plerumque enim sufficienter peccatum fugiet, si in sæculo maneat separatus à patre. Quodsi tamen revera filius provocatione patris se liberare aliter, quàm Religionis ingressu nequeat, iste filio erit licitus, etsi periculum consensus nullum adsit; sufficit enim esse obligatum continuò pravæ patris voluntati resistere, cùm ejusmodi pugnam sustinere grave onus sit reputandum.

41 *Dubitari potest*, utrum filius, extra casum, quo parentes ob paupertatem suam auxilio ipsius indigent, licentia istorum indigeat? Resp. requirendum quidem de honestate, non verò de necessitate, conf. si negetur, ab ingressu Religionis parentum renutus filium non impediet *can. puella* 2. §. *si verò cauf.* 20. *quæst.* 2. Rationem dat Clemens II. *cap. cùm virum* 12. *h. t. in fin.* quia liberi post annos discretionis *liberum habent arbitrium*, *& in electione propositi* (seu status) *sequi parentum non coguntur voluntatem*. Idque desumitur ex Evangelio apud *Luc. cap.* 9. *&* 14. & apud *Matth. cap.* 8. Unde nec minæ, nec preces, nec lachrimæ, nec lamenta parentum, aut propinquiorum curanda; quoniam, ut D. Hieronymus *Epist. ad Heliod.* exhortatur, *per calcatum oportet pergere patrem, per calcatam pergere matrem, & ad vexillum Crucis evolare*; nam summum genus pietatis est in hac materia fuisse crudelem. Eoque sensu capienda est illa Salvatoris apud *Luc. cap.* 14. *cit.* sententia: *Qui non odit patrem suum, & matrem suam, non est me dignus.*

42 Quæritur 8. an sicut ob parentum necessitatem filius, ita etiam ob necessitatem fratrum, & sororum frater impediatur ab ingredienda Religione? Resp. hic distinguendum est inter necessitatem extremam, & gravem. *Ob necessitatem fratrum, & sororum extremam* differre frater Religionis ingressum debet; quia, ut Pal. *tract.* 16. *D.* 1. *p.* §. 5. *num.* 4. notat, ita differendus Religionis ingressus est ob necessitatem extremam cujuscunque proximi. Neque difficile hoc accidere debet habenti propositum ingrediendi Religionem; tum quia detrimentum illud spirituale fructus, quod ea dilatione patitur, charitatis exercitio, quo necessitatem hanc alterius sublevat, compensatur; tum quia necessitatem istam diu durare apparet impossibile, quippe quæ in proximo vitæ periculo tantùm consistit, quod diuturnum esse non potest.

43 *Quodsi fratres, & sorores patiantur necessitatem solummodo gravem*, altera distinctio est adhibenda, & videndum, an illi adhuc sub parentis cura existant, an non. *Si primum*, & ob inopiam patris necessitatem illam patiuntur, tenetur filius ea obligatione, qua parenti debet succurrere, etiam ipsis succurrere; quia tum non tam fratribus, quàm parenti providet. Censentur autem illam pati, quoties pater non absque gravi difficultate se, & liberos suos sustentare potest. Suar. *tom.* 3. *de Relig. l.* 5. *cap.* 6. *num.* 3. Pal. §. 5. *cit. n.* 12. *Si secundum*, communis sententia absolvit fratrem ab obligatione propterea ingressum Religionis longo tempore differendi; quia obligatio succurrendi fratribus, licèt ob conjunctionem naturalem ad idem principium arctior sit, quàm erga extraneos, ex Charitate tamen duntaxat, qua proximum tenemur diligere, provenire, & ejusdem generis cum obligatione succurrendi extraneis esse videtur, atqui ob extraneorum necessitatem gravem tantùm nullus tenetur se longo tempore Religioso Statu privare. ergo nec ob necessitatem fratrum, Suar. *cap.* 6. *cit. num.* 4. Sanch. *l.* 4. *mor. cap.* 20. *num.* 30. Pal. §. 5. *cit. num.* 12. *Proceditque hoc*, etsi sorores patiantur periculum incontinentiæ, nisi manens in sæculo illis provideas, licèt enim laudabile sit eo casu ingressum Religionis differre ad aliquod tempus, obligatio tamen differendi nulla est; quia tuæ curæ commissæ non sunt, ut cum *citt.* advertit Azor. *p.* 1. *l.* 12. *cap.* 1. *quæst.* 8.

44 Quæritur 9. utrum per hoc, quòd à Trid. *sess.* 25. *cap.* 15. *de Regular.* Professioni validæ statuta sit ætas 16. annorum completorum, ab eodem Concilio immutatum, aut correctum sit Jus antiquum quoad inchoationem Novitiatus, & ætatem ad eam necessariam? *Ratio dubitandi* sumitur ex *sess. cit. cap.* 16. ubi statuitur, & præcipitur Superioribus Regularibus, ut finito anno Probationis, Novitios, quos habiles ad Professionem invenerint, ad eandem admittant, aut si habiles illos non invenerint, è Monasterio ejiciant: ex quo colligitur Professionem Religiosam, absoluto Novitiatus anno, statim subjungendam. subjungi autem non posset, si ante 15. ætatis annum aliquis ingrederetur Novitiatum. ergo &c.

Sed dicendum, quoad inchoationem Novitiatus nihil fuisse à Trid. immutatum; conf. etiamnum iste inchoari potest anno decimoquarto ætatis completo, ut rectè monet Azor. *p.* 1. *l.* 12. *cap.* 4. *quæst.* 9. Sanch. *l.* 5. *moral. cap.* 4. *num.* 22. Pal. *tract.* 16. *D.* 1. *p.* 7. §. 2. *n.* 3. Tambur. *de Jur. Abb. tom.* 3. *D.* 6. *quæst.* 2. *n.* 7. Wex. *Ariadn. p.* 5. *tract.* 3. *cap.* 5. §. 1. *num.* 40. *& duob. seqq.* Pirh. *hic num.* 26. Wiest. *num.* 12. & colligitur *arg. l. commodissimè* 10. *ff. de liber. & posthum.*

Neque contrarium probatur ex *cap.* 16. *cit.* quia ibi Concilium non loquitur absolutè, sed ex hypothesi, *Nisi aliquid obstet*, ut aliis *citt.* explicat P. Wiest. *l. cit.* obstat autem hoc nostro casu defectus ætatis. ergo &c.

45 Quæritur 10. quæ sint exceptiones, vi quarum aut major, aut minor ætas, quàm anni 14. in mare, & 12. in fœmina ad ingressum Religionis requiratur? Resp. tres sunt exceptiones, quarum prima est Juris antiqui *cap. quia in Insulis* 6. *h. tit.* ubi Gregorius I. statuit, ut nemo admitteretur ad habitus susceptionem, & Professionem in Monasteriis Insularum minorum, nisi attigisset annum ætatis decimum octavum, ex ratione, quòd durior ibi, & asperior, quàm alibi, sit habitatio. Sed hæc Constitutio hodie non observatur, ut cum aliis notat Pirh. *hic num.* 118. Wiest. *num.* 13.

Excipiuntur 2. Ordines Militares plerique; nam in his Professio emitti potest, & aliquando etiam solet post decimum tertium annum ætatis, etiam ante expletum annum Novitiatus: & ratio est; quia *citat.* Trid. Decreto non comprehenduntur, ut bene observat Azor. *p.* 1. *l.* 13. *cap.* 4. *quæst.* 2. dicens, ita declaratum esse à Cardd. Trid. Interpret.

Excipitur 3. Societas Jesu, ad cujus Novitiatum à Provincialibus nemo admitti potest ante 15. ætatis annum, ut patet ex *Regula Provincialis* 16. & *Congreg. VIII. General. can.* 9. Si secus fiat, susceptio est invalida cum Votis Simplicibus, post biennium expletum secutis, ut cum aliis notat Sanch. *l. cit. num.* 26.

§. IV.

§. IV.

De Anno Probationis præmittendo Religiosæ Professioni.

SUMMARIUM.

46 QUæritur 1. sitne annus Probationis simpliciter necessarius in omni Religione? Resp. affirmativè, proceditque hoc non tantùm secundùm novi Juris instituta, sed tempus hoc jam requirebatur antiquo Jure, ut habetur *can. Gonsaldus* 1. *caus.* 16. *q.* 2. Sed cum hoc discrimine, quòd antiquo Jure annuæ probationis integritati, consensu mutuo utriusque partis, Novitii nempe, & admittentium illum ad Professionem, renuntiari potuerit, ut constat ex *c. ad Apostolicam* 16. *h. tit.* quæ renuntiandi facultas deinde sublata est novissimo Jure Trid. *sess.* 25. *c.* 15. *de Regular.* ubi statuit, *ut deinceps ad Professionem nemo admittatur, qui minore tempore, quàm per annum post susceptum habitum in Probatione steterit:* additque, *aliàs Professionem fore nullam, & nullius effectus.* Ratio sic statuendi fuit justissima, ut sc. Novitius disciplinam, & rigorem Regularis vitæ experiri, & vicissim Monasterium perspicere posset illius mores & indolem, atque ex his judicare, an futurus sit idoneus Ordini, & propterea Fratrum consortio aggregari debeat.

47 Quæritur 2. an tempus Novitiatus possit aliquando esse breviùs annuo? Resp. plures à DD. afferri exceptiones solent; quibus Professio fieri potuit, vel etiamnum potest, anno probationis nondum expleto. Harum prima tenet Jure antiquo, cæteræ etiamnum novo.

Prima est, si ut *num. præc.* dixi, utriusque partis consensu renuntiatum fuit juri probationis annuæ. Excipiebantur FF. Prædicatores, & Minores, aliique Mendicantes Ordines, quibus ne intra annum ad professionem aliquem admitterent, severè est interdictum *c. non solùm* 2. & *c. seq. h. tit. in* 6.

48 Excipiuntur Moniales S. Dominici; nam istæ, si legitimam ætatem habeant, & judicio Medici in articulo mortis constitutæ, quantocius ex hoc sæculo migraturæ sint, ex privilegio, à S. Pio V. ipsis concesso, Professionem, anno Probationis nondum expleto, possunt edere: quæ tamen [illegible] effectum non habet, quàm ut capaces fiant Indulgentiarum, & aliarum gratiarum, quas in articulo mortis cæteri Professi & Professæ consequuntur. Hinc si convalescant, ut consequantur cætera Professorum jura, Probationis annum explere, eoque lapso, Professionem denuo emittendo, priùs editam ratificare debent, ut cum aliis advertit Donatus *tom.* 2. *prax. Regul. tr.* 9. *q.* 16. *numer.* 1, & 2. Privilegio hoc gaudent etiam alii Novitii utriusque sexus cujuscunque alterius Religionis, quæ cum Ordine S. Dominici in privilegiis communicationem habet, ut idem Donat. *l. cit. q.* 15. *n.* 2. advertit, & notat etiam Mirand. *Man. Prælat. tom.* 1. *q.* 22. *art.* 10. *in fin.*

3 Excipiuntur, & secluso Statuto proprio, edere 49 Professionem, anno probationis nondum expleto, possunt Ordines Militares. Azor. *p.* 1. *l.* 13. *c.* 4. *q.* 2. Sanch. *l.* 5. *moral. c.* 4. *n.* 17. Pal. *tr.* 16. *D.* 1. *p.* 12. §. 1. *n.* 6. & alii ab his *citt.* Rationem dant, quia Trid. videtur comprehendisse solùm Religiosos in commune viventes, strictam Paupertatem, Castitatem, & Obedientiam profitentes, quales non sunt Equites Ordinum Militarium. *Neque obstat*, quòd Trid. loquatur generaliter; nam Ordines Militares ob prærogativam, & obsequium, quod Ecclesiæ præstant eam ab hostibus defendendo, non videntur comprehendi in Decretis pro Religiosorum reformatione generaliter latis, sed specifica illorum mentio fieri debet, ut *l. cit.* notat Palao. Addidi *Secluso Statuto proprio*; nam Milites S. Joannis Statutum habent, ne possint Professionem facere ante 16. ætatis annum completum, & ante annum probationis exactum, ut idem Palao *l. eod.* advertit.

4 Excipiuntur Commendatarii Monasteriorum, quæ 50 Capita, ac Primates sunt Ordinum; nam isti intra sex menses solemniter profiteri debent, aut Commendas cedere. Henriquez *l.* 13. *de Excommun. c.* 40. *num.* 2. *comment. lit. O.* Sanch. *l.* 5. *Moral. c.* 4. *num.* 15. Gonzal. *ad Reg.* 8. *Cancell. gloss.* 8. *n.* 88. Pal. *tr.* 16. *D.* 1. *p.* 12. §. 1. *n.* 5. & expressè statuit Trid. *sess.* 25. *c.* 21. *de Regular.*

Quæritur 3. an tempus Novitiatus possit esse longius 51 annuo? Resp. distinguendum inter diversa tempora; nam olim, ut Gloss. *in can. Consaldus* 1. *V. unius anni caus.* 17. *q.* 2. existimat, tempus Novitiatus fuit arbitrarium, & plus, vel minus temporis requirebatur pro qualitate ipsorum profitentium: interdum requirebatur biennium ex Decreto S. Gregorii *can. Monasteriis* 6. *caus.* 19. *q.* 3. in viris militaribus verò, si Religionem ingrediebantur, idem pontifex *can. un. dist.* 53. requirebat triennium: quod deinde Bonifacius V. *can. siquis* 4. *caus.* 17. *q.* 2. extendit etiam ad casum, quo ignotus quicunque Monasterium ingredi voluit. Hodierno Jure in plerisque Religionibus tempus probationis est annuum, ita, ut post illud Novitius statim admitti ad professionem possit.

Excipitur Societas JESU cum quibusdam aliis Re- 52 ligionibus, in quibus alter annus superaddi debet: quod in Societate adeo strictè requiritur, ut si quis ante probationis biennium completum ad Vota Religiosa absque dispensatione Generalis præpositi admissus fuisset, Vota illa essent invalida. Ratio sic statuendi fuit, quia ministeria Societatis viros diu probatos, & in solidis Virtutibus fundatos requirunt, ut notat Pal. *tr.* 16. *D.* 1. *p.* 13. *n.* 3.

Dubium est, an biennium hoc Superiores Societatis 53 possint contrahere? Satis certum est de superioribus Generali inferioribus, quòd non possunt; quia, ut notat Sanch. *l.* 5. *mor. c.* 4. *num.* 20. Superiores isti non habent aliter facultatem incorporandi aliquem Societati, nisi quatenus hoc ipsis concessit Generalis Præpositus; hic autem nulli facultatem concedit, nisi expleto probationis biennio. ergo &c.

Difficultas est, an hoc possit Generalis præpositus? 54 Et *Ratio dubitandi* est, quia admittere ante biennium exactum potest ad professionem, ut notat Sanch. *l. cit.* & patet ex *Const. p.* 5. *c.* 1. §. 3. hujusque *Declaratione lit. C.* probatque ratio; quia ad biennium contrahendum in ordine ad Professionem emittendam occurrere possunt graves causæ, e. g. ut profitens fiat inhabilis ad Majoratum &c. est autem plus admittere ad Professionem, quàm ad Vota Simplicia. ergo &c.

Hoc Argumentum rectè quidem probat, quòd Ge- 55 nerales Societatis habeant potestatem contrahendi biennium Probationis in ordine ad emittenda Vota Simplicia, & conf. hæc ex Generalis dispensatione [illegible] fore valida, non tamen probat, quòd [illegible] facultate hac uti possit; nam ejus usus [illegible] eidem prohibetur *Con-* [illegible] 12. ibi, *In nullo casu exerceri liceat* [illegible] *facul-*

facultatem contrahendi biennii spatium ad hoc, quòd quispiam ante expletum biennium censeatur verus Religiosus, & Scholasticus approbatus per emissa Vota Simplicia Societatis. Neque est paritas cum Professione; nam ejusmodi causæ graves non possunt occurrere ad contrahendum biennium in ordine ad Vota Simplicia, quæ occurrere possunt ad emittendam professionem.

56 Quæritur 4. quando incipiat annus Probationis, an à die suscepti Habitus, vel actualis ingressus in Religionem, an primùm à die sequenti? *Resp.* numerandum ab eo momento, quo Novitius suscepit Habitum, si hujus susceptio ad inchoandum Novitiatum requiratur, vel si non requiratur susceptio habitus, à die ingressus in Religionem: hinc sequenti anno post momentum ingressus statim edi professio Religiosa poszet. Ita Sanch. *l.* 5. *mor. c.* 3. *n.* 31. & alii ab eo *citt.* paretque luculenter ex Trid. *sess.* 25. *c.* 15. *de Regular.* ubi dicitur, in Probatione standum esse Novitio *per annum post susceptum Habitum*: quod jam est verum de eo, qui lapso anno ab ingressus momento die ingressus anniversaria profitetur, ergo &c.

57 *Sed hinc dubium exsurgit*, an Probatio necessariò peragenda sit in Religionis Habitu? Negativam defendunt Abb. *in c.* 9. *h. tit. num.* 7. Suar. *tom.* 3. *de Relig. l.* 5. *c.* 13. *n.* 6. Pal. *tr.* 16. *D.* 1. *p.* 12. §. 3. *n.* 1. Pirh. *hic num.* 29. & videtur probari 1. ex *can. un. dist.* 53. ibi: *Juxta normam Regularem debent in suo Habitu per triennium probari & tunc Monasticum Habitum suscipere.* 2. ex *can. multos* 23. *dist.* 54. ubi is, qui ex Juris Ecclesiastici servitute, vel sæcularis militiæ, ad Dei servitium converti desiderat, jubetur probari *priùs in Laico Habitu constitutus.* 3. ex *ratione*: quia tempus probationis tunc incipit, quando quis facta petitione, ut admittatur, & accedente consensu, seu acceptatione Prælati, suscipitur, ut in Religione probetur. atqui ad hoc per se, & suapte natura non requiritur Habitus Regularis, aliàs qui ab ingressu Religionis usque ad finem probationis semper decubuisset æger in lecto, Professionem non posset emittere, ergo &c.

58 Sed probabiliùs tenenda est affirmativa sententia, quam etiam defendit Gloss. *in c.* 9. *V. in eadem veste h. tit.* Sylvest. *V. Religio* 5. *num.* 5. Azor. *p.* 1. *l.* 12. *c.* 9. *q.* 9. Sanch. *l.* 5. *moral. c.* 4. *num.* 29. Gonzal. *in c.* 9. *h. tit. num.* 5. Magnif. P. Schmier *p.* 1. *de Person. Eccles. c.* 3. *num.* 144. & communiùs DD. Sumitur ex Trid. *c.* 15. *cit.* ubi eum, qui minore tempore, quàm per annum, post susceptum habitum, in Probatione steterit, prohibet ad Professionem admitti: ac proinde innuit, quòd Novitius non sit censendus annum Novitiatus inchoasse, nisi post susceptum Habitum. *Ratio est*, quia in vestitu Religionis deferendo est quædam vitæ austeritas, difficultas, ac labor, quæ inter probationis experimenta numerantur. *Excipitur*, nisi aliud in aliqua Religione præscriberetur, sicut præscribitur in Societate JESU, juxta cujus Institutum tota probatio peragi in veste sæculari potest. *Exam. gen. c.* 1. §. 13.

59 Neque obstant Argumenta opposita. *Ad* 1. & 2. notat Sanch. *l. cit.* illis Canonibus contrario usu derogatum esse, vel nomine Vestis Laicalis intelligendam Vestem Novitiorum, prout est distincta ab Habitu professorum, & proprio Religionis. *Ad* 3. ratio illa bene probat, quòd ad probationem per se, & natura sua non requiratur Habitus Regularis; non tamen probat, quòd non requiratur vi Juris positivi promulgati, & constituti per Trid. cujus verba, cùm præceptiva sint, aut Legis novæ constitutionem, aut antiquæ confirmationem innuunt, observandam ab omnibus, nisi aliud statuat Religionis Regula vel morbus aut alia impossibilitas excuset.

60 Quæritur 5. in quo loco peragi Novitiatus, seu annus probationis debeat? *Resp.* Regulariter debet peragi in Monasterio, seu Domicilio Religionis, non extra, ut patet ex *c. is qui* 1. *h. tit. in* 6. ibi, *Quodsi per totum sequentem annum in Monasterio permanserit. Ratio est*, quia Novitiatus ut *n.* 46. dixi, præcipuè eo fine est institutus, ut Novitius experiatur asperitates Ordinis, & Religio vicissim sumat experientiam de Novitii sui moribus: quod obtineri non potest, si Novitius extra Religionem versetur in sæculo.

61 Dixi *Regulariter*, nam majus dubium fieri potest, an Novitius cum legitima Superioris sui licentia extra Monasterium, vel Religionem versari possit? *Difficultatem* [illegible] ratio primùm allata, quæ, si aliquid probat, videtur probare, quòd universim extra Religionem Novitius perage- Novitiatum nequeat.

62 Sed dicendum est, posse [illegible] Superioris sui extra Monasterium, vel Religionem per majorem [illegible]iam anni partem versari. Ita Navar. *l.* 3. *tit. de Reg*[*u*]*lar. cons.* 41. *num.* 2. & *cons.* 42. *num.* 3. Azor. *p.* [...] *l.* 12. *c.* 2. *q.* 9. *in fin.* Suar. *tom.* 3. *l.* 5. *c.* 14. *num.* 1[...] Sanch. *l.* 5. *c.* 4. *num.* 27. & 28. Less. *l.* 2. *c.* 41. *n.* 5[...] *vers. tertiò*, Barbos. *de Off. Episc. alleg.* 101. *num.* 2[...] Pal. *tr.* 16. *D.* 1. *p.* 12. §. 4. *num.* 2. Pirh. *hic num.* 2[...] Schamb. *num.* 18. Reiffenstuel *num.* 106. & alii ab h[is] *citt. Ratio est*, quia is, qui cum licentia Superiori[s] sui extra Monasterium degit, censetur verè in probatione esse, cùm in eo loco, ubi est, sub Prælati su[i] obedientia existat; quæ enim major est probatio, quàm obedire? Accedit, quia aliàs Novitius non posset probationis tempore peregrinatum mitti, v. g. ut Xenodochio inserviat: quod nemo dixerit.

Ad Rationem dubitandi dico ea probari nimium; 63 probaretur enim, quòd ad professionem admitti non posset, qui immediatè post Habitus susceptionem in morbum incidit, & in lecto decumbens, nullam Religionis asperitatem expertus, annum probationis exegisset. Sicut ergo iste per hoc non desinit esse Novitius, quia per accidens solùm fuit, quòd asperitates Religionis omnes non potuerit experiri, ita etiam Novitius manet, qui ex mandato Superioris existens extra Monasterium, omnes Religionis asperitates experiri non potuit; non enim requiritur, ut experiantur omnes, sed sufficit, si sub obedientia sui Prælati permaneat, ubicunque degat.

Quæritur 6. utrum dicti tum probationis, tum ætatis anni debeant esse integri, & completi de momento ad momentum? Negant Stephan. Gratian. *tom.* 3. *discept. for. c.* 413. *num.* 22. & quidam alii. *Fundantur* 1. quia Præcepta, & Leges humanæ moraliter intelligendæ sunt; moraliter autem impletum, & finitum dicitur tempus, quando parum deest de complemento, & fine. ergo &c. 2. in favorabilibus ultima dies inchoata habetur pro completa. atqui dies ultimos anni probationis, & 16. ætatis requisitæ ad Professionem inchoatos pro completis haberi est favorabile imprimis Religioni, quæ tum Novitii personam sibi devincire jam potest: deinde etiam Novitio, qui per hoc citiùs fit capax emittendæ Professionis, & sic maturiùs consequitur jura, & privilegia Professorum. ergo &c. 3. dies ultima inchoata pro completa habetur in ætate requisita ad Ordines *Clem. fin.* & *ibi* Gloss. *V. in decimo octavo de ætat. & qualit.* in ætate requisita ad condendum Testamentum *l. à qua ætate* 5. *ff. de Testament.* in septennio requisito ad Sponsalia de futuro *l. in sponsalibus* 14. *ff. de Sponsal.* ergo idem dicendum etiam hoc nostro casu.

65 Sed dicendum, non sufficere, ut annus probationis, vel ætas requisita ad Professionem tantùm sit moraliter completa, sed requiri, ut sit completa à momento ad momentum: cons. si quis hodie hora 7. matutina post susceptionem Habitus inchoasset probationem, anno sequente non posset edere Professionem ante septimam ejusdem diei. Ita Rodriq. *tom.* 3. *Reg. q.* 15. *art.* 4. Suar. *tom.* 3. *de Relig. l.* 5. *c.* 15. *num.* 1. Sanch. *l.* 5. *moral. c.* 4. *num.* 4. Less. *l.* 2. *de J. & J. c.* 41. *n.* 59. *vers. quartò*, Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 101. *num.* 22. *vers. verùm in hac.* Pal. *tr.* 16. *D.* 1. *p.* 12. §. 2. *num.* 2. Donat. *prax. Regul. p.* 2. *tr.* 9. *q.* 5. *num.* 1. P. Wex. *Ariadn. p.* 5. *tr.* 3. *c.* 5. §. 1. *num.* 9. P. Konig *hic num.* 14. P. Wiest. *ibid. num.* 25. Magnif. P. Schmier *par.* 1. *de Person. Eccles. cap.* 3. *num.* 116. & plures alii ab his *citt.* ipsaque Rota *par.* 10. *in recent. decis.* 300. *num.* 33. Colligitur ex Trident. *Sess.* 25. *cap.* 15. *de Regular.* ubi ad valorem Professionis requiritur, ut Novitius 16. ætatis annum expleverit, & in probatione steterit non minore tempore, quàm per annum. atqui hoc verum non est ante ultimæ horæ, & momenti lapsum. ergo &c.

Ex quo sequitur, si quis anno proximè antecedente 66 bissextilem festo D. Matthiæ 24. Febr. auspicatus est Novitiatum, proximo anno professionem non posse edere 24. Febr. sed exspectandam ipsi diem 25. in quam anno bissextili cadit Festum S. Matthiæ. Ita *citt.* & ratio clara est; quia cùm dies illæ habeantur ex usu Civili ab Ecclesia approbato pro una, annus probationis ante 25. expletus censeri nequit.

Neque contrarium probant Argumenta opposita. *Ad* 67 1. quando subeunda est obligatio, tempus jure requisitum non moraliter, sed physicè esse impletum debet, præsertim si hoc à jure contrahendæ obligationi in favorem contrahentium statutum sit, ut patet ex *l. denique* 3. §. *minorem* 3. *ff. de minorib.* ubi minori conceditur restitutio in integrum, si etiam ultimo 25. anni die, imò hora, & momento contigerit [illegible] læsio. ita autem in favorem

em Novitii statutum est tempus annuum Probationis, & 16. annus ætatis. ergo &c. *Ad* 2. Regula illa procedit, quando agitur de mero favore; in nostro casu Novitius magnos quidem favores Religionem profitendo consequitur, sed simul etiam suscipit gravissimam obligationem, eamque perpetuam, ut adeo favorabile ipsi sit plus habere temporis, ut majori consideratione, & asperitatibus Ordinis magis probatis obligationem professionis suscipiat. *Ad* 3. negatur paritas; nam ad suscipiendum Ordinem e. g. Presbyteratus non requiruntur anni 25. sed vigesimus quintus, quem agere dici potest etiam is, qui tantùm eum incœpit: deinde Testamentum posse condere præcisè est favorabile, & posse citiùs condere est favorabilius, quàm posse condere seriùs: denique in sponsalibus ætas septennii non est absolutè definita, sicut in Professione; neque tanta est difficultas solvendi illa, quanta est in istius solutione.

Quæritur 7. utrùm annus probationis debeat esse continuus, vel sufficiat interruptus? Resp. continuum exigi: ac proinde, si v. g. Novitius, qui per sex menses in probatione fuit, postea dimissa Religione, egrediatur, & eam deserat, sed denuo pœnitentia ductus, redeat, ac recipiatur, sex illi menses, quibus in probatione fuit, computari non poterunt, sed annus probationis de novo inchoari debebit. Ita Abb. *in c.* 16. *h. tit. num.* 9. Sylvest. *V. Religio* 5. *num.* 4. Azor. *p.* 1. *l.* 12. *c.* 2. *q.* 28. Less. *l.* 2. *c.* 41. *num.* 59. Sanch. *l.* 5. *moral. c.* 4. *num.* 31. Pal. *tr.* 16. *D.* 1. *p.* 12. §. 2. *num.* 4. Barbos. *de Off. Episc. alleg.* 101. *n.* 23. Magn. P. Schmier *p.* 1. *de Person. Eccles. c.* 3. *num.* 120. *& seqq.* estque declaratum à *Congreg. Cardd. Trid. Interpp.* teste Pirhing *hic num.* 40. *Ratio est*, quia quando jura certum tempus ex die aliquo designato ad alium diem requirunt, in dubio intelligenda sunt de tempore continuo, nisi ex subjecta materia, & præsumpta voluntate disponentis contrarium possit colligi, ut pro Regula habent DD. *citt.* atqui Trid. *sess.* 25. *c.* 15. *de regular.* ad validam Professionem absolutè requirit annum probationis integrum à die suscepti Habitus, vel ingressus. ergo &c. *Conf.* quia annus probationis integer à Trid. *l. citt.* requiritur favore tum Novitii, tum etiam Religionis, ut ille asperitates Religionis, & ista mores, atque constantiam Novitii meliùs probet. atqui ad hoc plurimum prodest continuatio probationis, quippe quæ non minima austeritas est Religiosæ vitæ. ergo &c.

Difficultas est, quænam interruptio sufficiat, ut Novitiatus annus discontinuetur? Variant hac in re DD. Panorm. *in c.* 1. *pr. hoc tit in* 6. *n.* 3. & Less. *l.* 2. *c.* 41. *n.* 59. putant per egressum Novitii ad tres, vel quatuor dies non censeri interruptum Novitiatum; quia modicum intervallum pro nihilo reputatur. Contrà alii cum Suar. *tom.* 3. *de relig. l.* 5. *c.* 15. *nu.* 6. Sanch. *l.* 5. *mor. c.* 4. *n.* 32. *&c.* putant sufficere quamcunque minimam. Pal. *l. cit. n.* 7. utrique sententiæ aliquid tribuit, dum ait sufficere interruptionem etiam minimam, si juncta sit cum dimissione status perfecta; secus, si cum imperfecta tantùm, & incompleta.

Talis imperfecta dimissio status juxta eundem censetur esse, si Prælatus volens dimittere Novitium habitu Religioso illum exueret, & sæculari indueret, antequam vero è Monasterio illum expelleret, mutaret animum; vel si Novitius animo relinquendi statum, & à Monasterio fugiendi latitaret in vestibus sæcularibus. Completa dimissio verò tunc, quando Monasterii egressu animus relinquendi statum consummaretur; etiam retento habitu.

Quæritur 8. an is, qui post expletum annum probationis ante editam Professionem à Religione dimissus est, vel spontè illam deseruit, si postea in eam iterum recipiatur, Novitiatum denuo inchoare debeat? *Ratio dubitandi est*, quia si non esset necessarium denuo inchoare Novitiatum, talis, quia ita dimissus est, vel deserit Religionem, etsi per decem annos postea mansisset in sæculo, statim ac rediisset denuo ad Religionem, Professionem posset emittere: quod durum videtur asserere. 2. quia per ejusmodi dimissionem, vel desertionem Religionis habitus susceptio videtur esse extincta. 3. Quia Trident. *sess.* 25. *c.* 16. *de regular.* videtur exigere continuationem anni probationis cum Professione, dum vult Novitios, finito tempore Novitiatus, aut admittendos ad Professionem, si habiles sint, aut expellendos, si inhabiles.

71 Sed respondendum est distinguendo: Vel enim post egressum Novitii intervenit aliqua notabilis mutatio, vel non intervenit. *Si primum*, sive deinde id factum sit ex parte Novitii quoad mores, sive ex parte Religionis quoad asperitates, & [illegible] Instituti, Novitiatus denuo subiri debet; *si secundum*, non est opus, ut repetatur. Ita Gloss. *in reg.* 31. *V. eum, qui certus, in fin. de R. J. in* 6. Sanch. *l.* 5. *mor. c.* 4. *n.* 34. Pellizar. *Man. regul. tom.* 1. *tr.* 2. *c.* 1. *q.* 12. & alii ab hoc *citt.* estque sententia hæc sæpiùs probata à *S. Congreg.* teste Fagnan. *in c. fin. qui Cleric. vel vovent n.* 32. Primum responsionis membrum probatur satis per Argumenta, maximè primum, & secundum, in Ratione dubitandi allata. Alterum patet ex eo, quia tali jam sufficienter est explorata Religionis asperitas, & huic ipse; continuationem autem Professionis cum probatione nuspiam Jura exigunt.

Neque contrarium probant Argumenta allata. *Ad* 1. 72 in nostra distinctione absurdum non sequitur; quia Jura solùm requirunt, ut Novitius Religionem, & hæc Novitium probaverit. *Ad* 2. susceptio Habitus potiùs est suspensa, quàm extincta; & si extincta etiam foret, nihil officeret, cùm, uti dictum est, continuatio probationis cum professione nullo Jure requiratur. *Ad* 3. jam *num.* 44. dixi, quòd Concilium ibi non loquatur absolutè, sed ex Hypothesi, *Nisi aliquid obstet.*

Quæritur 9. an repeti Novitiatus debeat casu, quo 73 Professio ex aliquo defectu invalidè emissa est? Resp. negativè: sed si quidem irrita fuit ex eo, quòd ante expletum probationis annum emissa sit, sufficiet tempus, quod superest, suppleri, & Professionem, eo expleto, denuo edi; si verò alio ex capite e. g. ob defectum ætatis, inhabilitatem personæ &c. satis erit, si impedimento sublato, professio priùs nulliter facta ratificetur per repetitam illius emissionem. Ita Sanch. *l.* 7. *de matr. D.* 37. *n.* 45. *& seqq.* Pirh. *hic num.* 45. Schamb. *ibid. num.* 25. *Ratio est*, quia fini Novitiatus jam plene est satisfactum, cùm Novitius jam plenè expertus sit austeritates Ordinis, & Ordo illius mores.

Majus dubium est, an casu, quo quis ante Profes- 74 sionem emissam ejectus est ex Novitiatu, & postea iterum receptus, sufficiat suppleri tempus, quod de Novitiatu nondum finito deerat? Verùm hæc difficultas tolli ope distinctionis potest, an videlicet justè ejectus sit e. g. ob impedimentum inhabilitatis, vel contrà injustè. *Si primum*, is qui impedimento sublato, receptus est denuò, Novitiatum inchoare de novo debet; quia si Impedimentum illud susceptionem præcessit, hæc, & subsequens probatio ob ejus incapacitatem fuit invalida. Si subsecutum susceptionem est, probationem interrumpit. *Si secundum*, sufficiet continuari annum probationis incœptum; quia hic per injustam ejectionem interruptus non fuit, modò ipsemet Novitius animum perseverandi in Religione non deposuerit juxta *Reg.* 41. *in* 6. ubi dicitur, *Non imputari debere ei, per quem non stat, si non faciat, quod per eum fuerat faciendum.* Pellizar. *Man. regul. tom.* 1. *tr.* 2. *c.* 1. *q.* 26.

Quæritur 10. utrum Novitiatus repeti debeat, quan- 75 do Religiosus ab uno Monasterio, in quo Professionem edidit, transfertur ad aliud, ibi mansurus? Resp. iterum distinguendo: Vel enim Monasterium illud est ejusdem Ordinis, & Observantiæ, vel diversi Ordinis, & Observantiæ. *Si primum*, ad hoc transiens cum Superiorum suorum licentia nova probatione opus non habet, sed statim ab ingressu, & transitu suo annumerari Professis Monasterii illius debet, ita quidem, ut idem omnino locus in Capitulo, & Choro eidem sit concedendus, qui illi competiisset, si in Monasterio illo emisisset Professionem, ut cum aliis notat Mirand. *Man. Prælat. tom.* 1. *q.* 31. *art.* 23. *conclus.* 2. Barbos. *in c. licèt* 18. *hoc tit. num.* 27. P. Vviest. *hic num.* 32. Magnif. P. Schmier. *p.* 1. *de person. Eccl. c.* 3. *num.* 138. *Si secundum*, ita transiens, etsi Religio, ad quam transit, sit minùs stricta, quàm illa, à qua transiit, tenetur necessariò subire denuo integrum probationis annum, antequam Professionem in illa faciat, & si secus factum sit, Professio erit invalida. Navar. *l.* 3. *cons.* 49. *de regul. num.* 4. Rodriq. *de regul. tom.* 3. *q.* 15. *art.* 11. Azor. *p.* 1. *l.* 12. *c.* 14. *q.* 15. Sanch. *l.* 5. *mor. c.* 4. *n.* 12. Pirh. *hic n.* 44. Vviest. *n.* 30. & alii ab his *citt.* contra Henriquez.

Ratio utriusque partis est; quia Tridentinum, ut sæ- 76 piùs dictum est, probationis annum requirit, ut Novitius Religionem, & Religio Novitium probet. atqui sufficienter facta est hæc probatio, quando Regularis professus à Monasterio, in quo professus est, transit ad aliud Monasterium ejusdem Ordinis, & Observantiæ, non verò facta est sufficienter, si transeat ad alium Ordinem; quia diversi Ordines diversas observan[illegible], & austeritates habent, & sæpe contingit [illegible] ad unam Religionem non [illegible]. *Neque obstat*, quòd in Religio-

ligione, à qua transiit, jam fuerit Veteranus; quia non repugnat eum, qui Veteranus est in una Religione, Novitium, & Tironem fieri in alia.

§. V.

De Obligationibus, & Juribus Novitiorum.

SUMMARIUM.

77 *An Novitius intra annum probationis liberè possit reverti ad sæculum, etiam sine justa causa? Rationes dubitandi.*
78 *Resolvitur affirmativa.*
79 *Respondetur ad opposita.*
80 *Quis solvere expensas factas in Novitii sustentationem eo casu debeat?*
81 *Exceptiones.*
82 83 84 *Quæ privilegia Novitiis competant?*
85 86 87 *Quæ sit eorum obligatio circa observantiam Regulæ.*
88 89 *Quam Jurisdictionem in eos Prælatus Regularis habeat?*
90 91 92 93 *Quando Beneficia à se obtenta teneantur dimittere?*
94 *An retineat Jus eligendi Episcopum, vel alium Prælatum?*
95 *Utrum ad hujus electionem necessariò vocandus sit?*

77 QUæritur 1. an Novitius intra annum probationis liberè possit è Monasterio exire, & reverti ad Sæculum? *Certum est*, hoc ei permissum esse ex justa, & à Prælato probata causa.

Difficultas est, an etiam hoc casu possit cessante justa, & à Prælato probata causa? Difficultatem facit 1. rescriptum Innocentii III. *c. consulti* 20. Gregorii IX. *c. statuimus* 23. *hoc tit.* & Alexandri IV. *c. non solùm* 2. *eod. in* 6. ubi allegati Pontifices distinguunt inter eum, qui Religionem, & Novitiatum ingressus est cum proposito vitam absolutè mutandi, & famulandi deinceps Deo sub Regulari Habitu, & inter eum, qui Religionem, & Novitiatum ingressus est sine tali proposito, & animo duntaxat experiendi, ut, si sibi placuerit, Ordinis disciplinam profiteatur; nam posteriori duntaxat, non autem priori liberam ad seculum redeundi facultatem concedunt. 2. Religionis Prælatus non potest Novitium liberè, & nulla rationabili causa suadente, expellere. ergo nec Novitius sine hac Religionem deserere. 3. Levitatis, & inconstantiæ indicium est ab incœpta perfectionis via recedere.

78 Sed dicendum, per se loquendo Novitium, etiam nulla allegata causa, & non requisita Prelati licentia, liberè, & licitè Religionem deserere, & ad sæculum redire posse. Ita Suar. *tom.* 3. *de relig. l.* 5. *c.* 11. *num.* 6. Sanch. *l.* 5. *mor. c.* 4. *n.* 59. & *l.* 6. *c.* 10. *n.* 1. Pal. *tr.* 16. *D.* 1. *p.* 10. *n.* 1. & colligitur ex *c. statuimus* 23. *hoc tit. & c. is qui* 1. *eod. in* 6. ubi dicitur eos posse infra annum liberè ad pristinum statum redire. *Proceditque hoc* etiam de eo, qui Novitiatum ingressus est cum proposito mutandi vitam; nam si ultra propositum non processit, non apparet, unde obligetur ad perseverandum in Religione. Addidi autem *per se loquendo*, nam utique culpa non vacat Novitius, si ex sequiore aliqua animi affectione v. g. ira, vel odio ad ita recedendum à Religione ad sæculum se permoveri permisit; aut si pervidet, casu, quo ad Sæcularis vitæ licentiam, occasiones, & pericula peccandi redeat, se expositurum animam suam salutis periculo.

79 Neque urgent Argumenta opposita in contrarium. *Ad* 1. dico textus illos intelligendos esse non de nudo, & simplici proposito, sed de proposito, quod promissione, aut Voto Religione firmatum sit: quod colligitur ex memoratis textibus; dicit enim ibidem Pontifex, Novitios ad sæculum intra annum probationis redire posse, nisi evidenter constet, eos vitam *absolutè* (h. e. cum promissione, & intentione se obligandi) mutare voluisse. *Ad* 2. negatur paritas; nam Prælatus Novitium sine causa expellendo ex Religione, ageret tum contra officium Charitatis debitum Novitio sibi subdito, tum etiam proprium Prælati: contra officium Charitatis quidem, quia sine justa, & rationabili causa privaret eum maximo bono, & salutis periculo ipsum exponeret; contra officium proprium autem, quia vi muneris sui tenetur, quos aptos viderit, retinere, cùm istud non ad destructionem, sed edificationem eidem datum sit. *Ad* 3. levitatis non potest argui, qui post aliquam temporis experimentum eligit regressum à Religione, quam ingressus est, non animo absoluto in illa perseverandi, sed probandi solùm, retenta sibi libertate omnimoda, ut si displicuerit, deserere eandem possit.

80 Quæritur 2. quis solvere expensas debeat, quæ factæ sunt in sustentationem Novitii, postea reversi ad sæculum? Resp. regulariter, & per se loquendo Novitius ad refusionem illarum non obligatur: conf. ferre illas Monasterium, vel Ordo debet, in quo probationis causa versatus fuit. Ita Sylvest. *V. Religio* 5. *q.* 8. Azor. *p.* 1. *l.* 12. *c.* 3. *quæst.* 6. Suar. *tom.* 3. *de relig. l.* 5. *c.* 11. *num.* 5. Sanch. *l.* 6. *mor. cap.* 10. *numer.* 4. Pirh. *hic num.* 65. Wiest. *num.* 37. & colligitur ex *can. statuimus* 23. *hoc tit. & can. non solùm* 2. *eod. in* 6. ubi dicitur, quòd Novitius nullatenus impediri debeat, quò minùs ad sæculum intra annum probationis liberè redire possit. atqui libertas hæc redeundi multùm imminueretur, si Religionem deserturus refundere deberet fructus in sustentationem ejusdem factos; forte enim solvendo non est, & sic cogeretur manere, donec solvat. ergo &c. *Conf.* ex ratione; quia probatio annua instituta est non tantùm in bonum Novitii, sed etiam Religionis, & si Religio ipsum aluit, etiam ipse eidem servivit, vel si morbo impeditus, aut alia causa servire eidem non potuit, per accidens hoc solùm est, neque propterea datur Religioni jus petendi refusionem, cùm plerumque Monasteria fundata sint non tantùm ad alendos Professos, sed etiam Novitios.

81 Dixi autem *per se loquendo*, & *regulariter*; nam excipi debet 1. si ingressus Religionem est animo ficto, h. e. sine animo perseverandi, aut cum animo, & proposito absoluto ad sæculum redeundi; quia hoc casu decepit Religionem, & causa fuit, ut sumptus faceret non profuturos, ut adeo meritò adigatur ad refundendas expensas, saltem si Monasterio non præstitit obsequia, quæ expensas in se factas adæquent, & aliàs non fuissent præstita.

Excipitur 2. si Novitius alimentorum intuitu Monasterio aliquid donavit; nam ejusmodi donationem ratam habet Trid. *sess.* 25. *c.* 16. *de Regular.* ubi irritas declarat Donationes, quæ fiunt Monasterio ab ingredientibus ante Probationem, excipit tamen illas, quæ fiunt à Novitio, vel Novitia intuitu victus, vel vestitus consumpti tempore, quo stat in Probatione.

Excipitur 3. si Novitius refusionem sumptuum, in sui sustentationem factorum, Monasterio promisisset; nam si potest aliquid Monasterio pro Novitii sustentatione dari, potest etiam de eo dando promissio fieri, modò per hoc, quòd Novitius promissionem factam non impleverit, non prohibeatur Novitiatu egredi; sic enim jam impediretur libertas egressus, quam sartam tectam voluit Trident.

82 Quæritur 3. quæ Privilegia Novitiis competant? Resp. plura sunt horum privilegia. Nam

1 In favorabilibus comprehenduntur nomine Religiosorum: & propterea habendi sunt pro personis verè Ecclesiasticis, non minùs, ac tales sunt Clerici in minoribus constituti; nec enim minùs per susceptionem Habitus, & inchoationem Probationis constituuntur in Statu præparationis ad Statum Religiosum, ac Clerici minores per susceptionem Ordinum minorum, aut primæ tonsuræ constituuntur in via, & præparatione ad Statum Sacerdotalem. ergo si propterea Clerici in minoribus constituti sunt personæ verè Ecclesiasticæ, ob eandem rationem personæ verè Ecclesiasticæ etiam erunt Novitii.

2 Gaudent privilegio Canonis, & fori. Sequitur ex priori, & de Privilegio Canonis expresè statuitur *c. Religiosi* 21. §. *quamvis de sent. Excom. in* 6.

3 Immunes sunt à Tributis, & Vectigalibus solvendis ex bonis Patrimonialibus, sicut aliæ personæ Ecclesiasticæ ab iisdem immunes sunt. Molin. *tr.* 2. *de J. & J. D.* 671. *n.* 2. Sanch. *l.* 6. *mor. c.* 10. *n.* 15. Laym. *l.* 4. *tr.* 5. *c.* 4. *num.* 4. 8

4 Participant Indulgentias, aliaque Privilegia specialiter concessa Religioni. Pal. *tr.* 16. *D.* 1. *p.* 11. *n.* 1. & apud hunc *cit.* habeturque *in Compend. Privil. Societ. Jesu V. Indulgentia in fin.* quia jam connumerantur inter membra Religionis.

5 A proprio Ordinis sui Prælato per se, aut per alios absolvi possunt à reservatis. Pal. *l. cit. n.* 2. & habetur *in compend. Privil. memorato V. Absolutio.*

6 Idem Prælatus Ordinis cum ipsis dispensare potest 8
in Votis, in observatione Festorum, & jejuniorum, in recitatione Horarum Canonicarum, ad quas ratione Ordinis obligantur; quia dum in Probatione existunt, subditi hujusmodi Prælatorum sunt.

7 De-

7 Denique poſſunt recipere Ordines ab Epiſcopo, in cujus Diœceſi ſitum eſt Monaſterium ſuæ Probationis. Pal. *loc. cit. n.* 7. quia ibi fixiſſe cenſetur Domicilium ſuum, quamvis mutato animo, poſſint inde recedere.

Quæritur 4. an Novitius, quamdiu in Probatione verſatur, obligetur ad obſervantiam Regulæ, & præceptorum datorum à Superioribus Regularibus? Reſp. etſi honeſtas, & decentia omnino ſuadeat, ut etiam ipſi Regulas, & Præcepta communia Religionis ſervent, per ſe tamen, & directè ad eorum obſervantiam in conſcientia non obligantur. Ita Sylveſt. *V. Religio* 5. *num.* 6. Azor. *p.* 1. *l.* 12. *c.* 2. *q.* 10. Suar. *tom.* 3. *de Relig. l.* 5. *cap.* 16. *n.* 2. *&* 18. Sanch. *l.* 6. *mor. c.* 10. *n.* 7. Pal. *tr.* 16. *D.* 1. *p.* 10. *n.* 5. Tambur. *de Jur. Abb. tom.* 3. *D.* 6. *q.* 11. *num.* 25. P. Vvex. Ariadn. *p.* 5. *tr.* 3. *cap.* 5. §. 1. *num.* 51. *&* 52. Magnif. P. Schmier *p.* 1. *de Perſon. Eccl. cap.* 3. *num.* 147. Pirhing *hic num.* 69. Vvieſt. *num.* 40.

Quòd honeſtas, & decentia ſuadeat, patet ex eo, quia aliàs Regula generalis eſt, *ut qui ſimilem cum aliis vitam ſuſcipiunt, ſimilem ſentiant in Legibus diſciplinam*, ut *c. recolentes* 3. *de Stat. Monach.* loquitur Alexander III. Accedit, quia niſi & ipſi obſervarent Regulas Ordinis, non ſatis probarent Religionem, nec Religio ipſos: & ex tranſgreſſionibus repetitis oriretur ſcandalum, confuſio, & perturbatio magna in Ordine. Et hinc fit, ut hujuſmodi tranſgreſſiones ſæpe etiam peccaminoſæ fiant.

Quòd verò per ſe, & directè ad harum obſervantiam non obligentur in conſcientia, inde ſumitur, quia non apparet, ex quo capite oriatur obligatio hæc in Novitio, cùm Votum Obedientiæ nondum emiſerit, & Status illorum plus non exigat, quàm ut Novitium ſuum Religio regere, inſtruere, corrigere, & delinquentem punire poſſit, quod fieri poteſt, etſi Novitius ipſe ad regulas, & præcepta hujuſmodi obſervanda in conſcientia non obligetur. Imò, ut ex præmiſſis deducit Pal. *l. cit. num.* 7. Prælatus regularis Novitio ſuo ſub obligatione in conſcientia etiam non poteſt præcipere obſervantiam regularum, aut alia, quæ de conſilio, & Religionis perfectione ſunt, ex ratione, quia non perfectioni obſervandæ, ſed probandæ ſe Novitius tradidit.

3 Quæritur 5. quam Juriſdictionem Prælatus Regularis in Novitios ſuos habeat? Reſp. diſtinguendo inter Prælatos Ordinum Exemptorum, & non Exemptorum. Quantum *poſteriores* habeant, deſumendum eſt ex conceſſione Epiſcopi, & cujuſque Ordinis Statutis, ac conſuetudine, ut notat Laym. *l.* 4. *tr.* 5. *c.* 4. *num.* 4. *in fin. Priores*, uti in Profeſſos, ita etiam in Novitios Juriſdictionem quaſi Epiſcopalem in foro tam interno, quàm externo exercent, eo quòd Novitius ipſemet, quando Habitum ſuſcepit, aut Novitiatum eſt auſpicatus, Juriſdictionem illorum, approbante Eccleſia, in ſe prorogaverit. Farin. *prax. crim. q.* 6. *n.* 46. Sanch. *l.* 6. *c.* 10. *num.* 10. Laym. *de Elect. & poteſt. Prælat. q.* 2?7. *reſp.* 2. Barboſ. *de Off. Epiſc. alleg.* 12. *n.* 37. Sperell. *for. Eccl. p.* 1. *deciſ.* 15. *num.* 14. *& ſeqq.* Engl *de privil. Monaſt. priv.* 48. *num.* 3. Pirh. *hic num.* 69. Vvex. Ariadn. *p.* 5. *tr.* 3. *c.* 5. §. 1. *n.* 53. Magn. P. Schmier *p.* 1. *de perſon. Eccl. c.* 3. *n.* 148.

9 Atque hinc 1. poteſt iis præcipere etiam ſub Cenſuris, ſi neceſſe ſit, quæ Parochus, vel Epiſcopus poſſunt ſuis ſubditis præcipere; quia reſpectu Novitii, durante eo Statu, proprii Parochi, & Epiſcopi curam ſuſtinet: & tenebitur ſic præcipienti Prælato ſuo Novitius obedire, etiam ſub peccato, ſi materia exigat, quo peccato violabit non quidem Obedientiæ Votum, quo caret, ſed Juriſdictionem Eccleſiaſticam per Summum Pont. Prælatis conceſſam etiam versùs Novitios. Pal. *tr.* 16. *D.* 1. *p.* 10. *num.* 8. Barboſ. *alleg.* 12. *cit. num.* 37. Vvex. *l. cit.* & alii apud iſtos. 2. poteſt illos ob delicta commiſſa punire; nam ad hoc tacitè ſaltem Novitius ſeſe obligat, ut quemadmodum ipſe à Religione debet tantiſper doceri, dirigi, & ſuſtentari, ſic ipſe velit à Religione, quamdiu in ea perſeveravit, convenientem Correctionem admittere, & illi non reſiſtere. Sanch. Pirh. Vvex. *l. cit.* 3. poteſt etiam reſpectu Novitiorum ſuorum aliquos caſus in foro conſcientiæ reſervare ſibi, quamvis alias reſervati plerumque ad Novitios ſe non extendant, niſi conſtet, quòd ad eos etiam extendi reſervationem Superiores velint. Laym. *l.* 4. *tr.* 5. *cap.* 4. *n.* 4. *coroll.* 4. cujus, & præcedentium omnium ratio eſt; quia Prælati Regulares exempti id reſpectu ſubditorum ſuorum poſſunt, quod poſſunt Epiſcopi reſpectu ſuorum Diœceſanorum. atqui reſpectu horum prædicta omnia poten[t] Epiſ[copi] ...

& Prælatus exemptus reſpectu ſubditorum ſuorum. tales autem ſunt etiam Novitii. ergo &c.

Quæritur 6. an Novitius, durante anno probationis, retinere poſſit Beneficium Eccleſiaſticum, an verò illud in ipſo ingreſſu vacet, ita, ut ſtatim alteri conferri poſſit? Reſp. non vacare; ſed retinere illud Novitius poteſt uſque ad profeſſionem, ita tamen, ut conſtituendus ſit Vicarius, qui Beneficio deſerviat in Officiis Divinis, & cura animarum ſi Curatum illud ſit, aſſignata illi de proventibus Beneficii congrua portione, prout ſtatuitur *c. Beneficium* 4. *hoc tit. in* 6. Eſtque hoc verum, etſi vel propter Regulam Ordinis, vel propter ætatis defectum, vel ob aliam juſtam cauſam ultra annum prorogetur probatio, ut cum aliis notat Sanchez *l.* 7. *mor. cap.* 4. *num.* 6. *Ratio eſt*, quia toto probationis tempore Jus voluit Novitio liberum eſſe egreſſum. atqui non parum libertas hæc minueretur, ſi Novitius videre deberet Beneficium ſuum conferri alteri. ergo &c. 90

Ex quo ſequitur 1. in Societate JESU Beneficia Novitiorum ejuſdem non vacare, durante toto probationis biennio: imò etiam hoc exacto, & emiſſis Votis Simplicibus, adhuc retineri Beneficium ab ejus Religioſo poteſt uſque ad profeſſionem, aut Vota Coadjutorum formatorum, ut declaratum eſt in *Congreg. Gen.* 1. *can.* 1. & ratio patet; quia eò uſque eſt proprietatis, & quaſi proprietatis capax. *Excipitur*, niſi antè renuntiaverit; ſolet autem hujuſmodi renuntiatio Beneficiorum fieri in Societate, finito probationis biennio, antequam edantur Vota Simplicia, prout ſtatutum eſt in *Congreg. Gen.* 5. *can.* 5. 91

Sequitur 2. ſi Beneficia Novitiorum ſive Societatis, ſive aliarum Religionum, durante anno, vel tempore Novitiatus, aliis conferantur, collationem fore irritam; quia eſt collatio Beneficii non vacantis. Eſtque hoc verum, etiamſi in fundatione Beneficii expreſſum ſit, ut ſi Capellanus, vel Beneficiarius per certum tempus abſit, ipſum Beneficium vacet; nam id intelligendum eſt conformiter Juri, ſi nempe abſit ob aliam cauſam, quàm ob Religionis ingreſſum. Sanch. *l. cit. n.* 4. Neque confirmabitur hujuſmodi Collatio per ſecutam profeſſionem; quia cùm initio invalida fuerit, tractu temporis convaleſcere nequit, ſed nova collatione eſt opus. Sanchez *n.* 8. 92

Sequitur 3. hujuſmodi Novitium, ſi Beneficium adminiſtret per Vicarium, etiam lucrari fructus groſſos ejuſdem: qui proinde caſu, quo exierit ex Religione, dempta portione, quæ conſtituta eſt ejuſdem Vicario, reſtituendi eidem ſunt. Si verò perſeveraverit, & profeſſionem ediderit, in illis ſuccedet Monaſterium, ſi ſucceſſionis ſit capax, ſicut ſuccedit in aliis bonis Profeſſi, niſi hic ante profeſſionem de illis aliter diſpoſuerit. Sanchez *num.* 19. 93

Quæritur 7. an Novitius etiam retineat jus eligendi Epiſcopum, vel alium Prælatum, annexum ipſius Beneficio, Canonicatui, aut Dignitati? Reſp. affirmativè; quia Electio inter fructus Beneficii computatur: ex quo ſequitur, ſi is velit intereſſe Electioni, eum excludi non poſſe. Suar. *tom.* 3. *de relig. l.* 5. *c.* 16. *num.* 16. Sanch. *l.* 7. *mor. c.* 4. *num.* 11. Pirh. *hic n.* 75. 94

An verò caſu, quo vacante Epiſcopatu, vel Prælatura, inſtituitur Electio novi Epiſcopi, vel Prælati, neceſſariò ad hanc vocandus ſit, dubitari poteſt. Ego cum Gloſſ. *in c.* 4. *V. conferendum in fin. h. tit. in* 6. Joan. Andr. *ibid. n.* 2. Sylv. *V. Religio* 5. *n.* 11. Sanch. *l. cit. n.* 10. *&* 12. & aliis apud iſtos. reſpondeo diſtinguendo: Vel enim jure Collegii, cujus pars eſt, Electio ad ipſum pertinet, vel jure ſpeciali, ſeu ſingulari ratione Beneficii, vel Dignitatis ſuæ. *Si primum*, non eſt neceſſariò vocandus ad Electionem; eſt vocandus, *ſi ſecundum* contingat. Ratio diſparitatis eſt, quia priore caſu per ipſum Collegium ſine Novitio commodè fieri Electio poteſt; non item poſteriore, quando jure ſpeciali, aut perſonali eidem competit. 95

§. VI.

De Renuntiationibus Bonorum, quæ à Novitiis fieri ſolent.

SUMMARIUM.

96 *An, & quando Novitius renuntiare bonis, & juribus ſuis poſſit?*
97 98 *Quid de hoc ſtatutum in Societate Jeſu?*
99 100 101 *Quænam [...] ...ntiationes, contractus, & [...] Trid. Decretum ſint irritata?*

Y 3 102

96 QUæritur 1. an, & quando Novitius renuntiare bonis, & Juribus suis possit? Resp. antiquo Jure renunciare poterat bonis, & Juribus suis non tantùm ante, sed etiam post ingressum suum in Religionem, durante toto Probationis tempore *arg. l. in re mandata* 21. *C. mandati*. At novissimo Trid. *sess.* 25. *c.* 16. *de Regular.* statutum est, ut imposterum *nulla renunciatio, aut obligatio, etiam cum Juramento, & in favorem cujuscumque causæ piæ valeat; nisi cum licentia Episcopi, vel ejus Vicarii fiat intra duos menses proximos ante professionem*: & additur, etiam sic factam renunciationem *non sortituram effectum suum, nisi secuta Professione.*

97 *Excipitur* Societas Jesu; nam hujus Novitii quocunque tempore Novitiatus, & absque licentia Ordinarii bonis suis cedere possunt, ut aliis *citt.* notat Pal. *tr.* 16. *D.* 1. *p.* 18. *n.* 1. Fagnan. *in c. statuimus h. tit. n.* 39. Donat. *tom.* 2. *p.* 2. *tr.* 7. *q.* 19. Pignatell. *tom.* 8. *consult.* 56. *n.* 6. Vvex. Ariadn. *part.* 5. *tr.* 3. *c.* 5. §. 1. *num.* 86. & expressè habetur in Trid. *sess. & c. cit.* quod memoratam Societatem ab observatione hujus Decreti voluit esse exemptam.

98 Et procedit Exceptio, etiamsi Novitius Societatis renunciationem hanc suam non in pia opera, ut præscribit Societas, sed in consanguineos, vel extraneos non egentes, aut alia opera profana faciat, ut advertit Pal. *l. cit.* & ratio est, quia Concilium *l. alleg.* protestatur, *se non intendere aliquid innovare, aut prohibere, quin Religio Clericorum Societatis Jesu juxta pium eorum institutum, à Sancta Sede Apostolica approbatum, Domino, & ejus Ecclesiæ inservire possint.* atqui Constitutiones Societatis renunciationem Bonorum in causas pias faciendam quidem præscribunt, aliter factam tamen non irritant, sed potiùs validam esse supponunt, maximè si facta fuerit ante ingressum in Societatem. ergo &c.

99 Quæritur 2. quænam renunciationes, contractus, & pacta hoc Trid. Decreto sint irritata? Resp. irritantur solùm ea Contractus, & Pacta, quibus Bona, & Jura Novitii notabiliter minuuntur; ea autem, quibus illa non minuuntur, nihilominùm valent. *Ratio* sumitur ex fine Trid. quem hoc suo Decreto intendit; volebat enim per hoc suum Decretum sartam tectam servare Novitiis libertatem revertendi ad sæculum, hæc autem multùm minuitur per renuntiationes, pacta, & contractus, quibus bona, & Jura Novitiorum notabiliter minuuntur; non minuitur per Contractus, & Pacta, quibus illa notabiliter non minuuntur. ergo &c.

Ex quo sequitur, validas esse 1. Donationes, & 1
Eleemosynas à Novitio pauperibus, locis piis, & ipsi etiam Monasterio factas, si modicæ illæ sint, & moderatæ, spectata Novitii substantia; quia parum pro nihilo reputatur, neque meritò ab egressu ex Religione retinere potest. Barbos. *de Offic. Episcop. alleg.* 99. *num.* 26. *& seqq.* 2. Valent Contractus Emptionis, Venditionis, Locationis, Conductionis, Permutationis Societatis, & alii similes, quibus non minus recipitur, quàm datur, & non minor spes lucri, quàm damni est; quia per eos Jura, & Bona Novitii non notabiliter minuuntur. Sanch. *l.* 7. *mor. c.* 5. *num.* 33. 3. valent Testamenta, Codicilli, & mortis causa Donationes; quia liberè revocari possunt. Pirh. *hic n.* 79.

Contra invalidæ sunt 1. Donationes notabilis quan- 1
titatis inter vivos, & irrevocabiliter factæ. 2. renuntiationes Officiorum publicorum, & Beneficiorum Ecclesiasticorum. 3. Mutuum, quo rei mutatæ dominium, & usque ad notabilem tempus transfertur in Monasterium. 4. fidejussiones, remissiones, & liberationes v. g. qua tutor, vel Curator à ratiociniis reddendis deobbligatur. 5. Contractus omnes lucrativi, & illi etiam ex onerosis, in quibus non tantum recipitur, quantum datum est. Quorum omnium ratio est, quia per hujusmodi renuntiationes, pacta, & cessiones impeditur libertas egressus ex Religione.

Quæritur 3. quid requiratur, ut renuntiatio vali- 10
dè fieri à Novitio possit? Resp. 1. requiritur, ut non fiat ante ultimum bimestre Probationis, ut patet ex Trid. *c.* 16. *cit.* Estque hoc verum, in quacunque ætate sit Novitius; nam si renunciationem ante ultimum bimestre, & sine licentia Episcopi, vel ejus Vicarii Generalis fecerit, renuntiatio est invalida, ut contra Menoch. *de arbitr. cas.* 436. *n.* 8. docet Sanch. *l.* 7. *mor. c.* 5. *num.* 7. Pal. *tr.* 16. *D.* 1. *p.* 17. *num.* 5. Sperell. *decis.* 16. *num.* 48. Barbos. *alleg.* 99. *num.* 18. Donat. *prax. Regul. tom.* 2. *p.* 2. *tract.* 7. *q.* 6. *num.* 9. Vvex. Ariadn. *p.* 5. *tr.* 3. *c.* 5. §. 1. *num.* 62. Pirh. *hic num.* 82. Vviest. *numer.* 59. cæteri alicujus nominis DD. plerique, est declaratum à *Congr. Card. Concil. Interpp.* teste Barbos. & Donat. *l. citt. Ratio est*, quia *cit.* Trid. Decreto renuntiationes omnes ante ultimum bimestre factæ annullantur generaliter, non distinguendo inter Novitios, & eorum ætatem, ut adeo locus sit Regulæ *can. si Romanorum* 1. *dist.* 19. *& can. consuluisti* 20. *caus.* 2. *q.* 4.

2. Renunciatio hæc fieri debet cum licentia Episco- 10
pi, vel alterius, qui Jurisdictionem quasi Episcopalem habet in Clerum, & populum. Estque licentia hæc necessaria etiam Exemptis, ut colligitur ex generalitate textus, non distinguentis inter exemptos, & non Exemptos. *Ratio* hanc requirendi fuit, ut excludantur fraudes, metus, & preces importunæ, quibus induci posset Novitius ad relinquenda bona sua Monasterio; licentia enim Judicis tollit præsumptionem fraudis, ac doli *l. fin. ff. quod met. caus. Excipitur*, ubi per consuetudinem contrariam huic Trid. Decreto est derogatum; est enim Lex positiva, adversùs quam consuetudo contraria potest prævalere. Et si consuetudine de facto in aliquibus Religionibus inductum esset, ut licentia Episcopi, aut Vicarii ejus non petatur, testatur Rodriq. *p.* 2. *summ. c.* 7. *de Donat. num.* 1. *in fin.* Vega *tom.* 2. *summ. c.* 50. *cas.* 3. Lezan. *tom.* 1. *summ. c.* 24. *de Novit. num.* 34. *in fin.* Donat. *tom.* 2. *p.* 2. *tr.* 7. *q.* 13. Bordon. *de Profess. Relig. c.* 13. *q.* 12. Vvex. Ariadn. *p.* 5. *tr.* 3. *c.* 5. §. 1. *n.* 64. Pirh. *hic n.* 88. Vviest. *n.* 69.

3. Licentia ista debet esse obtenta; neque enim suf- 104
ficit, si sit petita tantum. Sanch. *c.* 5. *cit. num.* 77. Ratio est, quia Trid. dicit *Cum licentia*; non autem dicitur cum licentia fieri, quando petita solum est, & non obtenta: & hinc, quando sufficit petita, id exprimi solet, ut fit *c. licèt* 18. *h. tit.* Non tamen necessariò debet dari in scriptis; quia Trid. nullam scripturæ mentionem facit.

4. Debet præcedere renuntiationem; quia requiritur ad valorem actus. Sanch. *n.* 78. ubi notat, casu, quo illa fieret sub conditione, *si eam Episcopus postea approbet*, suffecturum, si approbatio ex post facto superveniat.

5. Pe-

5. Perinde eſt, ſive expreſſa, ſive tacita ſit, quæ habetur ex ratihabitione, modò iſta de præſenti detur; nam ratihabitio de futuro non ſufficit, cùm requiratur ad valorem actus. Sanch. *n.* 79.

105 Quæritur 4. quando fieri Renuntiatio poſſit caſu, quo Profeſſio ex cauſa aliqua juſta differtur? Videtur non poſſe fieri bimeſtri ultimo Probationis; quia Trid. voluit, ut Renuntiationes omnes eſſent invalidæ, quæ fiunt ante duos menſes ultimos proximè præcedentes Profeſſionem. atqui hoc caſu plus, quàm duobus menſibus ante Profeſſionem fieret Renuntiatio. ergo &c.

106 Sed dicendum, validè hoc caſu fieri Renuntiationem quocunque tempore currente inter menſem undecimum annuæ Probationis uſque ad Profeſſionem, licèt iſta vel ob defectum ætatis, vel ex alia juſta cauſa differatur. Ita Sanch. *l.* 7. *mor. c.* 5. *num.* 82. Barboſ. *de Offic. Epiſc. alleg.* 99. *num.* 11. Pal. *tr.* 16. *D.* 1. *p.* 17. *num.* 9. Donat. *prax. Regul. tom.* 2. *p.* 2. *tract.* 7. *q.* 10. *num.* 1. Lug. *in Reſponſ. mor. l.* 3. *dub.* 16. *n.* 5. Vvex. Ariadn. *p.* 5. *tr.* 3. *c.* 5. §. 1. *n.* 62. Vincent. Petra *tom.* 3. *comment. fol.* 377. *n.* 11. Pirh. *hic num.* 89. Vvieſt. *n.* 64. & ſic declaratum eſt à *S. Congreg. Cardd.* teſte Barb. Pal. Donat. Petra *cit.*

107 *Ratio eſt*, quia talis renuntiatio adhuc conformis eſt tempori, quo Trid. indulſit eam fieri, & ſimul fini, propter quem irritavit antea factas: *tempori* quidem; quia dictum Trid. Decretum intelligendum eſt de duobus menſibus, non illis, qui actu Profeſſionem immediatè præcedunt, ſed iis, poſt quos Profeſſio de Jure ſtatim deberet emitti, ut notant DD. *citt.* *Fini* autem, & intentioni Concilii: quia iſtud hoc ſuo Decreto intendebat cavere, ne Novitii temere, & inconſultè bonis ſuis renunciarent, ſed ut hoc facerent, poſtquam Religionis difficultates jam ſufficienter experti ſunt: quod utique ſupponitur factum, quando jam decem integris menſibus ſteterunt in Probatione. ergo &c.

Ex quo corruit Ratio dubitandi allata in contrarium.

108 Quæritur 5. utrum Renuntiatio validè fieri à Novitio poſſit ultimo bimeſtri ante Profeſſionem, quando iſta ex diſpenſatione Pontificia emittitur ante elapſum integrum Probationis annum e. g. ſexto, vel octavo menſe? Negant Sanch. *l.* 7. *mor. c.* 5. *num.* 83. Barboſ. *alleg.* 99. *num.* 11. Pirh. *hic num.* 89. qui proinde exiſtimant, hoc caſu Novitium bonis ſuis validè renuntiare non poſſe, niſi eodem, & præcedenti die ante Profeſſionem. *Rationem dant*; quia cùm diſpenſatio ſit ſtrictæ interpretationis, explicari eo modo debet, quo minimum derogetur Tridentino; derogatur autem minimo, quo fieri poteſt, modo, ſi dicatur, quòd fieri eo caſu debeat die, vel pridie, quo ſit Profeſſio. ergo &c. *Conf.* quia diſpenſatio in tempore Probationis, & diſpenſatio in tempore faciendæ renuntiationis ſunt à ſe invicem ſeparabiles, nec una infert alteram. ergo ab illa ad iſtam non debet fieri extenſio.

109 Sed probabiliùs tenenda affirmativa, quam etiam defendit Pal. *tr.* 16. *D.* 1. *p.* 17. *num.* 9. Diana *p.* 8. *tr.* 3. *reſol.* 23. Paſſerin. *de Stat. hom. tom.* 3. *q.* 189. *inſpect.* 4. *num.* 167. Vvieſt. *hic n.* 65. Ratio eſt, quia Pontifex diſpenſando in tempore Probationis non cenſetur velle adimere, aut inſolito modo reſtringere, ſed potiùs velle retrahere facultatem ante competentem Novitio, modò iſta cum priore ſit compatibilis *arg. Reg. quod ob gratiam* 61. *in* 6. atqui ante diſpenſationem in tempore Probationis pro facienda renuntiatione competebat Novitio bimeſtre, & facultas iſta cum diſpenſatione in tempore Probationis eſt compatibilis. ergo facta diſpenſatione circa tempus Probationis, hoc ipſo cenſetur retracta poteſtas renuntiandi intra bimeſtre.

110 Ex quo cadit Argumentum contrarium: nec enim ex vi diſpenſationis bimeſtre ad Renunciationem hoc caſu competit, ſed ex benigna interpretatione voluntatis Papæ, nolentis diſpenſatione ſua Novitio tollere facultatem aliàs Jure communi conceſſam. *Ad Conf.* dicendum, hoc caſu diſpenſationem non extendi, ſed tantùm retrotrahi facultatem renuntiandi conceſſam, ne omnino auferatur, aut nimiùm reſtringatur.

111 Quæritur 6. quomodo dictum tempus duorum menſium ſit computandum, an de momento ad momentum, an ſolùm moraliter, ita, ut potiùs intret Epikia, & breve tempus non ſit conſiderabile? Videtur computandum ſolùm moraliter, ita, ut licèt renuntiatio à Novitio fiat ante bimeſtre Probationis ultimum, ſi pauci dies interſint, defectus temporis renunciationem non vitiet; quia parum pro nihilo reputatur, [illegible] tinenti dicitur, quod fit intra breve tempus, quale aliqui dicunt, ſi fiat intra triginta dies, alii, ſi intra tres, alii remittunt arbitrio Judicis. Capyc. Latr. *deciſ.* 29. *num.* 4. *& ſeqq.* Zecch. *de Republ. Eccl. tit. de Regul. c.* 3. *n.* 14. *limit.* 8. Zerola *prax. Epiſc. p.* 1. *V. Monachi in fin.* Capon. *de pact. & ſtipulat. c.* 60. *numer.* 43. Bottiglier *de ſucceſſ. ab inteſt. theor.* 64. *cap.* 2. *num.* 20. apud Vincent. Petra *tom.* 3. *Comment. fol.* 376. *num.* 7.

Sed dicendum tempus hoc bimeſtre computandum de momento ad momentum, & ſecundùm quod menſis occurrit in Calendario. Ita Sanch. *l.* 7. *mor. c.* 5. *n.* 81. Barboſ. *ad Concil. Trid. ſeſſ.* 25. *c.* 16. *n.* 36. Tambur. *de Jur. Abb. tom.* 3. *D.* 6. *q.* 10. *n.* 10. Petra *l. cit.* eſtque his teſtibus deciſum à *S. Congreg.* quæ *ſub die* 21. *Jan.* 1627. ſtatuit, invalidam eſſe renunciationem, à Moniali factam per diem ante tempus præfixum à Concilio. *Ratio eſt*, quia quoties tempus datum eſt à Lege pro forma actus, computari de momento ad momentum debet, ut DD. *citt.* cum communi cæterorum monent. atqui verba Concilii important formam, & ſubſtantiam actus, ibi *nulla renuntiatio antea facta valeat*. ergo &c. 112

Ex quo ſequitur, niſi omnino expletum ſit tempus decem menſium, ſecluſo caſu diſpenſationis juxta dicta *num.* 109. renunciationem fore invalidam: & patet ratio; quia forma etiam in minimo non ſervata, actus corruit, cum deficiat anima informativa ipſius actus, *Conf.* à paritate cum Profeſſione, quæ invalidè emittitur, ſi vel minimum quid deſit de ætate, vel anno Probationis per SS. Canones requiſito, ut dictum *n.* 65. & dicetur amplius *infra n.* 171.

Ex quo cadit Ratio dubitandi allata.

Quæritur 7. an effectum habeat renuntiatio, vel donatio, ſi quidem illa ſit facta juxta formam Trid. ſed Profeſſio hac ſecuta ob ætatis, vel alium defectum ſit irrita? Reſp. negativè. Ita Sanch. *l.* 7. *mor. c.* 5. *n.* 55. Barboſ. *Jur. Eccl. l.* 1. *c.* 42. *num.* 238. Donat. *tom.* 3. *p.* 2. *tr.* 7. *q.* 21. Pirh. *hic num.* 91. *verſ. Reſpondeo* 2. Vvex. Ariadn. *p.* 5. *tr.* 3. *c.* 5. §. 1. *num.* 65. & alii ab his *citt.* eſtque ita deciſum à *Cardd.* teſte Riccio *part.* 4. *deciſ.* 146. *Ratio eſt*, quia Concilium exigit, ut ſequatur Profeſſio; verba autem intelligi cum effectu debent, adeoque ut ſequatur Profeſſio validè; nam actu invalidum fieri perinde eſt, acſi omnino fieret. *Conf.* quia Concilium voluit conſulere libertati Novitiorum ad egrediendum. atqui quando Profeſſio eſt irrita, profitens verè adhuc Novitius eſt, & licitè poteſt egredi. ergo etiam huic eſſe conſultum voluit: non fuiſſet autem libertati ejuſdem conſultum, ſi donatio, aut renuntiatio ab ipſo facta haberet effectum; quia jam retraheretur ab egreſſu metu perdendi, quæ ita donavit, vel quibus renuntiavit. ergo &c. *Proceditque hoc*, etſi ſciens Profeſſionem ſuam eſſe nullam donaſſet, vel renuntiaſſet, ut notat Sanch. *l. cit.* ubi dat rationem; quia adhuc præponderat libertas egreſſus Novitii, cui Tridentinum conſultum voluit, quacumque ex cauſa profeſſio foret irrita. 113

Dubium eſt, an ſi poſtea Profeſſio, quæ invalidè emiſſa fuit, ratificetur, etiam ratificata cenſeatur renuntiatio? Ad quod dubium reſpondendum eſt cum diſtinctione inter cauſas, ob quas irrita eſt Profeſſio; nam ſi irrita ſit ex defectu legitimæ ætatis, ratificata Profeſſione, non cenſetur hoc ipſo ratificata etiam renuntiatio, ut *l. cit. n.* 56. notat Sanchez, & dat rationem, quia eo caſu etiam renuntiatio fuit irrita, conſ. ſuperventu legitimæ ætatis, aut Profeſſionis validæ non poteſt convaleſcere. At ſi Profeſſio irrita ſit alio ex capite v. g. quia emiſſa eſt anno Probationis nondum exacto, vel quia extorta metu eſt &c. ratificata cenſebitur etiam renuntiatio, ſi poſtea ratificetur Profeſſio, ut idem Sanch. *l. cit.* Barboſ. *n.* 239. & alii docent; quia etſi eo caſu Profeſſio fuerit irrita, renuntiatio tamen manſit valida, & ut firma fieret, tantùm opus habebat, ut ſequeretur alia Profeſſio valida, quod fit, ſi priùs invalida ratificetur. 114

Quæritur 8. an donatio, aut alia renuntiatio, facta ſecundùm formam, à Trid. præſcriptam, corruat, ſi Novitius, qui ita renuntiavit, vel donavit, moriatur ante Profeſſionem? Negat Suar. *tom.* 3. *de Relig. l.* 5. *c.* 16. *n.* 11. Paul. Fuſc. *de Viſit. Epiſc. l.* 2. *c.* 15. Engl *hic n.* 39. & videtur hoc poſſe probari 1. quia ubi ceſſat omnino cauſa, & ratio Legis, ibi ceſſat etiam diſpoſitio Legis. *arg. c. cùm ceſſante* 60. *de Appellat.* atqui cauſa irritandi Donationes, & renuntiationes ejuſmodi, non ſecuta Profeſſione factas, ea dumtaxat erat, [illegible] minueretur libertas egrediendi, quæ ratio [illegible] caſu præſenti ceſſat. ergo &c. 2. ad effect[illegible] [illegible]is diſpoſitionis ſufficit, ſi condi[illegible] [illegible] Profeſſionis ſecuturæ, tanquam mortis Ci- 115

vilis, impleatur per aliquid æquipollens. atqui mors naturalis vel maximè est æquipollens. ergo sufficienter implebitur per mortem naturalem.

116 Sed verius est, eo casu Renuntiationem corruere. Ita Rodriq. *tom.* 2. *Regul. q.* 47. *art.* 12. Sanch. *l.* 7. *moral. c.* 5. *n.* 49. Laym. *l.* 5. *tr.* 5. *c.* 7. *n.* 10. *dict.* 7. Donat. *prax. Regul. tom.* 2. *p.* 2. *tr.* 7. *quæst.* 24. Tamburin. *de Jur. Abb. tom.* 3. *D.* 6. *q.* 10. *n.* 15. Barbos. *l.* 1. *Jur. Eccl. c.* 42. *n.* 178. Fagnan. *in c. statuimus h. tit. n.* 37. & 38. Pal. *tr.* 16. *D.* 1. *p.* 17. *num.* 13. Bordon. *de Prof. Relig. cap.* 13. *q.* 23. Vvex. Ariadn. *part.* 5. *tr.* 3. *c.* 5. §. 1. *num.* 67. & *seqq.* Pirh. *hic num.* 91. Vviest. *num.* 66. & declaratum est à *Cardd.* teste Passarello apud Donat. *l. cit. Ratio est*, quia Trid. loco sæpiùs allegato expressè ait, *aliàs renuntiationem non sortituram effectum, nisi secuta Professione:* quæ verba cùm generalia sint, generaliter, & de omni casu intelligi debent, quo non sequitur Professio. Imò ipse Novitius ex dispositione Tridentini non aliter donasse, aut renuntiasse censetur, quàm sub conditione, *Si sequatur Professio*. igitur si hæc non sequatur, sed mors illam præveniat, donatio, vel renuntiatio ejusdem corruet.

117 *Ex quo sequitur*, quòd Novitius, non obstante donatione, vel renuntiatione, à se juxta formam Trid. facta, de bonis suis testari, & mortis causa disponere possit, prout voluerit, & si factam à se renuntiationem ratificare nolit, nec aliam dispositionem facere, bona ejusdem deferantur ab hæredes ab intestato. *Ratio est*, quia per hoc suum Decretum S. Synodus non tantùm voluit salvam conservare Novitio libertatem egrediendi, sed etiam tueri libetam facultatem disponendi causa mortis de bonis suis pro suo arbitrio, ut cum aliis advertit P. Vvex. *l. cit. num.* 68.

118 Ex quo corruit *Argumentum* 1. adversæ Sententiæ. *Ad* 2. mors naturalis in hoc casu non æquipollet morti Civili, quæ contingit per Professionem; quia posterior, si sequatur, tollere debet valorem omni alteri dispositioni, quæ post legitimè factam renuntiationem sequitur, ut mox dicemus: hunc autem tollere non debet mors naturalis, cùm, ut dictum, Tridentinum voluerit, facultatem disponendi causa mortis, etiam post renuntiationem, Novitio manere illæsam.

119 Quæritur 9. an renuntiatio bonorum, vel Donatio, ultimo bimestri facta, ante Professionem revocari à Novitio possit, si hic velir perseverare in Religione? *Ratio dubitandi est* quia donatio ista, & renuntiatio ex mente Tridentini est solùm conditionata, à futura Professione, ejusque valore pendens. atqui conditionata obligatio ante impletam conditionem non stringit. ergo &c.

120 Sed dicendùm, veriùs non posse revocari ampliùs, nisi donans, vel renuntians sibi reservarit jus revocandi. Ita Sanch. *l.* 7. *mor. c.* 5. *n.* 58. Pal. *tr.* 16. *D.* 1. *p.* 17. *n.* 12. Pirh. *hic n.* 92. Vviest. *n.* 62. Ratio est 1. quia non est credibile, quòd Tridentinum ad obligationem adeo levem, & infirmam, qualis est, quæ ad obligati libitum revocari potest, requisiverit circumstantias adeo graves, videlicet licentiam Episcopi, & bimestre Probationis ultimum. 2. si revocari renuntiatio, ultimo bimestri facta, posset liberè à Novitio, etiam perseverare volente, non esset ratio, cur non ejusmodi renuntiatio fieri etiam ante ultimum bimestre possit, cùm sic renuntians revocando renuntiationem à se factam facillimè recuperare bona sua possit, & sic non minuatur libertas egressus ex Religione. 3. nec aliæ donationes conditionales, pendente conditione, revocari liberè possunt, sed operantur obligationem exspectandi eventum conditionis, ut pluribus aliis *citt.* observat Sanch. *dict. loc.* ergo & renuntiatio Novitii talem effectum, & obligationem operabitur in Novitio.

Ex quo labitur Ratio dubitandi allata in oppositum.

121 Quæritur 10. an facta hac renuntiatione, seu donatione bonorum in favorem Monasterii, vel alterius resignatarii, aut donatarii res ita cessæ, vel donatæ huic tradi ante Novitii Professionem possint, vel debeant? *Certum est*, non posse ita tradi, ut dominium illarum resignatario, vel donatario acquiratur irrevocabiliter; quia Tridentinum voluit, ut ejusmodi renuntiatio, seu donatio non sortiretur effectum suum, quousque sequatur Professio; sortiretur autem, si dominium rerum cessarum, vel donatarum acquireretur cessionario, vel donatario irrevocabiliter. ergo &c.

122 *Dubium est*, ... ita tradi Monasterio à Novitio res cessæ, vel donatæ po... ut vel acquiratur ei tantùm dominium revocabile, vel ... ... *De primo hujus membro* non adeo magna est difficultas, ... tiva sequitur ex Argumento modò allato; jam enim ante Professionem renuntiatio sortiretur effectum, si transferretur dominium, etiam revocabile, ut notat Pal. *tr.* 16. *D.* 1. *p.* 17. *num.* 13.

Major difficultas est de *Secundo*. Negat Sanch. *l.* 7. *mor. c.* 5. *num.* 53. ea motus ratione; quia Tridentinum prohibet, irritat, & annullat donationes ex bonis Novitii factas, ne hac occasione ob difficultatem recuperandi donata minùs liber redderetur eidem egressus ex Religione. atqui hanc difficultatem pateretur Novitius, si facta renuntiatione, quamvis retento dominio, bona ejusdem traderentur Monasterio, & ab hoc occuparentur. ergo &c. 1

Sed probabilior videtur affirmativa, quam etiam defendit Pal. *l. citt. n.* 15. & colligitur ex ipso Trid. *c.* 16. *cit.* ubi præcipit, *ut abeuntibus ante Professionem omnia restituantur, quæ sua erant*, quæ verba supponunt posse Monasterio aliqua tradi: eaque non tantùm, quæ levioris momenti sunt; nam hæc, ut *n.* 100. *supra* dictum est, liberè donata sunt. 1

Ad Argumentum contrarium si hujusmodi traditio fieret, fieret post renuntiationem, conf. proximè ante Professionem, vel desertionem Religionis, quo casu nulla potest esse moralis difficultas recuperandi bona cessa, vel donata Monasterio nari possunt, etiam ante bimestre Probationis ultimum. ergo &c.

Quæritur 11. quid observandum in renuntiatione Beneficii, quod in Sæculo habuit Novitius? In duas extremè oppositas sententias DD. abeunt. Garc. *de Benef. p.* 11. *c.* 9. *n.* 12. & *seqq.* Pal. *tr.* 13. *D.* 6. *p.* 2. §. 3. *n.* 15. Barbos. *de Off. Episc. alleg.* 99. *n.* 19. Murga *de Benef. q.* 3. *n.* 1062. Antonell. *de Regim. Eccl. l.* 7. *c.* 8. *n.* 6. Corrad. *prax. dispens. Apostol. l.* 6. *c.* 2. *n.* 12. putant in hac non observandas necessariò solemnitates à Conc. Trid. *loc. sæpiùs cit.* requisitas, sed eam etiam sine his factam validam esse, neque regressum ad Beneficium ita resignatum concedi renuntianti, quamvis non sequatur Professio. *Fundamentum* illorum est, quia renuntiatio Beneficii debet esse absoluta, stabilis, & non temporalis, seu conditionalis, pendens à futura conditione, talis autem non esset, si comprehenderetur in Decreto Conciliari *cit.* juxta quod renuntiatio Novitii valida pendet à subsequente conditione Professionis. ergo &c. *Confirmant* hanc suam opinionem authoritate S. Pii V. qui cùm S. Congregatio Concilii ad dubium, *An dictum c.* 16. *comprehendat etiam resignationem Beneficii?* respondisset, *Comprehendere*, ad hanc decisionem sibi relatam dixit, *se credere dictum c.* 16. *non procedere in resignatione Beneficiorum.*

Contra Paris. *de Resignat. l.* 3. *q.* 13. *n.* 5. Riccius *in prax. p.* 3. *resol.* 365. *num.* 3. Suar. *tom.* 3. *de Relig. l.* 5. *c.* 16. *n.* 12. Sanch. *l.* 7. *mor. c.* 5. *num.* 18. Laym. *l.* 3. *tr.* 5. *c.* 7. *n.* 6. Lezan. *in Summ. V. Novitii num.* 31. Ventrigl. *prax. p.* 1. *annot.* 46. §. 11. *n.* 8. Tambur. *de Jur. Abb. tom.* 3. *D.* 3. *q.* 10. Donat. *tom.* 2. *p.* 2. *tr.* 7. *q.* 17. & *seqq.* Vvex. Ariadn. *p.* 5. *tr.* 3. *c.* 5. §. 1. *n.* 72. Vincent. Petra *tom.* 3. *comment. fol.* 379. *n.* 20. & hoc rectè communior DD. judicat etiam renuntiationem Beneficii à Novitio factam comprehendi Conciliari Decreto, ac proinde factam sine solemnitatibus ibi præscriptis esse nullam, & resignantem, si Professio non sequatur, reintegrandum. Afferunt pro se complures Decisiones Rotæ, præsertim *in Ferrariensi Canonicatus* 1. *April.* 1697. & 10. *Jan.* 1698. & 5. *Mart. ejusdem anni coram Pio*, & *in secunda instantia* 3. *April.* 1699. *coram Eminentissimo della Tremoille*, & *in tertia instantia* 11. *Decembr.* 1699. *coram D. Scotto*, ubi hanc sententiam Sacra Rota amplexa est. 2. authoritatem *S. Congr. Concil.* cujus complures resolutiones afferr Riccius *l. cit.* & Fagn. *in c. statuimus h. tit. num.* 19. additque Petra *l. cit. fol.* 380. *n.* 22. dictam *Congreg.* semper fuisse in eo sensu. 3. ipsum Decretum S. Synodi, ubi utitur verbis generalibus, *Nulla quoque renuntiatio --- valeat*. igitur non tantùm renuntiationem bonorum temporalium: sed etiam Beneficii Ecclesiastici comprehendet, præsertim cùm etiam in hoc finis Trid. urgeat, ut sc. salva maneat libertas egrediendi, quæ non parum restringeretur, si Beneficium suum collatum alteri videre deberet, ex quo tamen fortasse unicè sustentationem habuit. 12

Ad fundamentum adversæ sententiæ respondeo renuntiationem Beneficii debere esse absolutam, ut non possit pendere à conditione merè arbitraria, licèt pendere possit à conditione, quæ secundùm Jus inest: & talis est conditio, *Si renuntians Religionem fuerit professus;* inest enim ... à Novitio factæ ex dispositione Con- 126

Concilii Trid. *Ad Conf.* S. Pius V. solùm dubitavit, non verò damnavit S. Congr. sententiam; alias istam illa non pergeret sustinere.

7 Quæritur 12. an Dispositioni Conciliari subjaceant, & conf. irritæ sint etiam donationes, & renuntiationes, factæ ante ingressum Novitii in Religionem? *Certum est*, non esse irritas, si factæ sint alio, quàm ingressus illius intuitu; quia eodem modo fuissent factæ, etsi donans, vel renuntians Religionem non fuisset ingressus: conf. non obstant libertati egressus, quam solam sartam tectam hoc suo Decreto voluit Tridentinum. Sanch. *l.* 7. *mor. c.* 5. *n.* 2. Cævall. *opin. comm. contr. comm. q.* 806. *n.* 14. Capyc. Latr. *l.* 1. *dec.* 31. *num.* 2. Vincent. Petra *tom.* 3. *comment. fol.* 380. *num.* 24.

8 *Controversia est*, si hujusmodi donationes, & renuntiationes à Candidato Religionis fiant intuitu ingressus, aut facta ejus mentione? *Affirmativam* defendunt Navarr. *conf.* 81. *de Regul.* Flamin. *l.* 3. *de renunt. q.* 13. Molin. *tr.* 2. *de J. & J. D.* 139. *n.* 13. Less. *l.* 2. *c.* 41. *n.* 40. Gaspar. Lechner. *Dissert. Theol. de Renunt. Success. edit. Ingelstadii* 1623. *num.* 112. & satis claré eidem adhæret Engl. *hic n.* 29. *Fundantur* 1. quia Concilium generatim irritat renuntiationes factas ante duos menses ultimos præcedentes Professionem, nec distinguit inter eas, quæ in Noviciatu, & eas, quæ ante Noviciatum sunt factæ. 2. Si Tridentini dispositio non etiam ad renuntiationes, ante ingressum factas, se extenderet, facilè eludi, & frustrari effectu suo posset; posset enim urgeri Religionis Candidatus, ut bonis renuntiaret ante ingressum. 3. Etiam per renuntiationes, ante ingressum factas, minuitur libertas egressus, si valeant, & revocari non ampliùs possint. 4. In lata acceptione nomine ingressi intelligitur etiam proximè ingressurus *arg. l. filiusfam.* 43. *ff. de Testam. milit.* qua *proximè accingendus pro accincto habetur.* 5. Pro eadem sententia adducuntur aliquæ resolutiones *Sacr. Congreg. Concil.* ut apud Rot. *decis.* 91. *n.* 3. *in fin. coram Royas.*

Verùm his non obstantibus, dicendum, ejusmodi Donationes, vel Renuntiationes, ante Noviciatus ingressum, etiam intuitu ingressus factas, probabilius esse validas, quamvis ita renuntians, vel donans, casu, quo mutato consilio, rediret ad sæculum, vel Religionem omnino non ingrederetur, ad beneficium restitutionis in integrum possit recurrere, si minor sit, imò etiam, si major, ex clausula generali, *Siqua alia mihi justa causa videbitur.* Ita Menoch. *de arbitr. cent.* 5. *cas.* 436. *à n.* 3. Garc. *de Benef. p.* 11. *c.* 9. *num.* 15. Sanch. *l.* 7. *mor. c.* 5. *num.* 4. Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 99. *num.* 17. Pal. *tr.* 16. *D.* 1. *p.* 17. *num.* 4. Fagnan. *in c. ex parte n.* 42. *h. tit.* Gallemart. *ad Trid. sess.* 25. *c.* 16. *de Regular. num.* 2. Stephan. Gratian. *discept.* 568. *num.* 18. *& seq.* Donat. *prax. Regul. tom.* 2. *p.* 2. *tr.* 7. *quæst.* 20. Card. de Luca *Discurs.* 59. *de Regular.* Vvex. Ariadn. *part.* 5. *tr.* 3. *c.* 5. §. 1. *n.* 78. Vincent. Petra *Comment. tom.* 3. *fol.* 380. *n.* 25. P. Vviest. *hic n.* 56. Magnif. P. Schmier *p.* 1. *de Person. Ecclesiast. c.* 3. *n.* 154. estque sæpiùs decisum à Rota, ut videre est apud Petram *l. cit.* & pro ea teste eodem constanter stetit *S. Congr. Concil.*

Ratio est, quia Legis dispositio, quæ correctoria est Juris communis, & actum aliàs valiturum irritat, extendi non debet ad casum, sub lata verborum forma non comprehensum, ut multis probat Pal. *tr.* 3. *D.* 5. *p.* 3. §. 4. talis est dispositio Tridentini; nam irritat renuntiationem Novitii, quæ Jure communi prius valida erat; ergo ad casum, sub lata verborum forma non comprehensum, etiam ob paritatem rationis, extendi non debet: extenderetur autem, si renuntiationes, ante ingressum Novitii in Religionem factæ forent, & pronuntiarentur invalidæ; nam laudatum Concil. *l. cit.* solùm loquitur de renuntiationibus factis post ingressum, ut patet tum ex Rubrica, quæ inscribitur de Regularibus, tum ex principio *cap.* 16. *cit. Nulla quoque*, ubi per particulam *quoque*, quæ copulativa est, significatur, quòd *c. cit.* dispositio connectatur cum *cap.* 15. *præc.* & conf. de eodem subjecto sermo fit; agebatur autem *in c.* 15. de ingressis. ergo etiam *in c.* 16. de iis agitur.

Argumenta in contrarium allata vim non habent. *Ad* 1. patet ex modò dictis; nam hoc Tridentini Decretum intelligi solùm debet de iis, de quibus Sacra hæc Synodus locuta est *cap.* 15. *præc.* conf. sufficienter explicat, de qua renuntiatione loquatur. *Ad* 2. periculum hoc non attendit in suo Decreto Tridentinum, cùm raro admodum ante ingressum in Religionem fiant donationes, & renuntiationes, præsertim in favorem Religionis, sæpissimè autem factæ sint ab ingressis: unde cùm huic malo præcipuè cavere voluerit, effectu suo non frustrabitur, etiamsi contingat aliquando, ut ingressurus Religionem inducatur ad renuntiandum. *Ad* 3. hujusmodi donationes, & renuntiationes, ante ingressum factæ, si donans, vel renuntians in Religione non maneat, liberè revocari possunt; censentur enim facta ex causa, & sub conditione Professionis. *Ad* 4. axioma illud ex *l. filiusfamilias cit.* sumptum procedit tantùm in favorabilibus, non verò in odiosis, & quæ actum aliàs valiturum faciunt; nam in his strictissima interpretatio fieri debet. *Ad* 5. mentem *S. Congregationis* apertè indicat Declaratio, qua ad quæsitum: *An dispositio cap.* 16. *de Regular. sess.* 25. *pr. comprehendat illum etiam, qui habuit animum ingrediendi Religionem, & adhuc in sæculo existit, sed tamen acceptatus, licèt habitum non susceperit, donavit bona sua suæ matri, & non adhibitis solemnitatibus, hoc capitulo requirit. Congregatio censuit, non habere locum ante susceptionem habitus.*

Quæritur 13. an renuntiatio, facta post ingressum in Monasterium, sed ante assumptionem habitus, regulari debeat juxta Decretum Conciliare, saltem si renuntians admissus est pro ingressu, & Monachalem coronam assumpsit? Videtur tenenda affirmativa sententia. 1. Ob authoritatem Rotæ *in Ferrariensi Canonicatus cit. n.* 125. ubi in terminis dixit, quòd ingressus etiam non assumpto Habitu Regulari subdatur Dispositioni Conciliari. 2. Quia Resolutiones *Sac. Congreg.* loquuntur cum termino ingressus. igitur sufficiet ingressum Religionem esse, licèt habitum non susceperit, ut renuntiatione ejusdem regulari secundùm Conciliare Decretum debeat. 3. Ut renuntiatio Decreto huic subjaceat, sufficit, ut renuntians sit in statu Probationis. atqui in isto jam est, quando introductus est in Monasterium animo probandi Religionem, præsertim si tonsuram Monachalem acceperit, quippe quæ temporalium omnium abdicationem indicat. Thomassin. *de Benef. tom.* 1. *l.* 3. *capit.* 48. *num.* 8. 132

Sed dicendum, renuntiationes, etiam post ingressum, & susceptam tonsuram Monachalem, ante habitum susceptum factas, non subjacere Conciliari Decreto, & conf. validas esse, etiamsi factæ non sint cum solemnitatibus illo Decreto præscriptis. Ita Riccius *dec.* 295. Fagnan. *in c. statuimus n.* 46. *in fin. h. tit.* Pasqu. *qu. mor. resol.* 274. Gratian. *dec. Marchiæ* 37. *n.* 2. *&* 3. & *in addit. n.* 2. Vincent. Petra *tom.* 3. *Comment. fol.* 381. *n.* 30. estque hoc teste sæpiùs decisum à Rota, & resolutum in S. Congr. Conc. præsertim *in Romana* 22. *Junii* 1613. ubi S. Congr. censuit, dictum *cap.* 16. non vindicare sibi locum in renuntiationibus factis ante actum, seu momentum susceptionis Habitus, ac proinde renuntiationem non esse nullam. *Ratio est*, quia Concilium in *citat.* Decreto loquitur de Novitiis. tales autem non reputantur (excepta Societate JESU secundùm dicta *numer.* 58.) nisi post ingressum & receptum Habitum animo experiendi Religionem, ut eam profiteantur, ut *num. cit.* ostendi. ergo &c. 133

Neque obstant Argumenta contraria. *Ad* 1. in dicta *Ferrariensi*, ut notat Petra *l. cit. num.* 33. renuntiatio pronuntiatur subjacere Decreto Conciliari; quia mandatum dumtaxat ad resignandum ante assumptionem habitus datum est, consensus verò, & ipsa resignatio per Procuratorem facta est post indutum Habitum Novitii: idque meritò; cùm enim mandatum retrotrahatur ad tempus resignationis factæ, idem est, acsi renuntiasset induto Habitu. *Ad* 2. Resolutiones *S. Congr.* intelligendæ sunt de ingressu ad Novitiatum, quod contingit in Habitus Probationis susceptione. *Ad* 3. ante susceptum Habitum ingressus nondum est in vera Probatione: quod inde patet; quia aliàs sequentur, quòd si per decem menses ab ingressu numeratos stetisset in Monasterio Novitius, illis elapsis, licèt tamdiu nondum stetisset in Habitu, statim validè renuntiationem posset facere: quod tamen falsum est; quia Concilium potestatem renuntiandi bonis dumtaxat concedit illi, qui de Jure post bimestre profiteri posset, quod non potest Novitius in casu dato. 134

Quæritur 14. utrum sicut in aliis Religionibus, si non sequatur Professio, cadit Renuntiatio bonorum à Novitio facta, ita etiam cadat, facta à Religioso Societatis Jesu, si hic ante Professionem solemnem editam dimittatur? Ita quidem existimat Vincent. Petra *tom.* 4. *Commeut. fol.* [illegible] *num.* 24. qui proinde putat sic dimissi [illegible] tantùm voluntates ultimas sua natura revocabiles, sed etiam donationes favore ipsius Socie- 135

cietatis factas revocare poſſe, & donata eidem debere reſtitui, quòd donata cenſeantur ſub tacita conditione, ſi ſequatur ſolemnis Profeſſio. Adducit pro tuenda hac ſua opinione Deciſionem *Rotæ in Avenienſi pecuniaria 17. Martii 1692. coram Cardinal. Caccia §. fundamentum*, ubi reſolutum fuit, reſtituendum eſſe per Societatem unà cum fructibus à die motæ litis Legatum relictum Societati in Teſtamento condito tempore Novitiatus, cùm expreſſione, ut ſtatim per hæredem ſolveretur.

136 Et videtur iſtud probari 1. quia Conſtitutiones Societatis eodem tenore loquuntur de renuntiatione, facta poſt Vota biennii in Societate, quæ renuntiantem verè Religioſum faciunt, quo modo loquuntur de renuntiatione, facta tempore Novitiatus. atqui renuntiatio, facta tempore Novitiatus, habet eam tacitam conditionem *ſi renuntians perſeveraverit in Religione*; nulla enim videtur major eſſe ratio de renuntiatione facta in Societate, quàm quæ in aliis Religionibus, in quibus renuntiatio facta tempore Novitiatus eam conditionem tacitam habet. ergò &c. 2. Renuntiatio futuræ hæreditatis, poſt Vota biennii facta, eam tacitam conditionem habet; nam jus ad eam capiendam, ſi deferatur, poſt dimiſſionem dimiſſus è Societate recuperat. atqui non aliter Conſtitutiones Societatis loquuntur de renuntiatione aliorum bonorum. ergo &c. 3. In Conſtitutionibus Societatis *p.* 2. *c.* 3. §. 5. *fin.* de ſic dimiſſo è Societate dicitur: *Secum omnia deferat.* ergo quæ attulit, eidem reſtituenda ſunt. non autem reſtituenda eſſent, ſi renuntiatio conditionata non foret. ergo &c.

137 Sed dicendum, renuntiationem bonorum, quæ fit in Societate juxta præſcriptum Conſtitutionum ejuſdem, ſi fiat poſt impletum primum annum Novitiatus, aut poſt Vota biennii (ut communiter ſolet) nullam habere conditionem imbibitam, ſed eſſe omnino abſolutam, & irrevocabilem: conſ. ſi poſtea renuntians dimittatur, de Jure nihil dimiſſo reſtituendum. Ita Molin. *tr.* 2. *de J. & J. D.* 139. *num.* 6. & 7. Suar. *tom.* 4. *de Relig. tr.* 8. *l.* 3. *c.* 14. *n.* 22. & *tr.* 10. *l.* 4. *c.* 4. *num.* 19. Sanch. *l.* 7. *moral. c.* 1. *n.* 34. Laym. *l.* 2. *tr.* 5. *t.* 7. *num.* 9. Pal. *tr.* 16. *D.* 1. *p.* 15. *n.* 6. Donat. *tom.* 2. *prax. Regul. p.* 2. *tr.* 7. *q.* 19. *n.* 3. & *ſeqq.* Vvex *Ariadn. p.* 5. *tr.* 3. *c.* 5. §. 1. *n.* 86. eſtque conſtans DD. Societatis ſententia, multis præjudiciis comprobata. Sumitur apertè ex *cap.* 4. *Exam. gen.* §. 1. ubi præcipitur, quòd ingreſſurus Societatem, *antequam in Domo aliqua, vel Collegio ejus vivere ſub Obedientia incipiat, juxta illud Chriſti:* Si vis perfectus eſſe vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & ſequere me, *debeat omnia bona temporalia, quæ habuerit, diſtribuere, & renuntiare -- diſpenſando illa juxta propriam devotionem, & à ſe omnem fiduciam ſubmovendo eadem ullo tempore recuperandi.* Et additur §. 2. *Quodſi ſtatim propter aliquas honeſtas cauſas, bona non relinquat, promittat ſe promptè relicturum omnia (ut dictum eſt) poſt unum ab ingreſſu abſolutum annum, quandocunque per Superiorem injunctum ei fuerit.* atqui renuntians omni ſpe ac jure recuperandi renuntiata non careret, ſi renuntiatio haberet hanc tacitam conditionem, ut ſolùm valida ſit, dum renuntians perſeverat in Societate. ergo &c.

138 *Conf.* 1. ex Trid. *ſeſſ.* 25. *cap.* 16. *de Regular.* quod præſcribit, ut renuntiatio Novitiorum in aliis Religionibus fieret ſub tacita conditione, *Si Profeſſio ſequatur*, quia expedit libero Novitiorum egreſſui conſulere, quæ libertas deficeret, ſi carerent ſpe recuperandi bona. at quando poſt Vota biennii fit prædicta renuntiatio (ut communiter fit) eſt valde neceſſarium occurri libertati, & facilitati petendi egreſſum è Societate, cùm ligari prædictis Votis non jam ſint ſui Juris, ſed teneantur perſeverare in Societate, atque ita vivere, ut occaſionem ſuæ dimiſſioni ex ea non præſtent. ergo jure optimo credendum eſt, eam renuntiationem non eſſe conditionalem.

Conf. 2. ex *Conſtit. Gregorii XIII.* incipit *Aſcendente*, ubi ſtatuitur, quòd in Societate ligati Votis biennii retinere ad tempus poſſint dominium ſuorum bonorum, etſi non uſum; & ratio iſtius datur his verbis, *Ut majorem Societas habeat libertatem, illos, ſi opus fuerit, cum minore offenſione dimittendi.* at ſi renuntiatio eſſet conditionalis, penderetque à perſeverantia, nulla eſſet difficultas in expulſione, nulla offenſionis cauſa, cùm expulſis bona ſua reſtituenda eſſent. ergo &c.

Conf. 3. Idem Pontifex *Conſt. cit.* cùm interdixiſſet Gloſſas, & interpretationem Con[illegible] Societatis, & Inſtituti adhiberi, reſervavit omnia dubia per Sedem Apoſtolicam, & Generalem Societatis declaranda. atqui P. N. Generalis bon. mem. Claudius Aquaviva 1584. ad poſtulatum Congregationis Provinciæ declaravit renuntiationem hanc eſſe abſolutam, & independentem à perſeverantia. ergo pro tali habenda omnino eſt.

Dixi autem 1. *ſi fiat juxta præſcriptum Conſtitutionum Societatis:* Contrà eſt, ſi poſt ingreſſum ſub Obedientiam Societatis donationes, vel renuntiationes bonorum facerent non ſecundùm Conſtitutiones noſtras, videlicet ante finitum primum Probationis annum, vel poſtea ſine voluntate Superioris, aut in conſanguineos ſine judicio unius, vel plurium virorum prudentum &c. nam de hujuſmodi renuntiationibus judicandum eſſet, quod de illis, quæ fiunt contemplatione ingreſſus in alias religiones, & dicendum, quòd ſicut iſtæ pendent à futura Profeſſione, ac proinde ſic renuntiata recuperantur à Novitio egrediente, ita & illæ. Sanch. *l. cit. numer.* 37. ratio eſt, quia ſola renuntiatio facta juxta Conſtitutiones Societatis habet vim abſolutæ donationis. quòd ita in Conſtitutionibus illis præſcribatur. Neque confirmabitur hæc renuntiatio in vim abſolutæ donationis per ſola Vota biennii, ſed per ſola Vota Profeſſorum, vel Coadjutorum formatorum, quippe per quæ ſola inducitur abſoluta incapacitas proprietatis rerum & bonorum temporalium. 1

Dixi 2. *Si fiat poſt primum Novitiatus annum*; nam etiam hæc abſoluta eſt, ſi juxta Conſtitutiones Societatis facta ſit, ut *l. citt.* notant Molin. *n.* 7. Sanch. *num.* 35. quòd de hac eodem modo loquantur Conſtitutiones Societatis, quo modo loquuntur de renuntiatione facta poſt Vota biennii, & utraque dicitur fieri abſque ulla prorſus recuperandi ſpe. igitur utraque erit abſoluta. *Neque obſtat*, quòd in aliis religionibus renuntiatio, facta ultimo Probationis bimeſtri, ſit pendens à futura Profeſſione; hoc enim ſolùm eſt ex præſumpta voluntate Novitii, qui præſumitur renuntiare cauſa ſolius Profeſſionis futuræ: & hinc ſi de contraria voluntate conſter, etiam ipſa abſoluta erit, ut notat Sanch. *num.* 35. *cit.* Aliud contingit in Societate: nam Novitius poſt primum Probationis annum renuntians bonis in opera pia juxta Conſtitutiones Societatis, renuntiat, ut impleat, quod initio ingreſſus promiſit, nempe ſe omnia bona à ſe abdicaturum poſt primum Novitiatus annum, quando Superior id præſcripſerit, abſque ulla recuperandi ſpe: conſ. de abſoluta ipſius voluntate conſtat. erit igitur etiam ipſa abſoluta. 1

Dixi 3. *Si poſt ejuſmodi renuntiationem renuntians dimittatur è Societate, de Jure nihil eidem reſtituendum, etiamſi in Societatis favorem renuntiationem feciſſet.* ratio eſt, quia eodem modo renuntians in favorem Societatis, ſe abdicat bonis ſuis, ſicut ſe abdicat, quando ea diſtribuit in pauperes. atqui in pauperes diſtribuens abſolutè ſe abdicat, cùm ſpem habere non poſſit eadem ab ipſis denuo recuperandi. ergo &c. Addidi autem *de Jure*; aliud enim eſt de æquitate, & in circumſtantiis, quando donans egenus eſt. Nam huic Societas pro modo donationis præſtare alimenta debet; alioquin integrum erit donatori revocare donationem Societati factam ob ingratitudinem, ut *l. citt.* notant Sanch. *num.* 39. Laym. *num.* 10. Pal. *num.* 6. *prope fin.* Durabitque hæc obligatio tamdiù, quamdiù neceſſitas donatoris durat: quare donatore poſtea conſequente Beneficium aliquod Eccleſiaſticum, vel bona alia, ex quibus ali poſſit, ceſſabit hæc obligatio, vel ex toto, ſi omnino ſufficiant; vel ex parte, ſi bona, quæ dimiſſus conſecutus eſt, ſufficiant pro parte ſuſtentationis, ſicut de aliis obligationibus ſubſidiariis tradunt DD. Sanch. *n.* 39. *cit.* 1

Neque contrarium efficaciter probant Argumenta allata in contrarium. Deciſio rotæ *num.* 135. allegata non eſt reſponſioni meæ contraria; quia ſolùm agit de Legato relicto per ultimam Voluntatem, quæ, quamdiu alia Voluntas irrevocabilis nulla ſequitur, ex natura ſua eſt revocabilis. Et ſi contraria eſſet ea Deciſio, opponerem illi aliam, qua proximis hinc annis contra Sacerdotem Siculum, è Societate dimiſſum, & repetentem bona, quæ in eandem attulit, deciſum eſt nihil ipſi competere. *Ad* 1. *argumentum num.* 136. oppoſitum diſtinguitur inter renuntiationem factam, durante primo Novitiatus anno, & factam poſt eum impletum juxta Societatis Conſtitutiones: illa revocabilis eſt, ut renuntiationes in aliis religionibus ultimo bimeſtri factæ, ut dictum eſt *numer.* 139. quòd dictæ Conſtitutiones [illegible] non meminerint, conſ. [illegible] Juris communis eam reliquerint: contrà 1

contrà

trà irrevocabilis, & absoluta est, quæ post ~~primum~~ Novitiatus annum facta est juxta easdem Constitutiones, prout constat ex *n.* 140. Ad 2. etiam renuntiatio Legitimæ parentum superstitum, facta post primum Novitiatus annum, vel post biennii Vota juxta Societatis Constitutiones est absoluta, ut proinde per eam illi, in cujus favorem facta est, jus jam quæsitum sit. *Ad* 3. id intelligendum de iis bonis dimissis, *quæ ipsius esse constat*, ut habetur in *Declar. lit. B. ibid.* at quæ Societati donavit, non ampliùs ipsius donantis sunt. Hinc dicendum esse restituenda de Jure illa duntaxat, de quibus nondum disposuit. De cæteris, quæ Societati donavit, eadem Declaratio *relinquit prudentiæ Superioris dimittentis, ut habita ratione tum æquitatis, tum ædificationis statuit, num illi aliquid ampliùs, quàm quod invenitur de rebus ipsius, dari debeat, necne, & si amplius, quantum.*

3 Quæritur 16. cum Trid. *sess.* 25. *c.* 16. *de Regularib.* ab observantia sui Decreti excipiat solam Societatem Jesu, à quibus observari Decretum ejusdem debeat? Resp. 1. observandum est in renuntiationibus omnibus, post ingressum Novitiatus factis, tam virorum, quàm mulierum profitentium. Est extra controversiam teste Fagnan. *in c. statuimus n.* 19. *vers. Sacra hoc tit.* Vincent. Petra *tom.* 3. *comment. fol.* 378. *n.* 16. *Profitentium*, inquam; nam in iis, qui educationis duntaxat causa Monasterium ingressi sunt, cujuscunque sint sexus, Conciliare hoc Decretum locum non habet; quia non sunt constituti in Probatione propriè dicta, Petra *l. cit. n.* 27.

2 Decretum *cit.* comprehendit non tantùm majores 16. annis, sed etiam minores, ut rectè Barbos. *ad Trid. c. cit. n.* 37. Passerin. *de Stat. hom. tom.* 3. *q.* 189. *inspect.* 4. *n.* 139. & 162. Petra *n.* 16. *cit.* & hoc teste declaravit *S. Congreg. die* 5. *Jan.* 1601. ibi, *Dispositio c.* 16. *sess.* 25. *habet locum etiam in his, qui excedunt annum* 16. *& illa verba*, antea facta, *non referri ad ætatem renuntiantis, sed ad duos menses proximos ante Professionem.*

3 Afficit omnes, & quascunque renuntiationes, seu obligationes, quæ fiunt à Novitiis quorumcunque bonorum, non solùm quoad Jura de præsenti, sed etiam in futurum. Petra *num.* 17. sive deinde fiant in favorem Monasterii, sive propinquorum, vel alterius tertii. *S. Congr. Conc. in Volaterranens. mens. Aug.* 1589. quia verba Concilii generalia sunt. Excipiuntur, quæ positæ sunt *n.* 100. ex ratione ibidem data.

14 4 Includit profitentes etiam in Monasteriis exemptis, sive deinde simpliciter talia sint, sive cum qualitate *nullius* impropria, h.e. quæ verè sunt in Diœcesi alterius Episcopi, licèt cum qualitate Exemptionis; nam in his professuri, ad renuntiationem faciendam, licentiam petere debent ab Episcopo loci, in quo Monasterium est, neque sufficit eam dari à Regulari Prælato, prout decisum est à S. Congr. *in Hispalen.* 24. *Mart.* 1604. & novissimè *in Firmana*, seu *Farfensi Jurisdictionis die* 23. *Jul.* 1707. ubi proposito dubio, *An renuntiationes faciendæ à Puellis Novitiis in Monasterio S. Catharinæ Terræ S. victoriæ fieri debeant cum licentia Archiepiscopi Firmani, sive potiùs Abbatis Farfensis*, non obstante, quòd iste habeat qualitatem verè *Nullius*, quia tamen Monasterium illud erat in Diœcesi Firmana, & in illud exemptionem simplicem habebat dictus Abbas, responsum fuit, *Affirmativè quoad primam, & negativè quoad secundam partem. Excipe*, si ipsum Monasterium, in quo renuntiatio facienda est, sit verè *Nullius*, & subjectum Prælato habenti Clerum, & populum, ut dictum est *num.* 103. hic enim, cùm verè sit Ordinarius, licentias dare potest.

5 5 Subduntur eidem Decreto, excepta Societate Jesu, Regulares omnes, qui verè Regulares sunt, & emittunt tria Vota substantialia, ut cum Barbosa, Pignatello notat Perez *tom.* 3. *cit. fol.* 386. *n.* 57. qui illud etiam rectè extendit ad Milites Jerosolymitanos; quia & ipsi vere Religiosi sunt. *Excipiuntur* Milites alii, qui non habent veram qualitatem Religiosam, & quicunque alii cujuscunque sexus, viventes sub aliquo Instituto, in quo vera qualitas Religiosa ob defectum dictorum Votorum considerari non valet.

15 Quæritur 16. utrum Renuntiationes factæ ante ingressum, cùm secundùm dicta *num.* 129. non subjaceant Decreto Conciliari, fieri debeant secundùm solemnitates Statutarias, vel Juris communis? Affirmant Pasqualig. *cent.* 3. *q. moral.* 223. Card. de Luca *de Donat. discurs.* 15. Torre *de Pact. l.* 2. *c.* 25. *n.* 13. *& seq.* Ansald. *decis.* 76. *in addit. num.* 21. *Fundantur*; quia qui hujusmodi renuntiationes faciunt, nondum sunt personæ Ecclesiasticæ, sed Laici, ut proinde æquum sit etiamnum subdi Statutis Laicalibus. *Et confirmatur*; quia sic magis ingressuri Religionem securi sunt à machinationibus propinquorum, & etiam extraneorum, qui ad propriam utilitatem inhiant se facilè disponent ingressuros ad renuntiationem faciendam in suum favorem: quibus tamen via præcludetur, si in tali renuntiatione observandæ sint Solemnitates Statutariæ, & Juris communis.

Sed distinguendum est, an renuntiatio talis fiat causa ingressus in Religionem, vel non. *Si hoc secundum*, facilè convenit inter DD. eam renuntiationem à solemnitatibus Juris Laicalis non esse exemptam, licèt ingressus deinde casu eveniat. Contrà, *si primum* ponatur; tunc enim renuntians à necessitate istarum solemnitatum absolvitur, ut teste Vincent. Petra *tom.* 3. *comment. fol.* 388. *num.* 64. sæpius est decisum à Rota, & novissimè *in Romana Donationum.* 1. *Decemb.* 1704. §. *prout nec adduci, coram D. Ommana*, & *in Apten. Donationis* 15. *Mart.* 1706. §. *si enim, coram D. Caffarello Almæ Urbis Gubernatore*, adeo ut quamvis fuerint conventæ solemnitates, non exinde omissæ vitient actum, nisi sint volitæ uti causa *sine qua non*; nam contractus ex conventione legem accipiunt. Concordat resolutio dispositioni ipsius Juris Civilis, per quod *Novell.* 5. *cap.* 5. decernitur, eum, *qui Monasterium introire voluerit, antequam Monasterium ingrediatur, licentiam habere suis uti, quo voluerit, modo:* cons. hujusmodi ingressuris plena libertas conceditur disponendi de rebus suis tam circa modum, quàm circa personas, quæ tamen libertas multùm restringeretur, si dispositio dependeret à forma per Jus inducta. 147

Ad Argumentum in contrarium allatum dico, etsi sic renuntiantes nondum sint privilegiati ratione personæ, esse tamen privilegiatos ratione causæ, cui hunc favorem, ut vidimus, Jus ipsum indulsit, & merito; quid enim magis congruit, quàm ut properanti ad Religionem facilis sit modus disponendi de bonis absque pluribus difficultatibus, quas necessitas adhibendi Juris solemnitates opponeret? *Ad Conf.* periculum ex propinquorum, vel aliorum machinationibus sufficienter tollitur per hoc, quòd renuntiatio, etiam ante ingressum facta, si facta sit intuitu ingressus, à futura professione pendeat, & cons. revocari possit, si ista non consequatur. 148

§. VII.

De Professione Religiosa.

S U M M A R I U M.

204 205 *An ratificare Professionem suam debeat, qui nullitatem ipsius probare non potest?*
206 207 208 *Qui sint Effectus Professionis validæ?*
209 210 *An eosdem effectus habeant etiam Vota Simplicia Societatis Jesu?*
211 212 *An Professio Religiosa quoad vinculum dissolvi possit authoritate Summi Pontificis?*
213 *An dissolvatur per promotionem ad Beneficium extra Ordinem?*
214 215 *Vel ad Episcopatum?*
216 217 218 219 *An valida sit Professio, quam emittit Episcopus, facultate Pontificis non obtenta?*
220 221 *Utrum Religionis Professione amittatur Nobilitas?*
222 223 *An Religiosus possit præscribere contra Professionem à se emissam.*

149 QUæritur 1. quid sit *Professio Religiosa*, & quæ hujus necessitas, ut fiat quis propriè dictus Religiosus? Resp. Professio Religiosa dupliciter potest accipi, latè, & strictè. *Latè accepta Professio* est actus Religiosus, & Sacer, per quem homo fidelis, in Religione aliqua approbata, per emissionem trium Votorum Substantialium, Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ; voluntariè se Deo tradit, interveniente authoritate Prælati, qui hujusmodi traditionem Dei, & Religionis nomine acceptet *c. ad Apostolicam 16. hoc tit.* & communiter tradunt DD.

Strictè accepta est contractus ultro, citroque obligatorius, quo quis per Vota solemnia se Deo, & Religioni tradit, & Religio vicissim hujusmodi traditionem acceptat cum onere ipsum voventem perpetuò retinendi, alendi, & tanquam filium juxta Regulas, & Institutum Religionis tractandi.

150 Alterutra requiritur ad hoc, ut fiat quis propriè dictus Religiosus; sufficit autem prima, quamvis fiat per Vota tantùm Simplicia, ut patet ex *Bulla Gregorii XIII.* incipit *Ascendente*, & aliis Constitutionibus Apostolicis confirmatoriis Societatis Jesu, ubi statuitur, Scholasticos, & Coadjutores tum formatos, tum nondum formatos ejusdem Societatis esse verè, & propriè dictos Religiosos: qui proinde in lato illo sensu Professi & ipsi sunt, & dici possunt.

Addidi, *Ut fiat quis propriè dictus Religiosus*; nam Religionem, seu Ordinem Religiosum duplici modo quis ingredi potest, sc. vel per devotam oblationem parentum, vel per propriam Professionem. Utroque modo ingressi dici aliquatenus Religiosi possunt, ut patet ex *can. Monachum 3. caus. 20. q. 1.* ubi Concilii IV. Toletani PP. *Monachum*, inquiunt, *aut paterna devotio, aut propria Professio facit*. Primo tamen modo ingressi, etsi cùm infantiam excesserunt, recepto Religionis habitu, personæ Ecclesiasticæ fiant, ut colligitur ex *cap. Religioso 21. §. quamvis de sent. Excomm. in 6.* & aliis citt. advertit Sanch. *l. 5. moral. cap. 4. n. 24.* Religiosi tamen non sunt propriè, cùm Vota Religionis substantialia non habeant, quæ sola propriè dictum Religiosum constituunt.

151 Dubitatur, quid circa hujusmodi Oblatos notandum? Resp. sequentia maximè. 1. Ita recipi in Religionem possunt etiam impuberes, imò infantes, sed hi non nisi cum consensu parentum, cum nondum habeant consensum proprium, sed parentum imperio, & voluntate regi debeant *can. si in qualibet 1. & can. fin. caus. 20. q. 2.*

2 Sic recepti non solùm Religiosi propriè non sunt, ut *num. præc.* dictum est, sed nec verè, & propriè Novitii, nisi post pubertatis annos expletos. Sanch. *num. 24. cit. Ratio est*, tum defectus sufficientis discretionis, tum quia ante pubertatem Religionis austeritates, præsertim circa Votum Castitatis, rectè experiri non possunt.

152 3 Impuberem filium offerre Religioni potest non tantùm Pater, sub cujus potestate est constitutus, sed etiam Mater: idque verum est non tantùm, quando Pater est mortuus, sed quando adhuc superstes; saltem si Pater non contradixerit *can. si in qualibet cit.* Ratio est, quia etiam mater habet jus, & potestatem præcipiendi filio, dum Pater non contradicit. Imò etiam Tutor offerre pupillum sub sua potestate constitutum potest, ut cum aliis notat Abb. *in c. 2. h. tit. n. 8.* & ratio est; quia Tutor pupilli est instar Patris, succeditque Patri quoad omnia, quæ ad filii gubernationem spectant.

4 Iidem o[illegible] filium impuberem probabiliùs etiam invitum possunt, P[illegible] sumitur ex *c. cùm virum 12. hoc tit.* per Argumentum à [illegible] contrario. *Ratio est*, quia possunt eundem etiam revocare ex [illegible] si in ipsius ingressum non consenserunt, modò intra annum à tempore scientiæ computandum, vel si proximus sit pubertati, ante pubertatem hoc faciant *can. si in qualibet cit.* & *can. seq. cap. si quis 2. hoc titul.* ergo etiam possunt obligare, & cogere ad ingrediendum; nam ejusdem est potestatis ligare, & solvere.

5 Ita oblati, sive volentes, sive inviti oblati fuerint, intra ætatem pupillarem egredi è Monasterio nequeunt: Imò Jure antiquo, ut *in cap. cùm virum cit.* Gonzal. *n. 6.* notat, nec pubertatem adepti sine infamiæ nota poterant; quod tamen Jus correctum est postea à Cælestino III. *cap. cùm simus 14. h. tit.* ubi statuit, pubertatem adeptis licitum, & liberum esse egressum, nisi oblationem sui, à parentibus factam tum expressè, vel tacitè ratificassent: idque meritò; nam etsi liberi, quamdiu in ætate pupillari sunt, quoad vitæ rationem, & gubernationem parentum voluntati subjiciantur, ad hac tamen quoad electionem Status eximuntur, dum facti sunt puberes. 1

6 Denique, etsi hodie hujusmodi oblationum rarus sit usus, locus tamen eisdem est etiamnum, ut aliis citt. notat Pirh. *hic num. 60. Neque obstat*, Decretum Trid. *sess. 25. c. 17. de Regular.* ubi videtur requiri consensus Episcopi, aut ejus Vicarii; imprimis enim S. Synodus ibi tantùm loquitur de puellis puberibus, ut proinde quoad impuberes reliquerit Jus commune antiquum in suo vigore: deinde de pauperibus ibi tantùm statuit, ut adhiberetur duplex Examen, unum ante susceptionem Habitus, alterum ante Professionem, *ut exploretur voluntas Virginis, an coacta, an seducta sit, & an sciat, quid agat*, ut ibidem Concilium loquitur. 1

Quæritur 2. quotuplex sit Professio Religiosa propriè dicta? Resp. duplex, Expressa, & Tacita. *Expressa* est, quæ verbo, scriptura, aliisque nutibus, consensum sufficienter declarantibus, exprimitur. *Tacita*, quæ nec voce, nec scripto &c. fit, sed per unum, vel plures actus Professis proprios censetur induci. 1

Inducebatur autem Professio tacita antiquo Jure duplici maximè via. 1. Gestatione Habitus Professorum: & siquidem iste ab Habitu Novitiorum distinctus erat, sufficiebat gestatio ejusdem per triduum, completa pubertate, etiam ante expletum probationis annum *cap. ad nostram 8. c. super eo 9. h. tit.* & *c. is qui 1. eod. in 6.* Si verò Professi Habitum distinctum à Novitiis nullum habeant, opus erat, ut eundem per integrum annum gestaverit *c. ex parte 22. h. tit. c. is qui cit. vers. quod si*, & *Clem. 2. eod.* 2. Exercitio alicujus actus Professorum proprii, v. g. siquis suffragium tulerit in Capitulo; nam tali actu antiquo Jure inducebatur Professio, etiamsi eundem exercens Habitum Professorum propriorum non assumpsisset, vel eo assumpto, in illo triduum non exegisset, ut colligitur ex *c. vidua 4. h. tit.* notat Sanch. *l. 5. mor. cap. 4. num. 20. & 21.* 1

Porro vis hujusmodi Tacitæ Professionis erat eadem, quæ Expressæ, ut patet ex *cap. parte citat.* & docet *ibidem* Gloss. *V. per annum*. Ratio est, quia hujusmodi gestatio Habitus, & exercitium actuum propriorum professis præsumebatur factum animo, & intentione Religionem profitendi, seque illi perpetuò obligandi: quæ præsumptio etiam erat Juris, & de Jure, ita, ut nisi gestationi, vel exercitio illi præmitteretur protestatio, quòd alio, quàm profitendi animo facta sit, probatio in contrarium admissa non fuerit. 1

Dub. 1. an professioni tacitæ locus de facto sit etiam post Tridentinum? Resp. etsi usus illius nunc sit rarissimus, & tunc ferè tantùm, quando professio expressa invalidè emissa est, absolutè tamen etiam post Trid. locus eidem est etiam in aliis casibus, modò adsint reliquæ conditiones, quæ ad Professionem validam tum Jure communi, tum etiam à Trid. requiruntur. Ita Rodriq. *tom. 3. Regul. q. 17. art. 1. & 2.* Sanch. *l. 5. mor. c. 3. n. 36.* Mirand. *Man. Prælat. tom. 1. q. 24. art. 12.* Barbos. *in c. 4. h. tit. n. 3.* Vvex *Ariadn. p. 5. tr. 3. cap. 5. §. 2. num. 8.* Pirh. *hic num. 155.* Konig. *num. 2.* Vviest. *num. 79.* Magnif. P. Schmier *p. 1. de Person. Eccl. c. 3. num. 166.* & allegantur pro hac sententia nonnullæ Declarationes S. Congreg. & Decisiones Rotæ, ut videre est apud Pirh. Corrad. *Prax. Dispens. l. 5. cap. 14. num. 52.* & Jacob. Pignatell. *tom. 1. consult. 146. n. 31.* 1

Sumitur ex verbis Sixti V. in Declaratione Constitutionis de illegitimis, ubi ait: *Sed cùm eadem ratio vigeat in Professione tacita emittenda, quæ militat in* [illegible], *quod in quibusvis Ordinibus, & reli-* 1

Religionibus, neque etiam tacita Profeſſio quorumcunque Religioſorum induci poſſit, nec inducta intelligatur, niſi in receptione Conſtitutionis forma ſervata fuerit &c. igitur ſi receptio legitima fuerit, poterit ex mente prædicti Pontificis etiam nunc poſt Trid. ſubſequi tacita Profeſſio. *Ratio eſt*, quia Tridentinum de Tacita Profeſſione ſpecialiter nihil ſtatuit: ac proinde iis exceptis, quæ requiſivit ad Profeſſionem in genere, eam reliquit diſpoſitioni Juris antiqui, cùm generale ſit, caſum in novo Jure omiſſum remanere ſub diſpoſitione Juris antiqui *arg. l. commodiſſimè* 10. *ff. de liber. & poſthum.*

60 *Excipitur* Societas Jeſu, in qua extra caſum ratificationis Profeſſionis, & Votorum Simplicium nulliter editorum Profeſſioni tacitæ locus non eſt, ut Pal. *tr.* 16. *D.* 2. *p.* 1. *n.* 1. *n.* 10. Vvex §. 2. *cit. n.* 9. & alii notant. De Profeſſione propriè dicta, & Votis Simplicibus, quibus Coadjutores formati fiunt ex Conſtit. *p.* 5. *c.* 3. & adjuncta huic *Declaratione lit. A.* ubi dicitur eſſentiale eſſe, ut publicè Votum legatur ex ſcripto: de Votis Simplicibus Scholaſticorum, & Coadjutorum nondum formatorum autem; quia hi nullum habitum diſtinctum, aut actus proprios habent, quibus ipſi vel à Profeſſis, & Coadjutoribus formatis, vel à Novitiis diſtinguantur.

61 Dub. 2. quid requiratur, ut per geſtationem Habitus, & exercitium actus profeſſis proprii inducatur profeſſio Tacita? Reſp. 1. nunc poſt Trid. requiritur, ut is, qui ſic profitetur, annum 16. ætatis, & integrum Probationis expleverit, prout patet ex *ſeſſ.* 25. *cap.* 15. & 16. *de Regular.* quia ante hoc tempus nulla valida fieri poteſt Profeſſio.

2 Ut Habitus ſuſceptus, & actus exercitus ſit authoritate, & conſenſu Prælati, vel alterius ſuperioris, qui poteſt ad Religionem illam admittere, vel ſaltem, ut hoc fiat eo ſciente, & patiente. Sanch. *l.* 5. *moral. c.* 3. *n.* 14. & ratio eſt, quia iſtius conſenſum exigit Profeſſio expreſſa. ergo etiam tacita, cùm eadem ſit utriuſque ratio, & tacitum plus non operetur, quàm expreſſum *arg. l. cùm quid* 3. *ff. de reb. credit.*

62 3 Ut Habitus ſuſceptus, & actus Profeſſis proprius exercitus ſit ſponte, h. e. nulla vi, aut metu, ut patet ex *cap. vidua* 4. *h. tit.* ibi, *ſi ſponte velum ſibi impoſuerit, & inter velatas oblationem Deo obtulerit. Ratio eſt*, quia, ut ex *cap. perlatum* 1. *de his, quæ vi, metuſve cauſa &c.* patet, & *infrà n.* 174. explicatiùs dicetur, metus gravis, & vis illata irritat Profeſſionem expreſſam. igitur multò magis tacitam. Sanch. *n.* 15.

4 Ut geſtans Habitum, & exercens actum, ſciat eum eſſe proprium Profeſſis, & per eos induci Profeſſionem tacitam; nam ad Profeſſionem validam requiritur conſenſus, qui in ejuſmodi caſu deficit. Sanch. *num.* 16.

5 Ut Habitum deferat, vel actus hujuſmodi exerceat cum vero, ac poſitivo animo profitendi, nec ſatis eſt ſe habere negativè, nempe nec habendo animum profitendi, nec non profitendi; etſi enim talis in foro externo haberetur pro Profeſſo ob præſumptionem de vero ejuſdem, & poſitivo animo, in foro conſcientiæ tamen non eſſet verus profeſſus ob defectum conſenſus poſitivi. Sanch. *n.* 17.

163 Quæritur 3. quid requiratur, ut validè fiat profeſſio? Reſp. 1. requiritur, ut perſona illam emittens ſit ejus capax, ſive nullo Jure à Statu Religioſo removeatur: de quo actum eſt *à n.* 23.

2 Ut habeat ætatem legitimam: ſufficit autem, & requiritur, ut expleverit annum 16. ut dictum eſt *numer.* 28. *Excipitur* Societas Jeſu, & alii quidam Ordines; nam in illa ad valorem profeſſionis 4. Votorum requiritur annus 25. completus, ut habetur *Conſt. p.* 1. *cap.* 2. §. 12. & *cap.* 3. *Declar. lit. K.* in aliis, ut in Ordine Minimorum S. Franciſci de Paula decimus octavus, quamvis in his poſterioribus, ut notat Pirh. *hic num.* 118. ſiquis ante eam ætatem Profeſſionem emittat, ea non ſit irrita, modò facta ſit ea ætate, quæ Jure communi ad valorem Profeſſionis requiritur.

164 3 Ut annum unum fuerit in Tirocinio, ſeu Novitiatu: de quo dictum eſt *à num.* 46. ubi videri exceptiones poſſunt, ob quas tempus Probationis aliquando poſſit eſſe longius annuo, aliquando brevius. In Societate Profeſſio 4. Votorum non emittitur, niſi poſt decem annos in ea tranſactos, demptis Studiis, ſi quibus vacavit in Societate profitens.

4 Ut habeat animum profitendi; eſt enim matrimonium quoddam Spirituale cum Religione, quod perinde, ut carnale, deficiente conſenſu, & ipſum deficit. *Ex quo ſequitur*, talem, ſi ex Monaſterio fugiat, in exteras Provincias ſe recipiat abſque Superiorum ſuorum conſenſu, in foro externo quidem habendum pro Apoſtata, cùm defectum conſenſus difficulter probaturus ſit, in interno tamen Apoſtaſiæ reum non fore, cum Profeſſione ſic edita non ligetur. Leſſ. *l.* 2. *de J. & J. c.* 41. *n.* 60.

5 Ut profiteatur nec metu, nec fraude inductus. 165
De fraude, & dolo patet; quia ubi hic cauſam dat contractui, conſenſus deeſt: de metu conſtat ex *cap. perlatum* 1. *de his, quæ vi, metuſve cauſa &c.* ubi Profeſſio, ſi vi, aut metu gravi injuſtè incuſſo extorta ſit, omnino irrita pronuntiatur.

6 Ut emittat ſaltem tacitè tria Vota ſubſtantialia Religionis: *ſaltem tacitè*, inquam, quod addo ob diverſum diverſorum Ordinum morem; in quibuſdam, ut ſit in Societate Jeſu, tria Vota ſubſtantialia ſingula exprimuntur, in aliis promittitur ſola Obedientia ſecundùm Regulam, in nonnullis ſtabilitas, & converſio morum ſecundum Regulam, in qua Regula cùm præcipiantur omnia Vota Religioſa, idcirco hæc in ejuſmodi Profeſſione ſaltem implicitè continentur. Sanch. *l.* 5. *mor. c.* 3. *n.* 3.

7 Ut ea emittat in Religione approbata; non enim 166
ſufficit emittere tria dicta Vota, & Regulam aliquam ab Eccleſia approbatam profiteri, ſed debet alicui Religioni approbatæ incorporari ab eo, qui incorporandi poteſtatem habet, & hac ratione Religionis illius membrum effici, ut colligitur ex *n.* 182. & *ſeqq.*

8 Ut nullam apponat conditionem ſubſtantiæ Religionis repugnantem, qualis eſſet, ſiquis profiteretur ea lege, ut poſſit egredi, quando onera Religionis ferre ampliùs non poterit, ut poſſit vivere pro ſuo arbitratu, retinere ſua bona, & de illis diſponere pro libitu &c.

9 Denique ut Profeſſio ejuſmodi ab aliquo, ad id 167
poteſtatem habente, Religionis nomine expreſsè, vel ſaltem tacitè acceptetur, ut colligitur ex *c. porrectum* 13. & *c. ad Apoſtolicam* 16. *h. tit.* & patet de Profeſſione ſtrictè dicta, quia eſt Contractus ultro, citroque obligatorius, qui celebrari non poteſt, niſi de utriuſque conſenſu: de Profeſſione latè accepta autem ex eo probatur; quia inter Vota Simplicia emiſſa poſt Novitiatum, & Devotionalia, quæ emittuntur durante Novitiatu, debet eſſe diſcrimen aliquod; nullum eſt, niſi quòd poſteriora non acceptentur à Religione, acceptentur priora, ita, ut illa hæc emittentem intra corpus ſuum admittat. ergo &c.

Dub. 1. an valeat Profeſſio emiſſa ab eo, qui im- 168
pedimentum aliquod in Examine tacuit, quod ſi aperuiſſet, receptus non fuiſſet? Reſp. Vel enim impedimentum illud eſſentiale eſt, vel non eſſentiale. *Si primum*, Profeſſio erit invalida; quia emiſſa ab incapaci: quod etiam verum eſt, ſi bona fide fuiſſet ingreſſus ex probabili ignorantia, quòd impedimentum illud eſſentiale ſit; quia ignorantia ſupplere defectum eſſentialis requiſiti non poteſt. ſi tamen illum ſuſcipiens ſciret, eum, quem ſuſcipit laborare tali defectu, & hoc non obſtante ipſum ſuſciperet, cenſeretur diſpenſaſſe, & conſ. Profeſſio à ſic ſuſcepto emiſſa erit valida, modò impedimentum tale ſit; in quo ſuſcipiens diſpenſare poſſit.

Si non eſt eſſentiale impedimentum, fraudulenter ta- 169
men ſuppreſſum, ita, ut fraus iſta cauſam receptioni dederit, poterit talis profeſſus poſtea, fraude cognita, è Religione ejici. Addo tamen non ob quamcunque fraudem impedimentum non eſſentiale reticentis eum poſt profeſſionem ejici è Religione poſſe; ſed debere eſſe deceptionem in re gravi: qualis non eſt, ſiquis tacuiſſet morbum contagioſum v. g. Gallicum, quo laborat, niſi talis ille ſit, qui adhibitis remediis per annum curari non poſſit; tunc enim, ut Pal. *tract.* 16. *D.* 2. *part.* 2. §. 2. *num.* 4. notat, expelli etiam poſt editam profeſſionem poterit tum ob culpam deceptionis, tum ob periculum infectionis aliorum. In Societate JESU, ut quis ob commiſſam fraudem in Examine poſt Vota Simplicia Scholaſticorum, aut Coadjutorum nondum formatorum expelli poſſit, minor requiritur cauſa; quia Vota iſta minùs, quàm Solemnia Societatem ſtringunt ad voventem apud ſe retinendum.

Dub. 2. an in profeſſione malitia, ſeu potiùs pru- 170
dentia defectum ætatis ſuppleat? Videtur reſpondendum affirmativè ob paritatem cum Matrimonio carnali. Sed revera non eſt paritas; nam de Matrimonio carnali id ſtatuit Jus, quòd malitia ætatem ſuppleat, prout habetur *c. de illis* 9. & *c. fin. de deſponſ. impuber.* nullum ejuſmodi Statutum extat de matrimonio Spirituali, ſeu Profeſſione.

Dicen-

171 Dicendum igitur, in professione requiri, ut ætas ad illam requisita sit omnino completa. Ita Gloss. *in c.* 20. *in fin. h. tit. & in Clem.* 2. *V. ætat. tit.* eodem Sanch. *lib.* 5. *moral. capitul.* 4. *num.* 2. Vvex *Ariadn. part.* 5. *tr.* 2. *c.* 2. *num.* 10. Pirh. *hic n.* 117. Estque hoc adeo verum, ut si dies unica, vel etiam hora desit, professio sit invalida. Causa sic statuendi favor tum Religionis, tum Novitii, ne hic austeritatibus Religionis ante tempus adstringatur.

172 Si constat professionem fuisse emissam, sed is, qui eam emisit, postea opponat impedimentum ætatis, vel aliud irritans Professionem, probandi onus incumbit impedimentum alleganti, ut aliis *citt.* notat Pirh. *hic n.* 120. *not.* 3. & ratio est, tum quia in dubio præsumendum est pro valore actus, legitimè quòd factus sit, donec contrarium ostendatur *cap. Abbate* 25. *de V. S.* tum quia possessio stat pro professione, ipsaque Religione, quæ hactenus hominem ut professum suum aluit, & habuit.

173 Dub. 3. utrum nemo cogi possit ad faciendam professionem? *Rationem dubitandi* faciunt 1. *can. Monachum* 3. *quæst.* 1. & *cap. cùm virum* 12. *h. titul.* ubi iis, qui à parentibus oblati sunt Monasterio, revertendi ad sæculum aditus penitus interdicitur. 2. *capit. uxoratus* 8. *de convers. conjugat.* ubi conjux, si in alterius conjugis Professionem, aut Sacri Ordinis susceptionem consensit, & continentis vitæ suspicionem præbet, jubetur Religionem ingredi, & in ea profiteri. 3. *c. consulti* 20. *h. tit.* ubi is, qui Votum Religionis fecit, si in Religione, quam ingressus est, perseverare non possit, jubetur ad laxiorem saltem Regulam transire, ut ibidem regulariter vivat. 4. *can. de lapsis* 5. *caus.* 16. *quæst.* 6. *cap. pervenient.* 2. *de adult. cap. inter* 10. *in fin. de Purgat. Canon. & capit. tuæ* 6. *de pœnis*, vi quorum Canonum Clerici, & etiam Laici, gravium excessuum, præsertim carnalium rei, olim in Monasteria, etiam invitissimi, detrudebantur.

174 Verùm his non obstantibus, Regulæ instar receptum est, quòd ut Matrimonium carnale, ita etiam Professio, quæ est Matrimonium quoddam Spirituale, irrita omnino sit, si sit vi, aut metu gravi injustè incusso extorta. Ita deciditur *can. præsens* 4. *caus.* 20. *q.* 3. *cap. perlatum* 1. *de his, quæ vi metusve causa &c. cap. nullus* 1. & *cap. sicut* 15. *h. tit.* Proceditque hoc etiam de Votis Simplicibus Societatis JESU, post biennium Novitiatus editis, ut Pal. *tr.* 16. *D.* 2. *p.* 2. §. 2. *n.* 1. Vvex *Ariadn. part.* 5. *tract.* 3. *cap.* 5. §. 2. *num.* 37. & alii notant. Colligitur ex Trid. *sess.* 25. *cap.* 19. *de Regular.* ibi, *Quicunque Regularis prætendat se per vim, & metum ingressum esse Religionem, aut etiam dicat ante ætatem debitam Professionem fecisse &c.* ubi Religionem ingredi, & profiteri pro eodem usurpatur; constat autem emittentem Vota Simplicia Societatis Societatem ingredi, verumque Statum Religiosum assumere. ergo &c.

175 Neque contrarium probant Argumenta opposita. *Ad* 1. sic oblati post pubertatem è Religione libere possunt egredi, neque coguntur profiteri Religionem, ut *n.* 153. dictum est. *Ad* 2. ejusmodi uxor consentiendo liberè in Professionem mariti, vel Sacri Ordinis susceptionem, hoc ipso se obligavit disjunctivè, ut vel castè vivat in Sæculo, emisso Voto Simplici Continentiæ, vel si incontinentis vitæ suspicionem præbeat, ingrediatur Religionem, & Professionem emittat: sub hac enim sola conditione Ecclesia consensum ejusdem approbat. *Ad* 3. Ecclesia eo casu compellendo voventem tantum compellit, ut impleat obligationem jam antè contractam. *Ad* 4. detrusio illa olim facta est, non ut dicta Professione Monachi inviti fierent, sed ut Monasterio, tanquam carceri inclusi, pœnitentiam agerent.

176 Dub. 4. utrum irrita fiat Professio, si non Professionem emittens, sed eam acceptans ad sic acceptandum compulsus est metu gravi injustè incusso? Affirmant Less. *l.* 2. *de J. & J. cap.* 41. *num.* 61. Donat. *prax. Regul. tom.* 2. *p.* 2. *tr.* 11. *quæst.* 8. *à num.* 3. Vviest. *hic num.* 83. Et videtur hoc etiam probari ratione. 1. Quia Professio est contractus ultro, citroque obligatorius, & sicut obligat Professum Religioni, ita Religionem Professo. igitur ut inter eos servetur æqualitas, sicut irrita est Professio, quando metum gravem passus est eam emittens, ita irrita erit, quando similem metum passus est eam acceptans. 2. Quia in correlativis, quod dispositum est de uno, dispositum etiam censeri debet de altero illorum, quando eadem est utriusque ratio. atqui Religio, & Professus sunt correlativa quoad actum Professionis, & eadem est ratio utriusque. ergo &c. 3. Quia in Matrimonio carnali metus irritum facit Contractum, tam quando Sponsæ, quàm quando Sponso is est incussus. atqui à Matrimonio carnali ad Spirituale, & vicissim Jure approbatum est Argumentum *c. inter* 2. *de Translat. Episc. & c. cùm inter.* 21. *de Elect.* ergo etiam irritum erit Matrimonium Spirituale, seu Professio, sive deinde metum passus sit is, qui illam emisit, sive ille, qui eam acceptavit.

177 Hæc Sententia admodum probabilis est ob has rationes, probabilius tamen videtur esse, quòd in hoc casu Professio ob metum non fiat irrita. Ita Suar. *tom.* 2. *de Relig. l.* 6. *c.* 4. *n.* 14. Pal. *tr.* 16. *D.* 2. *p.* 2. §. 2. *n.* 2. Bordon. *de Profess. Relig. c.* 19. *n.* 58. Vvex *Ariadn. p.* 5. *tr.* 3. *cap.* 5. §. 2. *n.* 38. Pirh. *hic num.* 134. Rationem dat Pal. *loc. cit.* quia metus non annullat Professionem jure naturali, sed positivo humano tantùm, ut communiter omnes docent. atqui Jus positivum non disponit de metu, qui incussus est admittenti, sed de illo tantùm, qui profitenti, ergo solus ille annullat Professionem, non alius.

Argumenta in contrarium non ita fortia sunt, ut non commodè responderi ad illa possit. *Ad* 1. Professio quidem est contractus ultro, citròque obligatorius, minùs tamen difficilis, & onerosus ex parte Religionis, quàm ex parte profitentis, ut adeo huic meritò favorem concesserit Jus. *Ad* 2. Professus, & Religio correlativa sunt, sed non eadem est ratio utriusque, cùm minùs sæpe, imò vix unquam metus inferatur acceptanti sæpiùs profitenti; Jus autem casibus frequentioribus prospicere soleat. *Ad* 3. in Matrimonio Sponsi, & Sponsæ par est obligatio, dispar autem Religionis, & Professi, ut adeo hoc casu à Matrimonio carnali ad Spirituale illegitimè ducatur Argumentum. 178

Quæritur 4. qua forma Professio expressa emitti debeat? Respond. hìc consulenda sunt singularum Religionum instituta. De Jure communi præter ea, quæ *numer.* 163. & *seqq.* enarravi, ad valorem Professionis ex parte formæ aliud nihil requiritur. Adeoque 179

1 Fieri Professio potest non tantùm verbis, sed etiam nutibus, vel aliis etiam signis externis, quibus traditio profitentis, & hujus traditionis acceptatio, mutuaque obligatio significatur, ut passim DD. colligunt ex *capit. porrectum* 13. *hoc titul.* ubi junctæ ante Abbatem manus pro signo emissæ Professionis habentur.

2 Etsi consuetudo communis Ecclesiæ sit, ut fiat in Scriptura, eaque publicè ex scripto legatur coram testibus sufficientibus, de Jure communi tamen (nam in Societate JESU hæc omnia essentialia sunt) nec Scriptura, nec testes essentialiter necessarii sunt, cùm nuspiam requirantur in Jure communi. Suar. *tom.* 3 *de Relig. l.* 6. *c.* 12. *n.* 2. Bordon. *de Profess. Relig. c.* 18. *n.* 111. Vvex *Ariadna* 5. *tr.* 3. *c.* 5. §. 2. *n.* 34.

3 Quamvis in praxi tutum non sit ob multa pericula, & incommoda, ut bene notat Donat. *prax. Regul. tom.* 2. *p.* 2. *tr.* 10. *q.* 3. *n.* 6. absolutè tamen, & si Jus commune spectetur, Professio emitti per Procuratorem potest ex eo generali Principio, quia regulariter omnes actus fieri per Procuratorem possunt, nisi specialiter quidam interdicantur *c. potest. quis* 68. *de R. I. in* 6. & *l. procurator* 1. §. *usus* 2. *ff. de Procurat.* atqui nuspiam reperitur prohibitum, ne Professio per Procuratorem fiat. ergo &c. Opus tamen eo casu erit speciali mandato, iisque conditionibus, quæ requiruntur ad Matrimonium per Procuratorem contrahendum, quas enarravi *Libr.* 1. *Tit.* 38. *n.* 19. quia in hoc ob similem arduitatem negotii pari passu Matrimonium, & Professio Religiosa ambulant. 180

4 Fieri potest non tantùm absolutè, sed etiam sub conditione in futurum pendente, modò hæc non repugnet substantiæ Status Religiosi: & hoc si fiat, impleta conditione, statim absque novo consensu conditionatè edita transibit in absolutam; nam idem contingit etiam in Matrimonio. Sanch. *l.* 5. *mor. c.* 4. *numer.* 87. & *seqq.*

5 Fieri potest non tantùm in Ecclesia vel Monasterio, sive intra claustrum Religionis, sed etiam extra, ubicumque, etiam in lecto, cùm nihil de loco reperiatur statutum in Jure. Suar. *c.* 12. *cit. n.* 24. 181

6 Fieri potest quocunque tempore sive matutino, sive vespertino; quia hæ circumstantiæ sunt valde extrinsecæ, ideoque nulla fuit ratio, cur tanquam essentiales requirerentur. Pellizar. *Man. Reg. tract.* 3. *cap.* 1. *q.* 17. *n.* 34.

7 Etiam infirmitas corporis non impedit, quo minùs valida sit Professio, ut colligitur ex *capit. porrectum*

Etum 13. ideoque etiam in articulo mortis validè emitti potest Professio, dummodo profitens integrum habeat judicium, ut patet ex *capit. sicut* 15. junct. Gloss. *V. extra mentem h. tit.*

Dubium est 1. quis admittere Novitios ad Professionem possit? Resp. in hoc spectandæ constitutiones singulorum Ordinum sunt, horumque consuetudines. In Societate JESU juxta peculiares ipsius constitutiones potestas admittendi ad Vota Simplicia Scholasticorum, & Coadjutorum nondum formatorum ex generali commissione Provincialibus competit; ad solemnia autem Professorum, & Publica Coadjutorum Formatorum admittit solus Generalis, ita ut sine ejusdem expressa, & speciali licentia, saltem in partibus Europæ nostra, nemo illa in cujuscunque manibus possit emittere. Sanch. *l.* 5. *mor. c.* 4. *n.* 72.

Spectato Jure communi, admittere ad Professionem potest. 1. Episcopus, si Monasterium, aut Ordo, in quo Professio edenda est, non sit Exemptus ab ejus Jurisdictione. Sanch. *n.* 74. Pirh. *hic num.* 135. quod maximè contingere potest in Monasteriis Monialium Ordini non subjectis. Opus tamen erit eo casu, ut ejusmodi admissio fiat cum consensu majoris partis Capituli; nam etsi & ipse talis Monasterii Prælatus proprius sit, consensum tamen in re Monasterium contingente, qualis est admissio ad Professionem; à Monasterio debet exquirere.

2 Abbas, seu Prælatus Religionis immediatus; nam penes hos est ordinaria potestas admittendi ad Professionem, etiam irrequisito Episcopo, cui Monasterium subest, non tamen irrequisito Capitulo, & quidem, ut probabiliùs Gloss. *in c. fin. in casu*, & *V. pertineat h. tit. in* 6. Sanch. *l.* 5. *mor. c.* 4. *num.* 65. Caramuel. *Theol. Regul. D.* 41. *n.* 485. Engl. *hic n.* 23. Konig. *ib. num.* 16. Vvex. *Ariadn. p.* 5. *tr.* 3. *c.* 5. §. 2. *num.* 11. Magnif. P. Schmier. *p.* 1. *de Person. Eccl. c.* 3. *n.* 181. docent, cum consensu istius aliàs Professio erit invalida, & retractari poterit, si postea ostendatur, quòd major pars Conventus justè, & rationabiliter contradixerit, nisi ex post facto etiam, ipsi ratam illam habuerint: Pirh. *hic n.* 132. & alii apud ipsum. *Ratio est*, quia etiam Conventus interest; ne aliquis in corpus Religionis recipiatur, qui idoneus non est, & detrimentum aliis afferre potest.

3 Prælatus Regularis mediatus, ut Generalis Ordinis, vel Provincialis Sanch. *l. cit. n.* 71. idque verum est, etiam contradicente Superiore, seu Prælato immediato, dummodo id fiat cum consensu Capituli. *Ratio est*, quia Prælati superiores, seu mediati in potestate cumulativè concurrunt cum Superioribus localibus, & immediatis, & potestas admittendi ad Professionem in Superioribus mediatis eminenter existit, imò immediatis Superioribus non aliter competit, nisi quatenus ea ipsis per Superiores mediatos communicatur; unde etiam restringere illam ipsis ex justa causa, & in casu speciali possunt; ac prohibere, ne ipsis inconsultis, ad Professionem quemquam recipiant.

4 Abbatissa etiam admittere ad Professionem, stando in Jure communi, potest Moniales suas, ut docent Azor *p.* 1. *l.* 12. *c.* 5. *quæst.* 6. *in fin.* Tambur. *tom.* 4. *de Jur. Abbatiss. D.* 4. *q.* 1. Sanch. *l. cit. n.* 76. Pirh. *hic num.* 135. Vvex. §. 2. *cit. num.* 19. Magnif. P. Schmier *c.* 3. *cit. n.* 191. & supponi videtur *in c. consuluit* 4. *Qui Cleric. vel vovent.* Ratio est, quia acceptatio hæc non est actus Jurisdictionis spiritualis pertinentis ad claves Ecclesiæ, sed Superioritatis cujusdam, quam Abbatissa habet in suas Moniales.

5 Eadem potestas à Superiore, cui illa Jure ordinario competit, delegari etiam alteri potest. Sumitur ex *c. ad Apostolicam* 16. *h. tit.* ibi *per se, vel per alium Professionem recipientem*. Proceditque hoc, ut delegari potestas hæc possit cuicunque, etiam Religioso simplici, aut Clerico Sæculari, imò & Laico; nam *cap. cit.* generaliter loquitur sine personarum distinctione. Sanch. *n.* 77.

7 Non obest, etsi is, qui Professionem recipit, sit Excommunicatus vitandus, vel suspensus ab admissione ad Professionem; quia talis Excommunicatio, vel Suspensio admissionem tantùm facit illicitam, non verò invalidam, cùm non privet Superioritate, cujus solius actus est ista admissio. Sanchez *numero* 78. *&* 79.

Dub. 2. quomodo convalescat professio, invalidè priùs emissa? Resp. distinguendum esse, ex quo capite invalida fuerit professio, an ob defectum potestatis in admittente, an ob aliud impedimentum.

Si primum, satis erit, si is, qui eam potestatem habet, postea admissionem illam ratam habeat: quia ratihabitio retrotrahitur ad tempus emissæ professionis; & mandato comparatur juxta *Reg. ratihabitionem* 10. *in* 6. Ubi tamen duo sunt necessaria: unum est, ut professio acceptata sit nomine habentis potestatem admittendi; quia ratum habere quis non potest, quod ipsius nomine non est gestum *Reg.* 9. *in* 6. Alterum, ut professus ante ratihabitionem factam priorem voluntatem per actum contrarium non mutaverit; debet enim voluntas prior adhuc moraliter perseverare, ut ratihaberi possit.

Si secundum contingat, & ob aliud impedimentum invalida sit professio, necessarium est, ut is, qui professionem ita invalidè emisit, remoto impedimento, professionem priùs factam ratificet expressè, vel tacitè: quod ultimum fiet, si postquam scivit professionem priùs editam fuisse irritam, permaneat sub externo Habitu Regulari, & sub obedientia Religiosa. Pirhing *hic n.* 149.

In neutro autem casu, sive ob defectum potestatis in suscipiente, sive ob aliud impedimentum invalida sit professio, is, qui professionem sic fecit, tenetur in Religione persistere, aut professionem priùs invalidam ratificare, etiamsi impedimentum, ob quod professio invalida est, in foro externo probate non possit. Estque hoc verum, etiamsi culpa ipsius profitentis e. gr. ob fictionem invalida fuisset professio. Sanch. *lib.* 7. *de matrim. D.* 37. *n.* 38. *&* 39. Pellizar. *Man. Præl. tr.* 3. *c.* 1. *n.* 48. Pirh. *hic n.* 148. & alii communiter. *Ratio est*; quia Religiosus Status est tam arduus, & tam sublimis perfectionis, ut requirat consensum omnino liberum, & spontaneum, talis non adesset, si cogi posset ad ratificandam professionem, quam emisit invalidè. ergo &c. 190

Neque obstat, quod habuerit voluntatem profitendi saltem exterius, & apparenter; quia cùm talis voluntas inefficax fuerit, & nullius effectus ob defectum consensus interni, vel aliud impedimentum dirimens, idcirco vi illius in foro conscientiæ obligari non poterit, qui professionem emisit invalidè, ut illam ratificet. Interim tamen, quia adversus talem in foro externo stat præsumptio, quòd professionem emiserit validè, in illo foro cogi poterit ad observanda illa, ad quæ verus professus obligatur.

Dub. 3. quid requiratur, ut ratificata dicatur professio priùs invalida? Resp. 1. requiritur, ut ratificans sciat professionem à se factam fuisse invalidam. Azor. *p.* 1. *l.* 12. *c.* 4. *q.* 7. Suar. *l.* 7. *c.* 1. *n.* 4. Sanch. *l.* 7. *de matr. D.* 37. *n.* 57. Less. *l.* 2. *de Just. c.* 41. *n.* 66. Pirh. *hic n.* 149. Vviest. *n.* 95. Ratio est, quia nemo potest habere voluntatem ratificandi professionem nisi cognoscat ratificationem sibi esse possibilem; atqui hanc possibilem sibi esse non cognoscit, nisi cognoscat nullitatem priùs à se editæ, ergo &c. *Excipitur*, nisi expressè apud se statuat, se professionem à se emissam velle esse validam, etsi ab initio fortè fuisset invalida. Less. *l. cit.* 191

2 Ut impedimento ablato, ponatur novus consensus professi, Religioni se rursum tradentis; quia cùm sit nova professio, nova intentione, seu voluntate fieri debet. Sanch. Pirh. Vviest. *l. citt.*

3 Ut traditio hæc acceptetur à Religione; quia est nova professio, & quæcumque professio sine acceptatione, à Religione facta, est nulla. Azor, Pirhing. Vviestner *l. citt. Ex quo sequitur*, ad hoc, ut ratificata legitimè dici possit professio, requiri 192

4 Ut etiam Religio habeat aliqualem notitiam de nullitate professionis; quia tam parum acceptatio dari sine aliqua notitia nullitatis potest, quàm parum dari sine illa potest nova traditio. Pal. *tr.* 16. *D.* 2. *p.* 5. *n.* 3. qui tamen aliis *cit. n.* 4. notat, hanc notitiam non debere esse specialem, sed sufficere generalem, & indeterminatam, ut patet ex *c. significatum* 11. *h. tit. c. is qui* 1. *vers. quodsi eod. in* 6. & confirmatur per Trid. *sess.* 25. *c.* 19. *de Regular.* quibus textibus declarat Ecclesia, quòd ratam & ipsa habere velit professionem, quam professus tacitè, vel expressè, ratificaverit.

Dub. 4. an, & quamdiu reclamare professus possit adversùs suam professionem, & illam arguere nullitatis? Resp. reclamare adversùs eamdem potest Regularis quilibet, etiam ex Ordine militari, prout constat ex Trid. *sess.* 25. *capit.* 19. *de Regular.* ubi utitur terminis generalibus, & complectentibus quoscumque Religiosos, ait enim, *Quicumque Regularis prætendat &c.* estque ita declaratum à Cardd. apud *Jo.* Gallemart. *ibid. n.* 1. 193

Tempus, quo reclamare adversùs professionem invalidam licet, assignatur *ibidem* quinquennium: nam intra

intra hoc tempus deducere causam nullitatis professionis suæ coram Superiore debet; illo elapso enim non audietur, nisi impedimentum, ob quod invalida fuit professio, adhuc duret; hoc namque si fiat, sive perpetuum impedimentum istud sit, sive temporale, audiendus est, modò probare impedimentum istud possit, ut bene notat P. Vviestner *hic numer.* 92. & rationem dat; quia Trid. Decretum, quo tempus reclamandi restringitur ad quinquennium, publicatum est in favorem Religionis: atqui non in favorem, sed gravamen Religionis redundaret, si laborantem hujusmodi impedimento, & cons. certò non professum, denegata ipsi, teneretur audientia retinere: ergo &c.

194 Dub. 5. an Religio etiam reclamare possit contra invalidè professum? Respond. affirmativè. Ita Fagnan. *in cap. nullus* 1. *hoc titul. à num.* 31. Pellizar. *Man. Prælat. tract.* 3. *cap.* 5. *s.* 2. *quæst.* 3. *num.* 52. Donat. *prax. Regul. tom.* 2. *p.* 2. *tract.* 12. *quæst.* 35. Bordon. *var. resolut. p.* 1. *resol.* 23. Pirhing *hic num.* 154. Vvex *Ariadn. p.* 5. *tract.* 3. *cap.* 5. §. 3. *num.* 50. Magnif. P. Schmier. *p.* 1. *de Pers. Eccl. cap.* 3. *num.* 249. Ratio est, quia dispositum de uno correlativorum censetur etiam dispositum de altero, si ratio dispositionis de uno procedat etiam in altero, & de hoc in specie aliter in Jure non sit dispositum. atqui Religiosus, & Religio sunt correlativa, & ratio, cur professo nulliter permissum sit reclamare, procedit etiam de Religione, neque de hac aliter est in Jure dispositum. ergo &c. *Confirmat* Responsionem hanc Fagnan. *l. cit. num.* 42. Declaratione *Cardd. Trid. Interpr.* & *Decreto Urbani VIII.* & evincit ratio æquitatis; neque enim Religio debet esse deterioris conditionis, quàm sit Religiosus: quod fieret, si Religiosus reclamare posset, Religio non posset.

195 Est tamen faciendum discrimen aliquod inter causas nullitatis, ob quas potest reclamare Religio, & inter eas, ob quas Religiosus, ut bene advertit Pirh. *l. cit. in fin.* nam Religiosus reclamare potest, ob quemcunque defectum, vel impedimentum professio sit invalida, non ita Religio, sed tum solùm, quando professio fuerit nulla ob ignorantiam justam, & invincibilem Superiorum Regularium; nam isti, si professionem invalidam admittendo culpa non vacant, non debent audiri, si reclamare, & causas nullitatis allegare velint post elapsum biennium.

Dub. 6. quæ conditiones requirantur ad legitimam reclamationem adversùs professionem invalidam? Resp. tres præscribi à Trid. *sess.* 25. *c.* 19. *de Regular.*

196 1 Ut ante reclamationem Habitum non deponat, vel etiam cum Habitu non discedat, sine licentia Superiorum. *Excipitur*, nisi justam causam habitum dimittendi habeat, quia v. g. aliter causam suam prosequi coram Superiore non permittitur, nisi Habitu dimisso fugiat: cujus exceptionis ratio est, quia Concilium intendit punire eum, qui temere, ac spontè dimittit Habitum, quod non facit, qui ex justa causa, ut facultate, per jus sibi concessa, libere uti possit, Habitum deponit. Navar. *comment.* 4. *de Regular. n. ult.* Azor. *p.* 1. *l.* 12. *c.* 4. *in fin.* Sanch. *l.* 7. *de Matr. D.* 37. *n.* 3. Pirh. *hic n.* 152. & alii communiter. Idem, saltem ex æquo, & bono dicendum, siquis Habitum temere dimissum iterum assumat; quia per reassumptionem Habitus dimissi Religio in possessionem restituitur, & purgatur spolium; cons. tum audiendus est, qui asserit se invalidè fuisse professum. Navar. Sanch. Pirh. *l. citt.*

197 2 Ut causas nullitatis suæ professionis deducat coram Superiore suo, & Ordinario. Nomine *Superioris* intelligitur immediatus Prælatus Regularis, qui professionem ejus, qui reclamat, admisit, vel qui in ejus locum successit: nomine *Ordinarii* autem venit Episcopus, in cujus Diœcesim situm est Monasterium, in quo reclamans professionem emisit, vel Vicarius Generalis Episcopi, vel etiam alius prælatus, qui Jurisdictionem quasi Episcopalem exercet in illo Territorio, & Sede, vel prælatura vacante, Capitulum, aut ejus Vicarius. Pirh. *hic n.* 151. Dixi *coram Superiore suo, & Ordinario* per conjunctionem copulativam *Et*; nam ita loquitur Trid. Ex quo Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 104. *num.* 12. aliis *citt.* deducit, causas nullitatis coram utroque, videlicet coram Superiore Regulari, & Ordinario loci deducendas esse conjunctim, seu copulativè: & ita decisum idem Barbos. *l. cit.* refert ex Amendar.

198 3 Ut reclamatio fiat intra quinquennium, à die professionis editæ numerandum. Sed ex hoc oritur

Dub. 7. an audiendus sit impugnans professionem suam post quinquennium, si toto illo tempore ejus nullitatem ignoravit, vel obstante sibi justo impedimento, eam impugnare, & coram Superiore deducere nequiit? Non conveniunt DD. Negant Navar. *comm.* 4. *de Regul. n.* 71. Vers. *tertiò*, Sanch. *lib.* 7. *de Matr. D.* 37. *num.* 19. Pellizar. *Man. Regul. tract.* 3. *capit.* 5. *n.* 45. & alii ab his *citt.* Nituntur triplici maximè ratione. 1. Quia Tridentinum *cap.* 19. *cit.* dicit, *quinquennium numerandum esse à die Professionis tantùm*, quæ particula negat, & excludit omnes alios casus, præter expressos. 2. Quando tempus præscriptum est, non in odium negligentis, sed in favorem alterius, illud etiam ignoranti, & impedito currit, ut communiter tradunt DD. cum Gloss. *in cap. statutum* 3. *de Præbend. in* 6. atqui ita præscriptum est tempus quinquennii in casu præsenti; præfixum enim est in favorem Religionis, ut consulatur ejus tranquillitati, & paci, quæ facilè turbaretur, si semper audirentur ii, qui ad sæculum, & liberiorem conversationem aspirant. 3. contra alia remedia, & actiones à Jure proditas admittitur præscriptio tam in casu ignorantiæ, quàm in casu impedimenti, si id facti, non Juris sit, ut communiter DD. *ad Tit. de Præscript.* igitur etiam adversus remedium nullitatis oppositæ professioni.

Contrà audiendum etiam post quinquennium esse il- 1
lum, qui intra id tempus ob ignorantiam, vel ob aliud impedimentum reclamare non potuit, affirmat Navar. *lib.* 3. *consil.* 23. *num.* 3. *hoc titul.* Suar. *tom.* 3. *de Relig. lib.* 7. *cap.* 4. *numer.* 6. Pal. *D.* 2. *p.* 7. *num.* 5. *& seqq.* Pirh. *hic num.* 152. Fundantur 1. quia impedito agere non currit præscriptio *cap. super* 1. *in fin. C. de annal. præscript.* atqui nullum est majus impedimentum, quàm ignorantiæ; ignorans enim experiendi potestatem non habet *l. annus* 6. *ff. de calumn.* 2. Quia Concilium, quando dicit, quinquennium computandum à die professionis, intelligendum solùm est per se, & nisi justa causa aliud suadeat. atqui ejusmodi justam causam habet invalidè professus, si nullitatem professionis suæ ignoravit, vel adversùs illam reclamare non potuit; igitur etiam post quinquennium audiri debebit, saltem si probare velit toto illo tempore se fuisse impeditum, vel ignorantia laborasse. 3. Quia dispositio Trid. negans facultatem reclamandi post quinquennium, fundatur in præsumptione, quòd invalidè professus intra hoc tempus ratificaverit professionem suam, quæ præsumptio in casu Dubii præsentis cessat. igitur cessat etiam ipsa dispositio.

Ego cum Tambur. *tom.* 3. *D.* 6. *q.* 25. *n.* 9. P. Vviest- 2
ner *hic n.* 92. Magnif. P. Schmier *p.* 1. *de Person. Eccl. c.* 3. *n.* 257. teneo sententiam mediam, & distinguo inter impedimenta, ob quæ invalida fuit professio, an ejusmodi impedimentum sit temporaneum, v. g. metùs, defectùs legitimæ ætatis &c. an verò perpetuum, ut quòd mulier professa sit Religionem in Monasterio virorum. *Si hoc secundum*, reclamanti etiam post quinquennium audientia denegari non debet, cùm sit professionis emittendæ incapax, & cons. illa neque post quinquennium possit præsumi valida. *Si primum*, iterum distinguendum est, an impedimentum istud adhuc duret, vel intra quinquennium sublatum sit. *Si hoc posterior*, audiri non ampliùs debet, quando remedio ordinario uti vult; obstat enim reclamare volenti præsumptio ratificationis, quæ cùm sit Juris, & de Jure, nullitatis probationem non admittit. *Si prius*, & post quinquennium adhuc duret impedimentum, quia e. g. superstes est conjux professi, quam tempore ingressus, & professionis credebat mortuam, reclamanti etiam post quinquennium audientia denegari non debet, ne quod in favorem Religionis constitutum est, cedat in ejus vel alterius præjudicium, quod fieret, si laborantem hujusmodi impedimento, & cons. certò non professum, denegata audientia, teneretur retinere. Et hoc, non autem plus probant Argumenta Sententiæ secundæ.

Dub. 8. an ejusmodi ignoranti, vel impedito, qui quòd intra quinquennium non reclamaverit, reclamare postea non permittitur, denegetur etiam remedium extraordinarium restitutionis in integrum? *Ratio dubitandi est* 1. quia præsumptio Trid. est Juris, & de Jure, quæ nullam in contrarium probationem admittit. 2. Quia restitutioni locus non est, quando actus non valet *l. in causæ* 16. §. *& generaliter* 3. *ff. de minor.* 3. Quia non restituitur, qui læsus non est *l. scio* 4. *ff. de in integr. rest.* atqui talis non est læsus; quia Statum perfectiorem ingressus est; ergo &c.

Sed dicendum, hoc casu locum esse remedio extra- 2
ordinario restitutionis in integrum, eoque uti posse eum, qui professionem quocumque ex capite invalidam

dam emisit, non tantùm, si minor sit, sed etiam, si major, ex clausula generali, *Si qua alia mihi justa causa videbitur*, ut dicitur *l. hujus* 1. §. *verba* 1. *fin. ff. ex quibus caus. major.* Ita Navarr. *l.* 3. *cons.* 23. *num.* 7. *hoc tit.* Sanch. *l.* 7. *de Matr. D.* 37. *num.* 22. Mirand. *Man. Prælat. tom.* 1. *quæst.* 30. *art.* 3. Barbos. *in Trid. cap.* 19. *cit. num.* 8. Fagnan. *in cap. perlatum num.* 52. *de his, quæ vi metúsve causa &c.* Bordon. *de Profess. Relig. cap.* 22. *num.* 12. *& seqq.* Card. de Luca *disc.* 14. *de Regular. numer.* 12. Vvex. *p.* 5. *Ariadn. tract.* 3. *cap.* 5. §. 2. *n.* 49. *in fin.* Engl. *hic num.* 54. Vviest. *ibid. num.* 94. Magnif. P. Schmier *p.* 1. *de Person. Eccl. cap.* 3. *num.* 258. & suadet praxis; nàm ut *citt.* DD. testantur, hodie illi, qui post quinquennium reclamare volunt, adire solent Congregationem Card. Trid. Interpp. vel eorum, qui Regularium negotiis præpositi sunt, & non raró restitutionem in integrum obtinent.

203 Neque contrarium probant Argumenta opposita. *Ad* 1. etiam adversùs præsumptionem Juris, & de Jure, si allegatur, & probetur sufficiens causa, cur citiùs reclamatum non sit, restitutio peti, atque concedi potest, ut teste Oddo *de restitut. in integr. part.* 2. *quæst.* 72. *artic.* 1. admittunt omnes. *Ad* 2. principium illud verum solummodo est, quando adversùs actum habetur remedium ordinarium, & extraordinario pinguius, quod in casu nostro non habetur. *Ad* 2. non modica læsio est, aliquem invitum perpetuò obligari ad Statum arduissimum, quem propterea Jura voluerunt non nisi summa libertate amplectendum.

204 Dub. 9. an is, qui invalidè professus est, teneatur ratificare professionem suam, si impedimentum, ob quod professio invalida est, in foro externo probare non possit? Resp. non teneri, proceditque hoc, sive bona fide, & sine culpa, sive mala fide, & culpa sua, e. gr. ob fictionem invalidè professus sit, ut docet Henr. *l.* 11. *de Matr. cap.* 11. *num.* 11. *lit. V.* Sanch. *de Matr. l.* 7. *D.* 37. *num.* 38. *&* 39. Pellizar. *Man. Prœl. tract.* 3. *cap.* 1. *num.* 48. Pirh. *hic num.* 148. & alii communiter. *Ratio est*, quia Religiosus Status est tam arduus, & tam sublimis perfectionis, ut requirat consensum omnino liberum, & spontaneum. talis non adesset, siquis cogi posset ad professionem à se invalidè emissam ratificandam. ergo &c.

205 *Neque obstat*, quòd habuerit voluntatem profitendi saltem exteriùs, & apparenter; quia cùm talis voluntas inefficax fuerit, & nullus effectus ob defectum consensus interni, vel aliud impedimentum dirimens, idcirco vi illius in foro conscientiæ obligari non poterit, qui professionem emisit invalidè, ut illam ratificet. Interim tamen, quia adversùs talem in foro externo stat præsumptio, quòd professionem emiserit validè, in illo foro cogi poterit ad observanda illa, ad quæ verus professus obligatur.

206 Quæritur 5. qui sint Effectus professionis validæ? Resp. professionis, quæ in Religione à Sede Apostolica approbata validè emissa est, varii sunt effectus, ex quibus celebriores sunt undecim.

1 Profitentem Religiosum efficit, eumque obligat ad observationem Votorum Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ, ita, ut neque Pontifex facere possit, ut professus Religiosus maneat, & observare vota non teneatur *cap. cùm ad Monasterium* 6. *in fin. de Stat. Monach.*

2 Ligat professum Religioni, & hanc professo, ita, ut nec sola professi voluntate, nec sola Religionis, neque mutuo utriusque consensu dissolvi possit. Suar. *tom.* 3. *de Relig. l.* 6. *cap.* 14. *num.* 2. *& seqq.*

3 Transfert personam professi in dominium, & potestatem Religionis, & Religionem vicissim obligat, ut illum alat, retineat, atque ut filium tractet. Pal. *tract.* 16. *D.* 2. *p.* 8. *num.* 1.

207 4 Per eam patria potestas in filium professum solvitur quoad ea, quæ professio damnosa, & Religioni præjudiciosa sunt; nam quoad ea, quæ utrique utilia sunt, patria potestas manet, ne, quod ob gratiam ipsi conceditur, in ejus dispendium detorqueatur *contra regulam* 61. *in* 6. Pal. *l. cit. num.* 2.

5 Relaxat Irregularitatem ortam ex defectu natalium, ita, ut professus, licèt procreatus sit ex concubitu utroque Jure damnato, ad SS. Ordines, & Beneficia Ecclesiastica (prælaturis dumtaxat, & Dignitatibus exceptis) sine dispensatione promoveri possit: cæteras Irregularitates non quidem tollit, ad dispensationem tamen super iis concedendam faciliùs movere solet. Laym. *l.* 4. *Theol. tract.* 5. *cap.* 10. *num.* 4.

6 Purgat maculam, seu inhabilitatem ad actus temporales ortam ex crimine v. g. ex perjurio, furtó, falso testimonio deposito in Judicio. *Novell.* 5. *in princ.*

7 Abolet notam ingratitudinis, quæ de Jure suffecisset ad exhæredandum filium, prout ex *Novell.* 123. refert Gratianus *can. fin. caus.* 19. *quæst.* 3.

8 Dirimit Matrimonium contrahendum, & contractum, si ratum dumtaxat sit, dissolvit, etiam quoad vinculum *cap. verùm* 2. *cap. ex publico* 7. & *cap. ex parte* 14. *de convers. conjugat.* 208

9 Si conjux in casu licito post Matrimonium consummatum professus Religionem sit, inducit divortium inter ipsum, & conjugem relictam in sæculo, prout colligitur ex *cap. veniens* 19. *h. tit.*

10 Omnia alia Vota, & Juramenta pia ipso Jure extinguit *cap. scripturæ* 4. *de Voto*, nisi facta sint in favorem hominis; nam ista manent, nisi promissarius Juri suo renuntiaverit. Sanch. *l.* 5. *mor. cap.* 4. *numer.* 45.

11 Impertit plenissimam condonationem omnium peccatorum, non quidem quoad culpam; neque enim peccatorum culpas delet, cùm non sit Sacramentum; sed quoad pœnam, si profitens tunc sit in Statu Gratiæ, & pœnæ illius reatus non sit ortus ex multiplicatis enormibus criminibus. Pal. *part.* 8. *cit. numer.* 3.

Dub. 1. an dictos effectus habeant etiam Vota simplicia Societatis Jesu, post biennium Novitiatus edi solita? Resp. affirmativè. Ita Sanch. *l.* 5. *mor. cap.* 5. *num.* 7. Laym. *l.* 4. *tract.* 5. *cap.* 10. *num.* 1. *& seq.* Pal. *tract.* 16. *D.* 2. *p.* 8. *à num.* 2. 209

Excipiuntur dumtaxat sequentia, in quibus modificatio aliqua adhibenda est. 1. Enim non inducunt absolutam insolubilitatem, cùm ex justa causa is, qui hæc emisit, è Societate dimitti possit.

2 Quod ex priori sequitur, vinculum, quo hæc Vota emittens Societati nectitur, ex parte Societatis est conditionatum dumtaxat, non absolutum, ut in Professione solemni.

3 Per ea Vota homo in Religionem transfertur non ita absolutè, ut per Professionem, sed ex parte Societatis conditionatè tantùm, *Si Societas eum retinuerit.*

4 Ista emittens, quamdiu persistit in Societate, à patria potestate non minùs, ac solemniter professus, eximitur, in eandem tamen reincidit, si dimittatur, nisi Sacro aliquo Ordine initiatus sit; quia talis est liberatio à patria potestate, qualis est translatio in potestatem, & dominium Religionis. 210

5 Similiter per illa Vota antè emissa in sæculo suspenduntur tantùm dum in Societate ipsa emittens manet; dimissum verò denuo urgent, prout decisum est in *Congregatione Gen.* 1. *can.* 42.

6 Denique Vota Simplicia Societatis dirimunt quidem Matrimonium contrahendum, non tamen contractum, etsi ratum dumtaxat, sed huic ipsa cedunt, prout dicetur *Lib.* 4. *Tit.* 6. Videatur P. Vviest. *hic num.* 112. & apud ipsum *citt.*

Dub. 2. an Professio quoad vinculum dissolvi possit authoritate Summi Pontificis? Negat S. Thom. 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 12. Rationem dat; quia Solemnitas Voti consistit in quadam consecratione, & benedictione; non potest autem, quod semel est sanctificatum DEO, in alios usus profanos commutari. 211

Sed dicendum, Papam ex justa, & legitima causa posse dispensare in Professione Religiosa, vinculum per illam inductum solvendo, ita, ut qui hactenus fuit Religiosus, postea non ampliùs sit, neque ampliùs Votis adstringatur. Ita Suar. *tom.* 3. *l.* 6. *capit.* 16. *& capit.* 17. *numer.* 5. Sanchez *de Matrim. l.* 8. *D.* 8. *numer.* 7. Pirh. *hic numer.* 144. Konig. *numer.* 19. *Ratio est* 1. quia Sancto Petro, ejusque successoribus tradita est à Christo *Matth.* 16. universalissima potestas solvendi: ac proinde quidquid natura sua insolubile non est; vel à Christo prohibitum solvi, hoc Papa potest solvere; atqui Professio neutro modo est insolubilis: ergo &c. 2. Quia Papa ex communi omnium DD. sensu potest dispensare in Votis Simplicibus, ergo etiam in Votis Solemnibus; nam solemnitas Voti solùm Constitutione Ecclesiæ est introducta *cap. unic. de Vot. in* 6. 3. Quia sæpiùs in hoc dispensarunt Summi Pontifices prout videre est apud Baronium *ad annum Christi* 1041. & Suar. *cap.* 17. *citat. numer.* 6.

Addidi *ex justa, & legitima causa*; nam sine causa saltem licitè non potest: & ita intelligendum est *cap. cum ad Monasterium* 6. *in fin. de Stat. Monach.* nam etiam illud non posse dicimur, quod licitè non possumus. Requiritur autem gravissima necessitas, sive causa boni publici, nec sufficit bonum privatum ipsius Professi, v. gr. ut vitetur probabilissimum periculum 212

Voti transgrediendi, ut notat Sanch. *l.cit. num.* 8. & ratio est; quia talis dispensatio non potest fieri sine notabili detrimento Status Religiosi, cujus bonis non debet præferri bonum alicujus privati.

Ad Argumentum oppositum dico, illo solùm probari, quòd Papa facere nequeat, ut manens Religiosus Votis substantialibus Religionis non obligetur, quod jam *num.* 206. *suprà* concessi ultro.

Interim tamen Pontifex dispensatione potest facere, ut Religiosus esse cesset; non enim implicat rem DEO consecratam, consecratione cessante, in usus profanos converti, ut patet in calice consecrato, cujus materia, dissoluta forma, quibuscumque usibus adhiberi licitè potest.

213 Dub. 3. an vinculum Professionis Religiosæ dissolvatur per promotionem ad Episcopatum, vel regimen Parochialis Ecclesiæ? De assumpto ad regimen Parochialis Ecclesiæ, vel aliud Beneficium inferius Episcopatu extra Ordinem satis clarum est, quòd ligatus vinculo Professionis suæ maneat; quia iste nec Votis Religiosis, nec jugo Regulæ liberatur, sed observare istam etiam extra Ordinem degens debet in omnibus iis, quæ cum Pastorali munere, & laboribus possunt consistere, & quidem sub obligatione ad pœnam, imò & culpam, si Regula ita obliget. Sanchez *l.* 6. *moral. capit.* 6. *numer.* 36. Pirh. *hic numer.* 145.

De assumpto ad Episcopatum rationem dubitandi facit; quia talis liberatur à jugo Regulæ, utpote jam constitutus in culmine Magisterii.

214 Sed adhuc dicendum, Professionis vinculum etiam per promotionem ad Episcopatum non dissolvi, sed ita assumptum adhuc manere obstrictum omnibus tribus Votis Religiosis. Ita S. Thom. 2. 2. *quæst.* 185. *art.* 8. Sanchez *l.* 6. *mor. cap.* 6. *numer.* 2. Less. *l.* 2. *de J. & J. capit.* 40. *numer.* 113. Pirh. *hic numer.* 145. & plurimi alii apud istos. Patet 1. *de Voto Castitatis;* nam hujus Voto illum obligatum manere est extra dubium. 2. *De Voto Paupertatis;* quia talis Episcopus non fit dominus bonorum, seu redditium Ecclesiasticorum, sed administrator tantùm, cum hoc solùm discrimine, quòd ea, quæ acquirit, jam non ampliùs acquirat Religioni, ut priùs, sed Ecclesiæ suæ Episcopali juxta *can. unic. caus.* 18. *quæst.* 1. 3. *De Voto Obedientiæ;* nam etsi hanc non ampliùs debeat Superioribus Regularibus, utpote in altiori Dignitatis gradu constitutus, debet tamen illam Summo Pontifici, cui præter Obedientiam generalem, ab omnibus Fidelibus debitam, speciali Obedientiæ Voto adstringitur: imò si renuntiet Dignitati simul, & gradui, tenetur redire ad Monasterium, & iterum obedire, ut priùs.

215 *Ad Rationem dubitandi* negatur paritas; quia subjectio ad Regulam non pertinet ad substantiam Religiosi: deinde ejusmodi Episcopus non eximitur omnino ab observantia Regulæ; nam in iis, quæ Dignitatem Episcopalem non dedecent, observare ea debet, non quidem ex præcepto Regulæ, sed ex honestate, & morali decentia.

216 Dub. 4. an valida sit Professio, quam emittit Episcopus, facultate Pontificis non obtenta? *Certum est* valere, si tantùm sit electus, & non confirmatus; quia iste propriè nondum est Episcopus, nec adhuc Ecclesiæ, ad quam electus est, Spiritualis conjugii vinculo obligatur: quare sicut sine licentia Papæ renunciare Episcopatui potest, ita sine illa etiam profiteri Religionem. Suar. *tom.* 3. *de Relig. l.* 6. *cap.* 8. *num.* 1. Idem dicendum de Episcopo, qui legitimè renunciavit Episcopatui; nam in hoc ratio prohibitionis cessat, nempe obligatio alicui Ecclesiæ, quod est impedimentum assumendi Statum Religiosum. Suar. *loc. cit.* Pirhing. *hic num.* 125.

217 *Dubium* procedit de Episcopo electo, & confirmato, qui nondum legitimè renuntiavit Episcopatui. Validam esse, etiam sine licentia Papæ factam contendit Suar. *loc. cit. num.* 7. Rationem dat 1. quia talis Professio nullo Jure est irritata. 2. Quia Status Religiosus non est incompatibilis cum Episcopali, cùm Religiosus fieri possit Episcopus, & tamen manere Religiosus, ut *numer.* 214. dictum est. 3. Quia alii Prælati inferiores, habentes Jurisdictionem Episcopalem, sine licentia Papæ validè profiteri Religionem possunt.

218 Sed probabiliùs hujusmodi professio, sine licentia Papæ ab Episcopo edita, est invalida. Ita Layman *in capit.* 10. *de renunt. numer.* 3. Pirh. *hic numer.* 126. Schambog. *ibid. num.* 50. *Ratio est*, quia Deus non acceptat professionem Religiosi, si Ecclesia repugnet. repugnat autem, si Episcopus gregem suum, cui se obligavit, deserat, nisi à Summo Pontifice liberationem impetraverit, ut patet ex *cap. licèt* 18. *hoc tit. cap. nisi* 10. *de renunt. cap. inter.* 2. *de Translat.* ergo &c.

Neque urgent admodum Argumenta contraria. *Ad* 1. hoc ipso, quòd Ecclesia tali professione resistit, nec Ecclesia, nec Deus illam acceptat; est autem de essentia professionis validæ acceptatio, ut dictum est *suprà num.* 166. *Ad* 2. disparitas est; quia Religiosus non habet Ecclesiam Sponsam, sed eam, dum promovetur ad Episcopatum, primùm acquirit; Episcopus autem jam habet sponsam, quam cum Religioso Statu postea suscepto conservare commodè non potest. *Ad* 3. Episcopi sunt desponsati Ecclesiæ suæ, non alii Prælati inferiores, quamvis & hi decentiùs faciant, si licentiam à suo Superiore petant, quando profiteri volunt.

Dub. 5. utrum Religionis professione amittatur Nobilitas? Affirmant nonnulli DD. & Interpp. duplici fundamento nixi. 1.

§. VIII.

De Recessu à Religione permisso, & vetito.

SUMMARIUM.

224 225 226 *An possit Professus, sive Religiosus ab una Religione transire ad aliam, & quæ conditiones sint observandæ?*

227 228 229 *An conditiones istæ solùm requirantur ad honestatem, an verò etiam ad valorem transitus, & secuturæ istum professionis?*

230 231 232 *An, & quando Religiosus ex Religione strictiore transire possit ad laxiorem?*

233 234 235 *Quid circa licentiam transeundi observandum sit transire volenti, & Superiori Religionis, à qua transit, vel ad quam transit?*

236 *Quis Superior licentiam dare possit ad transeundum ad Religionem strictiorem?*

237 *Vel æquè strictam?*

238 *Aut laxiorem?*

239 240 241 *Quænam Jure Canonico interdicta sint Religiosis, etiam licitè transeuntibus ad alias Religiones?*

242 *Ad quod Monasterium, seu Religionem pertineant bona Religiosi licitè transeuntis ab una ad aliam Religionem?*

243 *Quid dicendum de iis bonis, quæ deferuntur eidem, dum adhuc est Novitius Religionis, ad quam transiit?*

244 *An casu, quo Abbas Monasterii ipsemet ad aliam Religionem transit, procedi statim ad electionem Successoris in Prælatura possit.*

245 *An is, qui Religionem à Sede Apostolica approbatam professus est, possit ab ea ejici?*

246 *Deciditur affirmativa.*

247 *Si sit incorrigibilis.*

248 *Solvuntur Argumenta opposita.*

249 *An Religiosus Professus, ejectus in perpetuum ex Religione, liberetur ab obligationibus Professione contractis.*

250 251 *Sequelæ inde deductæ.*

252 253 254 *An ita ejectus teneatur ad Religionem redire?*

255 256 257 258 *An Religio resipiscentem admittere?*

259 260 261 262 *An ita ejectus possit ingredi Religionem aliam?*

263 264 265 *Cui acquirantur bona comparata ab Ejecto.*

266 267 *Quinam dicantur Religiosi Fugitivi, & Apostatæ?*

268 269 *Qualis sit is, qui discessit ab Ordine animo quidem redeundi, sed post tempus diuturnius?*

270 271 *An Jure communi contra fugitivos sit aliqua pœna imposita?*

272 273 *An Prælati Religiosos fugitivos, & Apostatas capere, & incarcerare valeant, si eosdem extra Territorium suum deprehendant?*

274 275 *Ad quem pertineat dominium rerum, quas Religiosus Apostata, aut fugitivus reliquit?*

276 277 *An Monasterium solvere teneatur debita à Professo suo Fugitivo, Ejecto, vel Apostata contracta?*

Tri-

TRibus modis recedi à Religione potest à Religiose professo. *Primus* est voluntarius, & si debitè fiat, licitus, per transitum ejusdem ad alium Ordinem. *Secundus* necessarius, cùm quis ob incorrigibilitatem ejicitur. *Tertius* sacrilegus, cum quis è Monasterio fugit, & per Apostasiam à Religione discedit.

Quæritur 1. an possit professus, sive Religiosus ab una Religione transire ad aliam? Videtur non posse. 1. ob authoritatem Apostoli 1. *Cor.* 7. *v.* 20. monentis, ut *unusquisque, in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat*. 2. quia per professionem Religiosus certo Monasterio, vel Ordini perpetuò obligatur, & quidem ex contractu utrinque oneroso.

Sed dicendum, si hujusmodi transitus habeat conditiones ad ita transeundum requisitas, eum licitum, atque permissum esse. Sumitur ex *cap. licèt* 18. *h. tit.* & jam olim statutum erat in Concilio Triburiensi, quod refertur *can. Virgines* 1. *caus.* 2. *quæst.* 4. Conditiones ad hoc, ut transitus iste rite fieri possit, sunt.

1 Ut fiat ad Religionem perfectiorem, seu quod idem hoc loco est strictiorem *cap. licèt cit.* Debet autem major austeritas Religionis, prout ad propositum servit, desumi non tantùm ex institutione primæ Regulæ, sed etiam Constitutionibus, sive Ordinationibus in tempore adjectis, & vel maximè ex observantia earumdem præsenti, ut cum aliis notat Sanch. *l.* 6. *mor. cap.* 7. *num.* 23. & 24.

2 Ut non fiat temere, & leviter v.g. ex ira, odio, contemptu, vel alia inordinata passione animi, sed zelo bono, sive majoris perfectionis studio *cap. licèt cit.* ibi, *Ne quis ex temeritate, vel levitate*.

3 Ut non fiat cum notabili detrimento, vel infamia Religionis, aut Monasterii, à quo transitur *cap. licet cit.* ibi *In jacturam, vel injuriam sui Ordinis;* quia bonum Religionis commune præferendum est utilitati privatæ unius Religiosi transeuntis.

4 Ut transiturus à Prælato suo immediato, vel mediato, prout per Regulas, & Ordinis Constitutiones præscribitur, propositis transeundi causis, petat licentiam *cap. licèt cit. V. quo circa*, ubi ratio additur, ne Religiosus, ea non petita transiens, *bonum obedientiæ contemnere videatur*.

5 Ut à Prælato petantur Dimissoriæ; nam sine his ab alterius Ordinis, vel Monasterii Prælato, aut Superiore admitti nequit, nisi iste incontinenti probare velit, vel transitum, vel litteras hujusmodi sibi indebitè fuisse negatas *canon. statuimus* 3. *caus.* 19. *quæst.* 3. Sanch. *lib.* 6. *moral. cap.* 7. *num.* 39. Pirh. *hic num.* 161. Vviest. *num.* 123.

Neque obstant duo Argumenta in Ratione dubitandi allata; quia hæc solùm probant, quòd talis transitus non possit fieri temere, & licentia non petita à Prælato Monasterii, vel Religionis, in qua professus est.

Dub. 1. an conditiones istæ solùm requirantur ad honestatem, an verò etiam ad valorem transitus, & secuturæ istum professionis?

Certum est 1. invalidam esse professionem in ejusmodi Religione, si transitus ad illam factus sit contra specialia Religionis privilegia, quæ transitum talem, & professionem irritant.

Certum est 2. similiter valore professionem destitui, quando sine debita licentia transitur à Religione Mendicantium ad Monasticum, præterquam Carthusianorum, Ordinem, prout statutum est *Extravag. viam* 1. *hoc titul.* propter publicum bonum, & conservationem Ordinum Mendicantium, ut *ibidem* dicitur.

Certum est 3. irritam esse professionem Jure communi, si ejusmodi transitus fiat, non præcedente legitima dispensatione à Religione strictiore ad laxiorem, ut habetur *cap. fanè* 10. *hoc tit.* ubi Canonicus Regularis, à quodam Abbate in Monachum receptus, jubetur compelli, ut redeat, si locus, ad quem transiit, non sit majoris Religionis, quàm locus, à quo transiit.

Controversia moveri potest de conditionibus reliquis, an ob earum defectum transitus, & professio in ejusmodi Monasterio sit irrita? Videtur respondendum affirmativè ex *canon. mandamus* 2. *caus.* 19. *quæst.* 3. & *cap. intelleximus* 12. *de ætat. & qualitat.* ubi irritus pronuntiatur transitus Canonici Regularis ad Monachos, conf. à laxiore ad strictioris observantiæ Religionem.

Verùm his textibus nihil probatur, quia Canonicis Regularibus prohibitus fuit transitus ad Statum Monachorum ex ea ratione, quòd tempore, quo conditi erant hi Canones, Monachi vacaverint soli Orationi, & contemplationi, nec initiati fuerint SS. Ordinibus, ne scilicet ad hos transeundo viderentur quasi descendere de Statu Clericorum ad Statum Laicorum quæ ratio nunc, cùm Monachi fiant Clerici, & Sacra Mysteria obeant, cessat.

Hinc dicendum, Professionem transeuntis ad Religionem observantiæ strictioris ob solum licentiæ petitæ, vel alium similem defectum non esse invalidam. Ita Suarez *tom.* 4. *de Religion. tract.* 8. *libr.* 3. *cap.* 10. *numer.* 12. Sanch. *lib.* 6. *moral. cap.* 7. *numer.* 94. Pal. *tract.* 16. *D.* 4. *part.* 16. §. 4. *numer.* 7. & plures alii ab his citt. *Ratio est*, quia etsi hujusmodi transitus sit culpabilis quoad modum, quòd tamen irritus sit, nullo Jure probatur: non naturali, & Divino; quia propositum, aut promissum non infringit, qui illud commutat in melius *cap. pervenit* 3. *de Jurejur.* non etiam Ecclesiastico; quia *cap. licèt citat.* plus non habetur, quàm quòd sine licentia, aut sine non puro transiens molestari possit, non verò quòd professio ab eo emissa sit irrita. Accedit, quia neque necessarium erat, ut irritaretur, cùm aliis modis ita transeundi temeritas coerceri possit, videlicet revocando illos, antequam professionem edant, aut si illam jam ediderunt, pro qualitate culpæ aliis pœnis plectendo. 229

Dub. 2. an, & quando Religiosus è Religione strictiore transire possit ad laxiorem? Respond. Jure communi, & per se loquendo transitus iste nemini permissus est, ut patet ex *cap. sanè* 10. *hoc tit.* ubi ita transiens jubetur compelli, ut redeat. Ratio est, quia Religiosus quo ad personam suam est obligatus Monasterio, & Religioni, sicut servus domino suo, uxor viro, Filius patri, in cujus est potestate. sicut ergo tales personæ repeti, & vindicari possunt, ita & Religiosus. 230

Dixi *Jure communi, & per se loquendo:* nam tres Exceptiones sunt faciendæ. 1. transiri à strictiore Religione potest ad Religionem, quæ secundùm præsentem observantiam quidem est laxior, secundùm Regulam autem strictior, si probabilis spes sit, quòd brevi sit reformanda, & reducenda ad pristinum rigorem Regulæ. Pirh. *hic num.* 159. aliis *citt.*

2. Concedi transitus à strictiore ad laxiorem Religionem potest à Papa, immò etiam à Generalibus, & similibus Prælatis Exemptorum, saltem cum consensu Conventus sui, & à Prælatis Exemptorum, saltem cum consensu Conventus sui, & à Prælatis non exemptorum cum consensu Episcopi Diœcesani, si allegetur causa justa infirmitatis, debilitatis, necessitatis parentum, cui consuli in strictiore Religione nequeat. Sanchez *lib.* 6. *moral. cap.* 7. *num.* 65. & *seqq.* Less. *lib.* 2. *de Just. cap.* 41. *num.* 104. Krimer *hic num.* 2792. Magnif. P. Schmier *part.* 1. *de person. Eccles. cap.* 3. *numer.* 241. sicque in pluribus locis habere praxim docet Pirh. *num.* 173. 231

3. In Societate JESU præpositus Generalis ex speciali, & aliis Religionibus incommunicabili privilegio, quod ipsi indulsit Gregorius XIII. *Constitut.* incipit, *Cùm aliàs edita* 22. *Septembris* 1582. licentiam Religiosis, etiam Professis, sibi subjectis potest concedere, ut transire possint ad quemvis alium Mendicantium, vel non Mendicantium Ordinem, cùm antehac nemini ex iisdem liceret transire ad alium, nisi Carthusiensium Ordinem, idque semel dumtaxat sine Præpositi Generalis licentia, prout constat ex *Constitutionibus* Pauli III. incipit *Licèt debitum edita* 15. *Calend. Novembris* 1549. & S. Pii V. incipit *Æquum reputamus edita* 18. *Calend. Febr.* 1565. 232

Dub. 3. quid circa licentiam transeundi observandum sit transire volenti, & Superiori Religionis, à qua transit, & ad quam transit? Resp. circa hanc Sanch. *lib.* 6. *moral. cap.* 7. *à num.* 33. Pirh. *hic numer.* 161. & alii sequentia præcipuè annorant. 1. Licentia ista necessariò, & sub gravi obligatione petenda est, ut patet ex *cap. licèt* 18. *hoc titul. Vers. quocirca*, ibi, *Subditus à Prælato cum humilitate, & puritate debet transeundi licentiam postulare, ne bonum obedientiæ contemnere videatur:* ubi verbum *Debet* necessitatem præcepti importat. 233

2. Peti licentia ista debet ante transitum, nec sufficit, si petatur post transitum ad Religionem strictiorem; quia quoties ad aliquem actum requiritur, ut petatur licentia à Superiore, ea necessariò ante actum illum peti debet.

3. Non statim, ac petita est licentia, fas est transire ad Religionem strictiorem, sed debito tempore exspectandum est [illegible] Superioris; quia hoc gene- 234

tale eſt in omni eo, qui jubetur conſilium, aut licentiam petere, ut expreſsè habetur *cap. cùm in veteri* 52. *de Elect.*

4. Tranſire volens, dum licentiam tranſeundi petit, exprimere cauſas debet, quæ moveant ipſum ad ita tránſeundum; quia non ex qualibet cauſa tranſitus iſte permittitur, ſed cùm ex majoris Perfectionis ardore proficiſcitur.

5. Si cauſam juſtam attulerit, Superior, vel Prælatus concedere licentiam ſine difficultate debet *cap. licèt*, & Verſ. *quocirca citt.* ubi etiam additur ratio, *ne propoſitum Divinitùs inſpiratum videatur impedire.*

6. Si Superior, vel Prælatus Religioſo ad aliam Religionem ſtrictiorem volenti tranſire licentiam indiſcretè, h. e. ex nulla, vel apertò injuſta, aut falſa cauſa deneget, & ipſe Religioſus certus ſit de receptione in alio Ordine, is tranſire ad iſtum nihilominus poteſt *cap. licèt citt.* ibi, *Liberè poteſt ſanctioris vitæ propoſitum adimplere; non obſtante proterva indiſcreti contradictione Prælati.*

235 7. Si negati tranſitus cauſam non apertè injuſtam, ſed veriſimilem, vel dubiam Prælatus alleget, adeundus eſt Superior, quod fieri poteſt, etiamſi in tali Religione interdicta ſit Appellatio; quia id Interdictum intelligi debet de ſolis ſpectantibus ad correctionem, ut notat Sanch. *capit.* 7. *citt. numer.* 37. Superior autem, ad quem hoc caſu provocatur, debet eſſe, non Monaſterii, aut Religionis, à qua, vel ad quam paratur tranſitus, ne in propria cauſa judicent; ſed is, cujus eſt de controverſiis, inter utrumque Monaſterium, vel Religionem ortis, cognoſcere, & pronuntiare.

236 8. Quodſi Superior nullam aſſignet cauſam denegati tranſitus, ſubditi eſt eam petere: poſt quod ſi adhuc recuſet illam exprimere, etiam Superiore invito tranſire ad Religionem ſtrictiorem poteſt, non tamen antè, quàm certus ſit de receptione in illo Ordine: quod obſervandum quandocunque, licentia non impetrata, diſceditur; aliàs habebitur pro Apoſtata, cùm ſub nullius ſit Obedientia. Sanch. *loc. citt. num.* 38. & apud ipſum *citt.*

Dub. 4. quis Superior licentiam dare poſſit ad tranſeundum ex una ad aliam Religionem? Reſp. diſtinguendo, an Religioſus tranſire velit ad ſtrictiorem, vel ad æquè ſtrictam, an verò ad laxiorem.

Si primum, ex cauſa licentiam dare, ſecluſus ſpecialibus Ordinum Statutis, poteſt etiam Superior, ſeu Prælatus Religioſi tranſitum parantis immediatus: neque opus eſt, ut de hoc interrogetur Epiſcopus, vel Conventus: quia conſenſus iſtorum nullo Jure requiritur. Sine cauſa autem licentiam dare ſolus Pontifex poteſt, ut Sanch. *lib.* 6. *moral. cap.* 7. *numer.* 63. notat, & rationem dat, quia etſi per talem tranſitum Votum mutetur in majus bonum, eſt tamen jus acquiſitum priori Religioni, quod ipſi ſine cauſa juſta tolli non poteſt. Caſu autem, quo Pontifex dat licentiam, cauſa reſpectu ipſius ſufficiens eſt ipſa major auſteritas Ordinis, ad quem fit tranſitus. Sanch. *numer.* 64.

237 *Si Secundum*, & tranſitus paretur ad Religionem æquè ſtrictam, licentiam ad hoc dare poteſt Epiſcopus, ſi Ordo, vel Monaſterium, à quo paratur tranſitus, non ſit exemptum; ſi verò exemptum ſit, & alteri mediato Prælato, Provinciali, vel Generali ſubſit, licentia dari ab alterutro ſaltem iſtorum debet: quod ut rite fiat, tria ſunt advertenda. 1. ut fiat illud ex juſta cauſa, ex. gr. propter infirmitatem, inimicitias &c. nam ſine juſta cauſa ne Pontifex quidem licentiam dare ad tranſeundum poteſt, ut cum aliis notat Pirh. *hìc numer.* 165. & rationem dat; quia ſine juſta cauſa non poteſt auferri jus acquiſitum priori Religioni. 2. ut quando Epiſcopus hujuſmodi licentiam dat Religioſo ſibi ſubjecto, accedat conſenſus Abbatis, ſeu Prælati ejuſdem Regularis *argum. capit. non eſt* 7. *h. titul.* ibi, *Sine licentia Abbatum ſuorum*. 3. ut conſenſum præſtet etiam Conventus, ſeu Capitulum: eſtque hic neceſſarius regulariter etiam reſpectu Exemptorum, ut notat Sanch. *num.* 66. quia hoc caſu fit quædam alienatio perſonæ: unde cùm authoritatem Juris pro ſe non habeat, ſic ut pro ſe habeat tranſitus ad ſtrictiorem Regulam, conſenſu Conventus, ſeu Capituli indigebit, ut aliæ alienationes rerum graviorum.

238 *Si tertium*, & agatur de tranſitu faciendo ex Religione ſtrictiore ad laxiorem cum requiſitis modò relatis licentia datur non ſolùm à Papa, ſed probabilius etiam ab alio Superiore Papa inferiore, exempli gratia Ordinis Provinciali; vel ſaltem Generali, ſi Ordo exemptus ſit; vel ſi exemptus non ſit, ab Epiſcopo poſt ſufficientem cauſæ cognitionem poteſt: eſtque id verum, etſi Papa facile adiri poſſit, ut aliis *cittat.* advertit Sanch. *cap.* 7. *citat. numer.* 68. ex communi DD. dicentium eo caſu de conſilio ſolùm eſſe, ut Pontifex adeatur. *Neque obſtat* Trident. *ſeſſion.* 25. *capitul.* 19. *de Regular.* ubi in fine dicitur, quòd *nemo Regularis*, *cujuſcunque facultatis vigore*, *transferri poſſit ad Religionem laxiorem;* nam dicendum, eo Decreto ſolùm prohiberi, ne hujuſmodi licentiæ concedantur abſque juſta cauſa; & prætermiſſa cauſæ cognitione, ut olim interdum fiebat, quibuſdam Prælatis id ſuo arbitratu concedentibus. Inſpicienda autem quoad hæc omnia ſunt privilegia Ordinum ſingulorum, ut benè notat Schambog. *hìc numer.* 61.

Dub. 5. quænam Jure Canonico interdicta ſint Religioſis, etiam licitè tranſeuntibus ad alias Religiones? Reſp. de tranſeuntibus à Religione aliqua Mendicantium ad aliam non mendicantem *Clem.* 1. *h. tit.* tria ſunt conſtituta.

1 Redduntur inhabiles ad Propriatus, adminiſtrationes, & officia quæcunque, etiam tanquam Vicarii, & locum aliorum tenentes, ut conſtat ex *Clem. cit.* idque meritò, ne facilè quis ex ambitione, primæva Vocatione deſerta, ad aliam Religionem tranſitum meditetur. *Proceditque hoc*, non tantùm de Officiis intra Religionem, ſed etiam extra illam, ſi hujuſmodi Officia per Religioſos non mendicantes exerceri ſunt ſolita; nam textus eſt generalis, & indiſtinctè prohibet quæcunque Officia.

2 Exercere non poſſunt Curam animarum per ſe, vel per alios, aut promoveri ad Beneficia Sæcularia quæcunque, ut iterum habetur *Clement. citat.* & confirmat Trident. *ſeſſ.* 14. *capit.* 11. *de reformat.* ubi ſtatuitur, ut ſic translati in clauſtro Ordinis, ad quem translati ſunt, ſub Obedientia Superioris ſui perpetuò maneant, & quamvis fuerint Canonici Regulares, ad Beneficia Sæcularia, etiam curata, omnino incapaces exiſtant. *Proceditque hoc*, quamvis ad ſtrictiorem Ordinem ſint translati; quia textus generaliter loquitur de translatis vigore etiam cujuſcunque facultatis.

3 Vocem nullam, & locum in Capitulo habent: quod intelligendum, quando Capitulum congregatum eſt ad Electiones, vel alios Tractatus habendos; nam quando Capitulum congregatum duntaxat eſt ad correctionem, & diſciplinam Regularem, etiam ipſi locum in eo habent, cùm æquum non ſit à tali Capitulo, quod in bonum Religionis, & Religioſorum ordinatur, Religioſum excludere. Sanch. *num.* 123. Similiter ita Translati etiam non privantur loco ſibi debito in Choro, & aliis Conventibus extra Capitulum; quia hæc Conſtitutio Clementina pœnalis eſt, conſeq. de loco in locum extendi non debet. Ob eandem rationem extendi non debent hactenus dicta ad eos, qui tranſeunt à Religione non mendicantium ad mendicantem, vel ab una mendicante ad aliam mendicantem. Plura de his vide apud Sanch. *libr.* 6. *mor. cap. à num.* 128.

Dub. 6. ad quod Monaſterium, ſeu Religionem pertineant bona Religioſi licitè tranſeuntis ab una Religione ad aliam diverſam? Reſp. diſtinguendo inter bona, quæ ante tranſitum Religioſo tali delata ſunt, & inter ea, quæ eidem deferuntur poſt tranſitum *Bona prioris generis* manent penes Monaſterium, vel Religionem, à qua tranſit; nam huic per Profeſſionem in eadem editam quæſita ſunt abſolutè, & ſine tranſitus futuri conditione *can. quia ingredientibus* 7. *cauſ.* 19. *quæſt.* 3. & *Auth. ingreſſi Cod. de SS. Eccleſ. Bona generis poſterioris*, ſi hæc obveniant eidem poſt Profeſſionem editam in Religione, ad quam tranſiit, ſpectant ad Monaſterium, ad quod tranſiit, ſi ſit bonorum capax; aliàs debentur Hæredibus, qui ab inteſtato veniunt, ut facilè concedunt omnes, & ratio probat, quia per Profeſſionem ejuſmodi Religioſus abſolvitur à priore, & ſubditur poſteriori Monaſterio, ad quod tranſit.

Difficultas eſt, ad quem pertineant bona, quæ hujuſmodi Religioſo tranſeunti deferuntur, dum adhuc eſt in Novitiatu Religionis, ad quam tranſiit? Sanchez *lib.* 7. *moral. cap.* 32. *numer.* 9. cum aliis putat ea acquiri Monaſterio priori: ex ratione, quia talis Novitius adhuc eſt, & manet uſque ad Profeſſionem Profeſſus Monaſteri prioris; bona autem, quæ deferuntur Religioſo, obveniunt Monaſterio, cujus eſt Profeſſus, ergo &c.

Sed verius ea bona, quæ Novitiatus tempore delata ſunt

sunt tali Religioso, secuta Professione, acquiruntur Monasterio Religionis posterioris. Ita Zabarell. *in Clem.* 1. §. *quia verò h. tit. quæst.* 12. *num.* 14. Donat. *tom.* 1. *p.* 2. *tract.* 5. *quæst.* 54. *numer.* 4. Vviest. *hîc num.* 140. Ratio est 1. quia in tali videtur locum habere tritum illud axioma, *Proxime accingendus pro accincto habetur*, quod sumitur ex *l. filiusfamilias* 43. *ff. de Testam. milit.* 2. quia sicuti Sæcularis factus Novitius magis dicitur esse de Religione, quàm de Sæculo, ita & talis ab alia Religione transgressus magis dicitur esse de Monasterio, ad quod transiit, quam de illo, à quo transiit. 3. quia qui sentit incommodum, etiam debet sentire commodum; sed secunda Religio nutrit, & alit translatum: ergo etiam ipsi debentur acquisita per illum in tali Statu.

Neque urget Argumentum oppositum: dicendum, quòd ita translatus sit quidem de Religione prioris Conventus, à quo transiit, spectata Professione, non verò quoad alia; nam quoad hæc potiùs est de Religione, ad quam transiit, cujus Habitum portat, & sub cujus Regula vivit. Imò, ut *loc. cit. num.* 8. notat Donatus, dici potest, quòd prius Monasterium, ex quo tempore illum licentiavit, cesserit omni futuro Juri quærendo propter ejusmodi Professum à se dimissum.

244 Dub. 7. an casu, quo Monasterii Abbas ipsemet ad strictioris observantiæ Religionem transit, procedi statim valeat ad electionem Successoris in Prælatura. Resp. negativè. Ita Donat. *tom.* 1. *prax. Reg. p.* 2. *tract.* 5. *quæst.* 55. *numer.* 1. Vviest. *hîc numer.* 132. *& seqq.* atque alii ab his *citt.* Ratio est, quia ad Successoris electionem procedi nequit, antequam Abbatia vacet *cap. nulla* 2. *& seqq. de concess. Præb.* atqui ista non vacat ante editam Professionem in Religione, ad quam transiit; quia si è Novitiatu egrederetur, ad Religionem priorem, & ipsam Abbatiam, juraque pristina redire posset, ut rectè *loc. cit.* notat Donatus. *Conf.* quia dimissio Juris, quod quis habet, si facta sit ex causa, causa non secuta, firmitatem non obtinet, ut clarum est apud omnes. atqui Prælatus non dimisit Prælaturam absolutè, sed tantùm ex causa, seu sub conditione, si in Religione, ad quam transit, emittat Professionem; ergo &c. *Ex quo sequitur*, hujusmodi Jura, quæ ad aliam Religionem transiens in priore Religione habuit, durante Novitiatu tantùm quiescere, & suspendi, non verò perdi, nisi post emissam Professionem.

245 Quæritur 2. an is, qui Religionem, à Sede Apostolica approbatam, professus est, possit ob culpam ex ea ejici? Negant Abb. *in cap.* 6. *de Stat. Monach. numer.* 13. *in fin.* Host. *in Rubr. de Apostat. numer.* 4. Angel. *V. Abbas numer.* 8. & alii quidam, juxta quos Religiosus, quantumcunque graviter delinquens, non ejici è Monasterio, sed aliter puniri, & si contumax, & incorrigibilis sit, recludi in carcere debet. *Fundantur* 1. textu *can. impudicas* 11. *cap. siquis sacro* 17. *&c. caus.* 27. *quæst.* 1. ubi impudicæ Moniales jubentur non expelli, sed à cæterarum consortio separari; & ad ergastulum Monasterii detrudi 2. *cap. fin. hoc tit.* ubi Religionum Prælati jubentur fugitivos, & ejectos suos ad Monasteria revocare, & si salva disciplina Regulari ad Fratrum consortium admitti nequeant, in separatis Monasteriorum locis arcta custodia detinere, vel ad alia Monasteria ejusdem Ordinis transferre. 3. *Ratione;* quia per Professionem celebratur quidam quasi Contractus, vi cujus & Religiosus se obstringit ad perpetuò manendum in Religione, & Religio ad eum perpetuò retinendum.

246 Sed verior, & cæterorum ferè omnium assensu celebrata sententia est, quæ cum S. Thom. *quodl.* 12. *art. ult.* docet, professum, casu, quo ob contumaciam incorrigibilis, & Religioni intolerabilis apparet, etiam invitum ex Religione expelli posse. Sumitur apertè ex *cap. cùm in Ecclesiis* 10. *de Major. & Obed. cap. cùm ad Monasterium, & cap. fin. de Stat. Monach. can. relatum* 7. *de Cler. vel Monach.* quibus, aliisque textibus jubentur Religiosi contumaces, & incorrigibiles de consortio Fratrum expelli, & non recipi, nisi pœnitentes resipuerint. Accedit notissima Religionum praxis, & ipsæ etiam Regulæ, quibus ejectio Religiosi incorrigibilis expresè permittitur, ut patet ex *Regula S. Basilii* 28. *S. Augustini* 20. *S. Benedicti* 28. *S. Francisci* 13. *& Const. Societ. JESU p.* 2. *cap.* 1. §. 1. *Ratio est*, quia talis Religiosus est instar putridæ carnis, & ovis scabiosæ. atqui putridæ carnes sunt resecandæ, ne sanas corrumpant, scabiosa ovis à caulis repellenda, ne cæteras interficiat, *cap. resecandæ* 16. *caus.* 24. *quæst.* 3. ergo &c.

Dixi, *Casu, quo incorrigibilis, & Religioni intolerabilis apparet;* non enim sufficit qualecunque delictum etiam grave, semel duntaxat perpetratum, nisi Religionum statuta, privilegia, aut ratio illud suadeat, sed requiritur incorrigibilitas, eaque notoria, qualem contrahet Religiosus, quando in eodem crimine, vel similibus æquè gravibus, aut gravioribus sine emendatione perstiterit, & ter monitus se non correxerit, ut cum aliis monet Sanch. *lib.* 6. *moral. cap.* 9. *dum* 4. Imò hodie ad ejectionis effectum incorrigibilis Religiosus non reputatur, nisi ultra ea, quæ ex Juris communis dispositione requiruntur, delinquens unius anni spatio in jejunio, & pœnitentia probetur in carceribus, & elapso anno nihilominus non resipuerit, prout habetur *in Decret. de regular. Apostat. & Elect. à Sacr. Congr. Cardd. jussu Urbani VIII. edito* apud Barbos. *in cap. fin. cit. num.* 23. 247

Neque obstant Argumenta adversæ sententiæ. *Ad* 1. in Monialibus diversa est ratio; nam in his ob fragilitatem sexus est majus periculum scandali, ut propterea Sanch. *loc. cit. num.* 6. putet, ejectionem illarum, inconsulto Romano Pontifice, & ejus Legato non decernendam. *Ad* 2. Constitutio illa defacto non ampliùs observatur: ubi verò observatur, intelligi debet, vel de ejectis injustè, ut vult Navar. *Comment.* 2. *de regular. numer.* 36. vel ut Pal. *tract.* 16. *D.* 4. *p.* 19. *numer.* 2. monet, de ejectis ad tempus duntaxat. *Ad* 3. Religiosus incorrigibilis fidem Contractus prior violavit; & hinc nec Religio servare eundem tenebitur. 248

Dub. 1. an Religiosus professus, ejectus in perpetuum ex Religione, liberetur ab obligationibus professione contractis? Resp. à Votis Substantialibus Religionis non liberatur, liberatur tamen à cæteris observantiis regulæ, ut sunt jejunia, & abstinentia à carnibus, Vigiliæ Ordinis, obligatio ad Horas Canonicas &c. nisi ratione Ordinis Sacri, vel Beneficii Ecclesiastici ad istas teneatur.

Pars prima patet; quia ita ejectus non desinit esse Religiosus, cujus indicium manifestum est, quòd is, quando ad Religionem, unde ejectus est, revertitur, absque nova professione restituatur in statum pristinum, quod non fieret, si cessasset esse Religiosus. atqui Religiosus manere non potest, nisi pariter ligatus maneat votis substantialibus Religionis. ergo &c. 249

Pars 2. ex eo constat; quia observantiæ illæ non comitantur statum Religiosum inseparabiliter, ut patet in religioso assumpto in Episcopum; sed regularem solummodo, seu eos, qui vivunt sub regula. atqui ab eo statu ejectus is est. ergo quamdiu in statu ejectionis manet, ad observantias istas non obligabitur.

Ex quo sequitur 1. ita ejectum rerum, quas post ejectionem donatione, Legato, industria &c. acquisivit, usum duntaxat, & administrationem habere, non verò dominium obstante Voto paupertatis. 250

2 Eundem incapacem esse ad Matrimonium contrahendum; quia Voto Castitatis solemni ligatus manet.

3 Illum præter subjectionem, quam, ut aliæ personæ Ecclesiasticæ, erga Episcopum habet, Voto Obedientiæ subjectum esse, & manere non tantùm Summo Pontifici, tanquam supremo, & generali omnium religiosarum Familiarum Prælato, sed etiam ipsi Superiori suo regulari; quia ab hoc revocari potest, & si revocetur, eidem parere debet, ut dicetur *numer.* 253.

4 Sic ejectum in perpetuum, si Habitu Religioso per sententiam spoliatus sit, non teneri ampliùs illum deferre; secus, si spoliatus illo non sit: tunc enim deferre illum debet; quia etiam deferre illum Episcopus regularis debet, etsi ad observantias Regulæ cæteras non adstringatur. 251

5 Denique eundem etiam non teneri ab observandum quartum Votum annexum professioni, ut in religione Minimorum S. Francisci de Paula est Votum solemne vescendi tantùm cibis Quadragesimalibus, in Religione B. Mariæ de Mercede votum redimendi Captivos &c. *Ratio est*, quia talia vota emittuntur, ut accessoriè annexa vitæ Monasticæ. igitur cùm ab ista liberentur, etiam liberabuntur ab obligationibus talium votorum, cùm accessorium sequi principale debeat. Vide Sanch. *lib.* 6. *moral. cap.* 9. *num.* 51. Pal. *tr.* 16. *D.* 14. *p.* 21. *num.* 1. Laym. *l.* 4. *tract.* 5. *cap.* 13. *n.* 2. Pirh. *hic num.* 196. *& seqq.*

Dub. 2. an Religiosus, ob crimen ejectus per sententiam in perpetuum, teneatur ad Religionem? Negat Navarr. *cons.* 51. redire *de regular. & cons.* 3. *de Stat. Monach.* item *Comment.* 2. *de regular. num.* 36. cujus sententiam non obscure approbat Azor. *p.* 1. *l.* 12. *cap.* 16. 252

quæst. 6. & suadere istud videtur Argumentum duplex. 1. quia Religiosus æquiparatur servo. Servus autem ejectus à Domino desinit esse sub potestate Domini. 2. quivis conformare se potest justæ sententiæ Judicis. ergo si per sententiam justam professus ejectus est à Religione, extra illam manere potest.

253 Sed dicendum, ejusmodi professum ejectum teneri in conscientia, ut se corrigat, & correctus petat iterum recipi in Ordinem, ac Monasterium suum. Ita Suar. *tom.* 4. *de relig. l.* 3. *cap.* 5. *num.* 6. Sanch. *l.* 6. *mor. cap.* 9. *num.* 25. Less. *l.* 2. *de Just. cap.* 41. *num.* 111. Laym. *l.* 4. *tract.* 5. *cap.* 13. *num.* 6. Pal. *tract.* 16. *D.* 4. *p.* 21. *n.* 1. Pirh. *hic n.* 101. Schambog. *num.* 74. Imò Religio ejusmodi ejectum cogere Censuris, & aliis Ecclesiasticis pœnis potest ad redeundum, ut patet ex *cap. fin. h. t. in fin.* & probat ratio; quia cùm adhuc maneat ligatus Votis Religiosis, adhuc Jurisdictioni sui Prælati subjacet; aliàs quod in favorem Monasterii introductum est, detorqueretur in detrimentum ejusdem contra *reg.* 16. *in* 6. *Conf.* nam Matrimonium Spirituale, quod contrahitur per professionem Religiosam, æquiparatur carnali. atqui si conjux innocens repetat conjugem, cum quo ob causam adulterii fecit divortium, hic redire ad eundem debet. ergo etiam professus ad Religionem, si hæc illum repetat.

254 Neque obstant Argumenta adversæ Sententiæ. *Ad* 1. negatur paritas; nam Dominus Servum suum liberè potest manumittere, ideoque ejectus ab illo absolutè fit liber. Professus autem à professione regulari, & votorum obligatione per ejectionem non absolvitur. *Ad* 2. sententia ejectionis sicut à Votis ejectum non absolvit, ita neque liberat ab obligatione se corrigendi, & petendi denuo receptionem, quippe quæ accessoria videtur esse obligationi votorum, utpote quæ convenienter professioni suæ extra claustra Monasterii servare non potest.

255 Dub. 3. an Religio Religiosum justè ejectum, si postea resipiscat, plenèque emendatus sit, teneatur recipere? *Ratio dubitandi est* 1. quia interdum Ordo prohibet tales recipi, prout in Regula S. Benedicti 29. prohibetur, ne ii, qui ter fugitivi facti sunt, denuo recipiantur. 2. quia ejectus ob grave, & atrox crimen fit infamis. atqui infamem recipere religio jure nequit ex *Constit. Sixti V.* incipit *Cùm de omnibus edita* 6. *Calend. Dec.* 1587. 3. quia Matrimonium spirituale æquiparatur carnali, atqui in Matrimonio carnali conjux conjugem, ex causa adulterii à se dimissum, etiam pœnitentem, & emendatum, ad thori consortium non tenetur recipere. ergo &c.

256 Sed his non obstantibus dicendum, professum, etsi à Religione legitimè ejectus sit, si tamen plenè sit emendatus, & recipi petat, ab illa denuo admittendum, nisi ista justas causas eum non admittendi habeat, quia v. g. ex ejus admissione timetur grave scandalum &c. Ita Molin. *tract.* 2. *de J. & J. D.* 140. *num.* 36. Less. *l.* 2. *de just. cap.* 41. *num.* 112. Sanch. *l.* 6. *mor. cap.* 9. *num.* 32. Barbos. *in cap. fin. h. tit. num.* 8. Laur. de Franch. *Contr. int. Episc. & regul. p.* 1. *num.* 1017. & alii ab his *citt. Ratio est*, quia Religio, & Religiosus illam professus pari Jure censentur *cap. ad Apostolicam* 16. *hoc tit.* igitur sicut Religiosus, si repetatur à Religione, ad eam reverti debet, ita, si plenè emendatus petat, ab eadem recipiendus est.

257 Neque opus est, ut tunc novam Professionem edat, ut *suprà citt.* notant: & ratio est; quia, ut *num.* 249. dictum est, à priore nondum solutus est. Imò, ut Pirh. *hic num.* 203. Vviest. *num.* 158. aliis *citt.* notant, ita rediens restituendus est loco, & dignitati pristinæ, nisi aliud quid gravitas delicti exigat; quia hæc Jura sunt consequentia ad professionem. ergo sicut ista per ejectionem non extinguitur, ita nec illa.

258 Neque obstant Argumenta contraria. *Ad* 1. jam addita est responsioni clausula, *Nisi justas causas eum non admittendi habeat*. *Ad* 2. præteritæ vitæ infamia satis aboletur per emendationem vitæ, & restitutionem in pristinum gradum. *Ad* 3. negatur paritas; quia dedecus, ex adulterio ortum, manet, etiam emendato delicto.

259 Dub. 4. utrum professus, ejectus ex sua Religione, liberè possit aliam ingredi? Ratio dubitandi sumitur ex privilegio quod Societati JESU concessit Gregorius XIII. *Constit.* incipit *Cùm alias edita* 22. *Sept.* 1582. & cum aliis Ordinibus incommunicabile esse voluit, vi cujus professus, ex ea ejectus, ex licentia Præpositi Generalis ingredi aliam Religionem potest, atqui hujus privilegii usus non foret, si etiam professi cæterorum Ordinum regularium, ex sua religione ejecti, liberè ingredi religionem aliam possent. ergo &c.

Sed respondendum est distinguendo: Vel enim ejecto, si emendetur, spes reditus ad propriam religionem relicta est, vel hæc ex justa causa eidem est omnino præcisa. *Si primum*, sine licentia ad aliam religionem transire non potest, sed emendare se debet, & se denuo religioni suæ offerre. Armilla *V. religio n.* 15. Sanch. *l.* 6. *mor. cap.* 9. *n.* 36. Vviest. *hic num.* 160. *Ratio est*, quia talis ejectus religioni suæ obligatus manet non secus, ac cæteri, qui in Monasterio vivunt. atqui cæteri opus habent licentia, si velint transire ad Ordinem laxiorem, vel saltem petere illam debent, si transire cogitent ad strictiorem. ergo &c. 260

Si secundum liberè, & nulla petita licentia, imò invito Superiore Religionis, à qua ejectus est, transire potest ad Religionem quamcunque, non tamen per se loquendo tenetur, sed potest manere in sæculo. *Quòd in Sæculo manere possit*, & aliam Religionem intrare non teneatur, docent Azor. *p.* 1. *l.* 12. *cap.* 16. *quæst.* 7. Sanch. *cap.* 9. *cit. num.* 34. Less. *l.* 2. *de just. cap.* 41. *num.* 111. Laym. *l.* 4. *tract.* 5. *cap.* 13. *num.* 8. cum communi, & probat ratio, quia aliam non vovit, sed illam, à qua ejectus est. *Quod vero si velit, transire possit ad Religionem quamcunque*, iterum cum communi advertunt Sanch. *l. cit. num.* 36. Laym. *num.* 8. *cit.* Pirh. *numer.* 205. Vviest. *num.* 161. & constat à pari cum Matrimonio carnali, in quo si conjux innocens reconciliati conjugi ob fornicationem dimisso, & emendato nolit, etiam ipse mutare statum, & ingredi Religionem potest, ut rectè advertit Sanch. *l.* 10. *de Matrim. D.* 10. *num.* 10. 261

Addidi *per se loquendo*; excipitur enim, si ea conditione ejectus sit, ut aliam Religionem ingrediatur, vel si in sæculo versari nequeat sine animæ suæ periculo, aut scandalo aliorum; tunc enim compelli poterit, ut ingrediatur Religionem aliam, quippe quæ obligatio tunc descendit ex Jure naturali. 262

Ad Argumentum contrarium dico, privilegium illud Societati datum adhuc habere usum; quia Generalis Societatis vi illius à se ejecto dare potest licentiam transeundi ad quemcunque Ordinem, etiam laxiorem, quod non possunt Generales cæterorum Ordinum se solis, sed tantùm cum consensu Capituli.

Dub. 5. cui acquirantur bona comparata ab Ejecto? *Ratio dubitandi est*, quia non apparet, cui acquiratur illorum dominium: *non enim acquiritur Ejectio:* quia hic ob Votum paupertatis solemne, quo adhuc ligatur, ejusdem acquirendi est incapax: *non Episcopo loci suæ commorationis:* quia huic Religiosi ejecti non aliter subjiciuntur quàm alii Clerici: *non Romano Pontifici*; quia, quòd huic acquiratur bonorum istorum dominium, nullo Juris textu statutum est: *non denique Monasterio suæ Professionis*; quia sic ejectus comparatur servo derelicto à Domino, & infanti exposito à parente, qui Domino, aut parenti non lucrantur *cap. un. de infant. & languid. exposit. & l. quod servus* 36. *ff. de stipulat. servor.* 263

Sed dicendum, spectato Jure communi Decretalium, veriùs dominium bonorum, à sic ejecto acquisitorum, acquiri Monasterio, & Religioni, à qua ejectus est, si dominii talis Religio capax sit. Ita Suar. *l.* 3. *cap.* 6. *num.* 19. Molin. *tract.* 2. *de J. & J. D.* 140. *num.* 33. & 36. Less. *l.* 2. *de just. cap.* 41. *num.* 112. Pirh. *hic num.* 196. Vviest. *num.* 168. & 169. *Proceditque hoc*, sive in perpetuum, sive ad tempus duntaxat, sive injustè ejectus sit; nam quocumque modo ejectus sit, manet sub potestate Ordinis, unde ejectus est, qui per hoc, quòd eundem à se ejecerit, non censetur abdicasse se jure ad bona ab eo acquirenda. 264

Addidi, *spectato Jure communi Decretalium*; quia ex *Motu proprio Gregorii XIII.* incipit *Officii nostri edito* 21. *Jun.* 1577. bona, quæ Regularibus ejectis, & Apostatis successione, Legato, donatione, industria, aliòve quovis modo acquisita sunt, si isti extra Monasterium decedant, ad Cameram Apostolicam devolvuntur, ut neque Monasterio, neque alteri pio loco, vel causæ valeant adjudicari, ut aliis citt. advertit P. Vviest. *num.* 169. *cit.* 265

Ad Rationem dubitandi negatur paritas; quia Servus expulsus à domino plenam libertatem consequitur, & infans expositus à patria potestate liberatur; cons. uterque sibi acquirit.

Quæritur 3. quinam sint, & dicantur Religiosi fugitivi, & Apostatæ? Resp. quamvis hæc duo idem videantur significare, diversum tamen aliquid sonant; nam *Fugitivus* propriè dicitur ille, qui ab Ordine, vel Monasterio suo sine licentia Superiorum recedit ad tempus animo vagandi, aut extra Obedientiam vivendi, cum animo tamen redeundi ad Religionem. *Apostata* autem appel- 266

appellatur ille, qui ab Ordine recedit animo jugum religionis omnino excutiendi, & Institutum perpetuò deserendi. Ita Sylv. *V. Apostasia num. 9. in fin.* Azor. *p. 1. l. 22. c. 16. qu. 1.* Sanch. *l. 6. mor. c. 8. n. 2.* Less. *l. 2. cap. 41. n. 109.* Pal. *tr. 16. D. 4. p. 16. n. 2.* & alii ab his *citt.*

Differunt inter se Fugitivus, & Apostata: quia ille animum redeundi habet, non iste; animus enim non redeundi Apostatam à simpliciter Fugitivo discernit, & quidem solus, ut notat Sanch. *cap. 8. cit. n. 5.* Pirh. *hic num. 187.* Vviest. *num. 145.*

267 *Ex quo sequitur* 1. esse verum Apostatam, qui cum tali animo recedit à Religione, etiam retento Habitu, ut aliis *citt.* advertit Sanch. *l. cit.* & rationem dat; quia sicut Habitus non facit Monachum, sed Regularis vitæ Professio, ita Apostatam reddit recessus à Professione Monastica, etiamsi Habitus non deponatur.

Sequitur 2. è contrario non esse Apostatam, sed Fugitivum, qui deposito Habitu, ad tempus recedit à Religione animo ad illam redeundi. Sanch. Pirh. Vviest. *loc. citt.*

Sequitur 3. similiter non esse Apostatam propriè, qui Habitum Religionis suæ cooperit alia veste superinducta, ut exteriùs non appareat, ut contra Gloss. & alios à se *citt.* advertit iterum Sanch. *num. 5.* & à Rota decisum apud eundem testatur Mandos. *in Bignat. gratiæ V. Licentiæ, vers. qui licentia non obtenta.*

268 Dub. 1. qualis sit ille, qui discessit ab Ordine animo quidem redeundi, sed primùm post duos, vel tres annos, vel indeterminatè, donec aliquod diuturnum negotium confecerit Suar. *tom. 4. de Relig. tract. 8. l. 3. c. 1. n. 21.* & *c. 4. n. 14.* Tambur. *tom. 3. de Jur. Abbat. D. 8. quæst. 1. num. 13.* & alii ab hoc *citt.* putant esse verè Apostatam: quod probant à paritate; quia Christianus, qui recedit à Fide, etiamsi habeat animum redeundi ad illam, est verus Apostata à Fide, & Clericus in Sacris; qui dimisso Habitu sæculariter vivit, est verus Apostata ab Ordine, si hic, & ille tanto tempore perseveret in hoc suo delicto, ut meritò censeri possit; quòd stabiliter velit sic vivere. hoc ipsum præsumi potest de Religioso in casu præsentis Dubii. ergo &c.

269 Tribuendum huic Argumento est aliquid, non tamen totum, & dicendum, talem Religiosum in foro externo quidem habendum pro vero Apostata, in foro interno tamen fugitivum duntaxat esse. Ita Pal. *tract. 16. D. 4. p. 16. n. 4.* Vvex. *Ariadn. p. 5. tract. 3. cap. 5. §. 3. n. 19. Primum responsionis membrum* rectè probat Argumentum ab adversa parte allatum, & confert §. *pavonum 15. vers. in iis autem Inst. de rer. divis. l. disertorem 3. §. emansor 2. ff. de re militar. Alterum* ex eo constat; quia revera non habuir animum excutiendi jugum Religionis, qui solus ferè Apostatam constituit, ut *num. 266.* dictum est, & *l. cit.* frequentissimam sententiam esse docet Palao: & hinc, si de retento redeundi animo sufficienter constaret in foro externo, etiam in hoc ut verus Apostata puniri non posset, ut notat P. Vvex. *loc. cit.*

Ad Argumentum contrarium negatur paritas: nam Apostasiam à Fide, & Ordine Clericali constituere potest recessus à Fide, & Habitu Clericali factus brevissimo tempore; non autem Apostasiam à Religione, ut ipsimet fatentur Adversarii.

270 Dub. 2. an Jure communi contra Religiosos fugitivos sit aliqua pœna imposita? Affirmant nonnulli DD. decepti textu *cap. ut periculosa 2. ne Cleric. vel Monach. in 6. Extrav. viam 1. inter comm. hoc tit. & Const. Pauli IV.* incipit *postquam Divina edita 13. Calend. Aug.* 1558.

Sed meliùs tenetur negativa, quam etiam defendunt Navarr. *comment. 2. de regular. num. 61.* Suar. *tom. 4. de relig. l. 3. cap. 1. num. 10.* Pal. *tract. 16. D. 4. p. 16. num. 8.* Vvex. *p. 5. tract. 3. cap. 5. §. 3. num. 24.* Vviest. *hic num. 148.* qui proinde notant, quoad hos considerandas esse Religionum consuetudines, & Statuta. *Ratio est*, quia Jure communi pœnæ nullæ statutæ sunt, nisi in Apostatas. atqui fugitivi verè Apostatæ non sunt, ut patet ex dictis *à num. 266.* ergo &c.

271 Neque contrarium ostenditur ex textibus allegatis. *Ad* 1. textus *cap. ut periculosæ cit.* non loquitur de Fugitivis, sed de illis, qui in Scholis dimittunt Religionis suæ Habitum, vel ad illas accedunt sine licentia, aut consilio Superioris. *Ad* 2. Extravagans illa pœnam Excommunicationis statuit solùm contra Religiosos Mendicantes, qui ad alium non mendicantium, præterquam Carthusianorum, Ordinem, absque licentia speciali transeunt, vel etiam sub prætextu quocunque licentiæ, dimisso, aut recepto Habitu, vagantur extra Ordinem. *Ad* 3. pœnæ illæ in *Const. Paulina cit.* latæ afficiunt tantùm Apostatas, ut patet ex textu, ubi sæpius vox *Apostasia* repetitur, & confirmatur ex *Constit. Pii IV.* incipit *Sedes Apostolica edita 3. Non. Sept.* 1560. & *cit. Constitutionis* declaratoria est.

272 Dub. 3. an Prælati Religiosos Fugitivos, & Apostatas capere, & incarcerare valeant, si eosdem extra Territorium suum deprehendant? *Ratio dubitandi est*, quia ejusmodi apprehensio Religiosi fugitivi videtur fieri non posse sine violatione Territorii, & Jurisdictionis alienæ *arg. l. Præses 3. ff. de offic. Præsid.* ubi Magistratus extra Provinciam, & Territorium pro privato habetur. *Conf.* quia id variis Religionibus, & nominatim Societati JESU concessum est speciali privilegio. igitur Jure communi istud non poterant, nec aliæ Religiones, quæ simili privilegio non sunt instructæ, possunt.

273 Sed dicendum posse Prælatos omnes cujuscumque Religionis, imò debere hujusmodi Fugitivos, & Apostatas compellere ad redeundum, ne vagandi occasionem habentes, propriæ salutis detrimentum incurrant, ut dicitur *cap. fin. hoc tit.* & cum communi docet Navarr. *Comment. 3. de regular. num. 50.* Sylv. *V. Apostasia quæst. 6.* Mirand. *Man. Prælat. tom. 1. quæst. 51. art. 3.* Laym. *l. 4. tract. 5. cap. 13. num. 7.* Pal. *tract. 16. D. 4. p. 16. num. 14.* Pirh. *hic num. 189. & 190.* Vviest. *num. 149. Ratio est*, quia Religiosus ratione Voti Obedientiæ personaliter obligatus est Prælato suo Regulari, & habet se ut Servus. atqui Servum fugitivum Dominus, ubicunque illum invenerit, capere, & reducere potest *l. requirendi 2.* & *l. seq. C. de Serv. fugitiv.*

Ad rationem dubitandi dico, non esse periculum, ne violetur Territorium alienum; quia hujusmodi captura non fit per modum Jurisdictionis, sed per modum dominii, seu vindicationis, & necessariæ defensionis.

274 Dub. 4. ad quem pertineat dominium rerum, quas Religiosus Apostata, aut fugitivus reliquit? Resp. cum distinctione: Vel enim Religiosus hujusmodi Fugitivus mutavit Statum, vel non mutavit. *Si hoc secundum*, ex *Motu proprio Gregorii XIII.* ab ipso relicta cedunt Cameræ Apostolicæ; de Jure communi autem Monasterio, è quo discessit, ut *numer. 264.* dictum est de Ejectis.

Si primum, altera distinctio est adhibenda, videlicet, an transierit ad Ecclesiam aliquam sæcularem, an verò aliam Religionem ingressus sit. *Si ad Ecclesiam Sæcularem transiit*, ea, quæ intuitu hujus Ecclesiæ accepit, hujus dominio cedunt; quæ verò comparata sunt intuitu personæ ejusdem, pertinent ad Monasterium.

275 *Si autem ingressus est Religionem aliam*, opus est distinctione tertia, an legitimè hoc factum sit, an illegitimè. *Si legitimè*, ea, quæ post ingressum acquirit, huic acquirit, cùm etiam teneatur eundem alere. *Si illegitimè*, cùm per ejusmodi transitum privari Monasterium, è quo discessit, Jure suo nequeat, omnia huic obvenient, nisi intuitu Monasterii ad quod transit, delata sint fugitivo. Videatur Azor. *p. 1. l. 12. cap. 16. quæst. 8.* Sanch. *l. 7. mor. cap. 33. à num. 2.* Tambur. *tom. 3. de Jur. Abb. D. 8. quæst. 5. num. 1.*

276 Dub. 5. an Monasterium solvere teneatur debita, à Professo suo fugitivo, ejecto, Apostata contracta? *Ratio dubitandi est*, quia, ut ad *Dubium præcedens* respondi, Monasterio acquiritur dominium bonorum, fugæ, Apostasiæ, aut ejectionis tempore ab istis acquisitorum. igitur æquum est, ut illud etiam adstringatur ad solutionem debitorum ab illis contractorum, nam qui sentit commodum, etiam onus sentire debet *reg. 55. in 6.*

Sed respondendum est distinguendo, an Monasterium bona aliqua à Religioso suo fugæ, Apostasiæ, ejectionis tempore quæsita perceperit, vel nihil ex illis. *Si primum*, ratio dubitandi, & æquitas naturalis probat, ejusmodi Monasterium etiam teneri ad debita talis sui Religiosi solvenda, ne cum jactura, & damno alieno locupletari videatur *reg. locupletari 48. in 6.*

277 Si secundum, ad debitorum solutionem veriùs non obligatur, ut cum communi notat Rodriquez *tom. 1. Regul. quæst. 33. art. 1.* Tambur. *quæst. 5. cit. numer. 2.* Vviest. *hic num. 172.* & ratio est, quia ejusmodi fugitivo, ejecto, Apostatæ Monasterium etiam non debet alimenta, quippe quæ Religioso tantùm debita sunt ratione servitii Monasterio præstiti, ur teste P. Vviestner *l. cit. num. 170.* communis DD. haber- igitur multo minùs solvere debebir illorum debita.

Neque obstat ratio dubitandi, quia Monachus in Jure, quod Monasterio jam quæsitum est, eidem obesse non potest, licèt prodesse valeat in acquirendo.

TITULUS XXXII.

De Conversione Conjugatorum.

ACtum hactenus de Regularibus, & transeuntibus ad Religionem generaliter: nunc in specie agendum de iis, qui post Matrimonium transeunt ad Religionem: quod duplici modo fieri potest. 1. post Matrimonium Ratum solummodo. 2. post Matrimonium consummatum. Sit ergo

§. I.

De Religionis Ingressu post Matrimonium ratum.

SUMMARIUM.

1 2 *Intra quod tempus Sponsus, vel Sponsa de præsenti ante consummationem Matrimonii ingredi Religionem possit?*
3 *A quo tempore parti volenti Religionem ingredi currat bimestre per Jus indultum?*
4 *An bimestre hoc competat etiam conjugi Religionis propositum non habenti?*
5 6 7 *An illud solùm detur ad deliberandum de ingressu, an etiam ad profitendum?*
8 9 10 *An ad Religionem adhuc transire liceat, si bimestre transactum, nondum tamen Matrimonium est consummatum.*
11 *An Religionis ingressus permissus sit Sponsæ de præsenti, si à Sponso carnaliter cognita est per vim?*
12 *Rationes dubitandi.*
13 *Deciditur Quæstio.*
14 *Respondetur ad opposita.*
15 16 *Quis sit Effectus transitus in Religionem, & Professionis post Matrimonium ratum emissæ?*
17 *Quando hoc dissolvatur per transitum ad Religionem?*
18 *Requisita, ut effectus hic inducatur.*

1 QUæritur 1. intra quod tempus Sponsus, vel Sponsa de præsenti, ante consummationem Matrimonii ingredi Religionem possit? Resp. à Jure ipsi conceditur bimestre, ita, ut intra illud Matrimonium consummare non teneatur, aut debitum alteri petenti reddere *can. ex publico* 7. *hoc tit.* Potest tamen hoc tempus arbitrio Judicis, vel restringi, vel prorogari, ut monet Gloss. *in can. cit. V. infra duorum* Abb. *ibidem num.* 11. Pirh. *hic num.* 52. *not.* 4. Vviest. *num.* 2.

2 *Neque obstat*, quòd aliàs communis sit Regula, quòd quando terminus certus à Lege præfigitur, Judex, quia inferior Lege est, tempus longius, vel brevius designare nequeat; quia hoc procedit, quando tempus à Lege designatur sine ministerio, seu opera Judicis: secus, si hujus opera mediante, prout fit in casu præsente, ubi *c. cit.* Pontifex mandat Judici, ut ipse parti volenti Religionem ingredi bimestre tempus designet. Sanchez *l.* 2. *de Matrim. D.* 24. *num.* 12. qui tamen notat non debere Judicem, ab eo bimestri facilè discedere, cum Juris terminus sit.

3 Quæritur 2. à quo tempore parti volenti Religionem ingredi currat bimestre hoc tempus? Barbos. *in c.* 7. *cit. num.* 9. Zoes. *hic num.* 20. Vviest. *num.* 2. putant numerandum à die contracti Matrimonii. Verius Gloss. *in c. cit. V. infra duorum*, Fagnan. *ibid. num.* 26. Sanchez *D.* 24. *cit. num.* 21. Pirhing *hic n.* 52. *not.* 4. *docent id* numerandum à die præfixionis termini factæ à Judice. Colligitur ex *c. cit.* ubi Papa mandat Episcopo, ut ab uxore, quæ jam antea à viro suo diverterat, recipiat sufficientem cautionem, quòd intra duos menses vel ad Religionem transibit, vel ad virum redibit. *Ratio est*, quia tempus, quod datur ministerio hominis, currere incipit à die, quo illud datum est à Judice, ita autem datur bimestre, ut *n. præced.* dictum est. ergo &c.

Utilis est resolutio hæc, prout Sanchez *loc. cit.* monet, ad cognoscendum, quando conjuges sibi debitum negantes peccent, & quando si Sponsus Sponsam cogat, Religionem amplius ingredi eidem non liceat.

4 Quæritur 3. an bimestre, à Jure indultum, competat etiam conjugi Religionis propositum non habenti, ita, ut intra illud alteri conjugi petenti debitum illud negare possit? Affirmant Gloss. *in can. conjuges* 6. *V. prima caus.* 27. *quæst.* 2. Sylv. *V. debitum conjugale qu.* 1. *cas.* 4. Sanch. *l.* 2. *de Matrim. D.* 24. *num.* 25. Pont. *l.* 9. *de Matrimon. cap.* 9. *num.* 7. & plures alii ab his *citt.* Rationem dant; quia tempus hoc favore religionis à Jure indultum est generaliter: & licèt conjux ejusmodi de præsenti propositum ingrediendi Religionem non habeat, intra bimestre tamen illud acquirere, & propositum suum in melius mutare potest.

Sed Juri conformior, & rationi magis consentanea est sententia negativa, quam etiam defendit Angel. *V. debitum num.* 14. Navar. *Man. cap.* 16. *num.* 27. Conink *D.* 26. *dub.* 4. *num.* 46. Pal. *tract.* 28. *D.* 3. *p.* 2. §. 5. *num.* 7. Pirh. *hic num.* 53. Vviest. *num.* 3. Colligitur ex *can. ex publico* 7. *h. tit.* ubi bimestre conceditur mulieri, quòd assereret, se velle ad religionem transire. *Ratio est*, quia post contractum Matrimonium continuò utrique acquiritur jus ad mutuum usum corporis, qui proinde non rectè negatur, nisi SS. Canones obligationem suspendant, vel aliter inter ipsas partes expresse conventum sit, atqui SS. Canones, ut notavi paulò antè, excipiunt illum duntaxat casum, quo alteruter conjux ingredi religionem cogitat. ergo &c. 5

Neque obstat Argumentum adversæ sententiæ; quia quòd ejusmodi conjux propositum in melius commutare possit, Jus non considerat, cùm sit ex non nisi rarissimè contingentibus.

Quæritur 4. an illud bimestre, vel aliud tempus præscriptum à Judice detur conjugi solùm ad deliberandum de religionis ingressu, an etiam ad profitendum, ita, ut illo elapso statim profiteri debeat? Zoesius *hic num.* 21. *&* 22. putat datum esse etiam ad profitendum ex ratione; quia textus dicit *c. ex publico cit.* quòd ante consummatum Matrimonium conjux intra bimestre vel ad religionem transire, vel ad virum suum redire debeat. atqui propriè ad religionem nemo transire dicitur, nisi qui emittit Professionem. ergo &c. *Conf.* quia nimis grave esset alteri conjugi tanto tempore se continere. 6

Sed dicendum, bimestre illud ad deliberandum duntaxat concessum esse, & propterea eum, qui intra hoc tempus ingressus religionem est, adhuc integrum habere annum, quo probare religionem possit, antequam teneatur emittere Professionem. Ita Henriq. *lib.* 12. *cap.* 5. *num.* 8. Sanchez *lib.* 2. *de matrim. D.* 24. *num.* 4. Fagn. *in cap.* 7. *hoc tit. num.* 19. *& seqq.* Barbos. *ibid. num.* 8. Pirhing *hic num.* 51. Schamb. *num.* 40. Vviest. *num.* 8. Sumitur ex Trid. quod *sess.* 25. *cap.* 15. *&* 22. *de regular.* statuit, in quacumque religione tam mendicantium, quàm non mendicantium factam Professionem esse invalidam, si facta illa sit ante annum Probationis completum, neque illum casum excipit. ergo etiam in nostro casu exspectari debebit annuæ Probationis finis, ut Professionem edere teneatur conjux, post Matrimonium ratum religionem ingressus: imò si ingressus Matrimonium statim post adeptam pubertatem contraxit, expectari pluribus adhuc annis debebit, usque dum annum 16. ætatis ingressus impleverit; nam ante illam ætatem Tridentinum irritat Professionem.

Ad Argumentum Zoesi dico duplicem esse transitum ad religionem, quorum unus fit per Professionem, alter per assumptionem Habitus Novitiorum: de hoc secundo intelligendus est textus *c. ex publico cit.* & non de primo. *Ad Conf.* gravamen illud non obest, quia Religionem ingressus Jure suo utitur, quod alter conjux scivit, vel scire debuit, dum cum altero Matrimonium contraxit. 7

Quæritur 5. utrum, si bimestri transacto, nondum fuit consummatum Matrimonium, liceat adhuc transire ad religionem, quantumcumque tempus elapsum sit? Videtur non posse; quia transacto eo bimestri, tenetur alter Sponsus alteri debitum reddere; & potest ad id compelli. ergo non potest religionem ingredi, cùm hæc sint incompatibilia. *Conf.* quia lapso termino Judex Sponsum, renuentem Matrimonium consummare, excommunicare idcirco potest: non autem posset juste excommunicare illum, si adhuc posset Religionem ingredi. ergo &c. 8

Sed dicendum adhuc posse Religionem ingredi, sive deinde causa, quare consummatum non sit Matrimonium, fuerit, quia alter conjux non petiit, sive, quia alter, cùm petitum ab ipso fuisset, negavit. Ita Gloss. *in c.* 7. *h. tit. V. intra duorum* Sylv. *V. votum* 5. *quæst.* 3. *dict.* 1. Sanch. *lib.* 2. *de Matrim. D.* 24. *n.* 27. Palao *tract.* 28. *D.* 3. *p.* 2. §. 5. *num.* 6. Pirh. *hic n.* 54. & alii ab his *cit.* & colligitur ex *c. ex publico cit.* ubi mulieri datur facultas ingrediendi religionem, etsi jam diu antea contraxerit Matrimonium. *Ratio est*, quia etsi post lapsum bimestre debitum negans conjugi peccet, jus tamen ingrediendi Religionem adhuc retinet, utpote quod Christus intuitu religionis conjugibus, quamdiu Matrimonium nondum est consummatum, sine temporis determinatione concessit. 9

Ad rationem dubitandi dico, in hoc situm discrimen esse inter bimestre à Jure concessum, & inter tempus non consummati Matrimonii post illius bimestris lapsum; 10

nam

am primo bimeſtri conjux de religione cogitans pe- :nti alteri licitè negat debitum, ut dictum eſt *num.* 1. on item eo transacto, cum terminus deliberandi jam :ſpiraverit: unde tenebitur reddere, & ad hoc Cenſu- s Eccleſiaſticis compelli poteſt, niſi ſtatim religionem ıgrediatur. *Ad Conf.* Excommunicatio fertur ob con- ımaciam, quæ ceſſat, quando Sponſus, aut ſponſa de ræſenti ad religionem tranſit: unde poſt tranſitum ab- ɔlvi debebit.

1 Quæritur 6. an Religionis ingreſſus adhuc permiſ- ıs ſit Sponſæ de præſenti, ſi à Sponſo carnaliter co- nita ſit per copulam violenter extortam? *Certum eſt* ıtis inter DD. hoc non amplius permiſſum eſſe ei- ıem, ſi ita eſt cognita poſt bimeſtre, vel aliud tem- us conceſſum à Judice, & jam tranſactum; quia tunc ponſus utitur ſuo jure; conſ. nullam ipſi injuriam nfert. Idem dicendum eſt, ſi copula eſt extorta à ponſo intra primum bimeſtre, ſi ipſa de ingreſſu re- igionis non cogitavit; quia, ut *num.* 5. dictum eſt, am tenebatur debitum reddere.

Difficultas eſt de Sponſa, quæ de Religionis ingreſ- u cogitabat. Et eo caſu non amplius illam poſſe re- igionem ingredi, etſi per vim primo bimeſtri à Spon- o ſit cognita, docent Hoſt. *in Summ. hic num.* 9. *verſ. uid ſi virgo.* Sylv. *V. Luxuria quæſt.* 6. *dict.* 2. Covar. *le matrim. p.* 2. *cap.* 7. §. 4. *num.* 15. Henriq. *l.* 11. *c.* 8. *ıum.* 10. Zoeſ. *hic num.* 13. Engl *ibid. num.* 9.

Rationem dant 1. quia Sponſa ita cognita jam una :aro facta eſt cum ſuo ſponſo, igitur iſto invito non ımpliùs tranſire ad Religionem poteſt, prout ſtatutum ſt *can. ad Apoſtolicam* 13. *hoc tit.* 2. quia per ejuſ- nodi copulam extortam vi non minùs conſummatur Matrimonium, quàm per copulam liberè obtentam, er- go non minùs, ac quæ liberè obtenta eſt, prohibebit Religionis ingreſſum; nam Jura factum potiùs, quàm voluntatem reſpiciunt *can. ſi quis* 13. *cauſ.* 15. *quæſt.* 1. 3. quia defectus oculi, quamvis violenter eruti, indu- :it Irregularitatem *can. fin. diſt.* 55. ergo & conſum- natio violenter impetrata inducet impedimentum tran- ſitus ad Religionem. 4. quia ex copula vi extorta oriun- :ur etiam alii effectus Juris, qui Matrimonio conſum- nato ſunt proprii; ſic enim ex ea naſcitur affinitas *ırg. can. diſcretionem* 6. *de eo, qui cognovit &c.* ita :orruptam ducens fit bigamus *can. debitum* 5. *de Bi- ;am.* & corrupta inter Virgines amplius velari nequit *'an. ſi quis cit.* igitur orietur ex ea etiam impedimen- um, ne ſic cognita ad Religionem tranſire poſſit. 5. quia ſi Sponſa ita cognita tranſire ad Religionem Sponſo invito poſſet, Sponſus talis ſine ſpe conjugii manere deberet uſque ad obitum Sponſæ, cùm Matri- monium hujus cum illo per Profeſſionem non diſſolva- tur; hoc autem videtur nimis durum eſſe, ergo &c.

Sed dicendum, probabilius ita cognitam ingredi, vel ſi jam ingreſſa eſt Novitiatum, in ea emittere Pro- feſſionem, etiam Sponſo invito, regulariter, & per ſe loquendo poſſe. Ita Gloſſ. *in can. fin. V. invitus diſt.* 55. *cit.* Abb. *in cap.* 2. *hoc tit. num.* 9. Sylv. *V. divortium quæſt.* 5. Felin. *in cap.* 14. *de Probat. num.* 4. Fagnan. *in cap.* 7. *hoc tit. num.* 36. *& ſeqq.* Sanch. *lib.* 2. *de Matr. D.* 22. *num.* 6. Pal. *tract.* 28. *D.* 3. *p.* 2. §. 1. *num.* 3. Pirh. *hic num.* 56. Schambog. *num.* 43. Vvieſt. *num.* 7. *Ratio eſt* 1. quia Sponſus extorquendo copulam Sponſæ gravem injuriam intulit, quippe quæ adhuc debitum negare eidem poterat; igitur ex hac ſua culpa commodum ſentire non debet, ſentiret autem, ſi Sponſa ab ipſo ſic cognita eo invito Religionem non poſſet ingredi; ergo &c. 2. quia Jure ſuo per injuriam alterius nemo privari debet; privaretur autem Sponſa per vim cognita à Sponſo, ſi is impedire illam propterea ab ingreſſu Religionis poſſet, ergo &c. 3. quia propter adulterium, vel lapſum in Hæreſim poteſt uxor virum deſerere, & Religionem ingredi, igitur etiam propter violentiam ipſi illatam in extorſione copulæ; non enim minùs hæc eſt contra jus Matrimonii, quàm illa. Addidi autem *regulariter, & per ſe loquendo;* per accidens enim Sponſa etiam per vim cognita impediri ab ingreſſu Religionis poteſt, ſi ſc. damnum inde naſceretur proli, quòd illa e. g. commodè ſine Matre educari non poſſet, ut *loc. citt.* monent Sanch. *num.* 7. Pirh. *num.* 56. Schambog. *num.* 43. *in fin.*

Neque obſtant Argumenta oppoſita. *Ad* 1. caſus iſte ſpecialiter meretur excipi à Regula communi, ne jus ſuum aliquis per alterius injuriam perdat. *Ad* 2. multi negant per ejuſmodi copulam Matrimonium conſummari: ſed eſto hoc, quod fateor probabilius eſſet, dicendum, quòd Regula, qua poſt Matrimonium conſummatum prohibetur Religionis ingreſſus, intelligenda ſit, niſi ſit conſummatum per vim contra jus Sponſæ. *Ad* 3. Irregularitas eo caſu inducitur ob deformitatem, quæ oritur, ſive oculus vi, ſive ſponte ſit erutus. *Ad* 4. in caſibus *Ant.* Jura factum conſiderant, & hinc dicta impedimenta etiam per copulam vi extortam inducuntur: at in noſtro caſu tranſitus ad Religionem permittitur propter injuriam illatam Sponſæ. *Ad* 5. durum tali caſu non debet videri Sponſo, ſi abſque ſpe conjugii manere debeat uſque ad obitum Sponſæ; nam ſpe iſta fruſtratur etiam adulter, cujus uxor in Religione approbata Profeſſionem fecit.

Quæritur 7. quis ſit effectus tranſitus in Religionem, 15
& Profeſſionis poſt Matrimonium ratum emiſſæ? Reſp. eſt diſſolutio Matrimonii rati, etiam quoad vinculum: & hinc conjux relictus in ſæculo, poſt Profeſſionem alterius conjugis, liberè tranſire ad alia Vota poterit, prout clarè deciſum eſt *c. verum* 2. *ex parte* 14. *hoc tit.* & noviſſimè à Trid. *ſeſſ.* 24. *de Sacram. Matr. can.* 6.

Neque obſtat illud Chriſti *Matth.* 19. *v.* 9. ubi negatur viro poteſtas dimittendi uxorem, niſi *ob cauſam fornicationis;* quia ut *cap. ex publico* 7. *hoc tit.* dicitur textus ille intelligi debet de Matrimonio per copulam carnalem conſummato.

Non obſtat 2. quòd per ipſum Matrimonii contra- 16
ctum conjugum utrique quæſitum ſit jus in corpus alterius *c. quidem* 3. *hoc tit. in fin.* & hoc jure ſibi quæſito invitus nemo privari debeat; quia jus iſtud conjugi non eſt quæſitum abſolutè, ſed ſub tacita conditione, *Niſi alter ingrediatur Religionem, & in ea Profeſſionem edat.*

Simile privilegium non habet ſuſceptio SS. Ordinum, cùm nullo Jure conſtet hoc ei conceſſum eſſe: hinc etſi ſuſceptio Ordinis Sacri conjuge invita valeat, & ea conſentiente etiam ſit licita, vinculum Matrimonii tamen, etſi ratum hoc ſolùm fuerit, manet, ut pluribus dicetur *Lib.* 4. *Tit.* 6.

Quæritur 8. quando diſſolvatur Matrimonium ratum 17
per tranſitum ad Religionem? Putabant aliqui ſtatim diſſolvi per ipſum ingreſſum ob defectum conditionis, ſub qua Matrimonium contractum eſt, *Niſi Religionem ingreſſus fuero.* Sed omnino cum communi cæterorum dicendum, diſſolutionem ejuſmodi non fieri ante editam Profeſſionem: unde conjux manens in Sæculo tamdiu expectare debebit, ut ad alia Vota tranſire poſſit.

Porro, ut Profeſſio Religioſa Matrimonii rati diſ- 18
ſolvendi vim habeat, quatuor hæc requiritur. 1. ut emittatur in effectu; non enim ſufficit propoſitum eam emittendi *cap. ex parte* 14. *hoc tit.* 2. ut ſit ſolemnis Profeſſio, Vota tria ſubſtantialia continens; quia Vota ſimplicia, ut ſuo loco dicetur, Matrimonium ratum non diſſolvunt. 3. ut emittatur in manibus ejus, qui habet poteſtatem incorporandi Religioni; nam Profeſſus emittendo Profeſſionem quaſi contrahit cum Religione: conſ. ex utraque parte conſenſus requiritur. 4. ut fiat in aliqua Religione, à Sede Apoſtolica approbata. Perinde autem eſt, qualis illa ſit; nam etiam per Profeſſionem, emiſſam in Ordinibus Militaribus, Matrimonium ratum diſſolvitur, modò ipſe Ordo ſubſtantialia Religionis habeat. Pirh. *hic num.* 48. & alii apud ipſum.

§. II.

De Ingreſſu Religionis poſt Matrimonium conſummatum.

SUMMARIUM.

19 20 *Quibus caſibus poſt Matrimonium conſummatum ingredi Religionem liceat?*
21 22 23 *Qualis conſenſus eſſe debeat, ut alter conjux ingredi Religionem, & profiteri in ea poſſit?*
24 25 26 *An omni vi careat Profeſſio edita à conjuge poſt Matrimonium conſummatum ingreſſo Religionem, parte altera invita?*
27 *Quando revocari poſſit conjux, ſine alterius conjugis conſenſu Religionem ingreſſus?*
28 *An revocationi, vel regreſſui libero adhuc locus ſit caſu, quo unus conjugum, poſt Votum Continentiæ ab utroque editum, ſine alterius conſenſu ingreſſus, & profeſſus Religionem eſt?*
29 30 31 *An eidem repetitioni locus ſit etiam caſu, quo uterque conjux, licentia non obtenta, ingreſſus Religionem, & profeſſus in ea eſt?*
32 *Quid præter conſenſum conjugis requiratur, ut conjux alter poſt Matrimonium conſummatum poſſit licitè Religionem ingredi?*
33 *An valida ſit Profeſſio, ſi conjux manens in Sæculo Votum Continentiæ non ediderit?*

34 *Re-*

34 *Resolvitur affirmativè.*
35 36 *An, & quo casu maritus, cum uxoris consensu Religionem ingressus, revocari valeat, & compelli, ut ad uxorem redeat?*
37 *An sufficiat, si conjux relictus faciat alterutrum, & vel emittat Votum continentiæ, vel ingrediatur Religionem?*
38 39 *An si conjux senex cum Voto continentiæ relictus in sæculo postea incontinenter vivat, cogi possit ad ingrediendam Religionem?*

19 Quæritur 1. quibus casibus post Matrimonium consummatum ingredi Religionem liceat? Resp. Jure Justinianæo, ut ex *Novell.* 123. *cap.* 40. patet, ingressus Religionis concedebatur sine discrimine, & reservatione, etiam post Matrimonium consummatum, dabaturque alteri conjugi remanenti in Sæculo libertas ad alia Vota transeundi. Sed Jure Canonico (quod solum in hac materia attendendum) declaratum est, per ingressum Religionis vinculum Matrimonii consummati non dissolvi, ingressum autem ipsum non esse licitum, nisi in tribus casibus.

1 Si alter conjux consentiat: quo casu tamen conjux relictus, si juvenis sit, vel suspectus de incontinentia, etiam ipse ingredi Religionem debet *can. Agathosa* 21. *caus.* 27. *q.* 2. *c. præterea* 1. *& c. ad Apostolicam* 13. *hoc tit.* Si verò senex est, & de incontinentia non suspectus, sufficiet, si Votum continentiæ simplex edat, ut ex iisdem textibus patet, & ulterius statuitur *c. cum sit* 4. *c. uxoratus* 9. *c. significavit* 18. *hoc tit.*

20 2 Si alter conjugum commiserit adulterium; tunc enim pars innocens, adultero etiam invito, ingredi Religionem, & profiteri in ea potest *can. Agathosa cit. can. constitutus* 15. *& can. veniens* 16. *hoc tit.* & ratio est, quia eo casu adulter amittit jus petendi debitum, & quidem perpetuò, nisi reconcilietur innocenti; igitur nihil est, quod ipsum ab ingressu Religionis impediat.

3 Si unus sit lapsus in Hæresim, vel Apostasiam à Fide; nam si iste pertinaciter in hoc suo errore post monitionem unam, vel alteram perseveret, innocens ab eo potest divertere, & Religionem ingredi, etiam invita parte rea *cap. fin. hoc tit.* De posterioribus duobus casibus commodior differendi occasio redibit *Lib.* 4. *Tit.* 19. *de Divor.* De primo ulteriùs.

21 Quæritur 2. Qualis consensus esse debeat, ut alter conjux ingredi Religionem, & profiteri in ea possit? Resp. 1. debet esse liber à gravi metu injusto; nam si gravi, & injusto metu extortus est, invalida est Professio *can. notificasti* 2. *caus.* 33. *quæst.* 5. *& cap. accedens* 17. *hoc tit.* Ratio est, quia Jura, sicut voluerunt Matrimonia iniri consensu omnino libero, & spontaneo, ita etiam voluerunt, ut à semel contracto Matrimonio conjux non posset recedere, sine consensu conjugis spontaneo, & omnino libero, cùm contrariorum eadem sit ratio, & disciplina *l. de Jure* 1. *pr. ff. de his, qui sui, vel alien. Jur.*

22 2 Non debet esse gravi, & injusto dolo impetratus. Sanch. *l.* 7. *de Matr. D.* 35. *num.* 9. *&* 10. & colligitur ex *cap. veniens* 16. *hoc tit.* Ratio est, quia ejusmodi dolus libertatem consensus aufert, facitque, ut cessio Juris, ab altero conjuge facta, non sit libera, conf. irrita; si autem hæc irrita est, etiam irrita est Professio, talem consensum non liberum consecuta; ergo &c.

23 3 Non sufficit consecutus merè tacitus, & præsumptus ex eo, quòd conjux manens in Sæculo, & videns alterum conjugem Religionem ingredi, & profiteri, taceat, nec positivè contradicat; nam taliter facta Professio alterius adhuc invalida est, ut rectè advertit Pirh. *hic num.* 26. & ratio est, quia taciturnitas, seu dissimulatio in rebus magni præjudicii non habetur pro consensu. Manebitque hujusmodi Professio invalida etiam post mortem uxoris, nisi is, qui eam emisit, posito novo consensu, illam expressè, vel tacitè ratam habeat, ut cum aliis notat Sanch. *D.* 35. *cit. num.* 7. Pirh. *hic num.* 27. & constat à paritate cum Matrimonio, quod ubi invalidè contractum est, revalidari non potest, nisi posito novo consensu.

24 Quæritur 3. an omni vi careat Professio edita à conjuge post Matrimonium consummatum ingresso Religionem, parte altera invita? Resp. esse invalidam in vim Professionis, validam autem in vim Voti simplicis continentiæ. Patet *ex cap. quidam* 3. *& cap. placet* 12. *hoc tit.* Ex quo sequitur, quòd talis Professus revocari à suo conjuge possit, & revocatus teneatur debitum reddere, non tamen petere. Abb. *in cap.* 3. *cit. num.* 3. Navarr. *Man. cap.* 12. *num.* 6. Sanch. 7. *de Matr. D.* 34. *num.* 2. *&* 3. Laym. *l.* 5. *tract.* *p.* 3. *cap.* 7. *num.* 4. *in fin.* Pal. *tract.* 28. *D.* 3. *p.* 6. §. *num.* 2. Pirh. *hic num.* 16. *& seqq.* Wiest. *num.* 20. & ab his *citt.*

Ratio prioris partis est; quia jus in corpus suum non ipse, sed conjux habet, igitur invitus, vel ignorans Jure suo spoliari non potest; spoliaretur autem, si revocari non posset, & Professio in vim Professionis valida esset; ergo &c.

Ratio posterioris; quia præsumptio Juris est, conjugem profitentem altero conjuge invito, vel ignorante, voluisse se obligare, quantum potuit, juxta illud: *Si non valet, quod ago, valeat, sicut valere potest*; qui etsi obligare se non potuerit Professione sua in vim Voti solemnis, potuit tamen se obligare in vim Voti simplicis, ita, ut debitum quidem non possit petere, reddere tamen illud teneatur, quippe cùm hoc modo nemini, quàm sibi ipsi præjudicet, ergo &c.

Dixi *Præsumptionem Juris esse*: Hinc si conjux profitendo Religionem noluerit vovere Continentiam nisi dependenter à valore Professionis suæ in hac Religione, non obligabitur ex Voto simplici ad perpetuam Continentiam: idque in foro conscientiæ est certum, & si hoc ipsum probetur, etiam procedet in foro externo, nam adveniente veritate, cessat Præsumptio. Schambog. *hic num.* 8.

Quæritur 4. quando revocari possit conjux, sine alterius conjugis consensu Religionem ingressus? Resp. revocari à conjuge relicto, imò etiam sponte redire ad Sæculum potest, etiam post Professionem jam factam. Patet ex dictis *num.* 25. nam cùm ejusmodi Professio sit invalida, eundem ista in Religione retinere non potest. Neque obstat *cap. placet* 12. *hoc tit.* ibi *In ejus potestate non erat*, ubi videtur insinuari non esse ingresso potestatem redeundi ad sæculum, sed relicto tantùm esse jus revocandi; nam ut textum istum Zoes. *hic num.* 6. Schambog. *num.* 11. & alii communiter exponunt, verba illa intelligenda sunt, ut idem sonent ac non esse in arbitrio redire, vel non redire, ut eligere possit, quid velit; nam si relictus in Sæculo velit, tenetur redire.

Major difficultas est, an revocationi, vel ingressui libero adhuc locus sit causa, quo unus conjugum, post Votum Continentiæ ab utroque editum, sine alterius consensu ingressus, & professus Religionem est? Negant aliqui ex *cap. dudum* 20. *hoc tit.*

Sed retinenda est affirmativa Sententia, quam aliis *citt.* docent Pirh. *hic num.* 19. Wiest. *num.* 22. & colligitur ex *can. quod Deo* 4. *caus.* 33. *quæst.* 5. Ratio est; quia per Votum Continentiæ, mutuo consensu editum, solùm liberatur conjux ab obligatione reddendi debitum, non verò à mutua cohabitatione, & cæteris obsequiis conjugalibus; igitur hoc suo Jure, quod quilibet conjux retinet, ad petendam cohabitationem, & cætera obsequia conjugalia, sine suo consensu, & invita per Religionis ingressum privari non debet: conf. si unus sine alterius consensu ingressus illam est, revocari ab isto potest; imò spontè redire debet, cùm ingrediendo Religionem sine ejus consensu, intulerit ipsi injuriam, & Professio fuerit nulla.

Ad *cap. dudum* in contrarium allegatum dico, in casu illius *cap.* conjuges non tantùm vovisse continentiam, sed etiam cessisse sibi invicem omni jure, quod unus habebat in alterum, conf. etiam Jure ad petenda obsequia conjugalia: & hinc mirum non est, quòd iisdem permissum fuerit sine alterius consortis sui licentia Religionem ingredi.

Quæritur 5. an repetitioni locus sit etiam casu, quo uterque conjux, mutua licentia non obtenta, Religionem ingressus, eamque professus est? Negant Innoc. *in cap. quidam* 3. *hoc tit. numer.* 2. *fin.* & alii apud Sanch. *l.* 7. *de Matrimon. D.* 34. *num.* 4. ex ratione, quia tali casu neuter conqueri potest se ab alio spoliatum, sed seipsum proprio facto spoliavit.

Sed meliùs adhibetur distinctio, qua utuntur Sanch. *loc. cit.* Zoes. *hic num.* 8. Pirh. *num.* 21. *in fin.* Schambog. *num.* 12. Vel enim uterque fuit conscius Professionis alterius, vel uterque inscius. *Si primum*, neuter revocare alterum potest; quia facto ipso censentur sibi mutuam facultatem dedisse.

Si Secundum, neutrius Professio tenebit, & uterque è Religione exire, & conjugem suum potest repetere; quia neuter habuit licentiam alterius. Estque hoc verum, etsi unus prior cum injuria conjugis alterius, quippe invitæ, ingressus sit Religionem; per hoc enim non datur licentia conjugi injuriam passæ, ut & ipsa ingredi Religionem possit, ut bene notant Sanchez *num.* 23.

num. 23. Zoes. *numer.* 10. Pirhing, Scambog. *loc. citt.* & ratio est; quia etsi Religionem, non requisita conjuge, ingrediendo deliquerit, hoc tamen delictum tale non est, ob quod licitum sit divortium: hinc regredi adhuc potest ad Sæculum, conf. ad suam uxorem, eamque repetere, cùm Professio ejus ex defectu licentiæ invalida fuerit.

Ad Argumentum contrarium non obstat, quòd conjux, non requisito altero conjuge, Religionem ingrediens seipsum spoliaverit; nam etiam seipsum spolians potest restitutionem petere, si rediens non admittitur, quippe qui ex tunc spoliatus censetur.

Quæritur 6. quid præter consensum conjugis requiratur, ut conjux alter post Matrimonium consummatum licitè possit Religionem ingredi? Resp. duo præterea requiruntur. *Primum*, quod hodie observatur in praxi, est, ut accedat consensus Episcopi. *Secundum* ut, quemadmodum *n.* 19. dictum est, conjux relictus, si juvenis sit, vel suspectus de incontinentia, etiam ipse ingrediatur Religionem; si verò senex, & non suspectus de incontinentia, saltem Votum Continentiæ emittat in Sæculo.

Quòd licentia Episcopi non requiratur ad valorem professionis editæ ab eo, qui ad Religionem transiet, satis convenit inter DD. Neque obstat, *can. si vir.* 23. *caus.* 27. *q.* 2. nam ibi licentia Episcopi quidem petitur, non tamen irritatur Professio aliter facta, ut bene notat Sanchez *l.* 7. *de Matrim. D.* 32. *num.* 3. *De secundo requisito* major est difficultas. Videtur enim ad valorem requiri ex *c. uxoratus* 8. *hoc tit.* ubi dicitur, quòd conjugatus recipiendus sit nullatenus, nisi uxor consentiat, & post consensum Continentiæ Votum emittat; atqui ex communi doctrina Gloss. *in Clem. un. V. nullatenus de Sequestrat.* dictione *Nullatenus* denotatur actus ipso Jure nullus; ergo &c.

Sed dicendum, Professionem esse, & manere validam, etsi conjux manens in Sæculo Votum Continentiæ non ediderit. Ita Gloss. *in c. ex parte* 9. *V. de Jure hoc tit.* Abb. *ibid. num.* 2. 3. & 5. Sylv. *V. Matrimonium* 8. *quæst.* 12. *dict.* 4. Sanch. *lib.* 7. *de Matrimon. D.* 33. *num.* 4. Pirh. *hic num.* 11. Schambog. *num.* 5. Konig *n.* 8. *in fin.* Vviest. *n.* 27. & sumitur 1. ex *can. Agathosa* 21. *caus.* 27. *qu.* 2. ubi Professio viti pronuntiatur valida disjunctivè, si uxor in eam præstitit consensum, aut ipsa sui mutationem, sive Religionis ingressum promisit. 2. *ex c. ex parte cit.* ubi vir à secunda uxore revocatur ad Monasterium, qui cum consensu primæ uxoris ingressus est, etsi ista Votum Continentiæ post mariti transitum non emiserit; atqui revocari ad Monasterium non potuisset, si Professio ab ipso hoc casu emissa fuisset invalida; ergo &c. 3. *ex ratione:* quia nullo Juris textu ad valorem Professionis emissæ ab uno conjugum reperitur requisitum, ut etiam alter conjux Professionem edat, aut Votum continentiæ emittat, ut adeo locus sit Regulæ *can. ad Apostolicam* 16. *de Regular.* ibi, *Multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem.*

Ad Rationem dubitandi respondet Sanch. *loc. cit. num.* 7. vocem *Nullatenus* non semper denotare, quòd actus sit omnino nullus, præsertim si extet Jus aliud, quo actus ille declaratur esse validus, prout fit in casu dubii præsentis.

Quæritur 7. an maritus, cum uxoris consensu Religionem ingressus, revocari valeat, & compelli, ut ad uxorem redeat? Resp. cum distinctione: vel enim uxor ab ipso relicta Continentiæ Votum edidit, vel illud non edidit.

5 *Si primum*, revocari è Monasterio maritus post Professionem ab isto editam nequit, ut colligitur ex *can. præterea* 1. *hoc tit.* ubi, ut concedatur revocatio viri Professi, requiritur, ut uxor nec ad Monasterium transierit, nec Continentiam perpetuam voverit. *Ratio est*, quia uxor concedendo viro licentiam, & vovendo perpetuam Continentiam, cessit jure suo Conjugali. Pirh. *hic num.* 13. & alii apud ipsum.

6 *Si secundum*, iterum distinguendum est, an uxor conscia fuerit Juris, disponentis virum non posse profiteri, nisi ipsa etiam ingrediatur Religionem, vel voveat continentiam, an vero hujus Juris ignara consenserit.

Si prius, vir Religionem professus revocari non potest, ut rectè Pirh. *num.* 14. & colligitur *c. ex præterea cit.* Ratio est, quia tali casu dando licentiam marito ad ingrediendam religionem censetur se obligasse ad id, quod Jus requirit, videlicet, quod etiam ipsa aut religionem ingredi, aut vovere Continentiam velit, quam obligationem pro inde implere debet.

Si posterius, revocari adhuc maritus potest, & revocatus debitum quidem tenetur reddere, cùm per ingressum ejusdem nihil Juris uxor ejus amiserit; petere tamen nequit, imò post uxoris mortem ad Monasterium redire debet, cùm per revocationem Professio ejus non sit soluta, sed is redire solum coactus, ut consuleretur periculo incontinentiæ uxoris suæ. Sanch. *l.* 7. *de Matrim. D.* 33. *num.* 5. & *seqq.* ubi plura de hoc Argumento.

Quæritur 8. an sufficiat, si conjux relictus faciat alterutrum, & vel emittat Votum Continentiæ, vel ingrediatur religionem? Resp. in conjuge sene, & qui de incontinentia suspectus non est, sufficit, si Votum Continentiæ emittat in Sæculo; non sufficit in eodem, si suspectus sit de incontinentia, neque in juvene etiamsi iste alioquin sit honestæ vitæ, & incontinentiæ periculum absit. Ita Sanch. *l.* 7. *de matrim. D.* 32. *n.* 9. & *seqq.* & alii apud ipsum. Colligitur ex *c. præterea* 1. *c. cum sit* 4. *c. uxoratus* 8. & *c. significavit* 18. *h. tit.* 37

Dubium est, an si conjux Senex, cum Voto Continentiæ relictus in Sæculo, postea incontinenter vivat, cogi possit ad ingrediendam religionem? Resp. cum distinctione: vel enim prius jam erat suspectus de incontinentia, vel non erat. *Si primum*, & pars relicta conscia fuit Juris eo casu statuentis ingressum ejus in religionem, cogi potest ad ingrediendum; quia dando licentiam viro, hoc ipso censetur se obligasse ad Religionis ingressum, quem tali casu requirit Jus. 38

Si secundum, ad religionis ingressum per Professionem cogi non potest; quia hoc casu eam nec expresse, nec tacite vovit: potest tamen, ut vult Sanchez *loc. cit. n.* 12. compelli ad ingrediendum Monasterium pœnitentiæ causa, vel potius, ut notat Pirh. *hic n.* 8. quia hujusmodi inclusio in Monasterio pœnitentiæ causa hodiernis moribus ob difficultates, & onera, quæ ex hujusmodi inclusione Monasteriis solebant creari, jam exolevit, ad Episcopum spectabit, ut tali casu mulier in alio loco constituatur, in quo honeste, & continenter vivat *arg. can. de Benedicto* 5. *caus.* 32. *q.* 1. 39

Plura alia, ut etiam, an conjux relictus in Sæculo post mortem conjugis Professi Matrimonium contrahere validè, & ad secunda Vota transire possit, melius expedientur *Lib.* 4. *Tit.* 6.

TITULUS XXXIII.

De Conversione Infidelium.

SUMMARIUM.

1 *Quinam hic nomine Infidelium intelligantur?*
2 *Quid hoc Titulo statutum sit de Matrimoniis conversorum ad Fidem?*
3 *Extensiones doctrinæ.*
4 *Cui conjugum relinquenda sit communis proles, si unus illorum convertatur ad Fidem, alter in Infidelitate permaneat?*
5 *Resolvitur assignandum parenti ad Fidem converso, sive pater ille sit, sive mater.*
6 *Rationes dubitandi solvuntur.*

Occasione Conversionis, & transitus Conjugatorum à Sæculo ad religionem hac Rubrica agitur de Conversione, & transitu Conjugum ab Infidelitate, & Gentilium erroribus ad Fidem Christianam.

Quæritur 1. quinam hìc nomine *Infidelium* intelligantur? Resp. nomen *Infidelis* dupliciter sumi potest. Semel *latè*, prout comprehendit quoscumque, qui à Fide Christiana alieni sunt, etiam Hæreticos; & semel *strictè*, prout illos dumtaxat complectitur, qui Christianam Fidem nunquam susceperunt, neque Ecclesiam per Baptismum ingressi sunt, quales sunt Judæi, Pagani, Saraceni. Host. *in Summ. hic num.* 1. Vallens. *n.* 1. Schambog. *n.* 1. Konig *n.* 3. Vviestner *n.* 1. In præsenti Titulo sermo est de Infidelibus secundo modo acceptis; nam Hæretici non converti, sed reverti dicuntur ad Fidem Orthodoxam, utpote quam in Baptismo jam susceperunt, ut bene Host. *loc. cit.* Duo de his casibus hoc Titulo per totidem Capitula resolvuntur: primus Matrimonia illorum concernit, secundus Liberos. 1

Quæritur 2. quid hoc Titulo statutum sit de Matrimoniis conversorum ad Fidem? Resp. statutum est, ut si vir Infidelis occidat maritum uxoris fidelis, intervenientibus istius, nempe uxoris insidiis, & machinationibus, & post patratam hoc modo cædem ad Fidem Christianam convertatur, Matrimonium cum illa, cujus machinatione cædes facta est, non possit contrahere, sed intercedat inter eosdem impedimentum 2

diri-

dirimens. Ita habetur *c. laudabilem* 1. *hoc tit.* & merito, ut delinquens ita puniatur in eo, in quo deliquit.

3 *Proceditque hoc* 1. licèt adulterium inter eos ante cædem patraram nullum intercessisset; quia textus loquitur absolutè. *Procedit* 2. etsi uxor hoc fecerit, ut vir infidelis, inito cum ipsa Matrimonio, ad Fidem convertatur; quia, ut *c. cit.* dicitur. *tale damnum tali lucro Ecclesia compensare non vult*. *Procedit* 3. etiam casu fidelis, quo vir occidit maritum infidelem; nam nec ille hujus uxorem, deinde ad Fidem conversam, potest ducere, si mariti sui cooperata cædi est, ut patet ex *can. si quis* 5. & *can. seq. caus.* 31. *qu.* 1. & exigit sceleris atrocitas, quæ tali casu longè est gravior, si fidelis occidat fidelem, vel etiam infidelem. Plura de hoc casu dicentur *infra Lib.* 4. *Tit.* 7.

4 Quæritur 3. cui conjugum relinquenda sit communis proles, si unus illorum convertatur ad Fidem, alter in infidelitate permaneat? *Ratio dubitandi* duplex est. 1. qui alias secundùm Leges Civiles filii sunt in potestate Patris, & cura ejusdem §. *fin. Inst. de patr. potest.* igitur relinqui eidem debent, etsi iste in infidelitate permaneat. 2. quia, spectato Jure communi, filium triennio minorem alere debet mater, eum verò, qui triennio major est, pater, ut communiter DD. colligitur ex *l. nec filium* 9. *C. eod.* igitur filii nondum triennes relinquendi sunt matri, patri autem, qui sunt majores.

5 Sed dicendum hoc casu communem prolem assignandam parenti ad fidem converso, sive pater ille sit, sive mater, idque in favorem Religionis, & Fidei Christianæ, ut habetur *c. fin. hoc tit.* ne ab infideli parente inducantur in errorem, ut *ibidem* dicitur. *Ex quo sequitur*, ejusmodi prolem, si nondum sit doli capax, volente, & annuente parente Christiano, ablui Baptismo posse, etsi alter infidelis reclamet, ut colligitur ex *c. fin. cit.* & statutum est *can. Judæi* 10. *caus.* 28. *quæst.* 1. Addidi, *si nondum sit doli capax*; nam si doli capax sit proles, relinquenda est libertati suæ, nec cogenda, ut invita Fidem Christianam suscipiat, ut luculenter patet ex *can. de Judæis* 5. *dist.* 45. & *c. sicut* 9. *de Judæis*.

6 Neque obstant Argumenta opposita. *Ad* 1. ubi de Fidei bono agitur, patriæ potestatis nulla habetur ratio; nam summa est ratio, quæ pro Religione facit *l. sunt personæ* 43. *ff. de religios. & sumpt. funer.* *Ad* 2. ob eamdem rationem etiam attendi non debet ætas prolis, doli nondum capacis: imò cùm hoc ipso, quòd unus parentum per conversionem ad Fidem sit factus de foro Ecclesiæ, per consequens de foro ejusdem sint etiam ejusdem filii doli nondum capaces, Ecclesia jus habet compellendi conjugem conversum, ut filios suos nondum capaces doli Baptismo offerat, si iste ex causa, ne infideli conjugi displiceat, Baptismum eorumdem differat.

TITULUS XXXIV.

De Voto, & Voti Redemptione.

Tractationi de conversione Conjugatorum, & Infidelium meritò subjungitur Titulus *Voto, & Voti Redemptione*; nam utrique Votum aliquod emittunt, illi Religionis, ad quam, relicto Statu Matrimoniali transeunt; hi verò Fidei, quam abjurata Infidelitate, suscipiunt. Sit ergo

§. I.

De Voti Natura, & Varietate.

SUMMARIUM.

1 *Definitio Voti.*
2 3 *Hujus essentialia.*
4 *Ex parte rei promissæ dividitur in commune, & singulare.*
5 *In Reale, & Personale, affirmativum, & Negativum, Reservatum, & non reservatum.*
6 *Ex parte promissionis in Absolutum, & Conditionatum, Pœnale, & non Pœnale.*
7 *Expressum, & Tacitum, Internum, & Externum.*
8 *Solemne, & non solemne.*
9 *Licitum est vovere.*
10 *Omni homini Viatori, ratione utenti, nisi specialiter impediantur.*
11 *Ita impediuntur ex defectu usus rationis furiosi, amentes, infantes.*
12 *Ex defectu libera Voluntatis Impuberes.*
13 *Minores, Conjuges.*
14 *Religiosi, Episcopus; singuli tamen cum limitatione.*
15 *Ex dispositione Juris minor* 16. *annis ab emittendis Votis Religiosis.*
16 *Potest irritare Pontifex etiam alia Vota.*
17 18 19 *An valida sint Vota à Religiosis, Filiisfamilias, uxoribus, servis, emissa de materia majus bonum non impediente, sed sine consensu eorum, à quorum voluntate pendent?*
20 *Qualiter obliget Votum Episcopi de Religione assumenda, & peregrinatione facienda?*
21 *Quid si addatur conditio, si Pontifex licentiam dederit?*
22 *Quid dicendum circa hoc de aliis Clericis?*
23 *An quando vovens petit licentiam à Superiore rem voto promissam implendi, teneatur eidem manifestare suum Votum?*
24 *Resolvitur Negativa.*
25 *Respondetur ad rationem dubitandi.*
26 27 28 *An teneat Votum non peccandi?*
29 30 *Quando censeatur res promissa esse de meliori bono?*

Quæritur 1. quid sit *Votum*? Resp. Votum, prout huc pertinet; est *Promissio de bono meliore libere Deo facta*. Ita DD. omnes quoad sensum. Ut tale sit, quinque requiruntur.

1 Ut sit promissio, & non tantum simplex aliquod propositum. Navarr. *Man. cap.* 12. *n.* 26. Azor. *p.* 1. *l.* 11. *cap.* 13. *q.* 1. & *seqq.* Suar. *tom.* 2. *de relig. tr.* 6. *l.* 1. *de Vot. c.* 2. *num.* 3. Less. *l.* 2. *de* 1. & 1. *cap.* 40. *num.* 21. Vallens. *hic* §. 1. *num.* 3. Zoes. *num.* 1. Schamb. *n.* 2. Wiest. *num.* 2. *ratio est*, quia ex Voto nascitur obligatio præstandi id, quod vovetur juxta illud *Isaiæ* 19. *v.* 21. *Vovebunt Domino; & solvent*. Talem obligationem autem non inducit simplex propositum, quamvis absolutum *c. litteraturam* 3. *hoc tit.* ubi, qui ultra vitæ mutandæ propositum non est progressus, à Voti obligatione pronuntiatur immunis. Unde quando *c. consulti* 20. *de regular.* Monasterium ingressus cum proposito vitam absolutè mutandi, obligatur ad perseverandum in eodem, intelligi debet de proposito cum intentione se obligandi conjuncto, ut notat ibidem Barbos. *num.* 3. Vall. *hic num.* 3.

2 Ut sit promissio vera, non ficta, seu facta sine animo se obligandi. Ita *loc. cit.* Navarr. *n.* 27. Suar. *cap.* 3. *num.* 7. & 10. Less. *n.* 6. Wiest. *n.* 4. Schamb. *num.* 3. *ratio est*, quia obligatio Voti oritur ex voluntate ipsius voventis; ergo si iste non habet voluntatem obligandi se, non obligabitur. Aliud est, si habeat animum obligandi se, non tamen implendi Votum; nam Votum hoc verum est Votum, quippe ad cujus substantiam non spectat animus exequendi id, quod est promissum.

3 Ut promissio ista sit liberè, seu cum advertentia rationis, & deliberato consensu voluntatis facta: & hinc Votum illud, in quo error quoad substantiam rei promissæ contigit, vel quod vi absoluta extortum, aut ex præcipiti animi passione emissum est, verè, & propriè Votum non est. Sanch. *l.* 4. *mor. cap.* 1. *n.* 2. Suar. *l.* 1. *cit. cap.* 10. *n.* 4. & *seqq.* Pal. *tract.* 15. *D.* 1. *p.* 4. *n.* 4. Wiest. *hic num.* 6. & alii ab his *citt.*

4 Ut eadem immediatè fiat Deo, & non alicui creaturæ, quantumvis Sanctitate præcellenti: & hinc quando Vota nuncupantur Sanctis, coram illis, vel in memoriam eorum Deo nuncupata intelliguntur, eo ferè modo, sicut in memoriam illorum, & honorem excitantur Templa, consecrantur Altaria, & Sacrificia Deo offeruntur. S. Thom. 2. 2. *q.* 88. *art.* 5. Sylvest. *V. Votum* 1. *num.* 3. Suar. *libr.* 1. *cit. cap.* 16. *annot.* 5. Sanch. *l.* 4. *c.* 1. *n.* 41. Pal. *D.* 1. *cit. p.* 7. *n.* 3. Konig *hic n.* 19. Schamb. *n.* 3. Wiest. *num.* 7. *ratio est*, quia Votum est actus Latriæ, seu Religionis, quo principaliter, & immediatè Deum, tanquam supremam Majestatem, colimus.

5 Denique ut eadem promissio sit de re non solum possibili, & bona, seu honesta, sed etiam de meliori bono: hinc nulliter vovet, qui vovet, quòd non jejunabit: quia jejunare est melius, quàm non jejunare. S. Thom. *art.* 2. & alii *supra citt. ratio est*, quia promissio non obligat, nisi à promissario acceptetur; à Deo autem non acceptatur promissio rei impossibilis, malæ, omnino inutilis, & qua melius h. e. perfectius, & ipsi gratius opus impeditur, ergo &c. *Ex quo patet*, quænam sit materia Voti; esse enim debet possibilis, honesta, & quidem de meliori bono.

Quæritur 2. quotuplex Votum sit? Resp. Voti partitio-

titiones duplicis maximè generis ſunt; dividi enim poteſt vel ex parte rei promiſſæ, vel ex parte ipſius promiſſionis.

Dub. 1. quotupliciter dividatur Votum ex parte rei promiſſæ? Reſp. 1. dividitur Votum in commune, & ſingulare. *Commune* tunc eſt, quando materia illius eſt res ex neceſſitate præcepti obſervanda omnibus; *Singulare*, cujus materia eſt res ad conſilium dumtaxat pertinens. Hoc alii *Liberum* vocant, quia obligatio ejuſdem pro ſingulorum arbitratu ſuſcipitur; illud contra *Neceſſarium*, quia etiam ſine Voto obligatio eſt rem Voto tali promiſſam ponendi. Ad Votum *Neceſſarium*, ſeu *Commune* Schamb. *hic n.* 4. & quidam alii revocant promiſſionem, quæ fit in Baptiſmo ſervandi Legem Chriſtianam, & renuntiandi Operibus Satanæ. Sed, ut bene Cajetan. 2. 2. *q.* 88. *art.* 2. Pal. *tr.* 15. *D.* 1. *p.* 10. *n.* 4. & hoc teſte fere omnes advertunt, Baptizatus in Baptiſmo nullum emittit Votum, ſed ſolum obligationem Legis Evangelicæ acceptat, illamque ſervare proponit obligationem acceptando, quam imponit Lex Evangelica; alias Chriſtianus tranſgrediens quodlibet Præceptum duplex peccatum committeret, unum adverſus Virtutem, cujus eſt Præceptum: alterum adverſus Votum in Baptiſmo emiſſum, quod eſt contra communem ſenſum.

5 2 Dividitur in Reale, Perſonale, & Mixtum. *Reale* eſt, quo res externa e. g. equus, pecunia, domus &c. *Perſonale*, quo actio hominis, vel ejus omiſſio e. g. peregrinatio, abſtinentia à carnibus &c. *Mixtum*, quo res ſimul, & actio e. g. peregrinatio ſimul cum Oblatione facienda Deo promittitur.

3 In Affirmativum, & Negativum. *Affirmativum* eſt, quo promittitur res poſitiva, e. g. Oratio, Eleemoſyna. *Negativum* quo promittitur omiſſio, quale eſt Votum non nubendi, jejunandi &c.

4 In Perpetuum, & Temporale. *Perpetuum* tunc eſt, quando obligatio ejus pro tota vita ſuſcipitur. *Temporale*, quod fit pro limitato tempore.

5 In Reſervatum, & non reſervatum. Reſervata ſunt tantum quinque, nempe Votum perpetuæ Caſtitatis, Votum Religionis, Votum peregrinationis Romam ad Limina Apoſtolorum, Compoſtellam ad S. Jacobum, & Hieroſolymitana: de quibus quando reſervata illa ſint, dicetur *infra num.* 108. *& ſeqq.*

6 Dub. 2. quomodo dividatur Votum ex parte promiſſionis? Reſp. 1. dividitur in Abſolutum, & Conditionatum. *Abſolutum* eſt, quod abſolutè, & independenter ab ulla conditione, ſive incerto eventu futuro editur. *Conditionatum*, cujus obligatio à conditione certa, & ejus eventu incerto pendet. In primo ſtatim contrahitur obligatio; in ſecundo ab eventu conditionis ſuſpenditur: & hinc prius Votum cenſetur proficiſci ex affectu erga rem promiſſam; poſterius ex affectu in eventum futurum, per quam conditio impletur. Pal. *tr.* 15. *D.* 1. *p.* 10. *num.* 1.

2 Dividitur in pœnale, & non pœnale. *Pœnale* eſt, quo promittitur pœna ſolvenda à vovente in caſu, quo hoc, vel illud fecerit, aut non fecerit, e. g. *ſi luſero, hanc, vel illam ſummam dabo in Eleemoſynam*. *Non pœnale*, quando conditio apponitur præciſè ut conditio, ut ſi dicas: *promitto me ingreſſurum Religionem, ſi convaluero, ſi pater meus conſenſerit &c.*

7 3 In Expreſſum, & Tacitum. *Expreſſum eſt*, quod verbis, ſcriptura, nutibus, Deo aliquid promittentibus ſeque obligandi voluntatem declarantibus editur. *Tacitum*, quod ſuſceptione voluntaria alicujus ſigni, cui ipſum annexum eſt, emitti cenſetur: & tale eſt Votum Continentiæ, quod ex Juris diſpoſitione præſumitur editum in ſuſceptione Ordinis Sacri.

4 In *Externum*, & *Internum*, *Publicum*, & *Occultum*, quæ diviſiones per ſe ſunt manifeſtæ, & ideo explicatione non indigent.

8 Denique celeberrima diviſione, *in Solemne*, & *non ſolemne*. In quo conſiſtat Voti Solemnitas, magna eſt apud DD. contentio. Communis apud RR. doctrina eam refundit in diſpoſitionem Eccleſiæ, ita acceptantis illud, ut ſecluſa diſpenſatione Apoſtolica, ſit perpetuum, & voventem inhabilem reddat ad actus Voto repugnantes. Tale Votum defacto eſt duplex duntaxat, videlicet Votum annexum ſuſceptioni Sacri Ordinis, & Profeſſio Religioſa; nam ita ab Eccleſia acceptantur, ut prius quidem ad contrahendum Matrimonium, poſterius ad dominium rerum temporalium retinendum, vel acquirendum perpetuò inhabilem reddat. Cætera omnia Simplicia dumtaxat ſunt, quia actus Voto contrarios, vel illicitos duntaxat reddunt, vel ſi invalidos (ſicut Vota Simplicia Societatis Jeſu, contractum Matrimonii) inhabilitatem iſtam non inducunt abſolute, & irrevocabiliter; nam ſolutis illis, inhabilitas per illa inducta ceſſat, quod in Solemnibus non niſi diſpenſatione Papali poteſt.

Quæritur 3. an, & cui licitum ſit vovere? *Ad* 1. 9
certa eſt omnium Catholicorum ſententia adverſus Hæreticos, licitum eſſe vovere, dummodo voveatur id, quod eſt de meliori bono, prout dictum eſt *num.* 3. *in fin.* Patet ex pluribus ſcripturæ textibus, præſertim *Num.* 30. *v.* 3. *Deut.* 23. *v.* 21. *Eccl.* 5. *v.* 3. & 4. ubi Deus Voto factam promiſſionem non ſolum approbat, ſed etiam obligationem illud implendi imponit. 2. exemplo irrefragabili; nam hæc fecerunt non ſolùm viri Sancti in utraque Lege, ſed & ipſi Ethnici ſuis Diis ea ſolverunt, tanquam actus Religionis à natura debitos Numini. 3. Ratione naturali ipſa, quæ dictat, quòd ſit opus ſalutare Deum colere Votis, cadentibus ſuper materiam Voto aptam.

Ad 2. Regula eſt certiſſima, Voto obſtringi poſſe 10
omnem hominem Viatorem, ratione utentem, niſi ſpecialiter impediantur. Ita S. Thom. 2. 2. *q.* 88. *art.* 8. & 9. receptus ab omnibus. *Ratio* eſt manifeſta, quia ut Voto ſuo obſtringatur vovens, plus non requiritur, quàm ut promiſſionem hominis Deus acceptet; atqui Deus promiſſionem de meliori bono ab homine ratione utente, aliunde non impedito, ſtatim acceptat, cùm ipſe ſit auctor omnis boni; ergo &c. *aliunde non impedito.* Porro impedimentum, ob quod Votum aliquando voventem non obſtringit, triplex eſt. 1. defectus uſus rationis. 2. defectus liberæ voluntatis, diſpoſitio Juris Votum irritantis.

Dub. 1. quinam ex *primo capite* vovere non poſſint? 11
Reſp. ex primo capite, videlicet ex defectu uſus rationis, vovere prohibentur furioſi, amentes, infantes, ſive, quod idem eſt, pueri uſque ad ſeptennium; quia de his præſumitur, quòd ante ſeptennium uſum rationis ſufficientem non habeant. *Præſumitur*, inquam, ſcilicet in foro externo; in interno enim, ubi Præſumptio locum non habet, ex ſtatu pueri, aliiſque circumſtantiis colligere Confeſſarius debet, an ille ſit Voti emittendi capax; capax autem Voti emittendi judicabitur, ſi tanto rationis uſu polleat, ut peccare mortaliter poſſit, ut cum Navarr. *Man. c.* 12. *n.* 68. communiter notant DD. & ratio eſt, quia ſecundum axioma Juris commune, qui per peccatum mortale obligare ſe poteſt Dæmoni, etiam poteſt per Votum ſe obligare Deo.

Dub. 2. quinam à Votis emittendis arceantur *ex de-* 12
fectu liberæ voluntatis? Reſp. ex hoc capite arcentur ii, quorum voluntas, aut Voti objectum ab alterius voluntate, ac diſpoſitione pendet. Tales ſunt 1. *Impuberes* majores ſeptennio; nam horum voluntas à Parentum, & Tutorum ſuorum voluntate pendet, ita, ut quamvis Votum ab ipſis editum ſine illorum conſenſu validum ſit, non tamen firmitatem habeat, ſed ab iiſdem irritari directè poſſit, ut dicetur *infra n.* 76. Ratio eſt, quia etſi rationis uſum aliquem habeant, adeo tamen imbecillem habent, ut meritò eorum voluntatem voluntati parentum, ac tutorum ſubjecerit Lex Eccleſiæ.

2 *Minores* Patriæ, & Curatorum poteſtati ſubjecti; nam hi etſi abſolutè vovere non prohibeantur, & vota ab iiſdem emiſſa valeant, irritari tamen poſſunt & ipſa à Parentibus, & Curatoribus, quatenus Patriæ, vel Curatoris poteſtati præjudicant, ut iterum *infra* 78. Ratio iterum eſt defectus plenæ diſcretionis; nam etſi hæc in Minore pubere major ſit, atque perfectior, non tamen tanta eſſe præſumitur, ut in diſpoſitione rerum ſuarum providere commoda, & incommoda omnia poſſit.

3. *Conjuges*; neuter enim aliquid contra jus conju- 13
gis vovere poteſt: diverſo tamen jure maritus, quàm uxor quoad iſtud cenſetur; nam maritus quoad cætera, quæ uſum Matrimonii non impediunt, liberam voluntatem vovendi habet, non item uxor; quia hæc, cùm caput ejus ſit vir, etiam alia quæ in rei domeſticæ detrimentum cederent vovere nequit. Vide de hoc *infra n.* 88. & *tres ſeqq.*

4 *Religioſi*: ſed in his diſtinguendum eſt; nam Vo- 14
ta realia Religioſi, Adminiſtrationem non habentes, omnino non poſſunt emittere; quia eſſent de re aliena, conſ. nec grata Deo. At perſonalia, ſi nihil contra Regulam, aut Regularem obſervantiam contineant, poſſunt emittere, quamvis & illa irritari à Superiore poſſint. Vide *infra num.* 85.

5 *Epiſcopus*; hic enim nulla nec realia, nec perſonalia Vota ſine licentia Papæ poteſt emittere, quæ Officium Epiſcopale impediunt, quale eſſet Votum longæ peregrinationis, ingrediendi Religionem &c. quia vinculum, quo ſuæ Eccleſiæ alligatur, etiam prætextu Pietatis non poteſt diſſolvere.

Dub. 3.

15 Dub. 3. quinam *ex dispositione Juris* vovere non possit? Resp. ex dispositione Juris Votum irritantis non potest Professionem, aut Vota Religiosa emittere Novitius, qui annum 16. ætatis, & integrum Probationis nondum explevit; quia sic emissam Professionem Ecclesia non acceptat, & irritam, & omni effectu destitutam vult, ut patet ex *Tit.* 31. *num.* 163. 170. *& seqq.*

Præter hunc casum nullus alius invenitur in Jure, in quo Vota emissa de materia honesta, & majoris boni ab Ecclesia irritentur, ut cum communi docet Suar. *lib.* 3. *de Vot. & c.* 3. *&* 4. Sanch. *l.* 4. *mor. c.* 24. *n.* 47. *& toto cap.* 25. Pal. *tr.* 15. *D.* 1. *p.* 19. *n.* 2. *&* 3. Habet tamen Pontifex potestatem etiam plura ex iis irritandi, si justa causa hoc postulet. Suar. *cap.* 3. *cit. n.* 8. Sanch. *cap.* 24. *cit. n.* 44. Pal. *num.* 2. *cit.* Ratio est, quia Ecclesia commissam sibi à Christo potestatem generalem habet, ut possit Fidelium suorum Vota vel acceptare absolutè, vel sub certa conditione, ita, ut illa non posita, sint invalida.

16 *Proceditque hoc*, non tantum de Votis externis, & manifestis, sed etiam de internis, & occultis, ut *loc. citt.* advertunt Suar. *n.* 11. Sanch. *n.* 40. Palao *n.* 2. *cit.* *Neque obstat*, quòd Ecclesia de actibus internis judicare, aut Jurisdictionem circa illos exercere nequeat: quia hoc intelligitur de Judicio forensi, & obligationem aliquam imponente, non verò de eo, quod bonum animarum respicit, & ab obligatione contracta liberat.

Dixi autem, *Si causa justa hoc postulet*, nam hac non interveniente, potestatem istam exercere Ecclesia nullatenus potest, ut rectè notat Pal. *loc. cit.* & ratio est, quia remissio hæc, & irritatio Voti fit nomine Dei, & per potestatem Jurisdictionis ab ipso concessam per verba: *Quodcunque solveris &c.* Deus autem non censetur velle, ut jus sibi acquirendum, vel acquisitum per Votum sibi factum remittatur sine justa causa; ergo &c.

Addidi *Pontifex*; nam hic solus Legem Vota irritantem statuere potest, non Episcopi, vel alii Prælati. Suar. *n.* 47. Pal. *n.* 2. *cit. in fin.* Neque conveniens erat, illius statuendæ potestatem ipsis concedi; quia hæc potius universale Ecclesiæ regimen, quàm particulare respicit. Ex quo solvitur, quod ulterius

17 Quæritur 4. an valida sint Vota à Religiosis, Filiisfamilias, uxoribus, servis emissa de materia majus bonum non impediente, sed sine consensu eorum, à quorum voluntate pendent? Resp. cum distinctione: Vel enim ejusmodi Votum est de materia præcepta, vel de materia per Legem positivam prohibita, vel de materia nec præcepta, nec prohibita.

Si Primum, ut si voveres non furari, vel Missam audire diebus festis, Votum de ea materia emissum validum est, etiamsi factum sit sine Superioris consensu; quia subjectio, quam hujusmodi personæ habent ad voluntatem alterius, non impedit ipsis liberum usum suæ voluntatis circa res licitas, & honestas, & juri Superiorum non præjudicantes. Pal. *tr.* 15. *D.* 1. *p.* 19. *n.* 4.

18 *Si secundum*, distinguendum est, an Votum ejusmodi sit de materia absolutè interdicta, an verò solùm prohibita quoad modum, ne scil. res sub Votum cadens e. g. jejunium fiat absque licentia Superioris. *Si Prius*, invalidum est Votum, quia est de materia incapace Voti: Votum enim non adversatur præcepto. Pal. *num.* 6. *Si posterius*, Votum, subintellecta conditione, *Si Prælatus consenserit*, valet, & obligat ad petendam à Superiore licentiam; quia jejunium cum licentia non prohibetur, sed potius consulitur: igitur Votum de eo factum est de meliori bono, adeoque ligat: irrisoria autem foret hæc obligatio, nisi obstringeret simul etiam ad petendam à Superiore licentiam; ergo &c. Pal. *n.* 7. *&* 8. aliique apud ipsum.

19 *Si tertium*, Vota de hujusmodi materia emissa valida sunt, à quocumque emittantur, ut liquet ex terminis. *Proceditque hoc*, etsi prohibitus sis vovere absque Superioris licentia; nam esto, modus promittendi malus sit, promissio tamen quoad rei promissæ obligationem tenet, & à Deo acceptatur, quia ad hunc effectum sola honestas rei promissæ spectatur. Suar. *lib.* 3. *de Vot. cap.* 6. *n.* 25. Sanch. *l.* 4. *mor. cap.* 24. *n.* 52. Laym. *l.* 4. *tr.* 4. *c.* 7. *n.* 9. *vers. qui habent*. Pal. *loc. cit. n.* 15. *Excipitur* nisi illa prohibitio simul esset & irritatio: quod tamen universaliter præsumendum non est, partim quia non omnes Superiores potestatem Vota irritandi habent, partim quia etiam, qui illam habent, non statim volunt esse irritum Votum, quando prohibent.

20 Dub. 1. qualiter obliget Votum Episcopi de Religione assumenda, & peregrinatione facienda? Resp. *ad* 1. ut Votum de Religione assumenda ab Episcopo conceptum valeat, fieri debet sub conditione licentiæ à Pont. impetrandæ: quia absque illa Episcopatui renuntiare non potest *c. nisi* 10. *de renunt. c. licèt* 18. *Regular.* ob spirituale conjugium inter Episcopum, & ejus Ecclesiam *c. inter corporalia* 2. *de Translat. Episc.*

Ad 2. distinguendum est, nam si talis est peregrinatio, quæ in muneris Episcopalis præjudicium non cedit, eò quòd mandari executioni possit tempore, quo Episcopis permittitur abesse à suis Ecclesiis, Votum ejusdem ab Episcopo factum est validum, nulla subintellecta conditione, ut omnes facilè concedent. At si peregrinatio sit ita diuturna futura, ut residentiam Jure Divino præscriptam impediat, invalidum est, saltem si sit absolutè emissum, quod iterum apud omnes certum est.

Difficultas est, an valeat emissum ab Episcopo sub conditione, *Si Pontifex licentiam dederit*? Affirmat Suar. *l.* 3. *c.* 4. *à n.* 4. Sanch. *l.* 4. *mor. c.* 25. *n.* 39. & videtur colligi ex *c. magnæ* 7. *hoc tit.* ubi Votum Hierosolymitanæ peregrinationis ab Episcopo factum commutatur; conf. validum fuisse supponitur. *Conf.* quia peregrinatio non est prohibita Episcopo, sed solum prohibetur ipsi, ne eam suscipiat sine licentia.

Sed verius tale Votum, etiam, sub conditione licentiæ impetrandæ factum, invalidum est. Ita Sylv. *V. Votum* 3. *q.* 1. Azor. *p.* 1. *l.* 11. *cap.* 16. *q.* 2. Sayr. *Clav. Reg. l.* 6. *cap.* 5. *n.* 24. Pal. *tr.* 15. *D.* 1. *p.* 19. *n.* 12. Ratio est, quia est de re impeditiva majoris boni, nam majus bonum Ecclesiæ est Episcopum residere in sua Ecclesia, & pascendis ovibus suis invigilare, quàm longis peregrinationibus incumbere. 2

Neque obstat *c. magnæ cit.* nam Votum, de quo ibi sermo est, fuit validum, vel quia tum temporis generalis licentia Episcopis data fuit à Pontifice, vel quia factum fuit pro subsidio impetrando in Ecclesiæ propriæ defensionem: de quo vide lectionem integram *c. cit.* *ad Conf.* esto, peregrinatio non sit prohibita in se, est tamen prohibita non residentia, & Episcopus vovens peregrinationem absolutè vovet non residere, quando alias tenetur: quod fieri non potest, nisi posita dispensatione.

Dub. 2. quid dicendum de aliis Clericis? Resp. hi 1 possunt emittere Votum Religionis absolutè, illudque exequi inconsulto Episcopo, ut ex communi sententia docet Pal. *tr.* 15. *D.* 1. *p.* 19. *n.* 14. *Proceditque* hoc probabilius etiam de Parochis; quia ut idem Pal. *n.* 13. rectè advertit, nullus extat in Jure textus, ex quo obligatio petendi licentiam ab Episcopo colligatur, & *c. admonet* 4. *de renunt.* ubi dimissio Ecclesiarum, inconsulto Episcopo, prohibetur, intelligendum est extra casum Religionis à Jure concessum, ut patet ex iis, quæ dicuntur *suprà Tit.* 31. *num.* 33. 2

Quoad Votum Peregrinationis distinguendum est inter Clericos, qui Beneficium residentiam exigens habent, & inter eos, qui vel nullum Beneficium habent, vel non habent residentiam exigens. *Priores*, præsertim si Parochi, vel Curati sint, ad suscipiendam peregrinationem, præcipuè si longior illa sit, indigent licentia Episcopi; non autem *posteriores*, & ratio est; quia in illis peregrinatio longior in muneris obligatorii præjudicium cedit; non verò in istis.

Dub. 3. an vovens, quando licentiam petit à Superiore rem Voto promissam implendi, teneatur eidem manifestare suum Votum? Affirmant Azor *p.* 1. *l.* 11. *c.* 16. *q.* 6. Sayr. *Clav. Reg. l.* 6. *cap.* 5. *n.* 20. Valent. *D.* 6. *q.* 6. *p.* 6. *q.* 2. Less. *l.* 2. *cap.* 40. *dub.* 13. *n.* 73. & alii relati à Sanch. *l.* 4. *mor. c.* 25. *n.* 28. *Moventur*; quia hæc Voti manifestatio conducit regulariter loquendo, ut facilius licentia obtineatur, & casu, quo neganda est, prudentius negetur, igitur vovens tenetur manifestare Votum suum; quia tenetur licentiam eo modo petere, quo credit obtinendam esse, vel prudenter negandam, ne convincatur, quòd animum, & verum propositum exequendi non habeat. 2

Sed probabilior videtur esse negativa sententia, nisi vovens ad manifestandum Votum expressè se obligasset. Ita Cajetan. 2. 2. *q.* 88. *art.* 8. *dub.* 2. §. *ad hoc dicitur*, Navarr. *Man. cap.* 12. *num.* 69. Suar. *tom.* 2. *de Relig. l.* 3. *de Vot. cap.* 6. *n.* 15. Sanch. *loc. cit. n.* 29. Laym. *l.* 4. *tr.* 4. *c.* 7. *n.* 7. Pal. *tr.* 15. *D.* 1. *p.* 19. *n.* 9. & apud hos alii. *Ratio est*, quia vovens ad id solum obligare censetur, quod est necessarium, & communiter sufficiens medium ad licentiam impetrandam; sunt enim Vota strictæ interpretationis, conf. virtualis intentio voventis ad extraordinaria, & communiter non necessaria media extendi non debet; atqui communiter, & per se loquendo ad impetrandam boni operis licentiam sufficit voluntatem, & desiderium ejusdem explicare Superiori; neque necessarium est manifestare se Voto id promisisse, ergo &c. 2

Ad Rationem in contrarium allatam incertum est, ex manifestatione Voti facilius sit concedenda licentia; fortè enim concedetur difficilius, quia ægrè sunt Superiores, hæc Vota se inconsultis emitti. Deinde esto, facilius sit obtinenda licentia, si Votum manifestetur, non tamen sequitur voventem obligari manifestationem; quia tantùm se obligavit ad ponenda media necessaria, & communiter sufficientia, *n. præced.* dictum est.

Quæritur 5. an teneat Votum non peccandi? Resp. distinguendo: Vel enim vovens se voluit obligare Voto suo tantùm ad vitanda peccata mortalia, vel etiam venialia, & si hoc, an ad vitanda omnia, an solum ad vitandum certum genus Peccatorum venialium.

Si primum. Votum ejusmodi validum est, utpote conceptum de re per vires gratiæ, quam omnes, ea uti volentes, paratam habent, possibili. Navarr. *summ.* *p.* 12. *num.* 65. Azor. *p.* 1. *l.* 11. *cap.* 14. *q.* 4. Suar. *tom.* 2. *Relig. l.* 2. *de Vot. cap.* 3. *n.* 2. Less. *l.* 2. *de Just. c.* 40. *n.* Sanch. *l.* 4. *mor. cap.* 5. *num.* 16. Pal. *tr.* 15. *D.* 1. *p.* 8. *n.* 4. qui tamen addit Votum hoc consulendum non esse, præsertim homini fragili, & alias similibus peccatis dedito, ob transgressionis periculum.

Si secundum, & vovens obligare se voluit ad non peccandum nec mortaliter, nec venialiter, tale Votum quoad collectionem omnium peccatorum invalidum est; quia moraliter, & spectato communi rerum cursu, & auxiliis à Deo concessis, impossibile est vitare omnia omnino peccata, etiam venialia minima. Ita *loc. cit.* Azor *quæst.* 4. Suar. *num.* 5. Less. *num.* 31. Sanch. *n.* 10. *Id. num.* 5.

Si tertium, & vovens se obligare voluit solùm ad vitandum certum aliquod genus peccatorum venialium, Votum hoc regulariter validum, sed nequaquam consulendum est ob periculum; quia, spectato communi ordine Gratiæ, potest quis unum, vel alterum genus peccatorum venialium evitare, præcipuè si sint peccata plena advertentia, & deliberatione. Suar. *n.* 4. Sanch. 18. Pal. *num.* 11. cum *citt.*

Addidi *regulariter*; sunt enim aliqua peccata venialia, quæ attenta fragilitate humana, longo tempore vitari moraliter nequeunt, qualia sunt distractiones sub oratione, verba otiosa &c. & ea de causa, si per se sumantur, materia Voti esse non possunt, quamvis possint in consequentiam, & quatenus comprehenduntur in materia absolutè promissa. Suar. *c.* 3. *cit. n.* 11. *&* quem citat, & sequitur Pal. *dict. num.* 11.

Quæritur 6. quando censeatur res promissa esse de meliori bono? Resp. tunc, quando est de re magis grata Deo, quàm sit rei, vel operis eo promissi oppositum. In exemplum passim datur Matrimonium; nam ejus promissio Deo facta ex communi sententia per se loquendo non valet, quia excludit Statum Religionis, & Cœlibatum, ex natura sua perfectiores Statu Matrimoniali juxta illud: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, & sequere me.*

Dixi *per se loquendo*; nam plures sunt casus, in quibus etiam Votum Matrimonii contrahendi valet. Et talis est 1. quando Matrimonium est de præcepto, cum puellæ corruptæ, & imprægnatæ de eo cum ipsa ineundo data est fides, aut cùm inter Christianos Principes ejus contractu pax stabiliri, Religio conservari, vel propagari, aut alia gravia, & publica mala sisti, vel averti possunt. Suar. *lib.* 2. *de Voto cap.* 9. *num.* 8. Sanch. *l.* 4. *mor. cap.* 8. *num.* 51. Laym. *l.* 4. *tr.* 4. *cap.* 2. *num.* 12. Vviest. *hic num.* 9.

2 Quando vovens ob carnis fragilitatem, aut inveteratam peccandi consuetudinem ad lapsum carnis est adeo pronus, ut virorum prudentum judicio consultum sit ei Statum Matrimonialem amplecti; tunc enim stante hac fragilitate, Votum Matrimonii est de meliori bono, cons. observandum saltem ab eo, qui alia media ad vincendas tentationes adhibere non vult. Suar. *n.* 12. Less. *n.* 44. Sanch. *n.* 53. Laym. *n.* 12. Pal. *§.* 1. *cit.* 4. Vviest. *hic n.* 10.

3 Quando is, qui aliàs matrimonium est contracturus, vovet se ducturum puellam pauperem, & miserabilem, ut inopiæ ejus succurrat; nam tali casu vovens à meliore bono, & perfectiore statu non impeditur, sed solummodo in eventum, quo Matrimonium incundum est, melior & perfectior ejus status eligitur. *cap. inter opera* 20. *de Sponsal. & Matrim.* Henriq. *l.* 11. *cap.* 6. *n.* 5. Suar. *cap.* 9. *cit. n.* 27. Laym. *n.* 12. *cit. vers. tertiò*, Pal. *num.* 15.

§. II.

De Voti Obligatione.

SUMMARIUM.

31 32 *Qualem obligationem inducat Votum deliberatè factum?*
33 34 35 *Qualem, quod dubium est?*
36 *Aut incertæ quantitatis, vel qualitatis? Ratione dubitandi.*
37 *Resolvitur quæstio.*
38 *Declaratur resolutio.*
39 *Respondetur ad opposita.*
40 41 *Quando Votum implendum sit?*
42 43 44 *Quando impletio ejus licitè differri possit?*
45 *An Voto ab aliquo edito adstringi etiam alii possint?*
46 *Deciditur negativa, nisi isti consentiant.*
47 *Sequelæ ex hac doctrina deductæ.*
48 *Respondetur ad Argumenta contraria.*
49 *An Votum suum vovens per alium implere possit?*
50 *Vel per Procuratorem?*
51 52 53 *An, & quando Voto defuncti teneatur Hæres?*
54 55 56 57 *An is, qui vovit Religionem, possit licitè ante Votum impletum suscipere Episcopatum?*

Quæritur 1. an, & qualem obligationem inducat Votum deliberatè factum, & cæteris suprà requisitis instructum? Resp. 1. ad vovendum nulla est obligatio. Patet ex *c. licèt* 6. *pr. hoc tit.* ibi *Universis liberum sit arbitrium in vovendo.* 31

2 Post Votum factum necessariò illud implendum est *c. licet cit.* ibi *Usque adeo solutio necessaria est post Votum, ut sine propriæ salutis dispendio alicui non liceat resilire*; in hoc enim par Voti cum Contractibus ratio est, qui ab initio liberæ voluntatis, postea tamen necessitatis sunt *l. sicut* 5. *C. de O. & A.* & meritò; nam si fidem homini datam non oportet frangere, multo magis fidem Deo datam servare oportet.

3 Obligatio hæc plerumque est commensurata gravitati objecti. Hinc si objectum grave est, nisi aliud constet, censetur vovens sibi imposuisse obligationem gravem; si verò leve, levem tantum: imò eo casu, ut communis sententia habet, non est locus obligationi gravi, nisi objectum ipsum ex circumstantiis fiat grave. 32

4 Quoad cætera obligatio Voti commensuratur intentioni ipsius voventis: quia Votum est Lex privata; Lex autem, & hujus obligatio ex mente Legislatoris pendet. Vviest. *hic num.* 22.

Quæritur 2. quam obligationem inducat Votum dubium? Resp. multipliciter Votum dubium esse potest. 1. dubium esse potest, an aliquis voverit? 2. an valeat Votum, quod scit se emisisse? 3. an Votum, quod scit se validè emisisse, adhuc eumdem stringat? 33

Si primum contingat, & dubites, an revera Votum emiseris, inquirere primum in rei veritatem debes, qua inquisitione diligenter facta, si dubius adhuc de Voto emisso maneas, dicendum ad ejus observationem te non teneri, ut cum communi notant Zoesius *hic num.* 50. Schambog. *num.* 27. & ante hos Sot. *l.* 7. *de Just. quæst.* 3. *art.* 2. *docum.* 2. Vers. *sed est hic*, Medin. *l.* 1. *Summ. c.* 14. §. 7. *fol.* 70. Capua *l.* 2. *decis.* 31. *in fin.* Rodriq. *tom.* 2. *summ. cap.* 99. *num.* 5. Henriquez *l.* 11. *de Matrim. cap.* 11. *num.* 5. *& lib.* 8. *de Euch. cap.* 45. *num.* 3. *in Comment. lit. P.* Ludov. Lopez *p.* 1. *Instruct. cap.* 45. §. *dubitans de Voto*, quos citat, & sequitur Sanch. *l.* 2. *de Matrim. D.* 9. *n.* 11. *& l.* 2. *D.* 41. *num.* 32. *Ratio est* quia in dubio melior est conditio possidentis *Reg. in pari* 65. *in* 6. atqui in hoc casu voluntas possidet suam libertatem, cùm de vinculo contracto dubitetur, ergo in hoc dubio pro libertate judicandum est. *Conf.* nemo tenetur solvere, nisi qui probatur debere; dubius autem, quamdiu dubius est, non probatur debere. ergo &c.

Si secundum, & certus sis de Voto emisso, dubius autem, an validè illud emiseris, quia dubitas, an habueris animum te obligandi, deliberationem sufficientem &c. videri posset, pariter non obligare Votum. 1. quia etiam Juramentum in tali dubio non obligat. 2. quia dubitare de animo obligandi, an illum quis habuerit emittendo Votum, perinde videtur, ac dubitare de ipso Voto, quippe quod sine animo se obligandi nequit consistere. 3. quia in hoc casu non minus, ac in priore libertas videtur esse in possessione. *Sed retinenda* est affirmativa sententia, quam etiam defendit Sanch. *loc. cit. n.* 13. Zoes. *hic n.* 51. *&* 52. Schambog. *loc. cit. Ratio est* quia probato facto, præsumuntur interveniſſe 34

venisse omnia ad factum requisita, ut bene Abb. *in c.* 1. *de his, quæ vi, metusve causa &c. n.* 9. & colligitur ex *c. præsentia* 8. *de probat.* ubi probata Professione, præsumitur profitentem habuisse legitimam ætatem, & neganti incumbit probatio. *Neque contrarium probant Argumenta allata. Ad* 1. id procedit, quando constat Juramentum fuisse extortum metu; nam iste vehementem ficti consensus conjecturam præbet. *Ad* 2. est quidem de Voto dubium, sed tale, ut præsumptio stet pro valore Voti, quippe cùm semper præsumatur mens concordare verbis. *Ad* 3. sequitur ex modò dictis, possessionem stare pro voto, quippe quod præsumptionem pro se, & sui valore habet.

35 *Si denique contingat tertium*, & postquam constat Votum validè emissum esse, dubium sit, an adhuc stringat, iterum dicendum est voventem obligari Voto suo; nam tamdiu aliquis convincitur debere, quamdiu non probet, quòd debitum, quod fatetur se contraxisse, exsolverit: conf. Votum est in possessione, & præsumtio contra libertatem.

36 Quæritur 3. an, & ad quid obliget Votum rei, e, g. Eleemosynæ, aut Oblationis quoad quantitatem, vel qualitatem indeterminatæ? Difficultatem faciunt diversi Juris Canonici, atque Civilis textus, 1. *l. triticum* 94. *& l. qui insulam* 95. *ff. de V. O.* junct. Gloss. *in l. legato* 37. *V. pessimus ff. de Legat.* 1. secundùm quas stipulatio, & Legatum vitiatur incertitudine rei promissæ, vel legatæ, & pronuntiatur eo casu nihil deberi; videtur autem eadem esse ratio Voti, quæ alterius promissionis, aut stipulationis, ergo nec vovens, si rem incertam voverit, ad aliquid obligabitur. 2. *l. Titia* 38. §. *Seja* 2. *ff. de aur. argent. &c. legat.* per cujus textum ab eo, qui Ecclesiæ Statuam legavit, argentea potius, quam ærea præstanda est; ergo etiam in Voto non minima quantitas, & vilissima qualitas, sed major, & melior præstanda venit. 3. *c. cum dilecti* 6. *de Donation.* ubi dicitur plenissimam interpretationem faciendam in beneficiis; ergo etiam in Votis, & Donationibus piis.

37 Sed dicendum, ejusmodi indeterminatione, & incertitudine Votum nec vitiari, nec obligationem induci ad præstandam quantitatem majorem, vel qualitatem meliorem, sed sufficere, & requiri, ut præstetur res in quantitate, vel qualitate utili: conf. qui ex pluribus equis, vel calicibus, quos habet, vovit equum, vel calicem quoad individuum indeterminatum, satisfaciet, si præstet, quem maluerit, modò ille utilis fuerit. Ita Abb. *cap.* 18. *de Censib. num.* 2. *& seqq.* Butrio *ibid. n.* 7. Barbos. *n.* 3. Sanch. *l.* 4. *mor. c.* 13. *à n.* 4. Pal. *tr.* 15. *D.* 1. *p.* 12. *n.* 23. *&* 24. Vviest. *hic n.* 28. & hoc teste communis doctrina. *Quod Votum per ejusmodi incertitudinem non vitietur*, patet quia tale Votum, licet incertum quoad quantitatem, & qualitatem, est tamen de re honesta, & possibili, ut ponitur; ergo obligat ad sui impletionem, qua incertitudo determinetur.

38 *Quòd verò sufficiat, si impletio fiat in quantitate minima utili*, ostenditur 1. ex *cap. ex parte* 18. *de Censib.* ubi de Voto, quo D. Jacobo Compostellano promissa est mensura tritici, decidit Pontifex, satis esse, si minima reddatur. 2. *ex l. nummis* 75. *ff. de Legat.* 3. ubi Ulpianus, *Nummis*, inquit, *indistinctè legatis, hoc receptum est, ut exiguiores legati censeantur.* 3. ex *ratione*; quia Votum solùm obligat, ut promissum servetur, quod verificari optimè potest, si in minima quantitate utili impleatur. *Excipitur*, nisi aliter ferat consuetudo; nam ex consuetudine optimè colligitur intentio voventis: & hinc quia Ecclesia ad Sacrificium Missæ calice inferioris qualitatis uti non solet, qui vovit calicem alicui Ecclesiæ dare, donare debet argenteum, nisi vovens nimis pauper esset, & in Ecclesia illa essent stannei, vel cuprei. Pal. *num.* 24. *cit.* & alii apud ipsum *citt.*

39 Neque obstant textus allati in contrarium. *Ad* 1. negatur paritas inter promissiones profanas, & pias; nam posteriores ex speciali favore causæ piæ sustinentur, & determinari debent secundùm promittentis facultates, & alias circumstantias, prout sustinetur, & determinatur Jure Civili etiam Dos incerta promissa, cùm non minor favor esse debeat piæ causæ, quàm Dotis. *Ad* 2. in casu *l. Titia cit.* de mente voventis satis constabat ex circumstantiis; nam in æde sacra, cui ibi promissa est Statua, extabant aureæ tantum, & argenteæ Statuæ: præsumitur autem quivis donare velle, quod in tali loco est usitatum. *Ad* 3. in beneficiis Principum, & Nobilium fieri lata interpretatio debet; quia hæc videtur menti illorum conformior: contrà in Votis; nam istorum obligationes, ne sacrilegæ violationi occasio facilè detur, sunt restringendæ, & locum potius habet *Reg. semper* 9. *ff. & Reg. in obscuris* 30. quæ in obscuris minimum sequendum suadent.

Quæritur 4. quando Votum implendum sit? Res[...] stinguendo: vel enim factum est cum designatione [...]poris, vel sine illa absolutè. *Si primum*, implen[...] est pro tempore designato, nisi justa, & rationa[...] causa dilationem suadeat *cap. non est* 5. *hoc tit.*

Si secundum, Navarr. *Man. cap.* 12. *n.* 42. Cajet. *quæst.* 88. *art.* 3. Ludov. Lopez 1. *p. Instruct. cap.* 44. *pr.* [...]ginald. *l.* 18. *summ. num.* 286. volunt id ex obligat[...] implendum, quando voventem conscientia pro executione remordet. Verùm hæc Regula, ut bene [...] aliis *infrà citandis* advertit Sanch. *l.* 4. *mor. cap.* 1[...] 4. pro timoratis est nimis scrupulosa, nimis laxa [...] negligentibus, cùm illos facilè, & frequenter, [...] perrarò conscientia remordere soleat.

Quare dicendum, Votum ejusmodi implendum, [...] primùm judicio prudentis, & spectatis circumstant[...] potest sine notabili incommodo. Ita S. Thom. 2. 2. [...] 88. *art.* 3. *ad* 3. Sylv. *V. Votum* 2. *qu.* 5. Azor. *p.* 1. *l.* [...] *cap.* 15. *qu.* 10. Suar. *l.* 4. *de Vot. cap.* 12. *à n.* 6. Sanch. [...] *n.* 5. Laym. *l.* 4. *tr.* 4. *c.* 3. *n.* 5. Pal. *tr.* 15. *D.* 1. *p.* 13. [...] Pirh. *hic n.* 8. Vviest. *n.* 25. & colligitur ex Script. *D*[...] 23. *v.* 21. ubi Deus, *Cùm votum*, inquit, *voveris Do[...]no Deo tuo, non tardabis reddere; quia requiret i[...] Dominus Deus tuus; & si moratus fueris, reputab[...] tibi in peccatum.* Similia habentur *Eccles.* 5. *v.* 3. [...] Sapiens. *Si quid*, ait, *vovisti Deo, ne moreris redd[...] displicet enim infidelis, & stulta promissio. Ratio* [...] quia hoc est de ratione promissionis in genere, ut [...] tim obliget, & impleri debeat, cùm primùm spect[...] circumstantiis potest, si sit absolutè, & sine determina[...]tione temporis facta, & à promissario acceptata, j[...] Regulam, *In omnibus obligationibus, in quibus dies [...] ponitur, præsenti die debetur:* quæ est 14. *ff.*

Quæritur 5. quando licitè executio Voti ad aliqu[...] tempus differri possit? Resp. id fieri potest in trip[...] casu. 1. si spes sit fore, ut vovens postea Votum su[...] utiliùs, & meliùs executurus sit, ut si ingressum R[...]gionis, quam vovisti, differas, donec ad asperit[...] ejusdem idoneus fias, vel scientiam, & eruditione[...] quam in Religione æquè obtinere non potes, obtin[...] vel parentes tuos, qui nunc ingressum tuum ægrè [...]runt, sed sperantur persuadendi, persuaseris. Sylv. [...] *Votum* 2. *qu.* 3. Sanch. *l.* 4. *mor. cap.* 14. *num.* 8. Laym [...] 4. *tract.* 4. *cap.* 3. *num.* 5. *prop. fin.* Pal. *tract.* 15. *D.* [...] *p.* 13. *num.* 6. Pirh. *hic num.* 9. Ratio est, quia ita di[...]rens censetur votum implere meliùs, modo non sit [...]riculum, ne interea interveniat impedimentum per[...]tuum, aut Votum dilatione minuatur.

2. Si occurrat impedimentum: ubi tamen distingu[...]dum est, an impedimentum illud sit perpetuum, [...] temporale; nam *si temporale duntaxat est*, imple[...] Voti differri potest, donec commodè, & quietè exe[...]tioni mandari possit. *Si perpetuum* distinguendum [...] denuò, an absolutam impotentiam, seu impossibili[...]tem inducat, an verò difficilem solùm Voti execut[...]nem reddat: *Si hoc secundum*, Votum vel commuta[...]dum, vel in eo dispensandum est, prout sumitur ex [...] *quod super* 8. *h. tit. Si primum*, commutatione, vel [...]spensatione non est opus, sed sine his vovens liberat[...] ab obligatione solvendi Votum sicut liberatur prom[...]tens ab obligatione præstandi rem promissam, si hu[...] præstatio facta sit absolutè impossibilis. Suar. *l.* 4. [...] *Vot. cap.* 11. *num.* 17. Sanch. *l.* 4. *mor. cap.* 2. *num.* 25. Pi[...] *hic num.* 11. *not.* 1. Schambog. *num.* 29. & ratio est, qu[...] ad impossibile nemo teneri potest.

3. Si Voti executioni nullum tempus sit designatur[...] nam eo casu licèt secundùm dicta *num.* 41. statim, [...] commodè potest, implendum sit, ad aliquod tam[...] breve tempus, etiam sine gravi causa differri potest[...] Azor. *p.* 1. *l.* 11. *cap.* 15. *qu.* 10. Suar. *l.* 4. *cit. c.* 12. *n.* 12. [...] 13. Sanchez *l.* 4. *cit. c.* 14. *n.* 5. *&* 6. Laym. *cap.* 3. *cit. n.* [...] Pal. *p.* 13. *cit. num.* 4. *Ratio est*, quia dictiones *statim* [...] *quamprimum* juxta *l. ratum* 13. *& l. quod dicimus* 10 [...] *ff. de Solution.* cum quodam temperamento, & spat[...] temporis intelligendæ sunt. Spatium autem hoc n[...] maximum, nec minimum esse debet, sed ex circum[...]stantiis Prudentis viri arbitrio metiendum, ut habet [...] *l. continuus* 137. §. *cùm ita* 2. *ff. de V. O.* & cum *citt.* n[...]tat Vviest. *hic num.* 26.

Quæritur 6. an Voto ab aliquo edito adstringi etiam alii possint? Videtur posse. 1. ex *cap. licet* 6. *hoc tit.* u[...] Votum, quo Andreas Hungariæ Rex promisit exped[...]tionem in Terræ Sanctæ subsidium, adimplere coact[...] est filius. 2. ex *praxi & usu communi*, quo à Mag[...]stratibus in beneficiorum à Deo acceptorum mem[...]riam, vel ad avertendum mali imminentis periculum s[...]

pe

pe eduntur Vota, ad quæ obſervanda deinde adſtringitur populus. 3. ex *ratione*; quia aliena voluntate v. gr. parentum Baptiſmo offerri poteſt filius, & eo ſuſcepto, ad Legem Chriſtianam obligatur, ſi adoleſcat; ergo eadem parentum voluntate obligari poterit Religione Voti.

Sed omnino dicendum, Voto quocumque adſtringi ſolum voventem, non alium, niſi conſentiat. Ita Sylv. *V. Votum* 2. *q.* 9. Sot. *l.* 7. *de Juſt. quæſt.* 2. *art.* 1. *ad* 5. Suar. *l.* 4. *de Vot. c.* 9. *à n.* 2. Sanch. *l.* 4. *mor. c.* 15. *num.* 14. Laym. *l.* 4. *tract.* 4. *cap.* 3. *num.* 6. Pal. *tr.* 15. *D.* 1. *p.* 15. *n.* 1. *& ſeqq.* Zoeſ. *hic n.* 58. Vvieſt. *n.* 34. & hoc teſte communis doctrina. Ratio eſt, quia Votum eſt Lex privata, quam vovens ſibi ipſi ponit: item obligatio ejuſdem eſt voluntaria; igitur ex natura ſua ligare non poteſt alium, niſi conſentientem, cùm omnino perſonalis ſit ejus obligatio.

Ex quo ſequitur 1. quòd hæres, filii, ſucceſſores, non adimplentes Vota Teſtatorum, Parentum, & Anteceſſorum, nullatenus ſint rei Voti violati, quamvis, ut *num.* 51. dicam, aliud peccatum perpetrare poſſint. Sanc. *loc. cit.* Pal. *n.* 3.

Sequitur 2. non poſſe voveri factum alienum e. gr. jejunium, peregrinationem, ingreſſum Religionis ab altero faciendum, niſi eatenus, quatenus vovens promittit diligentiam, & conatum, ut id fiat, quod pro alio promiſſum eſt; ſed tunc non ampliùs erit Votum rei, aut facti alieni, ſed proprii. Suar. *l.* 2. *de Vot. c.* 1. *n.* 7. Sanch. *l.* 4. *mor. c.* 5. *n.* 9. Pal. *D.* 1. *cit. p.* 8. §. 1. *n.* 1.

Sequitur 3. eum, qui Votum ſuum implere ex quacumque cauſa, etiam ſua culpa, non poteſt, non teneri, ut curet Votum hoc ſuum, ſive reale, ſive perſonale illud ſit, impleri per alium, niſi ad hoc ipſum intendiſſet ſe obligare. Navarr. *Man. c.* 12. *n.* 55. Suar. *c.* 10. *n.* 10. Laym. *c.* 3. *cit. n.* 9. Vvieſt. *n.* 37. *Ratio eſt*, quia voventis promiſſio ſe non extendit ultra ipſius intentionem, fuit autem intentio promittentis actum, vel opus promiſſum per ſe, vel de ſuo præſtare, ut ponitur. ergo &c.

8 Neque contrarium probant Rationes dubitandi allatæ. *Ad* 1. in caſu *c. licèt cit.* filius ad perſolvendam peregrinationem Hieroſolymitanam, quam Pater ejuſdem voverat, ideo ſolùm fuit compulſus, quia intellecta pia voluntate Patris, promiſit ſe illud impleturum; conſ. ad implendum ſuo potiùs, quàm patris Voto obſtringebatur. *Ad* 2. ut Voto edito à Magiſtratu ſubditi, & edito à majori parte communitatis tota communitas teneatur, neceſſarium eſt, ut à ſubditis, & reliquis communitatem conſtituentibus acceptetur: ſi hoc non fiat, & accedat authoritas Epiſcopi, totam Communitatem ad ejus obſervantiam obligantis, obligabuntur quidem omnes, non tamen in vim Voti, ſed Legis authoritate Eccleſiaſtica latæ, & approbatæ. *Ad* 3. negatur paritas: nam, ut rectè advertit Zoeſ. *hic n.* 59. Profeſſio Fidei eſt immediatè ex obligatione Divinæ Legis, quam Chriſtus potuit imponere ſola ſua voluntate; at obligatio Voti eſt relicta arbitrio hominis, à cujus libera voluntate emanare debet, ut teneatur.

49 Quæritur 7. an Votum ſuum vovens per alium implere poſſit, vel alius loco voventis? Reſp. diſtinguendo, an Votum ſit Perſonale, Reale, vel Mixtum. *Si perſonale eſt*, patet, per alium illud impleri nequaquam poſſe. Abb. *in c. licèt* 6. *h. tit. n.* 12. Sylv. *V. Votum* 2. *q.* 10. Navarr. *Man. c.* 12. *n.* 55. Sanch. *l.* 4. *de Vot. c.* 15. *num.* 3. Laym. *l.* 4. *tr.* 4. *c.* 3. *n.* 9. Pal. *tr.* 15. *D.* 1. *part.* 15. *n.* 4. *Ratio eſt*; quia nullus implere poteſt Votum, niſi exequendo rem promiſſam, ſed res promiſſa in Voto Perſonali eſt actio propria voventis, non alterius. ergo &c. *Proceditque hoc* probabiliter etiam caſu, quo Votum ejuſmodi factum eſt ab eo, qui dum Votum fecit, agnovit ſe impotentem eſſe ad exequendum, quia, ut cum Suar. & Bonac. notat Pal. *n.* 4. *cit.* credendum eſt potiùs temerè, & arroganter promiſiſſe, quàm contra verba promiſſionis obligationem voluiſſe contrahere.

50 *Si Reale eſt*, impleri medio Procuratore poteſt; quia materia ejus eſt res à vovente extrinſeca, quæ à quocumque exhibeatur ad finem à vovente intentum, ſatisfit obligationi: quodſi vovens exſolvere ex ſuo Votum nequeat, ſatisfit Voto, ſi nomine voventis alius rem Voto promiſſam in finem Voti implendi det; quia idem erit, acſi donata voventi, & hujus mandato pro impletione Voti fuiſſet expenſa: non tamen obligatur, ita impotens factus, aut corrogare illam per Eleemoſynam, aut rogare amicum, ut nomine ſuo ſatisfaciat; quia ſolùm vovit rem donare, ſub qua promiſſione non comprehenditur petere ab amicis, ut nomine ſuo donent, cùm hæc duo longè diverſa ſint. Suar. *l.* 4. *de Vot. c.* 10. *n.* 10. Sanch. *l.* 4. *cit. c.* 15. *n.* 7. Laym. *l.* 4. *tr.* 4. *c.* 3. *n.* 8. Pal. *tr.* 15. *D.* 1. *p.* 15. *n.* 5. *&* 6.

Si denique Mixtum ſit, videndum, an id, quod perſonale in eo eſt, ſit ſeparabile ab illo, quod in ipſo reale eſt, vel non. *Si hoc ſecundum*, impleri debet per ipſum voventem, ut patet. *Si primum*, id, quod perſonale eſt, impleri per voventem debet, quod reale, fieri per alium poteſt. Vide Pal. *l. cit. num.* 7. & ab ipſo relatos.

Quæritur 8. an Voto defuncti teneatur Hæres? Reſp. 51
diſtinguendo; nam 1. *Si Votum ſit perſonale*, quale eſt Votum certarum precum, peregrinationis, jejunii, aut alterius mortificationis, obligatio ejuſdem ad hæredem non tranſit, ſed cum vovente extinguitur, ut exploratum eſt apud omnes, & probat perſpicua ratio; quia talia Vota ſunt de actione ipſius voventis, quæ ab hærede præſtari nequit. *Neque obſtat*, quòd hæres repræſentet perſonam defuncti; revera enim eſt perſona diſtincta, quæ promiſſione alterius formaliter obligari non potuit. *Formaliter*, inquam; nam ad actionem ſimilem aliquando obligari poteſt: idque ex duplici capite, ſi vel Teſtator eum inſtituit cum obligatione eam præſtandi, vel ipſe ſponte promiſit ſe facturum, quod defunctus promiſit, ut *n.* 48. *ad* 1. *arg.* dictum eſt, & notat Sanch. *l.* 4. *mor. c.* 15. *n.* 22. *& ſeqq.* Laym. *l.* 4. *tr.* 4. *c.* 3. *concl.* 2. Pal. *tr.* 15. *D.* 1. *p.* 16. *num.* 1. Zoeſ. *hic n.* 61. *&* 62.

2 *Si Votum ſit Reale*, hæres voventis implere illud 52
debet juxta vires hæreditatis, ut cum communi docet Sylv. *V. Votum* 2. *q.* 11. Navar. *Man. cap.* 12. *n.* 56. Leſſ. *l.* 2. *de Juſt. c.* 40. *n.* 65. Sanch. *c.* 15. *cit. n.* 25. Laym. *n.* 13. *cit. pr.* Pal. *n.* 2. & conſtat ex Juris utriuſque textibus: Canonici quidem *c. ex parte* 18. *de Cenſib. cap. ſi hæredes* 6. *de Teſt.* & *c. licèt* 6. *h. tit. Civilis* autem *l. ſiquis rem* 2. *ff. de Pollicit.* Ratio eſt, quia hæres adeundo hæreditatem illam ſuſcipit cum obligationibus, & oneribus realibus ipſi annexis; talia autem ſunt etiam illa, quæ Teſtator defunctus vovit. ergo illa debebit ſolvere, non quidem ex vi Voti, à Teſtatore defuncto editi, ſed Contractus, vel quaſi Contractus, adeoque ex obligatione Juſtitiæ. Quod ita verum eſt, ut etiam hæres, ſi monitus à Judice intra annum exequi Vota illa diſtulerit, ad executionem eorundem ſub pœna Excommunicationis, & privationis hæreditatis, tanquam indignus, compelli poſſit, prout ſtatuitur *c. ſi hæredes*, & *c. licèt citt.*

3 *Si Votum ſit mixtum*, id, quod in eo perſonale 53
eſt, hæres perſolvere non tenetur ob rationem *ſupra* allatam de Voto perſonali; tenetur tamen præſtare illud, quod in eo reale eſt, ſi à perſonali ſit ſeparabile, & independenter ab eo promiſſum, ſed non niſi juxta vires hæreditatis, & ſalva legitima hujuſmodi hæredi debita; nam hæc Votis, & Legatis, aliiſque obligationibus gravari non poteſt. Suar. *l.* 4. *de Vot. c.* 11. *n.* 2. *& ſeqq.* Sanch. *n.* 25. *cit. & ſeqq.* Tambur. *Decal. p.* 1. *l.* 3. *c.* 12. §. 4. *n.* 3. Zoeſ. *hic n.* 63. Pirh. *n.* 12. Schambog. *n.* 33. Vvieſt. *n.* 41.

Quæritur 9. an is, qui vovit Religionem, poſſit li- 54
citè ante Votum impletum ſuſcipere Epiſcopatum? Affirmant Rodriq. *tom.* 2. *ſumm. c.* 6. *n.* 6. Henriq. *l.* 10. *cap.* 3. *ad fin.* & colligi videtur ex *cap. per tuas* 10. *h. tit.* ubi Pontifex ei, qui poſt Votum Religionis editum electus eſt in Epiſcopum, Religionis ingreſſum ſolummodo ſuadet, non præcipit, cùm utatur verbo *Conſulimus. Conf.* quia Votum non infringit, qui illud in melius mutat *cap. pervenit* 3. *de Jurejur.* atqui Epiſcopatus eſt ſtatus perfectior Religioſo *c. licet* 18. *de Regular.* ergo &c.

Sed utendum eſt diſtinctione: Vel enim electio ta- 55
lis ab electo ſolum eſt acceptata, vel ea inſuper à Sede Apoſtolica confirmata. *Si primum*, ita electus, dimiſſo Epiſcopatu, Religionem ingredi debet, & quia Spiritualis conjugii vinculo nondum ligatus eſt, liberè poteſt. Azor *p.* 1. *l.* 11. *c.* 16. *q.* 2. & *c.* 22. *q.* 13. Suar. *tom.* 3. *de Religion. l.* 1. *c.* 19. *n.* 3. Sanch. *l.* 4. *mor. c.* 17. *num.* 5. Pirh. *hic n.* 18. Schambog. *n.* 36. Vvieſt. *n.* 43.

Si ſecundum, etſi ita electus electioni conſentiendo pec- 56
carit, adimplere tamen Votum per actualem ingreſſum in Religionem ſine Apoſtolicæ Sedis authoritate nequit ob vinculum ſpiritualis conjugii, quod intercedit inter Epiſcopum confirmatum, vel conſecratum, & ejus Eccleſiam. Suar. *l.* 3. *c.* 4. *n.* 8. Sanch. *c.* 17. *cit. n.* 6. Barb. *in c. per tuas cit. n.* 5. Gonzal. *ib. n.* 3. Pirh. *hic n.* 21. Schambog. *n.* 39. Vvieſt. *n.* 44. eritque tunc in arbitrio Papæ poſitum vel concedere licentiam ingrediendi Religionem, vel diſpenſare in Voto Religionis: quod ultimum ple-

plerumque fiet casu, quo ita electus crederetur fore utilior Episcopatui, eique meliùs, quàm alii, præfuturus, ut Pirh. Vviest. *l. cit.* notant.

57 Neque obstat *c. per tuas citat.* nam, quòd eo textu Pontifex non tantùm consilium det; sed etiam præceptum imponat, clarè indicant verba, *Si suam sanare desiderat conscientiam* quibus indicavit, quòd ita vovens sui electionem ad Episcopatum non sine læsione conscientiæ acceptare possit. *Ad Conf.* etsi Episcopatus secundùm se sit perfectior Religioso, non tamen est perfectior secundùm media, quibus utitur, ut tendat ad Perfectionem; nam Status Religiosus talibus utitur mediis, quibus utens perfectus fiat; Episcopatus autem talia non suggerit, sed potiùs supponit Perfectionem.

§. III.

De Cessatione Obligationis ex Voto contractæ.

S U M M A R I U M.

58 *Obligatio Voti cessat primò lapsu temporis.*
59 *Si illud statutum sit finiendæ obligationi.*
60 *Secundò Mutatione materiæ Voto promissæ.*
61 *Explicatur* c. quod super 8. h. tit.
62 63 *Et qualitas impedimenti, quo posito obligatio Voti cessat.*
64 *Tertiò cessante conditione, sub qua actus, vel præstatio rei est promissa.*
65 66 *Ubi, quid dicendum, si multiplex conditio apponatur Voto?*
67 *Item quid dicendum, si ipse vovens malitiosè impediat conditionis eventum?*
68 *Resolvitur etiam hoc casu cessare obligationem Voti.*
69 *Solvuntur Argumenta contraria.*
70 *Quartò cessat Voti obligatio, cessante causa finali.*
71 *Explicatur* c. magnæ 7. h. tit.
72 73 *Quando ex fine malo vitietur Votum?*
74 *Quintò cessat Irritatione.*
75 *Ex quo Jure oriatur potestas irritandi Vota?*
76 77 *Quis irritare Vota impuberis possit?*
78 79 80 81 *An, & quando Vota filii sui puberis possit irritare Pater?*
82 83 84 *An, & quomodo Vota Servi Dominus?*
85 *Religiosorum sibi subjectorum Prælatus Regularis?*
86 *Monialium Abbatissa, vel Priorissa?*
87 *Quid dicendum de Voto transeundi ad Religionem strictiorem?*
88 *An, & quæ Vota uxoris suæ possit irritare maritus?*
89 *An omnia? Rationes dubitandi.*
90 *Deciditur quæstio.*
91 *Rationes dubitandi solvuntur.*
92 *Sextò cessat obligatio Voti Redemptione, & Commutatione.*
94 *Quis commutare Vota possit in melius?*
94 95 96 *Quis in æquale?*
97 98 *Quis in minus?*
99 100 *Quid observandum sit volenti commutare Votum sibi subditi?*
101 *Septimò denique obligatio Voti cessat Dispensatione.*
102 *Requisita, ut hæc ritè fiat.*
103 *Quis dispensare in Votis possit?*
104 *An etiam Prælatus Regularis cum Novitiis?*
105 *Tenetur affirmativa.*
106 *Respondetur ad opposita.*
107 *Quænam sint justæ causæ dispensandi in Voto?*
108 *Quænam Vota sint reservata?*
109 *Quæ non sint reservata?*
110 111 *Quando inferiores Prælati dispensare possint in Votis reservatis?*
112 *An Votum Castitatis, Religionis &c. reservatum sit etiam, quando sub conditione emittitur?*
113 *Tenetur negativa.*
114 *Si conditio sit in futurum pendens, & contingens.*
115 *Respondetur ad opposita.*

58 OBligatio Voti; de qua §. *præc.* variis modis cessare potest. Et I. quidem *Lapsu temporis*, ubi tamen est distinguendum, an tempus sit præfixum soli executioni, an etiam obligationi finiendæ. *Si executioni tantùm præfixum est*, Voti antè non impleti obligatio manet, sicut manet obligatio solvendi debitum 100. fl. si eo tempore, quo debebat, non est solutum. *Ratio est*, quia vovens ita vovendo duplicem obligationem contrahit, unam præstandæ rei, quæ est promissa, alteram præstationis ultra tempus designatum non differendæ; est autem hæc separabilis à prima. igitur etsi hæc, transacto tempore fiat impossibilis, manebit tamen obligatio prima.

Si secundum contingat, & terminus statutus sit obligationi finiendæ, lapso illo tempore, cessat obligatio solvendi Votum. *Ratio* patet ex *n.* 32. quia ut ibi dixi, Votum est Lex privata, & sicut quoad obligationem, ita etiam quoad tempus obligationis à voluntate voventis pendet. 59

Utro autem modo emissum sit Votum, quando dubium est, ex circumstantiis desumendum est. Quando intuitu specialis devotionis editur, sicut cùm promittitur jejunium feria 6. in memoriam Passionis Dominicæ, aut Sabbato in honorem B. V. tempus istud censeri debet designatum obligationi finiendæ: conf. etsi culpa voventis tempus illud transiverit, non impleto Voto, obligatio implendi cum die extinguitur. Pal. *tr.* 15. *D.* 1. *p.* 14. *n.* 2. & ab hoc *citt.*

II. Cessat obligatio Voti *mutatione materiæ* Voto promissæ, si tanta illa sit, ut incipiat esse impossibilis vel defacto, vel de jure, quod fieret, si honestè ampliùs impleri non posset, si majoris boni impeditiva, vel omnino inutilis fieret; nam tali casu locum habebit illud JCti: *Obligatio extinguitur, si in eum casum incidat, à quo incipere non potest l. pluribus* 140. §. *& si placeat* 3. *ff. de V. O.*

Neque obstat *c. quod super* 8. *h. tit.* ubi *vers. unde* Innocentius III. statuit, ut postquam executio peregrinationis in Terram Sanctam, superveniente impedimento perpetuo, facta est impossibilis, Votum istud præstatione expensarum, quæ in iter faciendæ fuissent, redimeretur: quod fieri, non fuisset necesse, si obligatio Voti omnino cessasset. Nam duplex ad textum istum responsio à DD. & Interpretibus datur.

Prima est Abb. *in c.* 1. *h. tit. num.* 4. Sylv. *V. Votum* 2. *quæst.* 6. & 10. Sanch. *l.* 4. *mor. cap.* 2. *num.* 25. & aliorum, quos citat; Putant enim isti, nomine *Impedimenti perpetui* ibi intelligi, non quod impossibilem physicè, vel moraliter executionem Voti faciat, sed quod eam reddat difficiliorem, nam tunc commutatione, vel dispensatione opus est.

Altera cum Laym. *l.* 4. *tr.* 4. *cap.* 3. *num.* 14. *prop. fin.* existimat *cap. cit.* contineri casum specialem, & exceptum speciali dispositione Juris, quod ob magnum ejus Voti, & recuperationis Terræ Sanctæ favorem statuerit, ut qui edito Voto Crucem Sanctam susciperent, quocunque modo possent, sive per se, sive per alios auxilium polliceri censerentur.

Dubitatur, quale impedimentum esse debeat, ut ob illud obligatio Voti cesset? Resp. distinguendum est, an impedimentum sit tantum temporale, an verò perpetuum. *Si primum*, obligatio Voti non cessat, sed suspenditur dumtaxat, ita, ut executio differri debeat. Quoad modum dilationis spectandum est, an impedimentum sit certum, an verò dubium, quale fortasse fuit in casu *cap. non est* 5. *hoc titul. Si certum sit*, differri potest authoritate etiam propria ipsius voventis; *si dubium*, opus est authoritate Superioris Ecclesiastici, ut notant Gloss. *in cap. magnæ* 7. *V. noluisti h. tit.* & rationem dat; quia suum Votum nemo interpretari debet.

Si secundum contingat, & impedimentum Voti sit perpetuum, videndum, an promissio sit dividua, vel individua; nam *si individua sit*, obligatio exequendi Votum omnino cessat, ut dictum est *n.* 43. & patet ex *Reg.* 185. *ff.* & *Reg.* 6. *in* 6. *Si verò dividua est*, v. g. peregrinatio cum oblatione 100. aureorum, impossibili reddita parte una v. g. peregrinatione, obligatio remanet ad alteram, sive oblationem, ne utile per inutile vitietur contra *Reg. utile* 37. *in* 6. *Excipitur*, nisi alia sit intentio voventis, ut si utramque simul, & neutram sine altera, vel partem possibilem accessoriè solùm ad eam partem quæ jam impossibilis est, intendisset vovere; hoc enim si fieret, impossibilitata una parte, cessaret obligatio etiam ad partem possibilem, ut cum communi notat Zoes. *hic n.* 14. Vviest. *n.* 32. & ratio est, quia, ut jam sæpius dictum est, Votum est Lex privata, imposita ab ipso vovente, cujus proinde intentio spectanda præcipuè est.

III. Cessat obligatio Voti, *cessante conditione*, sub qua actus, vel præstatio rei est promissa DEO. Ita communis, & certa sententia. *Ratio est*, quia sub conditione aliquid vovens ad id præstandum obligari non vult, nisi in eventum conditionis; proinde cum obligatio Voti commensuretur intentioni voventis, is, qui sub conditione vovit, ea non eveniente, obligationem non contrahit.

Si multiplex conditio apponatur Voto, inspiciendum, an

an copulativè fuerit appofita, an disjunctivè. *Si copulativè*, omnis conditio impleri debet, antequam Votum obliget, fecus, fi disjunctivè, ut rectè Pal. *tractat.* 15. *D.* 1. *p.* 17. *num.* 2. & rationem dat, quia ad veritatem Copulativæ Propofitionis utriufque partis complementum expoftulatur; ad veritatem autem disjunctivæ unius partis implementum fufficit.

66 Quomodo autem appofita fit multiplex conditio, copulativè, an disjunctivè, ex verbis colligendum eft. Si autem verborum fuorum quibus Votum edidit, vovens non recordetur, fed dubitet, utro modo conditiones iftas addiderit, præfumendum potiùs eft copulativè adjectas effe, ut cum cit. Palao monent Sanch. *l.* 4. *mor. c.* 23. *numer.* 20. ex ratione; quia cùm conftet plures conditiones appofitas, & natura conditionalis obligationis fit petere conditiones integrè impleri, poffeffio eft pro libertate, dum non conftat eas disjunctivè appofitas.

67 *Dubitatur*, an obligatio Voti ceffet etiam cafu, quo eventus conditionis, fub qua Votum emiffum eft, ab ipfo vovente malitiosè eft impeditus? Negant complures & fundantur 1. *Reg.* 6. *in* 6. ubi dicitur, *Cum non ftat per eum, ad quem pertinet, quo minùs impleatur conditio, haberi debet perinde, ac fi impleta fuiffet*, atqui per DEUM (fuppofito, quòd homini relinquere libertatem velit) non ftat, quò minùs impleatur conditio, fi vovens ejus eventum malitiosè impediat. ergo &c. 2. clarus in rem iftam textus eft *l. in executione* 85. §. *fin. ff. de V.O.* ubi Paulus, *Quicunque*, inquit, *fub conditione obligatus curaverit, ne conditio exifteret, nihilominus obligetur*. 3. id ipfum probat paritas cum promiffione homini facta fub conditione; nam hujus obligatio manet, fi per promittentem ftetit, ne eveniret conditio. 4. ex abfurdo; fequeretur enim, quòd fiquis Voto fe obligaffet ad ferviendum Hofpitali, vel Monafterio fub conditione, *quamdiu Prælatus ejus ipfum retinuerit*, liber à Voto, & obligatione fit, quomodocunque libertatem extorqueat, etiam malè ferviendo, Monafterium turbando &c. 5. ex ratione; quia qui votum fub conditione fecit, ex vi Voti obligatur exfpectare eventum conditionis. atqui ad hoc non teneretur, fi ab obligatione Voti liberare fe poffet impediendo eventum conditionis. ergo &c.

68 Sed probabilius tenenda eft affirmativa fententia, quam etiam defendunt Major *in* 4. *dift.* 38. *q.* 1. *coroll.* 7. Suar. *lib.* 4. *de Vot. c.* 17. *n.* 20. Laym. *lib.* 4. *tr.* 4. *c.* 6. *n.* 4. Pal. *tr.* 15. *D.* 1. *p.* 17. *num.* 11. & 12. Vvieft. *hic n.* 47. *Ratio eft*, quia tota obligatio Voti pendet ex intentione voventis, & in Voto conditionali ab eventu conditionis. atqui hoc ipfo quod eventus conditionis impletur. ergo &c.

69 Neque probant contrarium Argumenta allata. *Ad* 1. & 2. dico illos textus loqui de promiffione homini facta, quæ fi fub conditione facta fit, & eventus conditionis à promittente malitiosè impediatur, perinde obligat, acfi revera impleta fuiffet conditio: cujus ratio eft, quia per hujufmodi malitiofam impeditionem conditionis violatur Jus quæfitum promiffario, & infertur eidem damnum, quod compenfari poteft, & debet. Contraria ratio in Voto eft; nam per iftius violationem folùm negatur cultus, & honor DEO debitus, qui reparatur per Pœnitentiam, neque ad compenfationem, per executionem operis Voto promiffi præftandam obligat, fi per peccatum fuit impedita conditio, fub qua emiffum eft Votum. Ex quo patet etiam *ad tertium*. *Ad* 4. negatur fequela; quia talis non implet conditionem, fub qua eximatur à fervitio Monafterio, vel Hofpitali præftando: quod evidenter oftenditur; nam ut Votum ejufmodi Religiofum fit, ut bene *loc. cit.* advertit Pal. *n.* 13. intelligi debet fub hac forma conceptum, quòd vovens fervire Monafterio, vel Hofpitali velit, dum Prælatus illius, quantum eft ex parte fua, retinere illum voluerit. atquando coactus iniquo procedendi modo voventis, eum dimittit, quantum eft ex parte fua, retinere illum volebat. ergo &c. *Ad* 5. quia vovens ex Voto fuo obligatur exfpectare eventum conditionis, eum impediendo hoc ipfo peccat, ex quo tamen non fequitur, quod fic impedito conditionis eventu, adhuc ligetur Voto.

70 IV. Ceffat obligatio Voti, *ceffante caufa finali*; & hinc qui vovit non ingredi certam domum ob occafionem peccandi proximam, quæ fuit, hac in ea ceffante non ampliùs prohibetur ingredi; & qui vovit peregrinationem pro falute amici ifto mortuo, non tenetur peregrinari. Ita Abb. *in c. magnæ* 7. *h. tit. num.* 14. Sylveft. *V. Votum* 2. *q.* 8. Azor. *p.* 1. *l.* 11. *c.* 15. *q.* 13. Suar. *l.* 4. *de Vot. c.* 18. *n.* 3. Sanch. *l.* 4. *mor.* [illegible] Pal. *tr.* 15. *D.* 1. *p.* 20. *n.* 1. Valenf. *hic* §. 3. *n.* 2. Zoef. *n.* 55. Pirh. *n.* 35. *not.* 4. Vvieft. *n.* 48. & colligitur *arg. cap. ceffante* 60. *de Appellat. Ratio eft*, quia caufa finalis illa eft, quæ voventem principaliter movit ad vovendum, & hinc meritò præfumitur, quòd caufa illa ceffante, non intenderit fe obligare.

Neque obftat *c. magnæ cit.* ubi Votum Peregrinarionis Jerofolymitanæ ab Epifcopo editum caufa fubfidii, pro Ecclefiæ fuæ libertate recuperanda impetrandi à Campaniæ Comite, ifto mortuo, adeoque caufa finali ceffante, in alia pia opera ab Innocentio III. fuit commutatum, adeoque obligatio Voti illius manfit, cùm Votum, cujus obligatio ceffavit, commutatione non indigeat; nam dicendum Voti *in c. cit.* relati caufam finalem fuiffe duplicem, quia editum fuit à memorato Epifcopo tam pro libertate Ecclefiæ fuæ, quàm pro falute animæ propriæ, ut patet ex lectione plena apud Gonzal. *n.* 5. Vel fi urgeat te aliquis, & ex verbis *cit. c.* ibi *Quia ceffavere caufæ illæ*, inferat ceffaffe caufam finalem adæquatam, dic cum Sanch. *l. cit. n.* 43. commutationem eo cafu adhibitam fuiffe ad cautelam dumtaxat, non verò ex neceffitate. 71

Dubitatur, quando ex fine malo vitietur Votum? Refp. finem in Voto duplicem fpectari poffe: nam alius quidem eft finis rei promiffæ per Votum, i. e. ille, qui executione rei promiffæ obtineri intenditur; alius verò eft finis ipfius voventis, quique ad vovendum excitat, & cujus obtentio actu vovendi procuratur: primus vitiat Votum, fi malus fit; non fecundus. Ita Navarr. *Man. c.* 12. *n.* 30. & *feq.* Sot. *l.* 7. *de Juft. q.* 1. *art.* 3. *dub.* 1. *circa* 5. *Concl.* Suar. *tom.* 2. *de Relig. l.* 2. *de Vot. c.* 4. *n.* 3. & 4. Sanch. *l.* 4. *mor. c.* 6. *n.* 13. Pal. *tr.* 15. *D.* 1. *p.* 8. §. 3. *n.* 1. & alii ab his *citt. Ratio primi* eft: quia quando finis rei promiffæ malus eft, licèt bona fit res promiffa, mala tamen efficitur, cùm intendatur ut medium ad obtinendum hujufmodi finem pravum. *Ratio fecundi*; quia valor Voti, ejufque honeftas fumitur ex honeftate objecti promiffi; finis voventis autem, & extrinfecus objectum promiffum non afficit. 72

Ex quo fequitur 1. validum effe Votum jejunii, vel Eleemofynæ dandæ pauperibus, licèt deinde iftam dirigas ad vanam gloriam aucupandam; quia hæc in ifto cafu eft finis dumtaxat voventis, non rei Voto promiffæ, nec jejunium, aut Eleemofynæ datio per hoc mala fit, licèt intentio illa, qua vovens hujufmodi opera ad finem malum dirigit, mala fit. 73

Sequitur 2. è contrario invalidum effe Votum, fi voveas Eleemofynam, aut aliud opus bonum, ut medio illo obtineas victoriam injuftam; quia efto, Eleemofyna bona fit, non tamen bona eft, quatenus intenditur ut medium finis pravi obtinendi.

Sequitur 3. fimiliter invalidum effe Votum, in quo finis rei eft indifferens, & inutilis; nam opus ob talem finem intentum, utcunque in fe bonum fit, quatenus tamen intenditur ut medium ad ejufmodi finem, cedere non poteft in cultum, & honorem DEI, ac proinde Voti materia effe nequit. Vide Pal. *l. cit.* & *num. feq.*

V. Ceffat obligatio Voti *Irritatione* ejus, à quo, aut voluntas voventis, aut materia Voto promiffa pendet. Hinc duplex illa eft, Directa, & Indirecta. *Directa* quæ etiam *Propria* dicitur, tunc fieri cenfetur, quando illa actum vovendi refpicit, & ipfum Votum ob fubjectionem, quam voluntas voventis ad voluntatem irritantis habet, è medio tollit. *Indirecta*, quæ etiam *Impropria* appellatur, materiam promiffam refpicit impediendo illius executionem, & revera potiùs eft fufpenfio, quàm irritatio. 74

Ortum, poteftas Vota irritandi fecundùm aliquos habet ex Jure naturali, ex ratione, quia filius naturaliter fubditur patri, fervus domino, uxor viro, Religiofus Prælato, quæ fubjectio cùm hujus poteftatis fit radix, hinc fequi videtur eandem provenire à Jure naturali. Sed meliùs refunditur in Jus pofitivum, ex cujus difpofitione hanc tacitam conditionem habent Vota, ut illis firmiter obligare fe velit vovens, nifi Superior, vel alius, cujus intereft, contradixerit: quod ex eo colligitur, quia, qui Vota aliorum irritare poffunt, ad hoc ampliorem poteftatem non habent, quàm quantum eifdem concedit Pontifex, qui eam aliis extendit, aliis limitat. Vide Pal. *tr.* 15. *D.* 2. *p.* 1. *n.* 4. 75

Dub. 1. quis Impuberis Vota irritare poffit? Refp. diftinguendo: Vel enim Patrem adhuc haber, aut Avum paternum, vel utroque orbat[illegible]. *Si primum*, irritare Vota illius omni[illegible] Pater, & in hujus defectu Avus [illegible], ut habetur *Num.* 30. *verf.* 6. & ftatuitur *can.* 76

puella 2. *cauf.* 20. *quæst.* 2. Ratio eſt, quia ex ætate filius propter imbecillitatem judicii patriæ poteſtati, & gubernationi in aſſumendis obligationibus ſubjectus eſt, ut omnium ferè gentium uſus probat. *Si ſecundum*, & pupillus Patre, & Avo paterno orbus, Tutorem habeat, in poteſtate irritandi Vota Tutor ſuccedit patri; quia eidem etiam ſuccedit in gubernanda perſona, & actionibus Pupilli, ut ex communi advertit Pal. *D.* 2. *cit. part.* 7. *n.* 6. Vallenſ. *hic* §.3. *n.* 4. Vvieſt. *num.* 50. *Si Tutore careat*, Vota ejuſdem irritare poterit Mater; nam *can. puella citat.* generali nomine *parentum* utitur, & oſtendit hoc etiam ratio; quia deficiente Patre, Avo paterno, Tutore, liberorum impuberum cura, & gubernatio ad Matrem pertinet. Laym. *lib.* 4. *tract.* 4. *cap.* 7. *numer.* 10. *Verſ. amplia ſecundò*.

77 Poſſunt autem prædicti irritare Vota ab Impubere, eorum poteſtati ſubjecto, facta, etiam poſtquam iſte jam pubes factus eſt, modò ille pubes factus non ratificaverit, ut cum aliis notat Laym. *loc. citat. n.* 11. ubi rationem dat; quia in his Votis primordialis natura, & obligatio eſt inſpicienda. Votum autem Impuberis ob ætatis, & judicii imperfectionem ab initio dependebat à Patre. igitur ita dependens etiam manet poſt pubertatem. *Neque obſtat*, quòd Tutor, poſtquam Pupillus ejus pubes eſt factus, non ampliùs Tutor, ſed Curator ſit, cui non in perſonam Minoris, ſed in bona illius poteſtas competit; nam poteſtate in Minorem non omni caret. Hinc pro Regula Sanch. *lib.* 4. *moral. capitul.* 30. *numer.* 7. tradit, Superiorem irritare Vota emiſſa à ſubdito tempore, quo ſubditus ipſi fuerat, poſſe etiam tunc, quando tempus ſubjectionis tranſiit, ſi poteſtas illius non ſit omnino extincta, vel ſuſpenſa; ſecus, ſi ſit omnino extincta, vel ſuſpenſa.

78 Dub. 2. an, & quomodo Vota filii ſui puberis poſſit irritare Pater? Reſp. irritare illa directè non ampliùs poteſt, poteſt autem indirectè, quatenus illa præjudicant adminiſtrationi, & domeſticæ gubernationi illius. Colligitur ex *can. puella* 2. *conſ.* 20. *q.* 2. *lib. DEO nobis* 56. §. *hoc etiam* 1. *C. de Epiſcop. & Cler. Nov.* 123. *cap.* 41. *Ratio eſt:* quia filius pubertatem adeptus jam habet diſcretionem, & maturitatem judicii ſufficientem ad vovendum, ut adeo non expediat alii poteſtatem concedi irritandi Vota ab ipſo emiſſa, niſi caſu, quo Voto ipſius præjudicium fieret Patri, vel alii, cujus gubernationi ſubjectus eſt.

79 *Ex quo ſequitur*, firma eſſe Vota, à filio pubere emiſſa, quibus vovet Caſtitatem, Religionem, ſuſceptionem Sacri Ordinis, Orationes, jejunia, aliaſque corporis afflictationes moderatas; contrà irritari à Patre poſſe Vota à filio edita, quibus vovet oblationem de bonis, quorum dominium, & adminiſtrationem habet pater, longam peregrinationem, jejunia, & abſtinentiam cum periculo morbi, vel domeſtici ordinis perturbatione conjunctam &c. nam per iſta paterno juri præjudicat, non per illa.

80 *Excipitur* 1. ſi filius non ampliùs ſit in poteſtate Patris: nam eo caſu Vota ipſius non ampliùs à patre irritabilia ſunt; quia ſui juris eſt, nec Patri quoad perſonam, vel bonorum adminiſtrationem ſubjectus. Pal. *tr.* 15. *D.* 2. *p.* 7. *n.* 13.

Excipitur 2. ſi diſponat de bonis ſuis Caſtrenſibus, vel quaſi Caſtrenſibus, vel Adventitiis quidem, talibus tamen, ut eorum adminiſtrationem, & uſumfructum filius familias habeat; quia tunc Votum de iis faciendo non præjudicat Patri. Pal. *loc. cit. nu.* 12. & apud hunc Sanch. *l.* 4. *mor. c.* 35. *n.* 41.

81 *Excipitur* 3. Votum, vel Juramentum eundi Romam pro impetranda abſolutione Excommunicationis reſervatæ, ſi aliter impetrare abſolutionem non poſſit; quia hoc caſu peregrinatio iſta eſt medium neceſſarium ſaluti filii. Sanch. *cap.* 35. *citat. num.* 25. Pal. *l. cit. n.* 11.

Excipiunt aliqui 4. Votum peregrinationis in ſubſidium Terræ Sanctæ. *arg. c. ex multa* 9. *h. tit.* ubi viris, etiam uxoribus renitentibus, executio hujus permittitur ob boni publici favorem, qui in hoc ſubſidio præſtando cernitur. Sed meliùs negatur iſta exceptio; quia, ut Suar. *l.* 6. *de Vot. c.* 5. *n.* 11. Sanch. *l. cit. n.* 26. Pal. *n.* 10. & alii ab his *citt.* advertunt, exceptio hæc virorum conjugatorum eſt à Jure communi exorbitans, neque ad alios caſus extendi debet.

82 Dub. 3. an, & quomodo Servorum ſuorum Vota poſſit irritare Dominus? Diſtinguunt aliqui inter Servum puberem, & impuberem; nam poſterioris Vota omnia irritari ab hero poſſe, [illegible] poſſunt filii impuberis à patre, exiſtimant plures; & grav[illegible] Sanch. *l.* 4. *mor. c.* 35. *n.* 83. Sed hic eorum ſententiam approbare non audeo; quia ſolido fundamento caret, ſolique pietati innititur, quæ ſufficiens non eſt ad poteſtatem hanc dominativam adſtruendam: & hinc *numer.* 84. cum Bonacin. *D.* 4. *q.* 2. *p.* 7. §. 2. *n.* 18. Pal. *tr.* 15. *D.* 1. *p.* 7. *n.* 8. dicendum putat, integrum eſſe impuberi Servo ſe Votis adſtringere independenter à Domini voluntate, modò per illa debitum Domino ſervitium non impediatur.

Quare de Servo ſine diſcrimine, an pubes, vel impubes ſit, tenendum, ab hero ejus Vota ab ipſo emiſſa irritari illa dumtaxat poſſe, quæ poteſtati illius dominativæ præjudicant, non verò alia. Ita S. Thom. 2. 2. *q.* 88. *art.* 8. *ad* 2. Abb. *in c. ſcriptura* 4. *h. tit. n.* 6. Navar. *Man. c.* 12. *n.* 64. Sanch. *l.* 4. *mor. c.* 36. *n.* 2. Vallenſ. *hic* §. 3. *n.* 4. Zoeſ. *n.* 69. Scambog. *n.* 43. Vvieſt. *n.* 54. & hoc teſte communiter Interpp. & DD. 83

Ex quo ſequitur, quòd Dominus non poſſit irritare Vota ſervi, quibus is vovit Divinorum præceptorum obſervantiam, continentiam, orationes, jejunia moderata, & his ſimilia opera; poſſe autem irritare Vota ejuſdem realia; quia cùm quidquid lucratur, domino lucretur, ſecluſo peculio, non habet, unde ſolvat: item perſonalia quædam, uti eſt Votum Religionis, Sacri Ordinis ſuſcipiendi, obeundæ peregrinationis, & aliorum ſimilium, quæ à ſervitio Domini eundem abſtrahunt: quorum omnium ratio eſt, quia per hæc poſteriora præjudicium fit Domino, non autem per priora. 84

Dub. 4. quæ Vota Religioſorum ſibi ſubjectorum irritare poſſint Prælati Regulares? Reſp. hi ſubditorum ſuorum Religioſorum Vota irritare poſſunt omnia, excepto Voto ingrediendi Religionem ſtrictioris obſervantiæ, & iis Votis, quæ eſſentialia ſunt vel Religioſis omnibus, vel in aliqua certa Religione annexa Votis ſubſtantialibus, uti eſt quartum de Redemptione captivorum in Mercenariis, de abſtinentia à carnibus in Minimis S. Franciſci de Paula, obedientiæ Summo Pontifici exhibendæ, & alia quædam in Societate JESU &c. Ita S. Thom. 2. 2. *q.* 88. *art.* 8. *ad* 3. & 4. Navar. *Man. c.* 12. *n.* 65. Sayr. *Clav. Reg. l.* 6. *c.* 10. *n.* 9. Azor. *p.* 1. *l.* 11. *c.* 17. *q.* 16. & 17. Leſſ. *l.* 2. *de Juſt. c.* 40. *n.* 75. Suar. *tom.* 2. *de Relig. l.* 6. *c.* 7. *n.* 3. Sanch. *l.* 4. *mor. c.* 33. *n.* 4. & *ſeqq.* Laym. *l.* 4. *tr.* 4. *c.* 7. *n.* 6. *concl.* 3. Pal. *tract.* 15. *D.* 2. *p.* 8. *n.* 2. & 3. Vallenſ. *hic* §. 3. *n.* 4. Zoeſ. *num.* 70. Schambog. *n.* 41. Konig. *n.* 23. Vvieſt. *n.* 55. *Ratio eſt*, quia Religioſus velle, & nolle non habet, ſed ex iſtius, quem DEI vice ſuper caput ſuum poſuit, & cujus imperio ſe ſubjecit, poteſtate pendet, ut dicitur *c. ſi Religioſus* 27. *pr. de Elect. in* 6. ex quo ſequitur, quòd ſine Superioris ſui conſenſu nihil firmiter vovere poſſit, quin ab iſto revocari valeat. 85

Extenditur poteſtas hæc etiam ad Abbatiſſas, & Prioriſſas quoad Vota ſuarum Monialium, cum limitatione tamen; nam Superiores Regularium mares, ut dictum eſt, irritare poſſunt Vota Regularium ſuorum omnia: at Abbatiſſæ, & Prioriſſæ probabiliter ſolùm illa, quæ domeſticæ ipſarum gubernationi præjudicare, vel obeſſe poſſunt, ut rectè advertunt Azor. *p.* 1. *l.* 11. *cap.* 17. *q.* 3. *ad fin.* Pal. *p.* 8. *cit. num.* 7. Vvieſt. *hic n.* 86. Ratio eſt, quia licèt per Votum Obedientiæ Moniales Abbatiſſis, & Prioriſſis ſuis non minùs ſubjiciantur, ac Abbatibus, & cæteris Superioribus ſuis ſubjiciuntur cæteri Religioſi, non tamen in Moniales ſuas aliam poteſtatem habent, quàm domeſticam, & quæ domus, & familiæ rectam gubernationem concernit. 86

Excepi autem Votum tranſeundi ad Religionem ſtrictioris obſervantiæ, & ſubſtantialia, vel annexa ſubſtantialibus ex Conſtitutionibus Ordinis; nam iſta nullus Superior Regularis irritare poteſt: prius quidem, quia, ut ad ſtrictiorem obſervantiam Religioſus tranſeat, Superioris conſenſu non indiget, conſ. quoad hoc à voluntate Superioris ſui eſt prorſus independens; poſteriora autem, quia Superioris eſt curare, ut ea, quæ ſubſtantialia ſunt Religioni, vel ſubſtantialibus annexa, potiùs obſerventur, quàm relaxentur. 87

Dub. 5. an, & quæ Vota uxoris ſuæ poſſit irritare maritus, & viciſſim mariti uxor? *Certum eſt* 1. poſſe maritum uxoris, & uxorem mariti Vota irritare, quæ mutuæ cohabitationi, & obligationi præjudicant, qualia ſunt longa peregrinatio, immoderatæ abſtinentiæ, & ſimilia opera, uſum Matrimonii multo difficiliorem reddentia. Navarr. *Man. c.* 12. *n.* 64. Suar. *l.* 6. *c.* 4. *n.* 8. & *ſeqq.* Sanch. *l.* 4. *mor. c.* 34. *n.* 20. Pal. *tr.* 15. *D.* 2. *p.* 6. *n.* 9. Zoeſ. *hic n.* 69. Vvieſt. *n.* 58. 88

Certum eſt 2. maritum poſſe irritare ſaltem indirectè Vota uxoris, ſi hæc præjudicent rectæ educationi prolis,

lis, domesticæ gubernationi, & administrationi familiæ; quia Vir est caput mulieris, quæ propterea in præjudicium illius vovere nil potest. Pal. *n.* 5. & apud hunc Less. Suar. Bonacin.

89 *Difficultas est*, an maritus Vota uxoris suæ irritare omnia possit, an solùm hactenus recensita? Prius affirmat cum quibusdam aliis Sanch. *l.* 4. *mor. c.* 34. *n.* 3. & videtur istud probari. 1. ex illo *n.* 30. *v.* 13. ubi adstruitur marito potestas contradicendi sponsioni uxoris generaliter, nulla materia Voti excepta. 2. *Ephes.* 5. *v.* 22. S. Paulus, *Mulieres*, inquit, *viris suis subditæ sint, sicut Domino; quoniam vir est caput mulieris, sicut Christus est caput Ecclesiæ.* ergo sicut Ecclesia subjecta est Christo in omnibus, ita & mulieres viris suis. 3. ad conservandam pacem, mutuumque amorem inter conjuges necessarium fuisse videtur, ut mulier plenè viro in omnibus esset subjecta, neque velle, aut nolle haberet, nisi secundùm viri beneplacitum.

90 Sed meliùs alii marito adstruunt potestatem irritandi Vota uxoris tantùm illa, quæ usui matrimonii, rectæ educationi prolis, domesticæ gubernationi, & administrationi familiæ præjudicium afferre possunt; cætera ab uxore, etiam sine consensu mariti edita, manere firma. Ita Navarr. *Man. c.* 12. *num.* 64. Azor *p.* 1. *l.* 11. *c.* 17. *q.* 12. Less. *l.* 2. *de Just. cap.* 40. *n.* 89. Suar. *l.* 6. *de Voto cap.* 4. *num.* 2. Laym. *l.* 4. *tract.* 4. *c.* 7. *n.* 12. Pal. *tr.* 15. *D.* 2. *p.* 6. *n.* 2. Zoes. *hic n.* 69. Vviest. *ibid. n.* 57. & alii plures ab his *citt. Ratio est*, quia nullo Jure potestas adeo universalis marito adstruitur in actiones prorsus omnes uxoris: sed neque ratio tam amplam in illo potestatem probat; quia potestas irritandi Vota, per jus marito competens, solùm oritur ex contractu Matrimonii, consf. fini ejusdem commensurari debet. atqui sic restricta potestas se tantùm extendit ad Vota, quibus præjudicium affertur marito. ergo hæc sola irritare potest.

91 Neque contrarium evincunt Argumenta allata. *Ad* 1. in primis Lex illa ceremonialis, vel judicialis dumtaxat fuit; consf. morte Christi extincta: deinde universalitas textus satis restringitur per vers. 14. subsequentem, ubi mentio fit de Votis tantùm jejunii, & abstinentiæ, quæ finem conjugii spectant. *Ad* 2. textu illo plus non probatur, quàm quòd uxor quoad prædictos fines subjecta sit viro, sicut Ecclesia subjecta est Christo. *Ad* 3. neque alia subjectio necessaria esse videtur ad conservandam pacem, & mutuum amorem conjugum.

92 VI Obligatio Voti cessat *Redemptione*, & *Commutatione*. *Redimi* obligatio Voti tunc dicitur, quando peregrinationi, vel alteri pio operi, quod Voto promissum est, substituitur certa pecuniæ quantitas: quod frequenter fiebat tempore Belli Sacri in Votis factis pro recuperatione Terræ Sanctæ. *Commutari* verò dicitur Votum tunc, quando Operi pio substituitur aliud opus pium: quod si fiat, opus pium substitutum virtute priùs editi Voti præstandum est; quia subrogatum sapit naturam ejus, cui subrogatur *c. Ecclesia* 3. & 4. *ut lit. pendent.* Commutationis Votorum hodie frequentissimus usus est. Fieri potest vel in melius, vel in æquale, vel in minus. Hinc

93 Dub. 1. quis commutare Vota possit in melius? Resp. si id, in quod commutandum est, sit evidenter melius, Deoque gratius, non requiritur authoritas Superioris, sed propria voventis voluntate commutari possunt. Ita Navarr. *Man. c.* 12. *n.* 75. Azor. *p.* 1. *l.* 11. *c.* 18. *q.* 1. Suar. *l.* 6. *de Vot. c.* 18. *à n.* 4. Sanch. *l.* 4. *mor. cap.* 49. *n.* 4. Laym. *l.* 3. *tr.* 4. *c.* 8. *n.* 19. Pal. *tr.* 15. *D.* 2. *p.* 15. *n.* 2. Vallens. *hic* §. 3. *n.* 5. Zoes. *n.* 73. Pirh. *n.* 24. Schambog. *n.* 47. Vviest. *n.* 60. & hoc teste communissima DD. sententia. Colligitur ex *c. peregrinationis* 1. & *c. scripturæ* 4. *h. tit.* Ratio est, quia promissum non infringit, qui in melius illud commutat *c. pervenit* 3. *de jurejur.* nam hoc ipso, quòd opus substitutum, omnibus consideratis, melius sit, quàm id, quod est promissum, à Deo cui ob summam rectitudinem voluntatis necessariò magis placent ea, quæ meliora sunt, substitutum opus loco ejus, quod Voto promissum est, acceptatur: ut adeo omni Voto intelligatur inesse conditio, *Nisi rem meliorem elegero vel substituero.*

94 Dub. 2. quis commutare Vota possit in evidenter æquale, sive æquè bonum? *Certum est*, commutari illa sic posse, saltem superveniente Superioris authoritate. An verò sine hac, sola voluntate voventis, dubium est inter DD. Affirmant Henriq. *l.* 5. *cap.* 20. *n.* 5. & *l.* 7. *cap.* 30. *num.* 5. Rodriq. *tom.* 2. *summ. cap.* 110. *num.* 4. *concl.* 4. Tambur. *l.* 3. *Decal. cap.* 16. §. 5. *n.* 14. & alii apud Sanch. *l.* 4. *mor. cap.* 49. *n.* 10. Moventur 1. quia si res, seu materia Voti sit evidenter æqualis, seu æquè bona, non potest non æqualiter esse grata Deo; ergo utravis præstita, satisfiet obligationi Voti. 2. quia etiam homini per æquale satisfit, si ipse non sit invitus, igitur satisfiet etiam Deo, cùm non invitum esse hoc casu ob ejus benignitatem præsumi possit.

95 Sed melius tenetur negativa, quam etiam defendunt Less. *l.* 2. *de Just. cap.* 40. *n.* 105. Suar. *l.* 6. *de Vot. c.* 19. *n.* 3. Sanch. *cap.* 49. *cit. n.* 12. Laym. *l.* 4. *tr.* 4. *cap.* 8. *n.* 19. *concl.* 2. Pal. *tr.* 15. *D.* 2. *p.* 15. *n.* 4. Zoes. *hic n.* 73. Pirh. *n.* 25. Schambog. *n.* 48. Vviest. *n.* 61. *Ratio est*, quia difficile, & pene impossibile est, cognoscere æqualitatem materiæ subrogatæ cum ea, quæ promissa est; consf. periculum est, ne sæpe minus bonum præ majori bono, vel æquali exhibeatur.

96 Neque obstant Argumenta opposita. *Ad* 1. etsi opus subrogatum secundùm se, & alias circumstantias spectatum æquale sit, promissum tamen melius, gratiusque Deo est; quia gratius Deo est, si promissio in sua specie impleatur, & fideliter reddatur. *Ad* 2. negatur Suppositum, quòd Deus immutationem ejusmodi acceptet, cùm, ut modò dictum est, gratius ipsi sit promissionem impleri in specie.

97 Dub. 3. quis commutare Vota possit in minus? Respond. ad hoc juxta omnes opus est authoritate Superioris; quia commutatio in minus potiùs est dispensatio, quæ fieri solùm à Superiore potest, vel ab habente privilegium Pontificium.

In specie commutare Vota sic potest. 1. Pontifex: estque hæc ejus potestas ad nullos certos subditos, vel casus restricta, cùm universalissimam habeat potestatem in universam Ecclesiam.

2 Episcopus respectu suæ Diœcesis, & alii Prælati Jurisdictionem quasi Episcopalem obtinentes respectu subjectorum Jurisdictioni suæ in casibus Sedi Apostolicæ non reservatis.

98 3 Quidam alii, qui vi privilegii, delegationis, Bullæ Cruciatæ, & Jubilæi potestatem Vota commutandi habent; quorum potestas quanta sit, & ad quæ Vota se extendat, inspici tenor privilegiorum, mandati delegationis, & concessionis debet.

4 Generaliter omnes, qui potestatem dispensandi in ejusmodi Votis habent; nam in tali casu procedit Regula, *Cui licet plus, licet utique, quod est minus*, quæ est 53. *in* 6. est autem plus dispensare, quàm commutare; quia per dispensationem Voti obligatio omnino tollitur, non item per commutationem, sed sub onere alterius materiæ subrogandæ.

99 Dub. 4. quid observandum sit volenti commutare Votum sibi subditi? Resp. tria hæc. 1. Votum ejusmodi non debet esse reservatum potestati superiori; nam hoc ipso, quòd illa sibi reservarit Superior, eadem ex arbitrio aliorum excepit.

2 Ut non sit acceptatum ab eo, in cujus utilitatem factum est; nam si acceptatum sit ab ipso, cùm per acceptationem acquiratur ei jus, exhibenda est res promissa, neque in aliud, etiam melius, ipso invito, commutari potest, ut *arg. pr. Inst. quib. mod. obligat. tollit.* docet Sylv. *V. Votum* 4. *qu.* 7. *dict.* 5. Henriq. *l.* 7. *cap.* 30. *num.* 5. Tambur. *l.* 3. *Decal. cap.* 16. §. 5. *n.* 5. & 6. Vallens. *hic* §. 3. *n.* 6. Pirh. *num.* 26. Vviest. *num.* 63. & alii passim. *Excipitur*, nisi commutans sit ejus; in cujus utilitatem factum est, dominus, aut Superior tam absolutus, ut possit ipsi auferre rem quæsitam, & dare alteri. Piasec. *p.* 2. *cap.* 1. *art.* 3. *num.* 8. *vers. in commutatione.*

100 3 Ut commutatio fiat ex justa causa: ubi distinguendum, an commutatio fiat in melius, an in æquale, vel minus. *Si in melius*, ipsa subrogatio rei, vel operis melioris est justa causa commutationis, ut notat Navarr. *Man. cap.* 12. *num.* 63. Sanch. *l.* 4. *mor. c.* 50. *n.* 15. Laym. *l.* 4. *tr.* 4. *cap.* 8. *n.* 21. *vers. altera quæstio*, Schambog. *hic n.* 49. Konig. *n.* 24. Vviest. *n.* 64. At si in æquale, vel minus, opus est interventu causæ distinctæ: & hoc requiritur non tantùm, ut licitè, sed etiam ut validè dispensetur, ut rectè advertit Sanch. *l.* 4. *cit. cap.* 45. *n.* 3. Laym. *n.* 22. Pirh. *hic n.* 34. *not.* 1. Schambog. *n.* 49. *cit.* & colligitur ex *c.* 1. 2. 7. & 8. *hoc tit.* in quorum textuum casibus omnibus commutationis causa intervenit.

101 VII. Denique obligatio Voti cessat *Dispensatione*: Est autem *Dispensatio* Voti obligationis per id inductæ Dei nomine facta remissio. Ut rite fiat, requiritur 1. potestas in dispensante, ne scilicet Voti talis dispensatio sit alteri Superiori reservata.

2 Si in favorem, & utilitatem alterius vel Ecclesiæ, vel communitatis, aut etiam privati hominis factum sit, & ab hoc acceptatum, requiritur hujus consensus; nam jus alteri quæsitum eidem invito ne Papa quidem aufer-

auferre potest, nisi aut necessitas, aut utilitas valde magna dissuadeat.

102 3 Debet accedere justa causa; & hæc requiritur non tantùm ad licentiam, sed etiam ad valorem dispensationis, ut unanimiter TT. & Canonistæ docent, & demonstrat ratio evidens; quia sine justa causa dispensans excedit limites potestatis sibi concessæ, utpote quæ indulta ipsi est ad ædificationem, non ad destructionem, & dissipationem. Accedit, quia dispensatio Voti fit Dei nomine: iste autem in remissionem obligationis erga se contractæ, sine justa causa, etiam bono fine factam, tanquam irrationabilem, & rectæ gubernationi præjudicantem non censetur consentire. Videatur Pal. *tr.* 15. *D.* 2. *p.* 9. *n.* 3. & 4. ubi etiam examinat quæstionem, an valeat dispensatio facta ex causa, quæ bona fide existimatur esse justa; & respondet negativè.

103 Dub. 1. quis dispensare in Votis possit? Resp. Potest 1. Pontifex, idque illimitatè quoad omnes Fideles, & omnia istorum Vota, etiam Solemnia, ex generalissima potestate ligandi, & solvendi S. Petro, & ejus Successoribus à Christo tradita.

2 Episcopi, & alii Prælati Ecclesiastici Jurisdictionem quasi Episcopalem obtinentes: & hi quidem potestate ordinaria, sibi communicata à Summo Pontifice: sed cum limitatione duplici, nempe ad subditos suos duntaxat, & certis casibus, votisque exceptis, nempe iis, quæ Summo Pontifici reservata sunt.

3 Alii à Papa delegati, vel Privilegiati juxta formam mandati, vel privilegii sui. Hæc satis certa.

104 *Difficultas est*, an dispensare cum Novitiis Prælatus illorum Regularis possit? Negant id posse potestate ordinaria Azor. *p.* 1. *l.* 11. *cap.* 19. *q.* 21. Sayr. *Clav. Reg. lib.* 6. *cap.* 11. *num.* 92. Suar. *l.* 6. *de Vot. cap.* 11. *n.* 9. & probari videtur. 1. quia Novitii non videntur subjici Religionum Prælatis, nisi quatenus necessarium fuerit, ut ipsi Religionem experiantur, & Religio ipsos, atqui ad hunc finem non est necessaria potestas absoluta dispensandi in Votis non præjudicantibus supradicto experimento; ergo &c. 2. Prælatus Regularis non potest Novitio suo concedere Dimissorias ad Ordines; ergo nec cum eo dispensare in Votis; nam utraque potestas Jurisdictionem requirit. 3. cum Novitiis potest dispensare Episcopus; quia cùm Religiosi verè non sint, à Jurisdictione illius plenè non eximuntur; atqui non videtur Novitius duplicem habere Prælatum ordinarium in ordine ad dispensationem in Votis, ergo &c.

105 Sed tenenda tanquam probabilior sententia affirmativa, quam etiam defendunt Sylv. *V. dispensatio q.* 14. Rodriq. *tom.* 1. *qq. Regul. quæst.* 25. *art.* 8. Sanch. *lib.* 4. *moral. cap.* 39. *num.* 17. Pal. *tract.* 15. *D.* 2. *p* 10. *num.* 3. & alii ab his *citt. Ratio est*, quia Prælatus Regularis, etsi in Novitios non habeat potestatem dominativam, habet tamen in eosdem Jurisdictionem Spiritualem Ecclesiasticam, ut bene cum aliis Navar. *Man. c.* 12. *n.* 65. sed potestas dispensandi in hac Jurisdictione fundatur; ergo &c.

106 Neque obstant Argumenta contraria. *Ad* 1. etsi plena, & integra Jurisdictio in Novitios Prælatis Religionum necessaria non sit, est tamen conveniens, ut sic perfectius regi possint: & propterea meritò præsumitur concessa à Summo Pont. *Ad* 2. in concessione Dimissoriarum diversa est ratio; nam has ideo Prælatus Regularis non potest Novitio suo concedere, quia cum iste Religionem possit deserere, non expediebat Prælatum in se suscipere onus, quod Litteras Dimissorias danti incumbit, providendo, scilicet ordinando de necessariis. *Ad* 3. non est inconveniens Novitium dispensationis Beneficium à pluribus posse accipere, cùm id in ejus utilitatem, & favorem Religionis cedat.

107 Dub. 2. quænam sint justæ causæ ad dispensationem Voti? Resp. causæ hujusmodi plures sunt, ut videre est apud Sanch. *l.* 4. *mor. c.* 45. *à n.* 26. Suar. *l.* 6. *de Vot. c.* 17. *n.* 8. Pal. *tr.* 15. *D.* 2. *p.* 9. *n.* 5. Vviest. *hic n.* 66. Reducuntur omnes ad sequentia capita. 1. si defuerit plena libertas in vovendo: ob hoc Vota in ætate pupillari edita facilè relaxantur: imò tunc alia causa ad dispensandum opus non est; hoc ipso enim, quòd ejusmodi Votum ab impubere editum sit, præsumitur ex levitate, & imprudentia fuisse editum, cùm impuberes maturo consilio, atque judicio careant. 2. si ex vehementi aliqua passione editum, aut gravi metu injustè incusso extortum sit; nam etiam hoc casu plena libertas in vovendo deficit. 3. si Votum emissum propter voventis fragilitatem, inconstantiam &c. occasio ruinæ spiritualis sit, vel si illud cedat in damnum familiæ, aut magnum [illegible] vel etiam commune Reipublicæ bonum impediat. 4. si in ejus executione appareat gravis, & antè non prævisa difficultas, insufficiens tamen ad auferendam obligationem Voti. 5. si dubia sit intentio voventis, vel iste erraverit circa causam impulsivam. 6. si causa impulsiva, vel etiam finalis ex parte cessaverit &c.

Dub. 3. quænam Vota sint reservata Summo Pontifici? Resp. sunt dumtaxat quinque, nempe Castitatis, Religionis, & Peregrinationis in Terram Sanctam, Romam ad Limina Apostolorum, & Compostellam ad S. Jacobum. Ut autem talia sint, debent in suo genere esse perfecta; nam quando imperfecta sunt, v. g. quòd materiæ reservatæ tantùm aliqua pars promittatur, vel circumstantiæ materiæ reservatæ non sint, neque ipsa Vota quoad ejusmodi circumstantiam sunt reservata. 108

109 Hinc reservata non sunt. 1. Votum non nubendi, non fornicandi, aut peccandi adversùs Castitatem, servandi eam ad tempus, non petendi debitum; quia est Votum diminutæ Castitatis, non perfectæ, & integræ. 2. Votum suscipiendi SS. Ordines, emittendi Votum Castitatis post aliquod tempus; quia non sunt de Castitate servanda, sed de ejus observantia solùm promittenda. 3. Votum peregrinationis Romam, aut Compostellam, vel in Terram Sanctam ob alium finem, quàm devotionis, vel subsidii Terræ Sanctæ ferendi factum; nam ex his tantùm causis reservantur Peregrinationum istarum Vota. 4. Votum, quo disjunctivè Castitas, vel jejunium Sabbatinum, ingressus Religionis, vel susceptio Sacri Ordinis promittitur; quia Vota ista non cadunt præcisè ad materiam reservatam, sed iisdem alterutrum faciendo fit satis. 5. Votum ingrediendi Religionem non approbatam; quia non est Votum Religionis propriè dictæ. 6. ipsum Votum Castitatis, Vel Religionis approbatæ, si injustè incusso metu extortum sit; quia perfectum consensum non habet. Vide Sanch. *l.* 4. *moral. cap.* 40. *à num.* 24. Laym. *l.* 4. *tract.* 4. *cap.* 8. *à num.* 8. Pal. *tract.* 15. *D.* 2. *p.* 11. *numer.* 1. & *seqq.* Vviest. *hic n.* 70. & 71.

110 Dub. 4. quando inferiores Prælati dispensare possint in Votis reservatis? Resp. plures ejusmodi casus sunt, ut videre est apud Pal. *tr.* 15. *D.* 2. *p.* 12. *n.* 1. & *seqq.* & alios ab hoc *citt.* Et 1. quidem, quando vovens ad observantiam illorum se obligavit tantùm sub veniali; nam reservatio est odiosa, & idcircò intelligi debet de Voto facto ex intentione imponendi sibi per illud obligationem proportionatam materiæ reservatæ, quod hoc casu non fit.

2 Quando dispensatio necessaria est ad evitandum grave scandalum, infamiam &c. & ad Papam in tempore recurri nequit; quia tali casu dispensationem committi Prælatis inferioribus bonum commune, & recta fidelium subditorum gubernatio exigit.

3 Quando dubium est, an Votum sit reservatum; nam credendum est reservatum non esse, cùm reservatio sit strictè interpretanda, ac proinde ad solos casus certos extendenda.

4 Quando potestas illa relaxandi est obtenta consuetudine legitimè præscripta; quia consuetudo sicut constituere Legem, ita etiam abrogare constitutam potest. 111

5 Quando eadem facultas data est alicui Privilegio Apostolico; potest enim Pontifex reservationem hanc, utpote Jure Ecclesiastico introductam, omnino tollere. igitur, & potestatem in hujusmodi Votis dispensandi certis personis concedere.

6 Quando Votum ejusmodi extortum est metu injustè incusso, etiam levi; præterquam enim, quòd tale Votum, *ut n.* 109. dixi, perfectum consensum non habeat, non censendus est Pontifex ita emissum reservare, ne videatur injuriantis iniquitati favere. Hæc satis certa.

Difficultas est, an reservata, & cons. à solo Romano Pontifice dispensabilia sint Vota Castitatis, Religionis, & triplicis Peregrinationis memoratæ, quando illa non absolutè, sed sub conditione de futuro emittuntur, e. g. *si consecutus fuero hoc officium, si recuperavero sanitatem, si ex naufragio, pugna, incendio &c. salvus evasero.* Affirmant reservata esse, postquam conditio impleta fuerit, Sot. *l.* 7. *de Just. q.* 2. *art.* 1. *ad* 4. Gutier. *qq. can. l.* 2. *c.* 22. *n.* 51. Azor. *p.* 1. *l.* 11. *c.* 19. *q.* 13. Pont. *de Matr. l.* 8. *c.* 9. *n.* 7. & alii relati à Sanch. *l.* 8. *de matrim. D.* 10. *n.* 7. *Fundantur*; quia promissio conditionata, impleta conditione, transit in absolutam, & eosdem sortitur effectus, quos sortita fuisset, si fuisset ab initio absolutè facta. atqui Vota ejusmodi, si facta fuissent absolutè, fuissent reservata Summo Pontifici. ergo 112

etiam

etiam reservata erunt Vota illa, si posita conditione, transeant in absoluta, *Conf.* à pari; nam etiam sponsalia conditionatè facta, posita conditione impedimentum publicæ honestatis inducunt. igitur etiam Vota conditionata, posita conditione, subjacebunt reservationi.

3 Sed adhuc dicendum, probabiliùs hujusmodi Vota, si emissa sint sub conditione in futurum pendente, & contingente, licèt illa eveniat, reservata non esse. Ita Henriq. *l.* 7. *de Indulg. c.* 40. *num.* 6. Gomez *Bull. cruciat. caus.* 10. *n.* 99. Petr. de Ledesm *Summ. p.* 2. *tr.* 10. *c.* 8. *pag.* 116. Tolet. *l.* 4. *summ. c.* 18. *n.* 11. Sanch. *D.* 10. *cit. n.* 8. Pal. *tr.* 15. *D.* 2. *p.* 12. *n.* 15. Vviest. *hic n.* 73. *Ratio est*, quia, ut *n.* 108. dixi, reservatione, tanquam voventi onerosa, & odiosa, comprehendi solùm debent Vota ex natura sua perfecta. talia non sunt Vota conditionalia; quia censentur fieri majori affectu in conditionem, sub qua fiunt, quàm in rem promissam, de qua fiunt. ergo &c. *Conf.* saltem dubium est, an hujusmodi Vota sint reservata, cùm utrinque gravissimi DD. stent. atqui in dubio, an Votum sit reservatum, pro non reservato habendum est, ut dixi *n.* 110. *in fin.* ergo &c.

4 Dixi, *si emissa sint sub conditione in futurum pendente, & contingente*; nam si emissa sint sub conditione de futuro necessaria, vel contingente quidem, sed de præsenti, vel præterito, reservatis accenseri debent, ut notat Pal. *num.* 17. cum aliis à se *citt.* quia apparenter solùm conditionalia sunt, reipsa autem absoluta; & licèt cum displicentia quadam rei promissæ sint edita, præstitus tamen in ipsa consensus est integer, & perfectus.

5 *Neque obstat Argumentum contrarium*; quia licèt impletio conditionis obligationem perficiat, modum tamen promittendi non mutat, neque affectus, & consensus imperfectionem tollit. *Ad Conf.* nego paritatem; nam in Sponsalibus in ordine ad inducendum impedimentum publicæ honestatis spectatur solus eorum valor; at in reservatione Votorum perfectus in rem promissam consensus.

TITULUS XXXV.

De Statu Monachorum, & Canonicorum Regularium.

POst enarrata illa, quæ de Regularium conversione, Noviciatu, Professione, & Votis per SS. Canones sunt constituta, sequitur de Statu, & conservatione illorum. *Status* est vitæ ratio, qua alteri quis irrevocabiliter devincitur. In Ecclesia Statuum tria sunt genera, Clericorum, Religiosorum, Conjugatorum. Religiosorum Statum, qui solus ad Rubricam præsentem pertinet, præcipuè constituunt tria Vota Religiosa, Paupertatis, Castitatis, Obedientiæ, quæ propterea Religionis substantialia appellantur. Sit igitur

§. I.

De Voto Paupertatis Religiosæ.

S U M M A R I U M.

1 *Ad quid obligetur Religiosus ratione Voti Paupertatis Religiosæ?*
2 *Non includitur hoc Voto renuntiatio Beneficii Ecclesiastici, & aliorum Jurium Spiritualium.*
3 *Nec famæ, aut honoris.*
4 *Non est de essentia Paupertatis Religiosæ, ut dominio rerum temporalium privet, aut voventem incapacem illius reddat.*
5 *Quæ sit observantia Paupertatis Religiosæ?*
6 *Quid singulare circa hanc habeant FF. Minores de Observantia, Capucini, & Societas JESU?*
7 *Dispositio Religiosi Professi de bonis temporalibus est invalida.*
8 *An ita invalida sit etiam Dispositio Scholastici in Societate JESU?*
9 *Defenditur negativa.*
10 *Objectiones solvuntur.*
11 12 *An Religiosis licitum sit habere Peculium?*
13 *Quid de hoc tenendum moderno Jure post Trid.*
14 *Deciditur negativa.*
15 *An sub eodem Decreto etiam comprehendantur Vitalitia?*
16 17 *Respondetur distinguendo.*
18 &c. *Quibus modis Religiosus contra Votum Paupertatis peccare possit?*
24 *Quæ licentia Superioris excuset subditum à Paupertatis transgressione?*
25 *An data ad usus turpes, vanos, superfluos?*
26 *An Tacita?*
27 *Vel Præsumpta?*
28 *Si adiri quidem Superior possit, sed non adeatur ob respectum humanum, pudorem &c.*
29 *Deciditur affirmativa.*
30 *Explicatio Decisionis.*
31 *An hoc casu requiratur cognitio certa, quòd sit consensurus Superior?*
32 *Solvuntur objectiones.*
33 34 35 36 *Quid si neget Superior, vel negaturus prævideatur licentiam præter morem Prælatorum ejusdem Ordinis?*
37 *Quale peccatum sit violatio Paupertatis Religiosæ?*
38 *Quando grave?*
39 *Quænam pœnæ impositæ sint violantibus Paupertatem?*
40 *A quibus hæ incurrantur?*

QUæritur 1. ad quid obligetur Religiosus ratione Voti Paupertatis Religiosæ? Resp. ex hoc Voto 1
obligantur Religiosi omnes, & singuli, ne proprium quid habeant, vel aliquo tanquam proprio utantur, prout constat ex *can. non dicatis* 11. *caus.* 12. *q.* 1. *c. Monachi* 2. *cap. super quodam* 4. & *cap. cùm ad Monasterium* 6. *h. tit.* quia hoc Votum emittens se abdicat in perpetuum omni rerum temporalium externarum, quæ *Bona fortunæ* dicuntur, dominio, possessione, vel alio reali Jure, vel saltem libera dispositione illarum, & usu.

Dixi 1. *Rerum temporalium*; nam Beneficium Eccle- 2
siasticum acquirere, & retinere, saltem cum Superiorum suorum consensu, Religiosus potest, modò fructus, qui titulo Beneficii percipiuntur, non sibi, sed Monasterio, vel Ecclesiæ suæ acquirat. Laym. *l.* 4. *tr.* 5. *c.* 7. *n.* 2. Engl *hic num.* 1. Vviest. *n.* 18. Ratio est; quia Jus Beneficii Ecclesiastici Spirituale est; Spiritualium autem Jurium incapacem Professio Religiosa non facit. Idem dic de Jure eligendi, præsentandi, conferendi hujusmodi Beneficia, aut Dignitates Ecclesiasticas; nam etiam hæc Jura acquirere, retinere, & pro iisdem acquirendis, retinendis, recuperandis agere etiam suo nomine Religiosus non prohibetur, cùm & ipsa sint Spiritualia, vel Spirituali annexa. Navar. *comment.* 2. *de Regul. post princ.* Mirand. *Man. Prælat. tom.* 1. *q.* 18. *art.* 1. Less. *l.* 2. *de J. & J. c.* 3. *n.* 25. *vers. dixi.*

Dixi 2. *Externarum*; nam honori, & famæ per 3
Professionem Religiosam non renuntiatur, imò nec renuntiari potest, cùm non sint actus ipsius honorati, sed honorantis. Laym. Engl. Vviest. *l. citt.* Potest tamen hoc non obstante, studio humilitatis voveri moderatio affectus ad honores v. g. excludendo ambitum, & acceptationem Dignitatum, & Titulorum honoratorum, sicut in Societate Jesu faciunt Professi. Item potest aliquis (prout in eadem Societate per Institutum illius injungitur) contentum se ostendere, ut quocunque defectus sui per quemcunque, qui extra Confessionem Sacramentalem notitiam illorum acceperint, ad Superiorem ad Spiritualem deferendi fructum, & correctionem deferantur.

Dixi 3. *Vel saltem libera dispositione, & usu*: quod 4
additur propter Scholasticos, & Coadjutores nondum formatos in Societate Jesu, qui ex justis causis post edita Vota Simplicia dominium bonorum temporalium aliquamdiu retinent, sed usum illorum, & dispositionem non habent, nisi dependenter à Superiorum suorum licentia. Laym. *c.* 7. *cit. n.* 3. *Ex quo sequitur*, non esse de essentia paupertatis Religiosæ, ut dominio rerum temporalium privet, sed tantùm ut privet potestate utendi, ita, ut absque Superioris consensu non possit ulla re uti, vel de re ulla disponere, & illo volente teneatis etiam ejus dominio abdicare, ut bene advertit Less. *c.* 4. *cit. n.* 27. Rationem dat, quia talis etsi dominium rerum suarum retineat, idem tamen est, acsi non haberet, cùm dominium rerum non æstimetur nisi propter usum, & potestatem disponendi, quæ eidem per paupertatis Votum adimitur: conf. nihil eidem deest, quò minùs censendus sit paupertatis Religiosæ Cultor.

Quæritur 2. quæ sit observantia paupertatis Reli- 5
giosæ? Resp. olim observantia hæc adeo fuit stricta, ut Monachi non solùm habere, vel retinere, sed etiam dicere aliquid proprium, aut suum vererentur: qui verò proprietatem aliquam habere deprehendebatur, expellebatur è Monasterio; & si cum ea decessisset, sepultura Ecclesiastica censebatur indignus, sed in ster-

sterquilinio sepeliebatur, nummis, quos retinere præsumpserat, in proprietarium projectis, ut habetur *cap. cum ad Monasterium 6. h. tit.*

Hic tamen rigor non est de substantia Religiosi Status, nec unus, idemque in omnibus; nam diversa in diversis Religionibus tam in communi quàm personarum in particulari paupertatis est observantia. In plerisque Religionibus, licèt personæ particulares dominium nullius rei temporalis habere possint, retinetur tamen, & obtinetur dominium rerum temporalium in communi.

6 Peculiarem à cæteris paupertatis Religiosæ observantiam habent. 1. FF. Minores de Observantia, & Capucini, quippe qui juxta Regulam suam nullius rei temporalis, sive mobilis illa sit, sive immobilis, dominium etiam in communi obtinere possunt. 2. Societas Jesu, idque quoad paupertatem tam in communi, quàm in particulari. Quoad paupertatem in communi hoc commune Societas cum plerisque Ordinibus Religiosis habet, quòd ut alia Monasteria, ita etiam illius Collegia possidere bona in communi possint; hoc particulare, quòd Domus Professæ illius bonorum mobilium quidem dominium possint acquirere, non verò immobilium; præterquam habitationis, & horti. Quoad particulares ejusdem personas observantia paupertatis diversa est inter easdem; nam professi illius, & Coadjutores formati non solùm abdicant à se dominium rerum temporalium, ut professi aliarum Religionum, sed etiam successionis hæreditariæ incapaces fiunt, cujus capaces plerique alii sunt. At Scholastici ejusdem, & Coadjutores nondum formati, ut *num.* 4. dictum est, non statim abdicant à se dominium rerum suarum, sed solùm usum earum liberum, quem post edita Vota simplicia dependentem à superiorum voluntate habent.

7 Quæritur 3. an illicita tantùm, vel etiam invalida sit dispositio Religiosi, quam post edita Vota Religiosa facit? *Certum est*, invalidam esse dispositionem Religiosi professi, nam iste per ipsam professionem abdicat à se dominium rerum temporalium, quas antè habuit, & incapax fit earumdem sibi imposterum acquirendarum: igitur disponendo de his disponeret de re aliena: talis autem dispositio invalida est, nisi fiat cum consensu ejus, ad quem dispositio illarum de Jure pertinet, qui respectu Religiosi est ejus superior. ergo &c. *Excipitur* casus, quo Pater liberos habens, de substantia sua ante Professionem dispositionem non fecit; nam iste eandem etiam post Professionem, portione legitima Monasterio reservata, liberis suis potest dividere, non quidem jure dominii, quod Religionem profitendo amisit, sed administrationis, quam ad effectum istum eidem concessit Jus. *Auth. si qua mulier C. de SS. Eccl.*

8 *Dubium est*, an valida sit dispositio, quam Scholasticus Societatis Jesu de bonis suis sine consensu Superiorum fecit? Negant valere Molin. *tr.* 2. *de J. & J. D.* 139. *num.* 11. Less. *l.* 2. *c.* 4. *num.* 28. Haun. *tom.* 1. *tr.* 4. *n.* 38. *Moventur* 1. textu *l. non dubium* 5. *C. de Legib.* ubi pro irrito habetur actus, qui gestus est contra Legem, istum prohibentem. 2. Paritate cum rerum Ecclesiasticarum alienatione, quæ facta est à Prælato sine consensu Capituli, & cum alienatione, quæ à Pupillo sine Tutoris consensu celebrata est; quarum utraque valore caret. 3. Ratione; nam si dicatur, quòd ejusmodi dispositio nulla, & invalida omnino sit, melius obtinetur finis à Societate intentus, quæ ideo diutius reliquit Scholasticis suis dominium, ut facilior sit eorum è Societate dimissio; facilior autem hæc est, si, propter nullitatem dispositionis, sine Superiorum consensu factæ, integrum maneat disponenti dominium. ergo &c.

9 Sed dicendum, probabilius ejusmodi dispositionem esse validam, quamvis illicitam, & contra Votum Paupertatis. Ita Azor *p.* 1. *l.* 12. *c.* 12. *quæst.* 8. Suar. *tom.* 4. *de Relig. tr.* 10. *l.* 4. *c.* 6. à *n.* 12. Sanch. *l.* 7. *mor. c.* 8. *n.* 25. & *cap.* 18. *num.* 28. Laym. *l.* 4. *tract.* 5. *c.* 7. *n.* 3. Pal. *tr.* 16. *D.* 3. *p.* 2. *n.* 7. Wiest. *hic n.* 29. *Ratio est*, quia hæc dispositio nec Jure naturali, nec positivo est irrita, cùm sit de rebus, quarum Religiosus dominium, & administrationem habet; licèt impeditam ex virtute Religionis ob Paupertatis Votum. Addidi *esse illicitam*; quia Religiosus Societatis, ut *n.* 5. dictum est, per Vota Simplicia abdicavit se usu libero rerum suarum, quarum dominium ex ejusdem Societatis Constitutionibus aliquousque retinet: conf. sine Paupertatis læsione de [illegible] suis, ignorante, aut invito Superiore suo, disponere [illegible] nequit. Imò idem Superior dispositionem, se inscio, [illegible]

ctam, ob potestatem dominativam, quam in subditi voluntatem, & in ejus actiones habet, irritare, & revocare potest, sicut potest Votum, & quamlibet ejus humanam promissionem. Suar. Pal. *l. citt.*

Neque obstant Argumenta opposita. *Ad* 1. textus 1
l. non dubium citat. & alii similes intelligendi sunt de Lege, seu Jure prohibente non simpliciter, sed præscribente formam actui, aut habente clausulam irritantem sibi adjectam: quorum neutrum contingit in nostro casu. *Ad* 2. quòd nulla, & irrita sit alienatio, à Prælato sine consensu Capituli, & à Pupillo sine authoritate Tutoris facta, claris terminis in Jure proditum est: non ita proditum Jure est, quòd irrita sit dispositio facta à Religioso Societatis, ligato Votis Simplicibus, Superiore vel ignorante, vel invito. *Ad* 3. ne difficilior fiat per ejusmodi dispositionem dimissio, cavere Superior potest, si eandem rescindat, & irritet, quod secundùm dicta *n. præc.* potest.

Quæritur 4. An Religiosis licitum sit habere pecu- 1
lium ex Superioris licentia? Resp. distinguendo inter duplex Peculium, unum Juris perfecti cum facultate de eo liberè, & independenter ab alio disponendi; alterum juris imperfecti, tribuentis administrationem, possessionem, vel detentionem, & usum dependentem ab alio, ita ut ad ejus arbitrium restringi, revocari, & omnino auferri possit. *Prius Peculium* cum Voto Paupertatis Religiosæ apertè pugnat; nam per hoc Religiosus fit incapax proprietatis rerum temporalium, vel saltem usus ejusdem liberi, & independentis à Superioris consensu. Laym. *l.* 4. *tract.* 5. *capitul.* 7. *n.* 12. Vincent. Petra *tom.* 4. *comment. fol.* 164. *n.* 7.

Posterioris antiquo Jure Religiosus probabiliùs non 1
erat incapax, ut rectè advertunt Abb. *in cap. Monachi* 2. *h. tit. num.* 4. Navarr. *comment.* 2. *de Regular. n.* 14. & *comment.* 3. *n.* 27. Suar. *tom.* 3. *de Relig. l.* 8. *cap.* 14. *num.* 4. Sanch. *l.* 7. *mor. c.* 22. *n.* 5. Pal. *tr.* 16. *D.* 3. *p.* 7. *n.* 2. & communiter DD. cæteri. *Ratio est*, quia non apparet, ex quo capite (seclusò speciali rigore cujusque Religionis) peculium hoc Voto Paupertatis adversetur: non enim adversatur illi de Jure naturali; quia hoc Jure Votum Paupertatis solùm obligat voventem, ne re aliqua utatur tanquam propria. atqui qui utitur re aliqua dependenter à voluntate Superioris, non ut propriè, sed ut aliena eadem utitur. ergo &c. Non etiam adversatur illi de Jure positivo: quia nullus in hoc textus est, qui peculium à Superioris voluntate dependens Religiosis interdicat: imò *c. Monachi cit.* apertè permittitur. *Neque obstat*, quòd textus iste loquatur de Religiosis administrationem habentibus; quia causa administrationis pro peculio concedendo ibi data est, non quòd sola sufficiat, sed quòd sit frequentior.

Dubium est, an Peculium à Superiorum voluntate dependens Religiosis habere liceat etiam post Trident. quod *sess.* 25. *cap.* 2. *de Regular.* statuit, *ut deinceps nemini Regularium, tam virorum, quàm mulierum liceat bona immobilia, vel mobilia, cujuscunque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquisita, tanquam propria, aut etiam nomine Conventus possidere, vel tenere, sed statim ea Superiori tradantur, Conventuique incorporentur*. Navar. *comment.* 2. *de Regular. num.* 15. *& seqq.* & *cons.* 3. *n.* 32. *de Stat. Monach.* Mirand. *tom.* 1. *Man. Prælat. q.* 28. *artic.* 8. Sanch. *l.* 7. *mor. capit.* 22. *num.* 11. Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 103. *num.* 6. Dian. *p.* 1. *tr.* 6. *resol.* 32. Tambur. *tom.* 2. *de Jur. Abb. D.* 22. *q.* 5. *num.* 6. Murga *tom.* 2. *disquis.* 6. *dub.* 2. §. 3. *n.* 50. Capon. *discept.* 82. *num.* 6. *tom.* 2. Engl *hic n.* 2. & plures alii ab his *citt.* putant hoc Decreto suo Tridentinum non statuisse Jus novum, sed clarioribus solùm verbis expressisse, quod jam antea expressum erat *c. Monachi cit.* sc. Regularibus peculium concedi non posse absque justa causa, & ad usus quoslibet, etiam superfluos.

Sed verius est, eo Sacræ Synodi Decreto constitutum esse Jus novum, prout ex *c.* 2. *cit.* verbis *Nec deinceps liceat &c.* & toto tenore textus colligunt Suar. *tom.* 3. *de relig. l.* 8. *c.* 14. *num.* 8. Vasq. *de reddit. c.* 3. *dub.* 2. *n.* 14. Less. *l.* 2. *de Just. c.* 4. *num.* 30. Pal. *tr.* 16. *D.* 3. *p.* 7. *n.* 5. Coton. *l.* 4. *contr.* 6. *n.* 76. Fagnan. *in c. Monachi cit. n.* 10. *& seqq.* Van-Espen *p.* 1. *Jur. Eccl. tit.* 29. *c.* 6. Thomasin. *de Benefic. p.* 1. *l.* 3. *c.* 21. Monacell. *p.* 1. *Formul. Legal. in Append. fol.* 291. *num.* 2. Vincent. Petra *tom.* 4. *comment. fol.* 169. *n.* 25. qui *n.* 27. *& seqq.* plures super hoc S. Cong. Declarationes, & Decreta recenset. Quare dicendum, si insistere velimus Juri Decreti memorati S. Synodi Trid. non posse Religiosos habere Peculium etiam secundo modo spectatum. Dixi, *si insistamus Juri istius Decreti*: nam [illegible] consuetudine Jus hoc multùm tempera-

peratum est, cùm passim Superiores Religiosis suis, non tantùm extra, sed etiam intra Monasterium degentibus concedant peculia ad usus necessarios, & honestos impendenda. Vide Pal. *p. 7. cit. n. 6.*

15 Quæritur 5. utrum sub eodem Decreto etiam comprehendantur Vitalitia, seu annuæ præstationes assignatæ Regularibus? Negativam videtur probare consuetudo, quæ præcipuè apud Moniales invaluit, cum usitatissimum sit, ut eædem in renuntiatione sibi reservent, aut pro dote illis assignentur hujusmodi Vitalitiæ præstationes, tamdiu pendendæ, quamdiu Monialis, cui assignata est, vixerit.

16 Sed distinguendum est: Vel enim Vitalitium, cum licentia Superioris Regularis reservatum, administratur ab ipso Religioso, vel à Monasterio, & hujus Officialibus. *Si primum*, etsi revocabiliter, & ad usus licitos concessum sit, per *cit. Trid. Decretum* reprobatur. Vinc. Petra *tom. 4. comment. fol.* 171. *num.* 33. & apud hunc *S. Congr.* quæ ad quæstionem, an liceat Regularibus habere prædictos annuos redditus, seu provisiones annuas nomine Conventus, ac de suorum Superiorum licentia, & dependenter ab eorum voluntate, ut sint immunes à culpa, & pœna, de qua in Decreto *c. 2. sess. 25. de Regular.* respondit negativè. Quòd responsum eadem *S. Congr.* confirmavit novissimè 7. *April.* 1707. ubi cùm duæ Moniales Conventus SS. Trinitatis Neapolis obtinuissent à Sac. Congreg. Episcopotum Indultum, ut possent recipere annuam præstationem scutorum 200. à parentibus solvi promissam, ita tamen, ut Superiorissæ, seu Depositariæ traderetur, eroganda ad ipsis Monialibus pro earum indigentiis, sive aliis usibus piis sibi bene visis, reclamantibus contrà Indultum hoc reliquis Monialibus, tanquam læsivum vitæ communis, & Constitutionum Conventus, eadem S. Congregatio rescripsit, *servandas omninò esse Constitutiones, non obstante Indulto.*

17 *Si secundum*, & Vitalitii præstatio ita reguletur, ut pecuniæ detineantur in deposito, vel arca communi ipsius Monasterii, atque exinde Religiosus à manu Superioris eas percipiat, erogaturus in Religiosos, & honestos usus, de quibus Superior possit inquirere, id denegando, quoties ii non videntur congrui, & honesti, in eo sensu Vitalitium Regularibus licitum est, ut cum aliis docent Less. *l. 2. de Just. cap. 4. numer.* 31. Card. de Luca de *Regul. disc.* 57. *num.* 17. Monacell. *tom. 1. form. in append. fol.* 291. *numer.* 4. Petra *tom. 4. commentar. fol.* 172. *numer.* 37. & in hoc, non verò alio sensu Vitalitium Monialibus *numer. præced.* relatis censetur concessisse Sacr. Congreg. Episcop. *in Neapolitana cit. Ex quo sequitur*, Vitalitium tunc primùm Regularibus illæso Trid. Decreto concedi posse, quando observabuntur sequentes conditiones. 1. Ut illud fiat cum licentia Prælati Regularis. 2. Ut redditus hujusmodi cum aliis bonis Conventus incorporentur, ac Superiori tradantur, qui eos per se, vel per Officiales Ordinarios administret. 3. Ut ille, pro quo relicti sunt, in iisdem nihil sibi juris vindicare possit, & Superior, quamvis deceat, ut inde primùm necessitatibus illius, cujus intuitu relicti sunt, provideat, liberè tamen in alios usus eosdem expendere, & Religiosi necessitatibus aliunde providere possit.

18 Quæritur 6. quibus modis Religiosus contra Votum Paupertatis peccare possit? Resp. id contingere variis modis potest, prout videre est apud Less. *l. 2. de Just. cap.* 41. *num.* 78. Laym. *l. 4. tract. 5. cap. 7. à numer.* 4. Pal. *tract. 16. D. 3. pag.* 21. & 22. ac alios passim.

1. Si rem aliquam absque Superioris facultate expressa, tacita, vel præsumpta accipiat, retineat, absumat. S. Antonin. *p. 3. tit. 16. cap. 1. §. 11.* Sylv. *V. Religio 6. quæst. 7.* Navarr. *Comment. 2. de Regular. n.* 20. Azot. *p. 1. l. 12. cap. 12.* Less. Laym. Pal. *l. citt.* nam eo ipso, quòd sine facultate Superioris accipiat, retineat, accipit, & retinet nomine proprio. *Proceditque hoc*, etsi comestibilia tantùm sint; quia solùm etiam usum, seu absumptionem absque Superioris licentia attentare repugnat Voto: imò est etiam furti species, si res accepta sit ex bonis Monasterii. Sanch. *l. 7. mor. 21. numer.* 35. qui tamen addit in his esculentis, & poculentis majorem requiri quantitatem ad constituendum peccatum mortale furti, seu transgressionis Voti, quàm in rebus aliis; partim quia talium rerum acceptio, & absumptio propter naturæ necessitatem faciliùs excusatur; partim quia earum dominium non vendicatur, aut retinetur, sed merus usus appropriatur, per quem res mox absumitur.

19 2. Si absque facultate Superioris rem aliquam donet, alienet, distribuat. Estque hoc verum, etsi illa ex iis sit, quas, cum ejusdem Superioris facultate acceperit; non enim hoc ipso facultatem habet eam donandi, alienandi &c. nisi talis sit generis, quæ in hunc finem conceduntur, ut aliis denuo donari possint, ut sunt imagines, rosaria, & similia munuscula; nam hæc concedendo Superior hoc ipso concessisse censetur facultatem donandi aliis. *Et procedit*, etsi generalem rerum ejusmodi administrationem habeat, ut sunt Procuratores, Oeconomi &c. non enim potest eas distribuere pro suo arbitratu, sed solùm ex præcepto, & mente Superioris, ita, ut non det alia, nec plura, vel pauciora, nec meliora, vel deteriora, quàm scit Superiorem velle; qua parte enim recedit à mente Superioris, incurrit in vitium proprietatis; nam ita dispensat, acsi esset dominus, & ab alterius arbitrio non penderet: conf. ita distribuens committit furtum; & simul peccat contra Votum; & qui ab eo accipit, ejusdem furti fit particeps, & si Religiosus sit, etiam Voti prævaricator. S. Thom. *2. 2. quæst.* 32. *art.* 8. Navarr. *comment. 2. de Regular. num.* 9. Molin. *tract. 2. J. & J. D.* 276. *num.* 7. Less. *num.* 78. *cit. vers. quartò*, Laym. *num.* 9.

20 3. Si ex iis, quæ ad usum ipsi permissa sunt, aut aliis Monasterii rebus absque Superioris facultate mutuò, aut commodatò det alteri. Less. *vers. quintò*, Layman *num. 4. vers. secundò* Ratio est, quia est solùm usuarius, habens nudum usum facti, idque precariò, quamdiu Superiori videbitur. Usuarius autem non potest usum rei concedere alteri; hoc enim non est Usuarii, sed Usufructuarii §. *minus* 1. & §. *sequent. Inst. de Us. & habit.* In rebus tamen parvis, & crebrò occurrentibus censetur esse facultas tacita, vel generalis, saltem ad breve tempus. Imò etiam in rebus majoris pretii sæpe à mortali excusari Religiosus, qui ejusmodi rem absque Superioris facultate commodat, potest; etsi enim v. gr. liber, quem commodat, valeat 10. aureos, conf. si eum sibi vindicaret, indubitatò committeret peccatum mortale, usus tamen libri non perpetuus, sed temporalis tanti non æstimatur, ut materia peccati mortalis sit. Sanch. *l. 7. mor. cap.* 19. *num.* 57. & *cap.* 20. *num.* 6.

21 4. Si rem Monasterii sibi usurpet absque facultate Superioris, aut aliter eadem utatur, quàm ad quos usus à Superiore hæc ipsi concessa est. Pal. *p.* 22. *num.* 2. Hinc excusari à peccato mortali contra Votum Paupertatis, si materia gravis sit, Religiosus in Academia degens non potest, qui pecunias, sibi à Monasterio transmissas ad victum, vestitum, Libros Theologicos emendos, donando, ludendo, aut libris profanis, & inutilibus emendis absumit. Idem dicendum, si esculenta, & poculenta, quæ domi v. gr. in mensa singulis apponuntur, contra Prælati voluntatem secum auferat, vel alteri largiatur. Neque illum hoc casu excusat, quòd ea genium suum, defraudando comparserit; cùm enim dominii incapax sit, ita comparcendo nihil sibi acquirit proprium, sed in bonis Monasterii remanet, quæ sine Prælati consensu nulli dari, vel alia ratione expendi possunt. Laym. *n.* 5.

22 5. Si aliquid abscondat, ut illud liberæ Superioris dispositioni subducat, aut si tanquam injuria affectus, murmuret, dum talia ipsi à Prælato adimuntur; quia tales sunt actus tanquam Dominii independentis, sive Juris proprietatis, qui Voto Religiosæ Paupertatis repugnant, prout *loc. citt.* monent Sanch. *cap.* 19. *num.* 60. Less. *vers. Octavo*, Laym. *num.* 8. Pal. *p.* 21. *num.* 3. Et procedit, etsi talia illa sint, quæ cum Prælati licentia acceperat Religiosus; cùm enim precariò illa concesserit, ad nutum revocare potest; conf. si Religiosus ea abscondat, ne Prælatus volens ea revocare propositum suum exequi possit, aut si murmuret, & querelis impediat, ne auferre, aut revocare audeat, transgressor Voti Religiosæ Paupertatis efficitur. Sylv. *V. Religio 6. quæst. 7. dict.* 1. Sanch. *num.* 60. *cit.* Laym. *num. 8. vers. septimò*. Pal. *num.* 3. *citt.*

23 6. Si res ipsi ad usum concessas per culpam, seu negligentiam latam, quæ dolo æquiparatur, amittat, destruat. Sanch. *cap.* 19. *cit. num.* 115. Less. *vers. decimò*, Laym. *num.* 6. Ratio est, quia in rebus sibi permissis conservandis eam tenetur præstare diligentiam, quam Usuarius; qui precario utitur. hic autem tenetur præstare culpam latam, ut dictum est *Tit.* 14. *numer.* 14. ergo & Religiosus. *Conf.* quia rem aliquam posse suo arbitratu perdere, destruere est actus proprius dominii. Religiosus autem, cui solus usus facti concessus est, non potest talem actum dominii exercere sine violatione Voti Paupertatis. ergo &c. Imò si talis

lis Religiosus peculium habeat, suæ administrationi commissum, debebit de eo restitutionem facere Monasterio, cui ex tali destructione, vel quacunque inutili alienatione damnum illatum fuit, ut notat Sanch. *numer.* 113. Laym. *n.* 6. *cit.*

34 Quæritur 7. quæ licentia Superioris excuset subditum à Paupertatis transgressione? *Certum est* 1. eam licentiam debere esse voluntariam Superiori eandem danti; nam si metu, coactione, dolo, vel fraude extorqueatur, non excusat. Suar. *tom.* 3. *de Relig. l.* 8. *c.* 11. *n.* 14. Sanch. *l.* 4. *mor. c.* 19. *num.* 16. Pal. *tract.* 16. *D.* 3. *p.* 23. *num.* 1. Ratio est, quia fraus, & dolus talem licentiam ob vel subreptitiam, conf. involuntariam facit; metus autem licèt eam relinquat in ratione voluntarii, cùm voluntarium non tollat, injuriam tamen infert metum passo, à qua metum inferens in conscientia obligatur cessare: conf. tenetur ea facultate non uti, ne ipse injuriam Superiori illatam continuet. Hinc in conscientia tutus non est, qui dum licentiam petit à Superiore, ea tacet, quibus expressis licentia non solet dari, vel ea falsò exprimit, quibus non expressis eadem licentia negaretur; quia istam extorquet fraude, & dolo. Suar. Sanch. Pal. *l. citt.* Secus dicendum, si ea taceat, aut falsò exprimat, quibus tacitis, vel expressis licentia concedi solet, licèt difficiliùs concedatur. Suar. *l. cit.*

35 2. Ea licentia debet esse justa, seu talis, quam Superior possit concedere; nam si Religiosus pecuniam, vel res alias, etiam cum Superioris facultate, expendat ad usus turpes, vanos, superfluos, e. g. in sumptuosa convivia, vestes sericas, vanas picturas &c. à vitio proprietatis, & peccato contra Votum Paupertatis non excusatur. Less. *l. cit. vers. nono.* Pal. *p.* 23. *n.* 4. Ratio est, quia Prælato, utpote qui non est dominus, sed administrator duntaxat, & dispensator bonorum Religionis, non est datum ea distribuere, nisi juxta præscriptum Religionis, & SS. Canonum, atqui per hos non conceditur ei potestas absumendi illa in res turpes, vanas, superfluas; igitur ad has concedendo licentiam terminos potestatis suæ excedit: conf. licentia data irrita est. Addit Pal. *l. cit.* eundem Prælatum nec sibi ipsi eam facultatem posse concedere; quia non potest sibi ampliorem, quàm subditis usurpare Jurisdictionem.

36 3. Aliquando ad excludendum vitium proprietatis sufficit licentia tacita. Quod triplici præcipuè modo potest contingere. 1. quando id, de cujus licentia agitur, in expresso contentum, aut cum eo connexum, vel ipsi accessorium est. Ob hanc causam, si Prælatus Regularis donet, aut ab aliis donatas res aliquas permittat v. g. imagines, rosaria, nummismata benedicta, sciens subditum non indigere iis omnibus ad proprium usum, spectata talium rerum qualitate, censebitur tacitè eidem dedisse facultatem illa donandi aliis. Laym. *l.* 4. *tr.* 5. *c.* 7. *num.* 4. 2. quando ita consuetudine Religionis receptum est. Et ex hoc capite Religiosi iter agentes, vel extra claustra in Studiis versantes permittuntur facere Eleemosynas aliquas moderatas; imò & donationes aliquas leves consanguineis, vel amicis in signum gratitudinis pro beneficio recepto, amicitiæ debitæ, aut ad eorum voluntatem in favorem Religionis conciliandam. Pal. *D.* 3. *cit. p.* 22. *n.* 3. 3. quando Religiosus re aliqua temporali utitur Superiore conscio, & non contradicente, nisi iste solùm taceat, & non contradicat ex verecundia solùm, aut metu querelarum, vel similium incommodorum; nam ita tacens non tam consentire, quàm ejusmodi liberam acceptionem &c. tanquam minùs malum tolerare intelligitur. P. Vviest. *hic n.* 34. & apud hunc Navarr. *Comment.* 2. *de Regular.*

37 4. Casu saltem, quo Superior commodè adiri non potest, & necessitas ad aliquid accipiendum, vel expendendum urget, sufficit etiam licentia præsumpta Suar. *tomo* 3. *de Relig. l.* 8. *cap.* 11. *num.* 3. Less. *l.* 2. *de Just. cap.* 41. *num.* 79. Pal. *tr.* 16. *D.* 3. *p.* 23. *num.* 6. *Ratio est*, quia ex benigna interpretatione Voti Paupertatis præsumi debet illud non extendi ad casum, quo expressa licentia est moraliter impossibilis. Debet tamen eo casu Religiosus, ut tuta conscientia retinere rem ita acceptam possit, ejus acceptionem manifestare Superiori, ut rectè notat P. Vviest. *hic num.* 35. & ratio est, quia licentia præsumpta tantùm vim habet pro re accipienda, non autem, si postea adiri Superior possit, pro illa retinenda. Sed hinc

38 Quæritur 8. an licentia præsumpta sufficiat etiam casu, quo Superior adiri quidem posset, non tamen aditur ob respectum aliquem humanum, pudorem, vel aliam similem difficultatem? Videtur non sufficere. 1. quia licentia, quæ solùm præsumitur, defacto non extat, sed solùm creditur futura. atqui consensus, qui solùm creditur futurus, facultatem dare de præsenti non potest. ergo &c. 2. à pari: nam etsi à proprio Parocho concedenda credatur licentia, ut Parochianus ejus alteri Sacerdoti confiteri possit, per hoc tamen iste Jurisdictionem non acquirit, ut validè illum possit absolvere. 3. ex praxi Religionum; quia Superiores istarum inviti esse, imò punire solent, & debent liberè utentes licentia solùm præsumpta, ne nimia laxitas in Religiosas familias invehatur. 4. ex incommodis gravissimis, quæ ex usu libero licentiæ præsumptæ possent exurgere; nam cùm rari sint casus, quibus licentia, si peteretur, à Superiore, saltem mediato, puta Provinciali, Generali, Legato Sedis Apostolicæ, vel Papa ipsomet non concederetur, sequeretur, quòd quamlibet rem, etiam notabilem, insciis Superioribus, pro libitu accipere, retinere, expendere Religiosus posset; quod non nisi cum ingenti disciplinæ jactura, & maximo præjudicio paupertatis Religiosæ fieret. ergo &c.

Sed dicendum, eo casu sine vitio proprietatis, & 29
violatione Voti Paupertatis rem temporalem accipi, retineri, expendi posse à Religioso, modò præsumere possit Superiorem non esse absolutè invitum, licèt ipse modus aliquo modo displiceat. Ita S. Thom. 2. 2. *q.* 32. *art.* 8. *ad* 1. Sylv. *vers. Eleemosyna num.* 6. Navarr. *comment.* 2. *de Regul. n.* 20. Petr. Navarr. *l.* 3. *de restit. cap.* 1. *p.* 3. *dub.* 1. *num.* 160. Azor. *p.* 1. *l.* 12. *c.* 12. *q.* 2. 3. *&* 4. Valent. 2. 2. *D.* 10. *q.* 4. *p.* 3. *post init.* Suar. *tom.* 3. *de Relig. l.* 8. *c.* 11. *num.* 4. Sanch. *l.* 7. *mor. c.* 19. *n.* 4. *& seqq.* Less. *l.* 2. *de Just. cap.* 41. *num.* 79. *vers. crediderim*, Pal. *tr.* 15. *D.* 3. *p.* 23. *num.* 8. Vviest. *hic num.* 38. & alii plurimi ab his *citat. Ratio est* 1. quia Votum paupertatis non violatur acceptione, quæ non fit nomine proprio, sed cum dependentia, & subordinatione ad voluntatem Superioris. atqui cum tali dependentia jam agit, qui certò sibi persuadet, Superiorem, si rogaretur, facilè consensurum, & quoad ipsam rem, ipsamque ejus acceptionem absolutè non esse invitum, licèt istius modus aliquo modo eidem displiceat. ergo &c. 2. ea præsumptio de voluntate domini sufficit ad excusandum furtum *l. inter omnes* 46. §. *rectè* 7 *ff. de furt.* igitur multò magis sufficiet ad excusandum à vitio proprietatis. 3. eadem licentia præsumpta sufficit Religioso ad Eleemosynam dandam de rebus Monasterii. igitur etiam sufficiet ad aliquid accipiendum, & Monasterio acquirendum.

Dixi autem, *Modo præsumere possit Superiorem non* 30
esse absolutè invitum, sc. tam circa ipsam rem, quàm circa acceptionem ejusdem hoc modo; nam si Superior quidem sine difficultate licentiam daturus esset, si peteretur, rationabiliter tamen existimaretur, quòd eam nolit concedere, nisi actu petatur, licentia præsumpta ad licitam acceptionem non sufficit, ut cum Suar. Sanchez notat P. Vviest. *hic num.* 37. & ratio est; quia qui ita consensurus præsumitur pro casu, quo peteretur licentia, pro eo casu, quo illa non petitur, eandem præsumitur non concedere, imò esse invitus absolutè.

Addidi, *Licèt ipse modus aliquo modo displiceat*; nam hæc contradictio, ut Sanch. *cap.* 19. *cit. num.* 5. Laym. *l.* 4. *tr.* 5. *cap.* 6. *num.* 4. Pal. *p.* 23. *cit. num.* 9. advertunt, substantiam ipsam receptionis, & dispositionis non afficit: & hinc etsi talis receptio, vel dispositio ferè semper peccatum veniale includat, excusat tamen à peccato gravi contra Votum Paupertatis.

Disputant hic aliqui, qualis desideretur, hoc casu 31
cognitio voluntatis futuræ Superioris? Certam requirunt aliqui apud Pal. *loc. citat. n.* 8. ex ratione; quia aliàs periculum foret operandi absque ulla licentia, & contra Superioris voluntatem. Sed veriùs Navarr. *comment.* 2. *de Regular. num.* 10. Suar. *tom.* 3. *de Relig. l.* 8. *cap.* 11. *num.* 11. Sanch. *l.* 7. *mor. cap.* 19. *num.* 13. *fin.* Less. *vers. crediderim citat.* Pal. *lib.* 8. *citat.* docent sufficere cognitionem probabilem; quia sic operans moraliter certus est de voluntate Superioris, neque periculo morali operandi sine licentia exponitur, etsi physico exponatur.

Neque obstant Argumenta *num.* 28. opposita. *Ad* 1. 32
ea licentia præsumpta non est sine omni facto Superioris præsenti; fundatur enim illius præsumptio in eo, quòd sc. Superior ad ejusmodi res accipiendas facultatem dare, & acceptationes hoc modo factas ratas habere sit solitus. *Ad* 2. Disparitas est, quia, ut absolutio à peccatis sit valida, necessarium est, ut absolvens actu habeat Jurisdictionem, & potestatem absolvendi à peccatis, quæ ex eo, quòd petita daretur, non habetur; at acceptio, ut Paupertatis Voto adversetur, solùm exigit, ut subditus non proprio, sed alieno nomine,

mine, & Superiore non invito, agere censeatur: quod contingit, quando voluntas Superioris prudenter præsumitur. *Ad* 3. acceptio ex licentia merè præsumpta cum prævisione, quòd Superiori modus accipiendi aliquo modo displiceat, meritò punitur, quando licentia expressa haberi potuit; quia, ut *n.* 30. dixi, non vacat culpa, tum ob inordinatum illum respectum, tum ob scandalum aliorum, quod plerumque exurgit, si acceptiones hujusmodi palam fiant. *Ad* 4. Argumentum id solùm probat, quòd liberior usus licentiæ præsumptæ à Superioribus mediatis nequaquam ferendus sit: cum enim ad istos in causis solum gravioribus, & Superioris immediati potestatem excedentibus recurri soleat, ansa daretur etiam ad res majoris momenti sine expressa licentia accipiendas, & retinendas: quod fieri non posset sine gravissimo laxamento paupertatis Religiosæ.

Quæritur 9. an casu, quo res talis est, ut Superior concedere debeat licentiam eandem accipiendi, sed præter morem aliorum Prælatorum ejusdem Ordinis illam indiscretè negat, vel negaturus prævidetur, subditus adhuc accipere, retinere, expendere rem aliquam possit ex licentia ab eo, si rationabiliter ageret, præsumpta? Affirmat Mendoza *Quodl. q.* 8. *in fin.* Rationem dat, quia Superior tali casu facultatem negans non fungitur suo officio, ejusque indiscreta voluntas nulla est; & subditus, sicut ad obedientiam tantùm rationabilem, sic etiam ad observantiam paupertatis rationi consentaneam se obligasse censetur.

Sed præterquam, quòd non facilè præsumendum sit de Superiore, quòd licentiam irrationabiliter neget, vel negaturus sit, cùm pluribus rationibus subdito occultis moveri possit, quæ negatam licentiam cohonestent, concesso tamen casu quæstionis, ex eo, quòd Superior licentiam Religioso subdito imprudenter neget, vel negaturus credatur, malè infertur, quòd iste adversùs Paupertatis Votum procedere possit; sicut malè infertur eum, qui Voto Castitatis obstrictus est, posse ducere uxorem, dispensatione non obtenta, quando hæc eidem imprudenter, & præter morem negatur.

Quare cum Pal. *tr.* 16. *D.* 3. *p.* 23. *num.* 10. distinguendum est, an licentia sit debita ex parte Prælati tantùm, an etiam ex parte subditi, eò quòd iste à Religione, aut ipso jure naturæ jus habeat, ut res, quam petit, eidem concedatur. *Si hoc secundum*, ut Votum non violetur, sufficit licentia præsumpta à Superiore, si rationabiliter ageret, etsi hic eandem hic & nunc imprudenter neget; quia à natura, vel Religione hæc ei conceditur. Et ob hanc causam, si Prælatus subdito suo Regulari neget necessaria ad victum, & vestitum juxta morem receptum Religionis, potest iste hæc ab externis accipere, etsi ad sic accipiendum licentiam Prælatus neget; quia ad illa subditus jus à Religione habet, quod Prælatus non potest tollere, cùm obligare subditum ad Paupertatem strictiorem promissa nequeat. Item si sublevanda sit inopia extremè indigentis, & aliunde ista sublevari nequeat, quàm ex bonis Monasterii, si ad istud licentia à Superiore denegetur, potest subditus, alia licentia non impetrata, in ea necessitate indigenti succurrere; quia ad hoc ab ipsa natura jus, imò obligationem habet.

Aliud dicendum, *si primum contingat*, & licentia tantum sit debita ex parte Prælati, & negatur; nam eo casu Religiosus, absque alia licentia accipiens, retinens, dispensans, à Voti transgressione non excusatur. *Et ratio est* 1. quia Votum Paupertatis violat, qui nomine proprio, & sine subordinatione, ac dependentia à voluntate Superioris aliquid accipit, retinet, dispensat. hoc autem fieret, si Religiosus ageret contra Superioris voluntatem etiam irrationabilem. ergo &c. 2. quia etiam Obedientia violatur, cùm Superiori irrationabiliter imperanti id, quod sine peccato facere potest, Subditus non obtemperat. 3. quia hoc modo observantia Paupertatis, & Disciplinæ Regularis facilè in discrimen adduceretur; nam subditi ad laxitatem proni facilè sibi persuadent indiscretè, & irrationabiliter negari, quæ secundùm Regulæ accurationem à Superiore laudabili zelo non indulgentur. 4. quia videtur in hoc casu esse paritas cum pauperibus, qui si non extrema, sed gravi duntaxat necessitate laborent, non possunt sine peccato divitibus auferre aliquid, licèt hoc illi iisdem irrationabiliter, & per sorditiem negent. ergo &c.

Quæritur 10. quale peccatum sit violatio Paupertatis Religiosæ? Resp. est peccatum ex genere suo mortale, in specie Sacrilegii, quia contra Votum, & aliquando etiam furti, & injustitiæ. *Aliquando*, in quam; nam quoad hoc distinctio est adhibenda, an Religiosus, Superiore inconsulto, accipiat, retineat, dispenset, absumat res tales, quæ Monasterii sunt, vel in jus ejusdem absolutè jam transierunt, an verò eæ sint tales, circa quas nullum jus Monasterio adhuc quæsitum est, ut si recipiat sibi donata à Sæculari ea conditione, ut iste eorum dominium, & administrationem transire in Monasterium nolit, sed velit, ut penes Regularem privatum maneat. *Si primum*, præter peccatum Sacrilegii committitur etiam peccatum furti; quia Monasterium, in cujus dominio, & Jure res talis est, invitum est. *Si secundum*, committitur peccatum Sacrilegii tantùm; quia cùm donatio hoc modo facta invalida sit, donans rei donatæ dominus manet, quem hoc casu constat non esse invitum. Pal. *tr.* 16. *D.* 3. *p.* 20. *num.* 4. & alii apud ipsum.

38 *Dubium est*, quando censenda sit materia levis, vel gravis, ut peccatum contra Votum Paupertatis Religiosæ censeatur esse leve, vel grave? Resp. ex communi DD. sententia teste Pal. *p.* 20. *citat. num.* 2. id desumendum est ex quantitate materiæ, quæ requiritur ad hoc, ut furtum sit grave, vel leve; nam illam materiam judicant constituere peccatum grave adversùs Votum, quæ sufficit ad constituendum peccatum grave in ratione furti; leve autem, quæ in materia furti levis est. Addit tamen *loc. cit.* Palao, hoc intelligendum de materia furti secundùm se, & seclusis circumstantiis personæ, cui fit furtum; quia putat obligationem Paupertatis contrahendam actiùs, quàm aliquando contrahatur in materia furti: in hac enim certum est, praxi saltem, & intentione eorum, quibus fit furtum, spectata, non eandem esse quantitatem, quando furtum fit diviti, quando fit pauperi. Contra in ordine ad constituendum peccatum mortale contra Votum Paupertatis Religiosæ perinde est, à quo accipias; nam si accipias sine licentia Superioris, in ea quantitate, quæ graviter conducat ad humanas actiones, & hominum necessitatem sublevandam, sive à divite illud accipias, sive à paupere, mortaliter peccas adversùs Votum.

39 Quæritur 11. quænam Pœnæ impositæ sint violantibus Paupertatem? Resp. 1. privantur Sepultura Ecclesiastica, ut dictum est *Tit.* 28. *num.* 49. & tota pecunia simul cum proprietario sepelienda: quod procedit, spectato rigore Juris; nam ex æquitate sufficit pars determinanda arbitrio Judicis, reliquis pecuniis in utiles usus reservatis, cùm per partem solùm perditio Proprietarii abunde significetur. Sanch. *l.* 7. *mor. c.* 20. *num.* 11. Laym. *l.* 4. *tr.* 5. *c.* 7. *n.* 22. Pal. *tr.* 16. *D.* 3. *p.* 24. *n.* 1.

2. Proprietarius expellitur à Conventu *c. cùm ad Monasterium* 6. *h. tit.* Sed hæc pœna *c. fin. de Regular.* ne Religiosis detur occasio vagandi, sublata est, & loco illius Proprietarii jubentur detrudi in carcerem, & ibi pro qualitate delicti plecti. Pal. *l. cit. n.* 2. cum reliquis *suprà*.

3. Privatur voce activa, & passiva per biennium; aliisque pœnis juxta Religionis Constitutiones plectitur. Trid. *sess.* 25. *c.* 2. *de Regular.*

40 Porrò circa has pœnas duo sunt advertenda. 1. eas non incurri ante sententiam Judicis: quod de privatione Ecclesiasticæ Sepulturæ, & reclusione in carcerem clarum est; de privatione vocis activæ, & passivæ colligitur ex verbis *Deprehensus*, *convictusque fuerit &c.* quæ Judicis actionem sonant. Sanch. *c.* 20. *cit. n.* 4. Pal. *num.* 4.

2. Eas pœnas statutas esse non cuicunque vitio proprietatis, sed solùm retentioni: & hinc etsi Religiosus convinceretur accepisse sine licentia, vel acceptum expendisse, nisi tamen convictus fuerit retinere, prædictæ pœnæ non subjacet. Sanch. *num.* 13. Laym. *n.* 22. *fin.* Pal. *n.* 4.

§. II.

De Voto Castitatis Religiosæ.

SUMMARIUM.

41 *Ad quid obliget Votum Castitatis, & quàm gravis sit ejus obligatio?*

42 *An contra Castitatem dentur culpæ solùm veniales?*

43 *An peccatum contra Votum Castitatis solemne, aut Simplex emissum in Religione à peccato contra Votum Castitatis emissum in sæculo specie, & ita differat, ut circumstantia hæc necessariò sit explicanda in Confessione?*

44 *Re-*

44 *Reſpondetur negativè.*
45 46 *An ad Statum Religioſum ſufficiat Caſtitas conjugalis?*
47 *An Pontifex in Voto Caſtitatis ſolemni, ſive cum Religioſo Profeſſo pro Matrimonio diſpenſare poſſit?*
48 *Deciditur pro parte affirmativa.*
49 *Solvuntur Fundamenta ſententiæ negativæ.*
50 *Qualis requiratur cauſa, ut Pontifex diſpenſare in Voto ſolemni Caſtitatis poſſit?*
51 *An valida ſit diſpenſatio, quæ ſine Juſta cauſa conceſſa eſt?*
52 *An Pontifex ea conditione diſpenſare ad Matrimonium poſſit, ut diſpenſatus, ſuſcepta prole, ad Religionem teneatur regredi?*
53 54 *An Profeſſus, cum quo diſpenſatum eſt adnuptias, teneatur ad recitandum Divinum Officium?*

41 QUæritur 1. ad quid obliget Votum Caſtitatis; & quàm gravis ſit ejus obligatio? Reſp. obligat ad abſtinendum ab omni voluptate carnali, actuque Venereo, tam interno, quàm externo, etiam aliàs licito, ſeu conjugali. Ita Sylv. *V. Religio* 6. *q.* 8. Suar. *tom.* 3. *de Relig. l.* 3. *c.* 3. Sanch. *l.* 5. *mor. c.* 6. *num.* 9. Leſſ. *l.* 2. *de Juſt. c.* 41. *num.* 77. Laym. *l.* 4. *tr.* 5. *c.* 8. *num.* 1. Pal. *tr.* 16. *D.* 3. *p.* 1. *n.* 1. Donat. *prax. Regul. tom.* 4. *tr.* 16. *q.* 5. *num.* 1. Van Eſpen *p.* 1. *Jur. Eccl. tit.* 30. *cap.* 1. *num.* 9. Vvieſt. *hic nu.* 42. Gravitas peccati adversùs Votum hoc ex communi doctrina deſumitur ex gravitate peccati, quod committeretur contra Virtutem continentiæ à ſoluto: hinc pro Regula DD. *citt.* ponunt, quòd obligatio Voti Caſtitatis in Religioſo talis ſit, qualis eſt Virtutis continentiæ in ſolutis. Proinde, in quibus tranſgreſſio Continentiæ apud hominem Sæcularem eſt mortalis, etiam trangreſſio Voti apud Religioſum mortalis eſt; & in quibus apud priorem eſt venialis, etiam apud hunc venialis erit. Ratio eſt, quia Votum hoc non immutat obligationem Juris naturalis omnibus communem, ſed ſolummodo addit novam circumſtantiam ſacrilegii, ut duplex committatur culpa, una repugnans temperantiæ, altera Religioni. Sed hinc

42 Quæritur 2. an ergo contra Caſtitatem dentur culpæ ſolùm veniales? *Certum eſt* apud omnes, culpam venialem committi adversùs Caſtitatem poſſe ex defectu plenæ advertentiæ, & deliberationis. Idem aliqui admiſerunt ex parvitate materiæ. *Sed dicendum*, ob parvitatem materiæ tantùm nullum actum Venereum venialem eſſe, ſi ſit deliberatè commiſſus, vel quæſitus. Ita Rebell. *de oblig. Juſt. l.* 3. *q.* 10. *ſ.* 3. Sanch. *l.* 5. *mor. c.* 6. *num.* 12. Pont. *l.* 10. *de Matrim. c.* 16. §. 2. *num.* 8. Laym. *l.* 4. *tr.* 5. *c.* 8. *num.* 2. Pal. *tr.* 16. *D.* 3. *p.* 1. *num.* 2. Vvieſt. *hic num.* 45. & alii ab his *citt.* Sententiam huic oppoſitam ſub Præcepto Obedientiæ, gravi Cenſura, aliiſque pœnis doceri, & in uſum deduci, ſeu practicari hominibus Societatis Jeſu prohibuit Claudius Aquaviva ejuſdem Societatis Præpoſitus Generalis quintus 14. *April.* 1612. Et meritò; quia generaliter prohibitum, & mortaliter peccaminoſum eſt omne illud, ex quo ſi graviter prohibitum non eſſet, ſequeretur maximum peccandi illicitum, & generis humani præjudicium, hoc ſequeretur, ſi non omnis etiam minima voluptas Venerea deliberatè quæſita, vel admiſſa graviter prohibita, & peccaminoſa foret; quia propter maximam proclivitatem naturæ, & difficultatem moderationis in hac materia obſervandæ proniſſimus eſſet lapſus à minima delectatione in majorem, & manifeſtè mortalem.

43 Quæritur 3. an peccatum contra Votum Caſtitatis ſolemne, aut ſimplex emiſſum in Religione à peccato contra Votum Caſtitatis emiſſum in Sæculo ſpecie, & ita differat, ut circumſtantia hæc neceſſariò ſit explicanda in Confeſſione? Variant DD. apud Sanchez *l.* 7. *de Matrim. D.* 27. *à num.* 23. nam alii aſſerunt exprimendam: ſed in ratione danda plurimùm differunt, dum quidam eorum hoc refundunt in differentiam ſpecificam, qua differre autumant peccatum commiſſum contra Votum Caſtitatis ſolemne à peccato commiſſo contra Votum Caſtitatis ſimplex emiſſum in Sæculo; alii contrà licèt fateantur hæc duo peccata ſpecie non differre, dicunt tamen Votum ſolemne addere circumſtantiam aggravantem, quam judicant explicandam in Confeſſione.

44 Sed verius cenſeo cum eodem Sanch. *l. cit. n.* 27. Pal. *tr.* 16. *D.* 3. *p.* 2. *n.* 3. & aliis apud iſtos, hanc circumſtantiam de neceſſitate non eſſe exprimendam. *Ratio eſt*, quia tota differentia Voti Caſtitatis emiſſi in Religione, & emiſſi in Sæculo in hoc conſiſtit: quòd illud Matrimonium contrahendum dirimat, non verò iſtud: quæ differentia, cùm extrinſeca omnino, & accidentalis obligationi Caſtitatis ſit, violationem Caſtitatis aggravare, aut ſpeciem ejus mutare nequit. Quare ſufficiet, ſi is, qui ſe accuſat de actu contra Caſtitatem commiſſo, addat ſe Voto Caſtitatis ligatum eſſe. Eſtque hoc verum, ſive Religioſus ſit, ſive Sacerdos, ſive Religioſus, & Sacerdos ſimul; nam qui poſt Vota Religioſa ſuſcipit SS. Ordines, aut viciſſim, ſolùm repetit Votum ſemel emiſſum, repetitio autem ejuſdem Voti etiam millies facta obligationem non auget.

Quæritur 4. an ad Statum Religioſum ſufficiat Caſtitas conjugalis? *Rationem dubitandi* faciunt nonnulli Ordines Militares; qui, licèt tantùm obſervent Caſtitatem conjugalem, in variis tamen Conſtitutionibus Apoſtolicis Religioſi Ordines, & eorum Perſonæ Eccleſiaſticæ, & Religioſæ dicuntur.

Sed tenenda eſt negativa ſententia, quam etiam defendunt S. Thom. 2. 2. *q.* 186. *art.* 3. 4. *&* 5. Sot. *l.* 7. *de Juſt. q.* 5. *art.* 3. Suar. *tom.* 4. *de Relig. tr.* 9. *l.* 1. *c.* 4. *n.* 26. Leſſ. *l.* 2. *de Juſt. c.* 41. *num.* 7. Sanch. *l.* 4. *mor. c.* 16. *num.* 11. Laym. *l.* 4. *tr.* 5. *c.* 1. *nu.* 5. Dian. *p.* 8. *tr.* 1. *reſol.* 78. §. *legimus quoque*, Vvieſt. *hic n.* 47. & colligitur ex *c. cùm ad Monaſterium* 6. *h. tit.* ubi in fine *cuſtodia Caſtitatis omnino annexa* dicitur *Regulæ Monachali*.

Ad rationem dubitandi dico Ordines Equitum conjugatorum non eſſe propriè Religioſos Ordines; quia Conſiliorum Evangelicorum obſervantiam integram, & perfectam non vovent, neque obſervant; dicuntur tamen Religioſi in quibuſdam Bullis Pontificiis, ſecundùm quid videlicet quia profitentur Regulam Religionum approbatarum, & Religionis Vota Subſtantialia ex parte obſervant. Et hinc etiam perſonis Eccleſiaſticis accenſentur, & privilegiis Canonis, & fori, aliiſque Religioſorum gratiis, ac favoribus gaudent.

Quæritur 5. an Pontifex in Voto Caſtitatis ſolemni, ſive cum Religioſo Profeſſo ad Matrimonium diſpenſare poſſit? Negant Sylv. *V. Votum* 4. *q.* 5. Tabiena *V. diſpenſatio q.* 7. Armill. *V. diſpenſare n.* 12. Sot. *l.* 7. *de Juſt. q.* 4. *art.* 2. & alii plures apud Sanch. *l.* 8. *de Matr. D.* 8. *n.* 6. *in fin.* Fundatur 1. *c. cùm ad Monaſterium* 6. *h. tit.* ubi, ut *num.* 45. inſinuavi, *Cuſtodia Caſtitatis* dicitur *adeo eſſe annexa Regulæ Monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex poſſit licentiam indulgere*. 2. Quia repugnat rem ſemel conſecratam Deo ad profanos uſus revocari, ejuſque ſtatum mutari *Reg. ſemel* 51. *in* 6. atqui ita conſecratur Religioſus per Vota ſolemnia. ergo &c. 3. Repugnat ex Sacerdote fieri non Sacerdotem, ex Epiſcopo non Epiſcopum, ex Baptizato non Baptizatum. ergo etiam ex Religioſo non Religioſum. 4. Papa non poteſt diſpenſare in matrimonio carnali conſummato. ergo nec in Matrimonio Spirituali, quod contrahitur per Profeſſionem, conſummatur per exercitium actuum propriorum Profeſſis; nam vincula Spiritualia ſunt fortiora carnalibus *c. inter corporalia* 2. *de Tranſlat. Epiſc.* 5. Nulla cauſa juſta diſpenſandi in hoc Voto poteſt occurrere; cauſa enim diſpenſandi in Voto debet excedere bonitatem materiæ Deo promiſſæ, at verò *Eccl.* 26. dicitur, *quòd omnis ponderatio non ſit digna animæ continentis*.

Sed dicendum, Papam diſpenſare poſſe. Ita receptiſſima TT. & Canoniſtarum, quos maximo numero congerit, & allegat Sanch. *l.* 8. *de Matr. D.* 8. *n.* 7. *in fin. Ratio eſt* 1. quia ex ſententia Doctoris Angelici, & cæterorum omnium Papa diſpenſare poteſt in Voto Caſtitatis ſimplici. ergo etiam in ſolemni; nam ſolemnitas Voti, & inhabilitas ad Matrimonium contrahendum, ut *Tit. præc. n.* 8. dictum eſt, ſolùm provenit ex Lege Eccleſiaſtica, qua ſuperior Papa eſt. 2. Sedi Apoſtolicæ adſtruenda eſt omnis poteſtas ad rectam Eccleſiæ gubernationem neceſſaria, & expediens; talis eſt poteſtas diſpenſandi etiam in Voto Solemni quia hujuſmodi diſpenſatione ſæpe magna bona procurari, & mala impediri poſſunt. 3. Pontifex in Voto ſolemni jam ſæpiùs diſpenſavit; ſic enim diſpenſavit Benedictus IX. cum Caſimiro II. Poloniæ Rege, antè Cluniacenſium Ordinem Profeſſo, & Diacono; Cœleſtinus III. cum Conſtantia Rogerii Siciliæ Regis filia, & uxore. Henrici VI. Imp. antea Moniali; Innocentius III. cum Ramiro II. Aragonum Rege antè Monacho, imò Abbate, & Epiſcopo, Alexander III. cum Nicolao Juſtiniano Sacerdote Monacho in Monaſterio S. Nicolai Ordinis S. Benedicti, Gregorius XIII. cum fratre Cardinalis Joyoſæ Gallo Sacerdote Profeſſo,

fesso, & Provinciali PP. Capucinorum, & iis licentia data ad contrahendum conjugium, ut aliis *citt.* refert Fagnan. *in c. cùm ad Monasterium 6. h. tit. numer.* 11. Idem judicium est de voto Paupertatis, & Obedientiæ, ut notat P. Vviestner *hic n.* 52.

Neque obstant Argumenta oppositæ Sententiæ. *Ad* 1. ex inseparabilitate illa solum infertur, quòd Pontifex dispensatione sua non possit facere, ut ita dispensatus maneat Religiosus; hoc enim implicat, cùm Vota ista ad substantiam Status Religiosi spectent; non tamen sequitur, quòd dispensando non possit ipsum à Statu Religioso absolvere, & restituere in Statum Laicalem, ut uxorem ducere, proprium habere, & arbitratu suo vivere deinceps possit. *Ad* 2. retorsio fit in Calice, & aliis vasis, ac Paramentis consecratis, vel benedictis; nam quamvis ista, quamdiu manet eorum consecratio, vel benedictio, non possint applicari profanis usibus, possunt tamen, si consecratio, vel benedictio illorum cesset. *Ad* 3. negatur paritas; nam in Monachum tonso non imprimitur Character indelebilis; imprimitur autem Sacerdoti per Ordinationem, Episcopo per Consecrationem, Baptizato per Baptismum. *Ad* 4. iterum negatur paritas; quia indissolubilitatis absolutæ in Matrimonio consummato causa est significatio unionis Christi cum Ecclesia, quam significationem non habet Matrimonium Spirituale, quod contrahitur per Professionem. *Ad* 5. constabit ex mox dicendis; nam

Quæritur 6. qualis requiratur causa, ut Pontifex dispensare in Voto solemni Castitatis possit? Richard. *in* 4. *distinct.* 38. *artic.* 9. *quæst.* 1. voluit sufficere utilitatem privatam, sive speciale aliquod commodum Professi, quòd v. g. Votum Continentiæ ob nimiam fragilitatem difficillimè, & non nisi cum frequenti lapsu servare possit. Cui favet doctrina Cajetani, qui *in Opusc. tom.* 1. *tractat.* 27. *de dispens. Matr. in Occid. Eccl. quæst. un. vers. quoad tertium*, & *tom.* 3. *tract. ult. in resp. ad artic.* 12. idem dicit de Voto solemni Clericorum.

Sed dicendum, ut licitè Votum istud dispensando Pontifex relaxare possit, requiri causam publicam, & valde urgentem v. g. Regiæ, aut Principalis stirpis propagandæ, pacis, vel Religionis in Regno, vel Provincia aliqua conservandæ, aut promovendæ. Ita Medin. *de Sacror. homin. contin. cap.* 37. *fin.* Valent 2. 2. *D.* 6. *quæst.* 6. *p.* 7. *vers. respondeo hoc*, Sanch. *l.* 8. *de Matr. D.* 8. *n.* 8. Vviest. *hic num.* 56. & cæteri passim omnes. Ostenditur 1. quia nullum habetur exemplum, quòd unquam fuerit concessa dispensatio in hoc Voto ad conjugium ineundum ex utilitate merè privata. 2. Quia talis dispensatio fieri nequit absque aliquo Clericalis, aut Religiosi Status detrimento, atqui dissonum rationi est spectari bonum privati, postposito totius Status Religiosi detrimento. 3. Ita frequentissimæ dispensationes hujusmodi indulgendæ forent. cùm frequentissimè ipsius Professi bonum privatum occurrat, ob quod concedendæ illi dispensationis causa justa existeret. 4. Sic fraudibus aperiretur via; quia posset hujusmodi causam privatam habens studiosè ingredi Religionem, ut hujus expensis aleretur in Studiis, vel suscipere Clericatum, ut opes ex redditibus Ecclesiasticis corrogaret; obtento autem hoc fine, petere dispensationem, & redire ad sæculum.

1 Quæritur 7. an dispensatio Pontificia, in Voto solemni Professi absque causa justa concessa, sit valida, ac proinde Matrimonium, vi talis dispensationis à dispensato contractum, sit validum? Resp. Matrimonium quidem hoc casu initum à Professo esse validum, ipsum tamen dispensatum, si sciat defectum istum, debitum conjugale non posse petere, licèt illud teneatur reddere. Ita Suar. *l.* 6. *de Legib. c.* 19. *num.* 6. Sanch. *l.* 8. *de Matr. D.* 8. *num.* 10. Vviest. *hic num.* 54.

Dixi 1. *Matrimonium tale esse validum*; quia Votum Solemne vim Matrimonii dirimendi tantùm habet ex constitutione Ecclesiæ, quæ cùm à Papæ voluntate pendeat, ideo iste etiam sine causa in illa dispensat validè.

Dixi 2. *non posse talem petere debitum vi ejusmodi dispensationis*; quia Professio Religiosa duo habet: unum illorum est ipsum Votum, alterum solemnitas. Primum obligationem, & vim impediendi Matrimonium à Jure naturali habet, in quo quia Pontifex sine causa justa dispensare non potest, hinc sequitur hac cessante in ita dispensato manere obligationem Voti: unde sicut is, qui cùm ligatus sit Voto simplici Castitatis emisso in Sæculo, validè quidem Matrimonium contrahit, sed debitum tamen absque dispensatione non potest reddere, ita etiam Religiosus sic dispensatus.

Quæritur 8. an Pontifex ita dispensare cum Religioso Professo ad Matrimonium possit, ut istud ad tempus duret, e. g. donec susceperit prolem, & hac suscepta teneatur ad Religionem regredi? Affirmat Præposit. *in c. sicut ex litteris num.* 11. *de sponsal.* cum aliis apud Sanch. *l.* 8. *de Matrim. D.* 8. *n.* 9. & inclinare in hanc sententiam videtur Joan. Andr. *Reg. actus legitimi de R. J. in* 6. ubi refert se quæstionem disputasse, atque remittit ad Pontificem dissolvendam, subdens, si dispensaret, multos censere validam fore dispensationem. 52

Sed respondendum est negativè. Ita Abb. *in c. ex publico* 7. *de convers. conjugat. n.* 11. Tabien. *V. dispensatio quæst.* 6. Sanch. *num.* 9. *cit.* Ratio est, quia ita dispensatus, dum contraheret Matrimonium, deberet illud contrahere ea conditione, ut teneatur uxor, suscepta prole, consentire in mariti reditum ad Religionem. non potest autem sub ea conditione contrahere; quia est contraria substantiæ Matrimonii, utpote quod ex natura sua individuam, adeoque perpetuam vitæ Societatem inducit.

Dixi, *ut teneatur consentire*: nam ea conditione, ut dispensatus teneatur regredi ad Religionem, si habita prole uxor liberè consentiat, aut si causam divortii perpetuam per fornicationem dederit, dispensare Pontifex cum eo, qui Voto solemni ligatus est, potest; quia conditio hæc nihil continet aut substantiæ Matrimonii, aut Juri conjugis quæsito contrarium.

Quæritur 9. an Professus, cum quo dispensatum est ad nuptias, teneatur ad Officium Divinum recitandum? Conveniunt DD. ita dispensatum teneri ad Officium Divinum, si habitum nondum mutavit, contrà ab ea obligatione absolvi, si mutato habitu reipsa ad statum Matrimonialem transiit. 53

Difficultas est, quid dicendum, quando habitum quidem mutavit, nondum tamen ad Vota Sæcularia transiit? Rodriq. *tom.* 1. *summ. edit.* 2. *c.* 141. *n.* 14. asserit eum teneri ad Horas, ex ratione, quòd antequam ad nuptias transeat, nondum statum incompatibilem assumpserit, per quem status Religiosus destruatur; conf. adhuc Religiosus maneat cujus signum est, quia si, mutato proposito, nollet, uti dispensatione, maneret utique Religiosus absque novo alio actu, nec permitteretur ei in sæculo diu persistere, conjugium differendo.

Sed meliùs Sanch. *l.* 8. *de Matr. D.* 8. *num.* 11. respondet, ita dispensatum ab eo tempore, quo habitu Religioso deposito, sæcularem induit, ut dispensatione utens Matrimonium ineat, eum liberari ab obligatione recitandi Officium Divinum, & cæteris Religiosæ vitæ oneribus. Ratio est quia cum jam sit justè extra Monasterium, & vitam Monasticam, sicut ab hac, ita etiam ab ejus obligationibus per consequens liberatur, cùm ad istas non obligetur, nisi ratione Vitæ Monasticæ. *Conf.* à pari cum ejecto, quem his obligationibus liberari fatentur DD. 54

Ad Argumentum sententiæ contrariæ non est verum, quòd dispensatus per eam dispensationem non desinat esse Religiosus; quia in sic dispensato extinguitur essentia Status Religiosi, quamprimum uti dispensatus ad Sæculum transeundo cœpit. Si propositum dispensatus mutet, & Matrimonium non velit contrahere, ad Religionem redire cogitur, non quod à Votis non fuerit liberatus, sed quia cessat omnino dispensationis causa, & ipsa dispensatio tacitam habet conditionem, ut duret, quamdiu causa duraverit.

§. III.

De Voto Obedientiæ Religiosæ.

SUMMARIUM.

55 *Quæ sit essentia, & obligatio Voti Obedientiæ?*
56 57 *Ejus violatio quotuplicem contineat malitiam?*
58 *Cui Religiosus vi Voti Obedientiæ teneatur obedire?*
59 *An Moniales Abbatissis, & Priorissis suis?*
60 *An, & quomodo Regulares utriusque sexus vi Voti obedire teneantur Episcopo?*
61 *Quid si non exempti, sed Episcopo subjecti sint?*
62 *Solvuntur Argumenta opposita.*
63 *An subditis Religiosis à Prælato suo præcipi possint, quæ sunt extra regulam?*
64 *An id possit Summus P[illegible]fex?*
65 *Qu[illegible]untur implicitè contenta in regula?*

66 *Res-*

66 *Respondetur ad rationem dubitandi.*
67 68 *An regulares subditi teneantur obedire Prælato Regulari præcipienti actus merè internos?*
69 70 *An, & qualiter ab ipso obligari ad inserviendum peste, vel alio morbo contagioso infectis?*
71 *Sub quo reatu obligentur servare ea, quæ contenta sunt in regulis, & Constitutionibus Ordinis?*
72 73 74 75 *An in statu peccati mortalis sit, qui consuetudinem habet transgrediendi regulas sub nulla, vel veniali duntaxat culpa obligantes?*
76 77 *An Religiosi obligentur ad asperitates primævæ regulæ, si illa cum tempore sit relaxata?*
78 79 80 81 *Quid si per reformationem primævæ rigori sit restituta?*
82 *An regularis teneatur obedire Prælato, quando hic ipsi præcipit indifferentia?*
83 *Ridicula, aut per naturam impossibilia?*

55 QUæritur 1. quæ sit essentia, & obligatio voti obedientiæ in Statu Religioso? Resp. per hoc promittens Obedientiam, seque Religioni tradens renuntiat voluntati propriæ, ita, ut jam proprium velle, aut nolle non habeat, sed gubernationi sui Prælati Superioris se tradat ad obtemperandum in omnibus, quæ honesta, justa, & Regulæ conformia sunt. Laym. *l.* 4. *tr.* 5. *c.* 9. *n.* 1. Donat. *tom.* 4. *prax. tr.* 17. *q.* 4. *n.* 1. Vviest. *hic n.* 57. Adeoque Votum hoc duo in sese continet; unum est, quòd sit promissio Deo facta, qua ex parte inducit obligationem Religionis; & alterum, quòd simul sit promissio humana, qua vovens se gerendum, & gubernandum Religioni tradens, promittit se executurum Superioris præcepta, *conf.* inducitur obligatio Justitiæ, & fidelitatis promissioni humanæ propria.

56 *Ex quo sequitur* in violatione Obedientiæ Religiosæ plures contineri malitias, & peccata; nam peccans contra Superioris sui præceptum primò peccat contra Religionem ob transgressionem Voti; deinde contra Justitiam ob jus Religioni per traditionem quæsitum; denique contra veracitatem, & fidelitatem debitam ob promissionem in ipsa traditione inclusam. Neque est inconveniens, unicum actum duplicem, vel triplicem malitiam continere, si plura jura violet, ut patet in famulo, vel servo obligato ex Justitia ad exequenda mandata Domini sui, qui si Votum eliciat ea mandata exequendi, dupliciter, vel tripliciter peccabit transgrediens tale mandatum, nempe contra Religionem, Justitiam, & fidelitatem. Suar. *tom.* 3. *de Relig. l.* 10. *c.* 6. *n.* 3. Pal. *tr.* 16. *D.* 4. *p.* 1. *n.* 3.

57 Imò aliquando Religiosus, violans Votum Obedientiæ, etiam peccat contra Virtutem, circa quam actus imperatus versatur. *Aliquando*, inquam; non enim semper, sed tunc solùm contra eam peccare censendus est, quando Superior ei præcipit utens Jurisdictione Ecclesiastica à Pontifice concessa: quod non est præsumendum, nisi id clarè exprimat. Censebitur autem Jurisdictione hac uti. 1. Quando imperat statuendo Legem; quia nullus Legem ferre potest, nisi Jurisdictionem habeat. 2. quando imperat sub pœna Excommunicationis, vel alterius Censuræ Ecclesiasticæ. Et hinc si alterutro modo imperet, præceptum violans ultra malitiam Sacrilegii, & injustitiæ etiam peccat adversùs illam Virtutem, cujus rectitudinem per actum imperatum Superior procurare intendebat. Pal. *num.* 3. *citat.*

58 Quæritur 2. cui Religiosus vi Obedientiæ ita promissæ teneatur obedire? *Certum est* 1. quemlibet teneri obedire Prælato, seu Superiori suæ Religionis tam mediato, quàm immediato, cum subordinatione tamen, & ita, ut Provincialis potiùs, quàm Localis Superioris mandata, si contraria sint, observari debeant *can. quæ contra* 2. *in fin. dist.* 1. Suar. *tom.* 3. *de Relig. l.* 10. *c.* 11. *n.* 6. *& seqq.* Pal. *tr.* 16. *D.* 4. *p.* 2. *n.* 1. & ratio est, quia Superior immediatus, tanquam inferior, nihil potest præcipere, quod mediati Superioris mandatis adversum sit.

Certum est 2. omnes utriusque sexus Religiosos ex Voto Obedientiæ teneri obedire Summo Pontifici, si hic præcipiat ea, quæ regulæ conformia sunt; neque enim ab hoc Religiones aliter approbantur, quàm ut esset supremus earum Prælatus. Navarr. *Man. c.* 12. *n.* 76. Suar. *c.* 11. *citt. n.* 13. Laym. *l.* 4. *tr.* 5. *c.* 8. *num.* 3. *vers. tertiò.* Pal. *p.* 2. *citt. n.* 4. Vviest. *hic n.* 61.

Certum est 3. quòd Moniales non exempræ, quæ Ordini non subsunt, sed Obedientiam vovent Episcopo, teneantur huic obedire, eique magis, quàm Abbatissæ, Priorissæ &c. si ille præcipiat conformia Regulæ; quia hic non minùs est proprius illarum Prælatus, quàm Exemptarum Abbas, vel alius Superior Regularis; Sanch. *l.* 6. *mor. c.* 1. *n.* 11. Laym. *n.* 3. *vers. tertiò*, Pal. *p.* 2. *cit. n.* 5. Vviest. *n.* 62.

Dubium est, an vi Voti Obedientiæ obedire Abbatissis, Priorissis, & similibus Superiorissis teneantur Moniales ipsis subjectæ? *ratio dubitandi* est, quia Spiritualem Jurisdictionem non habent, imò, nec capaces de Jure communi illius sunt, ac propterea ex communi sententia præcipere Monialibus suis non possunt in virtute Spiritus S. aut Sanctæ Obedientiæ, atqui præcipere, & obedire sunt correlativa. ergo nec vi Voti Obedientiæ tenebuntur Moniales ipsis subjectæ iisdem obedire.

Sed tenenda est affirmativa sententia, quam etiam defendunt Sanch. *l.* 6. *mor. c.* 1. *num.* 17. Suar. *c.* 11. *citt. num.* 20. Tambur. *de Jur. Abbatiss. D.* 12. *q.* 5. *num.* 3. Donat. *tom.* 4. *prax. regul. tr.* 17. *q.* 32. Vviest. *hic numer.* 67. Ratio est, quia Moniales vi Voti Obedientiæ tenentur parere illis Superioribus, quibus se per tale Votum subjiciunt. subjiciunt autem se non solùm Papæ, Episcopo, aut Prælatis Ordinum &c. sed etiam Abbatissæ, vel Priorissæ suæ. ergo &c.

Ad rationem dubitandi, & si Abbatissæ &c. non habeant Jurisdictionem Spiritualem, habent tamen in Moniales sibi subjectas potestatem dominativam, & domesticam, sibi acquisitam per traditionem sui, à Monialibus in Professione solemni factam cum promissione obediendi: neque necessarium est, ut præcipere aliquid possint in Virtute Sanctæ Obedientiæ; nam potestas hæc ex Jurisdictione Spirituali oritur.

Quæritur 3. an, & quomodo Religiosi, & Moniales, quæ Ordini subsunt, vi Voti obedire teneantur Episcopo? *Certum est*, Regulares Exemptos utriusque sexus vi Voti non teneri obedire Episcopo; quia istorum Superior quoad observantiam Regularem non est, Sanch. *l.* 6. *mor. c.* 1. *n.* 13. Pal. *tr.* 16. *D.* 4. *p.* 2. *num.* 5. Vviest. *hic num.* 63.

Dubium procedit quoad non exemptos. Petr. de Ledesm. *tom.* 2. *summ. tr.* 10. *c.* 7. *num.* 2. Pal. *p.* 2. *cit. numer.* 6. Donat. *tom.* 4. *prax. regul. tr.* 17. *q.* 30. *num.* 4. cum aliis putant teneri ipsos obedire Episcopo ex vi Voti. *Fundatur* 1. quia ex generali axiomate Episcopus in sua Diœcesi erga sibi subjectos potest, quod Papa potest respectu totius Orbis Christiani, nisi ejus potestas Apostolica reservatione restricta sit, atqui Papæ ex vi Voti Obedientiæ obedire regulares debent, si ea præcipiat, quæ Regulæ sunt conformia juxta dicta *numer.* 58. ergo etiam Regulares non exempti Episcopo similia præcipienti. 2. Prælati Regularium non exemptorum Jurisdictionem suam accipiunt immediatè non à Papa, sed ab Episcopo. ergo istorum subditi Religiosi huic potiùs, tanquam immediato Prælati sui Prælato, & principaliori, quàm isti obedire tenentur. 3. si Religiosi isti in pertinentibus ad Regularem observantiam non essent obligati obedire Episcopo, sed tantùm Prælato suo Regulari, absolutè exempti essent ab Episcopi Jurisdictione: quod est contra suppositum.

Sed veriùs hujusmodi Regulares non exempti, si Episcopo, tanquam proprio suo Prælato, non specialiter Obedientiam voveant, ad ipsi obediendum ex vi Voti Obedientiæ non tenentur. Ita Innoc. *in c. quanto* 7. *de Offic. Ordin.* Abb. *ibid. n.* 5. Sylvest. *V. Obedientia q.* 8. Sanch. *l.* 6. *mor. c.* 1. *num.* 12. Laym. *l.* 4. *tr.* 5. *c.* 9. *num.* 3. *vers. tertiò*, Pirh. *de Offic. Ordin. n.* 58. Vviest. *hic num.* 64. allegantes S. Thom. 2. *dist.* 44. *fin. in Exposit. lit. ad* 3. *Ratio est*, quia hujusmodi regulares Obedientiam promittunt non Episcopo, sed Abbati, & hujus, non illius regimini se submittunt. *Conf.* si Episcopo potiùs, quàm Abbati suo obedire deberent vi Voti, Episcopus ipsos, etiam non consulto Abbate ipsorum, ordinare posset. non potest autem Episcopus ordinare ipsos, nisi de Abbatis sui voluntate *can. nullus* 1. & *can. fin. dist.* 58.

Argumenta contraria non sunt efficacia. *Ad* 1. inprimis Regula illa multas alias restrictiones patitur: respectu Regularium autem apertè non procedit, ut patet in istorum Votis, quæ omnia Pontifex irritare potest, non autem Episcopus. *Ad* 2. Argumentum illud solùm probat, quòd Regulares non exempti subjiciantur Episcopo tanquam Clerici, & personæ Ecclesiasticæ, & ex vi Jurisdictionis quoad disciplinam Ecclesiasticam, non verò quoad observantiam Regularem, & ex vi Voti Obedientiæ. *Ad* 3. per hoc, quòd ex vi Voti non teneantur obedire Episcopo, non fiunt exempti; nam adhuc Jurisdictioni illius subsunt, quam etiam in eos exercet tum quoad alios actus proprios Jurisdictionis, tum etiam quoad correctionem, & disciplinam Regularem, si in hac Prælatus Regularis sit negligens.

Quæ-

63 Quæritur 4. quænam Religiosis subditis præcipi à Prælatis eorum possint? Videtur posse præcipi generaliter quamlibet rem honestam, præsertim in iis Religionibus, quarum Regulis præscribitur, ut obediant Superiori in omnibus, in quibus manifestum peccatum non cernitur, ut fit in Societate Jesu *Const. p.* 3. *c.* 1. *n.* 23. & *p.* 6. *n.* 1. & probare hoc etiam videtur ratio; quia obedientiam promittendo propriam voluntatem abdicarunt, & submiserunt Prælato, ut jam velle, ac nolle proprium non habeant.

Sed hoc non obstante, dicendum, non posse Religiosis subditis à Prælato suo præcipi, quæ extra Regulam sunt, & in ea nec expressè, nec tacitè, seu implicitè continentur. Ita S. Thom. 2. 2. *q.* 104. *art.* 5. *ad* 3. Navarr. *Man. c.* 23. *n.* 39. & *comment.* 4. *de Regular. n.* 22. Valent. 2. 2. *Disp.* 7. *q.* 3. *p.* 2. *fin.* & *D.* 10. *q.* 4. *p.* 3. *circa fin.* Vasq. 1. 2. *D.* 154. *c.* 4. *n.* 21. Sanch. *l.* 6. *mor. c.* 2. *n.* 15. Suar. *tom.* 3. *de Relig. l.* 10. *c.* 8. *n.* 6. Less. *l.* 2. *de Just. c.* 41. *n.* 74. *vers. quinto*, Laym. *l.* 4. *tr.* 5. *c.* 9. *n.* 2. Pal. *tr.* 16. *D.* 4. *p.* 4. *n.* 2. Engl *hic n.* 8. & communiter DD. cæteri. *Ratio est*, quia subjectio Regularium erga suos Prælatos, cùm voluntaria sit, eorum voluntatem, ac promissionem, qua Religioni se tradiderunt, non excedit. ipsi autem se tradendo tantùm promiserunt Obedientiam secundum Regulam Instituti, quo sunt amplexi. ergo quæ contra, vel præter Regulam Instituti sunt, præcipi à Prælatis nequeunt, & consf. nec subditi in iis tenentur obedire.

64 *Proceditque hoc* non tantùm de Superiore Regulari, sed etiam de Summo Pontifice; nam neque iste ex vi Voti Obedientiæ obligare subditum Regularem potest ad ea, quæ sunt supra, contra, vel infra Regulam, nisi ex causa, quæ tamen sit secundùm Regulam, ut cum aliis advertit Less. *num.* 74. *cit. vers. hinc sequitur.* Ratio est, quia ex vi Voti Pontifex ampliùs non potest obligare subditum Regularem, quàm iste eò Voto se intenderit obligare. atqui iste ex vi Voti non magis intendit se obligare Pontifici, quàm Superiori suo Regulari. ergo &c. Addidi *ex vi Voti Obedientiæ;* nam ut Pastor universalis Ecclesiæ, cui Dominus potestatem omnem necessariam ad bonam Ecclesiæ administrationem in Oves contulit, plura præcipere potest, quàm Superior Regularis, v. g. capessere Episcopatum, vel aliam Dignitatem extra Religionem, quod tamen præcipere Prælatus Regularis nequit.

65 Dixi autem, *Quæ in Regula nec expressè nec tacitè, seu implicitè continentur*; sufficit enim, quòd contineantur tacitè, quòd expressi, & taciti sit eadem vis *Reg. expressa* 156. *ff. de R. J.* Porro tacitè, seu implicitè comprehensa in Regula censentur omnia, quæ moraliter necessaria sunt ad conservationem Instituti, & ipsius Regulæ expressæ observationem. S. Thom. *in* 2. *dist.* 44. *q.* 2. *ad* 3. Sylv. *V. Religio* 6. *q.* 6. Vasq. *c.* 4. *cit. n.* 20. Sanch. *n.* 9. Suar. *num.* 7. & *seqq.* Pal. *n.* 4. Vviest. *hic n.* 71. In specie respectu omnium Religionum implicitè in Regula continentur mutua officia, & obsequia fraternæ Charitatis, munera, seu functiones, & officia Ordinis, correctiones, & pœnæ ob defectus, culpasque commissas, mortificationes, pœnitentiæ, & alia pia opera, atque exercitia multùm conducentia ad hujusmodi transgressiones in futurum vitandas, ad publicas calamitates, & alia mala evitanda &c. In Societate Jesu implicitè, imò explicitè *Constit. p.* 9. *c.* 3. §. 9. continentur Missiones ad Indos, Saracenos, & quaslibet mundi plagas pro conversione Infidelium, Hæreticorum, & Schismaticorum ad gremium Ecclesiæ reductione, aliique labores, ac functiones obeundæ pro animarum salute.

66 *Ad Rationem dubitandi num.* 63. allatam dico, illam Obedientiam, quæ præstatur Superiori etiam in iis, quæ sunt præter Regulam, esse perfectissimam; nam Doctor Angelicus *in* 2. *dist.* 44. *q.* 2. *art.* 4. triplicem Obedientiam distinguit, quarum unam appellat *Indiscretam*, quæ est de rebus illicitis, alteram *Imperfectam*, id est, minùs perfectam, quæ terminis Regulæ continetur, tertiam *Perfectam*, quæ nullis arctatur terminis, sed extendit sese ad obediendum in omnibus, quæ cum Statu assumpto non repugnant; Prima Obedientia vitiosa est, secunda debita, tertia supererogatoria, quam idcirco Societas Jesu, & alii Religiosi Ordines suadent, non præcipiunt. Videantur *l. citt.* Less. *num.* 74. Laym. *n.* 2. Pal. *n.* 3. & *seqq.* Vviest. *n.* 70. *hic.*

67 Quæritur 5. an Regulares subditi teneantur obedire Prælato Regulari præcipienti actus merè internos, e. g. Orationem mentalem? Azor. *p.* 1. *l.* 12. *c.* 13. *q.* 4. Mirand. *tom.* 1. *man. Prælat. q.* 26. *art.* 3. Sanch. *l.* 6. *mor. c.* 1. *n.* 6. defendunt negativam. Sed probabiliùs affirmatur cum Suar. *de Leg. l.* 4. *cap.* 12. *fin.* Laym. *l.* 4. *tr.* 5. *c.* 9. *n.* 4. & aliis, ex ratione; quia homo vovere potest, quidquid Sanctum, Deoque gratum existit. atqui obedire Prælato præcipienti actus internos Virtutum, v. g. Orationem mentalem, est opus Deo gratum, & magnæ perfectionis. ergo ad talem Obedientiam obstringere homo se Voto potest. Neque est improbabile, quòd Religiosi, saltem aliquarum Religionum, in quibus stricta Obedientia viget, ad talem obediendi severitatem se obligare intendant, cùm velint esse ut Holocaustum quo se totos, ac præcipuè voluntatem suam in manibus, ac potestate Prælati Deo offerant.

Conf. nam Prælati Regularium possunt ipsis etiam contradicentibus omnia eorum Vota, etiam merè interna, simpliciter irritare, ut dictum est *Tit. præc. n.* 16. ergo 68 signum est, quòd Prælati Ordinum habeant potestatem gubernativam in actus etiam merè internos Regularium, quippe qui per Obedientiæ Votum Juri voluntatis suæ renuntiarunt, ut jam velle, & nolle non habeant. *Conf.* 2. in multis Religionibus præcipitur subditis, ut ad certam, & particularem intentionem orent, vel sacrificent, cùm tamen talis intentio operi omnino accidentaria, & merè interna censeri debeat.

Monet tamen Suar. *l.* 4. *de Legib. c.* 12. *in fin.* non esse consultum, & fortasse in nulla Religione consuetum, ut actus interni, qui exteriùs nullo modo produntur, præcipiantur sub obligatione peccati, quamvis absolutè loquendo præcipi possint.

Quæritur 6. an, & qualiter Regulares præcepto Superioris obligari possint inservire peste, vel alio morbo 69
contagioso infectis? Resp. distinguendo cum Rodriq. *to.* 3. *Regul.* 31. *art.* 3. Sanch. *l.* 6. *mor. c.* 2. *n.* 56. & *seqq.* Pal. *tr.* 16. *D.* 4. *p.* 4. *num.* 7. Vel enim regulari subdito demandatur cura Religiosorum domesticorum, vel Sæcularium externorum, tali morbo laborantium.

Si primum, obedire Prælato hoc jubenti subditus Religiosus debet; quia, ut *n.* 65. dictum est, ex vi Voti Religiosus subditus obedire tenetur Prælato præcipienti ea, quæ ad conservationem, & bonum Regimen Religionis pertinent. ad hoc autem maximè pertinet Religiosos sibi mutua præstare obsequia, & invicem succurrere in necessitatis. ergo &c. *Neque obstat*, quòd inde maximum mortis periculum Religioso inservienti immineat; quia tali casu periculum hoc necessitatem obediendi non tollit, sicut non tollit necessitatem eundi ad bellum, & navigationem periculosam, quando id jubet Princeps ob bonum temporale Reipublicæ. Monent tamen *loc. citt.* DD. *suprà* allegati, considerandam in hac parte conditionem infirmorum, & inservientium, nam si quis Religiosus tam tenui corporis valetudine uteretur, ut cum multo majori contagionis periculo, quàm alii, id munus obiret, vel si vir esset talis, cujus vita valde utilis est bono Religionis communi, & alii inveniri possent, per quos absque tanto proprio, & boni communis discrimine ei malo posset consuli, existimant, hujusmodi viris curam infirmorum, præsertim si hi prædictis dotibus careant, non posse præcipi.

Si secundum, DD. prædicti iterum distinguunt inter 70
eos, qui profitentur vitam Monachalem, seu spectantem ex instituto propriam tantùm salutem, & inter eos, quorum Institutum est Spirituali proximorum saluti incumbere. *Priores* ex vi Voti non tenentur obedire Prælato jubenti, ut externis peste infectis Sacramenta ministrent; quia licèt opus istud sit eximiæ perfectionis, ab Instituto tamen istorum alienum est. *Posteriores* casu, quo Parochi, & alii Clerici etiam mercede ab Episcopo conducti non sufficiunt, præcepto Superioris, & ex vi Voti obligari possunt, tenenturque Prælatus id ipsis præcipere; quia hoc non est supra, sed secundùm illorum Regulam, cùm eorum munus sit esse Episcoporum, & Parochorum Coadjutores in salute proximorum adjuvanda, & ob id Eleemosynis fidelium sustententur. Addidi, *casu, quo Parochi &c. non sufficiunt*; solùm enim tenentur in defectum Parochorum; quia id munus per se primò incumbit Parochis, quorum munus est Parochianis ministrare Sacramenta. *Excipit* Pal. *n.* 7. *cit.* si aliquando bono nomini Religionis notabiliter expediret Religiosum peste infectis inservire; nam tali casu posset, & deberet Prælatus sibi subditum obligare ad id munus obeundum, & Religiosus cujuscunque Ordinis teneretur obedire, eò, quòd tam Prælatus, quàm subditus obligentur bono communi Religionis consulere.

Quæritur 7. an ex Voto Obedientiæ, & sub quo reatu 71
mortalis, an venialis culpæ Religiosus teneatur servare omnia contenta in Regulis, & constitutionibus Religionis? Resp. id desumendum ex [illegible] Constitutionis, intentione Legislatori[illegible] consuetudine Religionis; [illegible] aliqua Religione dari Constitutiones, & Re-

& Regulæ, obligantes sub peccato mortali, aliæ sub veniali, aliæ ad nullam culpam. Si Regula obliget sub mortali, & ex communi sententia transgressio illius mortalis est contra Votum Obedientiæ; si sub veniali, venialis; si sub nullo peccato, ejus transgressio ob Votum Obedientiæ nullum inducet peccatum: non excusabitur tamen eam transgrediens à pœna transgredientibus imposita, quamvis hæc pœna propriè pœna non sit, cùm nullam supponat culpam moralem. Pal. *tr.* 16. *D.* 4. *p.* 3. *n.* 1. *& tribus seqq.*

72 *Dubium est*, an Religiosus, qui consuetudinem habet transgrediendi regulas sub nulla culpa obligantes, vel obligantes ad veniale tantùm, sit in statu peccati mortalis. Videtur respondendum affirmativè; quia talis Religiosus caret proposito servandi regulas illas. ergo deficit à via perfectionis, quam assumptione Status Religiosi professus est. Item non vult se subjicere regulæ; ergo illam contemnit: atqui contemptus regulæ est mortalis, ut sentit S. Thom. 2. 2. *q.* 186. *art.* 9. & ibi Cajetanus. ergo &c.

73 Sed dicendum, hujusmodi Religiosum per se loquendo non peccare mortaliter, esto careret intentione servandi illas regulas, vel etiam haberet expressam intentionem illas non servandi. Ita Suar. *tom.* 4. *de relig. tr.* 8. *l.* 1. *c.* 4. *à n.* 10. Pal. *tr.* 16. *D.* 4. *p.* 3. *n.* 6. Ratio est, quia non est propositum transgrediendi aliquam obligationem sub mortali, cùm omnes regulæ non excedant obligationem culpæ venialis.

74 Dixi *per se loquendo*; per accidens sæpè committet peccatum mortale, quod tunc continget, cùm adverterit ex suo licentioso, & irregulari modo operandi grave detrimentum causari Religioni, proximo, & sibi: Religioni, quam hoc modo privat utilitate, quam ex ipso sperabat percipere, dum se pravis moribus inutilem reddit; proximo, dum ejus exemplo plures occasionem sumunt regulas passim violandi; sibi, dum se ob eam causam exponit gravi periculo, ne ob incorrigibilitatem è Religione expellatur.

75 Neque contrarium probant Argumenta allata. *Ad* 1. talis Religiosus per hoc propositum, & pravam consuetudinem à via perfectionis incæpta non deficit in necessariis, sed in accidentalibus solùm, & levem obligationem inducentibus, per quæ perfectionem procurare non obligatur sub gravi, modò illam procuret observatione Votorum, & Præceptorum Religionis, quæ ad substantiam hujus pertinent. *Ad* 2. ad contemptum formalem regulæ, ut Pal. *n.* 6. *cit.* notat, requiritur, ut eam violes, tanquam inutilem, frivolam, & nullius considerationis, vel ut eam violes animo determinato ob illius transgressionem pœnæ te non subjiciendi, sed Prælato resistendi, quod non facit formaliter, qui regulas hujusmodi violare consuevit, etiamsi animum habeat illas non servandi.

76 Quæritur 8. an Religiosi obligentur ad asperitates primævæ regulæ, etiamsi ea cum tempore sit relaxata? *Ratio dubitandi* est; quia Regulæ observandæ obligatio oritur ex Voto, eique adjuncta, & per omnia respondente promissione. atqui Voto Obedientiæ promittitur Obedientia secundùm regulam à Sede Apostolica approbatam; talis autem est primæva; non ea, quæ deinde per laxitatem corrupta est. ergo &c.

77 Dandum est huic Argumento aliquid, & utendum distinctione, quam cum aliis dat Pal. *tr.* 16. *D.* 4. *p.* 4. *n.* 9. Vel enim asperitates istæ ab ipso Religionis exordio includuntur in ipsis Votis, vel non. *Si hoc secundum*, ad earum observantiam Religiosi non obligantur; quia non usu, vel contraria consuetudine sunt abrogatæ.

Si primum, iterum distinguendum est, an Vota quoad tenorem, & sensum mutata sint, an verò modernorum Votorum sensus, & tenor sit idem, qui fuerat primo tempore. *Si prius*, asperitates, quæ Votis non ampliùs continentur, Religiosi ampliùs observare non obligantur; quia illas non voverunt. *Si posterius*, omnino tenentur ad observantiam asperitatum contentarum Votis; quia obligatio Voti est naturalis, & Divini Juris, cui per consuetudinem contrariam derogari nequit.

Ex quo cadit Ratio dubitandi allata in contrarium.

78 Quæritur 9. an casu, quo regula ad primævum rigorem reducta est, ad hujus rigoris observantiam obligentur etiam illi, qui Religionem professi sunt ante reformationem? *Ratio dubitandi* utrinque gravissima est. *Pro negativa* militat; quia Religiosi vi Voti solummodo obligantur ad Regulam, & observantiam, ad quam in Professione se obligarunt. ista autem solùm se obligarunt ad observantiam regulæ mitigatæ, & relaxatæ à primævo suo rigore. ergo &c. *Pro affirmativa*, stat; quia omni Jure Prælatis regularibus [illegible] Capitulo permissum est collapsam disciplinam erigere, & novis [illegible] Ordinationibus conditis reparare. atqui correctio ista fieri cum effectu vix posset, si Religiosi subditi salubriter ordinata acceptare, & iis parere non tenerentur. ergo &c.

Difficultas hæc ope distinctionis resolvitur: Vel enim 79
regulæ rigor Privilegio Apostolico, aut ab ipso Ordinis Prælato cum Capitulo ex justa causa est mitigatus, vel relaxatus dumtaxat est negligentia Superiorum observantiam disciplinæ regularis non promoventium, & conniventium transgressionibus, sicque inducta contraria consuetudine rigori illi est derogatum. *Si primum* contingat, & præsens regulæ observantia nemini sit offendiculo, sed adhuc commodam viam ad perfectionem præstet secundùm illam viventibus, dicendum, eos, qui antè professi sunt, non teneri ad observandum rigorem ejus primævum, ad quem postea primùm redacta est, prout rectè probat Argumentum primum in ratione dubitandi *n. præcedenti* allatum.

Si secundum fiat, probabiliùs reformationi postea fa- 80
ctæ accommodare se debent etiam illi, qui ante reformationem factam ediderunt Professionem. Abb. *in c. super eo* 9. *de regular. n.* 5. Sylv. *V. religio* 6. *q.* 6. Azor. *p.* 1. *l.* 13. *c.* 11. *q.* 17. *&* 19. Sanch. *l.* 6. *mor. c.* 2. *n.* 35. Suar. *tom.* 3. *de relig. l.* 10. *c.* 8. *n.* 19. Laym. *l.* 4. *tr.* 5. *c.* 9. *n.* 13. Pal. *tr.* 16. *D.* 4. *p.* 4. *n.* 11. Fagnan. *in c. recolentes* 3. *h. tit. n.* 5. *& seqq.* Zoel. *hic n.* 9. Pith. *n.* 14. Schambog. *n.* 6. Vviest. *n.* 75. *&* 76. & probavit sententiam istam teste Fagnano *S. Congreg. Cardd. Proceditque hoc*, non tantùm, quando præsens laxitas aliis est offendiculo, & substantialia Religionis convellit; nam tunc clarum est eam consuetudinem Jus non inducere, sed corruptelam esse, ac proinde non observandam: sed probabiliùs etiam tunc, quando illa nemini est offendiculo, neque periculum inducit convellendi substantialia Religionis, sed tantùm asperitates aliquas, & observantias ad Perfectionem multùm conducentes sustulit; modò legitima authoritate, videlicet vel Pontificia, vel Prælati cum consensu majoris partis Capituli facta sit reformatio. *Ratio est*, quia consuetudo ista, etsi legitima sit, Pontifici, Prælato, & Capitulo non sustulit potestatem restituendi regulam rigori pristino, si viderint hoc ad conservationem Ordinis valde utile, aut necessarium esse.

Neque excusare se possunt illi, qui antè professi sunt, 81
quòd non professi sunt regulam secundùm illum rigorem; nam dum secundùm regulam simpliciter profitendo se spontè tradiderunt, & obligarunt Religioni Perfectionis studio, simul promisisse Prælato censentur, quòd parati esse velint ad amplectenda omnia, quæ ad bonum Religionis statum conservandum, aut reparandum, & ad Perfectionem à Religionis Fundatoribus propositam consequendam valde conducentia videbuntur; est autem sæpè ad fines istos necessaria reformatio. ergo ad illam suscipiendam tenebuntur, & quidem vi Voti. Laym. *l.* 4. *tr.* 5. *c.* 9. *n.* 11. *Excipi* tamen debet, si asperitates illæ accidentariæ essent valde graves, & rigor ille primævus à præsenti observantia valde diversus, ita, ut Vitam Religiosam multò difficiliorem reddat; nam ad hujusmodi reformationem suscipiendam antè professi non obligantur, cum præsumi rationabiliter nequeat, quòd ad illam Voto intenderint se obligare.

Quæritur 10. an regularis teneatur obedire Prælato, 82
quando hic ipsi præcipit indifferentia, ridicula, per naturam impossibilia, vel etiam Juri naturæ contraria? Respond. ad 1. de indifferentibus, quòd ea percipienti obedire teneatur subditus Religiosus, negat Mirand. *tom.* 1. *man. q.* 26. *art.* 9. Sed meliùs distinguit Laym. *l.* 4. *tr.* 5. *c.* 9. *n.* 5. dum ait non obligari, si appareat, Prælatum vanè, & inutiliter, nulloque bono fine præcipere. Secus, si id non appareat; nam quæ ex genere suo indifferentia sunt, & non mala, si à Superiore imperantur bono fine, e. g. intentione exercendi subditos in Virtute Obedientiæ, per circumstantiam finis virtuosi cohonestantur, & bona fiunt, sicut constat ex iis, quæ docet Cassian. *de Instit. renuntiat. l.* 4. *c.* 24. *&* 26. cons. cadunt sub Votum Religiosi, quo vovet se obediturum in omnibus, quæ justa, & regulæ, ac Votis observandis conformia sunt.

Ad 2. cùm præcipiuntur ridicula, ut cùm olim præce- 83
ptum Religioso fuit, ut aridum lignum affusa aqua per multos dies rigaret, & alii, ut plantas inversas in terram defigeret, &c. eadem distinctio est adhibenda.

Ad 3. talia præcipere veteribus Sanctis Abbatibus usitatum erat, ut cùm S. Maurus à S. Benedicto jussus est lacum ingredi, & Fratrem in eo periclitantem extrahere, cùm Mutius Monachus jussus est ab Abbate proprium filium in flumen projicere &c. Hujusmodi ergo res Abbates præcipiebant licitè; quia non præcipiebant, quasi vellent illa fieri: sed ut subditi conarentur ea facere,

re, ut in Obedientia simplici exercerentur, & prompta illorum Obedientia posteris esset exemplo, & documento, ut bene advertit Sanch. *l. 6. mor. c. 2. num.* 4. Quòd verò subditi hujusmodi imperia licitè exequerentur, Spiritus Sancti instinctu fecit, quo propositum ipsis fuit Obedientiæ meritum, absque eo, quòd in re præcepta apprehenderent ullam malitiam.

§. IV.

Alia quædam, quæ Jure communi constituta sunt circa Regulares utriusque Sexus.

SUMMARIUM.

4 QUæritur 1. quænam Jure communi statuta sint circa Regulares in genere? Respond. 1. Monachi & alii Regulares, spectato Jure communi Canonico, & seclusis Exemptionis privilegiis, subjecti sint Episcopis, ita, ut ab his visitari, corrigi, & puniri possint, prout sumitur ex *c. Theodosius* 1. *h. tit.* ibi, *præter diligentiam disciplinæ*: Prima tamen correctio ad Religionis Prælatum spectat, qui si in corrigendo negligens sit, tum demum illa potestas devolvitur ad Episcopum *c. quanto* 7. & *ubi* Gloss. *V. si Prælati de Offic. Ordin.*

5 2 Non recipiantur in Monasterio pro pretio *c. Monachi* 2. *h. tit.* ubi etiam pœna statuitur; nam is, qui pro sui receptione in Monasterium aliquid dederit, ad SS. Ordines ascendere prohibetur, is autem, qui receperit, ab officio suspenditur. 2. Non permittantur habere peculium, nisi ab Abbate fuerit ei pro injuncta administratione permissum: qui verò peculium habuerit sine licentia Abbatis, ab Altaris communione removetur, & sic decedens Ecclesiastica Sepultura privatur; Abbas autem, qui diligenter ista non curaverit, officii sui jacturam incurrit *c. Monachi cit. vers. qui verò*. 3. Prioratus, & alia Officia nulli conferantur pro donatione pretii; alioquin dantes, & accipientes ab Officio, seu Ministerio suo deponantur *c. Monachi cit. V. Prioratus*. 4. ii, qui legitimè per Capituli electionem ad Prioratus Conventuales promoti sunt, sine justa causa non removeantur *c. cit. V. Priores*, ubi etiam referuntur causæ, ex quibus removeri ab Officiis suis possunt, si sc. Monasterii bona dilapidaverint, si incontinenter vixerint, aut aliud quid commiserint depositione dignum, vel contra ob necessitatem majoris officii ad hoc videantur transferendi. Alia est ratio Priorum Claustralium, qui per Electionem Canonicam non constituuntur, nec in Prioratibus confirmantur; isti enim Obedientiarii sunt, & ad nutum Abbatum suorum amoveri possunt Abb. *in c. cit. num. 9.* Pirh. *hic num. 7.* Schamb. *n. 2.* 5. Non ponantur singuli per villas, & per oppida in Parochialibus Ecclesiis quibuscunque, sed in majori Conventu, aut cum aliquibus Fratribus maneant *c. cit. vers. nec singuli*.

3. *c. recolentes* 3. *h. tit.* monet Pontifex Cistercienses Monachos, ut servent Regulam secundum primævam institutionem, domus verò Religiosæ iisdem aggregatæ eundem cum ipsis morem custodiant: & additur, alias eosdem Cistercienses, amisso Exemptionis, & aliis privilegiis, eodem cum aliis Jure censendos, cùm *dignum sit, ut qui similem cum aliis vitam suscipiunt, similem sentiant in legibus disciplinam. Ex quo sequitur* 1. Privilegium, quod Religiosis concessum est ob specialem rationem, v. g. ob strictam vitam illorum, si ab eo vitæ instituto recedant, amitti, ut communi cum aliis Jure censeri debeant *can. generaliter* 40. junct. Gloss. *marg. caus.* 16. *qu.* 1. & ratio est; quia tunc cessat causa, & finis, ob quem concessum est privilegium. *Sequitur* 2. posse integrum aliquod Monasterium, vel Domum Religiosam se ex toto transferre ad arctiorem Ordinem, saltem cum authoritate, & licentia Ordinarii, prout contigit in casu *cap. cit.* ubi integra Monasteria Cisterciensium Institutum amplexata sunt. Ut tamen integer aliquis Ordo ad Ordinem alium transeat, efficere authoritate sua potest solus Pontifex; nam iste solus, ut instituere, ita supprimere Ordines Religiosos potest. Pirh. *hic n.* 15. *not.* 4. *Sequitur* 3. eos Conventus, qui ita transeunt, etiam vitæ normam sequi debere, quam illi habent, ad quos transitus factus est: hinc si Ordo, ad quem transitum est, non est capax talium possessionum, qualium capax est Monasterium, à quo est transitum, etiam possessiones mutari debent, ut colligitur ex *c. cit.* & notant *ibid.* Gloss. *V. vel etiam commutatis*. Pirh. *l. cit. not.* 5. 86

4. *c. quod Dei timorem* 5. *h. tit.* conceditur facultas Canonicis Regularibus, quòd in Ecclesiis Parochialibus, seu Curatis præfici possint, ita tamen, ut Socium sui Ordinis secum habeant, *si commode fieri potest*, prout *ibidem* dicitur. Hodie tamen secundum dicta *Tit. 5. de Præbend. n.* 25. non minus, ac Monachis opus habent dispensatione Apostolica, ut præfixi Ecclesiæ Parochiali, vel alii Curatæ, quæ Monasterio suo non est incorporata, possint, etiam ad tempus, ex Decreto Gregorii XIII. de quo vide *num.* 25. *cit.* ubi plura circa hanc controversiam. 87

5. *c. cùm ad Monasterium* 6. *h. tit.* statuitur 1. ne Monachi utantur camisiis, seu indusiis lineis: quibus tamen uti possunt Canonici Regulares. 2. Nullus Regularis proprium aliquo modo possideat, sub pœna expulsionis ex Monasterio, privationis Ecclesiasticæ Sepulturæ, & novissimo Jure Trid. *sess.* 25. *c.* 2. *de Regul.* privationis vocis activæ, & passivæ. 3. Silentium servetur continuum, maximè in Oratorio, Refectorio, & Dormitorio. 4. In Refectorio nullus omnino carne vescatur, sed qui debiles, & infirmi sunt, ut carnium esu indigeant, iis vescantur in Infirmaria, non in privatis Cameris. 5. Officia, & Beneficia Regularia committantur fidelibus, & discretis, & his non in perpetuum, sed ita, ut ad nutum removeri possint. 6. Prior Claustralis præ cæteris post Abbatem sit potens opere, & sermone, ut exemplo vitæ, & verbo doctrinæ Fratres suos instruere, corripere, & à malo revocare, & in bono confirmare possit. 7. Abbas frequenter, quantum poterit, sit cum Fratribus in Conventu, & vigilem curam, ac sollicitudinem de omnibus gerat. 88

6. *Clemen.* 1. *h. tit.* præscribitur regularibus, præsertim Monachis 1. modestia, & modus in vestitu, & victu. 2. Confessio, & Communio menstrua. 3. Explicatio Regularum facienda Novitiis. 4. Interdicuntur aucupatio- 89

nes, & venationes clamorosæ. 5. Excommunicationis pœna fertur in eos, qui conferunt se ad Curias Principum, ut Prælatis, aut Monasteriis damnum aliquod inferant. 6. Prohibetur, ne singuli Monachi in singulis administrationibus, vel Prioratibus sibi commissis habitare præsumant, & eo casu, quo proventus talis Prioratus ad duos alendos non sufficiunt, jubetur iste vel alii Prioratui vicino, vel alteri officio Monasterii uniri. 7. Præscribitur ætas necessaria in promovendo ad Prioratus Conventuales, & alios habentes curam animarum annexam: & additur, ut ad eosdem non promoveantur, nisi Ordinem Monachalem professi. 8. Denique statuuntur alia quædam circa Ordinum susceptionem, professionem scientiarum &c. quæ in ipso textu videri possunt.

90 Quæritur 2. quid Jure communi statutum sit de Conciliis, seu Capitulis Provincialibus Regularium, horum correctione, & visitatione? Resp. de his inveniuntur sequentia Jure cauta. Et 1. quidem circa Capitula *cap. in singulis* 7. *hoc tit.* statuitur 1. ut Concilia Provincialia celebrentur de triennio in triennium, hoc est ita, ut inter unum, & alterum Capitulum intercedat intervallum trium annorum. 2. Ad hæc Capitula convenire debent omnes Abbates, & Priores, seu Præpositi, qui proprios Abbates non habent. 3. Locus conventui designandus opportunus, h. e. Monasterium æqualis, quantum fieri potest, quoad omnes distantiæ. 4. In hoc eligi debent Abbates quatuor, viri pietate, scientia, & zelo animarum præditi, qui Capitulo præsint. 5. In his Capitulis tractari debet de reformatione Ordinis, & observantia Regulari, & quod ibi decretum, quatuor Præsidibus approbantibus, inviolabiliter observari. 6. Ibidem eligendi sunt, qui Monasteria Provinciæ illius visitent, corrigant, & reforment, quæ correctione, & reformatione indigent. 7. Abbates ad Capitulum convenientes communiter debent vivere, faciendo omnes communes expensas, secundum proportionem pro numero scilicet personarum, equorum &c.

91 2. Quoad Visitationes hæc decernuntur. 1. Instituendæ sunt ab electis in Provinciali Capitulo, ut dictum est *num. præced.* 2. Non possunt Visitatores isti deponere Prælatum, sed si deponendum judicaverint, & Monasterium non sit exemptum, referre debent ad Episcopum; si verò Exemptum, ad Ordinis Generalem, si habeant, vel si talem non habent, ad Sedem Apostolicam. *c. in singulis cit. vers. ordinentur.* 3. Per hos tamen Visitatores non impeditur Episcopus, quin & ipse ejusmodi Monasteria sibi subjecta visitare possit; nam *c. cit. V. porro* expressè dicitur, ut *Diœcesani Episcopi Monasteria sibi subjecta ita studeant reformare, ut cùm ad ea prædicti Visitatores accesserint, plus in illis inveniant, quod commendatione, quam quod correctione sit dignum.*

92 Quoad modum Visitationis, & correctionis, à Visitatoribus faciendæ, *cap. fin. h. tit.* statuuntur sequentia. 1. Si invenerint aliquem Monachum correctione dignum, eundem per Abbatem loci corrigi faciant. 2. Si quos contumaces, & rebelles invenerint, juxta modum culpæ, authoritate Apostolica, Censuris coerceant, aut omnino è Monasterio ejiciant, ne sanas oves inficiant. 3. Si Abbatem ipsum in munere suo negligentem invenerint, id sine mora Diœcesano loci significent, qui vel Coadjutorem ipsi constituat usque ad proximum Generale, vel Provinciale Capitulum, vel si defectus sit depositione dignus, eundem deponat: quod intelligendum, si Monasterium non sit exemptum; nam si exemptum fuerit, Coadjutorem constituent Visitatores ipsimet, depositione Abbatis Sedi Apostolicæ reservata. 4. Visitatores posteriores diligenter inquirant de Visitatoribus prioribus, ac eorum negligentias, & excessus referant sequenti Capitulo Generali, ut juxta culpam publicè pœnam debitam recipiant. Vide Pirh. *hic n.* 24. *& tribus seqq.*

93 4 Quoad Visitationem Monialium *Clemen.* 2. *h. tit.* præscribuntur sequentia. 1. Præcipitur, ut Monasteria Monialium, si Ordini sint subjecta, & exempta, per Prælatos Ordinum; si Episcopo, vel Summo Pontifici immediatè subjecta, per Episcopum, priora quidem authoritate ordinaria, posteriora authoritate delegata à Sede Apostolica singulis annis visitentur: quam Constitutionem innovavit Trid. *sess.* 25. *c.* 9. *de Regul.* 1. *vers. illas quoque.* idem eodem modo faciendum præcipitur circa mulieres, quæ Canonicæ Sæculares vulgo dicuntur, & ut Sæculares Canonici vitam ducunt, non tamen bonis propriis renuntiant, cujusmodi sunt Parthenones Nobiles quamplures in Germania; nam licèt Religiosæ propriè non sint, cùm substantialibus Religionis Votis non adstringantur, censentur tamen sub numero personarum Ecclesiasticarum. 3. *vers. ipsos* præscribitur numerus personarum, quas Visitatores Monialium secum ducere possunt, videlicet duos Notarios, & personas duas suæ Ecclesiæ (Cathedralis, vel inferioris) & quatuor alios viros (sive Clericos, sive Laicos; nam in textu non distinguitur) honestos, & maturos ætate; quamvis secundum prohibitionem *Congreg. Episc. & Regul.* nequeant interesse Visitationi Monialium, ut refert Fagnan. *in c. ut juxta* 17. *n.* 23. *de Offic. Ordin.* 4. Denique *vers. ult.* statuitur, ut si aliquis ipsos Visitatores impedire in suo officio præsumpserint, nisi moniti resipiscant, ipso facto Excommunicationis sententiam incurrant, non obstantibus quibuslibet contrariis privilegiis, Statutis, & consuetudinibus: cujus tamen absolutio non est reservata Papæ, ideoque ab illa absolvere potest Ordinarius, ut tradit Gloss. *in fin.* Pirh. *n.* 47.

Quæritur 3. quid Jure Canonico statutum sit circa receptionem Monialium, & Benedictionem illarum? Resp. 1. non debent recipi plures, quàm quot vel ex redditibus propriis Monasteriorum, vel ex consuetis Eleemosynis commodè sustentari possunt, nisi, dotem sufficientem afferant *c. periculoso* 1. §. *sane* 1. *h. tit. in* 6. quod extendit postea Trid. *sess.* 25. *cap.* 3. *de regular.* etiam ad Monasteria Virorum, & additur, ut *de cætero* Monasteria, & Domus Regularium *non erigantur, sine Episcopi, in cujus Diœcesi erigenda sunt, licentia prius obtenta:* quam tamen ad ejusmodi Conventus, præsertim Mendicantium, erigendos dare non possunt, nisi prius constiterit, utrum in ea Civitate, vel loco commodè sustentari possint, sine populi, & aliorum in eodem loco existentium Religiosorum Mendicantium justa querela, & detrimento; & hinc etiam isti, & alii omnes, quorum interest, vocari, & audiri debent, prout decretum est à Clemente VIII. *Const. edita* 1603. *die* 23. *Julii*, & extat apud Piacess. *in prax. Episc. p.* 2. *c.* 3. *art.* 6. *n.* 33.

Dixi, *Nisi dotem afferant, &c.* nam sufficienter dotatæ recipi possunt etiam supra numerum, in quo ex redditibus Monasterii ali possunt: & ita praxis defacto habet, cui nequaquam contraria *cap. periculoso cit.* & allegatum Trid. Decretum; quia intelligi debent solum, ne indotatæ, vel cum expensis Monasterii alendæ ultra numerum recipiantur. Neque id Simoniacum est, cùm dos non detur tanquam pretium receptionis, sed ut stipendium necessarium ad vitæ sustentationem, ut cum aliis docent Navarr. *tr. de reddit. Eccl. q.* 1. *monit.* 72. *n.* 2. Azor. *p.* 1. *l.* 13. *c.* 9. *q.* 1. Sanch. *l.* 7. *mor. c.* 23. *n.* 4. & 5. Pirh. *hic n.* 29. Schamb. *n.* 11.

2. Circa Benedictionem, seu Consecrationem Monialium sciendum est, multiplex Velum eis dari solere, ut notat Gloss. *in can. devotis* 11. *V. Velamen* junct. Gloss. *marg. caus.* 20. *q.* 1. Ab aliquibus sex recensentur. 1. *Velamen Conversionis*, seu *Probationis*, quod datur in susceptione Habitus Regularis ante Professionem, & communiter est album. 2. *Velamen Professionis*, quod nigrum est, & olim dabatur anno ætatis 12. nunc 16. completo, quo Professio fieri potest: datur hoc Professionis omnibus, sive Virgines sint, sive Viduæ. 3. *Velum Consecrationis*, quod olim dabatur anno ætatis 25. *can. placuit* 14. *caus.* 20. *q.* 1. nunc ex universali consuetudine etiam ante istam ætatem, teste Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 27. *n.* 57. Confertur autem Velum hoc à solo Episcopo, & non ab alio, nisi delegatus sit à Summo Pontifice; item solis Virginibus, imò ne istis quidem omnibus; quia Moniales Mendicantium, & aliæ quædam non consecrantur ab Episcopo. 4. *Velum Continentiæ*, & *observationis*, quod est Viduarum *can.* 34. *caus.* 27. *q.* 1. & potest dari etiam Virginibus, licet Virginale Velum non possit dari Viduis, ne quidem cum dispensatione Episcopi *can. devotis* 11. *caus.* 20. *q.* 1. 5. *Velum Ordinationis*, quod olim dabatur Diaconissis ad inchoandum Officium Divinum, & Homilias legendas, nec antè annum 40. *can. Diaconissam* 23. *caus.* 27. *q.* 1. hodie autem hæc Ordinatio fit, quando Moniales consecrantur, seu velantur, Pirh. *hic n.* 31. *vers. præter dicta*, Schamb. *n.* 13. 6. Denique *Velum Prælationis*, quod olim Abbatissis dabatur anno 60. ætatis *can. Juvenculas* 12. & ibi Gloss. *V. sexagenariam*, & Gloss. *marg. caus.* 20. *q.* 1. postea verò anno 30. completo *c. indemnitatibus* 43. *tract. de Elect. in* 6. Sed hodie juxta Trid. *sess.* 25. *c.* 7. *de regul.* 40. anni requiruntur ad Abbatissam erigendam, nisi magna esset inopia personarum.

Ex quo sequitur, duplicem in Monialibus Benedictionem, seu Consecrationem fieri: unam Abbatissarum, alteram aliarum Monialium. Harum Consecratio fieri debet in Epiphania Domini, vel in Dominica *in Albis*, in Natalitiis Apostolorum, & in diebus Dominicis *can. devotis* 11. & *can. Virgines* 15. *caus.* 20. *q.* 1. nisi tempore necessitatis, nempe imminente languore, vel mortis periculo; tunc enim quovis tempore consecrari possunt, ut ex

ut ex Sylvestro notat Pirh. *hic n.* 31. imò alii apud Laym. *in c.* 1. *de tempor. ordinand.* §. *alterum* putant, Virgines etiam in aliis Festivitatibus consecrari posse. Porro circa Consecrationem Abbatissarum Jure communi constitutum est *Clem.* 2. *vers. statuimus h. tit.* ut quævis ad regimen Abbatiarum assumptæ in Monasteriis, in quibus Abbatissæ solent benedici, intra annum à suæ Confirmationis tempore computandum, munus Benedictionis suscipiant, sub pœna privationis Juris per Electionem, & confirmationem quæsiti, nisi subsit rationabilis aliqua causa. Dixi, *In quibus Abbatissæ solent benedici;* solum enim benedicuntur, quæ sunt perpetuæ, & hæ non omnes; nam in aliquibus Benedictio hæc sublata est per consuetudinem: unde hæc, & mos Monasterii quoad istud debet inspici. Addidi, *nisi subsit causa rationabilis:* causas, ob quas excusantur à Benedictione recipienda intra tempus præscriptum, enumerat Gloss. *in Clem. cit. V. rationabilis*.

98 Quæritur 4. quid Jure communi statutum sit circa Clausuram Monialium, & egressum illarum ex Monasteriis? Resp. de hac Bonifacius VIII. *cap. periculoso un. h. tit. in* 6. statuit, *universas, & singulas Moniales, præsentes, atque futuras, cujuscunque Religionis sint, vel Ordinis, in quibuslibet mundi partibus existentes, sub perpetua in suis Monasteriis debere de cætero manere Clausura, ita, quòd nulli earum Religionem, tacitè, vel expressè professæ, sit, vel esse valeat quacunque ratione, vel causa (nisi fortè tanto, & tali morbo evidenter earum aliquam laborare constaret, quod non posset cum aliis absque gravi periculo, seu scandalo commorari) monasteria deinceps egrediendi facultas, nullique aliquatenus inhonestæ personæ, nec etiam honestæ, (nisi rationabilis, & manifesta causa existat, ac de illius, ad quem pertinuerit, speciali licentia) ingressus, vel accessus pateat ad easdem, ut sic à publicis, & mundanis conspectibus separatæ, omnino servire DEO valeant liberius, & lasciviendi opportunitate sublata, eidem corda sua, & corpora in omni sanctimonia diligenter custodire.* Quam Bonifacii Constitutionem innovavit Trid. *sess.* 25. *cap.* 5. *de Regular.* Pius V. *Const.* quæ incipit *Circa Pastoralis edita* 19. *Jun.* 1566. & Gregorius XIII. *Const.* incipit *DEO Sacris Virginibus edita* 21. *Jan.* 1573. quæ legi possunt apud Quarant. *Summ. Bullar. Monasteria Monialium fol.* 440. *& pluribus seqq.*

99 Dub. 1. quænam obligentur his Constitutionibus? Respond. obligantur omnes, & solæ Moniales Professæ, quamvis Conversæ, seu ad ministeria, & servitia domestica deputatæ; si emiserunt tria Vota substantialia Religionis. Suar. *tom.* 4. *de Relig. l.* 1. *c.* 8. *n.* 17. Sanch. *l.* 6. *mor. c.* 15. *n.* 13. Laym. *l.* 4. *tr.* 5. *c.* 12. *n.* 1. Pal. *tr.* 16. *D.* 4. *p.* 9. *n.* 1. Pirh. *hic num.* 33. *not.* 1. Proceditque hoc, sive antè servaverint Clausuram, sive non; est enim Constitutio nova, quæ non supponit obligationem, sed imponit. Suar. *n.* 11. *&* 14. Sanch. *n.* 12. Laym. *tr.* 5. *cit. c.* 9. *n.* 13. *coroll.* 1. Pal. *p.* 9. *cit. n.* 2. Nec immeritò; quia assumens aliquem Statum, & obligatus in eo perseverare, eo ipso obligatur ad ea, quæ ad conservationem integram, & puram illius judicata fuerint à Rectore illius Status moraliter necessaria. atqui Summus Pontifex, ut patet ex allatis Constitutionibus, judicavit Clausuram Monialium moraliter necessariam, ut Status Religiosus fœminatum purè, & integrè conservetur. ergo &c.

100 Dixi *omnes, & solæ Moniales Professæ*. Ex quo *sequitur* 1. ad Claustrum non obligari Novitias, cùm non sint Religiosæ, nec Professæ: ideoque è Monasterio egredi possunt cum Superiorum licentia v. gr. ad recuperandam valetudinem, nec per talem egressum annus Probationis interrumpitur, si Habitum retineant: secus est, si absque licentia egrediantur; tunc etiam recedunt ab obedientia, conf. interrumperetur Probatio. Suar. *cap.* 8. *cit. n.* 16. Laym. *c.* 12. *cit. n.* 1. Pirh. *n.* 33. *not.* 3. *Sequitur* 2. multo minus his Constitutionibus obligari Virgines illas, quæ per Votum Continentiæ DEO sunt consecratæ, sed non in Statu aliquo Religioso ab Ecclesia approbato; quia tales non sunt Sanctimoniales Professæ. *Proceditque hoc*, etsi Voto Simplici, ac privato, vel etiam pacto Obedientiam alicui promiserint; quia tribus Votis Substantialibus obligatæ non sunt, quod requiritur ad hoc, ut propriè Sanctimonialis sit. Suar. *tom.* 4. *de Relig. l.* 1. *c.* 8. *n.* 15. Sanch. *l.* 6. *mor. c.* 15. *n.* 14. *&* 15. Pirh. *hic n.* 33. *cit. not.* 2.

101 Dub. 2. quænam sint justæ causæ, ob quas licentia Monialibus concedi potest ad egrediendum ex Claustro? Respond. hac in re triplicis generis dispositiones Juris inveniuntur. 1. *c. un. h. tit. in* 6. ubi Bonifacius VIII. strictè nimis eam solam causam assignavit, si Monialis *laboret tanto, & tali morbo — quod non posset cum aliis absque gravi periculo, seu scandalo commorari.* 2. Trid. *sess.* 25. *c.* 5. *de regul.* quod judicium de legitimitate causæ reliquit arbitrio Ordinarii, & nullam designavit in particulari ibi: *Nisi ex aliqua legitima causa ab Episcopo approbanda.* 3. *Constitut. S. Pii V.* incipit *Decori edit.* 1569. *Cal. Febr.* ubi causam legitimam expressit magnum incendium, infirmitatem lepræ, aut Epidemiam, subdens sub gravissimis pœnis præter has licentiam egressus Monialibus non concedendam.

Hinc ergo dubium oritur, an præter has causas ex nulla alia supra dictis simili licentia concedi possit? Non posse concedi existimavit Thom. Zerol. *prax. Episc. p.* 1. *V. Monialis ad* 16. *quæst. dub.* 2. *& p.* 2. *V. eod. fin.* ex ratione, quia alias frustra prædictus S. Pontifex expressit tres memoratas causas cum particula taxativa, & clausula adimente potestatem Prælatis Pontifice inferioribus ex alia causa licentiam hanc concedendi. Sed retinenda est affirmativa sententia, quam etiam defendunt Navarr. *comment.* 4. *de regul. n.* 48. Guttier. *l.* 1. *can. qq. cap.* 14. *n.* 9. Azor *part.* 1. *l.* 13. *cap.* 8. *q.* 1. *vers. tertiò, quæres*, Rodriq. *tom.* 1. *regul. q.* 49. *art.* 3. Sanch. *l.* 6. *mor. c.* 15. *n.* 37. Suar. *tom.* 4. *de Relig. tr.* 8. *l.* 1. *cap.* 9. *num.* 3. Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 102. *n.* 16. *& seqq.* Pal. *tr.* 16. *D.* 4. *part.* 9. *n.* 13. Ratio est; quia eas causas Pontifex legitimas esse decidit non ob esse materiale, quod habent, sed ob periculum, vel bonum commune Monasterii, aut Ecclesiæ, igitur siquo casu eadem ratio militet in causis materialiter diversis, ad ipsas concessio est extendenda: imò extensio hæc propriè non est extensio, sed inclusio, cùm ratio dispositionis eas causas includat. 102

Hinc variæ à DD. causæ enumerantur, ob quas Monialibus potest concedi licentia egrediendi ex Claustro? 103
Et 1. quidem, ut Monialis in alio Monasterio ejusdem Ordinis fiat Abbatissa, vel Magistra Novitiarum, prout de Abbatissa expressè concedit Trid. *sess.* 25. *c.* 7. *de regul. vers. quod si.* 2. si egrediatur Abbatissa ad fundandum aliud Monasterium ob æquiparationem cum casu priore, cùm ex illo egressu & bonum temporale, & Spirituale Religioni proveniat, sitque fundatio quoddam regimen Religioni valdè necessarium. Sanch. *n.* 47. Suar. *c.* 9. *n.* 13. Barbos. *n.* 21. Pal. *n.* 16. *in fin.* 3. si Homagium præstandum sit Principi ratione feudi, quod Monasterium tenet; tunc enim, si non possit obtineri, ut præstetur per Procuratorem, personaliter Abbatissa, duabus, vel pluribus Monialibus antiquioribus comitata, potest exire, ita tamen, ut præstito Homagio, statim ad Monasterium revertantur *c. un.* §. *verum h. tit. in* 6. *& ibi* Gloss. *V. societate*. Pal. *n.* 17. 4. si transferatur Monialis ad aliud Monasterium correctionis causa, quia in proprio commodè non potest corrigi, prout sumitur ex *c. quoniam* 40. *de Simon.* & notant Sanch. *n.* 47. Suar. *n.* 13. Pal. *l. cit.* si Monialis ab uno Monasterio ad aliud strictiotis observantiæ causa transire velit; nam favorem istius transitus utriusque sexus Religiosis Jus sine exceptione indulget *cap. licet* 18. *de regul.* 6. si totum Monasterium transferendum sit in locum commodiorem, v. gr. ex rure in oppidum, vel urbem juxta præceptum Trid. *Sess.* 25. *c.* 5. *de regul.* 7. ad Eleemosynas fidelium pro sustentatione necessaria Sororum congregandas: debent tamen, quæ ad has corrogandas mittuntur, esse annorum 40. ut statuit S. Pius V. in Bulla *Circa Pastoralis cit.* 8. ob magnum, & periculosum incendium, ita, ut sine periculo intra claustra Moniales manere nequeant. Sanctus Pius V. *Constitut. Decori cit.* 9. ob Hæreticorum, vel aliorum hostium incursiones, quando justè timetur fore, ut Moniales detrimentum patiantur, nisi ad locum tutum se recipiant. Azor. *p.* 1. *l.* 13. *c.* 8. *quæst.* 1. *vers. tertio quæres*, Sanch. *n.* 44. Pirh. *n.* 35. *hic*. 10. ob morbum, qui toti communitati propter metum contagionis, & ut Azor. *l. cit.* Suar. *n.* 9. Pirh. *n.* 34. probabiliter docent, qui ipsi Moniali periculosus sit, ita, ut Medici judicent eam morituram, nisi exierit: quo tamen posterius probabilius negant Gutier. *tom.* 1. *can. q.* 14. *n.* 7. Rodriq. *tom.* 1. *regul. q.* 49. *art.* 3. Sanch. *c.* 15. *cit. n.* 39. Laym. *l.* 4. *tr.* 5. *c.* 12. *n.* 1. *vers. tertiò;* quia SS. Canones significant causam, ob quam egressus è Claustro Monialibus permitti possit, debere esse publicam, & non privatam aliquam earum necessitatem, cum ea postponi debeat communi Religionis bono.

Dub. 3. ad quem pertineat dare licentiam Monialibus exeundi è claustro? Resp. si necessitas exeundi sit manifesta, & Superior pro petenda licentia adiri nequeat sine periculo; tunc Monialis, eo inconsulto, licitè exire potest: quia necessitas non habet legem. Sylv. *V. Religio* 7. *q.* 16. Rodriq. *q.* 49. *cit. art.* 2. Sanch. *l.* 6. *mor. cap.* 15. *num.* 62. Laym. *l.* 4. *tract.* 5. *capit.* 12. *num.* 1. *vers. quartò* Pirh. *hic n.* 37. *in fin.* & alii apud istos. Quod- 104

si verò causa aut manifesta non sit, aut res moram patiatur, opus est authoritate Superioris, qui de causa cognoscat, eamque approbet, & licentiam det. Sed hinc quæstio oritur, quis Superior concedere facultatem hanc debeat, vel possit? In quo apud DD. extra controversiam est, eam facultatem dandam ab Episcopo non exemptis, & exemptis immediatè subjectis Sedi Apostolicæ, si hæc adiri commodè nequeat; prioribus eam Episcopus dat potestate ordinaria; posterioribus delegata Sedis Apostolicæ.

105 *Controversia* est de Exemptis subjectis Ordini; nam aliqui apud Sanch. *cap.* 15. *cit. num.* 25. putant eo casu potestatem dandi licentiam egressus ex Claustro pertinere ad solos Superiores Regulares, quibus hujusmodi Moniales subduntur. Sed spectato Jure, & præscindendo à contraria consuetudine, tenendum præter licentiam Superioris Regularis requiri etiam licentiam Episcopi. Ita Sanch. *loc. citat. num.* 28. Suar. *tom.* 4. *de Relig. tr.* 8. *l.* 1. *cap.* 9. *num.* 13. *& cap.* 10. *num.* 12. Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 102. *num.* 28. Pal. *tract.* 16. *D.* 4. *p.* 9. *num.* 9. *vers. ex decisione in fin.* Pirh. *hic n.* 37. Schamb. *num.* 15. Monacell. *p.* 2. *tit.* 15. *form.* 15. *n.* 2. & hoc teste declaratum est *à Sacr. Congreg. Concil. sub die* 13. *Nov.* 1610. *Ratio est;* quia Trid. *sess.* 25. *cap.* 5. *de regular.* generaliter, & indistinctè ait: *Nemini Sanctimonialium liceat post Professionem exire è Monasterio -- nisi ex aliqua legitima causa, ab Episcopo approbanda.* Et clarius habetur in *Constit. S. Pii V. cit. & Motu proprio ejusdem*, ubi postquam dixit, *nulli Monialium licere exire, nisi ex causa magni incendii, lepræ, aut Epidemiæ* subjungit: *Quæ tamen infirmitas, præter alios Ordinum Superiores, quibus cura Monasteriorum incumberet, etiam per Episcopum, seu alium loci Ordinarium, etiamsi prædicta Monasteria ab Episcoporum, & Ordinariorum Jurisdictione exempta esse reperiantur, cognita & expresse in scriptis approbata sit.*

106 Addidi *præscindendo à contraria consuetudine;* nam hac spectata, Rodriq. *tom.* 1. *Regul. q.* 49. *n.* 6. Sanch. *n.* 28. Pal. *n.* 9. *cit. vers. verùm* & alii ab his *citt.* putant, approbationem Episcopi pro Moniali supradictorum Monasteriorum necessariam non esse, sed sufficere sui Prælati licentiam, & ita dicunt usum obtinuisse in Hispania. Quod verum esse potest, quoad licentias hujusmodi concedendas, illæso tamen Jure Episcopi; nam privativè ad istos nemini, excepto Papa, competit jus istas licentias dandi, non obstante privilegio, sive consuetudine contraria, prout nuper declaravit *S. Congreg. Concil. in Bononiensi* 17. *Maji* 1704.

107 Dub. 4. quæ pœnæ sint decretæ in Moniales violantes Clausuram, iisque cooperantes, vel faventes? Resp. ex Bulla Pii V. *incipit Decori cit.* duplex incurritur pœna, sc. 1. Excommunicatio major reservata: & hæc incurritur ipso Jure, & sine alia declaratione. 2. Privatio Dignitatum, Administrationum, Officiorum obtentorum, & inhabilitas ad illa, & alia imposterum obtinenda: & hæc, ut probat Sanch. *l.* 6. *mor. c.* 15. *n.* 65. requirit sententiam declaratoriam criminis, quamvis non declaratoriam pœnæ. Porro, ut idem Sanch. *n.* 66. notat nomine Dignitatum, Administrationum, Officiorum intelliguntur illa, quæ adjunctam habent Superioritatem aliquam, ut est esse Generalem, Provincialem, aut Superiorem localem; non autem alia officia, ut est esse Concionatorem, Confessarium, professorem Theologiæ &c.

108 Incurrunt pœnas istas 1. Moniales Clausuram violantes: & ut rectius docet Pal. *tr.* 16. *D.* 4. *p.* 9. *n.* 21. extenditur etiam ad illas, quæ legitimo modo egressæ sunt, sed iniquè extra claustra commorantur, eo, quòd cessaverit causa, ob quam egressus concessus est; quia pœnæ istæ sancitæ sunt adversùs Moniales *egressas* NB. violantes Constitutionem *cit.* at Monialis egressa ex causa legitima, absque legitima tamen causa extra Monasterium diutius commorans, jam violat Constitutionem Pontificiam, cujus mens est, tollere abusum, ne extra causam justam Moniales vagarentur. *Conf.* quia quæ extra Monasterium vagatur, cùm in hujusmodi dispositionibus verba intelligi moraliter debeant, dici propriè potest è Monasterio egrediens; continuat enim egressum.

109 2. Licentiam ad sic egrediendum contra *cit. Constitutionem* concedentes. Et verum hoc est, etiamsi sint Episcopi, ut bene Sanch. *c.* 15. *n.* 75. Pal. *tr.* 16. *D.* 4. *p.* 9. *n.* 22. Neque obstat, quòd alias juxta *c. quia periculosum* 4. *de sent. excomm. in* 6. Episcopi sententiam jure latam nullatenus incurrant, nisi de iisdem expressa mentio habeatur; in Constitutione autem *cit.* dum pœnæ hæ statuuntur, de Episcopis non fiat mentio. Nam verba posteriora, quibus pœnæ hæ infliguntur iniquè concedentibus egressum è claustro, intelligi debent de iis, quibus per verba præcedentia concessa est potestas licentiam istam dandi. isti autem sunt Episcopi, & Regulares Prælati, ergo sufficienter de Episcopis est facta mentio.

3. Denique Personæ, quæ sic egredientes comitantur, illas receptant, sive Laicæ sint illæ, aut Sæculares, sive Ecclesiasticæ, consanguineæ &c. ut patet ex *Bulla cit.* Circa quod tamen duo sunt advertenda. *Primum est*, ut propter hujusmodi comitatum, vel receptionem incurrantur prædicta pœnæ, eam debere esse talem, qui egressum, vel ejus perseverantiam foveat: alias non est formalis comitatus, vel receptio Monialis è Monasterio egressæ. Rodriq. *tom.* 2. *Reg. q.* 49. *art. ultim.* Sanch. *l.* 6. *mor. c.* 15. *n.* 72. Pal. *part.* 9. *cit. n.* 23. *Alterum*, ut egressus è claustro sit completus, quod sufficit, etiamsi ad brevissimum tempus fiat; Secus verò, si egressus incompletus esset, qualis foret, si extra limen clausuræ poneretur non totum corpus, sed pars tantùm. Sanch. *num.* 6. 8. *&* 68. Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 102. *n.* 30. Pal. *n.* 24.

Quæritur 5. quid Jure Canonico statutum sit circa clausuram Monialium quoad ingressum aliarum personarum in earum Monasteria? Resp. de hoc *cap. un. h. tit. in* 6. ut *num.* 98. vidimus, absolutè statuitur, ne ulli personæ ad ea Monasteria ingressus pateat absque licentia, & quidem, ut Trid. *sess.* 25. *cap.* 5. *de regular.* addidit *in scriptis obtenta.*

Dub. 1. quinam his Decretis prohibeantur claustra Monialium ingredi? Resp. prohibentur omnes, *cujuscunque generis, aut conditionis, sexus, vel ætatis fuerint*, ut declaravit Trid. *l. cit.* adeoque etiam fœminæ, præsertim nuptæ, aut viduæ, nisi Moniales fieri velint. Suar. *tom.* 4. *de relig. tr.* 8. *l.* 1. *c.* 1. *pr.* Barbos. *Jur. Eccl. l.* 1. *cap.* 44. *n.* 99. & *seqq.* Pal. *tr.* 16. *D.* 4. *p.* 10. §. 1. *n.* 1. Pirh. *hic n.* 41. & alii apud istos. Proceditque hoc, ut nec etiam ipsi Superiores possint ingredi extra casus necessarios per *Const. Gregorii XIII.* incipit *Dubiis: publicatam* 30. *Dec.* 1582. apud Matthæucc. *in Official. Eccl. c.* 11. *n.* 14.

Excipiuntur 1. pueri, & puellæ, qui nedum rationis usum adepti sunt; quia in illis cessat ratio prohibitionis; nempe periculum, ne incitentur Moniales ad peccatum. Navarr. *Comment.* 4. *de Regular. num.* 59. Azor. *p.* 1. *l.* 13. *c.* 8. *q.* 5. Rodriq. *tom.* 1. *regul. q.* 46. *art.* 1. Sanch. *l.* 6. *moral. c.* 16. *n.* 5. Suar. *tom.* 4. *de Relig. tr.* 8. *l.* 1. *c.* 10. *n.* 2. Laym. *l.* 4. *tr.* 5. *c.* 12. *n.* 2. *vers. circa quam*, Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 102. *n.* 32. Pal. *tr.* 16. *D.* 4. *p.* 10. §. 1. *num.* 2. Aliud est de amentibus jam puberibus, qui ad peccatum incitare turpiter jocando, vel turpia loquendo, & Moniales perturbare possunt: ideoque Monasteria illarum ingredi permitti non debent, ut rectè Sanch. *n.* 8. Suar. *n.* 3. Pal. *num.* 3. Engl. *hic n.* 11. Pith. *num.* 41. Schamb. *n.* 17. cum aliis *supra citt.* monent.

Excipiuntur 2. famulæ sæculares; nam si hujusmodi Moniales alias, quæ profiteri, & perpetuò in Monasterio manere velint, habere non possint, non prohibentur assumere famulas sæculares, nec ad breve dumtaxat, sed longum etiam tempus, si Ordinis Regula, vel consuetudo non repugnet. ita tamen, ut nunquam è Monasterio egrediantur; donec omnino dimittantur. *l. cit. q.* 44. *art.* 4. Suar. *n.* 18. *& seqq.* Laym. *n.* 2. *vers. tertio in fin.* Pirh. Scamb. *l. cit.*

Excipitur 3. ut cum Episcopi, vel Superioris licentia in Monasteriis recipiantur puellæ, ut in illis educentur, & instruantur, licèt nolint Religiosum habitum suscipere, ita tamen, ut ultra 25. ætatis annum in Monasterio non retineantur, & nequeant clausura egredi, & semel egressæ non possint denuò admitti. Rodriq. *q.* 46. *cit. ar.* 10. Mirand. *tr. de Monial. q.* 2. *art.* 6. *concl.* 1. Sanch. *c.* 16. *cit. n.* 61. Engl *n.* 11. *vers. præterea*, Pirh. Schamb. *l. citt.* & teste Quarant. *V. Monasteria Monialium fol.* 449. Episcopo Hieracensi rescripsit S. Congr.

Dub. 2. quid intelligatur nomine *Claustri*? Resp. intelligitur omnis ille locus, sive area sit, sive hortus, sive conclave, in quem Monialibus licet ingredi; cùm enim illis prohibitum sit exire extra Claustrum, consequenter omnis ille locus intra Claustrum esse censendus est, in quem Moniales ingredi possunt. *Ex quo sequitur*, in talem locum alias personas, sive viri sint, sive fœminæ, non posse ingredi; nam hoc est, quod SS. Canones præcipuè intendunt, ne scilicet Moniales cum aliis personis extraneis in hujusmodi locis convenire, colloqui, & conversari possint. Et hinc etiam prohibitum est, ne ex Monasterio Monialium pateat janua, sive egressus ad eam Ecclesiæ partem, in qua Sæculares sunt, ut colligitur ex *c. un. h. tit. in* 6. Trid. *sess.* 25. *c.* 5. *de Regular.* & notat Suar. *c.* 10. *cit. n.* 8. Pirh. *hic n.* 42. *not.* 2. Matthæucc. *in Official. Eccl. c.* 11. *n.* 20.

Dub. 3.

117 Dub. 3. ob quam caufam ingreffus in Monafteria Monialium concedi poffit? Refp. debet effe non folius utilitatis, fed alicujus fufficienter apparentis neceffitatis, faltem moralis, cui aliter commodè occurri non poffit. Rodriq. *tom.* 1. *Regul. q.* 46. *art.* 4. Sanch. *l.* 6. *mor. c.* 16. *n.* 40. Mirand. *q.* 2. *cit. art.* 4. *concl.* 2. Pirh. *hic n.* 42. *not.* 3. Schambog. *n.* 18. Minor autem caufa requiritur ad concedendam licentiam fœminis, quàm viris; quia horum ingreffus eft indecentior honeftati Monialium; item facilius conceditur ingreffus matri, & fororibus, quàm aliis fœminis. Sanch. *num.* 41. Demum minor defideratur caufa ad ingreffum in Monafterii receptacula ftatim poft Claufuræ januam fita, quàm ad Officinas interiores, ut idem Sanch. *l. cit.* annot.

118 Porro neceffitas hæc, ob quam ingreffus in Monafteria Monialium vel ipfo Jure conceditur, vel authoritate Superioris concedi poteft, tenere fe poteft vel ex parte totius Conventus, vel ex parte fingularium Monialium. *Ex parte Conventus* fufficiens caufa eft. 1. fi reparatione indigeat Monafterium; nam ad hanc perficiendam illud ingredi fabri, & alii operarii poffunt. 2. fi aliqua res ponderofa illuc fit inferenda, vel inde extrahenda, quod per Moniales commodè præftari non poteft. 3. fi fcriptura in Archivio intra Monafterium exiftente fit quærenda, nec per Moniales, cùm regulariter ad id aptæ non fint, id fieri poffit. 4. fi expellendus fit inde malefactor; quia non decet hoc fieri per Virgines. 5. fi inftituenda fit Monafterii vifitatio fecundum dicta *n.* 93. 6. fi Moniales indigeant ad infima domus officia, & ad curandas infirmas fœminis fervitricibus &c.

119 *Ex parte fingularium Monialium* iterum plures funt cafus, ex quibus licitus ingreffus eft. Et 1. quidem, fi Moniali ægrotanti miniftrandum fit Sacramentum Euchariftiæ, Pœnitentiæ, vel Extremæ Unctionis: quod intelligendum eft non tantùm de extrema neceffitate, fed etiam extra illam, quoties monialibus aliis ex præfcripto Regulæ Euchariftia miniftratur, vel infirma folita eft SS. Myfteriis refici; quia æquum non eft eo fubfidio tempore majoris neceffitatis privari. 2. fi Monialis aliqua in Monafterio mortua fit; tunc enim licitus eft ingreffus omnibus illis, qui ad aperiendam fepulturam, eam coaptandam, deferendum defunctæ corpus, & officium fepulturæ exercendum fuerint neceffarii. 3. fi Monialis ægrotans opus habet Medico; nam hic ad eandem ingredi poteft, imò non unus, fed plures, fi infirmitas gravis fit, & expediat plures convocari. 4. ob eandem medendi caufam ingredi Monafterium poteft minutor fanguinis, & Chirurgus; quia eft officium infirmæ fatis neceffarium, nec illud valent Moniales exercere. 5. his addunt aliqui Sartores, & Sutores ad conficiendas, vel faltem metiendas veftes, & calceos: fed meritò de iftis cum aliis DD. negat Pal. *tr.* 16. *D.* 4. *p.* 10. §. 3. *n.* 11. quòd præftare omnia in limine Claufuræ poffint, ita, ut nec monialis egrediatur, nec ipfi ingrediantur.

120 Videantur de hoc Navarr. *comment.* 4. *de Regul. à n.* 49. Rodriq. *tom.* 1. *de Regular. q.* 46. *&* 47. Mirand. *de Monial. q.* 2. *art.* 4. *& feqq.* Sanch. *l.* 6. *mor. c.* 16. *à n.* 43. Suar. *tom.* 4. *de Relig. tr.* 8. *l.* 1. *cap.* 10. Barbof. *de Offic. Epif. alleg.* 102. *à n.* 46. Pal. *tr.* 16. *D.* 4. *p.* 10. §. 3. *n.* 11. Notant tamen plerique ex allegatis, eos, qui ob prædictas caufas ingrediuntur Monafteria, illis ceffantibus illico debere egredi; quia ceffat finis conceffionis, & præcepti difpenfationis. Addunt tamen, hoc non ita ftrictè, & rigorosè intelligendum effe, ut quælibet brevis mora peccatum mortale conftituat; quia hæc præcepta mortali, & non metaphyfico modo intelligi debent. Debet ergo mora effe ita diuturna, ut ex fe pateat in fraudem legis fieri.

121 Dub. 4. quis dare licentiam poffit ingrediendi Monafteria Monialium? Refp. cum diftinctione: Vel enim exemptæ illæ funt, vel non exemptæ, fed Epifcopo fubjectæ. *Si hoc fecundum*, licentiam concedit Epifcopus, vel ejus Vicarius, & quidem poteftate Ordinaria. *Si primum*, videndum, an immediatè fubjectæ fint Summo Pontifici, an Prælatis Regularibus. *Si prius*, iterum licentiam concedit Epifcopus, authoritate delegata à Sede Apoftolica. *Si pofterius*, petenda licentia eft vel ab Epifcopo, vel à Superiore Regulari, cui tale Monafterium immediatè fubjectum eft; fufficit autem hoc cafu alterutra, licèt ad egreffum ipfarum Monialium requiratur de Jure utraque. Sanch. *c.* 16. *cit. n.* 13. Pirh. *hic num.* 43.

122 Nomine autem Superioris regularis intelligitur hoc loco Generalis, Provincialis, vel etiam immediatus Superior Monafterii virorum, cui Moniales fubjectæ funt, nifi aliter in propriis ipfarum Religionum Conftitutionibus præceptum fit. Sanch. *n.* 15. Suar. *n.* 13. Pal. §. 2. *n.* 3. Pirh. *l. cit.* quia textus licentiam hanc requirentes abfolutè, & generaliter tradunt, hoc ad Superiorem pertinere. Abbatiffa verò fub illo nomine Superioris non comprehenditur; quia illi Monafterium abfolutè fubjectum non eft, fed fecundùm quid quoad regimen domefticum, ut cum Pal. *l. cit.* pro certo tradunt Navar. *Comment.* 4. *reg. n.* 59. Rodriq. *tom.* 1. *regular. quæft.* 46. *art.* 2. Azor. *p.* 1. *l.* 13. *c.* 8. *q.* 6. Sanch. *c.* 16. *cit. n.* 22. Suar. *n.* 14.

Poteft autem Superior, qui licentiam ingrediendi dare aliis poteft, etiam ipfemet eadem facultate uti in cafibus neceffariis, ut patet ex *Bulla Gregorii XIII.* incipit, *Dubiis*, & habetur apud Quarant. *V. Monafteria Monialium fol.* 447. ubi cavetur eum debere ingredi à paucis, & fenioribus affociatum. Extenditur hoc ad omnes illos, qui ex delegatione habent poteftatem difpenfandi circa ingreffum; nam poffunt etiam difpenfare fecum. Pal. *n.* 5. Probabilius tamen eft, ut cum Suar. *num.* 14. docet idem Pal. *num.* 4. poteftatem iftam à Superiore Conventus fieri nemini alteri poffe, ob verba Trid. *feff.* 25. *c.* 5. *de regular.* ubi dum ait, nullum alium præter Epifcopum, & Superiorem hanc licentiam dare poffe *etiam vigore cujufcumque facultatis, vel indulti hactenus conceffi, vel impofterum concedendi*, videtur delegationem iftam prohibuiffe. 123

Porrò licentia hæc debet effe fpecialis, i. e. fpecialiter conceffa ad ingreffum, nec fufficit generalis, ut conftat ex *c. un. h. tit. in* 6. ibi *fpeciali licentia:* & infuper requiritur, ut fit in fcriptis obtenta, ut patet ex Trid. *c.* 5. *cit.* ac proinde non fufficit licentia verbis expreffis conceffa, & multo minùs tacita. Sanch. *n.* 28. *&* 29. Pal. *n.* 6. Pirh. *n.* 43. *not.* 5. Extenditque hoc etiam Pal. *n.* 7. ad Medicum, Confeffarium, & fimiles: nam etiam ipfi licentia in fcriptis indigent, fi commodè obtineri poffit; quia Concilium abfque ulla exceptione pro cafibus neceffariis licentiam requifivit in fcriptis. Dixi, *fi commodè obtineri poffit in fcriptis*; fecus dicendum in cafu, quo ex licentiæ dictæ exfpectatione gravè damnum timeretur; non enim Lex humana cum eo rigore obligat: imò nec obligat licentiam oretenus exfpectare, fi ex illius exfpectatione periculum effet gravis damni. Navar. *commentar.* 4. *de regular. n.* 60. Sanch. *cap.* 16. *cit. num.* 34. Pal. *n.* 7. *cit.* 124

Dub. 5. quæ pœnæ impofitæ fint ingredientibus Claufuram Monialium? Refp. fi fine licentia in fcriptis obtenta ingrediantur, incurrunt pœnam Excommunicationis ipfo facto, prout ftatuit Trid. *feff.* 25. *c.* 5. *de regular.* Et tangit hæc pœna non tantùm eos, qui ingrediuntur ad malum finem, vel prætextu licentiarum, & facultatum, fed etiam qui ingrediuntur ex alio titulo, & capite: & extenditur etiam ad Superiores, & alios, qui habent licentiam ingrediendi in cafibus neceffariis, fi hac utantur extra cafus neceffarios, ut declaravit Gregorius XIII. *Conftit.* incipit *Ubi gratiæ publicata Romæ* 24. *Jun.* 1557. 125

Porro Excommunicatio hæc per Trid. *l. cit.* lata ibidem non fervatur; ex Stylo tamen Curiæ pro abfolutione ad Sacram Pœnitentiariam recurritur, ut notant Quarant. *V. Monafteria Monialium fol.* 449. Pignatell. *tom.* 10. *confult.* 100. *n.* 25. Monacell. *p.* 2. *form.* 15. *tit.* 15. *n.* 14. Matthæuc. *in Offic. Eccl. c.* 11. *n.* 15. & fic refervatam effe tefte eodem Matthæuccio ea de re confulta refpondit *S. Congreg. in Sabinenf.* 3. *Jul.* 1632. 126

Debet tamen quoad has pœnas, & prohibitionem ingreffus in Monafteria Monialium fpectari ufus Conftitutionum, quæ ingreffum hujufmodi prohibent, & pœnam prædictam ftatuunt; nam ut Laym. *l.* 4. *tr.* 5. *c.* 12. *n.* 3. & ex eo Pirh. *hic n.* 44. advertit, Conftitutiones iftæ non funt ubique receptæ in Germania, cùm etiamnum hodie in quibufdam Monafteriis tum viri, tum fœminæ ingredi foleant domos, & habitationes, intra fepta Monialium pofitas, & fœminæ quidem non difficulter admittantur etiam ad ipfas cellas Clauftrales Monialium. 127

Dub. 6. an ficut ingreffus, ita etiam acceffus ad Monafteria Monialium extra cafus neceffarios prohibitus fit? Refpond. Jure quidem *cap. un. h. tit. in* 6. *& cap. Monafteria* 8. *de Vit. & Honeft. Cleric.* etiam acceffum fine caufa, præfertim frequentem, prohibitum fuiffe. Verùm hæ Conftitutiones vel non fuerunt ufu receptæ, vel per non ufum abrogatæ: neque reftitutæ funt à Trid. vel Pio V. in fua Bulla, cùm à neutro mentio ulla acceffus fiat. Quare dicendum, feclufis circumftantiis fcandali, mali finis &c. non effe culpam gravem Monafteria ifta etiam fine jufta caufa, & licentia Superiorum accedere, imò & frequentare. Pirh. *n.* 44. 128

Excipiuntur Religiofi, de quibus *S. Congr. Nonis Maji* 1590. ftatuit, ut *nulli pofthac Religiofo cujufcunque ordinis, gradus, qualitatis, & dignitatis exiftat* (*Superio-* 129

re, cui *Monasterii*, *seu Domus cura incumbit*, (*Visitatore*, *vel Visitatoribus*, *Confessarioque ordinario*, *& extraordinario*, *cùm ad tempus deputabitur*, *dumtaxat exceptis*) *liceat absque licentia expressa ejusdem S. Congregationis accedere ad Monasteria*, *seu Domos*, *quarumcunque Monialium -- ad colloquendum*, *sive tractandum cum eis*. Et extenditur prohibitio hæc etiam ad Ordines Militares, ut notat Quarant. *V. Monasteria Monialium fol.* 452. qui tamen addit per talem accessum à Regularibus pœnam Excommunicationis non incurri. Imò Pal. *tr.* 16. *D.* 4. *p.* 11. *num.* 7. *in fin.* dubitat, an Decretum hoc satis promulgatum, & usu receptum sit, propendetque in eam sententiam, ut existimet ad summum prolatum esse pro Monasteriis Romæ existentibus, ob difficultatem petendi, & obtinendi eam licentiam ex terris Roma remotioribus.

130 Dub. 7. an sicut prohibitus est ingressus virorum in Monasteria Monialium, ita etiam prohibitus sit ingressus fœminatum in Monasteria Virorum? Resp. non prohiberi in tanto rigore; nam 1. ingredi Monasteria virorum possunt Imperatrices, Reginæ, earumque filiæ, & aliæ fœminæ, quæ illas comitantur. Rodriquez *in Exposit. Mot. propr. Pii V. super hoc editi* 1566. *die* 23. *Oct. n.* 3. *&* 4. Sanch. *l.* 6. *mor. cap.* 17. *n.* 5. *&* 6. Laym. *l.* 4. *tract.* 5. *cap.* 12. *num.* 5. Pirh. *hic num.* 45. & alii. 2. Fundatrices in illis Ordinibus, in quibus est consuetudo illas admittendi. Sanch. *l. cit. n.* 7. Laym. *l. citt.* 3. Etiam cæteræ fœminæ cum reliquo populo admitti possunt intra septa Monasterii virorum ad Divina Officia, & Ecclesiasticam Sepulturam. Sanch. *n.* 22. Laym. Pirh. *ubi supra*.

131 Extra hos casus prohibetur quidem fœminis ingressus in Monasteria; non tamen aut ingredientes, aut recipientes illas statim Excommunicationem incurrunr ob talem ingressum; quia pœna Excommunicationis nullo alio Jure in istas, & eas recipientes fertur, quàm in Bullis Pii V. & Gregorii XIII. in his autem excommunicantur solum fœminæ; & has admittentes prætextu alicujus privilegii, seu facultatis ipsis concessæ ad ingrediendum Monastetia virorum. etgo &c. Vide Lay. *c.* 12. *cit. n.* 4. Engl. *hic n.* 13. Pith. *n.* 45. *cit.*

TITULUS XXXVI.

De Religiosis Domibus, ut Episcopo sint subjectæ.

SUMMARIUM.

1 *Definitio Religiosæ Domus: harum aliæ sunt Sacræ.*
2 *Aliæ Religiosæ in sensu specifico.*
3 *Aliæ Piæ.*
4 *Jure communi subsunt Episcopo.*
5 *Etsi incorporatæ sint Monasterio exempto.*
6 *De temporalibus tamen earum Episcopus non potest pro libitu disponere.*
7 *Quando dubium est, in qua Diœcesi sit Ecclesia, subest Episcopo, qui antequam illa ædificaretur, Jura Episcopalia ibi exercuit.*
8 9 *Etsi per unum dumtaxat actum.*
10 *Cui Episcopo subjecta sit Ecclesia, vel Monasterium unitum Ecclesiæ, vel Monasterio alterius Diœcesis?*
11 *Respondetur manere subjectum illi, cui antea suberat.*
12 *Rationes dubitandi solvuntur.*
13 14 15 *An, & quomodo Hospitalia, & cætera loca, ad pietatis, vel Misericordiæ opera deputata, subjiciantur Episcopo?*
16 17 *Quænam ex his Visitationibus ejusdem subsint?*
18 19 20 *Exceptiones.*
21 *An Episcopus ab Administratoribus Hospitalium, & aliorum piorum locorum rationes possit exigere?*
22 *Præsertim si istæ ex consuetudine &c. reddendæ sint aliis ad id deputatis?*
23 24 *An loca pia, & Religiosa sine authoritate Ecclesiastica in profanos usus converti possint?*
25 26 27 *An, & quo casu Ecclesiæ regulares converti in Sæculares?*
28 29 30 *Quis valeat licentiam concedere ædificandi nova Monasteria?*
31 32 *Quid præter licentiam Pontificis, & Ordinarii in eum finem requiratur?*
33 34 35 36 *Recensentur hæc requisita ex Const. Clem. VIII. Greg. XV. & Urbani VIII.*
37 *Ubinam observandæ sint istæ Constitutiones?*
38 39 *An etiam comprehendant Monasteria Monialium?*
40 *Observanda in horum erectione.*
41 *An dictæ Constitutiones servandæ sint etiam in translatione Conventus?*
42 *Hujus ampliatione?*
43 *Et destructi reædificatione?*
44 45 *Quando exquirendus sit consensus cæterorum regularium?*
46 47 *Quid Jure communi decretum sit circa institutionem novorum Ordinum?*
48 *Et aliarum Congregationum piarum?*
49 *An valeant Vota in Ordine, per Pontificem non approbato emissa?*
50 *Quid dicendum de Vita solitaria?*

A Religiosorum Statu ad eorum Domus, sive Ecclesias, Monasteria, cæteraque loca Pia, & Religiosa transimus. 1

Quæritur 1. quid sit *Domus Religiosa*, & quotuplicis acceptionis? Resp. *Domus Religiosa* in genere est, quæ ad Cultum Divinum, & Pietatis, vel etiam Misericordiæ opera exercenda est deputata. Hujusmodi Domus sunt triplicis generis.

1. *Domus Sacræ*, quæ ad Cultum Dei, & Beatorum Cœlitum venerationem per Missarum solemnia, cæteraque Divina Officia celebranda Episcopali consecratione sunt dedicatæ: qualia sunt Basilicæ, & Ecclesiæ, sive Templa, Sacella, & alia loca his adhærentia.

2. *Domus Religiosæ* in sensu specifico, seu non Sacræ, in quibus citra consecrationem ex authoritate Episcopi Pietatis, & Misericordiæ opera exercentur: uti sunt Monasteria, Collegia, cæteræque Domus Regularium; item Xenodochia, in quibus peregrini, Nosocomia, in quibus ægroti; Orphanotrophia, in quibus orphani recipiuntur, & sustentantur &c. Demum Confraternitates, Congregationes, & alia Collegia pia; nam hæc omnia, si authoritate Episcopi erecta sint, Domus Religiosæ sunt, & vocantur. 2

3. *Domus Piæ* iterum specificè, quæ ad Pietatis, & Misericordiæ opera sine Episcopi, vel alterius similis Prælati Ecclesiastici authoritate constructæ, vel deputatæ sunt: tales sunt Oratoria, Capellæque domesticæ, Hospitalia, & quæcumque alia loca, quæ ad hujusmodi opera destinata sunt, non tamen interveniente aliqua consecratione, benedictione, vel deputatione per Ecclesiasticam authoritatem facta. 3

Quæritur 2. cuinam, Jure communi spectato, Ecclesiæ, & Monasteria, cæteræque Domus, & Congregationes regularium subjectæ sint? Resp. omnes Spirituali Jurisdictioni Episcopi, intra cujus Diœcesim sunt sitæ, esse subjectæ debent, ita, ut nisi ostendatur Ecclesiam illam, vel Monasterium Jure præscriptionis, vel privilegii legitimè obtenti Jurisdictioni Episcopali subtractam esse, Episcopus hoc ipso, quod constet illam in Diœcesi ejusdem sitam esse, super ejus subjectione intentionem, & præsumptionem in Jure communi fundatam habeat *can. omnes Basilicæ* 10. *caus.* 16. *q.* 7. *can. Monasteria* 17. *caus.* 18. *q.* 2. *c. cùm venerabilis* 7. *h. tit.* Vivian. *in c.* 3. *eod.* Barbos. *in cap.* 6. *n.* 2. *& in c.* 8. *n.* 1. Gonzal. *ibid. n.* 5. Vallens. §. 1. *hic n.* 2. Honor. *n.* 4. Engl *n.* 8. Schamb. *n.* 3. Konig *n.* 8. Ratio est; quia Jurisdictio Ordinarii per totam Diœcesim Juris præsumptione extenditur: conf. omnia complectitur, quæ ab eadem non probantur exempta. 4

Proceditque hoc etiam casu, quo ejusmodi Ecclesia, vel alius locus Sacer, aut Religiosus incorporatus est Monasterio exempto; nam etiam istud ex loco hujusmodi sibi unito solvere Jura Episcopalia Episcopo Diœcesano debet, nisi probetur etiam locum unitum ab Episcopali Jurisdictione exemptum esse, ut clarè statuit Innocentius III. *cap. constitutus* 6. *h. tit.* Ratio est, quia per unionem solam nihil dederit Episcopo loci, in quo situm est Monasterium. 5

Dixi autem, *Spirituali Jurisdictione Episcopi*: aliud enim est quoad temporalia, sive fructus, & proventus Ecclesiæ; nam de his non potest Episcopus ad libitum disponere, seu illos in proprios usus convertere etiamsi Ecclesia in Diœcesi ipsius sita sit, nisi legitimè probaverit etiam illos ad se pertinere, prout notant DD. *citt.* & sumitur ex *c. cùm venerabilis cit.* 6

Dub. 1. cujus Jurisdictione subjecta debeat esse, & à quo Episcopo consecranda sit Ecclesia ædificata in loco, de quo dubitatur, in cujus Diœcesi is situs sit? Resp. subjecta esse, & consecrari debet ab illo Episcopo, qui antequam Ecclesia illa ædificaretur, in incolas illius loci, seu territorii Jura Episcopalia exercuit, vel Sacramenta quædam contulit, prout sumitur ex *cap. nunc autem* 1. *h. tit.* & notat *ibid.* Gloss. *in notat.* *Vivian. pr.* Gonzal. *n.* 4. Pirh. *hic n.* 9. Schamb. *n.* 4. Wiest. *n.* 10. Ratio est, quia exercitium talium actuum constituit ipsum in possessione Jurisdictionis Episcopalis, utpote ex qua potestas exercendi eos actus de Jure communi dimanat. Hoc certum. 7

Du-

8 Dubii vis in eo sita est, an hoc casu sufficiat, si talis Episcopus in ejusmodi loco unum tantum, vel alterum actum Juris Episcopalis exercuit? *Rationem dubitandi* facit *c. cum olim* 18. *de præscript.* ubi dicitur, eum, qui certa Jura Episcopalia exercuit in aliquo territorio, ea dumtaxat, quæ exercuit, præscripsisse, non alia, quod clarum præbere videtur indicium, per exercitium aliquorum tantum Jurium non esse obtentam possessionem totius Juris Episcopalis.

9 Sed tenenda est affirmativa sententia, & dicendum, eum, qui unum vel alterum actum, ad Jus Episcopale pertinentem, exercuit, e. g. quia ibidem Baptismi, aut Confirmationis Sacramenta contulit, hujusmodi actuum exercitio in totius Juris, seu Jurisdictionis Episcopalis quasi possessione constitui. Ita Vivian. *in cap. nunc autem* 1. *h. tit.* Barbos. *ibid. n.* 6. Pirh. *hic n.* 10. Vviest. *ibid. n.* 11. & sumitur clare ex *c. nunc autem cit.* estque teste Barbos. *l. cit.* sæpius decisum à Rota. *Ratio est*, quia possessio unius ad omnes alios actus trahitur, si quoad cæteros actus nullus alius sit in possessione Juris, & qui exercet unum, vel alterum actum, habeat præsumptionem Juris pro omnibus, sicut pro omnibus actibus Episcopalibus habet Episcopus.

Et hinc ad rationem dubitandi dico *c. cum olim cit.* solum procedere; quando quoad alios actus alius est in possessione Juris, vel quando is, qui hos actus exercuit, non est in possessione universi Juris.

10 Dub. 2. cui Episcopo subjecta sit Ecclesia, vel Monasterium unitum Ecclesiæ, vel Monasterio alterius Diœcesis? *Ratio dubitandi* est 1. quia subjectionem indicat potestas instituendi, vel confirmandi; atqui in casu unionis in Ecclesia accessorie, ut ferè fit, unita non amplius instituit Episcopus, in cujus Diœcesi Ecclesia unita existit, sed Episcopus, cui subjacet Ecclesia principalis. ergo &c. 2. Per ejusmodi unionem res omnes, jura, & actiones Ecclesiæ, vel Monasterii, uniti acquiruntur Ecclesiæ, vel Monasterio, cui illa incorporantur. ergo videntur etiam subjici Jurisdictioni ejus Episcopi, cui Ecclesia, vel Monasterium principale subjicitur. 3. Tale Monasterium, vel Ecclesia, cui alia Ecclesia, vel Monasterium incorporatur, subinde exempta est à Jurisdictione Episcopi. igitur eo Jure Exemptionis gaudebit etiam Ecclesia, vel Monasterium unitum.

11 Sed dicendum, etsi Trid. *sess.* 14. *c.* 9. *de reform.* uniones Ecclesiarum, & locorum piorum, qui diversarum Diœcesium sunt, ad vitandam istarum confusionem, & incommodum tum Ordinariorum, tum subditorum inde consequens meritò prohibuerit, si tamen ex causa rationabili unio talis facta sit, Ecclesiam, vel Monasterium unitum per se loquendo, & regulariter subjectum manere Episcopo, in cujus Diœcesi situm illud est. Ita sumitur *ex can. omnes Basilicæ can. Monasteria cit.* & *c. quia Monasterium* 2. *h. tit.* & notant *ibid.* Vivian. *in Ration.* Barbos. *n.* 1. Gonzal. *n.* 2. Vvagner *in Exeg.* Vallens. §. 1. *hic n.* 2. Honor. *n.* 4. Engl. *n.* 9. Schambog. *n.* 6. Konig *n.* 8. *Ratio est;* quia per concessionem gratiæ, & privilegii non censetur derogatum juribus Episcopi Diœcesani, si hoc expressum non sit. atqui hujusmodi unio, & incorporatio est gratia, & privilegium. igitur censebitur concessa esse, salvo jure Episcopi, in cujus Diœcesi Monasterium, vel Ecclesia unita sita est, ut sic cuique Episcopo Jurisdictio conservetur, & Ecclesiastici Regiminis ordo non confundatur.

12 Neque obstant Argumenta opposita. *Ad* 1. mirum videri non debet, quòd in Ecclesia, vel Monasterio sic unito Episcopus, in cujus Diœcesi sita sunt, non habeat amplius potestatem instituendi, vel confirmandi; nam ipso consensu in hujusmodi unionem juribus illis cessisse censetur. *Ad* 2. ex hoc, quòd res, jura, & actiones Ecclesiæ unitæ transferantur, & acquirantur Ecclesiæ, vel Monasterio Diœcesis alienæ, non sequitur, quòd in eandem Diœcesim etiam transferatur Monasterium, vel Ecclesia unita; ac proinde hæc Episcopo Diœcesis, in qua existit, adhuc subjecta manet. *Ad* 3. non debet videri absurdum, ut, qui alias exemptus est, ratione Ecclesiæ non exemptæ subjiciatur Episcopo; nam etiam in Civilibus persona alias maxime exempta, si possessiones, in alicujus Regis, vel Principis territorio sitas, & hujus Jurisdictioni subjectas habeat, in rebus, & causis, quæ has concernunt, hujusmodi Regi, vel Principi subesse debet, ut exploratum est apud omnes.

13 Quæritur 3. an, & quomodo Hospitalia, & cætera loca, ad Pietatis, & Misericordiæ opera deputata, subjiciantur Episcopo? Resp. cum distinctione: Vel enim Episcopi, aut alia simili authoritate Ecclesiastica erecta sunt, vel non. *Si primum*, subsunt Jurisdictioni Episcopi, in cujus Diœcesi sunt constituta, ita, ut ille fundatam de Jure communi intentionem super iisdem habeat quoad subjectionem, & ordinationem illorum, & asserenti exempta illa esse onus probandi incumbat *c. de Xenodochiis* 3. *h. tit.* & *ibi* Gloss. *in casu*, & *V. in quorum Diœcesi*, Pirhing *ibid. num.* 19. Schambog. *num.* 12.

Si secundum, & hujusmodi Hospitalia sint erecta sæcularis dumtaxat Principis, aut aliorum Dominorum Sæcularium authoritate, Episcopi Diœcesani Jurisdictioni non subsunt, ut colligitur per argumentum à sensu contrario sumptum ex *c. ad hæc* 4. *h. tit.* & notat *ibidem* Fagnan. *n.* 51. Barbos. *in c.* 3. *eod. n.* 4. Pirh. *hic n.* 20. Konig *n.* 9. Vviest. *n.* 15. Ratio est; quia hujusmodi Hospitalia pia quidem, sed profana, non Religiosa sunt loca, quippe cum loca Religiosa talia solum fiant per destinationem Episcopi, vel alterius, qui authoritate Episcopali pollet. 14

Proceditque hoc, etsi hujusmodi Hospitalia Oratorium habeant; quia hoc in domo privata extrui potest etiam à privato, non tamen, ut in eo Missæ celebrentur *can. unicuique* 33. *dist.* 1. *de consecrat.* Innoc. *in c.* 4. *h. tit.* Joann. Andrea *ibid. n.* 5. Abb. *n.* 6. Fagnan. *num.* 52. Pirh. Vviest. *l. cit.* 15

Excipitur, si Patronus, seu Fundator talis Hospitalis sit mortuus; tunc enim ad Episcopum spectat, videre, an ejus voluntas ultima mandetur executioni; nam generale est, quòd ad Episcopi sollicitudinem spectet curare, ut defunctorum piæ voluntates, & dispositiones executioni mandentur, & conserventur. Abb. *in c.* 3. *h. tit. num.* 3. Vallens. *hic* §. 2. *num.* 3. Pirh. *num.* 20. Vviest. *num.* 16.

Dub. 1. quænam Hospitalia, & alia pia loca visitationi Episcopi subsint, vel non? Resp. cum distinctione *n.* 13. data; nam si Episcopi, vel alia simili Ecclesiastica authoritate erecta sint, omnia, etiam exempta, subsunt visitationi Episcopi, in cujus Diœcesi sunt sita, per se loquendo, & regulariter; non verò, si authoritate Ecclesiastica erecta non sint. Neque aliud de posterioribus probatur ex Trid. *sess.* 22. *c.* 8. *de reform.* ubi Episcopi visitationi subjiciuntur omnia loca pia etiam, quorum cura ad Laicos pertinet; nam *ibidem* additur, *in casibus à Jure concessis*, & *juxta SS. Canonum Statuta* atqui juxta ista Visitationi Episcopi non subsunt loca pia, nisi simul Religiosa sint. ergo nec post Tridentinum eidem subsunt, nisi sub data qualitate. 16

Addidi *Etiam exempta;* nam & hæc visitare, tanquam Sedis Apostolicæ Delegatus, Episcopus potest, ut Sacra Synodus *loc. cit.* statuit, ibi, *Atque eadem pia loca exemptionis privilegio sint munita.* Proceditque hoc, etsi per Laicos administrentur, ita tamen, ut hac facultate, Episcopis concessa, jus visitandi eadem loca Laicis Judicibus, & temporalibus Dominis non adimatur, si isti jus hoc alias legitimè obtinuere, ut à Cardd. declaratum, & à Rota decisum testis est Joan. Gallem. art. *ad c.* 8. *cit. Trid. n.* 2. Barbos. *in c. ad hæc cit. n.* 4. & alii passim. 17

Excipitur 1. si hujusmodi Hospitalia, & alia pia loca expresse erecta sint sub immediata protectione Regum, aut aliorum sublimium Principum, Regalia in Ditionibus subjectis exercentium; hæc enim ab Episcopo visitari sine illorum licentia noluit Trid. *c.* 8. *cit.* ibi, *non tamen, quæ sub regum immediata protectione sunt, sine eorum licentia:* & meritò; quia cùm ejusmodi Principes talia Hospitalia, & pia loca ex propriis proventibus, aut ærario publico constituerint, suæque protectioni reservarint, confidi in ipsis potest, quòd etiam fideliter sint commoda eorum curaturi. 18

Excipitur 2. si in eorum fundatione cautum sit, ut Hospitale, vel locus prius non subsit Episcopo; nam hujusmodi conditiones fundationi appositas non improbant SS. Canones, imò apertè approbant *Clem.* 2. *h. tit.* ibi, *Vel statuto in ipsorum fundatione locorum apposito*, & Trid. *sess.* 22. *cit. c.* 9. ibi, *Nisi secus fortè in institutione, & ordinatione talis Ecclesiæ, seu fabricæ expresse cautum esset.* 19

Excipiuntur 3. Hospitalia, & alia pia loca Ordinum Militarium, & aliorum Religiosorum, excepta Religione S. Joannis DEI. Vivian. *in Clem. cit.* §. *præmissa verò*, Vallens. *hic* §. 1. *n.* 5. Engl *n.* 10. Schamb. *n.* 15. & patet ex §. *permissa cit.* nec obscurè colligitur ex Trid. *c.* 9. *cit.* quod de Administratoribus Sæcularibus, non Regularibus loquitur. 20

Dub. 2. an Episcopus ab Administratoribus Hospitalium, & aliorum piorum locorum rationes possit exigere? Resp. affirmativè. Patet ex *Clem.* 2. *cit.* idque verum est non tantum de iis Hospitalibus &c. quæ authoritate Episcopi, vel alia Ecclesiastica erecta sunt; sed etiam quæ sine illa. Gutier *l.* 1. *qq. can. c.* 35. *à num.* 19. Barbos. 21

bof. *de Offic. Episc. alleg.* 75. *n.* 57. Pith. *hic num.* 26. & colligitur ex Trid. *c.* 9. *cit.* administratores hujusmodi locorum ad rationem administrationis Ordinario annuatim reddendam indistinctè obstringit, & illum duntaxat casum excipit, quando in fundatione expressum est, ut Episcopus non possit rationes administrationis exigere.

22 Quod procedit etiam casu, quo ex consuetudine, privilegio, aut Constitutione aliqua loci aliis ad id deputatis ratio reddenda esset; nam cum his etiam Ordinarium ad functionem hanc adhibendum imposterum sanxit S. Synodus *l. cit.* cum clausula, *ut aliter factæ liberationes dictis Administratoribus non suffragentur*. Ratio potestatem hanc Episcopis concedendi fuit; quia hujusmodi loca, licèt Religiosa non sint, quando in eorum erectione authoritas Ecclesiastica non intercessit, pia tamen sunt: piarum autem causarum generalem administrationem, & curam habet Episcopus.

23 Dub. 3. an loca pia, & Religiosa sine authoritate Ecclesiastica mundanis, h. e. profanis usibus deputari, & in eos converti possint? Resp. distinguendo inter loca, quæ sacra, & propriè Religiosa sunt, quòd Episcopi, vel alia simili authoritate Ecclesiastica constituta sint, & inter loca, quæ pia dumtaxat sunt, nec erecta authoritate Ecclesiastica.

De prioribus dicendum, quòd profanis usibus deputari sine Ecclesiastica authoritate nequeant *c. ad hæc* 4. *h. tit.* Ratio est; quia generaliter, quod DEO semel dicatum est, ad humanos usus amplius revocari non debet *can. quæ semel* 4. *cauf.* 19. *q.* 3. & *Reg. semel* 61. *in* 6. Imò si hujusmodi fundationes ad certos usus, vel pro certo personarum genere destinatæ sunt, ad alium usum etiam pium, vel ad aliud genus hominum transferri non debent, ob Regulam sumptam ex *Clem.* 2. *h. tit.* quòd nempe *ea, quæ ad certum usum largitione sunt destinata fidelium, ad illum debeant, & non ad alium (salva quidem Sedis Apostolicæ authoritate) converti. Excipit* Trid. *sess.* 25. *c.* 8. *de reform. si Hospitalia hæc ad certum peregrinorum, infirmorum aut aliarum personarum genus suscipiendum fuerint instituta, nec in loco, ubi sunt dicta Hospitalia, similes personæ, aut perpaucæ reperiantur;* tunc enim concedit Sacra Synodus, *ut fructus illorum in alium pium usum, qui eorum institutioni proximior sit, ac pro loco, & tempore utilior, convertantur, prout Ordinario cum duobus de Capitulo, qui rerum usu peritiores sint, per ipsum deligendos, magis expedire visum fuerit.*

24 *De Posterioribus*, iterum distinguendum, an is, à quo ista in peregrinorum, pauperum, infirmorum &c. & similes usus deputata sunt, adhuc vivat, vel an jam sit mortuus? *Si adhuc vivat*, ita deputata ad usus profanos revocare, & convertere pro libitu poterit, modò ad eorum fundationem se non obligarit, argumento ducto à sensu contrario ex *c. ad hæc cit.* & hinc ad voluntatem Domini hodie potest esse Oratorium, quod cras erit Camera. *Si jam* est mortuus, qui domus ejusmodi ad pietatis, vel misericordiæ opera per donationem mortis causa deputavit, hæres ejus voluntatem defuncti implere debet, neque ipsi est integrum eam ad usus profanos revocare. Abb. *in c. ad hæc cit. num.* 4. Fagnan. *ibid. n.* 53. Honor. *hic n.* 2. Schamb. *n.* 14. Konig *n.* 9. Vviest. *hic n.* 22. & teste Fagnano declaratum est à Cardd.

25 Dub. 4. an Ecclesiæ Regulares possint mutari in Ecclesias Sæculares, sive Monasteria in Collegia Clericorum Sæcularium? Resp. non posse ullius Prælati Pontifice inferioris potestate, nisi casu, quo reperiri non possunt Religiosi, quibus illa reformentur, & restauretur disciplina collapsa. Ita expresè *c. inter quatuor* 5. *h. tit.* Ratio est; quia in via DEI ascensus potius fieri debet, & non descensus. esset autem descensus, si Monasteria mutarentur in Collegia Canonicorum Sæcularium, cùm Regulares strictiorem vitam profiteantur. ergo &c.

26 Addidi, *si reperiri non possint Religiosi &c.* tunc enim authoritate Episcopi in Ecclesiis Regularibus Clerici Sæculares ordinari poterunt, ut habetur *c. cit.* Debet tamen, antequam ad hoc descendatur, ordo iste observari. 1. tentari debet reformatio per religiosos ejusdem Monasterii. 2. in horum defectum evocandi sunt Religiosi strictioris observantiæ ex aliis Monasteriis ejusdem Ordinis. 3. si nec illi haberi possint, reformatio Monasterii fieri debet per Religiosos alterius Ordinis. 4. denique si per Regulares reformatio Monasterii institui non possit, tum demum Sæculares Clerici in locum eorum sufficiendi, & ibi collocandi sunt; quia necessitas non habet Legem. Gloss. *in c. inter quatuor cit. V. per Regulares*, Joann. Andr. *ibid. num.* 2. Abb. *n.* 1. Barbos. *n.* 2. Pirh. *hic n.* 15. Konig *n.* 10. Vviest. *n.* 19. *& duobus seqq.*

Papa tamen hunc ordinem non debet observare necessariò; sed causa justa suadente, vel exigente, non observato hoc ordine, Ecclesiam Regularem mutare in Sæcularem potest; & vicissim, ut notat Pirh. *l. cit.* Schamob. *n.* 9. Et hinc dispar est ratio Episcopi; quia iste Ecclesiæ statum mutare non potest, nisi in casibus expressis Jure. 27

Quæritur 5. quis valeat licentiam concedere ædificandi nova Monasteria? Diffident inter se DD. Nam præter licentiam Episcopi ad hoc desiderari etiam licentiam Summi Pontificis contendunt Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 26. *n.* 4. Tambur. *de Jur. Abb. tom.* 3. *D.* 5. *q.* 1. *num.* 3. Gonzal. *in c. fin. h. tit. n.* 8. Pignatell. *tom.* 1. *consult.* 179. *num.* 39. Monacell. *p.* 1. *tit.* 6. *formul.* 19. *num.* 12. Matthæucc. *in Official. Eccl. c.* 16. *num.* 1. & allegant pro se, 1. *c. un.* §. *confirmatos h. tit. in* 6. ubi Gregorius X. statuit, ne Prælati Regulares deinceps recipere valeant Conventum aliquem, vel Domum absque Sedis Apostolicæ speciali licentia. 2. *c. un. de Excess. Prælator. in* 6. ubi Bonifacius VIII. idipsum statuit, & in licentia Sedis Apostolicæ ad hoc deinceps concedenda requirit, ut *plena, & expressa fiat de prohibitione hujusmodi mentio*. 3. *Constit. Urbani VIII.* incipit *Romanus* edita 28. *Aug.* 1624. ubi revocantur quorumvis Ordinum Privilegia, quibus antea construere poterant nova Monasteria *de sola Ordinarii licentia*. 28

Contra solam Episcopi licentiam sufficere ad construenda nova Monasteria Ordinum saltem non mendicantium existimant Sorb. *ad Compend. Mendicant. V. ædificare vers. circa* §. 20. Rodriq. *tom.* 2. *Regular. q.* 49. *art.* 3. *cum seqq.* Engl *hic n.* 3. Konig *n.* 5. quod putant sumi ex *can. de Monachis* 12. *cauf.* 18. *q.* 2. & Trid. *sess.* 25. *c.* 3. *de Regular.* ubi sola licentia Episcopi exposcitur. Ad Jura per sententiam contrariam allegata *l. cit.* respondet Engl, ibi sermonem esse non de quibuslibet Religiosis, sed de Mendicantibus tantùm, circa quos specialis est consideratio; tum quia plerique in toto suo Ordine exempti, & Summo Pontifici immediatè subjecti sunt; tum quia ex incertis Eleemosynis vivunt, atque talis Eleemosynarum quæstus aliis præjudicare, & gravis esse possit. Verba Bullæ Urbani VIII. *de sola Ordinarii licentia* idem Clarissimus Author intelligenda dicit in ordine ad alia requisita, ut sensus sit, non sufficere solam Ordinarii licentiam, sed etiam opus esse, ut alia requisita accedant. 29

Ego priori adhæreo sententiæ ob *Constit. Innoc. X.* incipit *Instaurandæ editam Idibus Oct.* 1652. & reperitur in *Bullar. tom.* 4. estque inter laudati Summi Pontificis *vigesima septima*, ubi idem Pontifex statuit, *Ne deinceps aliquis Regularium Ordinis Mendicantium, vel non Mendicantium -- Conventus, vel Collegia incipere, vel fundare præsumat absque Sedis Apostolicæ licentia speciali*. Estque sæpius declaratum à *S. Congreg.* ut testis est Pignatell. *tom.* 1. *consult.* 179. *num.* 42. Neque obstat *can. de Monachis* & *c.* 3. *Trid. citt.* quia generalitas istorum textuum restringitur per Constitutionem Innocentianam *cit.* quæ, cùm sit Jus posterius, explicat, vel limitat Jus textuum *citt.* prius. 30

Dub. 1. quid præter licentiam Pontificis, & Ordinarii requiratur ulterius ad erectionem novi Monasterii? Resp. de hoc puncto duplex maximè considerandum Decretum est: *unum* Clementis VIII. *in Bulla* incipit *Quoniam ad institutum* edita 23. *Jul.* 1603. ubi idem Pontifex declaravit, *locorum Ordinarios non posse licentiam ad novos Conventus cujusque etiam Mendicantium Ordinis in civitatibus, & locis eorum ordinariæ Jurisdictioni subjectis erigendos impertiri, nisi vocatis, & auditis aliorum in eisdem civitatibus, & locis existentium Conventuum Prioribus, seu Procuratoribus. & aliis interesse habentibus, & causa, servatis servandis, cognita constiterit, in eisdem Civitatibus, & locis novos hujusmodi erigendos Conventus sine aliorum detrimento commodè sustentari posse: si verò ab eis in hujusmodi causis, & sententiis -- ad Apostolicam Sedem provocari, & appellari contigerit, ipsos Ordinarios tamdiu erectionem novorum Conventuum suspendere debere, quousque -- ab Apostolica Sede in eadem causa pronuntiatum extiterit &c.* 31

Alterum Gregorii XV. incipit *Cum alias* 17. *Aug.* 1622. ubi idem Pontifex innovans *Const. Clem. VIII.* prohibuit, *ne deinceps Monasterium, Conventus, Domus, Congregatio vel Societas Religiosorum, seu Regularium ullibi recipiatur, nisi præter alia ad id requisita in singulis ejusmodi locis duodecim saltem Fratres aut Monachi, seu Religiosi degere, & ex redditibus, & consuetis Eleemosynis -- competenter sustentari valeant*. Quæ Decreta confirma- 32

mavit, & approbavit, ac ab omnibus exactè & perpetuo, ſervari voluit, & mandavit Innocentius XII. *Conſt.* incipit *Nuper* §. 15. Et ita habet etiam praxis *S. Congreg. Epiſc. & Regular.* quæ facultatem erigendi novi Conventus nunquam concedit, quin prius Ordinario loci committat & ſenſum ipſius audiat tam quoad commodam ſuſtentationem Religioſorum de novo introducendorum in numero duodeno, abſque ullo præexiſtentium Regularium præjudicio, quàm quoad iſtorum conſenſum, ac Jurium Parochialium indemnitatem. Matthæucc. *Offic. Eccl. cap.* 16. *num.* 2.

33 Ex quo ſequitur, quòd vi *citt.* Conſtitutionum ad hoc, ut Ordinarius in Novi Monaſterii erectionem conſenſum præſtare poſſit, requiratur 1. ut vocentur, & audiantur aliorum ibi, & in vicinia exiſtentium Conventuum Religioſi; & quidem, ut Pignatell. *tom.* 1. *Conſult.* 179. *num.* 51. advertit, conſenſus ab iſtis præſtari debet capitulariter, nec ſufficit, ſi oſtendatur ſubſcriptio Religioſorum particularium, ex vulgata Regula, quòd aliud ſit Conventus, aliud ſinguli Religioſi de Conventu.

34 2 Ut ſervetur diſtantia novi Monaſterii à priùs erectis. Clemens IV. *Conſt.* incipit *Ad conſequendum edita Peruſii* 12. *Calend. Decemb.* 1265. indulſit, quòd prope Eccleſias Ordinis FF. Minorum non valeat ab aliis Regularibus in paupertate fundatis, aut à Monialibus cujuſcunque Ordinis novum Monaſterium, Eccleſia, vel Oratorium conſtitui, vel acquiri intra ſpatium 300. cannarum. Idem privilegium, reſtrictum tamen ad 140. cannas ab eodem Clemente obtinuerunt FF. Prædicatores, Ordo Eremitarum S. Auguſtini à Bonifacio VIII. Alexander VII. *Conſtit.* incipit *Alias* 142. *tom.* 6. *Bullar.* prohibuit fundationes Conventuum familiæ Ultramontanæ Ordinis Minorum de Obſervantia intra ſpatium quatuor, vel quinque leucarum ab jam erectis, etiam aliorum Regularium abſque licentia ſpeciali Sedis Apoſtolicæ. Hodie, ut Vincent. Petra *tom.* 3. *comment. fol.* 422. *num.* 10. notat privilegium 300. cannarum reſtrictum indefinite eſt ad 140. cannas, & gaudent eo Mendicantes omnes.

35 3 Ut accedat conſenſus Parochi, vel Capituli, penes quod reſidet cura animarum, & intra cujus Parochiæ limites Monaſterium ædificandum eſt; nam cùm in nova Eccleſia, ſepeliri debeant fidelium corpora, miniſtrari Sacramenta, aliaque plura fieri, ex quibus poteſt generari præjudicium Parocho, meritò ejus conſenſus requiritur: eſtque hic adeo neceſſarius, ut abſque eo fundatio novi Monaſterii non ſuſtineatur. Pignatell. *tom.* 1. *conſult.* 179. *num.* 52. & hoc teſte deciſum eſt à Rota in *Cæſarauguſtana fundationis*, & *Polletana Manutentionis*.

36 4 Ut conſentiant, præterea etiam incolæ, & habitatores ejuſdem loci, ut patet ex forma *Conſtitutionis Gregorii XV. & Urbani VIII.* eſtque teſte Pignatell. *n.* 70. deciſum à Rota. Ex quo ſequitur, multò magis interrogandum Principem Territorii, intra quod erigendum eſt novum Monaſterium; nam juxta *Conſtit. Clem. VIII. cit.* interrogari debent omnes, qui intereſſe in eo habent. atqui vel maximè in iſto habet intereſſe Territorii Princeps ergo &c.

37 Dub. 2. ubinam obſervandæ ſint prædictæ Conſtitutiones Clementis VIII. Gregorii XV. & Urbani VIII. Reſp. 1. ſervandæ ſunt non tantùm in Italia, ſed etiam in aliis Provinciis ultra Montes, ut declaravit *S. Congr. Propag. Fid.* 1638. teſte Nicol. *in in floſc. V. Conventus num.* 1. Monacell. *p.* 1. *tit.* 6. *form.* 19. *num.* 3. & iterum roboravit Innocentius X. *Conſtit.* incipit *Inſtaurandæ* §. 5. 2. ſervandæ ſunt in erectione Conventuum religioſorum tam Mendicantium, quàm non Mendicantium; quia præjudicium, ob quod regulares Monaſteriorum priùs ibi erectorum interrogari debent, verſatur non tantum in quæſtu Eleemoſynarum, ſed etiam in diminutione concurſus ad Divina &c. quæ ratio militat etiam in Ordinibus non mendicantibus. Paſqualig. *ad Franch. controv. int. Epiſc. & Regular. de Convent. nov. fundat. num.* 480. Pignatell. *tom.* 1. *conſult.* 179. *num.* 22. & conſtat ex *Conſt.* Gregorii XV. *cit.* ibi *Etiam Mendicantium*, ubi particula *Etiam* ſignificat præter Mendicantes etiam includi alios, ſc. non Mendicantes.

38 *Difficultas eſt*, an dicta Decreta comprehendant etiam Monaſteria Monialium? *Certum eſt*, non poſſe erigi nova Monaſteria Monialium ſine licentia Epiſcopi, ut patet ex Trid. *ſeſſ.* 25. *cap.* 3. *in fin. de Regular.* Punctum difficultatis in eo ſitum eſt, an in concedenda licentia Epiſcopus ſervare debeat formam à Clem. VIII. & Greg. XV. præſcriptam, & *num.* 33. *ac ſeqq.* deſcriptam? Affirmant Donat. *prax. Regul. tom.* 1. *p.* 2. *tract.* 1. *quæſt.* 21. *n.* 2. ex ratione; quia in dictis Decretis præſcribitur forma ad dandum conſenſum pro novo Monaſterio, ſive ſit virorum, ſive mulierum. Meliùs diſtinguitur, an Moniales, quibus novum Monaſterium erigendum eſt, victum quærant ex Eleemoſynis, an verò non. *Si primum*, juxta formam præſcriptam in Decretis *citt.* audiendi ſunt Religioſi cæteri; quia his præjudicium afferri poteſt per diminutionem Eleemoſynarum.

Si ſecundum, in iiſdem Conſtitutiones prædictæ non urgent. Ita Rebuff. *prax. tit. de erect. in Colleg. num.* 1. Garc. *p.* 12. *de Benef. cap.* 5. *num.* 4. Sanch. *l.* 6. *mor. cap.* 7. *num.* 116. Barboſ. *l.* 1. *Jur. Eccl. cap.* 41. *numer.* 217. Paſqualig. *ad Franch. de convent. nov. fundat. num.* 478. & 479. Pignatell. *tom.* 1. *conſult.* 179. *numer.* 73. Monacell. *p.* 1. *tit.* 6. *form.* 19. *num.* 17. & conſtat ex praxi S. Congr. quæ pro Monialibus requiſita Conſtitutionum Apoſtolicarum non exigit, ſed habita informatione, & conſenſu Epiſcopi Ordinarii, ac conſtito, fabricam Monaſterii eſſe capacem, & in omnibus ſuis partibus abſolutam, dotemque eſſe tutam, ac ſufficientem ſaltem pro 12. Monialibus, concedit gratiam fundationis nemine alio vocato, & ſic decies, ac vigeſies per ſpatium 14. annorum ſe vidiſſe teſtatur Monacell. *num.* 12. Ratio eſt, quia in Monaſteriis Monialium, quæ certos redditus ſibi aſſignatos habent, qui pro illarum manutentione ſufficiant, ceſſat præjudicium, quod in erectione aliorum Monaſteriorum in Conſtitutionibus Apoſtolicis conſideratur. 39

Addit tamen Monacell. *l. cit. num.* 21. Epiſcopum, antequam ad erectionem novi Monaſterii Monialium conſenſum præbeat, præ oculis habere debere ſequentia: 1. ut bona, pro dote fundationis aſſignata, ſint tuta, & ſufficientia pro vita communi, 2. ut non erigatur in loco parvo, & in quo copia Confeſſariorum non adeſt, niſi Moniales ipſæ tantas habeant facultates, ut Confeſſarium externum ſuſtentare valeant. *S. Congreg. Epiſc.* 13. *Sept.* 1583. 3. ut non erigatur prope Monaſteria virorum juxta diſpoſitionem *can. Monaſteria puellarum* 23. *cauſ.* 18. *quæſt.* 2. & Decretorum noviſſimorum *in Aſculana* 5. *Maji* 1690. & *in Brunduſina* 16. *Jan.* 1693. 4. ut novæ Moniales ſubjaceant Juriſdictioni Ordinarii, cujuſcunque Ordinis, & Regulæ ſint, prout declaravit *S. Congreg. in Salernitana* 13. *Februar.* 1692. *in Pampilonenſi* 20. *Febr.* 1699. *in Ulyſiponenſi Menſe Majo anno eodem*. 5. quod ex Curiæ Romanæ Stylo addit Pignatell. *tom.* 1. *conſult.* 179. *in fin.* ut accedat licentia Sedis Apoſtolicæ, à qua hodie expediuntur Brevia in fundatione Monaſteriorum pro Monialibus. 40

Dub. 3. an Conſtitutiones prædictæ ſervandæ ſint in translatione Conventus, hujus ampliatione, & deſtructi reædificatione? *Ad* 1. Affirmativam defendit Lauret. de Franch. *Controv. int. Epiſc. & Regul. De Convent. nov. fundat. num.* 403. & *ſeqq.* quia mutare, & de novo conſtruere æquiparantur in hac materia ob identitatem rationis. Sed reſpondendum eſt negativè; quia hæc non dicitur nova fundatio; conſ. oppoſitiones aliorum Regularium obſtare non valent. Monacell. *p.* 1. *tit.* 6. *form.* 19. *num.* 4. itaque ipſo teſte reſpondit *S. Congr. Epiſc. in Gerundenſ.* 19. *Sept.* 1687. *Proceditque hoc*, etſi Monaſterium transferatur ad locum propinquum alteri Monaſterio, & hoc haberet privilegium, ut nova Monaſteria non erigantur, niſi ſervata certa diſtantia, ut monet Monacell. *l. cit. num.* 9. & conſtat ex praxi, docetque æquitas, juxta quam, quod tibi non nocet, & alteri prodeſt, concedere compelleris *l. in ſumma* 2. §. *item Varus* 5. *ff. de aqu. & aqu. pluv. arcend. Excipitur*, niſi præjudicium vicino Monaſterio per hoc creetur, quòd novum ædificium officeret luminibus, inducatur intolerabilis ſervitus proſpectus &c. tunc enim Regulares præexiſtentes poſſunt ſe opponere translationi. Monacell. *num.* 10. 41

Ad 2. reſpondendum eſt negativè. Ita Gloſſ. *in can. de Monachis* 12. *cauſ.* 18. *quæſt.* 2. Suar. *de Cenſur. D.* 23. *D.* 5. *num.* 33. Tamburin. *de Jur.* Abb. *tom.* 3. *D.* 5. *quæſt.* 1. *num.* 9. Laurent. de Franch. *Contr. int. Epiſc. & Regul. de Convent. nov. fundat. num.* 411. & 412. Donat. *prax. Regul. tom.* 1. *p.* 2. *tract.* 1. *quæſt.* 23. Ratio eſt; quia Jura requirentia ſolemnitatem, & licentias, procedunt de erectione Eccleſiarum, & Monaſteriorum, non autem de amplificatione jam erectorum. *Excipitur*, ſi ratione amplificationis inferetur alicui præjudicium; hoc enim per proteſtationem in contrarium propelli poteſt. Franch. *loc. cit. num.* 413. Item, ſi Monaſterium eſſet inceptum ſine ſolemnitate, per Conſtitutiones ſæpiùs memoratas requiſita; nam tale Monaſterium ampliari non poſſet, niſi ſuperveniente dicta 42

dicta solemnitate, ut patet ex *Const. Urbani VIII. cit. Seu cœpta finire, & absolvere audeant.*

43 *Ad* 3. Donatus *cit. quæst.* 23. *num.* 1. putat interesse, an Monasterium sit totum destructum, an solùm ex parte; nam in primo casu, quòd novum sit ædificium, vult requiri solemnitates ad reædificandum; contrà negat illas riquiri in casu secundo propter oppositam rationem. Sed meliùs distinguunt alii cum Pasqualig. *ad Franch. l. cit. numer.* 400. qui censet videndum, an ex totali destructione Monasterii amiserint Religiosi sua Jura inhabitandi, ministrandi Sacramenta, & alias functiones exercendi: nam si amiserunt, non poterunt per reædificationem illa recuperare sine consensu Episcopi, & cæteris solemnitatibus; quia erunt de novo acquirenda. Si verò non amiserunt, poterunt sine solemnitatibus reædificare Monasterium suum; quia sicut retinent jus ad inhabitandum, ita etiam ad erigendum dirutum Monasterium.

44 Dub. 4. an exquirendus sit consensus aliorum Regularium, quando Religiosi inhabitaturi novum Monasterium, quòd aliunde ipsis de victu, & sustentatione provisum sufficienter sit, volunt cautionem præstare de non quærendis Eleemosynis? Negat cum aliis Donat. *tom.* 1. *prax. p.* 2. *tract.* 1. *quæst.* 27. *num.* 2. & pro se adducit 1. vulgatam Juris Regulam desumptam ex *cap. cessante* 60. *de Appellat.* quia cessante causa finali, cessat Legis dispositio, atqui causa finalis, ob quam consensus Regularium præexistentium requiritur, est, ne novi Monasterii erectio cedat præjudicium Monasteriis præexistentibus, qui finis in casu præsentis quæstionis cessat. ergo &c. 2. *Decretum Gregorii XV. cit.* ubi Pontifex erectionem novorum Monasteriorum prohibuit, nisi Religiosi præexistentes *tali erectioni consenserint, vel alias Ordinariis locorum constiterit, Religiosos Monasterii -- erigendi absque detrimento Religiosorum in Monasteriis -- erectis degentium congruè, & commodè manuteneri, & ali posse.* 3. *Decisionem Rotæ* 745. *p.* 2. *recent.* Quæ censuit potuisse Ordinatium Cæsaraugustanum concedere licentiam erigendi novum Collegium; quia ipsi constabat, collegialibus fore provisum de victu, & vestitu, & sic nullum præjudicium allaturos præexistentibus.

45 Sed quia præjudicium Regularium, in Monasteriis jam erectis existentium non tantùm situm est in quæstu Eleemosynatum, sed etiam in concursu, qui per erectionem Monasterii novi diminui posset, dilapsa ad illud à prioribus populi Ecclesias frequentantis parte, quo contingeret, ut etiam diminuerentur oblationes, & alia emolumenta ex hujusmodi concursu obvenientia: hinc ut Episcopus, non vocatis aliis Regularibus, novo Monasterio erigendo consensum præstare possit, non sufficit, istud instruendum reditibus sufficientibus, ut eleemosynarum quæstu non egeat; sed insuper religiosi de novo inducendi se obligare debebunt ad non exercenda ea ministeria, quæ concursum ab aliis Ecclesiis avertere possint, nec ad ea admittenda, quibus consueta emolumenta cæteris minuantur. Pasqualig. *ad Franch. loc. cit. num.* 487. Imò ut idem Author *loc. citat.* notat, neque tum præteriri, aut omitti regularium cæterorum convocatio potest; quia etsi eo casu assensum præbere debeant, cùm tamen per accidens sit, quòd detrimentum passuri non sint, propterea omitti nequit præscripta forma, ex communi regula, quòd forma non cesset obligare, licèt aliquando per accidens non sit necessaria. Plura de erectione novorum conventuum vide apud Franch. & Pasqualig. *loco citat.*

46 Quæritur 6. quid Jure communi decretum sit circa institutionem novorum Ordinum? Resp. de his tria maximè constituuntur præsenti Titulo. Nam 1. *capit. fin.* & *cap. un. in* 6. statuitur, ut deinceps Religiosi Ordines, qui antea, vel sine, vel cum tacita solùm Pontificis approbatione à solis Episcopis confirmabantur, sine expressa Pontificis approbatione non instituerentur. *Ratio* hoc decernendi multiplex fuit, nempe ut tolleretur confusio, quam Religionum nimia diversitas parit; ut evitarentur pericula errorum, & Hæresum, quæ sub prætextu Religionis, ut quondam Vvaldensium, & Fraticellorum, inferebantur; ut qui novæ Religioni se jungerent, tantò magis certi forent, se normam vivendi sequi talem, quæ ipsos ad Perfectionis Christianæ culmen perducat, cùm ut *Libr.* 1. *Tit.* 31. *numer.* 8. dixi, Pontifex in approbatione, & confirmatione Religionum sit infallibilis. Estque Professio in tali Religione, quæ Pontificiam approbationem non habet, ut ex textibus *citt.* patet, omnino invalida. Ratio clara est, quia professio emitti vera non potest, nisi in Religione vera. talis autem, quæ Summi Pontificis approbationem non habet, non est vera religio, ut constat ex iisdem textibus. ergo &c.

2 *Clem.* 1. *h. tit.* statuitur, mulieres illas, *Beguinas* dictas, quæ nulli obedientiam promittunt, nec propriis renuntiant, nec aliquam regulam approbatam profitentur, non esse verè religiosas: quarum statum proinde Pontifex ibidem prohibet, & sub Excommunicatione latæ sententiæ vetat, ne ulla eundem imposterum sectetur, vel recipiat: quam excommunicationem decernit incurrere etiam omnes Religiosos, qui ad hoc consilium, auxilium, aut favorem dederint.

3 *Extrav. un. Joan. XII. hic* damnatur Religio Fraticellorum, seu Fratrum de paupere vita, sive Beguinorum, qui se dicebant esse de tertio Ordine S. Francisci, & pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ fertur tam in eos, qui hunc modum vivendi assumpserint, quàm in Episcopos, aliosque prælatos, qui iisdem faverint.

47 Dub. 1. an sub prædicta prohibitione, & irritatione novarum religionum comprehendantur etiam Congregationes Virorum, vel mulierum, qui sub certa regula, ritu, & habitu in communi sine Sedis Apostolicæ licentia, seu approbatione devotionis, & pietatis causa vivunt, licèt tria Vota Substantialia religionis non ediderint? Resp. affirmativè. Ita Abb. *in cap.* 2. *num.* 11. *in fin. de for. compet.* Suar. *tom.* 3. *de Relig. l.* 2. *cap.* 16. *num.* 22. Pirh. *hic num.* 33. Schambog. *num.* 18. & constat 1. ex *cap. un. h. tit. in* 6. *pr.* ubi universim prohibetur, ne quis novum Ordinem, aut religionem adinveniat, sine Confirmatione Sedis Apostolicæ. atqui talis Congregatio, sub certo vivendi modo, regula, & habitu, licèt verè, ac propriè Status religiosus non sit, Ordo tamen propriè dici potest, quippe qui latiùs patet, quàm Religio. igitur sub prohibitionem prædictam cadit. 2. ex *Extrav. un. Joan. XXII.* ubi prohibitio *cap. fin.* & *cap. un. in* 6. refertur cum eadem extensione, & disjunctione novi Ordinis, aut religionis, & declaratur Beguinas contra Legem illius Concilii deliquisse. supponitur ergo ibi talem modum vivendi in communi sine approbatione Papæ *citt.* Constitutionibus esse prohibitum. 3. ex *Bulla Urbani VIII. anno* 1630. *edita*, in qua prohibuit, & abrogavit congregationem quarundam mulierum in commune viventium, quæ vulgò *Jesuitissæ* vocabantur, quia Institutum Societatis Jesu sine licentia, seu approbatione Sedis Apostolicæ æmulari præsumebant. 4. ex *ratione*; quia ex hujusmodi congregationibus, si sine authoritate Sedis Apostolicæ erigantur, non minor confusio, & periculum sequitur: conf. eadem procedit ratio, propter quam prohibitæ sunt novæ religiones sine approbatione Pontificis.

49 Dub. 2. an promissiones, & pacta, quæ personæ hujusmodi nullis Votis religiosis obstrictæ, sine Sedis Apostolicæ licentia simul in communi degentes, in ordine ad talem Congregationem erigendam, vel assumendam faciunt, valida sint? Resp. esse nulla, & irrita, ita, ut liberè resilire, & discedere possint. Pirh. *hic num.* 34. *Ex quo sequitur* irritum, & nullum esse Votum obedientiæ ab illis editum; imò & Castitatis, si factum sit animo servandi illam solùm in tali Congregatione, & dependenter ab illa; quia tale Votum includit conditionem turpem, sive illicitam, quippe editum cum relatione ad talem Congregationem, & dependenter ab illa, quæ jure prohibita, & irrita est. Suar. *cap.* 16. *cit. num.* 24. Pirh. *loc. citat.* *Sequitur ulterius*, ejusmodi personis consulendum quidem esse, ut vel Religionem approbatam ingrediantur, vel saltem in Sæculo Castitatem servent, si tamen hoc nolint, à Matrimonio contrahendo non prohiberi.

50 Dub. 3. an prohibita Constitutionibus *citt.* sit etiam vita solitaria, & non in communi degentium? Resp. non esse prohibitam. Adeoque possunt 1. viri vitam solitariam separatim, & privatim agere, edito etiam Voto Castitatis, & Obedientia promissa v. gr. Episcopo. Pirh. *hic num.* 35. Scambog. *num.* 18. *Ratio est*, quia ex privato modo vivendi separatim aliquarum personarum, etiamsi in exteriore habitu, & moribus sit varietas, non sequitur tamen confusio, vel periculum errandi, sicut ex modo vivendi in communi. 2. Possunt fœminæ, promissa Continentia, vel ea non promissa, seorsim, & in privatis ædibus, servato certo vivendi modo, ac ritu, Deo servire, & pœnitentiam agere, prout habetur *in Clem.* 1. *in fin.* ob rationem priorem. 3. Imò *Extrav. un. int. comm. hoc tit.* permissum fuit à Joanne XXII. ut mulieres honestæ, quæ non sunt culpabiles, nec suspectæ, in suis

vel

vel parentum, vel conductitiis ædibus simul habitent, sub habitu Beguinarum, obedientes locorum Ordinariis, & Parochis.

TITULUS XXXVII.

De Capellis Monachorum, & aliorum Religiosorum.

SUMMARIUM.

1 *Etymologia Nominis* Capella.
2 *Hujus diversa significatio.*
3 *Qua authoritate erigi Capella debeat?*
4 *Per quem sint peragenda Divina in Ecclesiis unitis alicui Monasterio?*
5 *De Jure recentiore distinguitur inter modos Unionis.*
6 7 8 *An Religiosus Ecclesiæ, extra Monasterium positæ, præfici solus sine Socio possit?*
9 *An Capellanus in Ecclesia plenissimo Jure unita subjectus sit Jurisdictioni Episcopi?*
10 11 12 13 *An in unita pleno Jure?*
14 *An in ea, quæ solùm unita est quoad temporalia?*
15 *An, & qualiter una Ecclesia Parochialis non Cathedralis possit sibi vindicare jus in alias Ecclesias in territorio sitas?*
16 *Respondetur negativè, nisi subjectionem probet.*
17 *Solvuntur Objectiones.*

NOn semper Monachi, vel Religiosi omnes habitant in Monasteriis, sed quidam ex illis sæpe Capellas, Parochias, Plebanias, & Prioratus obtinent, dependentes à Monasteriis, quæ domus Religiosorum principales sunt. Quid de his Juris, præsenti Titulo explicatur.

1 Quæritur 1. quæ sit Etymologia nominis *Capella*? Resp. non est eadem apud omnes; nam aliqui cum Archidiac. *in can. concedimus* 30. *dist.* 1. *de consec.* id deducunt à Verbo *Capio*, quòd populum ad Divina confluentem capiat. Alii cum Gloss. *in can. cit.* à Pellibus caprinis, quibus olim Altaria tegebantur. Nonnulli à Cappa D. Martini, quæ ejus caput, & corpus cooperiebat. Verisimilius Tholosan. *Synt. Jur. univ. l.* 15. *c.* 29. *n.* 1. Barbos. *in Rubr. h. tit. n.* 2. Vvagnereck *ibid. not.* 1. id deducunt à voce Gallica *Chapelle*, quæ tectum simplex significat, quo Oratoria campestria; lateribus undique patentibus, ut iis supposita Altaria omnibus essent conspicua, quondam tegebantur.

2 Quæritur 2. quæ sit nominis *Capellæ* significatio? Resp. diversam Jure, & usu moderno significationem habet, ut videre est apud Barbos. *l. cit. n.* 2. Vvagn. *not.* 1. Vall. *hic n.* 1. Pirh. *ibid. in princ.* Schamb. *n.* 1. Vviest. *n.* 2. Nam 1. significatur hoc nomine aliquando Altare in Æde Sacra extructum. 2. Non raro Oratorium, seu Sacra Ædicula à templo separata. 3. Interdum Oratorium intra Templum quidem positum, sed eidem Templo annexum, & adhærens. 4. Subinde locus Sacer in Templo, ferreis, aut ligneis cancellis clausus, & unum, vel plura Altaria continens. 5. Nonnunquam quælibet Ecclesia, etiam Parochialis, per se, & seorsim existens, modò non sit Collegiata.

3 Quæritur 3. qua authoritate erigi Capella debeat? Resp. quomodocumque ex relatis *n. præc.* modis Capella accipiatur, si Missæ in ea celebrentur, erigi sine Episcopi consensu nequit *can. nullus* 25. *dist.* 1. *de Consec.* Qui sine hujus permissione in Ecclesia consecrata novum Altare præsumpserit erigere, si Clericus sit, jubetur Gradu dejici, si Laicus, anathemati subjici, ut *can. cit.* Hormisda Papa decernit. *Ratio est*; quia talis capella, vel Altare est locus Religiosus, & Sacer. atqui locum Religiosum de Jure Canonico facere, vel ex loco Religioso profanum reddere nemo privatus potest, sed ad id opus est authoritate Ecclesiastica: in quo Jus Canonicum deviat à civili; nam civili Jure, ut locus aliquis Religiosus fieret, non opus erat authoritate Ecclesiastica, quippe talis fiebat per tumulationem hominis mortui in tali loco, ut constat ex *l. locum* 2. *ff. de Relig. & sumpt. funer.* Eodem Jure etiam non erat opus authoritate Ecclesiastica, ut locus aliquis Sacer, vel Religiosus talis esse cessaret; per hoc ipsum enim, quòd locus Sacer captus esset ab hostibus, aut hominis mortui ibi tumulati reliquiæ aliò deportatæ, locus Sacer, & Religiosus esse cessabat *l. cum loca* 36. & *l. cùm in diversis* 44. *ff. eod.*

4 Quæritur 4. per quem sint peragenda Missarum solemnia, & cætera Officia Divina in capellis, seu Ecclesiis Parochialibus ad Monasterium pertinentibus? Resp. olim tam in Ecclesiis hujusmodi unitis, quàm in Ecclesiis Monasteriorum propriis fieri hoc universim debebat per capellanum Sæcularem, de Monachorum consilio ab Episcopo institutum, prout constat ex *c. in Ecclesiis* 1. *h. tit.* & ratio est; quia eo tempore, quo constitutio *cit.* fuit condita, Monachi Laicis Sacramenta non ministrabant, sed ea à Sæcularibus clericis etiam ipsi, quia ad SS. Ordines promoveri non solebant, percipere consueverunt. Gonz. *in c.* 1. *h. tit. n.* 3. Nunc sublata causa defectus SS. Ordinum, in Ecclesiis propriis Monasteriorum suorum Sacramenta sibi, & Laicis ad illas confluentibus administrant per seipsos. Quoad Ecclesias Parochiales unitas autem modus Unionis considerari debet.

Potest enim Ecclesia Parochialis uniri Monasterio tripliciter. 1. Quoad temporalia tantum, ut redditus illius percipiat. 2. Etiam quoad Spiritualia, seu pleno Jure, ut etiam cura animarum translata sit in Monasterium. 3. Plenissimo Jure, ut in populum Ecclesiæ unitæ Jurisdictionem quasi Episcopalem exerceat Monasterium. *Si primo modo* unita sit, præficiendus ei est clericus, sive Sacerdos Sæcularis, ferè ad præsentationem Monasterii, cui Ecclesia talis unita est; quia tali casu Monasterium nihil Jurisdictionis, vel Juris Spiritualis acquirit in Populum unitæ Ecclesiæ. Laym. *in c.* 2. *de suppl. negl. Prælat. num* 7. Gonzal. *in c.* 1. *cit. num.* 4. Honor. *hic num.* 2. Vviest. *n.* 7. *Si secundo modo*, non prohibetur Prælatus Monasterii, qui tunc est Ecclesiæ unitæ Rector principalis, in eadem constituere Vicarium Regularem temporalem, nisi ibidem Episcopus constituat perpetuum Sæcularem; nam hoc ex Decreto Trid. *sess.* 7. *c.* 7. *de reform.* potest, nisi talis Ecclesia illa sit, ut per Vicarios Regulares hactenus administrari consueverit, prout excipit S. Pius V. *Inst.* incipit *Ad exequendum edita Calend. Nov.* 1557. *Si tertio modo* & plenissimo Jure sit unita, cùm per hujusmodi unionem Prælatus Monasterii in Ecclesiam sic unitam, & populum illius acquirat omnimodam Jurisdictionem, se in administrationem ejus immiscere amplius nequibit Episcopus, sed ipse Prælatus in illa ponet Vicarium Secularem, vel Regularem juxta tenorem fundationis, vel receptam consuetudinem. 5

Quæritur 5. an Religiosus capellæ, sive Ecclesiæ parochiali, extra Monasterium positæ, præficiendus exponi solus, & sine Ordinis Socio possit? Quæ difficultas pendet ex intellectu textus *cap. Monachi* 2. *de Stat. Monachi* ubi decernitur, ne singuli Monachi per villas, & oppida quibuscumque Parochialibus præficiantur Ecclesiis, & *c. quod Dei timorem* 5. *eod.* ubi inter Monachos, & canonicos regulares id discriminis constitui videtur, ut illi Socium necessariò habere debeant, isti autem solùm, cum commode habere potuerint. 6

Variæ hac in re Sententiæ Doctorum sunt. Nam 1. aliqui cum Ancharan. *in c. quod Dei c. n.* 9. Joann. Andr. *ibid. h. tit. n.* 17. & aliis apud Sanch. *l.* 6. *mor. cap.* 6. *num.* 39. distinguunt inter Ecclesias, an scil. Religiosus tanquam Vicarius temporalis constituatur in Ecclesia Parochiali pleno Jure unita, an in alia non sic unita jure perpetuo. Si primum, ajunt ei addendum Ordinis Socium; secus, si secundum contingat: & rationem pro hoc posteriore dant; quia cùm Abbati non subjiciatur, non est, cur iste ei Socium dare debeat.

2 Alii cum Host. *in Summ. tit. de Stat. Monach. n.* 7. & *in c. quod DEI cit. n.* 11. *vers. si commodè* cum aliis apud Sanch. *l. cit.* alia distinctione utuntur, & dicunt; quòd Socium habere debeant, quando commodè id fieri potest; secus, quando non potest commodè fieri, ut quia is nequit reperiri, aut Ecclesia, in qua ponendus est, non sufficit utrique alendo. Textum *c. quod Dei cit.* explicant, ut differentia inter Monachos, & Canonicos Regulares ibi afferta, sita in eo dumtaxat sit, quòd faciliùs concedatur cura Parochiæ Canonicis Regularibus, quàm Monachis, quòd isti ex Instituto sequantur vitam Contemplativam, illi ex suo profiteantur functiones Clericales: imò Ordo Præmonstratensium ex Instituto suo administrationem Parochiarum exercet, ut notat Vvagnereck. *in cap.* 1. *h. tit. not.* 1. 7

3. Alii, & verisimiliùs cum Gloss. *in cap. quod Dei citat. V. regimen*, Abb. *ibid. numer.* 9. Sanch. *num.* 39. *cit.* Vviest. *hic numer.* 12. putant differentiam faciendam inter Canonicos Regulares, & Monachos, & prioribus quidem adjungendum Socium ex Ordine tum solùm, quando fieri id commodè potest; secus, si ex poste- 8

poſterioribus aliquis Eccleſiæ Parochiali præficiatur, prout patet ex *cap. quod Dei citat.* ubi Pontifex diſcrimen facit inter Canonicos Regulares, & Monachos, & de Canonico quidem, ſi is exerceat Plebani officium, ſtatuit, ut ſi commodè fieri poterit, *unum Canonicum Regularem ſecum habeat;* de Monachis verò eandem Exceptionem non format, conſ. juxta Regulam, quòd incluſio unius ſit excluſio alterius, eos relinquit ſub Jure antiquiori *cap. Monachi citat.* ubi non unus, ſed plures Monacho expoſito dicuntur jungendi: quæ Conſtitutio poſtea eſt confirmata ab Honorio III. *cap. ex parte* 3. & *cap. fin. hoc tit.* & à *S.* Pio V. *Conſt. edita* 15. *Novembr.* 1567. ubi requirit, ut cum Vicario Regulari ad nutum amovibili alii ſaltem quatuor Monachi habitent. Verùm hæc Jura poſtea immutata fuere, dum à Gregorio XIII. decretum, & à Sacr. Congreg. declaratum eſt unum ſufficere, prout refert Garc. *de Benef. part.* 11. *cap.* 2. *numer.* 13. Quarant. *Summ. Bullar. V. Vicarius perpetuus prope fin.* Tambur. *de Jure Abbat. tom.* 3. *D.* 9. *quæſt.* 18. *num.* 3. Engel. *hic num.* 5. Pirh. *num.* 12. *fin.* Schamb. *numer.* 9. Vvieſt. *num.* 12. *fin.*

9 Quæritur 6. an, & in quibus Capellanus, ſive Vicarius Sæcularis, vel Regularis, qui in Capella, ſeu Parochia Monaſterio unita eſt conſtitutus, ſubjectus ſit Juriſdictioni Epiſcopi? Reſpond. diſtinguendo ſecundùm gradus unionis diverſos, quos *numer.* 5. retuli. Nam 1. ſi Parochia Monaſterio ſit unita, ſeu incorporata Jure pleniſſimo, ſeu quoad omnia, ita ut etiam populus ab Epiſcopi Juriſdictione exemptus, & Prælato Monaſterii ſubjectus ſit, tunc Epiſcopus Diœceſanus nihil Juris habeat in tali loco, ſed tota Juriſdictio ad Abbatem, ſeu Prælatum pertinet, quippe qui ibi loco Epiſcopi, ſeu Ordinarii eſt, & omnem Juriſdictionem quaſi Epiſcopalem exercet. Innoc. *in cap.* 1. *hoc tit.* Roderiq. *tom.* 1. *Regul. quæſt.* 36. *art.* 4. Layman. *de Prælat. Eccl. Elect. quæſt.* 208. *reſp.* 1. Paſſerin. *in cap. un. hoc tit. in* 6. *numer.* 2. Honor. *hic num.* 9. Engel. *numer.* 6. Pirh. *num.* 4. Schamb. *numer.* 3. Vvieſt. *num.* 10.

10 2. Si Eccleſia talis ſit unita Monaſterio pleno duntaxat jure, h. e. quoad Spiritualia, & temporalia quidem, ſed ita, ut populus Epiſcopo Diœceſano ſubjectus maneat, refert, an ponatur ibi Vicarius perpetuus, & intitulatus, an verò temporalis, & ad nutum amovibilis. *Si primum*, præſentatio quidem illius ad Monaſterium ſpectat, examinatio autem perſonæ, approbatio, inſtitutio, correctio, & viſitatio, conſ. etiam deſtitutio, ſive depoſitio ad Epiſcopum loci pertinet, ut *loc. citat.* monent Paſſerin. Scamb. Engl. *numer.* 5. & ſtatuitur *cap. in Eccleſiis* 1. *hoc tit.* & *cap. un. in* 6. *eod.* Ratio eſt, quia talis Parochia quoad curam animarum, ſeu plebis manet Sæcularis, & ſubjecta Epiſcopo.

11 *Si ſecundum*, intereſt, an ibi ponatur Vicarius temporaneus Sæcularis, an Regularis. *Si ſecularis*, tota Juriſdictio in talem Clericum, ut dictum eſt de Perpetuo, in Spiritualibus Epiſcopo competit ob rationem allatam, cum hoc tamen diſcrimine, quòd inſtitutio, & deſtitutio illius, quia titulum nullum confert, eo caſu fieri à Prælato debeat. *Si verò ſit Vicarius Regularis*, jus viſitandi, corrigendi, puniendi, cumulativè cum Epiſcopo habet Abbas talis Vicarii Regularis.

12 *Proceditque hoc*, etſi Monaſterium, à quo talis Vicarius eſt expoſitus, ſit exemptum ab Epiſcopo; nihilominus enim hujuſmodi Vicarius reſpectivè, videlicet in iis rebus, quæ ad curam Parochialem ſpectant, ſubeſt Epiſcopo: conſ. ab iſto viſitari, corrigi, & puniri poteſt, ſi in officio ſuo deliquerit. Laym. *quæſt.* 208. *citat. reſp.* 2. Barboſ. *in cap.* 1. *hoc tit. numer.* 5. Vvagn. *ibid. not.* 2. Honor. *num.* 10. *hic* Pirh. *numer.* 5. Schambog. *num.* 2. & conſtat ex *Bulla Leonis X. in Concil. Later. edita*, quæ habetur apud Quarant. *Summ. Bullar. V. privilegia Regularium fol.* 509. item ex Trident. *ſeſſ.* 25. *cap.* 11. *de Regul.* juncta *Declar. Congreg. Concil.* apud Joan. Gallemart. *ibid. numer.* 3. & demum ex *Bulla Gregorii XV.* incipit: *Immutabili ante medium edita* 1622.

13 Triplex tamen eſt facienda exceptio, in qua Epiſcopus Eccleſiam Parochialem ſic unitam Monaſterio viſitare non poteſt, licèt populus ipſi ſubjectus maneat. Et 1. quidem excipitur Monaſterium Cluniacenſe cum ſuis limitibus, quam exceptionem facit ipſum Trid. *loc. cit.* 2. Parochia, quæ ſita eſt in loco, ubi Abbates Generales, aut Capita Ordinum ſedem Ordinariam principalem habent. Trid. *loc. cit.* 3. Eccleſiæ, & Domus Conventuales, Prioratus, ſeu Reſidentiæ Ordinis Exempti, ſi collegialiter ſub Priore ibi habitent Religioſi, Laym. *l. citt.*

3. Si demum Eccleſia ſolùm unita ſit Monaſterio quoad temporalia, pro eis quidem, quatenus ad Monaſterium pertinent, Clericus in ea conſtitutus ſubjectionem debitam exhibebit Abbati, quoad curam verò populi, & animarum rationem reddet Epiſcopo, cui quoad hanc, & perſonam ſuam ſubjacebit ex integro: & ratio eſt, quia per talem unionem Monaſterium nullum jus Spirituale, excepto fortè Patronatus, in Capellam acquirit, cùm jus ejuſdem ſit tantùm conſtitutum in fructibus. Engel. *num.* 4. Quòd ſi pars tantùm Decimarum fuerit ex certa Parochia Monaſterio data ſine jure inſtituendi etiam vel præſentandi, tunc potiùs diſmembratio Beneficii, quàm unio cenſebitur, neque Prælato circa Parochialia quidquam Juris competet. Garc. *de benef. part.* 1. 2. *cap.* 2. *numer.* 4. 1

Quæritur 7. an, & qualiter una Eccleſia Parochialis non Cathedralis poſſit ſibi vindicare jus in alias Eccleſias intra territorium ſitas? Gloſſ. *in cap. dilectus* 2. *hoc tit.* & Vvagnereck. *ibid. in Exgreſ.* putant Rectorem; ſeu, Parochum ſuper Eccleſiarum intra fines Parochiæ ſuæ ſitarum ſubjectione habere intentionem fundatam in Jure, ita, ut ſi Eccleſia aliqua, intra fines alterius Eccleſiæ Parochialis ſita, ſe ab hac exemptam dicat, id ipſi probandum ſit. *Fundantur* 1. textu *cap. dilectus cit.* ubi in terminis dicitur ejuſmodi Eccleſiam Jure communi ſubjectam eſſe Parochiæ, in qua ſita eſt. 2. *arg. cap. conſtitutus* 6. & *cap. cùm venerabilis* 7. *de Religioſ. Domib.* ubi ſtatuitur, ut Eccleſiæ, quæ intra alicujus Diœceſis fines ſunt conſtitutæ, iſtius Epiſcopo ſubjiciantur. 3. *cap. his, quæ* 11. *de major. & obed.* ubi Eccleſia Cathedrali inferior, agens pro ſubjectione Capellarum, ſitarum intra ſuos fines, ſententiam pro ſe obtinuit. 4. *Ratione.* quia fideles, qui hujuſmodi Capellas, & alias Eccleſias Parochialibus inferiores frequentant, ad has debent recurrere pro Baptiſmo, ſi Fonte Baptiſmali careant, & pro cæteris Sacramentis. igitur iſtis ſubjecti ſunt, & conſ. etiam Capellæ, quas frequentant.

Sed his non obſtantibus, dicendum, Parochos, & horum Eccleſias non habere intentionem fundatam in Jure ſuper ſubjectione ejuſmodi Capellarum, & aliarum Eccleſiarum. Ita Innoc. *in cap. dilectus c. num.* 4. Abb. *ibid. num.* 11. Barboſ. *num.* 1. Pirh. *hic num.* 7. *not.* 2. Vvieſt. *num.* 14. Sumitur ex *cap. dilectus cit.* ubi Syndicus Parochiæ *S.* Cæciliæ, ſuper ſubjectione Eccleſiæ intra fines illius ſitæ agens, non plus obtinuit, quàm probavit, ſcilicet quoad ſcrutinium, & Baptiſmum, de quo ex confeſſione partis adverſæ conſtabat. *Conſ.* ex *cap. fin. de Offic. Archidiac.* ubi iſte prætendebat ſubjectionem Eccleſiæ intra fines Archidiaconatus ſui ſitæ, ſed quòd in probatione ſubjectionis defecerit, ſuccubuit. Ex quo utroque textu hoc ducitur Argumentum: Qui fundatam in jure intentionem ſuper re, vel jure aliquo habet, relevatur à probandi onere, & illud rejicit in Adverſarium. atqui nec Parochus, nec Archidiaconus in textibus *citt.* ab onere hoc relevabantur, ſed probatio ſubjectionis ipſis injuncta eſt, & ideo cùm in hoc deficerent, ſuccubuerunt. ergo nec Parocho, nec Archidiacono aſſiſtit jus circa ſubjectionem Eccleſiarum ſitarum intra fines Parochiæ, vel Archidiaconatus. Hinc, ut bene monet P. Vvieſt. *hic num.* 15. cavendum Parochis, ne, cùm poſſeſſionis auxilio deſtituuntur, ſuper Eccleſiarum intra ſuos limites ſitarum ſubjectione litem facilè moveant, niſi illam valeant probare v. g. quòd ex Parochiæ redditibus erecta, vel aliàs ei ſubjecta fuerit in fundatione, vel in eam jus poſtea privilegio, præſcriptione, vel alio titulo ſibi quæſitum ſit.

Neque contrarium probant Argumenta allata *num.* 15. *Ad* 1. patet ex dictis *cap. cit.* textum, & ſententiam ibi latam potiùs favere nobis. *Ad* 2. textus illi loquuntur de Epiſcopo, & Eccleſia Cathedrali, quæ, ut *tit. præced. num.* 5. dictum eſt, fundatam habet intentionem ſuper ſubjectione Eccleſiarum intra fines Diœceſis ſuæ ſitarum. Aliud eſt de Eccleſia Parochiali, Cathedrali inferiore; nam de hac nuſpiam Jure expreſſum eſt aliquid, ex quo ſubjectio cæterarum Eccleſiarum, intra fines ejus ſitarum, probetur. *Ad* 3. Argumentum ab Eccleſia Cathedrali ad Parochialem quoad hoc duci non poteſt; conſtat enim, quòd Parochiæ minorem poteſtatem reſpectu locorum ſacrorum intra fines ſuos ſitorum habeant, quàm Epiſcopus, cùm huic Jure communi ſubjiciantur Monaſteria, & Hoſpitalia, intra fines Diœceſis Eccleſiaſtica authoritate erecta, quæ Parocho, intra cujus fines *illa* exi-

existunt, non subjiciuntur. *Ad* 4. imprimis pro Baptismo, & aliis Sacramentis recurrere debent etiam ii, qui frequentant Ecclesias exemptas: deinde esto, populus has Ecclesias frequentans teneatur pro Sacramentis accipiendis recurrere ad Ecclesiam Parochialem, non tamen tenentur ad illas pro his recurrere illarum Presbyteri.

Denique etsi Clericus Ecclesiæ plenissimo Jure exemptæ pro Chrismate, & susceptione Ordinum recurrere teneatur ad viciniorem Episcopum, non tamen ex eo sequitur, quòd talis Ecclesia huic subjecta sit, ergo nec sequetur similis subjectio in nostro casu.

TITULUS XXXVIII.

De Jure Patronatus.

ECclesiæ, & Capellæ, de quibus *Tit. præced.* sæpe non liberè, sed ad alterius nominationem, & præsentationem conferuntur: quod quia effectus, & præcipuus quidem Juris Patronatus est, ideo meritò *de Jure Patronatus* subjungitur.

§. I.

De Naturâ, & Varietate Juris Patronatus.

SUMMARIUM.

1 *Quid sit Jus Patronatus?*
2 *An sit Jus Spirituale? Fundamenta sententiæ negantis.*
3 *Fundamenta sententiæ affirmantis.*
4 *Deciditur esse Spirituali annexum.*
5 *Solvuntur Argumenta contraria.*
6 *Aliud est Jus Patronatus Ecclesiasticum.*
7 *Hujus Species.*
8 *Aliud Laicale.*
9 *Regula, quale sit censendum in dubio.*
10 *Aliud Mixtum.*
11 *Quod tamen quoad effectum censendum est Laicale.*
12 *Secundò Jus Patronatus dividitur in Hæreditarium, & Familiare.*
13 *In dubio præsumitur magis esse Hæreditarium.*
14 *Exceptio.*
15 *Tertiò in Personale; & Reale.*
16 *Quartò in Passivum, & Activum.*
17 *Quæ sit differentia inter Jus Patronatus Ecclesiasticum, & Laicale?*
18 19 20 21 *Cujus juris Patronatus, Ecclesiastici, an Sæcularis, sit Beneficium, quod fundatum est à Clerico ex redditibus, Ecclesiæ intuitu acquisitis?*
22 23 *An casu, quo Jus Patronatus Ecclesiasticum transfertur in Laicos, perseveret esse Ecclesiasticum?*
24 25 *An Ecclesiastici, vel Laicalis Juris Patronatus sit Ecclesia, Capella, vel aliud Beneficium, ad quod Princeps, vel Magistratus Sæcularis Clericum nominat, qui deinde ab Ecclesia, vel Monasterio Episcopo est præsentandus?*
26 27 *Quale sit, quod competit Laico cum consilio, vel consensu Clerici, aut vicissim?*
28 29 *Item quod competit Clerico & Laico simul?*

1 QUæritur 1. quid sit *Jus Patronatus*? Respond. nomen hoc multipliciter in Jure accipitur, ut Abbas *in Rubr. hoc titul.* cum aliis notat; nam 1. Jus Patronatus aliquando idem est, quod *Jus Advocatitiæ*: & in hoc sensu *Patronatus* idem sonat, quod *Advocatus*, qui Causarum forensium suscipit patrocinium. Ita accipitur *l. rem* 14. §. *patroni* 1. *Cod. de Judic.*

2 Pro eo Jure, quod competit dominis in Libertos, sive Servos à se manumissos: de quo Patronatu *can. liberti* 61. *caus.* 12. *quæst.* 2. *& tot. Tit. ff. de Jur. Patronat. C. de bon. Libertor.*

3 Et prout huc pertinet, pro Jure, seu potestate, à SS. Canonibus concessa, præsentandi aliquem ad Ecclesiam, vel Ecclesiasticum Beneficium: quo modo sumptum definitur communiter, quòd sit *Jus, sive potestas nominandi, vel præsentandi Clericum instituendum ad Ecclesiam, vel Beneficium vacans*: Vel ut aliis placet, quòd sit *Jus honorificum, onerosum, & utile competens alicui in Ecclesia, quam de Ordinarii consensu fundavit, construxit, aut dotavit ipse, vel is, à quo causam accepit.* Ita Abb. *in rubr. hoc tit. numer.* 3. Roch. de Curt. *de jur. patronat. princ. num.* 4. Laym. *l.* 4. *tract.* 2. *cap.* 13. *pr.* Pal. *tract.* 13. *D.* 2. *p.* 2. *numer.* 1. Vivian. *prax. jurisp. p.* 1. *l.* 1. *cap.* 2. *numer.* 2. Barbos. *l.* 3. *jur. Eccl. cap.* 12. *numer.* 12. Pirh. *hic numer.* 2. *fin.* Wiest. *numer.* 3. Utraque definitio declarabitur *in seqq.*

Quæritur 2. quale Jus sit jus Patronatus, temporale, an Spirituale? Magna circa hoc est apud DD. contentio; nam 1. videtur esse jus merè temporale; quia non apparet, unde Spiritualitatem suam accipiat: non enim eam accipit à *causa*, videlicet fundatione, dotatione, erectione, ex qua oritur; quia hæc nihil sunt Spirituale: non à præcedentia in Processionibus, pensione in fundatione reservata, & Jure alimentorum præstandorum Patrono ad paupertatem redacto, qui sunt quasi *effectus juris Patronatus*; quia neque ista Spiritualitatem aliquam habent: non denique à *jure præsentandi* ad vacantem Ecclesiam Clericum idoneum, & obligatione hanc defendendi, & reparandi; quia cùm jura hæc cadant etiam in Laicum, juris autem Ecclesiastici Laicus non sit capax, iterum non apparet, quomodo ratione istorum jurium jus patronatus dici possit jus Spirituale. 2

Contrà merè Spirituale esse supponere videtur Gloss. *in can. præterea* 9. *V. Simoniaca de transact.* ubi quòd super jure præsentandi Transactio fieri nequeat, rationem dat, cùm non liceat transigere de re Spirituali interventu pecuniæ. Et videtur hoc etiam probari ex ratione; quia tam principium illius, ex quo oritur, Spirituale est, quàm etiam actus, objectum, & terminus, ad quem ordinatur: *Principium* enim, ex quo oritur, est Spiritualis, & Ecclesiastica potestas, qua per SS. Canones jus istud inductum est, ut alii inducantur, & alliciantur ad fundandas, & dotandas Ecclesias; *actus*, ad quem tendit, est præsentatio, per quam præsentatus fit proximè capax Institutionis in Beneficio Ecclesiastico: *Objectum*, & *Terminus* est ipsum Beneficium, ad quod præsentatus beneficio Præsentationis Jus acquirit, ita, ut si idoneus sit, necessariò instituì debeat. *Conf.* 1. à paritate cum electione, Confirmatione, & Institutione ad Beneficium, quæ actus merè Spirituales sunt. igitur talis etiam Præsentatio, & conf. Jus Patronatus, cujus illa effectus est, erit. *Conf.* 2. præsentatio est saltem aliquid præparatorium ad finem, & rem Spiritualem. ergo & ipsa Spiritualis erit. 3

Tenenda est tertia Sententia inter utramque priorem media, quam etiam defendunt S. Thom. 2. 2. *qu.* 100. *art.* 4. Gloss. *in cap. quanto* 3. *V. connexa de Judic.* Abb. *ibid. num.* 6. Axor. *p.* 2. *l.* 6. *cap.* 19. *quæst.* 2. Lotter. *de re Benef. l.* 2. *cap.* 9. Garc. *de Benef. p.* 5. *cap.* 9. *num.* 9. Vivian. *prax. Jur. patron. p.* 1. *l.* 1. *cap.* 2. *num.* 4. Pal. *tract.* 13. *D.* 2. *p.* 2. *num.* 1. Barbos. *in cap. quanto cit. num.* 5. Pirh. *hic num.* 5. Wiest. *num.* 21. & alii plerique Canonistæ, juxta quos Jus istud neque est merè temporale, neque omnino Spirituale, sed Spirituali annexum. Sumitur ex *cap. quanto cit.* & *cap. de Jure* 16. *h. tit.* ubi dicitur Jus Patronatus esse *Spirituali annexum*; quia scilicet, tanquam præambulum quoddam, ordinatur ad Jus Spirituale obtinendum, videlicet ad Institutionem in Beneficio, quam Præsentatio antecedere debet. *Conf.* nam ob similem connexionem rebus Spiritualibus accensentur Calices, Patenæ, & alia ejusmodi Paramenta, quæ tanquam præparatoria ad Divina Mysteria ordinantur *can. vestimenta* 42. *can. vasa* 44. *&c. de Consecr. dist.* 1. 4

Ex quo sequitur ad Argumentum primæ Sententiæ. Nec plus, quàm quod concessimus, probat ratio allata pro secunda. *Ad* 1. *Conf. Neg. Conf.* nam per Electionem acceptatam acquiritur jus ad rem in Beneficio; per Confirmationem, & Institutionem jus in re; per Præsentationem verò neutrum jus perfectè acquiritur, sed inchoativè tantùm, quatenus præsentatus, si idoneus sit, instituì debet ab Ordinario. Patet hoc ex eo; quia Patronatus Laicus, etiam post Præsentationem factam, antequam acceptata illa sit ab Ordinario, resilire, & alium præsentare potest *cap. cùm autem* 24. *h. tit.* quod fieri non posset, si præsentatus acquisivisset Jus propriè dictum. *Ad Conf.* 2. non omnis præparatio, seu dispositio ad finem, seu rem Spiritualem est simpliciter, & merè Spiritualis, nisi sit proxima. talis autem non est præsentatio; quia remotè solùm, & inchoativè ad Jus Spirituale ordinatur. 5

Quæritur 3. quotuplex sit Jus Patronatus? Respond. quatuor præcipuè hujus divisiones invenio. *Primò*, & *principaliter* dividitur in Ecclesiasticum, Laicale, & Mixtum. 6

Eccle-

Ecclesiasticum est, quod Collegio Ecclesiastico, aut personæ Ecclesiasticæ ratione Ecclesiæ, aut Dignitatis, seu Beneficii Ecclesiastici, quod habet, competit. Ita Garc. *p.* 5. *de Benef. cap.* 1. *num.* 553. Less. *l.* 2. *de J. & J. cap.* 34. *num.* 18. Laym. *l.* 4. *tract.* 2. *cap.* 13. *num.* 4. Vivian. *prax. Jur. Patr. p.* 1. *l.* 1. *cap.* 2. *num.* 9. Barbos. *de Offic. Episc. Alleg.* 72. *num.* 128. Vallens. *hic* §. 2. *n.* 1. Zoes. *num.* 3. Engl. *num.* 9. Schamb. *num.* 3. Konig. *numer.* 4. *Proceditque hoc*, etsi originem habuerit ex patrimonio Laici, quod hic Ecclesiam, vel Beneficium ex bonis suis patrimonialibus fundaverit, aut dotaverit; nam si hoc deinde donatione, testamento, aut alio quovis modo in Collegium, vel personam Ecclesiasticam transferatur, eique competat ratione Ecclesiæ, Dignitatis, vel Beneficii, Jus Patronatus Ecclesiasticum fiet, ut cum *citt.* Roch. de Curte *de Jur. Patron. V. jus quæst.* 7. *num.* 14. quia mutata conditione personæ, etiam bonorum conditio mutata videtur. Valasc. *de Jur. Emphyt. quæst.* 17. *num.* 15. *col.* 2. & quando res non privilegiata pervenit ad privilegiatum, amittit naturam antiquam, & efficitur res privilegiata. Tiraquell. *de Jur. Primog. in præfat. num.* 133.

7 Hinc Ecclesiastici Juris censentur 1. quæ competunt Episcopo, vel Abbati ratione dominii temporalis, ad Ecclesiam, vel Monasterium pertinentis. Garc. *p.* 5. *de Benef. cap.* 1. *num.* 555. Barbos. *l.* 3. *Jur. Eccl. cap.* 12. *num.* 8. Konig. *hic num.* 4. Vviest. *ibid. num.* 4. 2. Quæ competunt Laicis utriusque sexus Religiosè viventibus, & habitum Religiosorum deferentibus. Mascard. *de probat. concl.* 961. *num.* 2. Garc. *loc. cit. num.* 556. Barbos. *num.* 7. Imò etiam non est necessarium, ut Religiosè vivant; nam etiam illud Jus Patronatus, quod competit Collegiis Nobilium Virginum, sub Abbatissa viventium, quas vulgò *Canonissas* vocant, ut sunt in Germania nostra duo Ratisbonensia, Augustanum ad S. Stephanum, Lindaviense, Edlstettense &c. pro Ecclesiastico haberi debet, P. Vviestner *hic numer.* 4. *cit.* quia Collegia Ecclesiastica sunt, & quæ in iis degunt, Virgines privilegio Canonis, & fori gaudent. 3. Quæ competunt Magistris, & Equitibus S. Joannis Jerosolymitani, S. Mariæ Teutonicorum &c. ratione suorum Magistratuum, & Commendarum; quia hi Equites verè Religiosi sunt Mascard. *loc. citat. numer.* 4. quod alii cum *eod.* Mascardo, Garc. *numer.* 556. Vivian. *in cap.* 3. *num.* 5. Barbos. *num.* 8. extendunt etiam ad Equites S. Jacobi, Calatravæ, Alcantaræ, & similes, etiam conjugatos, & ita à *S. Congr.* decisum refert Garc. *p.* 9. *de Benef. cap.* 2. *num.* 263. 4. Quæ competunt Præfectis fabricæ, aut Oeconomis Ecclesiarum, etiam Laicis, modò ab Episcopo deputati, vel approbati sint, ut contra Felin. *tract. quand. Litter. Apostol. limit.* 4. tenent Hieron. Paul. *in practic. Cancell. vers. in causa mea Majoric.* Lambertin. *p.* 1. *l.* 1. *quæst.* 1. *art.* 10. *num.* 6. Garc. *de Benef. p.* 5. *cap.* 1. *numer.* 599. quia jus istud Patronatus cis competit ratione officii, & administrationis bonorum Ecclesiæ, & sic non ex eorum personis, sed ex ipsa Ecclesia provenit. 5. Quæ obtinent Rectores Hospitalium authoritate Episcopi erectorum; quia talia Hospitalia sunt loca pia, & Religiosa, & gaudent privilegiis Ecclesiarum: ac propterea sicut Ecclesiæ, ita etiam ipsa confugis Asylum, & Immunitatem præbent. Garc. *numer.* 600. & 601. qui *numer.* 602. hoc etiam extendit ad Hospitalia cætera, licèt authoritate Episcopi non sint erecta, vel approbata; quòd licèt loca Religiosa non sint, sint tamen Pia, & propterea & ipsa privilegiis Ecclesiæ gaudeant. 6. Quæ habent Confraternitates Laicorum, si istæ certæ alicui Ecclesiæ annexæ sint: item quæ possidentur ab aliis Laicorum Collegiis, si ratione alicujus rei, quæ esset Ecclesiastica, vel locus pius, ut quia eisdem commissa est cura Hospitalis, aut fabricæ Ecclesiæ, possideantur; quia ratione talis curæ Judici Ecclesiastico subsunt. Garc. *numer.* 600. *cit.*

8 *Laicale*, seu *Sæculare* Jus Patronatus est, quod Universitati, aut Collegio non Sacro, vel personæ privatæ, sive Laico, sive Clerico, non ratione Ecclesiæ, vel Ecclesiastici Beneficii, sed ratione proprii Patrimonii competit, vel quia ex hoc Ecclesiam, aut Beneficium fundavit, construxit, dotavit, aut quia ejusmodi fundatoribus successit. Gloss. in Clem. *plures* 2. *V. præsentare hoc tit.* Covar. *cap.* 36. *num.* 2. *fin.* Less. *l.* 2. *de J. & J. cap.* 34. *num.* 19. Layman *l.* 4. *tract.* 2. *cap.* 13. *num.* 4. Vivian. *prax. Jur. Patr. p.* 1. *l.* 1. *cap.* 3. *numer.* 11. Vallens. §. 2. *hic num.* 2. Zoes. *num.* 3. Pirh. *numer.* 3. Schamb. *num.* 3. Vviest. *num.* 5. Hinc ut sciatur, an Jus Patronatus, quod alicui competit, sit Ecclesiasticum, vel Sæculare, non persona, cui competit, sed titulus, ex quo, & ratione cujus id competit, considerari debet; nam ut vidimus, Ecclesiasticum competere etiam Laicis potest, si competat ratione Ecclesiæ, vel alterius loci pii, & Religiosi: & contrà competere Clericis potest etiam Jus Patronatus Laicale, si id competat ratione Patrimonii.

In dubio, an ratione Patrimonii, vel Ecclesiæ, aut Beneficii competat, attendi solet, an deferatur jure successionis hæreditariæ; nam si ita deferatur, præsumitur esse Laicale. Vall. *loc. cit. Ratio est*; quia Jura Ecclesiastica Jure successionis hæreditariæ non deferuntur, nec dantur *can. Moysess.* 6. *caus.* 8. *quæst.* 1. *cap. ut nullus* 1. *de Præbend.* & *cap. ad decorem* 5. *de Instit.* Imò licèt personæ, quæ Jus Patronatus obtinet, qualitas, ut *num. præced.* dixi, non statim probet qualitatem Juris Patronatus, in casu tamen, quo nec verè, nec præsumptivè constat, ex quibus bonis illud originem trahat, tale præsumitur, qualis est persona illud obtinens; & hinc si Laici reperiantur in quasi possessione juris præsentandi, præsumitur istud esse Jus patronatus Laicale, ut notat Vivian. *cap.* 3. *cit. num.* 12. & hoc teste fuit resolutum *in Valentina Beneficii* 15. *Dec.* 1597. 9

Mixtum Jus patronatus illud dicitur, quod partim ratione Ecclesiæ, partim ratione patrimonii competit: quod duplici modo fieri potest. 1. Quando diversis competit, nempe simul Clerico ratione Ecclesiæ, vel Beneficii, & simul Laico ratione dotationis, fundationis, erectionis, vel privilegii. 2. Quando competit eidem personæ ex duplici titulo, quia hujusmodi Beneficium Clericus fundavit partim ex reditibus Beneficialibus, partim ex patrimonialibus, ita, ut titulus secundus ad hæredes Clerici patroni transire possit. 10

Quale autem hoc jus patronatus mixtum quoad effectus, & jura censeri debeat, dubium moveri potest; nam Ecclesiasticum esse censendum videtur sumi ex generali principio, quòd magis dignum ad se trahat minùs dignum; conf. patronatus Ecclesiasticus Sæcularem. Sed communis doctrina est, quòd jus patronatus mixtum quoad eos saltem effectus, qui præjudiciales Laico patrono sunt, sequatur naturam juris patronatus merè Laicalis. Et hinc in iis casibus, in quibus Beneficia juris patronatus Ecclesiastici sunt reservata, non censebuntur reservata, quæ subsunt juri patronatus mixti, ut cum aliis à se *citt.* docet Barbos. *l.* 3. *Jur. Eccl. cap.* 12. *num.* 18. 11

II. Dividitur Jus Patronatus in Hæreditarium, & Familiare. *Hæreditarium* est quod ad hæredes quoscunque etiam extraneos transit; *Familiare*, seu *Gentilitium*, quod ad eos duntaxat transit, qui sunt de familia Fundatoris, vel alterius personæ ab eo nominatæ, sive ad illius, vel istius cognatos, aut agnatos solos. Lotter. 2. *l. de benef. qu.* 11. *num.* 13. & 19. Barbos. *l.* 3. *Jur. Eccl. cap.* 12. *num.* 20. & *duob. seqq.* Engl. *hic num.* 15. Konig. *num.* 7. Vviest. *num.* 17. Addi potest species tertia, nempe jus patronatus ex hæreditario, & familiari mixtum, quod tum datur teste Lotter. *l. cit. num.* 41. quando ex voluntate fundatoris in illo solùm succedunt, qui de familia simul, & hæredes sunt, ita, ut ad id nec admittantur, qui sunt de familia, nisi simul hæredes sint, nec extranei, etsi hæredes sint. 12

Ex quo sequitur, rem totam ex prima constitutione juris patronatus pendere; est enim in potestate fundatoris, an velit omnino remittere jus patronatus, vel illud sibi tantùm, aut familiæ suæ, vel aliis etiam hæredibus reservare. Engl. *num.* 15. *cit.* In dubio præsumendum est potiùs esse Hæreditarium, quàm Gentilitium, prout Innoc. *in rubr. hoc tit. num.* 4. Abb. *in c. cùm sæculum* 13. *num.* 5. Ancharan. *in Clem. plures cit. num.* 2. Lotter. *loc. cit. à num.* 19. Barbos. *num.* 23. Honor. *num.* 69. *hic*, Engl. *num.* 15. Konig. *num.* 7. & 16. Vviest. *num.* 18. notant, & teste Barbos. *loc. cit.* dictum est *in Asculana Jurispatron.* 24. *Febr.* 1616. *coram Card. Verospio. Ratio est*, quia in dubio præsumitur id, quod frequentiùs contingit *arg. cap. ex parte* 18. *de Censib.* frequentiùs autem, & ordinariè jus patronatus Hæreditarium potiùs, quàm Gentilitium est, ergo &c. 13

Excipitur, si in præsentationibus semper familiæ, aut descendentiæ, nunquam verò Hæreditariæ qualitatis mentio facta sit: Item quando per spatium 100. annorum nullus extraneus, sed semper descendentes præsentarunt; tunc enim præsumptio allata cessat, & jus patronatus Gentilitium esse præsumi debet, ut *Rotæ Decisione* allegata, observat Barbos. *num.* 23. *cit.* Engl. *n.* 15. Konig. *n.* 7. Vviest. *n.* 18. Et quando dubitatur, an sit Gentilitium, leviores sufficiunt probationes, cùm agitur non de illius substantia, sed de pertinentia. Rota *p.* 1. *recent. decis.* 675. *num.* 3. *in fin.* apud Barbos. *l. cit.* 14

III. Di-

III. Dividitur Jus Patronatus in Perfonale, & Reale, five, ut etiam vocant, Principale, & Acceſſorium. Engl. *n.* 17. Konig. *n.* 8. Vvieſtner *n.* 19. *Perſonale*, five *Principale* dicunr, quod Patrono competit independenter à re aliqua temporali, vel hujuſmodi rerum, ac jurium univerſitate. *Reale*, five *Acceſſorium*, quod annexum eſt, & acceſſoriè adhæret rei temporali, five hujuſmodi rerum, juriumque univerſitati v. g. Caſtro, villæ, prædio, domui, & cum tali re in conſequentiam in quemcunque tam Sæcularem, quàm Eccleſiaſticum poſſeſſorem, juris patronatus capacem, tranſit. Poteſt autem, ut ita cum re tranſeat, introduci vel ex prima fundatione, vel ſuccedente conſuetudine, aut præſcriptione: & ſi non ita tranſeat, perſonale cenſebitur. Engl. *hic num.* 23. *not.* 5. *in fin.*

6 IV. Dividitur in Paſſivum, & Activum. *Paſſivum* eſt, per quod certi de aliqua familia (ſi idonei ſint) excluſis extraneis, ad Beneficium ſunt præſentandi. *Activum*, per quod fit, ne quis Beneficium conferat, niſi ad præſentationem ipſius fundatoris, aut illius, cui fundator jus patronatus pro tempore Beneficii vacaturi in ipſa Beneficii Fundatione reſervavit. Monet. *de commut. ult. volunt. cap.* 10. *num.* 200. & 201. Barboſ. *l.* 3. *Jur. Eccl. cap.* 12. *numer.* 25. Engl. *hic num.* 16. Konig. *num.* 9.

7 Quæritur 4. quænam ſit differentia inter jus patronatus Eccleſiaſticum, & Laicale? Reſp. quadraginta octo omnino differentias enumerat Vivian. *prax. jur. patron. p.* 1. *l.* 1. *cap.* 3. *num.* 20. pauciores alii, Præcipuæ ſunt. 1. Jus patronatus Eccleſiaſtici competit ratione Eccleſiæ, vel Beneficii; Laicale ortum habet ex Patrimonio, ex quo fundatio, dotatio, vel conſtructio Eccleſiæ patronatæ facta eſt. 2. Patronus Laicus habet quatuor menſes ad præſentandum; Eccleſiaſticus verò ſex *cap. un.* §. *verùm hoc tit. in* 6. 3. Quando Beneficium Curatum eſt juris patronatus Eccleſiaſtici, obſervari debet forma præſcripta à Trident. *ſeſſ.* 24. *cap.* 18. *de reform.* & juxta §. *ſi verò ibidem* inſtitui concurſus, illeque, qui ab Examinatoribus inventus fuerit dignior, præſentari à Patrono; quæ forma non debet neceſſariò obſervari in Beneficiis Patronatus Laici. Matthæucc. *in Offic. Eccl. cap.* 28. *num.* 14.

18 Dub. 1. cujus Patronatus, Eccleſiaſtici, an Sæcularis, ſit Beneficium quod fundatum eſt à Clerico ex reditibus Eccleſiæ intuitu acquiſitis? *Certum eſt*, eſſe juris patronatus Eccleſiaſtici, ſi fundatum eſt ex reditibus ipſius Eccleſiæ, v. gr. de feudo per obitum Vaſalli, ſine hæredibus decedentis, ad Eccleſiam reverſo, licèt illud huic necdum incorporatum fuerit. Felin. *in cap. ex litteris* 11. *de Conſtit. num.* 3. Roch. de Curte *de Jur. patron. V. jus num.* 18. Lambertin. *p.* 1. *l.* 1. *quæſt.* 8. *art.* 7. Vvieſtner *hic numer.* 6. *Ratio eſt*, quia indubitatè Juris Patronatus Eccleſiaſtici eſt Beneficium, quod fundatum eſt ex bonis, ſubjectis dominio ipſius Eccleſiæ. atqui tale eſt Beneficium, de quo ſermo eſt; nam tale feudum, ita reverſum ad Eccleſiam, pleno Jure ad eandem ſpectat.

19 *Dubium* ergo ſolùm procedit caſu, quo Eccleſia, Capella, vel Beneficium fundatum eſt ex bonis Beneficialibus, ſeu intuitu Beneficii acquiſitis à Clerico, quæ difficultas ope diſtinctionis reſolvi poteſt: Vel enim Clericus de hujuſmodi bonis liberam diſponendi facultatem ex privilegio Apoſtolico, aut conſuetudine immemoriali habet, vel non.

Si hoc ſecundum; Eccleſia, Capella, Beneficium ex his fundatum eſt juris patronatus Eccleſiaſtici, & ad Succeſſores Fundatoris in Beneficio, non verò ad hæredes ejuſdem tranſmittitur, ut rectè Abb. *in cap. ad audientiam* 3. *de Eccl. ædif. num.* 12. Lambert. *art.* 7. *cit.* Garc. *p.* 5. *de benef. cap.* 1. *num.* 594. Gonzal. *ad Reg.* 8. *Cancell. gloſſ.* 18. *num.* 107. Pirh. *hic num.* 14. Vvieſt. *ibid. num.* 7. Ratio eſt, quia privilegio, alioque jure ſpeciali ceſſante, bona Beneficialia, & quæ ex his comparantur, cedunt Eccleſiæ, cui ſervivit Clericus, ut dictum eſt *ſuprà Tit.* 27. *num.* 56.

20 *Si primum*, ejuſmodi Eccleſia, Capella, vel Beneficium eſt Juris Patronatus Laicalis, & ad hæredes fundatoris, ex teſtamento ſuccedentes, tranſit. Lotter. *l.* 2. *de benef. quæſt.* 10. *numer.* 2. Garc. *loc. cit. num.* 594. *cit. in fin.* Laym. *l.* 4. *tract.* 2. *cap.* 13. *num.* 4. Vvieſt. *hic num.* 8. Ratio eſt; quia Bona Beneficialia Clerici vigore talis privilegii, vel conſuetudinis evadunt quaſi patrimonialia, ejuſdem, ex his autem fundata, erecta, vel dotata Eccleſia, Capella, vel Beneficium eſt juris patronatus Laicalis. ergo &c. *Conf.* ex praxi Hiſpaniæ, in qua præſentandi jus ad Beneficia ita fundata à Clericis ad hæredes eorum tranſmitti non rarò ſolet, quòd ibidem Clerici paſſim diſponant liberè inter vivos, & mortis cauſa de bonis Beneficialibus, teſte Garc. *l. cit.*

Dixi, *Ex redditibus Eccleſiæ intuitu acquiſitis*; nam ſi à Clerico fundatum ſit Beneficium ex Bonis ejus patrimonialibus, ſecundum dicta *n.* 8. Jus patronatus Laicale erit, cùm, ut ibi eſt explicatum, ad cognoſcendam qualitatem juris patronatus non tam perſona, quæ Beneficium fundavit, quam bona, ex quibus fundavit, ſpectanda ſint. *Ex quo ſequitur*, caſu, quo Clericus ex bonis patrimonialibus in fundo Eccleſiæ, vel contrà in fundo proprio ex reditibus Beneficii ſui Eccleſiam ædificet, vel Beneficium fundet, eo vivente, quidem jus patronatus ad ipſum in ſolidum pertinere; poſt mortem verò ipſius partim ad hæredes ejuſdem, partim ad Succeſſorem in Beneficio tranſiturum, cùm eo caſu jus iſtud eidem partim intuitu Eccleſiæ, partim ratione proprii Patrimonii competat. Caniſ. *in cap. quoniam* 3. *hoc tit. num.* 6. Pirh. *hic num.* 14. 21

Dub. 2. an caſu, quo Jus Patronatus Eccleſiaſticum transfertur in Laicos, perſeveret eſſe Eccleſiaſticum? Videtur reſpondendum affirmativè, quia tranſlatio hujuſmodi non facit, quo minùs talis Capella, vel Beneficium fundatum, dotatum, erectum ſit ex redditibus, & bonis Eccleſiæ: ergo etiam non faciet, ut jus patronatus, tale Beneficium, vel Capellam reſpiciens, Eccleſiaſticum eſſe deſinat. 22

Sed dicendum, ceſſare eſſe juris patronatus Eccleſiaſtici, & incipere eſſe juris patronatus Laicalis, ſaltem caſu, quo titulo operoſo permutationis ad Laicum tranſiit. Ita Barboſ. *l.* 3. *jur. Eccl. c.* 12. *n.* 16. Zoeſ. *hic n.* 52. Engl. *n.* 12. Pirh. *n.* 4. Vvieſt. *n.* 10. *Ratio eſt*, quia ſi etiam hoc caſu maneret juris Eccleſiaſtici, in valde exorbitante lucro verſaretur Eccleſia, cùm hoc modo loco juris patronatus ad unum Beneficium acciperet jus patronatus ad duo, retinendo, quod habuit, & accipiendo aliud, quod non habuit: contrà Laicus eſſet in detrimento: quia daret jus patronatus, & nullum aliud loco dati reciperet.

An verò hoc etiam procedat, quando jus patronatus ad Laicum translatum eſt titulo lucrativo, e. g. donationis, diſſident inter ſe DD. Negat Barboſ. *n.* 16. *cit.* cum aliis. Sed probabiliùs etiam hoc caſu ceſſat eſſe juris Eccleſiaſtici, ut cum aliis notat P. Vvieſt. *hic n.* 11. *Ratio eſt* 1. quia res, & bona Eccleſiaſtica cætera, ſi ex juſta cauſa, & cum debita ſolemnitate transferantur in Laicos, quocunque titulo transferantur, qualitatem bonorum Eccleſiaſticorum exuunt, & bonorum Laicalium naturam, & qualitates induunt. igitur cùm de jure patronatus aliud jure ſtatutum non inveniatur, ſimili cum cæteris bonis Eccleſiaſticis ſorte cenſebitur. 2. poſt ejuſmodi tranſlationem quocunque ex titulo factam præſentatio, quæ antea ratione Eccleſiæ, vel Monaſterii competebat, competit ratione proprii Patrimonii, & ipſum jus patronatus jure ſucceſſionis hæreditariæ deinceps transfertur. atqui jus patronatus ita competens eſt Laicale. ergo &c. 3. jus patronatus, etſi origine fuerit Laicale, quòd Eccleſia, Capella, vel Beneficium à Laico ex bonis patrimonialibus fundatum ſit, ſi tamen illud in Eccleſiam, Monaſterium &c. transferatur, ipſa tranſlatione naturam juris patronatus Laicalis exuit, & evadit Eccleſiaſticum. ergo etiam exuit naturam juris patronatus Eccleſiaſtici, & Laicale efficietur, ſi transferatur in Laicum, ita, ut huic jure ſucceſſionis hæreditariæ deferatur. 23

Ex quo ſequitur ad Argumentum contrarium *num. præced.* allatum; dicendum enim titulum illum extingui, quando jus patronatus non ampliùs ratione Eccleſiæ, ſed proprii patrimonii competit.

Dub. 3. an Eccleſiaſtici, vel Laicalis juris patronatus ſit Eccleſia, Capella, vel aliud Beneficium, ad quod Princeps, vel Magiſtratus Sæcularis Clericum nominat, qui deinde ab Eccleſia, vel Monaſterio Epiſcopo eſt præſentandus? Joan. Andr. & Franc. *in cap. cùm in illis* 16. §. *ſi verò num.* 4. *de præb. in* 6. putant eſſe juris patronatus Eccleſiaſtici: & videtur iſtud probari etiam ex ratione; quia jus patronatus eſt jus præſentandi Clericum ad Eccleſiam, vel Beneficium vacans. atqui tali caſu jus præſentandi Eccleſiæ, vel Monaſterio competit. ergo hoc caſu jus patronatus Eccleſiaſticum erit. 24

Sed dicendum, hoc caſu ejuſmodi Eccleſiam, Capellum, vel Beneficium eſſe potiùs juris patronatus Laicalis, quàm Eccleſiaſtici. Ita Gambar. *l.* 3. *de Offic. Legat. n.* 398. Azor. *p.* 2. *l.* 5. *cap.* 28. *quæſt.* 2. *verſ. dubiæ etiam quæſtionis*, Garc. *p.* 5. *de Benef. cap.* 1. *n.* 616. Vvieſtner *hic n.* 12. *Ratio eſt*, quia vero Patrono competere debet jus Epiſcopo præſentandi Clericum idoneum, quem ipſe elegerit *can. decernimus* 32. *in fin. cauſ.* 16. *quæſt.* 25

quæst. 7. ibi, *Quos -- fundatores condignos elegerint; & can. quoniam* 3. *hoc tit.* ibi, *Qui -- plurimorum* comparronorum *eligitur, & approbatur assensu.* atqui hoc casu jus eligendi idoneos Clericos Principi, Magistratui, vel alteri personæ Sæculari competit, non verò Ecclesiæ, vel Monasterio; nam istud eum, qui à Principe &c. electus, & nominatus est, non liberè, sed necessariò præsentat, ita, ut potiùs Ministri, vel Procuratoris, quàm veri præsentatoris fungantur munere: & propterea, si ita nominatum intra legitimum tempus Episcopo præsentare nollet, sic nominatus pro in tempore præsentato haberi debet, ut notat Garc. *loc. cit. in fin.* & probat tritum illud, *Pro facto habetur, quod fieri debuit, si per eum, à quo fieri debuit, non stetit, quo minùs factum sit.*

Ex quo cadit Argumentum oppositum; dicendum enim, quòd præsentatio nominationem subsequens hoc casu potiùs sit executio nominationis, & hanc solam propriè præsentationem esse.

26 Dub. 4. quale sit jus patronatus, Laicum, an Ecclesiasticum, quo datur Clerico jus præsentandi cum consilio, aut consensu Laici, aut vicissim Laico cum consilio, aut consensu Clerici? *Certum satis est*, quòd Ecclesiasticum maneat, si ad præsentationem solùm requiratur consilium Laici, Laicum verò, si Laico competat, & solùm requiratur consilium Clerici. Azor. *quæst.* 2. *cit. vers. quando verò*, Garc. *num.* 616. *cit. in fin.* Honor. *hic num.* 15. *Ratio est*; quia qualitas Juris patronatus à qualitate præsentantis, vel ejus, cujus nomine præsentatio fit, desumenda est, non verò à qualitate ejus, cujus est requirendum consilium, quippe quod præsentator sequi non tenetur.

27 *Difficultas* aliqua fieri potest, si facienda sit præsentatio cùm consensu alterius: quo casu Garc. *loc. cit.* putat habendum pro Ecclesiastico, sive Ecclesiasticus præsentet cum consensu Laici, sive Laicus cum consensu Ecclesiastici. Sed melius Gambar. *l. cit. num.* 409. Azor. *vers. quando cit.* Vviest. *hic num.* 14. censent etiam hoc casu qualitatem Juris patronatus desumendam à qualitate personæ præsentantis, ita, ut Ecclesiasticum dici debeat, si præsentans sit persona Ecclesiastica, etiamsi præsentare debeat cum consensu Laici, Laicum verò, si Laicus, etiamsi præsentare debeat cum consensu Ecclesiastici. Ratio est; quia Patronus propriè secundum probata *numer.* 25. ille dicitur, qui Clericum pro Ecclesia, vel Beneficio vacante eligendi, & Episcopo offerendi jus habet, atqui jus ejusmodi eligendi, & Episcopo præsentandi habet hoc casu solus præsentans, non consentiens; quia hic solum habet jus personam præsentatam approbandi, non verò eligendi vel obtrudendi præsentanti personam, quam ipse vellet. ergo &c.

28 Dub. 5. quale sit jus patronatus, quod partim Clerico, vel Clericis, partim Laico, vel Laicis competit? Resp. distinguendo: Vel enim ita utrisque competit, ut præsentatio fiat ab Ecclesiasticis, & Laicis simul ad pluralitatem Votorum, vel alternis vicibus, modò ab Ecclesiasticis, modò à Laicis. *Si primum*, est jus patronatus mixtum, ut dictum est *suprà num.* 10. hoc tamen speciale habet, ut si præsentatio à non minore Laicorum, quàm Clericorum numero fiat, Beneficium, ad quod hujusmodi jus patronatus datur, sub Sedis Apostolicæ reservationem non cadat, ut dictum est *suprà Tit.* 5. *de præbend. num.* 220. *Si secundum*, in Turno Ecclesiastici jus patronatus totum erit Ecclesiasticum, in Turno Laici merè Laicale. Jo. Andrea *in cap. cùm in illis* 16. §. *fin. in fin. de præb. in* 6. Roch. de Curte *V. jus quæst.* 6. Garc. *p.* 5. *de benef. cap.* 1. *num.* 614. Barbos. *l.* 8. *jur. Eccl. cap.* 12. *num.* 17. Konig. *hic num.* 6. Vviest. *ibidem num.* 15. videtur enim tunc mixtorum natura per hanc alternativam pro illis vicibus reducta ad sua simplicia.

29 *Ex quo sequitur*, quòd si hujusmodi Beneficium Mense Papali vacet in Turno Ecclesiastici, illud reservatum sit Papæ, ita tamen, ut istius provisione Turnus Ecclesiastici Patroni consumatur, ne tali reservatione præjudicium Laico Patrono fiat: quod discrimen est inter casum præsentem, & inter casum, quo jus præsentandi alternativum habent duo Patroni Ecclesiastici v. gr. Episcopus, & Capitulum; nam tali casu Provisiones factæ à Pontifice non computantur, sed ita se habent, tanquam si nulla vacatio, vel provisio facta esset: conf. si Beneficium incæpit vacare in mense Papali, quando Turnus erat penes Episcopum, hic per provisionem Papalem non consumitur, sed manet, dum Episcopus Beneficium, quod per Turnum conferri debet, conferre potuerit. Gonzal. *ad Reg.* 8. *Cancell. gloss.* 45. §. 1. *num.* 30, & 31. estque ipso teste decisum à Rota *in Salmantina Canonicatus, seu Alternativæ* 27. *Novembr.* 1581. & in alia *Salmantina Portionis* 16. *Maji* 1603.

§. II.

De Origine, & Causis Juris Patronatus.

SUMMARIUM.

30 *Origo juris patronatus.*
31 *Laicis competit ex sola gratia Sedis Apostolicæ.*
32 *Oritur ex fundatione.*
33 *Constructione, & Dotatione Ecclesiæ, vel Capellæ.*
34 35 *Requisita, ut ex his capitibus acquiratur.*
36 *Debet fundatio, constructio, dotatio fieri authoritate Ordinarii interveniente.*
37 *Quisnam hic veniat nomine Ordinarii?*
38 *An consensum istum dare etiam possit Vicarius Generalis?*
39 *Quid si Ordinarius requisitus sine justa causa consensum deneget?*
40 *Quid observandum huic, antequam consensum præstet?*
41 42 43 *An, ut acquiratur jus patronatus, necessarium sit id reservari in fundatione &c.*
44 *An fundatione, dotatione, constructione acquiratur jus patronatus etiam in Ecclesiis Collegiatis, & Conventualibus?*
45 *An amittatur conversione Ecclesiæ non Collegiatæ in Collegiatam?*
46 *An Fundator Ecclesiæ Collegiatæ possit sibi reservare jus præstandi assensum ad Electionem Prælati?*
47 48 *Et si reservavit, quando ille præstandus sit?*
49 *Et an sit de necessitate Electionis in eo casu?*
50 51 *Ad acquirendum jus patronatus concurrere simul debet fundatio, constructio, & dotatio.*
52 *Non tamen est necessarium, ut omnia præstentur ab eodem.*
53 54 *Si à pluribus præstentur, omnes Patroni sunt.*
55 *Si unus fundet simul, & construat, alter dotet, ille duplicem habet vocem, hic unam.*
56 *Nec attenditur, quantum quisque contulerit.*
57 *Ut dotatione acquiratur jus patronatus, requiritur, ut dos sit sufficiens.*
58 *Acquiritur dotatione etiam post consecrationem Ecclesiæ facta.*
59 *Si antea sit dotata.*
60 *Non verò, si augeatur duntaxat dos.*
61 62 *Casu, quo Ecclesia omnino diruta restauratur, aut amissa omnino priori arte, dotatur denuo, jus patronatus competit non primo, sed secundo ædificanti, & dotanti.*
63 64 *Cui acquiratur jus patronatus, quando aliquis Ecclesiam construxit in alieno fundo, inscio, vel invito istius domino?*

QUæritur 1. quando Jus Patronatus in Ecclesia dari cœperit? Resp. Primis Ecclesiæ temporibus usque ad quintum Sæculum in Ecclesiis aut nulla, aut rarissima fuerunt exempla patronatus, præsertim Laici; nam in Ecclesiis, etiam per Laicos ædificatis, vel fundatis, Episcopi liberè constituebanr Clericos *c. decretum* 3. *c. noverint* 6. *&c. caus.* 10. *quæst.* 1. *can. omnes Basilicæ* 10. *caus.* 16. *quæst.* 7. Primum, quantum constat, hujus Juris vestigium invenitur in Concilio Arausicano, ubi *can.* 10. Episcopis, qui in terris, fundisque, ad se, vel Ecclesiam suam pertinentibus, sed extra Diœcesis suæ fines constitutis, Ecclesias ædificant, conceditur, ut arbitratu suo deligere possent Clericos, ab eo Episcopo, in cujus territorio Ecclesia ædificata est, instituendos, ut Ecclesiis ejusmodi ministrarent. Quod successu temporis etiam ad Laicos porrectum est quoad illas Ecclesias, quas hi ex suis bonis, & patrimonio erexerunt, fundaverunt, vel dotaverunt *can. piæ mentis* 26. *can. Frigentius* 27. *can. filiis* 31. *can. decernimus* 32. *&c. caus.* 16. *quæst.* 7. & *cap. nobis* 25. *hoc tit.* ut hac ratione Laici inducerentur ad fundandas, & dotandas Ecclesias, vel Capellas, & Beneficia Ecclesiastica: quod non obscurè significat Trid. *sess.* 25. *cap.* 9. *de reform.* ubi decernit, æquum non esse veris Patronis suum Jus Patronatus non servare, ne tali via fideles ab operibus piis retrahantur. 30

Ex quo sequitur, quòd quidquid Juris habet Patronus Laicus in Ecclesia, totum ex gratia, & privilegio Apostolico procedat, quo præciso, Jus Patronatus non acqui- 31

requireret, ut rectè advertit Matthæuc. *in Off. Eccl.* . 28. *num.* 1.

Ratio est, quia Jus Patronatus, ut *num.* 4. ostensum est, ob connexionem, & ordinem, quem ad collationem Beneficii Ecclesiastici habet, inter Spiritualia Jura censetur, quorum cum Laicus absque dispensatione, & privilegio Apostolico incapax sit, consectaneum est, quod quando Laicus Jus Patronatus in Ecclesia quadam obtinet, illud ex gratia Ecclesiæ obtineat, per quam in potestate ejusmodi sustinetur.

3 Quæritur 2. ex quibus causis hodie oriatur Jus Patronatus? Resp. oritur ex tribus causis, fundatione, constructione, & dotatione Ecclesiæ, vel Beneficii juxta illud vulgatum Gloss. *in c. piæ mentis 26. caus. 16. quæst.* 7.

Patronum faciunt Dos, Ædificatio, Fundus.

Porro *Ecclesiam fundare*, si strictè vox ista accipiatur, dicitur, qui dat fundum, sive solum, in quo illa est construenda *c. piæ mentis cit. c. decernimus* 32. *cauf.* 16. *q.* 7. *c. Abbatem* 4. *cauf.* 18. *q.* 2. *c. nobis* 25. *hoc tit.*

Construere is, cujus nomine, & sumptibus ædificatur, vel collapsa restituitur *can. Monasterium* 33. junct. Gloss. *V. eod. cauf.* 16. *q.* 7. *c. nobis cit.* ibi, *Si quis Ecclesiam cum assensu Diœcesani construxit, ex eo Jure Patronatus acquirit.*

Dixi *cujus nomine, & sumptibus*, ut excludantur fabri murarii, & similes, qui eidem construendæ pro mercede dant operam; nam hi, etsi physicè Ecclesiam construant, Jus Patronatus tamen non consequuntur, quia non suis, sed alienis sumptibus, ex quibus ipsi stipendium capiunt, eandem construunt.

Dotare denique ille, qui assignat Ecclesiæ construendæ, vel constructæ redditus annuos sufficientes pro necessariis ejusdem usibus, & sustentatione Ministrorum congrua *c. filiis* 31. *cauf.* 16. *q.* 7.

4 Quæritur 3. quid requiratur, ut ex memoratis capitibus aliquis acquirat Jus Patronatus? Resp. 1. requiritur, ut quod dat, expresse, vel tacitè animo fundandi, construendi, aut dotandi Ecclesiam faciat; nam si donet, vel leget aliquid solùm animo donandi, aut benefaciendi, non acquirit Jus Patronatus, cùm potiùs Benefactor, quàm Patronus censeatur, & SS. Canones Jus Patronatus non benefactori, sed dotanti indulgeant *can. filiis cit.* Roch. de Curte *V. & dotavit quæst.* 6. Lambertin. *p.* 1. *l.* 1. *quæst.* 6. *art.* 1. & 2. Garc. *par.* 5. *de Benef. cap.* 9. *numer.* 60. Layman *l.* 4. *tr.* 2. *cap.* 13. *num.* 3. Honor. *hic num.* 10. Pirh. *ibid. numer.* 10. *not.* 6. & teste Garc. *l. cit.* est sæpiùs decisum à Rota.

35 2 Ut redditus, quos dotare volens, Ecclesiæ affert, sint sufficientes pro necessariis ejusdem usibus, & sustentatione Ministrorum: nam si insufficientia solum bona dederit, non acquirit Jus Patronatus; quia iterum Benefactor potiùs, quàm dotator dicetur. Gloss. *in can. quicunque* 30. *V. aliquid cauf.* 16. *quæst.* 7. Roch. de Curte *V. & dotavit quæst.* 8. & 9. Lambertin. *lib.* 1. *cit. quæst.* 5. *art.* 12. Garc. *c.* 9. *cit. num.* 52. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 19. *quæst.* 6. *in fin.* Pal. *tr.* 13. *D.* 2. *p.* 2. *num.* 6. Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 70. *n.* 22. Engl *hic n.* 21. Pirh. *n.* 6. Schamb. *num.* 11. Clericat. *de Benefic. discord.* 4. *n.* 16. *Excipitur*, si plures ad dotationem concurrant; nam hoc casu, si omnes simul dotem sufficientem, & competentem dederint, licèt singuli insufficientem, quilibet ex ita concurrentibus Patronus efficitur, quòd quilibet ratione communionis, & societatis dotem sufficientem censeatur præstitisse, ut cum *citt.* notat Pal. *n.* 6. *cit.*

36 3 Ut interveniat authoritas Ordinarii in eam fundationem, dotationem, constructionem, vel erectionem Ecclesiæ, aut Beneficii consentientis. Ita Anton. de Butr. *in can. nobis* 25. *hoc tit. num.* 15. Roch. de Curte *V. pro eo quod de Diœcesani consensu* Lambertin. *l.* 1. *cit. quæst.* 2. *art.* 3. *cum seq.* Garc. *cap.* 9. *cit. numer.* 71. Azor. *qu.* 7. Barbos. *num.* 20. Pal. *n.* 8. Vallens. *hic* §. 1. *n.* 3. Pirhing *num.* 11. *not.* 7. Schambog *n.* 13. Vviest. *n.* 37. Clericat. *loc. cit. num.* 10. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de reb. eccl. c.* 3. *num.* 92. & sumitur ex *can. nobis cit.* ibi, *Cum assensu Diœcesani*. Ratio est manifesta; quia absque Superioris potestate neque Ecclesia ædificari potest, neque servituti Patroni subjici. Accedit; quia Ecclesiæ interest, ac proinde Ordinarius, cujus Jurisdictioni ea subest, nosse debet, quem Patronum illa habeat. Sufficit autem, si consensus iste ex post facto interveniat, ut si templum, sine consensu Episcopi ædificatum, is postea accepter, & consecrari jubeat; tunc enim Jus Patronatus acquiritur ei, qui ædificavit. Garc. *num.* 72. Barbos. *n.* 21. Pal. *n.* 8. *cit.* & hoc teste est decisum à Rota. Præsumitur intervenisse ex diuturnitate temporis, saltem 30. annorum. Menoch. *l.* 3. *præsumpt.* 90. *num.* 17. & 18. & *l.* 6. *præsumpt.* 79. *n.* 3. & 4. ubi ait, quando Ecclesia diu habet campanam, Altaria, & his similia, præsumi authoritate Episcopi constructam, & ædificatam.

Quæritur 4. quisnam hic veniat nomine Ordinarii, ut consensus ejusdem sit requirendus? Resp. nomine Ordinarii hic venit Episcopus, & quilibet Prælatus, Jurisdictionem quasi Episcopalem obtinens in loco construendæ Ecclesiæ, vel Capellæ, aut Beneficii erigendi; quia hic consensus est actus Jurisdictionis. Lambertin. *p.* 1. *l.* 1. *q.* 2. *art.* 8. Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 70. *n.* 30. Pal. *tr.* 13. *D.* 2. *p.* 2. *n.* 9. Ex quo fit, quòd consensum ædificandi Ecclesiam possit dare etiam Capitulum Sede Vacante, & quivis alius Prælatus habens Jurisdictionem quasi Episcopalem in Clerum, & populum: & hac authoritate præstita, eo ipso ab ædificante, fundante, dotante acquiri Jus Patronatus; quia hoc ædificationem, fundationem, & dotationem subsequitur. Garc. *p.* 5. *de Benef. c.* 9. *n.* 71. Barbos. *num.* 31. Pal. *n.* 8. *cit.* & his testibus est decisum à Rota. 37

Quoad Vicarium Generalem distinguendum est: nam Vicarius Generalis Capituli sede vacante potest; quia in hunc omnis Jurisdictio Capituli refunditur, qui propterea etiam ea potest, quæ aliàs speciali mandato indiget, ut dictum est *Lib.* 1. *Tit.* 28. *n.* 30. Vicarius Generalis Episcopi sine speciali mandato consensum istum præstare nequit; quia Jus Patronatus est quædam servitus, quam Vicarius Generalis Episcopi sine hujus speciali commissione Ecclesiæ, vel Beneficio nequit imponere. Zerol. *par.* 1. §. *Vicarius n.* 13. Garc. *par.* 5. *de Benef. cap.* 9. *n.* 75. Barbos. *alleg.* 70. *cit. n.* 33. Clericat. *de Benef. discord.* 26. *n.* 4. Vall. *hic* §. 1. *n.* 3. Pirh. *n.* 11. Vviest. *n.* 38. 38

Si Ordinarius requisitus consensum præstare sine justa causa recuset, adeundus est ipsius Superior, v. g. Metropolitanus, vel Primas, aut si exemptus sit, Papa, ut compellatur ad consensum præstandum; quia hoc generale est, ut quando inferior gratiam aliquam, & favorem sine justa causa denegat, peti à Superiore ejusdem possit, ut eundem ad consensum præstandum compellat. Selva *p.* 1. *de Benef. q.* 6. *n.* 15. Lambertin. *p.* 1. *l.* 1. 2. *art.* 16. & 17. Vivian. *p.* 1. *l.* 2. *c.* 1. *n.* 22. Barbos. *alleg.* 70. *cit. n.* 26. Vviest. *n.* 38. *cit.* 39

Neque obstat textus can. nullus 17. *hoc tit.* ubi Alexander III. Episcopo Adonensi rescribens, statuit, ut, *si quis Episcopus improbitatis, vel avaritiæ causa censentire noluerit, Romano Pontifici nuntietur*; hoc enim intelligendum est de casu, quo Episcopus recusans præstare consensum, est exemptus à Metropolitano, & immediate subjectus Summo Pontifici, ut dictum est paulò antea, vel si intelligendum sit etiam de non exemptis, ibidem significatur, in potestate querelantis esse, utrum querelam suam coram Metropolitano, vel coram Summo Pontifice, qui cumulativam cum omnibus Episcopis potestatem habet, velit proponere.

Dixi, *Si Ordinarius sine justa causa recuset præstare consensum*; nam ex justa causa consensum ad novam Ecclesiam erigendam negare potest: & talis est, si eidem non sit provisum de sufficienti dote. 40

Hinc antequam Ordinarius hunc suum consensum præstet, inquirere diligenter debet, an Ecclesia, vel Beneficium, de cujus patronatu acquirendo agitur, congruam, sufficientem, & stabilem dotem habeat; nam si temere consentiat in constructionem Ecclesiæ, vel Beneficii erectionem sine congrua dote, casu, quo fundator defectum supplere nequeat, aut non velit, Ordinarius de suo supplere tenebitur *can. cùm sicut* 8. *de consecr. Eccl. vel Alar.* Lambertin. *par.* 1. *l.* 1. *q.* 5. *art.* 10. Barbos. *alleg. cit. num.* 29. Vviest. *num.* 29. *hic*. Addidi *Casu, quo fundator defectum supplere nequeat, aut non velit*; nam in dubio, si iste contrarium non expresserit, & alius non adsit, qui Ecclesiam erectam dotet, ad eam dotandam videtur se obligasse, qui illam construxit, siquidem Ecclesia sine dote consecrari non debet *c. cùm sicut cit.* Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 13. *n.* 1.

Quæritur 5. an, ut acquiratur jus patronatus, necessaria sit ejus reservatio in fundatione &c. Affirmant Paul. de Cittadin. *part.* 3. §. *secunda num.* 13. Zoes. *hic num.* 4. Schambog *num.* 13. & videtur istud probari ex praxi Funda- 41

datorum, qui sibi jus istud in fundatione, & erectione Ecclesiarum, ac Beneficiorum Ecclesiasticorum expressè reservare solent: quod frustra fieret, si sine expressa reservatione jus hoc acquiri posset; nam quod tacitè inest, frustra exprimitur *leg. verba* 12. *ff. de condit. instit. Conf.* sic enim sine expressa reservatione in fundationis limine etiam non acquiritur fundatori, & ejus successoribus jus percipiendi pensionem ab Ecclesia à se fundata.

42 Sed dicendum, jus patronatus fidelibus, Ecclesias cum consensu Ordinarii construentibus, fundantibus, aut dotantibus acquiri, etiamsi illud sibi expressè non reservent, modò illud actu contrario non remittant. Ita Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 19. *q.* 9. Garc. *p.* 5. *de Benef. c.* 9. *n.* 62. Vivian. *p.* 1. *l.* 2. *c.* 1, *num.* 9. Barbos. *l.* 3. *Jur. Eccl. c.* 12. *n.* 35. Pal. *tr.* 13. *D.* 2. *p.* 2. *n.* 4. Clericat. *de Benef. Discord.* 4. *n.* 9. Engl *hic n.* 20. Pirh. *num.* 10. *not.* 4. *fin.* Konig *num.* 15. Vviest. *num.* 40. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de reb. Eccl. c.* 3. *num.* 93.

Ratio est, quia hoc Jus fundantibus, construentibus, & dotantibus Ecclesias acquiritur ex dispositione Juris: unde non est necesse illud deduci in pactum, vel reservari expressè.

Dixi, *Modò illud actu contrario non remittant*; nam fundans Ecclesiam, vel Capellam remittere jus patronatus potest in totum, vel pro parte, & limitatè illud inducere, prout sibi placuerit. Roch. de Curte *V. ipse, vel is n.* 18. Lambertin. *p.* 2. *l.* 1. *q.* 2. *art.* 2. & 4. Garc. *l. cit. n.* 63. & hoc teste Rota *in Cremonensi Juris Patronatus* 18. & 21. *Maii* 1578.

43 *Ad Rationem dubitandi* etiam, quæ tacitè insunt, ad majorem cautelam sæpe exprimi solent. Patet in evictione, de qua etsi venditor emptori teneatur ex indubitata dispositione Juris *l. non dubitatur* 6. *C. de evict ion.* id tamen Instrumentis venditionum inseri passim solet. *Ad Conf.* negatur paritas; nam explorati Juris est, Ecclesias, & Beneficia pensionibus, & aliis similibus oneribus gravari non posse, nisi in limine fundationis cum consensu Episcopi expressè reserventur.

44 Quæritur 6. an quarumcunque Ecclesiarum fundatione, constructione, dotatione acquiratur jus patronatus? Resp. distinguendum esse inter *Ecclesias Collegiatas, sive Conventuales*, & inter *non Collegiatas, sive non Conventuales*.

In *posterioribus* fundatione, constructione, dotatione acquiritur jus patronatus plenum, & quoad omnes ejusdem effectus, ut patet ex textibus *numer.* 30. *supra citt.*

In *prioribus* verò Ecclesiis acquiritur quidem illud quoad honorem, & alios similes effectus §. *seq.* declarandos, non tamen quoad jus præsentandi, vel nominandi Prælatum ad vacantem talem Ecclesiam, nisi istud obtentum sit Indulto Pontificio, ut clarè habetur decisum *c. nobis* 25. *h. tit.* & tradunt *ibidem* Host. *num.* 2. Abb. *n.* 9. Barb. *n.* 3. Fagnan. *n.* 14. Engl *hic num.* 4. Pirh. *n.* 31. Schamb. *n.* 3. & 24. Konig *n.* 25. Vviest. *n.* 28.

45 Et extenditur hoc etiam ad casum, quo Ecclesia non Collegiata cum patroni consensu convertitur in Collegiatam; nam ipsa conversione, si hæc cum patroni consensu fit facta, iste jus præsentandi, quod antea titulo fundationis, constructionis, dotationis obtinuit, perdit. Host. *l. cit.* Lambertin. *p.* 1. *l.* 2. *quæst.* 5. *n.* 8. Engl *hic n.* 4. Vviest. *n.* 28. *cit.* cum aliis.

Dixi *cum Patroni consensu*; nam eo invito non potest Episcopus ordinariè loquendo Capellam, vel Ecclesiam Parochialem patronatam commutare in Collegiatam; quia id cederet in præjudicium patroni *arg. can. Monasterium* 33. & *seq. caus.* 16. *q.* 7.

Si verò ob aliquam necessitatem talis Ecclesia convertatur in Collegiatam, non poterit quidem patronus, utpote qui majus bonum Ecclesiæ non impedire, sed magis promovere debet, contradicere huic conversioni, jus nominandi tamen, seu præsentandi ad Prælaturam in eadem Ecclesia retinebit, nisi, ut Collegiata fieret, tempore fundationis, vel postea consenserit sine protestatione, seu reservatione Juris sui; tunc enim electio Prælati, seu Rectoris ad Collegium Clericorum pertineret tantùm. Gloss. *in c. nobis* 25. *V. in Capella h. tit.* Abb. *ibid. n.* 10. Pirh. *hic n.* 35.

46 *Proceditque* responsio *n.* 44. data, ut Fundator talis Ecclesiæ Collegiatæ Laicus ne quidem in limine fundationis reservare sibi, & successoribus jus præsentandi, vel coeligendi Prælatum pro tali Ecclesia possit *c. nullus* 1. *dist.* 63. & *c. Sacrosancta* 51. *de elect.*

Dixi 1. *Fundator Laicus*; nam fundator Ecclesiasticus jus istud sibi, & successoribus reservare in limine fundationis potest; quia non omnino incapax est Juris eligendi.

Dixi 2. *Prælatum*; nam Jus præsentandi ad præbendas, sive Canonicatus, & Capellas, aliaque Beneficia Simplicia, quæ existunt in ea Ecclesia Conventuali, sibi reservare potest, cùm Jura solùm excludant patronum ab electione, & præsentatione Prælati in Ecclesia Conventuali. Abb. *in c. nobis cit. num.* 6. *fin.* Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 13. *num.* 8. Pirh. *hic num.* 34.

Dixi 3. *Jus præsentandi, vel coeligendi*; nam etiam Fundator Laicus, interveniente Episcopi authoritate, reservare sibi, & successoribus potest Jus præstandi assensum Electioni Prælati sibi intimatæ, ut *arg. can. nobis cit.* infert P. Vviestner *hic num.* 29. Sed hinc oritur dubium, & ulteriùs.

Quæritur 7. quando tali casu, quo patronus laicus sibi reservavit jus præstandi assensum, hic ab ipso requiri, & præstari debeat? *Certum satis est*, eum requirendum, & præstandum post factam electionem; ita enim clarè sumitur ex *c. nobis* 25. *hoc tit.* ibi, *In Conventuali Ecclesia non electioni Prælati faciendæ, sed jam factæ honestius Patroni postulatur assensus*: item *c. cùm terra* 14. *in fin. de election.* ibi, *Quo facto, non prohibemus, quin Regis --- requiratur assensus*: & denique *c. Sacrosancta* 51. *in fin. tit. eod.* ubi Gregorius IX. *Ordinationem* Prioris, per Conventus Electionem factam *denuntiari* jubet *Patrono, ut suum, si voluerit, honestum impertiatur assensum.*

Controversia solùm est, quando Electio intelligatur facta, ut ea patrono insinuari, ejusque assensus 4
requiri possit, & debeat? Nam ut ex *Libr.* 1. *Tit.* 6. *num.* 49. constat, duplex est Electio, una quasi singularis, quæ facta censetur tum, quando publicato scrutinio, & collatione facta, apparet omnium, vel majoris partis Capituli suffragia in unum collata esse; Altera communis, quæ tum fit, quando publicato scrutinio, & collatione facta, unus Electorum personam, in quam ejusmodi Vota collata sunt, omnium, vel majoris partis nomine eligit, *Dicendum*, de Jure communi consensum patroni, ubi iste est requirendus, petendum, atque præstandum esse primùm post communem electionem peractam, sed tamen ante solemnem ejus publicationem, confirmationem, & possessionis apprehensionem; nam electio non intelligitur facta, antequam posita sint omnia constitutiva illius, sed electio communis est substantiale constitutivum Canonicæ electionis Prælati *c. quia propter* 42. & *c. Ecclesia* 48. *de elect.* ergo &c. Dixi *de Jure communi*; nam privilegio Apostolico, sicut Laicus potestatem eligendi, ita etiam partes suas electioni tractandæ interponendi acquirere potest, quod innuit *c. nobis* 25. *cit.* ibi *Nisi aliter de sua jurisdictione obtineat, ut partes suas interponere debeat electioni tractandæ.*

Sequitur ex hactenus dictis, consensum illum patroni, & approbationem electionis magis de honestate, & in obsequium, ac reverentiam patroni, & quasi 49
in recognitionem fundationis, quàm de necessitate requiri, ad eum principaliter effectum, ut si patronus rationabilem contradicendi causam habeat, eam proponere possit. De cætero autem, si nihil aliud obstet electioni, quò minùs Canonica censeri debeat, etiam invito patrono facta, valida, & per Superiorem confirmanda erit; videtur enim inconveniens, ut confirmatio Prælati potiùs à voluntate patroni, præsertim Laici, quàm ab electione Capituli, vel judicio Superioris dependeat, & frustra daretur electio libera Capitularibus, si res tota in arbitrio patroni consisteret. Abb. *in c. Sacrosancta cit. n.* 6. Barbos. *in can. nobis n.* 5. Engl *hic n.* 4. & colligitur ex voce *Honestius* in eodem *cap.*

Neque huic resolutioni obstat *c. Abbatem in Monasterio illum ordinandum quem sibi de sua congregatione & Monachorum electio, & possessionis dominus --- poposcerit ordinari*; nam ut locum hunc explicat Barbos. *l. cit.* id intelligendum est, quòd Dominus loci certiorandus sit de electione Prælati in Monasterio, non verò, quòd ejus consensus præcisè requiratur, ita ut secus si fiat, electioni jam factæ officiat.

Quæritur 8. an ex sola fundatione Ecclesiæ, vel 50
Capellæ acquiratur jus patronatus, seu jus præsentandi Rectorem, an verò requiratur etiam constructio, & dotatio? *Certum est* 1. ut quis acquirat jus patronatus, non sufficere, ut fundum assignet pro ædificanda Ecclesia, si nec ipse, nec alius Ecclesiam ædificet; quia patronus nemo dicitur, nisi respectu Ecclesiæ jam in esse perfectè deductæ, ut Rectorem in ea Divina celebrantem habere possit, ut notat Fagnan. *in c. quoniam* 3. *h. tit. n.* 26. atqui talis

non

non est Ecclesia, nisi cum fundatione concurrat constructio. ergo &c.

Certum est 2. idem jus patronatus etiam non acquiri sola constructione, si nemo alius dotet, nec sola dotatione, nisi alius fundet, & construat Ecclesiam ita dotatam: consf. fundationem, constructionem, dotationem ad producendum jus patronatus debere concurrere copulativè; quia quocunque horum deficiente, Ecclesia dici nequit de non esse producta ad esse. Matthæuc. *in Offic. eccl. c.* 28. *n.* 6.

51 *Certum est* 3. ad acquirendum jus patronatus non esse necessarium, ut Ecclesia actu constructa sit; nam etsi ædificium illius primùm inchoatum sit, is, qui fundum dedit, vel dotem, aut sumptus pro ea construenda, patronus, quamvis sine exercitio, donec perficiatur, dici potest, & esse incipit, quippe cùm ab eo tempore, quo inchoatum est Ecclesiæ ædificium, Locus Religiosus jam esse cœperit: imò neque opus est, ut ædificium ejusdem sit cœptum, sed sufficit, si Episcopali authoritate accedente, is, qui jus patronatus sibi reservavit, firmam obligationem in se susceperit ad Ecclesiam fundandam, construendam, vel dotandam. Lambertin. *l.* 1. *de jur. patron. p.* 1. *q.* 4. *art.* 10. *num.* 4. Lotter. *de benef. l.* 2. *q.* 14. *num.* 1. Garc. *p.* 5. *de benef. c.* 9. *n.* 1. Vviest. *hic num.* 34. & ratio est; quia ipsa fundi, & sumptuum promissio, susceptaque ejusmodi obligatio pro actu perfecto, & consummato haberi in fundatore potest.

52 *Dubium* duntaxat est, an necesse sit, ut omnia hæc præstentur ab uno simul, & eadem persona debeat fundare, construere, & dotare? Rationem dubitandi facit textus Trid. *sess.* 14. *c.* 12. *de reformat.* ubi Jus istud conceditur ei, qui *Ecclesiam, Beneficium, aut Capellam de novo fundaverit, & construxerit* copulativè. Sed dicendum est sufficere, si fecerit unum ex illis disjunctivè, & Ecclesiam vel fundaverit, vel dotaverit, ut cum communi docent Laym. *l.* 4. *tract.* 2. *c.* 13. *num.* 2. Pignatel. *tom.* 9. *consult.* 82. *n.* 86. Engl *n.* 19. Pirh. *n.* 7. Schamb. *n.* 11. Konig *num.* 11. Vviest. *n.* 35. & sumitur ex *c. filiis* 31. *caus.* 16. *q.* 7. *c. nobis* 25. *h. tit.* & præcipuè ex Trid. *sess.* 25. *c.* 9. *de reform.* ubi jus patronatus dicitur acquiri *fundatione, vel dotatione* disjunctivè. Hinc in *c.* 12. pro ratione dubitandi allata dictio *Et*, ut Jura Juribus concordentur, etiam ipsa sensum disjunctivum, non copulativum habere debet, ut cum aliis notat Barbos. *ibid. n.* 3. & 6. Et hinc solvitur, quod

53 Quæritur 9. an uni tantùm, vel etiam pluribus competere jus patronatus respectu ejusdem Ecclesiæ possit? Resp. pendet ex eo, an unus tantùm ad Ecclesiam fundandam, construendam, & dotandam concurrerit, an verò plures. Nam 1. si unus, idemque Ecclesiam fundavit, extruxit, & sufficienter dotavit, tunc ipse unus jus patronatus acquirit, sed tribus ex causis. Pirh. *hic num.* 7. Si verò unus fundet, alter dotet, tertius construat, his tribus jus istud in solidùm competit, ita, ut tres patroni sint respectu ejusdem Ecclesiæ. Vviestner *hic n.* 35. Et hinc, si Capella, vel Altare ædificetur in aliqua Ecclesia, atque in perpetuum titulum Beneficium ibidem erigatur, in jure præsentandi Ecclesia de jure concurrit cum dotante, & ædificante; quia scilicet fundum contulit. Abb. *in c.* 3. *de Eccl. ædific. n.* 11. *De jure*, inquam; nam praxis subinde contrarium ostendit, & ordinariè Capellarum, ac Beneficiorum erectores jus præsentandi sibi usurpant, quod per inadvertentiam, & ignorantiam Rectorum Ecclesiæ contingere putat *ibid.* Abbas, alii refundunt in consuetudinem locorum, quam rationabilem esse, & valere testatur Konig *hic n.* 12.

54 2 Casu, quo plures simul ad Ecclesiam fundandam, construendam, & dotandam concurrunt, videndum est, an singuli ex diversis, an aliqui ex eodem capite ad hoc concurrant. *Si singuli ex diversis*, ita, ut v. g. Titius dederit fundum, Cajus dotem, Sempronius sumptus pro ea construenda, singuli singulas habent voces. *Si aliqui ex eodem*, interest, an æquali ubique numero, an inæquali. *Si æquali ubique numero*, e. g. duo ad fundationem, duo ad constructionem, duo ad dotationem, ad præsentationem Clerici iterum omnes concurrent æqualiter. Host. *in Summ. hic n.* 7. Roch. de Curte *V. dotavit q.* 11. *n.* 9. Pirh. *hic n.* 48. Vviest. *n.* 9. *Si verò inæquali*, e. g. unus fundavit, duo dotarunt, tres construxerunt, tria habebunt Vota, quorum unum fundanti, alterum dotantibus, tertium construentibus competet.

55 3 Casu, quo unus Ecclesiam simul fundat, & construit, alter solummodo dotat, utrique quidem jus patronatus competit, ita tamen, ut primus duas habeat voces ad præsentandum Clericum, alter duntaxat unam. Quod etiam dicendum, si unus fundet, & dotet, duo, vel tres, aut plures alii construant; nam eo casu prior solus duas habebit voces, reliqui unam duntaxar. Lambertin. *l.* 1. *de jur. patron. p.* 1. *quæst.* 3. *art.* 8. *num.* 10. & 13. Engl *hic num.* 19. *fin.* Vviest. *num.* 36. Rationem dant; quia his casibus in unum concurrunt duæ causæ, si duo Jura, quorum quodlibet producit jus dandæ vocis, in altero, verò, vel reliquis una solùm datur causa, & titulus. atqui juxta communem, & passim receptam Juris Maximam, quando duæ causæ, seu Jura ejusmodi concurrunt in una persona, tunc duæ voces eidem competunt; quando una in pluribus, una etiam vox pluribus competit. ergo &c.

4 Quando plures simul concurrunt ex eodem capite, non attenditur, quantum quisque contulerit, modò omnes tantum contulerint, quantum sufficit ad fundandam, construendam, & dotandam Ecclesiam. Et hinc æquales habent voces ex capite constructionis, quorum unus construxit tres Ecclesiæ angulos, alter unum duntaxat. Item ex capite dotationis, quorum unus duas, alter tertiam solummodo partem contulit, modò uterque simul dotem sufficientem, & competentem dederit. Et hinc disparitas est inter eum, qui fundat, & construit, & inter eum, qui majorem partem expensarum ad constructionem, vel dotationem confert; nam, ut paulò antea dictum est, in fundante, & construente duo concurrunt diversi tituli fundationis, & constructionis; at in conferente majorem partem expensarum ad constructionem cum reliquis simul construentibus unus, idemque titulus reperitur: hinc una solùm vox utrique construenti competet, etsi plus conferenti competat pinguior, & saltem casu, quo gratificationi locus est, voci minus conferentis sit præferenda. Gloss. *in can. quicunque* 30. *V. aliquid caus.* 16. *q.* 7. Abb. *ad rubr. h. tit. n.* 6. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 19. *q.* 6. Lambertin. *art.* 8. *cit. n.* 11. & 13. Garc. *p.* 5. *de benef. c.* 9. *n.* 52. & 54. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *cap.* 13. *n.* 2. Pal. *tr.* 13. *D.* 2. *p.* 2. *n.* 6. Clericat. *de benef. discord.* 4. *num.* 16. Engl. *hic num.* 21. Pirh. *num.* 6. Schamb. *num.* 11. Vviest. *num.* 36. 56

5 Si unus tantùm dotet Ecclesiam non tamen sufficienter ad alendos Ministros Ecclesiæ, & luminaria &c. Benefactor solùm dicetur, non patronus; quia ut titulo dotationis acquiratur jus patronatus, requiritur, ut illa sit sufficiens. Imò etiam fundantis, & construentis jus patronatus suspendetur, nec consecrari Ecclesia talis poterit, nisi competenter dotata fuerit, per *can. cùm sicut* 8. *de consecr. Eccl. vel Altar.* Monacell. *formul. p.* 1. *form.* 10. *n.* 4. *tit.* 16. Matthæuc. *Offic. Eccl. c.* 28. *n.* 7. & hoc teste respondit *S. Congr. Concil. Nullius Galleatæ* 27. *Nov.* 1694. 57

Neque obstat, quòd Ecclesia ex sola fundatione, & constructione de non esse ad esse deducta sit, adeoque videatur hoc casu saltem fundans, & construens esse patronus; quia ut *l. cit.* advertit Matthæuccius, dote nondum assignata, quoad effectum acquirendi jus patronatus de non esse ad esse solùm deducitur incompletè, & contra juris prohibitionem.

Quæritur 10. an jus patronatus acquiri, vel constitui possit etiam post consecrationem Ecclesiæ? Negat Gloss. *in c. piæ mentis* 26. *V. eod. caus.* 16. *q.* 7. tum quia patronus est quasi pater dictus, qui rem à non esse ad esse perducit; tum quia jus patronatus est quasi servitus, seu onus quoddam, quod rei Sacræ imponi non potest *l. caveri* 4. *ff. commun. prædior.* 58

Sed distinguendum est, an Ecclesia talis jam sit sufficienter dotata, an non.

Si primum, is, qui post primam dotationem agros, & quæcunque bona Ecclesiæ donat, etiamsi ea conditione donet, ut fundi dotales fiant, Benefactor duntaxat Ecclesiæ, non patronus censetur, quanquam id, quod donatum est, plus sit, quàm quod primitus in dotem datum est, cùm dotantes non propter quantitatem rei donatæ patroni dicantur, sed quia ipsam Ecclesiam quodammodo à non esse ad esse perducunt, quod non facit, qui dotem Ecclesiæ jam sufficienter dotatæ auget. Konig *hic num.* 14.

Si secundum, iterum distinguendum est, an talis Ecclesia omnino non sit dotata, an verò dotata quidem, sed non sufficienter. *Si prius*, is, qui Ecclesiæ constructæ, sed necdum dotatæ post ejus consecrationem dotem assignat, fit patronus ejusdem, modò cum consensu Episcopi hoc fiat; quia favore Ecclesiæ dotatio retrotrahitur ad tempus constructionis, & Ecclesia fingitur dotata ante consecrationem, sicut subsequens Matrimonium retrotrahitur ad effectum legitimandi liberos ille- 59

illegitimos *c. tanta* 6. *qui fil. legit.* Abb. *in c. quoniam* 3. *hoc tit. num.* 9. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 19. *quæst.* 8. Garc. *p.* 5. *de Benef. c.* 9. *num.* 55. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 13. *num.* 3. Pal. *tr.* 13. *D.* 2. *p.* 2. *num.* 7. Pirh. *hic n.* 10. Konig *n.* 14. Matthæuc. *c.* 28. *cit. num.* 8. Procedit autem hoc solum casu, quo is, qui Ecclesiam fundavit, vel construxit sine dote, mortuus est; vel ad eum commodè accessus non patet; nam si hic desuper consultus velit patronus esse, simul cum dotante patronus fiet. Azor. Pirhing *l. citt.*

60 *Si posterius* contingat, & dos solummodo augeatur, cum Matthæuccio *l. cit. num.* 11. considerandum, in qua quantitate, & qua mente augmentum hoc fiat; nam siquis modicum daret, non acquireret jus patronatus, ut notat Gloss. *in can. quicunque caus.* 16. *quæst.* 7. Similiter siquis conferat aliquid in notabili quantitate, non tamen in dotem, sed in vim donationis, non dotator, sed dator, & benefactor dicetur. Abb. *in can. quoniam cit. num.* 10. Quare ut ex augmento dotis acquiratur jus patronatus, debet conferri expresse de scientia Ordinarii in dotis augmentum, & in summa excedente medietatem dotis juxta sensum *Rotæ coram Ninoto decis.* 73. *num.* 5. *& coram Cerro decis.* 526. *num.* 3. *&* 4. apud Matthæuc. *num.* 11.

Ex quo sequitur *Ad* 1. *Argumentum num.* 58. propositum; dicendum enim, antequam Ecclesia sufficienter dotata sit, in ordine ad acquirendum jus patronatus eam nondum perfectè deductam de non esse ad esse. *Ad* 2. onus hoc, quo premitur Ecclesia occasione juris patronatus, exsurgere ex dispositione Juris, hoc Jus concedentis omnibus, qui Ecclesiam fundaverint, construxerint, vel dotaverint.

61 Quæritur 11. an casu, quo Ecclesia omnino diruta restauratur, aut amissa omnino priore dote, dotatur denuo, Jus patronatus in illa habeat is, qui prior illam construxit, vel dotavit, an verò, qui restauravit, vel redotavit? Resp. illud competere posteriori, non priori. Ita Host. *in c. quoniam* 3. *h. tit. num.* 3. Joan. Andr. *ibid. num.* 12. Garc. *p.* 5. *de benef. c.* 9. *num.* 51. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 13. *num.* 3. Pal. *tr.* 13. *D.* 2. *p.* 2. *num.* 5. Clericat. *de benef. Discord.* 4. *n.* 8. Matthæuc. *de Off. Eccl. c.* 28. *n.* 10. Vallens. *hic* §. 1. *n.* 3. Zoes. *n.* 6. Honor. *n.* 4. Engl *n.* 26. Pirh. *num.* 8. Konig *n.* 13. Vviest. *n.* 25.

Ratio de primo ædificante, vel dotante est; quia per omnimodam destructionem Ecclesiæ, & dotis interitum Jus patronatus amissum, extinctumque est, atqui obligatio, & jus semel extinctum in perpetuum non reviviscit *l. qui res* 98. §. *aream* 8. *ff. de solution.* Et hoc verum est, etiamsi restauretur Ecclesia ab alio ex eadem materia; adhuc enim primus ædificator amittit Jus patronatus, ut *l. cit.* notant Vallens. Pirh. & alii. Quod tamen intelligendum est, quatenus hoc Jus illi competierat ex constructione; nam si præterea Ecclesiam ipse etiam fundavit, vel dotavit, quamdiu fundus, aut dos salva manet, prior patronus in Ecclesia reædificata Jus pattonatus retinet, & concurret tunc cum reparante, ut bene Abb. *in can. quoniam* 3. *hoc tit. num.* 11. Fagnan. *ibid. n.* 59. *&* 60. Zoes. *hic num.* 6. Pirh. *num.* 9. Rationem dat Abb. *loc. cit.* quia si duæ, vel plures causæ concurrunt ad aliquem effectum, quarum quælibet per se sufficit; non extinguitur effectus propter defectum alterius causæ tantum.

62 *Ratio de secundo construente, & dotante* est; quia Ecclesiam omnino dirutam restaurare, & eam nova dote induere non minus est, quàm eam construere, & dotare ab initio: igitur ita restaurans, & dotans pro ejusdem patrono habetur. Ut tamen huic acquiratur eo casu Jus Patronatus, tria omnino requiruntur. 1. Ut reædificatio, & novæ dotis constitutio fiat de licentia Diœcesani cum conditione acquirendi Jus Patronatus; nam si sine consensu ejusdem fiat, sicut primò ædificans sine eo consensu non acquirit Jus Patronatus, ita neque reædificans. Matthæuc. *in Offic. Eccl. cap.* 28. *num.* 10. 2. Ut prior Patronus de hac re monitus, in reædificationem, & dotationem novam ab alio faciendam consentiat; tunc enim censetur renuntiasse Juri suo. Æquum proinde erit, ut Episcopus, priusquàm consensum det in ædificationem ab alio faciendam, ea de re moneat antiquum Ecclesiæ Patronum, eumque id facere volentem admittat præ quovis extraneo. Garc. *p.* 5. *de Benef. c.* 5. *num.* 51. Schambog *hic n.* 12. Konig *num.* 13. 3. ut Ecclesia sit omnino diruta, vel prior dos omnino amissa; nam is, qui non omnino dirutam suis sumptibus reparat, aut dotis augmento eidem assignato ditat, per hoc Jus Patronatus non consequitur. Zerol. *prax. Episcop. p.* 3. *vers. Jus Patronatus* §. 2. Gonzal. *ad Regul.* 8. *gloss.* 28. *n.* 53. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 13. *n.* 3. Vallens. *hic* §. 1. *n.* 3. Zoes. *n.* 7. Honor. *num.* 11. Pirh. *n.* 8. *not.* 3. Schambog. *n.* 12. Engl *num.* 21. Vviest. *num.* 26. juxta quos ad acquirendum Jus Patronatus ex causa reædificationis, requiritur, ut ædificium Ecclesiæ, & ex causa novæ dotis constitutæ, dos antiqua redacta sit de esse ad non esse. *Procediique hoc*, etsi Ecclesia per partes ita sit reædificata, ut denique tota nova sit facta: non enim propterea primus extructor desinit Patronus esse, cùm eadem adhuc moraliter censeatur esse Ecclesia. *arg. l. quid tamen* 10. §. *non tantùm* 1. *vers. planè ff. quib. mod. Ususfr. amitt.*

Quæritur 12. an siquis in fundo alieno, inscio, aut invito domino, extruat Ecclesiam, Jus Patronatus acquiratur ædificanti, an verò domino fundi? Videtur acquiri domino fundi; *quia omne, quod inædificatur, solo cedit*, ut ait Cajus *l. adeo* 7. §. *cùm in suo* 10. *ff. de acquir. rer. domin.* 63

Sed dicendum, Jus Patronatus Ecclesiæ ædificatæ in alieno solo acquiri constructori, non domino fundi, qui tamen potest Ecclesiam, in suo fundo ædificatam ipso inscio, & invito, propria authoritate destruere, vel occupare, si nondum consecrata sit. *arg. c. intelleximus* 1. & *c. seq. de nov. oper. nunt. l. quemadmodùm* 29. §. *si protectum meum* 1. *vers. aliud est ff. ad leg. Aquil. l. sed si* 27. *pr. ff. de servit. præd. urb.* neque enim per ædificationem Ecclesiæ domino invito, vel inscio auferri debet dominium fundi sui; id enim, quod nostrum est, sine facto nostro ad alium transferri non potest.

Dixi *inscio, aut invito domino fundi*; nam si ædificationem ita factam dominus fundi postea ratam habeat, tam ipse, quàm constructor erunt patroni, ipse quidem ratione fundi, constructor ratione constructionis. Vivian. *de jur. patron. p.* 1. *l.* 2. *c.* 2. *n.* 12. Addidi, *posse dominum fundi Ecclesiam, se inscio, aut invito in fundo suo ædificatam, propria authoritate occupare, vel destruere, si nondum sit consecrata*: nam si consecrata jam sit, istud non potest, licèt æstimatio fundi à construente solvenda sit domino *arg. can. comperimus* 2. *caus.* 14. *q.* 6. Abb. *in c.* 1. *num. ult. de nov. oper. nunt.* Vivian. *l. cit. n.* 13. Pirh. *n.* 13. 64

Ad Rationem in contrarium allatam dico, Jura non acquiri invitis; cons. neci jus patronatus;

§. III.

De Personis, quibus competit Jus Patronatus.

SUMMARIUM.

65 *Juris Patronatus capaces sunt omnes, qui jure non prohibentur.*
66 *Excipiuntur Judæi, & Infideles.*
67 *Item Hæretici.*
68 *Defacto tamen in Germania admittuntur præsentationes istorum.*
69 *Excommunicatus jus præsentandi retinet.*
70 *Estque præsentatio ab eo facta probabilius valida, licèt eam Episcopus non teneatur admittere.*
71 *Solvitur ratio dubitandi.*
72 *Ejusdem capaces sunt Laici.*
73 *Etiam Illegitimi, & Spurii.*
74 *Item Pupilli, & Minores.*
75 *Valet præsentatio à Pupillo facta etiam sine authoritate Tutoris. Curator non potest se immiscere in præsentatione, quæ Minori competit.*
76 *Nec pater in ea, quæ competit filio, nisi quando jus patronatus annexum est bonis adventitiis.*
77 78 79 *An fœminæ juris patronatus capaces sint?*
80 81 82 83 84 *An jus patronatus competens fœminæ, si illa nubat, ad maritum transeat?*
85 *An fieri præsentatio validè possit etiam à mero possessore istius juris?*
86 *Quid si lis mota ei sit super proprietate hujus juris? Ratio dubitandi.*
87 *Resolvitur affirmativa.*
88 *Respondetur ad Argumenta contraria.*
89 *An jus Patronatus, vel exercitium ejus competat etiam Conductori Villæ, aut Castri, cui annexum est jus Patronatus?*
90 *Quid si Locatio solùm facta sit ad tempus modicum?*
91 *Utrum jus istud competat Creditori, habenti Castrum tale in Pignus?*
92 *Respondetur ad Replicam.*

Edi-

65 EDictum de Jure Patronatus prohibitorium est; conf. pro Regula ponitur, quòd ex fundatione, dotatione, constructione omnes illud possint acquirere, qui non sunt à jure specificè prohibiti. Dubium moveti de variis generibus personarum potest. Et hinc

Quæritur 1. an Juris Patronatus capaces sint Infideles, & Judæi? *Ratio dubitandi est*, quia possunt & ipsi fundare, construere, dotare Ecclesias: item possunt acquirere castra, & alia loca, quibus Jus Patronatus annexum est.

66 Verùm tenenda est negativa sententia cum Gloss. *in c. Frigentius* 27. *V. qui Christianis cauf.* 16. *quæst.* 7. Lambertin. *de jur. patron. l.* 1. *p.* 1. *quæst.* 5. *art.* 8. *num.* 1. *&* 2. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 21. *q.* 7. Vivian. *prax. jur. patr. l.* 2. *c.* 6. *num.* 11. Pal. *tr.* 13. *D.* 2. *p.* 4. *numer.* 19. Fagnan. *in c. nobis* 25. *h. tit. num.* 9. Vallens. *hic* §. 1. *n.* 4. *fin.* Pirh. *hic n.* 20. Scamb. *n.* 20. Konig *n.* 24. Vviest. *n.* 43.

Ratio est; quia, ut suprà insinuatum est, Jus Patronatus Ecclesiæ favore competit: atqui ab ista capaces illius facti sunt soli Christiani *can. piæ* 26. ibi, *Qui omni Christiano debetur*, *c. Frigentius* 27. junct. Gloss. *V. qui Christianis*, *can. quicunque fidelium* 30. *&c. cauf.* 16. *quæst.* 7. ergo &c. Si tamen Infidelis, vel Judæus fundet Ecclesiam, tenetur illam dotare. Fagnan. Pirhing. *loc. citt.*

Ex quo cadit Ratio dubitandi, & sequitur, casu, quo infidelis, vel Judæus Ecclesiam, aut Capellam aliquam fundat, dotat, construit, Ecclesiam illam, vel Capellam fore liberam: qualis etiam fit, si Castrum, vel alium locum acquitat, cui annexum est Jus Patronatus.

67 Quæritur 2. an hujus juris capaces sint Hæretici? Videntur capaces esse; quia sunt Christiani, & baptizati. Et *confirmatur* à pari cum Cognatione Spirituali, quam baptizando infantem, aut ex Baptismo levando & ipsi contrahunt.

Sed dicendum, de jure jus patronatus Hæreticis non competere. Ita Joan. Andr. *in can. nobis* 25. *hoc titul. num.* 3. Abb. *ibidem num.* 3. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 21. *q.* 8. Vivian. *prax. jur. patron. c.* 6. *n.* 12. Vallens. §. 1. *hoc tit. num.* 4. *fin.* Pirh. *num.* 20. Schamb. *num.* 20. Konig *n.* 24. Vviest. *n.* 44.

Ratio est, quia jus patronatus est potestas, & honor Ecclesiasticus, concessus speciali gratia, & favore Ecclesiæ: quo cùm indigni vel maximè sint Hæretici, tanquam ejus contemptores, & impugnatores, credibile non est juris patronatus concessionem etiam ad ipsos pertinere. Accedit; quia omnia bona Hæretici ipso Jure confiscantur *c. cùm secundùm* 19. *de Hæret. in* 6. & conf. etiam Jus Patronatus ad fiscum transit. Quare si Patronus in Hæresim lapsus præsentavit, alia præsentatio fieri debet: si tamen postea ad Catholicam Fidem reversus fuerit, recuperat Jus Patronatus, nisi per sententiam sit privatus, ac damnatus ob Hæresim. Gloss. *in can. maximum* 19. *V. dignitate cauf.* 1. *q.* 2.

68 Dixi *de Jure*; nam defacto ex Summi Pontificis, & Prælatorum Ecclesiasticorum conniventia in Germania nostra admittuntur etiam præsentationes ab Hæreticis factæ, modò Clericus ab ipsis præsentatus idoneus sit.

Ad rationem dubitandi, Hæretici Christiani quidem sunt, sed non propriè fideles; quia, ut cum S. Thom. 2. 2. *q.* 10. *art.* 5. *in Corp.* notant TT. etiam Hæresis peccatum, & species Infidelitatis est. *Ad Conf.* negatur paritas; quia Cognatio Spiritualis ex Baptismo specialis gratiæ, & favoris rationem non habet.

69 Quæritur 3. an Patronus excommunicatus Jus Patronatus retineat, & exercere illud præsentando Clericum ad Ecclesiam vacantem possit? *Certum est* ipso Patronatu, ante Excommunicationem, ratione fundationis, constructionis, dotationis sibi quæsito, per Excommunicationem non privari; quia privatio hæc nullo Jure statuta est. Vivian. *prax. Jur. Patron. l.* 2. *c.* 6. *num.* 20.

Dubium est, an præsentatio ab eodem facta sit valida? Negant valere, etiam à Laico Patrono factam, Lambertin. *de Jure Patron. p.* 1. *l.* 2. *q.* 2. *art.* 2. Covar. *in c. Alma p.* 1. §. 7. *num.* 9. Pirh. *hic num.* 21. Schambog. *num.* 20. *ibid. vers.* 12. *Effectus*. Rationem dant; quia ejusmodi præsentatione Superiori oblata præsentato acquiritur Jus ad Beneficium. atqui Excommunicatus Jus Ecclesiasticum concedendi facultatem non habet, ut cum *citt.* tradit Pal. *tr.* 29. *D.* 2. *p.* 13. *n.* 15. ergo &c. Contra Rochus de Curte *competens q.* 8. *num.* 22. ex hoc Zoes. *num.* 59. *hic* distinguunr inter Patronum Laicum, & Clericum, & dicunt illius præsentationem valere, hujus non valere. Rationem disparitatis afferunt; quia Patroni Ecclesiastici præsentatio vim Electionis habet, ut notat Fagnan. *in c. cùm autem* 24. *h. tit. num.* 18. electio autem ab Excommunicato vitando facta est irrita *c. un. ne Sede vacant. in* 6. ergo &c.

Sed dicendum, probabilius utriusque præsentationem esse validam, quamvis eam Episcopus non teneatur admittere. Ita Ugolin. *de Censur. tab.* 2. *c.* 13. §. 2. *num.* 13. Garc. *de Benef. p.* 5. *c.* 4. *num.* 317. Vviest. *hic num.* 46. Ratio est; quia patiter nullo Juris textu præsentatio talis valore suo privatur, debent autem actus pronuntiari validi, qui non constant esse invalidi. ergo &c. Addidi, *Episcopum non teneri*, *præsentationem ab Excommunicato factam admittere:* ubi distinguendum est inter casum, quo Patronus præsentans est Excommunicatus toleratus, & inter casum, quo est vitandus. In *primo casu* potest, sed non debet: in *secundo* nec potest licitè admittere præsentationem; quia communicaret cum Excommunicato, cum quo, si toleratus sit, communicatio est licita, si vitandus, illicita. Hinc utroque casu differri admissio præsentationis potest, & ampliùs differtur etiam ipsa præsentatio, dum Patronus absolvatur ab Excommunicatione, quod usque dum fiat, nisi in mora petendæ absolutionis sit, tempus non currit, ut *infrà* §. 6. dicetur. *Excipiatur*, nisi urgeat necessitas: cujusmodi in casu proposito foret, si non admissa præsentatione, diuturna, & Ecclesiæ damnosa vacatio induceretur. 70

Ad argumentum primæ Sententiæ dico per ejusmodi præsentationem non tribui Jus firmum, cùm ea facta, sic locus variationi, si à Patrono Laico facta sit *c. quod autem* 5. & *c. cùm autem* 24. *hoc titul. Ad Argumentum secundæ* negatur paritas; imprimis enim per Electionem acquiritur electo jus firmum: deinde talis præsentatio non est actus Jurisdictionis, vel Officii Ecclesiastici, à quo solo per Excommunicationem Excommunicatus suspenditur. 71

Quæritur 4. an Laici sint capaces Juris Patronatus? *Ratio dubitandi est*; quia non sunt capaces Juris eligendi. Sed tenenda est affirmativa sententia, prout patet ex *c. fin. de conceß. Præbend.* & *c. ex literis* 7. *h. tit.* 72

Estque id verum, etsi illegitimi illi sint, vel etiam Spurii; quia etiam hi à Jure excepti non reperiuntur, & possidere possunt Castra, villas, & alia loco habentia annexum Jus Patronatus: item possunt fundare, erigere, dotare Ecclesias, & Beneficia Ecclesiastica: quod facientibus generaliter, & indistinctè SS. Canones Jus Patronatus indulgent. Roch. de Curte *de Jure Patron. V. competens quæst.* 2. Lambertin. *de Jure Patron. l.* 1. *p.* 1. *q.* 7. *art.* 13. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 21. *quæst.* 15. Vivian. *prax. Jur. Patron. l.* 2. *c.* 6. *numer.* 28. Layman *l.* 4. *tract.* 2. *c.* 13. *numer.* 18. Pal. *tract.* 13. *D.* 2. *p.* 4. *numer.* 23. Engl *hic numer.* 10. Pirhing *num.* 19. Konig *num.* 23. Vviest. *num.* 42.

Neque obstat, quod illegitimus, & spurius sit incapax horrorum, Beneficiorum, & Officiorum publicorum; nam hoc solummodo verum est de officiis, & honoribus verè publicis, maximè illis, quæ per electionem, & optionem publicam acquiruntur, non verò de impropriè dictis, & in aliquam remunerationem, & compensationem primordialiter concessis.

Ad rationem dubitandi negatur paritas: nam 1. Jus eligendi est simpliciter Spirituali annexum, ut dictum est *supra num.* 4. 2. vi Electionis electo acquiritur Jus absolutum ad Prælaturam, vel Beneficium; tale Jus non acquiritur præsentato per præsentationem, cùm recedi ab ea valeat. 3. Juris eligendi ad Beneficia Ecclesiastica Laici sine dispensatione Apostolica absolutè sunt incapaces; at verò ad Jus Patronatus obtinendum generaliter habilitati sunt à Jure Canonico. 73

Quæritur 5. an Juris Patronatus capaces sint Pupilli, & Minores? *Ratio dubitandi est;* quia non videntur habere ad istud sufficientem usum rationis, & maturitatem Judicii. Sed distinguendum est inter Jus Patronatus, & exercitium illius. Juris Patronatus certò capaces sunt, sicut capaces sunt Legati, & hæreditatis, quibus Jus Patronatus annexum est. Ita Abb. *in c.* 1. *h. tit. n.* 4. Joan. Andr. *in c. cùm ex eo* 34. *de Elect. in* 6. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 21. *q.* 14. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 13. *q.* 7. *num.* 18. Pal. *tr.* 13. *D.* 2. *p.* 4. *num.* 20. Vivian. *de Jure* 74

Jure Patron. l. 2. *c.* 6. *n.* 29. Pirh. *hic num.* 17. *&* 18. Schambog. *n.* 15. Konig *num.* 22.

Quoad exercitium illius adhibenda eſt ſecunda diſtinctio, & videndum, an is, qui Jus Patronatus habet, ſit adhuc infans, ſeu ſeptenni minor, an hac ætate major *Si primum* (quod etiam dicendum de furioſo) præſentatio non ab ipſo; ſed à Tutore eſt facienda. Roch. de Curte *V. competens quæſt.* 3. *n.* 12. Garc. *p.* 5. *de Benef. c.* 9. *num.* 193. Azor. *q.* 14. *cit.* Pal. *num.* 21. Vall. *hic* §. 5. *num.* 4. Zoeſ. *num.* 40. Pirh. *num.* 18. Schamb. *numer.* 17. Konig *numer.* 22. Vvieſt. *n.* 48. Magnif. P. Schmiet *p.* 2. *de reb. Eccl. c.* 3. *num.* 99. & probat Ratio dubitandi allata. *Si ſecundum*, utendum eſt tertia diſtinctione, an ſcilicet adhuc intra annos impubertatis ſit conſtitutus, an vero jam pubertatem adeptus.

75 *Si conſtitutus eſt adhuc intra annos impubertatis*, conveniret quidem præſentationem ab eo fieri, interveniente authoritate Tutoris; ſi tamen ſine hac Pupillus præſentaverit dignum, præſentatio valet, cùm nullo Jure ſit cautum, quòd authoritas Tutoris requiratur ad præſentationem validam: imò ſi Tutor præſentaverit alium, huic, quamvis digniori, præſentatus à pupillo, modò ſit dignus, præfertur; tum quia Pupillus eſt quaſi dominus hujus Juris, & conſtitutus in hac ætate etiam Sponſalia de futuro per ſe contrahere poteſt *tot. tit. de Deſponſ. impub.* tum verò, quia ſicut patria, ita nec tutoria poteſtas in Spiritualibus locum habet per ea, quæ notantur *in c. fin. de Judic. in* 6. Quodſi tamen Tutor aliquem præſentet: & Pupillus ſeptennio major non contradicat expresſè, vel tacitè alium præſentando, præſentatio ab eo facta valebit. Schambog *n.* 18.

Si verò jam pubertatem adeptus ſit, nequaquam ſe immiſcere in præſentatione Curator poteſt, etſi Patronus adhuc ſit minor; quia hic non ad regendam perſonam, ſed ad bona temporalia ſolum adminiſtranda Minori datûr: imò præſentatio ab eo facta, ſine mandato Patroni, invalida eſt. Gutier. *de Tutel. p.* 3. *c.* 29. *num.* 14. Layman *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 13. *numer.* 18. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de reb. Eccl. c.* 3. *n.* 99. cum *citt.*

76 Idem, quod dictum eſt de Curatore, & Tutore, dicendum eſt de Patre reſpectu filii, dum ſub ejus eſt poteſtate; nam dum impubes eſt filius, poteſt præſentare Pater ad Beneficia Juris Patronatus competentis filio, quòd toto eo tempore perſonæ filii adminiſtrationem habeat. Secus verò poſt pubertatem; quia tunc ceſſat adminiſtratio perſonæ filii, & ſolùm patri conceditur in ejus bonis, & quidem temporalibus tantùm: nam ad Spiritualia poteſtas Patria non extenditur, cùm in his Filius familias ſit ſui Juris. Garc. *cap.* 9. *citat. num.* 198. Pal. *p.* 4. *citat. num.* 22. Schambog *hic num.* 19. Sed neque poteſt Pater præſentare pro filio, tanquam perſona conjuncta, etiam cum cautione de rato; tum quia ad præſentandum requiritur ſpeciale mandatum; tum quia in cauſa Spirituali, qualis eſt iſta, etiam pater, vel alia perſona conjuncta non admittitur ſine mandato, quamvis cautionem de rato dederint, niſi fieret ratificatio intra tempus datum ad præſentandum. Pirh. *hic num.* 20. *Excipitur*, ſi jus patronatus ſit annexum bonis filii adventitiis; horum enim ſicut Uſusfructus, ſic etiam annexi Juris patronatus exercitium ad Patrem ſpectat. Pal. *loc. cit.*

77 Quæritur 6. an Juris Patronatus capaces ſint etiam fœminæ? *Ratio dubitandi eſt*; quia Patrono ex officio ſuo incumbit cura, & tuitio Eccleſiæ *canon. filiis* 31. *& canon. ſeq. cauſ.* 16. *quæſt.* 7. hæc autem non cadit in fæminam; quia aliena defenſio eſt officium virile *l. alienam* 18. *C. de Procur.* & publicum officium *pr. Inſt. de excuſat. Tutor.* à quo fæminæ removentur *l. fœminæ* 2. *ff. de R. J. Conf.* nam ut viribus, ita etiam judicio, conſilioque ſunt tenui, & imbecilli, adeo, ut *adverſus commoda propria earum plerumque inveniatur laborare conſilium*, ut *l. ſi pater* 4. *C. de Sponſal.* teſtantur Honorius, & Arcadius Imp. ergo multo minùs aptæ ſunt, ut tueantur, & defendant res, & Jura aliena.

78 Sed tenenda eſt affirmativa Sententia, quam cum communi defendunt Abb. *in cap. fin. de conceſſ. præbend. num.* 2. *& in cap.* 1. *h. tit. num.* 3. Azor. *part.* 2. *lib.* 6. *cap.* 21. *quæſt.* 10. Garc. *part.* 5. *de Benef. c.* 9. *num.* 142. Vivian. *in prax. Jur. Patron. lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 2. Barboſ. *in cap. ex litteris* 7. *h. tit. nu.* 12. Engl *hic num.* 10. Pirh. *num.* 16. Schamb. *num.* 15. Konig *num.* 20. Vvieſt. *num.* 52. Patet de fœminis Regularibus *c. ex litteris citat.* de Sæcularibus *c. fin. citat.* Ratio eſt; quia SS. Canones honorant Patronatu Chriſtianos fideles omnes ſine ullo ſexus diſcrimine *can. piæ* 26. *can. Frigentius* 27. *& can. quicunque* 30. *cauſ.* 16. *quæſt.* 7. igitur cùm fæminæ adminiſtrationis, & curæ Eccleſiaſticæ nullo jure factæ ſint incapaces, etiam ipſæ ſub generalitate hac comptehendentur. Hinc ſi jus Patronatus ſit Hæreditarium, imò etiam Gentilitium, fœmina quoque in eo ſuccedet; quia, ut Riccius *prax. part.* 1. *reſol.* 169. notat, Jus quæſitum ſub hac forma, *Mihi, & fratribus, ac eorum hæredibus* etiam Sorores complectitur *l. tres fratres* 25. *& ibi* Gloſſ. *ff. de pact.* Konig *n.* 20.

Ad Rationem dubitandi dico illam in præſenti caſu non habere locum; quia contrarium ſatis conſtat ex Lege Canonica: & eſto, per ſeipſas exercere curam, tuitionemque non poſſent, poterunt ſaltem per alios. 79
Ad Conf. id probat nimium; probat enim, quod univerſim ab adminiſtratione publica removendæ ſint fæminæ, cùm tamen ad eandem Reginas admittant jura Civilia, Abbatiſſas SS. Canones.

Quæritur 7. an caſu, quo fæminæ jus patronatus competit, illud penes eandem maneat, ſi nubat, an verò ad virum ipſius tranſeat? *Certum eſt*, ad virum non tranſire ſi jus illud ſit merè perſonale, vel annexum Paraphernalibus. Gutier. *de Tutel. part.* 3. *cap.* 29. *num.* 4. Garc. *part.* 5. *de Benef. cap.* 9. *num.* 185. Vivian. *prax. Jur. Patron. l.* 2. *cap.* 6. *num.* 8. Schambog. *num.* 16. *hic* Vvieſt. *num.* 53. & ratio de perſonali Jure eſt; quia adhæret perſonæ: de annexo paraphernalibus; quia iſta ad maritum non tranſeunt, conſ. nec jus patronatus iis annexum. 80

Controverſia inter DD. eſt de jure patronatus annexo bonis verb. grat. Villæ, aut caſtro, marito in dotem datis; nam tres ſunt ſententiæ: *Prima* cum Felin. *in c. cum olim* 14. *de major. num.* 2. Abb. *in c. fin. de conceſſ. Præb. n.* 8. Jaſon. *in l. divortio* §. *ſi vir in fundo num.* 7. *ff. ſolut. matr.* Azor. *part.* 2. *lib.* 6. *cap.* 21. *quæſt.* 16. Konig *hic num.* 21. jus patronatus eo caſu adſtruit uxori, ex ratione; quia verum dominium naturale dotis penes uxorem remanet *l. in rebus* 30. *C. de Jur. dot.* ibi, *Cùm eædem res & ab initio uxoris fuerint, & naturaliter in ejus permanſerint dominio*, & *lib. quamvis* 75. *ff. eod.* ubi Tryphonius, *Quamvis*, inquit, *in bonis mariti dos ſit, mulieris tamen eſt*. Neque obſtare debet, quòd præſentare ſit quidam fructus, & emolumentum juris patronatus; fructus autem, & emolumenta rerum dotalium ad maritum ſpectent. Nam hoc intelligendum dicunt de fructibus, & commoditatibus, quæ ad ſuſtinenda Matrimonii onera deſervire poſſint, cum ad finem iſtum dos concedatur, talis autem fructus non eſt jus patronatus, cùm non ſit pecunia æſtimabilis, ſed quidam honor: igitur mirum eſſe non debet, ſi hujuſmodi fructus cum dote ad maritum non tranſeat. 81

Secunda ſententia cum Covar. *pract. qq. cap.* 38. *per totum*, & Pal. *tract.* 13. *D.* 2. *part.* 4. *num.* 29. diſtinguit: Vel enim, inquiunt, bona in dotem à marito data ſunt æſtimata æſtimatione, quæ facit emptionem, vel nulla, aut ea tantùm æſtimatione, quæ emptionem non facit. *Si prius*, concedunt jus patronatus, ejuſque exercitium non uxori, ſed marito competere; quia hic bonorum ita datorum ſit dominus, ideoque ſoluto Matrimonio, reſtituere tenetur non dotem, ſed dotis duntaxat æſtimationem. *Si poſterius*, contendunt, præſentationem competere ſoli uxori; quia per *l. in rebus, & l. quamvis citt.* ad maritum tranſit ſola adminiſtratio bonorum dotalium ita acceptorum, & ex his ii duntaxat fructus, qui faciunt ad faciliùs ſupportanda onera Matrimonii, cujuſmodi fructus non eſt præſentatio. 82

Tertia, & meo judicio verior cum Tiraquell. *ad LL. connub. gloſſ. ult. à num.* 5. Gutier. *de Tutel. part.* 3. *c.* 29. *num.* 3. Garc. *part.* 5. *de Benef. cap.* 9. *n.* 177. Riccio *prax. for. Eccleſ. deciſ.* 123. Paul. de Cittadin. *part.* 6. *art.* 5. *n.* 70. Petr. Barbol. *in l. divortio* 7. §. *ſi vir* 13 *ff. ſolut. matr. n.* 57. Auguſt. Barboſ. *lib.* 3. *jur. Eccleſ. cap.* 12. *num.* 223. Laym. *lib.* 4. *tr.* 2. *cap.* 13. *quæſt.* 7. *n.* 18. Vivian. *prax. jur. patron. lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 7. Zoeſ. *hic num.* 36. Engl. *n.* 23. *not.* 6. Pirh. *n.* 17. jus patronatus hoc caſu dicit tranſire ad maritum, & huic ſoli competere, ſtante Matrimonio. *Ratio eſt* 1. quia rerum dotalium non ſolum fructus, ſed fictione juris etiam ipſum dominium, ſaltem Civile, penes maritum eſt quoad omnes effectus jure non exceptos *argument. l. dote* 9. *C. de R. V.* ut cum Gloſſ. *in l. in rebus citat. V. naturali* docent *ibid.* Bartol. *numer.* 3. & Bald. *numer.* 6. 2. acceſſorium ſequitur principale, niſi fiat exceptio: atqui jus patronatus acceſſoriè ſe habet ad rem dotalem, cui annexum eſt: ergo hac in maritum translata, ad eundem etiam jus patronatus transfertur: 3. rei dotalis fructus, & emolumenta ad maritum ſpectant *cap. per veſtras* 7. *de Donat.* 83

int.

int. vir. & uxor. & cap. salubriter 15. de Usur. est autem jus patronatus, annexum rei dotali, quasi fructus, & emolumentum rei dotalis: ergo &c.

84 Neque urgent Argumenta allata pro prima, & secunda sententia. *Ad Argumentum primæ sententiæ* eo solum probatur, quòd jus hoc ab uxore ad maritum non transferatur stabiliter, sed soluto Matrimonio ob retentionem dominii naturalis ad eandem sit reversurum. *Ad Conf.* qui dominium rei alicujus habet, omnes ex ea fructus percipit, nisi expresse excepti sint: habet autem Maritus dominium rei dotalis, ut *num. præced.* ostensum est. *Neque refert*, quòd jus istud non sit pretio æstimabile; quia nihilominus est valde optabile marito posse sibi per præsentationem devincire Clericum. *Ad Argumentum secundæ*, juris patronatus executionem Maritus habet, non quasi deberet conferre aliquid ad Matrimonii onera supportanda, sed quia, translato principali, etiam accessorium transfertur.

85 Quæritur 8. an fieri præsentatio validè possit etiam à mero possessore istius juris? Resp. distinguendo inter bonæ, & malæ fidei possessorem. Hinc præsentare non potest, ut exploratum est apud omnes. Ille potest, prout constat ex *cap. consultationibus 19. hoc tit. Neque refert*, etsi postea detegatur vitium possessionis; nam etiam isto detecto, ab hoc præsentatus, & institutus in suo Beneficio est sustinendus, ut *ibidem* statuitur. *Et ratio est*; quia præsentatio est juris patronatus quidam fructus; fructus autem bonæ fidei possessori debentur, & absumpti non restituuntur, nisi possessor ex illis factus sit locupletior.

86 *Dubium est*, an id procedat etiam, quando super proprietate juris patronatus lis mota est? Gloss. *fin. in cap. ex litteris hoc tit.* Abb. *ibid. num.* 8. Azor. *part. 2. libr. 6. cap. 21. quæst.* 18. Laym. *libr. 4. tract. 2. cap. 13. num.* 19. Palao *tract. 13. D. 2. part. 4. numer. 26. Vers. cæterum*, Zoes. *hic numer.* 43. putant possessorem quidem etiam tum facere præsentationem posse, ex ratione, quòd bonæ fidei possessor, quamdiu causa non cadit, commodo possessionis suæ privandus non sit *capit. laudabilem 2. ut lite pendent.* addunt tamen eo casu præsentati institutionem differendam usque ad litis finem: videturque hoc sumi posse ex *c. litteris citat.* vi cujus institui potest præsentatus, *antequam de Jure patronatus --- controversia esset suborta*. igitur per argumentum à sensu contrario, postquam controversia de eo orta est, non potest institui. *Conf.* quia possessor bonæ fidei post litis contestationem fructus percipit cum onere, & obligatione eos, si causa cadat, restituendi victori: non potest autem in casu nostro, si Clericus, ab ipso præsentatus ad Beneficium, in hoc institutus jam est; quia legitimè factum irritari non debet, licèt ad casum devenerit, quo fieri, & incipere non potuit *l. nec enim 2. ff. de itin. actuq. privat.* igitur ut restitui possit, institutio præsentati ad litis finem est differenda.

87 Sed dicendum, etiam, lite pendente super proprietate Juris patronatus, præsentationem à bonæ fidei possessore fieri, & ab eo præsentatum institui posse. Ita Innoc. *in cap. 7. citat. V. suborta*, Host. *in Summ. hic n.* 9. Roch. de Curte *V. competens n.* 43. Vivian. *in cap. 7. cit. ration.* Honor. *hic numer.* 58. Schambog. *num.* 55. Vviest. *num.* 57. *Ratio est*; quia favor Ecclesiæ, & si Beneficium Curatum sit, etiam animarum exigit, ne rite præsentati Institutio differatur. Accedit; quia in præsentando solùm attenditur possessio juris patronatus *cap. cum Ecclesia 3. de caus. possess. & propr.* atqui per litis pendentiam possessio non tollitur: ergo &c.

88 Neque contrarium probatur ex *cap. ex litteris* allegato in contrarium, nam miles, cujus ibi fit mentio, non fuit in pacifica possessione Juris Patronatus: imò ut *loc. citt.* advertunt P. Engl, & P. Vviestner, verisimiliter satis Jure hoc per actum præsentationis prima vice uti cœpit. *Ad Conf.* re evicta illi tantùm fructus restituendi sunt, qui restitui possunt, salvo jure possessionis, & qui sunt pretio æstimabiles; non verò illi, qui dominum locupletiorem non reddunt, quale est Jus Patronatus.

89 Quæritur 9. an Jus Patronatus, vel exercitium ejus competat etiam conductori Villæ, aut Castri, cui Jus istud annexum est? Satis convenit inter DD. eidem Exercitium Juris patronatus competere, si Villa ipsi locata sit ad longum tempus; quia hujusmodi locatione dominium utile transfertur in Conductorem.

Difficultas est, si Locatio sit ad modicum tempus. Abb. *in capit. ex litteris 7. h. tit. num.* 5. Roch. de Curte *V. ipse, vel is quæst. 26. num.* 54. Lambertin. *lib. 1. part. 2. quæst. 8. artic.* 2. Azor. *part. 2. lib. 6. cap. 20. quæst.* 11. Laym. *lib. 4. tract. 3. c. 13. n.* 20. *Vers. porrò*, Fagnan. *in cap. ex litteris cit. num.* 12. & alii satis communiter putant, eo casu præsentationem non à Conductore, sed à Locatore faciendam esse, ex ratione: quia hujusmodi locatione non transfertur in Conductorem ullum dominium *l. non solet 39. locati*: imò neque possessio naturalis, sed mera detentio, cum Jure percipiendi fructus, ut notari solet *ad l. si ut certò 5. §. fin. ff. Commodat. & l. malè 2. C. de præscript. 30. vel 40. annor.*

Sed probabilius exercitium Juris patronatus etiam hoc casu penes Conductorem est. Ita Host. *in cap. ex litteris citat. col. ult.* Zabarell. *ibid. quæst. 1. fin.* Campanill. *Diversor. Jur. Rubr. 11. c. 23. num.* 358. Pal. *tract. 13. D. 2. p. 4. num.* 13. Barbos. *in cap. ex litteris cit. num. 4. prop. fin.* Zoes. *hic num.* 39. Vviest. *num.* 59. *Ratio est* 1. quia Locatio Villæ in casu *cap. ex litteris cit.* verbis *ad firmam*, sed ut colligitur tum ex ejusdem *cap.* verbis *ad firmam*, seu ad censum annuum, quibus regulariter tempus modicum denotatur; tum verò ex circumstantiis, quia sine solemnitatibus facta est, quod tamen fieri ad tempus longum non poterat: 2. Si Beneficium etiam ad breve tempus locetur, Jus decimandi ad Conductorem transit: ergo etiam ad hunc transibit Jus Patronatus, vel potiùs exercitium illius, si ipsi, quamvis ad breve tempus, locata sit res temporalis, cui annexum est Jus patronatus: 3. Ad Conductorem transfertur Jus percipiendi fructus ex illa conducta: ergo etiam ad eundem transferri debet exercitium juris patronatus, quippe quod est accessorium fructibus. 90

Ex quo patet ad Argumentum oppositum.

Quæritur 10. utrum jus patronatus, annexum Castro, aut Villæ, à debitore in creditorem transeat, casu, quo ille huic Castrum, aut Villam oppignoravit? Respond. negativè. Ita Gloss. *fin. in cap. Cum Bertholdus 18. de sent. & re jud.* Abb. *in capit. 7. hoc tit. num.* 5. Azor. *part. 2. lib. 6. cap. 20. quæst.* 13. Lambertin. *lib. 1. part. 2. quæst. 9. artic. 2. num.* 3. Roch. de Curte *V. ipse, vel is num.* 6. Pal. *tract. 13. D. 2. part. 4. num.* 14. Barbos. *lib. 3. Jur. Eccles. cap. 12. num.* 237. Matthæucc. *Offic. Eccl. cap. 28. num.* 49. Vallens. *hic §. 4. num.* 2. Engl. *ibid. num. 24. rot.* 7. Pirhing *num.* 82. Vviest. *num.* 168. *Ratio est*; quia oppignoratio rei nec dominium, nec possessionem, neque etiam regulariter loquendo jus re oppignorata utendi fruendi transfert, sed solam detentionem pro securitate crediti cum obligatione restituendi fructus interea provenientes ex pignore, vel eosdem computandi in sortem; atqui præsentatio est quidam fructus juris patronatus, & quidem talis, qui nec restitui potest, cum semel ita institutus à Beneficio removeri nequeat; neque computari in sortem, quia Spirituali annexum est, quod pretio temporali æstimari non potest. Superest igitur, ut competat præsentatio debitori, & non creditori Hypothecam, aut pignus possidenti. 91

Neque obstat, quod ex generali Regula concedens pignus illo uti non possit, cùm ex pignoratitia actione privetur potestate utendi re in pignus data; conf. nec debitor jure patronatus, cujus quidem usus est præsentatio. Dicendum enim, debitori solùm illum rei oppignoratæ usum esse prohibitum, qui crediti securitati obest; qui verò non obest, eidem conceditur; atqui usus juris patronatus nequaquam obest securitati crediti, cùm non sit pretio æstimabilis: igitur penes debitorem manebit. 92

Dixi autem: *Regulariter loquendo*; possunt enim etiam Creditori addici fructus pignoris, ut fit, quando res feudalis oppignoratur domino directo, fundus pro dote marito: prædium Beneficiale injustè possessum Clerico Beneficiato. His enim casibus etiam Jus Patronatus talibus rebus annexum, & præsentatio creditori est adstruenda, ut rectè notat P. Vviestner *hic num.* 169. & ratio est; quia præsentatio est accessoria fructibus, & conf. cum his transit ad eum, cui fructus debentur.

An exercitium Juris Patronatus etiam competat sequestro, dictum est *Libr. 2. tit. 17. à n.* 30. ubi tenetur Sententia affirmativa.

§. III.

De Juribus, & Obligatione Patronorum.

SUMMARIUM.

93 PAtronorum Jura, & effectus Juris Patronatus maximè sunt quatuor, Honor, Onus, Utilitas, Præsentatio: & hinc Jus istud abb. *ad Rubr. hic num.* 3. dicitur Jus honorificum, onerosum, & utile. Gloss. *in cap. nobis* 25. *V. modeste h. tit.* hæc Jura duobus versiculis comprehendit,

Patrono debetur honos, onus utilitasque,
Præsentet, præsit, defendat, alatur egenus.

94 Quæritur 1. qualis *Honor* debeatur patrono? Resp. 1. ratione patronatus debetur ipsi præ aliis Laicis dignior sedes in Ecclesia, & honoratior locus in processionibus, suscipienda pace, & thurificatione, oblatione Palmarum, candelarum &c. ut satis colligitur ex *canon. piæ* 26. *caus.* 16. *quæst.* 7. *& capit. nobis* 25. *hoc tit. Excipitur* dominus temporalis territorii, qui Jurisdictionem contentiosam fori externi ibidem habet; nam hic etiam in Ecclesia patronata debet præcedere patronum, præsertim si Jurisdictionem habeat in ipsum patronum. Fagnan. *in capit. nobis citat. numer.* 21. *& seqq.* 2. Ei venienti ad Ecclesiam Clerici debent obviare processionaliter, illumque excipere, dummodo ratione status personæ id ei conveniat, ut quia Rex est, aut magnus princeps. Gloss. *magn. in capit. un. in notat. h. tit. in* 6. Pirh. *hic numer.* 36. 3. potest in Ecclesia patronata, quam dotavit, fundavit, vel construxit suis sumptibus, ponere Arma, & Insignia suæ Familiæ, ut sic posteri eorum aspectu admoniti, ad similia opera pietatis, alii verò ad orandum pro anima Fundatorum commoveantur. Matthæucc. *in Offic. Eccl. capit.* 28. *num.* 5.

95 Dub. 1. quid circa locum, thurificationem, & pacem patrono dandam sit observandum? Resp. 1. Sedes patronorum non intra, sed extra Chorum, in digniori tamen loco sunt collocandæ, prout resolvit *Sacr. Congreg. Conc.* 21. *Augusti* 1587. apud Pignatell. *tom.* 4. *consult.* 16. *numer.* 3. & iterum 25. *Augusti ejusdem anni in Seguntina* apud eundem *tomo* 1. *consult.* 7. *numer.* 37. Sed sine Baldachino, etiamsi Dominus temporalis sit, ut patet ex Decreto ejusdem *Congr. edito* 22. *April.* 1690. ubi injunxit Ordinariis Regni Neapolitani, ut facerent ea removere ab Ecclesiis suarum Diœcesium tam Sæcularium, quàm Regularium, & quoad Ecclesias Regularium procederent ad Interdicta, & contra inobedientes ad Censuras, authoritate Sacr. Congr. Monacell. *part.* 2. *formul.* 1. *tit.* 13. *num.* 6. 2. In thurificatione, an post, vel ante Dignitates, & Canonicos facienda sit, recurrendum est ad consuetudinem: ad quam etiam recurrendum est circa modum; nam licèt per Regulas ceremoniales Episcoporum triplici ductu debeatur soli Episcopo, vel celebranti, ubi tamen adest immemorabilis consuetudo, alii pariter triplici ductu thurificari possunt, prout declaravit *S. Congreg. Rit. in Casertana* 18. *Septembris* 1632. apud Matthæucc. *Offic. Eccl. cap.* 28. *numer.* 3. *Vers. quo verò*, 3. pax Laico patrono, etiamsi Dominus loci sit, primùm est danda post datam pacem omnibus de Choro, & quidem non à Beneficiato, sed ab aliquo Ministro Cotta induto, nec cum osculo, sed cum Instrumento, ut resolvit *S. Congreg. in Calaguritana* 5. *Jul.* 1614. *& in Pacensi* 21. *Mart.* 1609. apud Pignatell. *consult.* 7. *cit. n.* 30.

Dub. 2. qualis honor debeatur patrono extra Ecclesiam? Resp. extra Ecclesiam, sicut parentes à liberis, patronus à Liberto, ita ipse ab Ecclesiæ Rectore, vel secundùm DD. est venerandus. Ex quo cum Paul. Cittadin. *de Jur. patron. part.* 6. *quæst.* 2. aliqui inferunt, quòd sicut parentes à liberis, & patronus à Liberto, ita & patronus Ecclesiæ ab istius Rectore, vel Administratore absque venia in Jus vocari nequeat. Et probari videtur ex eo; quia sine venia in Jus vocandæ non sunt personæ, quibus præstanda est reverentia *l. generaliter* 13. *ff. de in Jus vocand.* Quod confirmatur à pari cum Vasallo, qui, ut Jason. *in loc. citat. num.* 4. Vvesenbec. *ff. eod.* Mynsing. *in §. pœnales* 12. *Instit. de Action.* & alii docent, in Jus vocare nequit Dominum Feudi, quòd ex istius liberalitate feudum possideat. Atqui non minor est liberalitas patroni Ecclesiæ in Ecclesiam, quàm illius in Vasallum: ergo &c. 96

Sed dicendum, ad hoc, ut patronus Ecclesiæ nomine Ecclesiæ in Jus vocari possit, Rectori ejus venia opus non esse, licèt decens sit, ut venia obtineatur. Ita Alex. *in loc. cit.* Roch. de Curt. *V. honorificum quæst.* 46. *num.* 88. Zoes. *hic numer.* 27. Engl *num.* 2. Pirh. *num.* 36. Schambog. *num.* 25. Vviest. *numer.* 63. *Ratio est* partim, quia nusquam Jure Canonico cautum est, quòd venia Rectori hoc casu opus sit; partim, quia hujus petendæ necessitas est præjudiciosa Ecclesiis, quippe quibus casu, quo patroni, vel horum Successores, ut sæpe contingit, illarum Jura violarent, non ita expeditum foret, adversùs injurias illorum se defendere. 97

Neque contrarium probatur ex *l. generaliter citat.* tum quia Lex merè Civilis est, quæ in Ecclesiasticis merè causis attendi non debet; tum quia pœnalis est §. *pœnales cit.* conf. à liberis, & libertis ad Ecclesiæ Rectorem, vel Administratorem extendi non debet. *Ad Conf.* multi cum Gloss. *lib.* 2. *fœud. titul.* 22. *V. salva reverentia*, Clar. §. *Feudum q.* 25. *num.* 1. Everhard. *leg. argument. loc.* 25. *numer.* 15. Rosenthal. *de feud. cap.* 10. *conclus.* 23. *n.* 19. Mynsing *cent.* 4. *obs.* 92. *num.* 3. negant venia opus esse ad Dominum Feudi in Jus vocandum. Deinde esto, opus illa venia habeat, aliud tamen de patronis Ecclesiarum evincit ratio. 98

Quæritur 2. quale *Onus* incumbat patrono Ecclesiæ? Resp. onus hoc est cura, & defensio Ecclesiæ, qua providere debet, ne à potentioribus opprimatur *canon. constitutum* 60. *caus.* 16. *quæst.* 1. & ne dos, vel ejus bona malè alienentur, dilapidentur, & in alios, quàm à Fundatore destinati sint, usus convertatur *can. filiis* 31. *& can. seq. caus. cit. quæst.* 7. Hinc etiam *Ecclesiæ advocatus* dicitur *cap. præterea* 23. *& cap. seq. h. tit.* plerumque enim Jus Advocatiæ cum Jure patronatus conjunctum est. 99

Dixi *plerumque*, non semper; nam in quibusdam Europæ partibus, præsertim in Germania, & Gallia, ut bene advertit Engl *hic num.* 28. receptum est, ut quidam Advocati Ecclesiæ (Germanicè *Boghthernn*) dicantur, qui patroni non sunt, neque ex hoc solo titulo Clericum ad Ecclesiam vacantem præsentare possunt, nisi aliunde, puta ex fundatione &c. id ipsis competat. Munus igitur istorum Advocatorum præcipuum est, Ecclesias contra violentas oppressiones defendere, curam, & inspectionem habere, ne bona Ecclesiæ malè dissipentur, aut alienentur &c. & propterea etiam illis nonnumquam cum consensu Episcopi ex fructibus Ecclesiæ, in qua jus Advocatiæ habent, constituitur pensio in remunerationem curæ. Advocatia, & ea suprema competit Imperatori in suo Imperio respectu omnium Ecclesiarum tam majorum, quàm minorum. Item principibus, & Dominis Territoriorum circa Ecclesias in suis territoriis sitas. Inferiores quoque Domini, ut Comites, Barones, & Nobiles hoc Jus Advocatiæ vel ex antiqua consuetudine, vel ex speciali con- 100

ntractu cum certis Ecclesiis authoritate Superioris iro sibi vindicant.

Dub. 1. an ratione hujus curæ, & defensionis patronus Laicus aliquam Jurisdictionem in Ecclesiæ patronatæ Beneficiatum usurpare, ejus bonorum custodiam, vel administrationem sibi vendicare, aut visitare Ecclesiam, vel Beneficiatum, & ab hoc rationes istæ administrationis possit petere? *Rationem dubitandi* facit duplex Juris Canonici textus: unus *can. quicunque* 30. §. *si ergo causf.* 16. *quæst.* 7. ubi patrono adstruitur *Jus providendi* Ecclesiæ; alter *cap. generali* 3. *de Elect. in* 6. ubi patronis conceditur Ecclesiæ *custodia*.

Sed dicendum, vi Juris patronatus patrono Laico c Jure communi nullam competere Jurisdictionem, c administrationem bonorum Eccl. Ita Abb. *in c.præterea* 4. *hoc titul. numer.* 1. Laym. *l.* 4. *tract.* 2. *capit.* 13. *numer.* 11. Vallensf. *hic* §. 1, *numer.* 2. Honor. *numer.* 42. Engl. *numer.* 5. Pirh. *numer.* 23. Schambog. *numer.* 21. Konig. *numer.* 30. Magnif. P. Schmier *part.* 2. *de reb. Eccl. c.* 3. *num.* 125. & patet ex *can. nullus* 18. *can. non placuit* 23. *can. siquis Principum* 25. *causf.* 16. *q.* 7. *c. in quibus* 12. *de pœn. cap. præterea* 4. *h. t. & Trid. sess.* 24. *cap.* 3. *de reform. & sess.* 26. *cap.* 9. *ibid.* Estque hoc verum non tantum quoad bona stabilia ipsarum Ecclesiarum, & Beneficiales redditus, sed etiam quoad cætera, quæ per Oblationes fidelium Ecclesiæ obveniunt, vel in Gazophylacium ejus immittuntur; nam hujus cura, & administratio ad solum Prælatum, aut Ministrum Ecclesiæ spectat, ita, ut ejus administrati rationes patronus Laicus nequaquam possit exigere, ut bene advertit Laym. *loc. cit.*

Dixi autem *de Jure communi*; nam in Bavaria per Concordata specialia 1584. §. Mann die Prælaten Serenissimus Elector potestatem habet exigendi rationem administrationis à Prælatis Religionum non Mendicantium, & inferiorum Ecclesiarum Rectoribus, si in rebus malè versentur, vel de eo suspecti sint.

Neque obstat textus in contrarium allegati, & alii eisdem similes; quia ex his pro patronis, saltem Laicis, plus non evincitur, quàm inspectio, sollicitudo, & cura, ne ejusmodi bona, à se, vel majoribus suis collata Ecclesiis, malè dissipentur: quod totum sine Jurisdictionis usurpatione ulla præstare possunt vel commonendo officii sui Beneficiatos ipsos, vel eosdem Episcopo, aut alii Ecclesiæ Superiori, qui Jurisdictionem habeat, denuntiando.

Dub. 2. quod Jus, & prærogativa respectu Administrationis Bonorum Ecclesiæ patronatæ competat patrono Ecclesiastico? Resp. isti hæc saltem prærogativa competit, ut rationes de administratione in temporalibus possit petere tum à Beneficiato, tum à cæteris bonorum Ecclesiasticorum Administratoribus *can. sanè* 5. *causf.* 19. *quæst.* 2. *cap. ex litteris* 7. *h. tit. cap. cùm & plantare* 3. §. *in Ecclesiis de Privileg.* Abb. *in cap. ex litteris cit. num.* 3. Barbos. *ibid. num.* 12. Engl. *hic num.* 5. Magnif. P. Schmier *c.* 3. *cit. n.* 127. Imò per *cap. bonæ* 51. *de Appellat.* si Ecclesia vacaverit, potest patronus Ecclesiasticus eandem per semetipsum administrare: quod tamen à Trid. *sess.* 24. *c.* 18. *de reform.* est immutatum, & præscriptum, ut interea Ecclesiæ Parochiali vacanti *constituatur ab Episcopo Vicarius cum congrua, ejus arbitrio, fructuum portionis assignatione, qui onera ipsius Ecclesiæ sustineat, donec ei de Rectore provideatur.*

Quæritur 3. quæ *Utilitas* in patronum redundet ex Ecclesia patronatui ipsius subjecta? Resp. si ad inopiam perveniat, Ecclesia juxta facultates suas, & conditionem personæ ipsius patroni debet eidem subministrare alimenta, & quidem abundantiùs, quàm aliis pauperibus *can. quicunque* 30. junct. Gloss. *V. ad inopiam causf.* 16. *q.* 7. *c. nobis* 25. *in fin.* Host. *in Summ. h. tit.* §. *quid competat patrono n.* 3. Lambertin. *l.* 3. *q.* 3. *art.* 3. *n.* 2. Roch. de Curte *V.* 3. *utile in princ.* Abb. *in c. nobis cit. n.* 6. Barbos. *ibid. n.* 5. Vivian. *prax. Jur. patron. lib.* 1. *c.* 2. *n.* 20. Pirh. *hic n.* 37. Vviest. *n.* 69. *ib.* Et præfertur in hoc casu patronus pauper pensionario, qui pensionem constitutam habet in Beneficio patronato, ut decisum refert Riccius *res.* 283. *p.* 3. *n.* 4. Clericat. *de pension. Discord.* 11. *n.* 13. ex ratione; quia patrono egenti debentur alimenta ab Ecclesia Jure naturæ. Aliud est, si patronus in petitione alimentorum concurrat cum Parocho Ecclesiam possidente; tunc enim patrono præfertur Parochus, ut notat Gloss. *in can. quicunque cit. V. ad inopiam*, Paul. de Cittadin. *part.* 6. *art.* 4. *n.* 158. Roch. de Curte *V. & utile num.* 242. Surd. *de aliment. tit.* 7. *q.* 32. *n.* 2. Ricc. *part.* 3. *cit. res.* 286. *n.* 2. Clericat. *loc. cit.*

Dub. 1. quid requiratur, ut patronus ab Ecclesia petere alimenta Jure possit? Resp. 1. requiritur; ut Ecclesia, à qua petuntur, habeat superflua; si enim ultra Ministrorum sustentationem, & impensas ad cultum Divinum necessarias nihil haberet, alimenta ab ea petere patronus Jure non posset. Abb. *in cap. nobis cit. n.* 6. Lambertin. *q.* 3. *cit. artic.* 2. *num.* 2. Gratian. *Discept. for. tom.* 3. *c.* 552. *n.* 11. Engl. *hic n.* 7. Pirh. *n.* 37. Vviest. *n.* 69. *Neque dicas*, hoc modo nullum fore privilegium singulare patroni, cùm de superfluis Ecclesia teneatur alere etiam cæteros pauperes *can. aurum* 70. *causf.* 12. *q.* 2. *can. quod autem* 3. *causf.* 23. *q.* 7. Nam imprimis Ecclesia, ut *n. præc.* dixi, abundantiùs debet alere patronum, quàm alios pauperes, habendo rationem Status, & familiæ ejus domesticæ, uxoris, & liberorum, moderata tamen & non ad luxum, vel superbam ostentationem. Deinde pauperibus cæteris Ecclesia subvenit ex lege Charitatis, patrono ex lege Justitiæ, qui & propterea actionem contra Ecclesiam instituere potest, nisi ingratus fuerit *c. nobis cit.* & *ibi* Abb. *n.* 6. *cit.* 106

2 Ut Patronus petens alimenta probet, à se, vel majoribus suis fundatam, dotatam, vel constructam fuisse Ecclesiam illam. Vivian. *cap.* 2. *cit. n.* 20. Gratian. *num.* 31. & fuit decisum *in Neapolitana alimentorum* 3. *Maji* 1613. ubi resolutum, quod Monasterium Montis Oliveti Neapolitan. non teneatur ad alimenta præstanda Equiti Januario Olitiæ, quia non probavit descendentiam à fundatore dicti Monasterii. Dicetur autem Descendentia sufficienter esse probata, si qui alimenta petit, singulis annis juxta tenorem Fundationis recepisset cereum in die Purificationis, & in dicta perceptione habuisset mandatum de manutenendo; hoc enim sufficeret in hujusmodi materia ad hoc, ut Patronus relevaretur ab onere probandi Descendentiam, ut notat Gratian. *l. cit.* & hoc recte sæpe resolvit Rota, ut *in causa placentina Capellaniæ* 14. *Maji* 1614. *Firmana Juris Patronatus* 15. *Maji* 1611. *& Neapolitana alimentorum* 11. *Jan.* 1616. 107

3 Ut simul etiam probet egestatem suam. Qualis hæc necessitas esse debeat, dissident inter se DD. Alii cum Gloss. *in can. quicunque* 30. *V. ad inopiam causf.* 16. *q.* 7. & Azor. *p.* 2. *l.* 6. *cap.* 20. *q.* 3. putant, non deberi alimenta Patrono, nisi ad summam egestatem pervenerit. Sed verior est opinio Covar. *l.* 2. *var. cap.* 6. *num.* 8. Menoch. *ad arbitr. casf.* 65. *num.* 5. Surd. *de alim. tit.* 7. *q.* 32. *n.* 29. Cittadin. *de Jur. Patron. p.* 6. *art.* 4. *num.* 158. Gratian. *num.* 26. Vivian. *num.* 22. Barbos. *in cap. nobis cit. n.* 7. Pirh. *hic n.* 27. juxta quos sufficit, si Patronus solùm ad inopiam vergat, licèt non sit in summa egestate. Censebitur autem ad inopiam vergere, si Patronus se, uxorem, filios, & familiam suam ex bonis propriis, vel aliunde v. gr. ex officio, vel opere suo, quod licitè, & honestè exercere possit, commodè, & pro statu suo sustentare non possit *arg. l. siquis* 5. §. *sed si filius* 5. *ff. de agnoscend. liber.* 108

4 Ut probet, se non habere alium, puta fratrem &c. à quo ali possit; nam si fratrem divitem, vel alias personas conjunctas, & ad præstanda sibi alimenta necessaria obligatas habeat, non potest dici pauper: consf. alimenta petere ab Ecclesia nequit. Gratian. *num.* 17. *& seqq.* Vivian. *num.* 20. *cit.* & ita decidit Rota *in Neapolitana alimentorum* 31. *Maji* 1606. & *in eadem causa coram D. Pirovano* 11. *Jan.* 1616. ubi etiam extenditur ad Patronum Equitem Jerosolymitanum, qui, si ad inopiam vergat, non ab Ecclesia Patronatui ipsius subjecta, sed à suo Ordine alendus est; quia Equites hi verè Religiosi sunt, & Religiosus petere alimenta à Monasterio suo debet. 109

Dub. 2. an Patronus ratione Juris Patronatus capere Pensionem aliquam ab Ecclesia possit? Resp. distinguendo, an velit in limine fundationis ejusmodi pensionem, sibi & successoribus suis annuatim exhibendam constituere, an post fundationem jam factam ea gravare Ecclesiam, vel illam, qua gravata jam est, augere. *Hoc secundum* non potest, ut clarè patet ex *c. præterea* 23. *h. tit. c. prohibemus* 7. & *c. seq. de Censib.* quia ex intervallo non potest novam Legem, vel conditionem apponere juxta illud *l. perfecta* 4. *C. de Donat. quæ sub mod.* ubi Imperatores, *Perfecta*, inquiunt, *donatio conditiones postea non capit*. Ratio est, quia tunc Ecclesiæ jam est jus quæsitum, estque hoc verum, etiamsi Patronus esset persona Ecclesiastica, ut notat Vivian. *prax. Jur. patron. l.* 2. *cap.* 9. *num.* 6. & etiamsi concurrat consensus Episcopi, quando conditio est contra Juris dispositionem; secus, si juxta, vel præter Jus, e. gr. ut Beneficium conferatur aliqui de gremio; nam 110

hæc

hæc cum Episcopi consensu etiam ex intervallo apponi potest. Vivian. *l. cit. n.* 10. & hoc teste fuit dictum *in Ulyssiponensi prioratus* 28. *Octobris*, *&* 14. *Decemb.* 1601.

111 *Primum* fieri potest *capit. præterea citat.* & Gloss. *ib. V. institutos*, Abb. *n.* 6. Barbos. *n.* 4. Vivian. *l.* 1. *c.* 2. *n.* 23. Engl. *hic n.* 7. Pirh. *n.* 39. Schamb. *n.* 27. Vviest. *n.* 70. Ratio est; quia cum quilibet rerum suarum sit moderator, & arbiter, sicut quisque potest fundationem facere, vel omittere, ita etiam potest eidem conditionem apponere, quam vult, modò honesta, & licita sit. Duo tamen in reservatione Pensionis, ipsi Fundatori solvendæ, observari debent. *Unum* est, ut reservatio hæc fiat cum consensu Episcopi; quia Fundator, cùm sit persona privata, non potest sua voluntate, aut authoritate propria Canones immutare, prout habetur *cap. requisisti* 15. *ante med. de Testam.* Pirh. *hic n.* 43. *Alterum*, ut pensio sit moderata, spectata fundationis, & redditUum Ecclesiasticorum quantitate, ita, ut dos Ecclesiæ nequaquam minuatur. Quodsi tempore fundationis cum consensu Episcopi imposita sit pensio immoderata, vel quæ ex post facto fiat multum onerosa Ecclesiæ, illa ad debitam moderationem reducenda erit. Pirh. *loc. cit. n.* 42.

112 Quæritur 4. quid sit *Præsentatio*, & quis ejus effectus? Resp. præsentatio est exhibitio personæ idoneæ ad Ecclesiam, vel Beneficium vacans Episcopo, vel alteri, ad quem Institutio pertinet, legitimè facta. Ita Abb. *in c. ea noscitur n.* 3. *de his, quæ à Prælat.* Rochus de Curte *de jur. patron. pr. q.* 3. Garc. *p.* 4. *de Benef. c.* 1. *num.* 15. Riccius *prax. for. Eccles. decis.* 156. *n.* 58. Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 72. *n.* 13. Vivian. *prax. jur. patron. l.* 5. *cap.* 1. *n.* 1. Vallens. *hic* §. 5. *n.* 1. Vviest. *ibid. n.* 74. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de reb. Eccl. c.* 3. *n.* 81.

113 Si ab eo, qui legitimè præsentatus est, intra tempus à Jure præscriptum sit acceptata, tribuit Jus ad rem, & actionem pro Institutione sua in Ecclesia, vel Beneficio. Zerol. *prax. Episc. V. jus ad rem n.* 2. Garc. *p.* 4. *cit.* §. 3. *n.* 11. Pal. *tr.* 13. *D.* 2. *p.* 1. *n.* 8. Vviest. *hic n.* 74. *cit.* Quo differt præsentatio à Collatione libera; nam per hanc acquiritur Collatario Jus in re. *Ex quo sequitur*, aliud esse Jus præsentandi, aliud jus conferendi: prius Patrono competit, non posterius: & hinc Episcopus, vel alius, cui jus instituendi competit, non debet admittere Litteras præsentationis, in quibus patronus se vocat Collatorem Ecclesiæ, vel Beneficii, aut dicit Collationem, vel concessionem Beneficii sibi competere: qualis mos in quibusdam Germaniæ Diœcesibus obtinet; sed, ut Pirh. *hic n.* 28. notat, aboleri deberet, quòd ex abusu vocabulorum facilè consequatur etiam abusus potestatis, maximè in Laicis, ita, ut hac occasione multæ Simoniæ committantur, & Ecclesiastica Immunitas violetur.

114 Dub. 1. utrum ad hoc, ut valeat præsentatio, requiratur præsentia Patroni, & præsentati? *Certum est* 1. non requiri præsentiam patroni, sed posse eandem fieri per Litteras, prout colligitur ex *cap. ea noscitur* 6. *de his, quæ a Prælat. &c.* ibi, *Per se, aut Litteras, personas idoneas Episcopis Diœcesanis præsentet. Certum est* 2. eamdem præsentationem fieri posse per procuratorem, ut argumento à pari ex modò dictis deducit P. Vviest. *hic n.* 75. & colligitur ex *cap. fin. de concess. Præbend.* ubi prohibetur procuratorem constitui ad præsentandum in Beneficio, antequam vacet, ergo supponitur, quòd vacante Beneficio, procurator constitui ad præsentandum possit.

115 *Difficultas est*, utrum ad præsentationis valorem requiratur præsentia præsentati? Affirmant Abb. *in c. ea noscitur cit. n.* 3. Card. Tusch. *tom.* 6. *Lit. P. concl.* 191. Roch. de Curt. *de Jur. Patron. pr. q.* 3. Rebuff. *prax. tit. de præsentat. n.* 3. Garc. *p.* 4. *de Benef. c.* 1. *n.* 16. Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 72. *à n.* 110. *Moventur* 1. textu *cap. cùm & plantare* 3. §. *in Ecclesiis* 2. *de privileg.* ubi Exemptis præcipitur, ut *in Ecclesiis, quæ ad eos pleno Jure non pertinent, instituendos Presbyteros Episcopis repræsentent*; atqui verbo *Repræsentare* corporalis præsentia denotatur ex *l. consentaneum* 8. *C. quomodo & quando Judex &c.* 2. authoritate Concilii Tridentini quod *sess.* 24. *c.* 18. *Vers. cum verò de reform.* statuit, præsentatum à Patrono non admittendum, nisi ab Ordinario examinatus, & idoneus repertus fuerit, quod intelligendum non de solis Beneficiis parochialibus, sed etiam de Simplicibus, ut patet ex *sess.* 7. *c.* 13. *de reform.* sed hoc Examen subire præsentatus per procuratorem non potest: ergo nec præsentatio ipsius per procuratorem fieri.

116 Sed tenendum, validam esse præsentationem illius, qui se per litteras, aut procuratorem instituenti repræsentat. Ita Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 21. *q.* 6. Pal. *tr.* 13. *D.* 2. *p.* 1. *n.* 6. *vers. nihilominus*, Vviest. *hic n.* 78. Ratio est; quia nullus est textus, ex quo hæc obligatio corporalis præsentiæ colligatur: ergo imponenda non est, præsertim cùm sit contraria Regula Juris, *Qui facit per alium, est perinde, acsi faciat per seipsum*, quæ est 72 *in* 6. *Conf.* ex praxi; nam Reges, ut *loc. cit.* Azor notat, solent aliquos nominare, & Romano Pontifici offerre ut creentur Episcopi, qui tamen à Curia Romana, & etiam Regia absunt, & eos absentes Pontifex instituit Episcopos.

Neque contrarium probant textus allegati. *Ad* 1. verbo *repræsentent* denotatur præsentia corporalis, non tamen ipsius præsentati, sed saltem procuratoris à præsentato deputati: aliàs si ipsius præsentati præsentia requireretur ad præsentationis valorem, non posset Ordinarius præsentationem absentis admittere, quia esset contra naturam præsentationis; atqui admissio talis præsentationis etiam juxta Adversarios valida est, licèt juxta illos Ordinarius sic factam non teneatur admittere: ergo &c. *Ad* 2. etsi præsentia præsentati requiratur, non tamen requiritur necessitate præsentationis, sed Examinis: & hinc, si personæ aptitudo vel per Examen, vel aliunde ante præsentationem illius innotescat, præsentia præsentandi omnino non requiretur, ut fatetur Abb. *n.* 3. *citt.* licèt aliàs, ut vidimus, Sententiæ adversæ patronus.

Dub. 2. an collatio Beneficii patronati, patrono contradicente, vel ignorante, ab Episcopo liberè facta, sit valida? *Ratio dubii* sumitur ex *capit. illud* 8. *h. tit.* ubi hujusmodi collatio, vel Institutio *irritanda* dicitur, qua phrasi aliàs infirmitas actus, non nullitas ipsius Jure ipso inducta denotatur. Sed quia aliàs non infrequenter hoc loquendi modo significatur declaratio nullitatis, idcirco textus iste à sententia negativa absterrere non debet.

Dicendum igitur, Collationem, & institutionem Clerici, reclamante patrono factam, ipso Jure esse irritam, ita, ut post illam non secus, ac re omnino integra, patroni præsentatio locum habeat. Ita Abb. *in capit. illud citat. num.* 2. Felin. *in cap. cùm Bertholdus* 18. *de sentent. & re judic. numer.* 8. Roch. de Curte *V. honorificum num.* 2. Gonzal. *in Reg.* 8. *Cancell. gloss.* 56. *num.* 78. Azor. *part.* 2. *lib.* 6. *cap.* 22. *quæst.* 4. Vallens. *lib.* 1. *de Benef. tit.* 4. *num.* 23. *& Paratit. hic* §. 6. *num.* 2. Engl. *ibid. num.* 2. *vers. ex præsentatione*, Schambog. *num.* 63. Konig. *numer.* 32. Vviest. *num.* 72. *Ratio est*; quia Episcopus caret potestate ejusmodi Ecclesias, vel Beneficia liberè conferendi. *Excipitur*, si hujusmodi collationem faciat Pontifex de plenitudine potestatis Papalis; nam hic etiam Patronatui Laicali derogare potest, quamvis non soleat.

Addidi *reclamante*; quia si Patronus intra tempus, quo præsentationi sibi concessum, non contradiceret, censeretur eam collationem, vel institutionem absque se factam tacitè approbasse, & sic ejus nullitas, utpote in favorem Patroni præcisè inducta, sanaretur, ut notat P. Vviest. *loc. citat. num.* 73. cum *suprà* allegatis.

Dub. 3. quid Juris, si plures sint patroni, habentes Jus præsentandi ad idem Beneficium? Resp. tunc distinguendum, an Jus patronatus spectet ad eos, ut singulos, an ut universos, seu Jure Collegii. *Si primum*, possunt singuli separatim præsentare aliis non vocatis, vel requisitis; quia eo casu non requiritur simultaneus omnium consensus, nisi fortè vigore Statuti, vel consuetudinis alicui soliti sint simul convenire. Et tunc præsentatio Simoniacè facta per unum, non præjudicat præsentationi aliorum; quia tot sunt præsentationes, quot patroni. *Si secundum*, omnes vocari debent; quia tunc requiritur consensus simultaneus: & ideo præsentatio per unum Simoniacè facta præjudicat aliis; quia tunc est unica præsentatio. Pirhing. *hic n.* 49. *not.* 2. *&* 3.

Si plures patroni ejusdem Ecclesiæ vel Beneficii discordent in præsentatione, aliis hunc, aliis alium præsentantibus, ille præficietur Ecclesiæ, qui majoribus juvatur meritis, & plurium approbatur assensu, modò hoc fieri sine scandalo possit: alioquin ipse Episcopus liberè absque præsentatione aliquem instituet *c. quoniam* 3. *& ibi* Gloss. *h. tit.* Quodsi neque hoc absque scandalo, vel turba fieri possit, Episcopus Ecclesiam claudet, & tollet inde Reliquias, donec inter patronos conveniat *c. perlatum* 1. *& c. seq. h. tit.* In paritate vocum, & meritorum est locus gratificationi *c. cùm autem* 24. *eod.* nec ab ea gratificatione appellare licet. Vallens. *hic* §. 5. *n.* 5. Honor. *ib. n.* 58. Pirh. *n.* 48. *& seqq.*

§. V.

§. V.

De Translatione Juris Patronatus.

S U M M A R I U M.

OCto præcipuè enumerantur modi, quibus Jus patronatus transferri potest: inter hos

Primus est per *Successionem Hæreditariam*, prout sumitur ex *can. considerandum* 35. *caus.* 16. *q.* 7. *c. perlatum* 1. *& c. quoniam* 3. *h. tit.*

Dub. 1. ad quos cum hæreditate transeat Jus patronatus? Resp. transit ad hæredes fundatorum quoscunque, nisi Familiare sit, aut aliquis eorum sit hæres in re aliqua certa; quia transit cum hæreditate: conf. qui in hac succedit, eo ipso patronatum consequitur Abb. *in cap.* 1. *h. tit. n.* 2. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *cap.* 20. *q.* 19. *in med.* Riccius *p.* 4. *collect.* 1025. Leo *Thes. for. Eccl. p.* 2. *c.* 6. *n.* 25. Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 71. *n.* 3. Pal. *tr.* 13. *D.* 2. *p.* 4. *n.* 2.

Neque refert 1. an sit Hæres suus, an extraneus; nam etiam ad extraneos cum universitate bonorum, quibus annexum est, transit. Palao cum *citt.* cum discrimine tamen, quod extraneis incipiat competere à die aditæ hæreditatis; suis autem hæredibus à die, quo hæreditati se immiscuerunt: Paul. de Cittadin. *de Jur. Patr. p.* 9. *n.* 9. Schambog. *hic num.* 29. Vviest. *ibid. n.* 147. *Non refert* 2. sive hæres sit vir, sive fæmina, ut colligitur ex *c. fin. de concess. Præb. c. ex litteris* 7. *h. tit.* & cum *citt.* advertit Garc. *p.* 5. *de Benef. cap.* 9. *n.* 142. Et hoc verum est, etsi Jus patronatus annexum sit Majoratui; nam si succedit in Majoratu, etiam succedit in Jure patronatus annexo. Molin. *tract.* 2. *de J. & J. D.* 627. *n.* 13. *Non refert* 3. quo modo deferatur hæreditas, an per Testamentum, an ab intestato; nam utroque modo cum hæreditate etiam Jus patronatus transit. Pirh. *hic n.* 44.

125 *Ex quo sequitur* 1. si filia cum fratre sit hæres Patris, æquè illam, ac istum in Jus patronatus succedere. *Sequitur* 2. si filius non sit hæres Patris sui, quia repudiavit hæreditatem, eum non succedere in Jus patronatus hæreditarium, secus in Gentilitium; nam hoc Jure Sanguinis competit, quem hæreditatem repudiando non exuit; illud vero Jure hæreditatis; conf. hac in aliam translata, Jus succedendi in patronatu cessat. *Sequitur* 3. si solus primogenitus succedat in hæreditate Patris, cæteros filios à Jure patronatus excludi; quod etiam dicendum de filia, quæ renuntiavit hæreditati, sola dote contenta. Pirh. *n.* 44. *cit.*

126 Addidi in Responsione *n.* 123. data, *Nisi aliquis eorum sit hæres in re aliqua certa;* ad hunc enim, nisi res, in qua succedit, accessoriè sibi annexum Jus patronatus habeat, Jus istud non transit, sed ad reliquos duntaxat hæredes, qui universales sunt. Abb. *in c. perlatum h. tit. n.* 2. Sylv. *V. Jus patronatus quæst.* 4. *dict.* 3. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 20. *q.* 9. §. *quæres*, Lambertin. *de jur. patr. l.* 1. *p.* 2. *q.* 2. *art.* 17. *n.* 9. Pirh. *n.* 44. *cit.* Vviest. *n.* 148. *ibid. Ratio est*; quia institutus in re certa habetur loco Legatarii *l. quoties* 13. *C. de hæred. inst.* ad Legatarios autem Jus Patronatus non transit, nisi quatenus accessoriè venit ad rem legatam; tunc enim etiam cum ipsa transit, sicut transit per donationem rei, cui annexum est Jus patronatus, ergo &c.

127 Dub. 2. quomodo jus patronatus cum hæreditate transeat? Resp. circa modum succedendi in jus patronatus sequentia sunt notanda: 1. si plures patrono hæredes succedant, jus patronatus inter se dividere non possunt, ita, ut unus in una parte, alius in alia presbyterum collocet, sive nominet, sed quamdiu in communione hæreditatis persistunt, ad quemlibet illorum Jus patronatus in solidum transit: quod verum manet, licèt non omnes succedant in portiones æquales; nihilominus enim voces æquales habent, quamvis ille, qui succedit in portionem majorem, vocem habeat pinguiorem, ita, ut vox ejus, quando gratificationi locus est, cæterorum vocibus sit præferenda. Gloss. *in c. perlatum* 1. *V. non debeat h. tit.* ubi rationem dat; quia jus patronatus est incorporale; conf. simplex; & indivisibile quoad substantiam, sicut servitutes *l. via* 17. *ff. de servit.*

128 Dixi, *Hæredes inter se jus patronatus non posse dividere*, sc. quoad substantiam; nam ratione temporis, & loci, ut constat ex *Clem. plures* 2. *vers. & ut facilius h. tit.* dividere patroni jus patronatus inter se possunt, & convenire, ut præsentent alternis, unus prima vice, qua Ecclesia aliqua vacat, alter secunda, tertius tertia. Vel ut unus ex duobus præsentet mensibus paribus, alter imparibus. Item ut unus præsentationem faciat in hac Ecclesia, alter in alia: idque, prout in textu habetur, *ut facilius provideatur Ecclesiis*, & evitentur, quæ facilè oriri possent, discordiæ. Addidi, *quamdiu in communione hæreditatis persistunt:* nam si aut ipsa Institutio à Testatore sic facta sit, ut in ea hæredum uni hoc, alteri aliud dominium assignaverit, aut hæreditatis indivisim relictæ sit facta divisio, tunc jus patronatus acquirer ille, qui acquirit dominium, cui jus patronatus annexum est: & sic Legatarius acquirit jus patronatus annexum rei Legatæ. Schambog. *n.* 29.

129 2. Si hæredes patroni mortui fuerint, hæredes hæredum quidem & ipsi succedunt, non tamen in capita, sed in stirpes, adeo, ut si duo hæredes fuerint, & unus unum, alter decem hæredes reliquerit, ille solus unam, alteram verò vocem habeant isti decem; vel si patronatus sit alternativus, ille solus cum his omnibus simul sumptis præsentet alternis vicibus juxta *Clem. plures citat. pr.* & notat *ibid.* Gloss. *V. plures*, Abb. *in c.* 1. *h. tit. n.* 5. Sylv. *V. Jus patronatus quæst.* 4. *dict.* 4. Azor. *part.* 2. *lib.* 6. *cap.* 20. *quæst.* 9. *fin.* Roch. de Curte *V. ipse, vel is q.* 2. *n.* 4. Laym. *lib.* 4. *tract.* 2. *cap.* 13. *n.* 20. Vallens. *hic* §. 4. *n.* 5. Zoes. *n.* 11. Engl. *num.* 15. *vers. præterea*, Pirh. *hic num.* 47. Scambog. *numer.* 30. Konig. *num.* 16. Vviest. *n.* 150. Magnif. P. Schmier. *p.* 2.

p. 2, de reb. Eccl. c. 3. n. 97. *Ratio est*, quia omnes illi decem nominant, non ut suas, sed ut parentis personam repræsentant, qui non potuit plus Juris in hæredes transmittere, quàm quod ipse habuit, *sc.* Jus unicæ vocis.

Idem dicendum, si ex tribus hæredibus supersint hæredes inæquali numero, nempe ex primo unus, ex secundo tres, ex tertio sex; cùm enim isti omnes tres tantùm repræsentent Authores, sex ultimi non plus Juris ad præsentandum habebunt, quàm duo relicti ab altero, & hi duo non plus, quàm unus relictus à primo. Gloss. *cit. V. plures*, Stephan. Gratian. *discept. forens. c.* 521. *n.* 18. Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 72. *n.* 70. Pal. *tr.* 13. *D.* 2. *p.* 4. *n.* 3. Wiest. *hic num.* 151. *&* 152. Matthæucc. *Offic. Eccl. c.* 28. *n.* 51. & reliquorum communis doctrina.

130 3 Si plures patroni unam vocem habeant, non est necesse, ut omnes consentiant, sed sufficit, & requiritur, ut eorum consentiat pars major. An vero requiratur pars major absolutè, an respectivè, distinguendum est an vox illa pertineat ad illos, ut singulos, an ut universos. *Si primum*, sufficit, ut consentiat major pars respectu cæterarum minorum partium, prout sumitur ex *c. quoniam* 3. *h. tit.* *Si secundum*, consentire debet major pars respectu totius numeri habentium unam vocem. Et idem dicendum, quandocunque Jus patronatus competit pluribus conjunctim, sive collectivè, seu prout Collegium, vel Universitatem constituunt: conf. casu, quo in Collegio sunt 12. requiritur, ut septem consentiant in unum, nec sufficiet, si sex præsentent unum, quatuor alium, duo tertium; quia non est præsentatio facta à majori parte Collegii, vel Universitatis. Abb. *in c. quoniam cit. num.* 13. Sylv. *V. Jus Patronatus q.* 13. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 21. *q.* 20. Vasq. *Opusc. de Benef. c.* 2. §. 1. *dub.* 7. *n.* 20. Pal. *tract.* 13. *D.* 2. *p.* 4. *n.* 4. Pirh. *hic n.* 48.

131 Dub. 3. an jus patronatus Gentilitium, seu reservatum illis, qui sunt de familia; seu agnatione Fundatoris extincta familia, transeat ad hæredes extraneos? Negativam defendit Lambertin. 2. *lib.* 1. *q.* 10. *art.* 5. *q. princ.* 2. & probari videtur ex eo; quia concessum iis, qui sunt de familia, videtur denegatum extraneis, ea qualitate carentibus. Et *confirmatur* duplici paritate: una, quando jus patronatus concessum est filiis, altera, quando concessum est masculis; nam in primo casu non succedunt extranei, in secundo successio negatur fœminis, quòd concessio in illo casu censeatur limitata ad filios, in altero ad masculos.

132 Sed respondendum est distinguendo: Vel enim Fundator expressè voluit, ut jus patronatus tantùm pertineat ad illos, qui sunt de familia, non verò ad extraneos, vel tantùm dixit, ut pertineat ad eos, qui sunt de familia, non addita particula taxativa *tantum*. *Si primum*, extincta familia, etiam jus patronatus extinguitur, & Ecclesia fit libera. Vivian. *prax. Jur. patron. l.* 4. *cap.* 2. *num.* 14. Fagnan. *in cap. perlatum c. h. tit. num.* 22. *&* 23. Matthæucc. *in Offic. Eccl. c.* 28. *n.* 57. Pirh. *hic n.* 52. Potest enim fundator in fundatione jus patronatus inducere in præjudicium descendentium, vel extraneorum hæredum, prout ei libuerit *arg. c. un. h. tit. in* 6.

133 *Si secundum*, extincta familia, transit ad hæredes extraneos, non ex provisione hominis, sed ex provisione Legis, quæ regulariter non tollitur per provisionem hominis: cùm ergo jus patronatus ex provisione juris communis transeat ad hæredes etiam extraneos, ut dictum est *n.* 124. sequitur, quòd provisio hominis concedentis jus patronatus illis, qui sunt de familia: non obstet, quin istis deficientibus; ex provisione Legis ad extraneos transeat. Censebitur ergo reservatio familiæ facta, non taxativè, seu exclusivè, sed demonstrativè tantùm; vel ad summum facta esse intelligetur cum ea restrictione, ut jus patronatus ad extraneos non transeat, durante familia; secus verò illa deficiente, quòd tunc casus omissus à Fundatore, relinquatur dispositioni juris communis. Ita *l. citt.* Vivian. *num.* 15. Fagnan. *num.* 25. *&* 26. Matthæucc. *numer.* 58. Pirh. *num.* 53. & ita decisum est teste Fagn. à *Rota* 6. *Jun.* 1578.

134 *Ad Rationem dubitandi* dico, id verum esse, quando Fundator jus patronatus voluit transire ad illos, qui sunt de familia, taxativè, & exclusivè ad alios; nam tunc, quia expressè loquitur homo, lex silet: contrà verò in casu, quo simpliciter jus patronatus concessum est illis de familia, hac deficiente, silet dispositio hominis, & loqui incipit dispositio Legis. *Ad Conf.* transmisso *Ant.* negatur *Conf.* nam dum filiis præcisè relictum est, jam sufficienter indicatur, quod excludantur extranei; & dum pro masculis reservatum est, satis innuit non porrigi ad fœminas.

135 Dub. 4. an jus patronatus transeat ad Fideicommissarium, vel ad Usufructuarium universalem? Satis convenit apud DD. quòd jus patronatus, saltem reale, ad Usufructuarium universalem transeat, quamvis finito Usufructu, ad Hæredem proprietatis redeat. Lambertin. *de jur. Patron. p.* 2. *l.* 1. *q.* 10. *pr. art.* 3. conf. casu, quo Titius instituit Cajum hæredem suorum bonorum, inter quæ habet jus patronatus ad Beneficium, & horum bonorum suorum Usufructuariam relinquit uxorem suam, jus præsentandi ad uxorem pertinebit; quia præsentatio, & cætera spectantia ad jus patronatus computantur inter fructus hæreditatis. Matthæuccius *c.* 28. *cit. n.* 54.

136 *Difficultas* est de Fideicommissario. *Negant* ad hunc transire jus patronatus Covar. *in c. Raynutius* 16. *de test.* §. 9. *n.* 8. & *l.* 2. *var. c.* 18. *num.* 8. Roch. de Curte *V. is, vel ipse q.* 9. *n.* 21. Gomez. *tom.* 1. *var. cap.* 5. *num.* 29. Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 71. *num.* 9. Canis. *in c.* 1. *h. tit. n.* 6. & videtur hoc etiam probari triplici Argumento. 1. Quia ad Fideicommissarium solùm transeunt jura spectantia commodum pecuniarium, cujusmodi non est jus patronatus. 2. Ad eum etiam non transeunt jura sepulchri *l. quia perinde* 42. §. *restituta* 1. *ff. ad S. C. Trebell.* ubi Paulus, *Restituta*, inquit, *hæreditate*, *jura sepulchrorum apud hæredem remanent.* 3. Similiter etiam penes Hæredem fiduciarium remanet Jus patronatus competens respectu libertorum *l. si patroni* 55. *pr. ff. eod.*

137 *Affirmativam* contra defendunt Gutier. *p.* 3. *de Tutel. c.* 29. *n.* 15. Molin. *tr.* 2. *de J. & J. D.* 188. *in fin.* Zoes. *hic n.* 12. & inclinat Pirh. *ibid. n.* 55. quod pariter triplici ratione ostendunt. 1. In Fideicommissarium transit hæreditas: ergo transire debet jus patronatus hæreditati annexum. 2. Fideicommissario conceduntur omnia jura realia, & personalia utilia *l. explicito* 1. & *aliis ff. ad S. C. Trebell.* ergo concedi debet jus patronatus. 3. jus patronatus alienari potest inter vivos titulo universali *c. ex litteris* 7. *h. tit.* ergo etiam alienari potest ex Testamento.

138 Utrique sententiæ aliquid tribuendum, & adhibenda distinctio, qua utuntur Garc. *p.* 5. *de Benef. c.* 9. *à n.* 17. Pal. *tr.* 13. *D.* 2. *p.* 4. *n.* 5. Matthæucc. *Offic. Eccl. c.* 28. *n.* 54. *fin.* Schambog. *hic num.* 33. Wiest. *ib. num.* 153. Vel enim Jus patronatus, de cujus translatione quæritur, est personale, vel reale. *Si personale*, quale est, quod Titio hæredi, & ejus Successoribus relictum, & nulli Universitati annexum est, id ad Fideicommissarium non transit: & ratio est manifesta, quia transferri nequit contra dispositionem instituentis, voluit autem instituens Jus istud iis solùm competere, quibus sanguis, & successio communicatur: ergo &c. *Si reale*, Jus patronatus habebit ille, qui habebit fundum, cui illud annexum est: unde si Hæres Fiduciarius loco Trebellianicæ sibi competentis fundum illum retinuerit, etiam Jus patronatus erit penes ipsum; si vero illud restituerit Fideicommissario, hic Jus patronatus habebit. *Ratio est*; quia tali casu est accessorium Villæ, aut Castro; ac proinde locus est Regulæ *accessorium* 42. *in* 6.

139 Neque contrarium probant Argumenta *primæ Sententiæ*; quia sumpta sunt ex Jure Civili, & in proposito casu agitur de Jure Spirituali, vel saltem Spirituali annexo, in quo præ oculis habenda est dispositio Juris Canonici; atqui secundùm hujus Juris dispositionem Jus patronatus, quando annexum est Universitati, cum hac transfertur, neque distinguitur, ex quo capite transferatur, ut patet ex *c. literis* 7. *h. tit.* ergo transferetur etiam ad Fideicommissarium, nisi aliud ex Testatoris voluntate constet. *Ad* 1. dico sufficere, quòd accessorium sit rei, quæ commodum pecuniarium affert. Accedit; quia Jus patronatus, licèt non sit pretio æstimabile, utile tamen esse patrono potest, si ad inopiam vergat. *Ad* 2. negatur paritas; nam jura sepulchri tantum sequuntur hæredes; Jus patronatus Eccl. autem etiam ad non hæredes transire potest, ut patet in venditione Castri, cum quo etiam ipsum Jus patronatus ipsi annexum ad Emptorem transfertur. *Ad* 3. iterum negatur paritas; quia patronatus Civilis ad hæredes suos, sive liberos in potestate patris constitutos transit §. *nec tantùm* 2. *Inst. de assign. libert.* neque eripitur liberis, etiamsi pater perduellionis damnetur *l. Jura* 4. *ff. de Jur. Patron.* contrà patronatus Ecclesiæ, publicato Castro ob delictum patroni, accessoriè etiam ipse publicatur.

140 Sed neque obstant Argumenta *Sententiæ secundæ*. *Ad* 1. Hæres fiduciarius fideicommissario non propriè hæ-

hæreditatem, sed bona per hæreditatem accepta restituit; neque enim Fideicommissarium hæredem facit, sicut ergo prior hæres manet, ita Jus patronatus personale, quod hæreditatem formaliter sequitur, ipse retinet. *Ad* 2. Fideicommissario competunt omnia Jura realia, & personalia, quæ hæredi competunt ob bona, quæ tenetur restituere, non tamen ea Jura, quæ illi competunt jure Sanguinis, vel successionis. *Ad* 3. nego, quòd Jus patronatus personale alienatum censeatur ex eo præcisè, quòd Testator hæreditatem jusserit restituere; nam Fideicommissum ad bona solum, non ad Jus patronatus extenditur, nisi istud accessorium rei sit.

Dub. 5. an in divisione hæreditatis Jus patronatus adjudicari possit uni ex cohæredibus? Videtur respondendum affirmativè ob textum *c. ex insinuatione* 14. *h. tit.* juxta quem à plurium Compatronorum uno remitti, & alteri cedi potest: idque bono Ecclesiæ, cui utilius est patronum, Laicum præsertim, unum, quàm plures habere.

Sed tenenda est negativa sententia, quam etiam defendunt Abb. *in c.* 9. *h. tit. n.* 3. Roch. de Curte *V. is, vel ipse q.* 13. *n.*26. Zoes. *hic n.* 13. Pirh. *num.* 56. Schambog. *num.* 35. Vviest. *n.* 155. ex ratione, quia non apparet, cui ex ipsis adjudicari possit, vel debeat; vel enim bona hæreditaria æqualiter dividuntur, vel inæqualiter. *Si æqualiter*, non est ratio, cur id uni potius, quam alteri assignetur. *Si inæqualiter*, & tunc, si assignaretur ei, qui assequitur portionem minorem, huic in compensationem, conf. Simoniacè adjudicatum videretur *arg. cap. de jure* 16. *h. tit.* Restat igitur, ut dicatur penes omnes in solidum permanere juxta dispositionem *c. perlatum* 1. *eod.* quo Ecclesiæ inter hæredes prohibetur divisio. *Excipitur* casus, quo Jus patronatus annexum est Universitati v. g. villæ, aut Castro, & hoc adjudicatum fuisset uni duntaxat hæredum.

Ad textum in contrarium allegatum dico ibi agi de cessione merè liberali, prout ex verbo *Liberaliter* ibi posito patet, non de ea, quæ fit in compensationem, & sapit Simoniam.

Dub. 6. an si ex tribus, qui Jus præsentandi habent unus alteri succedat, iste habeat duplex Votum, unum jure proprio, alterum jure successionis? Videtur tantùm unum habere Votum. 1. Quia jus istud individuum est, in solidum singulis competens, ut augeri non possit. 2. Quia sic alteri Compatrono generaretur præjudicium, qui semper ab altero habente duplex Votum superaretur.

Sed dicendum habere duplex Votum. Ita Abb. *in Clem.* 2. *h. tit. n.* 1. Roch. de Curte *V. is, vel ipse n.* 12. Zoes. *hic n.* 54. & videtur probari ex *Clem. cit.* quæ dat Successoribus id Juris, quod defunctus habuit. *Conf.* ex *c. cùm olim* 12. *de re judic.* ubi ratione duplicis Beneficii duplex Vox est concessa.

Neque urgent Argumenta contraria. *Ad* 1. id nimium probat; probat enim, quòd neque cùm unus fundat, & construit Ecclesiam, alter dotat, priori duplex Vox in præsentatione competat. igitur indivisibilitas Juris patronatus solùm facit, ne pro parte competat uni, pro alia parte alteri. *Ad* 2. præjudicium nemini generatur per id, quod Jure fit.

Dub. 7. an Jus patronatus per Successionem hæreditariam possit etiam transire ad Monasterium, seu Religionem? Resp. affirmativè: quod duplici modo potest contingere. *Unus* est, si Monasterium, vel Religio bonorum in communi capax instituatur hæres à Laico; tunc enim cum universitate bonorum hæreditatis accessoriè transibit etiam Jus patronatus. *Alter*, quando patronus Laicus fit Religiosus; nam cùm eo casu per talem ingressum omnia ipsius bona acquirantur Monasterio, conf. etiam acquiretur eidem Jus patronatus. Si tamen Jure sanguinis ad patronum talem delatum sit, Monasterium jus præsentandi habebit solum durante Vita Religiosi sui, quo mortuo, Jus istud deferetur ad consanguineos qui aliàs ordine agnationis ad successionem vocarentur. Garc. *p.* 5. *de Benef. c.* 1. *n.* 155. Tambur. *de Jur. Abb. tom.* 4. *D.* 9. *q.* 28. *n.* 1. *&* 2. Vivian. *prax. Jur. Patr. l.* 4. *c.* 2. *n.* 6. Pirh. *n.* 59.

Dub. 8. an publicatis ob crimen patroni bonis ejusdem omnibus, & fisco addictis, ad hunc etiam Jus patronatus transeat? Resp. distinguendo: Vel enim Jus patronatus est reale, & annexum castro &c. vel contrà est personale, seu per se consistens, & nullis aliis bonis annexum. *Si primum*, accessoriè ad fiscum transit. *Neque obstat*, quòd Princeps Sæcularis non possit privare patronum jure patronatus ob delictum ab eo commissum; quia hoc solùm non potest directè, indirectè autem potest, privando sc. bonis, quibus annexum est, & quorum privationem etiam privatio Juris patronatus consequitur. *Si secundum*, interest, an per Judicem Ecclesiasticum Jure patronatus per sententiam privatus sit, vel non. *Si hoc posterius* sub confiscatione omnium bonorum temporalium non continetur Jus patronatus adeoque manebit penes delinquentem, donec eo privetur tanquam indignus, & si, antequam privetur, decedat, & hæreditarium sit, transibit ad hæredem ex Testamento, vel ab intestato ipsius defuncti. *Si prius* refert, an sit familiare, an hæreditarium. *Si familiare*, juxta dispositionem Fundatoris ad consanguineos transit. *Si hæreditarium*, extinguitur, & Ecclesia fit libera. Abb. *in c. cùm Laici* 10. *h. tit. n.* 3. Sylv. *V. Jus Patronatus q.* 5. *dist.* 6. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 20. *q.* 14. Garc. *p.* 5. *de Benef. c.* 9. *n.* 26. Barbos. *in c.* 7. *h. tit. num.* 9. Zoes. *hic n.* 26. Pirh. *n.* 57. Engl. *n.* 25.

II. Jus patronatus transferri potest *Donatione*. Patet ex *c. illud* 8. *h. tit.* & *c. un. pr. eod. in* 6. Et quia Legatum est quædam donatio à testatore facta *pr. Inst. de Legat.* similiter dicendum, quòd transferri possit per Legatum in Testamento relictum, etiam per se, & solitariè. Joan. Andr. *in c. cùm sæculum* 13. *n.* 2. *h. tit.* Abb. *ib. num.* 6. Sylv. *V. Jus Patronatus q.* 4. *dict.* 6. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 20. *q.* 10. Pirh. *hic n.* 58. 145

Dub. 1. an, ut donatione, vel legato Jus patronatus in alium transferatur, opus sit consensu Episcopi? 146
Resp. interesse. an Jus patronatus, de cujus alienatione agitur, competat Ecclesiæ, aut Monasterio, an verò Laico, aut alteri personæ privatæ. *Si primum*, ut donare illud Ecclesia, vel Monasterium alteri, etiam Ecclesiæ possit, intervenire debent solemnitates ad alienationem rei immobilis Ecclesiasticæ requisitæ; quia Jura ista incorporalia immobilibus accensentur, ut dictum est *Tit.* 13. *de reb. Eccles. non alien. numer.* 28.

Si secundum, altera distinctio est adhibenda, & videndum, an Jus patronatus reale, an personale sit. *Si reale* est, & annexum Universitati, ista donata, vel legata, in donatarium, vel legatarium etiam ipsum transfertur, quamvis Episcopi consensus non interveniat *arg. c. cùm sæculum cit.* Scambog. *hic numer.* 39. Konig. *n.* 17.

Si personale, tertiò distinguendum. Vel enim donatur, aut legatur Ecclesiæ, Monasterio, vel etiam Clerico alicui nomine Ecclesiæ, vel Dignitatis, quam obtinet; vel contrà donatur alicui Laico, aut Clerico tanquam personæ privatæ. *Si prius*, donatio, vel Legatum, etiam Episcopi consensu non interveniente, valet, ut clarè decisum est *c. illud* 8. *h. tit. c. un. eod. in* 6. & notat Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 13. *n.* 20. Passerin. *in cap. un. c. n.* 7. Matthæucc. *in Offic. Eccl. c.* 28. *n.* 48. Vallens. *hic* §. 4. *n.* 3. Zoes. *n.* 14. Engl. *n.* 22. Pirh. *n.* 58. *&* 60. Scamb. *n.* 42. Ratio est: quia hujusmodi donatione Ecclesiæ patronatæ conditio efficitur melior, utpote qua ab Ecclesiastico Patrono minus gravaminis, quàm à Laico timendum habet. 147

Si posterius, quarta distinctio est applicanda, & considerandum, an unus patronus Jus sibi competens remittat alteri Compatrono suo, an illud cedat, & donet, vel leget extraneo, aut pluribus extraneis. *Primum* fieri liberè, & Episcopo etiam non requisito, potest, ut rectè advertit Gloss. *in cap. ex insinuatione* 14. *V. contulisset h. tit.* Azor. *p.* 2. *l.* 6. *cap.* 20. *quæst.* 6. Gonzal. *ad Reg.* 8. *Cancell. gloss.* 46. §. 1. *num.* 58. Laym. *num.* 20. Honor. *hic num.* 74. Konig. *num.* 17. Vviest. *n.* 159. cum aliis *suprà* allegatis, *argum. Clem. plures* 2. *h. tit.* ubi pluribus patronis permittuntur Conventiones libere de præsentationibus alternativè faciendis: igitur etiam cessiones, cùm per eas conditio Ecclesiæ non fiat deterior, sed potius melior, cùm loco duorum compatronorum acquirat unum. 148

Secundum ut licitè, & rectè fiat, opus est, ut fiat accedente consensu Episcopi, qui antequam eum det, discutere debet, an patroni mutatio Ecclesiæ expediat, vel damnosa sit. Ita Abb. *in cap.* 8. *hoc titul. num.* 5. Franc. *in capit. un. cit. numer.* 2. Roch. de Curte *V. ipse, vel is quæst.* 17. *num.* 31. Azor. *part.* 2. *lib.* 6. *cap.* 20. *quæst.* 5. Laym. *num.* 20. *cit.* Barbos. *lib.* 3. *Jur. Eccles. cap.* 12. *num.* 246. Matthæucc. *n.* 28. *cit.* Zoes. *hic num.* 15. Pirh. *num.* 61. cum aliis *suprà*, & sumitur *argum. cap. un. cit.* à sensu contrario. *Ratio est*; quia Episcopi ratione curæ universalis, quam habet in Ecclesias suæ Diœcesis, interest, ut sciat, quem quævis Ecclesia patronum habeat, ne forte Jus patronatus concedatur Tyranno, aut valde potenti, qui vexet Ecclesiam, & an non fortè interveniat fraus, & non liberalis donatio, sed venditio fiat. 149

Quodsi

150 Quodsi tamen consensus Episcopi, initio intermissus, postea factum accesserit, convalescet Donatio, vel Legatum perinde, acsi ab initio fuisset valida, ut notant Abb. *consf.89. n.* 2. Vivian. *lib.* 4. *prax. Jur. Patr. c.* 4. *n.* 3. Zoes. *hic n.* 16. Pirh. *n.* 61. *Vers. porro*. Vviest. *numer.* 158. *argum. c. quoties* 2. *de pact. & c. cùm nos* 3. *de his, quæ à Præl.* ne quod in favorem Ecclesiæ introductum est, in odium ejusdem detorqueatur, quod fieret, si mutatio patroni, sine consensu Episcopi facta, maneret invalida, etiamsi postea Episcopus videret eam expedire. Et sufficit probabiliùs consensus tacitus, præsumptus ex taciturnitate Episcopi, scientis mutationem factam, & non contradicentis, ut contra Pirh. *V. porro cit.* advertit Zoes. *n.* 19. & constat ex *Reg. qui tacet, consentire videtur*, ubi deberet loqui. deberet autem Episcopus contradicere, si mutatio esset præjudiciosa Ecclesiæ: ergo &c.

151 Dub. 2. quid si patronus Jus patronatus donet ipsi Ecclesiæ, in qua Jus patronatus habet? Resp. distinguendo: Vel enim unicum in ea Ecclesia Beneficium est, vel plura donantis præsentationi subjecta.

Si primum, per eam donationem Jus patronatus extinguitur, & Ecclesia fit liberæ collationis; quia Jus patronatus est quædam servitus, nulla autem res servitutem habere erga seipsam potest *l. si quis ædes* 30. *ff. de Serv. præd. urb.* ubi Paulus, *Siquis*, inquit, *ædes, quæ suis ædibus servirent, cùm emisset, tradita sibi acceperit, confusa, sublataque servitus est, & si rursus vendere vult, nominatim imponenda servitus est; alioquin liberæ veniunt*, Gloss. *in cap. un. V. eidem h. tit. in* 6. Franc. *ibid. n.* 4. Pirh. *hic n.* 62. Idem dicendum, si Laicus Jus patronatus donet Episcopo ratione Dignitatis suæ in aliqua Ecclesia, vel Beneficio: nam si ad eum spectet jus instituendi, Ecclesia post factam donationem, seu remissionem Juris patronatus fiet liberæ collationis; alioquin enim Episcopus deberet præsentare sibi ipsi, & postea præsentatum instituere, quod est inconveniens. *Excipitur*, nisi donans haberet Compatronum; nam hoc casu Episcopus tanquam patronus præsentabit Rectorem cum Compatrono, & postea tanquam Ordinarius, seu Diœcesanus cum instituet. Lap. *in c. un. cit. n.* 5. Pirh. *loc. cit.*

152 *Si secundum*, Ecclesia erit Patrona sui ipsius, ut ait Gloss. *V. eidem cit.* ita, ut respectu sui quidem, & respectu Rectoris ipsius sit libera, respectu Beneficiorum autem, quæ in ea dantur, & patronatui donantis subjecta erant, serviant sibi ipsi; nam per talem donationem Ecclesiæ, vel ejus Rector, aut Capitulum, si Collegiata sit, jus præsentandi ad illa Beneficia obtinebit. Pirh. *hic n.* 62. *cit.*

153 Dub. 3. an patronus Jus patronatus donare possit, cui placuerit? Resp. distinguendo, an Jus istud eidem competat ex privilegio, an ex fundatione, dotatione &c. *Si primum*, videndum est, qua forma concessum sit privilegium, nam si concessum est primo acquirenti & suis liberis, non; potest illud transferre extra istos, quia hi non à Patre, sed à Pontifice, privilegium istud concedente, patronatum immediatè acquirunt. Secus verò esset, si concederetur alicui cum potestate transferendi absque personæ determinatione. Pal. *tr.* 13. *D.* 2. *part.* 4. *n.* 7.

154 *Si secundum*, iterum distinguendum, an qui donare vult, sit ipse Institutor primus, an alius, qui ab ipso instituente patronatum accepit. *Si prius*, videndum ex quibus bonis fundaverit Ecclesiam, vel Beneficium patronatum; nam si fundavit illud ex talibus bonis, de quibus extra filios disponere potuit, potest donare Jus patronatus cuicunque, etiam extraneo: secus, si ex talibus, de quibus extra filios nequivit disponere liberè; quia talis dispositio inofficiosa esset filiis, & retractanda. Pal. *loc. cit.*

155 *Si posterius*, & primus Institutor patronatum reliquit Titio, ejusque filiis, nepotibus &c. Lambertin. *de Jur. Patron. lib.* 1. *part.* 2. *q.* 2. *art.* 6. & 8. putat hoc casu Titium, ejusque filium &c. transferre Jus patronatus posse, in quem placuerit, etiam in præjudicium eorum, qui ab Institutore vocati sunt: *ex ratione*; quia vivente Titio nullum Jus habent in patronatu successores illius: ergo absque præjudicio illorum transferre poterit patronatum Titius. *Sed contrarium* omnino tenendum est cum Covar. *lib.* 2. *var. c.* 18. *n.* 9. *V. sed quæritur*, Garc. *p.* 5. *de Benef. c.* 9. *n.* 9. & 70. Pal. *l. cit. V. sed quid.* quia ratione institutionis omnes successores habent jus succedendi in patronatu, quo Jure privari non possunt ex cujusque voluntate; privarentur autem, si patronatus transferri posset pro libitu possidentis.

156 Dub. 4. utrum Episcopus valeat Jus patronatus extinctum de novo donare alicui Laico? Resp. negativè cum Ricc. *prax. aur. p.* 3. *resol.* 483. quia certis tantùm modis constituitur Jus patronatus, & Episcopus non potest Ecclesiis novum onus imponere. Non tamen videtur negandum, quin aliquando Laico, præsertim minorenni, si v. gr. ob non usum Jus patronatus amiserit, Episcopus per in integrum restitutionem possit succurrere, ut bene Engl. *hic n.* 27. quia tali casu non donat Jus patronatus, sed facit, ut non usui vi ademptæ, ex Juris dispositione redeat.

III. Potest transferri Jus patronatus *Venditione* rei, e. g. hæreditatis, Castri &c. cui Jus patronatus accessoriè est annexum *c. cùm sæculum* 13. junct. Gloss. *V. emptorum*, & *c. ex litteris* 7. *h. tit.* 1

Dub. 1. quomodo Jus patronatus acquiri possit venditione? Resp. Certum est ipsum Jus patronatus per se, & solitariè nec vendi, nec emi sine labe Simoniæ posse, cùm Jus Spirituale sit, vel spirituali annexum. Estque ejusmodi venditio ipso Jure irrita, ut patet ex *cap. de Jure* 16. junct. Gloss. *ib. V. irritum h. tit.* & qui vendere illud attentat, à Trid. *sess.* 25. *cap.* 9. *de reform.* si personæ singulares sint, Excommunicationis, si Communitates, Interdicti pœnis jubentur subjici: atque insuper Venditor ipso facto amittit Jus Patronatus, & Ecclesia evadit libera. Joan. Andr. *in c.* 6. *h. tit. num.* 5. Vivian. *l.* 4. *prax. Jur. Patr. cap.* 5. *n.* 9. & *seq.* Barb. *de Trid. cap.* 9. *citat. num.* 81. Engl. *hic num.* 23. Pirh. *num.* 21. Vviest. *num.* 163. Pretium quoque occasione Venditionis hujusmodi acceptum neque venditori, qui vendere Jus Patronatus non potuit, neque emptori, qui in mala fide fuit Simoniacè emendo, sed potiùs Ecclesiæ, quæ per talem venditionem injuriam passa est, applicandum erit. Abb. *in cap.* 16. *cit. num.* 3. Vivian. *loc. cit. n.* 15. Barbos. *in cap. cit. num.* 5. cum aliis *suprà*.

Superest igitur, ut per venditionem transferatur solùm accessoriè, sc. vendita Villa, castro &c. cui annexum est. Vivian. *cap.* 5. *cit. num.* 2. Laym. *lib.* 4. *tr.* 2. *cap.* 13. *num.* 20. *Vers. denique*. Vallens. *hic* §. 4. *num.* 1. Pirh. *num.* 40. Scamb. *num.* 47. Konig. *n.* 19. Dixi, *cui annexum est*; nam si non Universitati bonorum, sed personæ Venditoris cohæreat, adeoque sit personale, & personæ primariò competens, vendita Universitate, non transit Jus Patronatus ad Emptorem, ut ex probabiliore sententia docet Suar. *lib.* 4. *de Simon. cap.* 29. *num.* 19. Garc. *part.* 5. *de Benef. cap.* 9. *num.* 16. Zoes. *hic n.* 23. Pirh. *num.* 74. Ratio est; quia si tali casu ex vi venditionis omnium bonorum etiam ipsum transitet, transiret, quia censeretur tanquam pars universitatis bonorum, & per se vendita partialiter, quod Simoniam saperet. Aliud verò est de hæreditate, cum qua transit etiam Jus Patronatus, non quidem ex vi bonorum, quæ relinquuntur in hæreditate, sed ex vi Juris hæreditarii, ex vi cujus universum Jus defuncti in hæredem transmittitur: quod non fit in Emptione, Venditione.

Dub. 2. utrum casu, quo Villa, vel Castrum annexum habet Jus Patronatus, ob hunc annexum pluris vendi possit, quàm si annexum illum non haberet? Affirmat Garc. *part.* 5. *de Benef. cap.* 9. *num.* 35. & favet Molin. *tom.* 3. *de J. & J. D.* 620. *n.* 6. *ad fin.* moti ea ratione; quia res eo pluris æstimatur, quo excellentioribus qualitatibus ornata est; atqui qualitas Patronatus est valde excellens. ergo ratione illius res pluris æstimari debet. *Conf.* si res ob Patronum annexum pluris æstimari non posset, ideo non posset, quia Patronatus est qualitas Spiritualis. atqui non est purè Spiritualis, sed habet temporalitatem annexam v. gr. honorificentiorem locum in Ecclesia, jus alimentorum petendorum in egestate &c. ergo ob hac rationes res pluris æstimari potest.

Sed dicendum, non posse villam, aut Castrum pluris vendi ob Patronatum annexum, quàm si illo careret. Ita Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 20. *q.* 8. Pal. *tr.* 13. *D.* 2. *p.* 4. *n.* 10. Laym. *n.* 20. *cit. V. nota*. Passerin. *in cap. un. h. tit. in* 6. *n.* 4. Matthæucc. *Offic. Eccl. c.* 28. *n.* 47. Vallens. *hic* §. 4. *n.* 1. Zoes. *n.* 24. Engl. *n.* 23. *not.* 5. Pirh. *n.* 74. Konig. *n.* 19. Vviest. *n.* 162. & aliorum communis doctrina. *Ratio est*; quia si hoc intuitu pluris venderetur, censeretur tacitè vendi ipsum Jus Patronatus, quod fieri non potest, cùm sit Spirituale, vel Spirituali annexum. *Conf.* à paritate cum Calice consecrato, qui ob consecrationem pluris vendi non potest, quàm venderetur, si consecratus non esset.

Ad Rationem dubitandi, & *Conf.* adjectam dico, qualitates has temporales annexas patronatui non constituere Villam, vel Castrum pluris vendibile; quia non ipsis qualitatibus per se, sed Juri Spirituali ex quo nasci-

nafcitur, attenditur: unde cùm hoc invendibile fit, ea de caufa non reddit villam, aut Caftrum, cui annectitur, majori pretio dignum.

60 Dub. 3. an valeat Venditio hac forma, *Vendo tibi Univerfitatem cum Jure Patronatus*? Ratio dubitandi eft, quòd hac forma videatur Jus Patronatus non venire acceflorié, fed per fe vendi propter expreffionem. Sed dicendum eft, non effe vitiofum talem contractum, & Jus iftud adhuc tranfire acceflorié, quòd dictio *Cum* denotet acceffionem, ut adeo procedat Regula, quòd expreffiò ejus, quòd tacitè ineft, non vitiet *arg. l. hæc verba* 3. *ff. de Legat.* 1. Zoef. *hic n.* 21.

Majus dubium eft, fi Venditor dicat, *vendo tibi univerfitatem, & Jus Patronatus*? nam ratione dictionis copulativæ *Et* videtur utrumque venire principaliter, ut adeò videatur etiam vendi Jus Patronatus. Sed fi bona fit intentio Venditoris, & pretium non excedat valorem rei, venditio ifta etiam in foro exteriori pro vitiofa haberi non debet, cùm non referat, quibus verbis contractus fit conceptus, poffitque expreffio ifta habere fenfum, qui culpam excufet, quòd fcilicèt eo fine fit facta, ut non putetur Jus iftud refervatum, & feparatum à re: qui fenfus, cùm delictum excludat, potiùs accipiendus eft, quàm contrarius, qui delictum ponit. Azor. *p.* 2. *lib.* 6. *c.* 20. *q.* 8. *fin.* Zoef. *hic n.* 22. Pirh. *n.* 75. *ibid.*

1 IV. Jus Patronatus transferri poteft *Permutatione*, prout patet ex *can. nemini* 40. *cauf.* 16. *q.* 7.

Dub. 1. quale Jus Patronatus, & pro qua re permutari poffit? Refp. diftinguendo; nam *Jus Patronatus reale*, & annexum Caftro &c. accefforiè permutari cum re quacunque etiam temporali poteft, modò ratione ipfius non petatur aliquid plus, quàm valeat Caftrum, cui annexum eft. *Perfonale* permutari quidem poteft, non tamen pro re, vel Jure aliquo temporali (fic enim apertè committeretur Simonia; fed pro Spirituali, aut etiam alio Jure Patronatus, interveniente tamen confenfu Epifcopi, faltem fi permutatione transferatur in Laicum. Sylv. *V. Jus Patronatus quæft.* 5. *dict.* 2. Roch. de Curte *V. ipfe, vel is quæft.* 16. *num.* 18. Azor. *part.* 2. *lib.* 6. *cap.* 20. *q.* 7. Vivian. *lib.* 4. *prax. Jur. Patron. capit.* 3. *num.* 1. *& feqq.* Laym. *lib.* 4. *tract.* 2. *capit.* 20. *Verf. permutatione*. Barbof. *de Offic. Epifc. alleg.* 71. *num.* 31. Pal. *tract.* 13. *D.* 2. *part.* 4. *numer.* 9. Zoef. *hic num.* 25. Pirhing. *num.* 79. Schambog. *num.* 51. Konig. *num.* 18. Vvieft. *n.* 160.

Dub. 2. an Jus Patronatus permutari poffit à Laico cum immunitate ab obligatione folvendi Decimas: vel cum jure percipiendi Decimas, quod alicui Monafterio ex fundis alienis competit? Refp. ad utrumque negativè. *Ad* 1. quidem; quia Immunitas ab obligatione folvendi Decimas eft aliquid merè temporale, cùm inftar aliorum Jurium temporalium fine privilegio Apoftolico verè, ac juridicè poffideri, & præfcribi à Laico poffit: conf. permutando Jus Patronatus cum immunitate ab obligatione folvendi Decimas daretur Spirituale, vel Spirituali annexum pro temporali. *Ad* 2. autem; quia etfi eo cafu periculum Simoniæ non foret, cùm etiam Jus percipiendi Decimas Spirituale fit, Laicus tamen, feclufo privilegio Apoftolico, eft incapax poffidendi hoc Jus, ut *Tit.* 30. *à n.* 45. latiùs dixi.

6 V. Transferri Jus Patronatus poteft *Infeudatione, & Emphyteuticatione* Caftri, Villæ, Prædii &c. cui Jus Patronatus annexum eft *cap. ex litteris* 7. *& cùm fæculum* 13. *h. tit.* In quo iterum adhibenda eft diftinctio, quæ *fuprà numer.* 157. de Venditione; nam per fe Jus Patronatus infeudari, aut Empheuticari non poteft, nifi à folo Papa Lambertin. *de Jur. Patron. lib.* 1. *part.* 2. *quæft.* 7. *artic.* 1. Vivian. *prax. Jur. Patron. lib.* 4. *capit.* 6. *n.* 1. Pirh. *hic num.* 81. etiamfi allegaretur confuetudo immemorialis. Vivian. *loc. cit.* accefforiè autem cum feudo continente Univerfitatem, & fic cum ipfa Univerfitate tranfit Jus Patronatus. Sylv. *V. Jus Patronatus quæft.* 5. *dict.* 5. Azor. *part.* 2. *lib.* 6. *capit.* 20. *quæft.* 12. Vivian. *loc. cit. numer.* 2. Pirh. *num.* 81. *citat.* Ratio eft; quia Jus Patronatus eft quidem quafi fructus, & commodum rei, quod accefforiè, & in confequentiam ad feudatarium transfertur.

4 VI. *Locatione* talis villæ, prædii &c. quod habet annexum jus patronatus. Interpp. *in capit. ex litteris citat.* nam ipfum jus Patronatus, ficut infeudari, & emphyteuticari, ita neque locari per fe, & folitariè poteft. Vivian. *cap.* 6. *citat. num.* 4. Quoad fructus, & commoda temporalia, quæ Patronus juftè percipere poteft, diftinguendum eft: Vel enim ii redditus, aut commoda funt certa, & determinara v. g. certa pars fructuum, vel certa penfio annua, vel funt incerta. *Si primum*, vendi, & locari alteri perfonæ poffunt, quæ illas commoditates percipiat nomine, & authoritate patroni, ita, ut titulus, feu jus patronatus maneat penes ipfum venditorem, vel locatorem *argum. cap. fin. ne Prælati vices fuas &c.* ficut etiam commoditas Ufusfructus vendi poteft alteri, jure Ufusfructus remanente penes Ufufructuarium *l. neceffariò* 8. *§. fin. ff. de peric. & commod. re vendit. Si fecundum*, vendi poffunt, ficut vendi poteft jactus retis, partus ancillæ, & fructus nafcituri *l. fi jactum* 12. *ff. de action. emption. Excipiendum* tamen videtur, nifi fint operæ, vel præftationes non abfolutè reales, fed perfonales debitæ perfonæ patroni v. g. ut alimenta ei præftentur, vel ut ipfo adveniente, aut tranfeunte Ecclefia; aut fubditi Ecclefiæ vecturas, vel angarias præftent; hæc enim non poffunt vendi alii: quia inhærent perfonæ patroni, cui talia obfequia debentur. Pirh. *hic num.* 41.

VII. *Privilegio Apoftolico* propter fummam, & liberam, quam Papa habet, de Beneficiis, & juribus, 165
iftorum collationem fpectantibus, difponendi poteftate *capit. licèt* 2. *de Præbend. in* 6. *& Clem. un. ut lit. pend.* Ubi tria funt obfervanda 1. privilegium iftud concedi nequit ab alio, quàm à Summo Pont. ut conftat ex *cap. hoc confultiffimo* 2. *de reb. Ecclef. non alien. in* 6. Azor. *part.* 2. *lib.* 6. *cap.* 19. *quæft. ult.* Pirh. *hic num.* 12. nam hujufmodi privilegia per Trid. *feff.* 25. *cap.* 9. *de reform.* fublata funt, ut notat Garc. *part.* 5. *de Benef. cap.* 9. *num.* 115. 2. conceffum effe debet ex caufa onerofa: nam laudata Synodus *loc. cit.* abrogavit omnes Patronatus competentes ex privilegio merè gratuito, præterquam illos, qui Imperatori, Regibus, aliifque Summis principibus, aut in favorem Studiorum Generalium conceffi funt. Vvieft. *hic num.* 170. Unde ut tale privilegium, poft dictum Trid. Decretum conceffum, ratum, ac firmum fit, neceffe eft, ut in eo addatur claufula derogatoria iftius Decreti. Pirhing. *loc. cit. Verf. Quare*. 3. fi tanquam Laicale alicui ex fundatione, conftructione, dotatione ante competiit, ut ab hoc ad alium cenfeatur translatum per privilegium, hujus fieri debet expreffa mentio; quia juri patronatus Laicalis per privilegium fuum Pontifex nunquam derogare cenfetur, nifi hoc exprimat. Pal. *tr.* 13. *D.* 2. *part.* 10. *num.* 3.

VIII. *Confuetudine*, vel potiùs *Præfcriptione*: ubi di- 166
ftinguendum eft inter Ecclefiam liberam, & inter eam, quæ jam antè patronatui fubjecta erat. *Si libera fuit*, ut in ea præfcriptum dicatur jus patronatus, opus eft poffeffione 40. annorum cum titulo, aut fine hoc temporis immemorialis, ut rectè advertunt Frid. de Senis *Conf.* 274. Roland. à Valle *lib.* 1. *conf.* 47. *num.* 4. Barbof. *de Offic. Epifc. alleg.* 70. *num.* 19. Pal. *tractat.* 13. *D.* 2. *part.* 2. *num.* 12. Vvieft. *hic numer.* 173. *Excipitur*, fi præfcribens fit Laicus; nam huic, ut patet ex Trid. *feff.* 25. *capit.* 9. *de reformat.* non prodeft præfcriptio, nifi ea fit temporis immemorialis. *Si patronata jam fuit antea*, videndum, an jus patronatus præfcribatur adversùs Laicum, five cui illud ratione proprii patrimonii competit; an verò contra Ecclefiafticum: five qui illud ratione Dignitatis, Beneficii, officii, vel adminiftrationis Ecclefiafticæ obtinet. *Si prius*, adversùs præfentem 10. adversùs abfentem 20. annis cùm titulo; cum titulo annis 30. præfcribitur, eo prorfus modo, ut alia bona, & Jura. *Si pofterius*, tertia diftinctione opus eft dicendum ab Ecclefiafticis præfcribi annis 40. à Laicis nunc poft Trident. ut dictum eft, tempore immemoriali.

§. III.

De Actu Præfentationis.

S U M M A R I U M.

167 *Præfentari ad Beneficium Ecclefiafticum vacans à Patrono poteft tantùm Clericus.*

168 *Qui perfona digna fit.*

169 *Non poteft patronus præfentare feipfum.*

170 171 172 *Cafus, quibus patronus confequi Beneficium patronatum poteft.*

173 174 175 *An poffit Patronus præfentare filium fuum?*

176 177 *An valida fit præfentatio non inftructi ea qualitate, quæ ex mente Fundatoris requiritur?*

178 179 180 *An quando Fundator voluit, ut ad Benefi-*

neficium præsentetur aliquis de consanguineis, eligi debeat propinquior?

181 182 183 *Quæ computatio Graduum, Canonica, an Civilis, hoc casu servanda sit?*

184 *An ex duobus æquè propinquis præferendus sit descendens ex linea masculina præ descendente ex fœminina?*

185 *Et consanguineus mariti præ consanguineo uxoris in Beneficio erecto pro consanguineis utriusque.*

186 *An Legitimatus per rescriptum Papæ sit capax Beneficii familiaris?*

187 *Quid in hoc operetur Rescriptum Principis Sacularis?*

188 *Quid dicendum de non legitimatis, habilitatis tamen ad Beneficia?*

189 *Quæ sit obligatio præsentandi dignum?*

190 *Quando minùs dignus præferendus sit digniori?*

191 *An Patronus Laicus satisfaciat præsentando dignum?*

192 *Quid dicendum de Ecclesiastico?*

193 *Quid in foro conscientiæ?*

194 *Patronus potest duos præsentare simul,*

195 *Laicus etiam variare.*

196 *Manente tamen Jure prius præsentati.*

197 *Potestas hac variandi etiam transit ad hæredem, & successorem patroni Laici.*

198 *An patrono Ecclesiastico non saltem permissa sit variatio in patronatu mixto?*

199 200 *An tum variare possit?*

201 *Quoties hic variare possit?*

202 *Respondetur posse non una vice tantum, sed sæpius.*

203 *Solvuntur Argumenta opposita.*

204 *An variare possit, non obstante Juramento, quo promisit se non variaturum?*

205 206 *An tum præsentatio digni facta contra Juramentum valeat?*

207 208 *An variare possit, pendente lite?*

209 210 *Quis ex duobus, vel pluribus successivè, aut simul præsentatis instituendus sit, quando ii præsentati sunt ab eodem?*

211 *Quis, si plures à diversis numero impari?*

212 *Quis, si pari numero?*

213 *An casu, quo ex pluribus præsentatis neuter apparet dignior, institui possit tertius?*

214 *Resolvitur negativa.*

215 *Respondetur ad Argumenta opposita.*

216 *Quid dicendum, si Ordinarius dignum à Patrono præsentatum malitiosè rejecit, & instituit secundò præsentatum?*

217 *Intra quod tempus præsentatio fieri debeat?*

218 *An tempus istud continuum sit?*

219 *An lapso illo, locus adhuc sit præsentationi?*

220 221 222 223 *Quibus Casibus?*

224 225 226 227 *An tempus hoc currat, etiam pendente lite inter patronos?*

228 *An prorogari illud possit ab Ordinario.*

229 230 231 *Vel ipso Fundatore?*

232 *Quid Juris, si præsentatio in tempore facta effectum non est sortita?*

167 QUæritur 1. quis præsentari ad Beneficium Ecclesiasticum vacans à patrono possit, & debeat? Resp. 1. debet esse persona Institutionis capax. Et hinc præsentari nequeunt illegitimus, Neophytus, Servus, Excommunicatus, Irregularis; quia non possunt institui. Item Laicus, qui nullo Ordine, & ne quidem prima Tonsura insignitus est: neque sufficit, si ante Institutionem ordinetur, sed debet præsentandus tempore præsentationis esse capax institutionis; quia per præsentationem datur alicui Jus ad rem, sive actio ad Beneficium, quod Laicis non videtur competere. Flam. *libr.* 4. *de resign. quæst.* 2. *num.* 5. Lambertin. *lib.* 2. *p.* 3. *quæst.* 2. *artic.* 3. Pal. *tract.* 13. *D.* 2. *part.* 7. *numer.* 1. Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 72. *num.* 73. & 78. Pirh. *hic num.* 95. qui cum Rota *in Imolensi Juris patronatus coram D. Orano* 19. *Novemb.* 1584. excipiunt, nisi Laicus post breve temporis intervallum Clericali Ordine insigniretur; nam tunc præsentatus non est penitus inhabilis, si ante Institutionem Clericalem Tonsuram acciperet.

168 2 Debet esse persona digna, h. e. omnibus qualitatibus in Beneficiato, spectata tam natura Beneficii, quàm mente Fundatoris requisitis instructa, prout convenit inter omnes. Et hinc si Beneficium à Fundatore fundatum sit pro descendentibus, ejus consanguineis, aut hæredibus ex certa familia, loco, vel Provincia oriundis, Gradu Litterario insignitis, aut alia qualitate præditis, tales ad illud præsentari debent; & aliter facta præsentatio vel recissioni obnoxia, vel irrita est. Lambertin. *lib.* 2. *p.* 3. *q.* 5. *art.* 4. *num.* 8. Rocch. de Curte *V. Honorificum q.* 18. *in fin.* Gutier. *lib.* 2. *qq. can. q.* 11. *n.* 37. Vviest, *hic n.* 120.

3 Debet esse persona distincta ab ipso Patrono: ac 169
proinde iste, etsi aliàs Beneficio dignus præ aliis sit, præsentare seipsum nequit per textum, & Gloss. *c. per nostras* 26. *h. tit. &c. cap. fin. de Instit.* quibus locis inter præsentantem, & præsentandum exigitur distinctio personarum. *Procedit hoc* etiamsi præsentatio ejus fieret per Procuratorem à se constitutum; quia adhuc patronus præsentari censeretur à seipso *argum. Reg. qui facit* 72. *in* 6. Imò, ut probabilius Lambertin. *lib.* 2 *p.* 1. *q.* 8. *art.* 11. Roch. de Curte *V. ipse, vel is q.* 20. *n.* 37. Vivian. *prax. Jur. patr. lib.* 6. *c.* 9. *n.* 22. Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 72. *n.* 95. Zoes. *hic n.* 34. Pirh. *n.* 90. *Vers. extenditur secundò.* Scamb. *n.* 56. Vviest. *n.* 116. Magnif. P. Schmier. *part.* 2. *de reb. Eccles. c.* 3. *n.* 112. docent; ipse Patronus præsentari etiam non potest ab eo, cui Jus Patronatus non perpetuò, sed pro ea tantum vice donavit; quia donatio hæc præsumitur facta in fraudem, ut à donatario præsentetur ipse patronatus.

Dub. 1. an nunquam patronus consequi Beneficium 170
patronatus sui possit? Resp. potest in sequentibus tribus casibus: 1. Si Episcopus, vel alius prælatus, ad quem Institutio spectat, ei ad se vocato Beneficium, in quo ipse Jus patronatus habet, proprio motu conferat, & patronatus conferenti consentiat; quia tunc dictus patronus non se ingerit, nec se præsentat contra probibitionem *capitul. per nostras citat.* sed vocatur à DEO tanquam Aaron. Abb. *in capitul. per nostras citat. numer.* 3. Sylv. *Vers. Jus patronatus quæst.* 7. Stephan. Gratian. *Discept. for. capitul.* 430. *numer.* 5. Vasq. *Opusc. de Benef. capit.* 2. §. 1. *dub.* 4. Less. *l.* 2. *de J. & J. capitul.* 34. *numer.* 28. Vivian. *l.* 6. *capitul.* 9. *numer.* 6. Pal. *tract.* 13. *D.* 2. *part.* 7. *numer.* 2. Vallens. *hic* §. 5. *num.* 3. Zoes. *num.* 34. Honor. *num.* 50. Pirh. *n.* 91. Scambog. *num.* 56. Vviest. *num.* 118.

2. Si, ut sibi conferatur, oblatis precibus supplicet 171
Episcopo, vel alteri Collatori, & iste deferat supplicanti. Abb. *in cap.* 26. *hoc titul. num.* 4. Lambertin. *l.* 2. *part.* 1. *quæst.* 8. *artic.* 3. Zerol. *prax. Episc. p.* 1. *V. Jus patronatus num.* 21. Barbos. *in cap.* 26. *hoc titul. num.* 5. Engl *hic num.* 3. Pirh. *num.* 91. Scambog. *num.* 56. Magnif. P. Schmier *part.* 2. *de Reb. Eccl. cap.* 3. *num.* 117. nam Patronus procedere per viam deprecationis, & supplicare Episcopo potest, ut sibi conferat Beneficium, & illo casu potest Episcopus illum gratificando admittere, prout censuit Rota *in Regiensi Juris Patronatus* 15. *Jan.* 1624. & *in eadem* 5. *Mart.* 1615. & *in Barcinonensi Beneficii* 2. *Maji* 1625.

3 Si habeat unum, vel plures Compatronos, & ipse 172
præsentationi sui ab ipsis factæ consentiat. Gloss. *fin. in capit. consuluit* 15. *hoc titul.* Abb. *ibid. num.* 4. Lambertin. *l.* 2. *p.* 1. *quæst.* 8. *artic.* 5. Roch. de Curte *V. honorificum quæst.* 4. *num.* 20. Azor. *p.* 2. *lib.* 6. *cap.* 21. *quæst.* 3. Vivian. *prax. Jur. Patron. l.* 6. *capit.* 9. *n.* 10. Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 72. *num.* 91. Pal. *tract.* 13. *D.* 2. *p.* 7. *num.* 3. Vallens. *hic* §. 6. *num.* 3. Zoes. *n.* 34. & 35. Honor. *numer.* 50. Pirhing. *numer.* 94. Engl. *num.* 3. Vviest. *num.* 119. & colligitur *arg. cap. cum in Jure* 33. *de Elect.* ubi Compromissarii permittuntur unum eligere ex seipsis, & hic sui ipsius electioni consentire potest: & ratio est; quia sic facta Patroni præsentatio originem ducit non ab ipso Patrono, sed ab aliis eam inchoantibus.

Dub. 2. an Pater præsentare etiam nequeat suum filium? *Videtur* non posse; quia filius, & pater una, 173
eademque persona à Jure censentur *l. fin. C. de Impub. substit.* & hinc quidquid filius præsertim à Patre acquirit, non sibi, sed patri acquirit §. *igitur* 1. *Inst. per quas personas &c.* cons. Pater præsentando filium in effectu præsentare videretur se ipsum. *Conf.* ex *c. consuluit* 15. *h. tit.* ubi prohibetur, ne Patronus vel sibi ipsi reservet, vel filio concedat Beneficium.

Sed tenenda est affirmativa Sententia, quam etiam 174
defendit Gloss. *in c. consuluit cit. V. authoritate*, Abb. *ibid. n.* 3. Paul. de Cittadin. *de jur. patron. p.* 6. *n.* 3. Lambertin. *lib.* 2. *p.* 1. *quæst.* 8. *art.* 12. Azor. *part.* 2. *lib.* 6. *cap.* 21. *quæst.* 2. Less. *lib.* 2. *de J. & J. capit.* 34. *n.* 28. *fin.* Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 72. *n.* 94. Pal. *tr.* 13. *D.* 2. *p.* 7. *n.* 4. Vivian. *prax. jur. patr. l.* 6. *c.* 9. *n.* 23. Vall. *hic* §. 5. *n.* 3. Zoes. *n.* 35. Honor. *n.* 50. Engl. *hic n.* 3. *Vers. filios*, Pirh. *n.* 92. Scambog. *n.* 56. Konig. *num.* 32. Vviest. *n.* 117. & isto teste cæteri magno consensu. Colligitur ex *c. consuluit c.* ubi Laicis solùm prohibetur, ne filiis suis

suis propria Authoritate Ecclesias concedant. hoc non faciunt, si eosdem ad has præsentant; quia illas, admissa præsentatione, consequuntur ab Episcopo: ergo &c. *Conf.* 1. quia Pater Electionis suffragium permittitur conferre in filium, & vicissim iste in Patrem *arg. l.illius* 5. *ff.quod cujusque Univers. nom.* ergo multo magis præsentare. *Conf.* 2. quia aliàs filius Patroni esset deterioris conditionis, quàm alii extranei, qui per Patronum præsentari possunt.

Neque obstat Ratio dubitandi; quia imprimis filius patri non acquirit in Spiritualibus, sed tantùm in temporalibus, scilicet bonis profectitiis & adventitiis quoad Usum fructum. Deinde filius, & pater pro una, eademque persona censentur tamen in casibus à Jure expressis, qualis non est Electio, Collatio, & Præsentatio: unde *argument. capit. cùm apud* 23. *de Sponsal.* hoc ipso, quia præsentatio filii non invenitur Patri in Jure prohibita, concessa censebitur. *Ad Conf.* textus ille intelligi debet non de præsentatione, sed de ipsa concessione, sive usurpatione Beneficiorum, quæ fit sine authoritate Episcopi, ut ex textu satis apparet.

176 Dub. 3. an casu, quo ex Fundatoris voluntate certa qualitas requiritur in præsentato, valida sit præsentatio alterius tali qualitate non instructi, quando illorum, qui ex mente Fundatoris præsentandi essent, nemo contradicit? Resp. cum Gutier. *lib.* 2. *can. qq. cap.* 11. *num.* 37. Garc. *p.* 7. *de Benef. cap.* 15. *à num.* 1. Pal. *tract.* 13. *D.* 4. *p.* 9. *num.* 4. Vviest. *hic num.* 121. distinguendo, an certa qualitas in Clerico præsentando exposcatur favore personarum, præditarum tali qualitate, e. g. consanguineorum Fundatoris, aut oriundorum ex certa familia, loco, Provincia; an contrà qualitas certa e. gr. Gradus litterarius, aut certum tempus Studiorum Theologici, aut Juridici exigatur favore ipsius Ecclesiæ, vel Beneficii, ut scilicet isti de persona magis idonea provideatur, vel illius obligationibus meliùs satisfiat.

177 *Si primum*, præsentatio hujusmodi, non ignorantibus, & non contradicentibus illis, qui præsentari debuissent, facta est valida; quia quilibet favori, pro se principaliter introducto, renuntiare potest, & in tali casu eidem actu censentur renuntiare, qui ita tacent *arg. Reg. qui tacet* 43. *in* 6.

Si secundum, præsentatio personæ ea qualitate non præditæ irrita est, tametsi nullus ex iis, qui illa qualitate sunt præditi, contradicat; quia favori publico nemo privatorum renuntiare potest *cap. si diligenti* 12. *de for.comp.* & *l.jus publicum* 38. *ff. de pact.* Poterit igitur ejusmodi præsentatio, nemine petente, ab Institutore ordinario rejici.

178 Dub. 4. an quando Fundator voluit, ut ad Beneficium à se fundatum præsentetur aliquis de consanguineis, vel de progenie sua, ipsius in jure Patronatus successor possit præsentare ex consanguineis, quem maluerit, an verò teneatur eligere propinquiorem? Satis convenit inter DD. casu, quo in Fundationis Instrumento expressum est, ut consanguineus proximior præsentetur, standum esse voluntati Fundatoris, & præferendum proximiorem, qui talis sit respectu ipsius Fundatoris, non ultimi possessoris Beneficii; quia Fundator, cùm propinquiorem præfert, præferre semper præsumitur sibi propinquiorem. Lambertin. *l.* 2. *p.* 3. *quæst.* 5. *art.* 4. *num.* 12. & 15. Garc. *p.* 7. *de Benef. cap.* 15. *à num.* 20. Vasq. *de testam. cap.* 8. §. 3. *dub.* 2. *numer.* 48. Pal. *tract.* 13. *D.* 4. *p.* 9. *num.* 6. Card. de Luca *de jur. patron. Disc.* 45. *num.* 6. Vviest. *hic num.* 26.

179 *Major Controversia est*, si genericè solùm statutum sit, ut præsentetur consanguineus. Lambertinus *num.* 12. *cit.* Garc. *num.* 17. Gutier. *l.* 15. *qq. can. cap.* 11. *num.* 38. & *conf.* 26. *num.* 11. volunt etiam hoc casu ex obligatione præsentandum propinquiorem Fundatori; quia hic censetur voluisse præsentari illum, quem prædilexisse præsumitur. præsumitur autem prædilexisse propinquiorem sibi: ergo &c. *Conf.* ex *Novell.* 118. *cap.* 3. *pr.* & *l.* 2. *feud. tit.* 50. *ad fin.* ubi in feudorum, & intestatorum successionibus præfertur propinquior, & remotior excluditur.

180 Sed verisimilius etiam remotior præsentari à patrono potest, prout existimat Rodriques *Summ. tom.* 1. *capit.* 106. Pal. *p.* 9. *citat. numer.* 5. Cardinal. de Luca *numer.* 3. Vviest. *numer.* 124. *Ratio est*, quia in dubio mens Fundatoris ita explicanda est, quò magis id utile est Ecclesiæ, & minùs receditur à jure communi. utrumque obtinetur, si relinquatur in arbitrio successoris, ut ex consanguineis præsentet, quem velit: primum quidem; quia sic sperari potest præsentandum magis idoneum: alterum autem: quia sic conservatur Patrono Laico potestas variandi eidem à Jure communi concessa.

Ex quo corruunt Argumenta adversæ sententiæ.

Dub. 5. an casu, quo ex Fundatoris voluntate præsentandus est propinquior consanguineus, præsentari debeat consanguineus propinquior secundùm computationem Canonicam, an Civilem? Canonicam computationem attendendam volunt Cæval. *comm. contr. comm. quæst.* 398. *numer.* 29. & Stephan. Gratian. *Discept. forens. cap.* 77. *à num.* 10. ex ratione; quia Beneficia Ecclesiastica non deferuntur jure hæreditariæ successionis, eorumque causæ sunt Ecclesiasticæ, & secundùm Sanctiones Canonicas decidendæ: consequenter Graduum computatio Canonica in casu proposito est præferenda Civili. 181

Sed probabiliùs præsentandus est is, qui secundùm computationem Civilem propinquior est. Ita Felin. *in cap. ex litteris* 11. *de Constit. num.* 4. Benedictus *in cap. Raynutius* 16. *de Testam. Vers. & uxorem num.* 85. Garc. *p.* 7. *de Benef. cap.* 15. *num.* 25. Pal. *tract.* 13. *D.* 4. *p.* 9. *num.* 10. Vviest. *hic num.* 128. *Ratio est*; quia licèt Beneficium Ecclesiasticum non per successionem hæreditariam, sed collatione Ordinarii acquiratur, tamen si Patrimoniale sit, ad successionis hæreditariæ modum, & sicut alia Jura, proximiori consanguineo assignata, defertur; atqui in his etiam in foro Canonico attendenda est computatio Gradu-Legalis, non Canonica, quæ ex communi DD. locum duntaxat habet in Matrimoniis. ergo &c. Ex quo cadit Argumentum adversæ Sententiæ. 182

Excipit Pal. *loc. citat.* nisi Fundator consanguineos intra quartum gradum determinaret; quia ratione hujus determinationis, & designationis Canonicam computationem videtur attendisse, in qua solùm consanguinitas usque ad quartum Gradum extenditur. 183

Dub. 6. an si duo sint æquè propinqui, alius descendens per lineam masculinam, alius per fœmininam, patronus obligatus sit descendentem per lineam masculinam præferre descendenti per lineam fœmininam? Negat Garc. *part.* 7. *de Benef. cap.* 15. *num.* 21. quia in Capellaniis non tractatur de conservanda agnatione, ac proinde non videtur sufficiens ratio præferendi descendentem per lineam masculinam illi, qui descendit per fœmininam. Sed Pal. *p.* 9. *cit. numer.* 7. veriùs putat hunc præferendum, eo quòd descendens per lineam masculinam semper præsumatur magis dilectus fundatori, utpote qui ejus agnationem excellentiori via conservat. 184

Ex quo contra Garc. *l.cit. num.* 22. idem Pal. *n.* 8. cum Cævall. *opin. comm. contr. comm. quæst.* 265. *à n.* 13. infert, casu, quo uxor, & maritus ex bonis communibus Capellaniam fundarent conferendam utriusque consanguineis, & adessent gradu æquales, unus uxoris, alter mariti consanguineus, posteriorem præferendum priori; quia sicut maritus in fundatione videtur esse persona præcipua, ita etiam in electione ejus consanguinei præferri debent. *Excipitur*, nisi consanguinei uxoris priùs nominati essent; nam ex scripturæ nominatione prævia colligitur mens mariti fuisse illos præferre, ut latè Felin. *in cap. dilecta vers. ordo Scripturæ de Rescript. num.* 4. & *seqq.* Gomez. *tom.* 1. *var. cap.* 2. *num.* 4. & 6. Gutier. *conf.* 26. *num.* 10. 185

Dub. 7. an casu, quo Beneficium fundatum est pro consanguineis, vel descendentibus, præsentari ad illud valeat illegitimus, vel spurius, ad Beneficia obtinenda habilitatus dispensatione Apostolica? Satis convenit inter DD. posse, imò casu, quo propinquior consanguineus ex fundatione præsentandus est, remotiori consanguineo legitimo præferri, si ille legitimatus sit rescripto Papæ. Navar. *h.tit. conf.* 4. Garc. *p.* 7. *de Benef. cap.* 15. *num.* 46. Pal. *tract.* 13. *D.* 4. *p.* 9. *num.* 11. Vviest. *hic num.* 129. *Ratio est*; quia per hujusmodi legitimationem illegitimus quoad Ecclesiastica natalibus plenè restituitur. 186

Difficultas est, an idem dicendum sit de legitimato per rescriptum Principis Sæcularis? *Et ratio dubitandi est*; quia legitimatio Principis Sæcularis ultra successiones, & alios temporales effectus vim suam non porrigit *arg. cap. decernimus* 2. & *cap. seq. de Judic.* 187

Sed probabiliùs etiam talis legitimatio ei proficit, modò ad Beneficia sit dispensatus. Garc. *loc. citat. numer.* 47. Pal. *numer.* 11. Vviest. *numer.* 130. *Ratio est*; quia facit, ut sit de familia, & parentela fundatoris: igitur modò Beneficii capax sit redditus, illegitimi natales eundem ampliùs non impedient, quo minùs præsentetur ad Beneficium erectum pro iis, qui sunt de familia.

Ad Rationem dubitandi legitimatio Principis directè se

se non debet extendere ad ipsum Beneficium, sed tantùm debet facere, ut legitimatus sit de familia fundatoris, qui alias est Patris incerti: quo facto Beneficium eidem conferetur vi dispensationis Papalis.

188 *Gravior dubitatio est*, an illegitimi, per dispensationem quidem habilitari ad Beneficia, non tamen legitimati, præsentari possint ad Beneficium institutum à fundatore pro suis cognatis, & consanguineis? Resp. distinguendo inter illegitimos ex parte matris, & illegitimos ex parte patris. *Illegitimi ex parte matris* præsentari ad Beneficium ab ipsa pro suis cognatis relictum possunt; quia respectu ipsius nulla est incertitudo, ac proinde sunt de ejus genere, & familia. *Circa Illegitimos ex parte Patris* spectanda sunt verba instituentis: si enim in fundationis Instrumento dixit præsentandum aliquem de familia, genere, cognatione sua, cùm de hac ex parte Patris non sit illegitimus, donec legitimetur, in ea provisione illegitimus non habeat locum; secus, si voluit præsentari aliquem ex suis descendentibus, & consanguineis; nam tunc præsentari potest etiam illegitimus, non tamen, si adsint legitimi, etsi remotiores hi sint, quòd propinquitas ex legitimatione, quantumvis remota, vincat quamlibet propinquitatem illegitimi. Pal. *num.* 12. *&* 13.

189 Dub. 8. an Patronus ex iis, quos dignos cognoscit, teneatur eligere, & præsentare digniorem? *Certum est* 1. Patronum quemcunque, etiam Laicum, graviter obligari ad præsentandum dignum, prout liquet ex Trid. *sess.* 24. *cap.* 18. *de reform.* cum hoc tamen discrimine, quòd Patronus Laicus inidoneum nominans, ac præsentans jubendus sit intra tempus sibi concessum præsentare alium idoneum; aliàs lapso eo termino, & nulla idonei facta præsentatione, potest is, ad quem spectat institutio, Beneficium liberè, i. e. absque præsentatione idoneo conferre, sicut potest, cùm intra tempus Patrono Laico datum hic nullum omnino præsentavit; nam præsentare indignum in effectu est idem, ac præsentare nullum. Pal. *tract.* 13. *D.* 2. *p.* 7. *num.* 8. Si verò Clericus, vel Monasterium, vel Capitulum inidoneum præsentaverit, videndum, an scienter, an ignoranter hoc fecerit. Nam *si scienter*, ipso facto, vel ut Less. *l.* 2. *de J. & J. cap.* 34. *num.* 29. putat, per sententiam pro ea vice Jure præsentandi privatur, & is, ad quem pertinet Institutio, liberè Beneficium conferre potest *cap. nulla* 2. *de concess. Præb. & Clem. un. de suppl. negl. Prælat. Si ignoranter*, intra semestre præsentare alium poterit, non tamen antea, quàm contigerit præsentatum repelli ab institutionem habente. Less. *num.* 29. *cit.* Laym. *l.* 4. *tract.* 2. *cap.* 13. *numer.* 7. Pal. *p.* 7. *cit. num.* 8. Vallens. *hic* §. 5. *num.* 2.

190 *Certum est* 2. digniorem præ digno ex obligatione à quovis Patrono præsentandum, quando id expresse cautum est à fundatore; quia voluntas rationabilis Fundatoris implenda est. Pal. *l. cit. num.* 6. Et ob eandem causam, si Beneficium ex Fundatoris voluntate conferendum sit Clerico ex certa familia, vel patria orto, dignus ex ea oriundus præferendus est extraneo etiam digniori. Garc. *p.* 7. *de Benef. cap.* 15. *num.* 12. Azor. *p.* 2. *cap.* 21. *quæst.* 5. Zœs. *hic num.* 32. Pirh. *num.* 95. Vviest. *num.* 134. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de reb. Eccl. cap.* 3. *num.* 109. imò dignior extraneus tali casu, & respective ad hoc Beneficium omnino dignus, & capax non est; quia, ut *num.* 168. dictum est, dignitas personæ non tantùm à qualitatibus Jure communi requisitis, sed etiam ab iis, quæ ex mente Fundatoris requiruntur, desumitur.

191 *Difficultas est* casu, quo specialis qualitas in fundatione non exigitur: quæ solvi distinctione potest inter Patronum Ecclesiasticum, & Laicum. *Patronus Laicus* satisfacit obligationi suæ saltem pro foro externo, si ad Beneficia, quæ præsentationi ejusdem subsunt, etiam Curata, præsentet dignum, prout colligitur ex *can. Monasterium* 33. *caus.* 16. *quæst.* 7. *cap. quod autem* 5. *cap. eam te* 22. *cap. cùm autem* 24. *cap. Pastoralis* 29. *h. tit.* quibus textibus mentio fit tantùm idonei præsentandi: & confirmatur ex Trid. *sess.* 24. *cap.* 18. *vers. quodsi Jus de reform.* ubi statuitur, *Quodsi jus patronatus Laicorum fuerit, debet, qui à Patrono præsentatus erit, -- examinari, & non, nisi idoneus repertus fuerit, admitti:* unde cùm in hac præsentatione concursum non expostulet Trid. tacitè insinuavit sufficere, si dignus præsentetur, & eligatur.

192 *De Patrono Ecclesiastico* iterum distinguendum est, an Beneficium sit Curatum, vel Simplex. *Si Curatum* secundùm communem DD. sententiam, instar Electorum, obligatur sub gravi ad præferendum digniorem, & Ecclesiæ magis utilem. Sumitur ex Trid. *sess.* 24. *cap.* 1. *vers. itaque de reform.* ubi hortatur, & monet *omnes, & singulos, qui ad promotionem præficiendorum quodcunque Jus quacunque ratione à Sede Apostolica habent, -- eos alienis peccatis communicantes mortaliter aliter peccare, nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, -- præfici diligenter curaverint.* Quod iterum insinuat *cap.* 18. *cit. vers. si verò*, ubi statuit, ut si Beneficium *Juris Patronatus Ecclesiastici sit, & institutio ad Episcopum, non ad alium pertineat, is, quem Patronus digniorem inter probatos ab Examinatoribus judicabit, Episcopo præsentari teneatur, ut ab eo constituatur. Si verò sit simplex*, satisfaciet etiam ipse, saltem pro foro externo, si præsentet dignum secundùm idem Concilium *sess.* 7. *cap.* 13. *de reform.* ubi solùm exprimit obligationem conferendi ea dignis, & habilibus. Garc. *p.* 7. *de Benef. cap.* 16. *num.* 17. Lambertin. *l.* 2. *p.* 2. *quæst.* 10. *art.* 3. *num.* 17. Navar. *l.* 2. *de restit. cap.* 2. *num.* 150. Pal. *tract.* 13. *D.* 2. *p.* 7. *num.* 6. contra Azor. *p.* 2. *l.* 6. *cap.* 21. *quæst.* 5. *vers. quæstio.*

193 Addidi *in foro externo*; plures enim, & quidem magni nominis DD. putant à patronis omnibus ad Curata, ad Simplicia autem Beneficia saltem ab Ecclesiasticis præsentandos digniores sub obligatione peccati; quòd ex munere suo rem Ecclesiæ utiliter gerere teneantur: quod non faciunt, qui præsentant dignos, præteritis aliis saltem multo dignioribus. In quo tamen ipso plerique eorum discrimen faciunt inter patronos, & Beneficia; nam patronum Laicum solùm obligant sub peccato veniali, Ecclesiasticum autem tum solùm graviter peccare docent, quando minus dignum præsentavit ad Beneficium curatum, vel Dignitatem Ecclesiasticam, secus, si ad Canonicatus Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiatæ, & alia Beneficia Simplicia. Pirh. *hic num.* 95. *V. præterea.*

194 Quæritur 2. an patronus solummodo unum, an verò etiam duos, vel plures præsentare ad unum, idemque Beneficium possit? Resp. distinguendo, an præsentatio duorum, vel plurium fiat simul, an successivè, & oblata præsentatione unius alius præsentetur. *Primum* conceditur patrono non tantùm Laico, sed etiam Ecclesiastico, ut contra Gloss. *in Clem.* 2. *V. præsentare h. tit.* Abb. *ibid. n.* 4. Selvam *de Benef. part.* 3. *quæst.* 20. *n.* 5. Lambertin. *lib.* 2. *p.* 2. *qu.* 3. *art.* 8. probabilius docent Bertachin. *in Repert. V. præsentatio vers. ult.* Roch. de Curte *V. honorific. qu.* 9. *n.* 34. Garc. *part.* 5. *de Benef. cap.* 9. *num.* 216. Vivian. *prax. Jur. patron. lib.* 10. *cap.* 4. *num.* 4. Vviest. *hic num.* 104. ex ratione; quia patrono Ecclesiastico, ut mox dicam, interdicitur sola variatio, qualis non est duorum, vel plurium simultanea præsentatio. *Neque obstat*, quòd plures ab uno eligi etiam simul nequeant *cap. in electionibus* 2. junct. Gloss. *V. alternativa de Elect. in* 6. quia præsentatio patroni non æquiparatur electioni quoad omnia, sed tantùm quoad effectum, quòd sicut post publicationem scrutinii, ita etiam post præsentationem Superiori oblatam variationi ampliùs non sit locus.

195 *Quoad secundum* distinguendum est inter patronum Laicum, & Ecclesiasticum. *Ecclesiastico* non conceditur variatio, seu unius post alterum præsentatio; conceditur autem *Patrono Laico*, ut rectè Abb. *in c. cùm autem* 24. *h. tit. num.* 2. *&* 3. Lambertin. *lib.* 2. *part.* 2. *qu.* 7. *per totam*, Flamin. *de resign. lib.* 2. *quæst.* 23. *num.* 13. Azor. *p.* 2. *lib.* 6. *cap.* 21. *quæst.* 13. Laym. *lib.* 4. *tract.* 2. *cap.* 13. *num.* 6. Pal. *tract.* 13. *D.* 2. *part.* 6. *num.* 1. Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 72. *num.* 154. *& in cap. cùm autem citat. num.* 2. *&* 6. Fagnan. *ibid. num.* 19. Vallens. *hic* §. 3. *num.* 4. Zœs. *num.* 45. Engl. *numer.* 11. Honor. *num.* 23. Pirh. *num.* 96. *& seqq.* Schambog. *num.* 59. Vviest. *numer.* 105. & sumitur ex *cap. quod autem* 5. *cap. cùm autem* 24. *cap. pastoralis* 29. *h. titul. Rationes* differentiæ hujus inter patronum Laicum, & Ecclesiasticum à Jure factæ diversas DD. assignant: verior ex illis videtur, quòd patronus Ecclesiasticus, cùm sex menses ad præsentandum habeat, & inter Clericos vivat, præsumatur idoneum nosse, invenire faciliùs, quàm Laicus, qui tantùm quadrimestre ad præsentandum habet. Lambertin. *quæst.* 7. *cit. artic.* 1. Barbos. *alleg. cit. num.* 155. Gonzal. *in c. quod autem citat. n.* 4. Vviest. *hic n.* 103.

196 Porro variatio hæc, quam Laico Patrono permissam dixi, sita in eo est, ut facta præsentatione possit nominare alium, non privativè, sive priùs à se nominatum excludendo (nam si primum præsentatum excluderet, nulla esset talis secunda præsentatio) sed cumulativè, seu prius præsentato Clerico alium etiam idoneum superaddendo, ut patet ex *cùm autem citat. ibi, Cum postulaverit eo non refutato, alium æquè idoneum admitti.* Et hæc cumulativa præsentatio intelligitur, quo-

otics secundus præsentatur, & non excluditur ex-
fsè primus; quia intelligendum est de variatione
missa, Pal. *part. 6. cit. num.* 2. Barbos. *in cap. cùm au-*
n cit. num. 2. *fin.* Pirh. *hic num.* 99.

Extenditur potestas hæc variandi etiam ad hæredem, l successorem patroni Laici; cùm enim ad illum Jura funsti transeant, transibit etiam ad illum Jus Cleri-, quem fortè defunctus jam præsentavit, supcradden-alium, modò prior in Beneficio nondum sit insti-tus. Vivian. *l.* 12. *prax. Jur. patr. cap.* 5. *n.* 36. Addidi, *odo prior nondum sit institutus*; nam si Institutio jam facta, non ampliùs præsentare alium licet, cùm stitutus plenum jus in Ecclesia, vel Beneficio jam con-cutus sit. Et hoc verum est, etiamsi realis institutio, ve possessionis traditio non sit facta; quia in rebus, Juribus Spiritualibus per solam verbalem Institutio-em, seu Collationem Jus in re acquiritur, tametsi tualis immissio in possessionem nondum sit facta xta *cap. si tibi* 17. *de Præb. in* 6. Pirh. *hic num.* 98.

Dub. 1. an Patrono Ecclesiastico non saltem permis-i sit variatio, sive successiva duorum præsentatio in atronatu mixto, sive quando Laicum Compatronum abet? *Ratio dubitandi est*; quia cùm tali casu patro-us Laicus propter societatem Compatroni Ecclesiasti-i sex menses ad præsentandum habeat, ut *infrà num.* 17. dicetur, æquum est, ut vicissim Ecclesiasticus par-cipet jus variandi; quia privilegiatus ad se trahit non rivilegiatum.

Sed dicendum, etiam tali casu patronum Ecclesiasti-um variare non posse; quia variatio Patrono Ecclesia-tico generaliter prohibetur, & casus patronatus mixti on est exceptus. Abb. *in cap.* 24. *cit. num.* 4. Less. *lib.* . *de J. & J. cap.* 34. *n.* 30. Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 72. *num.* 166. Vivian. *prax. Jur. patr. lib.* 10. *cap.* 1. *n.* 6. Zœs. *hic num.* 47. Engl. *num.* 12. *Vers. quia autem*, Scambog. *num.* 59. Vviest. *num.* 105.

9 Atque hinc corruit Argumentum pro Ratione dubi-andi allatum; nam Regula ibi allegata locum dun-taxat habet in privilegiato digniore, qualis respectu socii Laici est Ecclesiasticus: hinc ex eo, quòd illum ad se trahat, non rectè infertur, quòd etiam ille ad se trahere istum debeat.

An verò hoc casu variatio permissa sit etiam Patrono Laico, expediendum est ope distinctionis: nam casu, quo unus, idemque est Patrono Ecclesiastico, & Lai-co præsentatus, nec Laicus recedere, & alium præsen-tare potest. Abb. *in cap.* 24. *h. tit. num.* 4. Less. *lib.* 2. *de J. & J. cap.* 34. *num.* 30. Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 72. *n.* 166. Vivian. *prax. Jur. patr. lib.* 10. *cap.* 1. *num.* 26. Pal. *tract.* 13. *D.* 2. *part.* 6. *num.* 7. Zœs. *hic num.* 47. Engl. *nu.* 12. *vers. quid autem*, Pirh. *num.* 100. *fin.* Schambog. *nu.* 59. Vviest. *num.* 105. *Ratio est*; quia patronus Laicus in concordem unius præsentationem consentiendo tacitè ad perseverantiam se obligasse censetur. Accedit, quia variatio hæc frustra fieret; cùm enim alterius præsen-tatio à Patrono Laico non privativè, sed cumulativè fiat, prior præsentatus, utpote habens duo pro se vo-ta, præferetur posteriùs præsentato, utpote habenti unum duntaxat votum.

0 Aliud foret, si Laicus, & Ecclesiasticus Compatroni præsentassent diversos; tunc enim Laicus variare pos-set, & alium à se præsentato addere, ut rectè Lamber-tin. *de Jur. patr. lib.* 2. *part.* 2. *quæst.* 7. *art.* 13. *num.* 4. Bar-bos. *alleg. cit. num.* 167. Pal. *num.* 7. *cit.* Zœs. *num.* Vviest. *num.* 106. quia æquum non est, ut is privilegio suo pri-vetur propter adjunctionem Compatroni Ecclesiastici. *Neque refert*, quòd tali casu Ecclesiastici instar repu-tetur à Gloss. *fin. in cap. un. h. tit. in* 6. quia ut Zœs. & P. Vviestner *loc. cit.* notant, talis censetur solùm quoad Socii commoda, non autem quoad privationem favoris sibi per Jus concessi.

21 Dub. 2. quoties variare Patronus Laicus possit? Se-mel tantùm posse existimant Roch. de Curte *de Jur. patr. V. honorificum quæst.* 10. Lambertin. *lib.* 2. *part.* 2. *quæst.* 7. *art.* 23. Gutier. *part.* 3. *de Juram. confirm. cap.* 13. Garc. *part.* 5. *de Benef. cap.* 9. *numer.* 214. Vivian. *prax. Jur. patron. lib.* 10. *cap.* 4. *num.* 1. Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 72. *num.* 172. *& in cap. cùm autem* 24. *hoc tit. num.* 2. Fagnan. *ibid. num.* 8. Gonzal. *in cap.* 5. *eod. num.* 6. Pirh. *hic num.* 99. *not.* 3. & videtur hoc colligi 1. ex *cap. quod autem* 5. *cùm autem* 24. *cap. cum dilectus* 28. & *cap. seq. h. tit.* qui textus de *alio* tantùm, & de *secundo* præsentato loquuntur: 2. Quia variatio est o-diosa juxta *Clem. un. de renunt.* ac proinde sine expres-so textu, & manifesta ratione multiplicari non debet: 3. Quia facultas simpliciter data primo actu finitur juxta *l. dotis promissio* 68. *ff. de Jur. dot. & l. boves* 89. §. *hoc sermone* 1. *ff. de V. S.*

Sed probabilior spectata ratione est sententia, quæ cum Gloss. *in Clem.* 2. *V. plures, & V. præsentare h. tit.* Decio *in c. quanto de Judic. à num.* 31. Abb. *ibid. col.* 2. Berojo *in cap. quod autem cit. n.* 19. Azor. *part.* 2. *lib.* 6. *cap.* 21. *qu.* 13. Pal. *tract.* 13. *D.* 2. *part.* 6. *n.* 3. Zœs. *hic n.* 48. Schambog. *n.* 59. Vviest. *n.* 110. & aliis docet variare Patronum Laicum etiam sæpiùs posse, & præsentare tertium, quartum &c. Colligitur ex *Clem.* 2. *cit.* ubi eo-dem modo, & sensu dicuntur plures præsentari posse, quo dicuntur plures posse esse patroni; possunt autem esse patroni non tantùm duo: sed tres, vel quatuor: ergo &c. *Ratio est*; quia præsentatio plurium permissa est Laicis propter utilitatem Ecclesiarum, *ut his faci-liùs provideatur*, prout dicitur *Clem. citat.* ut utilius au-tem Ecclesiis est si à Laicis præsententur tres, vel quatuor, quàm si duo tantùm; sic enim Ecclesiæ fa-ciliùs providebitur de idoneo, cùm ex pluribus præ-sentatis Episcopus instituere debeat digniorem: ergo &c. Hinc tamen non sequitur variationem etiam Ec-clesiasticis fuisse permittendam; quia cùm hi qualita-tes Clerici meliùs perspectas habeant, & plerumque di-gniorem præsentare teneantur, ab ipsis primò præsen-tatus præsumitur etiam esse dignior. 202

Neque obstant allata in contrarium. *Ad* 1. impri-mis textus *citt.* de *secundo*, & *alio* loquuntur solùm narrativè, de numero nihil disponendo: deinde *Cle-ment. cit.* plurium præsentatio disertè permittitur: quod jus, cum recentius sit, præ textibus in contrarium al-legatis est observandum. *Ad* 2. id procedit de varia-tione exclusiva, non de cumulativa, qualem Laico Patrono duntaxat concessam dixi *num.* 196. *Ad* 3. ea-dem est responsio; consumitur facultas primo actu, nisi concessio sit favorabilis, prout favorabilis Eccle-siæ est variatio concessa Patrono Laico. 203

Dub. 3. an variare Patronus Laicus possit, non ob-stante Juramento, quo Clerico priùs præsentato promi-sit, se non variaturum? Resp. negativè; sed stare Jura-mento tam Patronus præsentans, quam Ordinarius in-stituens debet. Ita Roch. de Curte *V. honorificum q.* 12. *n.* 37. Lambertin. *l.* 2. *p.* 1. *qu.* 4. *pr. art.* 13. *& l.* 2. *p.* 2. *qu.* 7. *pr. art.* 16. Covar. *in c. quamvis de pact. in* 6. *p.* 2. §. 2. *n.* 7. *vers. his tamen*, Gutier. *p.* 3. *de Juram. confir. cap.* 13. *n.* 13. Pal. *tr.* 13. *D.* 2. *p.* 6. *n.* 8. Zœs. *hic n.* 49. Pirh. *n.* 100. Vviest. *n.* 112. *&* 113. *Ratio de Patrono* est; quia tale Juramentum à Jure nusquam est improbatum, ne-que præjudicium affert tertio, aut in salutis dispen-dium vergit: igitur secundùm Regulam traditam *cap. quamvis* 2. *de pact. in* 6. *& cap. cum contingat.* 28. *de Ju-rejur.* est observandum. *Ratio de Ordinario*; quia si non primò præsentatum, sed alium à Patrono subrogatum tali casu institueret, videretur perjurium Patroni ap-probare, & cooperari ejus peccato *arg. cap. mulieri* 34. *de jurejur.* Vivian. *prax. jur. Patr. l.* 10. *cap.* 2. *n.* 6. & apud hunc. *Rota in Pampilon. Beneficii de Haabartæ* 13. *Fe-bruar.* 1595. *Procedit* autem hoc regulariter; nam ca-su, quo primus præsentatus non esset idoneus, vel Patronus ad Beneficium, præsertim Curatum, vellet præsentare alium multò digniorem: propter utilitatem Ecclesiæ, relato Juramento, idonei; aut multò dignio-ris secunda præsentatio admittenda foret. Zœs. *num.* 49. *cit.* Vviest. *num.* 114. 204

An vero secunda præsentatio, secluso casu, quo ido-neus præ indigno, & dignior præ minùs digno præ-sentaretur, contra Juramentum facta, sit valida, Do-ctores disputant. Negat Pal. *n.* 8. *cit.* ex duplici ratio-ne: 1. quia Juramentum accedens actui requirenti ad sui valorem authoritatem Judicis, seu præsentiam, ita illum firmat, ut irrevocabilem reddat *arg. c. licèt mu-lieres* 2. *de Jurejur. in* 6. sed præsentatio est actus, qui absque Judicis authoritate fieri non potest, ut ex di-ctis constat: ergo si Juramentum accedat de non va-riando, Patronus variare non ampliùs poterit. 2. Vel nominans secundum post Juramentum de non varian-do, hoc Juramentum suum manifestat Ordinario, vel illi occultat. *Si primum*. Ordinarius non admittet, nec potest admittere præsentationem, ne, ut *numer. præced.* dictum est, videatur approbare perjurium. *Si secundum*, admissio præsentationis secundæ erit subre-ptitia, ac proinde nulla, & irrita. 205

Verùm hæc Argumenta, ut ipse Pal. *l. cit.* agnoscit, non sunt convincentia. *Primum* quidem; quia solum probat, quòd sine perjurio non possit nominari alius: quod non impedit, quin possit alius nominari validè. Patet à paritate cum Matrimonio, quod valet initum contra Sponsalia Juramento firmata, & cum alia inita *c. sicut* 22. *de Sponsal. Neque obstat*, quòd ad valorem præsentationis requiratur præsentia Judicis, seu quòd illa fieri debeat Ordinario, ut præsentatum instituat; quia per 206

per hoc præsentatus non plus Juris acquirit, & si acquireret, nondum tamen probaretur secunda præsentatio esse invalida, sicut non est invalida secunda venditio cum traditione, licet facta sit contra jus primi Emptoris. *Secundum Argumentum*, ut probet, quòd admissio secundæ præsentationis, non manifestato Juramento, facta sit subreptitia, necesse est, ut probet, quod Juramentum hoc casu sit qualitas necessariò manifestanda, quod difficulter probabitur. Hinc cum Gregor. Lopez, Covarruvia, Matienzo, & aliis apud Pal. *l. cit.* censeo secundam præsentationem esse validam, si expresse, vel tacitè eam Ordinarius approbaverit.

207 Dub. 4. an variare patronus Laicus possit etiam lite pendente inter præsentatum à se, & alterum ab altero Compatrono suo præsentatum? *Certum est*, non posse casu, quo unus collitigantium jam est institutus, ut patet ex *cap. fin. ut lit. pend. in 6.*

Controversia est, quando neuter adhuc est institutus? Et hoc casu variationi locum concedunt Card. *in cap. Pastoralis 29. quæst. ult. h. tit.* Joan. Andr. *in cap. 1. ut lit. pend. in 6.* Lambertin. *lib. 2. p. 1. quæst. 6. art. 12.* ex ratione; quia jus patrono Laico potestatem variandi absolutè, & indistinctè, quadrimestri durante, concedit, quæ potestas per litis pendentiam eidem non tollitur.

Sed meliùs adhibetur distinctio, qua utuntur Roch. de Curte *de Jur. Patr. V. honorificum quæst. 23. n. 53.* Covar. *prax. qq. cap. 36. num. 7. vers. tertio* Lancellot. *de attentat. p. 2. cap. 3. in præfat. num. 688.* Garc. *p. 5. de Benef. cap. 9. à num. 217.* Pal. *tract. 13. D. 2. p. 6. n. 5. & 6.* Vviest. *hic num. 10.* ex quorum sententia Patronus Laicus pendente lite non potest quidem variare ita, ut duobus colligantibus valeat superaddere tertium; potest tamen variando ei, quem ipse præsentavit, superaddere eum, qui cum ipso collitigat.

208 *Ratio primi membri est*; ne lites, novo Adversario per ejusmodi præsentationem litigantibus addito, cum Ecclesiæ dispendio multiplicentur, & prorogentur. *Ratio secundi*, quia pluribus Votis in eundem collatis, lis potius tollitur, & abbreviatur, quam augeatur, & protrahatur; ut proinde eadem ratio, quæ in casu primi membri variationem prohibet, in casu secundi permittat. *Conf.* sententia hæc autem Rotæ, à qua ita pluries decisum est teste Garc. *num. 120. cit.*

209 Dub. 5. quis ex duobus, vel pluribus successivè, aut simul præsentatis instituendus sit ab Ordinario, vel alio jus instituendi habente? Resp. distinguendo, an omnes ab uno, eodemque Patrono sint præsentati, an à diversis. *Si primum*, videndum, an omnium merita, & habilitas sint æqualia, an contrà unus cæteris notabiliter judicetur dignior. *Si æqualia sint eorundem merita*, locus est gratificationi, ut quem vult; cæteris præferre, & instituere possint, ut expresse deciditur *cap. cùm autem 24. h. tit.* & notat *ibid.* Gloss. *V. judicio*, Abb. *num. 1.* Barbos. *num. 8. & de Offic. Episc. alleg. 72. num. 99.* Pal. *tract. 13. D. 2. part. 9. numer. 1.* Pirh. *hic numer. 99. & 100.* Vviest. *num. 139.* & alii ab his *citt.*

210 *Si verò inæqualia sint præsentatorum merita*, & unus cæteris notabiliter dignior, non conveniunt DD. Joan. Andr. Host. & alii apud Pal. *l. cit. num. 2.* volunt sufficere, si dignum ex illis eligat Ordinarius, & instituat. Sed meliùs Abb. *in cap. cùm autem cit. num. 2.* Roch. de Curte *V. honorificum quæst. 15.* Covar. *Reg. peccatum 4. p. 2. §. 7. n. 4.* Azor. *p. 2. l. 6. cap. 22. qu. 14.* Barbos. *de Offic. Episcop. alleg. cit. n. 200.* Pal. *p. 9. cit. n. 4.* Fagn. *in c. cùm autem cit. n. 28.* Pirh. *hic num. 100.* Vviest. *n. 140.* docent stante plurium præsentatione æquali, præferendum cæteris, qui notabiliter dignior est; quia Jura, sicut in electione, ita etiam in Institutione præferendum asserunt eum, qui majoribus juvatur meritis: licèt si dignioribus prælatus sit dignus, sustineatur factum ad amputandas occasiones litium, ut ex Lambertin. *l. 2. p. 2. qu. 7. art. 26. n. 4.* notat P. Vviestner *num. 140. cit.*

211 *Si secundum* contingat, & à diversis duo, vel plures sunt præsentati, considerandum, an pari numero plurium Patronorum sint præsentati, an impari, & unus à pluribus, alter à paucioribus. *Si impari numero*, ille, qui pluribus votis præsentatus est, præferendus est digniori, paucioribus votis præsentato, modò ille sit dignus. Gloss. *in cap. quoniam 3. V. qui majoribus h. tit.* Abb. *ibid. num. 4.* Lotter. *tract. de re Benef. l. 2. quæst. 1. num. 132.* Garc. *p. 9. de Benef. cap. 2. num. 57.* Barbos. *alleg. 72. cit. num. 197.* Pirh. *hic num. 100.* Vviest. *num. 141.* Dixi *modò ille sit dignus*: nam si plurium votis præsentatus sit indignus, huic præferendus foret dignus, etsi paucioribus Votis præsentatus, Roch. de Curte, *V. honorificum quæst. 16. num. 43.* Vivian. *l. 12. prax. Jur. Patr. cap. 8. numer. 12.* Vviest. *l. cit.* Quod saltem verum est, postquam tempus, ad præsentandum à Jure concessum, transiit; nam antequam transierit, saltem si, qui indignum præsentarunt, sint Laici, præsentare alium dignum possunt, & sic digno, qui paucioribus votis præsentatus est, nondum quæsitum est jus absolutum ad petendam Institutionem.

Si pari numero omnes sunt præsentati, P. Vviest. *hic num. 143.* cum aliis à se *citt.* distinguit, an unus eorum sit dignior cæteris, an omnes æquales; nam in primo casu dicit præferendum digniorem, in secundo putat esse locum gratificationi. Quod verum est saltem casu, quo tempus semestre lapsum jam est. Si lapsum nondum sit, Pirh. *hic num. 100. cit.* utrumque negat. *Rationem* dat, quia non potest Episcopus auferre Patrono jus præsentandi, quamdiu id ipsi indulget jus; sed quamdiu tempus legitimum præfixum ad præsentandum nondum elapsum est, Patrono Laico Jus indulget, ut præsentare alium possit, ut dictum est *n. 195.* ergo hoc Jus ipsi adimere non potest Episcopus, adimeret autem, si inter præsentatos in discordia, Patronis non interrogatis, institueret, quem ipse vellet, ergo &c. *Excipitur* 1. nisi Patronus Juramento promiserit se non variaturum; tunc enim poterit Episcopus ex duobus præsentatis eligere, quem voluerit, etiamsi tempus præscriptum præsentationi elapsum non sit. *Excipitur* 2. nisi consuetudine aliter inductum sit. Sic *Tit. 7. num. 27.* dixi, praxi plurium Germaniæ Diœcesium inductum esse, ut non exspectato lapsu temporis, præsentati instituantur. Poterit ergò tunc etiam currente illo tempore, Ordinarius ex duobus in discordia præsentatis instituere digniorem, vel si æquales sint, illum, quem vult.

Dub. 6. an, quando ex duobus, ad idem Beneficium præsentatis, neuter altero apparet dignior, tertius aliquis ab Episcopo institui possit? Affirmant Sylv. *V. jus patr. qu. 8.* Vasq. *Opusc. de Benef. c. 2. §. 1. n. 16.* Azor. *p. 2. l. 6. c. 21. qu. 19. fin.* & probabile putat Less. *l. 2. de J. & J. c. 34. n. 33.* Rationem dant; quia tali Institutione nec Patronis, nec præsentatis fit ulla injuria: non Patronis; quia in tali discordia neuter jus habet petendi institutionem ejus, quem ipse præsentavit, non præsentatis, quia nec ipsorum alicui Jus competit, ut petere sui Institutionem possint. *Conf.* ex *c. quoniam 3. h. tit.* ubi ad valorem præsentationis requiritur, ut quando Patroni discordes sunt, unus præsentatorum *majoribus adjuvetur meritis, & plurimorum eligatur, & approbetur assensu*: igitur casu, quo unus patronus unum, alter alterum præsentavit, præsentatio erit invalida, si autem invalida est, prohiberi Ordinarius non potest, quin alteri Beneficium vacans conferat. ergo &c.

Sed tenenda est sententia negativa, quam etiam defendit Gloss. *in can. si plures 36. V. auferri caus. 16. qu. 7.* Abb. *in cap. 24. h. tit. num. 8.* Pal. *p. 9. cit. num. 4.* Pirh. *num. 100. hic*; Vviest. *ibid. n. 145.* Estque sententia hæc conformior Juri *can. decernimus 32. caus. 16. qu. 7. cap. illud 8. & c. ex insinuatione 14. h. tit.* ex quibus à DD. assumitur universalis Regula, quod idonei à Patronis præsentati præferendi sint quibuscunque extraneis: quæ Regula proinde etiam in casu præsentis dubii, cùm exceptus non sit, vim obtinebit. *Excipitur* triplex casus. 1. si Compatroni Laici à quibus præsentati sunt, in tertii ab Episcopo eligendi institutionem consentirent. 2. si ex institutione alterutrius præsentatorum timeretur grave scandalum, aliaque incommoda, quæ institutione tertii evitari possent. 3. quando Patroni Juramento promiserunt se non variaturos.

Neque contrarium probat Argumentum adversæ sententiæ; licèt enim nec Patroni, nec præsentati hoc casu exigere possint, ut unus ipsorum instituatur præ altero, jus tamen habent, ne ipsis ab Episcopo quoad Institutionem præferatur extraneus; conf. jam fit utrique parti injuria. *Ad Conf.* majora merita, & major numerus Votorum tantùm requiritur, ut unus præsentatorum institutionem exigere, & excludere cæteros simul secum præsentatos possit; non verò, ut excludatur extraneus. Quare casu, quo duo æquali Votorum numero præsentati à diversis sunt, Ordinarius, antequam unum illorum instituat, exspectare debet, an non fortè Patroni, de discordia præsentationis moniti, varient; si autem variare nolint, instituet alterutrum, utpote quorum quilibet jure præsentationis extraneo quovis est potior.

Dub. 7. an casu, quo primus præsentatus per Laicum revera fuit dignus, sed quòd per Episcopum iniquè, & malitiose rejectus sit, ad præsentationem ejusdem patroni alius est institutus, si rejectus dein, appellatione coram Superiore interposita, demonstraverit inju-

injuriam sibi factam, & vicerit, petere Beneficium, ad quod præsentatus est, possit, & excludere institutum posterius præsentatum? Resp. hanc quæstionem esse decisam *in cap. quod autem* 5. *& cap. Pastoralis* 29. *h. tit.* ubi Pontifices rescripserunt, meliorem esse possidentis conditionem, adeoque defacto institutum in Beneficio relinquendum, ita tamen, ut priori præsentato, & per malitiam rejecto Episcopus alia via teneatur providere.

Quæritur 3. intra quod tempus ad Beneficium vacans præsentare Clericum Patronus debeat? Resp. tempus ad præsentandum non idem à Jure indultum est omnibus Patronis; Laicus enim per *cap. quoniam* 3. *& cap. cùm propter* 27. *h. tit.* tantum quatuor, Ecclesiasticus verò juxta *cap. eam te* 22. *& cap. un.* §. *verùm eod. in* 6. sex menses habet. *Ratio*, cur huic longius tempus concedatur, est, quia Patronus Laicus, ut *supra n.* 195. dixi, variare potest, & si indignum præsentarit, præsentare alium dignum, modò intra tempus à Jure constitutum hoc fiat, quorum neutrum facere patronus Ecclesiasticus potest: ut ergo iste gravatus in uno, in alio relevetur, æquitas deposcebat eidem longius tempus concedi. Vivian. *in Ration. cap. un. cit.* §. *verùm*, Zœs. *hìc num.* 45. Pirh. *num.* 105. Vviest. *num.* 84.

Porro tempus istud, cessante legitimo impedimento, continuum est; quia fieri quocunque tempore, & loco præsentatio potest. Roch. de Curte *de jur. patron. V. honorificum quæst.* 34. *num.* 65. Corrad. *prax. Benef. lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 80. Gonzal. *ad Reg.* 8. *Cancell. gloss.* 62. *num.* 8. Garc. *part.* 10. *de Benef. cap.* 2. *numer.* 42. Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 72. *numer.* 127. Pal. *tractat.* 13. *D.* 2. *part.* 5. *numer.* 4. Vviest. *hìc num.* 91. *&* 92. Est enim præsentatio actus extrajudicialis, & voluntarius: ac proinde validè, & licitè diebus feriatis fit. Item hoc semestre, vel quadrimestre computandum est à die Vacationis notæ usque ad similem horam, ita, ut si vacatio nota contigit prima die mensis Januarii hora 8. finiatur semestre prima die Junii hora 8. etiamsi annus bissextilis sit. Garc. *l. cit. num.* 43. Pal. *num.* 4. *cit.*

Quodsi patronus quicunque intra tempus à Jure statutum ad Beneficium vacans non præsentaverit Clericum idoneum Episcopo, vel alteri habenti jus instituendi, pro ea vice potestatem præsentandi amittit, ita, ut Ecclesia, vel Beneficium ab isto dein liberè conferri pro ea vice possit per textus *cap. quoniam &c. citt.* proceditque hoc, etsi institutio isti non Jure ordinario; sed speciali per privilegium, consuetudinem, vel præscriptionem competat, ut notat Gloss. *in Clem. un. V. dispositionem de renunt.* Abb. *in cap.* 7. §. *fin. de Elect. num.* 6. Vallens. *l.* 2. *de Benef. tit.* 20. *numer.* 8. & ratio est, quia culpa, vel negligentia unius aliis nocere non debet *lib. sive hæreditaria* 22. *ff. de negot. gest. & lib. rem hæreditariam* 65. *fin. ff. de Evict.* noceret autem ei, qui jus instituendi habet, si patrono propter lapsum temporis præsentare non ampliùs valente, Beneficium liberè conferre non posset: ergo &c.

Dub. 1. quibus casibus, etiam lapso quadrimestri, vel semestri à die, qua Beneficium vacare cœpit, potestas præsentandi penes patronum maneat? Resp. 1. si ignorantiam habuit de vacatione Ecclesiæ, vel Beneficii inducta. *cap. quia diversitatem* 5. *de concess. Præb.* Abb. *in cap.* 27. *hoc tit. num.* 3. Sylv. *V. Jus patronatus quæst.* 6. *dict.* 1. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *cap.* 21. *quæst.* 11. Less. *l.* 2. *de J. & J. cap.* 34. *num.* 27. Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 72. *num.* 134. Pal. *tract.* 13. *D.* 2. *p.* 5. *numer.* 3. Matthæucc. *in Offic. Eccl. cap.* 28. *numer.* 15. Vallens. *hìc* §. 3. *num.* 2. Zœs. *num.* 57. Engl. 13. Pirh. *num.* 106. Estque hoc adeo verum, ut si plures patroni fuerint, unius eorum scientia tantum ipsi scienti, non cæteris noceat, ut Rotæ decisione probat Garc. *p.* 10. *de Benef. cap.* 2. *num.* 41. *Ratio est*, quia privatio potestatis præsentandi inducta est in odium, & pœnam negligentiæ, ut patet ex *cap. cit.* ibi *Contra negligentes*; is autem, qui vacationis notitiam non habet, negligens dici non potest. ergo &c. præsumitur autem patronus habuisse ignorantiam vacationis, nisi concurrentes circumstantiæ, ut vicinitas loci, patroni præsentia &c. aliud suadeant. Hinc quòd ejus notitiam patronus habuerit, probare debet is, qui beneficium ob patroni negligentiam ad se devolutum asserat, cùm non sit verisimile patronos neglecturos fuisse jus suum, si vacationis habuissent notitiam. Garc. *l. cit. num.* 34. Barbos. *num.* 136. Matthæucc. *num.* 15. Ad novendam tamen omnem disputationem (quod in quibusdam Diœcesibus receptum est) optimum est ut patroni de obitu Beneficiati ab Episcopo certiorentur, & ad præsentandum moneantur, ut idem Matthæucc. *l. cit.* notat.

2 Si patronus Reip. vel alia justa causa absens, excommunicatus, incarceratus, vel alio legitimo Juris, aut facti impedimento detentus sit *cap. quia diversitatem cit.* ob eandem rationem, quam attuli de ignorantia: cum hoc tamen discrimine, quòd onus probandi ferè incumbat illi, qui Impedimentum pro se allegat, ut bene advertit Pal. *p.* 5. *cit. num.* 5. & meritò; quia talia ferè consistunt in facto, quod non præsumitur, sed probandum est, nisi persona, & hujus negotia præsumptionem faciant, ut fit in supremis Principibus; hi enim, quia multitudine occupationum, bellique, & pacis negotiis impediti præsumuntur, si intra quadrimestre præsentationem non fecerint, non propterea potestate præsentandi privantur. Garc. *num.* 34. *fin.* Barbos. *num.* 137. Pal. *num.* 5. *cit.* 221

3 Post quadrimestre jus præsentandi probabiliùs non amittit Laicus, quando est Compatronus Ecclesiastici; nam ut huic, ita etiam illi eo casu indulgentur sex menses propter communionem cum Ecclesiastico, ut contra Pal. *p.* 5. *cit. num.* 2. communior sententia habet cum Garc. *p.* 5. *de Benef. cap.* 9. *numer.* 210. Laym. *l.* 4. *tract.* 2. *cap.* 13. *numer.* 4. *vers. inter*, Less. *l.* 2. *de J. & J. cap.* 34. *num.* 26. Vallens. *hìc* §. 3. *num.* 1. Zœs. *num.* 46. Engl. *num.* 12. *vers. quid autem*. Pirh. *n.* 108. Vviestner *num.* 85. *Ratio est*; quia cùm res communis omnino individua, aut non facilè dividua est, æquum est, ut socius quoad eam rem privilegiatus (saltem dignior *arg. cap. quod in dubiis* 3. *de consecr. Eccl.*) ad se trahat non privilegiatum, & hic commodum consequatur à communione cum illo *arg. l. quemadmodum* 10. *ff. quemadm. servit. amitt. Neque obstat*, quòd Laicus ad se Ecclesiasticum non trahat quoad variationem, quæ illi, etiam quando Compatronus est Ecclesiastici, ut *num.* 200. dictum est, salva manet; nam potestas variandi ex speciali favore juris data patrono Laico est, cui per consortium cum patrono Ecclesiastico non censetur derogatum. 222

4 Potest Episcopus, & alius quivis, qui jus instituendi habet, præsentationem patroni ex gratia admittere etiam post lapsum tempus *arg. cap. sicut* 2. *de suppl. negl. Prӕl. V. liceat*, quod importat arbitrium, & *cap. litteras* 4. *eod.* Laym. *l.* 4. *tract.* 2. *cap.* 13. *n.* 7. Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 72. *n.* 170. Matthæucc. *Offic. Eccl. cap.* 28. *num.* 19. Nisi propter præsentationem indigni inciderit pro ea vice in pœnam privationis juris præsentandi, fueritque patronus Ecclesiasticus; nam si Laicus fuerit, juxta dicta *n.* 189. non privatur pro illa vice jure præsentandi: conf. admitti iste etiam hoc casu ab Episcopo poterit post tempus ad præsentandum. 223

Dub. 2. an lite inter patronos pendente, tempus currat, ita, ut ea intra quatuor, vel sex menses non finita, ab Episcopo Beneficium liberè conferri possit? *Certum est* tempus, lite pendente, currere, quando aliquis ex litigantibus est in possessione juris patronatus; quia is, qui in possessione juris illius est, præsentare ad Ecclesiam, vel Beneficium debet: & hinc, si iste, cessante legitimo impedimento, statuto tempore præsentationem non faciat, post illud tempus jus præsentandi pro illa vice amittet, & Beneficium vacans ab Episcopo liberè conferri poterit. Honor. *hìc num.* 58. Engl. *num.* 13. *vers. quodsi unus*. Vviestner *num.* 93. 224

Difficultas moveri potest, quando neuter litigantium est in possessione. Videtur hoc casu tempus non currere, sed præsentatio patronis competere etiam post semestre, vel quadrimestre ex ratione; quia tempus jure indultum non currit, nisi negligentibus *cap. quia diversitatem* 5. *de concess. Præb.* & *cap. ne pro defectu* 42. *de Elect.* atqui negligens non potest dici is, qui agit *arg. l. contra majores* 16. junct. Gloss. *C. de in offic. testam.* ergo &c. 225

Sed dicendum, eo casu perinde, ut ob negligentiam devolutum, ad liberam collationem Episcopi pertinere. Ita Azor. *p.* 2. *l.* 6. *cap.* 21. *quæst.* 12. Zerol. *prax. Episc. V. Patronatus* §. 5. Pal. *tract.* 13. *D.* 2. *p.* 5. *num.* 6. Vallens. *hìc* §. 3. *num.* 3. Honor. *num.* 58. Engl. *num.* 13. *vers. si Patroni*, Pirh. *num.* 111. Schambog. *n.* 61. & patet ex claris textibus *cap. quoniam* 3. *in fin. cap. si verò* 12. *cap. eam te* 28. & *cap. cùm propter* 27. *h. tit.* Et meritò, ne, ut sæpe contingit, si protrahantur lites, nimis diu Ecclesiæ, & Beneficia cum magno rerum temporalium, animarumque periculo vacare debeant.

Excipi debet 1. si Patroni intra tempus, ad præsentandum sibi concessum, sua jura deduxerunt, & Episcopum requisiverunt, ut controversiam definiret: hic autem moram in ea definienda traheret: tali enim casu tem- 226

tempus patronis non curreret, sed litis eventus exspectandus foret, ut rectè monet Mareschott. *var. resol. l. 1. cap.* 84. quem citat, & sequitur P. Vviestner *hic num.*94. & ratio est; quia aliàs Episcopus malitiosa sententiæ dilatione consequi posset jus liberè conferendi, quod pugnat cum notissima Juris Regula, quia prohibetur delinquens favorem consequi ex delicto suo. 2. si lis vertatur inter patronum, & Episcopum, quia nimirum Episcopus prætendit Beneficium esse liberæ collationis, & patronus sustinet esse patronatum; tunc enim Episcopus non confert Beneficium, aut Ecclesiam, sed ponit ibi Oeconomum, quousque quæstio fuerit terminata, ut expressè notatur *cap. cùm vos 4. de Offic. Ordin.* & advertit *ibid.* Abb. *num.* 7. Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 72. *num.* 140. *fin.* Vivian. *prax. jur. patron. l.* 7. *cap.* 3. *num.* 6. Pal. *tract.* 13. *D.* 2. *p.* 5. *num.* 7. Matthæucc. *Offic. Eccl. cap.* 28. *num.* 17. Honor. *hic num.* 58. Pirh. *num.* 113. *&* 116. Schamb. *num.* 61. Vviestner *num.* 94. ob similem rationem; quia aliàs Episcopus frivola litis protelatione vincere Adversarium absque sententia posset. 3. quando lis est inter duos, vel plures præsentatos, & quivis eorum contendit se alteri, vel aliis præferendum esse; tali enim casu de utriusque jure cognoscendum, & pro eo, qui potiori gaudet, pronuntiandum est. Matthæucc. *l. cit. n.* 18. Pirh. *n.* 116. & resolvit Rota *decis.* 586. *num.* 7. apud Farin. *in collect.* 1. *novissimar.* 4. si lis sit non de jure præsentandi, sed eligendi, conferendi, aut alio simili; nam etsi ob ejusmodi litem necesse sit electionem, Collationem &c. protrahi ultra tempus à jure præscriptum, propterea tamen litigantibus jus eligendi, conferendi &c. non subtrahitur. Joan. Andr. *in cap. quoniam cit. num.* 7. Abb. *ibid. numer.* 6. Fagnan. *num.* 21. Vviestner *num.* 95. Ratio est; quia dispositio *cap. quoniam*, & aliorum *citt.* est exorbitans à jure communi, conf. tanquam odiosa, & ad alios casus trahi non debet.

227 *Ad Rationem dubitandi*, dico casum hunc esse specialem, & contingere id tantùm per accidens, ne Ecclesia diu viduata relinquatur. Debet tamen eo casu Clericus sine præsentatione institutus, postea finita lite, præsentari Episcopo à Patrono, qui jus patronatus in Judicio obtinuit, non quòd per talem præsentationem de novo acquiratur jus aliquod ipsi præsentato, sed ut eum tanquam patronum judicialiter pronuntiatum agnoscat, adeoque tali agnitione constituatur iste in quasi possessione ipsius juris patronatus. Gloss. *fin. in cap. si verò* 12. *h. tit.* Abb. *ibid. num.* 4. Piasec. *prax. Episc. p.* 2. *cap.* 5. *art.* 2. *num.* 27. Matthæuc. *Offic. Eccl. cap.* 28. *n.* 16. Pirh. *hic n.* 112. ubi addit, si verus patronus, qui obtinuit causam in Judicio, non velit præsentare jam priùs institutum ab Episcopo, id ipsi non nociturum; quia jam plenum jus acquisivit ex institutione Episcopi, cujus authoritate facta.

228 Dub. 3. an tempus ad præsentandum à jure indultum litigantibus super jure patronatus prorogari ab Ordinario valeat? Resp. posse, si fiat intra tempus patronis à jure concessum, non posse eo lapso. Flamin. *l.* 7. *de resign. quæst.* 29. *fin.* Riccius *prax. for. Eccl. resol.* 195. Ugolin. *de potest. Episc. cap.* 51. §. 1. *num.* 4. *vers. tertio in fin.* Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 72. *num.* 145. Pal. *tract.* 13. *D.* 2. *p.* 5. *num.* 8. Honor. *hic n.* 21. Vviestner *ibid. num.* 97. *Ratio primi membri* est; quia *cap. sicut* 2. *de suppl. negl.* dicitur solùm, quòd patronis præsentationem negligentibus, Episcopo *liceat ordinare Rectores*; verbum *Liceat* autem non necessitatem, sed facultatem dumtaxat importat. *Ratio secundi*; quia lapso eo tempore, jus conferendi ad Superiorem ipso jure devolvitur: conf. concessio facultatis præsentandi tunc non prorogatio, sed nova concessio foret, quod facere Episcopus nequit.

229 *Major difficultas est*, an tempus hoc coarctari, vel prorogari possit ab ipsis Fundatoribus? Et *ratio dubitandi* est; quia tempus hoc præfixum est à SS. Canonibus *cap. quoniam* 3. *cap. eam te* 22. *cap. cùm propter* 27. & §. *verum citt.* atqui ea, quæ contra Leges, & SS. Canones fiunt, pro infectis habenda sunt *can. Imperiali* 13. *caus.* 25. *quæst.* 2. *cap. quæ contra* 64. *de R. J. in* 6. & *l. non dubium* 5. *C. de LL.* ergo &c. *Conf.* ipsi Ecclesiarum inferiorum Prælati statuere aliquid contra SS. Canones nequeunt *can. institutionis* 7. *caus. & qu. cit.* & *cap. quod super* 9. *de major. & obed.* ibi, *Dummodo non ducas aliquid statuendum, quod Canonicis obviet institutis*. ergo multo minùs id poterit persona privata patroni, cùm generaliter inferior potestas superiori prævalere nequeat *can. inferior* 4. *dist.* 21. *cap. cùm inferior* 16. *de major. & obed.* & *Clem. ne Romani* 2. *pr. de Elect.* ergo &c.

230 Sed respondendum est distinguendo an Fundator in ipso fundationis limine tempus istud contrahere, vel prorogare velit, an post fundationem jam perfectam. *Hoc secundum* non potest; quia Legibus in fundationis limine appositis adjici aliæ de jure nequeunt *l. perfecta* 4. *C. de Donat. quæ sub mod.* ibi, *Perfecta Donatio conditiones postea non capit. Primum* fieri, accedente Episcopi consensu, potest, ut rectè observant Marc. Anton. *l.* 1. *var. resolut.* 112. *cas.* 15. Vivian. *prax. Jur. Patron. l.* 7. *cap.* 1. *num.* 16. *&* 17. Pirh. *hic num.* 43. Viestner *ibid. num.* 98. Ratio est; quia cùm Fundator rerum suarum sit moderator, & arbiter, earum traditioni apponere potest conditiones, quas vult, dummodo honestæ, & à jure reprobatæ non sint.

Ad Rationem dubitandi Jus certum tempus præsentationi præscripsit pro iis solùm casibus, quibus nullum tempus certum præscripsit Fundator. *Ad Conf.* nego paritatem; nam patrono, dum ipsi jus patronatus concesserunt, SS. Canones voluerunt favere: & hinc sicut alias conditiones apponere fundationi non prohibetur, ita etiam non vetatur facere contractionem, vel prorogationem temporis ad præsentandum à jure constituti.

Dub. 4. quid juris, si præsentatio in tempore facta effectum sortita non est vel ex actu Ordinarii, vel quòd præsentatus eam non acceptarit, aut acceptatæ renuntiarit, vel ante Institutionem sit mortuus, vel ipsa præsentatio propter defectum occultum fuerit nulla &c. Resp. hoc casu patrono conceditur novum quadrimestre, vel semestre ad faciendam novam præsentationem: numerarique hoc tempus debebit à tempore recusationis, renuntiationis, mortis, vel alterius defectus cogniti *arg. cap. si electio* 26. *de Elect. in* 6. nisi in prædictis fraus aliqua intercessisset. Roch. de Curte *de Jur. Patron. V. honorificum quæst.* 42. Puteus *decis.* 200. *aliàs* 194. *in correct. l.* 1. Barbos. *in cap. si electio citat. num.* 2. Honor. *hic num.* 48. Konig. *num.* 27. Vviestner *num.* 96. estque teste Barbos. *l. cit.* decisum à Rota *decis.* 269. *aliàs* 8. *de Jure Patron. in novis*.

§. VII.

De Patronatus Probatione, Derogatione, & Amissione.

SUMMARIUM.

233 *An, & quomodo Jus Patronatus probari debeat?*
234 235 236 237 *Quomodo probari possit à privatis?*
238 239 *Quomodo debeat probari à Magnatibus, & Universitatibus?*
240 *An casu, quo Scripturæ Authenticæ sunt amissæ, possint in probationem admitti testes?*
241 242 243 *Quibus casibus probatio tam exacta non requiratur?*
244 245 246 *Quis sit Judex competens in causis Juris Patronatus?*
247 *&c. An, & quando Summus Pontifex derogare censeatur Juri Patronatus?*
254 255 256 *An, & cui Patronatui derogare possit Sedis Apostolicæ Legatus?*
257 258 259 *Qualem potestatem circa Beneficia Patronata habeat Episcopus?*
260 261. *Quot modis amittatur Jus Patronatus sine delicto?*
262 *Quibus criminibus amissio illius sit ipso Jure annexa?*

Quæritur 1. an, & quomodo jus patronatus probari debeat? *Certum est*, quod jus patronatus probari debeat, si patronus præsentationem suam ad Beneficium vacans admitti velit: *Ratio est*; quia Beneficia Ecclesiastica in dubio præsumuntur potiùs esse Collativa, quàm juri patronatus obnoxia. Modum, quo jus patronatus probari debeat, Trid. *sess.* 25. *cap.* 9. *de reform.* præscribit duplicem, unum observandum privatis, alterum Magistratibus, & Communitatibus, in quibus juris illius usurpatio præsumitur. Et hinc

Dub. 1. quomodo privati probare possint jus patronatus sibi competens? Resp. possunt id probare novem maximè modis, 1. Per Instrumentum Authenticum: quale est non solùm Instrumentum publicum, sed aliud qualecunque, modò Scripturæ Authenticæ mereatur nomen: de quibus dictum est *Lib.* 2. *Tit.* 22. *à num.* 36.

2 Ex multiplicatis, & sine interruptione continuatis præsentationibus per antiquissimum temporis cursum, qui hominum memoriam excedat, ut *loc. citat.* Trid. loquitur: & hinc cùm tanto tempore contingere non soleat, imò vix possit; ut intra illud præsentatio

tatio semel tantùm repetatur, ex probabiliore sententia Pal. *tract.* 13. *D.* 2. *p.* 3. *num.* 4. & aliorum à Concilio exposcentur tres saltem factæ, & continuatæ præsentationes.

235 3 Præscriptione quadragenaria cum titulo colorato, aut isto deficiente, tanti temporis, cujus initii non extat memoria *cap. Episcopum* 1. junct. Gloss. *V. legitimè de præscript. in* 6. Gonzal. *ad Reg.* 8. *Cancell. gloss.* 18. *num.* 57. Pal. *part.* 3. *cit. num.* 6. Vviestner *hic numer.* 180.

4 Per Famam, si cum ea concurrant alia adminicula, præsertim longissima quadraginta, vel plurium annorum possessio, etiam unico actu inducta. Gonzal. *l. cit. num.* 56. Pal. *n.* 6. *cit.* Vviestner *n.* 181. & fuit resolutum *in Aretina Capellaniæ* 16. *Dec.* 1598. *coram Seraphino*, & alias sæpe teste Gonzal. *l. cit.*

5 Ex pluribus v. g. duabus litteris, quibus Ordinarius fatetur jus præsentandi competere alicui; cùm enim Ordinarii in admittendis præsentationibus non sint faciles, ille, ad cujus præsentationem factam fuisse Institutionem patet ex Litteris Episcopalibus, justum titulum habere præsumitur. Flamin. *de resign. l.* 8. *quæst.* 11. *num.* 38. Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 72. *num.* 47. Pal. *num.* 6. *cit. vers. quinto.* Vviestner *num.* 181.

236 6 Ex Libris Visitationum, si iis asseratur Beneficium visitatum patronatui subjectum esse; neque enim verisimile est Visitatores expressuros istud fuisse, si non habuissent de illius qualitate notitiam. Lotter. *de re Benef. l.* 2. *quæst.* 13. *num.* 151. Matthæucc. *Offic. Eccl. cap.* 28. *num.* 35.

7 Ex sententia, qua jus patronatus patrono contra eum, qui pro Ecclesiæ libertate egit, adjudicatum est, si illa in rem judicatam transiit. *arg. l. res judicata* 207. *ff. de R. J.* Stephan. Gratian. *Discept. for. cap.* 310. *per tot.* Ricc. *de novissim. Jurispatr. probat. resol.* 145. *pr.* Barbos. *alleg.* 72. *cit. num.* 49. Vviestner *num.* 183.

237 8 Ex Monumentis antiquis, ut præter alia sunt Insignia Familiæ, aræ, columnæ, parieti Ecclesiæ, vel Capellæ, in qua erectum est Beneficium, affixa; quia cùm hujusmodi Insignia non soleant apponi rei omnino alienæ, si de alia appositionis causa non constet, præsumptio est Ecclesiam, vel Capellam à familia fundatam, vel dotatam. Lambertin *l.* 3. *de Jur. Patron. quæst.* 5. *art.* 4. *num.* 2. Garc. *p.* 5. *de Benef. cap.* 9. *num.* 91. Barbos. *alleg. cit. à num.* 50. Matthæucc. *num.* 35. Vviestner *num.* 184.

9 Ex honoratiore, & patronis concedi solito loco, ex pensione certis temporibus alicui ab Ecclesia, vel Beneficii in ea erecti possessore præstita: quæ tamen cùm aliquando ex aliis causis competant, quantam vim probandi jus patronatus habeant, Judex ex circumstantiis loci, personarum, rerumque arbitrabitur. Card. de Luca *in Summ. de Jur. Patr. num.* 50.

238 Dub. 2. quomodo jus patronatus debeant probare Magnates, & Universitates? Resp. his, quia Juris istius usurpatio in ipsis præsumitur, magis stricta, exactaque illud probandi forma à memorata Synodo *c.* 9. *cit. vers. in iis verò personis* præscribitur. Tales autem Personæ ex Declaratione Card. Trid. Interpp. sunt Duces, Marchiones, Comites, Barones, & alii Domini Civitatum, Castrorum &c. perpetuam jurisdictionem temporalem obtinentes in iis locis, in quibus Beneficia sunt erecta, licèt Superiorem in temporalibus recognoscant: imò etiam, quæ in talibus locis sine jurisdictione propter Familiarum splendorem, & magnam parentelam valde potentes sunt: uti & Universitates, seu Communitates Sæcularium etiam parvæ v. g. alicujus populi, oppidi, vel pagi, in his jurisdictionem temporalem exercentes. Joan. Gallemart. *ad cap.* 9. *Trid. cit. n.* 3. Clericat. *de Benef. discord.* 4. *numer.* 20. Matthæucc. *Offic. Eccl. cap.* 28. *num.* 38. Zœs. *hic numer.* 8. Honor. *num.* 64. Vviestner *num.* 187.

239 In his ergo Personis, & Communitatibus, si jus patronatus ex fundatione, constructione, dotatione sibi competens non per Scripturam Authenticam, sed allegato tempore immemoriali, probare velint, hæc probatio ex Synodi memoratæ Decreto aliter non admittitur, *quàm si præter reliqua ad eam necessaria* (verba sunt Trident.) *præsentationes, etiam continuatæ, non minori saltem, quàm quinquaginta annorum spatio, quæ omnes effectum sortitæ sint, authenticis scripturis probentur*. Adeoque requiritur 1. ut probentur præsentationes continuatæ ab immemoriali tempore: neque sufficit, si probes præsentationes primas, & postremas illius temporis, si aliquam intermediam omittas; nam licèt probatis extremis, præsumantur probata etiam media, at non est probata continuatio, nisi solùm præsumptivè, cùm tamen Concilium requirat veram probationem. Pal. *tract.* 13. *D.* 2. *p.* 3. *numer.* 8. 2. Ut eæ, quæ à 50. annis usque ad litis motæ diem factæ sunt, omnes per præsentatorum institutiones, & institutorum in possessionem inductiones effectum sortitæ sint. Quam effectuationem Garc. *part.* 5. *de Benef. cap.* 9. *num.* 105. putat probatam hoc ipso, si per scripturas authenticas probata fuerit præsentationum à 50. annis continuatio. Sed meliùs Gonzal. *ad Reg.* 8. *Cancell. gloss.* 18. *num.* 82. Barbos. *alleg.* 72. *numer.* 60. Pal. *p.* 3. *cit. num.* 9. requirunt insuper, ut expressè probetur, quòd effectum sortitæ sint, quod utrumque Tridentini PP. videantur requirere copulativè. 3. Ut continuatio hæc præsentationum, & ipsa illarum à 50. annis effectuatio probetur Scripturis authenticis, ut ideo non sufficiat eam solùm probari per testes, cùm propter potentiam partis in eis de facili possit cadere præsumptio subornationis, & falsitatis. Matthæucc. *cap.* 28. *citat. num.* 38. cum allegatis *supra*.

An verò casu, quo Scripturæ authenticæ fuissent deperditæ, testes de iis aliquando super præsentatione continuata confectis admitti possint, controversia est inter DD. In negativam inclinat Gonzal. *l. cit. num.* 82. quòd Trid. *l. cit.* in personis, in quibus jus patronatus plerumque ex usurpatione quæsitum præsumi solet, ultra probationem temporis immemorialis pro forma requirat, ut præsentationes per 50. annos continuatæ authenticis Scripturis probentur; forma autem ad unguem servari debeat, nec per æquipollens adimpleatur. Sed probabiliùs affirmativam defendunt Garc. *p.* 5. *de Benef. cap.* 9. *num.* 113. *in med.* Pal. *tract.* 13. *D.* 2. *p.* 3. *num.* 11. Matthæucc. *Offic. Eccl. cap.* 28. *numer.* 42. ex ratione generaliter, quando Scriptura requiritur ad probationis formam, locus est probationi per testes deponentes de amissione, & tenore illius, prout expressè deciditur *cap. cùm olim* 12. *de privil.* non videtur autem Concilium Trid. in memorato suo Decreto ab hac Regula voluisse recedere, & in dispositione sua comprehendere casum ita extraordinarium, cùm aliàs Regula sit, quòd Lex non consideret, neque aptetur iis, quæ raró accidunt *l. nam ad ea* 5. *ff. de LL.* 240

Dub. 3. an semper opus sit hac tam exacta juris patronatus probatione? Resp. negativè; nam 1. opus illa non est, si semel juxta Trid. præscriptum facta sit, & post illam à patrono præsentatus ab Ordinario est institutus: nam hoc si factum est, etsi in sequentibus dein vacationibus dubitetur de validitate juris patronatus, non debet patronus repelli à sua quasi possessione juris præsentandi, neque adstringendus est ante præsentationem de novo probare titulum; esset enim patronis nimis grave, si in singulis præsentationibus hæc authentica tituli probatio requireretur: hinc, quem ejusmodi patronus præsentaverit, sine nova probatione debebit institui. Gonzal. *ad Regul.* 8. *Cancell. gloss.* 18. *num.* 25. & 26. Barbos. *in Remission. Concil. sess.* 25. *cap.* 9. *p. concl.* 15. Pal. *tract.* 13. *D.* 2. *p.* 3. *numer.* 12. Vviest. *hic num.* 192. & teste Barbos. *l. cit.* decisum est à *S. Congr. Conc.* Ratio est, quia tunc patronus in Judicio possessorio fundatam intentionem habet, & consideratione possessionis facere præsentationes potest, donec Ecclesiam, vel Beneficium liberum esse in Judicio petitorio evincatur. 241

2 Quando jus patronatus probandum est, non adversùs Ecclesiam, sed adversùs alium, qui contendit sibi jus patronatus competere; quia Tridentinum eam adeo strictam probationem solùm exigit casu, quo jus patronatus probandum est adversùs illum, qui contendit Ecclesiam, vel Beneficium esse liberum, Gonzal. *gloss.* 18. *citat. numer.* 59. Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 72. *num.* 67. Pal. *num.* 12. *cit.* Vviestner *num.* 193. & teste Gonzal. *l. cit.* est resolutum *in Pampilonensi Beneficii de Jaozi* 10. *April.* 1595. & 20. *Nov. ejusdem anni coram Mantica.* 242

3 Quando cum persona, ob potentiam de usurpatione suspecta, Beneficium patronatui suo subjectum contendit persona privata, aut Ecclesiastica, in quam usurpationis illius præsumptio non cadit; nam si Universitas, vel potentes acquisivissent jus patronatus usurpatione, non permisissent, ut alii Compatroni unà id Jus acquirerent, nec eos admisissent, sed ipsi totum usurpassent. Et hinc sequitur, quòd vel jus patronatus non usurpaverint, sed justo titulo acquisiverint unà cum privatis personis, vel saltem quòd illud non usurpaverint Ecclesiæ, sed potiùs præscripserint contra privatos. Gonzal. *loc. cit. num.* 69. Matthæucc. *Offic. Eccl. cap.* 28. *num.* 43. Vviestner *num.* 194. estque teste Matthæuccio decisum à *Sac. Congr. Conc. in Fesulana Juris Patronatus.*

243 4 Quando jufpatronatus fibi competere contendit Perfona, vel Communitas Ecclefiaftica; quia in his tanquam Epifcoporum Jurifdictioni, & Vifitationi fubjectis, præfumptio ufurpationis ceffat, Mohedan. *dec.* 340. Barbof. *de Offic. Epifc. alleg.* 72. *num.* 64. & hoc tefte Rota *in Laudenfi Juris Patronatus* 28. *Junii* 1630. *coram D. Pirovano*, ubi fuit refolutum, præfumptionem ufurpationis non cadere in Ecclefiam, vel Monafterium Dominum Caftri, cùm fit Juftitiæ cultrix.

5 Quando Beneficiorum collator eft æquè, vel magis potens, ut juris patronatus ufurpationi, fuique Juris diminutioni facilè poffit refiftere. Corrad. *l.* 4. *prax. Benef. cap.* 4. *à num.* 40. Barbof. *l. cit. num.* 62. Pal. *numer.* 7. Vvieftner *num.* 178. & ita refolvit Rota apud Farin. *decif.* 578. *num.* 2. quia ratione æqualis potentiæ non foret permiffurus Juri fibi debito derogari.

244 Dub. 4. quis fit Judex Competens in caufis juris patronatus? Affirmant aliqui, Judicem competentem in his caufis etiam effe Judicem Sæcularem. 1. Quia Jus patronatus poteft competere Laico. ergo etiam cognitio caufarum juris patronatus. 2. Quia *cap. fignificavit* 41. *de Teftib. & Atteft.* de juris patronatus caufa cognovit Judex Sabinenfis, utique Sæcularis. 3. Quia *can. filiis* 31. *cauf.* 16. *quæft.* 7. in ejufmodi caufa adeundus afferitur Rex, non obfcuro indicio, hunc refpectu ipfius Judicem competentem effe.

245 Sed diftinguendum eft inter caufas juris patronatus, ubi eft quæftio merè facti, & inter caufas, ubi eft quæftio Juris. *Si fit quæftio merè facti*, cognofcere de ea etiam Judex Sæcularis poteft, ut multorum DD. authoritate, & celeberrimarum Europæ Curiarum praxi allegata, concedit Barbof. *l.* 1. *Jur. Eccl. cap.* 39. §. 2. *à num.* 161. quem cum communi fequitur P. Vvieftner *hic num.* 205. & *l.* 2. *Tit.* 2. *num.* 58. Si agatur de quæftione juris, cognitio illius, & definitio Judicis Ecclefiaftici propria eft. Lambertin. *l.* 2. *p.* 2. *quæft.* 3. *art.* 7. *num.* 4. Petr. Barbof. *l. divortio* 7. §. *fi vir* 13. *ff. folut. matr.* Auguft. Barbof. *in cap.* 3. *de Judic. numer.* 1. Gonzal. *ibid. à num.* 4. Vvieftner *hic num.* 240. Ratio eft; quia jus patronatus vel Spirituale eft, vel Spirituali annexum. atqui caufæ de rebus Spiritualibus, & his annexis, quando de jure eft quæftio, ad Judicium Ecclefiafticum pertinent, ut exprefsè deciditur *cap. quanto* 3. *de Judic.* ergo &c.

246 Neque contrarium probatur per Argumenta oppofita. *Ad* 1. negatur paritas; nam Laici ad jus patronatus obtinendum fpeciali privilegio habilitati funt ab Ecclefia: non verò habilitatus eft Judex Laicus ad cognitionem caufarum, fuper eo in Judicium deductarum. *Ad* 2. Judex ille Sabinenfis non fuit Sæcularis, fed Ecclefiafticus, fcilicet Vicarius ad caufarum Ecclefiafticarum cognitionem conftitutus ab Epifcopo Sabinenfi, qui, quòd S. R. E. Cardinalis effet, ratione fui Tituli refidebat Romæ, ut cum Cujacio notat Gonzal. *l. cit. num.* 9. *Ad* 3. recurfus ad Regem *can. cit.* permittitur, non tanquam ad Judicem, fed Advocatum, & patronum Ecclefiæ, ut extrajudicialiter caveat, ne damnum patiatur: vel fi intelligi velis de recurfu tanquam ad Judicem, dic id obtentum per privilegium fpeciale.

247 Quæritur 2. an, & à quo derogari juri patronatus poffit? *Et* 1. *quidem dubitatur*, an Summus Pontifex citra Patroni confenfum Beneficia conferre, & derogare juri patronatus poffit? Refp. poffe de plenitudine poteftatis, & quidem cuivis patronatui, five Ecclefiaftico, five Laico; quia ab ipfo conceffus eft. Covar. *tract. qq. cap.* 36. *num.* 1. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *cap.* 23. *quæft.* 1. Leff. *l.* 2. *de J. & J. cap.* 34. *num.* 35. Gonzal. *ad Reg.* 8. *Cancell. gloff.* 18. *num.* 1. Vafq. *Opufc. de Benef. cap.* 2. §. 1. *dub.* 8. Pal. *tract.* 13. *D.* 2. *p.* 10. *numer.* 1. Pirh. *hic num.* 133. Circa quod tamen fequentia funt advertenda.

248 1 Ut licita fit derogatio, requiritur caufa rationabilis, jufta, & Ecclefiæ utilitatem refpiciens: quia Juri alterius quæfito non eft juftum abfque caufa derogare. Quod maximè procedit in patronatu acquifito per fundationem, conftructionem, dotationem; quia tacitè ob illius acquifitionem hæc facta funt. Pal. *numer.* 1. *cit. verf. requiritur*. Addidi, *Ut licita fit derogatio*; nam ut valida fit, nulla requiritur caufa: & ratio eft; quia ea, quæ ex voluntate Pontificis conceduntur, ipfo contradicente, ceffant. Semper tamen debet præfumi in tali derogatione adeffe legitimam caufam.

249 Patronatui Ecclefiaftico faciliùs derogatur, quàm Laico, fi caufa fundationis, dotationis, & conftructionis acquifitus fit; quia in derogatione patronatus Laici derogatur privilegio onerofo, feu remuneratorio, cùm in remunerationem fundationis, conftructionis &c. conceffus fit: at in derogatione patronatus Ecclefiaftici derogatur privilegio gratiofo, cùm non ex aliquo quafi contractu, fed totus ex gratia Sedis Apoftolicæ ortum habeat. atqui ad derogationem privilegii onerofi, & remuneratorii efficacior caufa requiritur, quàm ad derogationem gratuiti, ergo &c. Palao *num.* 2. Et hinc

3 Licèt per claufulam generalem, qua Pontifex refervat fibi omnia Beneficia, cenfeatur derogatum patronatui Ecclefiaftico, nunquam tamen cenfetur derogatum patronatui Laico ex caufa fundationis &c. acquifito, nifi eidem derogetur in fpecie, & exprefsè, Covar. *c.* 36. *cit. num.* 2. *& feqq.* Pal. *num.* 3. & communiter cæteri. *Ratio eft*, ne Principes, & Domini Sæculares à piis fundationibus retrahantur, videntes prærogativas, & privilegia fibi conceffa, in quorum confecutionem proprias divitias confumpferunt, paffim, & abfque urgente caufa tolli. Neque fufficit, fi Pontifex, dum Beneficia aliqua fibi refervat, dicat cum claufula, fe refervata velle, *ad cujufcumque præfentationem pertineant*; quia derogatio hæc odiofa eft, conf. explicanda, ut minus, quàm fieri poffit, lædat, quod fiet, fi dicatur fenfum habere, *Ad cujufcumque five Epifcopi, five illo inferioris Ecclefiafticæ perfonæ, vel Univerfitatis præfentationem pertineat*. Ita *l. cit.* Azor. *q.* 2. Leff. *num.* 36. Gonz. *num.* 2. Vafq. *n.* 24. Pal. *n.* 4.

4 Excipitur, fi jus patronatus fecundum fuam originem Ecclefiafticum fit, fed Laico competat ex fpeciali privilegio, aut confuetudine legitimè præfcripta; nam huic cenfetur derogatum à Papa per claufulam etiam generalem, ut ex communi docet Covar. *l. cit. n.* 5. §. *quanto*. Azor. *q.* 4. Leff. *n.* 4. Gonz. *n.* 18. Pal. *n.* 8. Pirh. *n.* 134. quia tunc ratio ceffat, ob quam Jus Canonicum prohibuit derogari Ecclefiis, & Beneficiis patronatis Laicorum, cùm Laici nihil contulerint ad illas Ecclefias, vel Beneficia. 25

5 Similiter claufula fpeciali opus eft, ut derogetur patronatui mixto, feu qui fimul ad Clericum ratione Ecclefiæ, & Laicum pertinet, faltem fi par fit utrinque numerus patronorum; quia etiamfi ejufmodi patronatus quoad commoda, & privilegia Ecclefiafticus cenfeatur; quòd dignius trahat ad fe minus dignum: quoad damna verò: odia, & pœnas, & conf. quoad derogationes, & refervationes perinde habetur, acfi fimpliciter Laicus patronatus effet, Covar. *n.* 5. *verf. opportunè*, Azor. *q.* 5. Leff. *n.* 40. Gonz. *n.* 26. Vafq. *n.* 24. Pal. *n.* 6. Pirh. *num.* 134. 25

6 Imo fi patronatus fpectet ad aliquem Principem, Ducem, Comitem, Marchionem, etiam non fufficit, fi Pontifex dicat fe refervare Beneficium; ad cujufcunque præfentationem pertineat, etiam Laici, fed neceffe eft, ut ipfius Principis, Ducis &c. expreffam mentionem faciat; horum enim Jus fortius eft, utpote qui bene meriti cenfentur de Ecclefia: ac proinde fub nomine illo generali *Laici* non comprehenduntur. Azor *q.* 3. Vafq. *n.* 24. Pal. *n.* 4. & alii *fupra*. 25

Dub. 2. an, & cui patronatui derogare poffit Legatus Sedis Apoftolicæ à Latere? Refp. poteft derogare patronatui Ecclefiaftico, & refervare collationi fuæ Beneficium fic patronatum, illudque conferre alicui, irrequifito, & invito patrono *cap. cùm dilectus* 28. *h. tit.* Secus eft in patronatu fæculari; nam huic derogare non poteft. Abb. *in c. cùm dilectus cit. n.* 3. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 28. *q.* 12. Sanch. *lib.* 7. *mor. cap.* 28. *num.* 169. Pirh. *hic num.* 135. *&* 136. quia cùm Prælati Ecclefiarum prius Juris habeant in Bona Ecclefiaftica, quàm in bona Sæcularium, & Laicorum, æquum eft, ut etiam plus Juris habeant in patronatum, qui ex Bonis Ecclefiafticis, quàm qui ex Sæcularibus, & patrimonialibus bonis originem trahit. 254

Proceditque hoc etiam in patronatu mixto, qui partim Sæcularis, partim Ecclefiafticus eft; nam neque huic Legatus Papæ, etiam à Latere derogare poteft, idque ob favorem patroni Laici, ne hujufmodi patroni à fundandis, & dotandis Ecclefiis avocentur. Pirh. *num.* 136. *coroll.* 4. Imò fi Clericus ex patrimonio fuo fundavit, conftruxit, vel dotavit Ecclefiam, vel Capellam, jus patronatus ratione iftorum ipfi competens fub refervationem Legati nec ipfum cadet, ut notat Gloff. *in can. cùm dilectus cit. V. Clericus*; quia jus patronatus, quod ortum habet ex bonis patrimonialibus Clerici, ut Laicum reputatur, & iifdem Juriquis, & privilegiis fruitur, quibus quodcumque aliud Laicale. Pirh. *num.* 136. *coroll.* 2. 255

Excipitur hic iterum; fi jus patronatus competat Laico non titulo fundationis, conftructionis, dotationis, 256

nis, sed ex privilegio solùm, vel consuetudine legitime præscripta; nam huic derogare Legatus à Latere potest. Azor *cap.* 28. *cit. q.* 12. Sanch. *n.* 169. *cit.* Barbos. *in cap. cum dilectus cit. num.* 3. Pirh. *hic n.* 136. *coroll.* 4. Sed hæ derogationes, seu reservationes Beneficiorum, sive patronis Laicis, sive Ecclesiasticis subjecta sint, per Concil. Trid. *sess.* 24. *cap.* 19. *de reformat.* prohibentur, neque earum in Germania ob Concordata illius est usus aliquis.

257 Dub. 3. qualem potestatem circa Beneficia patronata habeat Episcopus? Resp. huic potestas derogandi juri patronatus, præsertim Laici omnino negatur, cùm ea defacto negetur per Trid. *c.* 19. *cit.* Legatis Sedis Apostolicæ. Atque hinc. 1. Si præsentetur ipsi ad Beneficium vacans Clericus idoneus, non potest illum recusare, sed instituere illum debet in Beneficio, ad quod præsentatus est; alias institutio alterius erit irrita, vel saltem irritanda *can. decernimus* 32. *caus.* 16. *q.* 7. *c. illud* 8. *fin.* & *c. ex insinuatione* 14. *h. tit.*

258 2 Non potest Ecclesiam, vel Beneficium, quod est juris patronatus, concedere, vel unire alteri Ecclesiæ, vel Beneficio sine consensu patroni, sive Ecclesiastici, sive Laici *c. exposuisti* 33. *de Prabend. c. suggestum* 20. *h. tit.* quia patronus per talem unionem amittit jus præsentandi, ideoque cum cedat in præjudicium ipsius, sine ejus consensu talis unio fieri non potest.

259 3 Non potest qualitates, seu conditiones Beneficii in prima fundatione appositas, etiam cum consensu patroni Successoris mutare *Clem.* 2. *pr. de Relig. Dom.* Intellige, in totum, & in perpetuum, ac sine rationabili causa; nam ex causa justa cum consensu Successoris patroni voluntatem Fundatoris per Epikiam interpretari, & interdum etiam pro una, vel altera vice dispensare, & sic facere mutationem aliquam quoad unam, vel alteram conditionem, in prima fundatione appositam, potest, ut contra Garc. *p.* 7. *de Benef. c.* 1. *n.* 107. & *seq.* probabiliter docet Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 13. *num.* 17. cum aliis.

260 Quæritur 3. quot modis amittatur jus patronatus? Resp. duplex est caput, ex quo jus patronatus amitti potest, ex delicto, & sine delicto. Hinc

Dub. 1. quot modis amittatur jus patronatus sine delicto patroni? Resp. sex maximè modos referunt Barbos. *l.* 3. *Jur. Eccl. c.* 13. *n.* 254. & *seqq.* Vallens. *hic* §. 7. Zoes. *n.* 68. Pirh. *n.* 138. Schamb. *n.* 71. Engl *n.* 25. Konig *n.* 33. Vviest. *n.* 196. & alii passim.

1 Voluntaria ejus *Cessione* facta Episcopo, vel Ecclesiæ, ita, ut hæc libera evadat *c. unic. h. tit. in* 6. Proceditque hoc, sive cessio ista sit facta expressè, sive tacitè, prout contingit, saltem quoad jus præsentandi, quando patronus Ecclesiam patronatui suo subjectam patitur converti in Collegiatam, ut dictum est *supra num.* 45. *Ratio est;* quia patronatus in favorem patroni principaliter est constitutus, favori autem pro se principaliter constituto quivis renuntiare potest.

261 2 *Unione* Ecclesiæ, vel Beneficii patronati cum alia Ecclesia, Beneficio, vel Monasterio, si hæc facta sit permittente, aut patiente Patrono, sine reservatione Juris Patronatus *c. cum accessissent* 8. *de Constit.*

3 *Non usu*, si Patronus, cessante legitimo impedimento, longissimo, aut etiam longo tempore nullum Rectorem ad Ecclesiam vacantem præsentavit, & interea saltem duabus vicibus Rector sine præsentatione est institutus; tunc enim Ecclesia fit liberæ collationis.

4 *Destructione* Ecclesiæ totali, aut *interitu dotis;* nam his jus patronatus ita amittitur, ut non recuperetur, nisi à patrono reædificetur, aut de novo dotetur, sicut dictum est *supra n.* 61.

5 *Extincta omnia familia* Fundatoris, quando jus patronatus pro illa tantum fuit reservatum; alias si particula *Tantum*, vel alia exclusiva adjecta non sit, ex Legis provisione ad illorum hæredes transibit secundum dicta *n.* 132. & 133.

6 *Suppressione*, vel *ablatione Papæ:* hæc tamen ut ablatum censeatur jus patronatus Laicale, necesse est eidem à Pontifice expresse derogari, ut dictum est *num.* 250.

262 Dub. 2. quibus criminibus ipso jure annexa sit privatio juris patronatus? Resp. sunt quinque præcipuè. 1. *Cædes* vel *mutilatio* Rectoris, aut alterius Clerici Ecclesiæ patronatæ, per se, vel per alium à patrono facta *c. in quibusdam* 12. *vers. sacri de pœnis*, ibi *prorsus amittant*, Barbos. *ibid. n.* 3. Vall. §. 7. *num.* 1. *hic*, Zoes. *n.* 68. Engl *n.* 26. Pirh. *n.* 138. Schamb. *n.* 71. Konig *num.* 34. Vviest. *num.* 201. ita tamen, ut probabilius sit opus sententia declaratoria ad actualem ejus privationem. Covar. de *Sponsal. part.* 2. *c.* 6. §. 8. *num.* 10.

2 *Venditio*, aut translatio juris patronatus Simoniaca alios *c. quia Clerici* 6. *h. tit.* Trid. *sess.* 25. *cap.* 9. *vers. nec dictum jus reform.* Leo *Thes. for. Eccl. p.* 2. *c.* 6. *num.* 31. Vallens. *loc. citat. num.* 4. Vviestn. *n.* 202. & alii *supra*.

3 *Perceptio* illicita fructuum Beneficii, aut bonorum istius temeraria usurpatio. Trid. *l. cit. vers. Patroni autem*, Vallens. *n.* 3. Engl, Konig Vviest. *l. cit.*

4 *Hæresis;* quia hujus reus privatur omnibus bonis; consequenter etiam jure patronatus: idemque est de Schismaticis, & Apostatis, & fautoribus Hæreticorum. Barbos. *libr.* 3. *Jur. Eccles. cap.* 13. *num.* 260. cum reliquis *supra*.

5 *Crimen læsæ Majestatis*, vel aliud enorme, inducens confiscationem bonorum, quibus jus patronatus accessorie annexum est: Vall. *n.* 2. & 7. Engl *num.* 25. Vviest. *n.* 203. de quo vide *supra n.* 144.

TITULUS XXXIX.

De Censibus, Exactionibus, & Procurationibus.

POst examinatum jus patronatus sequitur *De Censibus, Exactionibus, & Procurationibus*, qui de Ecclesiarum proventibus Episcopo, & aliquando etiam patrono sunt exhibendi.

§. I.

De Censibus.

SUMMARIUM.

1 *Quid sit Census?*
2 *An ex præstatione istius annua probetur subjectio respectu Episcopi eundem recipientis?*
3 4 5 *Quomodo Census peti, & probari debeat?*
6 *An titulo non probato, in ejus percipiendi possessione sustineri Possessor possit?*
7 *Quid si census solùm sit personalis?*
8 9 *Quis censum imponere Ecclesiis, vel Beneficiis possit?*
10 11 *An postquam Ecclesia, vel Beneficium in esse suo jam est constitutum, novus Census, vel Pensio ipsis imponi, vel augeri vetus à Patronis possit?*
12 13 *An Census novus Ecclesiis, vel Beneficiis Ecclesiasticis imponi, vel antiquus augeri possit?*
14 *An ad hoc opus sit solemnitate aliqua?*
15 *An auctis facultatibus Ecclesiæ, etiam Census augeri possit?*
16 17 *In qua Moneta solutio fieri debeat, quando de certa specie, vel numero monetæ conventum est, & antequam solutio fieret, Monetæ valor extrinsecus mutatus est?*
18 *Excipitur, si Moneta, in pactum deducta, publica authoritate est reprobata.*
19 *Si difficulter haberi possit, aut majori ex parte solutio in ea facta sit.*
20 *Et denique si per solutionem alterius speciei præscriptum sit Censui solvendo in certa specie.*
21 *Quantum restituendum sit, quando non est designata certa species, & numerus, & debitor fuit in mora culpabili?*
22 *Quantum, si non fuit in mora culpabili?*
23 *Ratio dubitandi.*
24 *Resolvitur quæstio.*
25 *Ratio decidendi.*
26 *Limitatio decisionis.*
27 *Respondetur ad Rationem dubitandi.*
28 *Quid si Monetæ valor sit immutatus intrinsecè?*
29 *Fundamenta sententiæ asserentis solutionem præstandam in moneta antiqua.*
30 *Approbatur sententia negativa.*
31 *Confirmatur Rationibus.*
32 *Solvuntur Argumenta opposita.*
33 *Quid dicendum, si valor monetæ, sit auctus enormiter, & id factum sit stabiliter?*
34 *Quid si auctio talis non est duratura, sed pretium rerum venalium idem, quod priùs, mansit?*
35 *Quid si etiam pretium rerum venalium auctum est?*
36 *Cujus authoritate valor Monetæ mutari possit?*
37 *Causæ mutandi, & alia advertenda.*
38 39 40 *Ad quid obligetur, qui vovit certam mensuram e. g. tritici, non determinando, de quali mensura id intellexerit?*
41 42 *Quis valor attendendus sit in solutione Legati?*

43 44

43 44 *Ad quem augmentum, vel decrementum pecuniæ depositæ spectet, si valor ejus in manu depositarii crescat, vel decrescat?*

45 46 47 *An debitum, contractum in nummis aureis, vel argenteis majoris formæ, invito creditore, solvi possit in Moneta erosa, vel minuta?*

1 QUæritur 1. quid sit *Census*? Resp. *Census* nomen variè accipitur. 1. generalissimè, in qua significatione sub nomine isto venit, quidquid annuatim in certa quantitate, & summa præstatur, ut notat Host. *in Summ. h. tit. n.* 1. Vallens. *hic* §. 1. *n.* 1. Zoes. *num.* 1. Pirh. *num.* 1. Schambog. *n.* 2. Engl *num.* 2. Vviestn. *num.* 2. eaque ratione etiam Tributum comprehendit *l. ætatem* 3. *ff. de Censib.* 2. pro annuo Canone, seu pensione, quam emphyteuta præstat in recognitionem directi dominii. Pirhing. Scamb. Zoes. *l. citt.* de quo dictum est *Tit.* 17. *num.* 85. *& seqq.* 3. pro pensione, quæ solvitur ex Contractu Censititio, per quem traditur alicui res pleno jure, ut in accipientem transferatur directum, & utile dominium, reservata tamen priori domino pensione aliqua, sive ex fructibus, sive in pecunia, sive in alia re æquivalente, annuatim solvenda, qui *Census reservativus* appellatur, ut videre est apud Molin. *tract.* 2. *de J. & J. D.* 381. *n.* 2. 4. pro annua pensione, quæ præstatur alicui, etiam Supremo Principe inferiori, ratione subjectionis, fundationis, aut alterius justæ causæ. Molin. *l. cit. num.* 1. 5. denique, & prout huc maximè pertinet, pro annuo redditu, seu pensione, quæ ex proventibus Ecclesiæ, Monasterii, vel Beneficii Ecclesiastici in recognitionem, & signum Subjectionis, exemptionis, aut fundationis solvitur *cap. recepimus* 8. *de privil. capit. constitutus* 6. *de Relig. Dom. cap. querelam* 4. *de Elect. c. præterea* 23. *de Jur. Patron.* Et in hoc sensu definiri potest, quòd census sit *onus reale, vel qualibet pensio, aut redditus annuus, qui ex proventibus Ecclesiasticis ab Ecclesiis, Monasteriis, & aliis piis locis debetur, & solvitur superioribus Prælatis in recognitionem subjectionis, vel ex alia justa causa.* Zoes. *hic num.* 2. Engl *n.* 2. Pirh. *n.* 1. Schamb. *n.* 2.

2 Dub. 1. an ex præstatione annua census, facta Episcopo ab aliqua Ecclesia, vel Monasterio, rectè colligatur, & probetur ejusdem subjectio? Resp. ex illa sola non sufficienter colligi, vel probari. Ita Tusch. *V. Census concl.* 190. *n.* 1. *&* 2. Abb. *in c. fin. num.* 4. *de cauf. poss. & propr.* Laym. *ibid. n.* 6. Zoes. *hic n.* 1. Pirh. *n.* 2. Schamb. *n.* 3. Konig *n.* 14. Potest enim solvi ex aliis causis, & rationibus, e. g. in signum libertatis, & exemptionis ab Episcopo concessæ, in signum fundationis, si reservatus sit à Patrono &c. Hinc ut ex ejusmodi præstatione annua sufficienter probetur subjectio, necesse est, ut vel in solutione expressum sit eam fieri ratione subjectionis, vel id ex circumstantiis loci, temporis, personarum præsumptivè appareat, prout fieret, si quis eodem loco, tempore, ac modo, quo alii subditi, censum solvat; quia solutio indeterminata ex circumstantiis determinari solet. Pirh. *l. cit.* Et sic intelligi debet, quod dicitur *c. omnis.* 2. *hoc tit.* ubi ex S. Augustino, *Ideo*, dicitur, *Tributa præstatis; quia hæc est probatio subjectionis*; est enim Tributum seu Census signum subjectionis, si id expressum sit, vel si concurrant conjecturæ, seu præsumptiones, denotantes subjectionem; non verò alias.

3 Dub. 2. quomodo Census peti, & probari debeat? Resp. distinguendo: Vel enim annua Census præstatio facta est per tantum tempus, cujus initii non extat memoria, vel non est facta per tantum tempus. *Si primum*, sufficit, si actor alleget, & probet hanc tam diuturnam præstationem, neque requiritur, ut alleget, vel probet alium titulum, vel causam legitimam; quia cursus temporis immemorialis habet vim tituli, & inducit præsumptionem juris, quòd ex causa legitima Census fuerit impositus *l. hoc Jure* 3. §. *ductus aquæ* 4. *ff. de aqu. quot. & æstiv.* Abb. *in c. fin. num.* 7. *de cauf. posseff. & prop.* & *in c. pervenit num.* 3. *hoc tit.* Covar. *in Reg. possessor. p.* 2. §. 4. *n.* 4. Pirh. *hic n.* 4. *Excipe*, nisi ex circumstantiis appareat, non fuisse pensionem annuam solutam tanquam debitam, quia v. g. semper facta solutio fuit cum protestatione, quòd non fiat ex obligatione; nam per actus voluntarios, seu non obligatorios præscriptio nunquam inducitur, ut communiter DD. notant, & dictum est *Lib.* 2. *Tit.* 26. *n.* 28. *vers. septimò.*

4 *Si secundum*, distinctio altera est adhibenda: Vel enim, qui Censum petit, nullam certam præstationis, seu solutionis causam assignare potest, vel certam aliquam causam assignat. *Si prius*, nec possessio juris exigendi censum acquiritur. Abb. *in c. fin. cit. num.* 7. Honor. *hic num.* 4. Pirhing *num.* 4. Schambog. *n.* 3. quia, qui petit Censum, exprimere debet causam debendi *c. pervenit* 5. *h. tit.* ubi dicitur, *quod Census ignorantiæ* (i. e. cujus causa ignoratur. Gloss. *hic V. census ignorantiæ*) *nec Divinis* (i. e. Canonicis. Gloss. *hic V. eod.*) *nec humanis Legibus invenitur* (subintellige, quod solvi debeat sine causa. Gloss. *final. hic*) *oportet quippe, ut omnis census, ad quid, & quando persolvi debeat, præsciatur.* Ratio est, quia, qui petit aliquid, causam debendi allegare debet.

Si posterius, & allegetur certa præstationis, seu solutionis causa, e. g. quòd debita sit ratione subjectionis, aut reservationis Patrono factæ in limine fundationis, interest, quomodo probetur hæc causa, an per probationes veras, e. g. per Instrumenta, testium fide dignorum depositionem &c. an verò præsumptivè tantum ex diuturnitate temporis. *Si probet per probationes veras*, rectè petet actor solutionem Census. *Si præsumptivè tantùm*, videndum, an jus commune Canonicum possessori, vel actori in petitorio resistat, prout resistit Laico, quando prætendit præstationem Census ab Ecclesia, vel non resistat. *Si resistit*, non sufficiet tempus minus, quam 40. annorum cum titulo, v. g. pacti appositi in fundatione. *Si non resistit*, sufficiet, si probetur, pensionem annuam solutam esse tanquam debitam per modum Census 40. annis, etiamsi causa prius allegata in specie probari non possit. Mascard. *de Probat. concl.* 279. *num.* 1. *&* 9. quia tunc ipsa ordinaria, & singulis annis repetita præstatio, seu solutio Census inducit præsumptionem causæ, seu tituli. 5

Dub. 3. an Possessor in sua possessione, vel quasi sustineri debeat, si titulum ignoret, probaverit tamen longo tempore annuum Censum sibi solutum fuisse? *Ratio dubitandi est*; quia tempus decursum non est modus aptus ad inducendam obligationem, vel debitum: sicut enim tempus non tollit obligationem *l. obligationum* 44. §. *circa* 1. *vers. placet. ff. de Obl. & Act.* ita nec inducit. 6

Sed tenenda est affirmativa: imò si tali casu denegetur præstatio, potest agere Judicio possessionis recuperandæ, & tanquam spoliatus possessione juris percipiendi Censum annuum, in qua hactenus fuit, petere, ut restituatur in jure suo, quo fuit spoliatus, quamvis postea Censuarius possit super Jure, seu proprietate solvendi Census litem movere; quia spoliatus primo restituendus est, quàm de Jure proprietatis respondere teneatur in Judicio. Innoc. *in c. pervenit* 5. *h. tit.* Joan. Andr. *ibid. num.* 8. Abb. *num.* 3. Pirhing *hic num.* 5. & sumitur ex *c. fin. de ord. cognit.* & *c. cùm olim.* 7. *de cauf. posseff. & propr.*

Ad Rationem dubitandi, etsi ex solo cursu temporis non oriatur obligatio, seu debitum, aut ejus possessio, casu tamen, quo diuturno tempore uniformiter facta est solutio Census, tanquam debiti, ex eo oritur præsumptio præcedentis causæ, seu tituli, ex quo obligatio, seu debitum, vel saltem ejus possessio: aut quasi possessio originem traxit cum bona fide, ut constat ex *l. cum de in rem* 6. *ff. de usur.* ubi *Imperator Antoninus ideo solvendas Usuras judicavit, quod eas ipse dominus, vel pater longo tempore præstitisset.*

Dub. 4. Utrum, quæ dicta sunt *n. præc.* intelligi solum debeant de Censu reali, seu qui ratione certæ rei debetur, an etiam de Censu personali? Abb. *in c. pervenit cit. num.* 3. & Legistæ communiter putant, in Censibus, seu præstationibus personalibus, ob denegatam solutionem Census, qui prius longo tempore solutus fuit, non posse agi Judicio possessorio ex ratione, quod non possit obtineri possessio præstationis, seu debiti merè personalis, cùm libera persona, & quod ei inhæret, possideri non possit. 7

Sed verius contrarium defendunt Innoc. *in c. querelam* 24. *num.* 3. *&* 4. *de Elect.* Felin. *in c. conquestus* 16. *numer.* 4. *de for. compet.* Laym. *in c. querelam. cit. num.* 6. §. *verum*, Pirh. *hic num.* 6. Consequenter, si quis tanquam personaliter obligatus ad solvendum Censum, vel pensionem annuam, eam aliquamdiu solvit Titio, postea autem solvere cesset, aut recuset, Titius, tanquam spoliatus jure suo potest instituere Interdictum possessorium, saltem utile, & petere, ut restituatur. Colligitur ex *c. querelam cit. Ratio est*, quia certum est, quòd in persona, & ejus industria constitui possit obligatio solvendi Censum annuum ex ejusdem personæ lucris ratione alicujus pacti præcedentis &c. igitur eo casu ex parte creditoris consurget jus eum censum petendi: ponatur ergo; quòd ex hoc jure aliquamdiu exigat, & percipiat censum. ergo tunc constituetur in

quasi

quasi possessione istius juris. cons. ea spoliatus agere poterit Interdicto recuperandæ.

Ad Argumentum contrarium, etsi persona libera, ut libera est, possideri nequeat, potest tamen obligari ad aliquid dandum, vel faciendum singulis annis, vel quoties justa causa hoc exigit; ut sic autem non amplius libera est. igitur nil repugnat adversus illam acquiri quasi possessionem exigendi id, ad quod ipsa obligatur.

8 Quæritur 2. quis Censum imponere Ecclesiis, vel Beneficiis possit? Resp. potest 1. *Pontifex*: quod præcipuè solet in signum subjectionis, vel protectionis Sedis Apostolicæ, qua Monasterium, Ecclesia &c. vel omnino eximuntur à jurisdictione Ordinarii, vel saltem speciali modo adversus violentiam, & injusta gravamina defenduntur *c. recepimus* 8. *de Priv.* Gloss. *ibid. V. protectionis*, Abb. *n.* 5. Barbos. *in c. ex parte* 18. *eod. n.* 2. Cockier. *de Jurisd. Ord. in Exempt. p.* 1. *q.* 9. *n.* 3. Honor. *hic n.* 2. Konig *n.* 4. Vviest. *hic n.* 2.

2 *Episcopus*: quod potest non uno casu. 1. In limine fundationis, vel dotationis: nam tunc reservare in Ecclesia recens fundata, & dotata pensionem potest tam sibi *c. prohibemus* 7. junct. Gloss. *V. Census hoc tit.* quam Patrono *c. præterea* 23. *de Jur. Patron.* vel etiam alteri solvendam *c. quanto* 16. *h. titul.* 2. quando dedicat, vel consecrat Ecclesias *can. Eleutherius* 30. *caus.* 18. *quæst.* 2. 3. quando concedit aliquas Ecclesias piis locis cum consensu suorum capitularium *cap. pastoralis* 9. *de his, quæ fiunt à Prælat.* 4. Quando Ecclesiam aliquam à Jurisdictione sua eximit *c. constitutus* 6. *de Religios. Dom.* & *cap. cum venerabilis* 21. *h. tit.* Secus, quando eam de manibus Laicorum eripit; nam ob hanc rationem non potest Ecclesiæ censum imponere *cap. Ecclesiis* 9. *h. tit.* Vallens. *hic* §. 1. *num.* 5. Honor. *ibid. num.* 3. Engl *num.* 3. *vers. verum*, Scham. *n.* 4. Konig *num.* 5.

9 3 *Prælatus* quilibet, qui Ecclesiam pleno jure sibi subjectam, & jurisdictionem Episcopalem in loco habet, nam etiam hic Censum imponere tali Ecclesiæ potest, non quidem ad utilitatem suam, nisi in limine fundationis, aut quando Jura aliqua remittit, sed alterius Ecclesiæ, vel pii loci ex rationabili causa *cap. præterea cit.* & *ibi* Abb. *num.* 3. Cæteri Sacerdotes, & Clerici non possunt Ecclesias, quibus præsunt, præsertim post decessum suum, efficere Censuales; personaliter verò ad solutionem Census se obligare possunt *cap. de cætero* 5. *de transact. cap. præterea cit.* & *ibi* Abb. *numer.* 4. Qui per collusionem Judicialem, vel Extrajudicialem constituit Ecclesiam Censualem, illa privatur *cap. cum Clerici* 11. *h. tit.*

4 Aliquando in limine fundationis censum annuum sibi reservant *Patroni*, quod possunt cum consensu Episcopi *cap. querelam* 24. *de Elect.* & *cap. præterea* 23. *de Jur. Patr.* & dictum est *Tit. præced. num.* 111.

10 Dub. 1. an, postquam Ecclesia, vel Beneficium in esse suo jam constitutum est, novus Census, vel Pensio ipsis imponi, aut vetus augeri à Patronis possit? Resp. negativè. Patet ex *cap. prohibemus* 7. & *cap. gravis* 15. *h. tit.*

Quæstio moveri potest, an hujusmodi Census novi impositio, vel antiqui auctio firmetur Juramento, aut Fidejussione apposita? *Rationem dubitandi* de Juramento facit *cap. gravis cit.* ubi, qui illud præstitit, jubetur ab eo absolvi.

11 Sed respondendum est negativè cum Gloss. *in cap. gravis cit. V. Juratoria*, Abb. *ibid. num.* 3. Vall. *hic* §. 1. *num.* 4. Zoes. *num.* 3. Pirhing. *num.* 20. *not.* 2. Schamb. *num.* 5. Vviest. *num.* 9. *Ratio est*; quia tale Juramentum, & Fidejussio est accessoria Constitutioni, vel auctioni Census. igitur cùm hæc ipso Jure sit irrita, etiam Juramentum, & Fidejussio irrita erit; nam accessorium sequitur principale. *Conf.* specialiter de juramento; quia juramentum tale cedit in præjudicium Ecclesiæ, & Successoris, ut propterea perjurium potiùs, quàm juramentum censeri debeat.

Ad Rationem dubitandi, ita jurans, ut Abb. *l. cit.* notat, jubetur absolvi à peccato: vel si hoc intelligi debeat etiam de juramento, dicendum, eo *cap.* juberi, ut detur absolutio à juramento, declarando, ejusmodi jurata promissione non esse contractam obligationem, non verò qua obligatio contracta relaxetur.

12 Dub. 2. an Census novus Ecclesiis, vel Beneficiis Ecclesiasticis imponi, vel antiquus augeri possit ab Episcopo, eique similibus Prælatis? *Ratio dubitandi ex una parte* est; quia Ecclesiæ, & Ecclesiastica Beneficia sunt subjecta ejus jurisdictioni. igitur sicut illius authoritate constitui Census super iisdem potest in fundationis limine, ita etiam postea constitui, & constitutus augeri. *Ex altera verò parte* videtur hoc fieri non posse, tum ob textus *cap. scientes* 3. *cap. prohibemus* 7. & *cap. significavit* 13. *h. tit.* tum etiam ex ratione, quia Episcopus, & similes Prælati non possunt gravare Ecclesiam, & Beneficia, quod fieret impositione Pensionis, præsertim si impositio ista, vel auctio facta esset ab Episcopo in suam, & Mensæ suæ utilitatem; tunc enim præter gravamen, quod tali impositione, vel auctione infertur Ecclesiæ, accederet etiam species quædam avaritiæ, à qua Clerici, & maximè Episcopi esse alieni debent *cap. cùm ab omni* 10. *de Vit. & honest.* & *cap. avaritiæ* 10. *de Præb.*

Tribuendum utrique Argumento aliquid, & adhibenda distinctio, dicendùmque, posse Episcopum, saltem ex justa causa, & accedente consensu Capituli, constituere novum Censum, aut Pensionem, vel constitutam augere, quando illa aliis est obventura; non verò quando obventura est ipsi Episcopo, vel Capitulo. Vall. *hic* §. 1. *num.* 3. Konig. *num.* 8. Vviestner *numer.* 11. *Excipitur* duplex casus, ubi post constitutam in esse suo Ecclesiam, Pensionem, vel Censum constituere, & hunc sibi reservare potest: unus est, quando Ecclesiam aliquam à jurisdictione sua eximit, alter, quando illam concedit, & unit Monasterio, vel alteri pio loco; tunc enim in recognitionem beneficii censum, & Pensionem aliquam sibi poterit reservare, ut dictum est *numer.* 8. Causæ justæ reservandi Pensionem alteri sunt. 1. Si unus ex duobus colligantibus de Beneficio, cedere velit, reservata sibi aliqua pensione Beneficii. 2. Si Beneficiatus decrepitus, aut ægrotus renuntiet Beneficio, pensione tamen alimentorum loco sibi data. 3. Pro sustentatione pauperum Scholarium, vel aliorum indigentium. 4. Pro necessitate Ecclesiæ Cathedralis ad ejus reparationem, aut ad solvenda debita pro Episcopatu contracta. 5. Pro erigendo, & conservando Seminario juxta mentem Trid. *sess.* 2. *cap.* 18. *de ref.* Plura de pensionibus vide *suprà tit.* 12. *à num.* 2. 13

Dub. 3. an, ut Rector, vel alius Beneficiatus super rebus suæ Ecclesiæ, vel Beneficii, imponere, & constituere Censum perpetuum, vel diu duraturum, possit, necessaria sit aliqua solemnitas præter causam justam, & necessariam? Resp. affirmativè; est enim species alienationis per SS. Canones sine solemnitatibus fieri prohibita. Et quidem quòd requiratur consensus Episcopi, si inferior Beneficiatus ejusmodi Censum super rebus Ecclesiæ suæ velit constituere, patet ex *c. præterea* 8. *h. tit.* Idem dicendum de auctione pensionis jam prius impositæ *cap. prohibemus* 7. *eodem* ibi, *Ne veteres augeantur.* 14

An verò augeri Census, vel pensio Ecclesiæ imposita, auctis istius facultatibus possit, in quæstionem deduci potest? *Ratio dubitandi* sumitur ex paritate cum colono, qui auctis fructibus, etiam augere Pensionem debet. *Sed respondendum est* negativè, ut bene Pirhing *hic num.* 12. Vel enim solvitur Superiori in signum subjectionis, vel privato. *Si Superiori*, augeri Census non debet; quia sive multum, sive parum solvatur, æquè per ejus præstationem recognoscitur subjectio. *Si privato*, tunc auctio bonorum Ecclesiæ isti non proficit; nam augmentum facultatum est fructus quidam dominii, quod cùm per contractum Censualem in Ecclesiam translatum sit, fit, ut eo casu augeantur solum facultates ejus, qui Censum debet, non verò ejus, cui debetur. *Ad Rationem dubitandi* nego paritatem; nam Colonus percipit fructus ex re aliena: & hinc cùm res quælibet domino suo fructificet, fit, ut fructuum augmentum proficiat etiam domino fundi. 15

Quæritur 4. in qua Moneta Census, aliaque debita pecuniaria solvenda sint? Varia circa hanc quæstionem satis difficilem formari dubia possunt pro varietate Casuum. 16

Dub. 1. in qua Moneta solutio fieri debeat, quando in constitutione census, vel contractu conventum est de certa specie, vel numero monetæ solvendo? Videtur adhuc satisfacere creditori debitor, si eidem solutionem præstet in quacumque moneta ejusdem æstimationis, quamvis diversæ materiæ, aut formæ ob textum *l. origo* 1. *pr. ff. de contrah. empt.* ubi dicitur, quòd in nummis non tam substantiæ, quàm potestatis, seu æstimationis ratio habenda sit; & *l. quæ extrinsecus* 66. §. *sed etsi* 1. *ff. de V. O.* ubi Florentinus JCtus respondet, stipulationi nihil obesse, cum stipulanti denarios argenteos aurei promittuntur ejusdem quantitatis.

Sed dicendum eo casu illam speciem, & numerum in solutione exhibendum, qui pro solutione in pactum deductus est, sive deinde auctus, sive diminutus sit valor illius monetæ. Ita *arg. l. creditorem*, alias *l. Paulus* 99. 17

lus 99. ff. de solution. Bartol. in loc. cit. num. 3. Abb. in c. quanto 18. de Jurejur. num. 15. Covar. de collat. vet. numm. cap. 7. §. unic. concl. 7. Carranza p. 4. de Monet. pag. 244. Philiarch. de Offic. Sacerd. tom. 2. l. 5. cap. 6. Ant. Faber de var. numm. debit. solut. cap. 3. num. 2. Molin. tract. 2. de J. & J. D. 312. num. 9. Laym. l. 3. tr. 3. p. 1. cap. 5. num. 13. & 14. Frider. Martini de Jur. Cens. c. 5. num. 118. Rebell. de oblig. Just. part. 2. l. 11. q. 5. num. 8. Tondut. qq. Civil. cap. 1. Gonzal. in c. cum Canonicis 26. h. tit. num. 5. Pirh. hic num. 34. & 35. P. Vviest. num. 20. Ratio est; quia contractus ex conventione Legem accipiunt. Reg. 85. in 6. & invito creditore, aliud pro alio solvi non debet l. mutuum 2. §. mutui 1. ff. de reb. credit.

18 *Excipitur* 1. si Moneta, in obligationem deducta, omnino periit, aut publica authoritate est reprobata; tunc enim debitor creditori solutionem in alia pecunia probata ejusdem æstimationis exhibere non solum potest, sed etiam debet arg. c. cùm olim 19. h. tit. & ibi Gloss. fin. Abb. num. 4. Albertus Brunus de Monet. p. 2. n. 3. & p. 5. n. 1. Mynsing. cent. 4. obs. 1. n. 6. Gail. l. 2. obs. 75. n. 7. Carolus Molinæus de Usur. contract. q. 91. n. 691. Frid. Martin. c. 5. cit. n. 119. Laym. n. 14. Schamb. hic n. 11. Vviest. n. 22. contra Fabrum, qui l. cit. existimat, debitorem hoc casu omnino liberari; quòd impossibilis ei facta sit pecuniæ promissæ solutio. Sed respondetur, quòd in hujusmodi Contractibus, præsertim onerosis, & reciprocis, duplex obligatio contrahatur à debitore, una solutionem præstandi in certa specie, altera solvendi æstimationem pecuniariam: quæ duæ obligationes cùm dividuæ sint, una impossibili reddita, altera perseverat, ne utile per inutile vitietur contra Reg. 37. in 6.

19 *Excipitur* 2. si certa species, in obligationem deducta non facile haberi potest, & alterius præstatio nihil incommodi, vel damni creditori est allatura. Mynsing. cent. 4. obs. 1. num. 6. estque hoc teste judicatum in Camera. Sumitur ex l. creditorem cit. ubi *Paulus respondit, debitorem non esse cogendum in aliam formam nummos accipere, si ex ea re damnum aliquod passurus sit*. ergo videtur cogendus esse, si nullum damnum patietur.

Excipitur 3. Si debitor Census, vel alterius debiti pecuniarii majorem illius partem in moneta, in obligationem deducta, jam solvit, & unus solum, vel alter nummus ejusdem rationis deficit; tunc enim æquitas postulat, ut suppleri defectus possit in alia specie. Molinæus de commerciis q. 91. Martini l. cit. num. 120. Vviestner num. 22.

20 *Excipitur* 4. Si Censui in certa specie solvendo per solutionem alterius speciei, debito tempore bona fide continuatam, præscriptum sit arg. c. olim cit. c. de quarta 4. & c. ad aures 6. de præscript. l. sicut 3. Cod. de præscript. 30. vel 40. ann. Martini n. 123. Fagnan. in c. olim cit. n. 21. Vviest. n. 23. hic.

Ad Rationem dubitandi allatam num. 16. dico, textus illos procedere, quando de solutione, in moneta certæ speciei præstanda, non est conventum, prout observat P. Vviest. hic n. 20.

21 Dub. 2. quantum restituendum sit, quando absque designatione certæ speciei, vel designata quidem specie certa, non tamen numero certo, in pactum deducta est certa pecuniæ quantitas e. g. 100. fl. & postea valor monetæ extrinsecus est immutatus? *Certum est*, quando debitor fuit in mora culpabili, quod de solutione interpellatus, eandem debito tempore, & loco, cùm posset, non exhibuerit, eo casu solutionem præstandam secundum valorem monetæ, quam illa habuit ante moram: conf. qui 100. aureos accepit mutuos eo tempore, quo aureus adhuc valebat tres tantum florenos, si post transactum tempus, quo solvere debitum debuisset, & potuisset, mutatus sit valor aurei, & ut nostris temporibus est, incœperit aureus valere quatuor florenos, non satisfacit, si creditori præcisè solvat 300. fl. sed solvere debet 400. Bartol. in l. creditorem, alias Paulus 99. ff. de solution. n. 8. Covarr. de collat. veter. numism. c. 7. §. unic. n. 4. Frid. Martini de Jur. Cens. c. 5. n. 75. Vvading. de Contract. D. 8. dub. 4. n. 2. Fachin. l. 2. contr. c. 9. vers. tertia sententia, Pirh. hic n. 27. *Ratio est*, quia mora sua cuilibet nociva est Reg. mora 25. in 6. conf. damna, & incommoda inde provenientia debitor morosus, non creditor, solutionis dilatione delusus, pati debet.

22 Controversia inter DD. est, quando debitor non fuit in mora culpabili: & tunc diminutionis detrimentum, & commodum augmenti creditoris esse, docent Bartol. in l. Paulus cit. n. 6. Covar. §. un. cit. concl. 4. n. 3. Tiraquell. de retract. consang. gloss. 18. n. 27. Albert. Brun. de Monet. p. 1. concl. pract. 3. limit. 1. Anton. Faber de var. numm. debit. solut. c. 6. n. 4. Azor. p. 3. l. 10. c. 7. q. 2. Gaill. l. 2. obs. 73. n. 9. Fachin. l. 2. contr. c. 9. vers. tertia sententia, Fagn. in c. olim 20. h. tit. n. 22. & 23. Consequenter in hac sententia, si Titius v. g. 100. aureos mutuos dedit Cajo, cum tunc valeret aureus tres florenos, hoc pacto adjecto, ut tantumdem in proba moneta, sive eadem, sive alia æquivalenter restituantur, sed postea, manente eadem bonitate intrinseca aurei, singuli aurei valeant quatuor florenos, hoc augmentum cedet creditori, ita, ut tempore solutionis ipsi debeant restitui 400. fl. licèt tempore contractus mutui 100. aurei tantùm fecerint 300. fl. Et vice versa, si tempore Contractus mutui aureus valuit florenos quatuor, & postea devenerunt ad tres florenos, sufficiet, si pro 100. aureis debitor solvat 300.

Fundamentum præcipuum hujus sententiæ est; quia hoc casu bonitas intrinseca non mutatur, sed tantùm æstimatio, seu valor extrinsecus, in hoc autem inspiciendum est tempus solutionis, etiamsi pretium extrinsecum cursu temporis mutatum sit l. cum quid 3. junct. Gloss. fin. ff. de reb. credit. Conf. qui vinum accepit mutuo, satisfacit, si æque bonum restituat, neque consideratur, an auctum, vel diminutum sit ejus pretium l. vinum 22. ff. eod. quia, ut ibidem advertit Gloss. V. *cum petitum esset, bonitas intrinseca consideratur secundum tempus dati mutui, non extrinseca, scilicet quod tantum valeat*. Et hinc etsi duplo minus sit vini pretium, non tamen mutuatarius obligabitur ad restituendum duplo plus, nec satisfaciet restituendo duplo minus, si pretium temporis redditionis sit duplo majus, nisi aliter conventum sit, aut debitor sit in mora. ergo etiam debitor pecuniæ restituere debebit æquè bonam pecuniam, etsi auctum sit ejus pretium, neque satisfaciet reddendo illam secundum æstimationem extrinsecam, quam tempore solutionis habet. 23

Sed dicendum, casu, quo absque designatione certæ speciei, & numeri in pactum deducta est certa pecuniæ quantitas, & postea extrinseca monetarum mutatio facta est, eam commodo, vel incommodo debitoris accidere: conf. si debitor tempore, quo aureus valebat tres duntaxat florenos, accepit 100. aureos, nunc quando aureus valet 4. fl. satisfacit, si creditori solvat 75. & è contrario, si accepit 100. aureos tempore, quo aureus valebat 4. fl. & deinde is decrevit ad tres florenos, licèt acceperit tantum aureos 75. solvere debet 100. Ita Sylv. V. solutio q. 2. dict. 1. Sot. l. 6. de Just. q. 1. art. 2. & q. 12. art. 1. Petr. Navar. l. 3. de restit. c. 2. n. 259. Joan. Medin. C. de restit. q. ult. vers. ideo fatentur, Joan. Faber. Instit. quib. mod. toll. oblig. Carol. Molin. de commerc. q. 92. Federic. Martini c. 5. cit. num. 66. Mynsing. obs. 1. cit. num. 1. Rebell. p. 2. l. 11. q. 15. concl. ult. Fill. tr. 35. n. 49. vers. quinto, Molin. tr. 2. D. 312. n. 2. & 3. Laym. l. 3. tr. 3. p. 1. c. 5. n. 15. Pirh. hic n. 28. Vviest. ibid. n. 25. & seqq. 24

Assertio hæc aperte probatur consuetudine Imperii, secundùm quam crescentibus monetis secundùm valorem extrinsecum tantum, debita pecuniaria omnia minore monetarum numero solvuntur. *Et confirmatur* ex *Ordinatione Monetariæ* facta à Ferdinando I. 1559. ubi valor floreni aurei Rhenensis, qui antea juxta *Recessum Comitiorum Augustæ* 1551. celebratorum §. *Nembich als sich bizherd* 18. baciorum erat, eadem bonitate manente, auctus est tribus crucigeris, & facultas data creditoribus, illos in hoc valore exponendi, & debita solvendi, igitur ad debitorem augmentum valoris pertinet: si augmentum, etiam decrementum secundum Reg. qui sentit. 55. *Ratio est*; quia auctio, vel diminutio pecuniarum ideo decernitur, ut secundùm eam mercationes, & solutiones debitorum fiant. ergo si decretum æstimationis justum est, ut ponimus, servari debet, ac potest etiam à debitore respectu creditoris, à quo mutuas pecunias ante auctionem accepit; alias si in antiquo valore restitutionem huic deberet facere, cogeretur ad solvendum plus, quàm quod in promissionem, & obligationem deductum est. ergo &c. 25

Procedit autem hoc tantum casu, quo valor monetæ extrinsecus auctus est authoritate publica, vel usu communi populi; nam quando mutatio valoris tantum inducta est authoritate privata, sive improbitate fœneratorum, mercatorum, campsorum, resolutio ista non procedit, nec ejus ratio in solvendis debitis, præsertim antiquis, habenda est, ut bene Laym. l. cit. n. 16. Pirh. n. 30. Vviest. n. 29. Ratio disparitatis est; quia solus ille valor extrinsecus monetæ censetur justus, qui publica authoritate, vel usu communi populi taxatus est, ut secundùm eum mercationes, & solutiones debitorum pecuniariorum fiant: de quo infra n. 31. plura. 26

Ad

27 *Ad fundamentum* adversæ sententiæ *num.* 23. allatum, dico in debitis pecuniariis, quando species monetæ certo numero solvenda expressa non fuit, attendendum, esse tam tempus contractus, quàm tempus solutionis: *tempus contractus* quidem, ut intelligatur quantitas debiti, seu valor pecuniæ mutuo datæ, quem illo tempore habuerunt, videlicet quod 100. aurei fecerint 300. fl. *Tempus solutionis* autem, ut intelligatur valor pecuniæ, per quam solutio fiet; quia secundum eum pecunia numerari debet. *Ad Conf.* magnum est discrimen inter vinum mutuo datum, & inter pecuniam numeratam: nam 1. in restitutione vini, & similium consideratur quantitas, & materia; in restitutione pecuniæ, nisi aliud in contractum deductum sit, non materia, sed sola æstimatio. 2. Pecuniæ æstimatio plerumque certa est, & definita publica Lege Magistratus, nec facilè mutatur; at verò pretium vini incertum est, & sæpius variatur. 3. Valor extrinsecus, seu æstimatio impositia est de substantia monetæ, seu pecuniæ *l. origo* 1. *ff. de contrah. empt.* vini æstimatio non est de substantia vini; non enim vinum ideo melius est, quia pluris æstimatur: ergo à vino non rectè sumitur Argumentum ad monetam.

28 Dub. 3. in qua moneta, antiqua, an nova, solutio exhibenda sit, quando absque certæ speciei, & numeri designatione certa quantitas v. g. 1000. fl. in obligationem deducti sunt, & postea valor monetæ intrinsece est immutatus, quòd cusa sit moneta quoad bonitatem & puritatem metalli, aut pondus, vel alias qualitates priore melior, aut deterior? Bartolus *in l. creditorem cit. n.* 6. Abb. *in cap.* 18. *de Jurejur. n.* 12. Innoc. *in cap.* 20. *h. tit. pr.* Socin. sen. *cons.* 298. *l.* 2. Socin. *Jun. cons.* 145. *n.* 95. *l.* 1. *& cons.* 142. *n.* 6. *lib.* 2. Covar. *de collat. vet. numis. c.* 7. §. *un. n.* 2. *concl.* 1. Frid. Martini *c.* 5. *cit. num.* 125. Fachin. *l.* 2. *contr. cap.* 10. *vers. restat*, Berlich. *pract. concl. p.* 2. *concl.* 35. *n.* 37. *ad fin.* Laym. *lib.* 3. *tr.* 3. *p.* 1. *cap.* 5. *n.* 19. Fagnan. *in c. olim.* 20. *h. tit. n.* 4. *&* 14. Pirh. *hic num.* 22. Schamb. *n.* 8. & alii putant, eo casu solutionem exhibendam in Moneta antiqua, vel si talis non extet, aut haberi nequeat, secundum valorem, & æstimationem illius in moneta currente, sive deinde illa deterior, sive melior antiqua sit, modo solutioni monetæ antiquæ non sit præscriptum per solutionem monetæ novæ.

29 *Fundantur* 1. textu *c. olim cit.* ubi Clerici Rupinenses, qui per 38. annos Synodaticum solverant non in denariis Papiensibus, sicut de Jure debebant, sed in Lucensibus, condemnati sunt ad illud solvendum in Papiensibus, vel saltem secundum eorum æstimationem, non verò in Lucensibus secundùm valorem intrinsecum diminutis. 2. *c. cum Canonici* 26. *eod.* ubi Canonicis Cathedralis Ecclesiæ, qui volebant sibi pensionem, ab antiquo debitam, solvi in moneta nova majoris valoris, adjudicata est pensionis solutio in moneta antiqua deterioris valoris, vel si antiqua non extet, in nova secundùm æstimationem antiquæ. 3. *Ratione*; quia Justitia commutativa exigit, ut in omni debito pecuniario præstetur id, quod in obligationem est deductum, in obligationem autem deducta censetur præstatio monetæ ejusdem bonitatis, & ponderis, cujus erat tempore obligationis impositæ, vel contractæ juxta *l. cum quid* 3. *ff. de reb. credit.* ergo &c.

30 Hæc sententia communi consensu TT. & præcipue Canonistarum approbata est teste P. Vviestner *hic numer.* 31. satisque congruit æquitati. Hoc tamen non obstante, admodum probabilis, & Bavariæ nostræ, pluriumque aliarum Provinciarum usu recepta est altera, quæ hoc casu docet solutionem præstandam in moneta currente secundum valorem ejus præsentem. Ita Geminian. *cons.* 137. *num.* 1. *& seq.* Ludov. Roman. *sing.* 519. *incipit; Quod tempus num.* 1. *& seqq. cons.* 123. *num.* 1. *& seqq.* Joan. Faber. *in Auth. non nisi C. de solut.* Carol. Molin. *de mutat. monet. vel de contract. q.* 100. *num.* 11. Menoch. *cons.* 49. *n.* 38. *vers. his constat. vol.* 1. Hottom. *lib. Illustr. q.* 15. *col.* 7. *vers. ergo quantum*, *& vers. seq.* Vvading. *de Contract. D.* 8. *dub.* 4. *n.* 4. Pont. *de potest. Princ. Monet. q.* 3. *&* 4. Gonzal. *in c.* 26. *h. tit. n.* 6. Vvaizenegger *qq. Monetar. q.* 4. *à n.* 15. Vviest. *hic n.* 36. faseturque ipse Berlichius, licèt, ut supra vidimus, sententiæ adversæ Patronus, hanc opinionem, si momenta rationum, circumstantias, & exempla historica considerare velimus, parum à varietate aberrare.

31 *Ratio est* 1. quia dum Princeps ordinatione publica ex causa urgentis publicæ necessitatis, aut evidentis utilitatis valorem monetæ mutat, subditis suis præcipit, ut eandem secundum valorem novum, à se impositum in commerciis, & solutionibus expendant, quod præceptum, & Lex, cùm publici boni consideratione factum sit, hoc ipso justum est: cons. observari debet, etiam cum damno, & præjudicio suo, quod bono publico debet cedere; si autem observari debet, satisfaciet debitor, si Censum, & alia debita pecuniaria in Moneta secundum valorem præsentem solvat, nisi aliud in pactum deductum sit; ergo &c. 2. Si Census, & alia debita pecuniaria solvi non possent in Moneta secundum valorem præsentem, id maximè prohiberet damnum, & præjudicium, quod paterentur creditores privati, atqui hoc damnum, & præjudicium inptimis non obstat; quia, ut dixi, injustum non est; deinde creditor eo casu non plus damni patitur, quàm patiatur casu, quo Monetæ valor extrinsecus immutatus est; nam in utroque casu accipit 1000. fl. cùm hoc solum discrimine, quòd in primo casu accipiat illos in nummis minus probis quoad materiam, sed tamen pluribus, in posteriori autem in probis quidem, sed paucioribus. 3. Nummi non tam ex materia, quam ex quantitate, h. e. valore publica authoritate imposito, æstimantur *l. origo pr. ff. de contrah. empt.* alias massa non signata tantum valeret, quantum signata, quod communiter reprobari ostendit Cagnol. *in l. si fundum* 2. *Cod. de pact. int. empt. n.* 215. igitur sufficiet, si debitor creditori solvat in tanta quantitate, quantum est debitum, qualiscumque moneta sit, nisi aliter inter ipsum, & creditorem conventum sit. 4. Non minùs Tributariæ, quàm Monetariæ Leges aliquod damnum, & præjudicium subditis afferunt, & tamen hoc non obstante, si Tributum publica authoritate ex causa urgentis publicæ necessitatis, aut evidentis utilitatis statutum sit, observari debent, igitur observari etiam debent Leges Monetariæ, non obstante subditorum æquali damno. 5. Ex Historia Romana constat, quòd sæpius quoad valorem intrinsecum immutata Moneta fuerit, & tamen semper secundum valorem præsentem solutio facta est, ut pluribus explicat P. Vviestner *hic n.* 33. Imò de facto, ut *n. prac.* dixi, ita fit solutio in Bavaria, & aliis compluribus Provinciis, non considerato valore pecuniæ prius habito.

Neque contrarium efficaciter probant textus, & ratio in contrarium allegata. *Ad* 1. eo casu Clerici Episcopo Cathedratici nomine debebant solvere tres denarios Papienses, vel eorum pretium in Moneta currente, quod non fiebat solvendo loco unius Papiensis tres Lucenses, postquam valore istorum intrinseco immutato, tres Lucenses unum Papiensem facere desierunt. *Ad* 2. in *cap. cit.* Pontifex solum præcepit, ut Canonici, qui volebant pensionem sibi debitam à Presbytero solvi in moneta meliori, contenti essent pensione illa sibi soluta in Moneta, in qua debita fuit, vel in æstimatione illius, ita, ut quantitatem sibi debitam consequerentur, qua plus consecuti fuissent, si obtinuissent, quod petierunt. *Ad* 3. ibi bonitatis nomine, non ipsa materia, sed sola quantitas venit, quæ unicè in pactum deducta censetur, quando de nummorum certa specie, & numero non convenit, ut proinde satisfactum sit creditori, si solutio ejus quantitatis facta sit in moneta proba. 32

Dub. 4. quomodo solutio præstanda sit, quando valor Monetæ extrinsecus ex causa urgentis necessitatis publicæ gravissimæ ita enormiter auctus est, ut v. g. nummus argenteus, qui nunc unius floreni valorem habet, postea ad octo, vel decem florenorum valorem ascendat; aut vicissim per deterioris materiæ admixtionem ita enormiter depravatur, ut unus nummus argenteus, vel aureus, qui nunc in usu est, quoad bonitatem intrinsecam octo vel decem postea cudendis æquivaleat? 33

Resp. hoc casu adhibendam distinctionem: Vel enim mutatio illa valoris monetarii ex publica ordinatione stabilis, & duratura est, vel non. *Si primum*, valor monetæ, per talem ordinationem, vel publicam Provinciæ alicujus consuetudinem introductus, etiam in solutionibus observandus est. Rebell. *p.* 2. *l.* 11. *q.* 15. *conclus. ult.* Laym. *l.* 3. *tr.* 3. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 15. *fin.* Pirh. *hic n.* 30. Konig *num.* 10. *ibid.* & responsum est à Collegio Juridico Ingolstadiensi 18. *Julii* 1639. apud Vvaizenegger. *qq. Monet. in fin. n.* 11. quod etiam probat ratio; quia is valor justus monetæ est, quem Princeps, considerata publicæ necessitatis, & utilitatis causa, observandum præcipit.

Si secundum, altera distinctio est adhibenda, & videndum, an enormi illa mutatione durante, rerum venalium, etiam immobilium, pretium idem fere sit, quod ante fuit, & post mutationem futurum est, vel etiam ipsum cum auctione Monetæ auctum 34

fit. *Si prius* contingat, & fic immutatæ Monetæ florenus e. g. eandem fere vim, poteftatem, & ufum communem in commerciis haberet, quem habuit florenus Monetæ probæ, & quoad valorem non auctæ, in folutionibus; fpeciali conventione ceffante, attendi deberet valor, quem habet moneta folutionis tempore. Vvaizenegger *loc. cit. q.* 5. *num.* 14. *&* 17. *& q.* 6. *à n.* 5. & ex hoc P. Vvieft. *hic n.* 38. adeoque qui ante auctionem valoris extrinfeci monetæ dediffet 100. aureos, dum aureus adhuc valebat tres florenos, hujus pretio ad 20. florenos aucto, contentus effe deberet, fi eidem debitor folveret 15. aureos. *Ratio eft*, quia tali cafu is, qui Monetam ejufmodi in pretio ante auctionem currente dedit, recipiendo illam fecundum valorem impofititium nullum pateretur damnum, aut modicum.

35 *Si pofterius*, & cum auctione Monetæ etiam pretium rerum venalium auctum eft, in folutionibus debitorum fpectandus effet valor Monetæ, quem ifta non folutionis, fed contractus tempore habuit. Faber *de var. num. deb. folut. c.* 4. *n.* 2. Laym. *l.* 3. *tr.* 3. *p.* 1. *c.* 5. *num.* 16. *fin. & num.* 25. Vvaizenegger *q.* 5. *n.* 10. 11. *&* 17. Pirhing *hic à num.* 31. Vvieft. *n.* 37. & his teftibus communiffima aliorum. *Ex quo fequitur*, feclufa fpeciali conventione, nec creditorem cogi poffe tali cafu, ut in folutionem antiqui debiti recipiat monetam fecundùm valorem extrinfecum ita enormiter auctam, vel quoad intrinfecum ita depravatam; nec etiam debitorem, ut debitum, quod in Moneta ita enormiter aucta contraxit, folvat in moneta proba fecundum valorem poft reductionem rei monetariæ reftitutum ad ftatum priftinum. *Ratio eft*, quia fi creditor in hoc valore recipere, & debitor in eo valore folvere teneretur, & hic, & ille enormiffimè læderentur, quippe cùm creditor ne octavam quidem pecuniæ creditæ partem confequeretur, debitor verò reddere teneretur octuplo plus, quàm accepit, contra intentionem, & mentem Principis, qui utique ea mutatione non cogitat fubditos ita enormiter lædere.

36 Dub. 5. cujus authoritate valor Monetæ mutari poffit? Refp. hoc fieri poffe fola authoritate Principis, vel Magiftratus quoad temporalia Superiorem non recognofcentis. Patet ex *l. quoniam* 1. *& l. feq. C. de falf. Monet. & Ordinat. Monetar. cit.* ubi valoris Monetæ mutatio quæcùmque fub confifcationis, aliifque gravibus pœnis interdicta eft.

An ad ejufmodi mutationem faciendam populi confenfu Princeps indigeat, quæri poteft, & dubium movet *c. quanto* 18. *de Jurejur.* ubi Innocentius III. reprobat ejufmodi mutationem fine populi confenfu factam. *Sed dicendum*, ita quidem, fpectato Jure communi, fieri decere, imò & debere in iis Provinciis, in quibus vigore Concordatorum, & pactorum initorum inter Principem, & Status majora negotia ejufmodi confenfu adhibito, decerni confueverunt. Ceffantibus tamen hujufmodi Pactis, & Juribus fpecialibus, cùm jufta caufa expofcit, mutationem talem fieri etiam fine populi confenfu poffe. Ita Covar. *de Collat. Veter. Num. cap.* 7. *n.* 6. Joan. Faber *Inft. quib. mod. toll. oblig. pr.* Laym. *l.* 3. *tr.* 3. *p.* 1. *cap.* 5. *n.* 7. Gibalin. *de negotiat. l.* 2. *cap.* 4. *art.* 13. *n.* 3. Vvieft. *hic num.* 17. & docet temporum noftrorum praxis.

37 Dixi, *cum jufta caufa expofcit:* debet autem effe graviffima; quia hujufmodi mutatio graviffima fibi conjuncta habet incommoda, dum commercia, & negotiationes perturbat, rerum venalium pretium auget, fœneratorum fordibus, & innumeris fraudibus anfam præbet &c. quæ incommoda cum fubditorum fortunas fpectent, quarum Princeps non eft dominus, inde fequitur fine graviffima caufa ejufmodi mutationem fieri non poffe.

Hinc Abb. *in c.* 18. *de Jurejur. n.* 11. Gabriel. *in* 4. *fent. dift.* 15. *q.* 9. *art.* 3. *dub.* 1. Laym. *cap.* 5. *cit. n.* 9. Gibalin. *num.* 4. Vvieft. *n.* 19. monent 1. ejufmodi mutationem non faciendam, nifi ob caufam urgentis magnæ neceffitatis, aut evidentis utilitatis publicæ, ut v. g. eft propulfatio calamitatum impendentium Reip. ex urgente, valdè difficili, & Reip. vel Religioni periculofo bello. 2. Facilius immutari valorem monetæ extrinfecum, quam intrinfecum, in qua fecunda majus periculum eft ob fraudes improborum falfas Monetas cudentium, & difficultatem rem nummariam in priftinum ftatum reducendi. 3. Damnum, quod ex ejufmodi mutatione fubditis fecutum eft, refarciendum effe à Principe, monetis deterioribus receptis, & melioribus repofitis.

38 Quæritur 5. quomodo folvenda fint ea, quæ debentur ex voto, Legato, Depofito? *Et* 1. *quidem dubitatur*, ad quid obligetur, qui vovit fe annuatim daturum Ecclefiæ, vel pauperibus certam menfuram e. g. tritici, non determinando, de qua menfura id intellexerit? *Ratio dubitandi eft* 1. quia talis promiffio videtur omnino concidere, cùm fit promiffio rei incertæ, & incertitudo rei promiffæ, aut legatæ vitiet actum, ita ut nullam obligationem pariat, ut patet ex *l. triticum* 94. *ff. de V. O.* 2. Vel fi inducitur aliqua obligatio, Votum in favorem Religionis, & caufæ piæ intelligi debebit, non de quacumque, fed de majori menfura ex *l. Titia* 38. §. *Seja* 2. *ff. de aur. legat.* ubi qui legavit ftatuam Ecclefiæ, intelligitur potius legaffe argenteam, quam æream. Quod confirmatur 3. quia in beneficiis pleniffima facienda eft interpretatio *cap. cum dilecti* 16. *de donat.* ergo etiam in Votis, ut in majorem cultum Dei cedant.

Sed dicendum, fatisfacere, fi minimam menfuram folvat vovens. Patet ex *cap. ex parte* 18. *hoc tit. l. fi fervus* 50. §. *fin. ff. de Legat.* 1. *& l. nummis* 75. *ff. de Legat.* 3. Ratio eft; tum quia in obfcuris minimum eft fequendum *Reg. femper* 9. *ff. & Reg. in minimis* 30. *in* 6. tum quia Votum ftrictè interpretari oportet, ut in quantum fieri poteft, minus obliget, idque ut occafio, & periculum facrilegæ violationis vitetur. *Excipitur*, nifi aliud ex circumftantiis colligatur, vel ex confuetudine patriæ; nam verba dubia prolata, etiam in Voto, accipiunt interpretationem ex ufu, feu confuetudine patriæ. 39

Neque contrarium probant Argumenta allata in oppofitum. *Ad* 1. imprimis *l. triticum cit.* eft tantum difpofitio Juris Civilis, quæ vim in Spiritualibus, & Ecclefiafticis nullam habet. Deinde dotis promiffio ob incertitudinem non vitiatur, fed favore ejufdem fuftinetur; atqui non minus favorabilis eft caufa pia. Denique de Jure Civili non omnes promiffiones ob incertitudinem irritantur, fed tantum illæ, quæ ita incertæ funt, ut dando rem ferè nullius pretii, & æftimationis, poffent impleri, ut notat Suar. *tom.* 2. *de Relig. l.* 4. *de Vot. cap.* 7. *num.* 18. *Ad* 2. legatum *in l. Titia* intelligitur de ftatua argentea; quia in illo Templo, ut textum illum legit Gottofred. *in not. lit. L.* non erant ftatuæ aliæ, nifi aureæ, & argenteæ, & conftabat, mentem teftatoris fuiffe, ut fimilem ibi poneret. Deinde efto, quòd in Legatis majus, & pretiofius debeatur, non tamen idem obtinet in Votis; nam in Legatis præfumitur favore caufæ piæ legatum, quod majus, aut melius eft, in Votis autem in favorem libertatis fequendum id, quod minus eft. *Ad* 3. Regula illa locum habet in Beneficiis Principum, & Nobilium; Votum autem non eft beneficium, fed obfequium hominis erga Deum, in quo amplior interpretatio, nifi aliud ex circumftantiis pateat, non eft facienda, quàm quantum fieri neceffum eft, ut Votum impleatur. 40

Dub. 1. quis valor attendendus fit, quando 100. aurei in Teftamento legati funt, & mortis tempore valor aurei extrinfecus immutatus eft? Videtur Legatum præftandum fecundum valorem, quem aurei habent tempore mortis Teftatoris: quod etiam probat ratio; nam quando de Legato præftando agitur, mortis tempus infpiciendum eft, cùm Legatum antè perfectum non videatur, quàm Teftator decefferit *l. fi fundus* 28. *ff. quando dies Legat. ced.* ipfumque Teftamentum robur, ac vires non habeat, nifi à morte Teftatoris *l. Teftamentum* 1. *ff. qui Teftam. fac. poff. & l. omnium* 9. *Cod. de Teftam.* 41

Sed dicendum, fi Teftamento aliud expreffum non eft, Legatum præftandum effe in ea Monetæ bonitate, quæ tempore conditi Teftamenti, non quæ tempore mortis fuit. Ita Abb. *in c. olim* 20. *h. tit. n.* 4. Fagnan. *ibid. n.* 9. *&* 10. Brunnem. *in l. fi ita* 7. *ff. de aur. arg. leg. n.* 2. Pirh. *hic n.* 25. *verf. extenditur* 3. Vvieft. *ib. n.* 40. & patet ex *l. fi ita cit. Ratio eft;* quia Teftator legare cenfetur confideratione Patrimonii, quod habet eo tempore, quo condito Teftamento de eo difponit: conf. nummos legare intelligitur fecundum valorem præfentem, five eum, qui in ufu, & commercio eft, cum de Patrimonio fuo difponit, & Legatum relinquit. 42

Ex quo patet ad Argumentum oppofitum.

Dub. 2. ad quem augmentum, vel decrementum pecuniæ depofitæ fpectet, fi valor ejus in manu depofitarii crefcat, vel decrefcat? Refp. diftinguendo, an depofitario pecunia apud ipfum depofita præcisè ad cuftodiam tradita fit, an verò depofito admixtum fit mutuum, ufufque pecuniæ permiffus depofitario, ita, ut non certa fpecies, & numerus nummorum, fed fola quantitas reftituenda fit.

Si primum, exploratum eft apud omnes, augmentum, & decrementum valoris pecuniæ ad deponentem pertinere, ut cum cæteris tradunt Laym. *l.* 3. *tr.* 3. *p.* 1. *cap.* 5. 43

cap. 5. *num.* 18. Pal. *tr.* 32. *D.* 3. *p.* 3. *num.* 4. Vviestner *hic num.* 41. Ratio est; quia augmentum, & decrementum valoris pecuniæ accidens quoddam illius est, & domino ejusdem cedit, sicut cedit eidem augmentum, vel decrementum valoris pecuniæ existentis in manibus administratoris, vel Officialis.

14 *Si secundum*, eo casu restitutio deponenti facienda est secundum valorem illius præsentem. Sequitur ex præcedenti ratione; nam augmentum, & decrementum pecuniæ domino cedit; tali autem casu dominus pecuniæ non deponens, sed depositarius est, ergo &c. Idem ex fundamentis *num.* 31. jactis dicendum de casu, quo valor Monetæ intrinsecus immutatus est.

15 Dub. 3. an si debitum v. g. 1000. florenorum contractum sit mutuo in nummis aureis, vel majoris formæ argenteis accepto, solutio, invito creditore, fieri possit in Moneta erosa, vel minuta? *Certum est non posse*, si conventum sit de solvendo mutuo in pecunia ejusdem sortis, vel saltem majoris; quia contractus ex conventione Legem accipiunt.

Difficultas est de casu, quo inter creditorem, & debitorem de similis materiæ, ac formæ nummis, in solutione exhibendis, non est conventum? Negativa videtur desumi ex *l. creditorem*, *alias Paulus* 99. *ff. de solut.* ubi Paulus JCtus, *Creditorem*, ait, *non esse cogendum in aliam formam nummos accipere, si ex ea re damnum aliquod passurus sit*; tale autem afferret solutio facta in pecunia erosa, & minuta; quia multum temporis aufert ejus numeratio, & illius deportatio permolesta est; ergo &c.

16 Sed dicendum, spectato Jure communi, & præscindendo à specialibus circumstantiis, satisfacere debitorem, si ille tali casu solutionem præstet in erosis, & minutis nummis, modò ejusdem valoris sint, cujus erant aurei, & argentei majores. Ita Morla *de Emptor. tit.* 8. *quæst.* 13. Molinæus *de commerc. num.* 99. Guttier. *lib.* 2. *pract. quæst.* 179. *num.* 1. Vvesenbec. *ff. de reb. credit. num.* 12. Donell. *in l. cùm quid* 3. *ff. ibid. num.* 10. Gonzal. *in cap.* 26. *hoc tit. num.* 5. Vviest. *hic num.* 43. Ratio est, quia solutio pecuniaria regulariter fieri potest in quavis moneta, ad ea rem publica authoritate approbata, talis autem erosa, & minuta non minus est, quàm aurea & argentea majoris formæ; ergo &c.

Conf. quia in solutione, si de certæ speciei moneta non convenit, non tam ad ipsam materiæ massam, quam ad valorem, & pretium nummi respectus habetur *l. si alii* 1. §. *cui certum* 1. *l. cum certum* 9. *& l. Titiæ* 35. *pr. ff. de aur. & arg. leg.* ergo sufficiet, si debitor solutionem præstet in quacumque moneta ejusdem æstimationis cum sibi data.

Dixi *Spectato Jure communi*, nam Jure speciali prodito *per Ordinat. Monetar.* 1559. Ferdinandus I. Imperator statuit, creditorem in summæ notabilis solutionem non posse cogi de erosa pecunia accipere ultra 25. fl. qua cautela adhibita, jam cessat damnum, & molestia creditoris, & sic ratio in contrarium opposita concidit.

§. II.

De Exactionibus.

S U M M A R I U M.

48 *Quid Exactionum nomine hoc loco veniat?*
49 *Quotuplicis generis illæ sint?*
50 *Quid sit Cathedraticum?*
51 *An istud consuetudine, vel præscriptione tolli possit?*
52 *Respondetur cum distinctione.*
53 *Quid sit Subsidium Charitativum?*
54 55 *An subditi compelli ad illud possint?*
56 57 *Quis exigere illud possit?*
58 *Et quis non?*
59 60 *Quæ sit causa sufficiens ad illud exigendum?*
61 *Quoties, & quo modo petere illud possit Episcopus?*
62 *A quibus?*
63 *Exempti ab eo pendendo sunt Laici.*
64 *Monasteria.*
65 *Ecclesiæ exemptæ.*
66 *Clerici nullum habentes Beneficium, vel Beneficiati quidem, sed pauperes.*
67 *Cui Episcopo illud præstari debeat, quando Ecclesia sita est in una Diœcesi, prædia autem, & fundi illius in alia?*
68 *Quid dicendum, quando Ecclesia, vel Beneficium situm est in confinibus duarum Diœcesium?*
69 70 *Quantum subsidii istius nomine possit exigi?*
71 72 *An illud ab Episcopo remitti possit?*
73 74 75 *An obligatio ejus præstandi per Præscriptionem tolli?*
76 77 *Quis sit Judex competens in controversiis motis super Susibdio Charitativo?*
78 *Quas Exactiones imponere Subditis suis Magistratus Sæcularis possit?*
79 *An omnes sint justæ?*
80 *Respondetur affirmative, si publica authoritate, & justa aliqua causa exigente, fiant.*
81 *Refelluntur Argumenta opposita.*
82 83 *Quis imponere Vectigalia Tributa &c. possit?*
84 *An jus illas imponendi acquiri etiam consuetudine, vel præscriptione possit?*
85 *Resolvitur affirmativa.*
86 *Quæ sit causa justa imponendi novas exactiones?*
87 *Requisita, ut imponantur justè.*
88 *Forma in illis imponendis servanda.*
89 *Pœna non imponentium legitimè.*
90 *An ad Tributi, vel alterius novæ Exactionis impositionem necessarius sit consensus subditorum?*
91 *Resolvitur pro negativa.*
92 *Exceptio.*
93 *Respondetur ad Argumenta opposita.*
94 *Ad Exactiones à Principe factas non tenentur Extranei.*
95 *Personæ, & loca Ecclesiastica.*
96 *Pauperes, & cæci.*
97 *Si injuste impositæ sint, non obligant subditos.*
98 *Obligant in conscientia, si justè.*
99 *Vel si dubium sit, an sint injustè impositæ.*

QUæritur 1. quid *Exactionum* nomine hoc loco 48
veniat, & quotuplicis generis illæ sint? Respond. *Exactionum* nomine hoc loco veniunt Contributiones, & Collectæ pecuniariæ. Aliquando imperantur à Prælatis Ecclesiasticis, aliquando à Principe, seu Magistratu Sæculari. Utræque subdividuntur in *Ordinarias*, & *Extraordinarias*. *Illæ* sunt, quæ singulis annis penduntur, *Istæ*, quæ ex causa pendi, & exigi solent. Inter eas, quæ ex præcepto Canonum Prælatis Ecclesiasticis penduntur, est 1. *Portio Canonica*, eaque duplex, *Episcopalis*, & *Parochialis*: de priore dictum est *Tit.* 26. *à num.* 222. de posteriore *Tit.* 28. *à num.* 83. 2. *Quarta Decimarum*: de qua, quantum necesse est, dictum *Tit.* 30. *num.* 27. 3. *Cathedraticum*. 4. *Subsidium Charitativum*. 5. *Procurationes*. De his tribus agetur in Titulo præsenti. Atque hinc

Quæritur 2. quid sit *Cathedraticum*, & quid eo no- 49
mine solvendum sit? Resp. *Cathedraticum* ita dicitur; quia Episcopo in signum subjectionis, & honorem Cathedræ, cui præest, solvitur. Alio nomine *Synodaticum* appellatur *c. olim* 20. *h. tit.* quia in Synodo, singulis annis celebranda, ab omnibus ad illam vocatis præstari consuevit. Pirh. *n.* 40. *hic*. Hodie in multis locis usu receptum est, ut in Conventibus Capituli, quos Archipresbyteri, & Decani Rurales suis temporibus celebrant, deponatur, & Decanis dein deferatur, vel transmittatur ad Episcopum. Engl. *hic num.* 5. *in fin.* Solvi debent hoc nomine duo solidi *can. placuit* 1. *caus.* 10. *q.* 3. *cap. conquerente* 16. *de Offic. Ordin.* aut plus etiam, vel minus pro locorum consuetudine. Engl *num.* 5. *cit.* Pirh. *n.* 40. Schambog *num.* 14. Konig *num.* 3. Obligantur ad illud Ecclesiæ, & Capellæ Sæculares tantùm, non autem Monasteria, & Ecclesiæ Regulares; quia pertinet ad Legem Episcopi Diœcesanam, à qua Regulares; & Ecclesiæ ipsorum exempti sunt secundum dicta *Lib.* 1. *Tit.* 31. *n.* 27.

Dubitatur, an Cathedraticum consuetudine, vel et- 50
iam præscriptione tolli possit? Affirmat communis sententia teste Abb. *in cap. olim cit. num.* 6. ex ratione; quia ita tolli possunt alia Jura Episcopalia, & ipsa subjectio *cap. de quarta* 4. *& cap. auditis* 15. *de præscript.* Negant Host. *in cap. cum olim cit. num.* 4. & alii apud Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 86. *num.* 44. & videtur probari *arg. l. comperit.* 6. *Cod. de præscript.* 30. *vel* 40. *ann.* juxta quam Tributum, & Census, qui Principi debentur in signum subjectionis, nulla præscriptione tolluntur. *Et confirmatur* à pari cum obedientia debita Episcopo à subditis, & cum Procuratione solvenda visitanti à visitatis, quæ non est præscriptioni obnoxia juxta *cap. cùm non liceat* 12. *& cap. cum ex officii* 16. *de præscript.*

Sed melius adhibetur distinctio cum Henr. de Boich. 51
in cap. olim cit. num. 2. Fagnan. *ibid. num.* 17. Schamb. *num.* 14. Vviest. *num.* 6. qui cum prima sententia negant Cathedraticum præscriptione omnino tolli posse, manente sub-

subjectione; cum secunda autem concedunt illud posse præscriptione diminui, & ex parte juri ejusdem derogari: quod colligi videtur ex *c. olim cit.* ubi præscriptio denariorum Lucensium pro Papiensibus, quorum unus valore tres Lucenses æquabat, nomine Cathedratici solutorum, ex ea solum ratione rejicitur, quòd non duraverit tempore ad præscriptionem contra Ecclesiam requisito; igitur si tanto tempore perdurasset, non fuisset rejicienda.

52 *Ad Argumentum primæ sententiæ* negatur paritas cum cæteris Juribus Episcopalibus: & ratio disparitatis est; quia naturali rationi, & æquitati repugnat, quod quis maneat subjectus, & in subjectionis signum nihil teneatur præstare.

53 Quæritur 3. quid sit *Subsidium Charitativum*? Resp. *Subsidium Charitativum* à Charitate dicitur ex duplici ratione. 1. Quia à principio ex Charitate potius peti debet, quàm per vim extorqueri *arg. cap. ex parte* 18. *vers. in secundo hoc tit.* 2. Quia existente justa causa, omnino decet, id à subditis ex Charitate erga suos Pastores libenter conferri. Vvagnereck *in c. cùm Apost.* 6. *V. moderatum not.* 2. *hoc tit.* Vviestner *hic n.* 45. Hinc definiri solet, quòd sit quædam exactio extraordinaria propter manifestam, & rationabilem causam cum Charitate à subditis postulata. Engl *hic num.* 8. Konig *num.* 18.

54 Dub. 1. utrum subditi ad subsidium Charitativum compelli nequeant? Non posse compelli, saltem ab Episcopo, vel alio Prælato id petente, cum Innoc. *in c. cum Apostolus* 6. *hoc tit.* volunt aliqui ob duplicem causam. 1. ne Episcopus in propria causa sit Judex contra Regulam sumptam ex *l. un. C. ne quis in sua causa &c.* 2. quia *cap. cùm Apostolus cit.* §. *prohibemus* dicitur ab iis postulandum *cum Charitate*, exponendo scilicet necessitatem matricis Ecclesiæ, & instando moderatis precibus, & conventionibus.

Sed dicendum, si manifesta, & rationabilis causa ita exigat, ad subsidium hoc exhibendum subditos etiam invitos cogi posse; Ita Abb. *in cap. cum Apostolus cit. n.* 5. Host. *ibid. n.* 7. & 8. Alex. de Nevo *cons.* 58. *n.* 5. Boer. *decis.* 136. *n.* 1. & 2. Bellet. *disquis. Cleric. p.* 1. *tit. de Cleric. debit.* §. 15. Bellencin. *de subsid. Charit. q.* 15. Remig. de Gonny *simili Tr. q.* 8. Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 87. *n.* 5. Honor. *hic n.* 11. Engl *n.* 8. Vviest. *n.* 46. *Ratio est*; quia est Charitas præcepta, ad quam Episcopo, vel Ecclesiæ Cathedrali exhibendam Clerici non minus cogi possunt, quàm tempore magnæ famis, & necessitatis divites ad dandam pauperibus Eleemosynam.

55 Neque urgent Rationes allatæ in contrarium. *Ad* 1. hic agitur de peccato vitando, quod committeretur adversus obligationem Charitatis, si Ecclesiæ Cathedrali necessitatem patienti non succurreretur; atqui cùm de peccato agitur, Judex proprius est Episcopus. Accedit; quia Subsidium istud non exigitur, nisi ex causa manifesta, & notoria, hac autem existente, Episcopus etiam in facto proprio, saltem si hoc bonum, & utilitatem Ecclesiæ suæ concernat, procedere potest *cap. Romana* 1. *de pœnis in* 6. cum ratione notorii competens fiat Judex, qui alias non est competens. *Ad* 2. Charitati hoc casu simul, & coactioni locus est; nam ut passim DD. *Ubi Charitas*, inquiunt, *non proficit*, *exhibenda est potestas*. Et hinc etsi, ut *num.* 53. dictum est, ab initio quidem cum Charitate, & demonstrata necessitate, peti debeat, ex post facto tamen propter eandem necessitatem ex naturali æquitate, & lege Charitatis subditi omnino ad præstandum auxilium obligantur, & compelli possunt Censuris, & aliis pœnis Ecclesiasticis.

56 Dub. 2. quis exigere Subsidium Charitativum possit? *Certum est*, quod hoc Subsidium Charitativum exigere possit Summus Pontifex ab omnibus Clericis, & Ecclesiis. Bellencin. *de Subsid. Charit. quæst.* 1. *num.* 2. Azor *p.* 2. *lib.* 9. *cap.* 14. *q.* 5. *pr.* Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 87. *n.* 22. quia liberrimam habet administrationem omnium Beneficiorum *c. licet* 2. *de Præb. in* 6. Et procedit hoc etiam quoad eos, qui alias exempti sunt à subsidio Charitativo exhibendo Episcopis, vel aliis Ordinariis, nisi speciali privilegio etiam quoad Pontificem ab ipso Pontifice exempti sint, quod tamen non præsumendum esse advertit Bellencin. *loc. cit. q.* 58. *n.* 3. quòd hujusmodi privilegium concedi non consueverit *cap. cum instantia* 17. *hoc tit.* ibi *Nisi fortè per speciale privilegium Sedis Apostolicæ*, *quod non credimus*, *sit exempta*.

57 Præter Summum Pontificem Jus exigendi Subsidium Charitativum habet. 1. Episcopus, & cæteri Ordinis Episcopalis Prælati confirmati, etiamsi non sint consecrati; quia exactio hæc non est Ordinis, sed Jurisdictionis, quam per Confirmationem acquirit. Bellencin. *loc. cit. q.* 9. Azor. *q.* 5. *in fin.* Barbos. *num.* 7. & 8. Pirh. *hic num.* 54. Schamb. *n.* 23. Konig *n.* 19. 2. Capitulum, Sede Episcopali vacante. Gloss. *in c. cupientes* 16. *V. aliunde de Elect. in* 6. Bellencin. *q.* 7. Azor *q.* 5. *V. item Collegium*, Bellet. §. 12. *n.* 38. Barbos. *n.* 13. Vviest. *n.* 49. *hic*. Nequit tamen Statutum condere, quo tale Subsidium in futurum ex parte minuatur. Bellencin. *q.* 45. 3. Cardinales in Ecclesiis sui Tituli; quia in his Jurisdictionem, & alia Jura Episcopalia de Jure communi obtinent. Bellencin. *quæst.* 3. Azor. *qu.* 5. *vers. quæres*, Remig. de Gonny *quæst.* 21. Barbos. *n.* 13. & 14. Pirh. *loc. citat.* 4. Generales, & perpetui Commendatarii Ecclesiarum Cathedralium; quia hi in istis habent Jurisdictionem omnem, quæ Episcopo intitulato competeret. Bellenc. *quæst.* 6. Azor. *quæst.* 5. *vers. Commendatarius*. Barbos. *num.* 20. 5. Legatus Papæ, cui commissum est plenæ Legationis officium in sua Provincia; nam hic omnia liberè, & immediatè potest, quæ quilibet Ordinarius Jure, vel consuetudine potest. Bellencin. *q.* 12. Azor. *quæst.* 5. *vers. quid dicendum*, Barbos. *num.* 16. 6. Præpositi Generales Ordinum; nam hi, si pro communi Religionis necessitate, aut evidenti utilitate faciendi sint magni sumptus, quos aliunde, quàm ex Ordinis contributione, commodè habere nequeunt, à Monasteriis, & Domibus sibi subjectis exigere Subsidium Charitativum possunt. Bellencin. *q.* 5. *num.* 2. Barbos. *num.* 19. Engl *n.* 15. *fin.* Vviest. *num.* 49.

Contra Subsidium Charitativum non potest petere. 58
1. Vicarius Generalis Episcopi, nisi speciali ipsius Episcopi mandato; hoc enim nullo Jure est ipsi concessum, ac proinde in generali mandato, quod accipit ab Episcopo, non continetur. Bellencinc. *quæst.* 21. Azor. *quæst.* 5. *vers. Vicarius*, Barbos. *n.* 12. Pirh. *hic n.* 54. 2. Prælati Episcopo inferiores, nisi Jus hoc privilegio, vel consuetudine obtinuerint; quia est actus Jurisdictionis Episcopalis. Bellenc. *q.* 4. Azor. *q.* 5. *vers. quid dicendum*, Boer. *decis.* 133. Bellet. §. 12. *cit. n.* 38. Barbos. *n.* 17. 3. Abbates, vel Priores ab Ecclesiis Sæcularibus, vel Regularibus sibi non pleno Jure subjectis. Bellenc. *q.* 5. Barbos. *n.* 18.

Dub. 3. quæ sit causa sufficiens ad exigendum Subsidium Charitativum? Resp. in genere omnis illa causa sufficit, quam nemo bonus, & rerum intelligens improbare valet. In particulari plures referuntur apud Menoch. *de Arbitr. casu* 178. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 14. *q.* 4. Bellet. *Disquis. p.* 1. *tit. de Cleric. debitor.* §. 12. Boer. *decis.* 133. & 134. Bellencin. *tr. de Subsid. Charitat. q.* 16. Tamburin. *tom.* 3. *de Jur. Abb. D.* 10. Lauret. de Franchis *Controv. int. Episc. & Regul. quæst.* 71. Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 87. *à n.* 26. Engl *hic n.* 9. Konig *n.* 22. Vviest. *n.* 84. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de Jur. Eccl. cap.* 1. *num.* 34. & alios ab his *citt.*

Præcipuæ sunt. 1. si magni sumptus facti sunt in Electione Episcopi, istiusque Confirmatione, & Consecratione: quo casu si petatur, Germanicè *die Inful- und Meich-Steur* appellatur. 2. si pro Ecclesiæ Cathedralis fabrica reparanda, aliave necessitate, vel utilitate evidenti contracta sint magna debita, quibus solvendis Ecclesiæ ejusdem facultates non sufficiant. 3. si magnæ expensæ factæ, aut faciendæ sint pro recuperandis Ecclesiæ bonis, tuendis ejusdem Juribus, pertractandis negotiis concernentibus totam Diœcesim. 4. si Episcopus visitare velit Limina SS. Apostolorum Petri, & Pauli Romæ. 5. si proficisci debeat ad Concilium, Curiam Imperatoris, Regis, vel Principis, à quo Regalia accepit. 6. si Imperator, Rex, Princeps adventans sit recipiendus &c.

Porro existente qualibet ex istis causis, Subsidium istud petere Episcopus potest non tantum semel, sed sæpius, quoties scilicet aliqua ex istis causis existit, prout docent Abb. *in c. cum Apostolus* 6. *hoc tit. n.* 2. Boer. *dec.* 131. Bellencin. *q.* 23. Remig. de Gonny *q.* 32. Azor. *q.* 8. Bellet. §. 12. *num.* 5. Barbos. *n.* 36. Pirh. *hic n.* 55. Vviest. *n.* 48. *fin.* & colligitur ex *cap. cum Apostolus cit.* §. *prohibemus V. aliquoties*; modo hujusmodi Exactionibus subditi non plus æquo graventur. Modus, quo peti Subsidium hoc potest, debet esse, ut fiat congregato Capitulo, & Clero, cum expressione causæ (nam in dubio ista non præsumitur, & §. *prohibemus cit.* requiritur causa non solùm rationabilis, sed etiam manifesta) cum Charitate, & humanitate, non cogendo, sed potius hortando, quod cum cuilibet proximo in necessitate sit subveniendum, fortius sibi subvenire debeant. Alexand. de Nevo *cons.* 57. *num.* 2. Bellet. §. 12. *num.* 8. Barbos. *num.* 26.

Dub. 4. à quibus Episcopi, & his similes Prælati Subsidium

sidium Charitativum postulare possint? Resp. exigere illud possunt ab omnibus suæ Diœcesis Ecclesiis, & Clericis Beneficiatis, non exemptis, nec pauperibus cap. conquerente 16. de Offic. Ordin. Navar. cons. 5. in novis hoc tit. Sayr. in florib. decis. 10. Barbos. de Offic. Episc. alleg. 87. num. 39. Neque excipiuntur Canonici Ecclesiarum Collegiatarum, & Cathedralium: imò istos Episcopo suo, tanquam membra, præ extraneis subvenire convenit arg. cap. cùm non liceat 12. pr. de præscript. Bellencin. tr. de Subsid. Charit. q. 27. Remig. de Gonny simili tract. quæst. 28. Monet. de distrib. quotid. p. 3. quæst. 9. num. 20. Barbos. de Offic. Episc. alleg. 87. num. 43. Scambog. hic n. 23. Vviest. n. 50. ibid.

63 In specie ab obligatione Subsidium istud præstandi liberi sunt: 1. Laici, prout colligitur ex can. quia cognovimus 6. caus. 10. q. 3. cap. conquerente 16. de Offic. Ordin. Extrav. un. §. caterùm hoc tit. int. comm. & habet consuetudo generalis, quæ optima Legum interpres est. Unde quando §. prohibemus cit. Pontifex utitur voce Subditorum, eo nomine ibi intelligi soli Ecclesiastici debent, ut sic textus iste concordet cum cap. conquerente cit. Bellencin. quæst. 26. Azor q. 6. pr. Barbos. num. 41. Engl. hic num. 12. Pirh. num. 56. Konig. n. 20. Vviest. n. 51.

64 2 Monasteria; quia Subsidii istius exactio ad Legem Episcopi Diœcesanam spectat, à qua Regularium Monasteria omnia exempta sunt. Bellencin. q. 29. Gonny q. 21. Azor quæst. 6. Barbos. n. 45. Pirh. num. 56. vers. præterea Engl. Konig. Vviest. loc. cit. Neque contrarium desumitur ex Clem. un. de Excess. Prælat. ubi Episcopi inter alia redarguuntur, quòd in Subsidio hoc à Monasteriis, eorumque subditis exigendo excedant; unde colligi per Argumentum à sensu contrario videtur, quòd moderatum Subsidium ab iisdem possint exigere: Verùm hoc non rectè colligitur; quia textus ille solùm loquitur de Monasteriis, habentibus Ecclesias, vel Capellas Sæculares sibi unitas, & olim obligatas ad exhibendum Subsidium Charitativum, quod proinde etiam post unionem exsolvi debet, quippe cùm ejusmodi Ecclesiæ, & Capellæ cum onere suo ad Monasterium transeant, ut cum citt. Laym. l. 3. tr. 3. p. 1. c. 3. §. un. n. 13. Cockier de Jurisd. Ordin. in Exempt. p. 1. q. 25. n. 8. Magnif. P. Schmier p. 3. de Jur. Eccl. c. 1. n. 39. nisi se tueri consuetudine, vel privilegio speciali Sedis Apostolicæ possint.

65 3 Ecclesiæ Exemptæ, præsertim plena libertate gaudentes; id enim importat exemptionem non modò à Jurisdictione, sed etiam ab omnibus, quæ sunt sub Lege Diœcesana, inter quæ, ut n. præc. dictum est, etiam numeratur subsidium Charitativum. Bellencin. q. 32. Azor q. 6. vers. item non potest Cockier p. 4. q. 9. Barbos. n. 47. Konig. n. 20. Facienda tamen est duplex Exceptio: una est, nisi habeant unitas sibi Ecclesias non exemptas; nam ratione istarum subsidium Charitativum exhibere & ipsæ debent arg. Clem. un. cit. & paritate cum Monasteriis, & Ecclesiis Regularibus. Altera, nisi in privilegio Exemptionis apposita esset clausula vulgaris, Volumus autem, quod Ecclesia hujusmodi exempta ad Subsidium Charitativum priori suo Episcopo obligata maneat. Bellencin. quæst. 32. fin. Cockier quæst. 9. citat. num. 3. Barbos. num. 47. cit. in fin.

66 4 Clerici nullum habentes Beneficium Ecclesiasticum, etsi ampla Bona Patrimonialia, vel quasi Patrimonialia in Diœcesi obtineant; quia subsidium Charitativum est onus mixtum, & debetur à Clericis ratione Ecclesiarum, & Beneficiorum, ac fructuum ex his provenientium c. conquerente cit. Bellencin. q. 31. Azor. q. 6. vers. insuper Gonny q. 25. Laym. num. 11. Barbos. n. 48. Zoes. n. 4. Pirh. n. 56. Engl. num. 10. Scamb. n. 23. Vviest. n. 53.

5 Clerici Beneficiati pauperes, quales esse censentur omnes illi, quorum Redditus Beneficiales sustentationem illorum congruam non excedunt; quia hanc ejusmodi exactione diminuere Prælati non sinit Charitas. Bellencin. q. 30. Azor. q. 6. vers. quid dicendum Bellet. §. 12. n. 9. & seqq. Gonny q. 29. n. 3. Barbos. num. 49. Zoes. Engl. Pith. Vviest. loc. citt.

Contrà ad Subsidium Charitativum obligantur. 1. Clerici Pensionarii; nam hic pro rata portione ad Subsidium illud tenetur concurrere, nisi, ut ferè solet, Pensio ipsi assignata ab omni, etiam hujus Subsidii præstandi, onere libera sit constituta; tunc enim Rector Beneficii tenebitur illud ex toto solvere. Azor. q. 6. v. si quæras Laym. l. cit. n. 11. Barb. n. 53. Pirh. n. 56. Vviest. n. 54. 2. Successor in Beneficio solvere debet Subsidium petitum ab Antecessore, & ab hoc non solutum; quia est onus reale, & Tributum impositum Beneficio arg. l. Imperatores 7. ff. de Publican. & vectig. Et hinc in arbitrio Episcopi erit convenire Successorem, vel Antecessorem, si hic adhuc vivat, prout maluerit, & subsidium petere; Bellencin. q. 51. Azor q. 6. in fin. Barbos. n. 54. Engl. n. 11. 3. ab eodem Subsidio etiam non deobligantur Hospitalia causa communis pietatis extructa, quando titulum Beneficii habent. Bellencin. q. 38. Azor. quæst. 6. vers. si roges; Barbos. n. 55.

Dub. 5. cui Episcopo Subsidium Charitativum præstari debeat, quando Ecclesia sita est in una Diœcesi, prædia autem, & fundi illius in alia? Resp. tali casu solvendum esse Episcopo, in cujus Diœcesi Ecclesia, vel Beneficium situm est. Bellencin. quæst. 35. Azor. quæst. 6. vers. quid dicendum, Gonny quæst. 25. Laym. num. 11. Barbos. n. 51. Pirh. n. 56. fin. Vviestn. num. 55. Ratio est; quia Subsidii istius præstandi obligatio non est onus prædiorum, & fundorum, cùm non transeat ad quemcunque istorum possessorem, sed ipsarum Ecclesiarum, & Beneficiorum, cùm ratione istorum, & fructuum ex his perceptorum petatur §. prohibemus cit. 67

Casu, quo Ecclesia, vel Beneficium situm est in confinibus duarum Diœcesium, earum Episcopi convenire circa Subsidium istud petendum debent, & optimum erit, si in ejus, & aliorum Jurium Episcopalium perceptione alternent argum. Clem. plures 2. de Jur. Patr. Quodsi convenire renuant, tunc jure poterit Archiepiscopus præcipere, ut conveniant, eo quod talis ipsorum discordia in gravamen ejusmodi Ecclesiæ cedat. Bellencin. quæst. 52. à num. 3. Azor. quæst. 6. vers. quid dicendum. Barbos. numer. 53. Vviestner num. 55. 68

Dub. 6. quantum Subsidii istius nomine possit exigi? Multæ fuerunt circa hoc Interpretum opiniones. Nam 1. Afflict. decis. 136. dixit Concilium Neapolitanum determinasse, ut sit Decima annui redditus, quam sententiam non improbavit Grammat. decis. 88. n. 5. 2. Antonius ab Alexandro, ut eum refert Grammat. l. cit. in fin. voluit esse dimidiam generalis collectæ. 3. Franciscus Patavinus, & Landrianus, ut refert Boerius q. 134. num. 10. volunt, exigi posse in ea quantitate, quæ adæquet summam Procurationis unius diei, præstandam à Visitatis, quando Prælatus per alium visitat. Extrav. un. int. communes v. cæterùm hoc tit. quanta autem unius diei Procuratio sit, declaratur Extrav. cit. v. statuimus. 69

Ex his tribus sententiis duæ priores sufficiens fundamentum in Jure non habent: tertia ex eo capite à plerisque rejicitur, quòd dicant Constitutionem Extrav. cit. quoad Procurationes non esse ab omnibus usu receptam apud Menoch. de arbitr. cas. 179. n. 3. Hinc cum eodem Menoch. l. cit. n. 4. Pirh. hic n. 55. Vviestner ibidem n. 56. dicendum, in hoc negotio observandam Provinciarum consuetudinem: si verò consuetudo deficiat, quantitatem hujus subsidii taxabit ipse Prælatus, & eam determinabit, quam Ecclesiæ qualitas, hujus rededituum annuorum quantitas, magnitudo expensarum in causam, pro qua exigitur, faciendarum, & similes circumstantiæ eidem suadebunt. 70

Dub. 7. an Subsidium hoc ab Episcopo remitti possit? Videtur non posse generaliter; quia Subsidium hoc non ipsius tantùm Episcopi, sed etiam Ecclesiæ, & hujus quidem principaliter commodum spectat; atqui Episcopus Jura, quæ principaliter concernunt Ecclesiæ commodum, liberè non valet remittere; quia ejusmodi remissio species quædam alienationis est, quæ Episcopo prohibetur cap. Pastoralis 7. de Donationibus ergo &c. 71

Sed meliùs Bellencin. q. 47. Azor. c. 14. q. 7. Laym. n. 14. Pith. n. 57. Vviestner n. 88. & communiter DD. distinguunt, & licèt concedant illud ab Episcopo posse remitti pro una, & altera vice, negant tamen illud remitti posse perpetuò. Ratio primi membri est; quia Episcopus, subsistente justa causa, donationes moderatas, etiam liberales, facere sine Juris solemnitate potest, ut dictum est Tit. 24. n. 6. atqui ejusmodi donationis speciem refert remissio Subsidii Charitativi, una, vel altera vice facta; ergo &c.

Ratio secundi membri; quia ejusmodi remissio perpetua cederet in præjudicium Ecclesiæ, & gravamen Successorum: unde sicut notabilis quantitatis donatio, ita & talis remissio fieri sine solemnitatibus Juris nequit. Conf. quia Subsidii hujus præstatio est Juris publici fundati in æquitate naturali; atqui iis, quæ Juris publici sunt, pactionibus privatorum derogari nequit; ergo &c. 72

Et hinc patet ad Rationem dubitandi oppositam.

Dub. 8. an adversùs Subsidium Charitativum procedat Præscriptio? Negativam defendunt magno consensu Interpp. quos cum aliis DD. sequuntur Vallens. *hic* §. 4. *n.* 4. Honor. *ibid. n.* 11. *arg. l. comperit 6. C. de præscript.* 30. *vel* 40. *ann.* ubi Præscriptioni adimitur vis adversùs Tributa, & cæteras hujusmodi functiones publicas. *Conf.* quia Subsidium hoc præstandum est ex Charitate; igitur procedere adversus illud præscriptio nequit, cùm hæc Charitatis Legi adversari nequeat.

74 Sed meliùs Laym. *loc. cit. n.* 15. Pirh. *n.* 75. Vviestner *n.* 60. utuntur distinctione, dum fatentur adversùs illud non quidem procedere Præscriptionem Ordinariam, docent tamen adversùs eandem prævalere posse extraordinariam, & saltem talem, cujus initii non extat memoria, hacque fieri posse, ut particularis aliqua Ecclesia ab ejus præstatione fiat libera. *Ratio est*; quia ab ea præstatione eximi particularis Ecclesia potest per privilegium Apostolicum, ut facilè omnes fatentur, sed quæcunque acquiruntur privilegio, etiam præscriptione, saltem immemoriali, acquiri possunt, si præscribens sit possessionis capax, ut Regulæ instar tradunt Abb. *in c.* 13. *de for. compet. num.* 14. Felin. *ib. n.* 2. & alii apud Barbosam *in cap.* 26. *de V. S. à n.* 4. ergo &c.

75 Ad Argumentum in contrarium allatum dico etiam adversùs Tributa tempore immemoriali præscribi posse, prout *infrà n.* 84. *&* 85. dicetur, & passim apud DD. receptum est, qui solùm excipiunt illa, quæ penduntur Principi in recognitionem supremæ Majestatis, & subjectionis, ut dictum est *Lib.* 2. *Tit.* 26. *num.* 31. *Ad Conf.* si Charitati non repugnat privilegium hujusmodi immunitatem indulgens, etiam non repugnat Præscriptio immemorialis, quæ vim privilegii à Principe concessi habet, ubi Jus non resistit præscribenti, & eum possessionis incapacem non reddit.

76 Dub. 9. quis sit Judex competens controversiarum motarum super Subsidio Charitativo? Resp. hujusmodi controversias cognoscendas, & decidendas à solo Judice Ecclesiastico. *Ratio est*; quia in his tam objectum, quàm personæ litigantes sunt Juris Ecclesiastici; *objectum* quidem; quia de Jure Episcopali quæritur: *litigantes* autem; quia si super Subsidio Charitativo oriatur lis, necessariò illa oriri debet inter Episcopum, qui Subsidium istud petit, & inter Clericos, qui ab eo præstando se prætendunt esse immunes, vel si obligatos se fatentur, conqueruntur super excessu, vel super defectu causæ.

77 Ne autem tali casu Episcopus judicet in propria causa, oportebit ejusmodi controversiam relinquere arbitris, quos partes litigantes elegerint, vel eandem transmittere Metropolitano, aut alteri Superiori Prælato examinandam, & decidendam *can. quia cognovimus 6. fin. causa* 10. *q.* 3. Vviestner *hic n.* 61.

78 Quæritur 4. quas exactiones imponere subditis suis Magistratus Sæculares possint? Resp. hæ diversissima habent nomina; nam 1. si personis sine respectu ad bona illarum imponantur, vocantur *Capitatio*. 2. si solvendæ sint de substantia Patrimonii, habita ratione quantitatis ejusdem, appellantur *Talliæ*, *Collectæ*, *Præstantiæ*. 3. si præstandæ sint de fundis, aliisque immobilibus, sive eorum fructibus, nuncupantur *Census*, *&* *Tributum*. 4. si petantur ex mercibus, rebusque in Provinciam invectis, evectisque ex ea per mare, flumina, vias, pontes, dicuntur *Vectigalia*. 5. si poscantur pro securitate, seu ducatu, vectura, & securo transitu, nominantur *Guidagia*, *&* *Pedagia*. 6. Denique si præstentur de vino, sale, aliisque rebus venditis, aut vendendis, ut apud nos Accisæ, seu Gabellæ cauponariæ, & macellariæ, *Gabellarum* nomen accipiunt.

79 Dub. 1. an omnes modò relatæ, & à Principibus, vel Magistratu Sæculari impositæ exactiones sint justæ? De Capitatione eam justam esse negant nonnulli apud Lipsium *Lib.* 2. *de Admirand. cap.* 3. *pr.* de Exactione decimæ partis frumenti, & aliarum rerum, quæ non negotiationis, & lucri, sed usus familiæ, & ruris colendi causa venduntur, aut emuntur. Cajet. *V. vectig. pr.* & Sot. *lib.* 3. *de Just. q.* 6. *art.* 7. *Fundantur* 1. quia in hujusmodi Capitatione sæpè contingit, ut pauper, qui numerosam prolem habet, plures cogatur nummos solvere, quàm dives, qui nullam prolem habet, vel cælebs est; hoc autem videtur adversari Juri, & æquitati naturali, quæ in exactionibus petit observantiam æqualitatis secundùm proportionem Geometricam bonorum, & facultatum cujusque ad eas exactiones præstandas obligati. 2. quia *l. universi* 5. *Cod. de Vectigal. & commiss.* pœna capitis constituta, inhibetur vectigal exigi de rebus, quæ usus familiæ, vel ruris colendi causa venduntur, & emuntur. 3. quia æquitatis, & Justitiæ ratio exigit, ut publicis oneribus magis graventur divites, quàm pauperes, atqui in impositione Gabellæ, & Vectigalium fit contrarium; nam ejus impositione magis gravantur pauperes, maximè numerosam prolem alentes; ergo &c.

Sed his non obstantibus dicendum ejusmodi exactiones, si publica authoritate, & justa aliqua causa exigente, fiant, non esse injustas. Ita Sylv. *V. Gabella* 3. *num.* 14. *& seqq.* Navar. *Manual. cap.* 17. *numer.* 202. Driedo *de Libert. Christ. lib.* 2. *cap.* 5. Medina *de Restit. quæst.* 15. *in poster. quæst. part.* Suarez *lib.* 5. *de Legib. cap.* 16. *n.* 3. Molin. *tract.* 2. *de J. & J. D.* 669. *n.* 2. & teste P. Vviestner *hic num.* 67. torrens DD. quod confirmatur ex multarum provinciarum, Justitiæ laude florentium, praxi, & ratione; quia hujusmodi exactione non magis gravatur Resp. quàm si justa aliqua summa ab ejus subditis exigatur pro ratione facultatum, quas habent singuli; atqui hujusmodi summæ exactio, justa causa exigente, sine Justitiæ, & æquitatis læsione fieri potest; ergo eadem causa exigente, etiam imponi poterit frumento, & aliis victualibus. 80

Ad Argumenta contraria non difficilis est responsio. *Ad* 1. imprimis in hujusmodi Capitatione, ut Lipsius *cap.* 3. *cit.* ostendit, plerumque facultatum fit ratio; vel si ratio illarum non fiat, id, quod pendendum est à singulis uniformiter, exigui pretii est, ita, ut sine Patrimonii diminutione facilè præstari ab omnibus possit, & ejus solutio potiùs in signum, & recognitionem subjectionis, quàm tanquam Tributum, ad publicæ necessitatis propulsationem comparatum, pendi intelligatur. *Ad* 2. ex *loc. cit.* bene probatur, quòd si justa causa exigente, Exactiones aliquæ faciendæ sint, potiùs imponendæ sint mercibus publicè nocivis, inutilibus, & vanis; non tamen probatur, injustas esse, si justa causa poscente, & quando aliter remedium necessitati publicæ afferri non potest, imponantur etiam frumento, aliisque rebus ad victum, vel ruris culturam necessariis. *Ad* 3. quòd aliquando magis gravetur pauper aliquis, per accidens est, sicut per accidens est, quòd numerosiorem familiam alat, quàm dives. 81

Dub. 2. quisnam imponere hujusmodi Vectigalia, Tributa, & Exactiones possit? *Certum est* 1. hoc Jus obtinere quoscunque Principes, & Magistratus supremos, quales sunt in Patrimonio S. Petri Summus Pontifex, in Regnis, & Provinciis sibi subjectis Imperator, Reges, & Principes, ac Resp. liberæ, seu Status, superiorem in temporalibus non recognoscentes. Pirh. *hic n.* 46. Scamb. *ibid. n.* 29. 82

Certum est 2. eandem potestatem à Supremo Principe communicari posse etiam Principibus, Statibus, & Civitatibus inferioribus, & de facto compluribus esse communicatam: unde vi talis communicationis etiam ipsi poterunt ejusmodi exactiones imponere; non autem aliàs, ut docet Gloss. *in c. innovamus* 10. junct. Gloss. *marg. V. Regum Lit. B. h. tit.* Joan. Andr. *ibid. n.* 1. Abb. *n.* 1. *&* 6. Suarez *D.* 21. *de Censur. sect.* 2. *n.* 36. Zoes. *hic n.* 5. Pirh. *n.* 46. Scamb. *n.* 20. & habetur *c. innovamus cit. c. quibusdam 26. §. præterea de V. S. l. vectigalia* 10. *ff. de Publ. & Vectig. l. non quidem* 1. *& l. non solent* 3. *C. Vectigalia nova &c.* Ratio est; quia hujusmodi exactiones imponere spectat ad Principum Regalia, ut constat ex *l.* 2. *feud. tit.* 56. conf. soli Principi hoc Jus competit, & ei tantùm, cui hoc ipsum Princeps concessit. Unde illi, qui sine concessione Principis nova indicunt vectigalia, vel ea augent, incidunt in crimen læsæ Majestatis secundi generis, utpote violantes Regale Principis, prout traditur *Tit. ad Leg. Jul. Majestat.* 83

Certum est 3. antiquitus impositas recipiendi, & exigendi potestatem consuetudine, & præscriptione, saltem tanti temporis, cujus initii memoria non existat, acquiri posse, prout constat ex *c. super quibusdam cit.* ibi, *Vel ex antiqua consuetudine à tempore, cujus non extat memoria, introducta.* 84

Dubium est, utrum consuetudine, vel præscriptione immemoriali acquiri possit potestas imponendi nova Tributa, & exactiones alias? Negant Castro *l.* 1. *de Leg. pœnal. c.* 10. & Suarez *lib.* 5. *de Legib. cap.* 14. *n.* 14. & videtur hoc etiam probare ratio; quia potestas hæc est de reservatis Principi in signum supremæ potestatis, & excellentiæ ipsius, sed ea, quæ ita Principi sunt reservata, tolli consuetudine, vel præscriptione etiam immemoriali nequeunt, ut facilè omnes concedunt; 85

ergo

ergo &c. *Conf.* potestas imponendi Tributa fundatur in obligatione tuendi, & in pace conservandi Principatum, seu Remp. *can. tributum* 22. *caus.* 23. *q.* 8. & hinc à Tributis solvendis nemo via præscriptionis eximi potest *l. comperit* 6. *Cod. de præscript.* 30. *vel* 40. *ann.* igitur sicut obligatio hæc imposita est soli supremæ potestati, ita eidem soli authoritas imponendi Tributa competet.

Sed dicendum, probabiliùs potestatem etiam nova Tributa, & exactiones imponendi subditis, & antiquitus impositas augendi ab inferioribus acquiri via præscriptionis posse. Ita Abb. *in cap.* 26. *num.* 1. *&* 2. *de V. S.* Antonin. *p.* 2. *tit.* 1. *cap.* 13. §. 8. *in fin.* Covar. *Reg. peccatum p.* 2. §. 2. *num.* 11. *&* 12. Medin. *Cod. de restit. cap.* 13. §. *ut igitur*, Molin. *tract.* 2. *de J. & J. D.* 666. *num.* 1. *in fin.* Vviestner *hic num.* 72. *Ratio est*; quia licèt potestas hæc sit aliàs reservata Principi, aliquando tamen, etsi perrarò, à Summo Principe inferioribus concedi solet; atqui ea, quæ etiam ex reservatis per privilegium aliquando concedi solent, ex communi doctrina etiam consuetudine, vel præscriptione, saltem immemoriali, acquiri possunt; ergo &c.

Ex quo cadit Argumentum oppositum. *Ad Conf. l. comperit cit.* intelligenda est de illo Tributo, quod Principi exhibetur in signum subjectionis, & inferioribus nunquam concedi solet.

5 Dub. 3. quæ sit causa justa imponendi novas Exactiones? Resp. Justa exactionum extraordinariarum causa est reparatio viarum, ac pontium; opera Religionem, pietatem, juventutis institutionem, & educationem spectantia; egenorum, ac miserorum sublevatio; munitio urbium, commeatus, & apparatus bellicus, conductio, & stipendia militum; & generatim necessitas, aut utilitas evidens Reip. *Reipublicæ*, inquam, non personæ privatæ ipsius Principis imponentis, saltem si ei de sumptibus, ad dignitatis, ac Status sui conservationem necessariis, per Tributa antiqua, & ordinarios, atque ad istud destinatos redditus sufficienter prospectum sit; nam si prospectum sufficienter ei non esset, ipsi per impositionem novæ exactionis deberet prospici, cum Reip. intersit maximè, ut Principi suo rectè prospectum sit. His ergo causis, vel harum aliqua existente, induci nova exactio potest.

7 Ut tamen justè indicantur, ex Suarez *l.* 5. *de LL. c.* 15. *n.* 3. *&* 4. Molin. *tom.* 2. *de J. & J. D.* 667. *n.* 1. & aliorum communi doctrina, sequentia sunt advertenda. 1. Ad hujusmodi exactionem deveniendum non est, quamdiu necessitas ejusmodi propulsari, vel utilitas promoveri ex redditibus Ærarii, vel per alia media ordinaria potest; quia si hoc fieri possit, revera necessitatis causa non subest. 2. Exactiones ejusmodi non debent esse majores, quàm ad finem ejusmodi obtinendum necessarium videatur *c. quia plerique* 8. *de Immunit.* 3. Cessante causa, cessare etiam exactiones debent *arg. c. cùm cessante* 60. *de Appellat.* 4. Ea, quæ per hujusmodi exactiones ærario illata sunt, in alium finem, quàm destinatum publicum à Principe sine injustitiæ peccato impendi nequeunt. 5. Etsi singulæ ex relatis *n.* 78. justè imponi valeant, non tamen possunt simul omnes in Provinciam aliquam invehi. Quorum omnium ratio est; quia Princeps non proprietatis, sed Jurisdictionis duntaxat Jus in bona subditorum suorum habet, ac proinde non pro arbitrio, sed prout bonum communitatis sibi subjectæ postulat, disponere de illis potest.

8 Dub. 4. quæ forma in hujusmodi exactionibus servanda sit? Respond. hanc præscribunt S. Thom. 2. 2. *quæst.* 63. *artic.* 4. Medin. *Cod. de restit. quæst.* 13. §. *tertiam*, Suarez *l.* 5. *de LL. capit.* 16. *num.* 1. Molin. *tract.* 2. *de J. & J. D.* 668. *num.* 1. Vviestner *hic num.* 75. 1. Ut subditi ultra vires, & facultates suas non graventur; quia has excedens exactio subditis moraliter est impossibilis: conf. ad eas non datur obligatio. *Reg.* 185. *ff. & Reg. nemo* 6. *in* 6. 2. Ut in illis servetur æqualitas proportionis Geometricæ inter personas, habita ratione facultatum, & plus à divitibus, quàm à pauperibus exigatur; quia in distributionibus munerum, & impositionibus onerum publicorum observanda est Justitia distributiva, quæ petit, ut æqualitas secundùm proportionem Geometricam observetur. Aristoteles 5. *Eth. c.* 3. *&* 4. 3. Ut casu, quo exactio non commune totius Reip. sed peculiare alicujus duntaxat partis, v. g. Mercatorum bonum spectat, exactio his præ aliis communitatis membris imponatur; quia æquitas naturalis exposcit, ut qui alicujus rei, vel actionis solus percipit commoda, & emolumenta, solus sufferat onera, & incommoda ei annexa juxta *Reg. qui sentit* 55. *in* 6.

Qui sine legitima authoritate imponunt nova vectigalia, vel gabellas, de Jure Civili puniri debent exilio perpetuo *l. fin. C. vectigalia nova &c.* de Jure Canonico incurrunt excommunicationem majorem, à qua absolvi non debent, nisi satisfecerint, sive id, quod ratione Vectigalis illicitè impositi extortum est, restituerint *c. innovamus* 10. *h. tit.* Estque Excommunicatio hæc reservata Summo Pontifici per *Bull. Cœn. caf.* 5. & hanc, ut Suarez *D.* 21. *de Censur. sect.* 2. *n.* 37. notat, incurrunt etiam Supremi Principes, si nova Tributa injusta imponant. *Ex quo sequitur*, quòd etiam Laici quoad hoc sint subjecti Jurisdictioni Ecclesiæ; quia hæc illos excommunicat. Excommunicatio autem non potest ferri, nisi in subditos, vel qui forum sortiuntur, ratione delicti. 89

Dub. 5. an ad Tributi, Vectigalis, vel alterius novæ exactionis impositionem necessarius sit consensus subditorum, vel saltem Statuum Regni, aut Provinciæ? Affirmant aliqui apud Suarez *lib.* 5. *de LL. c.* 17. *n.* 2. & fundantur 1. quia *quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari*, ut habet Reg. 29. *in* 6. 2. Exemplo Regni Hispaniæ in quo ejusmodi consilium, imò consensus exhibendus est vigore *Nov. Recompil. Lib.* 6. *tit.* 6. *lib.* 1. ubi statuitur, quòd Rex non possit novum imponere Tributum, nisi priùs convocato Regno per Procuratores, & illis consentientibus, & acceptantibus Tributum. 3. Ratione; quia sic meliùs prospectum est subditis, ne Exactionibus, à Principe arbitratu suo indictis, plus æquo, & ultra vires suas graventur: quod facilè fieret, cùm Principes valde propensi sint ad imponendas subditis hujusmodi exactiones, semperque causentur antiqua Tributa sibi non sufficere ad eximios suos sumptus. 90

Sed dicendum, ejusmodi consilium, vel consensum Jure communi non requiri. Ita Suarez *lib.* 5. *de LL. c.* 17. *n.* 3. & hoc teste DD. reliqui, dum absolutè dicunt esse in Principe hanc potestatem, nulla facta mentione consensus populi. *Ratio est:* quia ex nullo Jure habetur fundamentum requirendi istum consensum: non ex Jure naturali; quia hoc Jure tantùm illa exactio mala est, quæ justa causa destituitur: non ex Jure positivo; quia tale nec in SS. Litteris, nec in SS. Canonibus, aut Corpore Juris Civilis extat. 91

Excipitur tamen, si in aliqua Provincia ejusmodi consensus, vel consilii necessitas pactionibus, vel Concordatis, inter Principem, ac Status initis, & præsertim juratis est introductus; nam eo casu clarum est, sine tali consensu, vel consilio Statuum novam exactionem subditis imponi non posse: & ratio est; quia talia Pacta, Concordata, & Juramenta, iis firmandis addita, honesta, justa, & ad varia incommoda vitanda utilia sunt; ad honesta autem, justa, & publicè utilia pacta, & Concordata non minùs Princeps, quàm subditi obligantur *c. Antigonus* 1. *de Pact. & c. ex Epistola* 1. *de Probation.* ergo &c. 92

Neque obstant Argumenta opposita. *Ad* 1. necessitati consensus, vel consilii sui jam renuntiarunt subditi, dum potestatem sui gubernativam absolutam transtulerunt in Principem. *Ad* 2. patet ex addita exceptione. *Ad* 3. ratio illa probat bene fieri, si consensus, vel consilii ejusmodi necessitas per Pacta specialia inducatur. 93

Dub. 6. quinam ad Tributorum, Vectigalium, & aliarum Exactionum, à Principe, vel alio simili Magistratu impositarum, præstationem teneantur? Resp. ad eam teneri solos subditos, non exemptos; quia imponuntur potestate Jurisdictionis, quæ ad solos subditos sese porrigit. Et hinc 94

1. Ad eas per se non tenentur *Extranei*, utpote Jurisdictioni imponentis per se non subjecti. *Per se*, inquam; per accidens enim aliquando exactionum aliquarum onere etiam ipsi gravantur, quando scilicet merces, aliasque res in, vel per Provinciam, aut ex ea vehunt, in ea emunt, venduntque: Nec immeritò; quia favoribus Provinciæ gaudent, ut proin meritò ad concurrendum pro viarum, pontium &c. reparatione adstringantur.

2 *Clerici*, aliæque *personæ*, *&* *loca Ecclesiastica*; quia à Jurisdictione Sæculari exempti sunt, & antiquissimo Juris privilegio ab hujusmodi exactionum onere utroque Jure excepti: Civili quidem *Auth. item nulla C. de Episc. & Cler.* Canonico autem *c. quanquam*, 4. *de Censib. in* 6. *c. non minùs* 2. *& c. adversùs Consules* 7. *de Immunit. c. quia nonnulli* 1. *eod. in* 6. & Trid. *sess.* 25. *c.* 20. *de reform.* Pirh. *hic n.* 48. Scambog. *n.* 21. Zoes. *n.* 5. *Excipiendus* est duplex casus: *unus est*, si res suas 95

ſuas negotiationis cauſa deferant, vel transferant, prout colligitur per Argumentum à ſenſu contrario deſumptum ex verbis *c. quanquam cit.* ibi, *Quas non cauſa negotiandi deferunt, vel deferri faciunt, ſeu tranſmittunt*, inde enim infertur: ergo ſi res ſuas negotiandi cauſa deferant, eos etiam exactiones, & Vectigalia debere ſolvere. *Alter*, ſi per Indultum Apoſtolicum privilegio huic quoad aliquas exactiones derogatum ſit, vel conſuetudo immemorialis adſit, quæ ob diuturnitatem temporis ejuſmodi Indulti aliquando obtenti communi æſtimatione ſuffulta ſit. Quod tamen ad alias exactiones, & caſus Indulto, vel conſuetudine non comprehenſos extendi nequaquam debet, ut communis, & certa TT. ac Canoniſtarum ſententia habet, ac firmat manifeſta ratio; quia exemptio iſta Status Eccleſiaſtici eſt beneficium Principis Reip. utriuſque, & quidem conceſſum per modum Legis, inſertumque Corpori Juris communis; atqui indulta, conſuetudo, & præſcriptio quæ hujuſmodi beneficio derogant, ſunt ſtrictæ interpretationis, cùm hoc ipſo à Jure communi exorbitent; ergo etiam Indulta, quæ pugnant contra Immunitatem Eccleſiaſticam; conſ. ab expreſſis ad non expreſſa extendi non debent. Extra hos duos caſus, qui ab hujuſmodi perſonis Tributa, & Vectigalia exigunt, ſi ſint perſonæ ſingulares, excommunicationis, ſi Univerſitas, Interdicti pœnas ipſo facto incurrunt *c. quanquam cit.*

96 3. *Pauperes, & cæci*, prout habetur *c. licèt 4. h. tit.* ubi ratio additur; quia *inhumanum eſt nimis in collectione affligere, cui debuerat ex collectis, ſi eſſet neceſſitas, miſereri*. Ubi obſerva, quòd duplex ſit hujus *c.* expoſitio. *Prima* ait, textum eſſe intelligendum de cæco, & ſimul paupere, altera de cæco tantùm, & non paupere: & hæc poſterior opinio eſt probabilior ex ratione; quia pauperes per ſe excuſantur, ideo, quia ſunt pauperes: unde ut *c. cit.* diſpoſitio aliquid operetur, intelligi ſimpliciter debet de cæcis, quòd immunes ſint à ſolvendis Tributis. Intellige autem dicta de Tributis extraordinariis, quæ interdum per accidens imponuntur pro rebus poſſeſſis; nam ſi cæci poſſideant fundum Cenſualem, vel Tributarium, ex quo poſſeſſor ſolvere debet Cenſum, vel Tributum ordinarium illi fundo impoſitum, etiam hi Cenſum illum, vel Tributum teneantur ſolvere. Fagnan. *in c. licèt cit. n. 9. & ſeqq.* Pirhing. *n.52. not.3.* Scamb. *n.52.* Adde, privilegium hoc non extendi ad filios ipſorum; quia conceditur ratione neceſſitatis, quæ in filiis ceſſat. Gloſſ. *fin. in c. cit.* Abb. *ib. in fin.* Pirh. *loc. cit. in fin.* Locum autem hoc privilegium habet etiam de Jure Civili, quamvis hujus textus ſint dubii ob Regulam communiter approbatam, quòd ubi in Jure Canonico reperitur aliquid deciſum, de quo dubitatur in Jure Civili, tunc deciſio Juris Canonici ſervanda ſit etiam in foro Civili. Fagnan. *loc. cit. n.25.*

97 Dub. 7. an Tributorum, Vectigalium, & exactionum Leges obligent in conſcientia? Reſp. diſtinguendo; Vel enim conſtat ejuſmodi exactiones eſſe injuſtè impoſitas, vel contra conſtat eſſe impoſitas juſtè, vel dubium eſt, an juſtè, vel injuſtè ſint impoſitæ.

98 *Si primum*, ad præſtationem illarum nulla dari obligatio poteſt, ut præter alios expreſſè tradunt Sylv. *V. Gabella 3. n. 23.* Molin. *tr. 2. de J. & J. D. 674. n. 4.* Suar. *lib. 5. de LL. c. 18. n. 12.* Vvieſtner *hic n. 83.* Ratio eſt; quia Lex injuſta non obligat, imò ſi cauſa, & poteſtas in imponente deficiat, omnino nulla eſt. Eſtque hoc verum, ſive talis exactio injuſta ſit quoad ſubſtantiam, ſive quoad quantitatem, vel proportionem diſtributivam, cum hoc ſolo diſcrimine, quòd in primo caſu ſecundùm ſe totam indebita ſit, in ſecundo ſolùm quoad exceſſum.

Si ſecundum, dicendum eſt obligationem per ſe dari in conſcientia. Ita Sylv. *V. Gabella 3. n. 21.* Caſtro *de Leg. pœn. c. 19.* Sot. *lib. 3. de Juſt. q. ult. art. ult.* Covar. *Reg. peccatum part. 2. §. 5. n. 5.* Medin. *de Reſtit. quæſt. 13. §. verùm aliter*, Molin. *loc. cit. num. 3.* Suar. *num. 11.* Vvieſtner *n. 82.* Ratio eſt; quia Lex juſta aliquid abſolutè præcipiens, & legitimè promulgata obligat in conſcientia, ut dictum eſt *Lib. 1. Tit. 2. p. 30. & 31.* atqui tales ſunt Leges Tributariæ, ſi à Principe, vel Magiſtratu ſupremo, juſta cauſa ſic exigente, ferantur; ergo &c.

99 *Si tertium*, videtur eſſe locus *can. in memoriam 3. diſt. 19.* ibi: *Licet vix ferendum --- imponatur jugum, tamen feramus*; quia Princeps, & Magiſtratus ſupremus tale Tributum imponens eſt in poſſeſſione, conſ. melior eſt ipſius conditio. *Reg. in praxi 65. in 6.* Confeſſarii tamen in praxi ſequi poſſunt conſilium, quod ipſis dat Sylv. *l. cit. n. 29.* Molin. *n. 9. concl. 5.* Vvieſt. *n. 84.* ut ſcilicet in dubio ante factum pœnitentem inclinent ad ſolutionem, præſertim quando exigitur *cap. cit.* poſt factum autem ad dubii, & non ſoluti Tributi, vel exceſſus reſtitutionem faciendam non compellant *arg. Reg. cit.*

§. III.

De Procurationibus.

S U M M A R I U M.

100 *Definitio Procurationis.*
101 *Debetur viſitanti.*
102 *Si perſonaliter viſitet.*
103 *Quibus debeatur?*
104 *Quid circa Procurationes obſervandum, ne ſubditi nimium graventur?*
105 *A quibus ſolvendæ ſint?*
106 *An ab Oratoriis privatis, & Hoſpitalibus?*
107 *An ab Eccleſiis, & perſonis Eccleſiaſticis pauperibus?*
108 *An privilegium liberare ab obligatione hac poſſit?*
109 110 111 *An poſſint ab Epiſcopo remitti?*
112 *An contra eas præſcribi?*
113 *Quid circa illas poſſit præſcriptio?*
114 115 116 *Quam vim habeat præſcriptio immemorialis?*

QUæritur 1. quid ſit *Procuratio*? Reſp. *Procuratio*, 1
prout hoc loco accipitur, eſt ſuſtentatio, ſive ſubſidia, & expenſæ, quæ Epiſcopo, aliiſque Prælatis obeuntibus Viſitationem, ab iis, quos viſitant, exhibentur pro congrua ſuſtentatione *cap. procurationes 23. hoc tit. & ibi* Gonzal. *n. 7.* Engl. *n. 13.* Konig *n. 26.* Vvieſt. *num. 85.*

Dixi 1. *Suſtentatio*: quo nomine hic venit victus, ſeu cibus, & potus cum habitatione, ſeu diverſorio pro viſitante, famulis ejuſdem, & equis. Azor. *p. 2. l. 3. c. 42. q. 7. §. quæres*, Zerola *in prax. Epiſc. p. 1. V. Viſitatio ad dub. 6.* Pirh. *hic n. 61.* Vvieſt. *n. 86.* non tamen viaticum, & mercedes equorum conductorum; nam expenſas, quas fecit in itinere & in coemendis, vel conducendis equis pro itinere ſibi neceſſariis, Epiſcopus, ſive viſitator computare non poteſt, minùs æſtimare equos mortuos, veſtes detritas &c. cum tantum victualia, aut eorum æſtimationem accipere de Jure permittatur. Barboſ. *de Off. Epiſc. alleg. 73. num. 57.* Engl. *n. 16.* Konig *num. 30.* cum reliquis *ſuprà*. *Excipitur*, niſi viſitator eſſet Prælatus à Summo Pont. delegatus; huic enim mercedes equorum conductorum, & viaticum, ut ab uno loco ad alterum tranſire commodè poſſit, ſolvi debet, prout Azor. *l. cit. q. 8.* & reliqui *ſuprà* relati advertunt.

Dixi 2. *Epiſcopis, aliiſque Prælatis obeuntibus Viſitationem*; debentur enim Procurationes viſitanti, & 10
ratione viſitationis: & meritò; cum enim viſitantes Spiritualia ſeminent in utilitatem Eccleſiarum, quas viſitant, non eſt magnum, ſi metant carnalia, ſeu temporalia, cum nemo ſuis ſtipendiis militet unquam *1. Corinth. 9.* Proceditque hoc, etiamſi hujuſmodi viſitatores aliàs amplos, & ad hoc munus obeundum ſufficientes redditus habeant aliunde; nihilominus enim procurationes eis ſolvendæ ſunt, tum in ſignum ſubjectionis, tum ut ipſi magis alliciantur ad viſitationem, quam aliàs facilè negligerent, ſi ſuis impenſis obire illam deberent. *Neque obſtat*, quòd ad hujuſmodi viſitationes ex officio ſuo obligentur; nam etiam Canonici obligantur, ut interſint Divinis Officiis, & nihilominus ob præſentiam ſuam capiunt Diſtributiones quotidianas. Abb. *in cap. cum ex officii 16. de præſcript. numer. 9. & in cap. procurationes cit. n. 5.*

Dixi 3. *ab iis, quos viſitant*; nam procurationes de- 10
bentur ſolum viſitantibus, quando actu viſitationem obeunt: & hinc quando Epiſcopus Diœceſim ſuam viſitat per alium, procurationes debentur non Epiſcopo, ſed illi, qui perſonaliter viſitat. Extra viſitationem procurationis nomine aliquid exigens, vel recipiens in pœnam tranſgreſſionis duplum, ſive ultra id, quod accepit, tantundem de ſuo reſtituere intra menſem tenetur *c. procurationes cit. fin. c. exigit 2. h. tit. in 6.* Trid. *ſeſſ. 24. c. 3. v. quodſi de reform.* ubi hæc pœna aucta, & confirmata eſt. Neque aliud probatur ex *c. quo etiam 7. diſt. 18.* nam quadrupli pœna, quæ ibi ſancitur, ſolùm lata eſt contra Archiepiſcopum, ſi de bonis, quæ Epiſcopus ad Concilium provinciale accedens ſecum tulit, aliquid exigat, vel

vel auferat, ut notat Fagnan. *in c. procurationes citat. n.* 33. & patet ex textu.

103 Quæritur 2. quibus Prælatis procurationes debeantur, & quid circa has observandum, ne per procurationes, ab iis petitas, nimium prægraventur subditi? Resp. procurationes ratione visitationis debentur visitanti: & principaliter quidem Episcopo, si Diœcesim, Archiepiscopo, & Nuntio Apostolico, si Provinciam, Archidiacono, si districtum Archidiaconatus sui personaliter visitent. Quodsi visitationem obeant per alium, e. g. Episcopus per Vicarium generalem, aut constitutos à se Visitatores, non Episcopo, sed illi, qui visitationem loco ipsius obit, procurationes debentur, ut dictum est *num. præc.* & patet ex *cap. si Episcopus 6. de Off. Ordin. in 6.* nisi Episcopus munitus sit privilegio Apostolico, ut quamvis non visitet per se ipsum, sed per alium procurationis nomine à visitatis aliquid possit accipere, prout habetur *Extrav. un. int. comm. hoc tit.* & declaratum est à S. Congreg. Card. Trid. Interpp. sub Paulo IV. teste Fagnan. *in cap. procurationes cit. n.* 6.

104 Ne verò per hujusmodi procurationes petitas nimium graventur subditi, Episcopi, & alii Visitatores sequentia observare debent. 1. Procurationes, occasione actualis visitationes petitæ, secundum Ecclesiarum, & Ecclesiasticarum personarum, à quibus petuntur, facultates debent esse frugales, & moderatæ *cap. conquerente 16. de Off. Ordin. c. sopitæ 14. c. procurationes 23. c. cum nuper 25. h. tit.* & Trid. *sess.* 24. *cap.* 3. *de reform.* 2. præcipitur iisdem, ne inutilibus, & sumptuosis itinerum impedimentis visitationem obeant, sed cum apparatu, & comitatu moderato, qui præscribitur *capit. cum Apostolus 6. vers. quocirca h. tit.* 3. Si Episcopus v. g. eodem anno pluries Ecclesiam visitet, plures procurationes, quàm binas non exigat *c. cum Venerabili 21. eod.* 4. Si una die plures visitentur Ecclesiæ; non singulæ à singulis, sed una duntaxat procuratio ab omnibus simul exigatur *capit. felicis 3. hoc titul. in 6.* 5. Non potest Visitator accipere munus quodcunque etiam sponte oblatum: imò ipsos procurationes antiquo Jure *capit. Romana 1. §. procurationes h. titul. in 6.* tantum poterant accipere in victualibus: quod tamen Jus modò per *cap. felicis cit.* & Trid. *cap.* 3. *cit.* correctum est, ita, ut modò optionem habeat, an in his, an in pecunia accipere procurationes velit. 6. Si Episcopus visitet Ecclesias, & Clericos Civitatis, in qua sita est ipsius Ecclesia Cathedralis, nulla eidem debetur procuratio, prout sæpius responsum à S. Congreg. testis est Piasec. *prax. Episc. p.* 2. *c.* 3. *art.* 8. *n.* 15. Et idem dicendum est de casu, quo Episcopus, peracta visitatione Ecclesiæ, etiam extra Urbem Episcopalem sitæ, domum suam se commodè potest recipere; quia Trid. *c.* 3. *cit.* dicit eidem ministrandas procurationes *pro temporis tantùm necessitate, & non ultra:* quæ necessitas tali casu cessat.

105 Quæritur 3. à quibus solvendæ sint procurationes? Resp. solvendæ sunt ab omnibus Clericis, Ecclesiis, ac Monasteriis, speciali privilegio non exemptis, etiamsi Ecclesiæ tales quocunque titulo ad exemptos pervenissent. *Clem.* 1. *h. tit. Ratio est*, quia cum talium Ecclesiarum percipiant commoda, earum onera recusare non debent *l. secundum 10. ff. de R. J.*

Excipiuntur 1. Laici: nam hi, licèt & ipsi visitentur, ab onere tamen procurationes solvendi liberi sunt, non quidem vi Juris scripti, sed consuetudinis, quæ textus Juris generales ad loca, & personas Ecclesiasticas restrinxit. Gloss. *in capit. Romana 1. V. Laicos hoc tit. in 6.* Azor. *p.* 2. *l.* 3. *cap.* 42. *q.* 3. Barbos. *l.* 3. *jur. Eccl. cap.* 22. *num.* 14. Vallens. *hic* §. 4. *num.* 2. Pirhing *n.* 78. Vviest. *n.* 94.

106 *Excipiuntur* 2. Oratoria privata *c. fin. h. tit. & ibi* Gloss. *V. ratione*, Fagnan. *n.* 1. Gonzal. *num.* 3. Honor. *num.* 39. Engl. *n.* 17. Pirh. *n.* 80. Scamb. *num.* 33. Konig. *n.* 28. Vviest. *n.* 95. & ratio est; quia non habent titulum Beneficii, nec Beneficia annexa, vel redditus, aut proventus, Ecclesiasticos, ex quibus procurationes præstare valeant.

Excipiuntur 3. Hospitalia, & similia loca, ad pietatis, & misericordiæ opera exercenda, etiam authoritate Episcopali erecta, si titulum Beneficii annexum non habeant. Azor. *cap.* 42. *cit. quæst.* 1. Riccius prax. *p.* 4. *resolut.* 151. Zerol. *prax. episc. p.* 2. *V. Visitatio* §. 6. *dub.* 7. Piasec. *prax. p.* 2. *cap.* 3. *art. ult. n.* 16. Barbos. *cap.* 22. *cit. num.* 15. Pirh. *hic num.* 79. *vers. secundò*, Schamb. *num.* 31. Engl, Konig, Vviestner *l. citt. Ratio est*, quia proventus illorum omnes censentur ab eorum fundatoribus specialiter deputati ad infirmorum, pauperum, & peregrinorum alimenta; quam intentionem à Prælatis Ecclesiasticis augeri potius, quam diminui decet.

Excipiuntur 4. Ecclesiæ, & personæ Ecclesiasticæ pauperes; quia cum ultrà eos, qui ad Cultum Divinum, vel propriam sustentationem necessarii sunt, proventus non habeant, Charitas non permittit, eos gravari onere solvendarum Episcopo procurationum *can. cavendum 7. caus.* 10. *quæst.* 2. Gloss. *in cap.* 17. *V. prægravari h. tit.* Abb. *ibidem num.* 7. Fagnan. *in cap. procurationes* 23. *eod. n.* 20. *& in cap. venerabili* 24. *n.* 33. Pirh. *hic n.* 82. Vviest. *ibid. num.* 96. Idque verum est, etiamsi ab hujusmodi Ecclesiis, & personis pauperibus procurationes ultro, & gratis offerantur; nam ne sic quidem accipiendæ ab iis sunt, ut monet Fagnan. *n.* 20. *cit.* cum etiam in hoc casu urgeat allata ratio. Intelligendum autem hoc tantum est, quando notoriè constat de impotentia, seu paupertate Ecclesiæ, vel Clerici: in dubio potest Episcopus exigere Juramentum à Rectore Ecclesiæ, vel Clerico, se impotentem esse ad procurationem solvendam; vel sub conditione excommunicare, nisi solverit procurationem secundum facultatem suam. Abb. *in cap. procurationes* 23. *n.* 7. *h. tit.* Pirh. *n.* 83. *cit.* 107

Excipiuntur 5. alia etiam loca, & personæ Ecclesiasticæ munitæ circa hoc privilegio Apostolico: quod tamen privilegium strictæ interpretationis est, & si generaliter conceptum sit, ad procurationes debitas Legatis Apostolicis Provinciam visitantibus extendi non debet *cap. cùm instantia 17. & Clem.* 1. junct. Gloss. *V. exemptione h. tit.* Azor. *c.* 42. *q.* 11. §. *quæres*, Barbos. *c.* 22. *cit. n.* 27. Pirh. *hic n.* 79. Vviest. *n.* 97. quia ratione Dignitatis, & personæ, quam agunt, specialem sui mentionem requirunt, & generalibus terminis, quibus Ecclesia aliqua à procurationibus immunis pronuntiatur, non includuntur. 108

Cæteræ Ecclesiæ, & personæ Ecclesiasticæ, si Beneficium aliquod habeant, includuntur omnes in præcepto procurationes præstandi. Neque Monasteria ab ea obligatione absolvit, quòd aliàs exempta sint à Lege Diœcesana Episcopi; quia obligatio solvendi procurationes, cùm annexa visitationi sit, qui actus Jurisdictionis est, potiùs videtur ad Legem Jurisdictionis, tanquam accessorium, pertinere: & hinc ab omnibus, qui Visitationi Episcopi subjecti sunt, illæ præstari debent. Abb. *in c. sopitæ 14. h. tit.* Pirh. *n.* 71.

Quæritur 4. an procurationes ab Episcopo remitti possint? Videntur remitti posse; quia etiam servitia, ab Ecclesia inferiore Episcopo debita, ab isto illi remitti possunt *c. pastoralis 7. de Donation.* 109

Sed dicendum, etsi Episcopus, & Visitatores alii, quando actu visitant, procurationem ob id debitam remittere possunt in speciali, non tamen remittere eas possunt generaliter, & ita, ut hujusmodi remissione subditus omnino eximatur ab onere procurationes solvendi etiam in futurum. Ita Abb. *in cap. cum ex officii 16. num.* 14. *& 15. de præscript.* Azor. *p.* 2. *l.* 3. *cap.* 42. *q.* 11. §. *pacto etiam*, Honor. *hic n.* 13. Pirh. *num.* 83. Scamb. *n.* 36. Vviest. *n.* 98. & patet ex *c. cum venerabilis 21. h. tit.*

Ratio primæ partis est; quia hujusmodi remissione speciali nullum Successori fit præjudicium, aliæque rationes cessant, quæ urgent, ne remitti generaliter possint. Simili ratione conveniri inter Ecclesiam, vel Monasterium, & Episcopum potest de procurationis exhibendæ modo, ut scilicet in pecunia, vel in ipsis victualibus exhibeantur. Gloss. *in Clem.* 2. *V. compositiones*, Azor. *capit.* 42. *cit. quæst.* 11. §. *insuper potest.* Barbos. *in cap. cum ex officii cit. n.* 11. Pirh. *numer.* 83. Vviest. *n.* 98. 110

Ratio secundæ; quia procurationes sunt Juris publici authoritate, & utilitate constitutæ; ea autem, quæ Juris publici sunt, privatorum pactionibus remitti non possunt *c. si diligenti 12. de for. compet. & l. Jus publicum 38. ff. de pact. Excipitur* procuratio, quæ non Jure communi, sed speciali, sive ex consuetudine, præscriptione, privilegio, pacto solvi debet ei, qui proprius Prælatus non est; talis enim procuratio non est Jus publicum, & ideo remitti potest. Azor. *quæst.* 11. *cit. vers. potest quoque.* Pirh. *n.* 83. 111

Quæritur 5. an procurationis exhibendæ obligationi à visitatis præscribi valeat? Resp. Negativè. Ita cum communi Abb. *in c. cum instantia 17. h. tit. num.* 5. Barbos. *ibid. n.* 2. Pirh. *hic n.* 76. *not.* 2. Vviest. *n.* 99. *ibid.* & clari textus *c. cùm instantia cit. c. accedentes 11. &c. cum ex officii 16. de præscript.* 112

Ratio est, quia talis præscriptio cederet in detrimentum Ecclesiarum, quippe qua posita, Prælati, & alii Visitatores absterrerentur ab instituendis Visitationibus

bus bono publico Ecclesiarum maximè necessariis. *Proceditque hoc*, ut eædem non solùm non possint tolli totæ, sed ne quidem quoad partem saltem notabilem; quia totius, & partis in hoc casu est eadem ratio *l. quæ de tota 76. pr. ff. de R. V.* Barbos. *l.* 3. *Jur. Eccl. c.* 22. *num.* 23. Quod etsi verum sit, non tamen omnis omnino vis circa procurationes præscriptioni neganda est.

113 Nam 1. præscriptioni locus est quoad procurationum exhibendarum modum, ut pro victualibus præstetur pecunia, ut observant DD. *in cap. cùm ex officii cit.* apud Barbos. *l.* 3. *Jur. eccl. c.* 22. *num.* 24. 2. præscribi potest procurationibus præteritis, non præstitis suo tempore; quia in hoc nullum vertitur præjudicium Visitationis, sed Visitantis tantùm. Barbos. *l. cit. n.* 25. & hoc teste omnes. 3. præscribi potest, ut cum duæ Ecclesiæ eadem die visitantur, ad eas visitanti præstandas tantùm obligetur una abundans redditibus. Alex. de Nevo *in c. accedente cit. num.* 17. quia hic neque Visitantis præjudicium vertitur, cum adhuc integram procurationem accipiat. 4. præscribi possunt procurationes ex alio capite, quàm ratione visitationis debitæ; quia in his cessat ratio, ob quam non currit præscriptio procurationis Episcopo ratione Visitationis debitæ. Fagnan. *in capit. venerabili* 24. *hoc titul. num.* 21. 5. demum præscribi etiam possunt debitæ ratione Visitationis, si etiam Visitatio ab alio Prælato præscripta sit, ut sic jus visitandi, & procurationes accipiendi competat huic, & non illi, cui competebat antè *cap. cum ex officii cit.* ibi, *etsi alius contra eum*, Episcopum, *præscribere possit utramque* Visitationem simul, & procurationem. Barbos. *ibid. n.* 3. Fagnan. *n.* 12. Vviest. *hic n.* 102.

114 Quæritur 6. an procurationes, ratione Visitationis debitæ, contra Prælatum à subditis præscribi possint tempore saltem immemoriali? Felin. *in capit. cum ex officii* 16. *de præscription. pr.* Azor. *part.* 2. *l.* 3. *c.* 42. *quæst.* 14. Barbos. *in cap. cit. num.* 6. Vallens. *hic* §. 3. *num.* 2. Pirh. *de præscript. num.* 24. tenent negativam, eique tantum tribuit Fagnan. *in capit. venerabili cit. num.* 28. ut inter hanc, & affirmativam hæsitando, suadeat recursum ad *S. Congreg. Card. Trid. Interpp.* Sumi negativa videtur 1. ex *cap. cum ex officii citat.* ubi cum Abbas, & alii assererent, se non meminisse, quòd procurationem Archi-Episcopis visitantibus solverint, hoc tamen immemoriali tempore non obstante, præscriptio, quæ contra ejusmodi procurationem currit, generaliter, & indistinctè est reprobata. 2. quia procuratio est annexa visitationi, ergo sicut jus visitandi, ita & procuratio nunquam præscribitur. 3. vis adversùs procurationes ratione visitationis debitas in Decreto Conc. Trid. *sess.* 24. *cap.* 3. *de reform.* tribuitur soli consuetudini. ergo præscriptio illam non habet, quippe quæ minùs est favorabilis.

115 Sed non improbabiliter dici adhuc potest, præscriptione immemoriali procurationibus, ratione visitationis debitis, derogari posse. Ita Abb. *part.* 2. *Consil.* 26. *num.* 4. Marian. *tract. de visitat. num.* 52. Piasec. *prax. Episcop. p.* 2. *cap.* 3. *art.* 8. *n.* 15. Vviestn. *hic n.* 104. *Ratio est*; quia immunitas hæc acquiri potest privilegio Apostolico *Clement.* 1. *hoc titul.* sed præscriptio immemorialis, si præscribens sit capax possessionis, & Jus commune ei non resistat, æquivalet privilegio, ergo &c.

116 Neque contrarium efficaciter probatur ex Argumentis sententiæ oppositæ. *Ad* 1. ibi non fuit allegata præscriptio immemorialis; hæc enim plus requirit, quàm ut aliquis non meminerit obligationis persolutæ. Accedit; quia prohibitio *c. cit.* solùm est generalis, qua præscriptio immemorialis non comprehenditur. *Ad* 2. Jus visitandi necessariò connexum est Juri Jurisdictionis Ecclesiasticæ; cons. immunitas ab illo præscribi nequit, nisi præscribatur simul exemptio omnimoda: at Jus exigendi Procurationes non ita annexum est juri visitandi, cùm ab hoc, ut patet ex Trid. *cap.* 3. *cit.* per consuetudinem separari possit. *Ad* 3. ex illo Trid. textu, ut patet ex modò dictis, potiùs confirmatur nostra sententia. Addo, consuetudinem illam, quæ ibi permittitur, propriè præscriptionem esse, cum per eam jus Prælati tollatur, & per quasi possessionem, tempore Legibus definito continuatam, subditis acquiratur immunitas ab onere procurationes istas solvendi.

§. IV.

De Sustentatione congrua Parochi, & de Vicarii Portione.

SUMMARIUM.

117 *Parocho, & aliis Curatis debetur sustentatio congrua.*
118 *Intelliguntur hoc nomine Alimenta.*
119 *Hospitalitas, & Donationes moderatæ.*
120 *Expensæ pro honesta animi, & corporis relaxatione.*
121 *Et hæc portio congrua nulla consuetudine tolli potest.*
122 *Unde illam nulla consuetudine vindicare sibi Patroni possunt.*
123 *Quod procedit etiam de Prælatis Regularibus.*
124 *Et exemptis.*
125 *Si Rector Parochiæ non habeat sustentationem congruam, defectus suppleri debet per unionem Beneficii simplicis.*
126 *Si unioni locus non sit, ex Primitiis, & decimis.*
127 *Si neque ista sufficiant, deveniendum ad Collectas.*
128 *Decimas Laicales plerique DD. ab hoc concursu pronuntiant liberas.*
129 *Quis Vicario perpetuo providere de sustentatione congrua debeat?*
130 *Quid, si dubium sit, an habeat portionem congruam?*
131 *An Episcopus ad defectum portionis supplendum compellere possit etiam Religiosos exemptos?*
132 *Quantum nomine Sustentationis congruæ assignandum sit Vicario Parochiali?*
133 *Quid circa hoc possit Episcopus?*
134 *Quid faciendum, quando Ecclesiæ unitæ fructus sunt valde exigui?*
135 *Et si pretium rerum ita augeatur, ut portio assignata non ampliùs sufficiat?*
136 *Quænam veniant nomine proventuum Ecclesiæ, ex quibus congrua portio Vicario perpetuo est assignanda?*
137 *An portio semel constituta mutetur pro varia conditione Vicarii?*
138 139 *Coram quo Judice congruæ portionis assignatio, & redintegratio petenda sit?*
140 *Quomodo procedendum sit in congruæ portionis causis?*
141 *Cui cedant fructus pendentes, Beneficiario mortuo?*
142 *Resolvitur quæstio.*
143 *Solvuntur objectiones.*
144 145 *Ad quem spectent Meliorationes factæ à Beneficiario defuncto?*
146 *Quomodo differat Beneficiarius ab Usufructuario?*

UT Episcopis per Subsidium Charitativum, Visitatoribus per procurationes, ita Parochis, & aliis Curatis per redditus, iis ad congruam sustentationem assignatos, subveniendum est: qui cum sæpe in finem istum non sufficiant, non raro contingit, ut Parochianis, & aliis, præsertim Decimatoribus, imponantur Collectæ, quibus congrua sustentatio Parochi integretur. Collectæ hæ species exactionis sunt; quia Ecclesiastica Episcopi authoritate imponuntur: hinc meritò, postquam actum de exactionibus aliis, de integranda Parochi, & aliorum curatorum sustentatione subjungitur. 117

Quæritur 1. quid intelligatur nomine Sustentationis congruæ? Resp. ad hanc pertinet, ut habeat Beneficiatus ea, quæ ad ipsum, ejusque familiam honestè alendam sunt necessaria *can. studet* 39. *fin. dist.* 50. Adeoque ad honestam, & necessariam sustentationem pertinent 1. Alimenta tunc pro se, tum pro familia. *Alimentorum* nomine intelligitur cibus, potus, vestitus, habitatio, pharmaca necessaria ad propulsandum morbum, libri item necessarii pro officio. *Familiæ* autem nomine veniunt famuli, & ancillæ; parentes, fratres, & sorores egentes pro statu: item filii ex legitimo Matrimonio ante Beneficium obtentum suscepti; imò & Spurii, quia & his ex æquitate Canonica alimenta debentur. Pirh. *tit. de præb. & dignit. n.* 34. Konig. *ibid. n.* 30. 118

2 Ea, quæ necessaria sunt ad moderata convivia, pro Beneficiarii qualitate, consanguineis, & amicis exhibenda, 119

da, & ad hospites excipiendos, non solùm quando id Charitas postular (quoniam id inter opera pia est computandum) sed etiam quando sola humanitas, urbanitasque attenta Beneficii qualitate, id exigit. Molin. *tractat.* 2. *de J. & J. D.* 145. *numer.* 9. Laym. *l.* 4. *tract.* 2. *cap.* 3. *num.* 2. *vers. supponendum* 3. Pirh. Konig. *l. citt.*

3 Quæ requiruntur ad præstandas Donationes non solùm remuneratorias Beneficiorum, sed etiam moderatas merè liberales, pro loco, & tempore, munuscula aliqua ad illos mittendo, à quibus neque retributionem sperat, neque aliquid prius accepit. Molin. *n.* 10. Laym. Pirh. Konig. *l. citt.* quia etiam has postulat Beneficiarii status & conditio; omnia autem sustentationis congruæ nomine comprehenduntur, quæ status ejus, & conditio postulat.

0 4 Quæ requiruntur ad honestas animi, & corporis relaxationes, spectata personæ, & officii qualitate, & reddituum copia, ac qualitate: quæ universim etiam in superioribus punctis est attendenda. Et hinc plus requirit ad sustentationem suo statui convenientem Præpositus, & Decanus, quàm simplex Canonicus, plus item Episcopus, quàm Decanus, & Præpositus &c. Molin. *num.* 7. Laym. *num.* 2. *cit.* Pro Regula quidam, nec malè, hac in re spectandum censent usum, & praxim aliorum virorum timoratorum, ut Clericus congruentem sibi sustentationem habere censeatur, si Beneficiales redditus æquent eam summam, quam alii ejusdem qualitatis, ac timoratæ conscientiæ Beneficiarii pro sua sustentatione exigere solent. Konig. *l. cit.*

1 Quæritur 2. an Rectoribus Ecclesiarum, seu Parochis ex redditibus earum assignari debeat congrua, & sufficiens portio pro sustentatione eorundem. Resp. affirmativè. Ita statuitur *can. extirpandæ* 30. *pr. de præbend.* Idem dicendum de Vicario perpetuo, ut habetur *cap. eod.* §. *qui verò*. Proceditque hoc, non obstante quacunque contraria consuetudine, ut patet ex *capit. cit.* ubi Pontifex hanc appellat *extirpandæ consuetudinis vitium*.

Ratio est, quia talis consuetudo repugnat Legi Divinæ, & naturali Justitiæ, cùm operarius sit dignus mercede sua. *Luc.* 10. imò etiam repugnat primævæ Beneficiorum institutioni; nam redditus ab horum Fundatoribus principaliter dati sunt Parochis, & Curatis, ut ab his tam ipsi, quàm cæteri Parochiani Divina percipiant. Accedit, quia si Beneficia, præsertim curata, nimis tenues haberent redditus, non reperirentur viri docti, & idonei, qui ea vellent suscipere; & qui Parochiale munus susciperent, vel contra Ordinis Clericalis dignitatem mendicare, vel sordidum aliquem quæstum cogerentur exercere: quorum dua posteriora in Status istius dedecus, primum in magnum Ecclesiæ damnum, & animarum periculum cederet. Pirh. *tit. de præb. n.* 35.

2 *Ex quo sequitur*, non posse Patronos, & Administratores Ecclesiarum Parochialium prætextu consuetudinis redditus ipsarum sibi sic vindicare, ut congrua portio Rectoris, seu Parochi diminuatur. Abb. *in cap. extirpandæ cit. num.* 2. Pirh. *tit. de præbend. num.* 36. Vviest. *tit. de Eccl. ædif. num.* 24. Imò hodie ex Decreto Trident. *sess.* 25. *c.* 9. *de reform.* generaliter interdictum est omnibus Patronis Beneficiorum, sive Clericis, sive Laicis, ne *in perpetuum fructuum, proventuum, obventionum quorumcunque Beneficiorum --- ullatenus, ullave causa, vel occasione se ingerant, sed illos liberè Rectori, seu Beneficiato, non obstante etiam quacunque consuetudine, distinguendos dimittant.*

3 Quæritur 3. an Prælati Regulares, & Monasteria, &c. redditus Ecclesiarum sibi incorporatarum possint percipere? Resp. dupliciter incorporationem istam fieri posse. *Uno modo*, ut omnes redditus temporales percipiat Monasterium, & Vicario constituta sit certa portio pro necessaria ejus sustentatione. *Altero*, ut Monasterium certam redditùum portionem percipiat, reliqui autem redditus omnes Parochis, vel Vicariis, aut Capellanis cedant, qui in ejusmodi Ecclesiis ministrant.

Utroque casu Monasterium licitè percipit tales redditus, si incorporatio cum sufficienti authoritate facta sit, ita tamen, ut portionem assignatam Parochis, Vicariis, aut Capellanis propria authoritate mutare, aut minuere nequeat, prout sumitur ex *c. avaritiæ* 10. *de præbend. Ratio est*; quia Prælatus Regularis, vel Capitulum, seu Monasterium non exemptum non potest absque Episcopi sui consensu Ecclesiarum, quæ ipsis incorporatæ sunt, quoad temporalia, statum mutare, vel portiones, aut redditus, Rectoribus earum debitos, auferre, vel minorare; quia hæc omnia ad officium Episcopi spectant. Abb. *in c. avaritiæ cit. num.* 2. Pirh. *tit. de præbend. n.* 40.

Extenditur hoc etiam ad Prælatos Regulares exemptos per *Clem. un. vers. eadem quoque de supplend. neglig.* ubi statuitur, ut Episcopi non permittant à dictis Prælatis Beneficia quæcunque sive Regularia, sive Sæcularia, quorum collatio ad eos spectat, suis mensis applicari, aut novas pensiones iisdem imponi, vel antiquas augeri. Imò ne Episcopi quidem ad mensam suam derivare, vel in proprios usus convertere quidquam possunt ex præbendis Beneficiorum, quæ ad sustentationem Ministrorum Ecclesiæ deputata sunt, vel ex iis, quæ sunt ad fabricam Ecclesiæ relicta; quia, ut *can. ratio de præbend.* dicitur, *Ratio nulla permittit, ut quod pro communi utilitate datum esse dignoscitur, propriis cujusquam usibus applicetur.* 124

Dixi *propria authoritate*; nam Episcopus, & ipsius consensu Monasterium portiones Capellanorum, & Vicariorum in Ecclesiis sibi incorporatis ex justa causa diminuere possunt, vel Parochias dividere in duas, ut notat Gloss. *in c. avaritiæ cit. V. redditus*, Pirh. *l. cit. n.* 41. *not.* 2.

Quæritur 4. quomodo succurri Rectori Parochiæ possit, si redditus annui, quos ex Parochia sua percipit, adeo sint exigui, ut ex iis ipse congruam sustentationem habere, & debita onera supportare nequeat? Resp. tali casu juxta Trident. *sess.* 24. *c.* 13. *v. in Parochialibus de reform.* id, quod ejus congruæ sustentationi, & Ecclesiæ necessitati deest, supplendum ab Episcopis est per unionem Beneficiorum Sæcularium, & talium, ut Parochus, præter animarum curam, etiam Missarum obligationi his incumbenti satisfacere queat. Zypæus *tit. de Paroch. consult.* 4. *pr.* Vviestn. *tit. de Eccl. ædif. n.* 26. 125

Si unioni locus non sit, supradicta Synodus supplendum decrevit defectum istum assignatione Primitiarum, & Decimarum, provenientium ex fundis, intra fines Parochiæ sitis, etsi consuetudine abolitæ, vel ad extraneos translatæ sint; quia Ecclesiastica ordinatione ita deputantur pro necessitatibus Ministrorum Ecclesiæ, ut semper retineant obligationem eas his præstandi casu, quo solutio illarum his facienda est pro necessaria sustentatione illorum. Covar. *l.* 1. *var. capit.* 17. *num.* 6. *in fin.* Barbos. *in capit. de Monachis* 12. *de præb. num.* 6. Vviestner *tit. cit. num.* 26. Ratio est, quia Decimæ eatenus debentur Jure Divino, & naturali, adversùs quod nulla præscriptio, vel privilegium prævalet.

Si supplementum illud à Decimis haberi nequeat, deveniendum ad Collectas, vel alia, si quæ appareat, ratione eis de congrua sustentatione est providendum. Zypæus *loc. citat. numer.* 1. ubi notat, hunc ordinem omnino observandum, ita, ut ad Collectas non deveniatur, nisi excussis proventibus Ecclesiasticis, & ex proventibus Ecclesiasticis ad Decimas, non nisi excussis primitiis, cùm ordo litteræ in Decreto Trident. *cit.* id evincat: cumque Decimæ duplicis esse generis possint Ecclesiasticæ, & Laicales, posteriorum possessores ad supplementum istud non posse adigi, nisi ubi Ecclesiasticæ non suffecerint; quia Laici earum possessores ordine tantùm subsidiario ad portionem Canonicam vocantur. Choppin. *de Sacr. Polit. l.* 6. *c.* 4. *n.* 20. Charon. *l.* 1. *resp.* 34. Zypæus *n.* 2. 126

Imò plerique alii DD. adstruunt Decimas Laicales omnino esse liberas. Navar. *de reddit. Eccl. n.* 5. *&* 57. cum tanquam patrimonialia, & eadem, qua ista, immunitate possideantur. Molin. *de consuet. Paris. pr. num.* 104. *&* §. 68. *n.* 24. & ob hæc videtur Trid. *sess.* 21. *c.* 7. *de reform.* proventus ab Ecclesia provenientes in onus vocare, ad feudales Laicorum Decimas, non ab Ecclesia relevatas, secernendas. Zyp. *n.* 2. *cit.* qui *n.* 3. addit, eandem immunitatem retinere hujusmodi Decimas, etiam postquam à Laicis ad Ecclesiam reversæ, & ab his pro fundatione Monasteriorum, Anniversariorum, &c. vel alio titulo translatæ fuerint; nam pro æstimatione ejusmodi servitutum, & onerum adhuc penes Laicos, eorumque Successores esse censendæ sunt: ideoque eatenus eximendæ à contributione, præsertim quando, & ipsi Laici legitimo, & oneroso titulo easdem obtinuerunt. 128

Quæritur 5. quis Vicario perpetuo providere de congrua sustentatione debeat? Resp. providere de illa debent, qui Decimas, & alios Parochiæ proventus percipiunt, puta Patroni, Monasteria, Hospitalia, Seminaria &c. quibus ea per unionem quoad temporalia incorporatæ sunt. Gutier. *l.* 1. *qq. pract. q.* 17. *n.* 12. Pirhing. *tit. de præb. n.* 43. *not.* 2. Vviest. *tit. de Eccl. ædif. n.* 27. Ratio est; quia 129

quia proventus Parochiales non possunt à Prælato Ecclesiastico aliter transferri, nisi ut Vicario ministranti in Ecclesia incorporata salva maneat sua competens portio, & necessaria sustentatio.

Estque hoc verum, etsi Laici, & non Patroni sint, si Decimarum Ecclesiæ illius possessores sint *cap. suscepti* 1. *de præb. in* 6. *& Clem.* 1. *de jur. patron.* Qui si plures sint, ad eam portionem pro rata, sive parte fructuum, sibi obvenientium, præstandam tenentur, & conveniri simul omnes possunt *arg. l. soleant* 3. *fin. ff. de aliment. & ciber.* Rebuff. *de congr. port. num.* 50. Vviest. *n.* 27.

130 In dubio, an assignata portio sit sufficiens, ad Episcopum pertinet id determinare, ut colligitur ex *c. de Monachis* 12. *de Præb. & Clem.* 1. *cit.* Qui si repererit, eam insufficientem esse ad congruam Vicarii sustentationem, non debet sibi à Monasterio præsentatum instituere & præsentationi consentire antea, quàm defectus fuerit suppletus, ut statutum est *c. de Monachis cit.* & notat *ib.* Barb. *n.* 1. Pirh. *l. c. n.* 46.

Imò si Prælati Monasteriorum, quibus Parochiæ unitæ sunt, intra terminum sibi ab eodem assignatum, Vicariis suis portionem sufficientem assignare neglexerint, ad id per Censuras ab Episcopo compelli possunt. *Clem. c.* Proceditque hoc etiam de Monachis, & Religiosis exemptis, ut habetur *c. suscepti cit.* & notat Gloss. *in Clem. cit. in notat.* Potestque etiam Vicarius, vel alius Curatus, cui debetur congrua portio ex redditibus Beneficii, si ea non detur, Officium Judicis implorare contra Prælatos, vel alios, qui eam habent. Barbos. *in can. de Monachis n.* 6.

131 Excipitur, nisi Ecclesia plenissimo Jure ad Religiosos exemptos spectet, ita, ut non tantum quoad Jura Parochialia, sed etiam Episcopalia sit exempta à Jurisdictione Ordinarii loci; tunc enim non posset Episcopus Religiosos compellere ad assignandam portionem Clerico coram se præsentato juxta Concil. Trid. *sess.* 25. *de Regular. c.* 11. Barbos. *in c.* 1. *h. tit. in* 6. *nu.* 2. Pirh. *n.* 46. *cit.*

132 Quæritur 6. quantum nomine sustentationis assignandum sit Vicario Parochiali? Resp. olim quartam quartæ, h. e. decimam sextam fructuum partem non excesserat, ut patet ex *cap. extirpandæ* 30. *pr. de præb.* quæ pensio cum admodum tenuis fuerit, hinc successu temporis introductum est, ut Trebellianicæ instar quarta, ut ista aliquanto major, vel minor portio penderetur, teste Rebuff. *de Congr. port. num.* 82. Auxit & istam Tridentin. *sess.* 7. *capit.* 7. *de reform.* ubi statuit Vicariis assignandam fructuum, & proventuum Parochialium partem tertiam, aut majorem, vel minorem, arbitrio Ordinarii.

133 Porro arbitrium hoc S. Pius V. *Constit.* incipit, *Ad exequendum edita Calend. Nov.* 1567. ita restrinxit, ut Ordinariis in assignatione pensionis pro Vicario non liceret aut centum scuta excedere, aut infra quinquaginta descendere; additque nec excessum, nec defectum valiturum, ex ratione, ne ob hujusmodi defectum Vicariis deessent vitæ subsidia, ob excessum autem Monasteria, cæteræque piæ causæ, quibus Parochiæ quoad temporalia unitæ sunt, plus æquo gravarentur.

134 Quæritur 7. quid faciendum casu, quo Ecclesiæ unitæ fructus 50. scuta secundùm verum annuum valorem non excedunt? Resp. tali casu omnes relinquendi sunt Vicario. Abb. *in cap. de Monachis cit. num.* 3. Henric. de Boich. *in can. exposuisti* 33. *de præb. num.* 5. Rebuff. *de congr. port. num.* 101. Zypæus *tit. de Paroch. respons.* 2. *num.* 10. *final.* Vviestn. *de Eccles. ædif. num.* 29. & patet ex *Constitut. S. Pii V. cit.* ibi *omnes fructus ejus attribuantur Vicario perpetuo.*

Erit igitur hoc casu causa Vicarii potior, quàm Monasterii, aut alterius piæ causæ, cui unio facta est: idque ob triplicem rationem. 1. Quia ipse curam animarum actu gerit, ob quam hujusmodi redditus primitus assignati sunt. 2. Quia Pontificis, dum unionem hujusmodi fecit, mens alia non erat, quàm ut reservaretur Vicario congrua sustentatio *c. exposuisti cit.* igitur casu, quo universi redditus congruam ejus sustentationem non excedunt; universi manere Vicario debent. 3. Quia non decet discooperiri unum Altare, ut alterum cooperiatur: quod fieret, si redditus necessarii tollerentur Ecclesiæ unitæ, & darentur alteri loco pio.

135 Quæritur 8. quid agendum casu, quo in Provincia aliqua rerum ad victum, vestitum, & cæteros humanæ vitæ usus necessariarum pretium ita augeretur, ut iis parandis, & aliis oneribus supportandis 100. scuta ordinariè non sufficerent? Resp. cum P. Vviest. *titul. de Eccles. ædif. num.* 20. tali casu non ob futuram Constit. S. Pii V. cit. sed posse, & debere majorem, quàm 100. scutorum quantitatem Vicario assignari. *Ratio est*, quia in dicta *Constitutione* supponitur 100. scuta ad congruam Vicarii sustentationem indubitato sufficere: quod colligitur ex tempore, quo *Constitutio* ista edita est; edita enim est Sæculo decimo sexto, quo rerum ad sustentationem necessariarum quantitas major 100. sc. quàm nostro isto centum aureis parari poterat.

Ex quo sequitur, casu, quo Vicario fuit assignata pensio in fructibus, qui olim 100. sc. comparari poterant, eam pensionem modò congruam ejus sustentationem superare; contrà si in pecunia 100. sc. nunc pro eadem sustentatione insufficientem esse.

Quæritur 9. quænam veniant nomine proventuum Ecclesiæ, ex quibus congrua portio Vicario perpetuo est assignanda? Putant nonnulli cum Barbos. *in capit. de Monachis* 12. *de præb. num.* 7. nomine isto hìc non venire, & propterea in portionem congruam, Curatis debitam, non computandos redditus incertos, quos vocant *pedem Altaris*, item quæ dantur Stolæ nomine, sive pro administratione Sacramentorum, & pro funeralibus &c. tum quia incerti sunt fructus, & venter, cui ea portione providetur, ab incerto pendere non debet; tum quia non tam Ecclesiæ, quàm personæ, sive præstiti ab ea ministerii intuitu acquiruntur, & propterea accensentur bonis Clericorum quasi Patrimonialibus, de quibus liberam disponendi facultatem habent. 13

Sed utendum est distinctione, an redditus illi incerti reduci possint ad certam summam, qua notabiliter majores, minoresve esse non soleant, an verò non. *Si hoc secundum*, rectè probant Argumenta allata, eas in pensionem non imputandas. *Si primum*, in portionem Canonicam imputandi sunt ex *Const. S. Pii V. cit.* ubi asseritur portio illa assignanda, *computatis omnibus etiam incertis emolumentis, & aliis obventionibus communiter percipi solitis.*

Quæritur 10. an portio semel constituta mutetur pro varietate Clericorum, & si Vicariam obtineat Clericus, nobilitate, vel Gradu Litterario præcellens, ei major portio sit assignanda? Videtur hoc affirmandum; quia cùm sustentatio hujusmodi personæ plus exigat, portio, quæ aliis congrua est, tali Vicario non erit sufficiens. 13

Sed tenenda est negativa sententia cum Abb. *in capitul. ex præsentium* 3. *de pignor. numer.* 6. Rebuff. *de congr. port. num.* 92. Vviest. *tit. de Eccl. ædif. num.* 33. *&* 34. Unde hujusmodi Clericus sibi imputare debebit, quòd talem Vicariam acceptarit, & defectum ex patrimonio suo supplere. *Ratio est*, quia portio semel constituta etiam non diminuitur facilè ad instantiam Prælati, cui Parochia unita est: igitur cùm contrariorum sit eadem ratio, etiam non est augenda ad petitionem Vicarii, plus exigentis ratione Nobilitatis, vel Doctoratus.

Excipitur casus, quo portio, semel ritè assignata, bellica, aut alia clade interiit, vel diminuta est, ut nec aliis Clericis sit ampliùs congrua; nam hoc casu redintegratio peti poterit à patrono, vel Monasterio, cui unita est Parochia, si penes istos remanserint fructus sufficientes ad portionem redintegrandam, vel si non remanserint, à Parochianis, quibus ex illa Parochia ministrantur Sacramenta. Rebuff. *l. cit. num.* 94. Card. de Luca *de paroch. disc.* 18. *n.* 11. Vviest. *tit. de Eccl. ædif. n.* 34.

Quæritur 11. coram quo Judice congruæ portionis assignatio, & redintegratio petenda sit? Resp. pro hoc negotio adeundus est Judex Ecclesiasticus. Rebuff. *de congr. port. n.* 55. Barbos. *prax. pension. p.* 2. *q.* 13. *n.* 3. Zyp. *tit. de Paroch. respons.* 2. *n.* 8. Vviest. *tit. de Eccles. ædif. num.* 35. *Ratio est*, quia est negotium Ecclesiasticum, cùm concernat Beneficium, & personam Ecclesiasticam, Ecclesiastica autem negotia coram Judice Ecclesiastico tractanda sunt *c. decernimus* 2. *cap. quanto* 3. *de judic. c. si Judex* 22. *de sent. excomm. in* 6. ergo &c. *Excipitur* casus, quo Vicarius in portionis sibi assignatæ perceptione turbaretur, aut ea spoliaretur à Laico; hunc enim ille possessorio retinendæ, vel recuperandæ conveniri posset coram Judice Sæculari secundum dicta *lib.* 2. *tit.* 12. *n.* 51. 13

In specie Judex in hoc negotio potest esse. 1. Episcopus: proceditque hoc, etiamsi conveniretur Prælatus Monasterii Exempti, & immediatè subjecti Papæ. *Clem.* 1. *in fin. de jur. patron. c. suscepti* 1. *vers. nos igitur de præb. in* 6. Trid. *sess.* 7. *c.* 7. *de reform.* 2. Capitulum, Sede Episcopali vacante; quia portionis hujusmodi assignatio, & 13

adju-

adjudicatio competit Episcopo ratione Jurisdictionis Ordinariæ, quæ Sede vacante ad Capitulum transit. Ex quo sequitur, hac potestate Capitulum uti posse etiam contra exemptos; quia adversùs istos procedere potest in omnibus casibus, in quibus ratione Jurisdictionis suæ ordinariæ Episcopus. Abb. *in c. cùm olim* 14. *de Major. n.* 2. Felin. *ibid. num.* 37; Vviest. *tit. de Eccl. ædif. num.* 38. ubi corrigit sententiam suam, quam hoc *lib. tit.* 9. *num.* 15. tenuit. 3. Quicunque alius Prælatus Jurisdictionem quasi Episcopalem exercens in Clerum, & populum sibi subjectum, ex rationibus assignatis.

140 Quæritur 12. quomodo procedendum sit in congruæ portionis causis? Resp. procedendum est summariè, & appellatione remota. Ita Zyp. *tit. de Paroch. respons.* 2. *num.* 9. & 14. Vviest. *tit. de eccl. ædif. numer.* 39. & 40.

Summariè quidem; quia est causa alimentorum, tangens Decimas, & alios proventus Ecclesiæ, cui servit Vicarius. In his autem causis summariè, simpliciter, & de plano procedi potest, ut dictum est *lib.* 2. *tit.* 3. *num.* 11. quòd mora, & litis protelatio periculosa sit.

Appellatione remota autem ex Decreto Trid. *sess.* 7. *c.* 4. & 7. *de reform.* quoad effectum tamen non devolutivum, sed suspensivum duntaxat, ne suspensa executione sententiæ, super congrua latæ, negligatur rerum cura, & debitis obsequiis Ecclesia defraudetur.

141 Quæritur 13. an decedente Beneficiario, fructibus pendentibus, & nondum perceptis, divisio fructuum inter ejus hæredes, & successorem in Beneficio pro rata temporis fieri debeat? Affirmant Covar. *l.* 1. *var. cap.* 15. *num.* 12. *fin.* Garc. *de benef. p.* 2. *c.* 1. *num.* 96. Zerol. *prax. Episc. p.* 1. *V. Beneficium art.* 6. Rationem dant; quia Beneficium datur propter officium, i. e. propter onera, & servitia *c. cùm secundùm* 16. *de præbend.* & *c. fin. de rescript.* igitur Beneficiatus ad fructus pro tempore servitii sui jam habet jus: quod proinde transmittet ad hæredes suos. *Conf.* fructus inexacti dotis inter maritum, & uxorem, eorumque amborum hæredes dividuntur pro ea parte anni, in qua maritus subiit onera Matrimonii *l. divortio ff. solut. Matrim.* atqui à Matrimonio carnali ad spirituale, hujusque onera bona est argumentatio, ergo etiam fructus Beneficii inter Successorem, & hæredes defuncti pro rata servitii, & à defuncto præstiti, debebunt dividi.

142 Sed probabiliùs, spectato Jure communi, omnes fructus pendentes, ac nondum à solo separati, & redditus inexacti ad Beneficii successorem pertinent. Ita Gloss. *in c. si propter de rescript. in* 6. Navar. *in Apolog. de reddit. q.* 2. *monit.* 13. Barbos. *in l. divortio cit. p.* 2. *num.* 57. Pignatell. *tom.* 4. *consult.* 126. *num.* 6. Konig *hic n.* 31. & sumitur ex *can. cùm vos* 4. *de Offic. Ordin. c. fin. eod. in* 6. *c. quia sæpe* 40. *de elect. in* 6. *Clem. statutum* 7. & *extrav. suscepti* 2. *Joan. XXII. eod.* quibus habetur, Beneficiorum fructus, & bona, vacationis tempore undecunque obvenientia, integrè Ecclesiæ, vel successoribus esse reservanda.

Concordat *Constitutio* 7. *Julii III. publicata anno* 1550. & *confirmata ab Urbano VIII.* 5. *April.* 1628. juxta quam fructus Beneficiorum pendentes, & inexacti, ubi non spectant ad Cameram Apostolicam, non ad hæredes, sed ad successores pertinent, etiamsi maturati fuerint tempore demortui Beneficiati, dummodo realiter, & cum effectu non sint percepti, & aliis propriis bonis incorporati: & hoc juxta eandem Constitutionem procedit, etiamsi per Beneficiatum non steterit, quominùs illos exegerit; imò etiamsi omnem diligentiam pro eorum exactione adhibuerit, prout refert Pignatell. *in c. fin. de offic. Ord. num.* 17. atque hanc Constitutionem in toto Orbe terrarum jus facere, adeo, ut non sit ulterius insistendum, aliis citt. testatur Sperell. *decis.* 82. *n.* 11. *Ratio est*, quia jus percipiendi fructus sive naturales, sive civiles in defuncto finitur, & Beneficiarius Usufructuario comparatur, qui non facit fructus suos, nec eos transmittit, nisi quos in vita perceperit.

143 *Procedit* autem hoc de Jure communi, ut initio *n. præc.* monui; nam de consuetudine passim obtinuit, ut fructus Beneficii pro rata inter hæredes Beneficiarii, & successorem dividantur; quæ proinde servanda est, modò illa legitimè probetur. *Rot. decis.* 529. *nu.* 3. & *decis.* 722. *num.* 7. *p.* 4. *tom.* 3. *recent.* Cæsar. de Panimoll. *decis.* 20. *adnot.* 1. *n.* 19.

Ex quo cadit Argumentum pro adversa parte allatum. *Ad Conf.* argumentum à marito ad Beneficiarium non valet; quia in marito causa immediata acquirendorum fructuum dotalium sunt onera Matrimonii, & ideò meritò pro rata onerum fit divisio; in Beneficio autem causa immediata acquirendi fructus est titulus Canonicus *Reg. Beneficium* 1. *de R. J. in* 6. Neque tamen Beneficiarius illo anno, quo decessit, & nullos fructus percepit, Beneficio sine ullo emolumento inserviisse videatur, ut Navar. *in Apolog. q.* 2. *monit.* 12. *in fin.* advertit, ejus hæredibus solvendum esse honestum salarium pro modo servitii, & quantum ad honestam sustentationem mortuus habere debebat, prout & fructuario decedenti pendentibus fructibus solvuntur impensæ, quas circa illos fecit. Bald. *in l. Pater in fin. C. de Usufruct.*

Quæritur 14. ad quem pertineant meliorationes factæ in rebus Ecclesiæ, e. g. si in fundis ad Ecclesiam pertinentibus ex prato agrum, ex terra silvestri, & inculta vineam fecit Clericus Beneficiarius? *Certum est*, iis meliorationibus Beneficiarium frui posse, dum vivit; nam ita expresse statuitur *c. fin. de pecul. Cleric.* & meritò; quia æquum est, ut illi ad tempus vitæ relinquatur terra possidenda, & fruenda, cujus labore exculta, & ad fertilitatem redacta fuit. 144

Proceditque hoc, etiamsi Beneficium dimiserit, ut notat Pirh. *tit. de pecul. cleric. num.* 24. Imò id extendit etiam Abb. *in c. fin. cit. n.* 4. ad eum, qui ob delictum est amotus à Beneficio. *arg. c. ad aures* 7. *de reb. eccles. non alien.* Verùm ex hoc *cap.* & *c. fin. cit.* plus non colligitur, quàm quòd Episcopus possit Beneficiario meliorationes relinquere, eas illi assignando pro servitiis præstitis Ecclesiæ, usque ad tempus vitæ ipsius, vel impensarum æstimationem eidem solvere: imò æquum esse, ut ipsi solvantur, nisi ob gravitatem delicti aliud videatur.

Major difficultas est, ad quem meliorationes pertineant post mortem Beneficiarii, quæ tamen distinctione tollitur: Vel enim meliorationes istæ sunt factæ ex bonis patrimonialibus Clerici, vel ex redditibus Beneficialibus ejusdem, vel ex bonis ipsius Ecclesiæ. 145

Si primum, emolumentum hoc cedit hæredibus, qui proinde illarum, vel expensarum æstimationem possunt repetere, nisi appareat, vel ostendatur Beneficiarium animo donandi meliorasse.

Si secundum, Jure communi, quod Clericis potestatem testandi adimit, meliorationes illæ ad Ecclesiam spectant post mortem Clerici: ubi autem consuetudo, vel privilegium potestatem testandi Clericis dedit, idem dicendum, ac si ex patrimonialibus essent factæ.

Si tertium, cedunt Ecclesiæ; nam etiam vivente Clerico, Ecclesiæ erant, ex cujus bonis factæ sunt.

Quæritur 15. quid præsumendum, quando dubium est, an meliorationes à Prælato, vel Clerico Beneficiario factæ, factæ sint ex propriis Clerici, vel de Beneficialibus ejus bonis. 146

Resp. hic distinguendum: Vel enim habuit patrimonium proprium, vel nullum, aut admodum tenue. *Si habuit patrimonium proprium*, & hoc amplum sit, & redditus Beneficiales fuerunt tenues, & congruam sustentationem non excedentes, meliorationes, à Prælato, vel Clerico Beneficiario factæ, præsumuntur factæ ex proprio patrimonio. *Si verò Clericus nullum, aut tenue Patrimonium habuit*, præsumendum est, quòd factæ sint ex beneficialibus, sive Ecclesiæ intuitu quæsitis bonis. *Ratio est*, quia cùm ejusmodi Clericus ex patrimonio proprio facere eas non potuerit, utpote eo carens, superest, ut in hunc finem expenderit bona Beneficialia, & per negotiationem quæsita: hoc posterius in dubio præsumi, nequit; quia negotiatio est Clericis prohibita, & delicta in dubio non præsumuntur: igitur cum redditus Beneficiales habeat, præsumi potiùs debet, quod ex his eas Meliorationes fecerit.

Sub hac ipsa distinctione etiam, respondendum est, quando dubitatur an res à Prælato, vel Clerico Beneficiato empta, empta sit de propriis, vel de Beneficialibus ejus bonis, ut dictum est *Tit.* 25. *n.* 16. Servitque distinctio hæc in iis maximè locis, in quibus secundùm juris communis præscripta de redditibus suis Beneficialibus testari Clerici nequeunt; nam si ejusmodi res, & bona Clericus comparavit ex bonis suis patrimonialibus, etiam de iis testari poterit; testari verò non poterit de emptis à se, si patrimonium nullum, vel tenue tantùm habuit, ob præsumptionem, quòd ejusmodi bona comparaverit ex redditibus Beneficialibus. Ubi tamen notandum, quòd præsumptio hæc non sit juris, & de jure: proinde in contrarium admitti debeat probatio, & audiri Clericus, vel hæres ejus, si probare velit, quòd ejusmodi res sint comparatæ ex bonis, industria, labore, aut alio modo, quàm Ecclesiæ intui- 147

intuitu quæsitis. In qua probatione, ut judex sententiam ferre possit, ad circumstantias, maxime quantitatem patrimonialium bonorum ex una, & Beneficialium ex altera parte deber attendere; nam si hac considerata, dubium perseveret, præsumendum est, eas partim ex patrimonialibus, partim ex Beneficialibus bonis comparatas esse, & sic dividendæ sunt post obitum Clerici inter Ecclesiam, & hæredes, ut bene cum aliis notat P. Vviest. *de pecul. cler. n.* 47.

148 Quæritur 16. quomodo differat Beneficiarius ab Usufructuario? Resp. in tribus maxime.

1 Merus Usufructuarius reficere, & restaurare quidem potest, de novo tamen facere nihil potest *l. usufructu 7. in fin. & usufructuarius 44. ff. de Usufruct.* at verò Beneficiarius potest de novo facere v. g. plantare vineam, domos de novo extruere, vel ampliare.

2 Usufructuarius facit fructus perceptos ita suos, ut liberè de ipsis tam inter vivos, quàm mortis causa disponere possit in quocunque casu *l. arboribus 12. §. Julianus 5. ff. de Usufr. & l. si fructuarius 13. ff. quib. mod. ususfr. amittat.* sed Beneficiarius non potest ita liberè disponere de redditibus Beneficialibus sustentationi suæ superfluis, ut patet ex dictis *Tit. 25. à num.* 19.

3 Usufructuarius tenetur satisdare, sive cautionem idoneam præstare *c. fin. de pignor. & ibi* Gloss. *V. cautionem*, *l. usufructu 4. C. de Usufruct.* Beneficiarius non item; quia id in Jure cautum non reperitur. Abb. *in c. fin. cit. de pecul. cler. num.* 5. Fagnan. *ibid. n.* 1. Pith. *tit. cit. n.* 28.

PARS V.

De Ecclesiis, harumque Juribus, & de Actibus, quæ in eis exercentur.

A Juribus, quæ tum Clero Regulari, tum Sæculari competunt, ducimur ad ea, quæ ad Ecclesias ipsas pertinent, qualia præcipuè sunt jus celebrandi Divina Officia, administrandi Sacramenta, recipiendi confugas, eosque adversus Ministros Justitiæ defendendi: quæ omnia Pars hæc ultima Libri præsentis comprehendet.

TITULUS XL.

De Consecratione Ecclesiæ, vel Altaris.

UT Divina Officia in Ecclesia celebrari possint, necesse est, ut non tantùm constructa illa sit, sed etiam, ut cum Altaribus consecrata, vel saltem benedicta sit per ceremonias solemnes Ecclesiæ. Hinc antequam ad Titulum *de Celebratione Missarum* procedatur, meritò *de Consecratione Ecclesiæ, & Altaris* præmittitur.

§. I.

De Consecratione Ecclesiæ.

SUMMARIUM.

1 *Quid nomine Ecclesiæ veniat?*
2 3 *An, & quomodo differat à Basilica?*
4 *Quid sit Ecclesiæ consecratio, vel Dedicatio?*
5 *Origo Ritus consecrandi, & dedicandi Ecclesias.*
6 *Debent omnes consecrari, vel saltem benedici.*
7 *Extra locum, ab Episcopo, vel alio, habente Jurisdictionem quasi Episcopalem, deputatum regulariter celebrari Divina nequeunt.*
8 *Excipitur primò casus necessitatis.*
9 *Secundò Episcopi, & his Superiores.*
10 *Tertiò alii, qui licentiam celebrandi in Altari Viatico per privilegium Apostolicum habent.*
11 *Quartò qui ad hoc licentiam obtinuerunt ab Episcopo.*
12 *Quam facultatem dare Episcopi etiam post Trid. possunt.*
13 *Consecrandæ sunt Ecclesiæ à proprio Episcopo loci, in quo Ecclesia consecranda sita est.*
14 *Exceptio.*
15 *Nec potest potestatem hanc delegare Episcopus Sacerdoti simplici.*
16 *Potest committi potestas benedicendi Ecclesias.*
17 18 19 20 *Observanda ab Episcopo in consecranda Ecclesia.*
21 *Regulariter Consecratio iterari nequit, nisi quando non est adhibita debita forma.*
22 *Vel quando ignoratur, vel dubitatur, num sit consecrata.*
23 *Aut quando exsecratur.*
24 *An nova Consecratione sit opus, quando Ecclesia priùs diruta ex eadem prorsus materia de novo extruitur.*
25 *Resolvitur pro affirmativa.*
26 *Respondetur ad Rationem dubitandi.*
27 *An de novo consecranda sit Ecclesia, quando ejus parietes successivè reparantur, ita, ut nunquam pars major destruatur?*
28 *Defenditur negativa.*
29 *Et idem dicendum, quando Ecclesia ampliatur.*
30 *Solvuntur Argumenta opposita.*

QUæritur 1. quid hoc loco *Ecclesiæ* nomine veniat? Resp. triplex est significatio istius nominis; nam 1. si Etymologiam ejusdem spectes, significat *Convocationem populi*, 2. ex recepto usu eo nomine venire aliquando solet *Cœtus Fidelium in Christum credentium*, seu *Congregatio Catholicorum*, prout fit *c. Ecclesia 8. dist.* 1. 2. & in sensu præsentis Tituli significat *Ædem Sacram*, in qua fideles ad rem Divinam audiendam, & percipienda Sacramenta congregantur. 1

An sic accepta Ecclesia à *Basilica* differat, & in quo, controvertunt DD. Quidam cum Gloss. *in c. nunc autem 1. V. dedicanda de Relig. Dom.* putant, *Ecclesiæ* nomine propriè compellari Ædem Sacram ab Episcopo jam consecratam, *Basilicæ* autem Ædem ea consecratione nondum affectam: quod desumunt ex *c. cit.* verbis ibi, *Ad Basilicam, quæ dedicanda est.* Sed non satis bene, cùm passim in Jure Canonico *Ecclesiæ* appellatio tribuatur Ædi nondum consecratæ, & *Basilicæ* vicissim Ædi jam consecratæ. 2

Hinc meliùs alii Voces *Ecclesia*, & *Basilica* pro *Synonymis* habent, prout etiam capiuntur *can. non oportet 4. dist.* 42. ibi, *In Ecclesiis, seu Basilicis, & c. fin. de Eccl. ædif.* Vel si discrimen aliquod faciendum est, cum Barbos. *l. 2. Jur. eccles. c. 1. num.* 10. Fagnan. *in can. Ecclesiæ 9. de eccl. ædif.* & aliis dici potest, nomine Ecclesiæ significari quamcunque Ædem Sacram; *Basilicæ* verò eam tantùm, quæ princeps est, & aliarum major, ac dignior, & ad quam Princeps convenire ad Officia Divina consuevit: nam & locus publicus, causarum cognitioni destinatus, quò Principes ad Jus dicendum conveniebant, Græco vocabulo *Basilica*, id est, *Regia* dicebatur. 3

Quæritur 2. quid sit Ecclesiæ *Consecratio*, vel *Dedicatio*? Resp. Ecclesiæ *Consecratio*, & *Dedicatio* pro eodem sumuntur; nam dedicari Ecclesia dicitur, quæ consecratur, quòd ad DEI honorem, & Sanctorum memoriam sacrata dicatur. Hinc definiri *Consecratio Ecclesiæ, vel Altaris* potest, quòd sit *Ecclesiæ, vel Altaris dedicatio, facta à legitimo Ministro, interveniente debita materia, & forma, cum intentione Canonica.* 4

Ritum consecrandi, & dedicandi Templa Ecclesia sumpsit ex Veteri Testamento, ubi Moyses Tabernaculum, & Salomon Templum DEO dicantes, precibus, & unctione sacrarunt. Estque Ritus iste in Ecclesia ab ipsis Apostolorum temporibus observatus, ut rectè cum aliis observat Barbos. *l. 2. jur. eccl. c. 2. num.* 27. Ceremonias instituit S. Sylvester Papa, postquam Constantinus Imperator per Baptismum salutem, & sanitatem est consecutus, & Lege à se lata concessit Christianis per totum Orbem, ut Ecclesias ædificare possent: quod piissimus Imperator primus adimplevit opere; nam plures in Urbe Romana construxit Ecclesias, quas præfatus Pontifex Sylvester consecravit. 5

Ab eo igitur tempore idem Sanctus Pontifex peculiariter sanxit, ut Templa legitimè erecta, vel per signationem, & unctionem parietum cum Oleo sacro ab Episcopo consecrentur, vel saltem per ablutionem parietum exteriùs, & interiùs cum aqua benedicta, vel aspergillo ex hyssopo benedicantur juxta Ceremonias, quæ referuntur *in Pontif. Roman. Tit. de Eccles. Dedicat.* & illustrantur per Clericat. *de Sacrif. Miss. decis. 41. & seq. per tot.* Ex quo sequitur, ad hoc, ut Divina valeant in Ecclesia aliqua celebrari, non requiri necessariò, ut illa sit consecrata, sed sufficere, si locus, in quo Divina fiunt, sit DEO dicatus, in usus profanos non convertendus. Barbos. *c. 2. cit. n.* 28. qui tamen addit, talem Ecclesiam, cùm fieri poterit, consecrandam. 6

Quæ-

7 Quæritur 3. an extra locum, ab Epiſcopo, vel alio Juriſdictionem quaſi Epiſcopalem habente deputatum, celebrari Divina poſſint? Reſp. regulariter non poſſe, prout patet ex *can. conſecrationem* 1. *can. ſicut* 21. *can. Miſſarum* 12. *can. nullus* 15. *de conſecrat. diſt.* 1. *Proceditque* iſtud, etſi hoc fiat ſuper Altari portatili conſecrato; nam ut *can. ſicut cit.* Felix Papa, *Satius eſt*, inquit, *Miſſam non cantare, aut non audire, quàm in illis locis, ubi fieri non oportet.* Et hinc extra Eccleſiam in Altari portatili celebrantes poſt recenſitam Sanctionem Canonicam non tantùm in foro conſcientiæ graviter peccant, ut contra Sot. *in* 4. *diſt.* 13. *q.* 2. *art.* 3. Sà *V. Miſſa n.* 20. & Ludov. Lopez *Inſtructor. conſcient. t.* 2. *c.* 79. *ante* §. *ſupereſt* notant Azor. *p.* 1. *l.* 10. *c.* 26. *q.* 8. Graff. *p.* 1. *dec. l.* 2. *c.* 42. Laym. *l.* 5. *tr.* 5. *c.* 5. *n.* 2. Barboſ. *de Offic. Epiſcop. alleg.* 23. *n.* 2. Pal. *tr.* 22. *D. un. p.* 8. *n.* 3. Petra *tom.* 4. *comment. fol.* 267. *n.* 7. cum aliis plena manu congeſtis; verùm etiam in foro externo gravi pœna puniendi ſint, Riccius *deciſ.* 218. *fin. p.* 3.

8 *Excipitur* 1. caſus neceſſitatis; nam ea ſtante, poterit quilibet extra locum Sacrum etiam ſub dio celebrare *can. ſicut cit.* Quod etiam à veteri conſuetudine Eccleſiæ alienum non eſt; nam ut videre eſt apud Baron. *ad annum Chriſti* 303. *n.* 39. vigente perſecutione in domibus privatis, ipſiſque carceribus Sacrificia peragebantur. Jure, quo hodie utimur, juſtæ neceſſitates Miſſæ Sacrificium extra locum Sacrum celebrandi ſunt. 1. Si in aliquo loco nullæ, aut dirutæ ſunt Eccleſiæ *can. concedimus* 30. *de conſecr. diſt.* 1. ne populus Sacrificio careat. 2. Si anguſtiæ templi multitudinem populi confluentis non capiant; tunc enim erigi ante templum ſub dio altare poteſt, ne plures careant Sacrificio. Coninck *q.* 83. *art.* 3. *dub.* 1. *n.* 224. Layman *l. cit. n.* 3. Pal. *n.* 4. cum aliis. 3. Si Miſſa dicenda ſit coram exercitu; tunc enim Miſſa dici in Caſtris poteſt, ne milites diebus feſtis Sacrificio priventur. Vaſq. *D.* 233. *cap.* 1. Laym. Pal. *l. citt.* 4. Si navigantes non valeant navim deſerere; tunc enim Miſſa dici poteſt in littore. Vaſquez, Layman, Pal. *tit.* 5. Si longa peregrinatio inſtituenda per loca deſerta, vel infidelium &c. ubi non eſt Eccleſia, ne ita peregrinantes tanto Sacrificio diu privati exiſtant. Suar. *D.* 81. *ſeſſ.* 3. *cum citt.* 6. Si navigatio in mari futura ſit diuturna; tunc enim celebrari poteſt in navi, ſi mare tranquillum, & cœlum ſerenum ſit, aſſiſtente tamen alio Sacerdote, vel Diacono, ne periculum ſit effundendi Sacri Sanguinis. Laym. *n.* 6. Pal. *n.* 10. Petra *tom.* 4. *comm. fol.* 274. *num.* 29. qui tamen advertit, in hoc ultimo caſu neceſſe eſſe, ut impetretur ſpeciale privilegium à Summo Pont. qui ſolus id concedere poteſt, non alius inferior; in quinque præcedentibus ſufficit licentia Epiſcopi, quæ ſecluſo generali privilegio celebrandi in Ara portatili, requirenda eſt, ſaltem ex decentia. Vvieſtner *hic n.* 4.

9 *Excipiuntur* 2. Epiſcopi, etiam Titulares, ut notat Pignatell. *tom.* 3. *conſult.* 39. *num.* 4. *fin.* Petra *tom.* 4. *cit. fol.* 273. *num.* 22. Idem dicendum de Prælatis Ordinis Epiſcopalis Epiſcopo ſuperioribus, ut ſunt Archiepiſcopi, Primates, Patriarchæ: item de S. R. E. Cardinalibus, ut reſolutum eſt à *S. Congreg.* 18. *Febr.* 1623. Hi enim, ſi iter faciant, ſuper Altari Viatico celebrare, vel ſuper eo celebranti aſſiſtere ubicunque, adeoque etiam extra Diœceſim poſſunt vi privilegii ipſis dati à Bonifacio VIII. *can. fin. de privil. in* 6. idque non ſolùm ex cauſa infirmitatis, aut alterius neceſſitatis, ſed majoris etiam commoditatis, vel devotionis, ut rectè advertunt Azor. *p.* 1. *l.* 10. *c.* 26. *q.* 4. Suar. *D.* 81. *ſect.* 3. Conink *q.* 83. *art.* 3. *dub.* 1. Laym. *c.* 5. *cit. num.* 3. Barboſ. *alleg.* 23. *n.* 5. Petra *tom.* 4. *cit. fol.* 270. *à num.* 15. & declaravit S. Congreg. *in Lamacen.* 1586. in quo diſtinguitur privilegium Epiſcopis datum ab eo, quod de jure communi ſecundùm dicta *num. præc.* competit Sacerdotibus cæteris, qui juxta ibidem dicta, ſecluſo ſpeciali privilegio, extra locum ſacrum in portatili Miſſam dicere ſolùm poſſunt in neceſſitate. Et valet privilegium hoc etiam hodie poſt Trid. prout aliis congeſtis docet Petra *l. c. n.* 15. *&* 16. & declaravit S. Congr. *in Lamacen. cit.*

10 *Excipiuntur* 3. etiam alii, qui licentiam celebrandi in Altari Viatico per privilegium Apoſtolicum habent. Tale privilegium olim Monachis Carthuſianis conceſſit Urbanus V. *Conſtit.* incipit *Sinceræ* 7. *Cal. Maii* 1363. & FF. Prædicatoribus, ac Minoribus Sancti Franciſci Honorius III. *can. in his* 30. *de privil.* & quoad FF. Minores renovavit Clemens IV. *Conſt.* 4. incipit *Virtute* §. 8. ac Sixtus IV. *Conſt.* 6. incipit *Regimini* §. 4. quod tamen à Trid. *ſeſſ.* 22. *in Decret. de obſervand. & evitand. in celebr. Miſſar.* per clauſulam *Non obſtantibus privilegiis &c.* revocatum docent Navarr. *Man. c.* 25. *n.* 82. Henriq. *l.* 9. *c.* 27. *n.* 3. Suar. *D.* 81. *ſect.* 3. *verſ. quarta exceptio.* Barboſ. *de Offic. Epiſc. alleg.* 23. *num.* 4. Laym. *c.* 5. *cit. num.* 5. *verſ. aliud privilegium.* Fagnan. *in can. in iis cit. n.* 5. *& ſeqq.* Petra *tom.* 4. *comment. fol.* 270. *n.* 12. & hoc teſte ſæpiùs declaravit Sacra Congregatio, præſertim *in Toletana* 4. *Jun.* 1672. *ad* 8. *in Poſnanienſi* 5. *Maji* 1673. *in Meſſanenſi* 20. *Sept.* 1698. & patet ex *Conſt. Gregorii XIII.* incipit *Uſum pr.* ubi uſum Altaris Viatici, per Paulum III. Societati JESU conceſſum, eidem reſtituendo, ſic exorditur: *Uſum Altaris portatilis Societati Veſtræ à fel. rec. Paulo Papa III. conceſſum, deinde à Concil. Trid. univerſim ſublatum, vobis &c.* adeo, ut jam non valeat privilegium iſtud, niſi poſt memoratum Concilium illud à Sede Apoſtolica confirmatum, vel denuo indultum ſit, prout factum eſt à Gregorio XIII. reſpectu Societatis Jeſu per *Conſt.* memoratam, & *Conſt.* incipit *Decet* editam 1575.

Excipiuntur 4. illi, qui licentiam ejuſmodi obtinuerunt ab Epiſcopo, prout colligitur ex *c. Miſſarum* 12. ibi *in locis ab Epiſcopo conſecratis, vel ubi ipſe permiſerit, & c. hic ergo* 14. ibi, *Niſi in his locis, in quibus Epiſcopus juſſerit, de conſecr. diſt.* 1.

An verò Epiſcopus etiam hodie dare licentiam celebrandi ſuper altari portatili in loco non ſacro poſſit, controverſia inter DD. eſt? Negant Navar. *Man. c.* 25. *n.* 81. Azor. *p.* 1. *l.* 10. *c.* 26. *q.* 3. Guttier. *qq. can. l.* 1. *cap.* 30. *n.* 25. Lotter. *l.* 1. *q.* 30. *n.* 15. Fagund. *de præc. Eccl. p.* 1. *l.* 3. *c.* 13. *à n.* 8. & quidam alii, qui putant hanc poteſtatem Epiſcopis per Trid. *l. citt.* ademptam eſſe, & adducunt pro ſe Decretum S. Congr. Concil. quo declaratur de Oraculo Sanctiſſimi ſpectare ſolùm ad Summum Pontificem, & non Epiſcopos concedere licentiam celebrandi in privatis Oratoriis, prout refert Aloyſ. Riccius *prax. for. Eccleſ. deciſ.* 538. *n. ult. edit.* 1. *& reſolut.* 460. *in fin. edit.* 2. 11

Sed meliùs alii cum Suar. *D.* 81. *ſect.* 3. §. *ſecundò*, Bonacin. *de Sacram. D.* 4. *q. ult. p.* 9. *n.* 10. Piaſec. *prax. Epiſc. p.* 1. *c.* 5. *num.* 8. *& p.* 2. *c.* 3. *num.* 21. *in fin.* Layman *l.* 5. *tr.* 5. *c.* 5. *n.* 4. *not.* 2. Barboſ. *de Offic. Epiſc. alleg.* 25. *n.* 9. Pal. *tr.* 22. *D. un. p.* 8. *n.* 5. Petra *tom.* 4. *comment. fol.* 272. *num.* 20. Vvieſt. *hic num.* 6. docent, hanc facultatem Epiſcopis per Trid. non ademptam, ſed reſtrictam duntaxat eſſe, ut hodie non ordinariè, & liberè, ut olim poterant, ſed ſolùm ex neceſſitatis, vel alia juſta cauſa licentiam iſtam dare poſſint. *Neque dicas*, hoc modo diſpenſationem Epiſcopi fruſtraneam fore, cùm ſecundùm dicta *n.* 8. ex cauſa legitima neceſſitatis quilibet Sacerdos propria authoritate extra locum Sacrum in portatili celebrare poſſit. Dicendum enim cum Pal. *l. cit.* diſpenſationem ejuſmodi non eſſe fruſtraneam; quia ſæpe cauſa neceſſitatis eſt dubia: quo caſu Sacerdos celebrare extra locum Sacrum propria authoritate non poteſt, poteſt autem accedente diſpenſatione Epiſcopi. Explicat hoc Vaſq. *D.* 233. *cap.* 1. *num.* 5. exemplo perſonæ nobilis ægrotantis, quacum diſpenſare poteſt Epiſcopus, ut in ejus domo in loco decenti, profanis uſibus deſtinato, celebretur, ut Miſſam audiat, vel Sanctam Communionem recipiat, ob quam cauſam non videtur Sacerdos propria authoritate celebrare poſſe. 12

Quæritur 4. à quo Eccleſia ſit conſecranda? Reſp. Eccleſia conſecranda eſt ab Epiſcopo, & quidem illo, in cujus Diœceſi erecta eſt, non ab alieno, niſi cum licentia proprii *can. piæ mentis* 26. *cauſ.* 16. *q.* 7. *c. nunc autem* 1. *de Relig. Dom. & c. tua* 2. *hoc tit. Proceditque* hoc etiam quoad Eccleſias Ordinum Exemptorum; nam etiam hæ ab Ordinario loci conſecrandæ ſunt. Konig. *hic num.* 4. Si alius Epiſcopus, ſine proprii Epiſcopi expreſſa licentia, Eccleſiam conſecrare præſumat, conſecratio quidem tenet, ſed temere conſecrans, præterquam, quòd conveniri ad intereſſe poſſit, à celebratione Miſſarum per annum *can. Epiſcopis* 28. *cauſ.* 7. *q.* 1. & à Pontificalium exercitio ipſo Jure ſuſpenditur, tanquam exercens Pontificalia in aliena Diœceſi juxta Trid. *ſeſſ.* 6. *c.* 5. *de reform.* 13

Excipiuntur ii, qui ſpeciale privilegium à Pontifice indultum habent, ut pro conſecratione Eccleſiarum ſuarum recurrere poſſint ad quemcunque Epiſcopum; quale FF. Minoribus ab Honorio IV. Carmelitis à Joanne XXII. & Societati JESU à Paulo III. conceſſum eſt, ſi Epiſcopus Diœceſanus Conſecrationem, humiliter poſtulatam, ultra quatuor menſes diſtulerit. Hoc privilegium Matthæuc. *in Offic. Eccl. c.* 7. *nu.* 13. *verſ. quatuor* putat revocatum eſſe à Trid. *l. cit.* ubi prohibet, ne ullus Epiſcopus prætextu cujuſvis privilegii Pontificalia in al- 14

in alterius Diœcœsi exerceat; fit autem consecratio Ecclesiæ cum Pontificalium exercitio. Sed alii, qui post Trid. scripferunt, revocationis istius non meminerunt, ponuntque exceptionem prædictam sine limitatione. Videantur Miranda *Manual. Prælat. tom.* 2. *quæst.* 39. *art.* 1. *concl.* 3. Lezan. *Summ. qq. Regul. tom.* 3. *V. Ecclesia n.* 5. Tamburin. *de Jur. Abb. tom.* 1. *D.* 23. *q.* 7. Barbos. *Jur. eccl. l.* 2. *c.* 2. *n.* 33.

15 *Dubium est*, an consecratio Ecclesiæ ab Episcopo committi simplici Sacerdoti possit? *Rationem dubitandi* facit *can. Altaria* 32. *de consecr. dist.* 1. ubi Concilium Agathense, Altaria, inquit (conf. etiam Ecclesiæ) non solùm unctione Chrismatis, sed etiam Sacerdotali benedictione sacrari. Verum hic textus obesse nequit; nam, ut communiter Interpretes eum explicant, ibi nomine *Benedictionis Sacerdotalis* venit Benedictio non simplicis Sacerdotis, sed Episcopi.

Hinc retinenda omnino est Sententia negativa, quam etiam defendunt Azor. *p.* 2. *l.* 9. *c.* 4. *q.* 1. Mirand. *Man. Prælat. tom.* 2. *q.* 39. *art.* 1. *concl.* 3. Bonacin. *de Sacram. D.* 4. *q. ult. p.* 9. *n.* 8. Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 27. *n.* 1. Pal. *tr.* 22. *D. un. p.* 8. *num.* 2. Gonzal. *in c.* 9. *h. tit. n.* 2. Vallens. *hic n.* 1. Zoes. *ibid. n.* 1. Honor. *n.* 2. Pirh. *n.* 1. Vviest. *n.* 10. & hoc teste DD. cæteri. *Ratio est*; quia Consecratio Ecclesiæ est actus Ordinis Episcopalis *can. quamvis* 4. *dist.* 68. iste autem simplici Sacerdoti ab Episcopo delegari nequit, licèt ea, quæ sunt Ordinis Episcopalis de Jure solùm Ecclesiastico, delegari possint à Papa, sicut de facto delegata est Abbatibus consecratio calicum, & collatio Minorum Ordinum.

16 Aliud est de benedictione Ecclesiæ; hæc enim, ut bene notat Pal. *tr.* 22. *D. un. p.* 8. *n.* 2. simplici Sacerdoti ab Episcopo committi potest. Et hanc facultatem FF. Minoribus de facto concessit Leo X. ut Superiores illorum possint benedicere Ecclesias, Altaria, & Cœmeteria ad suum tantùm usum, ut habetur in *supplem. Min. fol.* 16. *concess.* 55. & refertur in *Compend. eorund. V. Benedicere* §. 14. quo privilegio utuntur Superiores Societatis Jesu casu, quo Ordinarii abessent, vel ægrè benedictionem concederent. Habetur in *Compend. privil. Societ. V. benedicere* §. 1.

Porro inter Benedictionem, & Consecrationem Ecclesiæ hoc discrimen interjacet, quòd Consecratio adhæreat parietibus, Benedictio pavimento: hinc dirutis parietibus, perit Consecratio, non autem Benedictio, sed manet, modò Ecclesiæ ædificium destructum non sit authoritate Superioris, & sine spe reædificationis, ut rectè advertunt Sylv. *V. Consecratio* 2. *q.* 4. Suar. *D.* 81. *sect.* 4. *cas.* 6. Sanch. *l.* 9. *de matr. D.* 15. *n.* 37. Laym. *l.* 5. *c.* 5. *n.* 15. *vers. porro*. Pal. *tr.* 22. *D. un. p.* 8. *n.* 15. Vviest. *hic n.* 12.

17 Quæritur 5. quid observare Episcopus debeat in consecranda Ecclesia? Resp. 1. providere debet, ut consecrandæ Ecclesiæ facta sit dotis competentis assignatio *can. piæ mentis* 26. *caus.* 16. *q.* 7. Gloss. *ibid. V. collata*, Piasec. *prax. Episc. p.* 1. *c.* 5. *n.* 2. Ugolin. *de Offic. Episc. c.* 28. *n.* 3. Barbos. *l.* 2. *Jur. Eccl. c.* 2. *n.* 34. *Excipiuntur* Ecclesiæ Ordinum Mendicantium, & aliorum Religiosorum junctæ eorum Monasteriis; nam illæ ex Eleemosynis, istæ ex redditibus Monasterii sustinendæ sunt.

2 Consecrari non debet Ecclesia, quam quis *non pro devotione fidei, sed pro quæstu cupiditatis*, h. e. eo fine *ædificat, ut quidquid ibidem de oblatione populi colligitur, medium cum Clericis dividat, eò quòd Basilicam in terra sua quæstus causa condiderit*, prout dicitur *can. si quis Basilicam* 10. *de consecr. dist.* 1. ubi dicitur *Votum hoc abominabile*, & prohibetur Episcopis, ne talem Ecclesiam audeant consecrare.

18 Tam ipse Episcopus consecrans, quàm Patroni Ecclesiæ consecrandæ sint jejuni tempore Consecrationis, & pridie quoque ejus diei jejunent, ut statuit Leo Pontif. *in Epist. ad Diodor.*

4 Facienda est Consecratio Ecclesiæ per signationem, & unctionem parietum cum oleo Sacro, & alias ceremonias præscriptas in Pontificali Romano; specialiter autem præscribitur, ut fiat inter Missarum solemnia, prout videre *can. omnes Basilicæ* 3. *de consecr. dist.* 1. quod tamen requiritur solùm de decentia, non verò de necessitate: hinc si aliter fiat, licèt non careat culpa, factum tamen tenet. Mirand. *Man. Prælat. tom.* 2. *q.* 39. *art.* 1. *concl.* 3. *fin.* Azor. *p.* 2. *l.* 9. *c.* 4. *q.* 2. Barbos. *l.* 2. *Jur. Eccl. c.* 2. *n.* 37.

19 5 In Ecclesiæ consecratione poni in illa debent Reliquiæ; nam eas requirit Pontificale Romanum, & idem videtur probari ex *can. placuit* 26. & *can. de fabrica* 24. *de consecr. dist.* 1. adeò ut non pauci cum Azor. *p.* 1. *l.* 10. *c.* 27. *q.* 8. Leo *Thesaur. for. Eccl. p.* 1. *c.* 5. *n.* 11. Piasec. *prax. Episc. p.* 1. *c.* 2. *art.* 4. *num.* 9. *vers. & quidem* putent id esse de substantia Consecrationis: quod tamen alii cum Anton. Ricciul. *Lucubr. Eccl. l.* 1. *c.* 4. negant, licèt concedant, Episcopum, si absque Reliquiis, quas tamen habere posset, consecrationem Ecclesiæ, vel Altaris faciat, peccare mortaliter, quòd faciat contra communem Ecclesiæ morem, & consuetudinem in Pontificali deductam.

6 Quamvis consecrans spontè oblatum ab his, qui indigentes non sunt, & Procurationes Canonicas licitè possit accipere, exigere tamen pro consecratione Ecclesiæ nihil potest; alioquin labem Simoniæ non effugiet *can. statuimus* 106. *caus.* 1. *q.* 1. & *c. cùm sit Romana* 10. *de Simon.*

7 Decet, ut consecratio Ecclesiæ fiat die Dominico, aut Festo, & ita etiam solet: de Jure tamen fieri potest omni tempore, & qualibet die. Azor. *p.* 2. *l.* 9. *c.* 4. *q.* 5. Piasec. *prax. Episc. p.* 1. *c.* 2. *art.* 4. *n.* 4. Ugolin. *de Offic. Episc. c.* 28. *n.* 2. Barbos. *l.* 2. *Jur. Eccl. c.* 2. *n.* 39. & *in c. tua* 2. *h. tit. n.* 1. & 4. Gonzal. *ibid. n.* 2. Vallens. *hic n.* 1. Zoes. *ibid. n.* 1. Pirh. *n.* 2. Schambog *n.* 2. Vviest. *num.* 13. & patet ex *c. tua cit.* ibi, *Tam diebus Dominicis, quam privatis*, i. e. non festivis. *Neque obstat*, quòd Consecrationes Episcoporum, Clericorum, & Virginum non nisi certis diebus fieri possint. Nam disparitas est; quia consecratio personarum est dignior, & firmior, quàm rei inanimatæ, qualis Ecclesia est: ideo in his consecrandis non est opus tanta solemnitate, quanta in illis. Abb. *in c. tua cit. n.* 2. Pirh. *hic n.* 2. 20

Quæritur 6. utrum Consecratio Ecclesiæ iterari possit? Resp. regulariter non posse *can. Ecclesiis* 20. *de consecr. dist.* 1. *can. de fabrica* 26. *ibid. c. ligneis* 6. *h. tit.* Gloss. *ibid. V. parietibus*, Sylv. *V. consecr.* 2. *q.* 4. Suar. *tom.* 3. *q.* 83. & *tom.* 5. *D.* 81. *sect.* 5. Barbos. *l.* 2. *Jur. Eccl. c.* 2. *n.* 41. Pirh. *hic n.* 3. Konig *num.* 7. Vviest. *num.* 16. 21

Excipitur 1. si in Consecratione non est adhibita debita forma, ab Ecclesiasticis Ordinationibus præscripta; quia aliquid non fieri, & non rite fieri paria sunt *arg. l. nam cùm* 2. *ff. ne quis eum, qui in jus &c.*

Excipitur 2. si ignoretur, vel dubitetur, an Ecclesia semel consecrata fuerit; quia consecratio est quid facti; conf. non præsumitur, sed probari debet. Censetur autem, & præsumitur consecrata, si id constiterit ex instrumento dotationis confecto, vel ex scriptura in columna, aut tabula aliqua marmorea inserta; si Cruces in parietibus ejusdem depictæ sint, quales fieri solent, dum consecratur Ecclesia; si testis etiam unicus adsit, qui testetur se vidisse, imò etiam secundum quosdam, se audivisse Ecclesiam esse consecratam: quia aliàs Regulare est dogma, quòd quando de nullius præjudicio agitur, imperfectæ probationes sufficiant. Abb. *in c. proposuisti* 4. *num.* 6. *h. tit.* Mascard. *de probat. concl.* 415. *num.* 4. Azor. *p.* 1. *l.* 10. *c.* 26. *q.* 11. & *p.* 2. *l.* 9. *c.* 4. *q.* 4. Ugolin. *de Offic. Episc. c.* 28. *n.* 3. Barbos. *l.* 2. *Jur. Eccl. c.* 2. *n.* 43. & *duobus seqq.* Vallens. *hic n.* 3. Honor. *ibid. n.* 4. Engl *n.* 1. *vers. quamvis*, Pirh. *n.* 3. & 7. Schamb. *n.* 3. Konig *n.* 7. *fin.* Deficientibus hujusmodi probationibus, & conjecturis, Ecclesia de novo consecrari debet *can. solemnitates* 16. junct. Gloss. *V. nec certi testes*, & *can. Ecclesia* 18. *de consecr. dist.* 1. *quoniam non monstratur esse iteratum, quod nescitur factum*, ut dicitur *can. solemnitates cit. Excipiuntur* Cathedrales antiquæ; quia hæ statim, ac perfecta earum est fabrica, dedicari solent, ut adeo in dubio meritò præsumantur consecratæ: & dicenti contrarium incumbit onus probandi ex textu *can. omnes Basilicæ* 3. *de consecr. dist.* 1. Rota *coram Manzan. decis.* 801. *num.* 11. Ricciu*s prax. resol.* 479. *p.* 1. Monacell. *q.* 1. *form.* 10 *tit.* 6. *n.* 25. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de reb. Eccl. c.* 2. *n.* 78. 22

Excipitur 3. si Ecclesia exsecretur: quod duobus modis potest contingere. 1. Quando Ecclesia incendio ita exuritur, ut parietum etiam non corruentium crusta interior majori ex parte tollatur, & abradatur *can. Ecclesiis cit.* Gloss. *ibid. V. exustæ*, Piasec. *prax. Episc. p.* 1. *c.* 2. *art.* 4. *n.* 6. *vers. secundò*. Mirand. *tom.* 2. *Man. Prælat. q.* 39. *art.* 4. *concl.* 1. Ugolin. *de Offic. Episc. c.* 28. *n.* 4. *vers. postremò*, Barbos. *l.* 2. *Jur. Eccl. c.* 2. *num.* 46. & *in c.* 6. *h. tit. n.* 2. Matthæucc. *Offic. Eccl. c.* 7. *n.* 7. Vallens. *hic n.* 4. Honor. *ibid. n.* 4. Pirh. *n.* 8. Schambog. *n.* 3. quia Consecratio consistit in exteriore parte, seu superficie parietum, qui Chrismate liniuntur, & in quibus Crucis signum apponitur; ideoque ex horum combustione, vel notabili abrasione violatur consecratio, etiamsi parietes non corrue- 23

corruerint. Abb. *in c. proposuisti* 4. *n.* 7. *h. tit.* 2. Et multo magis execratur Ecclesia, quando corruunt ipsi parietes vel ex toto, vel saltem ex majore sui parte. Pirh. *n.* 9. cum reliquis *suprà*. Aliud est, si tectum solummodo corruat, integris, & illæsis remanentibus parietibus, vel si de his etiam quid modicum dirutum sit, majori illorum parte illæsa *c. ligneis* 6. *h. tit.* Gambarupt. *de casib. reservat. cas.* 6. *n.* 16. *fol.* 204. Azor. *p.* 1. *l.* 10. *c.* 26. *q.* 12. Piasec. *p.* 1. *prax. Episc. c.* 2. *art.* 4. *n.* 6. *vers. secundò*, Barbos. *l.* 2. *Jur. Eccl. c.* 2. *n.* 48. *& in c.* 6. *h. tit. n.* 1. Matthæucc. *Offic. Eccl. c.* 7. *n.* 7. Vall. *hic n.* 4. Zoes. *ibid. n.* 1. *&* 16.

24 Quæritur 7. an nova Consecratione sit opus, quando Ecclesia prius diruta ex eadem prorsus materia de novo extruitur? *Ratio dubitandi* est; quia Ecclesia comparatur navi *can. ante omnia* 7. *dist.* 40. & *can. non turbatur* 7. *caus.* 24. *q.* 1. atqui navis animo reficiendi disjecta, si ex iisdem tabulis compingatur, eadem censetur, in eaque Ususfructus, & aliæ obligationes perseverant *l. inter stipulantem* 83. §. *sacram* 5. *ff. de V. O.* & *l. qui res* 98. §. *arcam* 8. *ff. de Solution.* ergo & Ecclesia erit eadem in dato casu, consf. nova consecratione non indigebit.

25 Sed retinenda est affirmativa sententia, quam etiam defendit Gloss. *in can. de fabrica* 24. *de consecr. dist.* 1. Abb. *in c.* 4. *h. tit. n.* 8. Ugolin. *de Offic. Episc. c.* 28. *n.* 4. *vers.* 2. Pax Jordan. *Vol.* 1. *l.* 5. *tit.* 9. *n.* 70. Barbos. *l.* 2. *Jur. Eccl. c.* 2. *n.* 49. Pasqualig. *de Sacrif. tom.* 1. *q.* 533. *n.* 7. Engl *hic n.* 2. Pirhing *ibid. n.* 9. Konig *n.* 7. Vviest. *n.* 22. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de reb. Eccl. c.* 2. *n.* 79. & colligitur ex *can. de fabrica cit.* Nec distinguendum est, an casu corruerit Ecclesia, an ea mente tigna pro majori parte deposita fuerint, ut reponerentur. Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 27. *n.* 15. *Ratio est*; quia Ecclesia semel diruta, sive ex eadem, sive ex diversa materia de novo construatur, censetur formam priorem, cui moraliter Consecratio inhærebat, amisisse, nec ampliùs esse eadem, sed nova, ut nova censetur domus, si postquam diruta est, surgat denuò ex eadem licèt materia *l. quid tamen* 10. §. *in navis* 7. *vers. nam & si ff. quib. mod. Ususfr. amitt.*

26 *Ad Rationem dubitandi*, in casu dictarum Legum eadem navis manet quantum ad retentionem dominii, & possessionis civilis, quorum utrumque retinet is, cujus voluntate navis dissolvitur cum intentione, ut ex iisdem tabulis denuò construatur; de reliquo autem certum est, quod per refectionem ex eadem materia eadem numero forma non conservetur: hinc quia in consecratione Ecclesiæ consideratur forma, textus *citt.* responsioni datæ non obsunt. Deinde quidquid sit de navi, major certè in ædificio mutatio contingit, cùm illud ex materia antiqua construitur, quàm contingat in navi, quando ista ex tabulis antiquis consarcinatur; neque enim ut eædem tabulæ pro refectione navis, ita idem cæmentum, iidem lapides, & lateres eo, quo priùs fuerunt, modo accommodantur. Hinc dicendum, Ecclesiam quidem comparari navi quoad gubernationem, quoad consecrationem autem magis assimilari domui, quæ juxta §. *sacram cit.* etsi cum intentione reficiendi dissoluta, & reædificata alia sit, nova esse censetur.

27 Quæritur 8. an de novo consecranda sit Ecclesia, quando ejus parietes successivè reparantur, ita, ut nunquam major pars destruatur? Affirmant Innoc. *in Rubr. h. tit. n.* 1. Abb. *in c.* 4. *h. tit. n.* 8. Honor. *hic n.* 5. eosque secuti nonnulli alii: & suadetur duplici ratione. 1. Quia in Spiritualibus rei veritas potiùs, quàm Juris fictio attendi debet. atqui hoc casu Ecclesia talis revera non est eadem, quæ antea fuit, sed nova; ergo &c. 2. Consecratio, ut *suprà num.* 16. dictum est, adhæret parietibus, isti autem ponuntur successivè omnes sublati. igitur etiam Consecratio sublata censebitur.

28 Sed melius negativam defendunt Gloss. *in c.* 4. *cit. V. reconciliari*, Host. *ibid. colum.* 2. Sylv. *V. Consecratio* 2. *q.* 5. Azor. *p.* 2. *l.* 10. *c.* 26. *q.* 12. *vers. at in dubium*, & *p.* 2. *l.* 9. *c.* 4. *q.* 6. Alter. *de Censur. tom.* 2. *D.* 3. *c.* 1. *vers. quando autem*. Fagund. *præc. Eccl.* 1. *l.* 3. *c.* 15. *n.* 59. Suar. *p.* 3. *D.* 81. *sect.* 4. *c.* 6. Laym. *l.* 5. *tr.* 5. *c.* 5. *n.* 16. Barbos. *in c.* 6. *h. tit. n.* 3. Pasqualig. *q.* 535. *art.* 3. *& seqq.* Vallens. *hic n.* 4. *vers. sed neque*, Engl *ibid. n.* 2. *vers. non tamen*, Zoes. *n.* 16. Vviest. *num.* 24. Matthæucc. *Offic. Eccl. c.* 7. *n.* 7. *vers. quatenus*, Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de reb. Eccl. c.* 2. *n.* 81. *&* 82. *Ratio est*, quia cùm ponatur successivè reparata Ecclesia, semper, una parte destructa, remansit pars major Ecclesiæ, quæ cum consecrationem suam retinuerit, etiam ad se traxit partem novam, ita, ut etiam ipsa consecraretur *arg. c. quod in dubii* 3. *in fin. h. tit. Conf.* per exempla à Jcto proposita *l. proponebatur* 76. *ff. de Jud.* sic enim eadem manet Legio militum, & idem populus, licèt prioribus hominibus emortuis, substituantur novi; similiter idem censetur corpus hominis, licèt illud ex novis accedentibus alimentis in dies reficiatur: quorum omnium ratio una est, quia in hujusmodi rebus, specie extrinseca non mutata, res eadem existimatur.

Idem dicendum, quando Ecclesia ampliatur, & minor pars de novo accedit majori veteri; nam etiam tunc nova consecratione opus non est; quia major pars trahit ad se minorem *c. quod in dubiis cit.* quod verum saltem est tunc, quando per hujusmodi accessionem forma Ecclesiæ notabilem mutationem non patitur, ut notat Pasqualig. *de Sacrif. tom.* 1. *q.* 534. *n.* 2. sufficier ergo in hoc, & *n. præc.* casu adhiberi benedictionem novam partis accedentis, vel Ecclesiæ sic immutatæ per aspersionem aquæ benedictæ. Gloss. *marg. in can. de fabrica* 24. *vers. innovata de consecr. dist.* 1. Antonell. *de Regim. Eccl. l.* 1. *c.* 17. *num.* 3. Engl *hic n.* 2. *vers. non tamen*, Konig *n.* 7. Matthæucc. *vers. quatenus cit.* quod tamen ipsum, etsi laudabiliter, pieque fiat, Jure tamen non est expressum, ut bene notat P. Vviestner *hic n.* 24. 29

Neque obstant Argumenta contraria. *Ad* 1. hoc casu Ecclesia censetur manere eadem moraliter, sicut moraliter eadem manet Legio, populus, grex &c. licèt successivè primis decedentibus, succedant alii homines, & animalia. *Ad* 2. negatur perire Consecratio; quia semper à partibus remanentibus diffunditur in novam. 30

§. II.

De Consecratione Altaris, & aliorum, quæ in Sacrificio Missæ adhibentur.

SUMMARIUM.

31 *Quotuplicis generis sint Altaria?*
32 33 34 *Cujus debeant esse formæ?*
35 *An omnia Altaria debeant esse consecrata?*
36 *Quale peccatum committat, qui Missam celebrat sine Altari consecrato?*
37 *A quo consecranda Altaria sint de Jure?*
38 *De Privilegio Apostolico quinam id possint?*
39 *An Abbas facultate consecrandi Altaria, per privilegium Apostolicum sibi concessa, uti possit etiam in aliis Ecclesiis ex commissione Episcopi?*
40 *Tenetur sententia affirmans.*
41 *Ratio dubitandi solvitur.*
42 *Quibus casibus repeti Consecratio Altaris possit?*
43 *Quando exsecretur Altare? Una causa est læsio ejusdem enormis.*
44 *Altera violatio Sepulchri.*
45 *Tertià remotio lapidis superioris à basi in Altari fixo.*
46 *An Ecclesia iteratò sit consecranda, quandò Altare fuit exsecratum; & vicissim, an Altare sit de novo consecrandum, quando Ecclesia fuit exsecrata?*
47 *Quid dicendum, quando Ecclesia, vel Altare fuit pollutum?*
48 *Ex qua materia Calices, & Patenæ constare debeant?*
49 *An possint fieri etiam ex stanno, vel plumbo?*
50 *A quo consecrari debeant?*
51 *An Prælati inferiores Episcopo potestatem eos consecrandi exercere possint etiam pro aliis, quàm suis Ecclesiis?*
52 *Quomodo amittatur Consecratio Calicis, & Patenæ?*
53 *An amittatur, quando deauratio interior temporis diuturnitate absumpta est? Fundamenta sententiæ affirmativæ.*
54 *Fundamenta sententiæ negantis.*
55 *An bene Consecratio adhibeatur Camparis?*
56 *An istæ suspendi possint etiam in Oratoriis privatis?*
57 *An sonitu earum populus convocari ad arma?*
58 *Quis benedicere Vestes, & Paramenta pro Sacrificio Missæ possit?*
36 *Ad quem recurrendum pro benedictione eorum, quæ requirunt Chrismatis unctionem?*
60 *Quando Vestes, & Paramenta Sacra Benedictionem amittant?*
61 *An eam amittant etiam, quando reficiuntur?*
62 *Quid tenendum de consecratione, & benedictione Cœmeterii?*

INter ea, quæ in Sacrificio Missæ adhibentur, & consecrari solent, sunt 1. *Altaria*. Hæc duplicis 31

solent

solent esse generis, videlicet Fixa, & Portatilia. *Fixa* dicuntur, quòd stabilia sint, & ut in Ecclesia firmiter perseverent, consecrantur. *Portatilia* autem, quia consecrantur, ut ex uno loco in alium portari possint. Ad Sacrificium celebrandum quodcunque sufficit; quia tam Portatile, quàm Fixum verum Altare est; nam ut rectè Vasq. *D.* 233. *c.* 2. *n.* 10. & ex eo Pal *tr.* 22. *D. un. p.* 9. *n.* 1. advertunt, *cap. fin. de Privil. in* 6. Episcopis per hoc non est concessum Privilegium speciale, quòd in Altari portatili in Ecclesia celebrare possint (nam hoc de Jure communi concessum est omnibus) sed quòd extra Ecclesiam in quovis decenti loco super Altari portatili Sacrificium possint peragere, quod de Jure communi, ut *num.* 7. dictum est, negatur cæteris.

32 Dub. 1. cujus formæ debeant esse Altaria? Resp. 1. debent esse lapidea, saltem quoad partem superiorem, super quam reponitur Sanctissimum Corpus, & Sanguis Christi; licèt enim ante tempora S. Sylvestri Pontificis ob tyrannorum persecutionem in Altaribus ligneis Sacerdotibus permissum sit celebrare, & ipse S. Petrus in tali Altari celebravit, postea tamen prædictus S. Pontifex statuit, ut Sacrificium Missæ perageretur non nisi in lapideo, prout constat *can. Altari* 31. *de consecr. dist.* 1. ad designandum, quòd Sacerdotes Sacrificantes annuntient mortem Domini 1. *Cor.* 11. qui sepulchro lapideo tumulatus est.

33 2 Ex consuetudine recepta prædictum Altare lapideum non ex duplici lapide colligato, sed ex uno integro constare debet, ut sic aptiùs unitas personæ, quæ in Christo est, repræsentetur. Vasq. *D.* 233. *c. c.* 2. *n.* 16. Bonac. *q. ult. p.* 9. *n.* 13. Pal. *tr.* 22. *D. un. p. n.* 2.

3. Figura ejusdem debet esse quadrangularis, tanquam accommodatior ad Sacrificium peragendum, & juxta antiquissimum Ecclesiæ usum. Vincent. Petra *tom.* 4. *comment. fol.* 276. *n.* 33.

34 4. Debet esse tantæ magnitudinis, ut super eo commodè collocari possit calix cum patena, vel saltem eorum major pars absque periculo dilabendi. Azor. *p.* 1. *l.* 10. *c.* 27. *q.* 7. Barb. *de Offic. Episc. alleg.* 27. *n.* 21. Matthæucc. *Offic. Eccl. c.* 7. *n.* 21. Petra *l. c. n.* 33. Sacra tamen Congregatio Episcoporum censuit, ejus latitudinem non debere esse minorem uno palmo, ut idem Petra *l. c.* testatur ex Nicol. *in flosc. n.* 5. §. *dummodo*.

5. Sepulchrum quoque, & Sigillum omnia Altaria habere debent, i. e. cavitatem aliquam, in qua Reliquiæ Sanctorum recludantur: de quo quid sentiendum, dictum est *suprà n.* 19. & latè disputat Pal. *l. c. n.* 4.

35 Dub. 2. an omnia Altaria debeant esse consecrata, ut Sacrificium Missæ fieri super iisdem possit? Resp. affirmativè, idque verum est, sive fixa illa sint, quorum mentio fit *can. si motum* 19. *de consecr. dist.* 1. & *c. ad hæc* 1. *h. tit.* sive portatilia, de quibus *can. concedimus* 39. *dist. c.* Estque mos iste consecrandi Altaria antiquissimus, & concorditer receptus tam in Lege naturæ, & scripta Mosaica, quàm in Lege gratiæ. *In Lege naturæ* quidem; nam ut habetur *Gen.* 28. Jacob erexit lapidem, ut ibi sacrificaret, eumque consecravit fundens oleum desuper, & appellavit Domum Dei. *in Lege scripta* Moyses consecravit oleo, & aliis ceremoniis Tabernaculum, Altare, & omnia vasa Sacra. *Exod.* 40. & *n.* 7. *In Lege gratiæ* receptam, & simul perceptam esse consecrationem ut Ecclesiarum, ita & Altarium, constat ex *can. Altaria* 31. *de consecr. dist.* 1. & aliis congestis adversùs Hæreticos probat Bellarm. *tom.* 1. *contr. l.* 1. *de Miss. c.* 16. Si enim antiquæ Legis Sacrificia, quæ umbra tantùm fuerunt Sacrificii novæ Legis, Altare postularunt, certis ritibus consecratum, quanto magis hoc admirabile, & Divinum Sacrificium expostulare id debet?

36 Ex quo inferunt DD. quòd consecrans absque Altari gravissimum peccatum committat, utpote committens contra præceptum in re gravi, scilicet concernente Divinum Cultum, & reverentiam Sanctissimo huic Sacrificio debitam. Pal. *tr.* 22. *D. un. p.* 9. *n.* 1. Clericat. *de Sacrif. Miss. decis.* 13. *n.* 34. qui in *num. seqq.* tria antiquitatis exempla refert, S. Luciani Martyris, S. Theodoreti Episcopi, & S. Apollinaris Episcopi, qui ex speciali Spiritus Sancti impulsu sine Altari Sacrosanctum hoc Sacrificium immolarunt.

37 Dub. 3. à quo consecranda Altaria sint? Resp. de Jure communi consecranda sunt ab Episcopo, non à simplici Sacerdote *can. quamvis* 4. *dist.* 68. *can. nullus* 25. *de consecr. dist.* 1. *c. cum sit* 5. *h. t.* & *Pontific. Roman. p.* 2. *t. de Altar. consecr.* Neque contrarium probatur ex *can. Altaria* 32. *de consecr. dist. c.* dum ibi dicitur, *Altaria Chrismatis unctione & Sacerdotali benedictione consecrari*; nam ut jam *suprà n.* 15. respondi, nomine Sacerdotalis Benedictionis intelligenda est Episcopalis. Estque hoc ita verum, ut Consecratio Altaris simplici Sacerdoti ab alio, quàm Summo Pontifice committi nequeat; quia est actus Ordinis Episcopalis, ut bene cum aliis Barbos. *de Offic. Episc. allegat.* 27. *n.* 23. Tambur. *de Jur. Abb. tom.* 1. *D.* 23. *q.* 4. *num.* 2. Pirh. *hic n.* 22. Konig *n.* 5.

Dixi, *ab alio, quàm Summo Pontifice*; nam Privilegio Apostolico potestas consecrandi Altaria simplici Sacerdoti committi potest, ut cum *citt.* notat Pal. *tr.* 22. *D. un. p.* 9. *n.* 3. quia licèt sit actus Ordinis Episcopalis, talis tamen solummodo est Jure Ecclesiastico, in quo dispensare Summus Pontifex potest. Et tale privilegium 1. concessum est Abbatibus Cassinensibus, ut Altaria fixa pro suis tantùm Ecclesiis, portatilia verò non tantum ad usum suorum Monachorum, Ecclesiarum, & locorum sibi subjectorum, sed etiam aliorum dictæ Congr. à quibus ad eos ad hunc effectum deferri illa contigerit, consecrare possint, Ordinariorum licentia minimè requisita, per *Const. Pii IV. in Bullar. nov. tom.* 2. 2. Abbatibus omnibus Ordinis Cistercienses, à Gregor. XIV. teste Rodriq. *tom.* 1. *qq. Regul. q.* 28. *art.* 2. 3. Provincialibus Ordinis Minorum, & Fratribus, quibus ipsi id commiserint, pro Indiis in casu necessitatis, Episcopis in Provincia non existentibus ab Honorio III. & Adriano VI. teste *eod.* Roderiq. 4. Religiosis Societatis JESU, in remotissimis partibus degentibus, ubi Catholicus Episcopus inveniri facilè non potest, à Paulo III. anno 1549. & refertur *in Compend. priv. Societ. V. Ecclesia* §. 1. 38

Dub. 4. an Abbas facultate Altaria consecrandi, per Privilegium Pontificum sibi concessa, & ad certas Ecclesias restricta, ex licentia, & commissione Ordinarii, uti possit in aliis quoque Ecclesiis? *Ratio dubitandi est*; quia hoc ipso, quòd potestas consecrandi Altaria, Abbati concessa, restricta sit ad certas Ecclesias, in alias nulla est, cùm potestas limitata non contineat ea, quæ sunt extra limitationem, & per consequens Ab. sic se habet respectu talium Ecclesiarum, ac si potestatem non haberet. atqui si hoc verum est, neque ex commissione Ordinarii obtinere, aut exercere eandem potest, cùm noti Juris sit, quòd potestas Ordinis, qualis est potestas consecrandi Altaria, ab Episcopo committi nequeat alicui, qui aliàs de Jure, vel privilegio eam potestatem non habet. 39

Sed his non obstantibus, P. Konig *hic n.* 6. affirmativam defendit: quod videtur probari à pari; nam etiam potestas conferendi primam Tonsuram, & Ordines Minores Abbatibus restricta est ad proprium Monasterium, & subditos Regulares, & tamen Abbates rectè, & licitè cum licentia, & ex speciali commissione Ordinarii eos conferunt in aliis locis & non subditis, etiam Sæcularibus, ut pluries resolutum est à *S. Congr. Concil.* teste Fagn. *in c. aqua h. tit. n.* 8. quod si hoc in materia Sacramenti, multo magis fieri poterit in materia Sacramentalium, quò Altarium, & aliæ consecrationes pertinent. 40

Ad Rationem dubitandi retorquetur Argumentum in potestate conferendi primam Tonsuram, & Minores Ordines, quæ usu limitata sit quoad personas, ex commissione tamen Episcopi ad alias personas, limitatione illa non comprehensas, extendi potest. Quare ad Argumentum dico id, quod dicitur, Episcopum non posse committere alteri non Episcopo potestatem consecrandi Altaria, intelligendum esse de eo tantùm, qui nullam omnino quoad hoc potestatem habet. 41

Dub. 5. an, & quando iterari Consecratio Altaris possit? Resp. hujus, ut Ecclesiæ, consecratio regulariter iterari nequit. Casus, quibus repeti potest, & debet, sunt ferè iidem, quos *suprà n.* 21. *& duob. seqq.* de Ecclesiis retuli. 1. Quando in ejus consecratione non est adhibita forma ab Ecclesia præscripta *arg. can. Ecclesiis* 20. *de consecr. dist.* 1. 2. Quando ignoratur, vel dubitatur, an aliquando consecratum sit *can. Ecclesiæ* 18. *dist. cit.* 3. Quando Altare exsecratur. 42

Porro Altare exsecratur 1. quando enormiter læsum, aut fractum est *c. ad hæc* 1. *c. quod in dubiis* 3. *c. ligneis* 6. *h. tit.* Censetur autem Altare enormiter fractum, si ita fractum sit, ut in residua, & integra ejus parte pes Calicis cum Sacra Hostia, & patena commodè stare nequeat, sicut contingit, quando fractura per medium Altaris transit, ubi Calix ponitur. Laym. *l.* 5. *tr.* 5. *c.* 6. *num.* 4. neque possunt eo casu fragmenta conjungi iterum. Petra *tom.* 4. *fol.* 276. *n.* 34. Quòd si tantùm cornua Altaris, in quibus unctio est facta, frangantur, meliùs dicitur Consecrationem non amitti, eò, quòd consecratio intelligatur inesse toti Altari, & in majori ejus parte, capiendo calici idonea, conservari. Laym. *l. cit. n.* 5.

n. 5. *vers. id verò*, Schamb. *hic num.* 21. Pirh. *n.* 23. Magnif. P. Schmier. *p.* 2. *de reb. Eccl. c.* 1. *n.* 93. In dubio, an diminutio; seu fractura impediat legitimam calicis, & patenæ continentiam, Episcopus judicare debet, neque alteri arbitrium committitur. Pal. *tr.* 22. *D. un. p.* 9. *n.* 7.

3 2 Quando Altaris sepulchrum; sive locus Reliquiarum, & ut vocatur, Lapidis Sigillum tollitur, aperitur, frangitur, diminuitur. Honor. *hic num.* 22. Engl *n.* 5. Pirh. *n.* 26. Konig *n.* 8. Petra *n.* 34. *cit.* & pro hoc adducunt *c. ad hæc* 1. *h. tit.* Verùm, ut bene Conink *q.* 83. *art.* 3. *dub.* 2. *n.* 240. Laym. *c.* 6. *cit. n.* 8. *vers. porro*, Pal. *n.* 6. *vers. verùm*, advertunt, ex hoc textu nihil probatur; quia ibi non dicitur Altaris consecrationem amitti, si sigillum frangatur, sed si lapis, sive mensa consecrata frangatur, in qua sigillum, seu Reliquiarum receptaculum continetur. Hinc dicendum, modum hunc, quo Altaria Sigilli violatione exsecrantur, Jure scripto quidem probari non posse; firmatum tamen esse per consuetudinem, juxta quam Altaria per fractionem sigilli censentur exsecrata, & solent denuo consecrari. Laym. Palao *l. citt.*

4 Quando Altaris fixi Mensa, seu lapis superior removetur à basi, seu structura, cui ea est affixa, vel columnis, quibus lapis ille, seu mensa conjuncta, aut firmiter innixa est *can. si motum* 19. *de consecr. dist.* 1. *c. quod in dubiis* 3. & *c. ligneis* 6. *h. tit.* Pax Jord. *Vol.* 1. *l.* 5. *tit.* 10. *à n.* 45. Vivian. *in c.* 1. *h. tit. pr.* Barbos. *ibid. n.* 3. & *alleg.* 27. *à num.* 25. Pal. *l. cit. n.* 9. Honor. *n.* 22. *hic* Engl *n.* 3. *fin.* Pirh. *n.* 24. Schamb. *n.* 21. Konig *n.* 8. Matthæucc. *Offic. Eccl. c.* 7. *n.* 21. *vers. Altare*, & *vers. seq.* quia, ut dicit Gloss. *in c. ad hæc cit.* Altare fixum, ut fixum, & stabile perseveret, consecratur. Quòdsi Al-
5 tare fixum permanere firmiter possit, aliquibus lapidibus, qui basim ejus constituunt, dimotis, Consecrationem non perdit; quia absolutè eandem formam retinet, sub qua fuit consecratum, ut bene aliis relatis advertit Vasq. *D.* 233. *c.* 2. *n.* 13. Laym. *l.* 5. *tr.* 5. *c.* 6. *n.* 3. Suar. *D.* 81. *sect.* 5. *in med.* Pal. *num.* 9. *cit.* Pirh. *hic n.* 24. Imò si tota mensa superior lapidea simul cum lapidibus principalibus, seu columnis, quibus innititur, moveatur de loco in locum, non obinde exsecratur; quia prædicti textus non de motione, & separatione locali, sed de motione, & separatione à structura loquuntur, ut cum *citt.* notat Barbos. *in c.* 1. *h. tit. n.* 2. Similiter Altare portatile non perdit consecrationem, etsi separetur à ligno, cui est inclusum; lignum enim non apponitur lapidi, nisi ad ornamentum, vel ad custodiam lapidis, neque est capax consecrationis, cùm non sit lapis. Abb. *in c.* 1. *cit. n.* 3. Laym. *n.* 3. Pirh. *n.* 24. *Excipitur*, nisi in ligno Sigillum, sive loculus Reliquiarum sit inclusus; tunc enim per separationem ligni à lapide videtur execrari Altare portatile, ut plures putant.

6 Dub. 6. an Ecclesia iteratò sit consecranda, quando Altare fuit exsecratum; & vicissim an Altare sit de novo consecrandum, quando Ecclesia fuit exsecrata? Resp. negativè. Ita Sylv. *V. Altare q.* 11. Mirand. *tom.* 2. *Man. Prælat. q.* 39. *art.* 7. Suar. *D.* 81. *sect.* 5. *vers. in tertia parte*, Barbos. *de Offic. Epis. alleg.* 27. *n.* 26. Laym. *l.* 5. *tr.* 5. *c.* 5. *in fin.* Pal. *tr.* 22. *D. un. p.* 9. *n.* 9. Gonzal. *in c.* 6. *h. tit. n.* 14. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de reb. Eccl. c.* 1. *n.* 97. Sufficiet ergo, si quod execratum est, sive Ecclesia, sive Altare illud sit, reconsecretur. *Ratio est*; quia & Ecclesiæ, & Altaris consecratio stat per se principaliter, nec una alterius est accessoria. ergo tametsi una propter defectum subjecti, vel formæ moraliter intereat, potest tamen persistere altera. Textus, qui oppositum videntur innuere, in specie *can. de fabrica* 24. *de consecr. dist.* 1. & *c. si motum* 19. *h. tit.* per *c. ad hæc* 1. *h. tit.* vel declarati, vel correcti sunt.

7 Aliter verò dicendum de pollutione: nam Altari polluto per sanguinis, vel seminis effusionem, Ecclesia polluta censetur: & è contrario Ecclesia polluta, omnia altaria fixa ibidem existentia polluta censentur. Laym. *l.* 5. *tr.* 5. *c.* 5. *in fin.* Pal. *n.* 9. *cit. in fin.* Barbos. *in c.* 1. *h. tit. n.* 4. Matthæucc. *Offic. Eccl. c.* 7. *n.* 21. *vers. semel*, Pirh. *hic n.* 28. Schambog. *n.* 23. Wiestner *n.* 49. Ratio disparitatis inter hunc, & *n. præc.* casum est; quia pollutio afficit totum corpus interius Ecclesiæ & in ea contenta indivisibiliter, adeoque quocunque in loco contingat, ad totam Ecclesiam, & partes illius quascunque porrigitur; exsecratio autem solos parietes, aut Altare, ut adeo exsecrari Ecclesia, non exsecrari Altare, vel Altare exsecrari, non exsecrari Ecclesia possit.

II. Præter Ecclesias, & Altaria consecrari debent etiam *Calices*, & *Patenæ*. De his

Dubitatur 1. ex qua materia Calices, & Patenæ constare debeant? Resp. primis Ecclesiæ sæculis non tàm ad materiam Calicis, & Patenæ, quàm ad dignitatem personæ sacrificantis respexit Ecclesia, prout constat ex *can. vasa* 44. *de consecr. dist.* 1. ubi refertur S. Bonifacius Martyr, & Episcopus ad quæstionem, *si liceret in vasculis ligneis Sacramenta conficere*, respondisse; *Quondam Sacerdotes aurei ligneis Calicibus utebantur; nunc è contrario Sacerdotes lignei aureis utuntur Calicibus.* Posteriori tamen ætate ex rationalibus causis Sancta Mater Ecclesia prohibuit. 1. ne Calix, & Patena conficeretur ex ligno *can. vasa cit.* & *can. ut Calix* 45. *dist. cit.* ne Sacer Sanguis per poros imbibatur. 2. ne fiat ex vitro, vel crystallo propter fragilitatem *can. ut Calix cit. in fin.* 3. ne fiat ex ære, cupro vel aurichalco *can. ut Calix cit.* eò quòd materiæ istæ propter æruginem vomitum provocent. 4. ne fiant de lapide *arg. can. cit.* in quo cùm nulla fiat mentio de lapide, hic videtur exclusus propter materiæ ineptitudinem, quidquid contrà opponat Pasqualig. *tom.* 2. *de Sacrif. q.* 768. *n.* 3.

Superest igitur, ut in materia Calicis, & Patenæ apta 49
sit aurum, vel argentum *can. ut Calix cit.* ut quanto pretiosius est Corpus, & Sanguis Domini, tanto pretiosiora sint Vasa, in quibus id asservatur *can. vasa cit. in fin.* Stannum ad Calicem, & Patenam conficiendam admittitur; non tamen absolutè, ut vult Pasqualig. *tom.* 2. *cit. q.* 765. *n.* 3. sed tantùm, ubi ob paupertatem Ecclesia Calicem, & Patenam ex auro, vel argento sibi comparare non posset, ut patet ex *can. ut Calix cit.* & notant Sylv. *V. Calix n.* 1. Tamburin. *de Jur. Abb. tom.* 1. *D.* 23. *q.* 3. *n.* 1. & 2. Engl *hic num.* 6. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de reb. Eccl. c.* 1. *n.* 106. Eadem in necessitate quidam admittunt etiam plumbum; quia ex opinione Emman. Sa *V. Missa n.* 8. & Host. relati à Sylv. *V. Calix cit. pr.* pro Stanno reputatur. Sed rectiùs cum eodem Sylvestro Paludan. *in* 4. *dist.* 13. *q.* 2. *art.* 5. Vasq. *D.* 233. *c.* 4. *n.* 30. Suar. *D.* 81. *sect.* 1. Laym. *l.* 5. *tr.* 5. *c.* 6. *n.* 12. Pal. *tr.* 22. *D. un. p.* 10. *n.* 6. existimant ex plumbo Calicem, & Patenam non posse confici, eò quòd *can. ut Calix cit.* nulla alia materia, præter aurum, argentum, & stannum apta ad conficiendum Calicem judicetur; cùm igitur plumbum à stanno diversum sit, permitti non debet. Adde, quòd plumbum facilè denigretur, & sordes contrahat, atque ideo ad vomitum provocet: quæ sunt præcipuæ rationes, ob quas ex aliis materiis, ab auro, argento, & stanno distinctis, confici Calix non permittatur. Cæterùm quæ hactenus de materia Calicis dicta sunt, intelligi debent de Cuppa Calicis; pes enim ejusdem ex ære, ferro, aut alia materia potest confici, teste Vasq. *D.* 233. *c.* 4. *n.* 30. Conink *q.* 83. *art.* 3. *dub.* 3. *n.* 244. Henriq. *l.* 9. *c.* 28. *n.* 2. Laym. *c.* 6. *cit. n.* 12. Pal. *n.* 6.

Dub. 2. à quo consecrari Calices, & Patenæ de- 50
beant, ut adhiberi in Missæ Sacrificio possint? Resp. debent esse consecrata ab Episcopo, & chrismate uncta. Potest tamen consecratio hæc ex privilegio, & communicatione privilegiorum etiam inferioribus Prælatis competere: quale habent Sacerdotes Ordinis Minorum, & Societatis JESU apud Indos, & remotissimis Regnis, ubi nullus est Episcopus Catholicus; nam ibi consecrare etiam Ecclesias possunt secundùm dicta *n.* 14. Item potestate hac ex consuetudine immemoriali gaudent Abbates, & Prælati habentes usum Mytræ, & Baculi, teste Armill. *V. calix.* Laym. *l.* 5. *tr.* 5. *c.* 6. *n.* 12. *V. debent autem*, Engl *hic n.* 9.

An Prælati hujusmodi potestatem hanc exercere pos- 51
sint etiam pro aliis, quàm suis Ecclesiis, difficultas est ob Declarationes Cardd. quæ in contrarium emanarunt. Sed his non obstantibus affirmativam defendit Engl *n.* 9. *cit.* quia putat, eas Declarationes usu receptas non esse, vel si receptæ sunt, loqui tantùm de Jure competente ex privilegio speciali, non verò ex consuetudine generali & consentit responsioni huic Pasqualig. *ad Lauret. de Franck. Controv. int. Episc. & Reg. p.* 2. *q.* 28. *n.* 3. Quod procedit saltem si Abbates, & similes Prælati hoc faciant cum licentia, & ex commissione Episcopi, prout de consecratione Altarium *suprà n.* 40. dictum est, & consentit Laym. *qq. Canon. de Prælat. Eccl. q.* 219.

Dub. 3. quomodo amittatur Consecratio Calicis, & 52
Patenæ? Resp. amittitur per amissionem formæ, & usus, sicut contingit per notabilem fractionem, licèt illa fractio de facili possit refici, ut si pes Calicis à cuppa abrumpatur. Quod intellige, si calix pedem non amobilem habeat; nam si Calix tornatilis sit, & pes à Cuppa separabilis ex natura sua, iste, etiam post separationem pedis sui, consecrationem retinet; quia in Cali-

Calic. to...natili sola cuppa pes consecratur. Armilla *V. calix n.* 2. Sylv. *V. eod. q.* 2. Henriq. *l.* 9. *c.* 28. *n.* 2. Suar. *D.* 81. *sect.* 7. Conink *q.* 83. *art.* 3. *dub.* 3. *n.* 250. Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 27. *n.* 39. Tamburin. *de Jur. Abb. tom.* 1. *D.* 23. *q.* 3. *n.* 6. Laym. *l.* 5. *tr.* 5. *c.* 6. *n.* 6. Pasqualig. *de Sacrif. tom.* 2. *q.* 768. *num.* 3. Engl *hic num.* 6. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de reb. Eccl. c.* 1. *n.* 107. Unde ad hoc, ut exsecratus dicatur calix, necesse est, ut cuppa calicis à pede separetur per fractionem. Multo minùs Consecrationem amittit Calix per aliquos ictus à fabro inflictos, nisi accedat fractio. Armilla *V. Calix n.* 4. Azor. *p.* 1. *l.* 10. *c.* 28. *q.* 5. Barbos. *n.* 39. *cit.* Engl *n.* 6. *vers. non etiam*; quod notandum circa profanationem calicum vendendorum, vel commutandorum.

53 Dub. 4. an Calicis, & Patenæ consecratio amittatur, quando diuturnitate temporis interior deauratio absumpta est? Conveniunt satis DD. non amitti, saltem, si non denuo deauretur; quia non sola inauratio, sed totus calix, & patena consecrata censetur. Laym. *l.* 5. *tr.* 5. *c.* 6. *n.* 6. *vers. non etiam*. Discordant, quando noviter deaurantur. In quo affirmativam cum aliis defendit Sylv. *V. Calix n.* 2. Azor. *p.* 2. *l.* 9. *c.* 7. *q.* 3. Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 27. *n.* 38. Tamburin. *de Jure Abbat. tom.* 1. *D.* 23. *q.* 3. *n.* 3. Matthæuc. *Offic. Eccl. c.* 7. *n.* 22. *vers. Calices*. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de reb. Eccl. c.* 2. *n.* 109. & alii communiter; ex ratione, quia consecratio præcipuè intelligitur esse in superficie; consf. si nova superficies addatur, nova consecratione opus esse videtur; & ita etiam teste Laym. *l. cit.* observatur in praxi, ut si calix, vel patena ea parte, qua SS. Christi Corpus, vel Sanguinem contingunt, de novo inaurentur, etiam de novo consecrentur.

54 Contrà alii cum Durand. *in Ration. l.* 1. *c.* 6. *n.* 36. Conink *q.* 83. *art.* 3. *dub* 3. *n.* 246. quorum sententiam valde probabilem existimat Laym. *l.* 5. *tr.* 5. *c.* 6. *n.* 7. consecrationem hoc casu amitti negant, ex triplici ratione. 1. quia forma Calicis adhuc permanet, igitur non videtur amitti consecratio, sicut non amittitur consecratio Ecclesiæ, si ejusdem parietes denuo dealbentur. 2. quia deauratio illa comparatione totius cuppæ consecratæ minoris partis proportionem habet. atqui major pars sacra trahit ad se partem minorem non sacram, ut suprà dictum est de Ecclesiis *n.* 28. 3. quia exsecratio Calicis, & similium odiosa est; igitur in casu dubio sine expresso textu induci non debet. Hinc putant DD. *citt.* sufficere, si majoris reverentiæ ergo ob contactum manuum profanarum, & materiæ novæ appositionem calix aqua benedicta abluatur, antequam adhibeatur in Sacrificio Missæ.

55 III. Consecrari solent *Campanæ*, antequam in Campanile transferantur: de quibus

Dub. 1. an bene ab Ecclesia Consecratio eisdem adhibeatur? Multa contra hanc consuetudinem familiari sibi consuetudine effutiunt Scommata Heterodoxi, & in specie criminantur, quòd Pontificii campanas baptizent. Sed perperam; neque enim Campanæ baptizari dicuntur, quasi eis conferatur Baptismi Sacramentum, sed ex eo, quòd abluantur, dum benedicuntur, ungantur Sacro Oleo, & iisdem nomen imponatur ad instar eorum, qui Sacramentum Baptismi suscipiunt. Unde his Hæreticorum calumniis prævalet & prævalebit semper mos hic Ecclesiæ antiquissimus, cujus prudentissimus, sacerque finis est; nam propterea Campanis Benedictio impenditur, ut earum sono, quasi sacrato, ad Laudes Divinas convocetur populus, malignorum hominum, & Dæmonum insidiæ repellantur, fugentur tempestates noxiæ &c. Clericat. *de Sacram. Bapt. decis.* 24. *à num.* 7. Engel *hic num.* 7. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de reb. Eccl. c.* 1. *n.* 114.

56 Dub. 2. an Campanæ suspendi possint etiam in Oratoriis privatis? Resp. non posse, prout statutum est *c. patentibus* 19. *de privil.* & notat *ibid.* Abbas *pr.* Barbos. *ad cit. c.* Clericat. *l. cit. decis.* 45. *num.* 59. Magnif. P. Schmier *n.* 117. *Ratio est*; quia Campanæ principaliter habentur in eum finem, ut populus ad Sacra, & Divina Mysteria peragenda communiter convocetur: qui finis in Oratoriis privatis hoc ipso, quòd privata sint, & privatum commodum respiciant, cessat. Suspendi ergo campanæ in Ecclesiis, & Oratoriis publicis duntaxat solent, & possunt: & quidem in Ecclesiis Regularium Mendicantium de Jure *Extrav. un. de Offic. Custod. int. com m.* tantùm unica, cui tamen Constitutioni (ut scribit Clericat. *decis. cit. n.* 48.) per consuetudinem est derogatum, cùm passim videamus, quòd etiam Mendicantes plures Campanas habeant.

57 Dub. 3. an Campanæ sonitu populus convocari ad arma possit? Respondent Nicol. & Garuff. *in flosc. V. Campana n.* 2. negativè. *Ratio est*; quia Campana, cùm per consecrationem ad usus Sacros fuerit destinata, non potest ad usus profanos, qualis est convocatio ad arma, detorqueri. *Excipiunt* DD. *citt.* duplicem casum, quotum unus est *necessitatis*, quando scilicet non habetur aliud signum pro populo ad arma convocando: alter *pietatis* si populus campanæ sonitu excitaretur ad preces Deo pro fugandis hostibus fundendas:

IV. Benedici quoque debent *Vestes Sacræ*, & *Paramenta*, ad Sacrificium Missæ deservientia, ut tanto majori cum reverentia Divinum Sacrificium peragatur; neque enim fas est; absque talibus Vestimentis, aut Paramentis consecratis Sacrificium peragere *can. Ecclesiastica* 9. *dist.* 23. *can. Altaris palla* 39. *can. nemo* 40. *can. vestimenta* 42. *de Consecr. dist.* 1. 58

Dub. 1. quis benedicere hæc Paramenta possit? Resp. hujusmodi Paramenta, in quibus Chrisma non intervenit, per generalia privilegia, & Declarationem Cardd. quam adducit Joan. Gallemart. ad Trid. *sess.* 23. *c.* 10. *de reform. n.* 1. benedicere possunt etiam Prælati Regulares, quamvis usum Pontificalium non habeant; sed pro usu propriarum Ecclesiarum tantùm, ita, ut in contrarium non sit allegabilis usus, & consuetudo, utpote quæ pugnat cum resolutione Sacræ Congregationis 18. *Aug.* 1629. apud Gavant. *ad Rubr. Miss. p.* 4. *tit.* 19. *de Rubr. Bened. n.* 22. & Nicol. *Flosc. V.* Abb. *n.* 3. ibi: *Abbates, & alii Superiores Regularium non possunt benedicere Paramenta Ecclesiarum sibi non subditarum, abrogata contraria consuetudine*. Matthæucc. *Offic. Eccl. c.* 7. *num.* 15. & 16.

Dixi, *in quibus Chrisma non intervenit*; nam pro benedictione eorum, quæ requirunt Chrismatis unctionem, est necessarium speciale privilegium Apostolicum, ut declaratum est per S. Congr. apud Lezan. *Summ. qq. Regul. tom.* 3. *V. Calix n.* 3. ibi: *Abbas nec etiam in locis sibi pleno Jure subjectis, aut de Jure Patronatus, potest consecrare Calices, patenas, & similia, in quibus requiritur Sacra unctio, nisi hoc habeat in specie sibi concessum à Sede Apostolica*. Privilegium hujusmodi consecrandi ea, in quibus Sacra Unctio intervenit, concessum est Abbatibus Ordinis Cisterciensis ab Innoc. VIII. ut ex Piasecio refert Matthæucc. *c.* 7. *citt. n.* 17. 59

Dub. 2. quando Vestimenta, & Paramenta Sacra benedictionem amittant, & nova indigeant? Resp. quando ita franguntur, ut non sint apta ad usum, ad quem destinabantur, aut quando non ampliùs figuram priorem retinent. Et hinc 1. benedici iterum Alba debet, si ex ipsa abscindatur manica, licet postea eadem manica illi assuatur; nam per avulsionem manicæ ita perfringitur, ut non sit apta ad usum, ad quem priùs fuerat destinata, nec amplius retinet priorem figuram. Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 27. *n.* 45. 2. ob eandem rationem benedici iterum debet Stola, facta ex Planeta; quia ad ipsam data est particularis benedictio, & est mutata forma, quæ dabat esse rei. Barb. *l. c.* 3. idem ob datam rationem dicendum, quando ex Stola fit Manipulus, ex Alba Amictus. Engel *hic num.* 8. 60

Contra hujusmodi Vestes benedictione nova non indigent, si ad eas reficiendas aliqua adjungantur, quamvis illa benedicta non sint, modò istorum additione prior figura remaneat, & de novo additum minoris sit quantitatis; quia accessorium sequitur principale, & pars minor de novo addita benedictionem partis majoris participat *arg. c. quod in dubiis* 3. *h. tit.* Quodsi talia Paramenta vetustate ita attrita, vel destructa sint, ut ad usum Sacrum deservire non ampliùs possint, fragmenta ad usum merè profanum applicari non debent, sed potiùs comburenda, & cineres in loco separato, ad quem non patet Sæcularibus accessus, sunt recondendi. *c. Altaris* 39. *de consecr. dist.* 1. Tamburin. *de Jur. Abb. tom.* 1. *D.* 22. *q.* 4. *n.* 1. Engel *hic n.* 8. Matthæucc. *Offic. Eccl. c.* 7. *n.* 22. *vers. pariter*, Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de reb. Eccl. c.* 1. *n.* 129. 61

V. Denique consecrari, vel benedici solent, & debent *Cœmeteria*, sic dicta quasi Dormitoria, quòd in his corpora Fidelium defunctorum requiescant. Inventa hæc primùm fuere à Christianis. Van Espen *p.* 2. *Jur. Eccl. t.* 28. *n.* 18. & *seqq.* nam apud Gentiles in eo quisque loco, in quo volebat, sepeliebatur, dummodo proprius esset §. *Religiosum* 9. *Inst. de rer. divis.* Consecrantur, tum quia nonnunquam Divina Mysteria in illis peracta sunt, ut probat Gonzal. *in c.* 7. *h. tit. n.* 2. tum quia animæ defunctorum magis à spiritibus immundis immunes hoc modo reputantur, ut habet Engel *ad tit. de Sepult. n.* 1. 62

§. III.

§. III.

De Ecclesiæ, & Cœmeterii polluti reconciliatione.

SUMMARIUM.

63 QUæritur 1. quando Ecclesia dicatur pollui? Videtur pollutio in Ecclesiam nequaquam cadere, cum res sancta sit, quæ à profanis, & turpibus coinquinari non potest *arg. c. vestra 7. de cohabit. Cleric. & mul.* Sed hoc intelligendum est, non quòd hujusmodi actibus sanctitatem suam amittat Ecclesia. (sancta enim esse perseverat, etiam postquam polluta fuit) sed quia morali hominum æstimatione indecens reputatur, ut Hostia immaculata, & Divinum Officium offeratur in loco sceleribus contaminato, antequam aliqua ejus loci purgatio fiat. Engel *hic* §. 2. *num.* 1. igitur pollui in genere tunc Ecclesia dicitur, quando manente integra illius forma, & consecratione, si eam habuit, in ea accidit aliquid, quod à loci sanctitate maximè est alienum, & in Fidelium animis horrorem generat, ut in illius detestationem Divina celebrari in tali Ecclesia SS. Canones prohibuerint, donec Sacris ritibus reconciliata fuerit. Suar. *p.* 3. *D.* 81. *sect.* 4. §. *tertio*, Pax Jordan. *lib.* 5. *tit.* 12. *n.* 2. Vviest. *hic n.* 31.

64 *Ex quo sequitur* præcipuum Pollutionis effectum esse, quòd in Ecclesia polluta, donec reconcilietur, non possint celebrari Divina. Qui tamen contrarium ageret, temerariè quidem ageret, & mortaliter peccaret, nullam tamen Irregularitatem, vel Censuram incurreret *c. is qui 28. de sent. Excomm. in 6.* Gonzal. *in c. 7. h. tit. num.* 9. Passerin. *in c. un. eod. in 6. num.* 9. Matthæucc. *Offic. Eccl. c.* 7. *n.* 8. Schambog. *hic n.* 16. Konig *ibid. n.* 18. quia Irregularitas non incurritur sine textu, textus autem, qui insinuare videntur celebrantem Irregularitatem incurrere, loquuntur de Ecclesia interdicta, non etiam de polluta. *Ratio* differentiæ est; quia siquis in Ecclesia interdicta celebrat, violat Censuram Interdicti, non item si in polluta tantum; Interdictum enim est Censura, cujus violatio Irregularitatem inducit, non etiam pollutio Ecclesiæ.

65 Si contingeret, pollutionem per homicidium, aut vulnerationem &c. evenire durante Missa, distinguendum est, an id accidat ante consecrationem, vel post illam; nam priore casu abrumpenda Missa esset, non verò posteriore. Ugolin. *de Offic. Episc. c.* 29. §. 7. *n.* 3. Fagund. *de præc. Eccl. p.* 1. *l.* 3. *c.* 14. *num.* 18. Engel *hic* §. 2. *num.* 14. Si reconciliatio Ecclesiæ tam citò fieri commodè nequeat, poterit Episcopus ex multorum sententia interim dispensativè concedere, ut fiant in ea Divina Officia, sicut potest in casu necessitatis ad evitandum damnum Spirituale, vel temporale dispensare in alio Jure positivo. Fagund. *l. cit. n.* 2. Alii verò existimant, non esse facile ad istam dispensationem deveniendum, si interea in aliquo Oratorio cum Altari portatili possint Divina fieri: cum sepultura tamen plerumque necessitatis exigit dispensationem, cùm hæc alio modo facilè evitari nequeat. Engl §. 2. *cit. n.* 16.

Quæritur 2. quibus modis in specie polluatur Ecclesia? Resp. 1. polluitur sepultura infidelis, maris, aut fœminæ, pueri, vel adulti nondum baptizati *can. Ecclesiam 27. & can. seq. de consecr. dist.* 1. Rationem addit Gloss. *ibid. V. celebrare*, quod ab Ecclesiis Infideles repellantur vivi: ac proinde locus sit Regulæ, quod quibus non communicamus vivis, neque mortuis communicare debeamus. Debetque hoc casu, ut Missas in tali Ecclesia denuo celebrare liceat, corpus defuncti infidelis foras projici *can. Ecclesiam cit.* & parietes, ac tigna Ecclesiæ radi *can. Ecclesiam 28. dist. cit.* quod verum est, si Ecclesia non sit consecrata; nam si consecrata sit, ad evitandam exsecrationem sufficit, si illa iterum dealbetur, ut notat Pax Jordan. *de Re sacr. l.* 5. *tit.* 12. *n.* 124. *circa fin.* Vincent. Petra *tom.* 2. *Comment. fol.* 399. *n.* 55. Pirh. *hic n.* 14. 66

2 Sepultura fidelis Excommunicati. Abb. *in c. consuluisti 7. h. tit. n.* 4. Navar. *Man. c.* 27. *n.* 258. *cas.* 3. Azor *p.* 1. *l.* 10. *c.* 26. *q.* 13. *vers. tertio* & *p.* 2. *l.* 9. *c.* 5. *q.* 1. *vers. quarto*. Suar. *p.* 3. *D.* 81. *sect.* 4. *vers. quarta causa*, Reginald. *prax. for. pœnit. l.* 32. *n.* 17. Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 28. *n.* 52. Zoes. *hic n.* 10. Pirh. *n.* 13. Schamb. *n.* 11. Vviest. *n.* 34. & statuitur *c. consuluisti cit.* qui textus, etsi meminerit solius Cœmeterii, ad Ecclesiam tamen etiam ab Interpp. refertur; cum Ecclesiæ non minor irreverentia inferatur tumulatione Excommunicati. 67

3 Homicidio voluntario, & injusto, intra ipsam Ecclesiam perpetrato *can. si motum 19. de consecr. dist.* 1. *c. proposuisti 4. h. tit.* & *ibi* Interpp. ac DD. *Neque refert*, tametsi quis non moriatur in Ecclesia; sufficit namque, quòd lethale vulnus, ex quo mors sequitur, acceperit intra Ecclesiam. Navar. *Man. c.* 27. *n.* 256. *vers. dixi, aut datur causa &c.* Barbos. *alleg. cit. n.* 23. Matthæucc. *Offic. Eccl. c.* 7. *n.* 9.

4 Vulnere in illa cum sanguinis effusione inflicto *can. Ecclesiis 20. de consecr. dist.* 1. *c. proposuisti 4. & c. fin. h. tit. c. un. eod. in 6.* Ex quo sequitur, non sufficere solam percussionem, quamvis gravis illa sit, sed necesse esse, ut sanguis sequatur; quia de sanguinis tantum effusione textus Canonici loquuntur, qui in materia pœnali ultra propriam verborum significationem extendendi non sunt. Engl *hic* §. 2. *n.* 10. Schamb. *ibid. n.* 8. 68

5 Fornicatione, aliave illicita copula carnali, & quacunque voluntaria sive cum, sive sine complice humani seminis effusione, intra Ecclesiam facta *can. Ecclesiis 20. cit. c. significasti 5. de adult. c. un. pr. h. tit. in 6.*

Quæritur 3. quibus modis polluatur Cœmeterium? Resp. polluitur iisdem modis, quibus Ecclesia. Distinguendum autem est, an Cœmeterium sit contiguum Ecclesiæ, an verò ab ea remotum, & sejunctum. *Si primum*, polluta Ecclesia, etiam ipsum polluitur, non tamen vicissim; quia Cœmeterium est accessorium Ecclesiæ, & accessorium sequitur principale, non principale accessorium: & hinc si Cœmeterium pollutum sit per violationem Ecclesiæ, per istius reconciliationem etiam ipsum reconciliatur, ut sumitur ex *c. un. h. tit. in 6.* & notant Ugolin. *de Offic. Episc. c.* 29. §. 8. *n.* 4. Barbos. *l.* 2. *Jur. Eccl. c.* 9. *n.* 11. Vivian. *in c. un. cit. in Ration. pr.* Passerin. *ibid. n.* 2. 3. & 6. Matthæucc. *Offic. Eccl. c.* 7. *n.* 12. Vallens. *hic n.* 6. Honor. *n.* 25. & 26. Zoes. *n.* 15. Engl §. 2. *n.* 12. *vers. quodsi*. Pirh. *n.* 32. Schamb. *n.* 23. Vviest. *n.* 48. 69

Si secundum, iisdem ritibus, quibus Ecclesia, etiam ipsum reconciliandum est, & ab Episcopo quidem proprio, vel ex ejus commissione ab alio Episcopo, si indigeat reconciliatione solemni; si verò hac non indigeat, prout fit, quando benedictum solummodo est, a Sacerdote simplici per aspersionem aquæ lustralis *arg. c. fin. cit.* Ugolin. Barbos. Pirh. Vviest. *l. citt.*

Si duo sint Cœmeteria, quæ sibi quidem cohærent, sed intermedio pariete sejunguntur, tunc violato uno, alterum, licet ab uno ad alterum per portam intermediam aditus pateat, non propterea reputabitur violatum *c. un. vers. fin. h. tit. in 6.* quia paries intermedius divisionem inducit: ac proinde duo censebuntur esse Cœmeteria, sicut si domus habeat parietem intermedium, censentur duæ domus, licèt prius fuerit una *l. si quis 6. §. siquis 1. vers. plane ff. commun. præd.* Sylv. *V. Cœmeterium n.* 3. *q.* 2. Azor *p.* 2. *l.* 9. *c.* 6. *q.* 3. Vivian. *in c. un. cit. vers. fin.* Barbos. *ibid. n.* 1. Passerin. *n.* 4. & 5. Vallens. *hic n.* 6. Honor. *n.* 27. Pirh. *n.* 33. *vers. contra*. 70

Porrò si in porta illa intermedia humanus sanguis, vel semen 71

ſemen effundatur, tunc ſi porta uni ex illis Cœmeteriis eſt vicinior, illud tantum pollutum cenſetur. Si verò porta illa ſit in medio eorum, tunc illud, cujus gratia paries, & porta facta eſt, pro polluto habebitur quaſi acceſſio illius *arg. l. cum aurum* 19. alias incipit *Etſi non ſunt*, §. *perveniamus* 13. *ff. de aur. arg. legat*, ubi dicitur: *Illud ſpectamus, quod cujuſque rei ornandæ cauſa adhibetur, ut acceſſio cedat principali*. Sin autem dubitetur, cujus cauſa paries ſit extructus, & porta facta, videtur principaliter utrumque factum, ut duo Cœmeteria faciant, ac proinde utrumque Cœmeterium pollutum eſt; quia tunc porta, in pariete facta, utriuſque cauſa aperta eſſe videtur. Sylv. Azor. Pirh. *l. citt.*

72 Quæritur 4. an Eccleſia, vel Cœmeterium polluatur etiam per Sepulturam Catechumeni, infantis mortui in utero cum matre fideli, aut extra uterum, ſed ante Baptiſmum? *Reſp. ad* 1. juxta Zoeſ. *hic n.* 13. polluitur Eccleſia, vel Cœmeterium per ſepulturam Catechumeni; quia nondum eſt verè fidelis. Sed communior cum Ugolin. *de Offic. Epiſc. c.* 29. §. 5. Sayr. *de Cenſur. l.* 5. *c.* 16. *n.* 24. Jordan. *de Re ſacr. l.* 5. *tit.* 12. *num.* 124. *circ. fin.* Bonacin. *de matr. q.* 4. *p. ult. n.* 23. Murga *tom.* 1. *tr.* 2. *diſquiſ.* 4. *dub.* 7. Barboſ. *de Offic. Epiſc. alleg.* 28. *n.* 53. Vincent. Petra *tom.* 2. *Comment. fol.* 399. *n.* 55. Engl *hic* §. 2. *n.* 4. negat hoc caſu pollui; quia cùm vi Charitatis nobis conjuncti ſint, ſeparari etiam in ſepultura, non debent. *Neque obſtat*, quod propriè & rigoroſè non ſint fideles; quia tales dici ſaltem in ſenſu largiore poſſunt, cum habeant Baptiſmum flaminis, & ideo poſſunt in Eccleſia licitè ſepeliri.

73 *Ad* 2. dicendum, non pollui Eccleſiam, vel Cœmeterium per ſepulturam infantis mortui in utero matris fidelis; neque enim hæc poſt mortem ſcindi debet, ut partus mortuus extrahatur, ſed licitè cum partu ſepelitur in loco ſacro; quia quamdiu in utero eſt, & in lucem non editur, pars matris cenſetur *l. temporibus* 1. §. *ex hoc* 1. *ff. de inſpiciend. ventr.* Iſta Hoſt. *hic*, Henr. de Boich. *in c. ſacris* 12. *de ſepultur.* & *in c. conſuluiſti* 7. *h. tit.* Azor. *p.* 2. *l.* 9. *c.* 5. *q.* 1. *verſ. quid dicendum*. Pax Jordan. *de re ſacr. l.* 5. *tit.* 12. *n.* 121. Laym. *l.* 5. *tr.* 5. *c.* 5. *n.* 8. *fin.* Gonzal. *in c.* 7. *cit. num.* 8. Matthæuc. *Offic. Eccl. c.* 7. *n.* 11. *verſ. polluitur*, Zoeſ. *hic n.* 14. Pirh. *ib. n.* 14. Schamb. *n.* 12.

74 *Ad* 3. affirmativam defendunt Tambur. *de Jur. Abb. tom.* 1. *D.* 22. *q.* 11. *n.* 4. Bonacin. *de matrim. q.* 4. *p. ult. n.* 23. Pal. *tr.* 13. *D. un. p.* 1. *n.* 1. *fin.* Dian. *p.* 11. *tract.* 8. *reſol.* 22. Matthæuc. *Offic. Eccl. verſ. polluitur cit.* Vincent. Petra *tom.* 2. *comment. fol.* 399. *n.* 59. Zoeſ. *hic n.* 13. & ſumunt ex *can. Eccleſiam* 27. & 28. *de conſecr. diſt.* 1. *Confirmant*. quia Baptiſmus eſt Janua ad Eccleſiam, & ante Baptiſmum nemo eſt intra Eccleſiæ gremium recipiendus. Sed non improbabiliter Ugolin *de poteſt. Epiſc. c.* 29. §. 5. Jordan. *num.* 121. *cit.* Engel *hic* §. 2. *num.* 4. Vvieſt. *ibid. num.* 32. negant per ſepulturam infantis, progeniti ex parentibus fidelibus, ſed ante Baptiſmum mortui Eccleſiam, vel Cœmeterium pollui. *Ratio eſt*; quia Infideles, eorumque infantes privantur ſepultura Eccleſiaſtica, eorumque corporibus polluitur Eccleſia, & Cœmeterium ex ſpeciali ratione, quia ſcilicet Fidem Chriſtianam vel in ſe, vel in parentibus deteſtati ſunt: non ita eam deteſtati ſunt infantes fidelium ante Baptiſmum mortui; imo parentum ſuorum voluntate ad Baptiſmum jam deſtinabantur. ergo &c. *Neque* contrarium probant textus allati; quia primus expreſſe loquitur de Paganis; in altero *Infidelium* nomine iidem intelliguntur. *Ad Conf.* ex hoc tantum ſequitur, quod infantes nondum baptizati non ſint in Eccleſiam, vel Cœmeterium recipiendi, non verò, quod eorum ſepultura polluatur Eccleſia. Certè etiam omittentes Communionem Paſchalem, & decedentes in peccato mortali notorio excluduntur à Sepultura, & tamen ſepulti de facto non polluunt locum Sacrum; quia id in Jure expreſſum non eſt.

75 Quæritur 5. an Eccleſia, vel Cœmeterium polluatur etiam per ſepulturam Excommunicati tolerati, & non vitandi? Reſp. negative. Ita Ugolin. *de Offic. Epiſc. cap.* 29. §. 4. *verſ. exigitur*, Pellizar. *Man. Reg. tom.* 2. *p.* 1. *tr.* 8. *c.* 5. *n.* 72. Barboſ. *de Offic. Epiſc. alleg.* 28. *n.* 52. Dian. *p.* 5. *tr.* 9. *reſ.* 98. Gonz. *in c.* 6. *h. tit. n.* 8. Matthæuc. *Offic. Eccleſ. c.* 7. *n.* 11. Vincent. Petra *tom. comment. fol.* 398. *n.* 53. Engel *hic* §. 2. *n.* 3. Pirh. *ibid. n.* 13. Schamb. *n.* 11. qui omnes Jura, ſtatuentia, quòd per ſepulturam Excommunicati polluatur Eccleſia, vel Cœmeterium, intelligunt de Excommunicato vitando, quales poſt *Conſtit. Martini V. editam in Concil. Conſtant.* ſunt ſoli percuſſores Clericorum notorii, & alii, qui publicè, & notoriè excommunicati ſunt. *Ratio diſparitatis* eſt; quia cum vitandis non communicamus vivis, communicamus autem cum non vitandis, ut adeo procedat Regula. *Cum quibus non communicamus vivis, etiam mortuis communicare non debemus, & contra.*

Neque obſtat, quod Concilium Conſtantienſe eo Decreto non intenderit favere Excommunicatis non vitandis; quia hoc non tam cedit in favorem ipſorum Excommunicatorum, ſed potius Eccleſiæ, & aliorum fidelium, qui juxta Concil. *c.* non debent Divinis Officiis privari ob communicationem cum Excommunicato non vitando. Engel *hic* §. 2. *n.* 3. Et hinc in Germania noſtra etiam Hæretici in Cœmeterio Catholico ſine hujus pollutione ſepeliri poſſunt. Pirh. *hic n.* 13. teſtaturque Engel *n.* 3. *c. verſ. idem*, hoc à Principibus catholicis, cùm in penultimo bello Turcico ſuppetias in Hungariam Imperatori mitterent, expreſsè pactum deductum, cum conſenſu etiam Poteſtatis Eccleſiaſticæ, ut milites Acatholici defuncti in Cœmeteriis Catholicorum (ubi propria Lutheranorum non eſſent) ſepelirentur, quod ob cauſam magnæ neceſſitatis ad obtinendum illud militare ſubſidium, & quia non fuit petitum in contemptum Fidei Catholicæ, ſed potius ob honorem humanum, toleratum fuit. 76

An etiam per ſepulturam Interdicti polluatur Eccleſia, dubium moveri poteſt. Sed tenenda eſt negativa. quamvis enim perſonaliter interdictus in loco Sacro ſepeliri non debeat *c. is cui* 20. *de ſent. Excomm. in* 6. imò ſepultus exhumari jubeatur, ſi oſſa ejus ab aliis poſſint diſcerni *can. Eccleſiam* 28. junct. Gloſſ. *de conſecr. diſt.* 1. Eccleſia tamen per illam ſepulturam non polluitur; quia hoc nuſpiam in Jure expreſſum eſt, & in hujuſmodi odioſis extenſio non habet locum. Laym. *l.* 5. *tr.* 5. *c.* 5. *n.* 8. Zoeſ. *hic n.* 11. Pirh. *n.* 13. Supereſt igitur, ut Eccleſia polluatur ſolum per ſepulturam Excommunicati, & quidem vitandi tantum: quo caſu, ut Catholicus ibidem ſepeliri, vel Officia Divina fieri poſſint, neceſſe eſt, ut prius exhumetur talis Excommunicati cadaver, ſi id fieri poſſit, & poſtea Eccleſia, vel Cœmeterium reconcilietur *can. Eccleſiam* 27. & *can. ſeq. de conſecr. diſt.* 1. Engl §. 2. *h. tit. n.* 3. Konig *ibid. n.* 17. 77

Quæritur 6. quid requiratur, ut occiſione hominis polluatur Eccleſia, vel Cœmeterium? Reſp. tria requiruntur, videlicet ut occiſio ſit voluntaria, ut ſit injurioſa, vel perſonæ, vel loco, & ut fiat in Eccleſia, vel Cœmeterio. Atque hinc 1. non polluitur Eccleſia, ſi caſu fortuito v. g. trabe, lapide, incruſtatura decidente, vel à tauro, aut alio animali in Eccleſiam irruente facta ſit. Abb. *in c. propoſuiſti* 4. *h. tit. n.* 2. Barboſ. *ibid. n.* 3. Gonzal. *in c.* 7. *eod. n.* 6. Monacell. *p.* 2. *form.* 14. *tit.* 15. *n.* 5. Matthæucc. *Offic. Eccl. c.* 7. *n.* 9. Honor. *hic n.* 8. Zoeſ. *n.* 4. Engl §. 2. *n.* 6. Pirh. *n.* 10. Schamb. *n.* 5. Vvieſt. *n.* 35. 2. Si facta ſit à furioſo, amente, infante, dormiente, aut ab alio rationis uſum non habente *arg. Clem. ſi furioſus de homicid.* Et idem dicendum de ebrio, ſi talis ebrietas fuit, quæ rationis uſum oppreſſit, & occidens ante ebrietatem periculum non prævidit; quia tale homicidium adhuc eſt involuntarium, & caſui imputandum. Barboſ. Schamb. Vvieſt. & alii *citt.* 3. Si ſecuta ſit ex actione illicita quidem, tali tamen, quæ ex ſe non erat periculoſa, & ob alium finem, quàm periculum homicidii prohibita, ob rationem datam. 4. Si facta ſit ob ſui defenſionem, & obſervata moderatione inculpatæ tutelæ; quia non injurioſa, ſed neceſſaria eſt. Vivian. *in c. un. h. tit. in* 6. *verſ.* 5. Vvieſt. *hic n.* 36. cum reliquis *ſupra*. 5. Si quis occidatur ſupra, vel infra Eccleſiam; quia tunc homicidium non eſt commiſſum intra Eccleſiam; nam *intra* denotat ſpatium Eccleſiæ interius ab interiore tecto uſque ad pavimentum, & à ſumma Ara uſque ad parietem oppoſitum: conſ. quod in aliis Eccleſiæ annexis fit, extra Eccleſiam fieri cenſetur. Schamb. *n.* 6. 6. Siquis extra Eccleſiam vulneratus, intra Eccleſiam fugit, & ibi moritur; non enim ipſa mors per ſe irreverentiam infert Eccleſiæ, ſed cauſa, ſive occiſio in ea facta. Monacell. *n.* 5. Honor. *n.* 9. Engl. *n.* 9. Schamb. *n.* 5. 7. Siquis exiſtens in Eccleſia jaculo, vel glande alium exiſtentem extra Eccleſiam ad internecionem feriat, ut contra Matthæuc. *loc. cit.* notant Zoeſ. Engl, Pirh. Schambog. *l. cit.* 78

Contra polluitur Eccleſia 1. etſi homicidium in ea commiſſum ſit ſine ulla effuſione ſanguinis, v. g. ſuffocatione, vel percuſſione, mortem inferente ſine vulnere; quia *can. ſi motum* 19. *de conſecr. diſt.* 1. & *c. propoſuiſti* 4. *h. tit.* loquuntur generaliter, & indiſtinctè. Ugolin. *de Offic. Epiſc. c.* 29. §. 1. *n.* 1. Pax Jordan. *de Re ſacr. lib.* 5. *tit.* 12. *n.* 7. Barboſ. *in c.* 4. *cit. n.* 2. Gonzal. *in c.* 7. *eod. n.* 6. Monacell. *p.* 1. *form.* 13. *tit.* 6. *n.* 27. Matthæuc. *Offic. Eccl. c.* 7. *n.* 9. Honor. *hic n.* 8. Zoeſ. *n.* 4. Engl §. 2. *n.* 6. Pirh. *n.* 10. Konig *n.* 15. Vvieſt. *n.* 37. 2. Polluitur licet, 79

licet, qui ita occiditur in Eccleſia, ſit nocens, bannitus & in cujus vitam poteſtas omnibus data eſt; quia eſto occiſio hæc juſta ſit, ejus tamen executio eſt injurioſa loco Sacro, & ipſi Deo, cui Eccleſia eſt dedicata. Jordan. *n.* 10. Barboſ. *n.* 4. Zoeſ. *n.* 5. Engl *n.* 7. Vvieſt. *n.* 38. cum aliis *ſupra*. Aliter dicendum, ſi ſententia mortis ſola in reum prolata ſit in Eccleſia, executio verò facta extra Eccleſiam; nam etſi talis ſententiæ prolatio nulla ſit, & loco Sacro injurioſa, nullo tamen Jure expreſſum eſt, quòd per ipſam polluatur Eccleſia. Jordan. *n.* 10. *cit.* 3. Polluitur Eccleſia, etiamſi Martyr in odium Fidei à tyranno in ea trucidetur; quia licèt mors illa in conſpectu Dei pretioſa ſit, & ejus ſanguine potius videatur ſanctificari Eccleſia, actio tamen perſecutoris injurioſa eſt loco Sacro, tantoque magis, quanto magis quamvis aliam cædem in Eccleſia perpetratam truculentia, & enormitate ſuperat. Gloſſ. *in c. un. h. tit. in 6. V. ſanguinis*, Barboſ. *num.* 5. Vallenſ. *num.* 5. Schamb. *n.* 5. Engl. *n.* 8. cum reliquis *ſupra*. Addit tamen Gloſſ. *c. in fin.* locum, ubi ſanguis Martyris effuſus eſt, non eſſe in reconciliatione abluendum. 4. Polluitur Eccleſia, etiamſi quis ſeipſum occiderit, ſi id fecit ex ira, deſperatione, tædio vitæ, & rationis uſu deſtitutus non fuit. Joan. Andr. *in c. un. c. num.* 3. Barboſ. *ibid. n.* 12. Gonzal. *in cap.* 7. *num.* 6. Pirh. *num.* 10. Schamb. *n.* 7. Engel *n.* 6. Vvieſt. *n.* 38. 5. Polluitur Eccleſia, ſiquis intra Eccleſiam vulnus lethale recipiat, & poſtea extra illam moriatur; quia tota actio injurioſa, & cauſa mortis per ſe illativa intra Eccleſiam eſt poſita, cùm homicidium ibi cenſeatur factum, ubi percuſſio lethalis contigit, non vero ubi percuſſus mortuus eſt. Barboſ. *de Offic. Epiſc. alleg.* 28. *n.* 23. 6. Polluitur Eccleſia, etſi occiſor extiterit extra Eccleſiam; nam reipſa occiſio tali caſu adhuc accidit in Eccleſia, & conſ. diſpoſitio Juris procedit. Barboſ. *l. c. n.* 26.

80 Quæritur 7. quid requiratur, ut per ſanguinis effuſionem polluatur Eccleſia? Reſp. 1. requiritur, ut ſit effuſio ſanguinis humani; nam ſi fuerit cujuſvis alterius animalis irrationalis, non eſſet per hoc polluta Eccleſia cenſenda; quia licèt horrorem pariat, non tamen eſt effuſio injurioſa, cùm animal irrationale nec activè, nec paſſivè injuriæ capax ſit. Barb. *de Offic. Epiſc. alleg.* 28. *num.* 31. Ut ea effuſio ſit voluntaria; aliud enim dicendum, ſi caſu, ab amente, infante, aut alio rationis uſu carente contigit, prout advertunt Gonz. *in c.* 7. *h. tit. n.* 6. Pirh. *hic n.* 11. Schamb. *n.* 8. & dictum eſt *ſupra n.* 78. 3. Ut non aliquot tantum guttæ ſanguinis, ſed notabilis quantitas effundatur; nam *Effuſio*, qua voce textus *n. præc.* allegati utuntur, ſanguinis abundantiam, & fluxum copioſum denotat. Vivian. *in c. un. verſ. h. t. in* 6. Barboſ. *l. c. n.* 34. Pirh. Schamb. *l. citt.* 4. Ut ea effuſio ſequatur ex percuſſione ſecundum ſe gravi: nam etſi in rixa inter pueros in Eccleſia exorta, dum unus alterum in faciem percutit, magna etiam ſanguinis copia ex naribus flueret, per hoc tamen non pollueretur Eccleſia; quia talis percuſſio in pueris non cenſetur graviter peccaminoſa. Barb. *l. c. n.* 35. Monacell. *p.* 2. *form.* 14. *tit.* 15. *n.* 5. Matthæucc. *Officc. Eccl. c.* 7. *n.* 9. Vall. *hic n.* 5. Engel §. 2. *n.* 10. Konig *n.* 15. Pirh. Schambog. *l. citt.* 5. Ut effuſio hæc fiat in Eccleſia: hinc ſi percuſſio tantum facta eſt in Eccleſia, & effuſio ſanguinis fiat extra Eccleſiam, Eccleſia non polluitur; quia textus Juris requirunt ſanguinis effuſionem in ipſa Eccleſia. Barboſ. *l. cit. n.* 24. Zoeſ. *hic n.* 4. Pirh. *n.* 11. Schamb. *n.* 9. Non tamen requiritur, ut ſanguis ipſam Eccleſiam contingat, dummodo intra Eccleſiam effuſus, licet in veſtimentis abſorptus, vel in vaſe collectus ſit. Barboſ. *n.* 24. *cit.* Gonz. *in c.* 9. *h. t. n.* 6. Zoeſ. *hic n.* 6. Honor. *n.* 9. & ſumitur ex *c. propoſuiſti* 4. *hoc tit.* in quo fit mentio vulneris, non etiam maculationis, cum non tam per contractum ſanguinis violetur Eccleſia, quam per violentiam effuſionem.

81 Quæritur 8. quid requiratur, ut per ſeminis humani effuſionem polluatur Eccleſia? Reſp. 1. requiritur, ut ſit in ſufficienti quantitate; debet enim eſſe ſeminis effuſio, ſive corporis pollutio completa, & non tantum inchoata, ſive modica ejus deſtillatio. Suar. *D.* 81. *ſect.* 4. *verſ. tertio violatur*, Rodriq. *in Summ. tom.* 1. *cap.* 153. *n.* 11. Barb. *de Offic. Epiſc. alleg.* 28. *n.* 49. Pax Jordan *de re Sacr. l.* 5. *t.* 12. *n.* 109. Pirh. *hic num.* 12. Vvieſt. *ib. n.* 42. 2. Ut ſit voluntaria; quia etiam completa ſeminis effuſione Eccleſia non polluitur, ſi ea fiat in ſomno, aut etiam à vigilante, ſed præter intentionem. Gloſſ. *can. Eccleſiis* 20. *V. ſemine de conſecr. diſt.* 1. Navar. *Man. c.* 27. *n.* 252. Azor *p.* 2. *l.* 9. *c.* 5. *q.* 3. Barb. *alleg. cit. n.* 48. Gonzal. *in c.* 7. *hoc tit. n.* 7. Jordan. *loc. cit. à n.* 105. Zoeſ. *hic n.* 7. Schamb. *n.* 10. Pirh. Vvieſt. *l. citt.* 3. Ut ſit illicita: Hinc ſi duo conjuges, in Eccleſia diu concluſi, ad incontinentiæ periculum vitandum, in ea ſibi debitum mutuo redderent, non pollueretur Eccleſia; quia talis debiti redditio non eſt eo caſu illicita. Contra pollueretur Eccleſia, ſi extra hunc caſum id facerent; quia actus conjugalis extra caſum periculi incontinentiæ in Eccleſia licitè non exercetur. Sylv. *V. conſecratio* 2. *q.* 5. *caſ.* 3. Covar. *de Sponſal. p.* 2. *c.* 7. §. 2. *n.* 3. Sayr. *Clav. Regul. l.* 9. *c.* 8. *n.* 11. Leſſ. *l.* 4. *de J. & J. c.* 3. *n.* 85. Barboſ. *de Offic. Epiſc. alleg.* 28. *n.* 48. *& in c. un. h. tit. in* 6. *n.* 13. Gonz. *in c.* 7. *h. tit. n.* 7. Honor. *hic n.* 12. Zoeſ. *n.* 8. Engl §. 2. *n.* 11. Pirh. *n.* 12. Schambog. *n.* 10. Vvieſt. *n.* 42. 4. Ut intra Eccleſiam facta ſit: quo nomine hic venit interius corpus Eccleſiæ conſecratæ, vel benedictæ. Et hinc ſi ejuſmodi actus fiat ſupra tectum, ſeu fornicem Eccleſiæ; in campanili, aut etiam in Sacriſtia; in cameris, ſeu cubiculis, aut cryptis ſubterraneis ad alios uſus, quàm ad Myſteria Divina peragenda, aut fidelium ſepulturam deputatis; in Eccleſiæ aditu extra januam; in adſitis, & extra ipſius Eccleſiæ murum pro ſtatione, ſeu deambulatione extructis porticibus, & atriis, Eccleſia tali actu non polluitur, ut rectè Sperell. *deciſ.* 62. *n.* 18. Gonzal. *in c.* 7. *h. tit. n.* 7. Monacell. *p.* 1. *form.* 10. *tit.* 6. *n.* 28. Matthæuc. *Offic. Eccl. c.* 7. *n.* 9. *verſ. non cenſetur*, Engl *hic* §. 2. *n.* 12. Honor. *n.* 12. Konig *n.* 16. Vvieſt. *n.* 43. Ratio eſt, quia Eccleſiæ nomen, cum agitur de ejus pollutione, quæ pœnalis, & odioſa eſt, debet ſtricte accipi. *arg. Reg. odia* 15. *in* 6.

Quæritur 9. an Eccleſia polluatur ejuſmodi cæde, vel ſanguinis, aut ſeminis emiſſione etiam occulta? Reſp. negative: ſed requiritur, ut ejuſmodi actus ſit publicus, & notorius vel per evidentiam facti, vel per condemnationem rei crimen confeſſi, aut de eo convicti in judicio, vel etiam per legitimam criminis in iſto probationem *arg. cap. ſignificaſti* 5. *de adult.* Navar. *Man. c.* 27. *n.* 256. *fin.* Suar. *D.* 81. *ſect.* 4. *verſ. ſecundo*, Piaceſ. *prax. Epiſc. part.* 1. *cap.* 2. *art.* 4. *n.* 7. *verſ. in omnibus*, Laym. *l.* 5. *tr.* 5. *c.* 5. *n.* 8. Barboſ. *de Offic. Epiſc. allegat.* 28. *n.* 37. Vivian. *in cap. un. h. tit. in* 6. *verſ. fin.* Gonz. *in c.* 7. *dict. tit. n.* 7. Monacell. *p.* 1. *form.* 10. *tit.* 6. *n.* 28. Engl *hic* §. 2. *n.* 11. Vallenſ. *ibid. n.* 5. Zoeſ. *n.* 9. Schamb. *n.* 10. Pirh. *n.* 12. Vvieſtner *n.* 44. & hoc teſte communis DD. *Ratio eſt*; quia cùm Eccleſiæ Conſecratio, & Benedictio publica ſit, non niſi publico, & notorio actu debet tolli: conſequenter quamdiu actus ille adhuc occultus eſt, & à perſonis ei præſentibus non publicatur, reconciliatione non indiget. Dixi *quamdiu occultus eſt*; nam ſi fornicatio, vel ſeminis, aut ſanguinis effuſio, occulte facta in Eccleſia, poſtea publice innoteſcat, ex eo tempore habetur Eccleſia pro polluta, & neceſſario reconciliari debet. Matthæucc. *Offic. Eccl. c.* 7. *n.* 7. *verſ. an autem cum allegatis*. 82

Quæritur 10. an ſola cæde, vel ſanguinis, aut ſeminis effuſione, an verò aliis etiam criminibus, in Eccleſia commiſſis, ejus pollutio inducatur? Affirmant Hoſtienſ. *Summ. hic n.* 9. & eum ſecutus Piaceſ. *prax. Epiſcopal. part.* 1. *c.* 2. *art.* 4. *n.* 7. *verſ. ſacrilegio item*, ſi ſint delicta æque, aut magis enormia, & in ſuam hanc ſententiam loco Juris ſcripti allegant conſuetudinem. Sed, etſi conſuetudo hæc, ubi viget, improbanda non ſit, ſpectato tamen Jure, dicendum aliis criminibus, quantumcumque atrocibus, Eccleſiam nequaquam pollui. Ita Joan. de Selva *part.* 1. *de Benef. quæſt.* 5. *n.* 102. Azor *p.* 2. *l.* 9. *quæſt.* 3. Jordan. *de re Sacr. l.* 5. *tit.* 12. *n.* 78. Pirh. *hic n.* 17. Vvieſt. *n.* 45. *Ratio eſt*; quia diſpoſitio textuum, quibus ob homicidium, effuſionem ſanguinis, aut ſeminis inducitur pollutio Eccleſiæ, odioſa eſt: conſ. de caſu expreſſo ad non expreſſum extendi non debet, non eſt autem expreſſum Jure, quod pollutio inducatur per alia crimina: ergo &c. *Conſ.* quia ob homicidium, & ſanguinis, vel ſeminis humani effuſionem Jure Divino antiqui Teſtamenti præcludebatur acceſſus ad Sacrificia, Jure Eccleſiaſtico ob duo priora inducitur Irregularitas, ut adeo major ſit cauſa, cur ob illa potius, quàm ob alia crimina Eccleſiæ pollutio inducatur. 83

Quæritur 11. quid faciendum, quando Eccleſia eſt polluta? Reſp. eſſe reconciliandam, nec antequam iſtud fiat, 84 Myſteria Divina in ea peragenda, ut dictum eſt *ſuprà n.* 64. Quoad modum reconciliationis diſtinguendum eſt inter Eccleſiam nondum conſecratam, & conſecratam. Si Eccleſia, cum pollueretur ſolummodo benedicta, nondum tamen conſecrata erat, reconciliari per Sacerdotem ſimplicem aſperſione aquæ luſtralis poſſet, etiam mandato, ſeu licentia Epiſcopi non exſpectata, prout colligitur ex *c. fin. h. tit.* ibi, *Aqua protinus exorcizata lavetur*, & notat ibidem Gloſſ. *fin.* Azor. *p.* 2. *l.* 9. *c.* 5. *q.* 5. Sayr. *de Cenſur. l.* 5. *c.* 16. *n.* 31. Piaceſ. *prax. Epiſc. p.* 1. *c.* 2. *art.* 4. *num.* 7.

num. 7. verf. ante reconciliationem. Barbof. de Offic. Epifcop. alleg. 28. n. 57. Monacell. p. 1. form. 10. tit. 6. n. 25. Matthæucc. Offic. Eccl. c. 7. n. 7. verf. fi verò. Pirh. hic n. 19. & 21. Schambog. n. 17. Konig n. 18. Vvieft. n. 29. Si verò confecrata fuit, reconciliari debet à proprio Epifcopo, vel de ejus licentia ab Epifcopo extraneo, prout habetur c. aqua 9. h. tit. & notat Henriq. in Summ. l. 9. c. 27. n. 6. Ugolin. de Offic. Epifc. c. 29. §. 8. num. 1. Filliuc. qq. mor. tom. 1. tr. 5. cap. 4. num. 118. Dian. part. 2. tract. 1. mifcell. refol. 6. Barbof. l. cit. n. 55. cum reliquis fupra, & cenfuit S. Congreg. Rit. in Cameracenf. 9. Febr. 1608. in Pratenf. 21. Jul. 1632. in Aretina 9. April. 1633. Simplici Sacerdoti ab Epifcopo licentia Ecclefiam pollutam reconciliandi delegari non poteft, ut ftatutum eft c. aqua cit. & ratio ibidem additur; quia reconciliatio eft actus Ordinis Epifcopalis; ea autem, quæ funt Ordinis Epifcopalis, demandare Epifcopus inferioris Ordinis Clericis nequit, quamvis demandare iisdem poffit, quæ funt Jurifdictionis Epifcopalis. Addidi ab Epifcopo; Pontifex enim fuo privilegio poteftatem hanc fimplici Sacerdoti poteft concedere ex communi fententia, tefte P. Vvieft. hic num. 29. & ratio probat; quia eft actus quidem Ordinis Epifcopalis, fed Jure folum humano, quo Papa fuperior eft. Et fic defacto poteftatem iftam Leo X. conceffit Minoribus, & Superioribus Societatis JESU, prout conftat ex Compend. privil. Societ. V. Ecclefia §. 2.

85 Quæritur 12. an Ecclefia polluta reconcilietur fola celebratione Miffæ? Affirmant Sà V. Ecclefia n. 19. & Caftro de Leg. Pœnal. l. 2. c. ult. n. 9. videturque hoc probari ex can. de fabrica 24. de confecrat. dift. 1. ubi dicitur, Ecclefiam pollutam Miffæ celebratione in ea peracta confecrationem amiffam recipere. Sed tenenda eft negativa, quam cum communi defendit Matthæuc. Offic. Ecclef. cap. 7. n. 7. verf. nonnulli, Engl hic §. 2. num. 15. Vvieft. ibid. n. 3. Ratio eft; quia cap. propofuifti 4. & cap. aqua 9. h. tit. præfcribitur forma, & modus reconciliandi Ecclefiam pollutam, neque in hoc mentio fit reconciliationis per celebrationem Miffæ. Accedit, quia fi ejufmodi celebratio reconciliationem Ecclefiæ pollutæ induceret, fimplici Sacerdoti reconciliatio ab Epifcopo committi poffet; poteft enim fimplex Sacerdos ex gravi caufa, v. g. ut infirmus Sacro Viatico muniri valeat, fi alia Ecclefia non extet, celebrare in polluta, ut cum S. Thom. p. 3. q. 83. art. 3. ad 2. communis fententia notat. Ad Canonem in contrarium allegatum dico, ibi non agi de Ecclefiæ pollutæ reconciliatione, fed de reparatione, & tantum declarari, quando indigeat nova confecratione.

86 Quæritur 13. cujus expenfis reconciliatio Ecclefiæ pollutæ fieri debeat? Refp. fieri debet expenfis illius, qui eandem violavit, fi fciatur, quis fit, & fi ille folvendo fit, cùm dans damni caufam teneatur ad ejus compenfationem. Si verò ignoretur, vel non fit folvendo, tunc recurrendum eft ad confuetudinem, vel ftatutum loci; quibus deficientibus, in Rectorem, feu Parochum hoc onus rejicitur; vel fi pauper ille fit, in Parochianos; ac denique in defectum omnium prædictorum ipfe Epifcopus fuis fumptibus reconciliare Ecclefiam debet. Abb. in c. propofuifti 4. h. tit. n. ult. Barbof. in c. 9. eod. n. 2. Matthæucc. Offic. Eccl. c. 7. n. 7. verf. expenfæ, Honor. hic n. 15. Zoef. n. 2. Pirh. n. 21.

TITULUS XLI.

De Celebratione Miffarum, & Sacramento Euchariftiæ, & Divinis Officiis.

Poft Confecrationem Ecclefiæ fequitur de Celebratione Miffarum, & aliorum Officiorum Divinorum; nam in finem hunc confecrantur Ecclefiæ.

§. I.

De Sanctiffimo Euchariftiæ Sacramento.

SUMMARIUM.

1 *Euchariftiæ Ethymologia.*
2 *Definitio.*
3 *Materia eft panis, & vinum.*
4 *Et panis quidem triticeus.*
5 *Vinum de Vite.*
6 *Cui pauxillum aquæ mifcendum eft de neceffitate præcepti, non Sacramenti.*
7 *Forma funt verba,* Hoc eft Corpus meum, Hic eft Calix fanguinis mei.
8 *Pronomen* Hoc *in Confecratione Panis, &* Hic *in Confecratione Calicis defignat ipfum Corpus, & Sanguinem Chrifti.*
9 *Pronuntiantur verba Confecrationis à Sacerdote partim recitative, partim enuntiative.*
10 *Sacramenti hujus Minifter quoad confectionem eft folus Sacerdos.*
11 *Quoad difpenfationem in cafu neceffitatis, jubente Epifcopo, vel Sacerdote, poteft etiam effe Diaconus.*
12 *Aliis Clericis, vel Laicis facultas hæc dari poteft à folo Pontifice.*
13 *Extra cafum extremæ neceffitatis.*
14 *Porrigi Euchariftia non poteft Catechumenis.*
15 *Nec pueris ante ufum rationis aut perpetuo amentibus.*
16 *Quando porrigi poffit femifatuis, Energumenis?*
17 *Et pueris habentibus ufum Rationis?*
18 *Quæ difpofitio in fufcepturo hoc Sacramentum requiratur ex parte animæ?*
19 *Quæ ex parte Corporis?*
20 *De præcepto Ecclefiæ debet effe jejunus.*
21 22 *Quale jejunium hoc effe debeat?*
23 24 25 *Quibus cafibus licitum fit Euchariftiam fumere non jejuno?*
26 27 28 *An permiffum fit infirmo, eadem infirmitate durante, fæpius non jejunum hoc Sacro Myfterio refici?*
29 30 *An ut moriturum communicet, poffit Sacerdos non jejunus celebrare?*

Quæritur 1. quid *Euchariftiæ* nomine veniat? Refpond. hoc nomine venit ipfa incruenta Hoftia, in SS. Miffæ Sacrificio oblata, five Chriftus fub fpeciebus panis, & vini, quorum fubftantia per confecrationem in ipfius Corpus, & fanguinem convertitur, & Patri æterno offertur, principaliter quidem ab ipfo Chrifto, minifterialiter verò à Sacerdote, ut declarat Trid. feff. 22. c. 1. & 2. de Sacrif. Miff. S. Thom. in 3. p. q. 83. art. 1. Bellarm. l. 1. de Miff. c. 4. Suar. in 3. p. D. 77. art. 1. Dicitur *Euchariftia*; quia DEO in gratiarum actionem, vel cum ifta offertur ex ipfa inftitutione Chrifti. Matth. 26. v. 27. Marc. 14. v. 23. Luc. 22. v. 19. Suar. l. cit. D. 58. fect. 2. Laym. l. 5. tr. 4. c. 1. n. 6. verf. 3. 1

Sacramentum Euchariftiæ inter omnia Sacramenta excellentiffimum, maximeque Divinum eft; quia continet in fe Chriftum vivum, Deum, ac hominem verum: & hinc S. Synodus Trid. feff. 7. can. 3. de Sacram. in gener. Anathemate damnavit eos, qui dixerint, *Sacramenta inter fe paria effe, ut nulla ratione aliud fit alio dignius; & feff. 13. de Euch.* Sacramentum hoc paffim vocat *Divinum, præcelfum, facrofanctum, admirabile.* Et quamvis confecretur in duplici fpecie, panis nempe, & vini, unicum tamen eft, quatenus continet in fe unicum Chriftum, conftantem Carne, & Sanguine, quæ per Species panis, & vini fignificantur. Definiri poteft, quòd fit *Sacramentum Corporis, & Sanguinis Chrifti fub fpeciebus panis, & vini, ad fpiritualem animarum refectionem Divinitus inftitutum.* Laym. c. 1. cit. n. 1. 2

Quæritur 2. quæ fit *Materia* hujus Sacramenti? Refpond. *Materia*, ex qua Sacramentum iftud conficitur, fecundum inftitutionem Chrifti in Evangelio l. citt. perpetuam praxin, & traditionem Ecclefiæ, & definitionem Generalium Conciliorum, Lateran. c. firmiter 1. de Summ. Trinit. Flor. in Decret. Eugen. §. tertium, & Trid. feff. 22. c. 1. de Sacrif. Miff. eft panis triticeus, & vinum de vite, cui ex perpetua traditione Ecclefiæ pauxillum aquæ eft admifcendum §. tertium cit. & Trid. feff. cit. c. 7. cujus rei duplex eft fignificatio; nam 1. ea commixtio juxta Innocentium III. c. cum Marthæ 6. §. quæfivifti h. tit. fignificat Sanguinem, & aquam, qui ex latere Chrifti profluxit. 2. fecundum Julium Papam can. cum omne 7. de confecr. dift. 2. indicat fidelium in Chriftum credentium cum ipfo adunatione. Idemque habetur in Concil. Tribur. can. 19. ubi ratio adjungitur, cur aqua in minori quantitate admifceri debeat; *quia major eft majeftas Sanguinis Domini, quàm fragilitas populi;* quæ etiam caufa videtur, cur aqua in mixtione à Sacerdote benedicatur, non item vinum; quia homo infirmus per merita Crucifixi facratur, & confirmatur ex unione, ac veluti incorporatione cum Chrifto. Laym. tract. 4. cit. c. 2. num. 6. 3

Dixi 1. *Panis triticeus:* quia hic ufualis eft, qualem Chriftus Dominus materiam effe Confecrationis voluit. Atque hinc ut valida fit confecratio, tria requiruntur. 1. ut farina, ex qua panis pro confecratione conficitur, fit ex tritico. Debet autem nomen tritici hic late accipi, ut omne genus frumenti comprehendat, quod ad conficiendum panem pro hominis victu communiter adhiberi folet, five fit triticum, quod proprie ita appellatur, vulgò *Maigen*, five quod cum eo cognationis fimi- 4

similitudinem habet, cujusmodi apud nos est Zea, sive Far, *Tunckel. Korn, oder Korn*, & Siligo, vulgo *Roken, oder Korn*; quamvis hanc posteriorem adhibens extra casum necessitatis graviter peccet, quod mundior panis dignitatem hujus Sacramenti deceat. Laym. *l. cit. n.* 2. *vers. debet*. Contra materia apta pro Consecratione non est 1. panis ex hordeo, avena, milio, oriza, castaneis, aut glandibus confectus; cum ex iis non soleat panis confici pro hominis victu, nisi ob defectum tritici: quare nec simpliciter panis vocabulum meretur, sed cum addito, *Panis hordeaceus, avenaceus &c.* Laym. *n.* 2. *cit. vers. porro*, Pal. *tr.* 21. *D. un. p.* 4. *num.* 2. Vviest. *hic n.* 3. 2. farina triticea debet esse aqua elementari tantum, non lacte, melle, oleo, rosacea, vel simili aqua subacta. S. Thom. *q.* 74. *art.* 7. *ad* 3. Paludan. *in* 4. *dist.* 11. *qu.* 1. *art.* 6. *conc.* 4. Laym. *l. cit. vers. ex quo collige*. 3. debet esse igni tosta, non oleo, aut butyro frixa, vel aqua elixa, vel Massa cruda. Laym. *coroll.* 2. Parum autem interest ad valorem, an panis sit Azymus, aut fermentatus; nam in utroque valide peragitur Consecratio: *validè*, inquam; nam Latini ex præcepto Ecclesiæ tenentur consecrare in Azymo, Græci in fermentato. Laym. *n.* 4.

5 Dixi 2. *Vinum de Vite*. Hinc 1. materia Consecrationi apta non sunt uvæ, antequam liquor ex illis exprimatur; quia antequam istud fiat, non tam potui, quam comestioni serviunt. Suar. *D.* 45. *sect.* 2. Laym. *num.* 5. Pal. *n.* 7. Vviest. *hic n.* 4. & alii apud istos. 2. Agresta, sive liquor expressus ex uvis immaturis; quia vini naturam nondum est consecuta. Aliud dicendum de musto; nam hoc substantialiter vinum est; quia tamen adhuc fœculentum est, illicite adhibeatur extra necessitatis casum. Suar. *sect.* 1. *cit.* Laym. *n.* 6. Vviestner *l. cit.* 3. Acetum; quia vini naturam perdidit. Laym. *n.* 5. *vers. adverte* 2. Pal. *n.* 8. Vviest. *l. cit.* Vinum acescens, uti & congelatum valide quidem, sed quod notabiliter alteratum sit, illicite consecratur. Laym. *l. cit. & n.* 6. *vers. adverte quarto*.

6 Dixi 3. *Vino pauxillum aquæ miscendum*. An ex præcepto Divino hoc requiratur, & ad valorem Sacramenti pertineat? Rationem dubitandi faciunt textus, 1. Conc. Carthag. IV. *can.* 24. ubi decretum fuit, in Sacramentis Corporis, & Sanguinis aliud, quam ipse Dominus, non offerendum: constat autem, quod Christus vinum aqua mistum adhibuerit. 2. *can. cum omne* 7. *de Consecrat. dist.* 2. ubi Julius Papa negat Calicem Domini aquam solam, aut vinum solum esse posse. 3. passim aquæ admixtio *Præceptum, Institutio, & Traditio Domini* appellatur. *Sed dicendum*, eam mixtionem non esse faciendam ex Divino, sed Ecclesiastico dumtaxat præcepto, atque ideo non ad valorem, sed licentiam solum requiri. Ita S. Thom. 3. *part. qu.* 83. *art.* 6. Bellarm. *de Euchar. cap.* 20. Suar. *D.* 45. *cit. sect.* 2. Laym. *c.* 2. *cit. n.* 6. Vviest. *hic n.* 5. & colligitur ex Conc. Flor. §. *tertium*, & Trid. *cap.* 1. *cit.* nec obscurè hoc indicat Missale Romanum *cap.* 4. *de defect. vin.* ubi casu, quo Sacerdos primum post consecrationem advertit calici aquam affusam non fuisse, eam postea affundere prohibetur: cons. supponit consecrationem fuisse validam; alias sine dubio affundi deberet, & consecratio repeti. *Neque contrarium* probatur ex testibus allegatis. *Ad* 1. ex textu Concilium tantum indicat, solum panem, & vinum cum aqua, & non cum alio aliquo liquore mixtum offerendum esse. Usus Christi præceptum non facit, nam etiam usus est Azymo pane, & tamen certum est, quod validè, & à Græcis licitè consecretur in fermentato. *Ad* 2. Julius Papa non negat simpliciter, quod Calix Domini esse sine aqua possit, sed tantum indicat absque ea mixtione non haberi illum cum plenitudine significationis mysticæ, ut *in c. perniciosus* 13. *h. tit.* notat Gonzal. *num.* 3. *Ad* 3. voces illæ accipi debent late, prout etiam lotio pedum à S. Ambros. *l. de Spir. S. in proœm.* appellatur *Traditio Domini*, quod Dominus exemplum ejus dederit.

7 Quæritur 3. quæ sit *Forma* hujus Sacramenti? Resp. sunt verba; *Hoc est enim Corpus meum; & Hic est enim Calix Sanguinis mei, novi, & æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*. Circa quæ

Advertendum 1. ex his verbis essentiam formæ constituere sola verba, *Hoc est Corpus meum, & Hic est Calix Sanguinis mei*, vel quod idem significat, *Hic est Sanguis meus*; quia his solis prolatis, Corporis, & Sanguinis Christi præsentia, ac proinde substantiæ panis, & vini conversio plenè, & sufficienter significatur, ut cum communi advertit Laym. *l.* 5. *tract.* 4. *c.* 3. *n.* 2. Ac proinde, si particula *Enim*, & reliqua verba omittantur, id quidem sine peccato gravi non posse fieri, per eam tamen omissionem valorem consecrationis non destrui. Suar. *in* 3. *part. D.* 50. *sect.* 1. *D.* 60. *sect.* 1. Conink *q.* 78. *dub.* 2. *n.* 2. *& dub.* 3. *n.* 3. Pal. *p.* 7. *n.* 1. *&* 3. Vviest. *n.* 9.

Advertendum 2. pronomen demonstrativum *Hoc* in 8
forma, qua consecratur panis, & *Hic* in forma Calicis non designare materiam Panis, & vini, neque species eorumdem, sed ipsum Corpus, & Sanguinem Christi, tanquam quod, finita verborum forma, continetur sub speciebus. *Ratio est*, quia alias vel propositio est falsa, vel sensus formæ improprius; quia idem erit, ac *Panis convertitur in corpus*, vel *Species continet Corpus*: id quod maxime est cavendum, ne ansa præbeatur Hæreticis, etiam *Corpus* improprie sumendi pro figura Corporis.

Advertendum 3. verba Consecrationis proferri à Sa- 9
cerdote neque solum recitative, ut volebant Catharinus, Major, Durandus, Okam, Salmeron &c. neque solum enuntiative, ut docebant S. Bonavent. Marsil. Gabr. Amic. Vasq. sed utroque modo, saltem quoad essentialia formæ, ut sentiunt S. Thom. 3. *p. q.* 78. *art.* 5. Scot. Suar. Bellarm. & alii apud Haun. *l.* 4. *Theol. tr.* 3. *n.* 874. Et quidem quòd recitativè, seu historicè proferantur, colligitur ex verbis immediatè formam præcedentibus, *Fregit, deditque Discipulis suis dicens, Accipite, & manducate; hoc est enim &c.* ubi vox *dicens* manifeste indicat ea verba recenseri, ut à Christo prolata, quod etiam particula causalis *Enim* demonstrat. Quòd verò proferantur etiam enuntiativè, inde ostenditur; quia Sacerdos ex sententia PP. specialiter gerit personam Christi, dum consecrat, non tantum mediatè, & indirectè, quatenus operatur ut Minister, & ex potestate aliena, uti cum dicit, *Ego te baptizo, absolvo* &c. sed immediatè, & directè; hoc autem fieri non potest, si tantum historicè referret, quæ Christus dixit, & non ipse induens personam Christi idem præsenti affirmaret.

Quæritur 4. quis sit Sacramenti istius *Minister*? Re- 10
spond. quoad confectionem ex Divina institutione est solus Sacerdos, ut patet ex Concil. Nicæn. *can.* 14. Lateranens. *sub Innocent. III. c.* 13. Florent. *in Decret. Eugen.* §. *tertium*, Trid. *sess.* 22. *de Sacrific. Miss. c.* 1. & ratio est; quia solis Sacerdotibus eam potestatem Christus dedit. Luc. 22. *hoc facite in meam commemorationem*: quod confirmatur authoritate PP. apud Vasquez, *D.* 218. *cap.* 1.

Quoad dispensationem ex officio est idem Sacerdos juxta Decretum Conc. Rhem. relati *can. pervenit* 28. *de consecrat. dist.* 2. Trid. *sess.* 22. *cap.* 8. *de Sacrif. Miss.* & colligitur ex Apostoli verbis, *Sic nos existimet homo, ut Ministros Christi, & dispensatores Mysteriorum DEI* 1. *Cor.* 4. *v.* 1. quod congruentiis probat S. Thom. *q.* 82. *art.* 3. 1. quia Christus in ultima Cœna, sicut consecravit, sic Eucharistiam Apostolis dispensavit: ergo sicut Sacerdotes consecrant in persona Christi, ita congruum est, ut in eadem Eucharistiam aliis dispensent. 2. Sacerdos constituitur medius inter DEUM, & homines: ergo sicut ad eum pertinet dona populi offerre DEO, ita ad eundem pertinet dona à DEO sanctificata populo tradere. 3. ad reverentiam Sacramenti spectat non tangi, nisi à manibus consecratis, sed solis Sacerdotibus consecrantur manus. ergo &c.

Concedunt tamen communiter DD. Jure Divino per- 11
mitti, & initio Ecclesiæ commissam esse Diaconis non solum Sanguinis, sed etiam Corporis Christi dispensationem: quod postremum circa tempora Concil. Carth. ut colligitur ex *can.* 28. restrictum videtur ad solum casum necessitatis, jubente Episcopo, vel Sacerdote, si quidem adsit, qui jubeat; alias dispensare poterit in hoc casu, nullo exspectato imperio ex præsumpta voluntate, ut docet S. Thom. *in* 4. *dist.* 13. *q.* 1. *art.* 3. *q.* 2. imò ipso Jure, & ex voluntate Ecclesiæ, ut notat Vasq. *D.* 219. *c.* 1. *n.* 11. cum enim in Concil. Nicæn. *can.* 14. concedatur Diacono, ut absente Episcopo, & Presbytero ipse Eucharistiam proferat è Sacrario, & sumat, multo magis in casu necessitatis ipsi potestas datur eam aliis ministrandi.

Aliis Clericis Diacono inferioribus (quod multo magis 12
procedit de Laico) extra casum extremæ necessitatis facultas hæc à nullo Prælato, Papa inferiore, committi potest, prout habet communis DD. sensus, & aperte statuitur *can. pervenit cit.* & Conc. Nicæn. *cit. can.* 38. *Neque obstat* mos antiquæ Ecclesiæ, quo permittebatur Laicis, ut SS. Christi Corpus, è manibus Sacerdotis acceptum, suo tempore è propriis manibus sumendum domum deferrent, teste Sozomeno *Histor. Eccl. l.* 8. *c.* 3. & Nicephoro *l.* 13. *c.* 17. nam imprimis mos iste ex gravibus causis jam pridem sublatus est; deinde acceptio illa tantum fuit applicatio SS. Sacramenti à Sacerdotibus mini-

niſtrari, ut notant Suar. *D.* 72, *ſect.* 1. Pal. *tr.* 21. *D. un. p.* 17. *n.* 7. Vvieſt. *hic n.* 11.

13 Dixi *extra caſum extremæ neceſſitatis:* talem contra Sot. *in* 4. *diſt.* 13. *q.* 1. *art.* 3. *in fin.* Henriq. *l.* 8. *c.* 54. *n.* 3. Vaſq. *D.* 219. *c.* 1. nonnulli cum Conink *D.* 82. *art.* 3. *n.* 23. Chapeauville *c.* 4. *qu.* 6. Laym. *l.* 5. *tr.* 4. *c.* 7. *n.* 6. *verſ. denique* putant eſſe, quando infirmus morti proximus, SS. Euchariſtiæ Sacramento muniri peteret, & Sacerdos, vel Diaconus, aut alius Clericus non adeſſet; nam hoc caſu putant, ſi ſcandalum abſit, hujuſmodi ægroto miniſtrari illud etiam à Laico poſſe.

14 Quæritur 5. de *Subjecto* Sacramenti iſtius, an porrigi Euchariſtia poſſit Catechumenis, infantibus, perpetuò, vel ad tempus amentibus, ſemifatuis, energumenis, pueris, qui debilem uſum rationis habent &c.

Reſp. *Ad* 1. Catechumenos capaces non eſſe. Ita habet perpetua praxis Eccleſiæ, nunquam Euchariſtiam largientis Catechumeno, quantumvis Sancto. *Ratio eſt;* quia Baptiſmus eſt janua Sacramentorum, quæ tanquam ſigna externa iis ſolum competunt, qui non tantum interius per fidem, & Charitatem, ſed etiam exterius ſunt membra Eccleſiæ; ſunt paſcua ovium, & alimenta non niſi in Chriſto genitis ſalutaria.

15 *Ad* 2. etſi antiqua conſuetudine, cujus meminit Trid. *ſeſſ.* 21. *de Commun. c.* 4. parvulis ante uſum rationis Sacroſancta Euchariſtia collata fuerit; ea tamen, uti illis neceſſaria non eſt, teſte *eod.* Trid. ita, quia debita cum reverentia ſuſcipere illam nequeunt, hodierno more Eccleſiæ laudabiliter negatur: ſi tamen detur, ex ea fructum percipiunt. Laym. *l.* 5. *tr.* 4. *c.* 4. *n.* 2.

Ad 3. Perpetuò amentes; uti alias, ita etiam hic cum parvulis computantur. Qui verò poſt uſum rationis in amentiam lapſi ſunt, niſi graviter peccaſſe, neque doluiſſe conſtet, in articulo mortis, ſed non prius ad S. Communionem admittendi ſunt. Ita communis TT. & habetur *in can. is qui* 8. *cauſ.* 26. *quæſt.* 6. *Ratio prioris partis eſt;* quia iſti non modo fructus percipiendi capacitatem, ſed forſan etiam indulgentiam habent, ut à peccatis occultis, de quibus non fuerunt contriti, mundentur, Sacramento Attritionis imperfectionem compenſante. *Ratio poſterioris partis eſt;* quia devotionis actualis, & debitæ reverentiæ Sacramento exhibendæ incapaces ſunt: ergo extra neceſſitatis caſum potior Sacramenti quàm ipſorum commodi habenda ratio eſt.

16 *Ad* 4. Semifatuis, qui cibum Sacrum, tanquam utilem ſibi, & neceſſarium ad ſalutem à profano diſtinguunt, non ſolum in articulo mortis, ſed etiam tempore Paſchali Sacra Communio præbenda eſt. Ita rurſum communis cum S. Thom. *quæſt.* 80. *art.* 9. quia etiam illi videntur comprehendi præcepto *cap. omnis utriuſque ſexus* 12. *de pœnit. & remiſſ.* Denique aliqua ſaltem reverentia hunc animæ cibum percipere poſſunt, quamvis cùm illa exigua ſit, nec indigentia frequentiam majorem ſuadeat, meritò reliquo tempore jubeantur abſtinere; uti etiam ſurdi, & muti à nativitate, niſi ob ſpecialem judicii maturitatem paulo frequentius admittendi videantur.

Ad 5. Energumenis, quando abeſt incontinentiæ periculum, redeunte ſcilicet per intervalla corporis, & animi quiete, etiam ſæpius Euchariſtia concedenda eſt; quia illis miſeris valde neceſſaria eſt, & non rarò etiam corporibus proficua, ut colligitur ex Concil. Eliberit. *c.* 37. & Arauſ. 1. *c.* 34.

17 *Ad* 6. Pueris, quamprimum apti ſunt ad peccatorum confeſſionem, licitè præberi poteſt etiam Euchariſtiæ Sacramentum, ut cum S. Thom. docent Tanner. Pal. & alii communiter; quia reverà annos diſcretionis habent, & Panem cœleſtem à vulgari diſtinguunt: attamen ex uſu Eccleſiæ ſolet exſpectari major, quàm ad Confeſſionem, judicii maturitas, ut tantò majorem concipiant æſtimationem Myſterii, & latentem in eo Majeſtatem majori reverentia venerentur. Quidam decem annos requirunt: ſed cùm aliquibus citius, aliis tardius adveniat uſus rationis, id prudentis arbitrio relinquendum erit. Excipiunt Suarez, Tanner. Lug. alii articulum mortis, in quo pueris, habentibus uſum rationis, dandum eſſe dicunt Sacrum Viaticum ex præcepto: Navarrus ſolum conſilium agnoſcit. Ego cum prioribus ſentio; quia ſumptio S. Viatici eſt Juris Divini, neque pendet à determinatione Eccleſiæ, ſicut annua Communio: ergo quotquot habent uſum rationis, obligantur præcepto Divino ad Euchariſtiam eo tempore ſumendam.

18 Quæritur 6. quæ diſpoſitio requiratur, ut quis Sacramentum iſtud ritè ſuſcipiat? Reſp. duplicem eſſe diſpoſitionem, unam ex parte animæ, alteram ex parte corporis.

Ex parte animæ per ſe neceſſaria eſt immunitas à peccato mortali, ſeu ſtatus gratiæ: neque ſufficit ſtatum iſtum procurari per Contritionem, ſed determinate præſcribitur Confeſſio vel Jure Divino ſaltem poſitivo; & Apoſtolis tradito, ut habet communior ſententia, vel Eccleſiaſtico jam inde à tempore Apoſtolorum ad nos derivato. Colligitur ex illo Apoſtoli. 1. *Cor.* 11. *v.* 28. *Probet autem ſeipſum homo &c.* quæ verba Trid. intelligunt ibi: *Eccleſiaſtica autem conſuetudo declarat, eam probationem neceſſariam eſſe, ut nullus ſibi conſcius mortalis peccati, quantumvis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa Sacramentali Confeſſione, ad Sacram Euchariſtiam accedere debeat: quod à Chriſtianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incumbit celebrare, hæc Sancta Synodus perpetuò ſervandum eſſe decrevit, modo non deſit illis copia Confeſſoris: quodſi neceſſitate urgente, Sacerdos abſque prævia Confeſſione celebraverit, quamprimum confiteatur.*

Ex parte corporis duplex requiritur diſpoſitio: una neceſſitatis, ut ſcilicet communicans ſit jejunus; altera decentiæ, ut non fuerit eo die pollutus. *De poſteriore* pauca habeo dicere. Suadendum eſt conjugatis, ut acceſſuri ad S. Synaxin, ſe contineant, quoad fieri poteſt, abſque graviori tentationis periculo, vel injuria partis. Quodſi pollutio involuntaria acciderit cuipiam, vel voluntaria quidem, ſed ut inter conjuges honeſta, aut certè per Confeſſionem expiata, prudentis Confeſſarii erit judicare ex circumſtantiis, vel diſpoſitione præſenti, an talis ob majorem reverentiam Sacramenti ſit arcendus à Menſa Dominica, nullo tamen graviori obligationis incuſſo metu, an è contrario admittendus. Si culpa abſit, neque commoti corporis, aut animi perturbati reliquiæ vehementius infeſtent, & diſtrahant, placet ſententia Sancti Juſtini Martyris *qu.* 21. *ad Gent. Non eſt æquum propter involuntariam paſſionem abſtinere à Myſteriis.* 19

Quòd à jejuno per ſe, & regulariter ſumi Euchariſtia debeat, patet ex Decretis Conciliorum Carthag. III. *can.* 29. Matiſcon. II. *can.* 6. Bracharenſ. I. *can.* 16. Altiſiodor. III. *can.* 29. Moguntin. IV. *can.* 33. & aliorum apud Gonzal *in c. ex parte* 5. *h. tit. n.* 1. Præcepti congruentiam reddit S. Auguſt. *Ep.* 118. *ad Januar.* ibi, *Placuit Spiritui Sancto, ut in honorem tanti Sacramenti prius in os Chriſtiani Corpus Dominicum intraret, quàm reliqui cibi.* Eſtque Conſtitutio hæc ab Apoſtolis haud dubie profecta, quandoquidem per univerſum Orbem, ut idem Auguſt. *l. cit.* notat, mox poſt initium ſemper obſervatus eſt. Neque ſtatutum hoc contrarium eſt exemplo Chriſti, qui Diſcipulis ſuis Euchariſtiam poſt eſum Agni Paſchalis præbuit; nam hoc ideo fecit, ut prius figuram, hoc eſt, Cœnam Legalem impleret, tum verò figuræ ſuccedere figuratum nova inſtitutione monſtraret: de cætero autem Eccleſiæ poteſtatem conceſſit, cum aliis ritibus accidentalibus etiam tempus, hujus Sacramenti excellentiæ conveniens, ordinandi. Primis quidem Eccleſiæ Sæculis feria V. in Cœna Domini veſpertino tempore celebrabatur Miſſa, & porrigebatur Euchariſtia, ut patet ex *citt.* Concil. Carthaginenſ. *can.* 29. Matiſcon. *can.* 6. Barcharenſ. II. *can.* 10. ſed illis temporibus protrahebatur jejunium uſque ad veſperam, & Miſſa, Diviniſque Officiis jam finitis ad ſumendos alios cibos diſceſſum fuit *can. ſolent* 50. *pr. de conſecr. diſt.* 1. Micrologus *de Eccl. Offic. c.* 49. 20

Quæritur 7. quale hoc jejunium eſſe debeat? Reſpond. debet eſſe naturale, & perfectum à media nocte uſque ad tempus, quo ſumitur hoc Sacramentum: adeoque ſumptionem hanc impedit cujuſcumque rei, quæ cibi, potuſve rationem habet, etiam minimæ, puta grani Juniperi, maſticis, ſacchari, olei, vel alterius liquoris, etiam medicinæ, & quacunque ex cauſa per os facta acceptio, ejuſque per propriam, ac vitalem comedendi, bibendique actionem in ſtomachum trajectio, ut colligitur ex *can. nihil* 16. *verſ. nullus* 7. *qu.* 1. *canon. Sacramenta* 49. *de conſecrat. diſt.* 1. *canon. liquido* 54. *pr. ibid. diſt.* 2. *& cap. ex parte* 5. *h. tit.* & cum S. Thom. 3. *part. q.* 8. *art.* 8. *ad* 4. paſſim tradunt TT. & Canoniſtæ cæteri. 21

Contra 1. ſumptionem Euchariſtiæ non impedit, quamvis valde dedeceat, demiſſio fumi ex hauſto tabaco; nam ea nec eſt potatio, nec comeſtio propria. 2. Particula ligni, vel unguis arroſi, ſi glutiatur; quia non ſumuntur per modum cibi, vel potus. 3. Sanguis, vel alius humor ex naribus, vel capite in ſtomachum defluens. 4. Aquæ guttula in ablutione oris ſalivæ admixta. 5. Particula cibi à pridiana cœna inhærens dentibus. 6. Imò ſecundùm aliquos etiam guttæ juſculi deguſtati, & cum ſaliva admixtæ, caſu in ſtomachum trajectio, quamvis omnino deceat hujuſmodi juſculi guttulas, 22

las, & ciborum particulas exspuere. Suar. *in* 3. *p. D.* 68. *sect.* 4. §. *tertio*. Conink *q.* 90. *art.* 8. Laym. *l.* 5. *tr.* 4. *c.* 6. *num.* 18. Pal. *tract.* 21. *D. un. part.* 15. *n.* 8. Wiest. *hic num.* 15. *fin.*

3 Quæritur 8. quibus casibus licitum sit Eucharistiam sumere non jejuno? Resp. quinque maximè enumerantur casus. 1. Ob necessitatem Sacrificii perficiendi: quæ multipliciter potest contingere. 1. Si pro consecratione Calicis loco vini adhibita, & jam sumpta sit aqua: nam tunc iterum consecrandus est calix, & non obstante violatione jejunii, à Sacerdote sumendus; quia major est irreverentia, si non absolvatur Sacrificium, quàm si omittatur jejunium, Lege Ecclesiastica præceptum. 2. Si Sacerdos post Consecrationem jam peractam recordetur se jejunum non esse *post consecrationem*, inquam; nam si ante consecrationem memor fiat, tutius abstinet, si sine gravi scandalo potest. 3. Si alius Sacerdos, post Canonem incœptum deficiens, Missam prosequi non valeat; tunc enim si alius jejunus non adsit, eam perficere debet non jejunus. Laym. *l.* 5. *tr.* 4. *cap.* 6. *num.* 21.

4 2. Si post sumptam ablutionem adhuc supersint reliquiæ in Corporali, vel patena repertæ: imò ex universali principio, quòd satisfaciat legi, qui sumptionem inchoat jejunus, licebit post longam Eucharistiæ distributionem in fine Sacri sumere non solum micas deciduas, sed integras Hostias in eodem Sacrificio consecratas, ut docent *Suar. Fagund. Dian. Vasquez, Conink, Tannerus, alii*; quia non censetur esse nova Communio, sed pertinere ad complementum tum Sacrificii, tum Communionis, quam jejunus inchoavit. Si tamen in alio Sacrificio illæ reliquiæ sunt consecratæ, & commodè servari possint, negant eas licitè sumi post ablutionem; quia non spectant ad complementum proprii Sacrificii. Sed de iisdem probabiliter concedit *Palao*; quamvis enim non spectent ad complementum Sacrificii, complent tamen eandem moraliter Communionem.

5 3. Si Eucharistia, nisi statim sumatur, vel incendio absumenda sit, vel in Sacrilegas manus Infidelium, aut Hæreticorum deventura; nam hoc casu SS. Sacramentum à non jejuno, etiam Laico, cum timore, & reverentia sumi potest. Laym. *l.* 5. *tr.* 4. *c.* 6. *n.* 22. *vers. quintus casus*, Pal. *tr.* 21. *D. un. p.* 15. *n.* 17. Wiest. *hic n.* 16.

4. Si grave scandalum oriturum sit, nisi aliquis communicet, aut sacrificet, qui jejunus non est: quem rarum quidem casum, attamen indubitatum esse ait Suar. *D.* 68. *sect.* 5. *in fin.* quia Leges positivæ nunquam tam severe obligant.

5. In mortis articulo, si commodè sumi non possit à jejuno, sive deinde mors immineat ex morbo, sive ex sententia Judicis, si is diutius exspectare nolit, vel ob causam non possit *can. de his vere* 9. *caus.* 26. *qu.* 6. *can. Presbyter* 93. *de consecr. dist.* 2. & Concil. Constantiens. *sess.* 3. quia eo tempore sumptio hujus Sacramenti est præcepti Divini, quod Ecclesiastico, quo jejunium communicaturo injungitur, prævalet.

6 Quæritur 9. an infirmus non jejunus Sacra Eucharistia refici sæpius possit? Satis convenit inter DD. eundem, si jejunus nequeat, denuo refici non jejunum posse, quando mortis periculo, ratione cujus Sacro Viatico munitus est, sublato, succedit novum.

An verò id permissum sit, eadem infirmitate durante, Controversia est. Vasquez *D.* 211. *c.* 4. *à num.* 37. putat iterationem tantum permissam esse semel non jejuno, ex ratione; quia casus articuli, seu periculi mortis ex ea tantum ratione exceptus est, ne infirmus necessario vitæ suæ Viatico defraudetur *can. de his cit.* & ne sine Communione moriatur *can. Presbyter cit.* atqui talis jam non decedit sine communione; nec defraudatur necessario vitæ Viatico: ergo &c.

7 Sed communius contrarium defendunt alii; qui tamen in tempore, quo, & quoties iterari S. Communio possit, non conveniunt; nam 1. aliqui putant iterari Communionem à non jejuno posse saltem eo casu, quo post Viaticum acceptum infirmus in peccatum mortale incidit. 2. Tabien. *V. Communio n.* 54. Henriq. *l.* 8. *c.* 50. *num.* 1. Dian. *part.* 1. *tract.* 14. *resol.* 57. Bonacin. *de Sacram. D.* 4. *q.* 6. *part.* 2. *num.* 23. iterationem permittunt post sex, septem, vel octo dies. 3. Ludovic. à S. Joann. *apud Quintanaduen. singul.* 14. *num.* 3. ad repetitionem sumptionis Eucharistiæ admittunt post triduum lapsum à sumpto Viatico. 4. Armill. *V. Communio n.* 18. Sa *V. Eucharistia num.* 5. & 34. Laym. *l.* 5. *tr.* 4. *cap.* 6. *n.* 20. *vers. adde primò*, Hurtad. *de Euchar. D.* 9. *diffic.* 16. *fin.* Pal. *p.* 15. *cit. n.* 14. Dicast. *de Euch. D.* 9. *n.* 334. Gobat. *Exper. tr.* 4. *n.* 317. id licitum esse dicunt toties, quoties extra infirmitatem non jejunus communicare solebat: ac proinde Sacerdoti, quotidie sacrificare solito, si S. Eucharistiæ magno desiderio teneretur, & sumere illam jejunus non posset, non jejuno ministrari illa quotidie posset: & hanc sententiam non solum piam, sed tutam etiam esse in praxi, affirmat P. Wiestner *hic n.* 17. Ratio est; quia textus, permittentes infirmo non jejuno sumptionem S. Eucharistiæ, non restringunt hanc suam permissionem tantùm ad unam vicem: ut adeo meritò videatur Ecclesia ob specialem ejus articuli necessitatem etiam frequentiorem Communionem ipsi concedere, & in Lege jejunii dispensare, vel potius eundem non comprehendere.

Ad Rationem in contrarium allatam dico, rationem ibi positam non esse adæquatam; nam præterea hoc indultum est ad moribundi solatium, ad ejus in illo articulo confortationem, ad unionem majorem animæ cum Deo Creatore, ac Redemptore suo, ad superandas tentationes, ac suggestiones Diaboli, tum maximè insidiantis, & quærentis, quem devoret. 28

Quæritur 10. utrum liceat Sacerdoti non jejuno sacrificare in casu necessitatis, ut alium moriturum communicet, pro quo Hostia consecrata non adest, quæ moribundo præberi possit? Affirmat Major *in* 4. *dist.* 9. *quæst.* 3. *ad* 5. qui etiam addit tali casu Sacerdotem non jejunum ad communicandum moribundum post meridiem privatim consecrare posse etiam panem fermentatum, dicendo sola verba Consecrationis sine vestibus Sacerdotalibus. 29

Sed alii DD. cum Paludan. *in* 4. *dist.* 8. *q.* 2. *art.* 1. *concl.* 2. Sot. *in* 4. *dist.* 12. *q.* 1. *art.* 8. Navar. *Man. c.* 25. *n.* 88. Tolet. *l.* 2. *c.* 13. *in fin.* Henriq. *l.* 8. *c.* 46. *n.* 1. Suar. *D.* 68. *sect.* 5. Conink *q.* 80. *art.* 8. Laym. *l.* 5. *tr.* 4. *c.* 6. *n.* 21. hoc probabilius negant; quia Ecclesiæ consuetudo talia non permittit ob maximam hujus sacramenti excellentiam, quod uno modo, ac ritu semper confici, & administrari plurimum interest; præterquam quòd gravia incommoda sequi possent, si interdum Parochis bene pransis, ac cœnatis sacrificare licitum esset.

In raro tamen necessitatis casu, si infirmus moriturus aliud Sacramentum, videlicet Pœnitentiæ, aut extremæ unctionis suscipere non posset, & scandalum abesset, probabile est, ut *l. cit.* advertit Layman, non malè acturum Sacerdotem, si ob ejusmodi hominis Communionem non jejunus sacrificet. 30

§. II.

De Sacrosancto Missæ Sacrificio.

SUMMARIUM.

31 *Quid sit Sacrificium, & quotuplex?*
32 *Quid intelligatur nomine Missæ?*
33 *Quis sit Minister in hoc Sacrificio?*
34 *Quis effectus, ut est Propitiatorium?*
35 *Quis, ut est Impetratorium?*
36 *An sit obligatio celebrandi quotidie?*
37 *Quoties teneantur celebrare Parochi, & Curati?*
38 *Quoties alii Beneficiati?*
39 *Quid dicendum de his, qui nullum habent Beneficium?*
40 *An eadem die liceat celebrare sæpius?*
41 *Casus, quibus istud permissum est?*
42 *Alii Casus juxta alios Authores.*
43 *An liceat celebrare Missam in die Parasceves?*
44 *Vel privatam dicere in Sabbato Sancto?*
45 *Aut feria V. in Cœna Domini?*
46 *Qua hora sit celebrandum?*
47 *Quo loco?*
48 *Et modo?*
49 *Utrum Sacerdotes Regulares ab Ordinariis, vel aliis impediri possint, quin Missas, & Officia Divina in propriis Ecclesiis celebrent?*
50 *Quid statutum sit, quando exteri, & peregrini celebrare petunt in Ecclesiis Regularium?*

QUæritur 1. quid sit *Sacrificium*, & quotuplex? Respond. *Sacrificium* in genere definiri potest, quod sit *oblatio rei permanentis, cujus immutatione, per legitimum Ministrum facta, recognoscitur DEUS, ut supremus omnium Dominus, vitæque, & mortis Author.* Olim ratione finis, seu formæ videbatur in Holocaustum, Hostiam pacificam, & Hostiam pro peccato. *Holocaustum* erat sacrificium oblatum unicè in laudem DEI, & honorem supremæ Majestatis: unde tota victima cremabatur, pelle excepta, ad significandum, nos totos esse DEI, & omnia ad ejus gloriam referenda. *Hostia pacifica* fiebat prò beneficio obtinendo, vel accepto: unde pars victimæ cremabatur, pars Sacerdoti, 31

& pars offerenti cedebat. *Hostia pro peccato* fiebat ad obtinendam Legalis peccati remissionem, quæ bifariam divisa partim comburebatur, partim Sacerdoti cedebat. In nova Lege unicum est Sacrificium, sed Augustissimum, Missæ, cujus figura erant Sacrificia omnia antiquæ Legis.

32 Quæritur 2. quid intelligatur nomine *Missæ*? Resp. nomen hoc aliqui deductum putant ab Hæbræo *Missah*. Sed melius alii derivant illud à Latino *Mitto*, sive à missione, vel dimissione Catechumenorum, vel totius populi Christiani, quorum illi olim dimittebantur ante Oblationem, isti hodiedum dimittuntur, Sacrificio peracto, & benedictione accepta. Bellarm. *l.* 1. *de Miss. c.* 1. Nomine hoc, usu à primis Ecclesiæ temporibus jam recepto, venit incruentum Sacrificium, quod DEO offertur in Missa; nam verum, & proprium Sacrificium in Missa DEO offerri definitum est à Trid. *sess.* 22. *can.* 1. Essentiam hujus Sacrificii TT. cum Sanct. Thom. *in* 3. *part. q.* 82. *art.* 4. constituunt in sola consecratione, quòd per ipsam Christus acquirat novum existendi modum, & immutative ponatur sub speciebus panis, & vini: sumptio tamen probabiliter quodammodo spectat ad integritatem, & complementum Sacrificii; quia natura sua servit ad significandum Symbolicè DEUM vitæ mortisque Dominum, quatenus tendit in destructionem rei sacrificatæ quoad esse Sacramentale, sive sub ea ratione, quam per Consecrationem accepit. Et quidem hæc actio sumptionis ita necessariò exigitur, ut neque Ecclesia circa illam dispensare possit, sed si sacrificantem contingat impediri, suppleri illa ab alio, & quidem Sacerdote debeat.

33 Quæritur 3. quis sit Minister in hoc Sacrificio? Respond. principalis est ipse Christus, qui proin non solùm est victima, sed & Sacerdos, ut passim affirmant SS. PP. & definivit Trid. *sess.* 22. *de Sacrif. Miss. c.* 2. neque solum remotè ratione institutionis, ut vult Vasq. *D.* 225. *cap.* 3. citans Scotum, Gabrielem, Cordubam, sed etiam proximè; quia ipse ponit se sub speciebus, offertque Deo; prout cum communi docuit Suar. *D.* 77. Præter Christum Minister hujus Sacrificii secundarius est Sacerdos legitimè ordinatus, qui Christi personam assumens, ac repræsentans profert verba Consecrationis, quibus, ut *num. præc.* dictum est, Sacrificium novæ Legis essentialiter perficitur; sic enim S. Cyprian. *l.* 2. *Epist.* 3. *ad Cæcilium* ibi, *Sacerdos in Altari vice Christi fungitur, & sacrificium verum, ac plenum Deo Patri offert.* Idem Sacerdos in Missa etiam est Vicarius, & quasi Legatus, & intercessor totius Ecclesiæ, dum pro Papa, Antistite, & pro omnibus fidelibus vivis, & defunctis Hostiam incruentam immolat. Hinc in vero aliquo sensu etiam alii fideles, & ipsa Ecclesia dicuntur Sacrificium istud offerre: quod maximè verum de iis est, qui ad Sacrificium specialiter concurrunt, sive præsentes se sistendo, sive etiam ministrando, sive denique stipendium Sacerdotibus largiendo.

34 Quæritur 4. quis sit effectus Sacrificii Missæ? Resp. considerari Sacrificium Missæ potest vel ut Propitiatorium, vel ut Impetratorium est. Prout est *Propitiatorium*, effectus illius est remissio peccatorum tam mortalium, quam venialium, nec non pœna temporalis, adhuc debitæ pro peccatis condonatis, prout patet ex Trid. quod *sess.* 22. *can.* 3. *de Sacrif. Miss.* Anathema dicit ei, qui *dixerit Missæ Sacrificium soli prodesse sumenti, neque pro vivis, & defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus offerri debere:* quem utrumque effectum habet ex opere operato; quia producit independenter à fide, probitate, & merito Sacerdotis; eo tamen discrimine ut remissionem pœnæ juxta dispositionem subjecti operetur immediatè, & infallibiliter, peccatorum autem mediate tantum per auxilia gratiæ, quorum efficacia pendet à libera cooperatione voluntatis.

35 Ut *Impetratorium* est, habet vim impetrandi quidquid per illud rectè petitur: quæ vis est infinita in actu 1. quia res oblata in hoc Sacrificio, Offerens principalis, & ejus merita infinitæ sunt dignitatis: in actu 2. tamen tam intensive, quam extensive est finita, & limitata. Et quidem quòd intensive sit finita in actu 2. probatur ex eo; quia juxta majorem, vel minorem favorem subjecti, pro quo offertur, crescit effectus Sacrificii, neque semper obtinetur, quod petitur; quod verò finita sit extensive, probatur ex communi sensu fidelium, qui ut certius obtineant fructum Sacrificii, dato stipendio, jubent pro se solis primario offerri: ergo supponunt tanto minorem esse virtutem respectu singulorum, quo plura, & pro pluribus postulantur.

36 Quæritur 5. an aliquando Sacerdos teneatur ad sacrificandum? *Certum est* 1. etsi nulla Lege aut Divina, aut humana obligetur Sacerdos ex vi Ordinis ad quotidie celebrandum, per se tamen loquendo valde consultum, & decens esse, ut quotidie celebret. Est communis assertio, quam satis probat Ecclesiæ praxis, & authoritas SS. PP. ex quibus Beda *apud Grabiel. lect.* 87. *in can.* sic loquitur: *Sacerdos non legitime impeditus celebrare omittens, quantum in eo est, privat SS. Trinitatem laude, & gloria, Angelos lætitia, peccatores venia, justos subsidio, & gratia, in Purgatorio existentes venia, Ecclesiam speciali Christi beneficio, & seipsum medicina, ac remedio.*

Certum est 2. Parochos, & alios Curatos ex officio suo obligari præcepto Ecclesiastico per se, vel per alios singulis saltem Dominicis, & Festis diebus celebrare Missam; ut populus eis subjectus occasionem habeat implendi præceptum Ecclesiæ. Navarr. *Man. c.* 25. *num.* 135. Sot. *in* 4. *dist.* 13. *q.* 2. *art.* 2. Azor. *p.* 1. *l.* 10. *c.* 24. *qu.* 2. Suar. *D.* 89. *sect.* 1. Tolet. *l.* 2. *cap.* 3. Conink *q.* 83. *art.* 2. *dub.* 1. *concl.* 1. Laym. *l.* 5. *tr.* 5. *c.* 3. *n.* 2. Vviest. *hic num.* 27. & alii, id desumentes ex Trid. *sess.* 23. *c.* 14. *de reform.* ubi Episcopus jubetur curare, ut qui curam habuerint animarum, tam frequenter celebrent, ut suo muneri satisfaciant. Imò si populus sit ita numerosus, ut omnes simul non possint assistere, iisdem diebus tenebitur Parochus curare, ut per Cooperatores, vel alios Sacerdotes duæ, vel plures aliæ fiant Missæ: idque ad Episcopum, habita ratione reddituum, ordinarie pertinebit. Laym. *n.* 2. *cit. vers. adde primo*. Pal. *tr.* 22. *D. un. p.* 13. *n.* 4. Vviest. *l. cit.* 37

Certum est 3. ad sacrificandum quandoque teneri etiam Sacerdotes non Curatos ratione Capellaniæ, aut Beneficii sui, quod habent; nam mens Fundatorum implenda est, & sacrificandum toties quoties, vi fundationis exigitur. Laym. *l. cit. n.* 6. & hoc teste omnes. Cæterum si fundatio quotidianum Sacrificium exigat, tunc ex verbis, quibus Fundator usus fuit, conjectura capi debet, utrum is loco, an personæ imponere obligationem voluerit; nam *si loco*, operam dare Capellanus debet, ut designato Altari quotidie sacrificium fiat à se, vel ab alio. *Si autem personæ*, ipsemet Capellanus omnibus diebus celebrare tenebitur, quatenus potest, salvâ honestate, ac devotione. Sylv. *V. Missa* 1. *q.* 7. Navarr. *Man. c.* 25. *n.* 135. Azor. *p.* 1. *l.* 10. *c.* 24. *q.* 7. Tolet. *l.* 2. *c.* 3. Laym. *l.* 5. *tr.* 5. *c.* 3. *n.* 6. Ex consuetudine tamen in quibusdam Ecclesiis introducta etiam iis Capellanis, quibus quotidiani Sacrificii obligatio incumbit, unus vacationis dies in hebdomada indulgetur, eo quod ob humanam fragilitatem Sacerdotes, præsertim sæculares, omnibus omninò diebus ad sacrificandum dispositi non sint. Laym. *l. cit.* 38

Dubium est, an vi Ordinis solius aliquando Sacerdos ad sacrificandum obligetur? Negarunt quidam etiam magni nominis DD. cum S. Bonavent. *in* 4. *dist.* 12. *part.* 2. *art.* 2. & Cajetan. *in* 3. *part. q.* 83. *art.* 1. ratione Ordinis ullam obligationem sacrificandi Sacerdoti incumbere, quod nullo Jure illud expressum sit. *Sed dicendum*, quemlibet Sacerdotem ratione Ordinis, & Officii sui Sacerdotalis assumpti ad Sacrificium hoc aliquoties offerendum graviter obligari. Ita S. Thom. *in* 3. *part. qu.* 82. *art.* 10. Navar. *Manual. cap.* 25. *n.* 88. Suar. *D.* 80. *sect.* 1. Vasq. *D.* 252. *cap.* 1. Vviest. *hic num.* 26. & patet ex Trid. *sess.* 22. *cap.* 1. *de Sacrif. Miss.* ubi loquens de Christo, qui Apostolos Sacerdotes ordinavit, *Eisdem*, inquit, *eorumque in Sacerdotio successoribus, ut offerrent, præcepit per hæc verba; Hoc facite in meam commemorationem, uti semper Catholica Ecclesia intellexit, & docuit.* Et ideo etiam Sanctus Pius V. ex Commentario Cajetani contrariam conclusioni nostræ doctrinam voluit expungi. Ratione probat Sanctus Thomas *l. cit.* quia *unusquisque tenetur uti gratia sibi data, cum fuerit opportunum secundum illud* 1. *Cor.* 6. Hortamur, ne in vacuum gratiam DEI recipiatis: *Opportunitas autem Sacrificii offerendi non solum attenditur per comparationem ad fideles Christi, quibus oportet Sacramenta ministrari, sed principaliter per comparationem ad DEUM, cui consecratione hujus Sacramenti Sacrificium offertur: unde Sacerdoti, etiamsi non habeat curam animarum, non licet omnino à celebratione cessare.* Ita Doct. Ang. 39

Quæritur 5. an eadem die liceat celebrare sæpius? Respond. olim Sacerdotes ob eorum paucitatem eadem die, præsertim in Majoribus anni festis sacrificare pluries poterant *can. relatum* 11. *dist.* 2. *de consecr.* & Leo Papa septem, vel novem Missarum solemnia celebrasse perhibetur à Strabone *de reb. Eccl. capit.* 22. Postquam tamen numerus Sacerdotum crevit, & favor remisit, cautum est, ut singulis diebus semel duntaxat singuli sacrificarent *can. sufficit* 53. *de consecrat. distinct.* 1. *& cap. te referente* 12. *h. tit. Excipitur* solemnitas Natalis Domini, ubi trium Missarum celebratio cuivis Sacerdoti permissa est *capit.* 40

con-

consuluisti 3. *h. tit.* idque vel ad significandum triplicem Christi Nativitatem, æternam ex Patre cœlesti, temporalem ex Maria Virgine, & spiritualem in hominum cordibus, ut putat S. Thom. 3. *part. quæst.* 83. *art.* 2. *ad* 2. vel ut vult Beda *in Serm. de Nativit.* ad significandos tres hominum status, ante Legem Moysis, sub Lege Moysis, & post Legem, qui est status gratiæ. Ea tamen nocte, cantata prima Missa, non possunt aliæ duæ immediatè celebrari; nec fidelibus confluentibus in media nocte ad Ecclesias, & Communione deposcentibus, hæc est exhibenda; utrumque enim bis prohibuit Sacra Congregatio Rituum, semel 20. *April.* 1641. & iterum 9. *August.* 1653. idque novissimè 7. *Decembr.* 1702. repetiit *Sacr. Congreg. Visitation. Apost.* apud Monacell. *part.* 2. *tit.* 15. *form.* 3. *numer.* 17.

41 Præter Domini Natalem insuper alii casus referuntur à DD. in quibus licitum sit Sacerdoti iterum sacrificare, si jejunus sit. 1. quando post Sacram Hostiam (ante ablutionem tamen) sumptam Sacerdos admonetur de Viatico infirmo alicui ministrando, & Hostia consecrata, quæ huic ministretur, non adest; tum enim si à sumptione ablutionis abstineat, novum Sacrificium inchoare, & perficere potest. Laym. *lib.* 5. *tract.* 5. *cap.* 4. *num.* 6. *vers. casus*, & hoc teste omnes. 2. quando unus Parochus tegit duas Parochias, & alius Sacerdos deest, neque populus unius Parochiæ commodè venire ad alteram Parochiam potest; nam tali casu, ne die festo populus alterius Parochiæ Missæ audiendæ occasione privetur, iterum ablutione non sumpta, Sacerdos ad alteram accedere, & dicere ibi Missam potest. Idem ob eandem rationem concedit Laym. *loc. citat.* quando in die Dedicationis Ecclesia magnum populi concursum non capit, & pariter non adest, nisi unus Sacerdos.

42 Addunt aliqui apud *cit.* Laym. 3. iterum sacrificari ab eodem Sacerdote posse ob nuptiarum benedictionem. 4. ob mortui sepulturam, cùm Missæ Sacrificium adjungi postulatur. 5. ob peregrinorum, vel Processionis inspectatum adventum, præsertim die festo. 6. ob Episcopi, vel Principis viri adventum, etiam die non festo. 7. si eodem die duæ Missæ concurrant, una de die, aut festo, altera verò de Vigilia, aut Rogationibus, aut defunctis, & non adsit, nisi unus Sacerdos. Verùm hi casus hodie vix locum habere possunt, ut Laym. *l. cit. vers. circa hos*, notat, nisi tum, quando præter unam ex illis causis major aliqua necessitas accedit, v. gr. populi querimonia, vel scandalum, nisi iterum sacrificetur; tunc enim etiamnum hodie putat locum fore Legi Ecclesiasticæ, quæ dictam licentiam in casu necessitatis, secundùm boni viri arbitrium æstimato tribuit.

43 Quæritur 6. an liceat celebrare Missam ultimo triduo Majoris Hebdomadæ? Resp. die Parasceves non licet, sicut ex antiqua Ecclesiæ traditione testatur Innocent. I. *Epist.* 1. *ad Decentium cap.* 4. & refertur *can. Sabbato* 13. *de consecr. dist.* 3. Rationem dat S. Thom. 3. *part. quæst.* 83. *art.* 2. *ad* 2. quòd Ecclesia ea die colat, & exhibeat realem Passionem, & cruentum Sacrificium Christi; & ideo non præsentat mysticè, seu immolat incruentè. Similiter in Sabbato Sancto olim prohibitum erat sacrificare, teste Innoc. *l. cit.* nam Ecclesia toto etiam illo die in jejunio, luctu, & repræsentatione mortis Dominicæ perseverabat, Missamque Resurrectionis ipsa nocte celebrabat: postea verò Missa anticipata fuit ad tempus antemeridianum Sabbati.

44 Ex quo dubium inter DD. natum est, utrum nunc tempore antemeridiano licitum sit non tantùm Missam solemnem, sed etiam plures privatas celebrare, sicut olim licitum erat in nocte Resurrectionis? Negant Navarr. *Man. cap.* 25. *num.* 88. Francolin. *de tempor. Horar. Canon. cap.* 30. Henriq. *l.* 9. *cap.* 24. *num.* 3. Affirmant Sot. *dist.* 13. *quæst.* 3. *art.* 2. Gutier. *l.* 1. *qq. Canon. cap.* 30. *num.* 36. Suar. *D.* 80. *sect.* 2. Quorum sententiam probabilem existimant Laym. *lib.* 5. *tract.* 5. *cap.* 4. *numer.* 8. quòd tota ratio, cur olim prohibitum fuerit, eo die sacrificare, hodie cessarit, & *can. Sabbato cit.* consuetudine sit derogatum. Sed controversiam solvit Decretum *Sacr. Congregat. Rit.* 11. *Mart.* 1690. Papa approbante editum, quo illicitum esse pronuntiavit Missas privatas celebrare in die Sabbati Sancti in quibuscumque Ecclesiis, & Oratoriis, non obstante quacumque contraria consuetudine.

45 Feria 5. in Cœna Domini posse à Sacerdotibus privatas Missas celebrari, habet communior sententia DD. apud Suar. *D.* 80. *sect.* 2. id enim neque Jure scripto prohibetur, neque consuetudo, ut omnes Presbyteri communicent de manu Præpositi, hactenus obtinet vim Legis, cùm etiam Romæ ea die, antequam incipiat Officium Parasceves, licuerit Missas privatas dicere, usque ad novissimum Decretum Cardinalis Vicarii, quo statuit ut in singulis Ecclesiis ea die non fieret, nisi Missa unica: quod Decretum, nisi Papæ, vel Sacr. Congreg. authoritate confirmatum sit, non puto Diœcesim Romanam egredi, quippe cùm in ea sola, & non in Orbem Christianum reliquum Cardinalis Vicarius Jurisdictionem Ordinariam habeat.

Quæritur 7. qua hora, loco, & modo Sacrificium 46
Missæ celebrari debeat? Resp. *Ad* 1. constat ex consuetudine, & praxi Ecclesiæ, definitum esse spatium ab exortu auroræ usque ad meridiem. *Excipitur* 1. nox Nativitatis Domini, ubi post mediam noctem, ut *numer.* 40. dictum est, celebratur, sed unica tantùm Missa à singulis Sacerdotibus, ut *ibidem* ex *Decreto Sacr. Congr.* adverti. *Excipitur* 2. si ægroto alioquin morituro dandum esset Sacrum Viaticum, & particulæ consecratæ haberi non possent. *Excipitur* 3. si per privilegium spatium prorogetur. Ita Societati JESU concessit Gregorius XIII. ut ex Superioris licentia, justa causa intercedente, una hora ante auroram, & post meridiem possint celebrare, ut patet ex *Compend. Privileg. Societ. V. Missa* §. 3. *Excipitur* 4. si licentiam dederit Episcopus; nam hic ex justa causa v. gr. itineris commodè peragendi eam licentiam dare, & multo magis ipsemet ea uti potest, ex communi DD. sensu apud Laym. *l.* 5. *tract.* 5. *cap.* 4. *num.* 3. 5. denique in Germania, cùm hyemali tempore diu non illucescat, consuetudine passim obtinuit, ut tribus, & quatuor etiam ante auroram horis Missæ inchoentur, pro majori commoditate operariorum, & famulorum, ut interesse Sacrificio possint, antequam ad opus, & laborem suum se conferant. Laym. *num.* 3. *cit. vers.* 5. *consuetudo*. Vviest. *hic num.* 21.

Ad 2. Locus, in quo Missæ Sacrificium offertur, 47
debet regulariter esse consecratus, vel saltem benedictus secundùm dicta *Tit. præced. num.* 7. & hoc fieri debet super Altari consecrato, prout *ibidem* dictum est *num.* 35. & 36. In Oratoriis privatis sine privilegio Apostolico, aut saltem licentia Episcopi Missæ dici non possunt, neque ii, qui in tali Oratorio diebus Dominicis, aut Festis sine tali privilegio, aut licentia Missæ assistunt, satisfaciunt præcepto, ut latè probat Monacell. *part.* 2. *tit.* 13. *form.* 2. *num.* 32. & *seqq.* Quod intelligendum etiam de Sacellis privatis, quæ intra Conventus Regularium, vel extra in Domibus ruralibus illorum erecta sunt; nam ut Sacr. Congregat. *sub die* 1. *Maji* 1687. apud Matthæucc. *in Offic. Eccles. capit.* 10. *num.* 83. respondit, in Domo rurali Monasterii Sacerdos Regularis absque peculiari Sedis Apostolicæ indulto celebrare nequit. *Excipiuntur* ergo soli illi, qui ad hoc privilegio Apostolico muniti sunt, ut extra Ecclesias in Altari portatili Missam dicere possint: & his quidem Sanctissimus Dominus noster Clemens XI. speciali *Decreto edito* 15. *Decembr.* 1703. prohibuit in hujusmodi Oratoriis privatis Missam celebrare, ubi vel unica Missa, quæ in Indulto conceditur, celebrata fuerit: quod Decretum nescio, utrum in Germania usu receptum sit.

Ad 3. Circa modum celebrandi advertendum est 1. 48
ut adhibeantur Vestes Sacræ, videlicet Amictus, seu Superhumerale, Alba, Cingulum, Manipulus, Stola, Casula, quas vestes oportet esse integras, & mundas. 2. collocandum in Altari est lumen, & Crux. Censet tamen *Lugo*, in casu necessitatis sufficere lumen ex oleo, vel sevo, etsi in Rubrica Missalis duo Cerei præscribantur. *Suarez*, & *Vasquez* putant, non graviter peccaturum, qui sine Cruce celebrat. 3. in Altari, dum Missæ Sacrificium peragitur, necessaria sunt ornamenta quædam, scilicet mappa triplex, vel saltem una duplicata cum Corporali super mensam Altaris; Corporale, quod proximè magis imponitur; Palla, quæ calici superponitur, & pars quædam Corporalis esse censetur; calix cum patena aurea, vel argentea, vel saltem deaurata; Purificatorium, Missale &c. 4. adhibendus est Minister, saltem unicus (si de privatis Missis sermo sit) qui totius populi nomine sacrificanti respondeat, vinum, & aquam porrigat &c. & hic debet esse mas, & non fœmina, ut habetur *cap. inhibendum* 1. *de cohabit. Cler. & mulier.* & docet Palud. *in* 4. *dist.* 13. *quæst.* 2. *art.* 1. *concl.* 2. Sylv. *V. Missa* 1. *quæst.* 2. Suar. *D.* 87. *sect.* 1. Laym. *l.* 5. *tract.* 4. *cap.* 6. *num.* 13. qui satius esse arbitrantur sine ministro celebrare, quàm fœmina ad Altare respondente, urceolos porrigente &c. 5. observandi sunt Ritus reliqui, quos Romanum Missale præscribit. Ad quod etiam

etiam pertinet, ut dicatur Missa, quæ secundùm easdem Rubricas, & Decreta Sacr. Congreg. dici debet, aut potest. In Duplicibus (unica Missa excepta, præsente Corpore) celebrari non possunt Missæ *de Requiem*, ut approbante Alexandro VII. decrevit S. Congregatio 5. *Aug.* 1662. *Excipiuntur* Anniversaria, & Missæ cantatæ *de Requiem*, relictæ ex dispositione Testatorum, quotannis in die ipsorum obitus, in Duplici Majori contingentis; nam hæc in Decreto *cit.* non comprehenduntur, ut declaravit eadem Congreg. *in una Novariens.* 22. *Nov.* 1664.

49 Quæritur 8. utrum Sacerdotes Regulares ab Ordinariis, vel aliis impediri possint, quin Missas, & Officia Divina in propriis Ecclesiis celebrent? Respond. non posse, prout statuit S. Pius V. *Const.* incipit *Et si mendicantium* 41. *Bullar. tom.* 2. §. 8. *vers. & insuper.* Possuntque hoc 1. etiam eo tempore, quo Parochi ipsi in Ecclesiis suis celebrant, *Const. cit.* §. 22. 2. idem facere possunt etiam Diebus Dominicis, & Festis, aliisque totius anni temporibus §. 22. *cit.* 3. nec prohibitum ipsis est ad id pulsatione Campanarum vocare populum, & quidem, antequam pulsetur campana majoris Ecclesiæ §. *cit.* & decrevit *S. Congr. Regul.* 10. *Oct.* 1568. Excipitur die Sabbati Sancti; hoc enim die priùs pulsari debent Campanæ Ecclesiæ Cathedralis, vel Matricis, quàm alterius Sæcularis, vel Regularis, prout habetur *in Declaratione cit.* & constituit Leo X. *Const. Dum intra* 22. §. 14. *Bull. tom.* 1. 4. Possuntque regulares admittere Fideles ad missas, & alia Officia Divina audienda: qui si in Ecclesiis regularium diebus Dominicis, & Festis Missas audiant, satisfaciunt præcepto Ecclesiæ, prout decrevit Leo X. *Const.* 25. *Bullar. tom.* 1. Neque contrarium definivit S. Synod. Trident. *sess.* 22. *in Decret. de observ. & evit. in celebr. Missar.* nam ibi dumtaxat statuit, ut Parochi moneant populum, ut frequenter ad suas Parochias, saltem diebus Dominicis, & majoribus Festis accedant; non verò dicit, quempiam cogi posse ad Missam in Parochiali Ecclesia audiendam, ut notat Piacesf. *prax. Episc. p.* 2. *cap.* 2. *art.* 3. *num.* 21. Matthæucc. *Offic. Eccl. cap.* 10. *num.* 3. *vers. quod observavit.*

50 Quæritur 9. quid statutum sit, quando Regulares in alienis Ecclesiis, vel exteri, & peregrini Sacerdotes in Ecclesiis Regularium celebrare petunt? Resp. 1. Regulares non possunt prohiberi, ne Missas celebrent in Ecclesiis quibuscunque, prout statuit S. Pius V. *Const. & si mendicantium cit.* §. 8. *vers. & insuper.* de Rectorum tamen, & eorum, ad quos spectant, consensu. Matthæucc. *Offic. Eccl. cap.* 10. *num.* 1. 2. quando Sæculares Presbyteri in Ecclesiis Regularium ex propria devotione voluerint, celebrare in iis possunt, & benignè recipi debent juxta dispositionem Leonis X. *Const. Dum intra cit.* Matthæucc. *l. cit. num.* 5. 3. Si verò iidem Sacerdotes aliquo titulo teneantur ad celebrandum certis diebus in Ecclesiis Regularium, per dispositа *à Congr.* 6. *Sept.* 1625. tenentur Regulares ad consensum dandum, cum onere tamen, ut Presbyter celebraturus sibi suis sumptibus de supellectilibus, cera, cæteroque apparatu Ecclesiæ ad id necessario provideat. Matthæucc. *l. cit. num.* 7. 4. quando ex dispositione Testatoris debent in Ecclesiis Regularium celebrari Missæ à Presbyteris Sæcularibus, vel regularibus ad hæredum arbitrium, & Regulares, ad quos Ecclesia pertinet, nollent consentire, *S. Congr. Concil. in una Venetiarum* 14. *Sept.* 1639. censuit, eas Missas de Ordinarii licentia posse celebrari alibi. 5. Exteri, & Peregrini à Regularibus admitti non debent ad celebrandum in propriis Ecclesiis, nisi servata forma Decreti editi 11. *Aug.* 1639. quo *Sacr. Congr. Inquis.* mandat, ne Conventuum, & Monasteriorum Superiores in eorum Ecclesiis ad celebrandum admittant vagos, seu peregrinos, nisi examinatis diligenter Litteris *Obedientiæ*, si Religiosi sint, aut si sæculares, visis litteris testimonialibus, subscriptis à Vicario Generali, aut foraneo Episcopi loci &c.

§. III.

De Officio Divino.

S U M M A R I U M.

51 *Definitio Officii Divini, seu Horarum Canonicarum.*
52 *Ratio numeri earum septenarii.*
53 *Divisio in Officium Nocturnum, & Diurnum.*
54 *Ad id obligantur Clerici constituti in Sacris.*
55 *Religiosi Professi ad Chorum deputati.*
56 *Clerici quicunque Beneficium obtinentes.*
57 *Utrum ad Horas teneatur Clericus obtinens Beneficium tenue?*
58 *Resolvitur affirmativa.*
59 *Fundamenta contraria resolvuntur.*
60 *Utrum recitare Officium Divinum teneatur, qui Beneficii Ecclesiastici titulum habet sine ejus possessione?*
61 *Deciditur negativa.*
62 *Respondetur ad opposita.*
63 *Quid dicendum, si Canonicus quidem missus sit in possessionem Beneficii, sed talis, quod nullos habeat fructus.*
64 *Vel si fructus habet, illos tamen Beneficiarius aut ex culpa sua, aut ex vi, vel fraude aliena non percipit?*
65 *Vel si illi ad aliquod tempus cedant fabricæ Ecclesiæ?*
66 *Aut Canonicis antiquioribus?*
67 *Aut reservetur in demortui Canonici sepulturam, vel debita expungenda?*
68 *An qui plura Beneficia habet, debeat in die sæpius Horas dicere? Rationes dubitandi.*
69 *Respondetur negativè.*
70 *Rationes dubitandi solvuntur.*
71 *An ad Horas dicendas obligetur Coadjutor in Beneficio.*
72 *An obtinens Capellaniam?*
73 *Vel Beneficium in Commendam?*
74 *An lege Pensi Horarii adstringantur Vicarii?*
75 *Obtinentes Præstimonia?*
76 *Pensionarii?*
77 *An Religiosi à Choro absentes teneantur Horas dicere privatim?*
78 *Respondetur affirmativè.*
79 *An sub hac obligatione comprehendantur etiam ejecti fugitivi, damnati ad triremes?*
80 *Defenditur affirmativa.*
81 82 83 *Quid de iis Religiosis, qui extra claustrum ex dispensatione vivunt?*
84 85 *An Superior Religiosus cum subditis Religiosis dispensare possit circa Pensum Canonicum?*
86 *Quo tempore recitandæ sint Horæ Canonicæ?*
87 *Quo loco?*
88 *Et modo?*
89 *An ab obligatione Pensi Horarii excusat Oblivio, & incogitantia naturalis.*
90 *Ignorantia inculpabilis.*
91 *Infirmitas.*
92 *Cæcitas oculorum.*
93 *Carentia Breviarii.*
94 *Repentina, & necessaria occupatio.*
95 *Dispensatio Pontificis.*
96 97 98 *Pœna negligentium Pensum Canonicum.*

QUæritur 1. quidnam hìc veniat nomine *Divini Officii*? Resp. Hac Rubrica nomine *Divini Officii* veniunt Horæ Canonicæ, quæ definitis horis in Choro publicè, vel privatim à Clericis, & Religiosis, ex Ecclesiæ pervetusta, non solùm Pelagii Papæ *can. Eleutherius* 1. *dist.* 91. relati, sed Apostolica institutione, usuque quotidie recitantur, cùm earum jam meminerint SS. PP. antiquissimi, & ipsæ etiam Constitutiones Apostolicæ S. Clementis *l.* 8. *cap.* 30. Definiri possunt *Horæ Canonicæ*, quòd sint *certa quædam DEUM voce laudandi, & deprecandi formula, quæ ab Ecclesiæ Ministris ejus nomine quibusdam certis per diem, & noctem temporibus juxta SS. PP. Canones observantur.* 51

Septenario definiuntur numero: cujus numeri congruentia multiplex est. 1. enim Viri Sancti, ut David, Daniel &c. hoc numero frequentabant Orationem. 2. septenarius numerus præ cæteris Mysteriosus est; nam septem diebus creatus est mundus, septem sunt Petitiones Orationis Dominicæ, septem dona Spiritus Sancti, septem ætates hominis, septem ætates mundi, septies in die cadit justus &c. 3. & præcipuè numerus iste congruit præcipuis temporibus, quibus facta sunt præcipua Mysteria Passionis Dominicæ; nam nocte Christus captus est, hora 1. illusus, tertia condemnatus ad Crucem, sexta crucifixus, nona obiit, vespertina depositus de Cruce est, hora Completorii quievit in sepulchro. 52

Ex his Horis compositum Officium Divinum dividitur in Nocturnum, & Diurnum, in quo imitata Primitiva Ecclesia est morem antiquorum, qui noctem dividebant in quatuor Vigilias, & diem in quatuor stationes æquales, continebantque tum vigiliæ, tum stationes diei tres horas quælibet. Hinc ex doctrina 53

S. Tho-

S. Thomæ, & aliorum antiquitus Nocturna dicebantur divisim secundùm Vigilias noctis, ita, ut prima Vigilia diceretur primum Nocturnum, secunda secundum, tertia tertium, quarta Laudes jam prope auroram. Cæteræ Horæ, quæ Diurnum Officium constituunt, dicebantur Horis, unde nomen acceperunt, incipiebant autem diem naturalem ab ortu Solis: unde tunc Primam recitabant Horam, & deinceps: Vesperæ dicebantur paulò ante occasum Solis, Completorium in diei crepusculo.

Quæritur 2. quænam Personæ obligentur ad recitandum Divinum Officium? Resp. 1. tenentur Clerici constituti in Sacris, si Ordines sponté susceperint, prout colligitur ex *cap. Presbyter* 1. *cap. dolentes* 9. *h. tit.* & explicat optima Juris dubii interpres consuetudo, clareque supponitur à PP. Concil. Basil. *sess.* 21. celebrata, antequam Concilium hoc in Schisma prolaberetur, ut probè advertit Visq. *de Benef. cap.* 4. §. 1. *dub.* 1. Et procedit hoc, etiamsi aliqua Censura irretiti, Irregulares, Depositi, & degradati sint. Vviest. *hic num.* 49. Dixi, *Si Ordines sponte susceperint*; quia hæc obligatio annexa est Ordini sponté suscepto, ut docet Navar. *Man. cap.* 22. *num.* 51. *ad fin.* Emman. Sà *V. Ordo num.* 24. Sanch. *l.* 7. *de Imped. D.* 29. *num.* 7. Si tamen Clericus non sponté promotus ad Ordines, liberé utatur suscepto Ordine; ad omnia illi Ordini annexa obligabitur; quia per illum usum ratificat susceptionem Ordinis. Sanch. *l. cit. num.* 9. cum aliis. Idem dicendum de ordinato in Sacris ante pubertatem. Sanch. *D.* 3. *num.* 10. *præcipuè* 12. & 13.

2. Religiosi Professi utriusque sexus ex generali consuetudine, si ex Religionis suæ Instituto ad Chorum deputati sint. Ita apud Joan. Azor. *p.* 1. *l.* 10. *cap.* 6. *qu.* 1. Innoc. Host. Joan. And. Abb. & communis reliquorum DD. Dixi *Religiosi Professi*; quia Novitii, aut Novitiæ, sicut ad cætera onera Religionis, ita neque ad Horas recitandas obligantur. *Neque obstat*, quòd gaudeant privilegio Clericorum; nam favores sunt ampliandi, odia restringenda. igitur nisi expressa Lex, qualis tamen nulla ostendi potest, Novitios, aut Novitias ad Horas recitandas obliget, non censentur includi in Lege communi imponente onus aliquod Religiosis, vel Clericis. Dixi 2. *ad Chorum deputati*. Hinc excipiuntur Religiosi Societatis Jesu in Majoribus non constituti, Ordinum Militarium, & in Ordinibus ad Chorum deputatis FF. Conversi, seu Laici. Suar. *l.* 4. *de Orat. cap.* 17. *num.* 6. Pal. *tract.* 7. *D.* 2. *p.* 1. §. 3. *num.* 1. Donat. *tom.* 4. *prax. Regul. tract.* 18. *à quæst.* 10. Vviest. *hic num.* 65.

3. Clerici quicunque obtinentes Dignitatem, vel Beneficium Ecclesiasticum, si illud sponté susceperint, sive curatum id sit, sive simplex, prout colligitur ex *can. fin. dist.* 92. *cap. Presbyter* 1. *h. tit.* & *cap. fin. de rescript. in* 6. ubi dicitur, quòd Beneficium detur propter Officium: quod longè clariùs statuit Concil. Lat. sub Leon. X. *sess. de reform. Cur.* §. *statuimus*, & S. Pius V. *in Motu proprio* incipit, *Ex primo*, *edito* 12. *Cal. Octob.* 1572. cum pœna non faciendi fructus suos pro rata temporis, & Officii omissi, si hoc factum sit post sex menses à Beneficio obtento, & sine causa legitima. Addidi, *si Beneficium sponte susceperit*; nam si coactè suscepit, non obligabitur, nisi stipendio illius frui velit: tum enim ratione istius voluntatis remittit coactionem. Less. *l.* 2. *de J. & J. cap.* 34. *n.* 774.

Quæritur 3. utrum ad Horas Canonicas teneatur Clericus, obtinens Beneficium tenue, seu tale, cujus fructus ad moderatam sustentationem non sufficiunt? Tres sunt sententiæ. *Prima* cum Sot. *l.* 10. *de Just. qu.* 5. *art.* 3. ab Horarum recitatione ipsum omnino absolvit, ex ratione; quia Beneficium tenue pro non Beneficio, & exigui fructus pro nullis habentur juxta tritum illud, *Parum pro nihilo reputatur*.

Secunda cum Less. *l.* 2. *de J. & J. cap.* 34. *num.* 169. eum adstringit Dominicis tantùm, festisque diebus: quia inter stipendium, & obsequium, ratione cujus illud exhibetur, debet esse æqualitas. hæc observatur, si qui partem sustentationis ex redditibus Beneficii habet, aliquoties per annum Officium Divinum recitet: & tempus convenientius non est, quàm Dominici, & Festi dies. ergo &c.

Tertia cum Sylv. *V. Hora quæst.* 2. Navar. *de Orat. cap.* 7. *num.* 27. Covar. *l.* 3. *var. cap.* 13. *num.* 8. Azor. *p.* 1. *l.* 10. *cap.* 3. *quæst.* 3. Suar. *l.* 4. *de Orat. cap.* 21. *n.* 3. & 9. Garc. *p.* 3. *cap.* 1. *numer.* 30. Bonacin. *D.* 1. *de Hor. Canon. quæst.* 2. *p.* 4. *num.* 17. Pal. *tract.* 7. *D.* 2. *p.* 1. §. 2. *num.* 9. & communis aliorum talem Beneficiatum obligat ad recitationem Horarum quotidianam: & sumitur non obscurè ex Concill. Carth. relato *can. Clericus* 3. *dist.* 91. ubi Clericus, ab Ecclesia sustentationem non habens, victum, & vestitum sibi artificio, vel agricultura parare jubetur *absque Officii sui*, sive Pensi Horarii *detrimento*. *Ratio est* 1. quia Horarii Pensi quotidie recitandi obligatio à *Concil. Later.* & *S. Pii V. Const. citt.* generaliter imponitur Beneficiatis, sine ulla exceptione, vel restrictione ad Beneficium pingue. atqui etiam tenue Beneficium revera Beneficium est, cùm sit jus perpetuum percipiendi redditus temporales ratione Officii Spiritualis. ergo &c. 2. quia onus hoc quotidiani Officii Beneficiatis; etiam tenue Beneficium obtinentibus, abunde compensatur honore, exemptione, & cæteris privilegiis Ecclesiasticis. 3. quia sic homines, alias ad excutiendas obligationes, & onera proni, vana persuasione tenuitatis Beneficiorum facilè inducerentur ad Officium Divinum omittendum.

Et hinc corruunt Fundamenta utriusque sententiæ 59 oppositæ; quia parum pro nihilo quoad obligationem ad Horas Canonicas ex Beneficio vero imminentem non reputatur. *Excipitur*, si alicubi consuetudine introductum foret, ut Beneficiatus hujusmodi non ad Horas Canonicas, sed ad aliud obsequium Ecclesiasticum teneretur. Vviest. *hic num.* 60. *in fin.*

Quæritur 4. utrum ad recitationem Officii Divini 60 teneatur, qui Beneficii Ecclesiastici titulum habet sine ejus possessione? Affirmant cum Navar. *cap.* 7. *de Orat. numer.* 29. & *consil.* 17. *de celebr. Missar.* plures alii. *Fundantur* 1. quia cùm Beneficiarius Beneficium sibi collatum acceptat, fit dominus Beneficii, & idcirco, si velit, potest illud permutare cum alio. ergo debet etiam sentire illius onera. 2. à tempore collati Beneficii, & acceptati Beneficiarius acquirit jus ad fructus; quia fructus rei debentur domino rei. ergo licèt eos ante possessionem accepturus non sit, debet tamen officio satisfacere.

Sed negativa & in scholis, & in praxi receptior vi- 61 detur esse, quam tradit Flamin. *de resign. Benef. l.* 1. *cap.* 9. *num.* 15. Rodriq. *tom.* 1. *summ. cap.* 146. *num.* 1. Henriq. *l.* 13. *cap.* 13. *numer.* 2. Azor. *p.* 1. *l.* 10. *cap.* 4. *quæst.* 7. Less. *l.* 2. *de J. & J. cap.* 34. *dub.* 30. Suar. *l.* 4. *de orat. cap.* 19. Reginald. *l.* 30. *cap.* 38. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *cap.* 5. *num.* 3. Bonacin. *D.* 1. *quæst.* 2. *p.* 5. *numer.* 1. Fundantur triplici ratione. 1. quia Clericus ante captam possessionem habet jus incertum ad fructus, & impediri potest, ne illos capiat. ergo par non est, ut obligetur ad onus certum. 2. ante captam Beneficii possessionem non potest jura Beneficii exercere. ergo etiam obligandus non est, ut sustineat illius onera. 3. *in Bulla S. Pii cit.* expressè dicitur *post Beneficii consecutionem*. ille autem propriè dicitur Beneficium consecutus, qui pacificam illius possessionem adeptus est cum titulo, vel saltem penes quem stat, ut eam habeat *arg. cap. licèt* 28. *de Præb. in* 6. *excipitur*, si sponté differat possessionem capere; tunc enim tenebitur etiam ante possessionem captam; quia fraus, & negligentia non debent ipsi prodesse, neque Ecclesia obsequio suo fraudari ob culpam Beneficiarii, vel socordiam, quam in adeunda possessione committit.

Ad Rationes in contrarium allatas concedo Benefi- 62 ciarium per collationem acquirere jus ad fructus Beneficii, & posse hoc permutare; nego autem, quòd per hoc probetur obligatio ad recitandum Officium, contrarium enim probant rationes allatæ pro negativa. *Neque obstat*, quòd Beneficiarius postea habiturus sit fructus, si possederit Beneficium; nam hoc imprimis non est universaliter verum, ut patet in multis Canonicatibus, & Præbendis, ubi fructus, non novo Beneficiario, sed fabricæ, aut in alias pias causas cedunt. Deinde, ut dixi, spes incerta est, & sæpe multa impedimenta habet. ergo Beneficiarius ante possessionem obligandus non est ob spem merè incertam. Quodsi verò contingat, ut Beneficiarius acquirat fructus integros à tempore collationis, accidentarium est, & bonæ ipsius fortunæ tribuendum, nec propter hoc inducenda obligatio certa.

Quæritur 5. quid dicendum de Canonicis, qui in 63 possessionem Beneficiorum suorum quidem missi sunt, sed fructus ex illo nullos percipiunt? In hac re certum est, si beneficium nullos omnino fructus haberet, non teneri Beneficiarium vi illius ad recitationem Horarum; quia Beneficium illud revera non esset Beneficium, utpote quod definitur, quòd sit jus percipiendi fructus ob aliquod Ecclesiasticum Officium.

Difficultas igitur tantùm est, quando Canonicatus, vel Beneficium habet quidem sibi annexos fructus, quos tamen Canonicus, vel Beneficiatus non percipit. Quæ difficultas dissolvi ope distinctionis potest:

Vel

Vel enim talis Canonicus fructus Beneficii sui sua culpa, v. gr. quia excommunicatus, suspensus, à loco Beneficii sui absens, aut præsens quidem est, sed cùm possit ei, non deservit, non percipit, vel eis caret absque sua culpa.

64 *Si primum*, ad Horarium Pensum quotidie persolvendum tenetur. Ita Azor. *p.* 1. *l.* 10. *cap.* 4. *quæst.* 6. Suar. *l.* 4. *cap.* 20. *num.* 18. Vasq. *de Benef. cap.* 4. §. 1. *dub.* 6. *num.* 25. Vviestner *hic num.* 62. Ratio est, quia æquum non est, ut Ecclesia defraudetur Officio, & servitio sibi debito ex Canonici, vel Beneficiati malitia: unde per accidens caret fructibus; quia hos subministraret Ecclesia, si Beneficiatus vellet se illorum capacem reddere.

Si secundum, videndum, an aliena fraude, vi, aliove modo injusto à fructuum consecutione aliquot annis sine ulla spe eos recipiendi aliquando omnino sit impeditus, an verò Statuto peculiari Ecclesiæ: *Si prius*, veriùs ad Horas non obligatur; quia eo tempore Beneficium quoad nudum titulum, & nomen, non etiam quoad effectum habet. Navar. *cap.* 7. *de Orat. num.* 28. Azor. *p.* 1. *l.* 10. *cap.* 4. *quæst.* 6. Less. *l.* 2. *de J. & J. cap.* 34. *num.* 168. Garc. *p.* 3. *de Benef. cap.* 1. *num.* 45. Fill. *tract.* 23. *cap.* 5. *num.* 167. Pal. *tract.* 7. *D.* 2. *p.* 1. §. 2. *num.* 16. Vviest. *num.* 62. *cit.*

65 *Si posterius*, attendendum, an fructus illi v. g. primi, secundi, vel plurium annorum ex Statuto Ecclesiæ applicandi sint fabricæ Ecclesiæ, vel alteri piæ causæ, an verò accrescant Canonicis antiquioribus. *Si fabricæ, vel alteri piæ causæ sint applicandi*, ab Officii Divini recitatione talem Canonicum excusat Navar. *Man. cap.* 25. *num.* 103. Laym. *l.* 4. *tract.* 2. *cap.* 5. *num.* 4. *V. sed grave*, Vviest. *hic num. cit.* quia Beneficium nondum plenè possidet, cùm non habeat jus percipiendi redditus. *Excipitur*, nisi saltem Distributiones quotidianas capiat; nam tali casu ad Preces Horarias cum aliis illum obstringit Bonart. *l.* 2. *cap.* 7.

66 *Si verò fructus illi accrescant Canonicis antiquioribus*, talis Canonicus minimè solvitur Lege Preces Horarias persolvendi. Azor. *cap.* 4. *cit. quæst.* 4. Less. *num.* 170. Suar. *num.* 7. Garc. *num.* 62. & hoc teste declaratum est à Cardd. *Ratio est*; quia Beneficium cum onere suo transit in eum, cui confertur. sed hoc habet onus, ut fructus primo anno non debeantur. ergo cum hoc onere Beneficium acquirit Beneficiarius. *Conf.* quia fructus illos postea perinde, acsi ipsi reservarentur, recipit, hoc ipso, quòd postea percepturus sit uberiores.

67 Idem dicendum casu, quo consuetudine Ecclesiæ primi, vel secundi anni fructus reservantur ad Canonicorum, cùm mortui fuerint, sepulturam, & expungenda debita. Azor, Lessius, Garcias, Vviest. *l. citt.* quia cùm tales fructus in eorum utilitatem impendendi reserventur, ab ipsis percipi videntur. P. Vviestner tamen *loc. cit.* non audet damnare consuetudinem immemorialem, quæ ab Officii Divini recitatione excusat Canonicos, qui primis annis nullos percipiunt fructus.

68 Quæritur 6. an is, qui plura habet Beneficia, quorum quodlibet inducit obligationem recitandi Officium, debeat in die sæpiùs Horas dicere? Affirmat absolutè Guil. Paris. *tract. de collat. Benef.* & Dionys. Carth. *Opusc. contr. pluralit. Benef. num.* 1. Navarr. *Miscell.* 60. *de orat. num.* 1. & 10. distinguit, & eum quidem, qui plura Beneficia habet injustè, obligat ad pluries quolibet die dicendas Horas; eum verò, qui legitimè plura possidet, tantùm monet, ut conetur supplere devotione sua id, quod iteratio adderet. Nituntur AA. isti his fundamentis. 1. quia qui sentit commodum, etiam debet sentire onus juxta *Reg. qui sentit.* 55. *in* 6. sed qui duplex habet Beneficium, duplex sentit commodum; quia ex utroque Beneficio fructus recipit. ergo &c. 2. Beneficium datur propter Officium, ut constat ex *cap. fin. de Rescript. in* 6. ergo qui possidet duplex Beneficium, tenetur ad duplex officium. 3. qui æs alienum debet duobus creditoribus, duplicem debet præstare solutionem, uni unam, alteri alias. sed qui duo Beneficia in duabus Ecclesiis habet, preces duobus fundatoribus debet. ergo &c. 4. Qui duas Capellanias habet, quarum quælibet obligat Capellanum ad dicendas aliquas Missas pro defunctis, non satisfacit iisdem Missis utrique obligationi. ergo nec unica recitatione Horarum satisfit obligationi duorum Beneficiorum.

69 Sed dicendum, quòd Beneficiarius absolutè loquendo satisfaciat obligationi plurium Beneficiorum, semel quot diebus persolvendo Divinum Officium. Ita Azor *p.* 1. *l.* 10. *cap.* 4. *quæst.* 10. Henriq. *l.* 5. *summ.* §. 6. Suarez *l.* 4. *de orat. cap.* 18. *à num.* 1. Garc. *p.* 3. *de Benef. cap.* 1. *num.* 110. Bonacin. *D.* 1. *de Hor. Canon. quæst.* 2. *p.* 4. *num.* 27. Pal. *tract.* 7. *D.* 2. *p.* 1. §. 2. *numer.* 27. Vviestner. *hic numer.* 63. & passim TT. ac Canonistæ cum *S.* Thom. *Quodl.* 1. *art.* 13. Est certa, & communi Ecclesiæ consuetudine recepta opinio. *Ratio est*; quia Ecclesiæ mens non videtur esse, ut velit secundùm numerum Beneficiorum multiplicari etiam obligationem, sed illam tantùm imponere novo titulo; posset enim contingere, ut quis haberet 10. Beneficia Simplicia, quorum quodlibet sufficeret ad inducendam obligationem. igitur decies quavis die is Beneficiatus deberet recitare Divinum Officium, quod est impossibile. Neque dici potest, obligari propterea Beneficiatum, ut renuntiet Beneficiis reliquis; nam hoc alienum est à consuetudine. *Conf.* nam nihil novi in Ecclesia est, quòd uno opere, vel officio satisfieri possit pluribus titulis, & rationibus obligantibus; sic enim si concurrat dies Dominica, & Festum, non teneris duplicem audire Missam, & tribus SS. Ordinibus initiatus, vel Beneficiatus simul, & Religionem professus secundùm numerum Ordinum, vel titulorum non debet multiplicare recitationem Horarum, ergo etiam habens duplex Beneficium, quorum quodlibet obligationem recitandi Horas inducit, uno Officio satisfacier obligationi utrique. Et intelligendum hoc est non tantùm de satisfactione in foro Ecclesiæ, sed etiam in foro conscientiæ; quia Ecclesia sic recitantem semel non tantùm solvit à pœnis Juris, sed etiam ab obligatione. *Ex quo sequitur*, quòd omittens recitationem Horarum, licèt plures SS. Ordines, vel plura Beneficia obtineat, unum duntaxat peccatum mortale committat; quia licèt pluribus titulis, ad unam tamen duntaxat recitationem tenetur. Vviest. *loc. citat.*

Neque obstant Argumenta Sententiæ oppositæ. *Ad* 1. dico cum Glossa *in Reg. cit.* illam ordinariè quidem veram esse, sed interdum fallere: hic autem fallit; quia Ecclesiæ, quæ onus Officii Divini imponit, mens est, ut velit satisfieri à Clerico posse per unam recitationem Officii obligationi duplici. *Ad* 2. Officia aliqua, propter quæ datur Beneficium, talia sunt, ut ex natura sua, vel institutione sæpiùs repeti debeant, alia verò, quæ non exigunt ita repeti. Qui sortitur duplex Beneficium, quorum quodlibet exigit duplex officium primi generis, e. gr. certas Missas, toties debet illud per se, vel per alium repetere, aut si repetere nequit, tenetur Beneficium unum resignare: istud autem non procedit in officio, quod non est opus repetere pro numero Beneficiorum, & tale Officium est recitatio Horarum. *Ad* 3. negatur paritas; nam si cùm debeam duobus 20. fl. decem uni, & decem alios alteri, darem uni tantùm decem, & alteri nihil, hunc fraudarem suo debito. At Beneficiatus, dum Horas recitat, in solidum illas persolvit pro tota Ecclesia. Accedit; quia solutio debiti Justitiæ commutativæ intendit æqualitatem rei ad rem, solutio verò debiti Legalis pendet ex mente Legislatoris. huic satisfieri potest una solutione, non verò Justitiæ; neque enim una solutione solvendo plura debita, induco statim hanc æqualitatem. *Ad* 4. iterum disparitas est; nam institutione Capellaniarum, & obligatione ad certas Missas non respicitur utilitas Beneficiati, uti respicitur in recitatione Horarum, sed defunctorum, vel Beneficium instituentis. ergo ad multiplicationem Capellaniarum debent etiam multiplicari Missæ. 70

Quæritur 7. quid Beneficii nomine intelligatur, ut ratione illius, exsurgat obligatio ad dicendas Horas Canonicas? *Controversia* esse non potest de Episcopatu, Rectoria, Dignitate, Præpositura, Canonicatu, & similibus; quia nemo dubitat, verè, & propriè Beneficia esse: cons. obligationem secum trahere ad Pensum Horarium. 71

Dub. 1. est de *Coadjutoria*, an ratione illius ad Horas Canonicas obligetur Coadjutor? Resp. negativè; & hoc procedit, etiamsi assumptus sit cum futura successione, & assignata aliqua fructuum portione. Ita Navar. *Man. cap.* 20. *num.* 18. Azor *p.* 1. *l.* 10. *cap.* 4. *quæst.* 1. Suar. *l.* 4. *de Orat. cap.* 22. *num.* 19. Garc. *p.* 3. *de Benef. cap.* 1. *num.* 109. Malder. *tract.* 10. *de Orat. cap.* 2. *dub.* 3. Bonacin. *D.* 1. *quæst.* 2. *p.* 4. *num.* 13. & *seqq.* Pal. *tract.* 7. *D.* 2. *p.* 1. §. 2. *num.* 7. Vviest. *hic num.* 56. quod ipsum declaravit etiam Paulus V. teste *Suar. Bonacin. & aliis. Ratio est* 1. quia non ipsum Beneficium, sed jus tantùm habet Coadjutor defuncto succedendi, etsi secuta istius morte, & quasi impleta conditione, Beneficium consequatur sine nova collatione. 2. quia ratione

r unius Beneficii non duo, sed unus duntaxat, scili-
c ejus proprietarius ad Horas Canonicas obligatur. quia portio ex redditibus Beneficii detracta, & as-
nata Coadjutori rationem duntaxat habet stipendii o labore, quem iste pro Coadjuto subit. *Excipitur*, Coadjutor assumatur, ut loco Beneficiarii Horas in horo recitet; quia tunc tenetur in Choro canere, non privatim Officium recitare, nisi ad hoc tenea-
r aliunde v. g. ratione Ordinis Sacri.

Dub. 2. *de Capellanis*. Resp. distinguendo; nam si Capellania *Simplex*, onus Officii Divini recitandi on habet, cùm nullo modo sit Beneficium. Secus, sit *Collativa*, hoc est, quæ authoritate Episcopi ere-
a est, & ab ipso confertur; nam eam obtinens ad fficii Divini recitationem obligatur, etiamsi ex pa-
imonio Laicorum constituta, & ipsis nominatio, vel ræsentatio relicta sit. Ita Azor *p.* 1. *l.* 10. *cap.* 3, *qu.* Suar. *l.* 4. *de Orat. cap.* 22. *numer.* 11. *& seqq.* Vasq. *ub.* 3. *num.* 9. Malder. *tract.* 18. *de Orat. cap.* 2. Garc. 1. *de Benef. cap.* 2. *numer.* 81. Bonacin. *D.* 1. *de Hor. an. quæst.* 2. *p.* 4. *num.* 6. Pal. *tract.* 7. *D.* 2. *p.* 1. §. 2. *um.* 3. *Ratio est*, quia talis Capellania habet omnes ualitates ad Beneficium requisitas. *Neque obest*, etsi alis Capellania ad nutum Episcopi auferri, & alteri onferri ab eo possit; quia censetur esse Beneficium Ma-
uale, cujusmodi Beneficium obtinens Horaria obliga-
ione tenetur, ut ex aliorum DD. communi sensu tra-
it Laym. *l.* 4. *tract.* 2. *cap.* 5. *num.* 7. quia Beneficium Manuale idem Juris, & oneris habet, quod cætera Be-
neficia, excepta perpetuitate, sive quòd semel colla-
um sine justa causa auferri possit.

73 Dub. 3. de habentibus Beneficia in *Commendam*. Resp. iterum distinguendo, an habeant hujusmodi Be-
neficia in Commendam perpetuam, an verò in tem-
poralem tantùm. *Si primum*, ratione ejus ad Preces Horarias tenebuntur; quia tales Commendæ spectant utilitatem personarum eas obtinentium, cùm eas ob-
tinentes, licet careant titulis, integram tamen Bene-
ficiorum sic commendatorum administrationem habeant, fructusque percipiant integrè: & si æquum sit, ut su-
beant etiam illorum onera. Ita Vasq. *de Benef. cap.* 4. §. 1. Suar. *l.* 4. *de Orat. cap.* 22. *num.* 15. Fill. *tract.* 23. *cap.* 5. *num.* 175. *&* 176. Malder. *tract.* 10. *cap.* 2. *dub.* 3. *quæst.* 4. Less. *l.* 2. *cap.* 34. *dub.* 30. Vviest. *hic numer.* 54. cum aliis. *Si secundum*, tales Commendæ ad re-
citationem Horarum non obligant; quia solùm spe-
ctant utilitatem Ecclesiæ, non personæ, cùm eam ob-
tinens rerum istius custodiam duntaxat, & administra-
tionem ad tempus habeat cum onere reddendi ratio-
nes de fructibus Beneficii sic commendati. Azor. *cap.* 3. *cit. quæst.* 6. Garc. *p.* 3. *de Benefic. cap.* 1. *num.* 106. Laym. *l.* 4. *tract.* 2. *cap.* 5. *num.* 8. Pal. *tract.* 7. *D.* 2. *p.* 1. §. 2. *num.* 4. Vviest. *hic num.* 55.

7 Dub. 4. quid dicendum de *Vicariis*? Resp. cum di-
stinctione: Vel enim est Vicaria perpetua, vel solùm temporalis. *Si primum*, eam obtinens, verum Benefi-
cium Ecclesiasticum obtinet *cap. postulasti* 27. *de Rescri-
pt.* conf. causa non est, quæ ipsum excuset à Penso Di-
vini Officii. Laym. *cap.* 5. *cit. num.* 8. *vers. his positis*. *Si secundum*, talis Vicarius ab ea obligatione immu-
nis est, nisi aliunde vi Ordinis Sacri obligetur; quia Beneficii custodiam duntaxat, & administrationem ad tempus, non titulum habet. Bonart. de *Oblig. Horar. cap.* 4. *num.* 21. Suar. *cap.* 22. *num.* 15. Garc. *num.* 106. Laym. *num.* 8. *cit. vers. temporales*. Vviestner *num.* 53. *Excipiuntur* Vicarii Chori, & alii, qui Beneficiorum v. g. Monasteriis unitorum administrationem plenam etiam in temporalibus, licèt ad nutum revocabilem obti-
nent; nam isti ad recitationem Divini Officii obli-
gantur. Suar. Laym. Vviest. *loc. citt.*

Dub. 5. utrum ad Horas Canonicas obligentur Cle-
rici obtinentes *Præstimonia*, *& Præstimoniales Portio-
nes*, detractas ex reditibus Ecclesiasticis? Resp. distin-
guendo cum Rebuff. *de Pacific. Possess. n.* 105. Joan. Sta-
phil. *de Litter. Exspect. Grat. tit. de qualit. Benef.* §. 1. *num.* 5. Laym. *l.* 4. *tract.* 2. *cap.* 5. *n.* 6. Vviestner *hic n.* 51. Vel enim conceduntur in titulum, & annexum habent aliquod obsequium Spirituale, quod per Laicum expe-
diri non potest, vel non conceduntur in titulum, ne-
que ob ejusmodi obsequium, sed ob aliam causam, v. g. Studiorum prosecutionem, vel tanquam stipen-
dium sustentationis, donec Beneficium obtineatur. *Si primum*, ratione illorum ad recitationem Officii Divi-
ni obligantur; quia Præstimonia hæc, licèt nomen speciale habeant, reipsa tamen sunt vera Beneficia Ec-
clesiastica. *Si secundum*, non obligantur, quia Benefi-
cium verè non habent, cùm id, quod capiunt, intui-
tu obsequii Spiritualis non capiant.

Dub. 6. quæ sit obligatio *Pensionarii* quoad Horas Canonicas? Resp. distinguendo: Vel enim Pensio, quam obtinet Pensionarius, est solùm Laicalis, sive titulo tantùm temporali constituta alicui v. g. de Eccle-
sia bene merito, æditui, Janitori, pulsanti campanas, vel organum, Magistro Scholæ, & similibus; vel con-
tra est Ecclesiastica, & in Pensionario primam Ton-
suram, aut Ordines minores exigit. *Si primum*, ne-
que ad Horas Canonicas, neque ad Officium B. V. eam obtinens obligatur, prout ex communi aliorum tra-
dit Azor. *p.* 1. *l.* 10. *cap.* 4. *quæst.* 3. Suar. *l.* 4. *de Orat. cap.* 22. *num.* 6. Garz. *p.* 3. *de Benef. cap.* 1. *num.* 119. Sonac. *D.* 1. *de Hor. Can. quæst.* 2. *p.* 4. *num.* 8. Pal. *tract.* 7. *D.* 2. *p.* 1. §. 2. *num.* 6. Vviestner. *hic num.* 58. cum aliis. *Si secun-
dum*, quamvis ad Officium Divinum talem Pensionem habens non obligetur, quia non est propriè Benefi-
cium; ex Const. tamen S. Pii V. adstringitur ad Offi-
cium B. M. V. saltem si ad Horas Canonicas non ob-
ligetur aliunde; has enim ex obligatione aliunde or-
ta, vel etiam ex libera voluntate persolvens ad Offi-
cium B. V. non obligatur, quòd ad hoc recitandum Papa obligare solùm intenderit eos, qui ad nullas alias preces sunt adstricti, aut Horarum Canonicarum Majus Officium non persolvunt. 76

Quæritur 8. utrum ad Horarum Canonicarum recita- 77
tionem privatam sub gravi teneantur Religiosi in Sa-
cris non constituti, & Moniales à Choro absentes? Negat Alphons. à Castro *l. de Leg. pœnal. c.* 8. & Cara-
muel *in Theol. Regul. D.* 103. *n.* 1358. de suis Cistertien-
sibus. Cajet. *in Summ. V. Horæ Canonicæ* dubitat de ob-
ligatione, & inclinat in negativam. Medina, Ange-
lus, Arragonius, Richardus existimant Religiosum o-
mittentem bis, vel ter privatim recitare Divinum Of-
ficium, non peccare mortaliter. Lessius litteris ex His-
pania, à quodam Reverendissimo Domino interpella-
tus, respondet, fuisse sibi semper visam etiam in pra-
xi probabilem sententiam, quòd neque Choristæ, ne-
que Moniales obligentur ex ulla etiam consuetudine ad Breviarium, probatque multis rationibus, & vult hoc suo Responso uti Confessarios, ut videre est *in Consiliis ipsius Moralibus V. Horæ cas.* 14. ea, quæ ha-
bet *l.* 2. *de J. & J. cap.* 37. *dub.* 9. *num.* 49. etsi inclina-
re videantur ad affirmativam sententiam, non tamen reprobant sententiam Medinæ, & Arragonii. *Fundan-
tur*; quia ad eam recitationem non tenentur commu-
ni Ecclesiæ Jure: sed sui quisque Instituti Regula, & huic conformi consuetudine. atqui Regula, & ei con-
formis consuetudo non videntur ipsos obligare sub gravi peccato, cùm id nimis durum, & animabus pe-
riculosum foret.

Sed meliùs Sylv. *V. Hora quæst.* 2. Navar. *cap.* 8. *de* 78
Orat. num. 5. Suar. *l.* 4. *cap.* 17. *num.* 19. Vviestner *hic num.* 66. & reliqui omnes affirmant peccare mortali-
ter, si vel semel à tali Religioso Professo omittantur Horæ: quod confirmat communis sensus fidelium, ejus omissionem graviter apprehendentium, & Regu-
larium de ea, tanquam gravi piaculo se accusantium in Sacro Tribunali. *Ratio est*; quia consuetudo reci-
tandi Horas in Religiosis Professis non est alia, quàm in Clericis, qui in Sacris constituti sunt. atqui vi hujus consuetudinis Cleri obligantur, ita, ut peccent mortaliter, si vel semel omittant recitare Horas. igi-
tur etiam Religiosi Professi sic peccabunt eas omitten-
do; nam consuetudo legitimè præscripta vim Legis habet. Addit Suar. *loc. citt.* aliud Argumentum contra Medinam præcipuè, & Arragonium, & in hunc mo-
dum breviter proponi potest: Vel consuetudo hæc, qua Religiosi Professi ad recitationem Horarum pri-
vatam tenentur, talis est, ut æquivaleat præcepto, vel non est talis. *Si primum*, mortaliter peccat Reli-
giosus Professus ad Chorum deputatus, si vel semel Officium totum omittat, aut notabilem illius partem; quia est materia gravis, ut omnes fatentur, respectu Clerici: neque potest intelligi, quòd respectu unius sit gravis, respectu alterius levis. *Si secundùm*, pro-
fectò non peccabit graviter talis Religiosus, etiamsi crebrò, & longo tempore officium negligenter omit-
tat; quia non agit contra præceptum. atqui tunc ex-
cusare illum Arragonius non audet ipsemet; quia, ut rectè dicit, judicio bonorum, & prudentum virorum non excusatur. ergo necesse est, ut hac consuetudine introductum sit præceptum obligans viros Religiosos ad recitandas Horas. sic autem peccat graviter, si Ho-
ras etiam semel tantùm per negligentiam non reci-
tet. ergo &c.

Ex quo cadit Argumentum oppositum; nam Clericis in Sacris, licèt & ipsi, ut dictum est, ex sola con-
suetudine obligentur ad Horas, obligatio ista non est nimis

nimis gravis, & periculosa. ergo nec Regularibus, tanquam mundo mortuis, & soli servitio Divino perpetuò mancipatis.

79 Dub. 1. an comprehendantur sub hac obligatione Religiosi ejecti, damnati ad triremes, fugitivi ex Religione? Quæstio intelligenda est de Religioso nondum promoto ad SS. Ordines; nam si SS. Ordines susceperit, etsi fortasse intereat obligatio recitandi Breviarium titulo Status Religiosi, manet tamen obligatio id recitandi titulo SS. Ordinum, sicut manet in Sacerdote, qui priùs recitare Horas debebat ob Beneficium, quod nunc resignavit. Sotus *l.* 10. *de Just. qu.* 5. *art.* 3. de his omnibus negat manere obligationem: cujus sententiam tanquam probabilem approbat Bonacin. *D.* 1. *quæst.* 2. *part.* 2. *num.* 6. ex ratione; quia non ampliùs vivunt in statu, in quo consuetudo invaluit recitandi Horas. Lessius *l.* 2. *de J. & J. cap.* 37. *dub.* 9. *numer.* 50. & Sanchez *l.* 8. *de Matr. D.* 8. *numer.* 11. admittunt de ejecto, vel ad triremes damnato, non verò de fugitivo; quia ejectus non potest ad Monasterium redire, cùm vult, potest autem fugitivus.

80 Sed meliùs Navar. *cap.* 7. *de Orat. num.* 20. Suar. *l.* 4. *cap.* 17. *num.* 9. Azor. *l.* 10. *cap.* 6. *quæst.* 5. 6. & 8. Pal. *tract.* 7. *D.* 2. *p.* 1. §. 3. *num.* 5. Laym. *l.* 4. *tract.* 1. *cap.* 4. *num.* 3. Vviest. *hic num.* 67. docent etiam Religiosos ejectos, fugitivos, & damnatos ad triremes per se adhuc retinere obligationem dicendi Officium Divinum. *Ratio est*, quia Religiosus per hoc, quòd extra Monasterium vivat, non cessat esse Religiosus, sed manet in Statu Religioso, in quo fuit antea; aliàs cùm iter faceret, aut quoties extra domum viveret, dici posset esse extra Statum Religiosum. atqui quamdiu Religiosus non est extra Statum Religiosum, etiam non est extra Statum deputatum ad Chorum. igitur Apostasia, vel ejectio non solvit Religiosum à Status sui oneribus, sed implere in eo statu debet, quantum potest. inter hæc onera autem etiam est obligatio recitandi Horas. ergo non solvitur ab isto onere. *Neque dicas*, ejusmodi Religiosum ejectum quidem non amittere Statum Religiosum, amittere tamen deputationem ad Chorum; nam hoc videtur absque fundamento dici. *Conf.* nam æquum non est, ut quis ex culpa sua commodum ferat. ferrent autem commodum ejecti, si liberarentur ab onere recitandi Horas. Dixi *per se*. per accidens enim excusari possunt vel ob impotentiam moralem recitandi, vel quia dedecori essent sibi, & Religioni suæ, si fœci hominum, cùm quibus ad transtra sedent, se esse Religiosos manifestarent.

81 Dub. 2. an sub obligatione ad Horas teneatur etiam is, qui extra Claustrum ex dispensatione vivit? *Satis certum est*, quòd teneatur, qui ad tempus solùm facultatem vivendi extra Monasterium habet, e. g. qui de licentia Superioris iter facit, aut parentes visitat, per aliquod tempus moram apud illos tracturus; quia talis non cessat esse Religiosus, vel Regularis, sed uti ad reliquas Instituti sui Regulas, ita etiam ad Horas recitandas adhuc obligatur.

Major controversia est de eo, qui perpetuò extra Monasterium vivendi dispensationem accepit. Negat teneri Sot. *l.* 10. *de Just. quæst.* 5. *art.* 3. Azor *p.* 1. *l.* 10. *cap.* 6. *quæst.* 8. Bonacin. *D.* 1. *quæst.* 2. *part.* 2. *numer.* 4. quia sic dispensatus est liberatus à Choro. ergo etiam est liberatus ab obligatione privatim recitandi Horas, quæ obligationi ad Chorum succedit. Verùm hæc ratio nimium probat; probat enim, quòd is, qui ex dispensatione Pontificis, vel Prælati Regularis à Choro in perpetuum est exemptus, non obligetur Horas privatim recitare, licèt semper vivat in Monasterio.

82 Hinc dicendum, probabiliùs teneri. Ita Navar. *cap.* 7. *de Orat. num.* 20. Rodriq. *tom.* 1. *cap.* 141. *concl.* 13. Suar. *l.* 4. *cap.* 17. *num.* 8. Laym. *l.* 4. *tract.* 1. *cap.* 4. *n.* 3. Pal. *tract.* 7. *D.* 2. *p.* 1. §. 3. *num.* 3. Ratio est; quia obligatio non oritur ex eo, quòd ipse sit personaliter obligatus interesse Choro, sed quòd statum habeat deputatum Choro. atqui dispensatus in perpetuum, ut extra claustrum vivat, non mutat Statum Religiosi Professi Choro deputati, ut per se constat. ergo &c.

Intelligi autem hoc debet, quamdiu ligatur Votis; nam si dispensationem Religiosus acceperit ad ducendam uxorem, & in hunc finem habitum Monachalem exuit, induens vestes Sæculares, liberatur ab onere recitandi Horas, sicut & à cæteris vitæ Religiosæ oneribus. Ita *Navar. Bonac. Rodriq. Azor, Sanchez, Molfesius, Layman, & alii plures.* Et hoc verum est non tantùm, postquam ad nuptias transiit, sed etiam ante illas contractas, ut docet Sanchez; quia per dispensationem liberatur à Votis, quæ cùm sint essentia Religionis, hoc ipso sic dispensatus desinit Religiosus esse.

Neque obstat, quòd sic dispensatus, si mentem uxorem ducendi mutaret, cogeretur ad Religionem redire; hoc enim non probat, quòd non verè fuerit solutus à Votis, sed tantùm ostendit, quòd solutio hæc fuerit quodammodo conditionata, ut scilicet duret tamdiu, quamdiu causa duraverit. cùm igitur mutata mente, cesset dispensationis causa, vim dispensatio non habet ampliùs.

Atque in hoc est disparitas cum Sacerdote dispensato; nam cùm hic per dispensationem non cesset Sacerdos esse, tamdiu saltem obligabitur recitare Horas, quamdiu uxorem non duxit, & sic statum assumpsit, in quo quia difficile esset onus recitandi Horas, præsumitur Pontifex dispensasse etiam circa recitationem Horarum.

Dub. 3. an Superior cum Religiosis suis possit dispensare circa obligationem recitandi privatim Horas Canonicas? Negant Suar. *l.* 4. *cap.* 28. *ad fin. num.* 41. Reginald. *l.* 18. *num.* 141. & 186. Fill. *cap.* 9. *quæst.* 10. *ad fin.* Affirmant Less. *l.* 2. *de J. & J. cap.* 37. *num.* 51. Bonacin. *D.* 1. *quæst.* 2. *p.* 2. *num.* 9. alii. Assentior posterioribus, & dico, posse dispensare ex justa causa, e. g. causa Studiorum, negotiorum &c. *Ratio est*, quia potest dispensare in aliis Religionis Legibus. ergo etiam in ista consuetudine; nam sicut aliæ Leges Superiorum consensu latæ sunt, ita, ut consuetudo ista haberet vim Legis, Superiorum consensu obtinuit: videtur autem conveniens, ut obligatio, quæ Superiorum consensu est introducta, per se etiam tolli possit eorundem dispensatione. ergo &c. 8

Addo tamen cum *cit.* Bonacina, non quemlibet Superiorem, nisi speciali ad hoc privilegio instructus sit, in isto dispensare posse; sed supremum; quia est consuetudo universaliter obligans totam Religionem. 8

Neque obstat, quòd praxis dispensandi in recitatione Horarum non videatur usitata esse apud Superiores Ordinum, & sic per non usum potestas dispensandi videatur cessasse; nam facultas aliquid faciendi absque aliorum gravamine per non usum non cessat. atqui talis est facultas dispensandi circa recitationem Breviarii. ergo &c.

Quæritur 9. quo tempore, loco, & modo recitandæ sint Horæ Canonicæ? Resp. *ad* 1. publicè psallendum est Horis competentibus; nam hoc injungitur *c. Presbyter* 1. *h. tit.* & *Clem.* 1. *eod.* Ratio est, quia aliàs sequeretur manifesta indecentia; plurima enim Psalmorum, Hymnorum, & Orationum verba mentionem faciunt certorum temporum e. g. noctis, auroræ &c. quæ si alienis temporibus usurpentur, minùs conveniunt. Accedit scandalum populi, propter quem instituta est Psalmodia publica, ut illi interesse possit. Hinc vel maximè attendenda consuetudo legitimè recepta cujusque Ecclesiæ est. In privata recitatione, ut peccatum mortale vitetur, sufficit, si Horæ dicantur intra eundem diem naturalem, h. e. à media nocte ad mediam noctem, etsi tempora præscripta pro singulis horis dicendis non observentur. Ita teste Bonartio communis, & certa sententia. Ut peccato etiam veniali vacet dilatio, si major illa, & inconsueta sit, requirit causam honestam: & talis ex communi DD. est commoditas Studiorum, ut omnes Horæ differri post prandium possint. 86

Ad 2. cùm publicè dicuntur Horæ, in Ecclesia dici debent; nam hoc statuitur *can. fin. dist.* 92. & *Clem.* 1. *h. tit.* nam in hunc maximè finem inter cætera Ecclesiæ constituuntur, ut in iis Officia Divina religiosè celebrentur. *Excipitur* casus necessitatis, vel alia causa legitima; tunc enim *Diana* teste in Sacristia, vel Oratorio, etiam non conjuncto Ecclesiæ per murum communem, aut alio aliquo loco honesto, & congruo dici possunt; ubivis enim ex tali causa dicantur Horæ, ad Ecclesiam diriguntur. Privatim dici Officium Divinum potest in quovis loco, modò decens ille sit, & talis, qui attentionem non impediat, aut aliis offensionem pariat; nam ut Basilius *Exhort. ad Baptism.* notat, in precibus privatis non locus, sed affectus consideratur. Consentit Concil. Basil. *sess.* 21. ubi de modo privatim Horas dicendi agens quoad locum solùm, ait, ut fiat in loco tali, unde à devotione recitantes non retrahantur, ad quam se disponere, & præparare debent. Accedit piorum consuetudo, & quia nullum in Jure communi Decretum extat, quo certus locus præscribitur. 87

Ad 3. Modum præscribit Innocentius III. *c. dolentes* 9. *hoc tit.* ibi: *Districtè præcipientes in Virtute Obedien-* 88

dientiæ, ut Divinum Officium nocturnum pariter, & diurnum, quantum eis Deus dederit, studiosè celebrent pariter, & devotè. Et quamvis ibi videatur sermo esse de Officio, quod recitatur publicè, paritas tamen rationis etiam pro recitatione privata urget. Duo igitur vi dicti Decreti ad modum Officium recitandi pertinent, ut studiosè dicatur, & ut devotè. *Studiosè* recitabitur, si versus, & sensus integrè, h.e. sine omissione, truncatione, concisione, aut interruptione proferantur. *Devotè*, si recitetur cum debita intentione, & attentione. S. Thom. 2. 2. *quæst.* 87. *art.* 13. Navar. *cap.* 14. *de Orat. num.* 4. Azot *p.* 1. *l.* 10. *capit.* 7. *quæst.* 8. Laym. *l.* 4. *tract.* 1. *cap.* 5. *num.* 8. Bonacin. *D.* 1. *quæst.* 3. *p.* 2. §. 1. & 2. Vvieft. *hic num.* 68.

89 Quæritur 10. quænam causæ excusent à recitatione Horarum? Resp. septem omnino sunt capita, ex quibus à Lege dicendi Horas Clericus absolvi potest.

1. *Oblivio*, & *incogitantia naturalis*: quæ quidem facilè in die potest contingere circa unam, vel alteram Horam, circa totum autem Officium moraliter inveniri vix potest, nisi quis fingatur tota die aut dormiens, aut ebrius. Si tamen nec obligatio recitandi, nec ipsa recitatio ante exactum obligationis tempus ullo modo in mentem venit, nec per hominem stetit, ut aliud occurreret, quod obligationis excitaret memoriam, omissio excusatur ab omni prorsus peccato; tunc enim penitus involuntaria erit. Ut autem talis sit, debet Clericus diligens esse, ne hæc oblivio contingat: & hinc si expertus sit memoriæ suæ infirmitatem, adhibere indicium aliquod, quod memoriam excitet, debet. Suar. *l.* 4. *de Hor. Can. cap.* 28. *num.* 4. Bonacin. *D.* 1. *quæst.* 6. *p.* 3. *num.* 9. Pal. *tract.* 7. *D.* 2. *p.* 6. *num.* 1.

90 2. *Ignorantia:* quæ duplex potest contingere, Juris, & Facti: Juris est, siquis nesciat obligationem recitandi, & Legem hanc imponentem; Facti verò, cùm obligationem scit, sed nescit modum, quo recitari Officium oportet. Ignorantia inculpabilis Juris in praxi vix aliquando locum habere potest in Clericis, cùm Lex de Horis dicendis sit omnibus exploratissima. Sed & ignorantia facti vix aliquando potest inculpabiliter evenire; nam sicut dum ad Ordines, vel Beneficium quis promovetur, obligatus est habere Breviarium vel proprium, vel alienum, ex quo legere Horas possit, ita etiam obligatus est habere scientiam recitandi. Pal. *num.* 1. *cit.*

91 3. *Infirmitas:* intellige, non quæcunque, sed gravis, seu talis, ut Horæ in ea legi non possint sine notabili valetudinis incommodo, vel magno dolore, & molestia e. g. capitis, vel oculorum; nam si infirmus dicere Officium Divinum, vel partem illius majorem possit sine tali incommodo, dicere obligabitur. Rodriq. *tom.* 1. *summ. cap.* 144. & *tom.* 1. *qq. Regular. quæst.* 42. *art.* 10. Garc. *p.* 3. *de Benef. cap.* 1. *num.* 226. Suar. *l.* 4. *de Hor. Canon. cap.* 28. *à num.* 22. Pal. *p.* 6. *cit. num.* 9. Hinc, ut Bonart. *l.* 2. *cap.* 38. *num.* 5. advertit, non excusantur, qui laborant febri tertiana, vel quartana; quod maximè verum est pro iis Horis, quæ legi solent tempore, quo respiratio à morbo datur. Quodsi tamen febrim tertianam, vel quartanam habens nec ipse absque nocumento gravi valetudinis suæ possit Preces Horarias recitare, etiam ipse excusabitur; quia jugum Domini suave est. Laym. *l.* 4. *tract.* 1. *cap.* 6. *num.* 1. Pal. *loc. cit. num.* 1. *in fin.*

92 4. *Cæcitas oculorum:* nam Cæcus, tanquam impotens, ab obligatione hac excusatur: & hoc verum est, etiamsi Psalmos, aut frusta quædam Psalmorum memoriter sciat; quia Psalmi soli non sunt Officium Divinum, quippe quod partibus Heterogeneis componitur, & constituitur tum ex Psalmis, tum etiam ex Antiphonis, Canticis, Capitulis, Lectionibus &c. Aliud est, si memoriter noverit dicere Horas minores, & juxta aliquos etiam unicam; nam tunc eam dicere obligatur: estque ab Innocentio XI. expresè prohibita sententia illa, quæ ab onere Horas reliquas dicendi excusat eum, qui Matutinum, & Laudes non potest dicere; quæ est Propositio inter damnatas ab isto Pontifice. *num.* 54. Idem dicendum, si ejusmodi Cæcus possit adhibito Socio partem suam è memoria dicere, saltem quoad versus Psalmorum; nam tunc, modò id fieri sine magna difficultate, & sumptu juxta qualitatem personæ possit, adhibere Socium, & recitare Horas cum illo debet. Layman *capit.* 6. *citat. numer.* 2. *dub.* 2. Reginald. *prax. l.* 18. *numer.* 183. &c.

93 5. *Carentia Breviarii:* ubi distinguendum est, an ea contigerit sine culpa, vel cum culpa. *Si primum*, quia v. g. illud amisit, vel ex inadvertentia domi reliquit, aut studio quidem, putans tamen habiturum se aliud tempore congruo &c. non peccat omittendo, neque tenetur ad restitutionem fructuum; quia ad impossibile nemo tenetur *l. impossibilium ff. de R. J.* estque omissio hæc prorsus involuntaria tam in se, quàm etiam in sua causa. *Si secundum*, vel quia in ignem illud conjecit, aut domi reliquit, sciens, se tempore debito aliud non habiturum &c. à peccato non excusatur omissio; præterquam enim, quòd omittens ex tali defectu peccarit in causa, etiam ipsa externa omissio ipsi imputabitur ad peccatum, & sic Censuram incurret in omittentes latam, & tenebitur restituere fructus respondentes omissioni. Unde, ut defectus Breviarii, qui cum culpa contingit, excuset omittentem, omittens debet pœnitere de causa data, ut sic omissio subsequens fiat ipsi involuntaria. Navar. *de Orat. cap.* 11. *num.* 38. Azor *p.* 1. *l.* 10. *cap.* 13. *quæst.* 16. Suar. *l.* 4. *cap.* 27. *num.* 9. Bonacin. *D.* 1. *quæst.* 6. *p.* 2. *num.* 10. Bonart. *l.* 2. *cap.* 39. *num.* 6. & hoc teste communis DD.

6. *Repentina*, & *necessaria occupatio* ex officio, vel 94
Charitate suscepta, quæ vel omnino, vel saltem convenienter cum lectione Horarum non potest consistere, & exerceri, ut si populi tumultus, subitò exortus, sedandus sit; si in Sacra hebdomada, vel in Jubilæo concursui pœnitentium satisfaciendum sit; si Concio habenda, quæ sine offensa omitti non potest; si graviter laboranti aliter quis non possit succurrere, nisi Officium Canonicum omittat. Navar. *Man. cap.* 25. *num.* 101. Tolet. *l.* 2. *cap.* 14. *caus.* 2. Laym. *l.* 4. *tract.* 1. *cap.* 6. *num.* 1. *vers. tertia*, Pal. *tract.* 7. *D.* 2. *p.* 6. *num.* 2. Bonart. *cap.* 39. *cit. num.* 1. Ut tamen in his, & similibus casibus conscientia illæsa quis possit procedere, duo hæc debet advertere: *unum* est, ut quando occupatio non durat per totum diem, dicantur Horæ vel summo mane, si impedimentum prævideat vel vesperi, finita occupatione; nam obligatio durat, dum finitus sit dies naturalis, igitur impleri debet, si absque damno graviore potest. *Alterum*, non esse suscipiendum Clerico tale Officium, cui ordinariè annexa sit occupatio recitationem Horarum impediens, nisi gravis necessitas istud suadeat, & id, quod suscipitur, sit majus bonum, quàm recitatio Divini Officii: unde ejusmodi officium relinquendum, vel Beneficium resignandum est, aut petenda dispensatio; aliàs Officii omissio eidem videbitur voluntaria esse in causa.

7. Denique *Dispensatio Pontificis:* quæ valida est, 95
etsi fiat sine justa causa; quia dispensat in Jure à se lato. Suar. *l.* 4. *cap.* 28. *à num.* 38. Bonacin. *D.* 1. *quæst.* 1. *p.* 2. *num.* 5. Pal. *part.* 6. *cit. num.* 3. Episcopus in hac Lege, ut communis habet sententia, cum Clericis majorum Ordinum, & Beneficiatis propriè dispensare non potest; quia Lex Superioris per inferiorem tolli non potest *Clem. ne Romani* 2. *de Elect. pr.* Possunt tamen Episcopi dispensare impropriè, quando scilicet incidit dubium, an Beneficiatus, vel Clericus in Sacris constitutus in casu aliquo Horas teneatur legere; tunc enim Episcopus rationabiliter interpretari Legem Ecclesiæ, & facultatem non recitandi indulgere potest. Quid circa hoc respectu Subditorum suorum Regularium possint Prælati ipsorum Regulares, dictum est *supra num.* 84.

Quæritur 11. quæ sit pœna negligentium Divina Of- 96
ficia? Resp. pro Clericis, & Religiosis, qui nullum Beneficium habent, nulla constituta est in Jure pœna; posset autem statui tum à Jure communi, tum à Jure particulari locorum, vel Religionum: unde si qua Religio, vel Ecclesia particularis circa hoc habet specialem Constitutionem pœnalem, ad eos pertinet eam scire, qui possunt per eam ligari, vel tenentur eandem exequi.

Unde de solis Beneficiatis procedit quæstio. His, 97
si culpabiliter Pensum Horarium non persolverint, duplex à Jure pœna decernitur. *Primò* enim jubentur fructus perceptos restituere: deinde si postquam ab Episcopo moniti fuerint, intra quindecim dies non bis saltem recitaverint Horas, jubentur excommunicari, suspendi, & Beneficio privari. Ita statutum est *in Concil. Later. sub Leon. X. sess.* 9. §. *statuimus &c.* ubi decernitur, Beneficiarios, sive Curati illi sint, sive non Curati, si Horas negligant, post sex menses ab obtento Beneficio, fructus suos non facere, sed pro rata omissionis, vel in fabricam ejusmodi Beneficiorum, vel in Eleemosynas pauperum erogare debere: & si ultra dictum tempus in negligentia perseverent, legitima monitione præcedente, Beneficio ipso privandos. Quod Decretum S. Pius V. postea confirmavit, decla-

declaravit, & auxit nova Constitutione, quæ in Bullario Romano est 138.

98 Neque ab hoc onere excusantur, qui præter Officium Divinum alia munera Officio suo annexa habent; nam Pontifex eodem modo loquitur de Beneficio cum Cura, & sine Cura. Excusantur tamen, qui bona fide, vel naturali oblivione, aut ex alio legitimo impedimento Divinum Officium non recitarunt; nam hi ad restitutionem non tenentur, ut rectè docent Bonacin. *D.* 1. *quæst.* 5. *p.* 2. *num.* 4. & apud hunc *Regin. Molfes. Nald. Gard. Macign. Squill. Az. Less. Suar. & alii.* Colligitur hoc ex *Const. S. Pii cit.* ubi pœna restitutionis imponitur, *cessante legitimo impedimento*, ut habent Bullæ verba: & ratio est; quia in foro conscientiæ non debetur pœna, ubi culpa non est. carentia autem fructuum inducta est in pœnam admissæ culpæ. ergo &c.

Quod de fructibus dictum est, etiam dicendum de Distributionibus, & Pensionibus Clericalibus; neutras enim lucratur, qui culpabiliter obligationi Divini Officii, aut B. V. recitandi non satisfecerit, ut expresse decernit S. Pius V. *in Bull. citt.*

§. IV.

De Applicatione Fructus Sacrificii.

SUMMARIUM.

99 *Quotuplex sit Fructus Sacrificii?*
100 *An ratione ejus accipi aliquid temporale possit?*
101 *Quale stipendium pro unius Sacra applicatione sit justum?*
102 *Utrum Parochi, & alii Curati ratione applicati fructus Missarum suarum stipendium accipere, & exigere possint? Sententia negans.*
103 *Sententia affirmans.*
104 105 106 107 *Resolvitur Quæstio.*
108 *Possunt stipendium pro Missis à se lectis accipere Beneficiarii, qui ratione Beneficii sui sacrificandi obligationem non habent.*
109 *Et qui habent, sed cum libertate applicandi fructum, cui voluerint.*
110 *Si expressa intentio à Fundatore sit, alteri applicatio fieri nequit.*
111 *Idem complures dicunt, si nihil expressum sit.*
112 *Argumenta istius sententiæ.*
113 *Resolvitur negativa.*
114 *Solvuntur opposita.*
115 *An Sacrificii fructus, quod faciendum est ex Obedientia, vel Charitate pro defuncto, stipendio accepto, applicari etiam vivo possit?*
116 *Negativa defenditur.*
117 *Respondetur ad Rationes dubitandi.*
118 *An Stipendia plura accipi possint pro Missa eadem?*
119 *Deciditur pro parte negante.*
120 *Diluuntur Argumenta contraria.*
121 *An qui abundantius accepit stipendium pro Missa, eam legendam tradere alteri possit cum minore stipendio? ubi quid dicendum quoad istud de Parochis?*
122 *Quid de aliis Sacerdotibus?*
123 *An reservans partem stipendii à se accepti peccet mortaliter?*
124 *Tenetur pars affirmans.*
125 *Et imponitur reservanti obligatio restituendi.*
126 *Etsi id, quod datur, adhuc æquet quantitatem stipendii justi.*
127 *Solvuntur Objectiones.*
128 *An Missæ possint dici anticipato?*
129 *Exceptio.*
130 *Quot Missæ dici debeant, quando certus numerus præscriptus est à Fundatore, vel Benefactore?*
131 *Intra quod tempus celebrandæ sint Missæ, pro quibus stipendium acceptum est?*
132 *An Missæ, pro quibus celebrandis in certa Ecclesia stipendium obtulerunt fideles, celebrari possint in alia?*
133 *Cujus authoritate translatio hæc fieri possit?*
134 *An Episcopus Regulares possit compellere ad exhibendos Libros Sacristiæ, quibus annotatur, an satisfactum sit obligationibus Missarum susceptis?*
135 *Respondetur negativè.*
136 *Contraria Argumenta solvuntur.*

99 Quæritur 1. an pro celebratione Missæ, sive applicatione fructus Sacrificii exigi, & accipi valeat pecunia, vel alia res temporalis? Antequam respondeam, noto triplicis generis fructus Sacrificii distingui à DD. Et 1. quidem est *Fructus generalis*, quem Ecclesia applicari, & participari vult ab omnibus Christi Fidelibus vivis, ac defunctis, præsertim Missæ Sacrificio assistentibus, & ad id cooperantibus: quem proinde Sacerdos aliter applicare nequit. 2. *Specialis*, sive *Personalis*, quem ex Sacrificii celebratione percipit ipse Sacerdos, & aliis applicare non debet, nec ex communi multorum sententia potest. 3. *Medius*, qui Sacerdoti committitur, ut applicetur ei pro quo Sacrificium sive ex obligatione, sive ex libera voluntate offert. De hoc solo procedit quæstio: proinde

100 *Dubium est* inter DD. an ratione ejus accipi temporale possit? Videtur non posse; quia Sacrificium, ejus fructus, & ipsa istius applicatio est aliquid Spirituale, hoc autem pecunia, vel alio temporali exhibito compensari sine labe Simoniæ nequit. ergo &c.

Sed distinguendum est inter duplicem modum, quo pecunia, vel aliud temporale Sacrificanti exhiberi, & acceptari ab isto potest; nam exhiberi eidem, & recipi ab ipso potest vel ut æstimatio fructus Sacrificii, & ejus applicationis, vel solumodo tanquam stipendium debitæ sustentationis. *Primo modo* facta exhibitio, & receptio Simoniaca est, & tanquam talis damnatur *à Concil. Tolet. XI. cap.* 8. relato *can. quidquid* 101. *caus.* 1. *quæst.* 1. Non autem facta *secundo modo*; quia stipendium sustentationis Sacrificanti, & Sacrificii fructum Spiritualem applicanti debitum est Jure Divino, & Naturali juxta illud Apostoli, *Si nos vobis Spiritualia seminavimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus?* 1. *Corinth.* 9. *vers.* 11. Abb. *in cap. suam* 29. *de Simon. numer.* 4. Sylv. *V. Simonia quæst.* 9. Sot. *l.* 9. *de Just. quæst.* 6. *art.* 1. Graff. *Decis. aur. l.* 2. *cap.* 96. *num.* 32. Gutier. *Can. qq. cap.* 29. *à num.* 3. Henriq. *l.* 9. *cap.* 22. Suar. *de Simon. capit.* 21. *à numer.* 5. Vasq. *D.* 234. *per totam*, Coninck *de Sacram. quæst.* 83. *num.* 193. *& seqq.* Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 24. *num.* 2. Pal. *tract.* 22. *D. un. p.* 14. *num.* 3. Matthæucc. *Offic. Eccl. cap.* 10. *num.* 61. Wiest. *hic num.* 31.

101 Quale stipendium justum sit pro unius Sacri obligatione, non conveniunt DD. Plures cum Henriq. *cap.* 22. *cit. num.* 1. *&* 4. Coninck *quæst.* 83. *cit. art.* 1. *dub.* 10. *circa finem*, Petr. Navar. *l.* 2. *de Restit. cap.* 2. *num.* 315. *&* 320. & aliis non infimæ notæ credunt justum stipendium esse, quod integræ sustentationi Sacerdotis pro unico die sufficiat, ex ratione, quia juxta Apostolum relatum *cap. cùm secundùm* 16. *de Præb. qui Altari servit, etiam vivere debet de Altari.* cùm ergo Sacerdos singulis diebus unico tantùm Sacrificio inservire Altari possit, ob illud Sacrificium eo die sustentari debet. Contrà Laym. *l.* 5. *tract.* 5. *cap.* 1. *numer.* 13. *vers. justum*, Pal. *tract.* 22. *D. unic. p.* 14. *numer.* 4. *vers. cæterum*, & alii ab his *citt.* putant sufficere mediam, vel tertiam partem sustentationis illius diei, nisi aliud exigat Sacerdotis inopia; quia existimant, semihoræ laborem, & occupationem, quæ in Missa facienda insumitur, hoc stipendio sufficienter compensari. Optimè illi, qui justum affirmant illud, quod vel lex, vel consuetudo loci taxavit: quæ tamen taxatio nunquam ita fieri potest, quin abundantius concedi à Sacrificium petentibus, & minus admitti à Sacrificantibus possit, ut bene Vasq. *D.* 234. *cap.* 1. *numer.* 6. Suar. *D.* 86. *sect.* 2. *concl.* 1. Barbos. *alleg.* 24. *citat. numer.* 8. Pal. *numer.* 4. *cit. vers. quodsi urgeas* notant; quia Lex, & consuetudo taxans stipendium non prohibet, nec prohibere regulariter potest usum, & exercitium liberalitatis tam ex parte concedentium stipendium, quàm ex parte Sacerdotum celebrantium.

102 Quæritur 2. utrum Parochi, & alii Curati ratione applicati fructus Missarum suarum stipendium accipere, & exigere possint? Negant pro iis saltem diebus, quibus ad Missarum celebrationem ex Officio obligantur, Sot. *l.* 7. *de Just. quæst.* 2. *art.* 2. & *l.* 9. *quæst.* 3. *art.* 1. §. *nihilominus*. Barbos. *de Offic. Paroch. cap.* 11. *num.* 10. *in fin.* & *alleg.* 24. *cit. num.* 23. *in fin.* Monacell. *p.* 2. *for. Eccles. tit.* 16. *form.* 2. *num.* 18. *& seqq.* Matthæucc. *Offic. Eccles. cap.* 10. *num.* 60. & alii plures, qui proinde Dominicis saltem, festisque diebus eosdem obligant ad fructum Missarum, quas his diebus populo celebrant, applicandum Populo Parochiano: quod colligunt ex Trid. *sess.* 23. *cap.* 1. *pr. de reform.* ibi, *Cum Præcepto Divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his Sacrificium offerre &c.*

103 Contra Henriq. *Summ. l.* 9. *cap.* 22. §. 6. Suar. *D.* 86. *sect.* 1. *vers. de Beneficiis*, Reginald. *prax. l.* 23. *num.* 238.

138. Vasq. *D.* 234. *art.* 6. *c.* 6. *vers. vera tamen*. Possevin. *de Offic. Curat. c.* 2. *n.* 4. Ugolin. *de Offic. Episc. c.* 16. Conink *de Sacram. q.* 83. *art.* 1. *dub.* 11. *concl.* 3. Gavant. *ad Rubr. Missal. p.* 3. *tit.* 12. *n.* 27. Laym. *l.* 5. *tr.* 5. *c.* 3. *n.* 3. Fill. *tr.* 4. *n.* 174. Pal. *tr.* 22. *D. un. p.* 13. *n.* 7. *&* 8. Engl *hic* §. 1. *n.* 18. Vvieft. *n.* 39. *&* 40. & alii apud istos putant, Parochos, & alios Curatos, nisi aliter cautum sit in fundatione, vel Statuto, aut consuetudine introductum, posse pro Missarum celebratione accipere stipendium, non obstante Decreto Trid. *cap.* 1. *cit.* quia licèt per hujus tenorem jubeantur Sacrificia pro Parochianis suis offerre, non tamen inde infertur, quòd hoc facere debeant omnibus illis diebus, quibus sacrificare tenentur, & quòd iis diebus specialiter iis sacrificium applicare debeant; unde putant eos satisfacturos, si id faciant quandoque in anno, & sæpiùs fructum Sacrificiorum suorum iisdem applicent applicatione generali, & secundaria, qua id applicatur fidelibus omnibus, præsertim assistentibus.

Verùm hæc explicatio de applicatione solùm fructus Generalissimi non videtur satis concordare cum mente S. Synodi Trid. *cap.* 1. *cit.* quia dum ibi declarat Parochum teneri Sacrificium pro ovibus offerre, indicat, in Parocho aliquam specialem obligationem reperiri, diversam ab illa, quam habent singuli Sacerdotes applicandi fructum generalissimum omnibus Christi Fidelibus. Unde existimo, Parochos, & similes Curatos pro Parochianis teneri applicare fructum etiam medium Sacrificiorum suorum, saltem Dominicis, Festisque diebus: pro quo apertè militat Decretum S. Cong. *editum* 1. *Sept.* 1629. quo censuit Parochos illis diebus, quibus tenentur Missam pro ovibus celebrare, non posse Eleemosynam Manualem accipere, ut videre est apud Matthæucc. *Offic. Eccl. c.* 10. *n.* 60. *in fine*.

Et hoc verum est, etiamsi congruam tenuem, & in solis incertis haberent, prout sæpiùs declaravit eadem S. Congr. *in Lucan.* 10. *Maji* 1681. & 10. *Maji* 1692. *in Meliten.* 7. *Jun. ejusdem ann. in Resp. ad* 4. *in Cremonensi* 20. *Dec.* 1692. *in Pampilon.* 18. *Nov.* 1702. & 31. *Maji* 1704. *in Camerin.* 28. *Jun.* 1704. ut videre est apud Monacell. *For. Eccl. p.* 1. *tit.* 2. *form.* 2. *num.* 4. & *in Append. Annot. ad Bull. Innoc. XII. de celebr. Miss. num.* 9. & *p.* 2. *tit.* 16. *form.* 2. *num.* 19. Quibus omnibus accedit *Constit. Innoc. XII.* incipit *Nuper* 24. *April.* 1699. in qua confirmatur Decretum *Sac. Congreg. Conc. editum* 10. *Maji* 1692. his verbis conceptum: *An Parochus Missam celebrare teneatur, & Sacrificium applicare Parochianis diebus Dominicis, & Festis, sive habeant congruam, sive non? Sacra Congregatio censuit teneri, nec posse eisdem diebus aliam Eleemosynam recipere.*

Quin imò, ubi redditus fuerint pingues, eadem Sacra Congregatio *in Lucana* 10. *Maji* 1681. statuit, Missas à Parochis applicandas pro Parochianis singulis diebus: quod intelligo de illis diebus, quibus extra Dominicas, & Festa ex loci statuto, vel consuetudine sacrificare tenentur; simpliciter enim si accipiatur pro omnibus diebus, videtur Decretum hoc esse nimis durum. 1. quia non tenentur Parochi singulis diebus celebrare. ergo nec applicare fructum Sacrificiorum illorum Parochianis suis. 2. sic nulla die Sacrificium offerre possent pro necessitatibus aut suis, aut consanguineorum, & amicorum suorum; imò nec Missas, & Anniversaria Sacra facere pro certis ex Parochia sua defunctis, quia his applicando fraudarent cæteros fructu sibi debito. 3. optima interpres Legum est consuetudo passim recepta. non autem constat Declarationes allegatas receptas usu saltem in Germania in tali rigore, ut nullum omnino Sacrum à Parochis, & aliis Curatis liberè applicari aliis possit.

Quodsi iis diebus, quibus Parochus ratione consuetudinis, vel fundationis obligatus est sacrificare pro defunctis, Parochianus aliquis Sacrificium pro se offerri postulet, stipendio dato, refert, utrum talis obligatio Parochi in eo loco nota sit, an verò Parochiani, vel offerentes stipendium existimentur ignorare obligationem Parochi. *Si hoc secundum*, significari hoc ipsis debet, cùm alioquin non immeritò inviti esse, & de injuria, ac Spirituali damno conqueri possent. *Si primum*, stipem offerens pro Missa legenda censetur Juri suo renuntiare, atque contentus esse secundaria intentione, & applicatione fructus, ne alioquin ad alienam Parochiam accedere cogatur. Henriq. *l.* 9. *c.* 22. *n.* 6. Suar. *D.* 86. *sect.* 3. Sot. *l.* 9. *de Just. q.* 3. *art.* 1. Laym. *l.* 5. *tr.* 5. *c.* 3. *n.* 4. Quod maximè locum habet, si Parochus tenues redditus habeat; nam alioquin, si redditiuum ubertas permittat, Cooperator advocandus erit, ut piæ fidelium petitioni plenè satisfieri possit.

Quæritur 3. an stipendium ratione applicati fructus accipere, vel exigere possint alii Beneficiati? *Certum est* 1. posse istud licitè recipere Sacerdotes, obtinentes Beneficium, cui sacrificandi obligatio non est annexa, S. Thom. *quodl.* 6. *art.* 10. Navar. *Man. c.* 23. *n.* 102. Suar. *tom.* 3. *in* 3. *p. D.* 86. *sect.* 3. *concl.* 2. & teste P. Vvieft. *hic n.* 32. alii communiter. *Ratio est*; quia Beneficium tale, cùm obligationem sacrificandi, & fructum applicandi sibi annexam non habeat, liberam relinquit applicationem fructus. igitur sacrificans applicare eundem potest alteri cuicunque, & hic, si ita velit sacrificans, cùm Spiritualia ei ministret, debebit ipsi exhibere sustentationis stipendium.

Certum est 2. si Beneficiatus quidem obligatus sit ad certas Missas ex vi fundationis, ita tamen, ut eidem in hac à Fundatore expressè permissa sit libera intentio, talem Beneficiatum posse applicare Sacrificia sua liberè, cui voluerit, & stipendium ab ipso accipere; nam id tanquam exploratum supponunt Card. de Lug. *de Sacram. D.* 31. *c.* 19. *&* 21. Donat. *to.* 3. *prax. Regul. tr.* 7. *q.* 49. *n.* 5. Gavant. *ad Rubr. Missal. p.* 3. *tit.* 12. *n.* 5. & hoc teste declaratum est à *S. Congr.* 13. *Jul.* 1630. Ratio est; quia id nullo Jure prohibitum est. 109

Certum est 3. Clericos, qui Capellanias, & his similia Beneficia Sacerdotalia obtinent, teneri Missarum, in fundatione præscriptarum, fructum juxta piam Fundatorum intentionem applicare saltem, quando hæc expressa est, ita, ut pro talibus Missis stipendium accipere nullatenus possint. P. Vvieft. *hic n.* 37. Imò idem dicendum, quamvis intentionis, seu applicationis nulla facta sit mentio à Fundatore, vel eo, qui stipendium dedit, si Missa petatur nullo annexo speciali, vel notabili onere; quia hoc casu sacrificans jam accepit salarium à Fundatore, vel eo, qui stipendium numeravit. igitur injustè aliud stipendium ab alio recipit. Navar. *Man. c.* 25. *n.* 92. Bellarm. *l.* 2. *de Miss. c.* 4. Suar. *D.* 86. *cit. sect.* 6. Laym. *l.* 5. *tr.* 5. *c.* 1. *n.* 12. Vvieft. *hic n.* 38. 110

Dubium ergo solùm est de casu, quo Missa ex fundatione vel constituentis voluntate celebranda est certo loco, & tempore, pro Ecclesiæ, vel Altaris cultu, commoditate, aut solatio fidelium in loco præsentium, ut Missæ copiam habeant, aut si alia similia onera specificè expressa sunt, non tamen facta mentio intentionis, vel applicationis. In quo iterum certum videtur casu, quo, stipendio certo, pro certa, vel certis Missis assignato, constitutus sit, sicut frequenter fit in Ecclesiis Monialium, & Oratoriis Confraternitatum, ut Confratres, vel Moniales commoditatem habeant audiendi Missam, & satisfaciendi præcepto, non posse hujusmodi Sacerdotem ultra stipendium, quod à Confraternitate, vel Monialibus recipit, accipere aliud ab alio, & huic applicare fructum, cujus applicationem Moniales, aut Confratres non petierunt; nam hoc non licere respondit S. Congr. 9. *Jan. &* 6. *Febr.* 1627. apud Matthæucc. *Offic. Eccl. cap.* 10. *n.* 63. Ratio est, quia cessat justus titulus recipiendi novum stipendium; nam sive stipendium recipiatur in mercedem laboris, sive in subsidium sustentationis, constat esse receptum: unde ubi aliud reciperetur, videretur recipi aut contra Justitiam, aut Simoniacè. *Controversia igitur* tantùm est de Beneficiato, qui ratione Beneficii tenetur ad certa Sacra certo loco, tempore &c. celebranda. Qua in controversia hujusmodi Beneficiatum Aldanus *de valor. applic. Sacrif. tr.* 2. *c.* 3. *n.* 3. Fauft. *l.* 2. *de Euchar. q.* 155. Gavant. *ad Rubr. Missal. p.* 3. *tr.* 12. *n.* 5. Dian. *p.* 1. *tr.* 4. *resol.* 8. Pignatell. *tom.* 3. *consult.* 61. *n.* 9. *&* 15. Matthæucc. *Offic. Eccl. c.* 10. *n.* 63. & nonnulli alii obligant ad Sacrificiorum fructum applicandum Fundatoribus: adeoque ex horum sententia nullus Sacerdos, ratione Beneficii, vel Officii sui obligatus ad sacrificandum, fructum Sacrificii applicare alteri, & ab hoc stipendium potest recipere. 111

Moventur 1. variis Declarationibus Card. Trid. Interpp. *in Alexandrin.* 26. *Apr.* 1653. *Castellan.* 9. *Jul.* 1644. & præcipuè *in Decret. de Celebr. Missar. edito Jussu Urbani VIII.* & confirmato *ab Innoc. XII. speciali Conc.* 10. *Cal. Jan.* 1697. ubi S. Congreg. declaravit, *Sacerdotes, quibus diebus tenentur Missas celebrare ratione Beneficii, seu Capellæ, legati, aut salarii, si Eleemosynas etiam pro aliis Missis celebrandis susceperint, non posse eadem Missa utrique obligationi satisfacere.* 2. tali casu recipi pecunia non potest in stipendium sustentationis, cùm ista jam habeatur aliunde ex Beneficio, Capellania, officio, ergo recipietur tantùm in compensationem fructus, & applicationis Sacrificii, quod simoniacum esse dixi *n.* 100. *supra*. 3. id, quod debetur ex obligatione Justitiæ uni, non potest applicari alteri, & stipendium ab eo accipi. atqui ex obligatione Justitiæ Beneficiatus tenetur ad intentionem Fundatorum applicare Sacrificia sua, &c. 112

de intentione Fundatorum meritò præsumitur, quòd ubi aliud non expresserunt, voluerint applicari sibi, cùm meliore, quo potuerunt, modo, censeantur sibi prospexisse. ergo &c.

113 Sed his non obstantibus, hoc casu Sacrificii fructum liberè applicari posse, cui Sacerdos voluerit, etiam accepto stipendio, docent Peyrin. *tom.* 3. *de Privileg. c.* 1. *n.* 22. Rodriq. *tom.* 1. *Regular. q.* 43. *art.* 8. Suar. *D.* 86. *sect.* 3. *concl.* 2. Vasq. *D.* 234. *n.* 25. Alph. à Leon. *de Jubilæop.* 3. *q.* 20. *num.* 27. Turrian. *p.* 2. *select. D.* 3. *dub.* 2. Lugo *D.* 31. *de Sacram. num.* 19. & 20. Pellizar. *tr.* 5. *Man. Regul. c.* 9. *à n.* 98. Dian. *p.* 2. *tr.* 14. *resol.* 26. & *p.* 5. *tr.* 13. *ref.* 51. ubi sententiam suam *num.* 111. relatam correxit, Vviest. *hic n.* 41. & alii magni nominis DD. *Fundantur* 1. quia obligatio applicandi fructum Missæ est separabilis ab obligatione eam celebrandi, ut patet in Sacerdotibus Regularibus, qui vi Regulæ, vel consuetudinis sacrificare tenentur, & tamen fructum Sacrificii applicare, cui volunt, possunt. igitur ex eo; quòd Beneficiatus certis diebus obligetur ad sacrificandum, non hoc ipso sequitur, quòd etiam obligetur ad Sacrificii fructum fundatoribus, vel aliis applicandum. 2. juxta dicta *numer.* 109. quando à Fundatore relicta Beneficiato est libera facultas applicandi fructum Beneficii, cui voluerit, potest ille stipendium accipere, etiam pro Missis, quas ex fundatione tenetur celebrare. atqui talis libertas censetur concessa in casu præsenti, quòd obligationem Fundator non expresserit. 3. applicatio fructus Sacrificii est res valde notabilis, speciali nota, & mentione digna, ab obligatione sacrificandi separabilis, & sæpe separata, & cùm exigitur, à Fundatoribus exprimi solet. atqui quæ talia sunt, casu, quo non exprimuntur, pro neglectis, & specialiter non intentis habentur juxta tritum illud, *Quod quis facilè exprimere potuisset, si voluisset, id, si non expressit, nec voluisse censendus est.* ergo &c.

114 Neque contrarium probant Argumenta *num.* 112. allata. *Ad* 1. has S. Congr. Declarationes imprimis præ oculis habuerunt, & ponderarunt plerique ex DD. *num. præc. cit.* præsertim Card. de Lugo, & Diana, & tamen iis nihil moti in ipsa Urbe, in S. Congr. & Ecclesiæ facie publicè, & sub Censura Apostolica editis Voluminibus sententiam nostram propugnarunt, imò Diana, ut vidimus, sententiam pristinam, qua stipendia tali casu recipi non posse docuit, mutare non dubitavit. igitur dicendum, præfatas Declarationes non loqui de casu præsentis dubii, sed de cæteris, quos *num.* 110. retuli. *Ad* 2. in hoc casu stipendium adhuc accipitur pro sustentatione: neque hanc receptionem prohibet, quòd talis Beneficiatus congruam sustentationem habeat ex Beneficio; nam etiam eam habent Clerici divites, & pingue Beneficium habentes sine obligatione sacrificandi, vel cum hoc onere, sed intentionis libertate sibi expresè relicta, qui tamen omnes sine Simoniaca, & alia iniquitate stipendium recipere ratione applicati fructus possunt. *Ad* 3. fructum applicando aliis in casu istius dubii Beneficiatus contra Justitiam nequaquam peccat, cùm loco, & tempore designatis celebrando impleat totum officium, Beneficio suo annexum, & correspondens: unde dicendum, tunc solùm ex Justitia applicandum Sacrificii fructum Fundatoribus esse, quando id Fundator expressit, vel rationabiliter præsumitur voluisse.

115 Quæritur 4. an idem Sacrificium, quod ex Charitate, vel Obedientia, aut præscripto Regulæ à Sacerdote Religioso fieri debet pro defuncto, accepto stipendio, applicari etiam possit pro vivo, exhibente stipendium? Affirmant complures teste Matthæucc. *Offic. Eccles. c.* 10. *num.* 51. 1. quia cùm triplex sit valor Sacrificii ex opere operato, ut dictum est *num.* 99. & applicatione unius non impediatur applicatio alterius, potest stipendium danti applicari valor medius, & specialissimus defuncto. 2. quia Sacrificium Missæ est impetratorium, & satisfactorium. igitur quatenus impetratorium, potest applicari uni, quatenus satisfactorium, alteri. 3. quia cùm valor Sacrificii istius sit infinitus, illud non minùs prodest singulis, quando offertur pro pluribus, quàm si offerretur pro uno.

116 Sed tenenda est sententia negativa. Ita Pont. *D.* 44. *q.* 13. *n.* 127. Herinx *tom.* 4. *D.* 8. *nu.* 88. Maur. *tom.* 3. *Theol. l.* 12. *q.* 207. *num.* 9. Matthæucc. *c.* 10. *cit. n.* 54. Ratio est; quia Sacrificium est ita debitum danti stipendium, ut pro alio quoad fructum medium sive ex Justitia, sive ex Obedientia applicari non possit; nam ille integrum Sacrificium petit, quantum ad eum fructum: & sic dum fructus iste applicatur etiam alteri, minus ille participat de tali fructu, quàm si pro eo tantùm singulariter offerretur; & ita neutri satisfit, quia inter eos fructus ille dividitur.

Neque obstant Argumenta pro adversa parte allata. *Ad* 1. fructus specialissimus affixus est personæ celebrantis, & idcirco in alterum transferri nequit: ac propterea Alexander VII. meritò damnavit errorem dicentium, quòd Sacerdos pro eadem Missa accipere possit duplicatum stipendium, applicando partem illam fructus debitam celebranti. *Ad* 2. dans stipendium pro Missa petit integrè Missam quoad fructum medium, quod non fieret, si pro alio applicaretur Sacrificium ut satisfactorium: & hinc *S. Congr. Conc.* 13. *Dec.* 1659. meritò prohibuit accipi pro eadem Missa duo stipendia, unum pro ea, ut est Sacrificium impetratorium, alterum pro illa, ut est satisfactorium. *Ad* 3. Valor Sacrificii istius infinitus quidem est in actu 1. non tamen in actu 2. sed effectum producit secundùm modum applicationis, prout dictum est *n.* 35.

Quæritur 5. an Sacerdos, præsertim pauper, pro una Missa, & applicatione fructus ex ea possit accipere plura stipendia, quæ simul sumpta congruæ sustentationis stipendium non excedunt? Affirmant Angel. *V. Missa n.* 52. Sot. *l.* 9. *de Just. q.* 3. *art.* 1. Can. *de Loc. Theol. l.* 12. *c.* 13. Henriq. *l.* 9. *c.* 22. *n.* 4. Rodriq. *Summ. tom.* 2. *c.* 252. *n.* 4. *concl.* 4. *ad fin.* Petr. Navar. *l.* 2. *de Rest. c.* 2. *n.* 433. & alii magni nominis TT. *Fundantur* 1. quia talia stipendia plura accipiens neminem defraudat, cùm Sacrificii fructus pluribus applicatus singulis non minùs prosit, quàm si ipsis solis applicaretur. 2. inique petit sacrificium integrum, qui dimidiatum tantùm stipendium dedit, sicut dominus, solvens mercedem dimidiam, iniquè petit servitium integrum. igitur sicut ejusmodi servus se indemnem præstare, & qua potest, via damnum sibi factum resarcire valet, ita etiam Sacerdos, quod facit accipiendo supplementum stipendii ab alio, & illi partem fructus applicando. 3. juxta *c. cùm secundum* 16. *de Præb.* qui servit Altari, etiam vivere de Altari, & accipere ab eo sustentationem debet. hanc autem non accipit, qui pro Sacrificio tantùm partem stipendii ad sustentationem sufficientis ab uno accipit. ergo ejus partem accipere ab alio, & Sacrificium ei quoque applicare potest.

Sed omnino dicendum, ejusmodi Sacerdotem non posse plura talia stipendia insufficientia pro una Missa accipere, sed teneri solventi stipendium dimidium applicare totum fructum Sacrificii. Ita Navar. *Man. c.* 25. *num.* 92. Bellarm. *l.* 2. *de Miss. c.* 4. *propos.* 4. Tolet. *l.* 2. *c.* 8. *n.* 3. Suar. *D.* 86. *sect.* 2. & 3. Vasq. *D.* 234. *c.* 4. Reginald. *prax. l.* 23. *n.* 234. & *l.* 29. *n.* 157. Conink *q.* 83. *num.* 192. Bubos. *de Offic. Episc. alleg.* 24. *n.* 5. Donat. *prax. Reg. tom.* 3. *tr.* 7. *q.* 54. Vviestner *hic n.* 44. & apud hos DD. alii magno numero congesti: & patet ex Declar. Cardd. Conc. Interpp. approbata per Urbanum VIII. & confirmata ab Innoc. XII. speciali *Const. edita* 10. *Cal. Jan.* 1697. ubi saluberrimè decretum est, *Ut cùm pro pluribus Missis celebrandis accepta sunt plura stipendia --- quantumcunque incongrua, & tenuia sint, ab una, vel pluribus personis collata, vel conferenda in futurum, tot Missæ celebrentur, quot præscriptæ fuerunt. Ratio est* 1. quia offerens stipendium minus ordinario, petensque Sacrificium sibi integrè applicari, intendit, ut Sacerdos defectum sibi remittat, & hoc facere Sacerdos tenetur, dum illud stipendium sibi collatum acceptat, & pacto ad Sacrificium faciendum se obligat. 2. Stipendio etiam tenui, & ad unius diei sustentationem non sufficiente Sacerdotibus abunde compensatur jactura temporis, quod Sacrificii celebratio absumit, ac proinde reliquum omne impendi ab ipsis valet aliis officiis, & functionibus, suppleri que ex illis defectus sustentationis plenæ. 3. Plurium, etiam tenuium, stipendiorum receptio sordium, & avaritiæ suspicionem, & scandalum præbet.

Argumenta contraria facilem responsionem habent. *Ad* 1. patet ex dictis *ad* 3. *n.* 117. Et hinc quia talis Sacerdos, pluribus idem Sacrificium pro pluribus stipendiis minutis applicans, pactum non implet, ita recipiendo, & applicando peccat contra Justitiam; consequenter ad restitutionem, quæ ex Justitia violata exurgit, obligabitur. *Ad* 2. etiam famulus, qui liberè pactus cum hero suo est mercedem minorem justo, petere ab illo, vel compensare sibi occultè defectum nequit; sibi enim imputet, quòd ita pactus cum hero sit. *Ad* 3. id verum est, nisi aliud Sacerdos pactus fuerit cum solvente stipendium, quod stipendium, etsi minus sit justo, considerata taxa stipendii per consuetudinem, vel legem facta, non tamen est minus labore extrinseco, qui à Sacerdote impenditur, & solus in pactum, & æstimationem venit.

Quæ-

121 Quæritur 6. an qui pro Missa abundantius stipendium accepit, possit ejus celebrationem alteri, justo stipendio exhibito, concedere, & residuum sibi reservare? Resp. cum distinctione; nam Parochi, & alii Beneficiati, qui ratione Capellaniæ, vel Beneficii ad plura Sacra legenda adstringuntur, istud possunt, ut post alios notat Sà *V. Missa n.* 45. Suar. *D.* 86. *sect.* 3. *circa fin.* Vasq. *D.* 234. *c.* 4. *post med.* Laym. *l.* 5. *tr.* 5. *c.* 1. *q.* 3. *concl.* 1. Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 24. *n.* 11. Bonac. *D.* 4. *de Sacram. q. ult. p.* 8. *n.* 18. Pal. *tr.* 22. *D. un. p.* 14. *n.* 9. Matthæucc. *Offic. Eccl. c.* 10. *n.* 29. *ad* 8. & teste P. Wiestner *hic n.* 46. cæteri melioris notæ DD. sicque respondit *S. Congr.* apud Matthæucc. *l. cit.* Ratio est, quia Parochi, & Beneficiati titulo Parochiæ, vel Beneficii constituuntur absolutè domini fructuum, & redditum, cons. satisfaciunt intentioni fundatorum, & officii sui, modò impleant onus Missarum stabiliter annexum Beneficio: hoc autem implent, si eas Missas per alium curent; quia nisi aliter Fundator disposuerit, liberum Beneficiato est illi oneri, vel per se, vel per alium satisfacere.

122 Contrà alii Sacerdotes (quod multo magis in Sacristis verum est) pro Sacro legendo minus stipendium, quàm ipsi pro eo acceperint, quando illud legendum dant alteri, non possunt dare, sed sine diminutione illud reddere eidem debent. Navar. *Man. c.* 25. *n.* 91. *vers.* 24. *peccat.* Laym. *c.* 1. *cit. n.* 14. Barbos. *n.* 11. *cum reliquis suprà*, & statuit *S. Congreg.* apud Barbos. *num.* 11. *cit. in fin.* & Matthæucc. *Offic. Eccl. c.* 10. *n.* 14. & 29. *ad* 10. estque confirmatum ab Innoc. XII. *Const. edita* 10. *Cal. Jan.* 1697. Ratio est, quia ita velle præsumuntur fideles sacrificanti stipendium amplius assignantes; præsumuntur enim hoc facere ea intentione, ut sacrificans ad majorem cooperationem, & accurationem suæ liberalitatis intuitu excitetur. *Extenditur* etiam ad Ecclesias, & alia loca pia; nam S. Congr. apud Matthæucc. *Offic. Eccl. c.* 10. *n.* 29. *ad* 7. respondit, *permittendum non esse, ut Ecclesiæ, ac loca pia, seu illorum Administratores ex Eleemosynis Missarum celebrandarum ullam utcunque minimam portionem retineant ratione expensarum, quas subeunt in Missarum celebratione, nisi cùm Ecclesiæ, & loca pia alios non habent redditus, quos in usum earundem expensarum erogare licitè possint; & tunc, quam portionem retinebunt, nullatenus debere excedere valorem expensarum, quæ pro ipsomet tantùm Missæ Sacrificio necessario subeundæ: & nihilominus eo etiam casu curandum esse, ut ex pecuniis, quæ supersunt, expensis, ut suprà, deductis, absolutè tot Missæ celebrentur, quot præscriptæ fuerint ab offerentibus Eleemosynas*: quod Decretum confirmatum est ab Innoc. XII. *Constit. edita* 10. *Cal. Jan.* 1697. Sed hinc ulteriùs.

123 Dubium oritur, an Sacerdos talis, reservans sibi partem stipendii, peccet mortaliter? Negant Bordon. *in Conf. Regul. resol.* 25. *n.* 28. quod probat 1. quia Constitutio, & Decretum *citt.* non damnant opinionem, quòd possit retineri pars stipendii, sed solùm prohibent usum illius. ergo cùm sit prohibitio de re aliàs licita, non infert peccatum mortale, atque adeo nec obligationem restituendi. 2. Quia in eo casu nemini infertur injuria: non ei, pro quo est celebrandum; quia pro ipso alius Sacerdos sacrificat: non celebranti: quia voluntariè accipit stipendium, quod ipsi offertur. 3. Quia esse potest, quòd materia non sit gravis, prout est in exemplo, cùm pro una Missa dati sunt crucigeri 30. & ex his accipiens sacrificanti dat. 20. ipse verò retinet 10.

124 Sed dicendum ejusmodi Sacerdotem peccare mortaliter. Ita docent Aversa *q.* 11. *de Euch. sect.* 17. *ad fin.* Lug. *de Sacram. l.* 5. *c.* 12. *q.* 7. *n.* 77. Peyrin. *tom.* 3. *de Privil. ad Constitut.* 9. *Urban. VIII.* Pignatell. *tom.* 4. *consult.* 227. *num.* 7. Matthæucc. *Offic. Eccles. cap.* 10. *num.* 48. & hoc teste respondit S. Congreg. *in Anconitan. Eleemosyn.* 5. *Jul.* 1664. Ratio est, quia prohibitio hæc gravis est tum ratione materiæ, tum ex intentione Ecclesiæ prohibentis: ex intentione quidem; quia Sancta Sedes intendit conservare Ecclesiæ Ministros in exhibendis SS. Mysteriis innoxios, & ab ipsis removere ea, quæ ipsorum candori repugnant, cujus generi est tale lucrum, quod mercaturam Ecclesiasticis indignam, præsefert: ratione materiæ verò, cùm illa materia gravis reputetur respectu prohibitionis, quæ graviter obstat fini intento. huic autem lucrum hoc adversatur, ut vidimus, & obligatio sub veniali tantùm non esset medium sufficiens ad lucrum hoc excludendum. ergo &c.

125 Imò ut contra Quattum *in Rubr. Missal. in append. q.* 4. *p.* 1. *diff.* 3. *dub.* 1. docent *citt.* Pignatellus, & Matthæuccius, peccatum hoc mortale non solùm est contra obedientiam, sed etiam contra Justitiam, & ideo consurgere obligationem restituendi, prout resolvit S. Congreg. *in Anconitan. cit.* Ratio, quia stipendium accipiens hoc acquirit sola ratione obligationis ad offerendum pro dante Sacrificium. ergo statim, ac ea obligatione se spoliat, se privat titulo retinendi stipendium, & retinendo facit contra voluntatem dantis (siquidem non dedit pro lucro non celebrantis, sed in mercedem celebrantis Missam) & contra jus, quod habet celebrans, quem proinde partem retinendo lædit, utpote in quem, dum in ipsum transtulit obligationem celebrandi, simul transtulit jus ad stipendium integrum.

Proceditque hoc, etsi stipendium, quod dat, adhuc in ea sit quantitate, in quali taxatum est Lege, vel consuetudine; nam etiam pinguem dans Eleemosynam, dat illam non intuitu amicitiæ, vel donationis, sed in mercedem laboris, & oneris, quod imponit ad celebrandum. igitur integra transit cum ipso onere ad eum, qui onus hoc suscipit, & implet: & hinc dum ei integra Eleemosyna non confertur, ipsi non datur totum, quod est ei de Jure debitum, & sic fit ipsi injuria. Pignatel. *l. cit. n.* 11. 126

Neque contrarium probant Argumenta allata. *Ad* 1. in *Decreto S. Congr.* & *Const. cit.* prohibetur non solùm opinionis contrariæ usus, sed ipsa opinio; dicitur enim retentio partis stipendii esse lucrum damnabile, adeoque per prohibitionem damnatum; si autem est damnabile, & damnatum, etiam injustum est. *Ad* 2. injuria fit utrique: celebranti quidem, quia, ut ostensum est, per translationem oneris translatum in ipsum est etiam jus accipiendi totum stipendium: petenti autem, ut celebretur; quia stipendium integrum non datur ei, cui ex ejus voluntate est dandum, cùm sit ei dandum, qui Missam celebrat, ad quem finem ipse primò dedit. *Ad* 3. licèt decem cruciferi per se non sint materia gravis, & notabilis, per accidens efficiuntur materia gravis, ratione nimirum Ecclesiæ intendentis, ne in mercaturam transferantur Spiritualia, & optantis bonæ suorum Ministrorum existimationi consulere. 127

Quæritur 7. an Missæ possint dici anticipato pro eo, qui primò stipendium dederit, vel quem Deus vidit primò daturum, vel sub conditione in futurum contingente, v. g. intendo celebrare pro eo, qui proximè mihi Eleemosynam largitus fuerit? Resp. non posse; sed tanquam periculosum, & scandalosum jussu Clem. VIII. & Decreto Pauli V. prohibitum est à S. Congr. 15. *Nov.* 1605. apud Laurent. de Peyrin. *tom.* 2. *privil. Minim. int. Const. Urbani VIII. n.* 9. Gavant. *ad Rubr. Missal. tom.* 1. *p.* 3. *tit.* 22. *à n.* 34. Lezan. *Summ. q. Regul. c.* 21. *n.* 7. Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 24. *n.* 12. Matthæucc. *Offic. Eccl. c.* 10. *num.* 4. Et meritò; nam 1. redolet nimiam cupiditatem lucri. 2. Par est, ut qui tradit Eleemosynam, sciat Missam pro se celebrandam, ut meliùs se disponere possit ad recipiendum fructum Sacrificii, qui potest esse major, vel minor juxta majorem, vel minorem dispositionem illius secundum dicta *n.* 35. 3. Sic homines retrahi possent ab Eleemosynis in futurum tradendis pro celebratione Missarum, dum facilè sibi persuaderent Sacerdotem accipere stipendium, & non persolvere onus, quod pro stipendio suscepit. 128

Excipit Barbos. *l. cit. n.* 14. casum, quando ex obligatione alicujus Capellæ quis tenetur Missas certas singulis hebdomadis celebrare, vel in posterum pro intentione certa; tunc enim concedit posse celebrare anticipatò, nisi aliud exprimatur in fundatione Capellaniæ, ex quo voluntas defuncti aliquo modo eludi videri posset. Consentiunt Petr. de Ledesma *in Summ. p.* 1. *de Sacr. Euchar. c.* 18. *concl.* 17. Rodriq. *in Summ. tom.* 1. *c.* 253. *concl.* 8. Reginald. *prax. l.* 23. *n.* 237. Dian. *p.* 1. *tr.* 14. *resp.* 16. & expressè in Capellano, quòd possit prævenire tempus celebrationis, resolvit Ricius *prax. decis.* 400. *edit.* 1. & *resol.* 338. *edit.* 2. 129

Quæritur 8. quot Missæ celebrari debeant, quando certus numerus est præscriptus à Fundatore, vel Benefactore? Resp. ex S. Congr. Decreto apud Matthæucc. *Offic. Eccl. c.* 10. *n.* 13. tot celebrandæ sunt, *quot ad rationem attributæ Eleemosynæ* (ab eam offerente, vel si hic numerum Missarum celebrandarum non præscripserit, ab Ordinario secundum morem Civitatis, vel Provinciæ, ut eadem Congr. apud *cit.* Matthæucc. *num.* 29. explicat) *præscriptæ fuerint, ita, ut alioquin ii, ad quos pertinet suæ obligationi non satisfaciant, quin imò graviter peccent, & ad restituendum teneantur.* Idque procedit, ut statuit eadem Congr. *Quantumcunque incongrua, & exigua stipendia sint*: & ut id deinceps obser- 130

vetur

vetur exactiùs, *revocat privilegia, & indulta omnia quibusvis personis, Ecclesiis, ac locis piis tam Sæcularibus, quàm Regularibus cujuscunque Ordinis, Congregationis, & Instituti, quamcunque ob causam concessa, quibus indulgetur, ut certarum Missarum, vel Anniversariorum celebratione, aut aliquibus Collectis, seu Orationibus plurium Missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat.*

131 Quæritur 9. intra quod tempus celebrandæ sint Missæ, pro quibus stipendium acceptum est? Resp. juxta *Const. Innoc. XII. cit.* §. 33. celebrandas *intra breve tempus moraliter. Dubium est*, quantum temporis hæc verba importent? Peyrin. *ad Const. 9. Urban. VIII.* ampliavit ad triennium; quidam ad biennium; Matthæucc. *Offic. Eccl. c.* 10. *n.* 47. judicat, cùm non eædem ubique concurrant circumstantiæ loci, temporis, & personarum, id esse judicio prudentum relinquendum, quod per illud *moraliter* significari videtur. Quodsi tamen quis stipendium tribuat, ut Missa celebretur pro infirmo, agonizante, vel pro expeditione certi negotii, quod moram non patitur, celebrari debet tempore congruo ad impetrandum à Deo auxilium in illis necessitatibus, adeo, ut sit mortale differre post mortem, vel causæ jacturam: quin imo in eo casu tenetur stipendium restituere, cùm mens dantis fuerit, ut celebretur antè, & non post. Matthæucc. *l. c. vers. sed hic nota.*

132 Quæritur 10. an Administratores Ecclesiæ magnæ devotionis, & concursus possint Eleemosynas pro Missis celebrandis accipere, si iisdem Missis nonnisi post longum tempus satisfacere valeant, ne aliàs Cultus Ecclesiæ, & devotio, ac concursus fidelium minuantur? Respondit *S. Congr.* apud Matthæucc. *Offic. Eccl. c.* 10. *n.* 29. *ad* 15. non posse, nisi de consensu eorum, qui Eleemosynas tribuunt: & confirmatum est ab Innoc. XII. *Const. cit.* Sed hinc quæres, an non hujusmodi Missæ, pro quibus celebrandis in certa Ecclesia stipendium obtulerunt fideles, celebrari possint in alia? Resp. nisi conferentes stipendia consentiant, non posse. Deducitur ex *Const. Innoc. XII. cit.* §. 26. ubi tam Sæculares, quàm Regulares Ecclesiarum Rectores prohibentur suscipere onera Missarum supra vires, & quarum satisfactioni impares sunt, & solùm debent recipere in eo numero, ut eis intra breve tempus moraliter satisfacere possint: quod repetitur §. 33. atqui hoc frustra prohibitum fuisset, si Missarum oneribus satisfieri in alia Ecclesia posset, & per alios quoscunque Sacerdotes. igitur mens Pontificis fuit, ut celebrentur in Ecclesia, & Altari electo. Et sic decrevit Sac. Congr. Conc. *in una Regularium* 17. *Aug.* 1647. apud Pignatell. *tom.* 1. *consult.* 275. *n.* 1.

133 Quæritur 11. cujus authoritate Missarum onera perpetua, relicta in certa Ecclesia, vel Capella transferri aliò possint? Resp. transferri aliò absolutè non posse, nisi de licentia Sedis Apostolicæ. Ita declaravit S. Congr. *in Brixiensi* 1. *Dec.* 1685. *ad tertium*; aliàs translatio nulla est, licèt fieret ab executoribus Testamentariis, nisi hi facultatem ejusmodi expressè haberent. Eadem S. Congr. *in Derthonensi* 17. *Jun.* 1701. Matthæucc. *Offic. Eccl. c.* 10. *n.* 46. *vers. cæterùm. Excipitur* 1. nisi locus determinatus pro his oneribus esset impeditus, vel Ecclesia diruta; tunc enim de licentia Episcopi in loco, quem iste destinaverit, Missæ hujusmodi celebrari poterunt, donec Ecclesia, vel locus pristinus reparetur. Ricc. *in prax. p.* 4. *resol.* 104. *per totam*, Gravant. *de Rubr. præcept. p.* 3. *tit.* 12. *n.* 3. Tondut. *tom.* 1. *qq. Benef. c.* 68. *n.* 11. *&* 12. Monacell. *p.* 2. *for. Eccl. tit.* 13. *form.* 2. *n.* 58. Matthæucc. *loc. cit. vers. ita dicendum. Excipitur* 2. si ipsa Ecclesia, Conventus, vel Monasterium translatum sit; tunc enim videndum est, an testator principaliter contemplatus sit locum, vel personam. Si locum principaliter respexit, in antiqua Ecclesia sunt celebrandæ: Si verò personas, onus transit cum eis ad novam Ecclesiam. Passerin. *de Stat. hom. tom.* 2. *q.* 187. *art.* 4. *n.* 1183. *& seqq.* Franc. *de Eccl. Cathedr. c.* 7. *num.* 82. *& seqq.* Tondut. *l. cit. c.* 43. *n.* 15. Monacell. *n.* 62. Matthæucc. *n.* 46. *cit. vers. an autem.*

134 Quæritur 12. an Episcopus possit compellere Regulares ad exhibendos libros Sacristiæ, in quibus annotantur celebrationes Missarum, ut inde constare possit de integra satisfactione obligationis debitæ ex Legato pio? Affirmant Mantiquez *p.* 1. *quæst. Vicarial. q.* 63. *n.* 6. Riccius *in pr. tit. Praxis Regularium resol.* 654. *n.* 7. Campanill. *in divers. Jur. Can. Rubr.* 12. *c.* 13. *n.* 30. *& seqq.* apud Pignatell. *tom.* 3. *consult.* 9. *n.* 7. *Fundantur* 1. quia agitur de operibus piis, & de executione ultimæ Voluntatis, ratione cujus neque Regulares eximuntur à potestate Episcopi, sed subsunt illius visitationi, & judicio ex dispositione Trid. *sess.* 22. *c.* 8. *&* 9. *de reform.* 2. *Clem. un. de Testam.* ubi Religiosi, deputati ad executionem ultimæ voluntatis, jubentur de hac locorum Ordinariis rationem reddere, & ipsis Ordinariis permittitur jus eam ab ipsis exigendi. 3. *Const. Innoc. XII. cit.* cujus §. 31. committitur Episcopis, ut invigilent super Missarum celebratione.

Sed tenenda est negativa cum Pignatell. *l. cit. n.* 8. 135
Pascucc. *de Miss. Sacrif. fol.* 46. *ad* 2. Matthæucc. *Offic. Eccl. c.* 10. *n.* 49. atque ita declaravit S. Congr. *in Urbinatensi* 10. *Mart.* 1663. *ad c.* 8. *cit. Trid.* statuendo, *Non posse* Episcopum *ad id compellere Regulares, si non habeat privilegium speciale*; quia habent suos Superiores, à quibus visitantur, & quibus in Visitatione, & alibi, quando petitur, rationes ejusmodi exhibere debent.

Neque obstat 1. Trid. quia ejusdem dispositio non 136
ampliatur ad Regulares, sed restringitur ad alia loca pia exempta, quorum nomine Regulares non veniunt, utpote qui specialiter exprimendi sunt, ut includantur in aliqua Constitutione, ut notat Pignat. *l. cit. num.* 9. *Ad* 2. *in Clem. cit.* sermo est de Religiosis, qui de licentia suorum Superiorum sunt Executores ultimarum Voluntatum, non verò de illis, qui ab Executoribus, ultimæ Voluntatis alicujus obligationem suscipiunt celebrandi Missas, quas ipsi Executores eis committunt. *Ad* 3. dispositio *Constit. cit.* currit quoad personas, & Ecclesias etiam exemptas, sed non quoad Regulares, ut suprà dictum est ad Trid. nam quoad Regulares *in cit. Const.* §. *seqq.* Pontifex conscientiam Superiorum Regularium quantum ad Decretorum observantiam onerat, & ipsos Regulares aliis pœnis submittit.

§. V.

De Missarum, & Officiorum Divinorum Reductione.

S U M M A R I U M.

137 *An onera Missarum maneant, si proventus pro iis assignati ex integro perierunt?*
138 *Quid si diminuti sint?*
139 *Respondetur tunc posse reduci ad minorem numerum.*
140 *Rationes decidendi.*
141 *An reductio hæc fieri possit à potestate Sæculari?*
142 *Defenditur negativa.*
143 *Objectiones solvuntur.*
144 *Quam potestatem circa hanc reductionem habeat Pontifex?*
145 *Quam Episcopi, & Prælati Regulares in Synodo, vel Capitulo Generali?*
146 *Quam extra Synodum?*
147 *An hujusmodi reductiones extra Synodum facere Episcopi possint nunc post Tridentinum? Sententia negans.*
148 *Sententia affirmans.*
149 *Resolvitur Quæstio.*
150 151 *Quid circa hoc possint alii Prælati?*
152 153 *Quibus casibus neque in Synodo, aut Capitulo Generali fieri possit reductio?*
154 *Pro reducendis oneribus Missarum impositis post Trid. recurrendum est ad Sedem Apostolicam.*
155 *Ubi Decretum S. Congr. usu receptum est.*
156 157 158 159 *Quomodo reductio hæc fieri debeat?*
160 161 162 *Quibus cautelis S. Congreg. prospexerit, ne hujusmodi reductiones nimis sæpe sint faciendæ?*
163 *An justa causa petendi reductionem sit, quando successu temporis lege vel consuetudine assignatum Missis est stipendium auctius?*
164 *An hoc casu hæres teneatur supplere defectum stipendii?*
165 *Respondetur non posse eum compelli.*
166 167 *An aucta re legata, pro Missarum onere relicta, etiam augendus sit Missarum numerus?*

QUæritur 1. an aliquando Missæ, & Officia Divina, quæ in certis Ecclesiis tam Sæcularibus, quàm Regularibus annuatim, vel singulis mensibus, aut hebdomadis pro Fundatoribus, vel Benefactoribus celebranda sunt, ad minorem numerum reduci valeant? Conveniunt satis DD. omitti illa posse, si certò constet, quòd ea, quæ pro istorum celebratione relicta sunt, nulla ipsius Ecclesiæ, vel Monasterii, aut Prælati, & Capituli sive Conventus culpa ex toto perierint, vel ablata, & aliò aversa sint, ac proinde illorum intuitu nihil omnino percipiatur. Ita Fraxinell. *de* 137

Oblig.

Oblig. Sacerd. §. 27. Ricc. *p.* 3. *prax. resol.* 364. *in fin.* Bordon. *p.* 1. *Conf. resol.* 25. *q.* 21. *n.* 31. Pellizar. *tom.* 1. *Man. Regul. tr.* 6. *c.* 3. *n.* 46. Donat. *prax. Regul. tom.* 3. *tr.* 7. *q.* 60. *n.* 1. Monacell. *q.* 2. *tit.* 13. *form.* 2. *num.* 56. sicque declaratum est à S. Congr. *in Foro Sempron.* 7. *Jun.* 1687. *ad* 5. & *in Monopolitan.* 8. *Aug.* 1705. apud eundem Monacell. *l. c.* Ratio est; quia Beneficium datur propter Officium *c. fin. de Rescript. in* 6. atque idcirco, cessante Beneficio, æquum est, ut etiam officium cesset *arg. c. cùm cessante* 60. *de appellat. Conf.* à pari cum Emphyteuta, & Conductore, qui liberatur à solutione Canonis, vel mercedis, si res locata, vel in Emphyteusim data ex toto sine ejus culpa perierit *c. propter sterilitatem* 3. *de Locat.*

138 *Dubium est*, an diminui, & ad minorem numerum reduci valeant Missæ, & Officia Divina, si pro iis relicta, non quidem ex toto perierint, sed cum tempore solummodo diminuta, & tenuia, atque ad eorum celebrationem insufficientia effecta sint? *Ratio dubitandi* est, quia defunctorum ultimæ Voluntates, quamdiu possunt, ad amussim observari debent, præsertim illæ, quarum observantiam hæres, aut legatarius in se recepit *can. ultima* 4. *caus.* 13. *q.* 2. *c. Antigonus* 1. & *c. qualiter* 3. *de pact.*

139 Sed dicendum, hoc casu Anniversaria, & Missas diminui, & ad minorem numerum reduci posse. Ita cum communi Ugolin. *de Offic. Episc. c.* 61. *n.* 1. Monet. *de Commut. ult. Volunt. c.* 5. *n.* 365. & 366. Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 29. *n.* 4. Gobat. *Exper. Theol. tr.* 3. *n.* 589. Wiest. *hic n.* 71. & 72. & indubitatè supponitur *Clem.* 2. *de Relig. Dom.* & observatur passim ab Episcopis, à Scientia, & conscientia commendatis.

Probatur 1. ex Trid. *sess.* 25. *c.* 4. *de reform.* ubi Sacra hæc Synodus Episcopis facultatem dat ad minorem numerum reducendi Missas, si pro iis per ultimam Voluntatem, aut etiam inter vivos donationem relicta adeo tenuia sint, ut non facilè inveniatur, qui huic se velit muneri subjicere, ut DD. qui *inc.* 4. *cit.* scripserunt, omnes observant. *Neque refert*, quòd eo loco S. Synodus exprese Missarum tantùm, & non Sacrificiorum meminerit; nam ut à S. Congr. declaratum testantur Ugolin. *c.* 61. *cit. n.* 1. *circ. mod.* Garc. *p.* 7. *de Benef. c.* 1. *num.* 131. Quarant. *Summ. Bullar. V. Missa*, Pax Jordan. *vol.* 1. *l.* 4. *tit.* 1. *num.* 577. Missarum nomine etiam Anniversaria, pro defunctorum animabus persolvenda, intelliguntur.

140 *Probatur* 2. Si proventus, à defunctis Benefactoribus relicti, ad Anniversaria, & Missas, omnino deficiant, illa omnino omitti possunt, ut dictum est *n.* 137. ergo si ita diminuantur proventus, ut ad eorum justam celebrationem omnino insufficientes sint, ad minorem numerum reduci, & diminui poterunt; quia idem Juris est de parte quoad partem, quod de toto quoad totum *l. quæ de tota* 76. *pr. ff. de R. V.* cùm pars ejusdem naturæ, & qualitatis sit, cujus est ipsum totum *l. si grege* 22. *ff. de Legat.* 1.

Probatur 3. quia mens Testatorum, & aliorum Benefactorum defunctorum, à quibus proventus illi relicti sunt, non videtur fuisse alia, quàm ut Anniversaria, & missæ juxta ipsorum præscriptum celebrentur, quamdiu rerum status, & circumstantiæ non mutantur, & quamdiu proventus ad ea relicti percipiuntur, ac sufficientes sunt, ne Ecclesia, eique inservientes Clerici, ac Religiosi indebite graventur.

Unde cadit Ratio dubitandi allata in oppositum; dicendum enim, ultimas Voluntates ad amussim servandas, quamdiu non casus incidit, quo præsumi rationabiliter potest, quòd defunctus ad observantiam eorum, quæ in ultima sua Voluntate præscripsit, noluerit se obligare, prout contingere dixi in Casu propositi dubii.

141 Quæritur 2. an ad Reductionem hoc casu faciendam opus sit potestate Ecclesiastica? Fagund. *de* 1. *Eccl. præc. l.* 3. *c.* 7. *n.* 16. & 17. existimat, Missas, in Testamentis, & in Capellæ Sæcularis fundatione relictas, ad minorem numerum reduci posse etiam per Gubernatores Urbium, & Consiliarios Regios. *Movetur* 1. quia hujusmodi Capellæ, & Anniversaria fuerunt à Sæcularibus personis, & de bonis Sæcularibus fundata. ergo tam ratione Fundatorum, quam bonorum sæculari subjiciuntur Jurisdictioni, & ad Magistratus sæculares pertinet ea gubernare. 2. ad Magistratum sæcularem pertinet procurare, ut subditorum ultimæ Voluntates ad executionem juste, & rationabiliter deducantur, atqui nequeunt sic deduci, nisi Missæ ad minorem numerum redigantur, & stipendium abundantius taxetur. 3. potest Magistratus Sæcularis subditorum suorum dispositiones, quæ successu temporis injustæ sunt redditæ, reformare. talis est obligatio ad antiqua Missarum onera, quando non amplius exrant antiqui redditus, pro iis oneribus sustinendis relicti.

Verùm, ut optimè advertit Pal. *tr.* 22. *D. un. p.* 15. *n.* 6. nullus alius Doctor Sæcularibus potestatibus eam taxationem, & reductionem permisit. Hinc cum eodem Palao, & aliis tenenda est negativa. *Ratio est*, quia potestas reducendi Missarum onera est Spiritualis tum ratione materiæ; concernit enim Sacrificium Missæ, & Divina Officia: tum ratione personæ; quia præcipuè afficit Sacerdotes, quibus stipendium ob Sacrificii celebrationem designatur. igitur ad potestates Sæculares, quibus quoad Spiritualia parendi potiùs, quàm imperandi necessitas est, reductio ista spectare non potest, sed ad Prælatos Ecclesiasticos, quibus etiam Trid. *sess.* 25. *c.* 4. *cit.* solis potestatem istam indulget. 142

Neque obstant Argumenta contraria. *Ad* 1. ex eo quòd hujusmodi Anniversaria fundata, & Capellæ erectæ sint ex bonis Sæcularibus, & à personis Sæcularibus, non bene infertur bonorum illorum dispositionem sæculari potestati subjici; alias eidem subjicerentur omnia ferè Beneficia. Non igitur considerari debet in hujusmodi bonis, unde, & à quo collata sint, sed an sub potestate sæculari manserint: quod in casu præsenti non fit, cum ipsa donatione Laicorum transierint in potestatem Ecclesiæ. *Ad* 2. Concedo totum: procurare autem hoc debent eo modo, quo illæsis Ecclesiæ Juribus possunt; quod facient, si petant, ut reductio fiat à Superiore Ecclesiastico. *Ad* 3. sicut designatio, quod sit justum stipendium, ita reductio non justi ad rationem justi stipendii ad Ecclesiam pertinet. 143

Quæritur 3. cujus Prælati Ecclesiastici authoritate fieri Missarum, & similium onerum reductio possit? Resp. 1. hanc reductionem indubitato potest facere Summus Pontifex, propter plenariam, & generalem potestatem disponendi de rebus, & bonis, salutem animarum spiritualem spectantibus, quæ eidem, tanquam Supremo Christi Domini in terris Vicario, competit *can. cuncta* 17. *caus.* 9. *q.* 3. *c. licet* 2. *de Præb. in* 6. & *Clem.* 2. *ut lit. pend.* saltem justa causa interveniente; alias ea reductio non cedet in DEI honorem, & cultum, & Ecclesiarum utilitatem. Imò casu, quo Pontifex, ob Paupertatem Sacerdotis, vel ob aliam causam, quæ sibi rationabilis visa fuerit, abundantius stipendium, quam alias æquitas, & justitia postulat, designat, & Missas ad minorem numerum reducit, ne aliquid fructus fundatoribus, & iis, pro quibus Missæ illæ offerri deberent, depereat, credendum est, eundem Pontificem ex thesauro Ecclesiæ offerre, & applicare tantum, quantum virtute Sacrificiorum alioquin debitorum obtinendum esset, ut bene ex sententia communi advertit Suar. *D.* 87. *in fin.* Henriq. *l.* 9. *c.* 12. Pal. *tr.* 22. *D. un. p.* 15. *n.* 2. 144

2 Eam reductionem, rationabili causa intercedente, facere possunt in Synodo Diœcesana Episcopi, & in suis Capitulis Generalibus Abbates, & Generales Ordinum, prout expresse ipsis concessit Trid. *sess.* 25. *c.* 4. *cit.* quod videret *in quibusdam Ecclesiis vel tam magnum Missarum celebrandarum numerum ex variis defunctorum relictis impositum esse, ut illis pro singulis diebus, à testatoribus præscriptis, nequeat satisfieri, vel Eleemosynam hujusmodi pro illis celebrandis adeo tenuem esse, ut non facile inveniatur, qui velit huic se muneri subjicere; & sic deperire testantium voluntates, & eorum conscientias, ad quos prædicta spectant onerandi occasionem dari*, ut loquitur S. Synodus. Voluit autem, ut hanc reductionem facerent, *re diligenter perspecta*, & tum demum *pro sua conscientia in prædictis Ecclesiis, quas hac provisione indigere cognoverint, statuerent circa hæc, quidquid magis ad DEI honorem, & cultum, atque Ecclesiarum utilitatem viderint expedire.* 145

3. Extra Synodum Diœcesanam iidem Episcopi etiam nunc post Trid. moderari onera Missarum possunt in triplici præcipue casu. 1. si onus Missarum reperiatur injunctum, & acceptum vigore Contractus, & reciprocæ stipulationis, & tractu temporis redditus, pro adimplemento oneris assignati, sine culpa assignatarii notabiliter diminuantur, ita, ut antiqua conventio, attento tempore præsenti, injusta, & læsiva efficiatur; nam tunc adiri Episcopus etiamnum potest, & ab eo peti, ad Justitiam, & æqualitatem reducat hujusmodi onera, Card. de Luca *de Decim. disc.* 3. *num.* 14. & *de Regal. disc.* 73. *n.* 5. Monacell. *p.* 2. *tit.* 16. *form.* 10. *n.* 17. & hoc teste *Rota coram Cerr. decis.* 593. *n.* 9. & *trib. seqq.* & respondit S. Congr. Concil. *in Æsima* 10. *Jul.* 1706. 2. Si Episcopus in ipsa oneris acceptatione inveniat reditus oneri Missarum juxta Regionis morem non correspondere. Monacell. *p.* 1. *tit.* 6. *form.* 9. *n.* 7. & aperte permittitur *in Decret. S. Congreg. jussu Urbani VIII.* edi- 146

edito, & hactenus sæpius *cit.* 3. quando testator, aut fundator in testamento, aut beneficii erectione Episcopo dedit facultatem reducendi onera Missarum ab ipso relicta ex causa sibi bene visa. Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 29. n. 17.* ubi Decretum S. Congr. super hoc allegat, Monacell. *l. cit. n. 9.* Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 10. num. 29.*

147 Quæritur 4. an Episcopi hanc reductionem facere nunc post Trid. possint universim extra Synodum Diœcesanam? Duæ sunt sententiæ. *Prima* extra casus *n. præc.* exceptos negat potestatem Episcopis extra Synodum Diœcesanam reducendi Missarum onera, sed pro iis moderandis ait recurrendum ad Sedem Apostolicam, & Sacram Congr. Concil. vel ab hac specialem licentiam impetrandam. Ita Donat. *prax. Regul. tom. 3. tr. 7. q. 55. num. 2.* & alii complures, qui post Trid. scripsere. Argumentum ducunt ex ipso Trid. quod *c. 4. cit.* potestatem Missas reducendi Episcopis concedit in Synodo, igitur extra hanc ipsis negare censetur, quod oppositorum unius assumptio alterius sit exclusio *arg. c. nonne 5. de præsumpt.* & *l. si inter 15. ff. de Except. rei jud.* junct. Gloss. *in Clem. 2. V. directe de Testib. & Attest.*

148 *Altera sententia* cum Navar. *Man. c. 25. n. 138.* Monet. *de commut. ult. Vol. c. 5. n. 372. & duob. seqq.* Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 29. n. 15.* Pal. *tr. 13. D. 1. p. 6. n. 24.* & *tr. 22. D. un. p. 15. num. 4.* & aliis affirmat etiam nunc Episcopos reducere onera Missarum, & Anniversariorum ex causa extra Synodum Diœcesanam posse. *Rationem dant;* quia Episcopis potestas hæc competebat jam ante Trid. per *c. ex parte 12. de Constit.* & *Clem. 2. de Relig. Domib.* quam potestatem existimant nec sublatam, nec restrictam esse per Trid. sed tantum ad majorem Juris observantiam adjectum, ut fiat reductio in Synodo Diœcesana, non quòd hoc ad valorem illius necessarium, sed quòd utilius, & securius sit.

149 Ego cum P. Wiestner colendissimo Antecessore, & Professore meo p. m. *n. 81. hic* utrique sententiæ aliquid tribuo, & secundam procedere existimo in iis Provinciis, ubi Synodi Diœcesanæ nunquam, aut rarissime habentur, prout fit in Germania nostra; nam ita declarat praxis, & consuetudo apud Gobat *tr. 3. n. 591.* ubi notat, inter facultates, quas Vicario suo Generali Episcopus Constantiensis ex *Const. Synodal. p. 1. tit. 9. n. 21.* concedit, etiam esse potestatem *in Anniversariis, vel Beneficiorum fundationibus Missarum, vel etiam Præbendarum numerum augendi, vel minuendi.* Contra in iis Provinciis, in quibus Trid. Decreta quoad annuam Synodi celebrationem *sess. 24. c. 2. de reform.* præceptam usu observantur, cum Garc. *p. 7. de Benef. c. 1. n. 134.* Fagund. *de præc. Eccl. l. 3. c. 7. à n. 12.* Bonacin. *de Sacram. D. 4. q. ult. p. 7. §. 2. n. 9.* & AA. primæ sententiæ nego ab Episcopis extra Synodum Missarum, & Anniversariorum onera reduci posse.

150 Quæritur 5. an reductio hæc fieri possit etiam à Prælatis Ecclesiarum & Monasteriorum Episcopo inferioribus? Resp. distinguendo inter Prælatos, qui certum territorium habent, in quo Jurisdictionem quasi Episcopalem in Clerum, ac populum exercent, & inter cæteros, qui certum territorium Jurisdictioni suæ Spirituali subjectum nullum habent. *Priores* circa reductionem facere possunt, quod Episcopi; quia quoad ea, quæ Jurisdictionis sunt, Episcopis æquiparantur.

151 *Posterioribus* reductio duntaxat concessa est in Capitulo, seu Congregatione Generali, ut liquet ex Trid. *sess. 25. c. 4. cit.* extra quod proinde facultas ista ab ipsis exerceri nequit. Garc. *p. 7. de Benef. c. 1. n. 128.* Moneta *de Commut. ult. Vol. c. 5. n. 566.* Mirand. *tom. 1. Man. Prælat. q. 4. art. 24.* Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 29. n. 15.* Pal. *tr. 22. D. un. p. 15. n. 3.* Wiestner *hic n. 78.* idque ob triplicem rationem. 1. quia talis reductio est quædam species commutationis ultimarum Voluntatum, quam facere Prælati Regulares, Jurisdictionem quasi Episcopalem non obtinentes, non possunt, ut *arg. Clem. 2. de Relig. Dom.* tradunt Rodriq. *tom. 2. Regul. q. 125. art. 9. & 10.* Sorbus *Compend. privil. Minor. V. commutare*, Monet. *l. cit. n. 566.* 2. Prælati Regulares potestatem reducendi Missas non habuerunt ante Trid. ut Episcopi, sed primùm ex Decreto istius Synodi illam obtinuerunt. ergo non habent illam, nisi cum limitatione ibidem addita, ut eam faciant *in suis Capitulis Generalibus*. 3. sic Prælati authoritatem præstarent in negotio proprio, sive se, suamque Ecclesiam, & utilitatem concernente, quod Jura specialiter reprobant *c. fin. de Instit. Clem. 2. de reb. Eccl. non alien. l. quanquam 1.* & *l. pupillus 5. ff. de Auth. & consens. tutor.*

152 Quæritur 6. quibus casibus neque in Diœcesana Synodo Episcopi, & in Capitulis suis Generalibus Prælati Regulares reductionem Missarum, & Anniversariorum facere possint? Resp. tres casus à DD. enumerantur. 1. si pro hujusmodi Anniversariis, & Missis relicta sint bona immobilia, quæ annuos fructus, vel Census producant, vel pro hujusmodi bonis coemendis data sit certa, & sufficiens summa pecuniæ, & bona illa à Prælato cum consensu Capituli distracta, ac pretium ex iis redactum, vel pecunia pro talibus bonis coemendis data in Monasterii, vel Ecclesiæ usus expensa sit; nam ita alienando, & pecuniam expendendo Ecclesia ipsa censetur subiisse onus substituendi necessaria pro Anniversario perpetuò celebrando. Accedit, quia reductio Missarum solummodo fieri potest, quando diminuti sunt ita redditus, ut pro hujusmodi Missis debitè celebrandis sint insufficientes. atqui istud in casu præsenti non contingit; nam bona illa, & pecuniæ æquivalenter censentur extare, dum in Ecclesiæ, vel Monasterii utilitatem conversa sunt.

2 Si hujusmodi onera, & obligationes Ecclesiis, 153 Monasteriis, Capellis, Altaribus ab eorum Fundatoribus in ipso Fundationis limine sint imposita; quia Trid. dum *c. 4. cit.* reductionem permittit, solùm loquitur de relictis à Testatore, vel alio Benefactore extra Fundationem: quoad onera autem, & qualitates in fundatione adjectas *sess. 25. cit. c. 5. pr. de reform.* apertè vetat iis quacunque dispositione superveniente derogari. Ugolin. *de Offic. Episc. c. 61. n. 1. fin.* Monet. *de commut. ult. Vol. c. 5. n. 376.* Garc. *p. 7. de Benef. c. 1. num. 131.* Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 29. n. 12. & 13.* Pal. *tr. 22. D. un. p. 15. n. 4.* Leuren. *p. 1. for. Benef. q. 105.* & his testibus declaratum est à *S. Congr.*

3 Si hujusmodi onera ultima Voluntate, aut quavis 154 alia dispositione Ecclesiis, Monasteriis, Capellis, Altaribus imposita sint post Trid. nam pro horum reductione, uti etiam pro reductione illorum, quæ imposita sunt in limine fundationis recurrendum est ad Sedem Apostolicam, prout decrevit S. Congr. authoritate ab Urbano VIII. accepta, Declaratione super hoc specialiter edita 21. *Jun.* 1625. ubi directè vetuit, *Ne Episcopi in Diœcesana Synodo, aut Generales in Capitulis Generalibus, vel aliàs quoquo modo reducant onera ulla Missarum celebrandarum, aut post idem Concilium* (Tridentinum) *imposita, aut in limine fundationis, sed pro his omnibus reducendis, aut moderandis, vel commutandis ad Apostolicam Sedem recurratur, qua re diligenter perspecta, id statuet, quod magis in Domino expedire judicabitur; alioquin reductiones, moderationes, & commutationes hujusmodi, si quas contra hujus prohibitionis formam fieri contigerit, omnino nullas, atque inanes decernit.*

Procedit autem hoc, ubi Decretum hoc S. Congr. est 155 usu integrè receptum; nam alicubi eidem consuetudine derogatum est, testibus Garc. *p. 7. de Benef. c. 1. n. 136.* Pal. *tr. 22. D. un. p. 15. n. 4.* Wiest. *hic n. 83.* præsertim in Germania, prout observat P. Gobat *Exper. Theol. tr. 3. n. 591.* Sufficit autem ad derogandum hujusmodi Declarationibus, sicut in aliis Legibus, probabilius decennium, ut dictum est *Lib. 1. tit. 4. n. 9.* In his ergo locis, ubi Decreto huic, & aliis statuentibus, ut recurratur ad Sedem Apostolicam, consuetudine contraria derogatum est, potestate sibi concessa Episcopi saltem in Synodo Diœcesana, & Generales Ordinum in Capitulis suis Generalibus uti possunt, & reducere onera Missarum tam ante, quàm post Trid. imposita; quia dispositio Concilii generaliter, & absolutè loquitur. Possevin. *c. 2. n. 25. q. 9.* Mirand. *Man. Prælat. tom. 1. q. 41. art. 12.* Nald. *in Summ. V. Missa numer. 9.* Garc. *p. 7. de Benef. c. 1. n. 132.* Barbos. *de Offic. Episc. alleg. 29. n. 5.* Dian. *p. 8. tr. 4. resol. 2.* Pal. *tr. 22. D. un. p. 15. n. 4. vers. sed an.*

Quæritur 7. quomodo hæc Anniversariorum, Missa- 156 rum, & Officiorum Divinorum reductio fieri possit? Resp. 1. necessarium est, ut redditus pro his relicti sint admodum tenues, & pro iis debitè celebrandis insufficientes; nam si hodiedum sufficientes sunt, indubitatum est, immutationem fieri sola Authoritate Apostolica posse, & hac non interveniente, sine ulla diminutione vel reductione celebranda esse Anniversaria, & Missas, prout in ultima Voluntate, aut Fundatione præscriptum est. Colligitur ex Trid. *sess. 25. c. 4. sæpius cit.* ubi Episcopis, & Prælatis Regularibus concedit potestatem hujusmodi onera reducendi, quando *Eleemosyna pro illis celebrandis adeo tenuis est, ut non facilè inveniatur, qui velit huic se muneri subjicere.* igitur censetur hanc potestatem iisdem negasse, quando proventus ad ea debitè peragenda sufficientes hodiedum sunt.

2 Licet, cùm tenuitas proventuum ita exigit; duo, 157 tria, aut plura Anniversaria conjungi possint, aut uni alteri adjungi, monet tamen S. Synodus Trid. *c. 4. cit. in fin.*

in fin. ut omnium Benefactorum, quorum Anniversaria, vel Missæ adjunctæ, vel conjunctæ aliis sunt, in his commemoratio fiat. Satisfit autem huic commemorationi, si per Collectas, vel preces, quæ in secundo *Memento* offeruntur, Missas hujusmodi pro iisdem celebrans applicet, prout notant Ugolin. *de Offic. Episc. c.* 61. *num.* 1. Manet. *de commut. ult. Vol. c.* 5. *n.* 375. Barbos. *ad c.* 4. *Trid. cit. n.* 13. Pal. *tr.* 22. *D. un. p.* 15. *n.* 4. *vers. monet*.

158 3 Ejusmodi Anniversaria reduci possent in totidem Missas, vel in unum, alterumque Anniversarium, aut Missam singulis mensibus, aut hebdomadis legendam pro Benefactoribus, pro quibus Anniversaria, & Missæ pristinæ celebrabantur. Ugolin. *num.* 1. *cit.* Monet. *n.* 307. *& seq.* Barbos. *n.* 4. Wiestner *n.* 76. quod probatur ex verbis Trid. *l. cit.* ubi Episcopis concessit, ut possint *pro sua conscientia --- statuere circa hæc, quidquid magis ad DEI honorem, & cultum, atque Ecclesiarum utilitatem viderint expedire.*

159 4 Alia Officia Divina potiùs in Missas, quàm hæ in illa sunt commutanda, ut salubriter monet Monet. *l. cit. n.* 369. & teste Fagnan. *in c. ex parte* 12. *de Constit. n.* 34. approbatum est à *S. Congr.* quia Sacrificia Missæ; utpote quæ vim habent ex opere operato, plus prosunt animabus in Purgatorio detentis quàm alia Divina Officia, & pia opera, ut cum *S.* Thom. *in* 4. *dist.* 45. *q.* 2. *quæst.* 2. unanimiter docent TT. & innuit Trid. *sess.* 25. *in Decret. de Purgat.* ubi animas huc detentas ait *potissimùm Sacrificiis juvari*.

160 Quæritur 8. quibus cautelis *S.* Congr. prospexerit periculo, ne hujusmodi reductiones nimis sæpe sint faciendæ? Resp. ut periculum istud tollat, S. Congr. *in Decret. sæpius allegato* statuit 1. *ut pecuniæ, & bona mobilia, cum onere perpetuo Missarum celebrandarum data, ab iis, ad quos pertinet, sub pœna Interdicti ab ingressu Ecclesiæ ipso facto incurrenda à die realis acquisitionis statim deponantur penes Ædem sacram, vel personam fide, & facultatibus idoneam, ad effectum illa, seu illorum pretium quamprimum investiendi in bonis immobilibus fructiferis, cum expressa, & individua mentione oneris, quod illis annexum reperitur. Ac si eadem bona immobilia authoritate Apostolica deinceps alienari contigerit, eorumdem pretium, sed eadem pœna, ut supra, deponi, atque in aliis bonis stabilibus itidem fructiferis, cum ejusdem repetitione, atque annexione converti debeat.*

161 2. Insuper decernit, *Ne imposterum onera perpetua Missarum celebrandarum suscipiant, sæculares quidem sine consensu Episcopi, vel ejus Generalis Vicarii, Regulares verò sine Generalis, vel Provincialis consensu, & licentia in scriptis, & gratis concedenda; alioquin Sæcularis, qui hujusmodi prohibitionis transgressor extiterit, ab ingressu Ecclesiæ interdictus sit eo ipso; Regularis verò pœnam privationis omnium Officiorum, quæ tunc obtinebit, ac perpetuæ inhabilitatis ad alia de cætero obtinenda, vocisque activæ, & passivæ absque alia declaratione incurrat.*

162 3. Præcipit, *Ut Episcopus, seu ejus Vicarius, aut Generalis, vel Provincialis, ubi de licentia pro perpetuis oneribus fuerint requisiti, --- non antea assensum hujusmodi, ac licentiam præbeant, quam ei legitimè constiterit.* (talis Ecclesiæ, Monasterii &c.) *Sacerdotes tam novo oneri suscipiendo, quam antiquis jam susceptis satisfacere posse; præcipuamque rationem habeant, ut redditus, qui Ecclesiis, vel locis piis relinquuntur, omnino respondeant oneribus adjunctis secundum morem cujusque Civitatis, vel Provinciæ.*

163 Quæritur 9. an justa causa petendi reductionem oneris Missarum sit, quando contingit stipendium illatum lege, vel consuetudine augeri, & annui redditus legati, ad illum effectum relicti, licèt nullo modo diminuti sint, non tamen correspondent justo stipendio tunc currenti? Resp. affirmativè, nisi hæredes ex bonis hæreditatis supplere velint defectum. Ita Pellizar. *tom.* 1. *Man. tr.* 6. *c.* 3. *q.* 18. *n.* 42. Donat. *tom.* 3. *prax. Regul. tr.* 7. *q.* 62. & alii ab his *citt.*

164 An verò eo casu hæres teneatur supplere defectum mercedis, controversum est apud DD. Affirmant, data tamen capacitate hæreditatis, M. Ant. Genuens. *in Practicab. Eccl. q.* 180. Homobon. *de Exam. Eccl. p.* 1. *tr.* 4. *c.* 13. *q.* 118. Riccius *prax. p.* 3. 4. *resol.* 364. *num.* 3. Dian. *p.* 1. *tr.* 14. *resol.* 17. Barb. *de Offic. Episc. alleg.* 29. *n.* 7. tum quia testator non reliquit pecuniam simpliciter pro Eleemosyna solvenda sine onere, sed pro Missis celebrandis pro anima sua, quam præsumitur magis amare, quàm hæredem; tum etiam, quia eo tempore, quo dictam Eleemosynam legavit, præstabatur minor merces pro Missis celebrandis, quam si prævidisset augendam, non ideo diminuisset Missarum numerum, sed stipem auxisset, sicque respondisset, si de hoc interrogatus fuisset.

Sed non minùs probabiliter respondent Fraxinell. *de Oblig. Sacerd.* §. 24. *n.* 2. *& tribus seqq.* Pellizar. *tom.* 1. *Man. Regul. tr.* 6. *q.* 18. *n.* 45. Donat. *tom.* 3. *prax. Regul. tr.* 7. *q.* 62. *n.* 3. non posse hæredem ad hoc compelli. 1. quia alioquin sæpe sæpius insurgerent odiosæ, ac perpetuæ lites inter hæredes, & Sacerdotes, quibus hujusmodi onera Missarum incumbunt, cum non mediocri animorum inquietudine. 2. quia testatores communiter curant gravare suos hæredes, quàm minimùm possunt, adeoque non est ita certum, quòd possit præsumi, mentem illorum fuisse, ut aucto per temporis decursum Missæ stipendio, hæredes tenerentur ad auctoria stipendia. 3. quia hac tempestate hæredes conveniunt cum Sacerdotibus de stipendio currente tempore conventionis, & consf. vigore hujus pacti, nullum Jus videntur Sacerdotes habere ad augmentum salarii. Quare si tali casu Ecclesia hujusmodi oneribus præter intentionem gravatam sese sentiret, recurrere debebit ad authoritatem Superioris, & petere ab eo reductionem; quod medium innuit Trid. *sess.* 25. *c.* 4. *cit.* dum ibi sic gravatos remittit ad Episcopos, ut onera moderentur, non ad hæredes, ut defectum stipendii suppleant. 165

Quæritur 10. an aucta re legata pro Missarum onere relicta, etiam augendus sit Missarum numerus? Resp. cum Pelliz. *to.* 1. *Man. tr.* 6. *c.* 3. *q.* 17. *n.* 41. Donat. *Prax. Reg. to.* 3. *tr.* 7. *q.* 61. & aliis distinguendo. Nam si augmentum tale non provenit ex re ipsa simpliciter, sed ex industria, labore, & expensis eorum, quibus illa cum eo onere relicta est, cum augmentum hoc potius sit præmium laboris, ac fructus industriæ, non debet inducere obligationem majoris oneris. 166

Secus, si dictum augmentum procedat ex aliquo casu fortuito, ut si fundus assignatus pro Missis notabiliter augeatur ex alluvione fluminis &c. tunc enim augeri deberet etiam Missarum numerus in utilitatem animæ testatoris; tum ex *c. fin. de V. S.* ubi dicitur, quod si fructus Præbendarum creverint, debeat augmentum converti *in utilitatem Ecclesiæ*, h. e. ut Glossa exponit, in pias causas, qualis in nostro casu est, si augeatur numerus Missarum in refrigerium animæ testatoris; tum verò quia contrariorum eadem est disciplina, idemque operatur oppositum in opposito, quod propositum in proposito: sicut ergo diminutis stipendiis, minuitur Missarum numerus per reductionem à Superiore factam, ita aucta re legata, æquum est, ut augeatur, cum commodum ab incommodo reguletur, *l. secundum naturam* 19. *ff. de R. J.* 167

TITULUS XLII.

De Baptismo, & ejus Effectu.

SUMMARIUM.

1 *Quotuplex sit Baptismus?*
2 *Definitio Baptismi Fluminis.*
3 *Institutus à Christo est.*
4 *Probabilius ante Passionem, & Mortem suam.*
5 *Solvuntur Argumenta contraria.*
6 *Institutio hæc facta est, vel cum Christus baptizatus fuit in Jordane.*
7 *Vel paulò postea.*
8 *Parvulis necessarius est in re, extra Martyrium.*
9 *Adultis saltem in Voto, si copia ejus suscipiendi non sit.*
10 *Adulti tenentur illum suscipere, quamprimum commode possunt.*
11 *Et in parvulis non diu debet differri.*
12 *Materia ejus remota est aqua naturalis.*
13 *Proxima ablutio.*
14 *Trina, vel unica pro Ecclesiæ cujusque consuetudine.*
15 *Ablui debet pars aliqua principalis si potest.*
16 17 18 19 *Sufficit immersio etiam sine emersione.*
20 21 22 *Vicino, & desperato partu, Baptismus administrari potest infanti nondum edito in lucem.*
23 *Forma Baptismi.*
24 *Necessario in hac exprimenda.*
25 26 27 *Inter hæc est expressa invocatio SS. Trinitatis.*
28 29 30 *Non confertur valide sub hac forma.* Ego te Baptizo in nomine Genitoris, Geniti, & Procedentis ab utroque.
31 *Subjectum Baptismi est homo viator non baptizatus.*
32 33 *Utrum Monstra baptizari possint?*
34 35 *Utrum amentes?*

1 POst Sacramentum omnium maximè venerabile ponitur Sacramentum omnium maximè necessarium, qui est Baptismus. Hic latè acceptus triplex dividitur, Baptismus aquæ, flaminis, & Sanguinis: ex his solus Baptismus aquæ est Sacramentum, cujus defectum cæteri duntaxat supplent, ille ex opere operantis tantùm, quatenus est Votum Baptismi, iste verò etiam ex opere operato, ut communiter SS. PP. & TT. omnes agnoscunt. Horum traditionem exactiorem remitto ad TT. De Baptismo aquæ pauca, eaque, quæ propinquiùs Jus Sacrum spectant, tractabo.

2 Quæritur 1. de Essentia, Institutione, & Necessitate Baptismi. *Et* 1. *quidem dubitatur*, quid sit *Baptismus? Resp. Baptismus* Græcum nomen *Ablutionem* significat. Prout hic sumitur, definitur à *Catechism. Roman. p.* 2. *c.* 2. quòd sit *Sacramentum regenerationis per aquam in verbo vitæ*. Ubi nomen *Sacramenti* locum generis tenet, *Regeneratio* autem differentiæ; nam id proprium Baptismi est, quod homini primam Spiritualem vitam conferat juxta illud *Joan.* 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto*, h. e. nisi quis postquam semel corporaliter natus est in peccato, denuo nascatur per aquam, & Spiritus Sancti virtutem, *non potest introire in Regnum DEI.* Ad majorem autem declarationem additur in definitione tum materia Sacramenti *per aquam*, tum forma *in verbo*; utraque enim per DEI virtutem Spiritualem effectum conferunt, convenienter Apostolo *Ephes.* 5. ibi, *Mundans* Ecclesiam *lavacro aquæ in verbo vitæ*. Et S. August. *tr.* 80. *in Joan.* relatus *can. detrahe* 54. *caus.* 1. *quæst.* 1. *Detrahe*, inquit, *verbum, & quid est aqua, nisi aqua? Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum: unde ista tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat, nisi faciente verbo?*

3 Dub. 2. à quo, & quando institutum sit hoc Sacramentum? Fide certum est, illud, ut cætera Sacramenta, immediate institutum esse à Christo Trid. *sess.* 7. *can.* 1. *Controversia* inter DD. est de tempore; nam gravissimi DD. volunt institutum esse post Resurrectionem, quando Christus Apostolis dixit, *Docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Ita expresse Tertullian. *l. de Baptis. c.* 11. *num.* 86. Rupert. *l.* 4. *in Joan. c.* 3. Chrysost. *hom.* 28. *in Joan.* Theophylact. *in illa verba*, Post hæc venit JESUS *Joan.* 3. Leo I. *in Epist.* 4. *Decretal. ad Episcopos Siciliæ c.* 3. & probabile reputat Canus *l.* 8. *de Locis c.* 5. §. *quare si longiorem. Fundantur* 1. quia nuspiam legitur Christus expressisse formam Baptismi, nisi post resurrectionem. 2. Si ante resurrectionem institutus fuisset Baptismus, tunc Christus, sicut Apostolis dedit virtutem ejiciendi Dæmonia, & curandi infirmos, *Luc.* 10. ita etiam dedisset iisdem potestatem baptizandi in nomine SS. Trinitatis. hanc autem non ante, sed post resurrectionem iis dedisse legitur. ergo &c. 3. per Baptismum confertur Spiritus Sanctus, sed hic ante resurrectionem non fuit collatus juxta illud Evangelistæ, *Nondum erat Spiritus Sanctus datus; quia JESUS nondum erat glorificatus*, Joan. 7. *v.* 19. 4. Teste Joann. *c.* 4. Christus Dominus non per se, sed per Discipulos suos baptizabat. atqui expressionis istius alia causa rationabilis assignari non potest, nisi quòd Discipuli ejus baptizaverint Baptismo Joannis, cujus usus Christum non decebat. 5. Baptismus januam Regni cœlestis aperit. atqui hæc aperta non fuit, nisi post Passionem Salvatoris. ergo &c.

Sed longè communior, & verior sententia docet 4
Baptismum à Christo institutum ante mortem suam. Ita Cyrill. *l.* 2. *in Joan. c.* 6. Nazianz. *orat.* 39. August. *tr.* 13. & 15. *in Joan. c.* 57. *S. Thom. in* 4. *dist.* 3. *q.* 1. *art.* 5. Suar. *D.* 19. *sect.* 1. *concl.* 1. Vasq. *D.* 140. *c.* 3. Conink *q.* 66. *art.* 2. Bonacin. *D.* 2. *de Baptism. q.* 2. *p.* 1. Laym. *l.* 5. *tr.* 2. *c.* 2. *n.* 1. Pal. *tr.* 19. *D. un. p.* 2. *n.* 2. *Probatur.* Christus ante passionem suam baptizavit, ut legitur *Joan.* 3. *v.* 22. scilicet non per seipsum, sed per Discipulos suos, ut explicatur *Joan.* 4. *v.* 2. at non est credibile, quod hic Baptismus, quem jubente Salvatore administrarunt Discipuli, fuerit solùm Baptismus Joannis; nam si hic tantum ab ipsis administratus fuisset, Discipuli Joannis non habuissent causam conquerendi, quòd Discipuli Christi baptizarent, sed potiùs gratulandi sibi, quòd sui Magistri Baptismus à Christo, & ejus Discipulis approbaretur. igitur dicendum, quòd baptizaverint Baptismo à Christo instituto, prout ipse Joannes indicat, dum se *in aqua*, Christum verò *in Spiritu S. & igni*, eo scilicet, quo in Lege nova utimur, & gratia sanctificans confertur, baptizaturum prædixit. *Matt.* 4. *v.* 12. & *Joan.* 1. *v.* 33. *Conf.* ante Passionem Christi institutum est Eucharistiæ Sacramentum, & Discipulis ministratum, ipsique Discipuli ordinati Sacerdotes cum potestate conficiendi Sacramentum Corporis, & Sanguinis Christi. at non est credibile priùs Eucharistiam participasse, & Ordinis Sacramentum percepisse, quàm Baptismum; cùm Baptismus omnium Sacramentorum janua sit, & initium; fingere autem, quòd Christus in hac parte dispensaverit cum Apostolis, incongruum videtur, cùm nulla sit fictionis ipsius necessitas, vel fundamentum. ergo &c.

Neque contrarium probant Argumenta *n.* 3. allata, 5
Ad 1. hoc ipso, quòd, ut in Probatione dictum est, Discipuli contulerint Baptismum Christi, debuerunt etiam fuisse instructi circa formam illius: unde dicendum, quòd post Resurrectionem suam Christus Baptismi formam publicarit solemniter, ut omnibus constaret, ab eo tempore Baptismum, sub invocatione expressa SS. Trinitatis collatum, esse medium ad salutem necessarium, illiusque Mysterii notitiam omnes habere debere. *Ad* 2. quòd Christus *Luc.* 10. Baptismi mentionem non fecerit, ideo factum est, quia paulò antè data Discipulis fuit potestas baptizandi, & ideo opus non erat eam repetere. Deinde quia non passim omnes baptizandi erant, sed qui in Christum crederent, quos sciebat ante ejus mortem non ita multos futuros esse. *Ad* 3. ante Resurrectionem non fuit collatus Spiritus S. forma visibili, & abundantiori, fuit tamen datus invisibiliter; aliàs Mariæ Magdalenæ non fuissent remissa peccata, neque Eucharistia conferens gratiam instituta. *Ad* 4. responsio patet ex probatione. *Ad* 5. Baptismus, etiam ante Resurrectionem collatus, fuit janua Regni cœlorum, quia contulit gratiam sanctificantem, quo jus conferebatur ad illud, non quidem statim possidendum à moriente, sed ordinatione Divina differendum eò usque, donec Christus plenè, & integrè debitum humanæ naturæ persolveret.

Dub. 3. quo tempore ante mortem Christi fuerit institutus Baptismus? Resp. hoc incertissimum esse; nam S. 6
Thom. *q.* 66. *art.* 2. Sayr. *de Sacram. l.* 2. *c.* 2. *q.* 3. *art.* 1. Bonacin. *D.* 2. *de Baptism. q.* 2. *p.* 1. *n.* 2. cum *SS. Ambros. August. Hieron. Nazianz. Damasc. & aliis* apud Vasq. *D.* 140. *c.* 6. putant institutum eo die, quo Christus Dominus in Jordane Baptizatus fuit à Joanne, cui sententiæ etiam adhæret Pal. *tr.* 19. *D. un. p.* 2. *n.* 5. ob authoritatem PP. affirmantium eo Baptismo aquas sanctificatas, & consecratas esse in lavacrum peccatorum nostrorum, præcipuè cùm paulò post Discipuli Christi baptizarent non Baptismo Joannis, ut probatum est, sed Christi Baptismo; neque appareat, quo tempore illius institutio facta fuerit.

Contrà alii cum Scot. *in* 4. *dist.* 3. *q.* 4. Gabr. *q. un. art.* 7
3. *dub. ult.* Conink *q.* 66. *art.* 2. *n.* 14. Laym. *l.* 5. *tr.* 2. *c.* 2. *n.* 2. *fin.* quibus non dissentit Suar. *D.* 19. *sect.* 2. *circa fin.* censent baptismum fuisse institutum à Christo aliquot dies, postquam à Joanne baptizatus fuit, tum scilicet quando Discipulos collegit, & eosdem ad baptizandum misit *Joan.* 3. Nituntur præcipuè, quia ex omnibus, quæ ibi contigerunt, colligi nequit, quòd Baptismus eo tempore institutus fuerit, sed ad summum, quod institutio ejusdem ibi adumbrata, & præfigurata fuerit; nam Baptismi institutio formaliter importat, quòd Christus perpetua Lege statuerit illius materiam, & for-

& formam, ut ſignum gratiæ ſanctificantis, atqui ex eo, quòd ipſe baptizatus fuerit, non infertur hanc Legem tuliſſe, neque ex eo, quòd Pater æternus illum ſuum eſſe Filium publicaverit, & Spiritus S. in columbæ ſpecie apparuerit; quia hæc omnia ſolùm deſignant Sacramenti formam, non conſtituunt, cùm contingere potuerint, quin eſſet aliqua Sacramenti inſtitutio.

8 Dub. 4. an, & qua ratione Baptiſmus ſit hominibus in nova Lege ad ſalutem neceſſarius? Reſp. eſt neceſſarius omnibus præcepto Divino, & de neceſſitate medii, tam parvulis, quam adultis, ſed diverſo modo; nam parvulis, extra caſum Martyrii, neceſſarius ad ſalutem eſt Baptiſmus in re ſuſceptus, prout definitum eſt à Concil. Milevit. *relato can. placuit* 153. *de conſecr. diſt.* 4. ab Innoc. III. *c. majores* 4. *h. tit.* & clarius à Trid. *ſeſſ.* 5. *Decr. de peccat. Orig. n.* 4. & *ſeſſ.* 7. *can.* 5. *de Baptiſm.* & conſentiunt SS. PP. præcipuè August. *tum alibi*, tum *l.* 3. *de anima c.* 9. ubi, *Noli*, inquit, *credere*, *noli dicere*, *infantes*, *antequam baptizentur*, *morte præventos pervenire poſſe ad originalium indulgentiam peccatorum*, *ſi vis eſſe Catholicus*. Ratio eſt; quia ut declaravit Servator *Joan.* 3. *v.* 5. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua*, & *Spiritu S. non poteſt introire in Regnum DEI*. parvuli autem poſſunt intrare in Regnum DEI; quia *talium eſt Regnum cælorum*. Matth. 19. *v.* 16. Marc. 10. *v.* 15. Luc. 18. *v.* 16. intrare autem non poſſunt, niſi ante purgati fuerint à peccato originali, quod apud ipſos, extra Martyrium, fieri duntaxat poteſt per Baptiſmum in re ſuſceptum, cùm Voti ejuſdem capaces non ſint. ergo &c.

9 Contrà adultis ratione utentibus, ſi Baptiſmi reipſa ſuſcipiendi non habeant copiam, vel baptizatos ſe, cùm revera non ſint, bona fide credant, ad æternam ſalutem conſequendam ejus ſuſcipiendi Votum ſufficit, prout non obſcurè deciſum eſt à Trid. *ſeſſ.* 6. *c.* 4. *de Juſtificat.* ubi definitur, quod *Translatio in ſtatum gratiæ poſt Evangelium promulgatum ſine lavacro regenerationis*, *aut ejus voto fieri non poſſit*. Ratio clara eſt; cùm enim quis ante Baptiſmum ſuſceptum, eliciendo actum Contritionis, ſeu Dilectionis DEI ſuper omnia gratiam conſequi valeat, ut ſi poſt ejuſmodi actum moriatur, ad vitam æternam perveniat *cap. debitum* 4. *h. tit.* & *c. Apoſtolicam* 2. *de Presbyt. non baptiz.* & in ejuſmodi Contritionis, ac Dilectionis actu contineatur votum ſervandi omnia Divina præcepta, ac proin etiam ſuſcipiendi Baptiſmum, ſequitur Baptiſmum reipſa ſuſceptum adultis, ejus ſuſcipiendi copiam non habentibus, vel bona fide exiſtimantibus legitimè ſuſceptum eſſe, ſimpliciter non eſſe neceſſarium ita docent S. Ambroſ. *Orat. de Obit. Valentinian. Imp.* Auguſt. *l.* 4. *de Baptiſm. c.* 22. & *l.* 8. *de Civit.* Bernard. *Epiſt.* 77. *ad Hug. de S. Victor.* Laym. *l.* 5. *tr.* 2. *c.* 6. *n.* 6. *Concl.* 2. Pal. *tr.* 19. *D. un. p.* 8. *num.* 2. Vvieſt. *tit. de Presbyt. non baptiz. n.* 2.

10 Dub. 5. quo tempore hoc Sacramentum miniſtrari parvulis, & ſuſcipi ab adultis debeat? Reſp. adulti, ſi in Fide ſufficienter instructi ſint, Divino Chriſti præcepto obligantur ad Sacramentum Baptiſmi ſuſcipiendum, quamprimum commodè poſſunt, ut ex *Clemente Romano*, *Baſil. Nazianz. Chryſoſt. Niceta*, & *aliis* firmant Vaſq. *D.* 149. *cap.* 4. Conink *quæſt.* 68. *articul.* 3. *dub. un. concl.* 1. *numer.* 37. Suar. *D.* 31. *ſect.* 2. Laym. *lib.* 5. *tractat.* 2. *capitul.* 6. *num.* 8. Pal. *tract.* 19. *D. un. part.* 8. *numer.* 5. Ratio eſt; quia per Baptiſmum homo profitetur Fidem, & fit membrum Eccleſiæ, ergo ſicut homo ſtatim tenetur profiteri Fidem, & fieri membrum veræ Eccleſiæ, ita tenetur ſtatim ſuſcipere Baptiſmum. *Neque obſtat*, quòd olim tam in Occidente, quàm in Oriente multi Baptiſmi ſuſceptionem uſque ad ætatem maturiorem, vel etiam mortis periculum diſtulerint; dicendum enim id vel fuiſſe factum ex cauſa rationabili, vel ſi talis non adfuit ex indiſcreto Zelo, orto tum ex reverentia nimia Sacramenti, tum ex timore, ne poſt gratiam Baptiſmi ſuſceptam relapſus in Peccatum contingat, quem proinde Zelum cùm reprehenderint Patres, Baſil. *hom. exhortat. ad Baptiſm.* Nazianz. *orat.* 40. *in Sanctum Baptiſma*, Chryſoſt. *hom.* 1. *in Acta*, & *hom.* 13. *in Epiſt. ad Hebr.* nos imitari non debemus. *Item non obſtat*, quòd olim certa tempora, videlicet Vigilia Paſchatis, & Pentecoſtes, deſtinata fuerint, quibus ſolis Sacrum Baptiſma conferri oportebat, niſi mortis periculum urgeret, prout conſtat ex *can. duo tempora* 12. *de conſecr. diſt.* 4. nam cùm paulatim creſceret credentium populus, & occaſio miniſtrandi Baptiſmum, ac variæ contingerent occaſiones mortis, viſum fuit Prælatis Eccleſiæ, abrogato allegato Decreto, miniſtrationem Baptiſmi permittere pro omni tempore, ut notat Laym. *l. cit. verſ. adde*.

Quoad infantes conveniunt DD. quòd eorum Parentes, & alii, qui curam illorum gerunt, ſub gravi culpa præcepto Eccleſiæ non ſcripto, ſed conſuetudine introducto, obligentur, ne differant diu filiis parvulis Baptiſmum, licèt nullum mortis eorum periculum ſit; quia alienum à pietate parentum, & charitate eſt diu conſervare filios mancipia Diaboli, cùm facilè poſſint illos conſtituere membra Chriſti, & Regni cœleſtis hæredes. Quodſi ipſi parentes, vel tutores negligentes fuerint, Paſtores Eccleſiæ ratione officii obligantur illorum negligentiam emendare, & ſuam in ea re authoritatem interponere. Ita ex communi Suar. *D.* 25. *ſect.* 2. §. *ultimò*, Laym. *l.* 5. *tr.* 2. *c.* 6. *num.* 8. *concl.* 2. Pal. *tr.* 19. *D. un. p.* 8. *n.* 4. Quæ autem diuturna ſit dilatio, ut ad peccatum mortale conſtituendum ſufficiat, prædicti DD. cum Henriq. *l.* 2. *c.* 4. *n.* 3. relinquunt prudentis viri judicio. Advertit tamen cum aliis Laym. *num.* 9. ſi ex aliqua cauſa ſolemnis Baptiſmus differri ſoleat, eo caſu non oportere privatim baptizare infantem, & intermiſſas ceremonias poſtea adhibere; id enim licitum non eſt extra caſum neceſſitatis, qualis ordinariè non eſt, etſi per unum, aut ſeſqui menſem exſpectandum ſit, donec cum decente ſolemnitate Baptiſmus infanti conferri poſſit, quanquam tanta dilatio non niſi ex gravi cauſa fieri debeat, & tunc advigilare oportebit infanti, ne ex ingruente aliqua infirmitate ſine Baptiſmo decedat. 11

Quæritur 2. quæ ſit *Materia* Baptiſmi? Reſp. Materia Baptiſmi duplex eſt, remota, & proxima. Et hinc 12

Dub. 1. quæ ſit *Materia remota* Baptiſmi? Reſp. eſt omnis, & ſola aqua Elementaris, ſeu naturalis apta ad abluendum, ut patet ex perpetua traditione, & praxi Eccleſiæ, definitionibus Concil. Florent. Later. & Trid. *ſeſſ.* 7. *can.* 2. *de Baptiſm.* ipſiſque Chriſti verbis, *Niſi quis renatus fuerit* & *c. Joan.* 2. *Ex quo infertur*, ea certitudine liquorem aliquem eſſe materiam validam Baptiſmi, qua retinet nomen, & rationem aquæ naturalis, & uſualis. Certò valet aqua fontana, marina, fluviatilis, pluvialis; item ex rore, pruina, nive, glacie, grandine eliquata, etſi ſapore, calore, mixtione ſalis, ſulphuris, & aliorum mineralium accidentaliter differant. Dubia eſt, & ideo non niſi in caſu extremæ neceſſitatis adhibenda aqua ex ſale reſoluto, proflua ex vite, ex floribus, arboribus, herbis per diſtillationem expreſſa, juſculum, lixivium, cereviſia &c. quibus Pal. *tr.* 19. *D. un. p.* 3. *num.* 2. etiam annumerat ſalivam; ſed *cap. non ut* 5. *h. tit.* dicitur haud dubiè invalida, uti etiam plerique ſentiunt de ſudore, lachrymis &c. Ipſa etiam aqua naturalis debet eſſe apta ad abluendum: & hinc apta materia non eſt aqua conſtricta in glaciem, vel nivem, niſi antea reſolvatur. Suar. *D.* 20. *ſect.* 2. §. *atque hinc obiter*, Conink *q.* 66. *art.* 4. *num.* 27. Bonacin. *D.* 2. *q.* 2. *p.* 3. *n.* 6. Laym. *l.* 5. *tr.* 2. *c.* 3. *n.* 1. *concl.* 2. *coroll.* 1. Pal. *tr.* 19. *D. un. p.* 3. *n.* 3. Gonz. *in c.* 5. *h. t. num.* 2. Scamb. *hìc n.* 17. Vvieſtn. *ibid. n.* 2.

Dub. 2. quæ ſit *Materia proxima* Baptiſmi? Reſp. 13
eſt ablutio per aquam juxta illud, *Mundans lavacro aquæ* Epheſ. 5. *v.* 26. quia per formam hujus Sacramenti proximè ſignificatur, & determinatur ad ablutionem animæ. De hac, ſicut de Materia remota, dicendum eam eſſe certam, vel dubiam, prout aliqua actio certò, vel probabiliter ablutio dicitur. Intelligitur autem nomine *Ablutionis* contactus ſucceſſivus aquæ, qui activè procedat à Miniſtro baptizante, & paſſivè, ſeu terminativè ſubſiſtat in baptizato. Ex communi TT. cum S. Thom. *q.* 66. *art.* 7. validè fieri poteſt per immerſionem, infuſionem, & aſperſionem, ſi hæc notabilis ſit, & cum ſucceſſivo aquæ allapſu: & hoc tertio modo fortaſſe collatus Bapiſmus fuit *Act.* 2. & 4. cùm uno die trina hominum millia, alio 5000. Sacro Fonte abluti ſunt. *Ratio eſt*; quia quocunque ex his tribus modo ablutio fiat, verè quis ablutus cenſetur. Ut tamen licitè miniſtretur, ſervanda eſt Eccleſiæ Diœceſanæ conſuetudo; nam in aliquibus Eccleſiis adeſt conſuetudo baptizandi per immerſionem, in aliis per infuſionem. Non tamen caret probabilitate peccatum mortale non eſſe, ſed veniale tantùm baptizare per infuſionem, quamvis conſuetudo ſit, ut per immerſionem conficiatur Baptiſma, quòd mutatio hæc levis ſit, nec aliena ab uſu Romanæ Eccleſiæ. Pal. *tr.* 19. *D. un. p.* 4. *n.* 2.

Dub. 3. an trina debeat eſſe ablutio, an unica ſufficiat? *Rationem dubitandi* facit *can. ſiquis Presbyter* 79. *de conſecr. diſt.* 4. ubi jubetur deponi Presbyter, 14
qui

qui semel tantum mergat in Baptismale, & *can. multi* 82. *ead. dist.* ubi trina mersio dicitur *Evangelicum praeceptum*. *Sed dicendum* esse in arbitrio Ecclesiae, an trinam, vel unicam ablutionem adhibere velit, prout indicavit S. Gregorius *l.* 1. *Epist.* 41. *ad S. Leandr.* his verbis, *Reprehensibile esse nullatenus potest, infantem in Baptismate vel ter, vel semel immergere, quando & in tribus mersionibus Personarum Trinitas, & in una potesi Divinitatis singularitas designari*, prout refertur *can. de trina* 80. *dist. cit.* Unde cujusque Provinciae, vel Ecclesiae consuetudo est observanda, ut insinuatur *can. cit.* & advertit Abb. *in c.* 1. *hoc tit. n.* 4. Laym. *l.* 5. *tr.* 2. *c.* 3. *num.* 4. *vers. quare*, Barbos. *in c.* 1. *h. tit. num.* 5. Vallens. *hic.* §. 1. *num.* 4. *vers. ablutio*. Pirh. *n.* 1. *not.* 2. Scambog. *n.* 21. Vviestn. *n.* 4. Neque contrarium evincunt textus in contrarium allegati; nam in priore illorum solum damnatur error conferentium Baptisma una mersione non SS. Trinitatis, sed Mortis Christi expressa mentione; in posteriore innuitur esse Traditionem Apostolicam, quae ut alii Ecclesiae Canones, & consuetudines mutationem admittunt *arg. c. Alma* 24. *pr. de sent. Excomm. in* 6. Gonzal. *in c. cit. n.* 1. Vviest. *l. cit.*

15 Dub. 4. in qua parte corporis debeat fieri ablutio, ut validè conferatur Baptismus? Resp. etsi omnino deceat prae caeteris membris ablui caput, utpote quae est praecipua pars hominis, in qua viget omnis sensus, communis tamen DD. sententia est, quòd sufficiat, si in Baptismo abluatur etiam alia pars principalis, uti sunt scapulae, humeri, pectus, brachia &c. An ablutione manus, pedis, aut alterius similis partis, vel capillorum, & pellis secundinae solius validè administretur Baptismus, dubium est; nam aliqui cum Henriq. *l.* 2. *c.* 7. *num.* 2. *& c.* 21. *num.* 4. Vasq. *D.* 145. *num.* 4. *&c.* volunt sufficere, si conferatur in quacunque etiam minima parte sensibili, & vel unius guttae aspersione; alii contrà cum Conink *q.* 66. *art.* 7. *dub.* 2. Toler. *l.* 2. *c.* 18. Bonacin. *D.* 2. *q.* 2. *p.* 3. *n.* 24. Laym. *l.* 5. *tr.* 2. *c.* 3. *concl.* 2. *coroll.* 8. Pal. *tr.* 19. *D. un. p.* 4. *num.* 5. & communiori DD. negant valiturum, nisi fiat in parte aliqua hominis principali. Hinc licèt cum aliter non potest, licitè in tali parte conferatur, repeti tamen, periculo sublato, sub conditione debebit ob probabilitatem sententiae negantis 5. *c. de quibus* 2. *h. tit.* Laym. *num.* 3. *vers. verum*, Pal. *num.* 8. Gonzal. *in c.* 5. *h. tit. num.* 3. Scamb. *num.* 24. Vviestn. *hic num.* 5. Imò ut etiam in capite, scapulis &c. validè administretur, satis non est ex probabiliore sententia, ut ea quavis etiam minima particula aquae attingatur, sed exigitur, ut ea quantitate saltem modica immediatè, & contactu successivo tangantur, cùm sine hoc baptizatus, seu lotus propriè non dicatur. Suar. *in* 3. *p. D.* 20. *sect.* 2. §. *deinde*, Pal. *l. cit. num.* 6. Zoes. *hic n.* 4. Scamb. *num.* 26. Konig. *num.* 8. Vviest. *num.* 6. Hinc pro praxi Konig. *hic num.* 11. *fin.* monet Parochos, & alios Ministros Baptismi, ut pueros satis crinitos sollicitè abluant, ne aqua solum crines tangat, non itidem & caput, cùm vel crines non sint pars hominis, vel saltem de eo sit fundatum dubium.

16 Dub. 5. an sufficiat immersio absque emersione, ut si infans projiciatur in flumen, & ejus aquis suffocetur, aut si abluatur aqua fervida, & sic occidatur? *Certum est*, sic illicitè conferri Baptismum, & committi peccatum grave homicidii, quamvis alia via infanti ministrari Baptismus non possit, & timeatur statim moriturus; quia ea immersio aequè per se, & directè tendit ad occisionem, ac ad infantis ablutionem, imò potiùs ad ablutionem per accidens dirigitur ex sola intentione mergentis, ad occisionem autem per se, & directè. Et hinc disparitas est inter hunc casum, & illum, quo oppugnans civitatem bellicum tormentum explodit in locum, ubi scit consistere innocentem, aut cum fugiens mortem sibi imminentem, puerum in via positum pedibus equi conculcat, nam in his duobus casibus mors innocentis solum per accidens conjuncta est cum explosione tormenti, & fuga, in nostro autem casu per se, & directè sequitur. Suar. *D.* 20. *sect.* 3. Vasq. *D.* 145. *c.* 3. *in fin.* Coninch *q.* 66. *art.* 7. *dub.* 1. *n.* 75. Laym. *l.* 5. *tr.* 2. *c.* 3. *n.* 5. Pal. *tr.* 19. *D. un. p.* 4. *n.* 12.

17 *Controversia est*, an validè sic conferatur Baptismus? Negant Scot. *in* 4. *dist.* 5. *q.* 3. Sylv. *V. Baptismus* 4. *n.* 8. Tabien. *V. eod.* 5. *n.* 7. Armill. *num.* 29. Tolet. *l.* 2. *c.* 18. *n.* 9. & alii plures apud Laym. *l.* 5. *tr.* 2. *c.* 3. *n.* 5. *concl.* 2. Pal. *p.* 4. *cit. n.* 9.

Fundantur 1. quia ea immersio non est vera ablutio, de cujus ratione esse videtur, ut in aquam immersum ex ea educas. 2. quia solum significat Christi mortem, non instar veri Baptismi, etiam Resurrectionem, *can. de trina* 80. *de consecr. dist.* 4. 3. quia illa immersio potius ad vitam homini tollendam refertur, cum tamen Baptismus ex propria institutione tendat ad vitam ei conferendam.

Sed communius validè conferri hoc modo Baptismum affirmant Abb. *in c.* 1. *h. tit. n.* 4. Gabr. *in* 4. *q.* 2. *art.* 3. *dub.* 4. Suar. *D.* 20. *sect.* 3. *vers. quapropter*, Vasq. *D.* 145. *c.* 3. *n.* 19. Coninch *q.* 66. *art.* 7. *dub.* 1. *n.* 68. Bonacin. *D.* 2. *q.* 2. *p.* 3. *n.* 27. Laym. *l.* 5. *tract.* 2. *c.* 3. *num.* 5. Zoes. *hic num.* 5. Schambog *num.* 23. Vviest. *num.* 7. 18

Ratio est; quia haec immersio, cum per eam infans tangatur motu successivo, est vera ablutio, quae proxima hujus Sacramenti materia est, ad spiritualem animae vitam ordinata: igitur modò accedat intentio, & forma debita, ad substantiam Baptismi nihil deest. *Conf.* Si infans in aquam immersus post prolatam verborum formam è Ministri manibus laberetur, & suffocaretur aquis, nemo diceret eam mersionem non esse veram lotionem sufficientem ad conficiendum Baptismum: sed intentio eductionis mersionem non immutat: igitur talis erit etiam mersio sine animo educendi.

Ad Argumenta contraria facilis est responsio. *Ad* 1. etsi eductio cum ablutione communiter conjuncta sit, non tamen pertinet ad essentiam ablutionis, ut ex modò dictis patet. *Ad* 2. haec immersio adhuc repraesentat Resurrectionem Christi, cum etiam per illam homo, peccato mortuus, Christo vivere incipiat, & vetere Adam sepulto, inducat novum. *Ad* 3. Baptismus vivificat animam per gratiam, & Charitatem, cui vitae non obstat corporalis vitae privatio, quae ex prava Ministri intentione succedit. 19

Dub. 6. An validè baptizetur infans nondum in lucem editus? Convenit inter DD. baptizandum illum, saltem si pars aliqua corporis extra uterum extendatur. 20

Diffident inter se, an casu, quo intra uterum totus continetur, aqua per fistulam, vel aliud instrumentum infusa in uterum, perfici Baptismus possit? Negant Mayron. *in* 4. *dist.* 2. *q.* 1. §. *sed occurrit*. Richard. *ibid. dist.* 6. *art.* 1. *q.* 1. Henriq. *l. de Baptism. c.* 21. *n.* 2. *lit. M.* Graff. *p.* 2. *decis. l.* 1. *c.* 3. *n.* 31. cum *S. August. S. Thom. S. Anton. S. Bonav. & aliis*, quos refert Comitol. *l.* 1. *respons. mor. q.* 13. Fundantur 1. textu *can. qui in maternis* 115. *de consecr. dist.* 4. ibi, *Qui natus adhuc secundùm Adam non est, renasci secundum Christum non potest; neque enim dici regeneratio in eo poterit, quem generatio non praecessit*. 2. *Missal. Rom.* quod vetat *in utero matris clausum baptizari*. 3. *ratione*; quia non apparet, qua ratione perfici ablutio, sive aqua immediatè, & successivè pertingere ad foetum valeat, in utero tot involucris, & secundinis circumseptum.

Sed dicendum, vicino, & desperato partu, etiam hanc Baptismi administrationem fieri posse, licèt casu, quo post talem Baptismum infans salvus editus fuerit, repetendus Baptismus sit. Ita Victoria *summ. tit. de Baptism. n.* 32. Gabr. *in* 4. *dist.* 4. *q.* 2. *artic.* 3. *dub.* 2. Vivald. *de modo baptismi n.* 16. *vers. si autem puer*, Chapeauvill. *de mod. ministr. Sacr. temp. pest. c.* 2. *q.* 10. Laym. *l.* 5. *tr.* 2. *cap.* 3. *n.* 2. *fin.* Bonac. *de bapt. D.* 2. *q.* 2. *p.* 3. *n.* 25. Dian. *p.* 2. *tr.* 15. *res.* 43. Pignatell. *tom.* 1. *consult.* 153. *n.* 6. Vviest. *hic num.* 10. *Ratio est*, quia etiam infans in utero est subjectum hujus Sacramenti capax, cum sit homo non baptizatus. Sufficiet ergo, si eidem debito modo applicetur materia Baptismi cum forma. 21

Neque contrarium probant Argumenta opposita. *Ad* 1. imprimis textus ille Canonicam authoritatem non habet, cum non sit alicujus Concilii, vel Rescripti Apostolici: deinde infans in utero jam dici potest in Adam natus; quia jam contraxit peccatum Originale. *Ad* 2. Missale Romanum intelligi potest, & debet de foetu nondum editioni vicino, non verò de eo, qui huic jam vicinus egredi nititur. *Ad* 3. fatetur *Comitolus*, se ab expertissima obstetrice accepisse, quòd infans partui vicinus uteri ostium soleat aperire, ut aqua infusa ad eum pertinere, ejusque corpus manibus tangi possit, ut adeo non appareat, quare non valeat, & in necessitate debeat baptizari, cum in eo articulo adhibendum sit omne medium probabile ad salvandam vitam spiritualem infantis. 22

Quaeritur 3. quae sit Forma Baptismi? Resp. Forma, qua utitur Ecclesia Latina, haec est, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, quibus 23

bus ex conſuetudine ſubjungitur *Amen*. Græcæ Eccleſiæ quæ *baptizatur*, *vel*, ut alii exponunt, *baptizetur ſervus Chriſti in nomine Patris &c.* Utramque legitimam eſſe certum eſt; ſuam enim Latina ab antiquiſſimis temporibus accepit, collegitque ex verbis Chriſti *Matth. ult.* ibi *baptizantes eos in nomine Patris &c.* Græca verò etiam ante Schiſma, non improbante Latina, uſurpavit ſuam. Debet autem hæc Forma retineri, & adhiberi invariata quoad ſubſtantiam; nam quævis immutatio ſubſtantialis Baptiſmum reddit invalidum. Accidit autem mutatio ſubſtantialis Formæ tunc, quando aliquid in ea non exprimitur, quod in eadem eſſentialiter, & ex inſtitutione Chriſti eſt exprimendum: contrà accidentalis ſolùm cenſetur, quando tantum fit vocum tranſpoſitio, manente eodem ſenſu, ut ſi baptizans dicat, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti ego te baptizo*. Secus verò Pal. *tr.* 19. *D. un. p.* 5. *num.* 17. *verſ. quando*, ſubſtantialem judicat, ſiquis diceret, *Ego te baptizo in nomine Spiritus ſancti, Patris, & Filii*; quia ſignificat Spiritum S. eſſe Patris, & Filii principium, cùm tamen ab his procedat.

24 Dub. 1. Quænam in Forma Baptiſmi ſint exprimenda, ut Baptiſmus validè conferatur? Reſp. prout indicat *Flor.* & conſentiunt DD. quatuor ſunt exprimenda. 1. Perſona baptizans tum principalis, quæ ſignificatur in voce *Filii*, tum Miniſtri, quæ tamen ſatis exprimitur per Verbum *Baptizo*, etiam omiſſo pronomine; & in Forma Græcorum per paſſivum *Baptizetur*, ſcilicèt *à me*, exteriore actione verborum ſenſum determinante. Sot. *in* 4. *diſt.* 3. *q. un. art.* 5. Suar. *in* 3. *p. D.* 21. *ſect.* 2. *concl.* 2. Laym. *l.* 5. *tr.* 2. *c.* 4. *n.* 2. *verſ. quare*. Pal. *tr.* 19. *D. un. p.* 5. *num.* 3. Vvieſt. *hic n.* 14.

2 Perſona baptizanda, quod Latini faciunt per particulam *Te*, Græci per vocem *Servus Chriſti*: Cujus ratio eſt, ut appareat diſcretio perſonarum inter baptizantem, & baptizatum, cum nemo baptizari valeat à ſeipſo. S. Th. *q.* 66. *art.* 5. Henriq. *l.* 2. *c.* 8. *n.* 4. Bonac. *D.* 2. *q.* 2. *p.* 4. *n.* 2. Vaſq. *D.* 142. *c.* 3. Suar. *concl.* 3. Laym. *verſ. ſecundò accidit*. Pal. *n.* 5. Vvieſt. *num.* 15.

3 Actus ablutionis; hic enim tanquam materia proxima determinandus eſt per formam Baptiſmi. Unde non ſufficeret Verbum exprimens diverſam actionem v. g. *Refrigero*: imò neque ſiquis dicat, *Ego te mergo*, ut habet Gloſſ. *in c. multi* 82. *de conſecr. diſt.* 4. licèt enim actio merſionis ſit ſufficiens, vox tamen non exprimit finem, & effectum merſionis, nempe ablutionem.

4 Et præcipuè ſignificanda eſt Unitas, & Trinitas Divinitatis: & illa quidem ſignificatur, cùm dicitur *In Nomine*; iſta verò, cum exprimuntur nomina perſonarum *Patris, & Filii &c.* Si tamen ter repeteretur *In Nomine* pro numero perſonarum, putant *Suar.* & *Vaſq.* adhuc valiturum Baptiſmum; non enim multiplicantur nomina, ſed tantùm repetitur idem nomen.

25 Dub. 2. utrum neceſſaria ad valorem Baptiſmi ſit expreſſa SS. Trinitatis invocatio? *Rationem dubitandi* facit 1. quia *Act.* 2. 10. 11. & 19. leguntur Apoſtoli baptizaſſe in nomine Chriſti, qui utique Magiſtri ſui mandatum prævaricati non ſunt. 2. *c. quodam Judæo* 23. *de conſecr. diſt.* 5. Nicolaus Papa interrogatus de quibuſdam à Judæo baptizatis, an denuo eſſent baptizandi, reſpondit, *Hi profectò, ſi in nomine ſanctæ Trinitatis, vel tantum in Chriſti nomine, ſicut in Actibus Apoſtolorum legimus, baptizati ſunt (unum quippe, idemque eſt, ut Sanctus exponit Ambroſius) conſtat eos non eſſe denuo baptizandos*. 3. hanc ſententiam præter *S. Ambroſium, Bedam, Magiſtrum ſententiarum, Hugonem de S. Victore, Adrianum, Cajetanum &c.* expreſſe tradidit S. Bernardus *Epiſt.* 340. ubi concedit puerum baptizatum in nomine DEI, & veræ Crucis, non eſſe iterum baptizandum.

26 Sed multo verius alii cum S. Thom. *q.* 66. *art.* 6. S. Bonav. *in* 4. *diſt.* 3. *q.* 2. *art.* 2. Pal. *tr.* 19. *D. un. p.* 5. *num.* 11. Barboſ. *in c.* 1. *h. tit. n.* 8. Gonz. *ib. n.* 4. Pirh. *hic n.* 2. Vvieſt. *n.* 18. *ibid.* docent expreſſam perſonarum Divinarum invocationem Baptiſmo eſſentialem eſſe. Sumitur ex verbis Chriſti, *Docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, quibus verbis hujus Sacramenti formam à Chriſto traditam colligitur ex *c.* 49. *Apoſtol. c. ſi revera* 28. *c. in Synodo* 81. *de conſecr. diſt.* 4. & teſtatur communis PP. conſenſus; ut quid enim Chriſtus Dominus Unitatem, & Trinitatem expreſſiſſet, ſi hæc expreſſè neceſſaria non eſſent?

Neque obſtant Argumenta oppoſita. *Ad* 1. quamvis Doct. Ang. *l. cit.* putet, id factum fuiſſe ab Apoſtolis ex ſpeciali revelatione, & diſpenſatione Divina, probabilius tamen cenſent alii, nunquam collatum fuiſſe Baptiſmum in ſolo Chriſti nomine: quamvis ergo reliquæ perſonæ non nominentur, non ideo inferre licet, eas fuiſſe prætermiſſas, ſicut cum 1. *Cor.* 12. dicitur: *In uno Spiritu omnes baptizati ſumus*, non ideo in nomine ſolius Spiritus ſancti dicimur baptizati. 27

Imò apertè ſatis colligitur oppoſitum ex iiſdem *Act. c.* 19. ubi cum Paulus quoſdam baptizatos interrogaſſet, an Spiritum Sanctum accepiſſent, ipſis reſpondentibus: *Neque ſi Spiritus Sanctus eſt, audivimus*, non ſine admiratione quæſivit, *In quo ergo baptizati eſtis?* inſinuans, quòd ſi Baptiſmo Chriſti baptizati eſſent, neceſſariò Spiritum S. ex ejus inſtitutione cum Patre, & Filio exprimendum, jam audiviſſent.

Ad 2. Nicolaus Pontifex, ut Pontifex ibi ſolum definivit, Baptiſmum, collatum à Judæo ſub debita forma, repetendum non eſſe; nam de hoc ſolo interrogatus fuit: quòd verò ſufficiat collatus ſub expreſſione Trinitatis, vel Chriſti, ex privato ſuo ſenſu, & tanquam Doctor privatus addidit, adhærens opinioni aliorum DD. & immemor definitionum Pelagii, & Zachariæ Pontt. qui prout refert Gratianus *can. multi*, & *can. in Synodo citt.* contrarium decidetunt.

Ad 3. S. Ambroſium, dum dicit ab Apoſtolis Baptiſmum collatum in nomine Chriſti, multi explicant, quòd intelligat Baptiſmum collatum authoritate Chriſti, & ſub forma ab ipſo inſtituta: reliqui DD. ſi contrarium ſenſerunt, ſequendi in hoc non ſunt, cum habeamus claram Deciſionem Pontificiam *in can. citat.*

Dub. 3. utrum validus ſit Baptiſmus collatus ſub hac forma, *Ego te baptizo in nomine Genitoris, Geniti, & Procedentis ab utroque*? Affirmant Gloſſ. *in can. multi* 87. *de conſecr. diſt.* 4. Cajetan. *q.* 66. *art.* 6. Victoria *de Baptiſm. num.* 13. & ſaltem ſpeculativè loquendo probabilem reputant facilè omnes. Et videtur iſtud probari, quia verba iſta *Genitor, Genitus, & ab utroque Procedens* etiam ipſa ſunt propria nomina, quibus tres Perſonæ Divinæ ſignificari, & appellari ſolent, ideòque æquipollentia, quæ proinde ſenſum formæ non mutant. 2. quia aliàs Baptiſmus non eſſet, ſi loco *Filii* nomen *Verbi*, aut *JESU Chriſti* exprimeres, & loco *Spiritus Sancti* nomen *Paracliti*, & loco *Patris* nomen *Principii*, vel *Originis totius Trinitatis*. 3. item non valeret Baptiſmus, ſi lingua ignota audientibus Trinitatem proferres. 28

Sed veriùs validum ſub hac forma Baptiſmum negant S. Thom. 2. 2. *q.* 66. *art.* 5. & 6. S. Bonav. *in* 4. *diſt.* 3. *art.* 2. *q.* 3. Richard. *ibid. art.* 2. *q.* 3. *ad* 8. Scot. *q.* 2. *verſ. tertiò de forma*, Durand. *q.* 2. *n.* 5. Palud. *q.* 1. *verſ. ſecundò in ſpeciali*, Gabr. *q. un. art.* 2. *concl.* 4. & *art.* 3. *dub.* 1. Sot. *q. un. art.* 5. *verſ. hoc ergo interim*, Henriq. *l.* 2. *c.* 9. *ad fin.* Suar. *D.* 21. *ſect.* 4. Vaſq. *D.* 114. *c.* 2. & 3. Conin. *q.* 66. *artic.* 6. *dub. un. concl.* 4. *n.* 54. Bonac. *D.* 2. *q.* 2. *p.* 4. *n.* 12. Layman *l.* 5. *tr.* 2. *c.* 4. *n.* 4. Pal. *tr.* 19. *D. un. p.* 5. *n.* 5. Vvieſt. *hic n.* 19. *verſ. non minor*. 29

Ratio eſt, tum quia eam Formam ſufficere neque ex inſtitutione Chriſti, neque ex uſu Eccleſiæ, aut Fidelium ſenſu habetur; tum verò, quia cùm Baptiſmus ſit Sacramentum Fidei *c. quanto* 7. *de divort.* conveniens omnino fuit, ut eo initiatis SS. Trinitatis Myſterium, quod præcipuum eſt Fidei Chriſtianæ, proponeretur non ſolùm explicitè, ſed etiam vocibus communibus, & in quacunque lingua omnibus æquè notis, & SS. tres Perſonas eodem modo exprimentibus.

Neque contrarium efficaciter probant Argumenta oppoſita. *Ad* 1. eſto, voces *Genitoris, Geniti, & Spiritus procedentis ab utroque* cum voce *Patris, Filii, & Spiritus S.* conveniant tum in re ſignificata, tum in modo explicito ſignificandi, non tamen conveniunt perfectè ſecundum modum ſignificandi, quem in inſtitutione Baptiſmi probabiliter Chriſtus intendit. *Ad* 2. vox *JESU Chriſti* ſatis explicat tum perſonam Filii, tum ejus humanam, & Divinam naturam; unde dicendum validè adhiberi: aliud dicendum de vocibus *Verbi, Paracliti, & Principii*, quia æquè ignotæ ſunt, ac voces *Genitoris, Geniti, & Procedentis ab utroque*, & præterea formaliter non tam Perſonas, quàm origines earum ſignificant. *Ad* 3. patet ex dictis *n. præc.* 30

Quæritur 4. quod ſit Baptiſmi *Subjectum*? Reſpond. vali- 31

validè conferri Baptismus potest omni homini Viatori, qui eundem positivè velit, si sit adultus: licitè, & cum fructu omnibus ritè dispositis per Fidem, Spem, propositum servandi præcepta, & pœnitentiam, si habeant peccatum mortale. Parvulos ante usum rationis validè, & fructuosè baptizari contra quosdam Hæreticos antiquos, quos deinde Anabaptistæ secuti sunt, definitur à Trid. *sess.* 7. *c.* 12. *& seqq.* Habetque Ecclesiæ usus, & praxis: cui prælusit Lex Mosaica, in qua Circumcisio ministrata fuit etiam infantibus. *Ratio est*; quia Sacramentum hoc ad salutem necessarium est omnibus obnoxiis peccato Originali juxta illud, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua &c.* Joan. 3. *vers.* 5. cùm igitur etiam parvuli ipsa in utero conceptione peccatum Originale contrahant, capaces etiam Baptismi erunt, ne culpæ vis, & efficacia major, quàm gratiæ sint.

32 Dub. 1. utrum Monstra baptizari possint? Respond. Monstra, de quibus circa Baptismum difficultas esse potest, sunt duplicis generis. *Primum* est eorum, de quibus dubitatur, utrum homines, an bestiæ sint, cujusmodi ex Bestialitatis peccato interdum provenire solent. *Alterum* illorum, de quibus quidem sufficienter constat, quod habeant naturam humanam, ambigitur autem, an ejusmodi Monstrum non sit ex gemellis concretum, & cons. duobus Baptismis baptizandum.

Si primi generis nascatur Monstrum, antequam Baptismus conferatur, diligenter inspiciendum est, an partes principales monstri, videlicet caput, & pectus hominis figuram referant; necne: quodsi non referant, Baptismus quoque conferendus non est; si autem aliqualiter, dilatio facienda est, usque dum natura talis partus meliùs innotescat, vel si periculum mortis instet, baptizari debet sub conditione, *si tu es homo ego te baptizo &c.*

33 Si nascatur Monstrum *secundi generis*, videndum, an satis constet, esse duos homines, an verò hoc non satis appareat. *Si satis constat*, quòd duo sint homines, quod ex operationum diversitate intelligi potest, quia v. g. uno monstri capite dormiente, alterum vigilat, loquitur, vel uno existente probo, alter est improbus, cujusmodi monstrum extitisse testis est Scot. *in* 4. *dist.* 6. *q.* 2. §. *de quarto membro*, & Henr. de Gandavo *quodl.* 6. *q.* 14. baptizari debent distinctis verborum formis, & ablutionibus: vel si periculum sit in mora, una aquæ effusione, unaque formæ prolatione, quæ virtute gemina sit *Ego vos baptizo in nomine Patris &c.*

Si non satis constat, an duo sint homines, quia v. g. tale monstrum unum duntaxat caput, & duo pectora habet, differendus Baptismus aliquamdiu est, donec certius aliquid cognoscatur; vel si periculum in mora sit, una pars potest simpliciter baptizari, & altera sub conditione, *si non es baptizatus &c.* Laym. *l.* 5. *tr.* 2. *c.* 6. *n.* 13. Pal. *tr.* 19. *D. un. p.* 6. *n.* 4. Gonz. *in c.* 3. §. *Verùm h. tit. n.* 12. *fin.* Scamb. *hic n.* 76. Konig *ibid. n.* 9.

34 Dub. 2. An baptizari valeant amentes? Videtur tenenda affirmativa generaliter ob textum *can. qui recedunt* 7. *caus.* 26. *q.* 6. ubi relati Concilii Arausicani Decretum est *Amentibus etiam quæcunque pietatis sunt, conferenda esse. Conf.* ex ratione; quia furiosus æquiparatur infanti §. *furiosus* 8. *Inst. de inutil. stipulat.* infans autem, ut *n.* 8. & 31. dictum est, baptizari potest. ergo &c.

Sed distinguendum est, an rationis usum talis amens aliquando habuerit, an non. *Si hoc secundum*, talis amens: istius Sacramenti capax non minùs, quàm infans est, quod textus, & ratio allata evincit. *Si primum*, videndum an ille, cùm ratione utebatur, Baptismum aliquando petierit, an verò admittere illum omnino renuerit, vel saltem nunquam petierit, neque voluerit petere.

35 *Si prius*, iterum baptizari potest, prout decisum est *c. Majores* 3. *h. t.* & ratio est; quia in eadem voluntate perseverare præsumitur. S. Thom. 2. 2. *q.* 80. *art.* 8. *Si posterius* juxta eundem Doct. Angel. 3. *p. qu.* 68. *art.* 12. & certam aliorum TT. Sententiam validè baptizari nequit; quia talis censetur instar adulti, sive utentis ratione, in quo ad valorem Baptismi necessarius est voluntarius consensus, non quidem actualis, sed saltem moraliter perseverans, sive antè existens, & non retractatus. Suar. *in* 3. *p. D.* 24. *sect.* 1. *concl.* 1. Laym. *l.* 5. *tr.* 2. *c.* 6. *n.* 2. Pal. *tr.* 19. *D. un. p.* 7. *n.* 2. Gonzal. *in c.* 3. §. *verùm n.* 10. *h. tit.* Vallens. *hic* §. 3. *n.* 2. Zoes. *n.* 19. Vviestner *n.* 22.

36 Dub. 3. an liberi infidelium invitis parentibus licitè baptizentur? Resp. distinguendo. Vel enim tales liberi jam sunt rationis compotes, vel adhuc infantes. *Si primum*, non est dubium, si ipsimet baptizari velint, eos parentibus etiam invitis baptizari posse; quia in iis quæ ad salutem spectant, obedire magis Deo, quàm parentibus debent. Laym. *l.* 5. *tr.* 2. *c.* 6. *n.* 10. *vers. quartò*. Zoes. *hic n.* 18.

Si secundum, altera distinctio est adhibenda; Vel enim uterque parens invitus est, vel unus tantùm. *Si unus tantùm* licitè baptizantur, prout sumitur ex *can. Judæi* 10. *caus.* 28. *q.* 1. *& c. fin. de controvers. infidel.* modò non sit morale periculum Apostasiæ. *Ratio est*, quia in educandis, retinendis, & regendis liberis quoad ea, quæ ad salutem necessaria sunt, æquale jus utrique ex parentibus est, & ob specialem favorem Religionis Christianæ, & animæ pia unius voluntas præfertur impiæ voluntati alterius, etiam Patris, avertentis à vera Fide. Azor *p.* 1. *l.* 8. *c.* 25. *q.* 3. Suar. *D.* 25. *sect.* 3. *vers. duo.* Vasq. *D.* 155. *c.* 3. *n.* 35. Coninch *q.* 68. *art.* 10. *dub. un. n.* 82. Laym. *l.* 5. *tr.* 2. *c.* 6. *n.* 10. *vers. tertiò.* Pal. *tr.* 19. *D. un. p.* 6. *n.* 11. Zoes. *hic n.* 18. Vviest. *n.* 25.

Si verò uterque invitus sit, denuo distinguendum inter eos, qui aliquando fuerunt subjecti potestati Ecclesiæ, & per Apostasiam ad alias sectas defecerunt, & inter illos, qui Ecclesiasticæ potestati nunquam fuerunt subjecti. 37

Priorum liberi invito utroque parente baptizari licitè possunt; potest enim illos Ecclesia justè punire, atque adeo etiam patria potestate, quam habent in liberos, privare: liberi tamen tunc non erunt parentibus relinquendi; aliàs exponerentur manifesto periculo Apostasiæ.

Posteriorum liberi, invito utroque parente, baptizantur quidem validè, cum consensus parentum ad valorem Baptismi non requiratur; non tamen licitè, regulariter loquendo, ut contra Scot. *in* 4. *dist.* 4. *q. ult.* & Gabr. *q.* 2. *art.* 3. *dub.* 5. veriùs docent S. Th. 3. *p. q.* 68. *art.* 10. Bonacin. *D.* 2. *q.* 2. *p.* 6. *n.* 12. Pal. *tr.* 19. *D. un. q.* 6. *n.* 13. Zoes. *hic n.* 18. Scambog *n.* 81. Vviest. *n.* 26. 38

Ratio est, quia hujusmodi infantes post Baptismum vel auferrentur parentibus; & ita hi contra ordinem naturalis Justitiæ privarentur patria potestate: vel iisdem relinquerentur, & sic fieret injuria Sacramento, cum eo modo liberi certæ perversioni exponerentur. *Proceditque hoc*, etsi hujusmodi Infideles subdantur potestati Civili Principum Christianorum; nam ea potestas ad hoc non se extendit, ut *l. citt.* notant *Suar. Vasq. Laym. Bonac. Palao, Zoesius.*

Dixi autem *Regulariter loquendo*; nam tres casus excipiendi sunt. 39

1 Quando hujusmodi infantes in manifesto mortis periculo constituti sunt: tunc enim citra vim, & scandalum infidelium, invitis etiam parentibus, baptizari possunt; quia salus liberorum juri patriæ potestatis præponderat. Suar. *sect.* 3. *cit.* Coninch *n.* 76. Laym. *concl.* 2. *cit. vers. dixi autem*, Pal. *n.* 14. Scamb. *n.* 79. Vviest. *n.* 27.

2 Quando à parentibus quacunque ratione abstracti sunt, ut eos his reddendos spes nulla appareat; quia tunc parentibus à baptizante nulla infertur injuria. Suarez *sect.* 4. *vers. secundò est certum*, Vasq. *cap.* 3. *num.* 29. Laym. *vers. secundò*, Pal. *num.* 17. Vviest. *n.* 27.

3 Quando parentes infideles, vel illorum liberi bello, aut alio modo redacti in servitutem Christianorum sunt; tunc enim cessat patria potestas, & sicut licet domino liberos à parentibus separare, & vendere, ita licebit etiam cum dicta cautela Apostasiæ baptizate. Suar. *sect.* 4. *cit. concl.* 2. Vasq. *c.* 4. *per tot.* Coninch *n.* 86. Laym. *vers. pirrò*, Bonac. *n.* 12. *fin.* Pal. *n.* 18. Scamb. Zoes. Vviest. *l. cit.*

Quæritur 5. quis sit *Minister* Baptismi? Resp. distinguendo; nam validè conferri Baptismus potest à quovis homine viatore, qui sit distinctus à baptizato, etiam extra casum necessitatis, prout constat ex *cap. à quodam Judæo* 24. *de consecr. dist.* 4. *& can. si quis per ignorantiam* 59. *caus.* 1. *q.* 1. quibus textibus approbatur Baptismus, etiam à non baptizato collatus, prout etiam patet in facto S. Athanasii, qui puer aliis pueris Baptismum contulit nondum baptizatus, & ab Ecclesia fuit approbata collatio tanquam valida: unde reprobatur error Calvini *l.* 4. *Inst. c.* 15. §. 20. existimantis nullum esse Baptismum, qui ab Ecclesiasticis Ministris collatus non est: quem errorem latè refellit Bellarm. *l.* 1. *de Baptism. c.* 7. 40

Licitè verò extra casum necessitatis confertur à solo Sacer-

Sacerdote, prout communis, & certa TT. ſententia habet cum S. Thom. *q.*67. *art.* 1. Concordat *Florentinum*, ex cujus Decreto Miniſter hujus Sacramenti eſt Sacerdos, cui ex officio competit baptizare. *Ratio eſt*, quia ad eundem ſpectat adſciſcere inter membra Eccleſiæ, adeoque conficere Corpus Chriſti Myſticum, ad quem ſpectat conficere Corpus Chriſti reale, quod eſt Sacramentum Eccleſiaſticæ unitatis, juxta illud *unum Corpus multi ſumus omnes, qui de uno pane participamus*. 1. Cor. 10. Imò ſi neceſſitas nulla urgeat, licèt ſolum baptizat Parochus, & eo ſuperior Epiſcopus; nam eſto, quilibet Sacerdos in ordinatione factus ſit idoneus Miniſter Baptiſmi, ad licitum tamen hujus poteſtatis uſum indiget, ut ſibi Juriſdictio, & regimen Eccleſiæ concedatur; aliàs injurius erit Eccleſiæ, ſi in illius membrum adſciſcat aliquem, nullam in Eccleſiam Juriſdictionem habens. Vaſq. *D.* 147. *c.* 3. Coninch *q.* 67. *art.* 5. *dub.* 1. *n.* 11. Laym. *l.* 5. *tr.* 2. *c.* 7. *n.* 2. *concl.* 2. Pal. *tr.* 19. *D. un. p.* 9. *n.* 2.

Dub. 1. qualis Parochus eſſe debeat, ut licitè Baptiſmum conferat? Reſp. debet eſſe Parochus Domicilii, in quo degit baptizandus, niſi aliter obtentum ſit conſuetudine, vel præſcriptione; nam conſuetudine ab extraneo Parocho obtineri poteſt jus Baptiſmum aliarum Parochiarum ſubditis, ad ipſum ſponte confluentibus, miniſtrandi, ut ex mente *S. Congr. Rit.* tradit Barboſ. *de Paroch. Off. c.* 18. *n.* 7. Gonz. *ad Reg.* 8. *Cancell. Gloſſ.* 6. *num.* 52. Feder. de Senis *conſ.* 80. *n.* 3. & *conſ.* 135. *num.* 2. Vinc. Petra *tom.* 4. *comment. fol.* 289. Et hoc jure potitur Baſilica Vaticana, cujus Parochus ex antiqua conſuetudine, à Summis Pontif. comprobata, infantibus aliarum Parochiarum, ad ipſam ſponte confluentibus, ſacrum Baptiſma miniſtrat liberè: quod jus, cum à reliquis urbis Parochis in controverſiam deduceretur, noviſſimè ratum habuit S. Congr. *in Romana Juris baptizandi* 15. *Maji* 1600. apud Petram *l. c. n.* 36.

3 Dub. 2. an, & quando poteſtas baptizandi delegari poſſit Diacono? Reſp. poteſt ex gravi cauſa: & tunc Diaconus Baptiſmum adminiſtrare poteſt non tantum privatim, ut quiſque Laicus poteſt in caſu neceſſitatis, ſed etiam ſolemniter, ut probat Sauſay *in Panopl. Sacerd. p.* 2. *l.* 5. *c.* 6. & colligitur *ex Pontificali Romano*, ibi *Diaconum oportet miniſtrare ad Altare, baptizare, & prædicare &c.* Ea tamen differentia inter Sacerdotes, & Diaconos eſt, quòd Presbyteri, utpote qui habitu poteſtatem baptizandi habent, poſſint abſque neceſſitate delegari ad miniſtrandum Baptiſmum; Diaconi autem, cum poteſtatem baptizandi non habeant, niſi ſubſidiariam, & in defectum presbyterorum, delegari nequeant, niſi in caſu neceſſitatis, & deficientibus Laym. *l.* 5. *tr.* 2. *c.* 7. *n.* 3. Bonacin. *D.* 2. *q.* 2. *p.* 5. *n.* 3. Vinc. Petra *tom.* 4. *com. fol.* 287. *n.* 23. Porrò cauſa, ob quam Diacono delegari poteſtas baptizandi à proprio Sacerdote poteſt, à P. Laym. *l. cit.* approbatur, ſi iſte propter baptizandorum multitudinem, gravem infirmitatem, vel Excommunicationis Cenſuram Baptiſmum petentibus neque per ſe, neque per ſubſtitutum ſatisfacere poſſit.

4 Et hoc verum eſt, etiamſi talis Diaconus ipſe ſit Parochus illius loci, cujus inquilini proles eſt baptizanda, ut rectè advertit Petra *l. cit.* quamvis enim Parochus ex officio adminiſtrare Baptiſmum valeat, ſi Presbyter ſit; ſecus tamen dicendum erit de Diacono; nam huic officium Parochi non tribuit poteſtatem adminiſtrandi Baptiſmum ſolemniter, niſi deficientibus Presbyteris, ut colligitur ex Conc. Illiberit. *can.* 77. & cenſuit S. Congr. *in Cremonenſi Abſolutionis* 2. *Dec.* 1679. ubi abſolutionem ab Irregularitate ad cautelam conceſſit Parocho Diacono, qui Baptiſmum bona fide adminiſtraverat.

45 Dub. 3. à quo baptizandi ſint Infideles ad Fidem converſi? Reſpond. diſtinguendo: Vel enim baptizantur in terris Chriſtianorum, vel in partibus Infidelium. *Si primum*, de Baptiſmo illorum *in Ritual. Roman. Rubr. de Baptiſm.* §. 3. ita diſponitur, *Adultorum Baptiſmus, ſi commodè fieri poteſt, ad Epiſcopum deferatur, ut ſi placuerit, ſolemnius ab eo conferatur; alioquin Parochus ipſe baptizat ſtatuta ceremonia*. Itaque id munus principaliter competit Epiſcopo; hoc autem impedito, Baptiſmus miniſtrari debet à Parocho domicilii; quia Infideles, ex quo baptizari volunt, ratione propoſiti intelliguntur jam eſſe de foro illius, ubi habitant; & ita teſte Vincent. Petra *tom.* 4. *comment. fol.* 288. *n.* 31. reſolvit S. Congreg. *in Neapolitana Juris baptizandi* 27. *Sept.* 1687. & 21. *Febr.* 1688.

46 *Si ſecundum*, diſtinguendum iterum eſt, an in iis terris ſint Epiſcopi, vel Parochi, an verò non. *Si hoc poſterius*, poſſunt Baptiſmum ibi adminiſtrare etiam ſolemniter Miſſionarii, etiam extra caſum neceſſitatis, ex privilegio ipſis conceſſo. Vaſeus *in ſumm. V. Baptiſmus* 3. *n.* 14. Verricell. *de Apoſtol. Miſſion. tit.* 6. Petra *l. cit. n.* 27. & conceſſit Societati JESU Paulus III. *Conſt.* incipit, *Cum inter*, *edita* 1545. ibi *Facultatem concedimus ſingulis Societatis, Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & alia Eccleſiaſtica Sacramenta ſine alicujus præjudicio miniſtrandi, Diœceſanorum locorum, Rectorum Parochialium, & aliarum Eccleſiarum, aut quorumvis aliorum licentia deſuper minimè requiſita &c.*

Si priùs, Suar. *tom.* 4. *de Relig. l.* 9. *c.* 4. *n.* 8. probabile cenſet poſſe etiam tum Miſſionarios in vim privilegiorum Infideles converſos baptizare, ex ratione, quod Infideles non ſint ſub Juriſdictione Parochi, cui proinde nullum affertur præjudicium. 47

Verius tamen eſt id non licere, ut nominatim tenet Pal. *tr.* 19. *D. un. p.* 9. *n.* 3. Paſſerin. *de ſtat. hom. tom.* 2. *q.* 187. *art.* 1. *n.* 13. Vinc. Petra *l. cit. n.* 28. & hoc teſte reſpondit S. Congreg. Concil. *in Manilenſi Baptiſmi* 5. *Jul.* 1681. in qua fuit rejecta inſtantia cujuſdam Miſſionarii in Inſulis Philippinis, petentis facultatem ſibi ſoli concedi baptizandi, & matrimonio jungendi Infideles inibi converſos, cum tamen ibi extent Epiſcopi.

Argumentum contrarium nimium probat; probat enim, quòd Miſſionarii Baptiſmum adminiſtrare poſſint etiam in terris fidelium, non ſolum infidelibus, ſed etiam infantibus parentum fidelium, cum tam de his, quàm de illis dici valeat, non eſſe determinatè ſub adminiſtratione Parochi ante Baptiſmum ſuſceptum: unde adminiſtratio Baptiſmi non eſt actus Juriſdictionis determinatè in ipſum baptizandum; aliàs ſequeretur, quòd ſicut invalida eſt abſolutio à peccatis, ſi Sacerdos Juriſdictionem in pœnitentem non habeat, ita invalidum fore Baptiſmum à proprio Parocho non miniſtratum, ut conſiderat Gonzal. *in c.* 1. *n.* 11. *de Cleric. non ordin. miniſtr.*

Quæritur 6. quo *modo*, *tempore*, & *loco* adminiſtrari Baptiſmus debeat? *Et* 1. *quidem dubitatur*, an Miniſter Baptiſmi debeat eſſe unus, an verò plures ſimul eundem baptizare poſſint? Reſp. poſſe unius Baptiſmi plures Miniſtros eſſe, ſi plures ſimul abſolutè, & nulla inter ſe conſtituta dependentia baptizandum abluant, & formam proferant, eamque perficiant, eodem puncto, & inſtanti; quia eo caſu non ſe invicem impediunt, ſed potiùs coadjuvant, ſicut cum duæ cauſæ totales ad eundem effectum concurrunt, quarum una deficiente, alia effectum produceret. Laym. *l.* 5. *tr.* 2. *c.* 7. *n.* 5. *concl.* 1. Pal. *tr.* 20. *D. un. p.* 9. *n.* 14. & alii apud iſtos. Secus, ſi intentionem haberent inter ſe dependentem, eò quòd unuſquiſque nollet ablutionem, & formæ prolationem à ſe factam valere, niſi ſimul alterius ablutio, & formæ prolatio effectum habeat; quia ea intentio obſtat Chriſti inſtitutioni per Eccleſiam declaratæ, juxta quam Baptiſmus ita eſt inſtitutus, ut unius Miniſtri ablutio, & formæ prolatio ſufficiens ſit ad illius conſtitutionem: unde ſiquis vellet Baptiſmum ex ſua, & alterius ablutione, & formæ prolatione confici, manifeſtè repugnaret inſtitutioni Chriſti. Pal. *l. cit.* 48

Dub. 2. utrum neceſſarium ſit ad valorem Baptiſmi, ut in ejus adminiſtratione materia proxima, videlicet ablutio, eodem tempore cum verborum forma concurrat? Tres ſunt ſententiæ. *Prima* Gloſſ. *in c. detrahe* 54. *cauſ.* 1. *q.* 1. juxta quam Sacramentum incipit, ac definit eſſe eodem ultimo inſtanti temporis, quo forma verborum abſolvitur; & hinc vult non valere Baptiſmum, ſi infans extractus ſit ex aqua, cùm ultimum verbum profertur. *Altera* Scoti *in* 4. *diſt.* 6. *art.* 2. Richard. *Diſt.* 3. *art.* 4. *q.* 2. Cajetan. *opuſc.* 1. *tr.* 26. *de collat. Ordin.* Navar. *c.* 22. *Man. n.* 7. defendit, materiam, & formam ſaltem ſecundùm aliquam ſui partem debere ſimul concurrere: conſ. juxta iſtam ſententiam invalidè conferetur Baptiſmus, ſi poſt factam ablutionem ſtatim ſequatur prolatio formæ, vel pronuntiata forma mox ſequatur ablutio. *Tertia*, eaque probabilior eſt. Victor. *de Baptiſm. n. ult.* Sot. *in* 4. *diſt.* 3. *q. un. art.* 8. Henriq. *l.* 1. *c.* 9. *n.* 10. Suar. *D.* 2. Vaſq. *D.* 148. *c.* 7. Laym. *l.* 5. *tr.* 2. *c.* 7. *n.* 7. *quæſt.* 3. *V. tertia*, Pal. *tr.* 19. *D. un. p.* 9. *n.* 16. juxta quam ad valorem Sacramenti ſufficit, ſi moraliter, i. e. ſecundùm humanum agendi, & loquendi modum concurrat actio miniſtri cum pronuntiatione formæ, etſi una alteri ſuccedat: nam & in ſimili verè dicere cenſetur, *Ego bibo*, qui proculum manu capit, ſtatim illud applicaturus ori bibendi cauſa. 49

Dub. 3. ubi Baptismus conferendus sit? Resp. non est conferendus in privatis domibus, sed duntaxat in Ecclesiis, ubi sunt Fontes Baptismales ad hoc specialiter deputati, adeò, ut Navar. *Man. c. 22. n. 7.* putet peccari mortaliter, si alibi, quàm in Ecclesia administretur Baptismus ob *Clem. un. hoc titul. Exceptio* ramen duplex est facienda. 1. Nisi subfuerit necessitas: sufficit autem non solùm quodcunque probabile periculum, sed etiam quiscunque prudens timor, præsumptio, & conjectura periculi, ne infans decedat sine Baptismo, vel etiam ne contrahat morbum, si ad Ecclesiam deferatur. Gobat. *tract. 2. de Sacram. n. 498.* Konig. *hic n. 12. vers. locus in fin.* 2. Nisi fuerint Regum, aut Principum filii; nam his *Clem. cit.* conceditur, ut domi suæ baptizari possint. Quod Engl *hic n. 11.* extendit etiam ad alias personas illustres, & potentes, admittitque verum esse, si talis in aliquo loco consuetudo vigeat.

51 Quæritur 7. quis sit *Effectus* Baptismi? Resp. Baptismi validè suscepti Effectus triplex præcipuè est 1. Enim tollit non solùm Peccatum Originale, sed omnia personalia tam mortalia, quàm venialia *can. firmissimè 3. & c. de consecr. dist. 4. c. firmiter 1. & Clem. un. de summ. Trinit. c. Majores 3. h. tit.* & definitur à Florent. *in Decret. Fid.* ubi loquens de Baptismo dicit, *Sacramenti effectus est remissio omnis culpæ Originalis, & actualis:* Fuitque hic semper Ecclesiæ sensus, fundatus in Scriptura; sic enim *Ezech. 36.* dicitur, *Effundam super vos aquam mundam & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris;* quod *Theodoret. Hieron. Cyprian. Athanas.* de aqua Baptismi intelligunt.

52 2 Simul cum culpa aufertur totus reatus pœnæ. Ita rursus *in Decret. cit.* statuit Flor. & Trid. *sess. 5. can. 5.* Hinc Ecclesia nulla imponit baptizato opera satisfactoria: & ratio à priori est; quia Baptismus est Sacramentum perfectæ regenerationis. Relinquit tamen hujus vitæ pœnalitates, tum ut membra conformarentur Capiti, tum ut haberet homo Christianus, quod vinceret.

53 3 Præter gratiam, & Characterem quem indelebiliter imprimit animæ, confert dona, & virtutes, atque præterea auxilia specialia ad Jugum Christi suaviter ferendum: qui effectus per se conveniunt Sacramento, nisi per obicem suscipientis impediantur. Si obex adsit, Character quidem imprimitur animæ, ut propterea iterari Baptismus nequeat, gratia tamen non confertur, nisi ubi remotus fuerit obex, & tum Sacramentum etiam reliquos effectus sortitur juxta modum remoti obicis, nam si ante Baptismum baptizatus tantùm retractaret peccata mortalia, non etiam levia, istorum reatus maneret, donec per attritionem obex quoad venialia tolleretur.

54 Dub. 1. quibus casibus repeti Baptismus possit? Respond. ordinariè non potest repeti; quia, ut *n. præc.* dictum est, de illis est Sacramentis, quæ Characterem in anima recipientis imprimunt, sicut est Confirmatio, & Ordo. Trid. *sess. 7. de Sacr. in gen. can. 9.* Sunt tamen aliqui casus, in quibus iterari Baptismus potest. Et 1. quidem quando certum est in priori Baptismo aliquid essentiale omissum fuisse; nam tunc non tam repetitur, quàm de novo confertur, v. g. quia non est adhibita materia, vel forma. 2. Quando dubium est, an primus Baptismus revera sit administratus, ut si infans sit expositus sine Baptismi indicio, vel à matre in captivitate Infidelium constituta natus &c. 3. Quando constat quidem susceptum esse Baptismum, sed dubitatur, an rite susceptus sit; quia v. g. collatus est cum materia, aut forma dubia, vel in parte non principali, vel quòd aqua nudum non contigerit, nisi in parte minima, aut quia qui illum contulit, ex post facto confessus, aut convictus fuit, quòd plurimos illegitimè baptizaverit &c. His ergo, & similibus casibus Baptismus repeti potest, & debet, non quidem absolutè, sed sub illa conditionata forma verborum, quæ præscribitur *c. de quibus 2. h. tit.* videlicet, *Si es baptizatus non te baptizo; si non baptizatus es baptizo te &c.* Unde monet Barbosa *de Paroch. c. 17.* quòd, si infans in casu necessitatis est, Parochus diligenter inquirere debeat, quis, qua materia, qua forma, in qua parte &c. contulerit Baptismum.

55 Dub. 2. an sufficiens causa repetendi Baptismum sit, quòd ille collatus sit ab Hæretico? *Videtur esse* præsertim apud Calvinistas; cùm enim isti negent Baptismum esse Sacramentum efficax gratiæ collativum, & peccatorum remissivum, affirmentque puerum, ex parentibus Christianis progenitum, in materno utero justificari, ita, ut Regnum cœlorum assequi valeat, etsi ante Baptismum decedere eum contingat, ut voluit Calvin. *l. 4. Inst. c. 15.* videntur ipsi non velle facere, quod facit Ecclesia, & sic Baptismum ex defectu intentionis invalidum esse.

Sed dicendum, si Hæretici, etiam Calvinistæ, materiam, & formam ab Ecclesia præscriptam adhibeant, & nulla alia causa rationabile dubium faciat, talem Baptismum habendum pro valido; hoc ipso enim talis Hæreticus præsumitur habere intentionem baptizandi, aliàs non baptizaret. Ita post *Bellarm. & Vasquez.* docet Fagnan. *in c. siquis puerum 1. num. 18. h. tit.* idemque elicitur ex sententia *S. Aug.* relati *can. satis 48. de consecr. dist. 4.* & sentire visa est S. Congr. *in dubiis Baptismi 27. Mart. 1683.* ubi ad dubium, an, & quibus casibus Hæretici, si ad Fidem Catholicam convertantur, sub conditione rebaptizari debeant, respondit, non esse rebaptizandos, nisi adsit probabile dubium invaliditatis. Et de Calvinistis Sanctissimus ex sententia Congreg. quæ plures TT. consuluit, respondit, quotiescunque constat, baptizatos à Calvinistis fuisse in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, adhibita debita materia, Baptismum ab his collatum esse verum Baptismum, & ideo ab ipsis baptizatos non esse denuo baptizandos. Petra *tom. 4. comment. fol. 284. n. 9.*

Dub. 3. quid faciendum casu, quo infans in casu necessitatis baptizatus est ab obstetrice? Resp. cessante periculo, ad Ecclesiam deferri debet, ut suppleantur solemnitates; sed ipsa substantialia Baptismi non aliter repetenda sunt, quàm si aliqua rationabilis suspicio sit, Baptismum non esse collatum modo legitimo, ut quia baptizans persona rudis est, aut verba inconsucta protulit, vel si experientia constat, in aliquo loco complures esse obstetrices veneficas, quæ studio Baptismum invalidum conferrent. *Catech. Rom. Pii V. de baptism. p. 2. c. 2. n. 43.* Engl *hic n. 8.* 56

57 Dub. 4. quid tenendum, quando de adulto aliquo dubitatur, an baptizatus sit, vel non? Resp. si ex fidelibus parentibus natus, & inter fideles educatus sit, quamvis de ipsius Baptismo non certò constet, nihilominus baptizatus præsumitur, idque tam violenter, ut hæc præsumptio pro certitudine habenda sit, donec evidentissimis argumentis contrarium probetur *c. fin. de Presbyt. non baptiz.* Petra *tom. 3. comment. fol. 457. n. 25. & 26.*

Neque in tali periculum damnationis subest, si forsan revera baptizatus non esset; quia per Baptismum Flaminis salvatur, si verum desiderium Baptismi habeat, sicut ille, qui baptizari desiderans, morte prævenitur: de quo *S. Aug.* relatus *can. Apostolicam 2. tit. cit. baptismus*, inquit, *invisibiliter ministratur, quem non contemptus Religionis, sed terminus necessitatis excludit.*

Aliter sentiendum de iis, qui ex parentibus infidelibus nati sunt; nam etsi isti inter Christianos educati sint, & in communi hominum opinione pro baptizatis habeantur, non exinde tamen tales præsumendi sunt, nisi Baptismus probetur. Cantera *q. crim. de Hæret. n. 5.* Sanctarell. *de Hæres. c. 1. dub. 2. num. 5.* Dian. *p. 4. tr. 8. resol. 113.* Petra *l. cit. fol. 458. num. 28.* exceptis iis locis, quibus Judæi, & alii infideles habitare non permittuntur, quemadmodum est in Lusitania, ubi Judæi non tolerantur, nisi fuerint baptizati, & Christianè vixerint. Petra *n. 29.*

Dub. 5. an repeti debeat, conf. invalidus sit Baptismus per vim, & metum collatus? Resp. si collatus sit vi absoluta, & omnino nolenti, invalidus est, prout constans DD. sensus est, & decisum *can. majores §. item quæritur vers. illis verò h. tit.* quia ad ejus valorem in homine usu rationis prædito requiritur consensus. *Secus*, si vi conditionali tantùm, seu metu adactus consensum baptizatus præstitit; nam tunc validum esse constat ex *§. & v. citt.* ubi Pontifex docet per Baptismum sic susceptum characterem imprimi, quod non fit, nisi quando Baptismus collatus est validè. *Conf.* quia tali casu consensus baptizandi non deest, cùm coacta voluntas sit voluntas *l. si mulier 21. §. si metu 5. 5. quod met. caus.* Proinde talis cogendus erit ad observantiam Legis Christianæ juxta *can. Judæis 5. dist. 45.* Pith. *hic n. 9. v. denique.* 58

De Patrinis, qui in Baptismo adhiberi solent, horum numero, & obligationibus locus agendi proprius erit *in L. 4. tit. 11. de Cogn. Spirit.*

TITULUS XLIII.

De Presbytero non Baptizato.

SUMMARIUM.

1 *Baptismus est janua ad Ordines, & reliqua Sacramenta.*
2 *An ad ista suscipienda necessarius sit baptismus fluminis?*
3 *Defenditur affirmativa.*
4 *Solvuntur Argumenta opposita.*
5 *An valeant actus, gesti à Presbytero non baptizato?*
6 *Valent, qui Ordinem non exigunt, si interveniat communis error.*
7 *Non valent, qui Ordinem rite susceptum supponunt.*
8 *Qua necessitate susceptioni Ordinum præmitti debeat Confirmatio?*
9 *Quale peccatum committat, qui hac omissa ordinatur?*

1 Sicut Baptismo ad cœlum secundùm dicta *tit. præc. n.* 8. sic per eundem etiam ad cætera Sacramenta via aperitur, cum ad utrumque janua sit *can. siquis per ignorantiam* 59. *can. si Presbyter* 60. & *c. cauf.* 1. *q.* 1. *c. majores* 3. *pr. vers. cautè de baptism.* & *c. fin. h. tit.* adeo, ut qui per eum ingressus non est Ecclesiam, neque ad Ordines, & cætera Ecclesiastica Sacramenta possit ascendere, ut ex unanimi DD. Orthodoxorum sensu observat S. Th. 3. *p. q.* 35. *art.* 3.

2 Quæritur 1. an ad Ordines, & cætera Sacramenta percipienda necessarius sit Baptismus Fluminis, an verò sufficiat Baptismus Flaminis? Fuere olim, qui in dubium hoc revocarent. 1. Quia etiam per Baptismum Flaminis quis membrum Christi efficitur, qui est fundamentum, cui *sicut salutifera opera, sic etiam quælibet Ecclesiastica Sacramenta possint superædificari*, prout habetur *can. fin. v. porrò h. tit.* 2. A non baptizatis Matrimonii, & Eucharistiæ Sacramenta recipi possunt, ut *v. porrò cit.* dicitur. Ergo etiam alia, & ipsi Ordines. 3. Christus Apostolos suos, antequam Baptismum suscepissent, ordinavit Sacerdotes, & post gloriosam Resurrectionem suam, ut quidam volunt secundùm dicta *tit. præc. n.* 3. primùm Baptismum instituit, cum ipsis diceret, *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*.

3 Sed in contrarium stat aperta Juris decisio *can. siquis*, & *can. si Presbyter citt. c. siquis* 1. & *c. fin. vers. quia verò h. tit.* ubi præcipitur, ut Presbyter, qui Baptismo non recepto, in Sacerdotem ordinatus est, baptizetur, & denuo ordinetur. *Ratio est*; quia verus Baptismus Fluminis fundamentum, & janua cæterorum Sacramentorum est, ut disertè nuncupatur *cap. per Catechismum* 2. *de Cognat. & Spirit. in* 6. & Trid. *sess.* 14. *de Pœnit. c.* 2. & hinc primo loco inter cætera à Flor. *in Decret. Union.* & Trid. *sess.* 7. *can.* 1. *S.* Th. 3. *p. q.* 65. *art.* 2. & aliis DD. Orthodoxis refertur.

4 Neque obstant allata Argumenta. *Ad* 1. Baptismus Flaminis hominem facit Christi membrum quoad conjunctionem cum illo internam per gratiam; Fluminis autem quoad conjunctionem externam per signum sensibile, & per hoc signum ad cætera primum Sacramenta, & communia bona Ecclesiæ jus acquiritur. Gonzal. *in c. fin. cit. num.* 4. Vviest. *hic n.* 5. *Ad* 2. Matrimonium à non baptizatis contractum Sacramentum non est, sed Contractus merè Civilis; & Eucharistia ab ipsis de facto tantùm, & non de Jure, & licitè sumi potest, utpotè quæ præfigurata fuit per Manna, quod manducare populus Israeliticus ante transitum maris rubri non potuit. *Ad* 3. ut *tit. præc. n.* 4. ostendi, Baptismus ante mortem Christi est institutus; non est autem credibile; quòd Christus baptizaverit alios, & non ipsos suos Discipulos.

5 Quæritur 2. An valeant consecrationes Eucharistiæ, absolutiones à peccatis, & similes actus, gesti à Presbytero non baptizato? Resp. distinguendo inter actus, qui ab Ordine verè suscepto, ac proinde à Baptismo ex Divina institutione non pendent, & inter illos, qui à Sacramentis illis Jure Divino pendent, qualis est consecratio Eucharistiæ, absolutio Sacramentalis &c.

6 *Priores*, si exerceantur ab eo, qui communi errore pro Presbytero, tali potestate prædito, habetur, propter utilitatem publicam subsistunt, ut *arg. l. Barbarius* 3. *ff. de Offic. Prætor.* & *c. infames* §. *verum tamen cauf.* 3. *q.* 7. docui suprà *l.* 2. *tit.* 1. *num.* 20. & *duob. seqq.* Ex quo sequitur, non esse repetendum Baptismum, quem talis Sacerdos contulit; quia ejus Minister potest esse quivis homo viator, etiam non baptizatus, habens intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, ut dictum est *tit. præc. n.* 40. Item nec Matrimonium, cui talis Sacerdos adstitit: quia in Matrimonio Parochus, & Sacerdos non requiritur, ut Minister Sacramenti, quippe quod contrahentes ministrant sibi ipsis, sed per modum excellentis testis ex præcepto non Divino, sed Ecclesiæ, quæ hoc casu ob bonum publicum defectum Ordinis supplere censetur, sicut ex sententia Sanch. *de Matr. l.* 3. *D.* 22. *n.* 91. supplet in eo, qui revera est Laicus, communi tamen errore creditur esse Sacerdos, & Parochus.

Posteriores actus pro irritis veriùs habent Abb. *in c. Apostolicam* 2. *h. tit. n.* 1. Decius *in c. fin. de Constit. n.* 64. Paludan. *in* 4. *dist.* 17. *q.* 6. *art.* 1. *num.* 6. Barbos. *in c.* 2. *h. tit. n.* 2. Engl. *hic n.* 3. Honor. *n.* 2. Pirh. *n.* 2. *not.* 3. Vviest. *n.* 10. quia Ecclesia defectum Sacramentorum, quæ ad valorem hujusmodi actuum Jure Divino necessaria sunt, supplere, & circa Sacramentorum substantialia immutare nil potest, ut colligitur ex Trid. *sess.* 21. *c.* 2. *de Sacram. Euchar.* Existimat quidem S. Thomas apud Sylv. *V. Baptismus* 6. *n.* 3. piè credi posse, summum Sacerdotem Christum suppleturum defectum quoad ultimos effectus Sacramentorum, nec diu permissurum, ut defectus iste occultus maneat, ne grave damnum immineat inde Ecclesiæ; sed ut probè advertit Sot. *in* 4. *dist.* 24. *q.* 1. *art.* 4. §. *ad tertium*, pia hæc credulitas in SS. Paginis, aut SS. Canonibus fundata vix reperitur. 7

Quæritur 3. qua necessitate primæ Tonsuræ, & susceptioni Ordinum præmittendum sit Sacramentum Confirmationis? Resp. Sine hoc Ordinationem quidem validam esse, cum nusquam reperiatur, quòd ad valorem Ordinationis Character Confirmationis necessariò requiratur; esse tamen illicitam, prout constat ex Trid. *sess.* 23. *c.* 4. *de reform. Ratio est*; quia hoc Sacramentum baptizatum planè perficit, eique ad Spiritualem pugnam auxilium, & robur confert *can. omnes* 1. & *can. de his* 3. *de consecr. dist.* 5. debent autem hoc auxilio præ cæteris fidelibus muniri Clerici. 8

Quale peccatum committatur ab eo, qui non suscepto Confirmationis Sacramento, suscipit Ordines, vel primam Tonsuram, non omnino conveniunt DD. Tanner. *de Sacram. D.* 4. *quæst.* 4. *num.* 88. Pont. *de Sacr. Conf. c.* 3. *n.* 6. & alii putant peccare graviter, quod colligunt ex diligenti inquisitione, quam præmittere de hoc Prælati Ecclesiastici solent, & cavere, ne isto Sacramento non suscepto, quisquam ad Ordines, & primam etiam Tonsuram admittatur: & confirmant etiam ex eo, quòd videatur præceptum istud esse in materia gravi, cùm ex Christi institutione Confirmatio plurimum conferat ad conservandam Fidem, & Charitatem, quibus Virtutibus Clerici præ aliis fidelibus excellere solent. Alii tamen cum Layman. *l.* 5. *tr.* 3. *c.* 5. *n.* 4. Pal. *tr.* 20. *D. un. p.* 8. *n.* 6. *fin.* Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 2. *n.* 15. putant, seclusо contemptu, & speciali necessitate, ejus omissione solùm peccari venialiter: de quo aliqua dixi *Lib.* 1. *Tit.* 11. *n.* 25. *v. quintò*. 9

TITULUS XLIV.

De Custodia Eucharistiæ, Chrismatis, & aliorum Sacramentorum.

SUMMARIUM.

1 *Explicatio Rubricæ.*
2 *An bene Eucharistia asservetur in Ecclesiis?*
3 *Defenditur Orthodoxa sententia.*
4 *Exceptio.*
5 *Respondetur ad Rationes dubitandi.*
6 7 8 *Causæ, ex quibus olim asservata in Ecclesiis sit Eucharistia.*
9 10 *An is, qui Eucharistiam apud se retinet, de Hæresi suspectus haberi, & puniri debeat à Tribunali S. Officii?*
11 12 13 *Quomodo asservari illa in Ecclesiis debeat?*
14 15 *Quomodo Chrisma, & Oleum Infirmorum?*
16 17 18 *In quibus Ecclesiis?*
19 *An etiam in Conservatoriis Mulierum?*
20 *In Grangiis?*
21 *In Ecclesiis Collegiatis?*
22 *Aut aliis non Parochialibus?*

23 24 *Quid circa hoc possit consuetudo?*
25 26 27 *Quis teneatur ad praestationem olei, & conservationem lampadis ardentis ante Venerabile?*
28 29 *Penes quem debeant custodiri claves Tabernaculi, in quo Eucharistia custoditur?*
30 31 *Quomodo deferri debeat, cum ea muniendus est infirmus?*

1 EXplicatis Eucharistiæ, & Baptismi Sacramentis, subjungitur de *Custodia Eucharistiæ, Chrismatis, & aliorum Sacramentorum*: ubi verba *aliorum Sacramentorum* accipienda sunt impropriè, & in lata acceptione pro Oleo Extremæ Unctionis, & rebus, quæ Sacramentorum usibus deputatæ sunt; Chrisma enim, Oleum infirmorum, & similia Sacramenta non sunt, sed tantùm Sacramentalia. Gonzal. *in cap. 1. hoc tit. num. 2. fin.*

2 Quæritur 1. an bene Eucharistia asservetur in Ecclesiis? Insurgunt in contrarium Hæretici nostri temporis, blaterantes, Eucharistiam solùm in usu consistere, & tunc primum panem, ac vinum consecrata dici, quando comeditur, & bibitur. Argumenta, quibus probari videtur, quòd Eucharistia in Ecclesiis non bene asservetur, tria sunt. 1. quia hoc alienum est à facto Christi Domini, qui, ut Origenes, seu Cyrillus *Hom. 5. in Levit. cap. 7.* meminit, *Panem, quem Discipulis dabat, non distulit, nec differri jussit in crastinum*. Ergo non rectè ab Ecclesiæ PP. jubetur custodiri. 2. idem mos contrarius est disciplinæ Ecclesiæ antiquæ; nam à primis Ecclesiæ incunabulis constat Eucharistiam non asservatam, sed peracto Missæ sacrificio consumptam: & hinc S. Clemens *in Epist. 2.* jubet, *ut tot ponantur in Altari holocausta, quot populo sufficere videantur; si quid autem supersit post Communionem, non servetur in crastinum*. 3. *cap. Presbyter 1. de celebr. Missar.* præcipitur, ut Presbyter, *si voluerit, exeat ad opus rurale jejunus*, ut scilicet, quemadmodum DD. hunc textum explicant, iterum celebrare, & *sic necessitatibus - - - infirmorum - - - succurrere possit*.

3 Verùm hunc Eucharistiam asservandi ritum firmiter Catholici retinent, eumque à tempore Concilii Nicæni Ecclesiæ usitatum fuisse recensent PP. Conc. Trid. *sess. 13. cap. 6. de Euchar.* qui proinde *ibid. can. 7.* anathema pronuntiant in eum, qui *dixerit, non licere S. Eucharistiam in Sacrario reservari, sed statim post consecrationem adstantibus necessariò distribuendam*; quod confirmatur ex D. Clem. *l. 8. Const. Apost. c. 13.* ubi jubetur, peracta Communione, quod superest de Corpore Domini, reponi à Diaconis cum debita reverentia in Pastophorio, seu Tabernaculo. Imò primis Ecclesiæ temporibus, quòd fideles ob Gentilium persecutiones ad sacram Communionem unà convenire non poterant, iisdem permissum fuit, ut particulas Eucharistiæ ad proprios Lares deferrent, & ibi privatim asservarent, ut singulis diebus, prout moris tunc erat, se sacro hoc Epulo possent reficere. Hieron. *Epist. 50.* Tertull. *lib. de Orat. sub fin. & lib. 2. ad uxorem*, Cyprian. *lib. de lapsis n. 92. & lib. de spectaculis*. Vinc. Petra *tom. 3. comment. fol. 298. num. 4.* qui mos, tepescente paulatim pristina Fidelium Charitate, cum quandoque Venerabile Sacramentum minori reverentia conservaretur, aliquando etiam adhiberetur ad horribilia quædam, & nefaria, paulatim abolitus, & præceptum est, ut in Ecclesia tantum Eucharistia asservaretur, prout patet ex Concil. Cæsaraug. II. *can. 3.* Tolet. I. *can. 14.* Vvormatiens. relato *can. 93. de consecr. dist. 2. & c. statuimus 1. h. tit.* quem deinde morem asservandi Eucharistiam in Ecclesiis generali postea totius Ecclesiæ consuetudine receptum testatur Baron. *ad annum Christi 57. n. 151.*

4 Hinc in locis sub dominio Infidelium, vel Hæreticorum, ne exponatur periculo irreverentiæ tantum Sacramentum, illud non retinetur in Ecclesia, aut domi, sed tantùm Olea sacra apud Parochos, ut retulit practicari in Diœcesi Tribiniensi sub Turcarum ditione Episcopus Macharensis, & Tribiniensi in relatione facta occasione visitationis sacrorum Liminum *die 11. Sept. 1706.* Refertur tamen summus Pontifex olim indulsisse, Mariæ Scotorum Reginæ, ut Eucharistiam penes se retinere posset, dum erat in carceribus, ut si ad Martyrium raperetur, se ea reficere, & armare ad luctam posset, prout referunt Card. de Lug. *de Sacram. disp. 19. sect. 1. n. 25.* Vasquez *in 3. p. D. 119. c. 1. n. 218.* Hurtad. *resol. mor. tr. 5. c. 6. resol. 638. n. 1438.* de qua tamen dispensatione dubitat P. Aversa *de Sacram. q. 10. sect. 3. fin. vers. non enim.*

5 Ad Argumenta *n. 2.* allata facilis est responsio. *Ad* 1. multa per se Christus Dominus non jussit, quæ postea per Apostolos disposuit, etiam circa Sacramentum Eucharistiæ, ut testatur S. Augustinus *Epist. 118.* Nec Origenes hoc agebat, ut probaret, non posse Eucharistiam conservari, sed cum docere vellet, placere Deo Sacrificium laudis recens, & novum, ac spirituale, non vetus, usus est exemplo Domini, qui Eucharistiam à se consecratam continuò manducari jussit, ut exponit Bellarm. *l. 4. de Euchar. c. 5.* Accedit, quia in his Homiliis Origenis, & Cyrilli Rufinus, qui eas vertit, plura adjecit, & sustulit, ut ipse testatur. *Ad* 2. Olim Eucharistiæ Sacramentum asservari prohibitum fuit, quòd propter persecutiones Gentilium exponi illud publicè non potuerit, cum periculum esset, ne ab iisdem apprehenderetur, & conculcaretur. *Ad* 3. antiquitus, ut benè notat Gonzal. *in capit. 1. h. tit. n. 7.* desiderabatur jejunium non solum in celebrante Missæ sacrificium, & recipiente Corpus Domini, sed etiam in administrante: & ideò licèt Eucharistia servaretur pro infirmis, tamen, ut rite illis administrari posset, jubetur à PP. Conc. Agath. ut Presbyter, seu Parochus jejunus sit.

6 Quæritur 2. Ex quibus causis olim asservata in Ecclesiis Eucharistia sit? Resp. plures hujusmodi causas Gonz. *in c. 1. h. tit. n. 7.* & alii referunt. 1. Ut, quando petitur, vel necessarium est, ministrari petentibus, præsertim infirmis posset.

2 Ut fideles semper haberent Christum præsentem etiam quoad Humanitatem, ad implendam ipsius promissionem, *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Matth. 28. *v. 20.*

3 Ut deferretur ad Monachos, & Moniales, vitam solitariam in eremis agentes: cujus rei meminit S. Basilius *in Epist. ad Cæsariam Patritiam*, & Imperator *Novell. 123. c. 36. v. fœminis autem.*

7 4 Ut peregre profecturis daretur in Viaticum: ex qua causa S. Satyrus SS. Eucharistiam, ab Ambrosio fratre suo acceptam, orta in mari tempestate, è collo suspensam gessit, prout refert ipse Ambrosius *de ipsius obitu c. 8.* & Beda *in Martyrolog. die 15. Aug.* refert Tharsicium Martyrem cum deferret secum Eucharistiam, & incidisset in Gentiles, maluisse eripi sibi vitam, quàm Eucharistiam, quæ è manibus Gentilium evolavit.

5 Ut fidelium vita functorum ori, vel pectori imposita eisdem consepeliretur: quod factum fuit tum ad fugandos ab eorum sepulchris Dæmones, tum ad extirpandum ritum Gentilium, qui defunctorum ori inserebant trientem Charonti pro naulo. Raynaud. *Heterocl. Spirit. p. 2. sect. 1. p. 10. n. 7.*

8 6 Pro iis diebus, quibus, ut in plerisque Quadragesimæ fiebat, Missæ Sacrificium non peragebatur. Balsamon apud Gonzal. *in c. 1. h. tit. n. 7.*

7 Pro Præsbyteris, & Diaconis primùm ordinatis, ut per 40. dies à sua ordinatione ejus particulas sumerent. Hallierius *de Sacr. Elect. c. 7. art. 2. §. 3.*

8 Denique pro adoratione publica, in Altari illam exponendo, & in Processionibus circumferendo. Gonzal. *in c. 1. cit. n. 7. fin.*

Ex his causis, antiquatis cæteris, hodiè ferè tantùm prima, secunda, & ultima mansit, quinta verò solùm pro die Parasceves; nam in cæteris per annum diebus Ecclesia Latina Sacrificium Missæ semper offert.

9 Quæritur 3. an is, qui sacrosanctam Eucharistiam apud se retinet, de Hæresi suspectus haberi, & puniri debeat à Tribunali S. Officii? Resp. distinguendo: Vel enim id fecit ex simplicitate, & mera devotione, vel ex alio fine. *Si primum*, & ita Eucharistiam apud se retinens aliunde benè sentit de hoc Sacramento, is non erit suspectus de Hæresi, & per consequens illius causa non spectat ad S. Officium: proinde spontè comparens interrogatur, an de Eucharistiæ Sacramento credat, quod credunt Catholici, & si circa hoc nullum habeat errorem, dimittitur à sacro Tribunali, ut resolutum refert *sub die 25. Febr. 1659. Card. Albit. de Inconst. in Fid. c. 32. n. 136. & 137.* apud Vincentium Petra *tom. 3. comment. fol. 299. n. 9.*

10 *Si secundum*, videndum, ex quo fine retineat quis sacram Hostiam; nam si retineat ob finem illicitum, v. g. ad lucrum reportandum in ludo, aut se impenetrabilem reddendum armis hostilibus &c. eo casu procederet S. Officium; quia abuteretur SS. Sacramento; & sic à S. Officio ad triremes condemnatos fuisse hujusmodi reos meminit Card. Albit. *l. c. n. 138.* Si autem finis non est illicitus, tunc minuitur pœna, prout ei, qui contra morbum pestis Hostiam consecratam deferebat, fuerunt injunctæ pœnitentiæ salutares, prævia gravi monitione, ut patet ex *Decreto 21. Jul. 1631.* apud Card. Albit. *n. 139.*

Quæ-

Quæritur 4. quomodo asservari in Ecclesiis Sacramentum Eucharistiæ debeat, ut eidem debitus honor, & reverentia exhibeatur? Resp. 1. Asservari debet in Tabernaculo, ad id decenter ornato, secundùm S. Clementis Constit. *l.* 8. *cap.* 20. quod Tabernaculum in medio Altaris collocari mandatum fuit in Concil. Turon. *can.* 3.

2 Claudi debet in Pixide benedicta, seu, ut vocamus Ciborio, quod non ligneum ob periculum fractionis, neque lapideum ob humiditatem, & ponderositatem, sed argenteum, & inauratum esse debet, & quandoque gemmis distingui solet. Sausay *Panopl. Sacerdot. p.* 1. *l.* 9. *cap.* 4. §. *de Ciboriis.* Et poni Pixis ista cum S. Eucharistia debet super Altari viatico, vel ad minùs super Corporali. Zerol. *p.* 1. *V. Eucharistia ad* 1. Vallens. *hic num.* 2. Schambog. *num.* 2. In Parochialibus Ecclesiis in Tabernaculo poni solet Pixis duplex, in quarum altera custoditur Eucharistia, in altera ad infirmos defertur.

3 Ne tempore corrumpatur, frequenter, & saltem singulis septimanis semel renovandum, ita, ut antiquæ species sumantur, novæ consecrentur. Fuscus *de Visitat. l.* 1. *cap.* 5. *num.* 3. Gonzal. *in cap.* 1. *h. tit. num.* 9. Vallens. *hic num.* 2. Schambog. *num.* 2. Engl. *num.* 2. Et procedit hoc etiam tempore interdicti, & in Ecclesia specialiter interdicta per *cap. permittimus* 57. *de sent. Excom.* Gonzal. *l. citt.*

2 4 Ne periculum sit alicujus irreverentiæ, & scelerati homines ad nefaria opera abutendi ansam accipiant, à Concil. Later. sub Innoc. III. constitutum est, ut Sacerdos illam, & sacrum Chrisma habeat sub clavi, & fideli custodia *cap. statuimus* 1. *h. tit.* & *cap. sanè* 10. *de celebr. Missar.* quam custodiam si neglexerit, tribus mensibus ab Officio jubetur suspendi, & si per incuriam ejus aliquid nefarium, v. g. furtum sacrilegum, aut sortilegia contigerint, graviùs (ad arbitrium Judicis, cùm certa pœna non determinetur *in cap. statuimus cit.*) puniendus est. Gloss. *ibid. vers. gravior*, Pirh. *hic num.* 1. Schambog. *num.* 1.

5 Ante Altare, vel Tabernaculum, in quo Eucharistia deposita custoditur, generali Ecclesiarum usu, & aliquarum etiam Statuto ardere debet die, noctеque lampas, tum, ut Ecclesiam ingressi sciant, quo potissimùm loco adoranda sit præsentia Servatoris; tum verò, ut per hoc moneantur adesse ibi candorem Lucis æternæ, & sic ad venerationem tanti Mysterii excitentur. Navar. *de Orat. cap.* 18. *num.* 67. Possevin. *de Offic. Curat. cap.* 12. *num.* 68. Engl. *hic num.* 2. Vviestner *num.* 6. *ibid.*

3 6 Ipsæ Ecclesiæ, & Altaria, in quibus hæc Sacra Mysteria peraguntur, & proponuntur, decenter ornanda, curandumque Sacerdotibus, & cæteris Ecclesiæ Ministris est, ut vasa, vestimenta, & ornamenta Sacra sint munda, & nitida *can. vestimenta* 41. *can. vasa* 43. & *cap. de consecr. dist.* 1. quia nimis absurdum foret, sordes negligi in Sacris, quæ non tolerantur in profanis *cap. fin. h. tit.* Honor. *hic num.* 4. Zœs. *n.* 2. Schambog. *num.* 1. *fin.* Vviest. *num.* 8. Hinc in iisdem Ecclesiis non reponatur supellex, vel bona profana, nisi cogat necessitas, v. g. ob hostiles incursus, aut repentina incendia, qua cessante, denuo ab Ecclesia tollenda sunt *cap. fin. cit.* nam quod ob certam causam concessum est, debet illa cessante revocari. Abb. *in cap. fin. cit. num.* 3. Barbos. *ibid. num.* 1. & 2. Gonzal. *num.* 4. Vallens. *hic n.* 4. *fin.* Zœs. *n.* 3. Pirh. *n.* 2. Schambog. *n.* 1.

14 Quæritur 5. quomodo asservari debeat Sacrum Chrisma, & Oleum infirmorum? Resp. olim Chrismate fideles utebantur pro medela in suis infirmitatibus: quem usum improbarunt PP. Concil. Arelat. 6. *can.* 8. Moguntin. *can.* 27. Pontific. Roman. *tit. de Offic. V. Feriæ in Cœna Domini*, ibi, *Jubet Episcopus Presbyteris attentè, ut juxta Canonum traditionem Chrisma, & Olea ab ipso Episcopo in ea die consecrata fideliter custodiant, & nulli sub prætextu Medicinæ, vel maleficii tradere præsumant; aliàs honore privant.* Rationem reddidit S. Cyprianus *in Serm. de Unct. Chrismal.* ibi, *Non hæc medendis corporibus est unctio instituta, -- sed virtus Divina potentiùs operatur.*

15 Quare 1. ne Sacrum Chrisma, & Oleum ab Episcopo benedictum à Laicis aliis usibus, præsertim impiis, & ad maleficia, ut sæpe fiebat, applicetur, *cap. statuimus* 1. *h. tit.* constitutum est, ut illud *sub fideli custodia clavibus adhibitis conservetur.*

2 Vasa, in quibus Chrisma, & Oleum infirmorum asservatur, debent esse argentea, ubi facultates Ecclesiæ suppetunt, vel saltem stannea bene cooperta, & cum inscriptione sua de oleo, quod in unoquoque vasculo continetur, ne in administratione confusio eveniat, errorque succedat, unum pro alio administrando. Barbos. *in cap.* 1. *h. tit. num.* 2.

3 Asservari Chrisma, & Olea benedicta debent in loco honesto, & decenti, non tamen in Tabernaculo S. Eucharistiæ; nam in hoc nihil stare præter ipsam debet: Barbos. *l. cit.*

Quæritur 6. in quibus Ecclesiis asservari Eucharistia possit? Resp. 1. potest, & debet in Ecclesiis Parochialibus, si tamen actu tales sint; nam si habitu tantùm Parochiales sint, & populum non habeant, asservari Eucharistia in iis regulariter, & absque dispensatione Apostolica nequit; quia S. Eucharistia præcipuè asservatur in usum infirmorum, quæ necessitas cessat in Ecclesiis, quæ habitu solùm Parochiales sunt. Vincentius Petra *tom.* 3. *comment. fol.* 300. *num.* 15. 16

2 In Ecclesiis Cathedralibus; quia dicuntur primæ Parochiæ Diœcesis. Sed in his collocari Sanctissimum debet extra Altare majus in alia Capella decente, idque propter functiones Pontificiales, quæ necessariò sunt faciendæ ab Episcopo retrorsum ad Altare majus, & ne necessariis genuflexionibus Episcopus magis defatigetur, & interrumpatur functio: sicque observatur in Ecclesiis Patriarchalibus Urbis, & teste Petra *l. cit. num.* 16. decisum est à S. Congr. Episc. *in Lucensi* 10. *Febr.* 1779. *in Aquilana* 29. *Aug.* 1594. *in Cacertana* 28. *Nov. dicti anni*, & novissimè in Congregatione particulari à Sanctissimo deputata *in Casalensi sub die* 16. *Maji* 1708. quod idem Petra *num.* 17. suadet etiam pro Ecclesiis Collegiatis, ubi ait, ob Missas cantatas meliùs asservari Eucharistiam in alia Capella, quàm, prout solet, ut tempore Missæ cantatæ deferatur ad aliud Altare, ne hujusmodi assidua translatione irreverentia committatur. 17

3 In Ecclesiis Regularibus; quia censentur Parochiales respectu Regularium in Monasterio degentium. Pellizar. *Man. Regul. tract.* 3. *cap.* 6. *num.* 1. & 2. Petra *l. cit. fol.* 301. *numer.* 18. & sic vel ex ipsa fundatione idem tributum censetur, vel ex generali permissione, cùm servatis servandis erigi debeant, ut idem Petra *l. cit.* monet. Proceditque hoc etiam in Ecclesiis Monialium, in quibus tamen ex Decreto *Trid. sess.* 25. *de Regular. cap.* 10. asservari Eucharistia debet *non intra Chorum, vel septa Monasterii, sed in Ecclesia publica, non obstante quocunque indulto, aut privilegio.* Addit tamen Vallens. *hic num.* 3. quod ex causa, ut in die aliquo festo, cum licentia Prælati ad devotionem fortè Monialium illic exponi possit. 18

Contrà asservari Eucharistia sine dispensatione Apostolica nequit 1. in conservatoriis Mulierum, quæ non approbantur à Sede Apostolica, in quibus Jura parochialia reservantur parocho, aliquibus permissis Capellano, prout teste Petra *loc. cit. num.* 21. resolvit S. Congreg. Concil. *in Calernitana* 19. *Aug.* 1702. *ad* 2. *in Neapolitana Conservatorii*, 2. *Jul.* 1707. & *in eadem*, reproposita causa, rescripsit *sub die* 28. *Julii* 1708. 19

2 In Grangiis, seu Domibus Ruralibus Regularium, ut patet ex *Ulyssiponens.* 3. *Sept.* 1707. nam cùm PP. Oratorii S. Congreg. supplicassent pro Indulto retinendi Eucharistiam in Oratorio ejus Grangiæ, in qua solebant morari aliqui Patres vel ob infirmitatem, vel recreationis causa, maxima difficultas in concessione orta est, & demum considerando, quòd locus principaliter destinatus erat pro infirmis, & votum favorabile Nuntii Apostolici concurreret, ut posset concedi tempore, quo adessent infirmi, Sacr. Congreg. rescripsit juxta votum arbitrio ejusdem Nuntii, limitando tamen, ad septennium salvis Juribus Parochialibus. 20

3 In Ecclesiis Collegiatis sæcularibus, si non actu parochiales sint; nam in his S. Congr. Concil. respondit, SS. Eucharistiæ Sacramentum non posse asservari absque privilegio, seu legitima facultate Sedis Apostolicæ, prout patet *in ejus Decreto* 7. *Sept.* 1652. *lib.* 19. *Decret. fol.* 207. *tom.* 1. apud Petram *l. cit. num.* 24. *Neque obstat* resolutio S. Congreg. Rituum *in Tuscanensi Præeminentiarum* 19. *Aug.* 1619. *ad* 4. ubi responsum est debere Collegiatam conservare SS. Sacramentum; quia Collegiata illa, ut ibidem explicatur, habebat parochiam. Unde quoad hoc Ecclesiæ Collegiatæ Sæculares differunt à Regularibus; nam istis conceditur asservatio propter infirmos, quæ ratio cessat in Collegiatis nullum habentibus populum. 21

4 In cæteris Ecclesiis non parochialibus; nam in his nullo modo licitum est Sanctissimum asservare, nisi cum licentia Sedis Apostolicæ, cum Ordinario non sit licitum contra Canones ire, ut ex *can. tribus* 23. §. *tam de Consecr. dist.* 2. & aliis Juribus docent Barbos. *in c. sanè n.* 3. *de celebr. Missar.* & *ad concil. Trid. sess.* 23. *de reform. q.* 6. *n.* 3. & *de potest. Episc. alleg.* 22. *n.* 8. Riccius *in collect.* 22

lect. dec. p. 4. *collect.* 1216. *& in prax. rer. Eccl. post resolut.* 495. M. Ant. Genuens. *prax. Cur. Arch. Neapol. cap.* 110. *impress. Venet. & cap.* 92. *in alibi impress.* Pignatell. *tom.* 9. *consult.* 86. *num.* 16. Ventrigl. *prax. tom.* 2. *annot.* 21. *§. un. per totum*, Petra *tom.* 3. *cit. fol.* 303. *num.* 29. & hoc teste resolvit Sacr. Congreg. *in Tarracon.* 27. *Jun.* 1697. *in Nonantulana* 16. *Jan. &* 17. *Febr.* 1785. *ad* 5. *in Acheruntina*, *seu Materan.* 3. *Maji* 1668. *in Bononiens.* 5. *Maji* 1689. *in Justinopolit.* 27. *Maji* 1634. Hinc nulla est licentia concessa ab Ordinario ut *ead. S. Congr.* ad instantiam Genuensis respondit *in Neapolitana Anno* 1609. quam resolutionem secuta fuit *Congr. memorata in Neapolitana Conservatorii cit.* in qua causa fuit producta licentia Vicarii Generalis, & responsum, hujusmodi licentiam fuisse nullam.

23 Quæritur 7. an si concurrat consuetudo Eucharistiam asservandi in alia Ecclesia parochiali, id continuari possit, etsi non constet de indulto Apostolico? Resp. distinguendo; Vel enim constat ab initio fuisse asservatam ex sola licentia Ordinarii, conf. titulus infectus productus est, vel non fuit productus titulus infectus. *Si primum*, & possessio innitatur licentiæ Ordinarii, ea non suffragabitur possidenti; quia possessio non suffragatur, nisi quia præsumere facit licentiam Sedis Apostolicæ, quæ præsumptio cessat, dum constat de licentia Ordinarii. Petra *tom.* 3. *comment. fol.* 304. *num.* 32. & fuit resolutum *in cit. Neapolitana*, apud *Genuensem*, *& in eadem Neapolitana Conservatorii*, ubi adducebatur possessio ultra Sæculum, & tamen, cùm producta fuerit licentia Vicarii, & Decretum Cardinalis Archiepiscopi successivum, ut non molestaretur Conservatorium pro asservatione Sanctissimi Sacramenti, possessio hæc canonizata non fuit.

24 *Si secundum*, possessio inducet præsumptionem tituli, & privilegii Apostolici. *Dubium* tamen est, quanti temporis debeat esse illa possessio? Ad quod Vincent. Petra *l. cit. fol.* 104. *num.* 32. *& tribus seqq.* putat non sufficere tempus quadragenarium sine titulo, sed requirit titulum saltem putativum inducentem bonam fidem, & hoc deficiente, possessionem immemorialem, vel centenariam; nam talis requiritur in præscribendo aliquo præjudiciali Ecclesiæ Romanæ.

25 Quæritur 8. quis teneatur ad præstationem olei, & conservationem lampadis, quæ ut *num.* 12. dictum est, ardere coram venerabili Sacramento die, nocteque debet? Resp. si consuetudo sit in aliquo loco, ut Parochiani ad conservationem lampadis certas oblationes facere soleant, illa omnino observanda erit. Si autem consuetudo legitimè probari non possit, Engl. *hic num.* 3. putat decidi posse quæstionem ex Concil. Trid. *sess.* 21. *cap.* 7. *de reform.* ubi generaliter constitutum est, ut conservatio Ecclesiæ primò desumatur *ex fructibus, & proventibus quibuscunque, ad easdem Ecclesias quomodocunque pertinentibus; qui si non fuerint sufficientes, omnes Patronos, & alios, qui fructus aliquos ex dictis Ecclesiis provenientes, percipiunt, aut in illorum defectum Parochianos omnibus remediis opportunis ad prædicta cogendos.*

26 *Neque obstat*, quod *cit.* Decretum in specie non loquatur de conservatione lampadis; nam cùm generaliter loquatur de instauratione Ecclesiæ, utique de omnibus, quæ in Ecclesia necessaria sunt, intelligendum erit; quia ut *l. nam ut* 13. *ff. de LL.* Ulpianus ait, *Quoties lege aliquid, unum vel alterum introductum est, bona occasio est, cætera, quæ tendunt ad eandem utilitatem, vel interpretatione, vel certè Jurisditione supplere.*

27 Quodsi neque populus parochianus vires sufficientes habeat, potest Episcopus uti facultate transferendi parochias ad Matricem, vel aliam Ecclesiam ex Decreto Trid. *cap.* 7. *cit.* Sed antequam hoc medio utatur, expediens duxit Sac. Congr. Concil. *in Spoletan.* 12. *Aug.* 1604. *lib.* 10. *pag.* 91. ut *quando Eucharistiæ Sacramentum in omnibus Parochialibus -- asservari pro tenuitate redditunm nequit, Episcopus decernat, ut in singulas ternas, quaternasque vicinas Parochiales id onus distribuatur, & in una quidem ex eis habeatur Augustissimum Sacramentum, ad impensam verò lampadis, & hujusmodi cætera vicinæ contribuant, illoque, ubi casus se obtulerit, perinde uti Rectores possint, acsi in propria Parochiali illud asservaretur.*

28 Quæritur 9. penes quem claves Tabernaculi, in quo, Eucharistia clauditur, custodiri debeant? Resp. in parochialibus Ecclesiis eas retinere privativè quoad alios debeat parochus, prout resolvit Sacr. Congreg. Concil. *in Asculana* 25. *Jun.* 1689. *lib.* 39. *Decret. pag.* 218. *& in Neapolitana* 14. *Nov.* 1693. *lib.* 43. *Decretor. pagin.* 548. in non parochialibus retinentur claves à Capellanis, seu Rectoribus, nunquam autem à Monialibus, & [illegible] Glo. [illegible] *in can. fin. caus.* 24. *quæst.* 1. etiamsi P[illegible], cùm nullo Jure uti valeant in Ecclesia, nisi præ[illegible], & aliis concessis per Trid. *sess.* 24. *cap.* 3. *i. fin. de reform.* quod procedit etiam in Feria V. Cœnæ Domini. Pignatell. *tom.* 6. *consult.* 87. ubi plures Sac. Congreg. Rit. resolutiones refert, nempe *in Pacen.* 30. *Jan.* 1610. *in Civitate num.* 22. *Dec.* 1631. *& in Calagurit.* 13. *Sept.* 1642.

Excipitur, si adesset generalis, ac immemorialis consuetudo in aliqua Provincia, ut claves ad Sanctissimum essent penes Laicos; tunc enim hoc tolerandum esset, modò persona, penes quam claves sunt, sit honesta, & gravis. Pignatell. *l. cit. num.* 9. *&* 10. Petra *tom.* 3. *comment. fol.* 306. *num.* 44. qui notat id servari in Ecclesia S. Jacobi Hispanorum in Urbe, & fere etiam in Hispania, & in Regno Siciliæ, ac etiam in Neapolitano. 29

Quæritur 10. quomodo deferri S. Eucharistia debeat, cum ea in Viaticum æternitatis muniendus est infirmus? Resp. deferri debet à parocho, vel ejus Cooperatore, decenti habitu, & superpelliceo induto, in vase, vel calice argenteo, serico cooperto, cum omni reverentia, & devotione, præcedente lumine, tintinnabulo sonante, & si fieri potest, cum cantu, ut eo admoniti fideles genua flectant, & sub speciebus panis latentem Deum adorent. Fuscus *de Visit. l.* 1. *cap.* 5. *n.* 10. Piasec. *prax. Episc. p.* 2. *cap.* 3. *num.* 24. Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 22. *num.* 4. *&* 5. monens, non unam tantùm, sed duas Hostias consecratas deferendas ad ægrotum, ut iste earum una reficiatur, alteram à populo adorandam ad Ecclesiam Sacerdos reportet. 30

Præterea non est deferendum Sanctissimum per plateam, ubi Judæi habitant, prout respondit S. Congr. teste Vallens. *hic num.* 4. Schamb. *ibidem numer.* 4. neque ad infirmos, ut cùm ob tussim, vel aliud impedimentum illud sumere nequeant, illud adorent. Vall. Schamb. *loc. cit.*

TITULUS XLV.

De Reliquiis, & Veneratione Sanctorum.

PRæter Eucharistiam, Chrisma, & Oleum benedictum in Ecclesiis custodiri, & publicæ venerationi exponi solent Reliquiæ Sanctorum: imò in quovis Altari Reliquiarum aliquid reconditum asservari debet *can. placuit* 26. *de consecr. distinct.* 1. Porro ut Reliquiæ ad Cultum publicum exponi possint, requiritur, ut sint alicujus Sancti, vel Beati. Hinc antequam de Reliquiis quid dicatur, præmittendus

§. I.

De Veneratione, & Canonizatione Sanctorum.

S U M M A R I U M.

1 *Quid sit canonizatio?*
2 *Cujus authoritate fieri debeat?*
3 *Respondetur eam pertinere ad Summum Pontificem.*
4 *Et quidem privativè.*
5 *Solvuntur Objectiones.*
6 7 *An cultu privato venerari liceat non canonizatum?*
8 *Ad Canonizationem requiritur Vita Sanctitas, & miracula.*
9 *Nec sufficiunt sola miracula.*
10 *Nec sola sanctitas vitæ.*
11 12 13 *Quando de his censeatur sufficienter constare?*
14 *Ad canonizandum Martyrem debet constare de Martyrio.*
15 *Materiali, seu morte obita.*
16 *Et formali tam ex parte Tyranni.*
17 *Quam ex parte passi.*
18 *An in canonizatione Martyris requirantur Miracula?*
19 *Respondetur affirmativè.*
20 *Exceptio.*
21 *An quævis incorruptio corporis defuncti.*
22 *Aut suaveolentia odoris præbeat indicium Sanctitatis?*
23 *&c. Quæ sit forma procedendi ad Beatificationem?*
33 *&c. Quomodo post Beatificationem procedatur ad Canonizationem?*
39 *Prærogativæ Sanctorum Canonizatorum.*

QUæritur 1. quid sit *Canonizatio*? Resp. *Canonizatio* est Ritus, quo aliquis Sanctus per Papam Albo, seu 1

ſeu numero Sanctorum adſcribitur, & publicè, ac ſolemniter, canonicè, & regulariter (præmiſſa ſcilicet diligenti inquiſitione ſuper vitæ, morumque probitate, & miraculorum veritate, juxta *cap. venerabili* 52. *de teſtibus*) declaratur, definitur, ac ſtatuitur, ut tanquam Sanctus ab omnibus honoretur, & de ipſo, ſicut de aliis Sanctis ejuſdem conditionis certa die quot annis ſolemne Officium celebretur, ut cum Hoſt. *in cap.* 1. *h. tit. V. venerantur poſt princ.* tradit Pirh. *hic numer.* 2. Differt à Beatificatione; quia Beatorum cultum Pontifex ſolùm permittit, indulget, vel concedit uni loco, Regno, vel Provinciæ, Sanctorum verò venerationem pro Eccleſia univerſali (quæ tenetur Pontifici obedire) decernit, & definit. Matthæucc. *Offic. Eccl. capit.* 47. *num.* 2.

2 Quæritur 2. cujus authoritate canonizatus eſſe debeat, ut pro Sancto quis publicè coli poſſit? Videtur ad hoc ſufficere authoritas Epiſcopi, ſaltem cum conſenſu Cleri, & populi; nam ejus authoritate conſtitutæ feſtivitates celebrandæ ſunt *cap. pronuntiandum* 1. *de conſecr. diſt.* 3. *& cap. fin. de Feriis. Conf.* ex veteri more Eccleſiarum, pro Sanctis colentium, quos Epiſcopi cum Clero, & populo publicæ venerationi propoſuerunt.

3 Sed dicendum, ut pro Sancto coli aliquis poſſit publicè, neceſſarium eſſe, ut is canonizatus, vel beatificatus ſit ab ipſo Summo Pontifice. Ita Vivian. *in cap. audivimus* 1. *h. tit. pr.* Barboſ. *ibid. num.* 1. *&* 2. Fagnan. *num.* 1. *&* 20. Gonzal. *num.* 3. Zœſ. *hic num.* 4. Honor. *num.* 2. Pirh. *num.* 3. Konig. *num. un.* Matthæucc. *Offic. Eccl. cap.* 47. *num.* 1. Vincent. Petra *tom.* 1. *comment. fol.* 532. *num.* 26. *& ſeqq.* & ſtatutum expreſsè eſt *cap. audivimus cit.* Ratio ſic ſtatuendi fuit 1. quia Canonizatio eſt una ex cauſis majoribus, quæ inter Chriſtianos moveri poſſunt, Gloſſ. *in cap. un. V. Sedis h. tit. in* 6. atqui cauſæ majores Sedi Apoſtolicæ reſervatæ ſunt. *c. majores* 3. *pr. de Baptiſm.* 2. in Canonizatione Sanctorum faciendum eſt diligens examen miraculorum *cap. venerabili* 52. *de teſtib.* in quibus præ cæteris Virtutibus operatur Fides, juxta illud Apoſtoli, *Si habuero omnem Fidem, ita ut montes transferam &c.* 1. *Corinth.* 13. *v.* 2. Fidem autem examinare præcipuè ad Sedem Apoſtolicam pertineat *can. quoties* 12. *cauſ.* 24. *quæſt.* 1. 3. Ad Papam ſpectat declarare dubia SS. Scripturarum *capit. per venerabilem* 3. *verſ. rationibus Qui filii legitimi:* ergo multo magis dubia Sanctitatis: quia circa majora majus periculum vertitur *cap. ubi periculum* 3. *pr. de elect. in* 6. 4. Per Canonizationem Sanctus ad cultum proponitur fidelibus univerſis: igitur cùm his omnibus præſit ſolus Papa, ad eum ſolum ſpectabit Canonizatio Sanctorum. 5. Si Canonizatio Sanctorum permitteretur Epiſcoporum examini, & diſcuſſioni, fideles obnoxii eſſent deceptioni, & confuſioni; & facilè contingeret, ut alii pro Sanctis colerent, quos alii damnarent tanquam reprobos, ſicut factum eſt in caſu: *audivimus cit.*

4 Et quidem hæc poteſtas canonizandi Sanctos Summo Pontifici competit privativè ut DD. *citt.* notant. Ex quo ſequitur, quòd Epiſcopi non poſſint canonizare aliquem, etiam pro ſuis diœceſibus tantùm; imò nec Legatus à Latere, etiam ex ſpeciali commiſſione Summi Pontificis; quia is non poteſt delegare alteri res fidei. Nec denique etiam Concilium generale, abſque Romani Pontificis authoritate Barboſ. *in cap.* 1. *h. tit. num.* 7. & 8. Pirh. *hic num.* 3. *verſ. ex quo infertur*, Schambog. *ibid. num.* 6. Vincent. Petra *tom.* 1. *comment. fol.* 533. *num.* 37. *&* 40. Libri quoque de geſtis, miraculis, revelationibus, & ſimilibus talium nominum, in opinione Sanctitatis exiſtentium, non prius imprimi debent, quam Ordinarius, adhibito conſilio TT. & aliorum piorum virorum, illos recognoverit, eaque de re inſtructionem ad Sedem Apoſtolicam miſerit, ac reſponſum ejuſdem acceperit. Engl. *hic num.* 4. *verſ. libri quoque.*

5 Ad rationem dubitandi *numer.* 2. allatam, Epiſcopi quidem indicere Feſta poſſunt, ſed non niſi de Sanctis à Sede Apoſtolica aliquando approbatis; nam licèt à Papa canonizati omnes colendi ſint, non tamen omnium, & ſingulorum Feſta coluntur in omnibus Eccleſiis, prout notat Hoſt. *in cap.* 1. *h. tit. num.* 8. Joan. Andr. *ibid. num.* 6. Fagn. *num.* 23. Vvieſt. *hic num.* 23. *Ad Conf.* expoſitio illa ad publicum cultum non fuit vera canonizatio, ſed publicum quoddam, non tamen infallibile teſtimonium de hominis Sanctitate; neque enim decernebant eos eſſe Sanctos, vel Beatos, ſed hoc etiam illis temporibus fiebat authoritate Pontificis, approbatione ſua quaſi tacitè canonizantis eum, quem vox populi Sanctum clamavit, & ut talem eſt venerata.

Quæritur 3. an cultu privato venerari liceat aliquem, 6
cum Sanctitatis publica exiſtimatione defunctum, ſed in SS. vel Beatorum numerum nondum Apoſtolica authoritate relatum? In partem negativam nonnulli allegant Abb. *in cap.* 2. *h. tit. n.* 3. ubi ait, non licere aliquem, etiam miraculis in vita, & poſt mortem editis illuſtrem, pro Sancto colere ſine Romani Pontificis authoritate. Verum id, ut ipſe *Abbas* ſe ſtatim explicat, intelligi debet de cultu publico, & Eccleſiæ totius nomine tali homini exhibito: qualis eſſet, ſi ejus imago, præſertim cum radiis, aliiſque Sanctitatis ſignis depicta, in Eccleſiis, Sacellis, Altaribus, vel aliis locis proponeretur ad venerationem, ſi eidem appenderentur tabellæ pictæ miracula continentes, vel alia Anathemata, ſi commemoratio ejus fieret in Divino Officio in, vel extra Chorum, aut in Sacrificio Miſſæ, ſi cum aliis Sanctis invocaretur in Litaniis, & ſimilibus precibus &c. quem cultum prohibitum conſtat *cap. fin. h. tit.* ibi, *Nemo publicè venerari præſumat.*

Quare dicendum, ejuſmodi cultum privatum permitti, prout argumento à ſenſu contrario ex verbis *cap. fin. citat.* ducto deſumunt Gloſſ. *in cap. unic. V. Sedis h. titul. in* 6. Innoc. *in cap. fin. citat. num.* 1. Anton. de Butrio *ibid. num.* 6. Abb. *in cap.* 1. *h. tit. num.* 3. Sylv. *V. reliquiæ pr.* Azor *p.* 1. *l.* 9. *cap.* 8. *quæſt.* 8. *fin.* Sanch. *l.* 2. *mor. cap.* 43. *à num.* 4. Vivian. *in cap.* 1. *cit. pr.* Barboſ. *in cap. fin. cit. num.* 5. Fagn. *numer.* 4. Vallenſ. *hic num.* 4. Zœſ. *num.* 4. Pirh. *num.* 2. Schambog. *numer.* 4. Vvieſtner *num.* 7. Quodſi ex privata devotione, vel Divino inſtinctu talem piè defunctum venerentur, & invocent, atque gratias, vel miracula ſibi obveniſſe affirment, tabellas offerant &c. licebit Epiſcopo ſuper aſſertis veritatem indagare, teſtes, & documenta recipere, oblata in ſeparato, & privato loco aſſervare, ut deſuper ſuo tempore Sedes Apoſtolica informari poſſit. Engl. *hic num.* 4. 7

Quæritur 4. quænam debeant concurrere ad hoc, ut 8
aliquis à Romano Pontif. titulo Beati decoretur, & in Sanctorum numerum adſcribatur? Reſp. id expreſſit Gregorius IX. in canonizatione Sancti Antonii de Padua *conſtitut.* incipit, *Cum dicat Dominus* 4. *Bullar. tom.* 1. §. 3. & alii Pontt. in aliis conſtitutionibus ſimili ex cauſa editis, juxta quas canonizari is tantùm poteſt, de cujus excellentia vitæ, & miraculis per probationem pleniſſimè conſtat *cap. venerabilis* 52. *de teſtib.*

Et quidem quòd miracula ſola non ſufficiant, certum eſt apud omnes; quia iſta, vel his ſimilia prodigia aliquando faciunt etiam mali, & peccatores, ut patet ex exemplo Magorum Pharaonis, Judæ proditoris, & aliorum reproborum. Fagnan. in *cap.* 1. *hoc tit. num.* 5. Petra *tom.* 2. *comment. fol.* 211. *num.* 10. Pirhing. *hic num.* 4. Ratio à priori eſt; quia in Miraculis præ aliis virtutibus operatur Fides, & quidem aliquando ſine charitate, ut inſinuat S. Paulus 1. *Corinth.* 13. *verſ.* 2. dicens, *Si habuero omnem fidem, ita, ut montes transferam, Charitatem autem non habuero, nihil ſum.* Fides autem ſine charitate ad ſanctitatem non ſufficit in adultis teſte eodem Apoſtolo, & Sancto Jacobo *cap.* 2. *verſ.* 14. Ex quo ſequitur, ut pro Sancto coli aliquis poſſit, neceſſe eſſe, ut practica de excellentia vitæ, h. e. Virtutum, & meritorum conſtet. 9

An verò ſola vitæ Sanctitas ſufficiat, dubium moveri 10
poſſet, & rationem dubitandi facit illud *Apoc.* 2. *verſ.* 10. ubi Dominus Angelo Smyrnæ, *Eſto fidelis*, inquit, *uſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ:* in quo textu ſola perſeverantia in bono petitur. Sed eſto, id verum ſit, ut quis Sanctus ſit apud Deum, non tamen ſufficit; ut quis Sanctus habeatur, & ut talis ſolemniter proponatur hominibus in Eccleſia militante, ſed præter Sanctitatem vitæ etiam exiguntur miracula, non quaſi hæc Sanctum efficiant, ſed quia oſtendunt Sanctitatem, & manifeſtant Deum velle, ut talis in Eccleſia militante publica veneratione colatur; cùm enim ex una parte multi in hac vita ſint lupi rapaces ſub veſtimentis ovium, & opera pietatis faciant non amore virtutis, ſed ob Hypocriſin, & vanam gloriam, ex altera verò Deus non omnes juſtos, ſed electos tantùm à ſe tali cultu decorare velit, ut Eccleſia cultum publicum decernere alicui poſſit, ſigno indiget, quo tam Sanctitatem vitæ veram, quàm voluntatem Dei volentis honorem iſtum alicui exhiberi cognoſcat: non poteſt autem utrumque humanitus cognoſci meliùs, niſi ubi cum exiſtimatione publica Sanctitatis concurrerint etiam miracula, ad invocationem talis Sancti conſecuta: ergo &c.

Quæritur 5. quando cenſeatur ſufficienter conſtare de 11
Sanctitate Vitæ, & miraculis? Reſp. 1. conſtare debet de integritate Fidei: & hinc ex *Decretis generalibus Urbani*

bani VIII. §. præterea apud Mattam *p.* 4. *de Canon. cap.* 7. *num.* 9. *& seqq. illud etiam diligentissimè indagandum est, an ille, vel illa, pro cujus canonizatione instatur, scripserit aliquos libros, tractatus, opuscula, meditationes, vel quid simile, nam si scripsisse constiterit, non priùs est ad aliquem actum inquisitionis deveniendum, quàm tales libri diligenter* in Sacr. Congreg. *examinentur, utrum contineant errores contra Fidem, vel bonos mores, vel doctrinam aliquam novam, & peregrinam, atque à communi sensu Ecclesiæ, & consuetudine alienam.* Si tamen is, qui hujusmodi Libros, vel Tractatus scripsit, adjecerit protestationem, qua seipsum, & scripta S. Romanæ Ecclesiæ judicio, & authoritati submittit, error, siquis fortè irrepserit, canonizationi non obest; quia protestatio probat; quòd scribens errorem illum non voluerit defendere cum pertinacia. Matthæucc. *Official. cap.* 47. *num.* 38. *Excipitur*, si liber, & protestatio sit viri docti, & contrarium illi, quod scripsit, sit manifestum, & definitum reperiatur ab Ecclesia; quia de tali viro præsumptio est, quòd definitionem Ecclesiæ non ignoret; conf. protestatio illa, tanquam contraria facto, non sublevaret. Matthæucc. *loc. cit.*

12 2 Constare debet de cæteris Virtutibus tam Theologicis, quàm Moralibus, quæ debent esse Charitate formatæ, in gradu excellenti, & heroico; in quo gradu reputantur esse, quando homo perfectè per Charitatem Deo, & Divinis stabiliter inhærendo, cum adjutorio Divinæ gratiæ operatur, cum perfecto dominio suarum passionum, refrænando, & supprimendo motus inordinatos, nec deliberatè consentit alicui imperfectioni morali, cui insit ratio aliqua peccati, etiam levissimi. Esparza *Theol. tom.* 1. *l.* 6. *de Virt. moral. quæst.* 5. *§. infertur, art.* 21. Pascucc. *tom.* 1. *de Canonizatione Sanctorum.* Matthæucc. *cap.* 47. *cit. num.* 5. *& trib. seqq.*

13 3 Miracula probari debent per duos, saltem testes, non singulares, neque de auditu alieno, sed de visu, vel auditu proprio, & juratos. Matthæucc. *num.* 16. *& quatuor seqq.* Sufficiunt autem ad Beatificationem, si ita probentur duo saltem miracula: ut autem ab hac procedi possit ad Canonizationem, de necessitate requiruntur alia duo ad docendam continuationem miraculorum post indultam Beato venerationem. De quibus plenissimè constare debet, esse supra vires naturæ, saltem quoad modum.

14 Quæritur 6. de quibus constare debeat, cùm agitur de canonizando Martyre? Resp. Martyrem canonizare, seu in Sanctorum Album adscribere, aliud non importat, quam actum declarationis Martyrii; cum eo ipso quòd quis sit Martyr declaratus ab Ecclesia, cultum Sanctis debitum ab ipsa Ecclesia consequi soleat. Petra *tom.* 3. *comment. fol.* 91. *num.* 1. Ut talis declarari aliquis possit, duo requiruntur, ut scilicet constet sufficienter de ipso actu physico passionis, seu mortis secutæ, qui dicitur *Martyrium materiale*, & de causa, ac modo, quo quis passus est mortem, qui appellatur *Martyrium formale*.

15 Ut sufficienter constare dicatur *de Martyrio materiali*, necesse est, ut probatio mortis sit concludens, conf. plena, vel in se ex dispositione duorum saltem testium de visu, vel ex aliis adminiculis; nam si testes de visu haberi nequeant, quia e. gr. agitur de re antiqua, in tali casu etiam testes de auditu robur probationis habent *arg. cap. licèt* 47. *de testib.* si deponant non ex auditu incerto aliorum, sed ab iis, qui Martyrio adfuerunt, ut dicunt Rotæ Auditores apud Lezan. *consult.* 1. *num.* 233. Et possunt ad deponendum de actu Martyrii admitti etiam Infideles; quia ut bene Lezan. *consult.* 13. *num.* 36. *Veritas, quæ ab inimico pectore, & ore interdum extorquetur, gratior esse solet:* præsertim si agatur de Martyrio illato inter infideles, ubi non adfuisse fideles liquet, qui deponere possent. Petra *tom.* 3. *comment. fol.* 94. *num.* 14. ubi tamen monet consultò esse procedendum in hujusmodi testimoniis Infidelium, nam possent hujusmodi facta falsò asserere, ut deinde veritas Cultus à nobis dati Martyribus obumbretur: hinc eorum depositiones attendi solummodo debent pro adminiculis, & per viam potiùs Notorii.

16 *Martyrium formale* in eo consistit, quòd Servus DEI passus sit mortem ex odio Fidei, vel alterius Virtutis, quatenus hæc ordinem ad DEUM supernaturalium authorem habet. Et hinc, ut factum *in Japonensi* 25. *Jan.* 1687. disputari duplex dubium separatum debet: unum est, an constet de Martyrio ex parte Tyranni, alterum, an de eo constet ex parte passi. *Ad primum* requiritur, ut Tyrannus mortem intulerit verè ex odio Fidei, aut Virtutis supernaturalis; nam si ex fine solùm politico vim inferat, & persequatur fideles, mortem passi ex ista causa Martyres dici non possunt, ut bene Petra *tom.* 3. *cit. fol.* 95. *num.* 21. Et hinc Martyres non dicuntur ii, qui moriuntur in bellis, quæ per Principes Germaniæ contra Acatholicos, vel etiam contra Turcas moventur. *Excipitur*, si in actu, ex Politica intentato, misceatur odium particulare Fidei, ut si tentetur patiens ad eam denegandam sub vitæ præmio: quia tunc videtur respicere Tyrannus ad extorsionem denegationis Fidei, & sic mortem inferre ex odio in illam, ut optimè Suarez *ad Reg. Angl. lib.* 6. *cap.* 11. *num.* 3.

Quoad secundum ex parte passi Martyrium formale constabit, si probetur, quòd Martyr sponte, & alacriter mortem subierit propter Christum, & perseveraverit in Charitate, & fortitudine usque ad extremum Spiritum; quia ut D. Chrysolog. *Serm.* 128. *non tam mors, quàm fides, & devotio Martyrem facit.* Petra *loc. cit. fol.* 94. *num.* 18. Adeoque requiritur 1. ut qui ita mortem subiit, fuerit verè fidelis; nullus enim verè Hæreticus, aut Infidelis Martyr censendus est, etiamsi occidatur eo motivo, quòd Idolis sacrificare renuat; Martyrium enim est opus externum, per quod patiens est testis Fidei, & Veritatis Christianæ, 2. ut sit in Charitate; nam sine hac non acquiritur Martyrium. Sufficit autem, si concomitanter eam habeat, accedente scilicet Martyrio, quod plenitudinem gratiæ confert disposito: & hinc sufficit, quod attritus sit supernaturaliter, etiamsi antè non fuerit in gratia. Petra *tom.* 3. *cit. fol.* 129. *numer.* 14. Ex quo sequitur, quòd probato Martyrio, non sit opus probare Virtutes; quia jam constat de perfectissima Charitate, juxta illud, *Majorem Charitatem nemo habet, quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Joan. 15. & cùm Charitas sit cæterarum Virtutum forma, & perfectio, etiam aliæ Virtutes videntur probatæ saltem in habitu. Matta *p.* 2. *cap.* 14. *num.* 22. Matthæucc. *Offic. Eccl. cap.* 47. *num.* 27. Petra *tom.* 2. *fol.* 107. *num.* 11. *& tom.* 3. *fol.* 129. *num.* 14. *& duob. seqq.* 3. ut si adultus sit, voluerit pati pro Fide, vel pro actu Virtutis, in quo Fides elucet: Talis autem voluntas elicitur ex actu externo, recipiendo mortem voluntariè: & hinc siquis somno correptus, vel rationis incapax, nulla præcedente voluntate patiendi pro Christo, occidatur, non obtinet coronam Martyrii. In infantibus defectum voluntatis supplet Ecclesia: & hinc Innocentes Martyres, tanquàm verè tales, veneratur Ecclesia. Petra *tom.* 3. *cit. fol.* 32. *& duobus seqq.* 17

Quæritur 7. an requirantur Miracula in canonizatione Martyrum? Negant aliqui, in Martyre requiri miracula apud August. Triumph. *de potest. Eccles. quæst.* 16. *cap.* 3. Cantelor. *ad Bull. Alex. III. pro Canoniz. Sanctus Thom. Cantuar. Archiepisc. Schol.* 2. Felix Castell. *de Canoniz. Sanct. cap.* 21. *num.* 5. Lezan. *consult.* 16. *num.* 13. Bordon. *controv.* 13. *num.* 34. *& alios.* Rationem dant, quia signa, & miracula debent adesse, & probari ad indicandam Sanctitatem canonizandi, quæ Sanctitas elucet ex solo actu Martyrii. 18

Sed defendenda est affirmativa, quam etiam tuentur Canterol. *loc. citat. numer.* 11. *& cap.* 14. Castellan. *de Canoniz. tit.* 5. *num.* 25. Matta *simil. tract. part.* 1. *cap.* 7. *num.* 37. *& cap.* 21. *ac* 22. Lucas Castellin. *de certitud. Glor. Sanctor. cap.* 8. *part.* 22. Vermigliol. *conf.* 422. *&* 472. Pignatell. *tom.* 4. *consult.* 73. *numer.* 9. Petra *tom.* 2. *fol.* 128. *numer.* 16. *& Pignatt. ac Petra* testibus decrevit *Sacr. Congreg. Rit.* 13. *Septemb.* 1642. fuitque practicatum *in Hispalensi*, & *in Marochitana* 29. *Maji* 1688. ubi Sacr. Congregatio, etsi constitisset de Martyrio, & causa ipsius, voluit etiam videri de Miraculis: quod ipsum observatum fuit *in Japponensi anno* 1690. estque hæc praxis jam antiqua Ecclesiæ, ut videre est in Bulla canonizationis S. Stanislai Martyris; nam cùm Innoc. IV. in Civitate Assisii tractaret de ejus canonizatione, & ab aliquibus dubitaretur, delatus fuit puer mortuus ad Ecclesiam D. Francisci, & Pontifex DEUM rogavit, ut dignaretur hanc dubietatem tollere, prout etiam factum est, dicto puero resuscitato ad vitam, ut referunt Raynal. *ad annum* 1253. *num.* 18. Joan. Longin. *Hist. Polon. lib.* 7. *anno* 1253. Petra *tom.* 3. *comment. fol.* 131. *num.* 26. ubi plura hujusmodi exempla refert. 19

Excipit Card. Lauræa *in* 3. *sent. tom.* 3. *part.* 2. *D.* 20. *art.* 8. *num.* 127. *& seq.* si plenè constet de essentialibus Martyrii; tunc enim non est tanta necessitas miraculorum. Imò cùm requiruntur miracula ad tollendam dubietatem Martyrii, ea ad canonizationem Martyris non requiruntur eo modo, quo requiruntur in cano- 20

canonizatione Sanctorum non Martyrum, sed sufficiunt minora, imò signa, & prodigia, ut dictum fuit in *Hispalensi citat.* & senserunt *Auditores Rotæ in Relatione 26. Martyrum Japonensium art.* 3. ubi dixerunt de aliquibus mirabilibus, quæ evenerunt ante, & post Martyrium; quod innuit etiam praxis Ecclesiæ; nam ubi in canonizatione Sanctorum non Martyrum datur dubium, *An constet de miraculis*, in Martyribus interrogatur, *An constet de signis, seu Miraculis;* Porrò quæ differentia sit inter Signa, & Miracula, latè explicat Card. de Lauræa *D.* 20. *cit.*

21 Quæritur 8. an quævis incorruptio corporis defuncti, aut fragrantia, seu suavitas odoris quæ percipitur in apertione arcæ, urnæ, vel sepulchri, in quo Corpus est Servi Dei, præbeat indicium Sanctitatis? Resp. negativè; quia corporum integritas, & incorruptio etiam naturaliter potest contingere: Sed tunc solum illa Sanctitatis præbebit indicium, cùm probata excellentia vitæ, corpus incorruptum invenitur, maximè si sit molle, flexibile, & incorruptum secundùm partes molliores, & humidiores, easque, quæ aliàs ad putrefactionem magis aptæ sunt. Matthæucc. *Offic. Eccles. cap.* 47. *num.* 31.

22 Idem dicendum de suaveolentia odoris; nam hæc tunc solùm supernaturalis est judicanda, quandò plenè probata sanctitate vitæ, constiterit, quod non potuerit provenire ex causa aliqua naturali, in arca, vel capella secreto reposita, præsertim si ex peritorum, & percipientium testimonio talis fuerit, ut excedat quemcunque odorem naturalem, & nulli sit similis; fueritque non modo in naribus suavis, sed etiam manus, ac vestes ita affecerit, ut per plures horas, vel dies permanserit: & concludentius, si eo percepto, aliquis fuerit illico sanitati restitutus. Matthæuc. *loc. citat. numer.* 32.

23 Quæritur 9. quæ sit forma procedendi ad Beatificationem, vel canonizationem Sanctorum? Resp. hæc præscribitur in Decretis Generalibus editis *sub Urbano VIII.* & registratis *in Constitut.* 41. *ejusdem tom.* 5. *Bullar. & in Constitut.* 180. Juxta hæc ergo, & subsequentium Pontificum maximè Innocentii XI. Decreta, 1: Sacr. Congregatio Rituum deinceps procedere in causa Canonizationis, seu Beatificationis non potest, nisi post 50. annos ab obitu Servi Dei: quod temporis intervallum antiquitus non fuit observatum; nam canonizatio S. Petri Martyris ex Ordine S. Dominici facta fuit post annum unum ab ejus obitu. Vincent. Petra *tom.* 3. *comment. fol.* 92. *num.* 4. & 5.

24 2 Intra hos annos tamen, ne probationes pereant, processus fieri valent tam authoritate Ordinaria, quàm Sacr. Congregat. super fama, virtutibus, & Miraculis Servi DEI. Si agatur de Martyre loco discussionis virtutum, disputatur dubium, an constet de Martyrio, & ejus causa. Petra *tom.* 4. *fol.* 19. *num.* 40. Ante omnia autem discuti quæstio debet de non cultu, & paritione Decretorum suprà relatorum, utrum scilicet nullus cultus Servo Dei tributus sit, nec ullus actus gestus contra formam dictorum Decretorum. Petra *tom.* 4. *citat. fol.* 14. *num.* 16. Si cultus ei delatus sit, exhiberi debet processus super cultu immemoriali ante dicta Decreta, vel si Beatus sit per Indultum Apostolicum, produci Breve Pontificium Beatificationis. Matta *part.* 5. *cap.* 4. *num.* 30. & sine prædictis non est locus introductioni causæ. Petra *fol.* 15. *num.* 23.

25 3 Facti ab Episcopis Processus transmittendi sunt ad Sedem Apostolicam in copia sigillata, & autographa, relictis Originalibus sub clavibus diversis in Archivio Episcopali: & unà producuntur preces, instantiæ, & litteræ Regum, Principum, & aliorum petentium Beatificationem, vel Canonizationem Servi Dei, quas preces ex antiquo ritu fuisse in more, notat Petra *fol.* 14. *num.* 18.

26 4 Præsentatis processibus Episcoporum, & precibus Principum, sequitur commissio super introductione causæ, quæ tamen, ut declaratum fuit ab Innocentio XI. non est assignanda, nisi post decem annos à die præsentationis processus, Ordinaria authoritate fabricati, & habitis post decennium novis Litteris Episcoporum circa percrebrescentiam famæ, sanctitatis, & miraculorum, ac devotionis populi, nisi ex speciali causa tempus à Papa fuerit abbreviatum, quod fieri solet in Martyribus, vel in aliis, cùm urgentiores fuerint instantiæ Principum, & populorum. Petra *fol.* 14. *num.* 19.

27 5 Facta commissione super introductione causæ, Sacra Congregatio Rituum juxta ordinarias facultates procedere valet ad apertionem processuum, quæ apertio fieri debet coram Card. ponente, & hoc absente coram Cardinali præfecto, citato promotore fidei, & coram Notario consignandorum à Secretario, & Notarius illos exhibet Protonotario deputato, per quem aperiuntur. Petra *fol.* 15. *num.* 20.

6 Apertis processibus; fit relatio contentorum per Cardinalem ponentem citatò promotore fidei, & discutitur; an processus super fama, virtutibus, & miraculis, Ordinaria, vel Apostolica authoritate facti, sint validi: ubi notandum, si defectus non sit notabilis, non hoc ipso vitiari processum, sed tolerari à Sacr. Congregat. prout factum est *in Cartag. Servi DEI Petri Claver, in Viennensi Servi DEI Francisci Regis, & in Limana Servi DEI Nicolai de Aylon*, teste Pet. *fol.* 17. *num.* 30. 28

7 Quodsi Processus sint validi, testes rite examinati, & Jura legitimè compulsata, clauduntur Processus, & obsignantur Sigillo S. Congr. nec aperiuntur, nisi post lapsum dicti temporis 50. annorum ab obitu Servi Dei. Pet. *fol.* 13. *num.* 15. & *fol.* 19. *num.* 39. Et hinc toto eo tempore de hujusmodi causis Beatificationis, Canonizationis, seu Declarationis Martyrii agi nequit, nec priùs potest, nisi habita licentia expressa Summi Pontificis, quæ debet esse specialis in Rescripto directo dictæ Sacræ Congr. Petra *n.* 14. *cit.* 29

8 Lapsis 50. annis ab obitu Servi Dei proponitur dubium, an constet de Virtutibus Theologicis, & Cardinalibus, cæterisque annexis, in gradu heroico, quod discutitur primò in Congregatione Antepræparatoria coram Cardinali Ponente, deinde in Præparatoria coram Sacr. Congregat. cum Voto Consultorum, & ubi visum fuerit constare de Virtutibus, fit Congregatio coram Sanctissimo cum discussione dubii, *an constet de Virtutibus*. Petra *fol.* 19. *num.* 41. 30

9 Discusso dubio de Virtutibus, discutitur coram Papa dubium, *An constet, & de quibus miraculis &c.* & fit relatio omnium miraculorum distinctim, & solent etiam in præparatoriis aliquando audiri relationes Medicorum, & Peritorum, qui deputantur ex officio à Cardinali Relatore, ut notat Card. de Luca *disc.* 18. *num.* 15. *in Relat. Cur. Roman.* Dictæ Congregationes fiunt coram Summo Pontif. & proferunt Vota consultiva Cardinales, & tandem solus Papa. Factum autem miraculorum Cardinales approbare non solent, nisi concurrant saltem duæ partes consultorum: idemque servat Papa, nisi concurrant ferè omnes Cardinales. Petra *loc. citat.* 31

10 Post miracula approbata, posset quidem de Jure veniri ad canonizationem, ordinariè tamen, solùm Papa impartitur licentiam venerandi Servum Dei ut Beatum, expedito Brevi, & convocatis Cardinalibus Sacr. Congr. & Consultoribus in Basilica Vaticana, illudque præsentatur, & ex Ambone legitur, ac publicatur à Notario capituli ejusdem Basilicæ, præsente Notario Sacr. Congreg. & tunc exponitur Imago Beatificati, & canitur Hymnus *Te Deum* cum Missa de eodem Beato, de quibus publicum fit Instrumentum, quod in Archiviis S. Congreg. & capituli conservatur. Petra *loc. cit.* 32

Quæritur 10. quomodo post Beatificationem decretam procedatur ad canonizationem? Resp. 1. ad hanc non devenitur, nisi percrebrescente, continuante fama Sanctitatis, devotione, cultu populorum, & superventu novorum miraculorum saltem duorum. 33

2 Requiruntur novæ Instantiæ, & preces Summorum Principum, Episcoporum, & populorum, Romano Pontifici, viri Beati facta, & miracula explicantium, & petentium, ut canonizetur.

3 His habitis, fit Relatio omnium in causa gestorum per Eminentissimum Relatorem, & hac deposita, signatur commissio à Papa, & expediuntur litteræ remissoriales super novis Processibus per Delegatos Apostolicos faciendis super dictis noviter probandis.

4 His Processibus productis, proponitur dubium, an constet de relevantia contentorum, quoad ea, quæ supervenerunt post indultam venerationem: quæ discutiuntur in duabus congregationibus præparatoriis, ut *supra* 30. & 31. 34

5 In his congregationibus ubi favorabilis resolutio data fuerit, tunc causa censetur esse in statu, & terminis, ut quandocunque Sanctissimo placuerit, ad solemnem canonizationem deveniri possit; quæ tamen ut plurimum differri solet, ut plurium Beatorum canonizatio simul fiat, ad parcendum expensis.

6 Ubi Pontifex voluerit ad solemnem canonizationem devenire, celebratur tertium consistorium semipublicum, in quo Papa audit sententias S. R. E. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum, & Abbatum, qui habent usum Mytræ, & Pastoralis, in Urbe adstantium, ad instar parvi Concilii: à quibus antequam 35

Suffragia ferantur, Summus Pontifex è folio suo habet orationem, in qua de re, ad tam gravem, tamque arduam actionem pertinente, verba facit; deinde pro Sancto canonizando sententias dici jubet.

36 7 Ubi quisque suo ordine sententiam dixit, assignat Pontifex diem certam pro canonizatione, omnesque tam Cardinales quàm Prælatos cohortatur, ut orationibus, ac jejuniis, aliisque piis operibus operam navent, Deum humillimè obsecrantes, ut de Canonizatione proposita, omniumque sententiis comprobata, quid faciendum sit, Sancti Spiritus doceat illustratione.

37 8 Ipso die canonizationis Pontifex in Templo destinato genuflexus aliquantulum orat, deinde ascendit ad thronum, ibique Cardinalium, Prælatorum, & Nobilium suscepta reverentia, habet sermonem, & recitat acta Sancti canonizandi, imploratque pluribus precibus, ac deprecationibus, ut Deus assistat tam arduo negotio, cantato Hymno, *Veni Creator Spiritus &c.*

38 9 Tandem Sanctum declarat Papa, & Sanctorum catalogo adscribit, cantatur Hymnus Ambrosianus: post Cardinalis Diaconus Versiculum intonat *Ora pro nobis Sancte N.* cui respondetur *Ut digni &c.* Papa adjungit Orationem propriam: mox Diaconus dicit *Confiteor*, & addit *atque Beato N. & omnibus Sanctis:* dein Papa intonat Tertiam, quam chorus decantat. Interea ad Missam celebrandam paratur Papa, & specialis Missa appropriatur Sancto à Doctore Cathedræ, & ab ipso Summo Pontifice cum Oratione singulari; ad Offertorium magnificæ oblationes præsentantur à Cardinali Promotore, & aliis, qui nomine Regum, & Principum magnorum instituerunt. Completa Missa, conceditur Indulgentia plenaria, & Papa solemniter deportatur in Palatium, præcedente Senatu Cardinalitio; de quibus vide Gonzal. *in cap. audivimus* 1. *h. tit.* Card. de Luca *in Relat. Cur. Rom. dis.* 18. Pignatell. *tom.* 10. *consult.* 196. Petram *tom.* 2. *fol.* 77. *num.* 8. *& tom.* 3. *fol.* 130. *num.* 23.

39 Porro honores, qui ex vi Decreti, & ipso Sanctorum jure exhibentur Canonizatis, sunt, 1. jubentur ab omnibus publicè coli, ac diei Sancti, 2. in publicis Ecclesiæ precibus invocantur, 3. Templa, & Altaria Deo in eorum memoriam, & honorem eriguntur, 4. Sacrificia & Officium Divinum, quod Horæ canonicæ nuncupantur, Deo in honorem illorum offeruntur, 5. Dies festi in illorum honorem celebrantur, 6. Imagines eorundem pinguntur, addito certo quodam lumine in signum gloriæ, quam habent in cœlo, 7. eorundem Reliquiæ, pretiosis thecis inclusæ, publicè in Ecclesia proponuntur; quæ omnia ferè etiam conveniunt Beatificatis. Pignatell. *loc. cit. num.* 7.

§. II.

De Reliquiis Sanctorum, earumque Veneratione.

S U M M A R I U M.

40 *Quid intelligatur nomine Reliquiarum?*
41 *An recte colantur?*
42 *Affirmativa defenditur contra Hæreticos.*
43 *Solvuntur istorum Argumenta.*
44 *Quid requiratur, ut Reliquiæ Sanctorum coli possint?*
45 46 47 *Quid, ut exponi publicæ venerationi possint de novo inventæ?*
48 49 50 *Quid præterea circa approbationem Reliquiarum notandum?*
51 52 53 54 *An si cum Reliquiis approbatis misceantur aliæ non approbatæ, liceat eas populo colendas exponere?*
55 56 *Quid observandum in earum ostensione?*
57 58 59 *An possint vendi?*
60 61 62 63 64 *An transferri ab una Ecclesia in aliam?*
65 *Quale peccatum sit furtiva earum subtractio?*

40 QUæritur 1. quid intelligatur nomine *Reliquiarum*? Resp. Reliquiarum nomine intelliguntur Sanctorum corpora, & quælibet ipsorum particulæ, aut ossium, carnium &c. item capilli, ungues, dentes, cineres, pulveres, in quæ conversa sunt; item ea, quibus tempore vitæ usi sunt, ut vestes, vela, panni &c. denique alia quæcunque, quæ ad eorum corpora, vel ossa adhibentur, vel quæ ipsa tetigere, aut aliquo modo ad ea pertinent. Ita Sanch. *l.* 2. *mor. cap.* 43. *num.* 2. Vallens. *hic num.* 1. Schambog. *num.* 2.

41 Quæritur 2. an rectè colantur Sanctorum Corpora, & Reliquiæ? Insurgunt adversus istarum cultum Novatores, & in contrarium opponunt *capit.* 34. *Deuter.* ubi refertur, Moysen *sepultum fuisse in valle terræ Moab contra Phogor, nec cognovisse hominem sepulchrum ejus usque in præsentem diem*, cujus facti ratio ea communiter traditur, ne ab Hebræis adoraretur: ergo si Deus voluit sepulchrum Moysis latere, ne adoraretur, sequitur, quòd Sanctorum corpora non sint adoranda, 2. quia apud *Matth.* 22. *vers.* 24. *& Luc. cap.* 11. *vers.* 48. Scribæ, & Pharisæi reprehenduntur tanquam Hypocritæ, quòd ædificarent sepulchra Prophetarum, & ornarent monumenta justorum, 3. quia nullum reperitur præceptum Christi Domini de Reliquiis venerandis: ergo quia venerandæ non sunt.

Sed certa est Catholicorum sententia, approbata à S. Synodo Tridènt. *sess.* 25. *in Decret. de invocat. & venerat. Sanctor. SS. Martyrum, & aliorum cum Christo viventium S. Corpora -- à fidelibus veneranda esse, ita, ut affirmantes, Sanctorum Reliquiis venerationem, atque honorem non deberi, vel eas, aliaque Sacra monumenta à fidelibus inutiliter honorari, atque eorum opis implorandæ causa Sanctorum memorias frustra frequentari, omnino damnandi sint, prout jam pridem eos damnavit, & nunc etiam damnat Ecclesia.* Ratio, quam Trident. *loc. citat.* innuit, est tum quòd *viva membra fuerint Christi, & Templum Spiritus Sancti,* tum quia per illa multa Beneficia à DEO hominibus præstantur; si enim sudariis, & semicinctiis Sancti Pauli, etiam à corpore ejus separatis, tantam vim attribuit DEUS, ut faceret recedere languores, & egredi Spiritus nequam. *Act.* 19. *vers.* 11. *&* 12. si umbræ corporis D. Petri datum, ut ab infirmitatibus liberaret, *Act.* 5. *vers.* 15. quidni & ipsis Corporibus tantum attribuere potest DEUS, ut eorum attactu pristina redeat sanitas, hoc modo honorando eos, qui ipsius DEI Hominis vestigia secuti sunt? unde & Sanctus Basilius, & Leo Imperator *l. decernimus* 26. *C. de Episc. & Cler.* edixerunt, Sanctorum Reliquias esse pretiosas, & propterea illas non in locis voluptatis, sed in templis jusserunt reponi, sicut & Catholica Ecclesia à sui initio summa cum reverentia eas semper fuit prosecuta.

Neque in contrarium urgent Argumenta Novatorum. *Ad* 2. fateor DEUM voluisse latere sepulchrum Moysis, ne à Judæis, tanquam DEUS, adoraretur, & sic laberentur in Idololatriam: per hoc tamen non prohibuit, ne coleretur, ut DEI famulus. *Ad* 2. Sepelire aliquis occisum potest, ut honoret, & sepelire potest, ut compleat actum homicidæ: sepeliit Enoch Adamum, ut honoraret; sepeliit Cain Abelem, ut scelus suum occultaret. Judæi, etiamsi dicerent se ædificare sepulchra Prophetarum, ut eos honorarent, facto tamen contrarium indicabant, & propterea jure reprehendebantur, quòd sub specie Religionis Prophetas insectarentur, prout eventus docuit, quia Christum, ejusque Discipulos occiderunt. *Ad* 3. etsi præceptus à Christo cultus Reliquiarum non sit, statutus tamen reperitur per SS. Canones ab Ecclesia, cui parendum est. 4

Quæritur 3. quid requiratur, ut Reliquiæ Sanctorum coli possint? Resp. ut cultu privato colere aliquis Reliquias Sanctorum possit, satis est viri probi, & Religiosi authoritas, qui eas tradidit, vel quælibet alia conjectura prudens, unde judicari prudenter possit sic esse. Ita Suar. *in* 3. *part. quæst.* 25. *art.* 6. *Disp.* 55. *vers. at verò ut Reliquiæ.* Vasq. *de Adorat. Imag. lib.* 3. *Disp.* 3. *cap.* 8. *num.* 114. Azor *part.* 1. *lib.* 9. *cap.* 8. *quæst.* 8. Sanch. *lib.* 2. *cap.* 43. *num.* 13. qui addit, sufficere hanc certitudinem, ut tales Reliquiæ adorari etiam possint cultu absoluto, & sine conditione adjecta. *Rationem dat;* quia in rebus moralibus non est petenda major certitudo, quàm quæ requiritur, & sufficit ad exercendos alios Virtutum actus; & quamvis hæc certitudo sit conjuncta cum periculo erroris, formaliter tamen non erratur, cùm formalis ratio Cultus sit ipsa Sanctitas. 4

Difficultas est, quid requiratur, ut venerationi publicæ possint exponi Reliquiæ de novo inventæ? Videtur sufficere authoritas Episcopi, 1. quia juxta Trid. *sess.* 25. *in Decret. de Invocat. & Reliq. Sanctor.* prohibentur illæ exponi ad cultum publicum, sine approbatione Episcopi, igitur si Episcopus eas approbaverit, ita exponi possunt Reliquiæ, 2. Trid. *l. cit.* eodem modo loquitur de novis Reliquiis, & de novis miraculis; atqui novorum miraculorum discussio permittitur Episcopis per idem Trid. ergo & approbatio Reliquiarum pro cultu publico, 3. in eodem Decreto Episcopo, tanquam privilegio, concessa est potestas approbandi Reliquias de novo inventas; sed nisi Decretum hoc accipiatur de 45

Reli-

Reliquiis Sanctorum etiam non canonizatorum, nullum foret hoc privilegium; quia quando certum est, quòd sint Reliquiæ alicujus Sancti canonizati, eas approbare Episcopus de Jure communi jam ante Trid. poterat.

46 Sed distinguendum est inter Reliquias omnino novas, & antiquas alicujus Sancti de novo inventas. *Priores* publicæ venerationi exponi sine Sedis Apostolicæ authoritate nequeunt *cap. fin. vers. inventas h. tit. De posterioribus* videndum, an ex scriptura, vel instrumento publico cum ipsis reperto, vel aliunde certò constet eas alicujus Sancti antiquitus approbati esse, vel an dubium illud sit. *Si primum*, sufficit authoritas Episcopi eas recognoscentis, & approbantis juxta *Decretum Synodi Trid. cit. & Const. Sixti V.* incipit *Dominus* 88. *Bullar. tom.* 2. *Si secundum;* procedit dispositio *cap. fin. cit.* qua statuitur, ut Reliquias, *de novo inventas, nemò publicè venerari præsumat, nisi prius authoritate Romani Pont. fuerint approbata.*

47 Neque contrarium probant Argumenta opposita. *Ad* 1. Decretum Trid. intelligendum est de Reliquiis Sanctorum canonizatorum noviter inventis; non verò de aliis alicujus inter Sanctos nondum relati; nam has approbando ad Cultum publicum, Episcopus indirectè Sanctum canonizare videretur pro sua Diœcesi contra textum *c. audivimus* 1. *h. tit.* & unanimem DD. sensum. *Ad* 2. Episcopo inquisitionem, & receptionem testium super alicujus non canonizati miraculis permittit Jus commune *cap. venerabili* 52. *de testib.* ad expositionem autem Reliquiarum non canonizati noviter inventarum Apostolicam authoritatem disertè requirit *cap. fin. cit.* Unde cùm Trid. pari modo de miraculis, & Reliquiis noviter inventis loquitur, ad evitandam correctionem Jurium id intelligendum est de Reliquiis S. Canonizati noviter inventis. Schamb. *hic num.* 15. *Ad* 3. hoc decreto nullum Episcopis concessum in hoc negotio est novum privilegium contra Jus commune, cùm nullis usum sit verbis derogatoriis, sed præscribitur tantùm forma servanda in approbandis Reliquiis S. canonizati noviter inventis, ut notat Suar. *D.* 55. *citat. sect.* 2. *vers. sed quaret aliquis.* Philiarc. *de Offic. Sacerd. tom.* 1. *p.* 2. *l.* 3. *cap.* 9. *fin.* Azor *p.* 1. *l.* 9. *cap.* 8. *quæst.* 8. Sanchez *l.* 2. *mor. cap.* 43. *num.* 10. qui *num.* 11. addit, sufficere tamen, si de sanctitate personæ per traditionem, aut universalem Ecclesiæ consensum constet; quia hæc Canonizationi æquipollent.

48 Quæritur 4. quid præterea circa Reliquiarum approbationem notandum? Resp. 1. fieri debet modo, quem *in Decret. cit.* præscribit Trid. nempe, ut Episcopus approbaturus Reliquias consulat Theologos, & alios viros probos & doctos, & illis consultis, exequatur, quæ veritati, & pietati consentanea videbuntur. Ex quo colligit Sanch. *lib.* 2. *mor. cap.* 43. *num.* 15. audita Theologorum sententia, decisionem esse penes solum Episcopum, nisi grave aliquod dubium suboriatur; nam Trid. solùm petit, ut eos Episcopus in hoc negotio adhibeat in consilium, at ubi consilium petitur, non oportet illud sequi *l. cùm pater* 77. §. *mando* 24. *ff. de Legat.* 2. unde Episcopus etiam contra TT. vota potest decernere.

49 2. Si gravis aliqua suboriatur quæstio, cogendum erit Concilium Provinciale; & hujus sententia exspectanda, antequam controversiam Episcopus dirimat. Dirimetur autem ad majorem partem Suffragiorum; nam constitutum à majori parte Concilii dicitur constitutum esse ab ipso Concilio *capit. Apostolica* 12. *distinct.* 56.

3. Hanc approbationem potest Episcopus, etiam extra Diœcesim suam existens, facere, & licentiam concedere, ut in Diœcesi collocentur venerandæ; quia hic actus est Jurisdictionis voluntariæ; non contentiosæ; qui proin non exercetur inter partes invitas. Sanch. *loc. cit.*

50 4 Si semel approbatæ legitimè sunt Reliquiæ Bulla Apostolica, aut testimonio Episcopi, cùm transferuntur in aliam Ecclesiam, non debent iterum approbari ab hujus Episcopo, sed tantùm examinari, an sint ex Reliquiæ, quæ in Litteris Apostolicis, vel Episcopi testimonio continentur; quodsi veritatem inveniat Episcopus, licentiam dare potest publicè eas collocandi in sua Diœcesi, neque ad hoc eidem opus erit aliorum consilio. Sanch. *loc. cit. num.* 18.

5. Supposita approbatione legitimè facta, Reliquiæ coli possunt absolutè, & sine conditione adjecta. Suar. *Dist.* 25. *cit. sect.* 2. Ratio est quia prudenter, & piè creditur, DEUM non permissurum errorem in publico cultu: & si contingeret etiam talis error, materialis tantummodo esset, & sine culpa, cùm procedatur ex certitudine, qua major in humanis nulla est requirenda. Idque verum ait *cit.* Suar. etsi Corpus alicujus Sancti dicatur esse in diversis locis; quia intelligi hoc potest de Sanctis diversis ejusdem nominis, vel solùm de diversis partibus ejusdem Sancti, cùm ferè nusquam in uno loco sit totum Corpus alicujus Sancti.

Quæritur 5. an si cum Reliquiis approbatis misceantur aliæ non approbatæ, liceat eas populo colendas proponere? Videtur, posse hoc fieri ob paritatem cum aqua benedicta, & oleo consecrato; nam si aquæ benedictæ misceas non benedictam, & oleo consecrato misceas non consecratum, totum manet benedictum, & consecratum *cap. quod in dubiis* 3. *de consecr. Eccl. & ibi* Glossa, & ratio est; quia dignius trahit ad se minùs dignum, præsertim si benedictum, & consecratum sit in majori quantitate: igitur idem dicendum est, cùm Reliquiæ approbatæ miscentur non approbatis. 51

Sed dicendum, tali casu posse quidem eas Reliquias, quas constat esse alicujus Sancti, & quæ approbatæ sunt, coli, non verò illas, quæ approbatæ non sunt: & hinc istæ simul cum approbatis ad venerationem proponi non possunt publicè. Ita Suar. *D.* 55. *cit. sect.* 2. *Vers. at verum*, Sanch. *lib.* 2. *mor. cap.* 43. *num.* 12. & 19. Bonacin. *D.* 3. *quæst.* 1. *p.* 4. *num.* 6. Pal. *D.* 1. *de Adorat. p.* 6. *num.* 12. Ratio est; quia Reliquiæ coli non possunt, nisi verè fuerint alicujus Sancti: atqui per hoc, quòd misceantur cum veris Reliquiis, non fiunt Reliquiæ alicujus Sancti: ergo &c. 52

Unde non est paritas cum aqua benedicta, & oleo consecrato; nam prærogativa ista procedit in solis liquoribus ob intimam illorum inter se mixtionem. In Reliquiis diversa est ratio; nam ratio colendi istas sola est, quia pertinent ad aliquem Sanctum, ut paulò antea dixi; atqui Jus positivum non potest facere, ut quælibet Reliquiæ, per mixtionem positæ inter alias veras Reliquias, ad ipsum Sanctum pertineant; ergo licèt ob *cap. cit.* aqua non benedicta affusa aquæ benedictæ debeat haberi pro benedicta, non tamen ob eundem textum Reliquiæ non approbatæ, mixtæ cum approbatis, haberi possunt pro approbatis, & ad cultum proponi publicè. 53

Dixi autem, *posse Reliquias, quas constat esse alicujus Sancti, coli, & proponi ad cultum;* nam si dubium sit, quænam sint veræ, nullæ proponi ad cultum publicum possunt, sed omnes in loco decenti custodiri, & separari à certò veris. Addidi, *tales Reliquias ad venerationem non posse proponi publicè;* nam ut Sanchez *num.* 17. & cum eo Dian. *V. Reliquiæ* docent, non est illicitum proponere adorationi Crucem ornatam variis Reliquiis, etiam non approbatis; tum quia sic usus videtur obtinuisse; tum quia in tali casu non Reliquiæ, sed Crux adoranda proponitur, & siquis eas adoret, hoc erit per accidens, & pertinebit ad cultum privatum. Contrarium tamen sentit Bonacina, & etiam tali casu Ordinarii approbationem desiderat. 54

Quæritur 6. quid observandum in ostensione Reliquiarum? Resp. 1. Reliquiæ antiquæ, dum populo ostenduntur, non debent extrahi ex capsa, seu loculo, quo reconduntur *cap. fin. Vers. ne impostèrum*, ubi etiam ratio redditur, ne populus, videns ossa pelle, & carnibus denudata, adorationem detrahat, putans non esse Reliquias Sancti, quæ ita vetustate consumptæ sunt, cum tamen meminisse deberent, omnibus generaliter dictum esse, *Pulvis es, & in pulverem reverteris.* Gen. 3. exceptis illis, qui ex speciali gratia à corruptione sunt præservati: Host. *in cap. fin. cit. Vers. extra capsam*, Abb. *ibid. not.* 2. Sanch. *l.* 2. *mor. cap.* 43. *num.* 21. Pal. *D.* 1. *de adorat. p.* 6. *num.* 13. Pirh. *hic num.* 10. *not.* 2. 55

2 In earum exhibitione vitanda est omnis avaritiæ species. Hinc pro pretio ostendi non possunt: & si quidem Oblationes deducerentur in pactum, aut principaliter intenderentur, tanquam pretium ostensionis, ista Simoniaca foret. Quodsi tamen sine pacto, & non tanquam pretium ostensionis, & præcisè tanquam donum gratuitum reciperentur, & separarentur, vel intenderentur, probabiliùs non committeretur Simonia; quia Simonia est emptio, venditio, quæ non datur sine pretio. Sanch. *cap.* 43. *cit. num.* 22. Gonzal. *in cap. fin. cit. n.* 8. Pirh. *not.* 2. *cit.* Schamb. *n.* 13. Wiestner *n.* 12. 56

Quæritur 7. an Sanctorum Reliquiæ exponi venales possint? Affirmativam videntur evincere Historiæ: sic enim 1. tunicam Christi inconsutilem pretio pecuniario ab Infidelibus redemerunt Christiani, ut refert Baronius *ad annum Christi* 54. 2. ossa Sancti Augustini Ecclesiæ Doctoris à Saracenis magno pretio accepit Luitprandus, & Ticinum transtulit, ut narrat Paulus Diaconus *l.* 6. *de gest. Longobard. c.* 46. 3. eodem Baronio teste *ad annum* 725. Reliquiæ S. Ignatii Martyris pretio mediante sub Trajano Imp. 57

Imp. Antiochiam translatæ sunt Anno III. 4. Henricus Imperator non solùm aurum Rudolpho misit, sed Sveviæ quoque partem illi dedit pro Lancea, qua Christi latus perfossum est: 5. brachium S. Joannis Baptistæ 140. libris argenti; & alterum brachium Sancti Augustini uno auri, & 100. argenti talentis est comparatum apud Raynaud. *Heteroclyt. Spirit. part.* 1. *sect.* 3. *p.* 8. *num.* 20. Gonzal. *in cap. fin. h. tit. num.* 7.

58 Sed distinguendum est, an pretium pecuniarium petatur ratione Sanctitatis defuncti, ratione benedictionis, aut alicujus fructus Spiritualis ex ipsis percipiendi, an solùm ratione auri, argenti, gemmarum, quibus exornatæ sunt, vel in compensationem expensarum, quæ factæ sunt in iis asportandis, aut ornandis. *Si primum*, certum est, pretium pecuniarium non posse peti sine Simoniæ vitio, prout clarè patet ex *cap. fin. h. tit. & l. nemo* 3. *C. de SS. Eccl.* Ratio clara est; quia Reliquiæ Sanctorum æstimabiles tantum sunt propter relationem ad animam Sancti, qui fuit Templum Spiritus Sancti, ac proinde annexæ sunt Spirituali, sed res Spirituales, ac Spirituali annexæ vendi non possunt, cùm æstimationem non recipiant. Gloss. *in cap. fin. citat. V. Simonia* Host. *ib. pr.* Ant. de Butrio *num.* 8. Vivian. *pr.* Gonz. *num.* 7. Barbos. *num.* 3. Fagnan. *num.* 1. & 2. Pirh. *hic num.* 19. Schamb. *n.* 11. Vviestner *num.* 9. *Si secundum*, ratione talium ornamentorum, & expensarum pretium peti & augeri potest, cùm talia ornamenta, & expensæ sint aliquid merè temporale, & æstimationem recipiant. Sanch. *l.* 2. *mor.* 43. *num.* 29. cum *citt.*

59 Ad exempla in contrarium allata dictæ Reliquiæ ab Infidelibus, & his similibus injustis detentoribus non tam emptæ, quàm ab injuria & Sacrilega contrectatione vindicatæ sunt, ita, ut pecunia, pro iis adnumerata, non tam pretium, quàm instrumentum redemptionis ab injusta vexatione fuerit: cujusmodi redemptionem à Simonia immunem esse *argum. cap. dilectus* 28. *de Simon.* communis DD. sensus est. Quando Catholici à Catholicis Reliquias Sanctorum, pecunia persoluta, compararunt, excusari debet per ignorantiam, & simplicitatem solventium; vel dici debet, quod ea pecunia non pretii, sed antidoti, pro insigni munere accepto dati, rationem habuerit, ut rectè observat Rayn. *num.* 20. *cit.*

60 Quæritur 8. an Corpora, & Reliquiæ Sanctorum ab una Ecclesia in aliam transferri ab Episcopo possunt sine Sedis Apostolicæ authoritate? Facilè consentiunt DD. plerique, ita transferri posse, antequam tradita sint in sepulturam perpetuam *argum. l. si necdum* 10. *C. de Relig. & sumpt. fun.* Gloss. *in can. corpora* 37. *V. Principis de consecr. dist.* 1. Sylv. *V. Reliquiæ num.* 1. Sanch. *lib.* 2. *moral. cap.* 43. *num.* 25. Pal. *D.* 1. *p.* 6. *n.* 14. Pirh. *hic num.* 12. Schamb. *num.* 21. Vviestner *num.* 15.

61 Si perpetuæ sepulturæ tradita jam sint, Gloss. *V. cit.* Host. *in Summ. num.* 2. Joan. Andr. *num.* 2. ad translationem requirunt authoritatem Papæ *arg. l. fin. C. de Relig. & sumpt. funer.* ubi Principis authoritas ad id requiritur: quod confirmatur ex *can. corpora cit.* ubi requiritur consilium *Principis*, quo nomine Gloss. *cit.* intelligit Papam.

62 Sed meliùs id etiam hoc casu permissum Episcopis docent Angel. *V. Reliquiæ num.* 1. Sylv. *num.* 3. Sanch. *num.* 25. *citat.* Fagnan. *in cap. fin. hoc tit. num.* 15. Pirh. *hic numer.* 12. Schambog. *num.* 19. Vviestner *numer.* 16. Ratio est; quia Reliquiarum translatio non est de causis Ecclesiæ majoribus, ut propterea Episcopis negata censeri debeat.

63 Neque obstant textus in contrarium allegati; nam *in can. Corpora cit.* ut alii convenientius explicant, nomine Principis non Papa, vel alia persona Ecclesiastica, sed Princeps Sæcularis significatur, & hujus quidem non licentia (cùm translatio actus Spiritualis sit) sed consilium duntaxat adhiberi jubetur.

64 Ut tamen rite translatio ista fiat, præter consensum Episcopi opus est justa causa, & consensu Capituli; nam hoc *in canon. Corpora citat.* nomine *Synodi* venit, ut existimat *Turrecrem.* & alii *argument. canon. placuit*, 12. *quæst.* 2. & ratio est; quia ipsarum translatio est species quædam alienationis, ad quam juxta dicta *Titul.* 13. *num.* 54. *&c.* justa causa, & Capituli, sive majoris partis ejusdem consensus requiritur. Fagnan. *in cap. fin. cit. num.* 29.

65 Quæritur 9. quale peccatum sit furtiva subtractio Reliquiarum? Resp. est peccatum Sacrilegii, nisi essent in locis Infidelium conditæ; quia aufertur Sacrum de loco Sacro, vel Sacrum de non Sacro: quod fieri non potest sine injuria Ecclesiarum, in quibus sunt conditæ, & perpetuæ Sepulturæ traditæ. *Neque refert*, etsi talis subtractio devotionis causa sit facta; quia devotio exercenda est sine injuria alterius: hinc ut ex tali etiam fine licita sit ablatio, cum Superioris legitima authoritate fieri debet. Turrecrem. *in Can. corpora cit.*

TITULUS XLVI.

De Observatione Jejuniorum.

SUMMARIUM.

1 *Duplex acceptio Jejunii.*
2 *Divisio in Naturale, Morale, Liberum, & Ecclesiasticum.*
3 *In quo delectus ciborum, in jejunio Ecclesiastico requisitus, consistat?*
4 5 6 *An requiratur etiam delectus in potu?*
7 8 9 *An ubi licita est comestio lacticiniorum, etiam permissus sit usus saginiminis, & lardi?*
10 *Quorum animalium carnes prohibeantur die jejunii.*
11 *Quo Jure introductum sit præceptum unicæ refectionis, requisitæ ad jejunium Ecclesiasticum?*
12 *Quomodo peccet, qui in hac refectione comedendo excedit limites temperantiæ?*
13 14 15 *Quomodo refectio debeat esse unica, ut dicatur impleta præcepti hujus substantia?*
16 17 18 *An cui licitus est esus carnium, etiam permissa sit secunda refectio, & esus cæterorum ciborum, qui diebus esurialibus alias prohibentur?*
19 20 *Quo tempore refectio die jejunii sumenda sit?*
21 22 23 *An, & quale peccatum sit Cœnam horam in die jejunii prævertere?*
24 *Quo jure introductus sit usus collatiunculæ Vespertinæ?*
25 26 *Quantum cibi sumere in illa liceat?*
27 *An in Vigilia Nativitatis, & Paschatis plus sit concessum?*
28 29 *Quid in eadem refectiuncula observandum circa qualitatem ciborum.*
31 *An ordine mutato, collatio sumi possit circa meridiem, cœna ad occasum Solis dilata?*
31 *Jejunium celebrat Ecclesia in Quadragesima.*
32 *Feria IV. VI. & Sabbato quatuor temporum.*
33 *In Vigiliis certarum Festivitatum.*
34 *Feria VI. & Sabbato per annum abstinet à carnibus.*
35 *In Adventu, & Rogationibus non est obligatio jejunandi.*
36 37 *An jejunium die Dominica licitum sit?*
38 *An vovens jejunium, aut abstinentiam die Veneris, id observare etiam teneatur, quando Festum Nativitatis in hunc diem incidit?*
39 *Deciditur Quæstio.*
40 *Solvuntur Argumenta opposita.*
41 *Obligatio jejunii est per se sub peccato mortali.*
42 *Excusat autem primò ætas.*
43 *Secundò corporis infirmitas.*
44 *Tertiò Necessitas proveniens ex paupertate.*
45 *Quartò Labor Corporis.*
46 *Quintò Pietas.*
47 *Sextò Consuetudo.*
48 *Septimò Dispensatio.*
49 *Quæ necessaria est ad comedendas carnes etiam illi, qui ob infirmitatem &c. non tenetur jejunare.*
50 *Exceptio.*

INter actus, qui celebrari in Ecclesia solent, est etiam promulgatio Vigiliarum, & Jejuniorum, quæ nonnullis Christi Domini, & Sanctorum Festivitatibus, ad excitandam devotionem majorem, & ampliorem gratiam promerendam, ex Ecclesiæ præcepto præmittuntur *cap. consilium* 2. *h. tit.* Porro jejunii vox abstinentiam significat; & duplex Jejunium ea voce significatur: unum *impropriè*, ac *Metaphoricè dictum*, quod est abstinentia *ab iniquitatibus, & illicitis voluptatibus Sæculi*, ut loquitur Sanctus Augustinus relatus *can. Jejunium* 25. *de consecr. distinct.* 5. ubi *magnum, generale, & perfectum* Jejunium istud appellat. Alterum *propriè dictum*, quo significamus abstinentiam à cibis, sive moderationem, & parsimoniam victus in quantitate, & qualitate. 1

Quæritur 1. quotuplex sit jejunium in hoc secundo sensu acceptum? Resp. ex communi aliorum sententia Laym. *l.* 4. *tr.* 8. *c.* 1. *n.* 1. illud dividit in Naturale, Morale, Liberum, & Ecclesiasticum. 2

Naturale est abstinentia ab omni cibo, & potu in stomachum transmisso: & tale à media nocte, seu duodecima noctis servari debet usque ad celebrationem Missæ, & Eucharistiæ sumptionem, ut dictum est *Titul.* 41. *num.* 20.

Mo-

Morale, quod etiam *Virtutis* dicitur, conſiſtit in abſtinentia, ſive moderatione cibi, & potus, ſecundum Leges prudentiæ, in illis mediocritatem ſectantis: & tale jejunium, ut quotidianum ſit, omnibus temperantiæ ſtudioſis commendatur *can. non dico* 17. *can. ſint tibi* 18. *&* 19. *diſt. citat.*

Liberum quod ſecundum rectam rationem, ex motivo alicujus Virtutis, ſine præcepti obligatione ſuſcipitur: cujuſmodi modus jejunandi, ſeu abſtinendi à delectationibus cibi, & potus varius eſſe poteſt: de qua varietate videri poſſunt Sanctus Irenæus *apud Euſeb. lib.* 5. *cap.* 24. Philo *l. de Vit. Theoric.* Sanctus Auguſt. *Epiſt.* 118. *ad Januar.* Epiphan. *in compendiar. doctrin.* & alii apud Marcellum Francolinum *de Hor. Canon. cap.* 38.

Eccleſiaſticum denique, quod ſecundum formam ab Eccleſia præſcriptam inſtituitur, & definiri ſolet apud *Abbatem*, & alios *Canoniſtas*, quod ſit *abſtinentia à carnibus &c. & prandii, ac poſt cœnam cujuslibet cibi ſubtractio, uſque in diem ſequentem.* Ex quo ſequitur tria omnino ad Eccleſiaſticum jejunium (de quo ſolo hic ſermo erit) requiri, ſcilicet 1. delectum ciborum: 2. unitatem refectionis: 3. tempus Cœnæ: de his plura diſcutienda ſunt; & hinc

3 Quæritur 2. in quo delectus ciborum, pro Jejunio Eccleſiaſtico requiſitus, conſtituatur? Reſp. 1. & præcipuè ſitus eſt in abſtinentia à carnibus *can. ſtatuimus* 4. *diſt.* 4. *& canon. de eſu* 10. *de conſecr. diſt.* 3. quæ ſemper, & omnibus jejuniorum diebus ubique obſervatur, ac de jejunii eſſentia præcipuè eſſe cenſetur: 2. prohibetur comeſtio eorum, quæ ſementinam carnis originem trahunt, ut ſunt ova, lac, butyrum, caſeus, *can. fin. Verſ. par: eſt diſt.* 4. ſaltem in Quadrageſima; nam extra Quadrageſimam jus commune ova, & lacticinia permittit. Laym. *lib.* 4. *tract.* 8. *cap.* 1. *n.* 3. Fagnan. *in cap. conſilium* 2. *h. tit. num.* 54. Vallenſ. *hic num.* 2. Schamb. *num.* 2. Imo etiam in Quadrageſima in quibuſdam, & pleriſque Germaniæ noſtræ Provinciis, ex conſuetudine paſſim recepta, propter piſcium, & olei penuriam, ova, butyrum, & cætera lacticinia permiſſa cenſentur. Laym. *l. cit.* cum *aliis*.

4 Dub. 1. an ſicut ad jejunium requiritur delectus ciborum, ita etiam potus? Reſp. diſtinguendo inter potum proprie talem, ſeu illum, qui non ad alendum corpus, ſed ad cibi diſtributionem, & ſanguinis refrigerationem per ſe ordinatur, & inter potum, qui cibum admixtum habet, & ob nutriendi vim, qua pollet, potius eſt cibus, uti eſt lactis, & juſculorum &c. *Potus poſterioris generis* extra Cœnam prohibentur, ut rectè Paludan. *in* 4. *diſt.* 15. *art.* 4. *concl.* 3. Azor *p.* 2. *lib.* 7. *cap.* 8. *q.* 7. *Verſ. ſciendum*, Vvieſt. *hic n.* 6. *Verſ. alia*, & communis cæterorum.

5 *Prioris generis Potus* Jejunio, prout illud ab Eccleſia inſtitutum, & hodie receptum eſt, non obeſt, licet & ipſe aliquando nutriat; nam id per accidens eſt, & Eccleſia in jejunio id ſolum reſpicit, quod per ſe alit, & in cibum, atque alimentum ſumitur. Vallenſ. *hic num.* 3. Schambog. *num.* 5. Vvieſt. *n.* 6. *cit.* Hinc vini ſumptio, ſi moderata ſit quacumque diei hora licita hodie eſt; ſi immoderata, temperantiæ quidem, non tamen jejunii Eccleſiaſtici præcepto adverſatur. Azor *queſt.* 7. *citat. princ.* Fagund. *de Eccl. præcept. cap.* 2. *num.* 7. cum *allegatis*.

6 Addidi *Hodie*; quia primis Eccleſiæ temporibus Chriſtiani diebus jejunii, præſertim Quadrageſimalis, etiam abſtinuerunt à vino, prout ex S. Clement. *Conſt. Apoſtol. lib.* 5. *cap.* 17. Tertullian. *de jejun. cap.* 6. Cyrill. Hieroſol. *Catecheſ.* 14. Gregor. Nyſſen. *Orat. de Jejun.* Baſil. *homil.* 1. *de Jejun.* Auguſt. *ſerm.* 64. *de temp.* notant Laym. *l.* 4. *tr.* 8. *c.* 1. *num.* 4. Gonzal. *in c.* 1. *h. tit. num.* 6. Vvieſtner *l. cit.* Imò ſex diebus Hebdomadæ Sanctæ populus Chriſtianus cibis tantum aridis, pane videlicet, ſale, & oleribus, atque aqua in potum victitabat; duobus verò ultimis diebus, Paraſceve videlicet, & Sabbato omnino jejuni perſeverabant, teſte Clem. *l. citat.* Alcuino *de Offic. Divin. capit. de Cœn. Dom.* Laym. *num.* 4. *cit.*

8 Dub. 2. an in locis, in quibus conſuetudine, vel privilegio licita diebus jejuniorum eſt comeſtio lacticinorum, etiam permiſſum ſit eſus ſanguinis, ſagiminis, & pinguedinis ex lardo porcino, aut adipis anſerum, vel aliorum animalium? Affirmant Gloſſ. *in can. Presbyter* 5. *V. ſanguine diſt.* 82. Hoſt. *in Summ. de Obſervat. jejun.* Abb. *in cap. conſuluit* 7. *de Judæis num.* 3. Sylv. *V. Jejunium num.* 16. Fagund. *de* 4. *Eccl. præcept. c.* 2. *num.* 20. Dian. *p.* 1. *tr.* 9. *reſol.* 21. qui proinde pro Regula tradunt, quod cui conceditur uſus ovorum, caſei &c. intelligatur etiam conceſſus uſus ſagiminis, ſeu lardi. *Rationem* Diana dat *l. cit.* quia pinguedo, & ſimilia, licet carni affinia, caro tamen non ſunt ſecundum Ariſtotelem *l.* 2. *de Generat.* perinde ut ova, & lacticinia. igitur non erunt prohibita iis, quibus iſta permiſſa ſunt.

Verum licet ſententia iſta ſpeculativè probabilis videri poſſit, probabilior tamen multo eſt negativa; quam confirmat Germaniæ conſuetudo, qua eſus lacticiniorum, & ovorum permiſſus eſt, prohibitus eſus ſanguinis, & adipis: & meritò; nam ſi iſta liceret veſci, non leve periculum foret, ne hominum gula ad farcimina etiam, & juſcula carnium paulatim extenderetur, maximo ſcandalo, & jejunii Eccleſiaſtici detrimento. *Ratio à priori eſt*; quia conſuetudo veſcendi ovis, & lacticiniis, cum ſit contra Jus, ſtrictæ interpretationis eſt; conſ. ad caſus alios extendi non debet. Laym. *num.* 5. Engl. *num.* 2. Konig *n.* 13. Vvieſt. *num.* 9. 8

9 Poterit tamen, ut Laym. *l. cit.* obſervat, ſententia DD. affirmantium Confeſſario in his Regionibus ad tria inſervire. 1. Ut pauperibus facultatem talibus veſcendi facilius concedat ob paupertatem. 2. Ut etiam ditiores propter uſum ſagiminis, ſeu lardi in cibis condiendis non facile mortalis peccati condemnet; quia licèt conſuetudo apud nos ita lardi, & ſagiminis, ſicut ovorum, caſei, & butyri uſum concedat, eſt tamen etiam perſuaſio, minorem eſſe lardi, & ſagiminis, quàm carnis ipſius prohibitionem. 3. Quòd ancillis, quæ juſſu herarum lardum porcinum, aut anſerum pinguedinem diebus jejuniorum loco butyri adhibenr, ſi imperium detrectare nequeant, facilè permittere poſſint, ut coquant, & comedant.

Dub. 3. quorum animalium carnes prohibeantur die Jejunii? Sunt, qui Regulam ſtatuunt, & putant, prohibitam comeſtionem carnium tantum ex animalibus terreſtribus, ſive iis, quæ diu extra aquam vivere poſſunt; non verò ex aquatilibus, ſeu illis, quæ nequeunt diu extra aquam vivere, quòd hæc piſcium potius nomine veniant. 10.

Sed Regula hæc univerſalis non eſt; nam limacibus & teſtudinibus in die jejunii licitè veſcimur, licèt extra aquam diu vivant; contra ſine jejunii violatione nemo veſcitur fulicis, & ſimilibus animalibus extra aquam non diu viventibus.

Hinc iſta in re præ oculis habenda eſt mens Eccleſiæ, prohibentis comeſtionem carnium, quæ carnes prohibendo intendit ſubtrahere fidelibus alimenta quæ multum nutriunt, & vires hominum admodum reficiunt. Deinde attendenda communis hominum exiſtimatio, & uſus, qui teſtudinum, & limacum comeſtionem permittit, fulicarum autem, & aliorum ſimilium, quæ in aquis ut plurimum degunt, Vvieſt. *hic num.* 10.

Quæritur 2. quo Jure introductum ſit præceptum unicæ refectionis, ad Jejunium Eccleſiaſticum requiſitæ? Refundunt hoc aliqui in Jus Eccleſiaſticum ſcriptum, & pro ſe allegant *canon. Quadrageſima* 16. *de conſecr. diſt.* 5. Sed quia nec iſte, nec alii textus Juris Sacri clarè ejuſdem præcepti meminerunt, hinc dicendum, quòd ortum habeat ex univerſali antiquiſſima, & Apoſtolis coæva conſuetudine. Sylv. *V. jejunium num.* 9. Azor *p.* 1. *l.* 7. *c.* 9. *q.* 1. Leſſ. *l.* 4. *de J. & J. c.* 2. *n.* 9. Vvieſt. *hic num.* 11. Rationem dat S. Thom. 2. 2. *q.* 147. *art.* 6. quod jejunium introductum ſit ad domandum, non deſtruendum corpus: quod omnino contingit, ſi cibum bis ſumere ſolitus, eum ſemel dumtaxat in die ſumat; cum corpus non domaretur, ſi eum ſumeret bis, & ſi nihil ſumeret, deſtrueretur. Et in hac quidem refectione ex communi DD. ſenſu plus cibi intra temperantiæ tamen limites, ſumi poteſt, quam alio tempore ſingulis refectionibus conſuevit Laym. *l.* 4. *tr.* 8. *c.* 1. *n.* 5. *verſ. alterum.* Engl *hic n.* 3. Vvieſt. *l. cit.* 11.

Dub. 1. quomodo peccet, qui in hac refectione comedendo excedit limites temperantiæ? *Ratio dubitandi* eſt, quia ita excedendo agit contra finem præcepti, ſive donationem, & mortificationem carnis, ut adeo non videatur præceptum implere. *Sed dicendum*, exceſſum iſtum adverſari quidem virtuti temperantiæ, per eum tamen adverſus Legem Jejunii Eccleſiaſtici non peccari; quia ſic excedens revera unica refectione contentus eſt. Ita Innoc. *in hanc Rubr.* Medin. *C. de jejun. q.* 11. §. *ſequitur etiam*, Leſſ. *l.* 4. *de Juſt. c.* 2. *num.* 10. Laym. *lib.* 4. *tract.* 8. *cap.* 1. *verſ. alterum*, Vvieſtener *num.* 11. *cit. verſ. ea autem* cum *cæteris*. *Ad Rationem dubitandi* finis præcepti non cadit ſub præceptum: conſ. iſtud impleri poteſt, etſi finis præcepti non obtineatur. Solum ergo ſequitur, quòd amit- 12

amittatur meritum jejunii vel ex toto, si excessus mortalis sit, vel ex parte, si venialis, ut notant Less. Laym. *l. cit.*

Dub. 21. quomodo refectio debeat esse unica, ut dicatur impleta præcepti hujus substantia? Resp. debet esse continuata moraliter, licèt physicè nonnumquam interrumpatur. Et hinc refectio iterata non censetur 1. Si à cœna nondum finita quis surgat ad conficiendum occurrens negotium, & eo confecto post modicum tempus v. g. unius quadrantis, aut etiam dimidiæ horæ ad illam perficiendam redeat; quia adhuc esse censetur eadem refectio moraliter. Cajetan. *V. Jejunium* §. *accidit. tamen.* Azor. *p.* 1. *l.* 7. *c.* 9. *q.* 1. Less. *l.* 4. *de Just. c.* 2. *n.* 11. *vers. infertur* 4. Laym. *l.* 4. *tr.* 8. *c.* 1. *n.* 6. Vviest. *hic n.* 12.

13 2 In Monasteriis, si Lector, vel Minister Mensæ, antequam isto fungatur munere, modicum cibi, v. g. jusculum sumat; tum quia sumptio illa prævia est quædam inchoatio cœnæ, quæ præstatione servitii intervenientis moraliter non interrumpitur. Navarr. *Man. c.* 21. *num.* 13. Azor. *quæst.* 1. *cit. in fin.* Less. *num.* 11. *vers. infertur tertio.* Laym. *num.* 6. *vers. tertium.* Vviest. *n.* 13.

3 Si coquus, aut Dapifer Principis prægustet cibos sumendos ab ægrotis, aut appositos mensæ Principis, etsi tales sint cibi, qui diebus jejunii prohibentur; quia hæc prægustatio non ad refectionem, sed ex officio Charitatis; aut muneris ratione fit, ne quid malè præparatum æger, aut toxicum cibis admixtum Princeps sumat. Fagund. *l.* 1. *cap.* 4. *num.* 2. Vviest. *l. cit.*

14 4 Si cùm quis extra tempus cœnæ quacumque ex causa bibit, addat paucas buccellas panis; quia id fieri solet, ne noceat haustus: ac proinde rationem medicinæ potius, quam cibi habet, etsi per accidens etiam nutriat. Less. *n.* 11. *vers. infertur quinto*, Laym. *n.* 7. *vers. Quintum.* Vviest. *l. cit.*

15 6 Si quis accipiat medicinam: vel sumat modicum quid electuarii, aromatis, confectionis ex saccharo ad debilis stomachi confortationem, conservationem vocis, aut alia simili causa; quia non, ut alimenta: sed ut medicamenta potius ad naturæ confortationem sumuntur, ut adeo substantia jejunii adhuc maneat integra. *S. Thom.* 2. 2. *q.* 147. *art.* 6. Bellarm. *l.* 1. *de Jejun. c.* 1. Less. *n.* 10. *vers. infertur secundo*, Laym. *num.* 7. *vers. quintum.* Beyerlink. *in theatr. V.* jejunium *tom.* 4. Gonzal. *in c.* 1. *h. tit. num.* 6. Vviest. *l. cit. Excipitur*, si hujusmodi electuaria, & confectiones sumerentur in magna quantitate; tunc enim cibi potius, quam medicinæ rationem haberent, & sic ex DD. *citt.* & aliorum communi sensu illarum sumptione violaretur jejunium.

16 Dub. 3. an cui ob infirmitatem judicio Medici, aut vi privilegii, vel dispensationis licitus est esus carnium, etiam permissa sit secunda refectio, & esus cæterorum ciborum, qui diebus esurialibus alias prohibentur? Videtur non esse permissum; quia præceptum abstinendi à carnibus, & à secunda refectione sunt dividua: & hinc, cui speciali Jure permissa est secunda refectio, aut esus aliorum ciborum, qui diebus esurialibus prohibentur, non hoc ipso permissus est esus carnium.

17 Sed melius affirmativam defendunt Cajetan. 2. 2. *q.* 147. *art.* 1. Azor. *p.* 1. *l.* 7. *cap.* 10. *quæst.* 3. *vers. arbitror.* Fagund. *de* 4. *Eccl. præc. cap.* 2. *numer.* 5. *in fin.* Vviestner *hic num.* 7. Ratio est; quia per dispensationem ad esum carnium aufertur essentia jejunii Ecclesiastici: conf. etiam ejus præceptum, & obligatio ab ipso pendens cessat *arg. Reg. accessorium* 42. *in* 6.

18 Hinc negatur paritas instituta *in Ratione dubitandi.* Disparitatis ratio est: tum quia semper major causa exigitur, ut esus carnium permittatur, quam ut permittatur secunda refectio; aut esus aliorum ciborum prohibitorum; tum quia ex communi fidelium sensu ei, cui permissa est secunda refectio, jejunium commutatum censetur in abstinentiam Ecclesiasticam, quæ carnium esum excludit.

19 Quæritur 3. quo tempore refectio die jejunii sumenda sit? Resp. olim extra Quadragesimam nona, quæ nostræ tertiæ promeridianæ respondet; in Quadragesima autem vespertina hora, sive in Solis occasu peragebatur, ut ex *can. solent.* 50. *de consecr. dist.* 1. S. August. *lib. de morib. Eccl. cap.* 41. *num.* 39. Hieron. *Epistol. ad Eustoch. de custod. Virg.* Basil. *orat.* 1. *de jejun.* Benedict. *Regul. c.* 41. Bernard. *serm.* 3. *de Quadrag.* ostendunt Azor. *p.* 1. *l.* 7. *c.* 11. *q.* 2. *vers. mihi*, Laym. *l.* 4. *tr.* 8. *c.* 1. *num.* 8. *vers. nam olim.* Gonzal. *in c.* 1. *h. tit. n.* 8. Engl *hic n.* 4. Vviestner *n.* 14. cujus observantiæ causam Fagnan. *in c. consilium* 2. *h. tit. n.* 52. ex *Hug. Archidiac.* & *Abb.* affert exemplum Christi, qui 40. diebus jejunavit nihil omnino comedens, quod cùm humana fragilitas non patiatur, statuit Ecclesia, ut saltem per omnes 40. dies ficte sumptos fideles jejunarent; nam post Vesperas expletas dies fictè expletus dicitur, cùm aliud Officium diurnum non supersit.

20 Posterioribus Sæculis, cum decrescentibus paulatim corporis humani viribus, & infirmitatibus ingravescentibus, homines sine refectione tamdiu ægerrimè perseverarent, & perferendis consuetis laboribus ac functionibus pares non essent, inductum est, ut refectio sumeretur sub meridiem, relicto cœnæ nomine, quâ etiam occasione simul in Quadragesima anticipatæ sunt Vesperæ, ut jam dicantur tempore antemeridiano, quæ olim, ut dictum, etiam in Quadragesima dicebantur sub occasum Solis. Less. *l.* 4. *de J. & J. c.* 2. *num.* 12. Laym. *n.* 8. *cit. vers. verum* Fagn. *in c. consilium cit. n.* 50. Engl. *n.* 4. Vviest. *n.* 15. Quod tamen tempus, ut Less. *l. cit.* notat, requiritur, non positivè, quasi necesse sit ea hora cibum sumere; quia possumus tota die abstinere, si velimus; sed negativè, ne videlicet ante illam sumamus, notabili temporis spatio illam prævertentes.

21 *Dubitatur*, an, & quale peccatum sit cœnæ horam in die jejunii prævertere? Videtur non esse peccatum; quia ex Navar. *Man. cap.* 21. *num.* 27. Sylv. *V. jejunium num.* 14. & aliorum DD. communi sententia licitè, imò, ut Fagund. *de* 4. *Eccl. præcept. c.* 3. *n.* 5. notat, laudabiliter, & pie pro cujusque arbitratu differri potest in Solis occasum: ergo præveniri etiam hora consueta poterit.

Sed distinguendum est, an cum, vel sine justa causa hora cœnæ anticipetur. *Si primum*, quia v. g. iter faciendum, hospes excipiendus, vel dimittendus, Concio, vel Lectio habenda, negotium conficiendum &c. conveniunt DD. licite anticipari, & notat Less. *n.* 13. sufficere quamvis causam honestam; additque in multis Monasteriis ex privilegio, vel consuetudine receptum esse, ut sesqui hora, vel amplius ante meridiem in jejunio prandeant.

22 *Si secundum*, interest, an anticipatio sit notabilis, an vero non. *Si non est valde notabilis*, iterum conveniunt DD. eam anticipationem, etiamsi sine causa fiat, peccatum veniale non excedere. *Si vero notabilis sit*, v. g. duarum, aut unius horæ, inter se diffident; nam Innoc. *in hanc Rubr. n.* 3. Archidiac. *in can. unum orarium. V. jejunantibus dist.* 25. Angel. *V. jejunium n.* 2. Tolet. *l.* 6. *c.* 2. *n.* 9. Less. *num.* 13. *cit. vers. contraria*, Vallens. *hic n.* 5. Engl *n.* 4. Scamb. *n.* 8. & teste Laym. *l.* 4. *tr.* 8. *cap.* 1. *num.* 11. plerique alii putant ad summum esse veniale; quia ut Less. *l. cit.* dicit, non violatur substantia jejunii, quæ solum in abstinentia ab esu carnium, & secunda refectione consistit, sed circumstantia quædam accidentalis, cum cujus violatione substantia jejunii Ecclesiastici potest consistere.

23 Contra Covar. 4. *var. c.* 20. *num.* 14. *fin.* Navarr. *num.* 27. *cit.* Vivald. *Append. aur. de jejun. Quadrag. n.* 27. Cajet. 2. 2. *q.* 147. *art.* 7. Sylv. *V. jejunium q.* 4. *vers. tertium*, Palud. *in* 4. *dist.* 15. *q.* 4. *art.* 4. Azor. *p.* 1. *l.* 7. *c.* 11. *q.* 4. Fagund. *c.* 3. *cit. n.* 4. Vviestner *hic n.* 16. volunt præventionem illam esse graviter peccaminosam. *Rationem* dant, quia qui jejunium Ecclesiasticum violat, graviter peccat; sed notabili refectionis anticipatione violatur Jejunium Ecclesiasticum, ut expresse Concil. Cabilon. *can. solent. cit. de consecr. dist.* 1. ergo &c.

Mediam ex his viam init Laym. *l.* 4. *tr.* 8. *cap.* 1. *num.* 11. *vers. quare omnino*, ubi olim fuisse mortale tempus refectionis notabiliter anticipare, sive cœnam mutare in prandium, nunc autem, spectata hodiernæ Ecclesiæ consuetudine, per quam Cœna in prandium, sive tempus, quo communiter homines prandere solent, translata est, non videri tertium istud requisitum ad substantiam Jejunii admodum pertinere, sed vel accidentarium esse; vel saltem secundarium, cujus pretermissio; adeoque anticipatio temporis comedendi censeri tantum debeat culpa venialis.

Ad Rationem dubitandi; quia per dilationem acceditur ad primævam jejunii institutionem, & ipse ejus finis magis obtinetur, cùm refectionis dilatione inedia, & corporis afflictatio, productior, & gravior evadat: quod non fit in præventione horæ.

24 Quæritur 4. quo Jure introducta sit Collatiuncula Vespertina, quæ sumi in diebus Jejuniorum solet? Respond. ut anticipatio Cœnæ, de qua hactenus, ita etiam Collatiunculæ vespertinæ usus inductus est consue-

suetudine: cujus ratio fuit, quod homines, qui post refectionem tam mature sumptam, toto reliquo die ab omni cibo abstinere deberent, difficulter noctu somnum caperent, periculum esset, ne potus, quem sitis levandæ, & sanguinis refrigerandi necessitas posceret, valetudini facilè nocerent. Laym. *l.* 4. *tr.* 8. *c.* 1. *n.* 8. *vers. verum* Gonzal. *in c.* 1. *h. tit. num.* 7. Vviestner *hic num.* 7. Hinc eadem Collatiuncula, sicut consuetudine introducta est, ita etiam consuetudine regulari, & secundum quantitatem, & qualitatem sumendorum definiri debet. Laym. *loc. cit.*

25 Dub. 1. quantum cibi sumere in Collatiuncula ista liceat? Respond. varias circa hoc esse DD. sententias; maxime autem dividi bifariam possunt: nam aliqui certam assignant, alii nullam certam assignant quantitatem. Ex iis, qui nullam certam quantitatem Collatiunculæ Vespertinæ assignant, omnes fere in hoc conveniunt, eam mensurandam esse juxta personarum, & regionum qualitatem, occupationes jejunantium, vires corporis, & maximè consuetudinem, quæ apud homines bonos, & timoratæ conscientiæ communiter viget. Ita existimant Azor. *p.* 1. *l.* 7. *c.* 8. *q.* 8. Bonacin. *tom.* 2. *D. ult. de præcept. Eccl. qu.* 1. *p.* 3. *n.* 2. *fin.* Less. *l.* 4. *de J. & J. D.* 2. *c.* 2. *n.* 11. Tolet. *l.* 6. *cap.* 2. *n.* 4. Laym. *l.* 4. *tr.* 8. *c.* 1. *n.* 9. Cottonius *l.* 1. *contr.* 17. *c.* 6. *n.* 66. & plures alii.

26 Qui certam aliquam quantitatem assignant, non conveniunt; nam 1. aliqui cum Graff. *p.* 1. *l.* 2. *c.* 37. *num.* 29. & Lezan. *Regul. qq. tom.* 3. *V. jejunium* tantum permittunt tres uncias: 2. Alii cum Homobon. *p.* 1. *tr.* 6. *cap.* 20. *q.* 90. & Emman. Sà *V. jejunium num.* 8. putant non excedendam quantitatem quatuor unciarum. 3. Villalob. *tom.* 1. *tr.* 23. *dub.* 7. *num.* 4. concedit sex uncias. 4. Septem uncias admittit Tamburin. *de præcept. Eccl. tr.* 4. *c.* 6. *num.* 9. aitque sic nostra ætate practicari à timoratis, & hoc doceri à plurimis, *Henrinq. Trull. utroque Sanch. Dian. Turrian.* & aliis apud *Pasqualig.* 5. Ad octo omnino uncias extendunt Fagund. *p.* 4. *l.* 1. *c.* 4. *n.* 13. & 19. Dian. *p.* 1. *tr.* 9. *resol.* 1. Joan. Sanch. *D.* 52. *n.* 7. Mendo *dissert.* 8. *q.* 1. *n.* 1. Pellizar. *tom.* 2. *tr.* 5. *num.* 10. *fin.* Escobar. *tr.* 1. *Exam.* 13. *circa* 4. *Eccl. præcept.* 6. Denique, quæ à priori non multum abludit, & idcirco plures etiam ex ipsis sibi Patronos habet, cum Reginald. *prax. tom.* 2. *l.* 14. *n.* 185. Filliuc. *tom.* 2. *tr.* 26. *p.* 2. *c.* 3. *q.* 7. *n.* 33. Layman *l.* 4. *tract.* 8. *c.* 1. *num.* 9. Busenbaum *l.* 3. *tr.* 6. *c.* 3. Sporer *in append. ad* 3. *præcept. Eccl. sect.* 2. Illsung. *tract.* 4. *D.* 1. *n.* 40. Vviest. *hic n.* 18. pro Regula quantitatis in Collatiuncula vespertina adhibendæ assignat quartam, aut quintam partem consuetæ comestionis: quam sententiam judico practicè probabilem esse, & propterea quemvis eandem sequi secure posse. Comestio autem illa hic sumi debet, quæ justa est, seu qua quis, considerata corporis sui, & regionis, ac aliarum rerum constitutione indiget: & hinc sequitur, cum cibi quantitas in cœna non sit omnibus eadem, sed aliqui majore opus habeant, alii minore, ob eam causam etiam quantitatem Collatiunculæ pro diversitate hominum diversam esse.

27 In Vigilia Nativitatis Domini amplius aliquid, & fere duplicatam refectiunculam permittunt *Azor, Sanchez, uterque Facundez, Tamburinus, Cottonius, Pellizarius, Diana, Sporer lib. citt.* & confirmat paxis tot annis tolerata, usitata ab hominibus piis, & timoratis, imò etiam Ecclesiæ Pastoribus, & Prælatis. *Ratio*, ob quam induci potuit hæc consuetudo, partim fuit lætitia tantæ festivitatis, partim vero, quia, ut ait *Azor*, omnes in ea nocte vigilabant, & in Templo Divinis Officiis interfuerant. *Extendunt* hoc 1. *Sanchez uterque Pelizarius: Tamburinus* etiam, cùm Vigilia Nativitatis jejunatur in die Sabbati quatuor temporum, & Festum agitur Feria 2. *Rationem* dant; quia magis dignum trahit ad se minus dignum, & causa inducendi hanc consuetudinem lautioris refectiunculæ fuit excellentia Festi, non verò solus labor nocturni Officii. *Extendunt* 2. etiam ad Vigiliam Paschatis *Azor, Victorellus, Fagundez Pellizarius*; quia etiam jejunium Vigiliæ Paschatis est jejunium lætitiæ; lætitia enim incipit in ipsa Vigilia, ubi non jam præparatio ad Festum Resurrectionis, sed ipsa Resurrectio celebratur, Missa solemnis in paramentis albis dicitur, cantatur Alleluja, & omnia plena sunt lætitia: unde ajunt etiam jejunium debere esse mixtum lætitia, atque adeo cum ampliori refectiuncula. Ego judico, attendendam locorum consuetudinem, quæ unica ratio fuit permittendi majorem cœnulam. & quidem si hæc alicubi vigeat, omnino licebit utramque extensionem facere, neque ad Vigiliam Paschatis solum, sed etiam ad Pentecostes.

Dub. 2. quid in Refectiuncula vespertina observandum sit circa qualitatem ciborum? Aliqui existimant non ita strictè prohiberi cibi qualitatem, ut prohibetur quantitas. Ita Bonacin. *ult. de præcept. Eccl. qu.* 1. *p.* 3. *num.* 3. Tambur. *de præcept. Eccl. tr.* 4. *cap.* 6. *num.* 21. & *l.* 4. *Decal. c.* 5. §. 3. *n.* 3. Pasqualig. *decis.* 115. Petr. Marchant. *Trib. tom.* 2. *tr.* 12. *tit.* 3. *q.* 3. *dub.* 1. Joan. Marchant. *Resol. Pastor. p.* 2. *c.* 5. *fol.* 220. Rationem dant; quia adhuc subsistit substantia jejunii; hæc enim in eo posita est, ut abstineatur à carnibus, & ut sumatur una refectio: quod sit, quicumque in refectiuncula sumantur cibi esuriales, modo refectiuncula illa in cœnam non abeat. Rigidius sentiunt Azor *p.* 1. *l.* 7. *c.* 8. *q.* 8. Dian. *p.* 1. *tr.* 9. *resol.* 1. & *p.* 9. *tract.* 6. *resolut.* 8. Fagund. *l.* 1. *in* 4. *Eccl. præcept. c.* 4. *n.* 18. Pellizar. *Man. Regul. tom.* 1. *tract.* 5. *cap.* 5. *num.* 15. Cassian. à S. Elia *V. jejunium* 1. *num.* 48. Mendo *dissert.* 8. *quæst.* 1. *num.* 3. Escobar. *tract.* 1. *Exam.* 13. *circa* 4. *præcept. Eccl.* Busenbaum *l.* 3. *tr.* 6. *c.* 6. Sporer *in Appendic. ad* 3. *præc. Eccl. sect.* 2. *n.* 30. Vviest. *hic num.* 18. qui omnes volunt in collatiuncula solum adhiberi posse illos cibos, qui ante, & post prandium, vel cœnam bellariorum loco apponi solent. 28

Ego hic iterum judico attendendam pro Regula esse consuetudinem: juxta quam in collatiuncula vespertina 1. licet adhibere panem. Ita communis contra quosdam apud Azor. *c.* 8. *c. q.* 7. qui panem tunc solum concedunt, ubi fructus defuerint, vel soli nocerent. *Neque obstat*, quod panis multum nutriat; nam in lege jejunii, ut sæpe dixi, plurimum consuetudo valet. 2. Licet adhibere fructus arborum, herbas, electuaria, & in Germania nostra etiam caseum; nam hæc omnia in secundis mensis apponi solent. Vviest. *n.* 18. *vers. de qualitate*, 3. Comedi potest pisciculus, aut exigua pars piscis majoris; nam ita mos est, scientibus, & non repugnantibus Pastoribus, & Prælatis. Azor. *q.* 7. *cit.* 4. Ubi consuetudo est comedendi ova, permittitur modica quantitatis ovi duri cum acetario. Cottonius *l.* 1. *contr.* 17. *n.* 77. 5. *Pellizarius, Escobar, Diana, Arsdekin, Sporer* permittunt jusculum, modo coctum non sit in cibo vetito, & quantitas pro collatiuncula taxata non excedatur; nam illud passim etiam timorati adhibent. 29

Dub. 3. an ordine mutato, collatio, sive refectiuncula vespertina sumi possit circa meridiem, cœna ad occasum Solis dilata? *Certum est*, id fieri licitè posse, si illud exigat, aut suadeat justa causa, v. g. itineris faciendi, negotii conficiendi, præsertim si accedat Superioris authoritas. Idem permissum nonnulli volunt etiam cessante ejusmodi causa, quod ea mutatione substantia jejunii non mutetur. 30

Sed frequentius, & melius DD. alii hanc ordinis mutationem à culpa veniali non excusant, quod tempus Cœnæ, & Collatiunculæ sit approbatum consuetudine universali Ecclesiæ, à qua siquis sine justa, & rationabili causa recedat, à nota temeritatis, & levitatis, consequenter à culpa saltem veniali excusari non potest. Cajet. *V. Jejunium c.* 1. *prop. fin.* Navar. *Man. cap.* 21. *num.* 14. Lamas *p.* 3. *meth. cap.* 5. *n.* 15. Tolet. *lib.* 6. *c.* 2. *n.* 9. Laym. *lib.* 4. *tract.* 8. *cap.* 1. *num.* 10. Vall. *hic num.* 4. Zoes. *n.* 14. Schambog. *n.* 7. Vviestner *n.* 19.

Quæritur 5. quibus anni diebus jejunium fidelibus ab Ecclesia præceptum sit? Respond. 1. antiquissimum, & apud omnes Patres, & Scriptores Ecclesiasticos maxime testatum est Jejunium Quadragesimale, quod, ut clare docet S. Ignatius *in Epist. ad Philippens.* ab Apostolis institutum est ad exemplum Christi, Moysis, & Eliæ 40. dies jejunantium. Hujus jejunii diversis temporibus diversa fuit observantia; nam olim ante Gregorium Jejunium Quadragesimæ inchoatum fuit à prima Dominica Quadragesimæ, prout testatur S. Ambros. *serm.* 34. *de Quadrag.* Cassian. *collat.* 21. *cap.* 24. 27. & 38. Alcuin. *lib. de Divin. Offic. c. de Quadrag.* apud Laym. *lib.* 4. *tract.* 8. *cap.* 2. *numer.* 1. Quia verò, demptis Dominicis sex, in quibus solum est abstinentia à carnibus, item ab ovis, & lacticiniis, ubi quoad ista Legi jejunii derogatum non est, non sunt dies 40. ut Sacer numerus 40. dierum, quem Dominus, & Salvator noster suo Sacro jejunio consecravit, ab omnibus adimpleretur, à Gregorio I. vel ut alii malunt, à Gregorio II. adjecti fuerunt dies quatuor proximè antecedentes Dominicam Quadragesimæ, ita ut jejunium sit à die Cinerum usque ab Sabbatum Sanctum inclusive, quem mo- 31

morem jejunandi recepit univerſalis Eccleſia; Mediolanenſes tamen, ita permittente Summo Pontifice, retinuerunt morem antiquum, qui proinde hodiedum Quadrageſimam, & jejunium in ea præſcriptum inchoant à prima ejus Dominica, excluſo quatriduo præcedente.

32 2. Celebrat Eccleſia Jejunium Feria quarta, ſexta, & Sabbato quatuor temporum, ex uſu pariter antiquiſſimo; nam, ut probat Laym. *l. cit. num.* 4. hoc quatuor Temporum jejunium partim ab Apoſtolis, partim non multo poſt Apoſtolorum tempora inſtitutum eſt. *Ratio* hujus inſtitutionis aſſignatur triplex, 1. quia etiam Hebræi quatuor in anno jejunia inſtituebant, quamvis non eiſdem omnino temporibus, ut teſtatur Sanctus Hieronymus relatus *can. jejunium* 7. *diſt.* 76. 2. ut in quatuor temporum partibus jejunia trina pro menſium numero Deo offerentes, omnes totius anni actiones, & eventus noſtros à DEO pendere profiteamur, indicat S. Leo *ſerm. de jejun. decim. menſ.* relatus *can. hujus 6. diſt. citt.* & explicat Azor. *p.* 1. *l.* 7. *cap.* 14. *quæſt.* 3. Laym. *cap.* 2. *cit. num.* 5. *qu.* 2. 3. ut quia illis temporibus ordinantur Clerici, DEUS illis majores conferat gratias, quibus obtentis melius Eccleſiæ valeant inſervire: cujus jejunii exemplum ſumptum eſt ab Apoſtolis; nam hi ordinationes, niſi præmiſſo jejunio, non celebrabant, ut obſervavit Leo I. *Epiſt.* 81. *ad Dioſcorum Alexandrin.* Amalar. *l.* 2. *de Offic. Eccleſ. cap.* 1. & colligitur ex *Act. Apoſtol. cap.* 13. *verſ.* 3. ibi, *Jejunantes, & orantes, imponenteſque eis manus, dimiſerunt illos*, Saulum nempe, & Barnabam.

33 3. Jejunio honorat Eccleſia Vigilias præcipuarum quarundam per annum Feſtivitatum: & 1. quidem Nativitatis Domini, & Pentecoſtes 2. Aſſumpt. B. V. & SS. Apoſtolorum, *præter Vigilias Apoſtolorum Philippi, & Jacobi, & Joannis Evangeliſtæ; quoniam ipſorum ſolemnitas intra ſolemnitatem Paſchalem* (intra quam nullum eſt jejunium neceſſitate obligans, præter Vigiliam Pentecoſtes) *iſtius autem intra Natalem Domini celebratur*, ut dicitur *c. conſilium* 2. *pr. hoc tit.* 3. S. Joannis Baptiſtæ, S. Laurentii, & omnium Sanctorum, de quibus quidem in Jure Canonico nihil reperitur, obſervanda tamen ſunt propter generalem Eccleſiæ Latinæ conſuetudinem, ut communiter notant DD. *ad præſentem Rubricam*. Si harum Vigiliarum aliqua incidat in diem Dominicam, jejunium cum Officio Vigiliæ anticipatur, & obſervatur antecedente Sabbato juxta *c. ex p.* 1. *h. tit.* quia in Dominica propter reverentiam diei jejunium celebrari non ſolet. Similiter ſi Vigilia S. Joannis Baptiſtæ incidat in Feſtum Corporis Chriſti, eſt anticipandum jejunium feria 4. ex declaratione Urbani VIII. *ſub die* 13. *Octob.* 1638. impreſſa *in Bullar. tom.* 5. *Conſtit.* 232. Eandem anticipationem cum *Diana*, *& Gavanto* permittit Laym. *lib.* 4. *tract.* 2. *cap.* 3. *numer.* 8. *fin.* caſu, quo Vigilia S. Matthiæ incidit in feriam II. aut III. Quinquageſimæ; tunc enim putant Epiſcopum poſſe jejunium Vigiliæ transferre in Sabbatum præcedens, ſi prævideat, id feriis illis à paucis obſervandum. Sed contrarium his reſpondit *S. Rit. Congr.* nempe *ſub diebus* 23. *Jan.* 1694. *&* 11. *Julii* 1699. quod Decretum impreſſum eſt *in Bullar. Conſt. Innoc. XII.* 92. de quo videantur Matthæucc. *Offic. Eccl. c.* 21. *num.* 11. & Monacell. *p.* 2. *tit.* 16. *form.* 4. *num.* 12. Aliud dicendum, ſi in Vigiliam aliquam incidat Feſtum aliquod ſolemne, v. g. Titularis, aut Patroni Eccleſiæ, vel Diœceſis; tunc enim Cajetan. *Summ. V. jejunium c.* 9. *fin.* Sylvius 2. 2. *q.* 147. *art.* 4. Trullench. *l.* 3. *Decal. c.* 2. *dub.* 5. *n.* 19. Fagn. *in c. conſilium cit. n.* 31. Pignat. *tom.* 3. *conſult.* 14. *n.* 2. putant authoritate Epiſcopi transferri jejunium poſſe in diem proximè præcedentem, prout etiam facit Eccleſia Ratisbonenſis, cujus primarius Patronus eſt S. Vvolfangus; nam cùm ejus feſtum ſemper incidat in Vigiliam SS. omnium, Jejunium illius Vigiliæ in ea Diœceſi celebratur pridie. Et ex ſimili cauſa translatio jejunii facta eſt à *S. Congr. Rit.* 24. *Sept.* 1638. *&* 26. *Maji* 1659. *&* 9. *Jun.* 1698. apud Pignatell. *l. cit.*

34 4. Cum abſtinentia à carnibus celebrat Eccleſia ſingulas Ferias VI. ob memoriam Paſſionis Domini *can. de eſu* 11. *can. Sabbato* 12. *de conſecr. diſt.* 3. *& c. fin. h. tit.* & Sabbatum in honorem tum Sepulturæ Chriſti, tum B. V. *can. Sabbato cit. & can. quia dies* 31. *de conſecr. diſt.* 5. *Excipitur*, ſi Feſtum Nativitatis Domini incidat in Feriam VI. aut Sabbatum; tunc enim more per Honorium III. *c. fin. h. tit.* approbato, licet veſci carnibus, propter excellentiam Feſtivitatis, & diei omnium feliciſſimæ, qua Verbum Caro factum ex B. Mariæ Virginali utero prodiit, & Orbem univerſum novæ lucis, & optatæ pacis ſerenitate, æternæque Salutis ſpe de cœlo recreavit. Fagnan. *in can. conſilium* 2. *h. tit. n.* 44. Gonzal. *in c.* 1. *eod. n.* 1. Zoeſ. *hic n.* 6. Pirh. *n.* 3. Vvieſt. *n.* 26.

5 Præter hæc jejunia olim Romæ celebrabatur Jejunium Adventus, ut patet ex *c. conſilium cit.* ibi, *Jejunium etiam apud nos in adventu Domini agitur*: ejuſque conſuetudinis veſtigium adhuc apparet, tum in Ritu Romani Breviarii, in quo Preces ad Horas ſingulas recitantur, ſicut in diebus jejuniorum; tum in Regulis quorundam Religioſorum Ordinum, qui jejunium Adventus: perinde ac Quadrageſimæ celebrant. De præcepto Eccleſiæ hodie nulla eſt jejunii hujus obligatio: unde circa hoc cujuſque loci conſuetudo ſpectanda eſt. Hoſt. *in c. conſilium cit. V. apud nos*, Abb. *ibid. not.* 3. Pirh. *hic num.* 2. Idem dicendum de Feriis Rogationum. Abb. *in Rubr. hoc tit n.* 6. Fagnan. *in c. conſilium cit. n.* 24. Barboſ. *ibid. n.* 3. Pirh. *num.* 2. *citt.* 35

Dub. 1. an jejunium die Dominica licitum ſit? Reſpond. olim vetitum fuiſſe ſatis conſtat ex *canon. poſt Paſcha* 10. *diſt.* 76. *can. placuit* 9. *can. nequis* 15. *&c. de conſecr. diſt.* 3. *can. Quadrageſima* 16. *de conſecr. diſt.* 5. Ratio prohibitionis fuit partim lætitia concepta ex memoria Reſurrectionis Domini, à qua illa dies nomen accepit neque, enim cum feſtivæ illius diei publica hilaritate jejunio ſe macerantium ſqualor, & pœnitentia videbatur convenire, ut Petrus Damiani *Opuſc.* 55. *cap.* 5. & poſt eum S. Thom. 2. 2. *qu.* 147. *art.* 5. advertunt; partim verò, & præcipuè, ne Eccleſia communicare, aut ſaltem idem ſentire videretur cum Hæreticis, ex quibus die Dominica Pauliniſtæ, & Montaniſtæ ex ſuperſtitione, Manichæi ex errore, Euſtachiani ex contemptu jejunabant, ut inſinuatur *can. ſiquis* 7. *& can. fin. diſt.* 30. *can. Sacerdos* 6. *cauſ.* 26. *q.* 7. *&c.* Barboſ. *in can. ſiquis cit. n.* 2. 36

Unde Hæreſibus illis cum tempore extinctis, & ſublato cum ipſis ſcandalo fidelium, ea Eccleſiæ prohibitio hodie ceſſat. Quare dicendum, Jejunium die Dominica, privata ſaltem devotione, hodie obſervari poſſe. Bellarm. *l.* 2. *de Bon. Operib. in partic. cap.* 23. Sanch. *l.* 2. *mor. c.* 37. *num.* 12. Bonacin. *de præcept. Eccl. q.* 1. *p.* 5. Fagund. *præcept.* 4. *Eccl. c.* 5. *num.* 2. Laym. *l.* 4. *tr.* 8. *c.* 2. *n.* 9. Raynaud. *Heterocl. Spir. p.* 3. *punct.* 2. *fol.* 413. Gonzal. *in c.* 1. *h. tit. n.* 11. Vvieſtner *hic num.* 23. & colligitur *arg. cap. fin. h. tit.* ubi dicitur, *non eſſe reprehendendos, qui ea die ob devotionem ex voto, vel regulari obſervantia à carnibus voluerint abſtinere*. igitur abſtinentia à carnibus, & conſ. etiam Jejunium ea die eſt de meliori bono; alias non eſſe poſſet materia Voti, & Regulæ Religioſæ, cujus finis eſt ad Perfectionem conducere. 37

Dub. 2. an vovens Jejunium, aut abſtinentiam die Veneris, id obſervare etiam teneatur, quando in hunc diem incidit Feſtum Nativitatis Domini? Reſp. hoc pendere ex intentione voventis; nam ſi diem illam voluit comprehenſam Voto, obligabitur; ſi excluſam, non obligabitur jejunare. Fagnan. *in c. conſilium h. tit. nu.* 14. *&* 15. Vvieſt. *hic num.* 26. *verſ. dubium*.

Difficultas eſt, quando dubium eſt de intentione voventis; quo caſu ad jejunium, vel abſtinentiam adhuc obligari hac die voventem defendit Abb. *in cap. fin. h. tit. num.* 3. Barboſ. *ibid. num.* 2. Sanch. *mor. capit.* 11. *num.* 61. Vaſq. 1. 2. *Diſt.* 30. *num.* 4. quorum ſententiam tutiorem putat Suar. *lib.* 4. *de Vot. c.* 20. *n.* 7. Videtur iſtud ſuaderi triplici Argumento. 1. ſiquis ſimpliciter voviſſet nunquam veſci carnibus, his veſci non poſſet etiam in die Nativitatis Domini, ex recepta doctrina Gloſſ. *in c. fin. cit. V. Voto*. ergo nec veſci iiſdem poterit, qui vovit, quod iis veſci non velit die Veneris. 2. cum Feſtum Nativitatis feria ſexta occurrit, Minimi S. Franciſci de Paula non veſcuntur carnibus ob Regulam ſuam: ergo etiam vovens ab earum comeſtione impeditur ob Votum ſuum: 3. tale Votum ſic intellectum videtur eſſe vanum, & inutile, cum Jus commune obligationem abſtinendi à carnibus reliquis diebus Veneris jam ante ipſos impoſuerit: ergo debet intelligi de uſu licito, nempe quod vovens velit abſtinere à carnibus etiam illo die Veneris, quo licitum eſt comedere carnes. 38

Sed probabilius ab obligatione Jejunii, & abſtinentiæ ea die ita voventem abſolvunt Joann. Andr. *in c. fin. h. tit. n.* 4. Azor *p.* 1. *l.* 2. *c.* 20. *q.* 3. Molin. *tr.* 2. *de J. & J. D.* 272. *n.* 3. Fagund. *c.* 6. *n.* 6. Dian. *p.* 1. *tr.* 9. *reſol.* 22. Fagnan. *in c. fin. cit. à num.* 16. & præſertim *num.* 24. Gonzal. *ibid. num.* 3. *prop. fin.* Pirh. *hic num.* 5. 39

num. 5. Vviest. *n.* 27. & alii, 1. quia quando de Voventis intentione non constat, Votum interpretationem accipit ab usu, seu moribus Ecclesiæ ex doctrina Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.* 4. *cap.* 7. *num.* 9. sed Ecclesiæ moribus, ut dictum est *n.* 34. Feria VI. quando in eadem incidit Natalis Domini neque jejunium, neque abstinentia à carnibus observatur. ergo &c. 2. qui vovit jejunare ptidie alicujus Sancti, si dies ille pridianus Dominicus sit, non tenetur isto, sed precedente Sabbato jejunare juxta morem Ecclesiæ, & textum *c. ex parte* 1. *h. tit.* ergo qui vovit jejunare singulis feriis VI. neque ipse tenebitur jejunare feria illa VI. in quam Natalis Domini incidit, cum & ipse censeatur jejunium vovisse secundùm Ecclesiæ morem. 3. in dubio non censentur generali promissione inclusa illa, quæ si alicui fuissent specialiter proposita, verisimiliter non promissa, sed excepta fuissent *c. fin. de Offic. Vicar. in* 6. *&* *l. obligatione* 6. *ff. de Pignorib.* atqui de vovente in casu præsentis dubii meritò præsumi potest, quod si interrogatus fuisset, an Voto suo voluerit includi Natalem Domini, quando is incidit in Feriam VI. hanc diem Voto suo non voluerit esse inclusam: ergo &c.

40 Neque contrarium efficaciter probant Argumenta opposita. *Ad* 1. ratio disparitatis est; quia qui simpliciter vovit nunquam vesci carnibus, voluit se privare libertate comedendi carnes, etiam diebus alias permissis: unde ex vi Voti etiam die Paschatis tenetur abstinere, & consequ. etiam die Nativitatis Domini. At verò qui specialiter vovit abstinere à carnibus die Veneris, vovit abstinentiam illis diebus, quibus alias est prohibitus esus carnium ab Ecclesia: ergo non censetur vovisse abstinentiam die Nativitatis Domini, incidentis in Feriam VI. cùm ea die esus carnium ab Ecclesia non sit sibi prohibitus. *Ad* 2. constat, quòd Minimi ab abstinentiam à carnibus, ultra Ecclesiæ morem servandam, se specialiter voluerint obligare Voto suo. Accedit, quia non desunt Religiosi alii, qui die Natalis Domini, in Dominicam incidente, comedunt carnes, quibus alias vi Regulæ tota vita non vescuntur. *Ad* 3. potest utiliter præcipi, vel prohiberi Jure humano, quod antecedenter præceptum, vel prohibitum est Jure Divino. igitur pari modo adstringere se aliquis Voto potest ad abstinendum à carnibus diebus illis, quibus alias præcepta est hæc abstinentia, ut novo vinculo obstrictus, tanto magis abstineat, qui fortè non abstineret propter solum præceptum: & hinc Confessarii solent interdum suadere pœnitenti, qui frequenter in peccatum aliquod labitur, ut voveat ad tempus à peccato illo abstinere, ut vel sic se contineat à relapsu: idque fit non sine fructu; quia funiculus triplex, aut etiam duplex difficilius rumpitur. *c. treugas* 1. *de treug. & pac.*

41 Quæritur 6. quanta sit obligatio jejunii observandi diebus ab Ecclesia præceptis? Resp. ex unanimi DD. sententia est gravis. Colligitur ex *can.* 68. *Apostol.* ubi violatores jejunii, si Clerici sint, jubentur deponi, si Laici, excommunicari. *Ratio* hujus obligationis quoad omnes est, quòd omnes, saltem ut plurimum, egeant castigatione carnis, ut Spiritui subsit, satisfactione pro peccatis, & aptitudine mentis ad orandum; ad hoc autem instituta, & præcepta sunt jejunia. Vallens. *hic n.* 1. *in fin. Excipitur*, nisi causa à DD. approbata excuset. Et quidem ne mortale incurratur peccatum in transgressione istius præcepti, excusat materiæ parvitas, ut exploratum est apud omnes. Si sæpius iteretur modicus cibus, distinguendum est, an eadem die iteretur, an diversis. Si diversis diebus modica fiat comestio cum præcepta sint dividua, illam faciens non incurrit peccatum mortale; quia sic iteratæ comestiones non faciunt continuationem. Zoes. *hic n.* 9. Si verò eadem die, censentur continuari, & consequ. plures parvæ notabilem faciunt violationem.

42 Porro causæ, quæ ab obligatione præcepti istius eximunt, complures sunt. 1. *Ætas* viginti, & uno annis minor, & sexaginta, vel saltem septuaginta annis major, prout ex communiori sententia docent Azor. *p.* 1. *l.* 7. *c.* 17. *q.* 2. *&* 4. Laym. *l.* 4. *tr.* 8. *c.* 3. *n.* 1. Vallens. *hic n.* 1. Zoes. *n.* 9. *&* 10. Schamb. *n.* 9. Konig *n.* 4. *&* 5. Vviest. *n.* 29. Ratio est, quia minores viginti, & uno annis indigent multo nutrimento propter necessitatem augmenti, quod fit de residuo alimenti; senes verò, quamvis indigeant minore cibo, ob naturam tamen jam declinantem opus habent adminiculo cibi frequentius sumpti, ut sic tam præsenti consulatur statui, quàm futuro. Quodsi tamen jejunium requiratur pro consequendis Indulgentiis Jubilæi, concessi à Summo Pont. tam juvenes, quam senes jejunare, seclusa dispensatione Confessarii, debent, si commodo Jubilæi frui velint; quia tunc Jejunium requiritur tanquam conditio, quæ necessario implenda est ad consequendum finem. Zoes. *num.* 9. *cit.*

2 *Corporis infirmitas*, prout habetur *can. Quadragesima* 16. *de consecr. dist.* 5. ibi, *Nisi quem infirmitas impedierit*, & *c. consilium* 2. *h. tit.* ibi *debilibus*, *& infirmis*. *Ratione* hujus à lege Jejunii soluti sunt non solum, qui ex morbo decumbunt, aut graves dolores patiuntur, sed etiam convalescentes, & alii, qui debili sunt complexione, vel ex stomachi vanitate laborant vertigine, aut somnum capere non possunt, si secundam refectionem non sumant: uti etiam prægnantes, lactentes, & qui Medici judicio cibo fortiore, aut frequentiore refectione indigent. S. Thom. *in* 4. *dist.* 15. *q.* 3. *art.* 2. *q.* 4. Richard. *ibid. art.* 3. *q.* 4. Cajetan. *in Summ. V. jejunium* *&* 2. 2. *q.* 174. *art.* 4. Sylv. *V. jejunium q.* 4. Navar. *Man. c.* 21. *n.* 16. Azor. *p.* 1. *l.* 7. *c.* 17. *q.* 5. Fagund. *c.* 18. *n.* 12. Laym. *l.* 4. *tr.* 8. *c.* 3. *n.* 3. *vers. altera*. Zoes. *hic num.* 11. Schamb. *n.* 9. Konig *n.* 6. Vviest. *n.* 29. 43

3 *Necessitas* proveniens ex paupertate *can. consilium cit.* ibi, *Propter inopiam -- carnes comedere sunt coacti*. Ratione hujus jejunii legibus non obstringuntur, qui victum ostiatim mendicant, & universim, quibus non suppetit cibus sufficiens ad unam congruam refectionem, ut qui non habent, nisi duos, vel tres leviores cibos v. g. offam cum olere, vel pulmento. S. Thom. 2. 2. *qu.* 147. *art.* 4. *ad* 4. Sylv. *V. jejunium n.* 24. Navar. *c.* 21. *num.* 6. Azor *q.* 6. Laym. *num.* 3. *vers. tertia*. Zoes. *hic num.* 11. Konig *num.* 7. Vviest. *num.* 30. Atque his licitus quoque esset usus carnium, si alium cibum invenire non possent. Quodsi tamen pro aliquo die haberent congruam sustentationem, ad jejunium obligarentur, quandoquidem cessante causa, solvente præcepti obligationem, incipit ligare præceptum. Konig *l. cit.* 44

4 *Labor corporalis*, qui cum jejunio facile non consistit: ratione cujus à jejunio excusantur agricolæ, fabri lignarii, & ferrarii, scriniarii, cursores, viatores; item famuli, & famulæ, qui majoribus laboribus occupantur; non vero qui fila ducunt, vestes sarciunt; aut pictores, tonsores, sartores. *Neque refert*, an labor ille sit corporis, an verò animi: nam ab accurata observatione jejunii etiam eximuntur Concionatores, ter aut sæpius in hebdomada ad populum dicentes, Confessarii, qui tota die Confessionibus pœnitentium sunt expositi, Professores Scholarum inferiorum, & Superiorum etiam, quando Lectiones, & alias Exercitationes Litterarias, ut in Universitate nostra Professores Jurium, in hebdomada sæpius habent. *Neque* interest, utrum labor iste suscipiatur ex obligatione officii, an verò oblata peropportuna, & alias non occurrente occasione damni vitandi, vel lucri acquirendi, ut si mercator proficiscatur ad nundinas, aut ad alia negotia, quæ commode differri non possint. Sylv. *l. cit. n.* 24. *&* 26. Azor *q.* 8. Laym. *n.* 3. *vers. Quarta*, Tolet. *lib.* 6. *cap.* 4. Tambur. *l.* 4. *Decal. c.* 5. §. 7. *n.* 26. Konig *n.* 8. *hic* Zoes. *hic n.* 11. Schamb. *n.* 9. Vviest. *n.* 30. 45

5 *Pietas*, quæ causa fere comprehenditur in priori: qua ratione obligatio jejunii cessat, ut operi præstantiori, vel majoris momenti possit incumbere, quod cum jejunio non facile consistit, nec commode differri potest. Quale imprimis est opus misericordiæ corporalis, vel Spiritualis, ut Infirmarii, Concionatoris, Professoris &c. de quibus *n. præc.* 2. opus Justitiæ, si conjux jejunans conjugi id petenti, & forte alias in periculo incontinentiæ constituto debitum non possit reddere, quia infirma complexione est. Cajet. *Summ. V. jejunium*. Sà *V. eod. n.* 9. Tolet. *c.* 4. *cit. n.* 6. Laym. *n.* 4. *vers. quinta*, *cum aliis*. 3. opus Charitatis, ut si uxor mariti iram, & contentionem effugere non possit, nisi cum ipso cœnet, modo jejunium non prohibeat ex Religionis contemptu, sed ob aliam causam. Abb. *in Rubr. h. tit. n.* 8. Cajet. *V. jejunium* §. *excusantur infirmi*, Sylv. *n.* 25. Navar. *n.* 19. Laym. *l. cit.* Ratio horum omnium est, quia non oportet jejunium, ab Ecclesia indictum, majoris alicujus boni esse impeditivum. 46

6. *Consuetudo*, ut pluries insinuatum est; nam ea non tantum certo aliquo tempore, vel die novum jejunium induci, & ante inductum in alium diem, vel tempus transferri, sed mitigari etiam, vel omnino abrogati valet, ut *in c. consilium cit.* advertit Gloss. *V. consuetudinem*, Abb. *ibid. n.* 5. Host. *in Summ. n.* 5. Zoes. *hic n.* 11. Vviest. *ibid. n.* 31. ex quo tamen non sequitur, Quadragesimale Jejunium, & alia solemnia, consuetudine omnino abrogari posse; quia non apparet, quomodo talis consuetudo possit esse rationabilis. Host. *in c. consilium cit. col.* 1. Joan. Andr. *ibid. n.* 8. Fagnan. *n.* 46. Pirh. *hic n.* 4. Vviest. *n.* 31. *cit.* 47

7 De-

48 7 Denique *Dispensatio*. Dispensare autem in Legem jejunii potest 1. Summus Pontifex, etiam sine justa causa, saltem valide. 2. Episcopus, vel Capitulum Sede vacante; & ex utriusque commissione Vicarius Generalis, & Parochus, ex justa tamen causa: quæ propterea debet esse vera, vel saltem rationabiliter existimata, alias dispensatio Ob- vel Subreptionis vitio concidet. Si dispensetur cum uno, vel paucis, sufficit minor, & privata causa; si cum tota communitate, debet esse major, & publica, ut recte observat Laym. *l. cit. num.* 1. *vers. ad extremum*.

49 Porro causæ, quas dixi, ob infirmitatem, laborem &c. excusantes à lege jejunii, plerumque locum duntaxat habent secundum eam præcepti partem, quæ alteram refectionem prohibet, in quo dijudicare ordinarie cujusque conscientiæ relinquitur. Sed ad comedendas carnes declaratio, vel dispensatio Episcopi, aut eo longius distante proprii Parochi accedere debet, ne si res cuilibet privato arbitrio committatur, nimis quisque partialis in propria causa Judex fit, & paulatim abstinentia Quadragesimalis, Christi Domini exemplo introducta, Ecclesiæ continuo usu, & PP. doctrina confirmata è medio tollatur. Vivian. *in c. consilium cit. vers. propter necessitatem*, Fagnan. *ibid. n.* 8. Laym. *l. cit. n.* 8. Honor. *hic n.* 9. Engl. *n.* 5. *ibid. vers. ista causa*, & definitum est *in Concil. Tol.* 8. *c.* 9.

50 *Excipit* Fagnan. *n.* 10. nisi certum sit, quem jejunare non posse ex causæ evidentia; nam tunc potest propria authoritate jejunium dimittere, nisi subesset periculum scandali; nam hoc stante, etsi causa deobligans foret evidens, petenda dispensatio esset. Si dubium sit, & Episcopus, vel Parochus adiri nequeat, consulendus est vir bonus, & peritus, puta Medicus, aut Confessarius, vel alius, & si illius judicio causa sit evidens, similiter potest frangi jejunium propria authoritate; nam & eo casu causa evidens dici potest.

TITULUS XLVII.

De Purificatione post Partum.

SUMMARIUM.

1 *Purificatio post partum in veteri Lege fuit præcepta.*
2 *Ejus ritus.*
3 *Ab hac eximebatur B. V.*
4 *In novo Testamento honeste observatur, non tamen ejus est obligatio.*
5 *Ad quem pertineat Purificatio mulierum post Partum?*
6 *Respondetur pertinere ad Parochum privativè ad Regulares.*
7 *Solvuntur Argumenta opposita.*

1 Jejunia indicta sunt ob reverentiam Festivitatum, Purificatio post partum ob reverentiam Templi per Legem Mosaicam.

Quæritur 1. quid circa Purificationem mulieris puerperæ in veteri Lege sit constitutum? Resp. hac Lege mulier, si masculum pepererit, quadraginta, si fœminam, octoginta diebus immunda censebatur. *Levit.* 12. *v.* 2. Dierum tamen istorum immunditia æqualis non erat: nam si masculum pepererit, septem, si fœminam, quatuordecim à partu diebus à domesticorum, & ipsius etiam viri consuetudine fuit separata; cæteris verò triginta tribus diebus, si masculum, & sexaginta sex diebus, si fœminam enixa est, solum à sanctuario remota, domi se continebat: quod discrimen significabatur diversitate nominum; nam septem, vel quatuordecim primi dies *Separationis*, triginta tres, vel sexaginta sex ultimi *Purificationis* dies appellabantur, ut *in Levit. c. cit.* notat Cornelius *in fin. v.* 2. & 5. Gonzal. *in c. un. h. tit. n.* 4.

2 His Purificationis diebus expletis, puerpera ingressa, & consistens in atrio immundorum deferebat agnum anniculum offerendum Deo in holocaustum, & pullum columbæ, vel turturem pro peccato, sive liberatione ab immunditia Legali, à qua purificata, offerebat infantem Deo, eumque redimebat. *Levit. c.* 12. *c.* & Cornelius *ibi v.* 8. *fin.* Gonzal. *l. c. in fin.* Vviest. *hic n.* 2.

3 Quæritur 2. de subjecto istius Legis. Resp. subjectum istius Legis erant mulieres veteris Testamenti, *quæ suscepto semine*, pepererant, ut habet vulgata, & legunt Septuaginta. *Hinc sequitur* 1. quod Lege hac non fuerit obligata B. V. Maria; quia ejus partus purissimus, & ab omni sorde, atque immunditia immunis fuit. Ex devotione tamen, & humilitate ipsa se huic Legi sponte subjecit, occasionemque dedit institutioni Festivitatis, qua ejus memoriam annua veneratione colimus; dein etiam devotioni mulierum in novo Testamento, quæ post partum ab Ecclesiæ ingressu, & Divinis Mysteriis abstinent, donec per consuetas Ecclesiæ Orationes, & Ritus purificatæ fuerint, juxta *c. un. h. tit.* nam cùm Lex ista Ceremonialis fuerit, ejus obligatio Christi morte extincta est. Et hinc

Sequitur 2. ea Lege mulieres novi Testamenti non obligari, quamvis privata devotione honeste ab illis observetur. *Neque obstat*, quod Præceptum hoc Purificationis, ut *n. præc.* dixi, inter Ceremonialia connumeretur, quæ non solum nunc mortua, sed etiam mortifera appellantur, ita; ut licite non amplius observentur; nam distinguendum est inter Leges Ceremoniales veteris Testamenti, quarum aliquæ Religiosæ sunt, aliæ Typicæ: utræque licet dicantur mortuæ, solæ tamen Typicæ, ut Circumcisionis Agni Paschalis &c. mortiferæ appellantur, quod harum tantum observatio Fidei nostræ veritati præjudicet, secundum quam confitemur, istis præfigurata Mysteria completa jam esse Zoes. *hic n.* 2. Pirh. *ibid. n.* 2. Porro Lex Purificationis, non Typica, sed Religiosa fuit: & hinc honeste adhuc in Lege Gratiæ observatur, & præcipi etiam posset, si Ecclesia authoritate sua resuscitare eandem vellet, & obligationem Purificationis inducere: quod tamen hactenus non est factum. Hinc non peccat mulier, si secluso contemptu, ritu Ecclesiæ se ita purificari negligat *c. un. h. tit.* 4

Quæritur 3. ad quem pertineat Purificatio mulierum post partum? Videtur, quòd ad eam in propriis Ecclesiis admittere mulieres possint etiam Religiosi, prout volunt Lezan. *qq. Regul. tom.* 11. *cap.* 12. *n.* 41. Peyrin. *de privil. Minim. tom.* 2. *in Constit.* 7. *Pii V.* Pasqualig. *ad Lauret. de Franch. p.* 2. *q.* 69. *n.* 2. Cesped. *de Exempt. Regular. c.* 7. *dub.* 152. *n.* 12. Vviest. *hic n.* 6. 1. Quia admissio mulierum post partum ad Purificationem non est functionis Parochialis. 2. Quia non est necessitatis, sive præceptum, sed devotionis actus. 3. Quia sic in specie declaravit S. Congreg. Concil. 2. *Jul.* 1620. *ad* 1. ubi expresse dicitur, *Regulares non prohiberi in eorum Ecclesiis mulieres post partum ad Purificationem admittere.* 5

Sed dicendum, ubi consuetudo contrarium non præscripsit, Regulares in suis Ecclesiis non posse admittere puerperas pro benedictione post partum, sed quoad ipsos soli parocho id privativè competere. Ita Lauret. de Franch. *Contr. int. Episc. & Regul. p.* 2. *q.* 69. *n.* 1. Nicol. *in Flosc. V. Parochus n.* 17. Pignatell. *tom.* 5. *consul.* 76. *n.* 2. *& seqq.* Monacell. *p.* 1. *tit.* 10. *form.* 18. *n.* 10. *& duob. seqq.* & apud hunc respondit S. Congr. Concil. *in Antuerpiensi* 19. *Nov.* 1662. & S. Congreg. Visit. Apostol. *in Romana Jurium Parochialium* 15. *Sept.* 1665. & 23. *Jan.* 1698. in qua, articulo partibus informantibus bene discusso, decisum fuit, Benedictionem puerperarum spectare privative ad parochum S. Nicolai in carcere ad exclusionem Ecclesiæ, & Ministrorum Hospitalis B. M. consolationis. *Rationem* præter alias Pignat. & Monacell. *l. citt.* dant istam; quia cum Benedictio hæc fiat cum superpelliceo, stola, & aqua benedicta, ac cum oblatione candelæ, quæ sunt signa Jurisdictionis, ad solum parochum, intra fines parochiæ suæ tanquam Jurisdictionem, & fundatam intentionem in omnibus Oblationibus habentem, spectare debet. 6

Ex quo patet *ad* 1. *Argumentum* sententiæ oppositæ. *Ad* 2. etiam Benedictio nuptiarum est de consilio. Trid. *sess.* 24. *cap.* 1. *de reform. Matr.* & probat Navar. *Man. cap.* 22. *num.* 83. & tamen à proprio parocho fieri debet. Idem videtur dicendum de Benedictione ovorum, & tanto magis domorum, cùm fiat extra Ecclesiam in parochia, in quam non possunt se intromittere Regulares, sed habenda est ratio consuetudinis legitimè introductæ juxta *c. fin. de consuet. Ad* 3. respondet Pignatell. *l. cit. n.* 17. declarationem illam emanasse vigore concordiæ inter parochos, & Regulares Civitatis Bononiensis, & vigore consuetudinis legitimè præscriptæ: consequenter extra Civitatem Bononiensem Declaratio hæc vim suam non extendit. 7

TITULUS XLVIII.

De Ecclesiis ædificandis, & reparandis.

Postquam recensuimus actus, qui maximè in Ecclesiis celebrari solent, redimus nunc ad easdem Ecclesias, in quibus primo se offert necessitas eas continendi, & reparandi.

§. I.

§. I.

De Ecclesiarum, præsertim Parochialium, ædificatione.

SUMMARIUM.

1 *Cujus authoritate indigeat novarum Ecclesiarum constructio?*
2 *Deciditur indigere authoritate Episcopi Diœcesani, si locus non sit exemptus.*
3 *Nisi Papa privilegium concesserit construendi Ecclesiam, consensu Episcopi non requisito.*
4 *Sufficit autem consensus Episcopi tacitus.*
5 *Solvuntur objecta in oppositum.*
6 *Non potest Episcopus consensum negare sine justa causa.*
7 *Maximè si Ecclesia jam constructa sit amplianda.*
8 *Causæ justæ negandi consensum.*
9 *Quæ sint causæ justæ intra fines Ecclesiæ Parochialis erigendi aliam Parochialem novam? Resolvitur, quod sit unica sc. necessitas.*
10 *Talis esse censetur distantia nimia habitationis parochianorum quorundam ab Ecclesia Parochiali.*
11 *Intercedens fluvius, vel torrens, qui pontem non patiatur.*
12 *Difficilis accessus ob portas de nocte clausas.*
13 *In leprosis.*
14 *In excrescentia populi parochiani, ut quidam volunt, sed contra communem.*
15 *Si Parochus Cooperatorem mittat ad longe dissitos, ut Divina ministret diebus festis, evitari potest necessitas erigendi novam parochiam.*
16 *Præter consensum Episcopi ad novam parochiam erigendam requiritur competens parochianorum numerus, & Dos congrua.*
17 *Citatio Rectoris parochiæ, intra cujus fines nova est erigenda.*
18 *Consensus patroni.*
19 *Ecclesiæ Matrici pro facultate loci servari debet competens in ea honor.*
20 21 *An ad novæ Parochiæ intra fines alterius erectionem requiratur consilium, aut consensus Capituli?*
22 23 24 *Quanta Ecclesiæ novæ Dos assignanda, & unde sumenda sit?*
25 26 *An ad ejus erectionem procedi possit invito etiam Rectore, & Patrono Matricis Ecclesiæ?*
27 28 29 *Cui acquiratur Jus Patronatus in Ecclesia parochiali nova?*
30 31 32 *Quid observandum in constructione novæ Ecclesiæ?*

1 QUæritur 1. cujus authoritate indigeat novarum Ecclesiarum constructio? *Videtur* libera esse omnibus, quia sanctissimum, maximèque commendandum opus est; talia autem opera non solent prohiberi: ergo &c. *Conf.* à pari cum Oratoriis, quæ quisque in domo, sua extruere, Episcopo non requisito, potest. *can. unicuique* 33. *& can. si quis* 35. *de Consecr. dist.* 1.

2 Sed dicendum, novarum Ecclesiarum constructionem indigere authoritate Ecclesiastica, Pontificis quidem, si in loco exempto *cap. authoritate* 4. *Vers. inhibemus de priv. in* 6. Episcopi Diœcesani autem, si in loco non exempto Ecclesia construenda sit *capit. authoritate citat. pr.* Et hoc verum est, etiamsi, qui novam Ecclesiam volunt construere, exempti sint; nam si in loco non exempto ædificare Ecclesiam velint, etiam ipsi consensum Episcopi habere debent *cap. authoritate cit. & ibi* DD. alias ædificatum acquiretur Episcopo *capit. cum olim* 14. *vers. præterea junct.* Gloss. *V. revocari de privil.* Fagnan. *in cap. ad audientiam h. tit. num.* 43. Monacell. *in append. part.* 2. *decis.* 37. *num.* 8. Engl *hic num.* 4.

3 *Excipitur*, si volens erigere novam Ecclesiam, habeat privilegium novas Ecclesias erigendi, non requisito consensu Episcopi loci; quia tunc consensum Episcopi, Papa, qua pollet, authoritate suplet: necesse tamen tunc est, ut in Indulto specialiter exprimatur, quod constructio novæ Ecclesiæ fieri possit sine consensu Episcopi; nam si simpliciter concedatur, ut construi possit nova Ecclesia, id intelligitur, ut fiat sine præjudicio Episcopi. Graff. *consil.* 3. *de Jur. patron. conf. unic. num.* 1. Tambur. *de Jur. Abb. tom.* 1. *Dist.* 15. *q.* 7. *num.* 16. Pasqual. *ad Lauret. de Franch. part.* 1. *n.* 507. Monacell. *part.* 1. *tit.* 6. *formul.* 10. *n.* 2. & hoc teste respondit S. Congr. Concil. *in Sulmon. Interdict.* 24. *Jan.* 1699. contra præceptorem Sancti Spiritus in Saxia, qui Ecclesiam construxerat absque licentia Episcopi; nixus privilegio Papæ.

Non tamen requiritur consensus Episcopi expressus, sed sufficit tacitus, sive quòd is Ecclesiam construi sciverit, & non impediverit, neque contradixerit, cum sine incommodo posset. Roch. de Curte *de Jur. Patr. q.* 8. Selva *de Benef. part.* 1. *q.* 6. *n.* 21. Azor *part.* 2. *l.* 9. *c.* 3. *q.* 5. Barb. *de Offic. Episc. alleg.* 26. *n.* 2. Vincent. Petra *tom.* 1. *comment. fol.* 384. *n.* 25. Vallens. *hic* §. 1. *n.* 3. Engl *n.* 4. Pirh. *n.* 2. Schamb. *num.* 4. Vviest. *num.* 3. contra Abb. *in capit. cura* 11. *num.* 4. *de Jur. Patron.* qui sufficere hujusmodi consensum tacitum negat, quòd putet, rem hanc odiosam esse. *Sed melius negatur* odiosam esse; quia etsi tunc Ecclesia non fiat liberæ collationis, id tamen in bonum Ecclesiarum cedit, ut Laici excitentur ad ædificandas, & fundandas Ecclesias: conf. Sanctorum Canones præsumuntur meritò contenti esse consensu tacito, ob favorem specialem piæ intentionis. Quin imò sufficit, si Episcopi consensus accedat, postquam Ecclesia est constructa, vel cum consecratur. Azor *cap.* 3. *citat. q.* 6. Barbos. *lib.* 2. *Jur. Eccles. cap.* 2. *n.* 15. Pirh. *loc. citat.* Et in dubio præsumitur intervenisse consensus Episcopi. Azor *q.* 9. Engl, Pirh. Schamb. *loc. cit.* 4

Ad Rationem dubitandi *num.* 1. allatam dico, etiam opus bonum de se illicitum fieri posse, si non fiat modo debito. *Ad Conf.* talia Oratoria privata quidem pro cujusque devotione erigi permittuntur, Divina tamen ibidem celebrari nequeunt, nisi Episcopalis consensus accedat *can. unicuique citat. &* Trident. *sess.* 22. *in Decret. de celebr. Miss. vers. neminem:* unde ab horum paritate potius confirmatur nostra assertio. 5

Quæritur 2. utrum Episcopus petitum pro novæ Ecclesiæ extructione consensum negare possit? Respond. non posse sine justa causa; & casu, quo sic novæ Ecclesiæ constructioni resisteret, aut ea, quæ sui muneris sunt, per se, vel per alium præstare renueret, recurri ad Superiorem, scilicet Metropolitanum, vel Sacr. Congregat. Concil. posset, ut vel consensum supplerent Ordinarii, vel illum authoritate sua ad faciendum officium suum compellerent *arg. cap. nullus* 17. *de Jur. Patronat.* Vincent. Petra *tom.* 1. *fol.* 383. *num.* 11. *& trib. seqq.* Monacell. *p.* 1. *tit.* 6. *form.* 10. *num.* 3. Vallens. *hic* §. 1. *num.* 3. Engl *n.* 4. Pirhing *n.* 2. Vviest. *n.* 3. 6

Quod multo magis verum est, si sine rationabili causa Episcopus se opponeret Ecclesiæ jam extructæ, & sufficienter dotatæ dilationi, vel per adjecta nova ædificia exornationi, cum id cedat in Divini Cultus augmentum, & in hujusmodi amplificatione ferè cessent rationes, ob quas novarum Ecclesiarum constructio justè impediri potest. Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 26. *n.* 2. & hoc teste decisum est à Rota. 7

Dixi autem *sine causa justa*; nam ex causa justa, & rationabili consensum suum negare Episcopus, & novæ Ecclesiæ ædificationi potest resistere, præsertim si Parochialis illa futura esset, & erigenda intra fines alterius Parochialis. Porro causæ justæ, & rationabiles impediendi extructionem novæ Ecclesiæ sunt, 1. Si ei non attribuatur necessaria dos *can. nemo* 9. *de Consecr. dist.* 1. 2. Si hujusmodi constructio fiat non tam devotionis, & Cultus Divini, quam quæstus cupiditate *cap. siquis* 10. *dist. cit.* 3. Si vicinarum ædium officiat luminibus, aut ad illas accessus impediatur; nam Religionis favor, etsi, ad normam tamen Justitiæ revocari debet: ideoque & novæ Eccl. novi operis nuntiatio fieri potest, & si post novi operis nuntiationem factam aliquid fuerit extructum, illud erit diruendum, sive injuria, sive etiam jure extructum fuerit *c. intelleximus* 1. *& c. seq. de nov. oper. nunt.* Vall. §. 1. *n.* 5. Schamb. *n.* 6. 4. Si constructione ejus alteri Ecclesiæ, præsertim Parochiali, inferatur præjudicium; *providendum enim est Episcopo, ut aliæ Ecclesiæ antiquiores propter novas suam Justitiam, aut Decimam non perdant, sed semper ad antiquiores Ecclesias*, ut dicitur *can. quicumque* 44. *caus.* 16. *q.* 1. Sola tamen diminutio concursus, inde proveniens Ecclesiis aliis, etiam Parochialibus, non attenditur, & Parochi semper succumbunt, quoties hoc titulo curabunt se opponere ædificationi novarum Ecclesiarum. Monacell. *p.* 1. *tit.* 6. *form.* 10. *num.* 8. *& seqq.* Matthæucc. *Offic. Eccl. cap.* 7. *n.* 5. 8

Quæritur 3. quæ sint causæ justæ intra fines Ecclesiæ Parochialis erigendi aliam Parochialem novam? Resp. sunt complures, quæ tamen ad unicam fere reducuntur, estque Parochianorum magna difficultas adeundi Ecclesiam Parochialem pro percipiendis Sacramentis, & audiendis Officiis Divinis. Fagn. *in c. cum dicat* 2. *h. tit. n.* 23. Pirh. *hic n.* 8. *v. præt.* Et ob istam causam nova 9

erigi

erigi Eccl. potest, non obstante Juramento de rebus Ecclesiæ non alienandis *c. fin. h. tit.* Ratio est, quia Juramentum illud non debet extendi ad hunc casum novum, & necessarium, cùm eo casu constructio novæ Ecclesiæ omitti nequeat sine periculo, ac detrimento salutis animarum. Gloss. *in c. fin. cit. vers. Juramenti*. Imò etsi Episcopus expresse jurasset non extruere novam Ecclesiam, non obligaretur servare hujusmodi Juramentum, cum ex officio suo sit adstrictus populo providere de loco, in quo possit Sacramenta suscipere, & Divina Officia audire. Host. *in c. fin. cit. in fin.* Vivian. *ibid. in Ration.* Gonzal. *n.* 1. Barbos. *num.* 1. Vallens. *hic num.* 6. Zoes. *num.* 7. Pirh. *n.* 9. Schambog. *n.* 6.

10 Porro talis necessitas esse censetur 1. si villa, seu locus habitationis Parochianorum ab Ecclesia sua ita remotus sit, ut hiberno, vel alio simili tempore ad eam sine magno incommodo confluere; aut quando infirmantur, pro consuetis Ecclesiæ Sacramentis ad illam in tempore recurrere non facile possint. Abb. *in c. ad audientiam* 3. *hoc tit. n.* 3. Butrio *ibid. num.* 3. Vivian. *in Ration.* Fagnan. *n.* 1. 2. *& præcipuè* 17. Barb. *n.* 2. Gonzal. *n.* 4. Vallens. *hic* §. 1. *n.* 6. Zoes. *n.* 7. Honor. *n.* 2. Pirh. *n.* 5. *&* 6. Schamb. *n.* 6. Vviest. *n.* 8. Monacell. *p.* 1. *tit.* 2. *form.* 3. *n.* 2. *&* 3. & habetur *c. ad audientiam cit.* cui consonat Trid. *sess.* 21. *c.* 4. *de reform.* nam illud solum possumus, quod commode possumus. *l. nepos* 105. *in fin. ff. V. S.* Neque requiritur, ut Parochianus aliquando sine Sacramentis decesserit, sed sufficit periculum, ne contingat, cum *melius sit occurrere in tempore, quam post exitum vindicare*, ut dicitur *l. liberam* 1. *C. quando liceat sine Judice &c.* & ita censuit S. Congreg. Concil. teste Fagnan. *n.* 17. *cit.* & Monacell. *num.* 3. Quanta autem ea distantia, vel Parochiæ amplitudo esse debeat, ut sine magno incommodo adiri non possit, id Judicis arbitrio determinandum relinquitur, cum Jure definitum non sit. Fagn. *num.* 18.

11 2 Si inter ejusmodi locum, & Ecclesiam decurrat flumen, vel torrens, qui pontem non patiatur, & vado transiri sæpe non possit. Fagnan. *l. cit. num.* 19. Pirh. *n.* 6. Vviestner *num.* 8. Quæ causa sufficiens est etiam sine distantia loci; undecumque enim proveniat magna difficultas percipiendi Sacramenta, dicitur subesse justa causa erigendi novam Parochiam, & hinc Trid. *c.* 4. *cit.* alternative loquitur ibi, *Ob locorum distantiam, sive difficultatem*, ita, ut propterea alterutrum sufficiat. Fagnan. *l. cit.*

12 3 Si Parochianorum complures familiæ sint extra urbis mœnia, Ecclesia autem Parochialis intra illa; & portæ urbis noctu sint clausæ, ita ut, existentes extra mœnia non facilè possint manè ad Officia Divina accedere, & in repentina necessitate necessaria animæ habere subsidia. Lap. *alleg.* 66. *incipit, Quoddam Monasterium*. Fagnan. *n.* 20. Pirh. *n.* 6. Vviest. *n.* 6.

13 4 Si alicubi plures simul leprosi degant; nam hi Ecclesiam cum cœmeterio sibi construere, & proprium Præsbyterum, absque præjudicio tamen Ecclesiæ Parochialis, sibi constituere permittuntur *cap. cum dicat* 2. *h. tit.* Vivian. *ibid. pr.* Barbos. *n.* 1. Gonzal. *n.* 2. Fagnan. *l. cit n.* 22. Vallens. *hic* §. 1. *n.* 8. Honor. *n.* 5. Zoes. *n.* 9. Pirh. *n.* 8. Schamb. *n.* 8. quia cum lepra sit morbus contagiosus, non decet ea infectos habitare cum sanis, & non leprosis, ne isti ab ipsis inficiantur.

14 5 Aliqui cum Gloss. *in can. nulli* 2. *dist.* 99. addunt, si multitudo Parochianorum ita excrescat, ut unus Præsbyter non sufficiat universis. Sed verius Barbosa *l.* 2. *Jur. Eccl. c.* 2. *n.* 10. Zypæus *in Analys. hoc tit. num.* 15. *vers. igitur*, Fagnan. *l. cit. num.* 24. Pirh. *num.* 6. Vviest. *n.* 7. docent, hanc causam non sufficere: & ita declaratum est à *S. Congr.* teste Fagnan. *l. cit.* potest enim tunc populi ita numerosi necessitati succurri medio præscripto à Trid. *cap.* 4. *cit. pr.* ubi hujusmodi Parochiarum Rectoribus injungitur, ut *sibi tot Sacerdotes* Coadjutores *ad hoc munus adjungant, quot sufficiant ad Sacramenta exhibenda, & Cultum Divinum celebrandum*.

15 Imò etiam in præcedentibus casibus ad novæ Ecclesiæ Parochialis erectionem non devenitur necessario, si Parocho ita dissitis, vel accedere ad Parochialem Ecclesiam commode non valentibus, in Capella accessu facili Divina ministret per se, vel per alium à se deputatum, & ab Ordinario approbatum Sacerdotem. Ricc. *prax. for. Eccl. p.* 1. *resol.* 486. *n.* 6. *vers. limitatur*. Card. de Luca *annot. ad Concil. Trid. Disc.* 16. *numer.* 2. & *Paroch. Disc.* 34. *per tot.* Monacell. *p.* 1. *tit.* 6. *form.* 3. *n.* 4. qui tamen *n.* 6. addidit, quando Parochianorum pars, vel communitas ob distantiam loci, & magnam incommoditatem itineris petit, & congruè donat novam Parochiam erigendam, ad dismembrationem formalem sæpe deveniri. conf. oblatio Capellani, sive Coadjutoris, pro administratione Sacramentorum diebus festis, per Rectorem ad dismembrationem vitandam facta tunc non erit sufficiens ad retardandam Parochiæ novæ erectionem, sed ad istam, illa non obstante, juste procedetur, ut declaravit S. Congr. Conc. *in Januensi* 16. *Januar.* 1694.

Quæritur 4. quænam alia præter consensum Episcopi, & justam causam requirantur ad Parochiæ novæ intra fines alterius erectionem? Resp. 1. requiritur competens parochianorum numerus; de quo actum *tit.* 29. *n.* 7. 16

2 Dos congrua *can. nemo* 9. *de consecr. dist.* 1. alias Episcopus in constructionem illius consensum dare non potest, & si det, atque Ecclesiam sine dote consecret, congruam ei dotem assignare ipse de proprio tenebitur. *c. cum sicut* 8. *de Consecr. Eccl.* Lambertin. *de jur. patron. l.* 1. *p.* 1. *pr. q.* 5. *art.* 10. *n.* 4. Azor. *p.* 2. *l.* 9. *c.* 3. *q.* 7. Fagnan. *in c. ad audientiam* 3. *h. tit. num.* 31. *& seqq.* Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 70. *num.* 29. Petra *tom.* 1. *comment. fol.* 392. *n.* 84. Matthæucc. *Offic. Eccl. c.* 7. *n.* 5. Vallens. hic §. 1. *n.* 3. *&* 4. Engl *n.* 5. Schamb. *n.* 4. *&* 5. Vviest. *n.* 14.

3 Citatio Rectoris parochiæ Matricis, intra cujus fines nova est erigenda *arg. can. multis* 51. *caus.* 16. *q.* 1. & ita censuit *S. Congr. Conc.* apud Fagnan. *l. cit. n.* 29. Estque eo non vocato, & non requisito, novæ Parochialis erectio non solum illicita, sed etiam invalida, & nullius momenti. Gloss. *fin. in can. nulli* 2. *dist.* 99. Lap. *alleg.* 66. *n.* 3. Garc. *p.* 12. *de Benef. c.* 3. *n.* 3. *& seqq.* Corrad. *prax. Benef. l.* 3. *c.* 2. *n.* 5. *& seqq.* Nicol. *Lucubr. can. l.* 3. *c.* 48. *de Eccl. ædif. num.* 1. *vers. non vero* Petra *tom.* 1. *fol.* 386. *num.* 41. *& seqq.* Monacell. *p.* 1. *tit.* 2. *form.* 3. *n.* 9. Zypæus *Analys. h. tit. n.* 14. *vers. ædificatio*. Fagnan. *l. cit. n.* 30. Pirh. *num.* 11. Vviest. *n.* 15. Rota *dec.* 745. *n.* 2. *p.* 2. *recent.* 17

4 Consensus Patroni, saltem si nova Parochia dotanda sit ex redditibus dotatæ ab eo Ecclesiæ Matricis; quia ejus interest, cum redditium parte in nova translata, antiquæ, sive Matricis Ecclesiæ Beneficium minus reddatur æstimabile, & minus grati futuri sint Clerici ad id præsentati. Vviest. *n.* 6. 18

5 Ecclesiæ Matrici pro facultate loci servari debet competens in ea honor *can. nemo* 9. *de Consecr. dist.* 1. *c. ad audientiam* 3. *h. tit.* quod fiet vel per solutionem annuæ pensionis, vel per recursum ad eam pro Baptismo, & Sepultura, vel per præstationem aliorum Jurium, in erectionis limine ipsi reservatorum. Gloss. *in c. ad audientiam cit. V. honor*, Host. *ibidem num.* 3. *vers. proinde* Joann. Andr. *n.* 10. Abb. *n.* 6. Fagnan. *n.* 8. Gonzal. *n.* 6. Pirh. *n.* 13. Vviestner *n.* 17. Monacell. *form.* 3. *cit. n.* 13. Quem autem ex his honoris signis debeat impendere Ecclesia filialis erga Matricem, prudentiæ Episcopi in dismembratione facienda relinquitur, qui perpensis loci, Ecclesiæ, Rectoris, distantiæ, incolarum facultatibus, moribus, qualitatibus, & congruentiis, unum ex recensitis reservabit, ut cum Gloss. *in c. ad audientiam cit. V. Honor.* notat Monacell. *l. cit. n.* 14. 19

Quæritur 5. an ad novæ Parochiæ intra fines alterius creationem requiratur consilium, aut consensus Capituli? Resp. distinguendo inter Jus antiquum, & novum Trid. *sess.* 21. *cap.* 4. *de reform. Jure antiquo* requirebatur consensus Capituli *arg. cap. pastoralis* 7. *in fin. de Donation.* est enim species quædam alienationis, cum per illam Ecclesiæ Matricis Jura, & sæpe etiam redditus diminuantur. 20

Jure novo Trid. distinctio altera est adhibenda, & videndum, an Ecclesia Parochialis, intra cujus fines nova erigitur, sit exempta, an vero subjecta Episcopo. *Si exempta, est*, ad novam intra ejus fines excitandam procedere Episcopus, capituli consensu, aut etiam consilio non requisito, potest; quia eo casu, ut Trid. *l. cit.* permittit, procedit Episcopus tanquam Sedis Apostolicæ Delegatus, & gerit vices Papæ, qui ad ejusmodi consensum, vel consensum adhibendum adstrictus non est *arg. l. quæcumque* 1. §. *qui mandatam* 1. *ff. de Officio ejus, cui mandat &c.*

Si vero est subjecta Episcopo; ad novam Ecclesiam intra fines alterius erigendam, ut antiquo, ita etiam hodierno Jure necessarius est consensus Capitularis; quia circa hunc casum Jus antiquum à Trid. non est immutatum: procedet ergo tunc Episcopus ad dismembrationem faciendam Jure Ordinario; ubi autem Jure ordinario procedit Episcopus ad actum, qui alienationis speciem habet, opus est, ut adhibeat consensum Capituli: unde hoc casu procedat *arg. c. Pastoralis cit.* & confirma- 21

firmatur paritate cum unione, quæ sine consilio, & consensu Capituli fieri nequit.

Vide Ægid. Bellamer. *decis.* 514. Marian. Socin. *in cap. sicut 8. de excess. Prælat. art. 6. pr. concl.* 14. *num.* 104. Fagnan. *in cap. ad audientiam cit. n.* 53. Pirh. *hic num.* 10. *vers. secundo*, Vviestner *ibidem n.* 9. & 10.

22 Quæritur 6. quanta Ecclesiæ novæ Dos assignanda, & unde sumenda sit? Resp. Dos ejusdem tanta esse debet, ut ex ea luminaria, cæteraque ad Sacrum ministerium necessaria haberi, Ministri ejusdem commodè sustentari, Jura Episcopalia persolvi, in pauperes liberalitas, & in peregrinos, aliosque hospitalitas exerceri, & similia onera supportari valeant *can. nemo 9. de consecr. distinct.* 1. *c. non liceat* 2. *de Præbend. cap. suscepti* 1. *eod. in* 6. *cap. statuto* 2. §. *ubi autem* 2. *de Decim. in* 6. Azor. *part.* 2. *lib.* 9. *cap.* 3. *q.* 7. Læl. Zacch. *de Rep. Eccl. cap.* 28. *de Parocho num.* 4. Rebuff. *tr. congruæ portionis num.* 65. Barbosa *de Offic. Paroch. cap.* 1. *n.* 40. Honor. *hic n.* 8. Scamb. *num.* 4. Vviestner *n.* 14.

23 Assignanda autem hujusmodi Dos est ab Episcopo, cujus authoritate novæ hujusmodi Ecclesiæ eriguntur *cc. citt.* De Jure, si alius non adsit, qui velit Ecclesiam novam dotare, vel redditus antiquos augere, sumenda Dos est ex redditibus Ecclesiæ Matricis, ita tamen, ut huic remaneat competens sustentatio *can. quicunque* 44. *caus.* 16. *quæst.* 1. *cap. ad audientiam* 3. *hoc tit.* & Trid. *sess.* 21. *c.* 4. *de reform.*

Quodsi ista redditibus non abundet, ad congrua vitæ subsidia, Rectori novæ Ecclesiæ constituenda, contribuere debent subditi ejus Parochiani, ex mente Trid. *sess.* 24. *c.* 13. *vers. in Parochialibus de reform.* Poteftque ad hoc ipsos, si ita necesse fuerit, Episcopus compellere opportunis Juris remediis. Fagnan. *in cap. ad audientiam cit. n.* 5.

24 Si Parochianos excuset inopia, onus congruæ sustentationis contribuendæ incumbet Abbati, vel Præposito, & similibus, quibus Parochia subjecta est in temporalibus *can. final. vers. si quæ dist.* 70. Fagnan. *num.* 6.

Quodsi verò & hi deficiant, aliunde tali novæ Ecclesiæ de dote ab Episcopo est providendum, & quidem, si aliter nequeat, ex redditibus suæ mensæ *cap. inter cætera* 15. *de Offic. Ordin.* & *c. fin. h. tit.* Fagnan. *loc. cit.* Vviestner *n.* 13.

Si verò nec iste valeat succurrere, novus Rector artificio, vel manuum labore victum debebit quærere *can. Clericos* 3. & *c. dist.* 91. Host. *in c. ad audientiam cit. num.* 3. Joan. Andr. *num.* 8. Abb. *numer.* 3. Fagnan. *num.* 7. & hoc teste declaratum est à *Sacra Congregatione*.

25 Quæritur 7. an procedi ad novæ Parochialis Ecclesiæ erectionem possit etiam invito Rectore, & Patrono Ecclesiæ Matricis? Resp. si novæ Ecclesiæ erectionem causa justa exigat, & Rector, vel Patronus citati contradicant, iis etiam invitis procedi ad novæ erectionem potest. Ita de Rectore Host. *in c. ad audientiam* 3. *h. tit. n.* 3. *V. obventiones*. Joan. Andr. *ib. n.* 7. Abb. *n.* 6. Fagnan. *n.* 11. Pirh. *hic n.* 7. Vviest. *ib. n.* 15. & clarè satis traditur ab Alexandro III. *cap. ad audientiam cit.* ubi Archi-Episcopo Eboracensi jubet, ut *Ecclesiam novam ædificet, & in ea Sacerdotem, sublato appellationis obstaculo, ad præsentationem Rectoris Ecclesiæ majoris instituat*. Concordat Trid. *sess.* 21. *c.* 4. *de ref.* ibi *Etiam invitis Rectoribus*. Ex quo ducitur Argumentum ad Patronum.

26 Ratio pro utroque est; quia causa, ob quam nova Ecclesia Parochialis erigi intra fines alterius potest, est publica, scil. incommoditas, & periculum animæ apud Parochianos; atqui utilitati publicæ cedit bonum privatum, & præjudicium personæ particularis attendi non debet.

27 Quæritur 8. cui acquiratur Jus Patronatus in Ecclesia Parochiali, intra fines alterius erecta? Videtur generaliter competere Rectori Matricis Ecclesiæ. 1. per textum *c. ad audientiam* 3. *h. tit.* ibi *In ea Sacerdotem ad præsentationem Rectoris majoris Ecclesiæ instituat*. 2. paritate; quia eidem Rectori simul cum constructore, & dotatore acquiritur Jus Patronatus in Capellam, siqua in Ecclesia ipsius construatur.

28 Sed respondendum est distinguendo: vel enim Ecclesia nova constructa est in fundo, & ex proventibus Matricis Ecclesiæ ædificata, aut dotata, vel sumptus ad hoc suggessit alterius, aut aliorum liberalitas. *Si primum*, Jus Patronatus pertinebit ad Rectorem Matricis Ecclesiæ; *Si secundum*, illud non isti, sed illi tribuendum est, qui eam fundavit, construxit, dotavit. Abb. *in cap. ad audientiam cit. num.* 9. Fagnan. *ibidem num.* 35. Pirh. *num.* 12. Vviestner *n.* 19. & teste Fagnan. *loc. cit.* respondit *S. Congr. Concil.* Ratio est, quia, ut *Tit.* 38. *n.* 32. dictum est, Jus Patronatus ex tribus solùm causis, fundatione, dotatione, constructione acquiritur.

Neque contrarium probant Argumenta opposita. 29
Ad 1. ibi meritò Jus Patronatus Rectori Ecclesiæ Matricis conceditur; quia ex hujus redditibus nova Ecclesia dotata fuit. *Ad* 2. negatur paritas; nam eo casu Ecclesia pro Capella intra illam ædificanda confert fundum, & sic Rectori ejusdem Jus Patronatus competit ratione fundationis.

Quæritur 9. quid observandum in constructione novæ Ecclesiæ? Resp. 1. debet Episcopus in loco construendæ Ecclesiæ Crucem Dominicam figere, designare atrium, & lapidem primarium ponere *can. nemo 9. de consecr. dist.* 1. juncta Gloss. *ibidem V. veniet*, & *Novell.* 65. *num.* 5. Neque obstat, quòd in his textibus de primo lapide ab Episcopo ponendo non fiat expressè mentio; nam in dicto sensu Constitutiones *citt.* teste Azor *p.* 2. *lib.* 9. *cap.* 3. *quæst.* 4. communiter interpretantur DD. Potest autem Episcopus primarium lapidem ponere, & Crucem figere vel per se, vel per alium, ut cum Gloss. & Azor *citt.* advertunt Zerol. *prax. Episc. V. Ecclesia p.* 1. Barbosa *de Offic. Episc. alleg.* 26. *num.* 1. Matthæucc. *Offic. Eccl. cap.* 7. *num.* 5. Vallens. *hic* §. 1. *num.* 3. Hon. *num.* 7. Engl. *num.* 3. Pirh. *num.* 3. Scambog. *n.* 4. Konig. *n.* 4. 30

2 Ex more recepto ab ipsis nascentis Ecclesiæ incunabulis, teste S. Clemen. *l.* 1. *Const. Apost. c.* 59. erigenda est in formam navis oblongam, quod ejus, tanquam navis tutissimo sinu defensi, ex hoc mundo, in quo tanquam in procelloso mari fluctuamus, per occurrentia tempestatum pericula ad æternæ salutis portum pertingamus. Azor *loc. cit. quæst.* 12. Engl. *hic n.* 6. Pirh. *n.* 3. Scamb. *n.* 4. Konig. *n.* 3. *v. forma externa*. 31

3 Ex Apostolica traditione, quantum situs loci patitur, Templa ita construenda essent, ut Summum Altare collocetur versùs Orientem. Vall. *hic* §. 1. *numer.* 8. Engl. *num.* 6. cum cæteris *suprà*, cujus traditionis multiplex assignari ratio potest. Præcipua est, quia Christus cœlos ascendit ad Orientem, & in Cruce suffixus ab Oriente spectandum se exhibuit, teste Basil. *l. de Spirit. Sanct. cap.* 13. & 27. Et hinc teste Baron. *ad annum Christi* 57. *num.* 103. etiam Christiani in novæ Legis primordio soliti sunt suas Orationes versùs Orientem dirigere. Verùm hoc non est necessarium, & non desunt exempla veterum Ecclesiarum, quarum Altaria diversam ab Orientali plagam respiciunt. Hinc in Ecclesiarum constructione potius ad commoditatem loci, & fabricæ decentiam, quàm certum mundi cardinem attendendum est, ut cum *Stephan. Durant.* & *Frances* notat P. Vviestner *hic numer.* 22. 32

§. II.

De Ecclesiæ, & Ædium Parochialium, reparatione.

S U M M A R I U M.

33 &c. *Quis concurrere debeat ad reparationem Ecclesiæ Parochialis?*
40 41 *Quis ad reparationem Ecclesiæ Cathedralis?*
42 43 44 *Quis ad ampliationem Ecclesiæ?*
45 *Quid veniat nomine reparationis?*
46 *An etiam Ædes Parochiales?*
47 *Ex quibus bonis Ecclesiæ Parochialis Rector, & Clerici debeant concurrere ad reparationem illius?*
48 *Necessaria ad conservandum statum accidentalem ad Clericatum non detrahuntur.*
49 *Præferuntur tamen alimenta Parochi reparationi Templi.*
50 *Utrum ad reparationem Ecclesiæ teneantur concurrere Patroni?*
51 *Deciditur Quæstio.*
52 *Solvuntur Argumenta opposita.*
53 *An ad reparationem Ecclesiæ Parochialis debeant concurrere etiam Decimatores?*
54 *Si Patroni non sint?*
55 *Vel Ecclesiastico extraneo competant?*
56 *Quid dicendum de iis, qui obtinent Decimas Laicales?*
57 58 *Respondetur ad opposita.* 59 60

59 60 61 *Quo ordine ex Decimarum fructibus succurrendum sit ad reparationem Ecclesiæ Parochialis?*
62 *Quando ad concurrendum vocandi sint Parochiani?*
63 64 65 *Quomodo concurrere illi debeant?*
66 67 *Quando deveniendum ad translationem Ecclesiæ Parochialis ad aliam vicinam?*

33 QUæritur 1. quis concurrere debeat ad reparationem Ecclesiæ Parochialis, vetustate, vel alio casu collapsæ, aut ruinam minitantis? Resp. 1. & ante omnia servanda est recepta loci consuetudo, & particularia Statuta, vel Conventiones, siquæ adsint, ut rectè notant Host. *in cap.* 1. *hoc tit. num.* 1. Abb. *ib. num.* 3. Barbosa *num.* 3. Gonzal. *num.* 7. Vallens. *hic* §. 2. *num.* 1. *&* 2. Zoes. *num.* 4. Honor. *num.* 17. Engl. *n.* 7. Scambog. *n.* 11. Konig. *n.* 5. Vviest. *n.* 41. Monacell. *p.* 2. *in append. decis.* 37. *n.* 1. Matthæucc. *Offic. Eccl. c.* 9. *n.* 3.

34 2 His seclusis, illarum reparatio facienda est de portione proventuum, seu reddituum, ad fabricam deputata *can. decrevimus* 10. *caus.* 10. *q.* 1. *& can. placuit* 1. *can. priscis* 2. *can. unio* 3. *caus. cit. quæst.* 3. Lambertin. *de Jur. Patron. lib.* 3. *quæst.* 7. *artic.* 2. *num.* 2. *&* 7. Azor *p.* 2. *l.* 9. *cap.* 3. *q.* 10. Barbosa *in cap.* 1. *cit. num.* 4. Sperell. *decis.* 67. *num.* 1. Vallens. *hic* §. 2. *num.* 3. Engl. *num.* 5. Pirh. *num.* 14. Scamb. *num.* 11. Vviestner *n.* 42. Monacell. *decis. cit. num.* 1. & hac quidem sufficiente, nullus est molestandus, ut idem Sperell. *loc. cit.* plurimis aliis allegatis notat; quia per se reparatio Ecclesiæ fieri debet ex bonis Ecclesiasticis; atqui bona, ad fabricam Ecclesiæ deputata, procul dubio sunt bona Ecclesiastica; ergo &c.

35 3 Si Ecclesia redditus alios, quàm qui ad Cultum Divinum necessarii sunt, nullos habeat, contribuere ad reparationem Ecclesiæ Parochialis debebunt illius Rector, & alii, qui Beneficia Ecclesiastica in illa habent, ut statutum est *cap. quicunque* 1. *& cap. de his* 4. *hoc tit.* Sumitur etiam ex Trid. *sess.* 21. *cap.* 7. *de reform.* ubi S. Synodus Episcopos monet, ut *Parochiales Ecclesias - - - collapsas refici, & instaurari procurent ex fructibus, & proventibus quibuscunque, ad easdem Ecclesias quomodocunque pertinentibus*; tales autem sunt etiam illi, quos Rector, & alii Beneficiati intuitu ipsarum percipiunt. Riccius *prax. Neapol. p.* 4. *Respons. quæst.* 82. *num.* 2. *concl.* 3. Vivian. *in cap.* 1. *hoc tit.* Barbosa *ibidem num.* 1. Gonzal. *num.* 3. Vallens. *num.* 3. *v. Quinto*, Honor. *n.* 18. *&* 19. Engl. *n.* 7. Zoes. *n.* 4. Pirh. *n.* 14. *&* 15. Scambog. *n.* 11. Konig. *n.* 5. Vviestner *n.* 43.

36 4 Si hujusmodi Rector, & Beneficiati adeò tenues habeant redditus, ut deducta sustentatione, non superfit, quod ad Ecclesiæ restaurationem conferant, vel quod superest, in eam collatum non sufficiat, ex Decreto laudatæ Synodi Trid. *cap.* 7. *cit.* ad eam tenentur, & compelli possunt *Patroni, & omnes alii, qui fructus aliquos, ex dictis Ecclesiis provenientes, percipiunt.* Cittadin. *de Jur. Patron. artic.* 5. *num.* 173. Surd. *consil.* 62. *num.* 6. *volum.* 1. Lambertin. *loc. cit. num.* 5. Sperell. *num.* 10. Et hinc per Episcopum in Visitatione potest fieri præceptum Patrono, ut intra competentem terminum reparet, sub pœna privationis Juris Patronatus. Genuens. *in Man. Pastor. c.* 36. *num.* 1. *in fin.*

37 5 In defectum Rectoris, & aliorum, qui fructus ab Ecclesia percipiunt, succurrere debent Parochiani Laici, qui à tali Ecclesia Sacramenta percipiunt. Trident. *cap.* 7. *cit.* & quidem omnes, h. e. non solùm plebeii, sed etiam Nobiles & aliàs exempti; quia Ecclesiarum reparatio est opus publicum, & concernens communem omnium utilitatem, ac necessitatem, à quibus operibus nemo excusatur *arg. l. ad instructiones* 7. *Cod. de SS. Eccl.* Riccius *Decis. Neapol. p.* 4. *decis.* 15. *num.* 4. Barbosa *in capit.* 4. *hoc titul. numer.* 3. Vallens. *hic* §. 2. *num.* 3. *vers. Sextò*, Pirhing *num.* 15. *vers. denique*, Konig. *num.* 5. Addunt nonnulli apud Barbosa *loc. cit.* quòd quando non adsunt redditus superflui Clericorum ad restaurationem Ecclesiæ, nec aliunde appareat, quomodo hæc fieri possit, possit expendi pecunia ex Ærario publico Universitatis, & ea deficiente debeat deveniri ad Collectam à vicinis petendam.

38 6 Denique casu, quo ob notoriam paupertatem nemo ex prædictis contribuere valet, nec spes est reparationis, Ecclesia ruinosa omnino destrui poterit, ac ejus Jura, & fundi dotales ad Matricem Ecclesiam, si filialis sit; vel aliam viciniorem authoritate Episcopi transferri. Trid. *cap.* 7. *cit.* Idemque de Beneficiis Simplicibus dicendum, quæ fuerunt in Ecclesia collapsa; nam ista arbitrio Episcopi alicui Altari vicinioris Ecclesiæ cum omnibus oneribus, & emolumentis, ac prioribus invocationibus applicari debent. Engl. *hic n.* 8. 2. *idemque.*

Porro circa hanc translationem, & destructionem 39
tria sunt advertenda. 1. locus, ubi Ecclesia destructa stetit, profanus quidem reddetur, erigi tamen in signum, quòd Ecclesia aliquando ibi steterit, debet ibidem Crux ex Decreto Trid. *loc. cit.* 2. In Ecclesia, ad quam fit translatio, erigendum est Altare sub eadem invocatione, sub qua fuit Ecclesia diruta, Barb. *ad Trid. c.* 7. *cit. num.* 19. Monacell. *in Append. p.* 1. *fol.* 273. *num.* 1. Honor. *hic num.* 22. Scambog. *n.* 11. Engl. *num.* 8. *cit. vers. quodsi*, Konig. *num.* 5. *in fin.* 3. Ligna, & tigna destructæ Ecclesiæ olim non poterant ad alium, quàm Ecclesiasticum usum, scil. ad ædificationem alterius Ecclesiæ, vel ad profectum Monasterii applicari, ut dicitur *can. ligna* 38. *de consecr. dist.* 1. hodie tamen Trid. *cap.* 7. *cit.* facultatem concessit, ut *Ecclesiæ dirutæ* i. e. tam locus ipse, quàm materialia (Rota apud Farin. *p.* 1. *in posthum. decis.* 107. *num.* 2.) *in profanos usus, non sordidos converti* possint. Zypæus *in Analys. hoc tit. num.* 12. *fin.* Engl. *loc. cit. vers. lapides*, qui *ibidem vers. non posse* cum *Navar. Barbos.* excipit ligna picta, vel alia materialia, signo tali notata, ex quo nosceretur fuisse Ecclesiæ; nam hæc ad fabricam Laicalem sine scandalo adhiberi vix possent.

Quæritur 2. quis teneatur concurrere ad reparatio- 40
nem Ecclesiæ Cathedralis? Resp. 1. seclusa consuetudine, tenetur solus Episcopus ex quarta reddituum suorum *can. quatuor* 27. *caus.* 12. *quæst.* 2. non solùm futurorum, sed etiam præteritorum, & si sit dives, etiam ultra quartam compelli potest.

2 Quodsi Episcopus non sit dives, & quarta illa pars non sufficiat, tunc etiam Canonici tenebuntur, & compelli possunt contribuere ex superabundantibus redditibus Præbendarum suarum (imò & Distributionum quotidianarum) vel aliarum rerum Capituli *juxta cap. fin. de his, quæ fiunt à major. part. Capit.* Abb. *ib. n.* 7. Pirh. *hic n.* 19.

3 Denique si neque redditus Episcopi, & Canoni- 41
corum simul sufficerent ad reparationem, tunc posset Episcopus unà cum Capitulo decernere, ut alii inferiores Clerici ex superabundantibus fructibus, qui necessariæ sustentationi supersunt, contribuant ad fabricam; vel etiam posset Episcopus cum Capitulo tali casu pro fabrica Ecclesiæ Cathedralis deputare fructus Beneficiorum vacantium. Abb. *in cap.* 1. *hoc tit. n.* 6. Barbosa *ibidem num.* 5. Pirhing. *hic num.* 19. Scambog. *n.* 16.

Quæritur 3. an Episcopus virtute arbitrii, quod 42
ipsi commissum est, circa reparationem Ecclesiæ Parochialis, ampliare illam sumptibus eorum, qui ad reparationem tenentur, possit? Respondet Gonzal. *in cap.* 1. *hoc tit. num.* 6. in hac quæstione sequentes casus distinguendos esse.

1 Cùm stipulatione aliquis obstrictus reperitur: quo casu dicendum est, eum, qui refectionem promisit, non obligari ad ampliationem; quia verba stipulationis strictè accipienda sunt *l. quidquid* 99. *ff. de V. O.* est autem longè aliud reficere, & aliud ampliare *l. usufructuarius* 44. *ff. de usufr. l. quid tamen* 10. §. *non tantùm* 1. *ff. quib. mod. usufr.*

Quando fit ampliatio Ecclesiæ, non quia necessa- 43
ria, sed tantùm utilis est: quo casu similiter dicendum est, non posse compelli ad præstandos sumptus ampliationis eos, qui Jure ordinario tenentur ad refectionem, ut resolvit Stephan. Gratian. *tom.* 2. *Discept. for. cap.* 84. *num.* 21. ea ratione; quia licèt res communis refici possit sumptibus sociorum, non tamen potest eis invitis ampliari *l. parietem* 8. *ff. de Servit. urban.* Et hinc consequens est, quòd ii, qui ad Ecclesiæ reparationem tenentur, prædictam ampliationem impedire possint, nisi caveatur pro futura reparatione loci ampliandi; nam irrogatur eis præjudicium propter futuras expensas reparationis, quæ ampliata Ecclesia majores fiunt. Peckius *de Eccles. reparand. cap.* 2. *num.* 4.

3 Quando ampliatio necessaria est propter populi 44
multitudinem, quam Ecclesia antiqua non potest capere: quo casu Ripa *respons.* 14. *n.* 10. Aufrer. *Decis. Capell. Tholos.* 449. Peck *loc. cit.* existimant onus subministrandi sumptus pro ampliatione incumbere illis, ad quos spectat necessitas reparationis, pro modo facultatum suarum. Sed Gonz. *loc. cit.* distinguit inter ampliationem, & reparationem Ecclesiæ sic ampliatæ; nam

nam ampliationem, cùm hæc sit nova constructio; dicit faciendam sumptibus ejus, cui incumbit Ecclesias construere, videlicet Episcopi *cap. fin. hoc tit.* Reparationem verò Ecclesiæ sic ampliatæ ait spectare ad eos, qui ad reparationem Ecclesiæ veteris tenebantur, cùm ipsi specialiter obstricti sint ad Ecclesiam reficiendam, ex qua fructus percipiunt, vel Sacramenta recipiunt.

45 Quæritur 4. ad quid reparandum prædicti ratione hactenus deductæ obligationis concurrere debeant? Resp. reparare Ecclesiam Parochialem debent in capite, & in membris. In specie obligatio ista complectitur

1 Ipsam Ecclesiam cum parietibus, tecto, ac supellectili ad Cultum Divinum in ea peragendum necessaria; nam ad hæc, si reparatione indigeant, ab his, quos hactenus obligatos dixi, sumptus subministrandi sunt. Barbosa *in cap.* 1. *hoc tit. numer.* 2. Engl. *hic num.* 8. Pirh. *ibidem num.* 16. Monacell. *in Append. p.* 2. *dec.* 137. *n.* 1.

46 2. Sacristiam, turrim cum campanili, & cœmeterium; quia partes Ecclesiæ accessoriæ sunt, & accessorium principale sequitur *Reg. accessorium* 42. *in* 6.

3 Ædes, Rectoris habitationi destinatas. Barbosa *in cap.* 4. *hoc tit. num.* 5. Sperell. *decis.* 68. *num.* 4. Pirhing. *num.* 16. Scambog. *num.* 15. *& à Sacr. Congregat.* declaratum est teste Barbosa *de Offic. Paroch. cap.* 13. *num.* 12. nam & ipsæ accessoriæ sunt ad Ecclesiam. Accedit, quia Rector Ecclesiæ Parochialis ad prædictos recurrere potest pro alimentis, & sustentatione; atqui sustentationis nomine non solùm cibus, & potus, sed etiam vestitus, & habitatio veniunt; ergo &c.

Verùm quoad hæc nulla poni Regula generalis potest, sed observanda est praxis, quæ in variis Diœcesibus varia est. Alicubi Parochi, & alii Beneficiati quotannis certam redditum suorum; vel pecuniæ summam v. gr. 10. florenos in ædium Parochialium reparationem impendere, vel cùm necessitas exigit, impendendam pendere debent. Hinc Statuta, & consuetudines particulares cujusque loci spectandæ sunt.

47 Quæritur 5. ex quibus bonis Ecclesiæ Parochialis Rector, & Clerici in ea Beneficium obtinentes concurrere debeant ad reparationem illius? Conveniunt DD. ab ea obligatione libera esse bona Patrimonialia Clericorum, sed suggerendos ex ea obligatione tantùm sumptus pro Ecclesiæ reparatione ex bonis, & redditibus Ecclesiasticis: & quidem pro rata Beneficiorum, pro qua etiam eo tempore cessabunt Beneficiorum onera, ut post *Abbatem* tenet Genuens. *in Manual. Pastor. capitul.* 36. *numer.* 3. *& in Prax. capitul.* 54. *numer.* 5. Sperell. *For. Eccles. decis.* 67. *numer.* 7.

48 *Dubium* est, quantum hujusmodi Clerici teneantur ex redditibus suis Beneficialibus subministrare pro reparatione Ecclesiæ suæ. Genuensis *loc. cit.* putat insumendos esse fructus, etiam non relicta congrua sustentatione. *Sed communis* teste Sperell. *loc. cit. n.* 4. *& seqq.* distinguit inter ea, quæ necessaria sunt Clerico ad sustentationem congruam suæ vitæ, & quæ necessaria eidem sunt ad tuendam conditionem, seu statum accidentalem ad Clericatum, e. gr. quia Nobilis est. *Hæc posteriora* non detrahuntur, sed etiam ex iis Ecclesiæ Rector, & Beneficiarii tenentur concurrere; quia necessitas Ecclesiæ præferenda est statui Parochi, vel alterius Beneficiati, & Beneficiorum fructus non ad creandos, aut augendos, vel fovendos mundanos titulos, seu status collecti sunt, sed ad pauperes alendos, & ad Divinum Cultum instituendum atque augendum. Comitol. *Respons. Mor. lib.* 1. *quæst.* 82. *concl.* 2. Barbosa *in c.* 4. *hoc tit. n.* 3. Pirh. *hic n.* 14. *fin.*

49 *Priora* detrahuntur, ita, ut alimenta Parochi, & aliorum Beneficiatorum præferenda sint reparationi Templi, si tamen Beneficiati residеant, vel aliud onus Beneficii impleant: aliàs secus; quia ex quo non serviunt Altari, cessat ratio, ob quam detrahenda sunt alimenta etiam in casu fabricæ, cùm ea solùm præstentur propter servitium, ut aliis *citt.* notat Sperell. *n.* 6. qui tamen excipit, si Beneficiatus aliunde alimenta habeat; nam si non habeat, etiam non residêns detrahere alimenta necessaria potest, ne cum dedecore Clericatus mendicare cogatur. Porro, quòd Rector Ecclesiæ, & Beneficiati ultra congruam sustentationem non teneantur succurrere ad restaurationem Ecclesiæ, colligitur *ex c. de his* 4. *h. tit.* ibi, *Si eis superfint*; nemo enim tenetur subtrahere necessitatibus suis, ut eroget in causas pias. Host. *in c. de his cit. V. superfint*. Pirh. *hic n.* 14.

Quæritur 6. utrum ad Ecclesiæ reparationem teneantur concurrere Patroni, quibus Jus Patronatus competit ex fundatione, constructione, dotatione? 50 Affirmant Bellet. *Disquis. Clericat. p.* 1. *tit. de Cleric. debit.* §. 14. *num.* 10. Barbosa *de Offic. Paroch. capit.* 13. *num.* 8. Scambog. *hic num.* 17. & videtur illud probari 1. ex Trid. *sess.* 21. *capit.* 7. *de reform.* quod deficientibus Ecclesiæ redditibus, Patronos generaliter, & indistinctè ad eam obligat. 2. Talibus Patronis incumbit cura Ecclesiæ à se fundatæ; atqui hæc non tantum conservationem, sed etiam reparationem ejusdem exigit. 3. Etiam ipsi percipiunt aliquos fructus Ecclesiæ à se fundatæ; quia habent Jus præsentandi, prærogativam in Sede, processionibus &c. & cùm ad inopiam vergunt, percipere alimenta ab Ecclesia possunt juxta dicta *Tit.* 38. *num.* 105. 4. Si Ecclesia corruerit, & Patronus eam non reextruat, sed alius, reextruens acquirit Jus Patronatus; ergo Patronus reparare eam tenetur, si Ecclesiæ aliunde non sit provisum.

Sed tenenda est negativa sententia, quam etiam defendunt Lambert. *de Jur. Patron. lib.* 3. *q.* 7. *art.* 2. *n.* 5. 51 Zypæus *in Analys. hoc tit. num.* 12. Pirh. *n.* 20. Vviest. *num.* 45. & meritò, ne Beneficium Ecclesiæ impensum eisdem sit oneri. *Excipitur*, nisi aliquid percipiant de Ecclesiæ bonis v. gr. Pensionem annuam in fundationis limine reservatam; tum enim & ipsi concurrere debent ad reparatianem Ecclesiæ, prout clarè desumitur ex Trid. *c.* 7. *cit.* & ratio est; quia cùm percipiant Ecclesiæ commoda, æquum est, ut etiam subeant onera.

Neque aliud probant Argumenta contraria. *Ad* 1. 52 Trid. ibi tantùm loquitur de casu, quem modò excepi; quia Patronos solùm obligat ratione fructuum, quos percipiunt ex Ecclesiis. *Ad* 2. cura quidem Ecclesiæ Patronis incumbit, sed non onus, si commodum inde non ferant. *Ad* 3. nomine fructuum, ratione quorum Patroni obligantur à Tridentino ad reparationem Ecclesiæ intelliguntur, redditus, & proventus temporales, & ad hujusmodi reparationem conducentes. *Ad* 4. negatur paritas; nam per omnimodam destructionem Ecclesiæ Jus Patronatus titulo constructionis acquisitum extinguitur; non extinguitur, si Ecclesiam ruinosa solummodo reparetur.

Quæritur 7. an, & quinam Decimatores teneantur 53 concurrere ad reparationem Ecclesiæ Parochialis? *Certum est*, teneri concurrere Decimatores, qui simul Patroni sunt, & eo titulo Decimas in limine Fundationis sibi reservatas habent. Patet ex *numer.* 51. *&* 52. *præced.* & Trident. *cap.* 7. *cit.* ubi ad ita concurrendum obligantur Patroni omnes, saltem ii, qui de Ecclesiis, quarum Patroni sunt, aliquid temporale percipiunt.

Dubium est de Decimatoribus, qui Patroni non 54 sunt. Generaliter eosdem obligant Peckius *de reparat. Eccles. capitul.* 14. Barbosa *ad Tridentin. sess.* 21. *capitul.* 7. *de reform. numer.* 9. *vers. verùm*, *& de Offic. Paroch. capit.* 13. *numer.* 2. Surd. *cons.* 62. *per totum lib.* 1. Jacob. Emerix *decis.* 407. *numer.* 2. & videtur colligi ex *capit. de his* 4. *hoc tit.* ubi reparatio Ecclesiæ dicitur facienda de ejus bonis; & Tridentin. *capit.* 7. *cit.* ubi ad eam compelli jubentur, qui percipiunt aliquos fructus ex ea provenientes; atqui talia bona, & fructus sunt etiam Decimæ hujusmodi; quia Jure communi debentur Ecclesiæ, ex cujus prædiis colliguntur; ergo &c. *Confirmant* ex consuetudine locorum, qua passim invaluisse dicunt, ut Decimatores ad Ecclesiarum reparationem adstringantur.

Sed distinguendum videtur inter Decimatores Ec- 55 clesiasticos, & Laicos. *Ecclesiastici* rectè obligantur ad concurrendum pro reparatione Ecclesiæ Parochialis, cujus Decimas percipiunt; quia quamdiu Decimæ non separantur à titulo Spirituali, censentur esse bona Ecclesiæ, ex qua proveniunt; conf. onus reparandi secum deferunt ad Ecclesiasticos etiam extraneos illarum possessores, & cum hoc onere iisdem concessæ censentur, nisi in separatione illarum aliter expressè constitutum sit; censentur enim Ecclesiæ extraneæ concessæ esse cum minimo, quo fieri potest, præjudicio Ecclesiæ illius, ad quam de Jure pertinent.

Contrà *Decimas Laicales*, teste Zypæo *de Parochis* 56 *consult.* 4. *n.* 2. plerique DD. adstruunt esse omnino liberas ab isto, & aliis Ecclesiasticis oneribus. Navar. *de reddit. Eccl. n.* 5. *&* 57. cùm inter bona Laicorum Patrimonia-

monialia referantur, & eadem, qua cætera hujusmodi bona, immunitate possideantur. Molinæus *de consuet. Paris. pr. n.* 104. *&* §. 68. *num.* 24. *Neque refert*, etsi ejusmodi Decimæ, postquam ita separatæ à titulo Spirituali sunt, per donationem, infeudationem, emptionem, venditionem, vel alium contractum reversæ sint ad Ecclesiam aliquam, vel Ecclesiasticos; nam pro æstimatione ejusmodi servitutum, & onerum adhuc penes Laicos, eorumque Successores esse censendæ sunt: ideoque eatenus eximendæ à contributione, præsertim quando & ipsi Laici legitimo, & oneroso titulo eas obtinuerunt, quippe quem continuare censentur Ecclesiastici, ad quos ita transierunt. Zypæo *l. cit. n.* 3. & sic impediuntur, ut ad Ecclesiam reversæ, recuperent naturam primigeniam, quod aliàs fieret.

57 Ad *cap. de his* 4. *&* *Trid. cap.* 7. in contrarium allegata dico textus istos Decimas Laicales, seu à titulo Spirituali legitimè, & perfectè aliquando separatas non afficere; cùm ita separatæ non ampliùs sint bona Ecclesiastica, sed Patrimonialia Laicorum; conf. contributioni pro reparatione Parochialis Ecclesiæ non aliter obnoxia, quàm sint bona illorum Patrimonialia reliqua: Ex quo fit, quòd possessores illarum, si Parochiani non sint, nullo modo ad concurrendum compelli possint, etsi compelli Laici Parochiani possint ex suis Patrimonialibus aliquando concurrere, nam hi tenentur ad hoc, quia Divina ab Ecclesia illa percipiunt, quæ ratio in Laicis Decimatoribus, qui extranei sunt, omnino cessat. Innuit responsionem istam Trid. ipsum *loc. cit.* ubi obligat eos, *qui fructus aliquos, ex dictis Ecclesiis provenientes, percipiunt*; nam si Decimæ aliquando legitimo titulo separatæ, in manus Laicorum sint traditæ, non percipiuntur amplius ab Ecclesiis, sed ex ipsorum Patrimonio.

58 *Ad Conf.* responsio data procedit, seclusa consuetudine, vel Statuto contrario, quam ubique *numer.* 33. attendendam dixi: sed quia talis consuetudo, & statutum est facti, probari debet, antequam Decimator Laicus, vel Ecclesiasticus, qui Decimas ab illo accepit, ad concurrendum pro reparatione Ecclesiæ Parochialis adstringatur.

59 Quæritur 8. quo ordine ex Decimarum fructibus succurrendum sit Ecclesiarum indigentiæ pro reparatione illarum? Resp. juxta tradita à Zypæo *consult.* 14. *citat.* quem citat, & sequitur P. Vviest. *hic n.* 49. hic ordo servandus est.

1 Necessaria pro reparatione Ecclesiæ Parochialis sumenda sunt ex Decimis Novalium; quia hæ magis propriè sunt Parochorum *capit. quoniam* 13. *de Decim.*

60 2 Si istæ non sufficiant, conferendæ sunt illæ, quæ postremo loco ab Ecclesia avulsæ sunt, & aliis locis piis applicatæ, ex paritate cum donatis inofficiosè, & alienatis in fraudem creditorum, ex quibus semper ea, quæ ultimo loco donata, vel alienata sic sunt, ante alia repeti debent §. *item si quis in fraudem* 6. *Instit. de action. &* *l. si mater* 7. *Cod. de inoffic. donat.* ubi tamen notandum, nec Decimatores hujusmodi Ecclesiasticos reparationibus uno, eodemque tempore ita gravandos, ut subtrahatur iisdem sustentatio, pro qua ab Ecclesia Parochiali ad ipsos translatæ sunt Decimæ.

61 3 Demum, & postremo loco, si consuetudine, aut Statuto sic introductum sit, recurrendum ad eas, quæ sunt in manibus Laicorum; quia hæ, ut *n.* 56. ostendi, de Jure communi ab onere isto omnino exemptæ sunt; conf. cùm consuetudo, & Statuta contraria Juri communi ita explicanda sint, ut, quantum fieri potest, minimè eidem obvient, vi talis consuetudinis, vel Statuti Decimæ Laicorum tantùm erunt subsidiariæ, neque ad sustentationem Rectoris, vel reparationem Ecclesiæ vocari poterunt, nisi casu, quo aliunde media pro hoc fine desunt.

62 Quæritur 9. quando ad concurrendum pro reparatione Ecclesiæ Parochialis vocandi sint Parochiani? Resp. etiam circa hos attendenda est consuetudo. Quodsi consuetudo in aliquo loco recepta est, ut suis impensis Ecclesiam reparent, illi ad id tenebuntur etiam ante Clericos, & ad illam consuetudinem servandam compelli possunt. *arg. capit. ad Apostolicam* 47. *de Simon.* Abb. *in capit.* 1. *hoc titul. num.* 3. *&* 4. Sylv. *V. Ecclesia* 2. *quæst.* 4. Azor *part.* 2. *lib.* 9. *cap.* 3. *quæst.* 10. Pirhing *hic num.* 15. *vers. denique*. Jure communi non tenentur ipsi concurrere, nisi in defectum Rectoris, & aliorum, qui fructus ab Ecclesia percipiunt, ut dictum est *suprà n.* 37.

63 *Dubium* est de modo, quo contribuere Parochiani debent ad reparationem Ecclesiæ Parochialis? Sunt, qui putant, nulla facultatum habita ratione, ab omnibus æqualiter succurrendum, ex ratione; quia omnibus æqualiter ab Ecclesia Parochiali ministrantur Divina, nec minorem in ea locum obtinet pauper, quàm dives, plebejus, quàm nobilis.

Sed meliùs Leo *Thesaur. for. Eccles. part.* 2. *cap.* 16. *numer.* 73. *& seqq.* P. Vviestner *hic numer.* 53. & alii docent, contributionem hujusmodi faciendam à Parochianis, attentis eorum facultatibus, ita, ut ad plus conferendum teneatur dives, quàm pauper, vel alius mediæ conditionis. *Ratio est*, quia, ut *suprà numer.* 37. monui, est opus publicum, atqui ad operis publici constructionem concurrere loci incolæ debent pro rata Patrimonii, ut habetur *l. omnes* 12. *de operib. publ.* & probat ratio, quia hujusmodi onera, utilitatem, & usum publicum concernentia, æquiparantur ordinariis, & merè realibus *l. omnes* 5. *Cod. de annon. & tribut.* ad quæ collectæ fieri debent, non secundùm numerum personarum, sed secundùm quantitatem bonorum, & patrimonii *l. ad inferiorum* 1. *vers. hoc etiam, & ibi* Gloss. *V. inops Cod. de Apoch. publ.* 64

Ad Argumentum in contrarium allatum dico, etsi Ecclesiæ Sacramentis non minùs pauperes, quàm divites gaudeant, divitibus tamen, & Nobilibus plerumque illa majori promptitudine, decentia, & apparatu ministrari: præterea iidem plerumque primum in subselliis, Processionibus, & oblationibus locum obtinent, infimum plebeii, & pauperes, ut adeo meritò illi magis graventur, quàm isti in ordine ad contribuendum pro reparatione Ecclesiæ. 65

Quæritur 10. an si dicto hactenus modo succurri Ecclesiæ ruinam minitanti non possit ex collectis Clericorum, Decimatorum, & Parochianorum, statim descendere Episcopus debeat ad translationem illius ad aliam vicinam Ecclesiam, sicut posse dictum est *n.* 38. Resp. non debere statim ad hoc deveniri, sed duplex adhuc tentari medium posse pro Ecclesiæ talis paupertate juvanda; nam 66

1 Potest Episcopus fructus, ac proventus Capellarum, sub ipsa Ecclesia existentium, ad ejus refectionem deputare Capellanis, unde honestè vivant, reservata congrua, & competenti portione. Tridentin. *sess.* 21. *capitul.* 7. *de reformat. & Sacr. Congregatio* quam refert Zerol. *part.* 3. *V. Visitatio dub.* 9. *incipit, Si populus nolit*, Vallens. *hic* §. 2. *numer.* 3. *vers. septimò.*

2. Potest etiam eo casu Episcopus, quæ pro malè partis accepit à Testatore aliquo in reparationem Ecclesiæ convertere. Eodemque modo potest Concubinarios condemnare ad aliquam summam pro reparatione Ecclesiæ. Vallens. *loc. cit. vers. potest.* 67

TITULUS XLIX.

De Immunitate Ecclesiarum, Cœmeterii, & rerum ad eas pertinentium.

UT sanctior sit Ecclesiarum, & Ecclesiasticarum personarum honor, plura tam his, quàm illis privilegia concessa sunt. Præcipuum ex istis est Immunitas, de qua præsens Titulus: & quidem appositissimè, ut postquam de Ecclesiarum constructione, & reparatione in Titulo præcedente vidimus, etiam, quæ Jura iisdem ita constructis competant, cognoscamus.

§. I.

De Immunitate Ecclesiastica in genere, & in specie de Reali, & Personali.

SUMMARIUM.

1 *Definitio immunitatis Ecclesiasticæ.*
2 *Discrimen à Privilegio speciali.*
3 *Divisio, in Personalem, Realem, & Localem.*
4 *Munera, & Onera sunt triplicis generis.*
5 *Merè Personalia.*
6 *Merè Realia.*
7 *Et Mixta.*
8 *Hic sermo est de Oneribus Sæcularibus.*
9 *In quo consistat Immunitas Personalis?*
10 *An Clerici immunes sint à Tributo Capitationis?*
11 *A quibus aliis muneribus immunes sint?*
12 *An hospitium teneantur præbere militibus, vel ire ad bellum?*
13 *An, & quando cogi possint ad murorum custodiam?*

14 *A quibus aliis oneribus eximantur res, & personæ Ecclesiasticæ?*
15 *An etiam ab iis, quæ rei connexa sunt?*
16 *Quotuplicis generis sint res, & bona Ecclesiarum?*
17 *An aliqua ex his ab oneribus, gabellis, & tributis Sæcularibus exempta sint?*
18 *Resolvitur affirmativa.*
19 *Rationes dubitandi solvuntur.*
20 *Ita immunia sunt bona, quæ ad fundationem, vel dotationem Ecclesiæ pertinent.*
21 *Cætera, quæ ex aliis titulis ad Ecclesias pervenerunt, immunia sunt ab oneribus novis.*
22 *Et regulariter etiam ab antiquis, quæ à Principe Laico imponuntur ex vi Jurisdictionis.*
23 *Non verò ab illis, quæ ex vi dominii, & pacti præcedentis imposita sunt ipsi rei in perpetuum, & invariabiliter.*
24 *Bona Clericorum Ecclesiastica immunia sunt ab oneribus Laicalibus.*
25 *Patrimonialia illorum bona oneribus realibus subjacent.*
26 27 28 *Eximuntur tamen ab oneribus novis, quæ ex vi solius Jurisdictionis à Principibus sæcularibus imponuntur.*
29 *Etsi ea bona acceperint à Sæcularibus.*
30 *Respondetur ad Argumenta contraria.*
31 *An Clerici ex bonis suis concurrere debeant pro reparatione pontium, murorum, viarum, & in aliis publicis necessitatibus?*
32 *Respondetur debere, si necessitas, & utilitas respiciat commoda tantùm privatorum.*
33 *Non teneri; si illa respiciat commoda totius Reipublicæ.*
34 *Ante consensum Pontificis, vel Episcopi.*
35 *Post istorum consensum tenentur.*
36 *Solvuntur Argumenta contraria.*
37 *An tempore famis, & caritatis annonæ Clerici à potestate Sæculari compelli possint ad frumentum &c. justo pretio vendendum?*
38 *Respondetur negative.*
39 *Triplex Exceptio.*
40 *Idem dicendum, quando pestis grassatur, ad occurrendum contagioni.*
41 *Diluuntur Argumenta opposita.*
42 *An sit contra Libertatem Ecclesiasticam impositio Gabellæ in venditione carnis, frumenti, vini &c.*
43 *Quænam conditiones requirantur, ut Clerici, & aliæ personæ Ecclesiasticæ teneantur, & licitè possint contribuere ad sublevandam necessitatem publicam?*
44 *Quanta sit conditionum istarum necessitas?*
45 *Quando censeantur Laicorum facultates non sufficere?*
46 *An inconsulto Pontifice, sufficiat consensus Episcopi, & Cleri?*
47 *Quid nomine Cleri intelligatur?*
48 49 *Quando, seclusa necessitate publica, Collectæ imponi Ecclesiis, & Ecclesiasticis possint?*
50 *An Principes Sæculares efficere prædia omnia, in territorio suo sita, tributaria possint, ita, ut cùm illa pervenerint ad Ecclesiasticos, sint obnoxia Collectis postea imponendis?*
51 *Quinam Immunitate Reali gaudeant?*
52 *An etiam Coloni Ecclesiarum, & Ecclesiasticorum?*
53 *Argumenta sententiæ negantis.*
54 *Propugnatur sententia affirmans.*
55 *Solvuntur Argumenta contraria.*
56 *Quo Jure Ecclesiarum, & Ecclesiasticorum Immunitas sit introducta? Argumenta, quòd sit introducta Jure Divino.*
57 *Fundamentum sententiæ adscribentis eam Juri humano.*
58 *Defenditur Sententia media.*
59 *Solvuntur Objectiones.*
60 *&c. Quæ pœna statuta sit violantibus Libertatem Ecclesiasticam?*

1 QUæritur 1. quid sit *Immunitas Ecclesiastica* in genere, & quotuplex? Resp. *Immunitas in genere* nihil aliud est, quàm *exemptio, & libertas à munere, & onere, quo reliqua communitas premitur*, prout sumitur ex *l. qui ob hoc* 1. *ff. de Jur. immunit.* Unde *Ecclesiastica Immunitas*, de qua hoc Titulo sermo est, definiri solet, quòd sit, *Jus, quo loca, res, vel personæ Ecclesiasticæ à communi onere, seu obligatione liberæ sunt, & exemptæ*. Abb. *ad hanc Rubr. pr.* Sylv. *V. immunitas* 1. *pr.* Covar. *l. 2. var. capit.* 20. *pr.* Azor *p. 2. lib. 9. cap. 8. pr.* Laym. *l. 4. tr. 9. cap. 1. pr. n. 1.* Gonz. *in c. 1. hoc tit. num. 10.* Engl. *hic numer. 1.* Scambog. *n. 2.* Vviestner *n. 1.*

Dixi, *Loca, res, vel personæ Ecclesiasticæ*: ubi duæ animadversiones sunt faciendæ: *una* quòd efferantur in numero plurali, altera, quòd distinctè ponantur loca, res, personæ. *Primum* immunitatem, de qua hic agitur, secernit ab exemptione, & privilegio speciali, qua locus, res, vel persona particularis eximitur ultra sortem communem; hæc enim Immunitatis nomen non meretur, sed illa tantùm, quæ toti Statui, vel generaliter omnibus ejusmodi locis, rebus, vel personis concessa est. Abb. *in cap. noverit 49. de sent. Excommun. num. 2.* Layman *num. 1. cit.* Vvagnereck *ad Rubr. hoc tit. not. 4.* Honor. *hic num. 34.* Vviestner *loc. cit.* 2

Alterum innuit triplicem esse Immunitatem Ecclesiasticam, videlicet Personalem, Realem, & Localem. *Personalis* est, quæ personis ipsis competit, & versatur circa ea, quæ corporis labore, animi sollicitudine, vigilantia perficiuntur, ut Tutela, Curatela, portarum, vel murorum custodia, & defensio. *Realis* competit rebus, quæ ad personas, vel loca Ecclesiastica pertinent, easque à tributorum, vectigalium, & similium onerum pensitatione liberat. *Localis* Ecclesias, & alia loca Sacra, aut Religiosa concernit, & in reverentiam illorum certas actiones fieri in iisdem prohibet. 3

Quæritur 2. quotuplicis generis sint *Munera*, seu *Onera*, à quibus Ecclesiastica Immunitas loca, res, vel personas Ecclesiasticas liberat? Resp. ex communi, & recepta doctrina Canonistarum, & Legistarum triplicia sunt Munera, seu Onera, quæ imponi possunt, & solent, scilicet vel Personalia tantùm, vel merè Realia, vel Mixta i. e. partim personalia, partim realia, prout videre est apud Abb. *in cap. 4. hoc tit. num. 12. & seqq.* Franc. *in cap. 1. num. 6. eod. in 6.* Laym. *l. 4. tract. 9. cap. 6. num. 5.* Pirh. *hic n. 54.* & alios passim. 4

Onera merè personalia sunt, quæ personis tantùm, & quidem subditis sine ordine, sive respectu ad bona Patrimonialia imponuntur; & aliquando consistunt in labore personæ sine sumptu pecuniæ, ut tutela, vel cura; aliquando in solutione certæ alicujus pecuniæ: & tale onus merè personale est. *Capitatio* civium, qua certum quid imponitur singulis capitibus, sive personis, sine respectu ab bona Patrimonii; nam solvi debet etiam ab illis subditis, qui nulla bona immobilia habent in territorio Principis imponentis *l. un. Cod. de capitat. civ.* 5

Onera merè realia sunt, quæ sine habitudine, vel respectu ad personæ qualitatem sunt imposita ipsis rebus, seu bonis tantùm, sive bonis propter bona, eisque jure perpetuo secundùm se inhærent, & inseparabiliter ea comitantur, adeoque perpetua, & invariabilia sunt, ita, ut tamdiu durent, quamdiu durant res ipsæ, quibus inhærent. Et tale onus merè reale imponi potest à quolibet, etiam privato, domino rei suæ, v. gr. domui, vel fundo, per pactum, seu Contractum Censualem, Feudalem, Emphyteuticum; nam quilibet est rei suæ moderator, & arbiter. *l. in re 21. ff. mandat.* 6

Onera mixta duplicis sunt speciei. *In prima* sunt ea, quæ tam corporis ministerio, quàm gerentis sumptu sustinentur, ut ire ad bellum propriis sumptibus. *In secunda* sunt, quæ personis subditis imponuntur, sed cum ordine, & respectu ad bona, quæ possident, sive quæ imponuntur personis pro modo fructuum, ita, ut immediatè ipsis personis subditis, mediatè verò, & consequenter etiam ipsis bonis illatum, sive personis propter res, seu bona imponantur juxta *l. rescripto 6. fin. ff. de muner. & honor.* Et talia onera sunt Collectæ, contributiones, & exactiones etiam illæ, quæ ob occurrentem gravem, & publicam necessitatem v. gr. belli, vel aliam similem à Principibus, & Magistratibus Sæcularibus exiguntur, vel imponuntur, ut rectè, & latè probat Pirh. *hic num. 71.* 7

Hic sermo duntaxat est de Muneribus, & Oneribus Sæcularibus, quæ ab Imperatore, Rege, Principe, aut Magistratu temporali imponi solent; non autem de iis, quæ à Summo Pont. vel ex ejus licentia, aut Juris concessione ab inferioribus Prælatis Ecclesiasticis exigi possunt à suis subditis Ecclesiasticis; nam exemptio Clericorum non est à potestate Pontificia, seu Ecclesiastica, sed à Civili, & Sæculari. Suarez *l. 4. de immunit. capit. 18. numer. 2.* Pirhing *hic n. 55.* 8

Quæritur 3. in quo consistat Personalis Immunitas 9

Clericorum, & aliarum personarum Ecclesiasticarum? Resp. consistit præcipuè in quinque sequentibus. 1. in privilegio Canonis. 2. in privilegio fori, seu exemptione à foro Sæculari. 3. in exemptione ab obligatione Legum Civilium. 4. in exemptione ab oneribus personalibus. 5. in exemptione ab oneribus Patrimonialibus, quæ imponuntur ratione rerum, quas quis possidet, cujusmodi diximus esse Tributa, Vectigalia, Tallias, seu Collectas. Primum genus exemptionis explicari solet *in Lib.* 5. *Decret. Tit.* 39. *de Sent. Excom.* De Secundo dictum est *in Lib.* 2. *Tit.* 2. *à n.* 73. De tertio actum *in Lib.* 1. *Tit.* 2. *n.* 37. *&* 38. Quare duo solùm posteriora exemptionis genera examinari hìc debent.

10 Dub. 1. utrum Clerici immunes sint à Tributis, Muneribus, & obsequiis personalibus? Tributa personalia, ut *num.* 5. dixi, sunt Capitationes, Munera, & Obsequia, personalia verò sunt triplicis generis; aliqua *sordida*, ut mundandæ cloacæ, purgandi stabuli, arenæ fodiendæ &c. alia *honorabilia*, ut regendæ Civitatis &c. alia *indifferentia*, ut Officium Tutoris, Curatoris &c.

Quòd Clerici, & personæ Ecclesiasticæ immunes sint à *Tributo Capitationis*, si Princeps Sæcularis illud imponat, exploratum est apud DD. & decisum habetur in utroque Jure, Canonico quidem *cap. quia nonnulli* 1. *hoc tit. in* 6. ubi *Jurisdictionem temporalem obtinentes --- prohibentur exactiones quascunque personis Ecclesiasticis imponere:* Civili autem *l. juxta* 1. *l. omnis* 2. *& Auth. item nulla Cod. de Episc. & Cleric.* ubi eadem fit prohibitio, adjuncta pœna, ut qui contrarium *fecerint, & requisita ab Ecclesia, vel imperio emendare contempserint, triplum refundant, & nihilominus bona Imperiali banno subjaceant, quod absque satisfactione debita nullatenus remittatur. Ratio est*; quia Tributum hoc imponitur titulo Jurisdictionis, quam tamen Princeps Sæcularis in personam Clerici nullam habet. *Accedit*, quia Capitationis Tributum imponitur propter actiones lucrosas; Clericorum autem actiones non sunt ordinatæ ad lucrum temporale faciendum, sed ad Divinum Cultum, & animarum salutem. *Neque obstat*, quòd pro talibus ministeriis stipendium aliquod temporale accipiant; nam illud non est per modum lucri temporalis, sed per modum justæ, & congruæ sustentationis, quod non potest subtrahi, vel diminui per impositionem Tributi; quia accessorium est Spirituali, & ideo hujus naturam, cons. etiam exemptionem participat. *Denique* non oportet Clericos magis gravari, quam Laicos: quod tamen fieret, si Principibus Sæcularibus Tributa deberent solvere cum Laicis, & Episcopo nihilominus Subsidium Charitativum, si petat, pendere, quod Laici non debent.

11 De *Muneribus*, *& Obsequiis* respondendum est secundùm distinctionem munerum, & obsequiorum *n. præc.* datam; nam ad *Munera sordida* Clerici nec obligari possunt, nec ea acceptare debent; quia eorum Dignitatem, & Statum dedecent *l. maximarum* 12. *C. de excus. muner.* imò nec ipsorum mancipia, & domestici ad hæc munera compelli possunt; *l. omnis* 2. *Cod. de Episc. & Cleric.* Quod attinet ad *Munera*, *& Obsequia secundi*, *& tertii generis*, ab iis suscipiendis excusantur Clerici, nisi velint illa ultro suscipere, ut constat ex *l.* 1. 2. 9. 10. *&* 11. *Cod. tit. cit.* præcipuè verò *l. placet* 17. *Cod. eod.* ubi Impp. Arcadius, & Honorius, *Placet*, inquiunt, *nostræ Clementiæ, ut nihil commune Clerici cum publicis actionibus, vel ad Curiam pertinentibus, cujus corpori non sunt annexi, habeant*: *& l. generaliter* 52. *Cod. eod.* specialiter eximuntur à Tutelis, & curis Pupillorum, & adultorum. *Ratio* hujus exemptionis est, ut sic Clerici majori quiete Orationi, & obsequiis suis Spiritualibus vacare possint.

12 Quæ etiam causa est, quod 1. cogi non possint, ut hospitium militibus præbeant in domibus suis *l. juxta* 1. *C. de Episc. & Cleric.* Idque procedit etiam de domibus Clericorum patrimonialibus juxta sententiam *S. Congreg. Concil.* apud Barbosa *l.* 1. *de Jur. Eccl. cap.* 39. §. 5. *n.* 70. *&* 71.

2 Quòd non teneantur per se ire ad bellum, ut pugnent contra hostes *can. reprehensibile* 19. *caus.* 23. *quæst.* 8. imò ad ita pugnandum ipsos inhabiles reddit Clericatus *capit. ex multa* 9. §. *fin. de Voto.* Abb. *in capit.* 2. *hoc tit. numer.* 5. Vallens. *hic numer.* 2. Pirhing. *ibidem numer.* 83. Quodsi tamen onus, & obligatio sistendi, vel ad bellum mittendi certum numerum militum sit annexa Castro, aut fundo, eo ad Ecclesiam, vel Ecclesiasticos transeunt, etiam ista, cum Castro, & fundo transit; unde eo casu, sicut ad alia onera merè realia, ita etiam ad hoc obligabuntur Clerici.

3 Quod ordinariè non possint cogi ad murorum custodiam, & vigilias agendas *can. reprehensibile cit.* ubi ratio redditur, quia *militum Christi est Christo servire*, *militum verò sæculi sæculo*. *Ordinariè*, inquam; nam in casu valde magnæ necessitatis publicæ, ut cùm Civitati grave periculum imminet ab infidelibus, aut Hæreticis, & mœnia à Laicis solis absque ope Clericorum satis defendi non possunt, ad excubias adhiberi possunt; quod tamen fieri debet approbante Episcopo, & coactio, si necessaria illa sit, per ipsum & non per Laicum Magistratum; & hoc modo *c. pervenit* 2. *h. tit.* intelligunt Abb. *ib. n.* 6. Azor *p.* 2. *l.* 9. *cap.* 11. *q.* 1. *v. tertium privilegium*, Palao *tr.* 12. *D. un. part.* 9. *n.* 11. Barbosa *lib.* 1. *Jur. Eccl. cap.* 39. §. 5. *num.* 46. Vivian. *in c. pervenit cit.* Fagnan. *ibidem n.* 4. Gonzal. *num.* 2. Vvagnereck *not.* 2. Honor. *hic num.* 23. Engl. *num.* 28. Pirh. *n.* 84. Vviestner *n.* 189. 13

14 Dub. 2. à quibus aliis oneribus eximantur res, & personæ Ecclesiasticæ? Resp. 1. eximuntur ab Angariis, & Parangariis, *Frondienst*, *Scharwerch*, *Robalten*, aliisque hujusmodi servitiis personalibus, ne illa per se, vel suos propriis, vel alienis sumptibus præstare cogantur *cap. non minus* 4. *& ibi Gloss. V. angariis hoc tit. l. omnis* 2. *l. Presbyteros* 6. *& Auth. item nulla C. de Episc. & Cleric.* Laym. *lib.* 4. *tr.* 9. *cap.* 6. *num.* 6. Fagnan. *in cap. non minus cit. num.* 5. Pirh. *hic num.* 82. Konig. *ibid. num.* 25. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de Jur. Eccl. c.* 4. *num.* 58. 2. à Vectigalibus, & præstationibus Teloniorum *capit. quanquam* 4. *de Censib. in* 6. *Clem. fin. eod. & Auth. cit.* ubi DD. nomine *Exactionum* notant venire Teloniorum præstationes. Engl. *hic num.* 29. Pignatell. *tom.* 2. *cons.* 34. *n.* 2. Luculentius eandem Immunitatem tribuit Imp. Sigismundus apud Goldast. *in ejus Vit. p.* 1. *Const. Imper.* ubi à Vectigalibus immunem pronuntiat *einen Priester*, *einen ordens mann*, *tariem tas sie tessen Diener Seynd*; itaque usu observant Principes, ac Status Imperii, etiam Acatholici, teste Knipschild. *lib.* 2. *de Jur. & privil. Imp. Civit. cap.* 18. *num.* 18. 3. ab omnibus oneribus personalibus, & mixtis; consequenter etiam à Collectis, Contributionibus, & exactionibus, quæ ob occurrentem gravem, & publicam necessitatem, v. gr. belli, vel aliam similem à Principibus, & Magistratibus Sæcularibus imponuntur ad tempus: nam hæc onera, non realia, ut perperam quidam volunt, sed mixta sunt, ut dictum est *num.* 7. Plura de hoc casu vide *infrà numer.* 31. *& seqq.*

15 Dixi *Personalibus*, *& Mixtis*; nam si realia sint, & rei connexa, ab his non eximuntur, ut *num.* 22. ostendetur. Atque hinc 1. Clerici, & Ecclesiæ non sunt immunes à Tributis, Vectigalibus, & aliis oneribus, quæ imposita sunt rei, à Principe, vel alio Domino directò concessæ in Feudum; cùm enim hujusmodi bonorum dominium directum penes talem Feudi dominum sit, ratione eorum, sicut coram isto conveniri possunt, sic etiam ei Clerici, & Ecclesiæ præstare obsequium, & alia onera Feudalia perinde, ut Vasalli Laici debent. Abb. *in cap. dilectus* 34. *de Præb. num.* 4. Laym. *lib.* 4. *tractat.* 9. *capit.* 5. *num.* 2. Vviestner *hic num.* 196. 2. immunitatem non habent res, etiam non Feudales, quæ à Principe, vel alio Domino Sæculari Ecclesiæ, vel Monasterio in prima fundatione, vel postea donata sunt non omnino liberè, sed cum reservatione Jurisdictionis, & pristini Juris contributiones imponendi; talis enim conditio, tanquam justa, est observanda *arg. c. verùm* 4. *de condit. apposit.* Suarez *lib.* 4. *de Immunit. c.* 14. *n.* 13. Laym. *c.* 5. *cit. n.* 4. Engl. *hic n.* 24. *v. illud tamen.* Pirh. *n.* 82. *fin.* Vviestner. *n.* 197. 3. similiter bona quæcunque, si, antequam ad Ecclesiam, vel personas Ecclesiasticas pervenirent, habuerunt annexum sibi onus reale pendendi Census, Canonis, Pensionis &c. eidem oneri subjecta manent, etiam postquam ad Clericos pervenerunt; cùm enim nemo possit plus Juris transferre in alium, quàm ipse habet *Reg.* 79. *in* 6. is, qui ea bona, tali oneri obligata, possedit, & in Ecclesiam, vel Ecclesiasticos illa transtulit, etiam cum obligatione illa transtulisse censetur, quòd notissimi Juris sit, rem cum onere ipsi inhærente ad quemcunque possessorem transire *c. ex litteris* 5. *fin. de Pignor.* Gloss. *in can. tributum* 22. *V. de exterioribus caus.* 23. *q.* 8. Abb. *in cap.* 4. *hoc tit. n.* 15. Suar. *c.* 20. *n.* 6. Laym. *c.* 6. *n.* 9. Vviestner *n.* 198.

Quæ-

Quæritur 3. an, & quæ res, vel bona Ecclesiarum sint exempta ab oneribus, gabellis, & tributis sæcularibus? *Et 1. quidem dubitatur*, quotuplicis generis sint res, & bona Ecclesiastica? Resp. triplicis maximè generis distingui posse. Nam 1. aliqua sunt consecrata, benedicta, vel certè ad Cultum Divinum, tanquam instrumenta illius, ab Episcopo deputata, ut sunt ipsæ Ecclesiæ, Cœmeteria, Sacella, Oratoria, Monasteria, vasa, & vestes Sacræ &c.

2. Sunt res, & bona temporalia ipsarum Ecclesiarum, Monasteriorum, & similium locorum, à fidelibus oblata in eum finem, ut ipsa, vel eorum proventus in Cultûs Divini conservationem, & augmentum, Templorum, & Altarium ornatum, reparationem fabricæ, sustentationem Religiosorum, salaria Ministrorum, & pauperum alimenta impendantur, ut sunt fundi Ecclesiarum, & alia tum mobilia, tum immobilia.

3. Sunt res, & bona Clericorum; & hæc iterum sunt duplicis generis; aliqua enim acquiruntur ab ipsis ex titulo temporali, v. g. hæreditate, donatione, contractu &c. alia ex titulo Spirituali Beneficiorum, aut functionum Spiritualium, ut sunt ipsi redditus Beneficiales, stipendia, Decimæ, Primitiæ, Oblationes &c. Priora *Patrimonialia* appellantur, posteriora ad priorum distinctionem vocantur *Ecclesiastica*.

17 Dub. 2. an aliqua ex bonis prædictis exempta sint ab oneribus, gabellis, & Tributis Sæcularibus? Nemo facilè dubitat de bonis primi generis, nempe de Ecclesiis, Cœmeteriis &c. quòd immunia sint ab omni prorsus sæculari onere; quia nullum usum temporalem pretio æstimabilem habent. Unde quæstio procedit de reliquis. Et *Rationem dubitandi* faciunt varii textus Juris Canonici, & Civilis, qui Tributa, ex bonis Ecclesiasticis danda, dominis temporalibus concedunt, 1. *can. si tributum* 27. *caus.* 11. *q.* 1. ubi S. Ambrosius, *Si tributum*, inquit, *petit Imperator, non negamus; agri Ecclesiæ solvunt tributum*. 2. *can. tributum* 22. *caus.* 23. *q.* 8. ubi Urbanus Papa, *De exterioribus*, inquit, *Ecclesia, quod constitutum antiquitus est, pro pace, & quiete, quia nos tueri, & defendere debent, Imperatoribus persolvendum est*. 3. *can. sancitum* 25. *caus. & q. cit.* specialiter dicuntur exemptæ à Tributis Ecclesiæ cum hortis, atriis, & domibus sibi conjunctis, & mensis earum, & postea additur; *Et si aliquid amplius habuerint, inde majoribus suis debitum servitium impendant*. 4. *l. placet* 5. *C. de SS. Eccl. l. de his* 3. *C. de Episc. & Cleric. l. fin. C. de exactor. tribut.* quibus omnibus obligatio pendendi tributa, & similia onera Clericis, & Ecclesiis decernitur.

18 Sed, his non obstantibus, dicendum, & tanquam certum retinendum est, aliquam bonis Ecclesiasticis à tributis, & oneribus Laicalibus exemptionem deberi. Patet ex *cap. non minùs* 4. *& cap. adversùs* 7. *hoc t. cap. quia nonnulli* 1. *& c. Clericis* 3. *eod. in* 6. *Auth. item nulla C. de Episc. & Cleric.* & pluribus aliis Juris utriusque textibus: quibus accedunt Bulla Cœnæ *can.* 18. & Constitutio Urbani VIII. incipit *Romanus edita* 23. *Sept.* 1641.

19 Neque obstant textus in Ratione dubitandi allati. *Ad* 1. verba illa Suar. *lib.* 4. *de immunit. cap.* 21. *num.* 12. Barbos. *in can. tributum cit. num* 1. & alii dicunt ab Ambrosio dicta esse permittendo potiùs, quàm probando, & jus confitendo; addit enim: *Imperatori non dono, sed non nego*. *Ad* 2. quidquid respondeant alii, placet explicatio *Suarez*, qui *loc. cit. num.* 14. vult Urbanum ibi locutum fuisse juxta morem sui temporis, quando Imperatores erant Ethnici, & Ecclesia nondum sibi libertatem ab hujusmodi Tributis vindicaverat. *Ad* 3. per *Majores*, vel ut alii legunt, *Seniores* Glossa, & Joan. Andr. *in cap.* 1. *de Censib.* intelligunt antiquos Dominos, à quibus res transierunt cum onere suo. *Ad* 4. Leges illæ abrogatæ sunt per Constitutionem Friderici relatam *Auth. item nulla cit.* imò Suar. *loc. cit. num.* 16. probabilius putat, eas fuisse omnino nullas etiam ante abrogationem; quia disponebant in materia Ecclesiastica, & in Ecclesiæ præjudicium, quod Leges Civiles non possunt.

20 Dub. 3. quænam bona Ecclesiarum, & à quibus tributis sint exempta? Respond. distinguendo inter Ecclesiarum ipsarum bona; nam aliqua ad fundationem, vel dotationem Ecclesiæ pertinent; aliqua ex aliis titulis ad Ecclesiam, vel Ecclesiasticos pervenerunt.

De Bonis primi generis certum est, immunia illa esse ab omnibus prorsus oneribus, & tributis Laicalibus, si cum consensu Dominorum, quibus tributaria erant, in Ecclesiam translata sunt, ut cum cæteris sentiunt Gloss. *in cap.* 1. *de Censib. in cas. fin.* Innoc. *ibidem V. servitio*, Host. *V. eod.* Joan. Andr. *numer.* 8. Fagnan. *in capit. non minùs* 4. *num.* 8. *hoc tit.* Vvagnereck. *in capit.* 1. *eod. V. Ecclesiis not.* 2. Pirh. *tit. de Censib. numer.* 43. *&* 44. *& hoc tit. numer.* 56. Scambog. *ibidem numer.* 57. *&* 62. Magnific. P. Schmier *p.* 3. *de Jur. Eccl. capit.* 4. *num.* 81. & patet ex *cap. sancitum* 1. *de Censib. Ratio est*; quia tali casu Dominus tacitè censetur Tributum remittere. *Idque procedit* non tantùm in Tributis, & oneribus publicis, & Regiis, sed multo magis etiam in privatis, & ab antiquo impositis, ut habetur *capit. secundùm* 24. *& can. seq. caus.* 23. *quæst.* 8. & tenet *Rota* apud Fagnan. *loc. cit.* Pirhing. *numer.* 56. *hic*. Huic tamen exemptioni non obstat, quò minùs fundator Ecclesiæ cum Episcopi consensu præstationem aliquam moderatam ex fundatione sibi reservet, nam ejusmodi pacta, & conditiones servari debere, colligitur apertè ex *cap. verùm* 4. *de condit. apposit. cap. cùm dilecti* 6. *de Donation. capit. præterea* 23. *de Jur. Patron.* junct. Gloss. *ib. V. institutos*.

Quoad *Bona secundi generis* distinguendum est in- 21
ter onera nova, & antiqua. *Nova onera* iis bonis, postquam ad Ecclesiam, vel Ecclesiasticos pervenerunt, imponi haud ampliùs possunt *cap. non minùs* 4. *hoc tit.* Abb. *ibid. num.* 16. *fin.* Suar. *l.* 4. *de Immunit. capit.* 20 *num.* 2. Barbos. *l.* 1. *Jur. Eccles. cap.* 39. §. 5. *num.* 8. Fagnan. *in capit. non minùs citat. numer.* 10. Vvagnereck. *in capit.* 1. *eod. in* 6. *vers. legitimè habemus not.* 1. Pirhing. *tit. de Censib. numer.* 44. *not.* 2. *& hoc tit. num.* 56. *vers. verùm*. Engl. *ibidem num.* 25. Scambog. *num.* 62. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de Jur. Eccles. cap.* 4. *num.* 86. *& tribus seqq.* Ratio est, quia postquam hæc bona legitimè, & absolutè aliquando in Ecclesiam, vel Ecclesiasticos translata sunt, nulla ampliùs sæcularium in ea bona Jurisdictio est. *Proceditque hoc*, etsi ea bona, cùm adhuc à Laicis possiderentur, fuerint descripta in eum finem, ut proportionaliter in casu necessitatis collectari possent; nam postquam ad Ecclesiam, vel Ecclesiasticos transierunt, collectari non ampliùs ex hujusmodi causa & necessitate possunt, nisi saltem de facto certa quantitas in perpetuum à tota Provincia, vel territorio solvenda à Principe determinata fuerit. Sylv. *V. immunitas* 1. *numer.* 19. Felin. *cons.* 46. *n.* 18. Fagnan. *in c. non minùs cit. n.* 10. Konig. *hic n.* 27.

Circa *Onera antiqua*, & imposita rebus, antequam 22
transirent ad Ecclesiam, vel Ecclesiasticos, iterum distinguendum est, an hæc illis imponantur à Principe, vel Magistratu Sæculari ex vi Jurisdictionis, an ex vi dominii, & pacti. *A prioribus*, quæ à Principe, vel Magistratu Sæculari imponuntur ex vi Jurisdictionis, bona Ecclesiastica exempta sunt; quia Jurisdictio exercetur in personam, & in res propter personam, cons. Tributa, quæ titulo Jurisdictionis exiguntur, non sunt onera merè realia, sed aliquo modo personalia, vel saltem mixta; ab his autem Ecclesiæ, & personæ Ecclesiasticæ exemptæ sunt, cùm in eas Principi, & Magistratui Sæculari nulla competat Jurisdictio. Scamb. *hic n.* 63. *Proceditque hoc*, etsi ea bona, cùm sæcularia erant, fuerint subjecta oneri Tributorum, ut cum *cit.* Scamb. advertit Suar. *cap.* 20. *cit. num.* 19. Pirh. *num.* 65. & alii, & colligitur ex *cap. quia nonnulli* 1. *hoc tit. in* 6. ubi Magistratus Sæculares prohibentur quascunque Collectas, vel contributiones imponere, vel exigere ex bonis Ecclesiasticis, ergo non solùm est prohibitum has imponere, sed etiam exigere, quæ jam impositæ erant, priusquam Ecclesia bona illa acquireret; hoc ipso enim, quòd transeant ad Ecclesiam, liberantur à Jurisdictione Laica, sicut eximitur Servus ab onere servitutis eo ipso, quòd initietur SS. Ordinibus. *Neque refert*, quòd per talem exemptionem Princeps, vel alius Dominus Sæcularis, qui jus collectandi in aliquo territorio habet, patiatur magnum detrimentum, & diminutionem in suis redditibus, dum non ampliùs Collectas potest accipere, unde antea poterat. *Nam respondetur*, damnum illud, vel diminutionem non fieri in bonis propriis Principis, vel Magistratus Sæcularis; quia dum bona hujusmodi ad Ecclesiam transeunt, non jus proprietatis, quod actu Princeps Sæcularis habet, sed Jurisdictio solùm diminuitur, dum bona illa per hujusmodi transitum à Jurisdictione ejusdem subtrahuntur, atqui ex nulla obligatione Justitiæ tenetur is, penes quem est dominium proprietatis, curare, ut bona sua maneant sub Jurisdictione Principis, vel Magistratus Sæcularis, cùm de illis, si non Feudalia, vel Emphyteutica, sed Allodialia sint, li-

berè disponere possit, præsertim donando Ecclesiæ vel locis Piis. *n. 65. cit.*

23 *Posteriora onera*, seu quæ ex vi dominii, & pacti præcedentis imposita sunt in perpetuum, & invariabiliter, ex eo, quòd bona his onerata ad Ecclesiam, vel Ecclesiasticos transeant, non cessant, sed etiam ab his præstari debent, ut antea præstari debebant à Laicis *can. tributum* 22. *caus.* 23. *quæst.* 8. quia res cum onere suo transit *cap. ex litteris* 5. *de Pignor.* Abb. *in c. non minus cit. n.* 15. Suar. *l.* 4. *de immunit. cap.* 20. *n.* 6. *& seq.* Laym. *lib.* 4. *tract.* 9. *c.* 6. *num.* 3. Barbos. *lib.* 1. *Jur. Eccl. cap.* 39. §. 5. *num.* 37. *& in cap. non minus cit. num.* 6. Fagnan. *ibidem num.* 9. Vivian. *in cap.* 1. *hoc titul. in* 6. *vers. sed si dices*, Vwagnereck *ibidem vers. legitimè not.* 2. Pirh. *tit. de Censib. num.* 45. *& hoc tit. num.* 56. Honor. *ibidem num.* 26. Engl. *n.* 25. Scambog. *n.* 62. Konig. *n.* 27. Ratio est, quia tali casu nulla est specialis exemptio, vel exceptio; neque enim in favorem causæ piæ ordo Justitiæ interverti, & alter jure suo privari debet. Debent autem duo hoc casu concurrere, ut onera hujusmodi etiam Ecclesiasticos, & Ecclesias premant. 1. debent esse onera verè realia, i. e. ipsis fundis infixa, & imposita bonis propter bona: & hinc Laym. *l.* 4. *tr.* 9. *cap.* 5. *num.* 3. advertit errare illos, qui onera, & obligationes tributi, quas Princeps Sæcularis Lege ordinaria, & perpetua indixit subditis præstanda de bonis suis, existimant unà cum bonis, & possessionibus transire ad Ecclesiasticos. *Ratio est*, quia onus ejusmodi Tributa solvendi non est merè reale, sed rebus convenit propter personas; hujusmodi autem onera solùm incumbunt subditis; igitur si bona talibus tributis onerata transeant ad non subditos; obligatio talia tributa pendendi cessabit. Atque hinc, quando in Regula dicitur, quòd *res transeat cum suo onere*, intelligendum hoc est, si onus illud sit merè reale, & res in talem statum non transferatur, in quo oneris talis fiat incapax. Pith. *hic n.* 57. *vers. Quare.* 2. onera ista debent esse certa, perpetua, & invariabilia. Fagnan. *in cap. non minus cit. num.* 9. & hoc teste Rota *in Brundusina Gabellæ* 13. *Febr.* 1694. quam decisionem uti Magistralem in hac materia passim amplectitur *S. Congr. sup. Controv. Jurisdict.* ut asseritur *dec.* 339. *cit. p.* 6. *recens.* Sufficit autem, quòd obligatio illa onera, ex conditione à domino apposita, subeundi sit certa, & invariabilis; nam ipsa onera, ad quæ datur hujusmodi obligatio invariabilis, possunt esse incerta, & variabilia pro varietate temporum, & circumstantiarum. Patet in Feudo; nam licèt auxilia, quæ ratione hujus præstare Principi Vassallus ad bellum debet, incerta, & variabilia sint, quia tamen obligatio illa præstandi, in feudo fundata, certa, & invariabilis est, idcirco ad illa præstanda ratione feudi, & secundùm istius conditionem etiam Ecclesiastici obligantur. Pignatell. *tom.* 2. *consult.* 54. *n.* 24.

24 Quæritur 4. an, & quæ bona Clericorum exempta sint à tributis, & oneribus sæcularibus? Resp. etiam hic distinctione opus est; nam aliqua illorum bona *Ecclesiastica* appellantur, ut quæ ex Decimis, & prædiis Ecclesiasticis colliguntur: aliqua verò dicuntur *Patrimonialia*, quæ ex aliis titulis ad eosdem veniunt.

De Bonis Ecclesiasticis, quòd exempta sint ab omnibus oneribus, & tributis, certum est apud omnes Catholicos, sive titulum intueamur, sive personam; nam titulus, quo quæsita sunt, Sacer, & Spiritualis est; personæ autem, quarum ea sunt, à Jurisdictione sæculari sunt exemptæ *c. Ecclesiá* 10. *de Constit. cap. noverit* 46. *de sent. Excomm. capit. quanquam* 4. *de Censib. in* 6. *c. fin. hoc tit. eod.* & Trid. *sess.* 25. *c.* 20. *de reform.* Accedit ipsum Jus Civile *Auth. item nulla C. de Episc. & Cleric.* ubi Imp. Fridericus prohibet Collectas, vel exactiones imponere Ecclesiis, vel Ecclesiasticis personis.

25 *Difficultas* igitur est de Bonis Patrimonialibus, seu temporalibus Clericorum, an etiam ipsa exempta sint? Ubi iterum convenit inter DD. quòd illa onera, & tributa realia, quæ ipsis rebus, seu bonis patrimonialibus, & immobilibus Clericorum inhærent, ipsisque imposita sunt ex vi alicujus pacti, seu Contractus, priusquam in potestate Clericorum venirent, etiam ad Clericos, aliasque personas Ecclesiasticas transeant; quia res cum onere suo transit, ut ex communi docet Suarez *lib.* 4. *cap.* 25. *num.* 1. Pirh. *hic n.* 58. & patet ex dictis *n.* 23. nam si his oneribus obnoxia sunt bona ipsarum Ecclesiarum, titulo spirituali, ac jure Ecclesiastico ad Clericos pertinentia, multo magis erunt ipsis obnoxia Bona patrimonialia Clericorum, quæ titulo merè temporali possident, & minùs sunt privilegiata.

Quare punctum Difficultatis in id tandem recidit, utrum Bonis Patrimonialibus Clericorum, postquam illa propria istorum facta sunt, imponi à Principe vel Magistratu Sæculari possint onera nova, & quæ priùs, cùm illa bona in manibus Laicorum erant, bonis illis non adhæserunt? *Rationem dubitandi* faciunt 1. textus *Matth.* 17. ubi Christus soli Petro præcepit hamum mittere, & staterem inventum in ore piscis tollere, atque eo tributum solvere: in quem locum Ambrosius relatus *can. si tributum* 27. *caus.* 11. *quæst.* 1. *Magnum*, inquit, *& spirituale documentum, quo Christiani viri sublimioribus potestatibus docentur debere esse subjecti, ne quis Constitutionem terreni Regis putet esse solvendam.* Et videtur Clericos comprehendere; nam subjungit: *Si enim Censum Filius DEI solvit, quis tu tantus es, qui non putes esse solvendum?* 2. *Leges Civiles*, quæ frequenter statuunt, hæc tributa solvenda esse à Clericis ex bonis temporalibus, quando generaliter similibus bonis imposita sunt, uti sumitur ex *l. de his* 3. *Cod. de Episc. & Cleric. l. ad instructiones* 7. *& l. neminem* 11. *Cod. de SS. Eccl.* quibus accedit Epistola Valentiniani apud Theodoret. *lib.* 4. *Hist. capit.* 7. dicentis: *Episcopi vectigalia, ut Leges postulant, pensitare non recusant.* 3. *Ratio*; quia etsi ipsi Clerici sint exempti, bona tamen eorum temporalia sunt Civilia, & conf. subjecta Principibus temporalibus, qui licèt ipsimet Clericos, si Tributa dare renuerint, non possint cogere, ipsos tamen apud Judicem suum, i. e. Ecclesiasticum, convenire poterunt, & si hoc non sufficiat, ipsa bona occupare, non tam Jurisdictionis, quàm defensionis titulo, ne jure suo priventur, prout in multis Regnis fit, Pastoribus Ecclesiæ scientibus, & tacentibus.

Sed dicendum, Clericos etiam secundùm bona Patrimonialia eximi à tributis, & aliis oneribus non merè realibus, quæ non ex vi pacti, sive ex conventione partium, sed ex vi solius Jurisdictionis Lege publica, & ordinaria à Principibus Sæcularibus imponuntur. Ita Abb. *in c. Ecclesia* 10. *de Const. n.* 21. Sylv. *V. immunitas* 1. *num.* 9. Navar. *Man. c.* 17. *n.* 203. Less. *l.* 2. *de J. & J. cap.* 33. *num.* 18. Suarez *l.* 4. *de immunit. cap.* 24. *num.* 4. Laym. *l.* 4. *tract.* 9. *cap.* 6. *n.* 9. Sperell. *for. Eccl. decis.* 42. *n.* 10. Barbos. *l.* 1. *Jur. Eccl. cap.* 39. §. 5. *n.* 29. *& in c. non minùs* 4. *h. titul. n.* 6. Fagnan. *ibidem num.* 16. Gonzal. *num.* 10. Ranbeck *Panopl. D.* 3. *cap.* 1. §. 3. *num.* 6. Pignatell. *tom.* 2. *consult.* 54. *n.* 55. Illsung. *tr.* 5. *D.* 2. *n.* 275. Engl. *hic n.* 24. Pirh. *n.* 59. *& 66.* Scambog. *num.* 65. Konig. *num.* 21. Vviestner *num.* 194. Reiffenstuel. *n.* 248. & apud hos *Decius*, *Felinus*, *Bartolus*, *Paul. de Castro*, *Greg. Lop. Medin.* 27

Probatur Responsio ista 1. ex *c. non minùs* 4. *cap. adversùs* 7. *hoc tit. cap. quia nonnulli* 1. *eod. in* 6. *cap. quanquam* 4. *de Censib. in* 6. & præcipuè ex *Clem. un. eod.* quibus textibus expresè asseritur Clericis immunitas à tributis: & quamvis Gloss. *marg. in cap. quanquam cit.* excipiat res Patrimoniales, malè tamen has excipit; quia Jus inter has, & alias non distinguit; imò etiam Patrimoniales sub exemptione hac comprehendi clarè patet ex Bulla Urbani VIII. incipit *Romanus edita* 23. *Sept.* 1641. & teste Pignatell. *loc. cit.* decisum est sæpiùs à *S. Cong.* præsertim *in Tricariensi* 14. *Nov.* 1603. ibi, *Patrimonium Clerici est, exemptum instar bonorum Ecclesiasticorum.* 2. *Ex Jure Civili*, maximè Constitutione Friderici *Auth. item nulla Cod. de Episc. & Cleric.* quæ Clericos eximens universaliter loquitur de exactionibus, vectigalibus, angariis, & perangariis: sicque cæteris Legibus Civilibus, libertati Ecclesiasticæ adversantibus, derogavit. 3. *Ex Ratione*; nam tributa solvuntur in signum subjectionis, juxta illud Apostoli; *Subditi estote; ideo enim tributa præstatis. Rom.* 13. *v.* 6. ergo sicut Clerici exempti sunt à Jurisdictione potestatis Sæcularis, ita etiam ab onere solvendi tributa ex suis bonis. 4. *A pari*; si enim viri Nobiles in humana Rep. à tributis eximi solent, cur non magis eximantur personæ dicatæ Deo? 28

Neque obstat, quòd Clerici ea bona acceperint à Sæcularibus; nam cum persona possessoris mutatur etiam qualitas, seu conditio rei adhærentis personæ juxta illud; *Quæ Religiosis adhærent, Religiosa censentur*, ut habetur *l. quæ Religiosis* 42. *ff. de R. V. Conf.* nam dispositio Legis desinit obligare, cùm in eum casum devenit, in quo incipere non potuisset, dummodo eadem sit ratio. 29

non

non perseverandi, quæ erat non percipiendi; atqui Lege Principis non comprehenduntur bona, quæ tempore, quo Lex de tributo pendendo fertur, ad Ecclesiasticos pertinent; ergo nec illa comprehenduntur ampliùs, quæ dum sub dominio subditorum extiterunt, tributis erant obnoxia, & postea ad Ecclesiasticos pervenerunt; nam cessat tunc ratio, quare ante tributis obnoxia fuerint, nempe Jurisdictio in personam possidentis, & Domini. *Item non obstat*, quòd tributa etiam dari soleant in compensationem protectionis, qua à Principibus Sæcularibus fruuntur etiam Clerici; nam commoda hæc abunde compensantur per Spiritualia obsequia, quæ ipsi Principibus, & Reipublicæ Christianæ præstant.

30 Quæ in contrarium pro Ratione dubitandi afferuntur, non sunt efficacia. *Ad* 1. S. Ambrosius ibi loquitur de Laicis, & non de Clericis; subdit enim, *Tu, qui sæculi sequeris lucrum, sæculi obsequium non recognosces?* Vel si contendis, etiam de Clericis ibi sermonem esse, dici potest, sermonem esse duntaxat de Clericis negotiatoribus, quos respectu rerum, quibus negotiantur, à vectigalibus immunes non esse, *Tit. seq.* dicam. *Ad* 2. dicendum Leges illas Civiles per Constitutionem Friderici fuisse revocatas; vel potiùs eas semper fuisse invalidas; tum quia erant contra privilegia prius Ecclesiis concessa ab anterioribus Imperatoribus, quæ revocari non poterant; tum quia disponebant in materia Ecclesiastica, adeoque extra limites potestatis suæ, & in Ecclesiæ præjudicium, quod per Leges Civiles fieri non potest. Suarez *lib.* 4. *de immunit. cap.* 21. *num.* 16. Pirh. *hic num.* 70. *Ad* 3. persona Clerici non tantùm, ut Clericus est, sed etiam, ut Civis est, exempta est, igitur eodem modo etiam bona. Quod additur de occupatione bonorum, si Clerici tributa ex iis negent, dicendum, extra casum necessitatis hoc non licere Dominis, & Principibus temporalibus; & si alicubi, in contrarium viget consuetudo, nisi vel per Pontificem approbata sit, vel in aliqua exceptione Juris fundata, ex genere suo injusta est, tanquam Ecclesiasticæ libertati contraria.

Quæritur 5. an Clerici ex bonis suis concurrere debeant pro reparatione pontium, murorum, viarum, & in aliis publicis necessitatibus, ubi tam Clericorum, quàm Laicorum bonis æquale periculum est? Affirmant plures Juris Civilis Interpretes, quos *Gutierez, Gregorius Lopez, & Azor* referunt. *Fundantur* 1. *authoritate Legum*; nam *l. placet* 5. *& l. ad instructiones* 7. *Cod. de SS. Eccl. l. fin. Cod. de quibus muner. & præstat. l. ad portus Cod.* 7. *de operib. publ.* expresse decernitur Ecclesias pro instructione pontium, reparatione viarum &c. cogi tributum solvere; videturque hoc approbatum etiam de Jure Canonico, dum *Lex placet cit.* inserta est ejus Corpori *can. generaliter* 4. §. *placet caus.* 16. *quæst.* 1. 2. *Ratione*; quia hujusmodi contributiones neque exiguntur à Principe in suæ potestatis & superioritatis signum, neque ab Ecclesiis, & Clericis præstantur in subjectionis suæ recognitionem, sed solummodo pro necessitate, vel utilitate communi, quæ Clericos non minùs, quàm Laicos afficit. 3. Quia æquum est, ut qui sentit commodum, etiam onus sentiat. *Reg. qui sentit.* 55. *in* 6. atqui tam Clerici, quàm Laici fruuntur beneficio viarum, pontium, fontium &c. ergo æquum est, ut non minùs illi, quàm isti ad horum reparationem concurrant.

Sed utendum est dinctione; Vel enim necessitas, & utilitas hæc respicit commoda totius Reipublicæ, vel tantùm privatorum. *Si hoc secundum*, ut si agrorum ripæ adversùs vim fluminis muniendæ, si aperienda fossa, ut aquæ aliò deriventur, si ducendus rivus, quo prata irrigentur, si fodiendus puteus communis, aut fons per canales ducendus ad prædia, si via ante singulorum domus sternenda lapide, aut ad silvam, pascua &c. contribuere etiam Clerici debent pro rata, & quod necesse est ad succurrendum necessitati. Abb. *in cap. non minùs* 4. *hoc cit. num.* 20. Molin. *tract.* 2. *de J. & J. D.* 672. *num.* 4. *concl.* 1. *&* 2. Less. *lib.* 2. *de Just. cap.* 33. *dub.* 3. Salas *de Legib. quæst.* 96. *D.* 14. *sect.* 11. *num.* 115. Barbos. *lib.* 2. *Jur. Eccl. cap.* 3. *n.* 171. *& in cap.* 7. *hoc tit. num.* 4. Gonzal. *in cap.* 4. *cit. num.* 13. Pirhing. *hic n.* 79. Pignatel. *tom.* 1. *consult.* 50. *n.* 5. & hoc teste sæpiùs respondit *S. Congr. Immun.* atque hoc, non verò plùs, probant Argumenta sententiæ affirmativæ. Veruntamen in his casibus Sæculares non possunt Clericos per seipsos compellere ad contribuendum pro rata sua, sed debent id per Superiorem eorum efficere, ut contra Cæpol. *tit. de servit. viæ quæst.* 26. cum aliis recte advertit Gutier. *l.* 1. *pract. cap.* 3. *num.* 10. Imò si bona, seu prædia ad multos Ecclesiasticos pertineant, requiritur, ut contributio fiat cum consensu non solùm Laicorum, sed etiam Clericorum, habita deliberatione inter Episcopum, & Clerum; quia quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari. Abb. *loc. cit.* Molin. *concl.* 3. ubi additur, ad hujusmodi contributionem, quæ privatum commodum Ecclesiarum, & Clericorum respicit, non esse necessarium consensum Summi Pontificis. Pirhing *hic num.* 79. Schamb. *ibid. num.* 75.

33 *Si primum*, & necessitas respicit commoda totius Reipublicæ, ipsi Clerici in particulari, secluso consensu Pont. vel si hic adiri nequeat, Episcopi, & Cleri, hujusmodi contributiones solvere non tenentur; casu tamen, quo Pontifex, vel Episcopus judicat esse sufficientem causam, & necessitatem, debebunt consentire, & post consensum subvenire necessitati ex bonis suis. Ita Suar. *l.* 4. *de immunit. c.* 26. *num.* 15. Pal. *tr.* 12. *D. unic. p.* 9. *num.* 5. Barbos. *l.* 1. *Jur. Eccl. c.* 39. §. 5. *num.* 37. *& seqq.* & *in cap.* 2. *h. tit. n.* 7. Fagnan. *in cap. non minùs* 4. *h. tit. num.* 51. *& seqq.* Gonzal. *ibid. num.* 14. Pignatell. *cons.* 50. *cit. num.* 3. *&* 6. & *consult.* 101. *num.* 11. & hoc teste sæpiùs resolvit *Sacra Congr.*

34 Et quidem quòd ante consensum Pontificis, vel Episcopi non teneantur concurrere, sumitur ex *c. non minùs cit.* ubi talium onerum impositio Rectoribus, & Consulibus Civitatum prohibetur sub pœna excommunicationis. Idem traditur *c. adversùs* 7. *h. tit.* ubi subditur: *Propter imprudentiam tamen quorundam Romanus Pontifex priùs consulatur, cujus interest communibus utilitatibus providere. Ratio est*; quia non apparet titulus, ex quo ad hæc onera obligentur: non enim obligantur ad hoc Lege Sæculari; quia ab hac exempti sunt secundùm dicta: non ex pacto aliquo inter Clericos, & Laicos; quia nullum tale extat: non ratione Beneficii, quod publicis viis, & pontibus utendo percipiunt, quia præterquam quòd Beneficium hoc abunde compensent suis obsequiis, non sequitur, quòd si commune est Beneficium, etiam sumptus debeant esse communes: patet in militibus, & Magistratibus, qui ab his contributionibus communibus eximuntur. *Accedit*, quòd Summus Pontifex Clericis ob justam causam imponere tributum aliquod, quin etiam Episcopus Subsidium Charitativum possit: si ergo etiam deberent contribuere ad necessitates, vel utilitates publicas Civium, deterioris conditionis forent ipsi, quàm Laici, quippe qui duplici onere gravarentur, quod æquitati non satis convenit. *Proceditque hoc*, ut ne quidem contribuere teneantur ad hujusmodi necessitates etiam ex bonis suis Patrimonialibus; quia sunt accessoria ad personam Clerici, consequenter eandem cum hac exemptionem participant.

35 Quòd verò Pontifex, & Episcopus in casu sufficientis necessitatis teneantur consensum dare, colligitur ex textibus *n. præc.* allegatis: nam ibi eorum judicio res committitur; quod autem alicujus existimationi committitur, non relinquitur liberæ ejus voluntati, sed arctatur ad existimationem justam, & regulatam *arg. l. fideicommissa* 11. §. *quanquam* 7. *ff. de Legat.* 3. Ubi iterum notandum, casu, quo Pontifex, vel Episcopus judicaverint necessitatem esse tantam, ut Ecclesias, & Ecclesiasticos contribuere cogat, coactio istorum non fiat à Laicis, cùm contributiones istiusmodi non ut debitum, sed ut Beneficium considerare debeant, prout patet ex *c. adversùs cit.* ibi, *Humiliter, & devotè recipiant cum gratiarum actione.*

36 Ad Argumenta *n.* 31. allata facilis est responsio. *Ad* 1. dico illas Leges vel esse correctas per *Auth. item nulla cit.* vel semper fuisse irritas, præsertim quæ de Ecclesiis, & Ecclesiasticis personis expresse disponunt, ob defectum potestatis, & quia derogant Immunitati Ecclesiasticæ. Neque verum est, quòd dicta *l. placet* 5. *C. de SS. Eccl.* dum Gratianus illam inseruit Decreto suo, sit canonizata per Jus Canonicum, vel ab eo approbata; nam per hoc, quòd Decreto Gratiani inserta sit, aliam authoritatem non obtinuit, quàm priùs habebat. *Ad* 2. Clerici sublevare patriam debent, sed in Spiritualibus ministeriis Status sui propriis, ratione quorum exempti fuerunt à tributis, & exactionibus Sæcularium. Et retorquetur argumentum in Subsidio Charitativo, ad quod tenentur soli Clerici, quamvis etiam Laici sint membra Ecclesiæ loci. *Ad* 3. Regula, *Qui sentit &c.* vera est, quando illi, qui commodum sentiunt, non aliunde gravantur, propter quod æquum sit, ut in alio subleventur.

Quæritur 6. an tempore famis, & caritatis annonæ ad 37

ad frumentum, & alia victualia justo pretio vendenda cogi Clerici possint à potestate Sæculari? Affirmant nonnulli, & inter hos Curtell. *de Immun. Eccl. l.* 2. *q.* 9. *per totam* Villadieg. *in Polit. c.* 5. *num.* 90. Ortiz *in Summ. c.* 4. *nu.* 9. Valerus *different. utriusq. for. V. Clericus differ.* 3. Joan. Salas *tr. de empt. & vendit. dub.* 9. *num.* 2. apud Delben. *de Immun. c.* 9. *dub.* 14. *num.* 1. & videtur coactionem istam legitimare 1. ipsa necessitas, & utilitas publica, cui cedere bonum privatorum debet. 2. Obligatio juris naturalis, & Divini, quæ hoc casu Clericos ad succurrendum obstringit, ut adeo, si in hoc casu Principibus Laicis non obediant, mortaliter peccent.

38 Sed hujusmodi coactioni satis clarè resistit *c. non minùs* 4. & *c. adversùs* 7. *h. tit.* aliique his similes textus, cùm suprà allegata *Const. Urbani VIII.* & *Bull. Cæn. can.* 12. & ratio est; quia explorati juris est, quòd Clerici, cæteræque personæ Ecclesiasticæ Principum, aliorumque Magistratuum Sæcularium jurisdictioni, præsertim coactivæ, nequaquam subjiciantur *c. Ecclesia* 10. *de Constitut. c. fin. de reb. Eccl. non alien.* Non minùs prohibitus censeri debet violentus ingressus, & visitatio horreorum, & granariorum, præsertim quæ intra Ecclesiarum, & Monasteriorum ambitum sita sunt; quia Ecclesiæ, & Monasteria æquiparantur locis extra territorium jurisdictionis Sæcularis existentibus, & ipsorum res dispositioni Laicorum non subjiciuntur. Et hinc casu, quo tali necessitate urgente, frumentum, & alia victualia aliunde haberi non possunt, Sæcularis potestas debebit recurrere ad Episcopum, aliosque Superiores Ecclesiasticorum, per quos isti ad ea justo pretio vendenda compelli possunt. Atque ita docent Caball. *cent.* 1. *cas.* 9. *n.* 10. Ant. de Ripol. *resol. c.* 11. *de empt. & vendit. num.* 91. Molfes. *Summ. tom.* 2. *tr.* 12. *c.* 5. *num.* 85. Beller. *Disquis. Cleric. p.* 1. *titul.* 5. §. 2. *num.* 9. Madius *tr. de SS. Ordinib. c.* 14. §. 38. Duard. *in Bull. Cæn. l.* 2. *can.* 15. *q.* 17. *n.* 45. Guazzin. *reor. defens.* 20. *c.* 9. *n.* 10. Delben. *de Immun. c.* 9. *dub.* 14. *n.* 1. Vviestner *hic n.* 205. & alii communiter.

39 Exceptio tamen triplex est facienda. 1. Si id concessum sibi haberet Magistratus Sæcularis per Privilegium Apostolicum. 2. Si casu urgentis maximæ necessitatis Clerici à pauperibus rogati frumentum, & alia victualia vendere justo pretio recusarent, & potestas Ecclesiastica, à Sæculari debito modo requisita ad id faciendum, eos per sorditiem non compelleret. 3. Si tempore ejusdem necessitatis urgentis adiri non posset potestas Ecclesiastica. Nam in his casibus Magistratus Sæcularis, in primo quidem authoritate Pontificia, in duobus cæteris potestate extraordinaria, non jurisdictionis, quam in Ecclesiasticos nullam habet, sed justæ defensionis adversùs periculum, quod communitati ex fame imminet, posset frumentum ex horreis Ecclesiasticorum extrahere, & indigentibus justo pretio vendere. Delben. *l. cit. n.* 2. Vviest. *n.* 206. & in simili casu docet Sot. *in* 4. *dist.* 25. *q.* 2. *art.* 1. Molin. *tr.* 1. *de J. & J. D.* 31. *n.* 10.

40 Idem dicendum, quando Pestis grassatur; nam regulariter eo tempore Princeps Sæcularis non potest adstringere Clericos ad observanda ipsius banna, pro bono publico, & pro tuenda sanitate promulgata; sed debet Episcopos pro executione dictorum rogare. Quodsi verò isti non faciant, quia nolunt, vel quia non possunt e. g. ob absentiam suam, tum demum Princeps Laicus per Ministros suos exequi Statuta à se facta poterit, non tamen per modum jurisdictionis, ut dixi, sed potiùs per modum naturalis defensionis. Delben. *l. cit. n.* 7. & hoc teste declaravit *S. Congr. Card.* facto verbo cum Sanctissimo 21. *Jan.* 1531. Hinc idem Delben. *n.* 8. suadet, ut Episcopi tempore pestis vel potestatem suam in Ecclesiasticos, quantum ad arcendam contagionem, & conservandam sanitatem opus est, Magistratui Sæculari legent, vel Laicis sanitati præsidentibus adjungant Assessorem Ecclesiasticum, qui in Ecclesiasticos exercere jurisdictionem possit. Idemque dicendum in ordine ad vendendum frumentum tempore caritatis annonæ, & in omni alio simili casu.

41 Neque plus probant Argumenta *num.* 37. in contrarium allata. *Ad* 1. publica necessitas, præsertim quando periculum non est in mora, & Superior Ecclesiasticus nondum fuit in culpa, hoc operari nequit, ut Judici Sæculari, qui incapax est, tribuatur in Ecclesiasticos Jurisdictio, cùm isti per suos Judices ad succurrendum necessitati compelli possint. *Ad* 2. ex eo, quòd Ecclesiastici tali casu, non parentes Decreto Principis Sæcularis, peccent, solùm hoc sequitur, quòd ad id compelli possint per Judices suos, qui in ipsos jurisdictionem habent, non autem per Judices Sæculares, qui jurisdictionem in eos nec habent, nec possunt habere.

Quæritur 7. an sit contra Libertatem Ecclesiasticam impositio Gabellæ in venditione carnis, frumenti, vini &c. Negant repugnare Libertati Ecclesiasticæ Richard. *quod l.* 2. *q.* 30. Astens. *Summ. l.* 3. *tit.* 30. *art.* 4. Rosell. *V. pedagium num.* 17. Angel. *V. immunitas* 1. *p.* 6. *vers. quarto.* Rationem dant; quia Clericis directè non imponitur, cùm alibi hæc possint emere. *Sed contrarium*, quòd scilicet ejusmodi Gabellæ extra casum necessitatis illicitæ sint, & Libertati Ecclesiasticæ adversentur, est longè probabilius, nisi statuatur modus, quo Ecclesiasticis refectio fiat. Ita Azor. *p.* 2. *l.* 9. *c.* 12. *q.* 1. *vers. in dubium vocatur*. Hieron. Roderic. *compend. qq. Regul. res.* 63. *num.* 32. Barbos. *l.* 1. *Jur. Eccl. c.* 39. §. 5. *num.* 12. Portel. *in addit. ad Dub. Regul. V. tributum num.* 8. Pal. *tr.* 12. *D. un. p.* 9. *n.* 10. Sperell. *decis.* 37. *n.* 84. ex ratione; quia seclusa hac refectione, Ecclesiastici moraliter coguntur Gabellam solvere non minùs, quàm cogantur eam solvere Laici, utrique enim sine rerum ejusmodi emptione moraliter loquendo non possunt vivere. Dixi autem *extra casum necessitatis*; nam in casu necessitatis publicæ Princeps absque metu Censuræ, & violatæ Libertatis Ecclesiasticæ potest, uti vectigalia, ita & Gabellas Laicis, & Ecclesiasticis permistim imponere, modò in imponendis gabellis observet conditiones, quæ in imponendis vectigalibus, quæ Ecclesiasticos tangant, servari debent. Atque hinc 42

Difficultas est, quænam conditiones requirantur, ut Clerici, vel aliæ personæ Ecclesiasticæ sive Sæculares, sive Regulares teneantur, & licitè possint contribuere ad sublevandam necessitatem publicam? Resp. plures conditiones requisitæ ad licitam contributionem Clericorum præscribuntur, ut videre est *c. non minùs* 4. & *c. adversùs.* 7. *h. tit.* & notant DD. atque inter hos Vivian. *in c. non minùs cit. vers. potest tamen*, Gonzal. *ibid. n.* 14. & 15. Fagnan. *n.* 22. Vvagnereck *in c. adversùs cit. V. talliis not.* 1. & 2. Engl *hic n.* 27. Pith. *n.* 72. Schamb. *n.* 74. 43

1 Ut necessitas illa, vel utilitas sit communis Laicis, & Clericis *c. non minùs*, & *c. adversùs* ibi, *Ad relevandas communes utilitates, vel necessitates.* 2. Ut necessitas illa sit valde gravis, vel utilitas evidens, ut patet ex illis verbis, *Tantam necessitatem, & utilitatem perspexerint.* 3. Ut eidem necessitati relevandæ, Laicorum facultates non sufficiant, ibi, *Ubi Laicorum non suppetunt facultates.* 4. Ut priùs Episcopus, & Clericus simul deliberent, an, & quantum contribuendum sit, ibi, *Verùm si quando Episcopus simul cum Clericis.* Neque sufficit unius consensus sine altero; quia quod omnes tangit, ab omnibus approbandum est. *Reg.* 29. *in* 6. 5. Ut desuper consulatur etiam Summus Pontifex, ibi, *Propter imprudentiam tamen quorundam Romanus Pontifex prius consulatur, cujus interest communibus utilitatibus providere.* 6. Ut Contributiones ab Ecclesiasticis fiant spontè, & absque ulla coactione, vel exactione *c. non minùs* ibi, *absque ulla exactione*, & *c. adversùs* ibi, *absque ulla coactione*, sæcularium scilicet: & hinc *capit. adversùs* additur, *Humiliter, & cum gratiarum actione recipere*; quia quando Ecclesiæ, vel Clerici contribuunt pro necessitatibus Laicorum, illud faciunt ex gratia, & non debito. Abb. *in c. adversùs n.* 5. Pith. *l. cit. vers. quartò.*

Cæterùm, si una, vel plures ex prædictis conditionibus requisitis ad contributionem à Clericis faciendam Laicis desint, Clerici licitè, & illæsa conscientia non possunt contribuere Laicis; quia omnes prædictæ conditiones requiruntur copulativè, ut patet ex *c. non minùs* & *c. adversùs citt.* Neque verò Clerici huic privilegio exemptionis ab omnibus Collectis, & Exactionibus quibuscunque Sæcularium renuntiare possunt, quippe quod concessum est in favorem totius ordinis Clericalis *arg. si diligenti* 12. *de for. competent.* Pith. *n.* 72. *cit. vers. Cæterùm.* 44

Quæritur 8. quomodo conditiones istæ in praxi sint observandæ? Resp. resolutio hujus Quæstionis pendet maximè ex solutione triplicis dubii. 1. Quando censeantur Laicorum facultates non sufficere? 2. An inconsulto Pontifice, sufficiat consensus Episcopi, & Cleri? 3. Quid nomine Cleri intelligatur? 45

Ad 1. Suar. *l.* 4. *de Immun. c.* 26. *num.* 15. & Pal. *tr.* 12. *D. un. p.* 9. *n.* 6. putant, tunc censeri Laicorum facultates non suppetere, quando non suppetunt facultates communes Civitatis. Verùm Diana *V. gabellas imponere n.* 3. hanc interpretationem improbat; quia aliàs Cle-

Clerici talibus Gabellis, & Exactionibus ferè ſemper eſſent obnoxii, cùm Civitates in communi non ſint tam opulentæ, ut pro communibus neceſſitatibus ſufficiant: & ſic pari paſſu Eccleſiaſtici cum Laicis incederent, neque illi ſpeciale haberent privilegium. Putat ergo *Diana*, tunc cenſendum eſſe facultates Laicorum non ſufficere, quando non ſufficiunt facultates etiam ipſorum particularium, demptis iis, quæ neceſſaria ipſis ad ſtatum ſunt. Conſentiunt Marta *de Juriſdict. part.* 4. *cent.* 1. *caſ.* 2. *num.* 51. Leſſ. *lib.* 2. *de Juſt. cap.* 83. *dub.* 3. Gonzal. *in cap.* 4. *h. tit. num.* 14. *prop. fin.*

46 *Ad* 2. Conſenſum Epiſcopi, & Cleri, etiam ſine conſenſu Papæ, ſufficere affirmat *Pontius*: idque in Gallia defacto practicari dicit Rebuff. *tom.* 1. *ad Conſtit. Gall. tr. de Sentent. proviſ. art.* 3. *gloſſ.* 6. At Suar. *cap.* 26. *cit. num.* 17. & alii diſtinguunt: & quidem ſi adiri Pontifex poſſit, ajunt requiri etiam conſenſum illius, & ſine hoc Clericos ad hujuſmodi contributiones obligari non poſſe. Si verò adiri non poſſit commodè, & periculum ſit in mora, pro prima gabellæ, & onerum ejuſmodi impoſitione, & modica etiam duratione, dum Pontifex adiri poſſit, ſufficiet conſenſus Epiſcopi, & Cleri. Imò ut Laym. *l.* 4. *tr.* 9. *c.* 5. *n.* 7. advertit, ſi neceſſitas ſit nimis urgens, & directè bona Eccleſiarum, aut Eccleſiaſticorum ſpectet, ut ſi hoſtes infideles, aut hæretici regiones Catholicorum, in quibus ſunt prædia, & alia bona Eccleſiaſtica, devaſtent, aut niſi occurratur, devaſtaturi ſint, tali caſu ſpeciali non opus eſt, ut Pontifex priùs conſulatur, ſed naturali jure Clerici unà cum Laicis, præmiſſa tamen deliberatione ipſorum Clericorum, debebunt concurrere; quia ut Gloſſ. *in cap. non minùs cit*, ait, in neceſſitate privilegium ceſſat. Addidi *pro prima gabellæ impoſitione*; nam ſi diutiùs continuanda ſit, conſulendus poſteà Pontifex erit. Vvagnereck *in capit.* 7. *verſ. Romanus not.* 1. *hoc tit.*

47 *Ad* 3. variæ ſunt ſententiæ; nam Fagnan. *in capit. non minùs cit. num.* 24. requirit conſenſum totius Cleri, quia quod omnes tangit, debet ab omnibus peculiariter approbari *c. cùm omnes* 6. *de Conſtit.* Barboſa *ad Rubric. h. tit. n.* 7. ait, requiri ſaltem conſenſum Capitulorum, & Vicariorum Foraneorum Diœceſis. Pal. *tr.* 12. *D. unic. p.* 9. *num.* 8. dicit nomine Cleri intelligi probabiliter Capitulum Cathedrale: cui conſentit Suar. *c.* 26. *cit. num.* 16. ubi addit, probabiliter ſufficere, ſi conſentiat conſilium Officialium Epiſcopi, vel Clericorum, qui ad hoc deputati ſunt, ut Epiſcopus cum iis negotia Diœceſis graviora expediat. Quodſi Clerus renuat, non ſufficit, ſi conſentiat Epiſcopus; nam utriuſque judicium æquanimiter poſtulatur. Si Pontifex conſenſum neget, nullo modo Clerici ad ſolvendas ejuſmodi Contributiones cogi poſſunt; quia præſumendum eſt Pontificem judicaſſe, vel non eſſe ſufficientem neceſſitatem, vel Laicorum facultates ſufficere.

48 Quæritur 9. quando, ſecluſa neceſſitate publica, Collectæ, contributiones, & exactiones hujuſmodi à Principe, vel Magiſtratu Sæculari imponi poſſint Eccleſiis, vel perſonis Eccleſiaſticis? Reſp. tres caſus maximè referuntur.

1 Si Princeps, vel Dominus Sæcularis ex ſpeciali privilegio, vel cum licentia expreſſa Summi Pontificis jus habeat imponendi Clericis tales Collectas, vel contributiones. Barboſa *in cap. adverſus cit. num.* 3. Pirh. *hic num.* 74. Schambog. *num.* 75. Konig *num.* 29. & ſumitur ex *cap. adverſus citat.* ubi requiritur, ut Pontifex priùs conſulatur. ergo cum conſenſu illius, ac licentia poſſunt Collectæ hujuſmodi imponi Clericis, & ab illis exigi.

49 2 Si bona, quæ Eccleſia, vel perſonæ Eccleſiaſticæ poſſident à Principe, vel alio Domino Sæculari ſint data ipſis in Feudum; tunc enim Eccleſia quoad illa bona, non ut Eccleſia, ſed ut Laicus conſideratur, & cùm quoad illa bona non habeat privilegium fori, mirum etiam eſſe non debet, quòd ratione Jurium, & bonorum illorum etiam debeat contribuere. Piaſec. *prax. Epiſc. p.* 2. *c.* 4. *art.* 8. *n.* 6. cum citt.

3 Si bona immobilia, etiam non feudalia, Eccleſiæ ab initio in prima fundatione à Principe aliquo Sæculari donata fuerint, non liberè, ſed cum reſervatione juriſdictionis, & Juris imponendi, & exigendi ratione talium bonorum Collectas, & contributiones ſive antiquas, ſive novas, ordinarias, vel extraordinarias; nam talis conditio, vel pactio, cùm ſecundùm ſe, & ex objecto ſuo non ſit illicita, vel injuſta, omnino ſervanda eſt. Laym. *l.* 4. *tr.* 9. *c.* 5. *num.* 4.

Dubium moveri poteſt, an Principes Sæculares efficere tributaria poſſint prædia omnia, ſita in ſuo territorio, ita, ut cùm poſtea ad Eccleſias pervenerint, ſint obnoxia Collectis poſtea imponendis? Affirmat Bartol. *in l. reſcripto* 6. §. *fin. n.* 5. *ff. de muner.* Sed hanc doctrinam, tanquam falſam, & Eccleſiaſticæ Immunitati adverſam cum communi cæterorum reprobant Barboſ. *l. Jur. Eccl. cap.* 391. §. 5. *num.* 55. & *ſeqq.* Fagnan. *in cap. non minùs cit. num.* 10. & 11. Pirh. *hic num.* 56. *verſ. verùm*. Schamb. *ibid. num.* 62. Ratio eſt, quia ſic indirectè permitteretur contra Libertatem Eccleſiaſticam, quod directè omnino prohibitum eſt *c. quæ in Eccleſiarum* 7. *de Conſtit. Auth. caſſa C. de SS. Eccl.* 50

Neque refert, quòd prædia eo tempore, quo totum territorium efficitur tributarium, ſint ſub Juriſdictione talis Principis, conſ. & ipſa effici tributaria poſſint; nam hoc procedit tamdiu tantùm, quamdiu capacia ſunt onerum, quæ ex vi Juriſdictionis eiſdem imponuntur. atqui quamprimum ad Eccleſiaſticos tranſeunt, niſi pacto ſpeciali hoc exprimatur, ut dictum eſt *num. præced.* ſubducuntur ex Juriſdictione Sæculari, conſ. incapacia fiunt onerum, quæ imponuntur ex iſto titulo. ergo &c.

Quæritur 10. quinam Immunitate reali hactenus declarata, gaudeant? *Certum eſt* 1. ea de jure gaudere *Eccleſias*, *Monaſteria*, cæteraque *Sacra*, & *Religioſa Loca*. 2. *Regulares utriuſque ſexus*: etiam Novitios; quia ſunt pars Communitatis Religioſæ, & ſunt in via, ut perfectè, & indiſſolubiliter eidem uniantur. Et extenditur Immunitas hæc etiam ad Oblatos Religionum, qui habent obligationem ſerviendi in perpetuum alicui Ordini, etſi non ſint Religioſi. Item ad FF. & Sorores tertii Ordinis S. Franciſci, qui in communitate Religioſè vivunt. Nec non ad Commendatarios, & Equites Ordinum Militarium, ut tradit Rodriq. *tom.* 2. *quæſt.* 65. *art.* 14. 3. *Clericos*, etiam in Minoribus conſtitutos, aut prima ſolùm tonſura initiatos, ſi conjugati non ſint, & à negotiatione Clericis prohibita abſtineant. *Proceditque* hoc etiam de iis Clericis, qui in minoribus conſtituti, conditionibus, quas Trident. *ſeſſ.* 23. *cap.* 6. *de reform.* ad hoc, ut privilegio Fori Eccleſiaſtici gaudeant, deſtituuntur, nam hoc Decretum, utpote odioſum, ſicut ad Canonis, ita ad alia quoque privilegia Clericorum non extenditur. Molin. *tract.* 2. *de J. & J. D.* 671. *num.* 5. Barboſ. *l.* 1. *Jur. Eccl. cap.* 39. §. 5. *num.* 15. & *in ead. adverſus* 7. *h. tit. num.* 7. Vvagnereck *ibid. V. Eccleſiaſticos viros not.* 1. Fagnan. *in capit. pervenit* 2. *eodem num.* 15. Pirh. *hic num.* 86. Vvieſtner *ibid. num.* 207. Monacell. *p.* 2. *tit.* 15. *form.* 4. *num.* 4. & hoc teſte ſæpius declaratum eſt *à S. Congr. Excipiuntur* in Eccleſia Latina Clerici conjugati, etiam cum unica, eaque virgine, qui immunitate à tributis non gaudent *cap. unic.* & *ibi* Gloſſ. *V. in cæteris de Cleric. conjug. in* 6. Aliud eſt de Clericis Græcis, ſive Eccleſiæ Orientalis, qui utuntur Matrimonio, cum unica, & virgine contracto; ii enim quoad omnia habentur pro Clericis, adeoque omnibus privilegiis gaudent, & etiam uxores illorum. Barboſ. §. 5. *cit. num.* 19. 51

Controverſia eſt de colonis, Eccleſiarum, vel Eccleſiaſticorum, non quidem illis, qui perpetuò adſcripti ſunt glebæ, ſeu fundo colendo; nam cùm horum non ſint fructus, non eſt, quòd propter ipſos tributis, & Collectis graventur fundi, & prædia Eccleſiarum, vel Eccleſiaſticorum: ſed de *Partiariis*, ſeu iis, qui pro certa parte fructuum agros colunt. Multi cum Sylv. *V. Excommunicatio* 9. *num.* 48. Remig. de Gonny *tract. de Charit. Subſid. quæſt.* 61. *num.* 20. & *ſeq.* Boer. *dec.* 215. *num.* 19. Caroc. *de locat. p.* 4. *quæſt.* 25. *de collect. num.* 34. 35. & 43. Menoch. *de arbitr. caſ.* 562. *numer.* 21. & 33. Barboſa *l.* 1. *jur. Eccl. cap.* 39. §. 5. *num.* 30. Pirh. *hic num.* 88. Vvieſt. *num.* 208. & aliis apud Sperell. *deciſ.* 41. *numer.* 42. diſtinguunt, & dicunt colonos partiarios ab hujuſmodi tributis, & oneribus abſolvi quidem quoad partem fructuum præſtandam Eccleſiæ, iiſdem tamen oneribus ſubjici quoad partem colonicam, ſeu illam, quæ ex conventione ipſis remanet. 52

Fundantur 1. quia ſeparatorum ſeparata debet eſſe ratio. igitur cùm portio fructuum colonica, ut ſeparata à portione debita Eccleſiæ, vel Eccleſiaſticis, ſit aliquid merè temporale, ratione illius collectari colonus poterit, ſicut & decimari pro fructuum portione ad ſe ſpectante. 2. exemptio à vectigalibus non tranſit in emptorem. ergo nec in colonum pro portione colonica. 3. privilegium immunitatis eſt ſtricti juris, & ſtrictè interpretandum. igitur cum loquatur de ſolis Clericis, ad colonum extendi non debet. 4. 53

colo-

coloni dicuntur negotiari, & quodammodo suis laboribus, & impensis emere partem colonicam fructuum. ergo sicut Clerici negotiatores, ita, & multo magis coloni subjacebunt collectis. 5. Immunitas, Ecclesiasticis prædiis concessa, personalis est. igitur personam Clerici non egreditur, neque ad colonos transit. 6. mutata conditione personæ, etiam censetur mutata conditio bonorum, & consf. privilegium extinctum. talis mutatio fit quoad partem colonicam. ergo &c. 7. emphyteuta Ecclesiæ tenetur ad collectas, licèt dominium directum sit penes Ecclesiam. ergo multo magis colonus. 8. si res communis, & à Clerico, ac Laico pro indiviso possessa vendatur alteri, Laicus tenetur pro rata pretii ipsum tangente solvere gabellam, quamvis pro alia rata Clericus sit exemptus. ergo etiam ad collectas tenebitur colonus pro sua parte fructuum, licèt pro sua parte immunis sit Clericus. 9. coloni Ecclesiarum sunt de Jurisdictione Principis Sæcularis, ac de illius foro, ita, ut Clerici eorum domini, si velint contra ipsos agere pro ipsa terrarum locatione, & societate, seu colonia, teneantur sequi forum illorum Laicum. igitur mirum etiam esse non debet, quòd debeant pro portione sua etiam ferre onera, quibus alii Laici subjecti sunt. 10. coloni prædicti ligantur legibus Laicorum, & hinc contra Statutum loci non possunt extra territorium asportare frumentum, tenentur solvere gabellam ad portam civitatis, quando portionem colonicam, ex bonis Ecclesiasticis, sibi debitam, deferunt, & puniuntur, si contravenerint edictis Principis, tempore pestis editis.

54 Sed verius est colonos Ecclesiæ, vel personarum Ecclesiasticarum ad collectas, & similia onera Laicalia non posse compelli ratione etiam portionis suæ colonicæ. Ita Bartol. *in l. placet in fin. C. de SS. Eccl.* Abb. *l. 1. consf. 9.* Gratus *l. 1. consf.* 130. Natt. *consf. 409. per totum.* Bursat. *l. 1. consf. 25. per tot.* Decian. *l. 3. consf.* 51. *num.* 42. Castrensf. *consf.* 740. *n.* 5. *& seqq.* Capic. *decisf.* 12. *fin.* Surd. *consf.* 301. *n.* 79. Lotter. *de re Benef. q.* 31. *num.* 46. Sperell. *decisf.* 41. *num.* 84. ubi triginta octo pro hac sententia DD. refert, & ipsam *Rotam*, & addit *n.* 85. temerarium fore ab hac opinione in consulendo, & judicando recedere; tum quia magis communis est, tum quia melioribus fulcitur rationibus, imò authoritate juris *l. omnis 2. §. verùm 1. C. de Episc. & Cleric. ostenditur.* 1. quia onera ista, cùm imponantur personæ pro rebus, sunt onera mixta, & personam quidem habent pro forma, rem verò pro materia. consf. ad hujusmodi onerum impositionem non tantùm persona, sed etiam res subjecta esse debet Jurisdictioni Principis imponentis. atqui in casu nostro ex parte rei, seu prædii Ecclesiastici est incapacitas. ergo &c. 2. si collectari coloni possent, deberent collectari ita, ut non inde gravaretur Ecclesia, vel Ecclesiastici prædii ipsis locati domini. atqui hi exinde jam gravarentur saltem indirectè; cùm enim portio colonica colono detur in compensationem sumptuum, & mercedem laboris, in colendo prædio impensi, ut hæc justa sit, deberet augeri portio tantum, quantum per collectas decedit colono, & sic onus collectarum potiùs Dominum Ecclesiasticum, quàm colonum premeret. 3. si coloni immunes sint ab hujusmodi oneribus, meliori conditione conducunt Clericorum prædia, & tanto magis vacant colendo fundo, quanto minùs oneribus publicis distrahuntur: quam utilitatem tollere, cùm pretio illa sit æstimabilis, est indirectè onerare Ecclesiam, vel Ecclesiasticos, sed quod directè concedi nequit, nec per indirectum debet permitti. ergo &c. 4. in complexis immunitas concessa uni prodest etiam alteri. atqui casus præsens absque dubio in complexis versatur, cùm & coloni, & boves illius ordinati sint ad culturam, quæ ob illorum impedimentum, dum oneribus publicis distrahuntur, pati jacturam potest. 5. Contractus, inter Clericum, ejusque colonum partiarim initus, est contractus societatis. Bartol. *in l. si merces §. vis major ff. locat.* Ecclesia enim ponit prædia, colonus verò semina, animalia, & operas, ut fructus inde nascentes æqualiter dividantur. atqui immunitas concessa uni ex sociis, communicatur etiam alteri, & ubi onus non contingit ex actu separato, sed ex ipso contractu, socius fruitur privilegio Socii, ut cum *Gloss. Ceph. Grat. Natt. Schrader.* advertit Sperell. *dec. cit. num.* 76. *&* 72. ergo & colonus fruetur privilegio Ecclesiæ, cujus colonus est.

55 Neque contrarium efficaciter probant Argumenta *n.* 53. allata. *Ad* 1. Argumentum illud fortassis procedit de onere imposito super fructibus à solo separatis, quos quia à Clericorum agris dependentiam nullam habent, sed patrimonium Colonorum effecti sunt, hujusmodi oneribus gravari posse concedunt aliqui, quamvis non ex mente *Sacræ Congr. sup. controv. Jurisdictional.* apud Sperell. *l. cit. num.* 4. in præsenti quæstione sermo est de fructibus nondum separatis à fundo, super quibus onerari colonus non potest, nisi per indirectum etiam oneretur Ecclesia. Ad id, quod additur de Decimis, negatur paritas; quia Decimæ prædiales sunt onus merè reale, onus collectarum verò, & similium est onus mixtum, & secundùm dicta *num. præc.* exigit, ut non tantùm persona, sed etiam res jurisdictioni imponentis subjecta sit. *Ad* 2. negatur *Ant.* nam contrarium docent *Bald. Imol. Menoch.* & alii apud Sperell. *num.* 7. & meritò; nam si emptor à Gabella immunis non esset, per indirectum gravaretur Clericus venditor, & cogeretur rem viliùs vendere, utpote quæ minùs æstimabilis est subjecta, quàm absoluta ab his oneribus. *Ad* 3. Immunitas Ecclesiastica concessa est favore Ecclesiæ, & personarum Ecclesiasticarum, cujusmodi privilegia non strictæ, sed latæ interpretationis sunt. *Ad* 4. Immunitatem amittunt Clerici tantùm illi, qui exercent negotiationem illicitam contra SS. Canonum instituta: qualis non est, quæ instituitur inter Clericum locatorem, & colonum conductorem. *Ad* 5. onera, de quibus in præsenti sermo est, sunt onera mixta, quia indicuntur personæ pro rebus. ad hæc onera, ut quis obligetur, requiritur, ut tam persona, quàm res Jurisdictioni imponentis subjectæ sint. *Ad* 6. tum dicetur mutata persona, quando prædium ipsum ad manus Laicas devenit, vel quando onus nullatenus influit in dominos colonorum, & prædia eorum. *Ad* 7. negativam defendi *suprà Tit.* 18. *de Locat. & conduct. numer.* 118. & esto verum esset *Ant.* disparitas inter colonum, & emphyteutam est; quia hic possidet pro suo, & habet fructus jure proprio, colonus autem possidet pro domino, ipse verò nec naturalem, nec civilem possessionem habet. *Ad* 8. etsi socius ex rei communis venditione solvat Gabellam, per hoc tamen Ecclesia nec directè, nec indirectè tangitur, sicut tamen saltem indirectè secundùm dicta *num. præced.* tangeretur, si colonus ejus obligaretur ad onera civilia pro parte sua colonica. *Ad* 9. argumentum tantùm probat, quòd colonus Ecclesiæ secundùm personam suam, & res proprias subjaceat Jurisdictioni sæculari; ex hoc autem, quòd personam Princeps sibi subjectam habeat, non sequitur, quòd etiam supponere Jurisdictioni possit rem exemptam, in cujus possessione est persona non exempta. *Ad* 10. eatenus coloni ligantur Statutis Laicis, quatenus inde per indirectum non resultat dominorum læsio, sicut fit in exemplis allatis. aliàs secus; quia uno prohibito, censentur omnia prohibita, per quæ ad illud pervenitur *l. oratio 16. ff. de Sponsal. l. eos 26. in fin. C. de Usur. l. pupillus. 5. §. sed si per interpositam 3. ff. de auth. & consensf. tutor.*

Quæritur 11. quo Jure Ecclesiarum, & Ecclesiasticorum Immunitas sit introducta? *Jure Divino* introductam affirmant Laym. *l.* 4. *tr.* 9. *c.* 8. *num.* 1. Barbos. *l. 1. Jur. Eccl. c.* 39. §. 5. *num.* 5. Fagnan. *in c. non minùs 4. h. titul. num.* 4. Delben. *de Immunit. tom. 1. cap. 5. dub.* 8. *per totum*, Pignatell. *tom.* 1. *consult.* 49. *num.* 1. Emman. Correa *Idea Consiliar. D.* 6. *num.* 1659. *& seqq.* Engl *hic num.* 23. Konig *ibid. n.* 20. & apud hos plures alii. *Moventur.* 1. textu *c. quanquam 4. De Censib. in* 6. ubi Bonifacius VIII. pronuntiat, quòd *Ecclesiæ, Ecclesiasticæque personæ, ac res ipsarum non solùm jure humano, quin imò & Divino à sæcularium personarum exactionibus sint immunes.* 2. Trid. *sesf.* 25. *c.* 20. *de reform.* ubi *Ecclesiæ, & personarum Ecclesiasticarum immunitas DEI ordinatione, & Canonicis sanctionibus* dicitur *constituta.* 3. verbis Christi, *ergo liberi* (à tributo, & censu) *sunt filii.* Matth. 17. *v.* 25. h. e. Regum, & multo magis DEI: quales non solùm Christus, sed ejus etiam familiares Clerici sunt juxta illud, *Ego dixi, Dii estis, & filii Excelsi omnes.* Psal. 81. *v.* 6. 4. ratione; quia si Immunitas non Divino, sed humano duntaxat jure constituta fuisset, Lege, vel consuetudine contraria tolli posset: quod tamen communis sententia TT. & Canonistarum negat. 56

Contra humano duntaxat jure introductam contendunt Alciat. *in cap. cùm non ab homine col.* 2. *de Judic.* Carol. Molinæus *in addit. ad Consf. Alex.* 8. *lib.* 1. Medin. *C. de restitut. quæst.* 15. Farin. *prax. crim. quæst.* 8. *num.* 2. *versf. limita* 1. *in fin.* Dian. *p.* 1. *tract.* 2. *resol.* 1. Gonzal. *in cap.* 4. *h. tit. num.* 8. & alii ab his *citt. Nituntur* unico fundamento; quia in nova lege ne Jota quidem extat, quo res, & bona Ecclesiastica à Laicorum Jurisdictione, exactionibus &c. libera pronuntientur: imò in primitiva Ecclesia his obnoxia fuisse constat 57

ex

ex generalibus Christi verbis, *Reddite ergo* (scilicet numisma tributi, & census) *quæ sunt Cæsaris, Cæsari.* Matth. 22. v. 21.

58 Tenenda via media, & dicendum Immunitatem hanc constitutam ordinatione DEI, imò jure naturali originaliter, quatenus Divinum, & Naturale Jus dictat, Ecclesias, & Ecclesiasticas personas, tanquam res Deo specialiter consecratas, cum rebus suis à sæculari potestate eximendas; humano autem perfectivè, quatenus hoc privilegium immediatè à Papa, & Imperatoribus constitutum est, ut cum Innoc. *in c. siquis 2. de major. & obed.* tradunt Covar. *pract. qq. cap.* 31. *n.* 2. Molin. *tract.* 1. *de J. & J. D.* 31. *n.* 6. & 7. Less. *l.* 2. *de Just. c.* 31. *n.* 2. Pal. *tract.* 12. *D. un. p.* 1. *num.* 5. Vviestner *hic n.* 211.

59 Neque contrarium probant Argumenta primæ sententiæ. *Ad* 1. & 2. dico, textus illos explicandos in sensu mox datæ responsionis. *Ad* 3. verba illa Christi solùm ipsum, tanquam Filium Dei naturalem, & ex speciali privilegio S. Petrum, tanquam ejus in terris Vicarium spectant; non verò reliquos Christi Discipulos, & Clericos universos; quod satis ex eo constat, quia staterem, in ore piscis inventum, pro solo se, & Petro, & non pro reliquis Discipulis dari jussit, inter quos tamen nullum faciendum fuisset discrimen, si omnes à Censu, seu Tributo pendendo Jure Divino fuissent immunes. *Ad* 4. consuetudo immunitatem abrogans apertè inducit gravamen Ecclesiæ, eidemque hæc apertè resistit, igitur legitima esse non potest.

60 Quæritur 12. quæ pœna statuta sit violantibus Immunitatem, seu Libertatem Ecclesiasticam circa exactiones, & alia civilia onera? Resp. est excommunicatio major. Et hanc ipso jure, & facto incurrunt 1. qui hujusmodi Collectas, & exactiones exigunt, vel imponunt Ecclesiis, aut personis Ecclesiasticis, si postquam commoniti fuerint, desistere noluerint, nec communioni fidelium restitui debent, donec satisfactionem fecerint competentem *c. non minùs* 4. *vers. si autem h. tit.* ubi eadem excommunicationis pœna extenditur etiam ad fautores illorum. Gloss. *in cap. cit.* Abb. *ibid. n.* 7. & 9. Fagnan. *n.* 36. Zoes. *hic n.* 3. Honor. *n.* 28. & 29. Pirh. *n.* 90. Schamb. *n.* 76. & renovatum est in *Bulla Cœnæ*, ut notat Pirh. *n.* 94. Et quia fraus, & dolus alicui patrocinari non debet, excommunicatus ob prædicta, talis manet, etiam post depositum officium, nisi satisfecerit *cap. adversùs* 7. *eod. vers. propter imprudentiam.*

61 2 Eandem excommunicationem incurrit etiam Successor in officio, nisi satisfecerit intra mensem, & ista censura irretitus manet, donec satisfecerit competenter *cap. adversùs cit. in fin.* ubi etiam ratio redditur, quòd *succedat in onere, qui in honore substituitur.* Abb. *in c. cit. num.* 3. & 8. Vivian. *ibid. vers. Rectores*, Gonzal. *n.* 2. Honor. *n.* 31. Pirh. *num.* 91. & alii passim. Discrimen tamen faciendum est inter ipsum collectantem, & inter successorem ipsius; nam *prior* tenetur satisfacere, etiamsi commoditas proveniens ex delicto non ipsi, sed Universitati, vel Domino cesserit, ita, ut si non possit inducere Universitatem, vel Dominum ad satisfaciendum, ipse de suo satisfacere teneatur; quia non debuisset ad hoc præstare auxilium, vel consilium. Abb. *l. cit. nu.* 9. Pirh. *num.* 91. *not.* 1. & colligitur ex *cap. adversùs citat.* At *posterior* ex bonis propriis satisfacere non tenetur, cùm ipse non deliquerit, nec aliquid ex Collectis, ab Ecclesia datis, usurpaverit: adeoque si intra mensem non potuerit satisfactionem procurare ab Universitate, vel Domino, non incurret excommunicationem, utpote quæ ob solum delictum fertur, quòd in hoc casu nullum est. *Excipitur*, si successor in officio etiam sit hæres antecessoris, qui Collectam imposuit; nam hic teneretur ad satisfactionem præstandam Ecclesiæ, quæ damnum passa est in impositione Collectæ. Suar. *de Censur. D.* 21. *sect.* 2. *num.* 101. *in fin.* Barbosa *in cap. adversùs cit. num.* 5. Pirhing. *num.* 91. *not.* 2.

62 3. Constitutiones, & Sententiæ, quæ à collectantibus Ecclesiasticos, & Clericos, ac compellentibus ad contribuendum, etiam pro necessitatibus communibus, sunt editæ, ipso Jure sunt irritæ, nec ullo unquam tempore valituræ *c. adversùs cit.* quia *ea, quæ fiunt à Judice, si ad ejus non spectant officium, viribus non subsistunt*, ut habet *Reg.* 26. *in* 6. Vivian. *in c. adversùs cit. vers. sententiæ*, Gonzal. *ibid. n.* 2. Honor. *n.* 30. & 35. Pirh. *n.* 90. Schamb. *n.* 76. Konig *n.* 28. Imò Prælati, & personæ Ecclesiasticæ hujusmodi Collectas quocunque colore mutui, subventionis, subsidii, vel quovis alio prohibentur solvere, aut solutionem earum permittere absque authoritate Sedis Apostolicæ, sub pœna excommunicationis, vel si Universitates sint, Interdicti ipso facto incurrenda, à qua nullus absolvi possit, præterquam in articulo mortis, absque speciali ejusdem Sedis licentia *c. Clericis* 3. *h. tit. in* 6. quod tamen *Extrav. un. int. comm. h. tit.* à Benedicto XI. restrictum est solùm ad eos, qui sponte hujusmodi Collectas dederint.

4. Similiter excommunicationem ipso facto incurrunt Judices Sæculares, ac Domini temporales, & alii, qui eos, qui ita volunt, impediunt, ne super causis, quæ ad forum Ecclesiasticum de Jure, vel consuetudine pertinent, litteras à Sede Apostolica impetrent, vel super ipsis coram Ordinariis, vel Delegatis litigent: ideoque hujusmodi litigantes, vel litigare volentes super dictis causis Ecclesiasticis, per se, vel per alios ad desistendum à lite, vel ad litigandum in foro Sæculari capiendo illos, vel res eorum, aut propinquos, vel aliis modis quibuscunque compellunt, aut compelli faciunt, seu procurant, vel ad prædicta facienda auxilium, consilium, vel favorem dant; à qua excommunicatione nullatenus absolvi possunt, nisi priùs tam Judici Ecclesiastico, cujus cognitio fuit impedita, quàm parti, quæ turbata fuit in prosecutione juris sui, de injuria, damnis, expensis, & interesse integrè satisfactum fuerit *c. quoniam* 4. *h. tit.* Et hæc excommunicatio inclusa est in *Censura* 13. & 14. *Bullæ Cœnæ*, quæ est contra impedientes Jurisdictionem Ecclesiasticam, & Ecclesiasticos Judices illa utentes, ut notat Suar. *D.* 23. *de Censur. sect.* 4. *n.* 4. & hinc est reservata Papæ. Pirh. *n.* 95. 63

5 Denique excommunicationem ipso facto incurrunt ii, qui temporale dominium obtinent, si suis subditis prohibeant, ne Prælatis, aut Clericis, seu personis Ecclesiasticis quidquam vendant, aut emant aliquid ab eisdem, vel bladum, seu frumentum molant, panem coquant, aut alia obsequia exhibeant; quia talia in derogationem Ecclesiasticæ Libertatis præsumuntur *c. fin. h. tit. in* 6. Suar. *D.* 21. *de Censur. sect.* 2. *n.* 93. *fin.* Passerin. *in c. fin. cit. n.* 2. Pirh. *hic n.* 96. Et hæc excommunicatio etiam lata est *in Bulla Cœn. can.* 15. & Papæ reservata, ubi tamen solùm excommunicantur facientes, vel servantes Statuta Ecclesiasticæ Libertati contraria: conf. qui sine Lege, vel Statuto prædicta obsequia prohibent exhiberi Clericis, incurrunt quidem excommunicationem *cap. fin. cit.* non tamen reservatam. Pirh. *n.* 96. *cit. in fin.* 64

Ex quo sequitur non posse Ecclesiasticos prohiberi, ne vendant etiam minutim panem, & vinum; & si vendant, non obligari illos posse ad solutionem vectigalium, si ea colligant à suis bonis Patrimonialibus, aut Beneficialibus, prout expressè statutum est *Clem. fin. de Censib.* & est certa sententia TT. Canonistarum, & jurisconsultorum à nemine ex Catholicis impugnata, teste Pignatello *tom.* 2. *consult.* 34. *n.* 1. Imo P. Konig *hic n.* 30. cum aliis veriùs judicat, ex bonis Clericorum emigrantium, & ex hæreditatibus, Legatis, aut donationibus, quæ ad Clericos, Ecclesias, aut causas pias perveniunt, & extra territorium transportantur, non deberi impositiones illas, quas nos Germani vulgo *Ilbzug*, *Fachsteur*, *Ilbfarht*, *Fachschoss* appellamus; quia revera sunt onus mixtum, & extraordinarium, ad qualia onera secundùm hactenus disputata Ecclesiæ, & Ecclesiasticæ personæ obligari non possunt. 65

§. II.

De Immunitate Locali, & præcipuè de Jure Asyli.

S U M M A R I U M.

77 *Placitum non potest fieri in Ecclesia.*
78 *Vel ejus Domibus.*
79 *A Judice Sæculari; secus ab Ecclesiastico.*
80 *Quid veniat nomine Placiti.*
81 *In Ecclesia etiam non potest exerceri Mercatus.*
82 *Excipitur venditio candelarum, & aliarum rerum pietati inservientium.*
83 *Ibidem prohibentur Concilia Universitatum, & Parlamenta.*
84 *Ludi Theatrales, & asservatio supellectilium.*
85 *Convivia, & alii actus profani.*
86 *Non potest Ecclesia converti ad usus belli, & ædificari in modum Castri.*
87 *Ipsa, & Monasteria immunes sunt ab onere hospitandi.*
88 *Quid sit Jus Asyli, sive Asylia?*
89 *An bene, præsertim tam amplum sit constitutum?*
90 *Affirmativa defenditur.*
91 *Respondetur ad Argumenta contraria.*
92 *Quo jure privilegium Asyliæ competat Locis Sacris?*
93 94 *Defenditur, quod competat solùm jure humano.*
95 *Respondetur ad Argumenta contraria.*
96 *An Constitutio Gregorii XIV. locum habeat in omnibus Provinciis?*
97 *Deciditur pro Affirmativa.*
98 *Solvuntur Objectiones.*
99 *An hoc jus Asyliæ per consuetudinem tolli, vel diminui possit?*
100 *Concluditur pro Patre affirmante.*
101 *Diluuntur argumenta opposita.*
102 *An privilegium Asyli sit strictæ, vel latæ interpretationis?*
103 *Defenditur, quòd sit Interpretationis latæ.*
104 *Respondetur ad argumenta Sententiæ adversæ.*
105 *An cùm jus Civile, & Canonicum in Casu immunitatis non concordant, interpretatio sit facienda secundùm Jus Canonicum, an verò secundùm Civile?*
106 *Quid, si dubium sit Jus Canonicum?*

66 RAtione Immunitatis Localis duo Ecclesiis, & cæteris locis Sacris Privilegia competunt: *primum est*, quòd ob reverentiam, hujusmodi locis debitam, certi quidam actus in iisdem exerceri prohibeantur. *Alterum*, quòd ad se confugientibus Asylum præbeant. Actus, qui in Ecclesia fieri prohibentur, sunt duplicis generis; nam alii sunt actus peccaminosi, ut homicidium, effusio sanguinis, aut seminis humani, sepultura Infidelis, aut fidelis excommunicati &c. quibus polluitur Ecclesia secundùm dicta *Tit.* 40. *à n.* 63. Alii verò sunt actus per se liciti, sed qui in Ecclesia ob specialem ejus Sanctitatem exerceri prohibentur.

67 Quæritur 1. an omne opus profanum, in Templo factum, sit contra Sanctitatem loci, & speciem Sacrilegii contrahat? *Distinguunt* aliqui inter actus peccaminosos, & non peccaminosos: & *peccaminosos* quidem, si in Ecclesia fiant, omnes dicunt ex ipsa natura rei Sacrilegium esse; eos verò *actus*, *qui peccaminosi non sunt* extra Ecclesiam facti, si fiant in Ecclesia, aliquos esse Sacrilegia ex prohibitione speciali Ecclesiæ, aliquos ex natura rei. Citantur pro hac sententia Sylv. *V. Confessio* 1. *quæst.* 10. Cordub. *Summ.* q. 190. Medin. *C. de Confess. q. de circumst. loc. Sacr.* Antonin. 3. *p. tit.* 14. *cap.* 19. §. 7. aitque Suar. *l.* 3. *c.* 2. *num.* 8. sententiam hanc magis ad veritatem accedere. Pars ultima hujus sententiæ infert primam; nam si aliqui actus, qui si fierent extra Ecclesiam, mali non essent, ob loci Sacri reverentiam Sacrilegi fiunt ex natura rei, multo magis Sacrilegia erunt peccata in Ecclesia facta; magis enim opponuntur reverentiæ debitæ loco Sacro.

68 *Contra* alii absolute negant, ullum actum profanum, etiam peccaminosum, seclusa formali intentione operantis, ex natura sua opponi Sanctitati loci, sed siqua actio speciem Sacrilegii aliam, quàm ex intentione operantis habet, eam accipere non ex natura sua, sed ex positiva Lege Ecclesiæ, actum illum specialiter prohibentis. Citantur pro hac sententia Cajetan. 2. 2. *q.* 99. *ad* 5. *dub.* Sot. *l.* 2. *de Just. q.* 4. *art.* 4. §. *sed ait.* Victoria *in Summ.* 4. *q.* 169. Angles *in Flor. q.* 9. *diff. an locus Sacr.* Navar. *Man. c.* 6. *num.* 11. §. *sextò*, Gutier. *l.* 1. *qq. c.* 31. *num.* 35. Sanch. *l.* 9. *de Matr. D.* 37. *num.* 15. & apud hos alii. *Rationem dant*; quia non omne peccatum, in Ecclesia commissum, est Sacrilegium, sed aliqua quidem speciem Sacrilegii habent, ut pollui in Ecclesia, fornicari, vulnerare alium, aut occidere &c. aliqua verò non sunt Sacrilegium, ut mentiri, dare alapam alteri &c. atqui non est ratio ex natura rei, cur illi potiùs actus sint Sacrilegium, quàm hi; quia si spectetur actuum ipsorum natura, non minùs posteriores Sanctitatem loci dedecent, quàm priores: ergo quòd illi sint Sacrilegium, non isti, solùm habetur ex prohibitione Ecclesiæ, constituente loci Sanctitatem in illis, & non aliis.

Ego inclino magis in hanc secundam Sententiam, & 69
moveor ad hoc maximè praxi, ut puto, communi fidelium; nemo enim sibi putat obligationem incumbere explicandi circumstantiam loci Sacri in quibuscunque peccatis, sed in iis solùm, quæ ob formalem repugnantiam ad locum Sacrum, vel ex Statuto Ecclesiæ speciali sacrilegia sunt.

Dub. 1. an furtum quodlibet prohibeatur in Ecclesia 70
sacrilegii nomine? Tribus modis contingere furtum potest. 1. Si fureris sacrum de loco sacro. 2. Si sacrum de non sacro. 3. Si non sacrum de sacro. *Secundo modo* non inhonoratur Locus Sacer, & propterea modus ille ad præsentem Quæstionem non spectat. *Primo modo* cùm res sacra aufertur de Loco sacro, sacrilegium committi, nemo dubitat, & decisum est Lege tum Civili; tum Canonica.

Pro tertio Casu allegantur jura in utramque partem: pro *Negativa* quidem Jus Civile, nam per illud adversùs eum, qui res privatorum, in Ædem sacram depositas, furantur, non sacrilegii, sed furti solùm actio admittitur *l. Divi* 5. *ff. ad Leg. Jud. Peculat. Affirmativa* autem videtur colligi ex Jure Canonico; nam *can. quisquis* 21. *caus.* 17. *q.* 4. Joannes Papa, *Sacrilegium*, inquit, *committitur auferendo Sacrum de Sacro, vel non Sacrum de Sacro, vel Sacrum de non Sacro.* Et quidem si liquida esset mens hujus decisionis, quidquid contrà per Jus Civile sancitum esset, certum foret pro Jure Canonico standum esse.

Sunt tamen variæ sententiæ circa intellectum *cit.* 71
textus. *Aliqui* distinguunt, & quidem si res non Sacra quasi sub jure, & potestate Ecclesiæ sit, quòd vel illi ad custodiam tradita, vel in pignus data, vel alio simili modo in Ecclesia deposita sit, affirmat rem illam furari in Ecclesia Sacrilegium esse; negant verò esse sacrilegium, si res aliqua merè temporalis per accidens, & casu sit in Ecclesia, vel quia ibi est persona, quæ illam secum defert, vel quia casu ibi relicta est. Ita tenent Victor. *in Summ. q.* 106. Fagund. *l.* 4. *c.* 4. *n.* 9. *circa fin.* Ant. à S. Spirit. *de Sacr. Pœnit. tr.* 5. *D.* 8. *n.* 614. & probabile hoc putant Azor. *p.* 1. *l.* 9. *c.* 27. *q.* 6. Emman. Sà *V. Sacrilegium.* Less. *l.* 2. *de J. & J. c.* 45. *dub.* 3. *n.* 14.

Alii tamen sine ulla distinctione furtum in loco 72
sacro sacrilegium esse, ac subinde, nisi ex parvitate materiæ excusetur, ex genere suo mortale esse existimant: atque ita sentiunt Suar. *l.* 3. *c.* 5. *n.* 7. dicens esse communem, Dicastill. *D.* 9. *n.* 663. Perez *D.* 30. *sect.* 2. *n.* 2. Pal. *tr.* 11. *D. un. p.* 2. *n.* 3. & citatur pro illa Sylv. *V. Sacrilegium* §. *secundum.* Angel. *V. eod. num.* 1. Armill. *n.* 1. *&c. Fundamentum* præcipuum hujus sententiæ est; quia *can. quisquis. cit.* simpliciter, & sine limitatione ponitur species sacrilegii esse furari non sacrum de sacro. ubi autem Lex non distinguit, neque nos distinguere debemus *l. de pretio* 8. *ff. de Publician. in rem action.* nisi vel alia Lex obliget; vel ratio cogat. ergo &c.

Ego in hac sententiarum diversitate certum imprimis 73
judico sacrilegium committi, cùm res ad custodiam deposita est in loco sacro; quia per ejusmodi traditionem quodammodo fit Ecclesiæ, & consf. res sacra efficitur. Cùm verò casu res est in Ecclesia, puto oblationem datam valde probabile esse, etiam tum sacrilegii crimen committi: quod etiam confirmari ulteriùs potest; textus enim *can. quisquis. cit.* facit partitionem quandam rei sacræ, & non sacræ, & per utriusque furtum dicit committi sacrilegii crimen. atqui res, quæ in Depositum, vel custodiam Ecclesiæ datæ sunt, quatenus sic constitutæ sub Ecclesiæ patrocinio sunt, jam sunt aliquo modo sacræ, & consf. illas furari est potiùs furari Sacrum de sacro, quàm non sacrum. igitur ut partitio textus retineatur integra, necesse est alterum membrum de aliis rebus intelligere. Non nego tamen ob authoritatem DD. etiam alteram sententiam probabilem esse, atque in praxi tutam.

Dub. 2. quæ sit pœna furantium in loco sacro? Po- 74
test dubium hoc fieri dupliciter, de pœna jure lata, & primùm ferenda per sententiam Judicis. *De hac secunda* est communis sententia DD. esse arbitrariam pro conditione furti, & qualitate personarum, ut colligitur ex *l. Lege Julia* 4. §. *mandatis autem* 2. *ff. ad Leg. Jul. Peculat.* & *ibi* docet *Gloss. Anton. Clar. Decian. Rub. Menoch. Diaz. Farinac.* Potestque arbitrium istud Judex extendere

e usque ad pœnam mortis, & sic regulariter puniendum est sacrilegium, quo res sacra de loco sacro subripitur, nisi levitas furti, & ætas minor delinquentis pœnæ diminutionem suadeant.

75 *Quæstio* igitur solùm est, an in hujusmodi fures sit pœna aliqua jure lata? Qua in re putant aliqui, quoscunque fures sacrilegos ipso jure excommunicatos esse, & ita colligunt ex *can. canonica instituta* 107. *cauf.* 11. *q.* 3. *can. omnes Ecclesiæ* 5. & *can. quisquis* 21. *verf. siquis domum Dei cauf.* 17. *q.* 4. Sed Azor. *p.* 1. *l.* 9. *cap.* 27. *q.* 13. Suar. *de Censur. D.* 22. *sect.* 2. *num.* 6. Bonacin. *D.* 3. *q.* 6. Pal. *p.* 2. *n.* 4. *&c.* putant excommunicationem in fures sacrilegos ipso jure latam non esse, nisi simul Ecclesiam effringant. Et hæc sententia mihi tenenda videtur. Colligitur ex *c. fin. de furt.* ubi qui furatus fuit Calicem Ecclesiæ, nisi infamia publica notatus fuerit, admittitur ad Ordines, peracta pœnitentia, absque ulla absolutione à Censura. Et *confirmatur* ex *c. conquestus* 16. *de foro compet.* ubi dicitur anathemati subjiciendos esse invasores rerum Ecclesiæ, donec satisfecerint. igitur excommunicatio in eos jure lata non est. *Neque obstant* textus in contrarium allegati; nam ut eos DD. explicant, hoc solùm, & non illud, quod Adversarii intendunt, decent.

76 Dixi, *Nisi simul Ecclesiam effringant*; nam si cum furto sacrilego jungatur effractio, ut communis sententia ex *cap. conquesti* 22. *de sent. Excomm.* colligit, incurritur excommunicatio latæ sententiæ. Hæc tamen, antequam denuntietur, reservata non erit; quia, ut Pal. *p.* 2. *cit. n.* 5. notat, sic delinquens jubetur solùm post denuntiationem se Pontifici præsentare.

77 Quæritur 2. quinam actus ex aliàs licitis prohibeantur in Ecclesia? *Et* 1. *quidem dubitatur*, an Placitum fieri in Ecclesiis, vel domibus ejus possit? Resp. non posse fieri sine sacrilegii crimine à Judicibus Laicis, nisi in favorem causæ piæ. Colligitur ex *c. ut in domibus* 1. *h. tit.* ubi dicitur, non posse judices domos Ecclesiarum ad placitum vendicare: unde *Glossa*, & omnes DD. à fortiori colligunt, idem intelligi de ipsis Ecclesiis, tum quia majori ratione Immunitate hac gaudent Ecclesiæ, quàm earum domus, tum quia ipsa Ecclesia est quædam domus, quæ magis est sua, seu juris sui, quàm domus ejus sint sub ipsius jure. Clariùs verò hoc constat ex *cap. decet* 2. *eod. in* 6. ubi Gregorius X. *Omnis*, inquit, *in Ecclesiis Sæcularium Judiciorum strepitus conquiescat, nulla inibi causa, criminalis maximè, per Laicos agitetur, sint loca eadem à Laicorum cognitionibus aliena*. Maximè autem in Ecclesia prohibetur exerceri Judicium sanguinis, & quidem *sub interminatione anathematis*, ut habetur *cap. cùm Ecclesia* 5. *h. titul.* ubi ratio additur, quòd *absurdum sit, & crudele ibi judicium sanguinis exerceri, ubi est tutela refugii constituta*.

78 Dixi 1. *in Ecclesia, vel ejus domibus*; nam de utroque extant textus, ut vidimus; & ratio, ob quam Placitum prohibetur exerceri in Ecclesia, etiam probat illud de domibus Ecclesiæ. Est autem ista; quia Ecclesia, & domus ejus sunt locus à sæculari jurisdictione exemptus, in loco autem à jurisdictione sua exempto jurisdictionem exercere Judex non potest, cùm locus ejusmodi æquiparetur loco existenti extra territorium. ergo &c. *Discrimen* tamen inter Ecclesiam, & domus Ecclesiæ duplex interjacet. *Primum* est, in Ecclesia Judex Laicus Judicium exercere nequit, etiam consentiente ejus Prælato, at in domo ejusdem potest ex concessione illius, si scilicet conductam ab Ecclesia, vel ab illa liberaliter, & gratis concessam obtineat: hinc quando dicitur, quòd in domibus Ecclesiæ Judicium sæculare exercere nequeat, id intelligendum est, quando Judex sæcularis eam authoritate publica, quasi ex jure publico eligit ad habitandum. Abb. *in cap. ut in domibus cit. num.* 2. Vivian. *ibid. in Ration.* Barbos. *num.* 1. & 2. Gonzal. *num.* 8. Vvagnereck *not.* 2. Honor. *hic num.* 3. Pirh. *num.* 10. Schambog. *num.* 13. *Alterum est*, quòd totus Processus judicialis, & ipsa etiam sententia, in loco sacro lata, sit ipso jure nulla, & sine effectu *c. decet cit. §. ordinarii*: quod verum est, etsi judex sæcularis simul cum Ecclesiastico judicium in Ecclesia celebret. Passerin. *ibid. num.* 18. Contrà, si illud exerceat judex sæcularis in domo Ecclesiæ, valet; quia cùm Constitutio *c. cit.* irritans judicium sæculare exercitum in Ecclesia sit pœnalis, non debet extendi ad domum Ecclesiæ, cùm pœnæ, & odia sint restringenda, non verò laxanda. *Reg.* 15. *in* 6. Abb. *l. cit.* Azor. *p.* 2. *l.* 9. *c.* 9. *q.* 7. *cum reliquis suprà*.

79 Dixi 2. *à Judicibus Laicis*; nam à judicibus Ecclesiasticis causæ Ecclesiasticæ in Ecclesia agitari possunt, quamvis & hæ decentiùs extra Ecclesiam discutiantur in Palatio Episcopali, vel in alio loco commodo, ut usus habet. Gloss. *in cap. decet cit. V. Sæcularium*. Abb. *in cap.* 5. *h. tit. n.* 4. Vivian. *ibid. in Ration.* Gonzal. *n.* 7. Canis. *in cap. ut in domibus cit. n.* 4. Passerin. *in c.* 1. *eod. in* 6. *n.* 12. Honor. *hic n.* 2. Engl *n.* 5. Pirh. *n.* 7. Schambog. *n.* 11. & sumitur ex *can. fin. cauf.* 2. *q.* 2. & *c. qua fronte* 25. *de Appellat.* ibi, *Non in Ecclesia, sicut est Canonicum, & honestum*. Neque unquam in jure Canonico reperitur prohibitum, ne judicium Ecclesiasticum exerceatur in Ecclesia. Azor. *p.* 2. *l.* 9. *c.* 9. *q.* 1. *Neque obstat* huic resolutioni 1. quòd ratio *c. decet cit.* sit universalis, scilicet pax, & quies Ecclesiæ, quam non minùs turbant judicia Ecclesiastica; nam Lex non potest contra sua verba extendi propter rationem suam, & Legislator uti ratione sua potest, quantum, & quomodo id ipsi placet. atqui SS. Canones expressè prohibitionem suam limitant ad judices sæculares, & ad sæcularium judiciorum strepitus. ergo judicia Ecclesiastica prohibitione illa comprehendi non debent. Accedit ratio disparitatis positiva; nam Ecclesia præsumit judicia Ecclesiastica cum minore strepitu, & breviore tempore expedienda, & ipsum judicem Ecclesiasticum majorem curam adhibiturum, ut sine irreverentia loci fiant. Suar. *l.* 3. *cap.* 4. *n.* 11. Zoes. *hic n.* 4. Schambog. *n.* 12. Pirh. *l. cit. Non obstat* 2. quòd etiam judicia Ecclesiastica prohibeantur exerceri in diei festo; & sic censeantur etiam prohibita in loco sacro: nam dispar est ratio; quia judicia Ecclesiastica locum sacrum non dedecent, dedecent autem sanctitatem diei festi, utpote quo non minùs Clerici, quàm Laici à negotiis forensibus abstinere, & Officiis Divinis vacare debent. *Non obstat* 3. etsi reus interdictus sit ab ingressu Ecclesiæ; adhuc enim in Ecclesiam citari, & causa Ecclesiastica adversùs ipsum tractari in ea potest: secus est in Actore interdicto; nam iste si in judicio audiri velit, absolutionem impetrare debet, aliàs à judicio repelli poterit: & ratio disparitatis est; quia Actor in judicium sponte, Reus verò vocatus, & necessariò venit. *arg. c. intelleximus* 7. *de Judic.* Azor. *c.* 9. *cit. q.* 2. Pirh. *hic n.* 8.

Dixi 3. *Placitum*: quo nomine intelligitur, quidquid ad strepitum judicialem pertinet. *Ex quo sequitur*, in Ecclesia etiam non posse ferri sententiam ab Arbitris. Patet de Arbitris juris; quia hi verè judices sunt: de Arbitris Compromissariis ex eo constat, quòd procedant ad instar judicum cum causæ cognitione *l. compromissum* 1. *ff. de recept. qui arbitr.* & sic illorum Judicium non excludit Judicialem tumultum. Passerin. *in cap.* 2. *h. tit. in* 6. *n.* 23. Aliter discurrendum de Arbitratoribus; quia eorum sententia non est, nisi quædam transactio, & ideo Arbitramenta, facta in Ecclesia, valida sunt. Passerin. *l. cit.* cum *Anchar. Domin. Franc. Bald. &c.* 80
Contrà alii actus extrajudiciales, & qui jurisdictionis contentiosæ non sunt, etsi similitudinem quandam cum Placito habeant, in Ecclesiis exerceri licitè possunt: cujusmodi sunt dare Tutores, vel Curatores pupillo, aut minori, præterquam quòd etiam sit causa pia. Azor. *p.* 2. *l.* 9. *n.* 9. *q.* 3. & 4. Canis. *in cap.* 1. *h. tit. n.* 4. Vallens. *hic n.* 3. Item conferre Gradus Doctoratus, vel Magisterii; quia hujusmodi actus honestatem continet, idque etiam communis, & generalis consuetudo approbat. Abb. *in c. cùm Ecclesia* 5. *n.* 9. *h. tit.* Azor. *l. cit. q.* 4. Suar. *cap.* 4. *n.* 15. Licitum etiam est Disputationes, & Prælectiones publicas habere in Ecclesia; quia Scientia dicitur res Sanctissima *l. præses* 1. §. *proinde* 5. *ff. de var. & extraord. cognit.* utpote qua ad obediendum Deo, & Principi vita subditorum informatur. *Auth. habita C. ne filius pro patre*. Azor. *l. cit. num.* 5. Denique universim loquendo actus extrajudiciales, aut ad voluntariam tantùm Jurisdictionem pertinentes, præsertim si pietatem respiciant, in Ecclesia validè, & licitè exerceri possunt. Barbosa *l.* 2. *Jur. Eccl. c.* 3. *n.* 11. & 12. Passerin. *in c.* 1. *h. tit. in* 6. *n.* 14. Pirh. *hic n.* 11. Schambog. *n.* 14.

Dixi 4. *nisi in favorem causæ piæ*; hanc enim Abb. *in c. cum Ecclesia* 5. *h. tit. num.* 10. cum aliis excipit: unde eo casu non solùm validè, sed etiam licitè fient in Ecclesia.

Dub. 2. an & quatenus in Ecclesia prohibitum sit exercere mercatum, negotiationem, contractusque inire? 81
Resp. etiam mercatum, contractus, & negotiationes in Ecclesia prohibitas esse. Patet ex *cap. decet cit.* ibi: *Cessent in Ecclesiis, earumque Cœmeteriis negotiationes, & præcipuè nundinarum, ac fori cujuscunque tumultus*. igitur ut Placitum, ita etiam Mercatus in Ecclesia textu hoc prohibetur. Duplex tamen circa hoc notandum discrimen est 1. non semper gravem in mercatu intervenire culpam, sed tum solùm, quando fit cum vocifera-

feratione, & tumultu; hæc enim negotiatio Divina Officia turbat, & fraudibus est exposita, ac Dei Ecclesiam multùm profanat. Pal. *tr.* 11. *D. un. part.* 4. *num.* 3. 2. Contractus, siqui in Ecclesiis, vel Cœmeteriis facti fuerint, licèt facti fuerit cum peccato, validos tamen esse; quia in jure non irritantur, ut judicia Sæcularia, ideoque pœnalis illa Constitutio, cum odiosa sit, ad Contractus, qui in Ecclesia fiunt, extendi non debet. Gloss. *in c. decet cit. V. processus.* Abb. *in c. cùm Ecclesia* 5. *h. tit. num.* 6. Suar. *c.* 4. *cit. n.* 18. Canis. *in cap.* 1. *h. tit. num.* 8. Passerin. *in c. decet cit. num.* 24. Engl. *hic n.* 6. Pith. *num.* 12. Scamb. *n.* 15. Major autem ratio prohibitionis circa judicia, quàm Contractus hæc assignari solet, quòd judiciales contentiones, & strepitus minùs Ecclesiæ conveniant, quam Contractus, qui in silentio expediri possunt. Porro pœna mercatum in Ecclesia exercentium, cùm jure taxata non sit, arbitraria erit, & à judice pro varietate circumstantiarum, & gravitate delicti infligenda.

82 *Difficultas est*, an, & quomodo excusari possit venditio candelarum, & aliarum rerum pietati fidelium inservientium, quæ multis in locis in Templis, & Cœmeteriis Templorum fit? Pal. *loc. cit.* cum *Navarro* existimat, si res istæ in Templo vendantur permanenter, & quasi apposita mensa, à peccato non excusari; an verò grave, vel leve sit, ex modo vendendi, & perturbatione Divinorum Officiorum desumendum esse. *D. Antoninus*, *Sylvester*, *Cajetanus*, & alii à Navarro relati excusant à peccato. Ego cum Joan. Azor. *p.* 2. *l.* 9. *cap.* 9. *p.* 5. Passerin. *in c.* 1. *h. tit. in* 6. *numer.* 11. Pith. *hic n.* 12. Schambog. *n.* 15. Vviestner *n.* 5. judico, si venditio istarum rerum celebretur in Cœmeterio, vel ad portam Templi sine verborum strepitu, & contentione pretii, omnino licitam esse; tum quia id habet universalis locorum ferè omnium consuetudo, tum quia cessat prohibitionis ratio, quæ est perturbatio Divinorum Officiorum.

83 Dub. 3. quinam alii actus profani prohibiti sint in Ecclesia? Resp. 1. prohibentur *Universitatum, & societatum quarumlibet concilia, conciones, & publica Parlamenta*, ut habetur *c. decet* 2. *h. tit. in* 6. intellige, si talia sint, quibus res, & negotia merè profana, & politica pertractantur; nam Synodi, & Concilia Ecclesiastica, aliique tractatus de rebus, ad Religionem, pietatem, morumque reformationem pertinentibus, institui in Ecclesiis non prohibentur. Joan. Andr. *in cap. decret. cit. num.* 7. Suar. *tom.* 1. *de Relig. tr.* 2. *l.* 3. *c.* 4. *num.* 16. *& c.* 6. *n.* 5. Barbos. *l.* 2. *Jur. Eccl. c.* 3. *n.* 14. Passerin. *in c.* 1. *h. tit. in* 6. *num.* 9. Engl *hic n.* 4. Pirh. *num.* 12. Schambog. *n.* 16. Vviest. *n.* 6. *Controversia* est inter DD. an allegata verba *c. decet cit.* contineant veram, & rigorosam prohibitionem? *Navarrus*, *Angelus*, *Tabiena*, *Sylvester* putant non continere, nisi hoc fiat ex contemptu, & cum notabili impedimento Divinorum Officiorum. At Pal. *tr.* 11. *D. un. p.* 4. *num.* 2. existimat probabiliùs continere verum præceptum; quia aliàs Ordinarii non possent subditos per Censuras compescere.

84 2. Prohibentur Ludi Theatrales, & Spectacula, nisi ad pietatem sint comparata *can. cantantes* 1. *dist.* 92. *c. cùm decorem* 12. *de Vit. & honest.* Trid. *sess.* 22. *Decret. de observ. & evit. in celebr. Miss. vers. ab Ecclesiis*, Sylv. *V. immunitas* 1. *q.* 2. *n.* 7. *dict.* 8. Azor. *p.* 2. *l.* 9. *cap.* 9. *q.* 8. *vers. item ludi.* Barbos. *l.* 2. *Jur. Eccl. c.* 3. *a n.* 15. Passerin. *in c.* 1. *h. tit. in* 6. *n.* 8. Pirh. *hic n.* 4. Schamb. *n.* 17. Vviestner *n.* 7.

3. Prohibetur, ne in Ecclesiis admittantur supellectilia tam Clericorum, quàm Laicorum custodienda, nisi propter hostiles incursus, aut incendia repentina, seu alias necessitates urgentes ad eas oporteat habere refugium *c. fin. de custod. Euchar.* Azor. *q.* 8. *cit.* Barbos. *n.* 25. Vall. *n.* 3. Vviest. *n.* 8. Sed hoc, ut *Suarez* advertit, intelligendum est de sola Ecclesia, non de Sacristia, aut aliis locis annexis. Videatur *Litt.* 44. *n.* 13.

85 4. Prohibetur, ne in Ecclesiis, vel Cœmeteriis illarum exerceantur alii actus profani, uti sunt triturare segetes, comprimere uvas, celebrare convivia &c. Fagund. *l.* 4. *c.* 4. *n.* 10. Barbos. *n.* 26. cum *citt.* quia indecentiam continent maximam, & ideo circumstantia loci explicanda est in Confessione, si excessus adeo magnus sit, ut Sacrilegium contineat. Addit *Corduba Sylvestrum* sequens, per actus, qui de se non sunt mortales, nec Jure Ecclesiastico prohibiti sub mortali, non committi Sacrilegium, si fiant in loco Sacro.

86 5. Multo magis prohibitum est, ne Ecclesia convertatur ad usus belli, ut in illa munitio constituatur, & ædificetur in modum Castri; nam si causæ sanguinis in Ecclesia non sunt tractandæ, multo minùs in ea constituendus est locus ad effundendum sanguinem, & homicidia facienda deputatus. Azor. *q.* 6. Vall. *n.* 3. cum *Innoc. Abb. Sylv.* qui excipiunt casum necessitatis occurrentis in bello defensivo; tunc enim id licet, accedente tamen consensu Episcopi.

6. Tam Ecclesiæ, quàm Monasteria, & Clericorum domus immunes esse debent ab onere hospitandi *c. ut in domibus* 1. *h. tit.* Abb. *ibid. n.* 4. Azor. *q.* 8. Barbos. *in c.* 1. *cit. n.* 4. Pirh. *hic n.* 10. *not.* 2. Vviest. *n.* 9. cum communi. *Excipitur* Patronus, vel alius Benefactor, qui in fundationis, vel beneficii recognitionem loco Census hospitii jus cum Episcopi consensu sibi reservavit *arg. can. Eleutherius* 30. *caus.* 18. *q.* 2. 87

7. Denique prohibentur ab Ecclesiis extrahi confugientes ad illas: quod est præcipuum privilegium, quod Ecclesiæ ratione Immunitatis Localis habent, & *Asylia*, seu *Jus Asyli* dicitur: & de hoc

Quæritur 3. quid sit *Jus Asyli*, sive *Asylia*? Resp. est *securitas*, sive *privilegium Immunitatis ab extractione, & omni alia violentia externa, quam ejusmodi locus ad se confugientibus præstat*. Ita quoad sensum omnes. Competit aliquando locis merè profanis, præcipuè verò Sacris, & Religiosis: hisque Jure antiquissimo: nam etiam apud Ethnicos Aræ, & Templa illorum Immunitate ista gaudebant. 88

Dub. 1. an bene Jus Asyliæ, præsertim ita amplum, ut infra videbimus, constitutum sit? Dubitant etiam ex Orthodoxis quidam. *Fundantur* 1. Quia noxia est Reip. dum delictis impunitatem præstat. 2. Quia hæc ipsa impunitate occasionem delinquendi præbet. 3. Quia nocentis extractio nullo modo repugnat Sanctitati loci, sed potiùs eidem congruit, cum ut *can. qualis nos* 44. *caus.* 23. *q.* 5. dicitur, *non sit quidquam majus, unde Deo Sacrificium possit offerri, quàm si id ordinetur, ut hi, qui in suam, & aliorum perniciem debacchantur, competenti rigore compescantur.* 89

Sed dicendum cum cæteris Orthodoxis DD. optimo jure Sacram Asyliam, etiam in ea latitudine, prout nunc est, spectatam, constitutam esse. Omnium DD. loco sit S. Augustinus *serm.* 5. *de Dedic. Eccl.* ubi *Grandem*, inquit, *injuriam Religionis, & Divinitatis offensam esse, qualemcunque fugientem ad Domum Dei à Sacris Liminibus, i. e. de sinu Matris evellere, & Arcam communis expugnare perfugii*. Ratio est, quia Asyli privilegium Sacris, & Religiosis locis concessum est, non, ut favor delinquentibus, horumque delictis præstaretur, sed intuitu Religionis, & Fidei Christianæ, cujus favor publicus est, & præcipuè attendendus, cùm *summa sit ratio, quæ facit pro Religione*, prout dicitur *l. sunt personæ* 43. *ff. de Religios. & sumpt. funer.* Conf. quia rei Christianæ plurimùm interest, Ethnicorum Aras, & Statuas non videri potiores Templis, & Altaribus vero Numini consecratis. igitur si piaculum fuit abstrahere ab Altaribus, & Statuis Idolorum eos, qui suppliciorum, ob scelera sua commeritorum, metu ad illa confugerant, multo magis defendi oportet à violentia eos, qui confugiunt ad Templa, & Altaria Christianorum. 90

Neque contrarium probant Argumenta partis adversæ. *Ad* 1. inprimis contra ejusmodi confugas procedi potest propositis pœnis infamiæ, proscriptionis, & confiscationis bonorum omnium: imò si crimen exceptum sit, quod Asylo confugientem excludat, etiam mortis. Deinde immerito supponitur, quòd Reipublicæ quies, & tranquillitas exigat, ut nullum unquam delictum sit impunitum; aliàs nec Deus Asyla potuisset constituere, vel illa constituendo malo publico constituisset, quod dicere blasphemum est. *Ad* 2. occasio delinquendi, quam ex Asylia Sacra homines perversi aliquando abripiunt, per accidens est; eam enim licèt Ecclesia ex justa causa aliquando permittat, non tamen intendit, sed potiùs vult, quantum in se est, nullum crimen à quoquam perpetrari. *Ad* 3. id verum est, quando reum à supplicio nulla alia causa defendit. 91

Dub. 2. quo Jure Privilegium Asyliæ competat locis Sacris? Tres sunt sententiæ. *Prima* vult illud competere Jure naturali. Ita nonnulli apud Delben. *de Immunit. capit.* 16. *dub.* 2. *numer.* 2. *Fundantur* 1. quia Cultus Dei pertinet ad Jus naturale. ergo etiam Jus Asyliæ, quod cum respectu ad Cultum Divinum locis Sacris conceditur. 2. Quia nisi Immunitas hæc à jure naturali constituta fuisset, in eandem non conspirassent tot, tamque variæ, & rerum primordio tam vicinæ Gentes. 92

Secunda docet Asyla Sacra constituta esse jure Divino positivo. Ita Igneus *in l.* 1. *n.* 26. *ff. ad Syllan.* Decius *in c. Ecclesiæ* 10. *de Constit. n.* 14. Tusch. *practic. V. Ec-*

V. Ecclesia concl. 8. *num.* 4. Farin. *in Append. de Immunit. c.* 2. *num.* 9. & videtur hoc erui ex Trid. *sess.* 25. *c.* 20. *de reform.* ubi ait, *Ecclesiæ, & personarum Ecclesiasticarum immunitatem Dei ordinatione, & Canonicis Sanctionibus constitutam esse.*

93 *Tertia*, & verior sententia originem Asyliæ in nova Lege tribuit Juri humano tum Ecclesiastico, tum Civili. Ita Covar. *l.* 2. *var. c.* 20. *num.* 2. *concl.* 1. 2. & 3. Suar. *tom.* 1. *de Relig. l.* 3. *c.* 8. *n.* 9. Decian. *tr. crim. l.* 6. *c.* 25. *n.* 2. Laym. *l.* 4. *tr.* 9. *c.* 3. *n.* 1. *q.* 1. Pal. *tr.* 11. *D. un. p.* 5. *n.* 2. Ambrosin. *de Immun. & libert. Eccl. c.* 1. *n.* 3. *vers. cum certum sit.* Guazzin. *defens. reor.* 1. *cap.* 29. *n.* 2. Canis. *in c.* 1. *h. tit. num.* 10. Vvagnereck *in c. inter alia* 6. *eod. not.* 1. Haun. *tom.* 6. *tr.* 1. *num.* 141. Zoes. *hic n.* 6. Engl *n.* 7. Pirh. *n.* 16. Schamb. *n.* 21. Konig *n.* 2. Vviest. *n.* 21. & *trib. seqq.* Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de Jur. Eccl. c.* 4. *n.* 16. cum communi cæterorum.

Quòd *Jure Naturali* Asylia Ecclesiis, & locis Sacris non competat, patet ex eo, quia non est per se, & intrinsecè malum malefactores ex templo per vim extrahere; alias neque in casibus exceptis hoc esset licitum. *Accedit*, quia Jus naturale semper, & ubique idem, ac immutabile est. non autem fuit, vel est semper, & ubique facinorosis ad Templa confugientibus æquè securus receptus; quia pro temporum, & locorum varietate varius & ipse fuit.

94 Quod etiam non competat Jure positivo Divino, inde ostenditur; quia tale Jus neque scriptum est, neque Apostolis traditum esse ex Patribus, aut alia via ostenditur; jus autem antiquæ Legis, quo Asyla à Deo sunt constituta, ceremoniale, vel judiciale duntaxat fuit; conf. morte Christi extinctum *c. translato* 3. *de Constit.*

Quod denique constituta sit Jure positivo humano, patet ex textibus utriusque Juris. Civilis quidem *toto Tit. C. de his, qui ad Eccl. confug.* Ecclesiastici autem *can. eos qui* 6. *dist.* 87. *can. sicut antiquitus* 6. *can. miror.* 8. *can. reum* 9. *can. nullus Clericorum* 19. *can. si quis contumax* 20. *can. id constituimus* 36. *caus.* 17. *q.* 4. *c. inter alia* 6. *c. Ecclesiæ* 9. *&c. h. tit.* quæ, aliaque ejusmodi jura antiquiora roboravit, & ad unam formam reduxit Gregorius Papa XIV. *Const.* incipit, *Cum alias edita* 9. *Calend. Jun.* 1591. *Pontificatus sui primo.*

95 Neque contrarium probant Argumenta præcedentium duarum opinionum. *Ad* 1. *Argumentum primæ Sententiæ*, eo plus non probatur, quam quod admodum consentaneum sit dignitati loci Sacri, ut ei privilegium hoc concedatur. *Ad* 2. ob dictam convenientiam ex naturæ instinctu pleræque Gentes securitatem Asyli induxerunt; neque enim semper præceptum Jure naturali est, quod natura dictat esse valde conveniens. *Ad textum Trident.* dico, eo plus non probari, quàm quòd Asyla ad imitationem Legis Divinæ Veteris, aut instinctu Dei, & acceptata ab eo potestate sint constituta. Imò non desunt, qui velint, textum *cit.* non de locorum Sacrorum Asylia, sed de Immunitate Ecclesiasticarum personarum, & rerum ad Ecclesias, & personas Ecclesiasticas pertinentium loqui, quæ proprio nomine *Ecclesiastica Libertas* dicitur.

96 Dub. 3. an memorata Constitutio Gregoriana locum habeat in omnibus Provinciis? Non desunt, qui defendunt negativam, triplici Argumento ducti. 1. Quia in Bulla hac Pontifex intendit solum occurrere incommodis, ortis ex varietate, & usu facultatum, ac Iudultorum concessorum à Sixto V. & Pio V. hæc autem concessa sunt dumtaxat particularibus locis. ergo & Bulla hæc pro iisdem facta est. 2. Quia Leges tam Ecclesiasticæ, quàm Civiles non obligant, nisi fuerint promulgatæ *can. in istis* 3. §. *Leges dist.* 4. *l. Leges* 9. *C. de Legib.* atqui Constitutio hæc Gregoriana non ubique, & fortassis in sola Italia, & Romæ tantum est promulgata. 3. Quia dictæ Constitutioni, & aliis Juribus, Sacram Asyliam spectantibus derogatum est consuetudine, qua Jus Asyli Ecclesiis competens alicubi sublatum, passim vero restrictum est, teste Tholosan. *c.* 22. *n.* 2. Clar. §. *fin. q.* 30. *n.* 3.

97 Sed dicendum Constitutionem hanc vim habere in Orbe Christiano universò, ita, ut ejus dispositioni standum sit in utroque foro. Ita teste Delben. *de Immun. c.* 16. *dub.* 4. *n.* 2. communiter sentiunt DD. qui post editam *Constit. cit.* scripserunt, & clare satis colligitur ex ipsa *Constit.* ubi Pontifex sine limitatione ad certum locum, vel Provincias, generaliter, *Volumus*, inquit, *quando præsens temporum calamitas, & nimia perversorum hominum malitia exposcit, aliquid permittere, circa Immunitatem Ecclesiarum, ultra id, quod à prisca illa majorum disciplina, & à SS. Canonibus est præscriptum.* Et ut porro de mente Pontificis nullum restaret dubium, post principium *cit. Constit.* apertè fatetur, quod in ea intendat præscribere Regulam uniformiter observandam ab omnibus, sublata omni differentia. atqui jam esset differentia, si dicta Constitutio non obligaret Orbem Christianum universum.

Ex quo patet *ad* 1. *Argumentum* Sententiæ adversæ: 98
& confirmatur etiam ex eo; nam Pontifex ex ea solum causa contrarias consuetudines, Statuta, & interpretationes DD. sustulit, ut uniformis ubique circa Immunitatem Ecclesiasticam observantia esset. *Ad* 2. patet ex dictis *Libr.* 1. *Tit.* 2. *num.* 28. non requiri, ut Constitutiones Apostolicæ promulgentur in universis Provinciis, vel Diœcesibus, sed sufficere, si publicentur in Curia Romana, & affigantur in acie Campi Floræ, atque ad valvas Basilicæ B. B. Apostolorum. *Ad* 3. imprimis uterque DD. *citt.* scripsit ante editam Constitutionem Gregorianam; conf. de contraria huic consuetudine testimonium perhibere non potuerunt. Deinde non desunt, qui, ut *num. sequent.* videbimus, negant dictæ Constitutioni per consuetudinem derogari posse: quod etsi probabilius verum non sit, ut ostendetur *num.* 100. tamen satis certum videtur defacto derogatum non esse: unde asserenti incumbet onus ostendendi locum, ubi derogatum eidem sit.

Dub. 4. an hoc Asyliæ Jus per consuetudinem tolli, vel diminui possit? Negat Bonacin. *D.* 3. *quæst.* 7. 99
p. 10. *num.* 2. ubi citat pro se *Guttier. Ambrosin. Farin. Peregrin. Marium Italia &c.* quorum sententiam probabiliorem putat Delben. *de immunit. Eccl. cap.* 16. *dub.* 6. *num.* 3. Colligunt hoc ex *Const. Gregorian.* supra allegatæ verbis; dicit enim *ibidem* Pontifex, 1. quod velit, *sublata penitus omni* (adeoque etiam per consuetudinem inducta) *differentia*, omnia Jura *ad unam tantum formam reducere.* 2. Addit. *quod si quis quacumque Dignitate, & authoritate præditus præmissorum* (h. e. privilegiorum, Indultorum, & gratiarum) *aut quovis alio* (conf. etiam consuetudinis) *prætextu, quidquam præter, aut contra hujus --- Constitutionis tenorem attentare præsumpserit, ipso facto Censuras, & pœnas easdem* (quas extrahentes) *incurrat.* 3. Circa initium vers. *Quare pro commisso* indicat, intentionem suam esse, *omnem dubitandi, ac perperam interpretandi occasionem submovere, abusus tollere &c. Conf.* ex Trid. *sess.* 25. *c.* 20. *de reform.* ubi dum Sanctiones Apostolicas, *in favorem Ecclesiasticarum personarum, & Libertatis Ecclesiasticæ, contra ejus violatores editas exactè ab omnibus observari* præcipit, consuetudines contrarias videtur annullare: & ex *Constit. Urbani VIII.* incipit, *Romanus Pontifex edita* 5. *Jun.* 1641. ubi annullat, reprobat, & nullas, ac reprobas semper fuisse declarat omnes consuetudines contra Immunitatem Ecclesiasticam militantes.

Sed probabilius affirmant Abb. *in c. inter alia* 6. *hoc* 100
tit. n. 13. *ante fin.* Covar. *c.* 2. *var. cap.* 20. *n.* 4. Laym. *l.* 4. *tr.* 9. *c.* 3. *n.* 2. *fin.* Barbos. *l.* 2. *Jur. Eccl. c.* 3. *num.* 82. Guazzin. *defens. reor.* 1. *c.* 34. *n.* 1. Vviest. *hic n.* 36. Ratio est 1. quia hoc habent omnes Leges, quæ non Jure naturali, aut positivo Divino, sed humano solum Ecclesiæ, vel Civili sunt introductæ ut tolli per consuetudinem legitime præscriptam possint: quare igitur non etiam Lex concedens hanc Immunitatem? 2. Constitutioni huic, & Immunitati per eam concessæ derogari potest per Legem. ergo etiam per consuetudinem, cui Legis vis adstruitur *l. diuturna* 33. *ff. de Legib.* nisi illa sit reprobata, & irrationabilis. atqui consuetudo contra Immunitatem nuspiam est reprobata, rationabilem autem illam facere possunt circumstantiæ loci, temporis &c. 3. Defacto consuetudo sustulit Immunitatem Ecclesiasticam, antiquo Jure extensam ad 40. vel 30. passus, ut jam intra illud spatium rei criminum capitalium non amplius defendantur. imò alicubi simplices etiam fures Immunitate non gaudent, ut cum *cit.* Barbos. testis est Pal. *tr.* 11. *D. un. part.* 5. *n.* 5.

Neque contrarium probatur ex verbis Constitutionis 101
Gregorianæ allegatis pro adversa sententia; nam ex iis solum evincitur, quòd per eam sublatæ sint consuetudines eo tempore existentes, non verò inducendæ in futurum: quæ tamen, quia quid facti sunt, non præsumuntur, sed probari debent esse legitimo modo inductæ, ut attentari aliquid contra Constitutionem *cit.* possit. *Ad Conf.* Trid. & Pontifex *l. citt.* non loquitur de Immunitate locali, sed personali solum, & reali, quæ Ecclesiasticas Personas, earumque, & Ecclesiarum res, bona, & Jura respicit, ut facilè patebit expendenti textus allegatos.

Dub. 5. qualis Interpretatio, stricta, an lata adhibenda sit, quando dubitatur, an reus Asylo gaudeat? 102

Covar. *l.* 2. *var. c.* 20. *n.* 4. *verf. fecundum in fin.* Curtell. *de immunit. l.* 1. *q.* 4. *n.* 18. Decian. *tr. crim. l.* 6. *c.* 25. *n.* 14. Card. de Luca *Theatr. V. & J. de Immunit. Difcurf.* 2. *n.* 6. & *Difc.* 10. *n.* 10. volunt adhibendam interpretationem ftrictam. *Rationem dant.* 1. quia Immunitas hæc derogat Juri communi, imò & naturali, quo cavetur, ne delicta maneant impunita. 2. Quia hac Immunitate audaciores redduntur improbi ad crimina committenda. 3. Quia Ecclefia favere intendit non fceleratis, fed miferis, & cafu delinquentibus. 4. Quia ob frequentiam, & vicinitatem Ecclefiarum, & Domorum Regularium in Civitatibus, ac locis frequentatis facinorofi femper invenirent tutelam. 5. Quia in concurfu boni publici, ac privati præferendum eft publicum. atqui publici boni ratio exigit puniri fcelera, ergo immunitas piorum locorum, faltem cafu, quo dubium eft, an reus eadem gaudeat, fecundum boni publici exigentiam eft potius reftringenda, quam ob favorem privatum delinquentium extendenda.

103 Verum his non obftantibus, dicendum, in expofitione Jurium Immunitatem fpectantium, non quidem recedendum effe à propria, & communiter ufitata fignificatione verborum, fi tamen omnibus confideratis, dubium fit, an reus Afylo gaudeat, præferendam interpretationem latam, & favorabiliorem reo, ad hujufmodi loca facra fefe recipienti. Ita Marius Italia *l.* 1. *de Immunit. c.* 2. *n.* 21. Ambrofin. *tr. fimil. c.* 10. *n.* 7. Decian. *l.* 3. *conf.* 80. *à n.* 19. fibi contrarius. Farin. *append. de Immun. c.* 2. *n.* 21. Delben. *de Immun. Eccl. c.* 16. *dub.* 3. *num.* 3. Barbof. *l.* 2. *Jur. Eccl. cap.* 3. *n.* 90. Haun. *tom.* 6. *de J. & J. tr.* 1. *n.* 144. Vvieft. *hic n.* 42. & hoc tefte præcipui nominis DD. *Ratio eft* 1. quia eft de caufa pia, & favorabili Ecclefiæ; nam hujus potius reverentia, quam facinorofum favore conftituta in illa à Jure eft Afylia 2. Eft privilegium, & beneficium à Principe utriufque Reip. conceffum, & Corpori Juris communis infertum, quod latam interpretationem accipit. 3. Quia lata hujufmodi interpretatio nemini in particulari præjudicat, imò fundamentum in ufu recepto habet, quo tutus eft confuga etiam in atrio, vel porticu templi confiftens, aut anfam portæ ejufdem tenens, non alia profectò ex caufa, quam quod latæ interpretationis privilegium iftud fit; in odiofis enim atrium, & porticus non comprehenduntur Ecclefiæ nomine.

104 Argumenta in contrarium allata non probant efficaciter incertum. *Ad* 1. Jus commune folum præcipit puniri reum, nifi excipiatur à pœna per privilegium. *Ad* 2. quòd aliqui fpe Immunitatis audaciores fiant, per accidens eft, & propter abufum ufus tolli non debet. *Ad* 3. Ecclefia utrifque favere intendit non tam intuitu perfonarum propriarum, quàm, ut antea dixi, intuitu fanctitatis loci, cui primario, & principaliter conceffa Immunitas eft. *Ad* 4. Ecclefiarum, & Domorum Regularium frequentia, & vicinia non facit, ut ipfis, & cujus Cultui dicata funt, Divino Numini minus reverentiæ, & honoris debeatur; conf. etiam non minuit, vel reftringit Afyliam, & quæ hanc concernunt Jura, cùm & ipfa intuitu Cultus Divini conceffa fint. *Ad* 5. etiam Immunitas conceffa eft in favorem Religionis, cujus fumma eft ratio *l. funt perfonæ* 43. *ff. de Relig. & fumpt. fun.*

105 Dub. 6. an cum Jus Civile, & Canonicum in cafu Immunitatis non concordant, interpretatio facienda fit fecundum Jus Civile, an verò fecundum Jus Canonicum? Angel. *de maleficiis V. quod fama n.* 59. Alciat. *de præfumpt. Reg.* 3. *præfumpt.* 33. *n.* 5. & quidam alii putant eo cafu in Terris dominio Ecclefiæ temporali fubjectis obfervandum Jus Canonicum, Civile autem in Terris Imperii faltem in fæculari foro.

Sed melius Alberic. *in Rubr. C. de his, qui confugiunt &c.* Alex. *l.* 7. *conf.* 45. *n.* 2. Boerius *Decif.* 109. *n.* 3. *fin.* Covar. *l.* 2. *var. c.* 20. *n.* 3. Curtell. *de Immun. Eccl. l.* 1. *quæft.* 32. *num.* 27. Peregrin. *de Immun. cap.* 7. *num.* 19. Suar. *tom.* 1. *de Relig. tr.* 2. *l.* 3. *cap.* 8. *num.* 11. Farin. *Append. de Immun. cap.* 2. *num.* 28. Pal. *tr.* 11. *D. un. p.* 5. *num.* 4. Guazzin. *reor. defenf.* 1. *c.* 29. *num.* 8. Delben. *de Immunit. cap.* 16. *dub.* 5. *num.* 1. *& feqq.* Canif. *in c.* 1. *hoc tit. n.* 22. Fagnan. *in c. inter alia* 6. *eod. num.* 37. Gonzal. *ibid. num.* 2. Haun. *tom.* 6. *de J. & J. tr.* 1. *n.* 143. Pignatell. *tom.* 5. *confult.* 5. *n.* 77. Vvieft. *hic n.* 40. & hoc tefte plerique melioris notæ DD. fentiunt, Jus Canonicum in hac materia ubilibet fervandum, & fecundum illud occurrentes controverfias in foro utroque decidendas. *Ratio eft*, quia hæc materia eft Ecclefiaftica, in qua Jus Civile nullam Jurifdictionem habet, nifi ad fovendam difpofitionem Juris Canonici. *Accedit*, quia Judex Sæcularis compelli à Judice Ecclefiaftico poteft, ut is Leges Ecclefiafticas, forum fuum refpicientes, fervet *c. fæculares* 2. *de for. compet. in* 6. *c. decernimus* 8. *de fent. Excom. eod.* & *Clem.* 1. *de pœn. & remiff.*

Sed quid, fi dubium aliquod oriatur fuper interpretatione Juris Canonici? Refp. tum, ut rectè cum *Farin. Decian.* & aliis DD. Pal. *n.* 4. *cit.* & Delben. *cit. dub.* 5. *n.* 6. monent, illa interpretatio fequenda eft, quæ cum Jure Civili convenit; nam Jura Juribus convenire decet, & Jurium correctio, quoad fieri poteft, vitanda eft. Hæc tamen explicatio, & declaratio non à Judice Sæculari, fed Ecclefiaftico facienda eft, cum privilegium Ecclefiæ datum tangat, Delben. *n.* 8. cum *Farin.* & aliis *fupra* allegatis. 106

§. III.

De Locis, Sacri Afyli Jure gaudentibus.

SUMMARIUM.

107 *Jus Afyliæ competit Ecclefiis, & earum Cœmeteriis.*
108 *Hofpitalibus, & Conventibus Regularium.*
109 *Oratoriis Epifcopi authoritate erectis.*
110 *Domui, feu Palatio Epifcopi.*
111 *Et reliquis locis Sacris, ac Religiofis.*
112 *Ecclefia, ut Afylo gaudeat, non debet neceffario effe confecrata.*
113 *Vel benedicta.*
114 *Aut plene conftructa.*
115 *An neceffarium fit, ut in ea Divina fint celebrata?*
116 *Deciditur negativa.*
117 *Ratio decifionis.*
118 *Refpondetur ad oppofita.*
119 *An Afylia gaudeat Ecclefia interdicta?*
120 *Polluta, & nondum reconciliata?*
121 *Deftructa?*
122 *Quoufque fe extendat Privilegium hoc conceffum Ecclefiis, & hujufmodi locis piis?*
123 *An tutus fit apprehendens januam Ecclefiæ claufam?*
124 *Exiftens fupra ejufdem tectum?*
125 *Confugiens ad ejus fcalas?*
126 *Evadens in murum illius?*
127 *Immunitate gaudent Sacriftia, porticus, atrium &c. Ecclefiæ.*
128 *Horti, area &c. Monafteriorum.*
129 *Quid dicendum de fpatio 40. vel 30. paffuum?*
130 *Refpondetur ad Rationem dubitandi.*
131 *Utrum Jure Afyli gaudeant Oratoria privata?*
132 *Ratio decidendi.*
133 *Quid præfumendum, quando dubium eft, qua authoritate erectum fit Oratorium?*
134 *An Jus Afyli habeat Domus Epifcopi exiftens extra 40. paffus?*
135 *Quid fi Capellam non habeat.*
136 *Deciditur affirmativa.*
137 *Explicatur decifio.*
138 *Solvuntur Argumenta contraria.*
139 140 *An privilegium Afyli habeant Palatia Cardinalium?*
141 *Vel Oratores fupremorum Principum in fuis domibus?*
142 *An immunis fit, cui Cardinalis occurrens imponit galerum rubrum?*
143 144 145 *Fugiens ad Tabernaculum Euchariftiæ, vel ad Sacerdotem, qui portat ad infirmum S. Viaticum?*
146 *Vel Oleum Sacrum?*
147 148 149 *Aut qui confugit ad Altare portatile, & fecum illud aufert?*
150 151 *Utrum Jure Afyli gaudeat Crux erecta in via, vel Reliquiæ Sanctorum?*
152 153 *Aut Statuæ Principum?*

Quæritur 1. quibus Locis Sacris Jus Afyliæ competat? Refp. 1. & principaliter Jus iftud competit *Ecclefiis*, Epifcopi authoritate erectis. Sic omnes DD. & manifeftum eft ex utroque Jure. 107

2. *Cœmeterio*, prout patet ex *Rubr.* & *c. fin. hoc tit.* Et hoc intelligendum eft non tantum de Cœmeterio contiguo Ecclefiæ, fed etiam de feparato; nam hoc ipfo, quòd fidelium fepulturæ deftinatum fit, præfumitur effe benedictum, & Epifcopi authoritate facratum. Navarr. *Man. c.* 25. *verf. Cœmeterium*, Germon. *de Sacr. immunit. l.* 3. *num.* 31. *& feqq.* Marius Italia *de immunit. Eccl. l.* 1. *cap.* 4. §. 7. *num.* 28. & *feqq.* Jordan. *l.* 11. *tit.* 3.

tit. 3. *n.* 196. Canis. *in c.* 1. *h. tit. n.* 3. Barbos. *in c.* 7. *hoc tit. n.* 6. & *l.* 2. *Jur. Eccl. c.* 3. *n.* 63. Delben. *de immunit. c.* 16. *dub.* 9. *sect.* 9. *num.* 2. Engl *hic n.* 10. *vers. quòd verò*, Schamb. *ibid. n.* 10. Konig *n.* 5. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de Jur. Eccl. c.* 4. *n.* 23.

108 3 *Hospitali*, si Episcopi authoritate erectum sit, & cum Altari ad celebrandum; quia est locus Sacer, & Religiosus *c. adhæc* 4. *de Relig. Domib.* ac propterea omnia privilegia, Ecclesiis concessa, etiam ad hujusmodi Hospitalia porriguntur *l. omnia* 35. *C. de Episc. & Cleric.* Decian. *tr. crim. l.* 6. *c.* 24. *n.* 32. Franc. Leo *Thes. for. Eccl. p.* 1. *c.* 13. *Rubr. de immun. Eccl. num.* 8. Mar. Ital. *c.* 4. *cit.* §. 8. *n.* 1. *&* 2. *vers. unicum adhuc*. Farin. *Append. de immun. c.* 17. *n.* 265.

4 *Monasteriis, Conventibus*, & *Collegiis Regularium*, ut patet ex Constitutione Gregoriana ibi, *Super abducendis, vel extrahendis ab Ecclesiis, Monasteriis, Sacellis, Domibus Regularibus, & Sæcularibus &c.* & ratio est, quia sunt loca Divinis obsequiis deputata, propter quam potissimum causam Ecclesiis nondum consecratis immunitas adstruitur *c. Ecclesiæ* 9. *h. tit.*

109 5. *Oratoriis*, etiam quæ erecta sunt in domibus privatis, si Episcopi authoritate erecta sint; nam tunc Cultui Divino perpetuo sunt deputata, neque ad usus profanos redire possunt, ac proinde sunt Loca propriè Religiosa. Host. *in c. Ecclesiæ cit. ante n.* 1. *vers. Unde Oratoria*, Joan. Andr. *ibid. V. Ecclesia n.* 1. Ancharan. *num.* 2. Ant. de Butr. *n.* 3. Abb. *n.* 7. *vers. secundo quæritur*. Barbos. *num.* 10. Fagnan. *num.* 23. Gonzal. *n.* 2. quibus consentiunt Azor *p.* 2. *l.* 9. *c.* 8. *q.* 3. Suar. *l.* 3. *c.* 9. *n.* 10. Laym. *l.* 4. *tr.* 9. *c.* 3. *num.* 2. Pal. *tr.* 11. *D. un. p.* 6. *num.* 19. Guazzin. *defens. reor.* 1. *c.* 37. *n.* 29. Farin. *c.* 17. *cit. n.* 267. Delben. *sect.* 9. *cit. n.* 4. Pirh. *hic num.* 4. Schamb. *n.* 10. Vviest. *n.* 61.

110 6 *Domui*, seu *Palatio Episcopi*. Patet *ex can. id constituimus* 36. *caus.* 17. *q.* 4. *& ibi* Gloss. *V. vel domo.* Et hoc verum est, etiamsi Episcopus sit absens, & mortuus, modo non sit alteri locata domus. Mar. Ital. *c.* 4. *cit.* 4. §. 9. *n.* 4. Laym. *n.* 2. Jordan. *n.* 200. Pal. *n.* 20. Barbos. *n.* 70. Pal. *n.* 20. Delben. *sect.* 14. *n.* 2. Farin. *n.* 270. Illsung. *tr.* 5. *D.* 2. *n.* 258. Konig *hic n.* 8. Vviestner *n.* 70. & alii apud istos. Imò ex Decreto S. Congreg. 10. *Dec.* 1658. *in una Forlimpopuli* immunitate gaudet etiam Domus Parochi, teste Matthæuc. *Offic. Eccl. c.* 24. *n.* 25.

111 7 Denique Jus Immunitatis competit etiam omnibus aliis locis, quæ Jure Canonico Religiosa censentur, etsi Sacra non sint, ut habetur *c. adhæc cit.* & *l. omnia* 35. *C. de Episc. & Cleric.* & *l. citt.* notant Abb. *num.* 6. Azor *q.* 2. Suar. *num.* 9. Jordan. *n.* 213. Laym. *n.* 3. Barbos. *n.* 77. Pirh. *n.* 4. Schamb. *n.* 10. Vvagner. *in c. inter alia not.* 6.

Quæritur 2. quibus Ecclesiis competat Jus Asyli? Et 1. quidem dubitatur, an Jus Asyli habeat Ecclesia nondum consecrata, nondum benedicta, vel nondum plenè constructa?

112 *Ad* 1. dico non esse opus, ut Ecclesia ejusmodi sit consecrata, si authoritate Episcopi erecta, & ad publicum Sacrificii, & Sacramentorum usum, ac Divina Officia celebranda sit deputata, prout statuitur expressè *c. Ecclesiæ* 9. *h. tit.* & notat *ibid.* Gloss. *V. adimitur.* Host. *ante n.* 1. *V. eod.* Joan. Andr. *n.* 1. Abb. *n.* 1. *& seqq.* Angel. *V. Immunitas n.* 25. Sylv. *V. eod.* 1. *n.* 2. Tabien. *n.* 15. Armill. *num.* 19. Azor *p.* 2. *l.* 9. *c.* 8. *q.* 1. Suar. *l.* 3. *c.* 3. *n.* 1. *vers. imò etiam*. Ambrosin. *de Immunit. c.* 10. *num.* 2. Franc. Leo *Thesaur. for. eccl. p.* 1. *cap.* 13. *n.* 7. Mar. Ital. *de immun. l.* 1. *cap.* 4. §. 3. *n.* 12. Farin. *Append. de immunit. c.* 17. *num.* 275. Ratio est, quia ejusmodi deputatio instar consecrationis esse censetur; & sic talis Ecclesia jam haberi debet pro loco Sacro; & Religioso *can. præcepta* 8. junct. Gloss. *V. devotus de Consecr. dist.* 1. ideoque ad usus profanos, & humanos redire non debet *cap. adhæc* 4. *de Relig. Domib.* Gloss. *fin. in c.* 9. *h. tit.*

113 *Ad* 2. eo privilegio etiam gaudet Ecclesia nondum benedicta, modo habeat alias conditiones, ad effectum hunc requisitas. Ita Suar. *l.* 3. *cit. cap.* 9. *num.* 2. Vall. *hic num.* 4. *vers. hac porro*, Zoes. *num.* 8. Engl *n.* 10. Schamb. *n.* 6. Konig *num.* 3. cum *Abb. Angel. Sylv. Gregor. Lopez, Covarruvia*, & aliis pluribus. Colligitur ex *c. Ecclesia cit.* & hujus ratione; dicuntur enim ibi Ecclesiæ nondum consecratæ gaudere privilegio Immunitatis, quia Ecclesia, *obsequiis Divinis dedicata, nullius est temerariis ausibus profananda*. atqui potest Ecclesia aliqua sufficienter esse Divinis obsequiis dedicata, etiamsi benedicta non sit, si scilicet authoritate Episcopi, primum lapidem ponentis, ad usus Sacros sit deputata; tunc enim, ut *n. præced.* dictum est, jam est locus Sacer, & jam ad usus profanos redire non amplius potest. ergo &c.

Ad 3. pariter non est necessarium, ut Ecclesia sit plene constructa; quia ex quo ab Episcopo primus lapis positus, & loco Altaris, atque atrio designato, defixa ab eo Crux est, jam evasit locus Divinis obsequiis dicatus, ita, ut ad usus profanos redire non debeat *arg. can. nulli liceat* 3. *caus.* 12. *q.* 2. *c. adhæc* 4. *de Relig. Domib.* Abb. *in c. Ecclesiæ cit. n.* 5. Farin. *c.* 17. *cit. num.* 261. Jordan. *l.* 11. *tit.* 3. *n.* 185. Laym. *l.* 4. *tr.* 9. *c.* 3. *n.* 2. Barbos. *l.* 2. *Jur. Eccl. c.* 3. *n.* 62. *fin.* Delben. *de Immun. c.* 16. *dub.* 9. *sect.* 2. *n.* 1. Fagnan. *in c. Ecclesiæ cit. n.* 9. Haun. *tom.* 6. *de J. & J. tr.* 1. *n.* 147. Illsun. *tr.* 5. *D.* 2. *n.* 256. Schamb. *hic n.* 6. Konig. *n.* 3. *fin.* Vviest. *num.* 48. cum communi DD. 114

Quæritur 3. utrum Privilegio Immunitatis gaudeant etiam illæ Ecclesiæ, in quibus Divina nondum sunt celebrata? Negant Gloss. *in c. ecclesiæ* 9. *V. celebrantur h. tit.* Ant. de Butr. *ibid. num.* 3. Decian. *tr. crim. l.* 6. *c.* 24. *vers. conciliando*. Ambrosin. *de Immun. c.* 10. *n.* 2. Imo teste Covar. *l.* 2. *var. c.* 20. *n.* 4. & Tusch. *practic. V. ecclesia concl.* 9. *num.* 19. non desunt, qui Asyli Jus negant etiam iis Ecclesiis, in quibus Divina sunt celebrata, si in iisdem S. Eucharistia non asservetur. *Posteriores* pro hac sua opinione allegant praxin: *priores* fundant sese *c. Ecclesiæ cit.* verbis, ibi, *in qua Divina Mysteria celebrantur*: unde per Argumentum à sensu contrario inferunt, quod si in Ecclesia non sunt adhuc Divina Mysteria celebrata, nondum gaudeat privilegio Immunitatis. 115

Sed standum est pro affirmativa, quam etiam defendunt Abb. *in cap. Ecclesiæ cit. n.* 5. Sylv. *V. immunitas* 1. *q.* 1. Covar. *l.* 2. *var. c.* 20. *num.* 4. Clar. §. *fin. q.* 30. *n.* 4. Azor. *p.* 2. *l.* 9. *cap.* 8. *q.* 1. Suar. *l.* 3. *c.* 9. *n.* 2. Laym. *l.* 4. *tr.* 9. *c.* 3. *n.* 2. Jordan. *l.* 11. *tit.* 3. *num.* 183. Guazzin. *defens. reor.* 1. *c.* 37. *num.* 2. Farin. *Append. Immun. c.* 17. *num.* 254. *&* 258. Sperell. *decis.* 62. *n.* 20. Pal. *tr.* 11. *D. un. p.* 6. *n.* 3. Delben. *de Immunit. c.* 16. *dub.* 9. *n.* 9. Barbos. *l.* 2. *Jur. eccl. c.* 3. *n.* 59. & *in c. ecclesiæ cit. n.* 2. Vivian. *ibid. vers. & quamvis*. Fagnan. *n.* 9. Gonzal. *num.* 2. Zoes. *hic n.* 8. Vallens. *n.* 4. *vers. hæc porro*, Pirh. *n.* 2. Schamb. *n.* 6. *&* 7. Vviest. *n.* 47. Konig *n.* 3. Haun. *tom.* 6. *de J. & J. tr.* 1. *n.* 146. Illsung. *tr.* 5. *D.* 2. *n.* 256. Monacell. *Append. p.* 1. *fol.* 287. *n.* 12. Magnif. P. Schm. *p.* 3. *de Jur. eccl. c.* 4. *n.* 19. & colligitur ex *c. adhæc* 4. *de Relig. Domib.* 116

Ratio est, quia causa, ob quam Immunitas Ecclesiis concessa est, est quia est locus Sacer, & Religiosus, ac Divino Cultui authoritate Episcopi deputatus, talis autem jam est, etiamsi Divina ibidem nondum sit celebrata, nec Sacra Eucharistia ibi asservetur. ergo &c. *Conf.* si talis Ecclesia polluta fuerit sanguinis, aut seminis humani effusione, reconciliatione indiget, ut probat *c. fin. de consecr. eccl.* igitur locus Sacer, & Religiosus est, cons. immunitate gaudet. 117

Neque obstant Argumenta adversæ partis. *De praxi* magna est controversia, an legitima illa sit, vel uspiam extet. *Ad textum c. ecclesiæ* allegatum Suar. *l. cit. num.* 5. & alii dicunt, intentionem Pontificis non fuisse, ut actualem Missæ celebrationem, in tali Ecclesia peractam, requireret tanquam conditionem *sine qua non*, sed tantum voluisse, ut Ecclesia, quæ gauderet immunitate, saltem esset apta, ut ibi celebrari possint Divina Mysteria. fit autem apta per publicam deputationem Episcopi. ergo &c. 118

Quæritur 4. an Privilegio Asyliæ gaudeat Ecclesia interdicta, polluta, destructa? Resp. *ad* 1. affirmativè. Ita Abb. *in c. Ecclesiæ cit. num.* 8. Sylv. *V. immunitas* 1. *q.* 1. *dict.* 2. Host. *in Summ. h. tit. n.* 9. Tusch. *practic. concl. V. Ecclesia concl.* 9. *num.* 9. Decian. *tr. crim. l.* 6. *c.* 25. *num.* 20. Azor *p.* 2. *l.* 9. *c.* 8. *quæst.* 4. Suar. *l.* 3. *c.* 9. *num.* 6. Farin. *Append. immun. c.* 17. *num.* 259. Laym. *l.* 4. *tr.* 9. *c.* 3. *num.* 2. Guazzin. *reor. defens.* 1. *cap.* 37. *num.* 33. Delben. *c.* 16. *dub.* 9. *sect.* 4. *num.* 1. Jordan. *l.* 11. *tit.* 3. *n.* 187. Canis. *in c.* 1. *h. tit. n.* 21. Fagnan. *in c. Ecclesiæ cit. n.* 11. *&* 12. Gonzal. *ibid. n.* 2. Barbosa *num.* 3. & *l.* 2. *Jur. eccl. c.* 3. *n.* 60. Vallens. *hic num.* 4. *vers. hac porro*. Zoes. *n.* 8. *vers. quid si*. Honor. *n.* 5. Engl *n.* 11. Pirh. *n.* 3. Schamb. *n.* 7. Vviestner *num.* 57. Haun. *n.* 148. Illsung. *n.* 256. *Ratio est*; quia per Interdictum non cessat esse locus Sacer. atqui ob reverentiam loci Sacri immunitas hæc constituta est. ergo &c. *Conf.* à simili; nam etsi Clericus aliquis sit interdictus, suspensus, excommunicatus, privilegium tamen immunitatis, Clericis competens, nempe fori, & Canonis, retinet. ergo etiam Ecclesia, licet sit interdicto subjecta, retinebit privilegium immunitatis conveniens Ecclesiis cæteris, & locis Sacris. 119

120 *Ad* 2. iterum dicendum Asyliæ Jus retinere etiam Ecclesiam pollutam, etiamsi nondum reconciliata sit. Ita Suar. *l. cit.* Laym. *n.* 2. *q.* 2. Pal. *p.* 6. *n.* 7. Delben. *f.* 3. *n.* 1. Jordan. *n.* 187. Fagnan. *n.* 13. Gonzal. *num.* 2. Barbosa *n.* 4. Zoes. *n.* 9. cum cæteris *supra*. *Ratio est;* quia nullum Jus extat, quod pollutam Ecclesiam spoliet hoc privilegio. atqui causæ inducentes effectum pœnalem plus non operantur, quam fit statutum in Jure, quod effectum pœnalem decernit ad talem causam, ergo &c. *Proceditque* hoc, etiamsi talis Ecclesia ab Hæreticis esset occupata, quia per hoc non cessat esse locus Sacer. Pirh. *n.* 17. *h. tit. fin.*

121 *Ad* 3. est adhibenda distinctio: Vel enim destructa est authoritate Superioris, & sine spe reædificationis, vel absque Superioris authoritate, aut cum illa quidem, sed cum spe reædificationis. *Si primum*, non amplius immunitatem habet, cum cesset hoc ipso esse locus Sacer, & fiat profanus, ut recte advertunt Clar. §. *fin. q.* 30. *n.* 6. Bonacin. *D.* 3. *q.* 7. *p.* 4. *num.* 4. Fagund. *l.* 4. *c.* 4. *n.* 37. Guazzin. *n.* 34. Delben. *sect.* 5. *n.* 1. Jord. *n.* 185. Fagnan. *n.* 13. Barbosa *n.* 5. Engl *n.* 10. *vers. item Ecclesia*. Pirh. *n.* 3. *vers. imo*. Schamb. *n.* 9. Vvieft. *n.* 58. cum aliis *supra*. Neque obstat, quod adhuc appelletur Ecclesia; hoc enim nomen non proprie amplius, sed vulgo solum, & in sensu ampliativo eidem competit. *Si secundum*, & *tertium*, etiamnum immunitate gaudet, ut cum DD. *citt.* notant Canis. *in c.* 1. *h. tit. num.* 21. Farin. *Append. immunit. cap.* 17. *n.* 260. & ratio est, quia tunc locus, seu fundus manet Sacer. §. *sacræ* 8. *fin. Institut. de rer. divis. l. in tantum* 6. §. *Sacræ* 3. *vers. semel ff. eod. l. æde Sacra* 73. *prim. ff. de contrah. empt.* igitur etiam manet Privilegium Immunitatis.

122 Quæritur 5. quousque se extendat Privilegium hoc immunitatis, concessum Ecclesiis, & hujusmodi locis piis? Sunt, qui nomine Ecclesiæ hic solum velint intelligi corpus ejus interius, sive spatium inter laterales parietes à pavimento usque ad fornicem, vel tabulatum, & ab eo, qui est post aram summam, usque ad parietem huic oppositum: & videtur hoc colligi à pari; quia sic etiam accipitur nomen Ecclesiæ, quando agitur de ejus violatione, ut dictum est *supra Tit.* 40. *n.* 81.

Sed dicendum, casu, quo agitur de immunitate, Ecclesiæ (& Monasterii) nomen accipiendum late, prout non solum ejus corpus, & spatium, sive ambitum Templi interiorem, sed totam ejus fabricam, cique exterius conjuncta, & ad id spectantia ædificia omnia complectitur. Ita decisum est utroque Jure, Civili *l. pateant* 3. *C. de his, qui confug. ad Eccl.* Canonico *can. siquis contumax* 20. *can. id constituimus* 36. *caus.* 17. *q.* 4. *Ratio est;* quia quæ Religiosis adhærent, Religiosa reputantur *leg. sunt personæ* 43. *ff. de Relig. & sumpt. fun.* denominatione à principali extensa ad accessorium. *Reg. accessorium* 42. *in* 6.

123 *Atque hinc sequitur* 1. securum esse, qui ad Ecclesiam confugit, & qui portas ejusdem clausas reperit, vectem, seu ansam portæ manu apprehendit, & retinet. Ita Host. *in c. Ecclesiæ* 9. *n.* 2. *vers. multò fortius h. tit.* Angel. *in Summ. V. immunitas n.* 18. Sylv. *V. eod.* 3. *n.* 1. *fin.* Covar. *l.* 2. *var. c.* 20. *n.* 18. Suar. *l.* 3. *c.* 9. *n.* 10. *vers. tandem*. Ambrosin. *de immun. c.* 10. *n.* 1. Mar. Ital. *de immunit. l.* 1. *c.* 4. §. 10. *per tot.* Farin. *Append. immunit. c.* 17. *n.* 275. Laym. *l.* 4. *tr.* 9. *c.* 3. *n.* 3. Delben. *c.* 16. *dub.* 9. *sect.* 6. *n.* 6. Vvagnereck *in c. inter alia* 6. *h. tit. not.* 5. Barbosa *ibid. n.* 8. & *l.* 2. *Jur. Eccl. c.* 3. *n.* 65. Haun. *tom.* 6. *de J. & J. tr.* 1. *n.* 150. Pignatell. *tom.* 6. *consult.* 27. *n.* 6. Zoes. *hic n.* 10. Pirh. *n.* 17. Engl *n.* 10. Ratio est, quia saltem adhæret Ecclesiæ. Et hoc verum est, etiamsi totum corpus sit extra locum Sacrum, & extra fines illius; nam & tunc adhuc illum esse tutum affirmat, & ita vidisse observari, & observasse se, dum erat Assessor, testatur Decian. *tr. crim. l.* 6. *c.* 25. *n.* 17. *ad fin. vers. & janua*.

124 2 Eadem immunitate gaudet, si quis existat supra tectum Ecclesiæ, nam Ecclesia, & quælibet domus tum ex solo, tum ex tecto, ejusque superficie constat *l. cum qui* 23. *pr. ff. de Usucap.* Gloss. *ibidem V. constant.* Sperell. *dec.* 63. *n.* 10. Laym. *n.* 3. Delben. *n.* 9. Vvagner. *not.* 5. Barbosa *n.* 66. Haun. *num.* 151. Pignatell. *n.* 10. Vvieltn. *n.* 53. Et hoc adeo verum est, ut non possit delinquens capi per eam pallii, aut vestimenti partem, quæ prominet extra tectum, valvas, aut alium locum immunem; quia adhuc diceretur extrahi ex loco Sacro. Ita *l. citt.* Covar. *num.* 17. *vers. trigesimo tertiò*. Azor *q.* 5. Suar. *n.* 8. Decian. *n.* 17. Delben. *n.* 17. *vers. Et hoc*. Quia neque potest capi per eam corporis partem, quam delinquens habet extra locum Sacrum, ut si extrahatur brachio, vel pede, extra locum Sacrum extenso, reliquis corporis partibus intra locum Sacrum existentibus.

125 3 Ob easdem rationes tutus est confugiens ad scalas Ecclesiæ. *Angel. Tusch. Farin.* & sequitur Pal. *tr.* 11. *D. un. p.* 6. *num.* 9. Barbos. *l.* 2. *Jur. Eccl. c.* 3. *num.* 66. Delben. *sect.* 6. *cit. num.* 11. Pirh. *hic num.* 3. Idem dicendum de eo, qui se recipit ad Campanile Ecclesiæ, licet illud ab hac sejunctum sit. Dian. *p.* 4. *tr.* 1. *resol.* 108. Novar. *tit. de immun. Eccl. num.* 26. Barbosa *n.* 66. *cit.* Delben. *num.* 12. Imo gaudet immunitate etiam via silice strata, vel murus sessilis, sive ambulatorius circum Ecclesiam, modo eidem adhæreat, saltem ad quinque passus fabriles. Pignatell. *tom.* 9. *consult.* 19. *num.* 1.

126 4 Privilegio Asyli indubitato gaudet, qui evadit in murum Ecclesiæ, vel in hoc consistit. An vero eadem etiam gaudeat, qui exteriorem templi parietem tangit, vel amplectitur, controversia inter DD. est. P. Vvieftner *hic num.* 56. *fin.* putat, si consuetudo consulatur, tenendam negativam. Sed hæc, ut *num.* 101. dixi, probanda est; nam ab hac præscindendo dicendum gaudere. Ita Riccius *prax. tom.* 3. *resol.* 560. *n.* 8. Novar. *in Summ. Bullar. de immunit. num.* 16. Bonac. *de Legib. tom.* 2. *D.* 3. *q.* 7. *p.* 4. *num.* 5. Dian. *p.* 3. *tr.* 1. *resol.* 73. Trull. *Decal. tom.* 1. *l.* 1. *cap.* 11. *dub.* 1. *num.* 4. Delben. *de Immunit. c.* 16. *dub.* 9. *sect.* 8. *num.* 15. estque teste Pignatell. *tom.* 6. *consult.* 27. *num.* 2. sæpius declaratum à *S. Congreg. Episc.* per hæc verba: *Qui elapsus è manibus satellitum confugit ad Ecclesiam, vel apprehendit parietem, aut seras januæ, gaudet Immunitate.* 13. *Mart.* 1604. & 20. *Dec.* 1616. & *in Amerin.* 18. *Febr.* 1632. *in Camerin.* 13. *Julii* 1638. sic: *Adhærens muro Ecclesiæ gaudet immunitate.*

127 5 Extendi Privilegium immunitatis debet ad omnia loca, & habitacula, Ecclesiæ quomodolibet adhærentia, ut sunt Sacristia, porticus, atrium &c. Constat ex *l. pateant* 3. *C. de his, qui confug. ad Eccl.* ibi: *Quidquid fuerit interjacens sive in cellulis, sive in domibus, hortulis, balneis, atque porticibus, confugas interioris templi vice tueatur &c.* Farin. *c.* 17. *cit. num.* 268. Laym. *l.* 4. *tr.* 9. *c.* 3. *num.* 2. Delben. *c.* 16. *dub.* 9. *sect.* 7. *num.* 1. Canis. *in c.* 1. *h. tit. num.* 14. Vvagnereck *in c. inter alia not.* 4. Gonzal. *in c. Ecclesiæ* 9. *h. tit. num.* 2. Fagnan. *ibid. n.* 15. Barbos. *num.* 7. & *l.* 2. *Jur. Eccl. c.* 3. *n.* 64. Vvieftn. *hic n.* 52.

128 6 Simili, qua ipsa Monasteria, immunitate gaudere debent etiam horti, areæ, & domus familiarium, stabula animalium &c. si tamen intra septa Monasterii contineantur. Rodriq. *tom.* 2. *qq. Regul. q.* 75. *art.* 2. Portell. *V. immunitas n.* 3. Lezan. *V. eod. num.* 3. Laym. *n.* 2. *cit.* Delben. *sect.* 11. *n.* 1. Barbos. *c.* 3. *n.* 72. Ranbeck *Panopl. D.* 4. *c.* 4. *num.* 19. Konig *hic n.* 4. Vvieft. *ibid. n.* 54. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de jur. Eccl. cap.* 4. *n.* 25. Secus dicendum de domibus, quas Religiosi ab Ecclesiis, & Conventibus suis separatas in villis, & urbibus recreationis, vel alterius honesti usus causa habent; nam his verisimilius contra Rodriq. *l. cit.* Jus Asyliæ negant Lezan. *V. cit. num.* 3. *ad fin.* Barbosa *n.* 76. Delben. *num.* 4. Vvieft. *num.* 55. quod Jus istud non quibuscumque Regularium Domibus, sed iis tantum, quæ ad eorum habitationem sub Regula, & Clausura inserviunt, concessa sit.

129 7 Denique nonnulli cum Abb. *in c. Ecclesiæ* 9. *h. tit. n.* 10. Vallens. *hic n.* 4. *vers. quin imò*, Honor. *ibid. n.* 5. privilegium hoc extendunt ad 40. passus in Ecclesia Cathedrali, in aliis inferioribus ad 30. per circuitum: quod desumunt ex *can. sicut antiquitus* 6. & *can. definivit* 35. *caus.* 17. *quæst.* 6. Verum ex his textibus id clare non infertur, præsertim si usus spectetur; nam 1. textus illi hos 40. vel 30. passus concedunt tantum reo, qui jam confugit ad Ecclesiam, ut possit ad tale spatium ab Ecclesia egredi ad requisita naturæ. Tabien. *V. immunitas num.* 13. *vers. limita*. Delben. *c.* 16. *dub.* 9. *sect.* 8. *num.* 7. Haun. *tom.* 6. *tract.* 1. *num.* 152. id desumens ex *can. definivit cit.* ibi, *Sit licitum in* 30. *passus ab Ecclesiæ januis progredi:* cui consonat Concilium Toletanum XII. *can.* 10. ita statuens: *His ipsis, qui Ecclesias petunt, per omnia licitum sit in* 30. *passibus ab Ecclesiæ januis progredi, in quibus* 30. *passibus cujuscunque Ecclesiæ in toto circuitu defendatur.* 2. alii cum Decian. *l.* 6. *c.* 25. *n.* 6. Ambrosin. *c.* 10. *n.* 4. Farin. *c.* 18. *n.* 290. putant eos textus intelligendos de Ecclesiis, quæ sunt extra murorum ambitum; nam Ecclesiæ, & Capellæ, quæ sunt intra murorum ambitum, ut clare ostendit experientia, non extendunt immunitatem suam ad tale spatium; ne aliquando tota aliqua Urbs Asylum sit. 3. nonnulli fatentur ita extensam immunita-

tem

tem jure antiquo, sed hoc jus contraria consuetudine sublatum esse. Clar. §. *fin. quæst.* 30. *num.* 2. Covar. *l.* 2. *var. cap.* 20. *num.* 5. Barbosa *l.* 2. *Jur. Eccl. c.* 3. *num.* 38. Pignatell. *tom.* 6. *consult.* 25. *num.* 13. quam consuetudinem approbasse videtur Sacr. Coogreg. immunit. *in Narniens.* 27. *Jan.* 1665. ubi, ut testis est idem Pignatell. *tom.* 1. *consult.* 416. *&* 463. & Matthæuc. *Offic. Eccl. c.* 24. *num.* 25. Sanctissimo approbante statuit hodie immunitate non gaudere plateam Cathedralis. Laym. *l.* 4. *tr.* 9. *c.* 3. *n.* 2. *fin.* putat per consuetudinem, qua hodie utimur, pro dictorum passuum circuitu nunc tali Jure gaudere ambitum Cœmeterii ab Episcopo deputatum.

130 *Ad Argumentum* in contrarium allatum *num.* 122. negatur paritas, quia effectus pollutionis pœnalis est, privilegium Asyli gratiosum, & favorabile, ut adeo mirum non sit, in illo casu Ecclesiæ nomen sumi strictè, in isto latè.

131 Quæritur 6. utrum Jus Asyli habeant Oratoria, erecta non authoritate publica Episcopi, sed privata, ut sunt multæ Capellæ in Ædibus privatorum, & aliquando etiam Oratoria Confraternitatum? Resp. non gaudere, etiamsi talia sunt, ut in ipsis de licentia Episcopi in Altari mobili, seu, ut vocant, portatili Missæ celebrari possint. Ita Innoc. *in c. inter* 8. *de Donation. n.* 2. Sylv. *V. immunitas* 3. *num.* 1. Covar. *l.* 2. *var. cap.* 20. *n.* 4. Navar. *Man. c.* 25. *num.* 17. *&* 18. Suar. *tom.* 2. *de Relig. l.* 3. *c.* 9. *num.* 10. Azor *p.* 2. *l.* 9. *c.* 8. *q.* 3. Bonacin. *D.* 3. *q.* 7. *p.* 4. *n.* 14. Jordan. *l.* 11. *tit.* 3. *n.* 198. Guazzin. *reor. defens.* 1. *c.* 37. *num.* 30. Delben. *c.* 16. *dub.* 9. *sect.* 12. *num.* 1. Laym. *l.* 4. *tr.* 9. *c.* 3. *num.* 2. Ant. à S. Spirit. *de Pœnit. Sacr. tr.* 5. *D.* 8. *n.* 586. Canis. *in c.* 1. *h. tit. n.* 19. Fagnan. *in c. Ecclesiæ* 9. *eod. num.* 25. Vvagnereck *in cap. inter alia not.* 3. Illsung. *tr.* 5. *D.* 2. *num.* 256. Honor. *hic n.* 10. Engl. *n.* 11. Konig *n.* 6. Vviestn. *n.* 62. allegantque pro se Declarationes S. Congr. Episc. *in Marsiensi* 17. *Nov.* 1617. & S. Congreg. Immun. *in Perusin.* 9. *Nov.* 1631.

132 *Ratio est*, quia Immunitas solum indulta est Ecclesiis, & locis Sacris, ac Religiosis, hisque conjunctis, & adhærentibus *can. si quis contumax* 20. *can. id constituimus* 36. *caus.* 17. *q.* 4. *cap. Ecclesiæ* 9. *& cap. fin. hoc tit. l. pateant* 3. *Cod. de his, qui confugiunt &c. & Constit. Gregorian. cit.* atqui hujusmodi Oratoria simpliciter loquendo juxta modum Juris non sunt Ecclesia, imò nec locus Religiosus; nam privata authoritate erecta sunt, & eadem authoritate ad usus profanos iterum converti possunt, quod utrumque repugnat loco Sacro, & Religioso proprie, ac strictè accepto. Addidi, *id procedere, etiamsi de licentia Episcopi in tali Oratorio Missæ Sacrificium celebrari possit*; quia per hoc non fit talis locus immutabiliter deputatus ad ministeria Sacra, quod requiritur, ut locus aliquis Sacer constituatur, & privilegio Asyli gaudeat.

133 *Sed quæres*, si dubium sit, an Episcopi authoritate erectum sit Oratorium, quid præsumendum sit? Resp. in dubio præsumi erectum authoritate Episcopi, si ibidem Divina celebrentur, omnibus indifferenter ad ea audienda admissis, præsertim si cymbalum habeat super tectum, quod publice pulsetur: nam privatis Oratoriis hæc publica cymbali pulsatio non conceditur. Germon. *de Sacror. Immunit. l.* 3. *cap.* 16. *num.* 29. *&* 30. Tusch. *pract. V. Ecclesia concl.* 9. *n.* 15. *& V. Immunitas concl.* 59. *num.* 14. Azor *p.* 2. *lib.* 9. *cap.* 8. *quæst.* 3. Suar. *l.* 3. *cap.* 9. *num.* 10. Mar. Ital. *de Immun. cap.* 4. §. 4. *per tot.* Bonacin. *p.* 4. *n.* 15. Farin. *Append. Immun. cap.* 17. *num.* 267.

134 Quæritur 7. an Immunitate gaudeat etiam Domus, & Palatium Episcopi, extra 40. passus per circuitum ab Ecclesia Cathedrali positum? *Certum est* ex omnium fere sententia, quod Immunitate gaudeat Domus Episcopi ita distans, si habeat Capellam; nam ratione hujus est locus Sacer, & Religiosus. Neque hoc peculiare est in Domibus Episcoporum, sed commune cum Domibus etiam Laicorum, si Capella, quam habent, Episcopi authoritate erecta sit.

135 *Controversia* inter DD. est, si Palatium Episcopi ita distans Capellam non habeat. *Negativam* defendunt Innoc. *in cap. inter alia* 6. *V. sed alii hoc tit.* Ant. de Butr. *ibidem num.* 9. Curtell. *de Immun. lib.* 1. *quæst.* 17. Covar. *lib.* 2. *var. cap.* 20. *num.* 5. *vers. quinto.* Decian. *lib.* 6. *cap.* 25. *num.* 14. Piasec. *prax. Episcop. p.* 2. *cap.* 4. *n.* 2. Guazzin. *reor. defens.* 1. *cap.* 37. *num.* 25. Bonacin. *D.* 3. *q.* 7. *p.* 4. *n.* 11. ex quorum opinione Domus Episcopi Jus Asyliæ non habet, nisi vel sit intra 40. passus, vel saltem Oratorium habeat. *Fundantur* 1. quia Domus Episcopi per *can. Episcopus vilem* 7. *dist.* 41. *& can. Episcopus* 4. *de Consecr. dist.* 3. debet esse contigua Ecclesiæ; igitur Immunitate non gaudent, si distet; 2. quia consuetudine, & usu forensi sic receptum est, ut Covar. & Decian. *loc. cit.* testantur. 3. quia Immunitas conceditur ob locum Sacrum, qui est Ecclesia; atqui Domus Episcopi ultra 40. passus distans neque est Ecclesia, neque ei confinis; ergo &c.

Sed probabilius est, Domum Episcopi, etiamsi ultra 40. passus distat, & Capellam non habeat, habere Jus Asyliæ. Ita Card. Tusch. *V. Ecclesia concl.* 9. *n.* 11. *& concl.* 10. *n.* 8. Navar. *Man. cap.* 25. *n.* 17. *fin.* Suar. *tom.* 1. *de Relig. l.* 2. *cap.* 9. *n.* 9. Farin. *prax. crim. q.* 28. *n.* 38. Pal. *tract.* 11. *D. un. p.* 6. *num.* 21. Delben. *de Immunit. cap.* 16. *dub.* 9. *sect.* 14. *num.* 8. & alii apud istos, ob triplicem maxime rationem. 1. quia *can. id constituimus* 36. *caus.* 17. *quæst.* 4. expresè & nulla limitatione addita, hoc privilegium Domui Episcopali conceditur. 2. quia alias Domus Episcopi supra alias Domus Ecclesiæ, vel Canonicorum nullum haberet speciale privilegium; nam & istæ, si existant intra 40. passus, ut cum aliis notat Ambrosin. *de Immunitat. cap.* 10. *num.* 8. Jus Asyli habent. 3. quia Domus habentes Capellam, ut *n.* 134. monui, juxta omnes Immunitatem habent; at Domui Episcopali ob reverentiam Dignitatis Jura concedere voluerunt plus privilegii, quam aliis Domibus; igitur Episcoporum domus Immunitatem habebunt, etsi Capellam non habeant, & ultra 40. passus ab Ecclesia etsi Cathedrali distent. 136

Intelligendum autem hoc, est de Palatio Episcopi, sito intra Diœcesim ejusdem; nam id, quod est situm extra Diœcesim, Immunitate ista non gaudet, saltem de consuetudine, etiam post *Constitutionem Gregorianam* introducta: quin fortassis etiam de jure; quia in tali casu Palatium Episcopi, ut locus non pius, non videtur locus Sacer, & Religiosus esse. Peregrin. *de Immunit. c.* 4. *n.* 73. Mar. Ital. *l.* 1. *c.* 4. §. 9. *n.* 19. Ciarlin. *contr. for. l.* 1. *c.* 10. *n.* 10. Delben. *sect.* 14. *cit. n.* 21. contra Dian. *p.* 4. *tr.* 1. *resol.* 40. *Ex quo sequitur*, quod similiter Immunitate non gaudeat palatium Episcopi Titularis. Ciarlin. *l. cit.* Delben. *num.* 22. sed contrarium non improbabiliter docet Dian. *part.* 6. *tract.* 1. *resol.* 5. præsertim quia *S. Cong. Immun.* teste eodem *Diana* pluries declaravit, quod familia Laica Episcopi Titularis privilegio fori gaudeat. Imo Fagnan. *in cap. Ecclesiæ* 9. *h. tit. num.* 35. privilegium hoc Immunitatis extendit etiam ad Palatia, & Domus prælatorum inferiorum, Jurisdictionem quasi Episcopalem habentium, & sic censuisse testatur *Sacra Congreg. Immunitat.* 6. *Novembris* 1634. 137

Argumenta opposita contrarium non evincunt. *Ad* 1. dico, Domum Episcopi debere esse contiguam Ecclesiæ ordinarie, & per se loquendo. *Ad* 2. fateor cessare hoc privilegium, sicubi per consuetudinem legitimè præscriptam derogatum eidem sit. *Ad* 3. Domui Episcopali privilegium Immunitatis conceditur, non quia contigua est Ecclesiæ ob reverentiam loci Sacri, sed ob reverentiam Dignitatis, cujus rei signum est, quia hanc specialiter textus excipit. 138

Quæritur 8. utrum privilegium Asyli habeant etiam palatia S. R. E. Cardinalium? Affirmant nonnulli ducti paritate cum palatiis Episcoporum, quibus ob reverentiam Dignitatis concessa Immunitas est, cum tamen Dignitas Cardinalitia sit longe major. Imò Clar. §. *fin. q.* 95. *num.* 5. & Germon. *l.* 3. *c.* 6. *num.* 52. docent, si reo ad supplicium ducto obviam factus Cardinalis galerum, sive biretum rubrum imponat, illum à morte liberari. 139

Sed dicendum, Palatiis Cardinalium de jure communi Jus Asyli non competere; nam de his nihil decidunt Jura. igitur sicubi ejusmodi Immunitatem habent, illam habent ex privilegio, vel consuetudine. Et hæc quidem consuetudo procedere potest respectu Palatiorum, quæ extra Urbem habent; nam quoad Palatia, quæ Romæ habent, Immunitati, & consuetudini hanc concedenti expresè derogatum est per Constit. Gregor. XIII. & Sixti V. & meritò quidem, ne ob locorum Asyli Jure gaudentium frequentiam delinquentes punitioni commeritæ subtrahantur. *Excipit* Delben. *cap.* 16. *dub.* 9. *sect.* 15. *num.* 11. si Palatia hujusmodi adhæreant Ecclesiis suorum Titulorum, & suæ Dignitatis; quia in ordine ad has Ecclesias Cardinales habent Jurisdictionem quasi Episcopalem, & sunt tanquam Episcopi. 140

Multo minus Immunitate gaudent Palatia Oratorum Supremorum Principum, Cæsaris, & Regum, nec enim sunt loca Sacra, neque hujusmodi palatiis legitur uspiam concessum hoc privilegium. Bonacin. *D.* 3. *q.* 7. *p.* 4. *n.* 13. Delben. *sect.* 15. *cit. n.* 2. *vers. hinc sequitur:* qui addunt, extra Urbem videri Palatia hæc gaudere Immunitate Civili ob revetentiam Summi Principis, cujus personam 141

ſonam repræſentant; ex violatione tamen iſtius Immunitatis Cenſura non incurritur.

142 Quod additur de liberatione ejus, cui Cardinalis occurrens imponit galerum rubrum, ut rectè obſervat Laym. *l.* 4. *tr.* 9. *c.* 3. *num.* 4. verum cenſeri debet, ubi per conſuetudinem privilegium hoc Cardinalibus conceſſum eſt. Certe privilegium iſtud DD. *n.* 139. *citt.* multum limitant; nam prior negat id locum habere in reo criminis atrociſſimi læſæ Majeſtatis, proditionis &c. Alter putat etiam non habere locum in reo alterius criminis, ſi eidem non caſu, ſed data opera occurreret Cardinalis.

143 Quæritur 9. an Immunitas ſit extendenda etiam ad Tabernaculum, ſi hoc Euchariſtiam actu contineat, & ad Sacerdotem Euchariſtiam portantem? Affirmat Sylv. *V. Immunitas* 3. *num.* 1. Clar. §. *fin. q.* 50. *n.* 24. Navarr. *Man. c.* 25. *num.* 15. Suar. *l.* 3. *c.* 9. *num.* 15. Suar. *l.* 3. *c.* 9. *n. ult.* Farin. *append. Immunit. c.* 17. *n.* 275. Guazzin. *reor. defenſ.* 1. *c.* 37. *n.* 36. Caniſ. *in c.* 1. *h. tit. num.* 20. Barboſ. *in c.* 9. *eod. n.* 11. & *l.* 2. *jur. Eccl. c.* 3. *n.* 69. Pal. *tr.* 11. *D. un. p.* 6. *n.* 24. Delben. *c.* 16. *dub.* 9. *ſect.* 16. *n.* 1. Monacell. *p.* 2. *tit.* 13. *fol.* 29. *n.* 12. Pignatell. *tom.* 6. *conſult.* 27. *n.* 15. Zoeſ. *hic n.* 11. Engl *ibid. n.* 12. & teſte Pal. *l. cit.* communiter DD. qui proinde docent, ſiquis reus vel ad Tabernaculum, vel ad Sacerdotem, Sacrum Viaticum ad ægrotum deferentem, fugiat, aut ſe miſceat populo illud comitanti, hunc non minus tutum fore à Miniſtris Juſtitiæ, quam ſi ad Eccleſiam confugiſſet. Stat pro iſta ſententia etiam authoritas *S. Congregat. Immunit.* quæ teſte Pignatell. *l. cit.* idipſum declaravit *in Melitenſ.* 28. *Maji* 1626. & *in Benevent.* 30. *Septembr.* 1636.

144 Congrua rei iſtius ratio communiter adducitur triplex. 1. quia cum tota Immunitas Eccleſiæ introducta ſit ob reverentiam Euchariſtiæ ibi exiſtentis, ſequitur immunitatem hanc potius Euchariſtiæ ipſi deberi, ut adeo locus ſit Regulæ, *Propter quod unumquodque tale, illud magis tale.* 2. quia præſentia Chriſti ſub ſpeciebus Sacramentalibus videtur facere locum ſacrum, & Religioſum; ſi enim, inquit Delben. *l. cit. n.* 9. ubi Papa, ibi Roma eſt, ſeu Curia Romana, cur non ubi præſens eſt SS. Corpus Chriſti, ibi etiam locus Sacer ſit, & Religioſus? 3. quia populus, cui ſe reus immiſcet, cum Sacerdote, Auguſtiſſimum iſtud Salutis Pignus geſtante, conſtituit animatam Eccleſiam *arg. l. quiſquis* 5. *C. ad Leg. Jul. Majeſtat.* ibi, *Quia & ipſi pars Corporis noſtri ſunt.*

145 Sed ut bene cum *Suar. Bonacin. Pal. Delben. citt.* advertunt Covar. *l.* 2. *var. c.* 20. *num.* 6. Ambroſin. *de immunit. c.* 10. *num.* 9. Laym. *l.* 4. *tr.* 9. *c.* 3. *num.* 4. Illſung. *tr.* 5. *D.* 2. *num.* 258. Pirh. *hic num.* 17. Konig *n.* 9. hoc privilegium non habetur in Jure, ſed conſuetudine introductum eſt: proinde caſu, quo talis ſic confugiens ad Sacerdotem Euchariſtiam portantem capitur, in rigore loquendo non violabitur immunitas Eccleſiæ, neque reus de rigore juris reſtituendus eſt, ut bene notat Bonacin. *D.* 3. *quæſt.* 7. *part.* 4. *num.* 27. Ratio eſt 1. quia Sacerdos non eſt locus Sacer, aut Religioſus. Immunitas autem conceſſa eſt Eccleſiæ, & locis Sacris. 2. quia Privilegia non debent trahi in conſequentiam; alias multo magis communicans, & intra os recipiens Euchariſtiam immunitate gauderet: quod nemo dixerit. 3. quia exceptio firmat Regulam in caſibus non exceptis, ſed generalis Regula eſt delinquentes privilegio immunitatis non gaudere, exceptis caſibus in jure expreſſis; hic autem caſus in jure expreſſus non eſt. ergo &c. Erit igitur ſpectanda conſuetudo, & juxta hanc caſus occurrens decidendus.

146 Multo minus Aſylum reus habet, qui fugit ad Sacerdotem, Sacrum Oleum deferentem ad infirmum; quia huic nec jus, nec etiam conſuetudo favet. Jordan. *l.* 11. *tit.* 3. *n.* 208. Barboſ. *l.* 2. *jur. Eccl. c.* 3. *n.* 69. Delben. *c.* 16. *dub.* 9. *ſect.* 16. *n.* 11. Dian. *p.* 1. *tr.* 1. *reſol.* 29. Sperell. *dec.* 49. *n.* 4. Pignatell. *tom.* 6. *conſult.* 27. *n.* 23. Vvieſt. *hic num.* 66.

Neque quod jure communi hoc caſu tutus ſit reus, probant Argumenta *n.* 144. propoſita. *Ad* 1. dico Argumento à minori ad majus non eſſe locum in caſu præſenti, ſed ſtandum verbis Diſpoſitionis, ut communiter DD. fatentur; Gregorius enim privilegium immunitatis ad unicam reduxit formam. *Ad* 2. nomine loci Sacri, & Religioſi in ordine ad effectum immunitatis de jure venit ſolus ille, qui Epiſcopi authoritate eſt conſecratus, vel ſaltem ad Cultum Divinum deputatus. talis autem locus non eſt, ubi Tabernaculum eſt cum S. Euchariſtia. *Ad* 3. populus tali caſu ſolum analogicè Eccleſia eſt.

Quæritur 10. an immunitate gaudeat, qui ad Altare portatile pro Miſſa celebranda in tentorio, vel 147
alio loco poſitum confugit, & illud pro ſui ſecuritate aufert? Caſum hunc Quintanadven. *tr.* 4. *ſingul. ult. n.* 7. contigiſſe meminit in exercitu Regis Catholici, ubi refert Suarium noſtrum ab eo ipſo ſocietatis noſtræ Patre, qui reo militi conſilium dederat, ut Altare portatile pro ſecuritate ſua ſecum auferret, interrogatum reſpondiſſe, probabile eſſe valde, quod ille immunitate gaudeat, & propterea puniri non poſſit. Et videtur hoc etiam probare ratio; nam Ara portatilis vice Templi eſt, ut proin eadem, qua Templum, Immunitate gaudere debeat. *Conf.* quia Sacra Aſylia ipſa quoque Altaria munita ſunt; imò ad eam concedendam Eccleſiis Canonum Authores potiſſimum permoverunt Altaria, Sacrificio incruento per conſecrationem Epiſcopi deputata.

Sed dicendum, ſpectato jure, & præſcindendo à contraria conſuetudine, ſi tamen illa eſt uſpiam, confugientem ad Altare portatile, aut iſtud gerentem Immunitate Eccleſiaſtica non gaudere. P. Vvieſt. *hic n.* 68. 148
Ratio eſt, quia Aſyliæ jus non quibuſcumque rebus, conſecratione, vel benedictione aliqua affectis, ſed ſolummodo locis Sacris, & Religioſis indultum eſt, ut patet ex juribus ſæpius *citt. Et confirmatur;* nam alias multo magis Aſyliæ jus competeret Hierothecæ, in qua SS. Sacramentum exponitur, calici, & patenæ, quibus Sacerdos in Miſſæ ſacrificio utitur, linteaminibus, quibus Altare inſternitur: & ſic Reus à Juſtitiæ Miniſtris tutus eſſe poſſet in officina auri fabri, dum Calicem, aut Hierothecam reficit, apud lotricem, dum linteamina iſta lavat &c. quæ ſequelæ abſurdiſſimæ ſunt.

Ex quo patet ad Argumentum contrarium; etſi enim vice Templi ſit ara portatilis, Templum tamen verè, 149
aut locus Religioſus non eſt. *Ad Conf.* jam ſupra dictum eſt argumento à majoritate rationis locum non eſſe, ubi certa forma conſtituta negotio eſt, prout in præſenti materia factum eſt à Gregorio XIV.

Quæritur 11. utrum Aſyli jure gaudeat, qui ad Crucem, extra ſacra, aut Religioſa loca erectam, & Sanctorum ſacras Reliquias ſe fuga recipit? Crucis ſacræ 150
Imagini, etiam in publicis viis propoſitæ, olim Urbanus II. in Synodo Claromontana *can.* 29. conceſſit, ut, *ſiquis ad aliquam Crucem in via, perſequentibus inimicis, confugerit, ſit liber, acſi in ipſa Eccleſia permaneat.* Et confirmat *can.* 38. *Quodſi quis*, inquiens, *pro ſecuritate Eccleſiæ, vel Crucis aliquod crimen peregerit, & ad Eccleſiam, vel Crucem confugerit; accepta ſecuritate vitæ, & membrorum, reddatur Juſtitiæ.*

Sed quia Canones iſti neque in jus relati, neque uſu recepti ſunt, hinc dicendum, de jure communi 151
eum, qui ad Crucem, extra Eccleſiam, vel loca Religioſa poſitam, confugit, à Miniſtris juſtitiæ non defendi, ſed ſine Immunitatis Eccleſiaſticæ læſione inde abſtrahi poſſe. Quod etiam dicendum de fugiente ad Sanctorum Reliquias. Hinc quoad utrumque caſum ſpectanda erit Locorum conſuetudo, quæ ubi Immunitatem ſic confugientibus tribuit, omnino eſt obſervanda. Et hoc conſideraſſe videtur *Sacra Congreg. Immunit.* quæ eandem immunitatem iiſdem tribuit *in Melitenſi.* 7. *Decembr.* 1638. in hæc verba: *Confugiens ad Crucem, exiſtentem in via, gaudet Immunitate* Pignatell. *tom.* 6. *conſult.* 27. *num.* 12.

Quæritur 12. an Jus Aſyli competat Statuis Principum? Tribuunt hoc illis Joan. Andr. *in c. Eccleſiæ* 152
9. *h. tit. num.* 4. Ancharan. *ibid. n.* 4. Hoſt. *n.* 2. Imol. *in Clem.* 1. *n.* 8. *fin. verſ. idem dicunt. de pœnit. & remiſſ.* Decian. *tr. crim. l.* 6. *cap.* 25. *num.* 5. Tholoſan. *Syntag. l.* 33. *c.* 22. *à num.* 11. id deſumentes ex *l. capitalium* 28. §. *ad ſtatuas* 7. *ff. de pœn. & l. un. C. de his, qui ad Statuas &c.*

Sed melius alii diſtinguunt cum P. Vvieſt. *hic n.* 74. 153
inter eos, qui injuria oppreſſi, eo ſe confetebant, & inter ſceleratos, qui injuriam intulerunt aliis. *Prioribus* Statuas ejuſmodi præſidio fuiſſe concedunt; *poſterioribus* negant profuiſſe. Et ſi profuiſſet olim, præſidium tamen hoc propter varios abuſus ſublatum fuit, teſte Clar. §. *fin. q.* 30. *n.* 27. Quin ſi etiam hodie hujuſmodi Immunitas vigeret, huc tamen non pertineret; quia Politica, & Civilis dumtaxat, non ſacra eſſet. Delben. *de Immun. c.* 16. *dub.* 9. *ſect.* 17. *n.* 2.

§. II.

De Personis, quæ Immunitate Asyli gaudent, vel non gaudent.

S U M M A R I U M.

154 QUæritur 1. quinam privilegio Asyli gaudeant? Resp. Regula est, extra casus, quos infra excipiam, privilegio istò gaudere Christianos baptizatos omnes, saltem Laicos, nulla sexus, ætatis, status, & conditionis habita ratione. Ita ex communi DD. sententia docent Clar. §. *fin. q.* 30. *n.* 9. Suar. *l.* 3. *c.* 11. *n.* 4. Fagnan. *in c. inter alia 6. h. tit. n.* 39. Vvagnereck *ibid. vers. nisi publicus latro not.* 3. Laym. *l.* 4. *tract.* 9. *c.* 3. *n.* 6. Vallens. *hic num.* 4. Engl *ibid. n.* 4. Pirh. *n.* 18. Schamb. *n.* 25. Konig *n.* 10. & decernitur *can. miror.* 8. *can. frater* 10. *can. siquis contumax* 20. & *c. caus.* 17. *q.* 4. *c. inter alia*, & *Constit. Gregorian. citt.*

155 *Proceditque hoc* 1. etiamsi banniti, & condemnati sint, nisi hoc factum sit ob crimina excepta. Navar. *Man. c.* 25. *num.* 19. Clar. §. *fin. q.* 30. *vers. scias autem.* Mantica *cons.* 211. *inspicit Andreas Ratus.* Azzeved. *in Const. Hispan. l.* 1. *tit.* 2. *lib.* 3. *n.* 7. Farin. *Append. Immun. c.* 2. *num.* 37. 1. non obest, etiamsi ita confugiens ad Ecclesiam excommunicatus sit, ut contra Felin. *in c. à nobis* 2. *de Except. n.* 5. melius defendunt Sylv. *V. Immunitas* 3. *q.* 3. Clar. *l. cit. n.* 18. Covar. *l.* 2. *var. c.* 20. *n.* 11. *coror.* 12. Laym. *l.* 4. *tr.* 9. *c.* 3. *n.* 10. Bonacin. *tom.* 2. *D.* 3. *q.* 7. *p.* 5. *n.* 2. Pal. *tr.* 11. *D. un. p.* 7. *n.* 21. Haun. *tom.* 6. *de J. & J. tr.* 1. *n.* 159. & alii passim, quia excommunicatio non habet alios effectus, nisi quos Jus declaravit. nullo autem jure statutum est, ut excommunicatus non possit habere tutelam in Ecclesia. ergo &c. 3. Idem à fortiori verum est de Interdicto; nam excommunicatio gravior est Censura, & magis privat participatione Divinorum, quàm Interdictum, & præterea nusquam Interdicto in Jure hic effectus tribuitur, Suar. *l.* 3. *c.* 10. *n.* 3. Vvagnereck *in c. cit. not.* 3. Haun. *n.* 158. Matthæuc. *Offic. Eccl. c.* 24. *n.* 15. Zoes. *hic n.* 15. Pirh. *num.* 32. Schambog. *n.* 39. cum aliis *supra.*

156 *Neque obstat*, quod excommunicatus, & Interdictus prohibeatur ingredi Ecclesiam, & cons. in illam se recipiens pro tutela videatur in eam committere, sicque non gaudere favore Legis juxta textum *c. fin. h. tit. & c. quia frustra* 14. *de Usur.* ubi dicitur, *frustra Legis auxilium invocare, qui committit in Legem.* nam ut bene cum aliis notat Delben. *de Imm. c.* 16. *dub.* 10. *sect.* 2. *n.* 2. & 3. Interdictus, & excommunicatus solum prohibetur ab ingressu formali Ecclesiæ in ordine ad audienda Divina Officia, non verò à materiali, ut fit, cum quis metu supplicii eò confugit. Quare sicut non censetur violare Interdictum, qui per Ecclesiam transit, vel eo se recipit, ut à pluviis v. g. se defendat, maximè si alibi non possit, ita etiam Interdictum non violat, qui se recipit in Ecclesiam, ut ibi defendatur à Satellitibus, & Justitiæ ministris, ipsum quærentibus ad supplicium. *Ratio à priore est;* quia Ecclesia non videtur cum tali rigore obligare; & quamvis tales indigni ob maleficia sua sint Ecclesiæ Beneficio, tanto tamen majorem pietatem in hos ostendit, si etiam ipsos tueatur, præsertim cum ad eorum defensionem non consideret delictum, & Censuram Rei, sed potius Sanctitatem loci.

Quæritur 2. an privilegio Immunitatis gaudeant etiam 157
Hæretici? *Certum est* excludi privilegio isto Hæreticos, si puniendi sint ob Hæresim; nam Hæresis crimen, ut §. *seq.* videbimus, est exceptum. Unde Quæstio solum est de aliis criminibus, præter Hæresim, an post ista fugientes ad Ecclesiam extrahi inde possint? *Affirmat* propter ista extrahi posse post *Boerium*, *Marsilium*, *Gundisalvum*, *Gigantem*, *Covarruviam*, & alios Decian. *tr. crim. lib.* 6. *cap.* 26. *n.* 4. tum quia indigni sunt hoc Beneficio, utpote Ecclesiæ hostes, & proditores; tum quia alias excluderentur simul, & non excluderentur.

Sed non obstante horum sententia, dico, Hæreticos 158
probabilius quoad alia crimina, & delicta, gaudere Immunitate Asyli. Ita Sylv. *V. Immunitas* 3. *num.* 2. *vers. & idem puto de Hæretico*, Azor. *p.* 2. *l.* 9. *cap.* 9. *q.* 9. *vers. quid de pagano.* Suar. *l.* 3. *cap.* 10. *n.* 15. Jordan. *l.* 11. *tit.* 3. *n.* 379. Bonacin. *D.* 3. *q.* 7. *p.* 6. §. 5. *n.* 2. Farin. *Append. Immunit. cap.* 13. *n.* 170. Pal. *tract.* 11. *D. un. p.* 7. *n.* 4. Delben. *cap.* 16. *dub.* 10. *sect.* 4. *num.* 1. Haun. *tom.* 6. *tr.* 1. *n.* 160. Illsung. *tr.* 5. *D.* 2. *n.* 259. Matthæucc. *Offic. Eccl. cap.* 24. *n.* 14. Vincent. Petra *tom.* 4. *comment. fol.* 5. *num.* 11. Engl *hic num.* 19. Pirh. *n.* 40. Vviestner *n.* 123. *Ratio est;* quia non habemus rationem excipiendi personam, ubi crimen non est exceptum; atqui crimina, de quibus meminimus, supponimus non esse excepta; ergo nisi Lex personam excipiat, non sunt excipiendi Hæretici.

Neque obstat, quod reus sit Hæreticus; nam Hæresis 159
crimen respectu aliorum se habet per accidens; ergo non potest impedire Immunitatem, quam delinquens habet, ne ob alia delicta ab Ecclesia extrahatur. Æque parum probant duo Argumenta allata in contrarium. *Ad* 1. jam *supra* dixi, Ecclesiam, dum privilegium Immunitatis concedit, non tam respicere personam delinquentis, quam Sanctitatem loci. *Ad* 2. Hæreticus privilegio isto excluditur, & non excluditur, non sub eadem ratione, sed sub diversa; nam excluditur quoad Hæresim, & non excluditur quoad alia delicta.

Quæritur 3. an etiam Judæi, Sarraceni, & alii Infide- 160
les Asylo gaudeant? Resp. in hoc variare sententias. *Prima*, eaque satis communis negat eos gaudere Asylo: atque ita sentiunt Gloss. *in l. Judæi* 1. *Cod. de his, qui confug. ad Eccl.* Abb. *in cap. inter alia 6. hoc tit. num.* 6. Clar. §. *fin. q.* 30. *n.* 17. Navar. *Man. cap.* 25. *à num.* 20. Covar. *lib.* 2. *var. cap.* 20. *n.* 11. *coroll.* 13. Guazzin. *reor. defens.* 1. *cap.* 38. *n.* 3. & 4. Zoes. *hic num.* 13. & 14. cum aliis. *Utuntur* triplici fundamento. 1. Quia illos excludit *l. Judæi cit.* & quidem etiamsi Baptismum petant: ratio *ibidem* datur; quia simulant se Christianæ Legi velle conjungi; atqui fraus sua nemini prodesse debet; ergo &c. 2. Quia de his, qui foris sunt, non curat Ecclesia, neque potest illos judicare; posset autem, si privilegium Immunitatis illis concederetur; ergo &c. 3. Quia etsi *cap. inter alia cit.* generaliter omnibus privilegium istud concedat, de solis tamen fidelibus hoc intelligendum est, non verò de infidelibus, cum par non sit, Ecclesiæ privilegio defendi, & ejus beneficio perfrui illos, qui ejus gremio, tutelæ, fidei se non committunt.

Altera sententia affirmat, eos gaudere hac Immuni- 161
tate. Ita Gloss. *in cap. inter alia 6. hoc tit. V. extrahendus.* Host. *ibidem n.* 1. Sylv. *V. Immunitas* 3. *n.* 2. *vers. secundum de Pagano.* Tabien. *V. eod. n.* 7. Armill. *nu.* 9. S. Antonin. *p.* 3. *tit.* 12. *cap.* 13. §. 2. Felin. *in c. Judæi de Judæis.* Dian. *Summ. V. immunitas n.* 14. Barbosa *in cap. inter alia cit. n.* 50. Fagnan. *ibidem n.* 60. *vers. tu verò dicas.* Honor. *hic n.* 5. Matthæucc. *Offic. Eccl. cap.* 24. *n.* 15. allegantque pro hac sua sententia *Declarationem S. Congregat. Mo-*

ventur 1. quia Jura Regulam universalem constituunt, & non nominant fideles, vel Christianos, sed simpliciter reos, vel ad Ecclesiam confugientes. 2. Quia privilegium hoc locale est, non personale; consf. favor fit non reis, sed Ecclesiæ; igitur ex persona infidelium limitari non debet. 3. Quia Ecclesia humanitatem exercet etiam cum infidelibus etiam in his, quæ pertinent ad vitæ conservationem, vel defensionem, quando hac indigent; igitur eandem exercebit eos tutando, quando Asylum in ea quærunt, & ad illam confugiunt.

162 *Tertia* sententia, eaque probabilior medio passu inter utramque priorem incedit, & putat, etiam Infideles gaudere Immunitate Ecclesiæ, si ad eam confugiant, & velint converti. Ita Tusch. *pract. V. Ecclesia concl.* 10. *n.* 28. Azor. *part.* 2. *lib.* 9. *cap.* 9. *q.* 9. *vers. si quæras*. Gutier. *pract. qq. Civil. l.* 3. *q.* 7. *num.* 51. Farin. *Append. Immun. cap.* 5. *num.* 83. Mar. Ital. *l.* 1. *de Immunit. cap.* 3. Laym. *l.* 4. *tr.* 9. *c.* 3. *n.* 12. Bonacin. *D.* 3. *q.* 6. *p.* 6. §. 5. *n.* 3. Pal. *tr.* 11. *D. un. p.* 7. *n.* 7. Delben. *cap.* 16. *dub.* 10. *sect.* 4. *n.* 25. Vvagnereck *in cap. inter alia cit. V. nisi publicus Latro. not.* 4. Haun. *tom.* 6. *tr.* 1. *n.* 163. Illsung. *tr.* 5. *D.* 2. *n.* 153. Pirh. *hic n.* 39. Schamb. *n.* 43. Vviest. *n.* 75. *& duob. seqq.* Magnif. P. Schmier. *p.* 3. *de Jur. Eccl. cap.* 4. *num.* 52. Illustr. D. Præposit. Frising. *tom.* 1. *consf. n.* 42. *Ratio est*, quia Leges Civiles servandæ sunt, in quantum non sunt contrariæ Juri Canonico, sed Lex Civilis, ut supra vidimus, à privilegio Immunitatis excludit Infidelem, qui tantum simulat se velle converti, & in hoc Lex Civilis non adversatur Juri Canonico; nam istud de Infidelibus nihil disponit, & licèt loquatur de omnibus, adhuc tamen dubium est, utrum voluerit his terminis generalibus comprehendi etiam Infideles; igitur cùm in dubio Lex Canonica interpretanda sit ex Jure Civili, ut communis Regula Jurisperitorum habet, sicut Jus Civile excludit eum, qui simulat se velle converti, ita admittendus est in Asylum Ecclesiæ, vel loci Sacri, qui vult converti. Accedit, quia æquum omnino est, ut Ecclesia faveat ei, qui ipsi inservire cupit; secus ei, qui renuit. Neque aliud Argumentis suis probant fautores primæ, & secundæ sententiæ.

163 *Dubium est*, quando Infidelis ad Ecclesiam fugiens reputandus sit velle converti, quando simulare conversionem? Respond. à DD. assignari hanc Regulam: Dicunt, tunc præsumendum, quòd fugiens, & petens Baptismum velit converti, quando ante patratum delictum, vel conceptum Judicis timorem signa conversionis dedit; at si post patratum scelus, & conceptum Judicis timorem Baptismum petat, simulate petere præsumendum est. Jordan. *l.* 11. *tit.* 3. *num.* 393. Laym. *loc. cit. n.* 12. Delben. *sect.* 4. *cit. num.* 34. Vvagnereck *not.* 4. Haun. *n.* 163. Pirh. *n.* 39. *fin.* In dubio, cum nihil præsumi potest, ut rectè Dian. *V. Immunitas n.* 14. notat, Ecclesia ejusmodi Infidelem tueri debet, donec examinetur intentionis, qua ad Ecclesiam confugit, candor; præsumptio enim, quod illa petitio sit coacta, & fraudulenta, non est Juris, & de Jure, ut contra Abb. *in cap. inter alia cit. num.* 6. docent *loc. cit.* Farin. *n.* 84. Laym. *num.* 12. *fin.* & alii plures ab his allegati.

164 Quæritur 4. an Clerici, & Religiosi gaudeant hac Immunitate? *Certum est* 1. eos hac Immunitate gaudere respectu Judicum Sæcularium; quia præterquam, quod his subjecti non sint, non oportebat eos esse conditionis deterioris, quam Laici. *Certum est* 2. eos non gaudere hoc privilegio respectu Judicis Ecclesiastici in criminibus exceptis; nusquam enim invenitur hoc speciale privilegium. *Dubium* igitur procedit solum de criminibus non exceptis, & quidem respectu Judicis Ecclesiastici tantum. Variant DD.

165 *Negant* Asylo ipsos defendi respectu Judicis sui Ecclesiastici, Abb. *in cap. inter alia* 6. *hoc tit. n.* 13. Sylv. *V. Immunitas* 3. *n.* 2. *q.* 2. *dict.* 3. Armil. *V. eod. n.* 10. Rosell. *n.* 9. Navarr. *Man. c.* 25. *n.* 22. Azor. *p.* 2. *l.* 9. *c.* 9. *q.* 9. §. *quid de pagano*. Rodriq. *tom.* 2. *Regul. qu.* 50. *art.* 41. Suar. *l.* 3. *cap.* 10. *num.* 5. *& seqq.* Sanch. *Consf. mor. lib.* 6. *cap.* 1. *dub.* 8. *num.* 6. Fagund. *lib.* 4. *cap.* 4. *num.* 52. Laym. *l.* 4. *tract.* 9. *c.* 3. *n.* 11. Guazzin. *reor. defens.* 1. *c.* 37. *num.* 49. Pal. *tr.* 11. *D. un. p.* 7. *n.* 17. Delben. *de Immun. cap.* 16. *dub.* 10. *sect.* 2. *à num.* 1. Bonacin. *tom.* 2. *D.* 3. *q.* 7. *p.* 4. *num.* 5. Zypæus *Analys. l.* 3. *hoc tit. n.* 9. Vvagnereck *in cap. inter alia cit. V. nisi publicus latro not.* 3. Haun. *tom.* 6. *tr.* 1. *n.* 168. & apud hos plures alii.

166 *Nituntur* 1. quia, ut *Bernardus Diaz*, *Paz*, *Clarus*, *Gutierez*, & affirmativæ Sententiæ DD. ipsimet agnoscunt, sic praxi receptum est; nam passim Judices Ecclesiastici Clericos delinquentes ab Ecclesia extrahunt, & vinculis ligant sine ullo scrupulo, nec ullus est, qui Immunitatem proclamet, & ratione illius se curet defendere: quæ praxis Juris interpres potius, quam correctoria illius esse videtur, quod *Gregoriana Constitutio* solis Laicis adversus Magistratus suos Sæculares Immunitatem firmet. 2. si Clerici Immunitate locali gauderent adversus Judices suos Ecclesiasticos, gauderent illa, vel quatenus ea concessa est per Leges Civiles, vel quatenus est data per SS. Canones. *Non primum*; quia Leges Civiles Clericos non attingunt, imo de his, & adversus Judices Ecclesiasticos nihil possunt statuere *can. bene* 1. *dist.* 96. *& cap. Ecclesia* 10. *de Constit. Non secundum*; quia SS. Canones, dum Immunitatem concedunt locis Sacris, solum loquuntur de pœna sanguinis, ut patet ex *capit. inter alia cit.* ibi, *Rectores Ecclesiarum sibi obtinere debent membra, & vitam*, atqui Judex Ecclesiasticus sanguinis pœnam non irrogat. 3. Immunitas Ecclesiæ non debet derogare potestati Ecclesiæ; cum enim ab eodem principio oriatur utraque, non erat conveniens, ut una pugnaret adversus alteram, atqui derogaret potestati Ecclesiæ, si hæc Clericos ad Ecclesiam confugientes punire non posset; ergo &c. 4. Ex tali Immunitate sequeretur Clericos rarò puniri posse ob sua delicta; cùm enim plerumque vivant in Monasteriis, & Ecclesiis, immunes essent à pœna corporali, & quia multi bona patrimonialia nulla habent, puniri etiam non possent in pecunia: consf. eorum scelera plerumque manerent impunita: quod cederet in magnum dedecus, & præjudicium Ecclesiæ, quæ sic censeretur fovere delicta. 5. Judex Ecclesiasticus in Clericum delinquentem sententiam criminis declaratoriam, aut condemnatoriam ad pœnam potest ferre in ipsa Ecclesia *can. præceptum* 6. *caus.* 2. *q.* 2. *& cap. decet* 2. junct. Gloss. *vers. sæcularium in* 6. ergo etiam extrahere ab Ecclesia; nam sic extrahendo ad pœnam debitam Ecclesiæ reverentiam potius conservare censetur. 6. Immunitas Clericorum personalis non impedit, quin puniri possint à Judice Ecclesiastico; ergo nec Localis, cùm hæc sit minor illa. 7. Immunitas Ecclesiæ læditur, cum delinquens contra ejus voluntatem inde extrahitur, sed hoc locum non habet amplius, cum Judex Ecclesiasticus extrahit Laicum; nam de Ecclesiæ voluntate extrahitur.

Contra verò Asyli privilegio etiam adversus Judices suos Ecclesiasticos, spectato Jure, defendi affirmant Bernardus Diaz *pract. cap.* 115. *alias* 123. Tusch. *vers. Ecclesia concl.* 9. *n.* 17. Clar. §. *fin. quæst.* 30. *num.* 16. Navar. *Man. cap.* 25. *num.* 12. Covar. *lib.* 2. *var. cap.* 20. *num.* 16. Mar. Ital. *de Immun. Eccl. l.* 1. *cap.* 3. *num.* 1. Decian. *tr. crim. tom.* 2. *lib.* 6. *n.* 1. *vers. puto ego*, Ambrosin. *de Immun. cap.* 12. *per totum*. Farin. *prax. crim. q.* 28. *n.* 7. *& Append. Immunit. c.* 2. *n.* 34. Jordan. *l.* 11. *tit.* 3. *n.* 215. Guazzin. *reor. defens.* 1. *c.* 37. *n.* 51. Sperell. *decis.* 59. *n.* 35. *vers. contrarium*. Canis. *in c.* 1. *hoc tit. n.* 36. Fagnan. *in cap. inter alia* 6. *hoc tit. à n.* 78. Barbosa *ibid. à n.* 16. Diana *p.* 2. *tr.* 1. *resol.* 24. *& vers. Immunitas n.* 15. Pignatell. *tom.* 9. *consult.* 2. *n.* 15. *& seqq.* & hoc teste sæpius declaratum est à *S. Congreg.* Atque hoc Diana *n.* 15. *cit.* extendit etiam ad reum Sacerdotem, cotta, & Stola indutum, extra Ecclesiam inventum ad associandum v. g. defunctum, præcedente Cruce, & à fortiori ad eum, qui extremam unctionem, vel Sacrum Viaticum defert infirmo; nam eadem reverentia, quæ debetur Ecclesiæ, quæ Domus Dei est, majori Jure debetur Sacerdoti, dum in habitu Sacerdotali ministrando repræsentat Christum: unde si in his casibus caperetur, & de aliquo delicto ab Episcopo interrogaretur, ut idem *Diana* docet, non deberet ei respondere, sed opponere posset nullitatem capturæ. 167

Fundamenta hujus Sententiæ sunt 1. quia Jura loquuntur de Immunitate generaliter, & absque ulla limitatione; ergo non debent ad solos Laicos limitari; alias Clerici essent deterioris conditionis, quàm Laici. 2. Ecclesia multo magis defendere debet Clericos sibi subditos, quorum curam specialem habet, quam Laicos; atqui sic extrahere non potest illos ab Ecclesia; quia impugnare non debet, qui defendere debet *cap. conquerente* 7. *de restit. spoliat.* Gloss. *fin. in cap. un. de nat. ex liber. ventr.* 3. hoc privilegium non personis, sed locis conceditur, vel saltem personis propter locum; igitur omnibus competit, qui ibi existunt. 4. Ecclesia domus est Clericorum; atqui ut *l. plerique* 18. *ff. de in Jus vocand. & l. nemo* 103. *ff. de R. J.* habetur, in domo propria, saltem ob causam Civilem, non decet aliquem capere, & vinculis alligare; ergo &c. 5. Clerici ante assumptum habitum Clericalem gaudebant Jure Immunitatis: ergo etiam post ejus assumptionem; nusquam enim 168

enim Jure statutum reperitur, quòd is, qui Clericus fit, ea, quæ sibi ut Laico competebant, amittat per Clericatum.

169 Ego cum Zœs. *hic num.* 17. Engl. *num.* 18. *vers. in hac difficultate*, Konig. *ibidem num.* 11. Matthæucc. *Offic. Eccl. cap.* 24. *num.* 18. Monacell. *l.* 1. *tit.* 5. *form.* 8. *num.* 12. & Magnif. Pater Schmier. *p.* 3. *Jur. Eccl. cap.* 4. *num.* 49. & 50. utrique Sententiæ aliquid tribuendum existimo: atque hinc utor distinctione, & fateor extrahi ab Ecclesia Clericos, & Religiosos posse à Magistratu suo Ecclesiastico, ut puniatur causa disciplinæ, & correctionis Ecclesiasticæ; non verò extrahi ab eodem posse, ut tradantur Judici, & brachio sæculari, nisi in criminibus exceptis. Et ita testibus Matthæucc. & Monacell. *loc. citt.* respondit *Sacra Congregat. Episc. in Bergomensi* 5. *Decembris* 1698. *Ratio primi membri* distinctionis est, quia non fuit mens Summi Pontificis, per Immunitatem Ecclesiarum tollere morum correctionem; nam neque Laici ad Ecclesias confugientes pœnam Ecclesiasticam, quæ ad correctionem ipsorum tendit, evadunt. *Atque hinc sequitur*, quòd Superiores si in hunc finem subditos suos extrahant, vel extrahi mandent ab Ecclesia, Censuras, contra violatores Ecclesiasticæ Immunitatis latas, non incurrant, prout censuit Sacra Congreg. Immun. *in Æsina* 10. *April.* 1701. apud Matthæucc. *loc. cit. num.* 19. *Rationem secundi membri* præ cæteris pono istam; quia non video, quare Clericus debeat esse deterioris conditionis, quàm Laicus, cùm tamen Ecclesia multo magis debeat tueri Clericos, tanquam sibi servientes, & addictos, & quorum curam specialem habet, dummodo cætera sint paria, ut scilicet crimen, quod Clericus commisit, non sit exceptum. Et hoc probare videntur utriusque Sententiæ præcedentis fundamenta, & confirmari per consuetudinem. Quodsi alicubi consuetudo vigeret, ut extra delicta excepta Clerici extraherentur à Magistratu Ecclesiastico ad pœnam etiam corporalem, à Judice Sæculari infligendam, ea consuetudo consuetudo non foret, sed abusus potiùs, & corruptela, ac proinde tanquam Immunitati Ecclesiasticæ contraria tolerari non posset.

170 Quæritur 5. an *Servi* gaudeant Immunitate? Dupliciter formari quæstio potest. 1. an Servus gaudeat Immunitate per respectum ad Judicem? 2. an ea gaudeat per respectum ad Dominum suum? *De primo* certa est Sententia affirmativa; nam ut cum aliis bene Suarez *l.* 3. *cap.* 10. *num.* 2. Farin. *Append. Immunit. cap.* 4. *num.* 68. Delben. *cap.* 16. *dub.* 10. *sect.* 13. *numer.* 1. notant, servus respectu Judicis, tanquam liber, reputatur, & conditio servi accidentaria omnino est. Unde

Difficultas solùm est de servo per respectum ad Dominum. *Ratio dubitandi est;* quia servi dominium habet dominus, & jus ad illius opera, ut notatur *l. præsens* 6. §. *sanè* 5. *propè fin. C. de his, qui confug. ad Eccles.* igitur repetere eum dominus, tanquam rem suam, ab Ecclesia potest. *Conf.* nam *l. si servus* 4. *Cod. eod.* si servus armatus in Ecclesiam irruat, statim extrahendus dicitur, vel Domino concedi libera facultas illum extrahendi; ergo multo magis extrahi potest propter alia graviora delicta.

171 Expediri res ope distinctionis potest: Vel enim servus à Domino fugiens in Ecclesiam se recipit, quia timet privatim se à Domino puniendum, vel quia timet se ab eodem tradendum Judici. *Si secundum;* remet se ab eodem tradendum Judici... restituendus non est; quia, ut paulò antea dixi, respectu Judicis conditio servi accidentaria est. *Si primum*, considerare oportet causam fugæ; nam fugere potest servus, aut nullo, aut levi solùm, aut gravi etiam delicto ejus antecedente. *Si nullum, aut leve solùm delictum antecessit*, reddendus Domino est, si de impunitate servi Dominus Juramentum præstiterit Clericis, & hoc præstito, si nolit redire servus, compelli à Domino potest etiam invitus, &, si alio modo nil proficiat, ab eodem occupari, *can. metuens* 32. *can. id constituimus* 38. *vers. Servus etiam*, *cap. inter alia* 6. *vers. si verò servus hoc tit. l. præsenti cit.* §. *sane* 5. Azor *p.* 2. *l.* 9. *cap.* 9. *quæst.* 9. *vers. quid dicendum de Servo*, Farin. *append. Immun. cap.* 4. *num.* 76. Delben. *de Immunit. cap.* 16. *dub.* 10. *sect.* 13. *numer.* 2. & 3. Fagnan. *in cap. inter alia cit. num.* 1. Gonzal. *ibidem num.* 8. Haun. *tom.* 6. *de J. & J. tract.* 1. *num.* 166. Vallens. *hic num.* 4. Zœs. *num.* 12. Schambog. *num.* 39. Vviestner *num.* 84.

172 *Si verò grave delictum fuerit*, regulariter Juramentum non sufficit, sed securitatem aliam dare Dominus debet; aliàs non obligabitur Prælatus Ecclesiasticus servum reddere, sed compelli debebit Dominus, ut eum vendat, ut præter citt. notant Suar. *l.* 3. *cap.* 10. *num.* 2. Pal. *tract.* 11. *D. un. p.* 7. *num.* 19. Pirh. *hic num.* 31. *Ratio est*, quia Reipublicæ interest, ne quis abutatur re sua, præsertim servo. Quam doctrinam, *Azor*, *Farinacius*, *Gonzalez*, *Zoesius*, *Pirhing*, *Schambogen loc. citt.* extendunt etiam ad eum, qui veritus nimiam Domini sævitiam, ad Ecclesiam fugit; neque enim exponi tanto periculo debet.

Porro, quæ hactenus dicta de servo sunt, etiam obtinent in colono adscriptitio, liberto, vel alia hujusmodi persona domestica, vel conditioni subjecta, quæ conquassatis rebus certis, atque subtractis, ad SS. Ecclesiæ loca se contulerit *l. præsenti cit.* ne Patronis, seu Dominis per eorum absentiam obsequia debita denegentur. Gonzal. *in cap.* 6. *hoc tit. num.* 8. Honor. *hic num.* 9. Similiter remiges, ad triremes damnati, è carcere, seu ab ipsis triremibus, vel dum ad eas transportantur, confugientes ad Ecclesiam, extrahendi sunt, neque Immunitate hac gaudent, sed reduci ad ministerium suum servile debent exemplo servorum; quamvis enim ad statum servilem ex ea damnatione non perveniant. *Auth. sed hodie Cod. de donation. int. vir. & uxor.* damnati tamen sunt ad serviendum personaliter: & hinc quodammodo servi sunt. Gonzal. *loc. cit.* & alii apud ipsum. Idem statuendum videtur de militibus deserentibus militiam; sui enim ipsius miles quodammodo furtum facit, ut notat idem Gonzal. *numer. cit. in fin.* 173

Ad Rationem dubitandi in contrarium allatam dico, Dominum habere dominium in Servum, & in actiones Servi, in quantum hæ ab ipso præstari Domino sine gravi periculo possunt. *Ad Conf.* verba illa Legis Angel. *V. Immunitas* intelligir, addita cautione Juris Canonici, nempe si Dominus Servo impunitatem promiserit. Suar. *loc. cit.* putat hoc solùm intelligi de conditione Servi, ut præscinditur à delicto; nam si delinquat, Immunitate gaudebit, ut alii. 174

Quæritur 6. an Debitor fugiens ad Ecclesiam, aliàs carceri mancipandus, gaudeat Immunitate? Negant Jason. *in l. vinum* 22. *ff. de reb. credit.* & Curtell. *de Immunit. Eccl. l.* 1. *quæst.* 32. *à num.* 26. *Moventur* 1. quia Immunitas Ecclesiastica promanat à Jure Ecclesiastico, non Civili; sed Jus Ecclesiasticum Immunitatem concedit reis tantùm, non autem debitoribus, ut patet ex *can. reum* 9. *can. frater* 10. *can. si quis contumax* 20. *can. quisquis inventus* 21. *can. id constituimus* 36. *caus.* 17. *quæst.* 4. *cap. inter alia* 6. & *cap. fin. h. tit.* & *Constitut. Gregor. XIV. cit.* ergo &c. 2. Servus, fugiens ad Ecclesiam ob sævitiam Domini, securitate accepta, Domino redditur, ne iste privetur jure, quod habet, ut Servus ipsi laboret; atqui etiam Creditor jus habet, ut ei debitor solvat debitum, vel ipsi laboret, si tantùm in ære non habeat; ergo &c. 3. Immunitas solùm est, ne reus luat pœnam corporalem; *can. id constituimus cit.* & *can. definivit* 35. *caus.* 17. *quæst.* 4. atqui debitor ob debita sua non incurrit pœnam corporalem; ergo &c. 4. Debitores ad Asyla fugientes sæpe suspecti sunt de fuga; atqui suspectus de fuga capi, & incarcerari potest etiam à Judice aliàs incompetente, & die festo, ut communis DD. habet; ergo etiam in loco Sacro. 5. Plures ex hujusmodi debitoribus hæc sua debita contraxerunt splendidè, & lautè vivendo, qui deinde si Ecclesia ipsos defenderet, ad eandem fugiendo, miserè suos creditores fallerent, quod est quoddam Lattocinii genus, ac gravissimum crimen, & *Famositas* appellatur. 175

Sed dicendum, etiam Debitores, fugientes ad Ecclesiam, gaudere Asylo, ne inde abstrahi ad carcerem possint. Ita Abb. *in cap. inter alia* 6. *hoc tit. num.* 22. & *seqq.* Sylv. *vers. Immunitas* 3. *num.* 3. Angel. *vers. eod. num.* 15. Covar. *l.* 2. *var. cap.* 20. *num.* 14. Gutier. *l.* 3. *pract. Civil. quæst.* 1. *per totam*, Ambrosin. *de Immun. cap.* 13. *num.* 2. *vers. nimis*, Decian. *tract. crim. lib.* 6. *cap.* 28. *num.* 34. Farin. *prax. crim. quæst.* 28. *num.* 1. & *in Append. Immunit. cap.* 3. *num.* 57. Azor *p.* 2. *l.* 9. *cap.* 9. *quæst.* 9. Suar. *l.* 3. *cap.* 11. *num.* 3. Jordan. *l.* 11. *tit.* 3. *num.* 23. Guazzin. *defens. reor.* 1. *cap.* 37. *num.* 50. Laym. *l.* 4. *tract.* 9. *cap.* 3. *num.* 5. Bonacin. *D.* 3. *quæst.* 7. *de Immunit. p.* 4. *num.* 6. Pal. *tract.* 11. *D. un. p.* 8. *num.* 2. Barbosa *l.* 2. *Jur. Eccl. cap.* 3. *num.* 46. Delben. *de Immunit. cap.* 16. *dub.* 11. *sect.* 1. *num.* 1. Vvagnereck *in cap. inter alia cit. vers. nisi latro publicus not.* 1. Fagnan. *ibidem num.* 57. Haun. *tom.* 6. *tract.* 1. *num.* 179. Illsung. *tract.* 5. *D.* 2. *num.* 262. Vallens. *hic num.* 4. Zœs. *num.* 12. & 18. Pirhing. *num.* 41. Schambog. *num.* 44. Vviestner *num.* 86. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de Jurib. Eccl. cap.* 4. *num.* 32. idque apertè sumitur ex *l. Judæi* 1. ibi, *Ut ad Ecclesias confugientes evitare possint crimina, vel pondera debitorum*, & *l. præsenti* 6. ibi *Actione Civili C. de his, qui confug. ad Eccl.* Ex quo ducitur sequens Argu- 176

Argumentum: Ecclesia dispositiones Juris Civilis, non præjudicantes Immunitati à se concessæ, sed potiùs ei faventes, disertè approbat *can. frater* 10. *can. id constituimus* 36. *pr. caus.* 17. *quæst.* 4. *& cap. inter alia cit.* atqui per Jus Civile in textibus *citt.* Immunitas iis, qui debitorum causa se ad Ecclesias recipiunt, apertè adstruitur; ergo hujusmodi debitoribus etiam de Jure Canonico locus in Asylo erit. *Conf.* ex pluribus Declarationibus *S. Congr.* apud Delben. *loc. cit.*

177 *Proceditque hoc* 1. etiam in Mercatoribus, & Campsoribus, nisi contrarium consuetudo legitimè præscripta obtineat; quia ut bene Fagund. *lib.* 4. *cap.* 4. *num.* 53. advertit, universaliter de omnibus debitoribus tenendum est, eos sine Sacrilegio invitos ab Ecclesia non posse extrahi.

Procedit 2. in Debitore Tributorum ob rationem modò allatam. *Neque obstat*, quòd Jus Civile permittat extractionem illius ab Ecclesia; quia Ecclesiastica Immunitas non in sola Legum Imperialium approbatione, sed præcipuè in eo fundatur, quòd Ecclesia tutos velit omnes, qui ad ipsam confugiunt, nisi criminis excepti rei sint. Abb. *in cap. inter alia num.* 24. Azor *p.* 2. *lib.* 9. *cap.* 9. *quæst.* 9. *vers. item dubia.* Jordan. *l.* 11. *tit.* 3. *num.* 239. Ambrosin. *cap.* 13. *num.* 2. *vers. & minus.* Suar. *l.* 3. *cap.* 11. *num.* 3. Laym. *l.* 4. *tract.* 9. *cap.* 3. *num.* 5. Farin. *Appen. Immun. cap.* 3. *num.* 61. Delben. *sect.* 1. *cit. num.* 6. Haun. *tract.* 1. *cit. num.* 184. Zœs. *hic num.* 18. Vviest. *ibid. num.* 87.

Procedit 3. in obligatis ad ratiocinia respectu alicujus administrationis ob eandem concessionis generalitatem. Navar. *Man. cap.* 25. *numer.* 19. *in fin.* Jordan. *num.* 240. Farin. *num.* 63. Delben. *num.* 6. Haun. *numer.* 185. Vviestner *num.* 88. cum reliquis *suprà*. *Neque obstat* textus *can. uxor.* 35. *caus.* 17. *quæst.* 4. quia textus iste non loquitur de homine libero, sed de servo: quem, præstita impunitatis securitate, domino restituendum dixi *num.* 171.

178 *Procedit* 4. in fraudulento decoctore suæ substantiæ, ut contra Gutier. *l.* 3. *pract. civil. quæst.* 1. *num.* 4. & 15. Fagund. *de præcept. Eccl. l.* 4. *cap.* 4. *num.* 53. & alios veriùs sentiunt Navar. *Man. cap.* 25. *num.* 19. Mar. Ital. *de Immunit. l.* 1. *cap.* 5. *num.* 16. Farin. *Append. loc. cit. num.* 64. Ambrosin. *cap.* 13. *num.* 4. *in fin.* Dian. *part.* 1. *tract.* 1. *resol.* 32. Delben. *sect.* 6. *num.* 4. Jordan. *num.* 241. Fagnan. *numer.* 58. Haun. *num.* 186. Vviestner *hic num.* 90. *Neque obstat* Constitutio Pii V. de his edita, & litteræ jussu Clementis VIII. à Card. de Florentia ad Nuntium Apostolicum Neapolitanum datæ, quibus Regularium Superioribus, sub privationis Officii, aliisque pœnis, arbitrio Papæ infligendis, prohibet, ne Fallitos, Bannitos, fures, decoctores recipiant; nam Constitutioni Pii V. per Constitutionem Gregorii XIV. quæ posterior est illa Piana, teste Fagnan. *loc. citat.* quoad fraudulentos Decoctores apertè est derogatum. Litteræ verò illæ Nuntii Apostolici, etsi Pontificis jussu editæ, vim Legis, Ecclesiam universalem obligantis, non habent; quia Bononiam, & Neapolim solùm directæ, in cæteris autem Provinciis, & Romæ nunquam sunt promulgatæ. Accedit, quia illis Litteris Pontifex solùm vetuit, Fallitos, Decoctores &c. Monasteriis recipi, non tamen voluit receptos expelli, & Curiæ Sæculari tradi, *ut cap.* 3. *cit. num.* 64. notat Farinacius.

179 Neque obstant Argumenta allata in contrarium. *Ad* 1. Reorum nomine in Jure veniunt omnes illi, qui in Judicium pro aliqua re petuntur *cap. forus* 10. *vers. Reus, de V. S.* sive deinde civiliter, sive criminaliter conveniantur: & ita Rei nomen in hoc loco accipiendum est, tum quia sic Jus Canonicum meliùs conciliatur cum Jure Civili, quo, ut *suprà num.* 176. dictum est, etiam Debitoribus pecuniariis Asylum conceditur: tum quia versamur in materia favorabili, in qua argumento à minori ad majus locus est; cùm enim Immunitas hæc concessa sit delinquentibus, à majori sequitur concessam esse debitoribus, ne dicatur Ecclesia favere nocentibus, exclusis innocentibus. *Ad* 2. servi fugitivi possessio, & dominium est apud dominum, non autem debitoris apud creditorem: unde nunquam hic tradi creditori potest, nisi post sententiam, & quasi in pœnam. Ambrosin. *cap.* 13. *cit. numer.* 2. *vers. contra.* Haun. *tom.* 6. *de J. & J. tract.* 1. *num.* 182. *Ad* 3. Immunitas constituta est non solùm ad defendendum reum à pœna capitali, sed etiam, ne carcere, & vinculis vexetur *arg. can. definivit* 35. *caus.* 17. *quæst.* 4. *Ad* 4. præterquam quòd fuga debitoris alia via impediri possit, nempe apposita custodia, negatur paritas inter locum Sacrum, & tempus feriatum; hoc enim tempore tam SS. Canones, quàm Leges Civiles facinorosum puniri, tormentis subjici, imò supplicio extremo affici permittunt, si bonum publicum ita postulet; non autem permittunt id in loco Sacro. *Ad* 5. ne hujusmodi receptus ad Asylum præjudicet Creditoribus, convenit apud DD. quòd hujusmodi Debitores à Judice, præstita priùs securitate standi, & exeundi per 30. dies, vel saltem cautione juratoria de non condemnandis illis criminaliter, citari possint, & citati cogi ad solvendum debitum: & quamvis post latam sententiam liberum ipsis sit, ut vel sententiæ pareant, vel ad Ecclesiam redeant, tamen si debitor ad Ecclesiam redierit, debitum nolens solvere, occupari bona illius possunt, & ex iis satisfactio præstari creditoribus; vel si etiam ipsa in Monasterium debitores recepissent, istud cogi poterit, authoritate tamen Ecclesiastica, ad res illatas Curiæ petenti consignandas, aut in loco non immuni deponendas, ut pluries responsum à *S. Congreg. Episcop. & Regul.* testes sunt Dian. *p.* 6. *tract.* 1. *resol.* 17. Barbosa *l.* 2. *Jur. Eccl. cap.* 3. *num.* 47. Delben. *cap.* 16. *dub.* 11. *sect.* 6. *à numer.* 16. Vviestner *hic num.* 92. Accedit, quòd etsi derogaretur aliquantum Juri Creditoris, hoc tamen solùm indirectè, & per accidens fieret, quatenus scilicet in reverentiam Loci Sacri Jura nolunt facultatem concedere, ut extrahi ab Ecclesia possint: quod non est ultra potestatem Jurium; utuntur enim sic Jure suo.

Quæritur 7. an ei, qui cùm jam esset à potestate 180
Sæculari comprehensus, & carcere conclusus, isto effracto, ad Ecclesiam fugit, Immunitas prosit? Negant aliqui cum Tholosan. *Synt. l.* 33. *cap.* 22. *num.* 2. idque praxi in Gallia observari, testis est *Cassaneus* apud Jordan. *l.* 11. *tit.* 3. *num.* 224. Militat pro hac sententia triplex Argumentum. 1. quia talis potestati Judicum, & illorum judicio se subduxit, cui per hoc, quòd conjectus in carcerem fuerit, jam erat subjectus; igitur ne Ecclesia videatur fovere delicta, dicendum est ita confugientibus Asylum non prodesse. 2. Jura tantùm favent illis, qui in sua libertate existentes ad Ecclesiam confugiunt: & hinc, ut *Card. Tusch. Covar. Gutier. Farin. Suar.* & alii multi volunt, si Ministri Ecclesiæ, delinquentem captum ferentes, per Ecclesiam transeant, & eum ducant ad carcerem, vel ad mortem, non prodest delinquenti Loci Sacri Immunitas, sed potest eadem vi, qua introducitur, inde abduci; quia jam captus in Ecclesiam ingressus est; atqui neque in nostro casu delinquens, cùm liber esset, in Ecclesiam fugit, sed postquam in vinculis jam constitutus est; ergo &c. 3. etsi criminosus in sua libertate existens, si confugiat ad Sacerdotem, qui Eucharistiam per viam defert, sit ibi securus, nihilominus, si Corpus Christi deferatur ad hominem detentum in carcere, is non poterit provocare ad Immunitatem; ergo neque illam prætendere potest, qui rupto carcere, ad Ecclesiam fugit; nam par utrobique est ratio, scilicet quia non liber, sed in vinculis jam constitutus est.

Sed non obstantibus his rationibus, dicendum est, 181
etiam hoc casu reo Immunitatem Asyli non denegandam. Ita Abb. *in cap. inter alia* 6. *num.* 32. *hoc tit.* Navar. *Man. cap.* 25. *num.* 19. Covar. *l.* 2. *var. cap.* 20. *numer.* 13. Boerius *decis.* 110. *num.* 8. & 9. Clar. §. *fin. qu.* 30. *num.* 13. Decian. *tract. crim. l.* 6. *cap.* 28. *numer.* 28. Gutier. *l.* 3. *quæst.* 4. *numer.* 10. Ambrosin. *de Immunit. cap.* 10. *num.* 13. Suar. *l.* 3. *cap.* 11. *num.* 8. & 9. Farin. *Append. Immunit. cap.* 15. *num.* 193. Bonacin. *quæst.* 7. *p.* 4. *num.* 16. Pal. *tract.* 11. *D. un. p.* 7. *num.* 10. Guazzin. *reor. defens.* 1. *cap.* 37. *num.* 38. Laym. *l.* 4. *tract.* 9. *cap.* 3. *num.* 9. *vers.* 6. *aliqui*, Canis. *in cap.* 1. *hoc tit. num.* 26. Vvagnereck *in cap.* 6. *eod. V. nisi publicus latro not.* 2. *cas.* 4. *num.* 2. Barbosa *ibidem num.* 11. & *l.* 2. *Jur. Eccl. cap.* 3. *numer.* 46. Jordan. *l.* 11. *tit.* 3. *num.* 223. & 224. Delben. *de Immunit. cap.* 16. *dub.* 10. *sect.* 6. *num.* 1. Haun. *tom.* 6. *de J. & J. tract.* 1. *num.* 164. Zœs. *hic numer.* 35. Engl. *num.* 17. Pirh. *num.* 30. Schambog. *num.* 38. Vviestner *num.* 79. & teste Barbosa *loc. cit.* respondit Sacra Congreg. Episc. & Regul. *in Contronens.* 21. *Julii* 1617. *in Beneventan.* 10. *Maji* 1619. & *in Senogalliens.* 22. *Novembris ejusdem anni.* Par est ratio de eo, qui cùm jam esset captus à Justitiæ Ministris, ab eorum manibus elapsus fugit ad Ecclesiam: item de eo, quem actu Judex insequitur, & priùs ad Ecclesiam pervenit, quàm Judex; imò etiam de illo, qui cum è manibus satellitum se eripere nequeat, eos secum ad Ecclesiam pertrahit. Matthæucc. *Offic. Eccl. cap.* 24. *num.* 16. cum *citt.*

Ratio est 1. quia privilegium Immunitatis conceditur omnibus ad Ecclesiam fugientibus, præterquam in 182
criminibus exceptis, atqui crimen, propter quod carceri

ceri mancipatus est delinquens, ut supponitur, non est exceptum, sed neque exceptum crimen est, quòd carcerem effregerit; quia vel nullum est, vel excusabile admodum propter naturalem inclinationem ad fugiendam pœnam, & conservandam libertatem; ergo &c. 2. qui è carcere fugit, eo ipso constituitur extra vincula, & in sua libertate, atque ex illa se committit protectioni Ecclesiæ. 3. sic judicatum est sæpiùs teste *Farin. & citt.* juxta quos ex TT. & Canonistarum consilio, tanquam Immunitatis Ecclesiasticæ violatores excommunicati aliquando sunt, qui falsarium monetæ è lictorum manibus ab Ecclesia profugum, inde abstractum, extremo affecerunt supplicio; & simile quid hìc Ingolstadii accidisse testatur Haun. *loc. cit.*

183 Sententia contraria nullo Jure nititur, nec firma, ac probabili ratione fundatur; nam. *Ad* 1. Judices obtinent solùm potestatem judicandi reum, dum ipse reus in eorum Jurisdictione existit; secus, si extra illam abeat, sicuti abit ex illa, cùm ad Ecclesiam sese recipit. *Neque obstat*, quòd ita fugiens Judicem spoliet Jure sibi jam quæsito, cons. juxta Regulam communem de restitutione spoliatorum ante omnia videatur esse restituendus spoliato; quia à Regula ista excipitur casus, quo facta restitutione, inferretur damnum irreparabile, quale inferretur in casu præsenti. *Ad* 2. cum exemplo dato nulla est paritas; nam in casu exempli supponitur, homo captus, & coactus deferri, & ita non intrat Ecclesiam tanquam locum refugii, sed per illam ducitur, tanquam per aliquam viam. Deinde etsi juxta DD. *citt.* in casu exempli reo Immunitas nulla competat, & Fagund. *l.* 4. *cap.* 4. *n.* 57. judicet hanc sententiam in Juris rigore veriorem esse, meliùs tamen alii cum *Suar. Dian. Peregrin.* distinguunt, & limitant, si non alia via sit, per quam duci delinquens possit; nam si alia adsit via, incuriæ Ministrorum tribui debet, quòd per illam reum non duxerint, nec propterea privilegio Immunitatis spoliari reus debet, cùm illud Jura concesserint non tantùm *ad Ecclesiam confugientibus*, sed etiam *in loco sancto residentibus*, prout habetur *can. definivit* 35. *caus.* 17. *quæst.* 4. *Ad* 3. iterum non est paritas; nam in casu *Antecedentis* non est alia via, per quam Eucharistia ingredi possit in carcerem, & aliàs rei ad mortem damnari deberent vel carere semper Sacro Viatico, vel nunquam Judex exequi Sententiam suam posset; omnes enim defenderent se Immunitate.

184 *Dubium est*, an Immunitate gaudeat etiam is, qui fide data, custodi, & Juramento præstito, quòd redire velit, è carcere dimissus, se recipit in locum sacrum? Negant aliqui gaudere, quia non redeundo committit perjurium. Alii cum Azor *p.* 2. *l.* 9. *cap.* 9. *quæst.* 9. *vers. quid dicendum* apud Farin. *Append. Immunit. cap.* 15. *num.* 199. distinguunt, & siquidem incarceratio injusta fuit, affirmant gaudere; si justa, negant. Placet universalis assertio, quam tenent Emm. Rodriq. *cap.* 155. *num.* 8. Fagund. *l.* 4. *cap.* 4. *num.* 58. Jordan. *l.* 11. *tit.* 3. *num.* 225. & 226. Laym. *l.* 4. *tract.* 9. *cap.* 3. *num.* 9. Farin. *cap.* 15. *cit. num.* 200. Pal. *tract.* 11. *D. un. p.* 7. *numer.* 13. Delben. *de Immun. cap.* 16. *dub.* 10. *sect.* 10. *n.* 1. *& seqq.* Vvagnereck *in cap. inter alia* 6. *vers. nisi publicus latro not.* 2. *cas.* 4. *num.* 2. & apud hos alii, qui affirmant universim gaudere Immunitate, nisi reus incarceratus sit pro crimine excepto. *Neque obstat*, quòd non redeundo delinquens committat perjurium; nam perjurium Immunitatem non tollit. Adde, facillimo negotio impetrari posse relaxationem Juramenti; & sic cessabit perjurium.

185 Adverto autem, quòd licèt, ut dictum est, reus ejusmodi Immunitate gaudeat, & propterea invita Ecclesia non possit extrahi, Prælatus tamen Ecclesiasticus sic fugientem tradere Magistratui Sæculari possit, præstita priùs cautione idonea de impunitate quoad pœnam corporalem, quam si præstare Judex sæcularis noluerit, tradi eidem reus tam parum poterit, quàm parum quicunque alius.

§. V.

De Criminibus, quæ Reum ab Asylo Sacro excludunt.

S U M M A R I U M.

186 *Quænam crimina privent Asylo Sacro?*
187 *Quisnam dicatur Latro publicus?*
188 *Quid requiratur, ut ob latrocinium quis excludatur Asylo?*
189 190 191 *Corollaria.*
192 *Quid sint Grassatores viarum?*
193 *In quo differant à Latronibus?*
194 *Requisita, ut ob hoc crimen quis excludatur Asylo?*
195 *Quis censeatur esse Depopulator agrorum nocturnus?*
196 197 *An Asylo etiam excludatur Diurnus?*
198 199 200 *An eo excludatur, qui furtum, vel aliud delictum æquè grave, aut gravius homicidio, vel mutilatione committit in Ecclesia?*
201 *An illo privetur, qui vulnerat in Ecclesia?*
202 *Quid si vulneret ipsos Satellites, ut ex eorum se liberet manibus?*
203 *An Immunitate privetur, qui mutilat, vel occidit in Ecclesia per modum necessariæ defensionis?*
204 *Ex subita ira.*
205 *Vel spe Immunitatis consequendæ?*
206 *An defendatur Asylo, qui existens extra Ecclesiam occidit existentem in Ecclesia?*
207 208 *Aut vicissim, qui existens intra Ecclesiam occidit existentem extra illam?*
209 210 211 *An in illo privetur, qui cædem, vel mutilationem committit prope Ecclesiam?*
212 213 214 *Qui mandat aliquem occidi in Ecclesia?*
215 *Qui vi, aut dolo ex illa aliquem extrahit, & extractum occidit?*
216 *Qui in illa vulnerat, si mors extra eam contingat?*
217 *An qui mutilat, vel occidit in Ecclesia, Immunitate privetur etiam quoad alia delicta antè, vel post commissa?*
218 *An qui in una Ecclesia deliquit, & postea fugit ad aliam, in ea tutus sit?*
219 *Quis Judex crimen in Ecclesia commissum punire possit?*
220 *Quis dicendus sit Homicida Proditorius?*
221 *Multi docent, Asylia excludi etiam illum, qui per insidias inimicum suum incautum occidit, ubi horum Fundamenta.*
222 *Explicatur duplex acceptio Homicidii proditorii.*
223 *Ad strictè dictum requiritur amicitia, vel ejus species.*
224 *Et hoc solùm Asylo privare plerique Canonistæ hactenus docuerunt.*
225 226 227 228 229 *Probationes istius Sententiæ.*
230 *&c. Deducitur, quinam ex hoc capite Asylo priventur.*
235 *&c. Deducitur, quinam eodem gaudeant.*
240 *Diluuntur Argumenta contraria.*
241 *Quinam sint Assassini?*
242 *Sub hoc nomine ab Asylo excluduntur etiam illi, qui Assassinos recipiunt, defendunt, occultant.*
243 *&c. Requisita, ut ratione istius criminis quis excludatur Asylo.*
248 249 250 *Utrum Assassini crimen committat, qui pretio conductus occidit infidelem?*
251 *Aut Inimicum?*
252 *Vel qui constitutus est tantùm ad vulnerandum?*
253 *Vel si ad occidendum si mors non est secuta?*
254 *An Assassinii reus sit testis, pecunia corruptus, deponens falsum in Judicio, aut Judex per similem sorditiem innocentem condemnans?*
255 *&c. Requisita, ut aliquis excludatur ab Asylo ratione criminis læsæ Majestatis.*
260 *&c. Præter memoratos casus nullum crimen ab Asylo excludit.*

Quæritur 1. quænam crimina privent Asylo Sacro? Resp. Regula est, Immunitate locali defendi omnes, & quoscunque Reos, nisi specialiter à Jure excipiantur. *Excipiuntur* autem 1. Latrones publici *can. sicut antiquitus* 6. *caus.* 17. *quæst.* 4. *cap. inter alia* 6. *h. tit. & Constitut. Gregor. XIV. sæpius cit.* ibi, *Si fuerint publici Latrones*. Publici Grassatores viarum *cap. inter alia, & Constitut. Gregor. citt.* ibi *Viarumque grassatores*. 3. Depopulatores agrorum *cap. inter alia, & Constitut. cit.* ibi, *Aut depopulatores agrorum*. 4. Committens homicidium, vel mutilationem membrorum in Ecclesia, vel hujus Cœmeterio *cap. fin. h. tit. & Constitut. cit.* ibi, *Quive homicidia, & mutilationes membrorum in prædictis Ecclesiis, earumve Cœmeteriis committere non verentur*. 5. Homicida proditoris *cap. si quis* 5. *de Homicid.* & clarius *Constitut. cit.* ibi, *Qui proximum suum proditoriè occiderit*. 6. Assassini. *Constitut. cit.* ibi, *Aut Assassini, & cap. per humani* 1. *de Homicid. in* 6. vel potiùs istius interprete consuetudine, quæ *cap. cit.* verba, *Sit etiam à toto populo Christiano diffidatus*, etiam ad Immunitatis privationem refert. 7. Rei criminis Hæreseos *Constit. cit.* ibi, *Vel Hæresis:* quod etiam dicendum de Apostatis à Fide Christiana, & de Schismaticis, quando eorum Schisma 186

cum

cum Hæresi est conjunctum, Abb. *in cap.* 1. *de Apostat. num.* 3. Farin. *prax. crimin. quæst.* 28. *num.* 169. 8. Rei criminis læsæ Majestatis in ipsam personam Principis. *Constit. cit.* ibi, *Aut læsæ Majestatis in personam ipsius Principis rei.*

His Sanctissimus Dominus Noster Innocentius XIII. hodie Ecclesiæ Universali gloriose præsidens, in nuperrima *Constit.* incipit *Ex quo Divina disponente Clementia*, edita *die* 15. *Junii* 1725. Addidit, & à favore Sacri Asyli exclusit. 1. Interficientes proximum suum animo præmeditato, & deliberato. 2. Falsificantes Literas Apostolicas. 3. Ministros Montis Pietatis, vel alterius Telonii, aut Banci pro Depositis Principis, Privatarumque Personarum destinati, furtum, aut falsitatem in prædictis locis committentes, cujus ratione Arca pecuniaria ita minuatur, ut pœnæ ordinariæ locus sit. 4. conflantes, adulterantes, vel tondentes quascunque Monetas aureas, vel argenteas, etiam Principum exterorum, quotiescunque in loco, aut Provincia, ubi crimen admittitur, liberum habeant usum, & commercium; vel ipsas Monetas conflatas, adulteratas, aut detonsas scienter ita expendere, & erogare præsumentes, ut fraudis conscii, atque participes censeri possint, 5. illos demum, qui sub nomine Curiæ sese introducunt in alienas domos, animo ibi perpetrandi rapinas, easque reipsa committunt cum homicidio, aut mutilatione membrorum alicujus ex domesticis earundem ædium, vel etiam extranei, quem ibi fortè reperiri contigerit, dummodo homicidium vel mutilatio sequatur. Ita habetur *Constit. cit.* §. *excludimus.*

187 Quæritur 2. quisnam hìc dicatur *Latro publicus*, in ordine ad effectum privationis Asyli? Resp. *Latro publicus* ille dicitur, qui palàm, & in via publica per insidias, aut per violentiam in domibus privatorum aggrediuntur homines, eos spoliant, & resistentibus vulnera, aut etiam cædes inferunt: quales etiam censentur Piratæ, & qui castra incolunt, unde erumpentes vicinis, vel peregrinis damna inferunt. Abb. *in cap. inter alia* 6. *h. tit. num.* 5. Decian. *tract. crimin. l.* 6. *cap.* 28. *num.* 2. Ambrosin. *de Immunit. cap.* 2. *numer.* 6. Farin. *Append. Immunit. cap.* 10. *num.* 148. & 149. Jordan. *l.* 11. *tit.* 3. *num.* 310. Barbos. *l.* 2. *Jur. Eccl. cap.* 2. *num.* 79. Vvagnereck *in cap. inter alia cit. V. nisi Latro publicus not.* 2. *cas.* 2. Engl. *hìc numer.* 13. Vviestner *ibid. num.* 100. & 101.

188 Ut propter Latrocinium aliquis privetur Immunitate, non sufficit, ut semel illud commiserit quomodocunque, sed opus est, ut bis, vel ter, aut si semel tantum, ut de illo certò constet vel per notorietatem Juris, quòd de eo in Judicio spontè confessus, vel legitimè convictus, vel per sententiam condemnatus sit; vel per notorietatem facti, quòd Latrocinium palàm commiserit, ita, ut excusatione, & exceptione nulla declinari possit *cap. vestra* 7. junct. Gloss. *Vers. non diffitetur de cohabit. Cleric. & mul.* Barbos. *in cap. inter alia cit. num.* 37. & 38. Guazzin. *reor. defens.* 1. *cap.* 38. *num.* 33. & 34. Jordan. *l.* 11. *tit.* 3. *num.* 310. Delben. *de Immunit. cap.* 16. *dub.* 13. *num.* 4. 5. & 8. Haun. *tom.* 6. *J. & J. tract.* 1. *num.* 190. & 191. Præposit. Frising. *consil. tom.* 1. *cons.* 22. *num.* 12. Matthæucc. *Offic. Eccl. cap.* 24. *num.* 4. & hoc teste sæpius declaratum est à *S. Congr.*

189 *Ex quo sequitur* 1. Asylo protegi, & defendi furem simplicem, imò & qualificatum, modò non adhibeat violentiam; quia non est Latro, neque grassator. Host. *in cap. inter alia cit. num.* 4. Gonzal. *ibid. num.* 7. Fagnan. *num.* 39. Barbos. *num.* 3. Farin. *l. cit. cap.* 6. *numer.* 93. Guazzin. *cap.* 37. *num.* 59. Delben. *num.* 7. & *dub.* 14. *num.* 1. Zœs. *hìc num.* 32. Vviestner *ibidem numer.* 102. *Excipitur*, nisi alicubi consuetudo legitimè præscripta contrarium habeat. Covar. *l.* 2. *var. capit.* 20. *num.* 13. *vers. decimo nono.* Suar. *l.* 3. *cap.* 11. *post num.* 4. Barbos. *l.* 2. *Jur. Eccl. cap.* 3. *num.* 82. Gonzal. *num.* 7. *cit.* Zœs. *num.* 32. Pirh. *num.* 19. *vers. excipitur* 2. Ut tamen vi consuetudinis ejusmodi fures extrahi ab Ecclesia possint, non sufficit, ut ante Constitutionem Gregorianam in tali loco, ubi consuetudo allegatur, extrahi consueverint ab Asylo; sed opus est, ut etiam consuetudine derogatum sit Juri novissimo Constitutionis allegatæ, ut rectè advertit Illsung. *tract.* 5. *D.* 2. *numer.* 262. quia per eandem Constitutionem consuetudines antecedentes omnes sublatæ sunt.

190 *Sequitur* 2. Asylo etiam gaudere eum, qui per insidias, clam, & in via privata est deprædatus aliquem; quia Latro solùm ille est, qui prædas agit in viis publicis; cons. agens prædas in via privata sub nomine Latronis non venit, sive Jus antiquum, sive Constitutio Gregoriana spectetur. Ambrosin. *de Immun. cap.* 2. *numer.* 4. Farin. *Append. Immunit. cap.* 10. *num.* 151. Decian. *tract. crim. cap.* 28. *num.* 2. Vviestner *hìc num.* 203.

Sequitur 3. candem Immunitatem nancisci illum, qui in via, & strata etiam publica hominis deprædationem solummodo attentavit; quia in pœnalibus, & odiosis, præsertim quæ cedunt in præjudicium Ecclesiarum, actus debent esse perfecti, & consummati. Novar. *Summ. Bullar. tit. de Immun. num.* 46. Delben. *de Immunit. cap.* 16. *dub.* 13. *numer.* 11. Vviestner *num.* 103. *cit.*

Sequitur 4. securum in Asylo esse, qui hominem palam in via publica deprædatus est tantùm semel; 191
quia nomen Latronis frequentiam denotat, ut suprà dictum est *num.* 188. & contra Martam *de Jurisdict. p.* 2. *cap.* 51. *num.* 2. advertunt Abb. *in cap.* 1. *de Judic. num.* 24. Barbos. *cap.* 3. *cit. num.* 82. Vviestner *hìc num.* 204. Excipitur, si grassati mors, aut membrorum mutilatio secuta fuerit, juxta *Const. Ex quo Divina cit.* §. *cùm itaque*, ibi, *Ut aliquis publicus Latro, viarumque grassator dici, & propterea Asyli favore privatus censeri possit, sufficit una grassatio, in via publica, aut vicinali admissa; dummodo tamen grassati mors aut membrorum mutilatio secuta fuerit.*

Sequitur 5. privilegium Asyli habere illos, qui prædationis actum in loco privato exercuerunt sæpius, aut semel in loco publico, vel sæpius illum attentarunt, etiamsi tales Statuto loci puniantur tanquam Latrones: quia vox *Latro* in ordine ad Asylum non est accipienda secundùm privatam loci alicujus, sed secundùm communi usu receptam significationem; aliàs frustra Gregorius XIV. Constitutione sua Jus Immunitatis ad unam formam reduxisset. Peguer. *Decis.* 40. *num.* 7. Ambrosin. *cap.* 3. *num.* 6. Guazzin. *reor. defens.* 1. *cap.* 38. *num.* 37. *fin.* Sperell. *decis.* 103. *numer.* 23. Vviestner. *hìc num.* 105. Quod intellige cum limitatione paulò antè apposita, *Nisi mors, aut membrorum mutilatio secuta fuerit*; tum enim juxta §. *cùm itaque citat.* sufficit, si unica vice crimen istud admissum fuerit.

Quæritur 3. quid sint, & quomodo differant *Grassatores viarum* à Latronibus? Resp. *Grassatores viarum* illi dicuntur: qui quasi cum impetu gradiuntur, ut viatores, quibus insidiantur in viis, & stratis publicis, spolient *l. capitalium* 28. §. *grassatores* 10. *ff. de pœnis*. Farin. *Append. Immunit. cap.* 12. *num.* 161. Barbos. *l.* 2. *Jur. Eccl. cap.* 3. *num.* 83. Pal. *tract.* 11. *D. un. part.* 9. *num.* 6. Vviestner *hìc num.* 106. & *alii.* 192

Proximum hoc crimen Latrocinio est, hinc nonnulli cum isto illud confundunt; quod inde factum videtur, quòd vox *Grassatores* sumi possit in duplici sensu, scilicet largè, & strictè. Largè accepta comprehendit quoscumque, qui in viis, & stratis publicis viatores aggrediuntur, & spoliant, abstrahendo, an cum, vel sine cæde id faciant. *Strictè* verò accepta illos duntaxat denotat, qui viatores aggredi, & despoliare solent, non interveniente cæde, sive hominis interemptione.

In prima acceptione ex sententia Haun. *tom.* 6. *de J. & J. tract.* 1. *num.* 356. quam approbat P. Vviestner *hìc num.* 107. Grassator à Latrone non differt; differt in secunda: & hinc in Constitutione Gregoriana tam Grassatorum, quàm Latronum mentio fit, ut proinde verba, *qui itinera frequentata, & publicas stratas obsident, & viatores ex insidiis aggrediuntur* quando id fit, interveniente hominis interemptione, aut vulneratione, ad Latrones; quando verò id fit sine ista, ad Grassatores sint referenda. 193

Alii cum Ambrosin. *de Immunit. cap.* 3. *num.* 8. Farinac. *Append. Immunit. cap.* 10. *num.* 197. Delben. *dub.* 18. *num.* 2. Grassatores à Latronibus in hoc putant distingui, quòd Grassator viarum sit ille, qui viatores in urbe obsidet, ut eos spoliet, vulneret, vel occidat; *Latro* autem, qui obsidet, vias publicas extra urbem, transeuntes disrubando, & si resistat, vulnerando, vel occidendo.

Quidquid sit de hoc discrimine, in ordine ad privationem Immunitatis parum interest, quis specificè Latro, quis Grassator dicatur; nam ea privatur quicunque, qui in viis, & stratis publicis viatores aggreditur, & spoliat, sive deinde illud faciat cum, vel sine cæde; in qua acceptione *num.* 193. dixi, Latronem à Grassatore non differre.

Ut verò privatio Immunitatis ex crimine hoc inducatur, communiter DD. requirunt 1. ut fiat cum violentia; nam Grassatores nomen acceperunt à Verbo *Gradior*, quòd quasi cum impetu gradiantur, ut 194
ex

ex *Notorio* advertit *Decianus* apud Ambrosin. *loc. cit. num.* 2. qui proinde Grassatorem propriè appellari vult illum, qui viatum in urbe, vicorumque possessor est, obvios injuriæ opportunos spolians, aut pulsans, aut intentata morte territans. 2. ut obsideat vias frequentatas, uti patet ex *Constitut. Gregor.* ibi *Qui itinera frequentata*, & ex *l. liberam C. quand. lic. unic. fin. Jud. sib. jus dicer.* ibi *Aut itinera frequentata insidiis aggressionis obsederit*. Et vero illius, qui obsederit vias non frequentatas, non ita atrox videtur crimen, cùm sibi imputare debeat is, qui injuriam passus est, quòd per vias insuetas incesserit. Ambrosin. *loc. cit. num.* 5. *vers. quodsi.* 3. ut pluries tanti sceleris fuerit reus. Farinac. *cap.* 12. *cit. numer.* 164. Guazzin. *reor. defens.* 1. *cap.* 38. *num.* 37. Delben. *cap.* 16. *dub.* 13. *num.* 14. Sperell. *decis.* 103. *num.* 77. Nicol. *Lucubr. Civil. l.* 1. *tit.* 8. *de Immunit. Eccl. num.* 28. *vers.* non possunt. Monacell. *append. ad p.* 1. *fol.* 286. *num.* 3. Illustriss. D. Præpos. Frising. *tom.* 1. *cons.* 22. *num.* 14. Quod verum est, si sit Grassator talis, qui Viatores aggressus est, & despoliavit, non interveniente cæde, sive hominis interemptione, aut mutilatione, quippe qui solus juxta *numer.* 192. nomine Grassatoris strictè accepti venit; nam si grassati mors, aut membrorum mutilatio secuta sit, per nuperrimam *Constitutionem Innocentianam* §. *cùm itaque cit.* Asyli Sacri favore, privatus censeri debet.

195 Quæritur 4. quis censeatur esse *Depopulator agrorum nocturnus*? Respond. *Depopulator agrorum nocturnus* ille dicitur, qui de nocte ex proposito ignem apponit segetibus, aut fructibus agrorum, vel arborum, aut alio modo eos diripit, vel devastat. Innoc. *in capit. inter alia* 6. *hoc tit. V. nocturnus*. Host. *ibid. V. depopulatores*. Ambrosin. *de Immun. cap.* 4. *num.* 4. Delben. *cap.* 16. *dub.* 16. *num.* 5. Fagnan. *in cap. inter alia cit. num.* 28. Engl. *hic num.* 13. Pirh. *num.* 19. *vers. excipitur* 2. Vviestner *num.* 109. Estque perinde, sive animo lucrandi hos deprædetur, sive ob vindictam, vel alium malum finem data opera devastet. Jordan. *l.* 11. *tit.* 3. *num.* 322. Neque necesse est, ut ejusmodi vastatio fiat publicè, sed quomodocunque facta ex Asylo excludit, si legitimè fuerit probata. Pal. *tract.* 11. *D. un. p.* 9. *num.* 4.

Ratio, quare isti, & prædones, ac Latrones publici Asyli defensione excludantur, non excludantur aliorum graviorum etiam scelerum rei, est; quia hi Reip. quietem, ac tranquillitatem graviter perturbant, & pluribus exitium cogitant, quos præ aliis puniri interest. *can. est injusta* 33. *caus.* 23. *quæst.* 4. *l. fin. Cod. quand. lic. fin. judic.* Gloss. *fin. in cap. fin. cit.* Guazzin. *reor. defens.* 1. *cap.* 38. *num.* 38. Fagnan. *num.* 28. *cit. fin.* Schamb. *hic num.* 25. Vviest. *ibid. num.* 109.

196 *Dubium est*, an Asylo gaudeat Populator agrorum diurnus? *Certum est*, privilegium Asyli competiisse eidem Jure Decretalium antiquo, prout liquet ex *cap. inter alia cit.* ubi cùm Pontifex excluserit specificè Populatorem agrorum nocturnum, censetur hoc ipso Asyli tutelam reliquisse Diurno. *argum. l. si inter.* 5. *ff. de Except. rei judic.*

Controversia est de moderno Jure post *Constit. Gregorian. cit.* Et quidem Delben. *dub.* 27. *numer.* 2. Pal. *tract.* 11. *D. un. p.* 9. *num.* 4. Matthæucc. *Offic. Eccl. capit.* 24. *num.* 5. putant eidem privilegium Asyli competere; quia existimant *Constit. cit.* expeditam esse non ad corrigendum, sed ad firmandum Jus commune, & tollenda privilegia huic contraria. *arg. l. sed & posteriores* 28. *ff. de Legib.* igitur sicut Jus commune antiquum, ut dictum est, exclusit Asylo solos Populatores agrorum nocturnos, ita etiam Gregorius in hac sua Constitutione.

197 Sed probabiliùs etiam Diurnus excluditur. Ita Ambrosin. *de Immunit. cap.* 4. *numer.* 5. *fin.* Guazzin. *reor. defens.* 1. *cap.* 38. *num.* 38. Farin. *Append. Immunit. capit.* 11. *num.* 161. Barbos. *l.* 2. *Jur. Eccl. cap.* 3. *num.* 87. *& in cap. inter alia cit. num.* 43. Nicol. *l.* 1. *lucubr. Civil. tit.* 8. *de Immunit. Eccl. num.* 29. Haun. *tom.* 6. *de J. & J. tract.* 1. *numer.* 194. Monacell. *Append. ad p.* 1. *fol.* 286. *num.* 4. Illustriss. D. Præposit. Frising. *tom.* 1. *cons.* 22. *num.* 15. Vviestner. *hic num.* 110. Colligitur ex *Const. cit.* ubi Pontifex omittendo particulam restrictivam *Nocturnus* satis indicat se voluisse etiam Diurnum Asylo exclusum.

Ad Argumentum contrarium patet ex ipsa *Constit. Gregor.* quòd illa non tantùm sit edita ad firmandum Jus antiquum commune; satis enim ibi Gregorius indicat, in ea *Constitutione* casus aliquos superaddi casibus Jure antiquo exceptis.

198 Quæritur 5. quousque extendi debeat Lex privans Immunitate delinquentem in Ecclesia? *Et* 1. *quidem dubitatur*, an ea privetur, qui furtum, vel aliud delictum æquè grave, aut gravius homicidio, vel mutilatione committit in Ecclesia? Affirmant Abb. *in cap. fin. hoc tit. num.* 9. Clar. §. *fin. quæst.* 30. *num.* 15. Covar. *l.* 2. *var. cap.* 20. *coroll.* 21. Suar. *l.* 3. *cap.* 11. *num.* 6. Laym. *l.* 4. *tract.* 9. *cap.* 3. *num.* 6. Farin. *prax. crim. quæst.* 27. *num.* 53. Canis. *in cap.* 1. *hoc tit. numer.* 29. Barbos. *in cap. fin. eod. num.* 4. Gonzal. *ibid. numer.* 3. *prop. fin.* Zœs. *hic num.* 29. Pirh. *numer.* 21. Schambog. *num.* 26. ex triplici ratione. 1. quia delinquens in Ecclesia indignus est ejus immunitate: & ob hanc rationem excipitur committens ibi homicidium, & mutilationem. 2. quia Legis auxilium frustra invocat, qui Legem contemnit *cap. quia frustra* 14. *de Usur. & l. auxilium* 37. *fin. ff. de minor.* sed talis Legem contemnit; quia spe Immunitatis ibidem delinquit; ergo &c. 3. Gregorius in Bulla sua affert rationem universalem, quæ se extendit ad omnia delicta, saltem gravia, nempè, quòd in eo, in quo quis delinquit, puniri quis debeat: igitur intentio Pontificis videtur fuisse excipere omnia delicta gravia in Ecclesia commissa, & cùm postea de homicidio solùm, & mutilatione mentionem fecit, tantùm exempli gratia illud fecisse.

Sed retinenda est negativa sententia, & dicendum, 199 aliorum criminum, etiam gravissimorum, in Ecclesia commissorum, reos ab Asylo non excludi. Ita Gratian. *Discept. for. tom.* 2. *cap.* 380. *num.* 9. *& seqq.* Ambrosin. *de Immunit. cap.* 5. *numer.* 4. *&* 6. Franc. Leo *Thesaur. for. Eccles. cap.* 13. *numer.* 27. Farin. *Append. de Immun. cap.* 16. *num.* 208. Jordan. *lib.* 11. *tit.* 3. *num.* 338. Delben. *de Immunit. cap.* 16. *dub.* 19. *sect.* 1. *num.* 9. Fagn. *in cap. inter alia* 6. *h. tit. num.* 55. Novar. *tit. de Immunit. num.* 4. Haun. *tom.* 6. *tract.* 1. *num.* 198. *& seqq.* Pignatell. *tom.* 2. *consult.* 67. *num.* 6. Illsung. *tract.* 15. *D.* 2. *num.* 263. Vviestner. *hic num.* 114. Magnif. P. Schmier *part.* 3. *de Jurib. Eccl. cap.* 4. *num.* 45. Illustriss. D. Præpos. Frising. *tom.* 1. *cons.* 22. *num.* 20. & favet apertè Declaratio *S. Congr. Immunit.* quæ 18. *Nov.* 1631. statuit, Immunitate gaudere reum furti in Ecclesia commissi. *Ratio est*; tum quia Sententia hæc est favorabilior Ecclesiæ; tum quia privatio Immunitatis est pœna, sed pœna ultra verba Legis extendi non debet; Lex autem, ut ex *cap. fin. & Constitut. Gregor. cit.* constat, solius homicidii in Ecclesia commissi meminit: ergo &c.

Neque Argumenta in contrarium allata efficacia 200 sunt. *Ad* 1. jam sæpiùs dixi in causa Immunitatis non spectari dignitatem in Ecclesiam fugientis, sed sanctitatem loci: unde nisi crimen exceptum habeat, qualecunque crimen commiserit, æquali semper ratione defenditur. *Ad* 2. Argumentum hoc nimium probat; probat enim, quòd ob qualecunque crimen, modò grave sit, delinquens privetur Immunitate: quod tamen plerique negant, dum adducunt in exemplum solùm gravissima crimina, videlicet adulterium, rapinam Virginum &c. *Ad* 3. imprimis Gregorius rationem illam in Constitutione sua omisit: deinde quòd ratio in *cap. fin.* allata universalis sit, solùm probat, quòd justissimè etiam in aliis criminibus id constitui potuisset, non verò probat id de facto fuisse sic constitutum. Quod additur, homicidium, & mutilationem exempli causa dumtaxat fuisse positam, non est credibile; nam expressione illa Pontifex Ecclesiarum Prælatis dedisset occasionem graviter errandi, dum putarent solam mutilationem, & homicidium in Ecclesia commissum ab Asylo excludere. Accedit, quòd longè planiùs, & paucioribus verbis potuisset mentem suam exprimere dicendo, Asylo excludi *in Ecclesia delinquentes*.

Dub. 2. an privetur Immunitate, qui vulnerat in Ec- 201 clesia? Resp. si mors non sequatur, vel sequatur quidem, sed per accidens v. g. ex negligentia, vel imperitia Chirurgi, gaudere Asylo, quamvis magna sanguinis effusio secuta sit; quia vulnerare, etiam cum magna sanguinis effusione, non est mutilare, vel occidere, & solùm mutilanti, & occidenti per *cap. fin. h. tit. & Const. Gregor. cit.* denegatum Asylum est. Tusch. *V. Immunitas conclus.* 59. Boer. *decis.* 109. *num.* 3. Mat. Ital. *l.* 1. *cap.* 5. §. 3. *num.* 18. Farin. *Append. Immunit. cap.* 16. *num.* 227. Pal. *tract.* 11. *D. un. p.* 6. *num.* 10. Delben. *de Immunit. cap.* 16. *dub.* 19. *sect.* 2. *num.* 1. Haun. *tom.* 6. *de J. & J. tract.* 1. *num.* 198. Hinc teste Barbos. *l.* 2. *Jur. Eccles. cap.* 3. S. Congreg. Episcop. 16. *Nov.* 1618. declaravit, quòd inferens sfrigia in faciem alicujus in Ecclesia Ecclesiæ Immunitate gaudeat, non obstante, quòd tale delictum sit grande, & atrox.

An

202 An eadem Immunitas etiam pateat illi, qui post delictum deprehensus à satellite cum ipso per vim intrat in Ecclesiam, & ut se de illius manibus eximat, eundem cum magna sanguinis effusione vulnerat, controversum fecit Curtell. *de Immun. l.* 2. *quæst.* 13. 1. quia talis reus committit in ministrum Principis. 2. non obedit Principi, cui ut subditus obedire debet ex D. Paulo *Rom.* 23. 3. ad Ecclesiam non se recipit liber, cùm jam sit in manu satellitis. Sed Farin. *l. cit.* Delben. *num.* 4. & communis cæterorum affirmant etiam huic patere Asylum ex ratione *numer. præced.* allata. Hinc *ad* 1. *argumentum* Sententiæ adversæ dicunt, non sufficere, ut quis committat in Ministrum Principis, sed illum dumtaxat privari Asylo, qui committit in personam Principis. *Ad* 2. Imperio Principis in hoc casu prævalet jus naturæ, quod dictat fugam, quando periculum grave imminet; & licitè reus fugit etiam ex carcere. *Ad* 3. Jura generaliter Asylum præbent confugientibus ad Ecclesiam: ergo etiam sic deprehenso à satellite.

203 Dub. 3. an Immunitate privetur, qui in Ecclesia occidit, vel mutilat quomodocunque? *Certum est*, non privari, qui mutilat, vel occidit per modum necessariæ defensionis cum moderaminæ inculpatæ tutelæ; quia tunc non delinquit, cum de Jure naturæ liceat vim vi repellere. Delben. *de Immunit. cap.* 16. *dub.* 19. *sect.* 4. *num.* 2. In controversiam ducuntur duo. 1. an ea privetur, qui mutilat, vel occidit in Ecclesia, vel Cœmeterio ex subita ira, sive excandescentia, non ex proposito, sive insidiosè? 2. an illa privatio tangat dumtaxat eum, qui occidit, vel mutilavit ex præsumpta spe consequendæ Immunitatis?

204 *Ad* 1. affirmativè respondent Abb. Covar. Suar. Clar. Farinac. Layman. Barbos. Lezan. Bonacin. Delben. & alii apud Pignatell. *tom.* 2. *consult.* 38. *num.* 1. Sed idem Pignatell. *num.* 3. amplectitur partem negativam, & pro se allegat Joan. Andr. Tusch. Azor. Gutier. Villagut. Azeved. Mar. Itall. Sperell. Novar. Dian. & alios, itaque decisum refert in Urbe *sub annum* 1639. occasione homicidii commissi in Ecclesia Lateranensi, & observatum in Civitate Neapolitana in Ecclesia Domus Professæ Societatis JESU: addit sic etiam censuisse Sac. Congr. Immun. *in Puteol.* 14. *Jun.* 1661. *& in Algarens.* 24. *Mart.* 1637. ibi, *Occidens in Ecclesia, provocatus in rixa gaudet Immunitate*. Consentit Monacellus *p.* 2. *tit.* 15. *form.* 14. *num.* 2. qui & ipse pro se allegat sententiam Sacr. Congregat. Episcop. *in Bononiens.* 13. *Sept.* 1619.

205 *Ad* 2. iterum non desunt DD. apud Delben. *l. cit.* qui existimant, solùm illos ab Asylo excludi, qui ex præsumpta spe Immunitatis occidunt, vel mutilant in Ecclesia, argumento ducto ex *cap. fin. hoc tit.* ubi Pontifex declaravit, quòd Asylum tollendo occidentibus, vel mutilantibus in Ecclesia voluerit coercere audaciam illorum, qui spe Immunitatis sic polluebant Ecclesiam. Sed communior sententia cum Covar. *l.* 2. *var. cap.* 20. *num.* 15. *coroll.* 22. Jordan. *l.* 11. *tit.* 3. *numer.* 333. Laym. *l.* 4. *tract.* 9. *cap.* 3. *num.* 6. Fagnan. *in cap. fin. cit. num.* 28. Barbos. *ibid. num.* 5. *& l.* 2. *Jur. Eccl. cap.* 3. *num.* 109. Delben. *sect.* 4. *cit. num.* 6. Vvagnereck *in cap. inter alia vers. nisi latro publicus not.* 2. *cas.* 1. Haun. *tom.* 6. *tract.* 1. *num.* 203. Zœs. *hic numer.* 21. Schambog. *num.* 27. Vviestner. *num.* 113. docet, privationem Asyli extendi ad delinquentem in Ecclesia, etiamsi delictum non admiserit ex præsumpta spe consequendæ Immunitatis. *Ratio est*; quia decisio est absoluta. *Ad Argumentum contrarium* præterquam, quòd novum non sit, ex particulari causa ad universalem prohibitionem faciendam moveri, causa hæc adæquata non fuit, sed præterea alia communis, & generalis, nempe quòd is, qui in Ecclesiam delinquit, frustra illius imploret auxilium, atqui cùm duplex est causa movens ad aliquam dispositionem, cessante una, & perseverante alia, non cessat dispositio, ut bene notat *Covar.* ergo &c. *Conf.* si solùm sub spe Immunitatis in Ecclesia delinquentes privantur Immunitate, inutilis, & impossibilis redditur dispositio Juris; nam posita tali dispositione, nullus cum tali spe Immunitatis peccare potest, cùm impossibile sit spem habere, quòd videat hoc ipso se excludi Asylo.

206 Dub. 4. an privetur Immunitate, qui existens extra Ecclesiam sagitta, sclopo, vel alio Instrumento occidit existentem intra Ecclesiam? Resp. privari. Ita Navar. *Man. cap.* 25. *num.* 71. Covar. *l.* 2. *var. capit.* 20. *num.* 15. *coroll.* 27. Laym. *l.* 4. *tract.* 9. *cap.* 3. *numer.* 6. Suar. *l.* 3. *cap.* 51. *num.* 7. *&* 8. Ambrosin. *de Immunit. cap.* 5. *num.* 8. Jordan. *l.* 11. *tit.* 3. *num.* 326. Lezan. *V. immunitas num.* 11. Guazzin. *theor. defens.* 1. *cap.* 3. *numer.* 21. Delben. *de Immunit. cap.* 16. *dub.* 19. *sect.* 7. *numer.* 1. *& seqq.* Barbos. *l.* 2. *Jur. Eccl. cap.* 3. *num.* 113. Vvagnereck *not. cit. cas.* 1. Pirhing. *hic num.* 25. Schambog. *num.* 36. Vviestner *num.* 115. *Ratio est*, quia talis revera occidit in Ecclesia; licet enim occisio initium habuerit extra, executionem tamen, & consummationem (quæ in delictis maximè attendenda est. Bartol. *in l. libellorum* 3. *ff. de accus. num.* 7.) habet in Ecclesia, in qua accidit læsio inducens vitæ privationem.

207 An vice versa ille, qui intra Ecclesiam existens sclopo, sagitta, lapide &c. occidit existentem extra illam in loco profano, Asylo excludatur, controversia est apud DD. Et quidem, quòd excludatur Asylo, docent Abb. *in cap. fin. num.* 11. *h. tit.* Sylv. *V. Immunitas* 3. *num.* 8. Covar. *cap.* 20. *cit. num.* 15. Azor *p.* 2. *l.* 9. *cap.* 9. *quæst.* 14. *vers. quidsi dolo*. Ambrosin. *de Immunit. cap.* 5. *num.* 7. Laym. *num.* 6. *cit.* Guazzin. *num.* 20. Barbos. *num.* 111. Vvagnereck *cas.* 1. *cit.* Zœs. *hic num.* 24. Pirh. *num.* 25. Schambog. *num.* 30. Monacell. *append. ad p.* 1. *fol.* 286. *num.* 5. *Rationem dant*, quia talis mortis aut mutilationis causam necessariam in Ecclesia, vel Cœmeterio posuit.

208 Sententiam negativam cum P. Vviestner *hic num.* 116. defendunt Novar. *Summ. Bull. tit. de Immun. num.* 51. Ricc. *p.* 5. *collect.* 1792. Bonacin. *tom.* 2. *D.* 3. *quæst.* 7. *p.* 4. *num.* 8. Jordan. *l.* 11. *tit.* 3. *num.* 328. Dian. *part.* 1. *tract.* 1. *resol.* 9. Delben. *dub.* 19. *cit. sect.* 5. *numer.* 1. Haun. *tom.* 6. *tract.* 1. *num.* 207. Matthæucc. *Offic. Eccl. cap.* 24. *numer.* 10. Illustrifs. D. Præpos. Frising. *tom.* 1. *cons.* 22. *num.* 17. *Rationem dant*, quia reipsa, & propriè loquendo non in Ecclesia, sed ex ea occidit, & delictum extra eam consumat; aliàs qui cùm consisteret in Ecclesia S. Petri, ejaculando occideret existentem in Ecclesia S. Pauli, dicendus esset, in utraque Ecclesia occidisse.

Hodie tenenda est prior Sententia; nam *Constitutio Innocentiana* novissima ab Ecclesiasticæ Immunitatis beneficio excludit etiam eum, qui intra Ecclesiam, vel Cœmeterium existentes interficit, aut mutilat existentem extra illam in loco profano, ut videre est in ejusdem *Constit.* §. *insuper*, ubi privatio hæc etiam extenditur ad eos, qui confugientibus ad Ecclesiam vim inferunt, atque ipsos ab Ecclesia, aliove loco immuni violenter extractos, & abductos occidunt, vel mutilant.

209 Dub. 5. an privetur Asylo, qui cædem, vel mutilationem committit prope Ecclesiam, in ejus atrio, scalis &c. saltem si post crimen perpatratum ad Ecclesiam fuga se recipiat? Affirmant privari Host. *Summ. h. tit.* §. *in quantum*. Covar. *l.* 2. *var. cap.* 20. *num.* 15. *coroll.* 26. Gutier. *pract. qq. Civil. l.* 3. *quæst.* 1. *numer.* 15. Farin. *prax. crim. quæst.* 28. *num.* 56. *& Append. Immun. cap.* 16. *num.* 210. *ac seqq.* Barbos. *cap.* 3. *cit. num.* 116. *& in cap. fin. h. tit. numer.* 5. Canis. *in cap.* 1. *eod. num.* 31. Zœs. *hic num.* 25. *Moventur*, quia ante fores, & prope Ecclesiam delinquens in ea delinquere censetur *can. sicut antiquitus* 6. *can. si quis in atrio* 7. *& can. quisquis* 21. *caus.* 17. *quæst.* 4. cùm generaliter appellatione domus etiam ostia, cæteraque domibus conjuncta comprehendantur *arg. l. si æque* 47. *& l. licèt* 48. *ff. de contrah. empt.*

210 Sed probabiliùs hic Asylo defenditur. Ita Abb. *in cap. inter alia* 6. *h. tit. num.* 18. Angel. *V. Immunitas* §. 17. Tabien. *V. eod. num.* 10. Navar. *Man. cap.* 25. *num.* 22. Peregrin. *de Immun. cap.* 6. *num.* 60. Fagund. *de præcept. Eccl. l.* 4. *cap.* 8. *num.* 45. Mar. Ital. *l.* 1. *cap.* 4. §. 7. *num.* 16. Suar. *l.* 3. *cap.* 11. *num.* 9. Laym. *l.* 4. *tract.* 9. *cap.* 3. *num.* 7. Ambrosin. *de Immunit. cap.* 5. *num.* 4. Dian. *p.* 1. *tract.* 1. *resol.* 3. *&* 39. *& p.* 3. *tract.* 1. *resol.* 39. Lezan. *V. immunitas num.* 11. Jordan. *l.* 1. *tit.* 3. *numer.* 333. Delben. *cap.* 16. *dub.* 19. *sect.* 6. *num.* 1. *& seqq.* Sperell. *decis.* 60. *num.* 14. Pignatell. *tom.* 9. *consult.* 5. *num.* 9. Matthæucc. *Offic. Eccl. cap.* 24. *num.* 6. 7. *&* 11. Magnif. P. Schmier *part.* 3. *Jur. Eccles. cap.* 4. *num.* 40. Illustrifs. D. Præpos. Frising. *tom.* 1. *cons.* 22. *numer.* 19. *Ratio est*, quia quod certo loco permissum est, censetur alio loco vetitum, & quod in uno loco est vetitum, in alio censetur permissum *l. cùm Lex* 22. *ff. de Legib. & l. cùm Prætor* 12. *ff. de Judic.* atqui solum homicidium, & mutilatio cum restrictione, *In ipsis Ecclesiis, earumve Cœmeteriis* commissum, ubi ponitur particula *ipsis*, quæ personalissima est, & interius spatium tantùm demonstrat, sub Immunitatis privatione prohibitum est, ergo homicidio extra Ecclesiam, licèt prope illam, commisso Immunitas est concessa.

211 Non tamen damnanda est praxis contraria: immò præferenda foret, si constaret de Declaratione Clem. VIII.

VIII. quam in favorem ejus allegat Farin. *numer.* 210. *cit.* & ostendi posset, eam non intuitu casus, vel circumstantiæ particularis, sed universaliter factam. P. Vvieftner *hic num.* 19.

Ad argumentum contrarium dico, in casu præsenti, quia agitur de privatione Immunitatis, quæ odiosa est, nomen Ecclesiæ sumendum strictè pro interiore duntaxat ambitu ipsius Ecclesiæ.

212 Dub. 6. an privetur Immunitate, qui mandat aliquem occidi, vel mutilari in Ecclesia? Affirmant privari, Laym. *l.* 4. *tract.* 9. *cap.* 3. *num.* 6. Farin. *Append. Immunit. cap.* 16. *num.* 230. Mart. *de Jurisdict. part.* 2. *cap.* 51. *num.* 26. Barbos. *l.* 2. *Jur. Eccles. cap.* 3. *numer.* 116. *& in cap. fin. h. tit. num.* 9. Illsung. *tract.* 5. *D.* 2. *num.* 363. Pirhing. *hic num.* 25. Schambog. *num.* 30. & alii apud Delben. *cap.* 16. *dub.* 19. *sect.* 8. *num.* 3. *Fundantur* 1. quia talis est verè reus homicidii, vel mutilationis sacrilegæ. *argum. cap. mulieres* 6. §. *fin. de sent. excommun. & l. utrum* 6. *ff. ad Leg. Pomp. de Parricid.* 2. quia quod quis facit per alium, per seipsum facere censetur. *Reg.* 72. *in* 6. & actus mandanti potiùs tribuitur, quàm exequenti *cap. ut famæ* 35. *de sent. excom.* 3. quia mandans aliquem ab Ecclesia extrahi, incurrit pœnas latas Constitutione Gregoriana; ergo etiam mandans in ea occidi, privatur Asylo.

213 Sed probabiliùs ita mandans privationem Immunitatis non incurrit. Ita Ambrosin. *de Immunit. cap.* 5. *num.* 9. Megal. *in* 3. *part. lib.* 4. *cap.* 1. *quæst.* 1. *num.* 13. Bonacin. *de Legib. D.* 3. *quæst.* 7. §. 4. *num.* 1. Pal. *tract.* 11. *D. unic. p.* 9. *num.* 17. Lezan. *V. Immunitas num.* 11. Jordan. *l.* 11. *tit.* 3. *num.* 339. Delben. *sect.* 8. *cit. num.* 1. Haun. *tom.* 6. *tract.* 1. *numer.* 210. Matthæucc. *Offic. Eccl. cap.* 24. *num.* 9. Pignatell. *tom.* 9. *consult.* 22. *numer.* 31. Præposit. Frising. *tom.* 1. *consult.* 22. *numer.* 18. Vvieftner *hic numer.* 118. *Ratio est*, quia Immunitate nemo privandus est, nisi in casibus à Jure exceptis: atqui in Jure occidens, & mutilans privatur Immunitate; mandans autem sub occidente non intelligitur, nisi in lata significatione, quæ in pœnalibus facienda non est; ergo.

214 Neque contrarium probant Argumenta opposita. *Ad* 1. aliud est esse reum homicidii sacrilegi, aliud esse reum pœnæ à Jure positivo latæ: prius desumitur à malitia actus, quæ in mandante æqualis, vel major est; alterum à voluntate Legislatoris, qui uni actui potuit sancire certam pœnam, non sancire illam alteri æquè gravi, vel graviori delicto. *Ad* 2. is, qui facit aliquid per alium, censetur per seipsum fecisse, non realiter, sed fictione Juris, & in ordine ad culpam, non verò in ordine ad pœnam; est autem pœna privans Immunitate in casu nostro solùm imposita ob mutilationem, vel homicidium reale, & non quod fictione Juris tale reputatur. Neque hoc frustra fingitur, sed colligitur ex ipsis Constitutionis Gregorianæ verbis; nam ibi Pontifex loquitur solùm de homicidiis, & mutilationibus, & tollit facultatem interpretandi, & extendendi Constitutionem suam ad alios casus in ea non expressos. *Ad* 3. negatur paritas; nam pœnæ in *Const. citat.* latæ sunt non in solos extrahentes, sed in omnes, qui aliquid agunt contra Immunitatem; privatio autem Immunitatis non est lata in quemcunque, qui aliquid agit contra Ecclesiæ reverentiam, sed in eum duntaxat, qui in ipsa occidit, vel mutilat, qualis spectata verborum proprietate, is tantùm est, quis verè, & realiter occidit.

215 Dub. 7. an privetur, qui vi, vel fraude, ac dolo extrahit aliquem ab Ecclesia, & extractum occidit, vel mutilat? Affirmant Sylv. *V. Immunitas.* 3. *quæst.* 3. Covar. *l.* 2. *var. cap.* 20. *num.* 18. *coroll.* 33. Peregrin. *de Immunit. cap.* 6. *num.* 16. Farin. *Append. Immunitat. cap.* 16. *num.* 232. Azor *p.* 2. *lib.* 9. *cap.* 9. *quæst.* 14. Barbosa *l.* 2. *Jur. Eccl. cap.* 3. *num.* 114. *&* 115. Negant Bonacin. *quæst.* 7. *part.* 6. §. 2. *num.* 4. Pal. *tract.* 11. *D. un. part.* 9. *num.* 18. Delben. *cap.* 16. *dub.* 19. *sect.* 9. *num.* 1. Haun. *tom.* 6. *tract.* 1. *num.* 212. Præpos. Frising. *tom.* 1. *cons.* 22. *num.* 21. *Rationem dant*, quia talis, licèt in Ecclesia dederit causam occisionis, non tamen occidit in Ecclesia, nec dedit causam necessariam occisionis; potuisset enim, postquam eum extraxit ab Ecclesia, extra illam non occidere. Nunc tenenda est affirmativa Sententia propter sæpius allegatam *Constitutionem Innocentianam*, quæ §. *insuper* sic extrahentes, & extractos occidentes, aut mutilantes, ut *num.* 208. monui, ab Asylo Sacro excludit.

216 Probabilis tamen adhuc videtur Sententia Pignatelli, qui *tom.* 2. *consult.* 67. *num.* 2. putat, Immunitate non privari eum, qui lethaliter vulnerat in Ecclesia, si mors contigerit extra Ecclesiam, quia causa exclusiva Immunitatis non est quomodocunque actio occidendi, sed quatenus conjungitur cum morte. Et hoc certissimum est, si ex causa data in Ecclesia mors sequatur post tempus considerabile; quia tunc remanet etiam dubium, an ex sola causa data in Ecclesia, vel etiam ex alia superveniente sit mors secuta; in dubio autem censendum est pro vulnerante; quia semper, quando est possibile, sumenda est illa interpretatio, quæ excludit peccatum. Addit tamen Pignatell. *loc. citat. num.* 15. adversùs sic vulnerantem in Ecclesia ob gravitatem delicti, si Sanctissimus annuerit, procedendum ad pœnam extraordinariam, prout factum *in Tropiens.* 14. *Maji* 1669. ubi Sacerdos quidam vulnerans lethaliter alium Sacerdotem tempore, quo in Choro cantabantur Vesperæ solemnes, & vulneratus Antiphonam, fuit condemnatus ad triremes per decennium à *Sacr. Congr.* cum Oraculo Sanctissimi. Imò nunc post *Const. Innoc. cit.* si mors extra Ecclesiam ex vulnere intra Ecclesiam accepto reipsa secuta est, & vulneratio facta animo præmeditato, & deliberato occidendi, locum habebit etiam pœna ordinaria homicidii, si non propter Homicidium factum in Ecclesia, saltem ex causa, quod illud factum sit animo præmeditato, & deliberato, ob quale Homicidium eadem *Const.* §. *excludimus* illius reos ab Asylo excludit, modò vulnus tale sit, ut ei, tanquam causæ, adscribi mors vulnerati possit.

Dub. 8. an qui mutilat, vel occidit in Ecclesia, Immunitate privetur etiam quoad alia delicta antè, vel post commissa? Affirmant Tusch. *V. Ecclesia n.* 11. Decian. *lib.* 6. *cap.* 28. *num.* 9. Boer. *decis.* 110. *num.* 10. apud Delben. *cap.* 16. *dub.* 19. *sect.* 10. *num.* 2. si propter homicidium in Ecclesia commissum punitus nondum est. *Rationem dant*, quia dum punitus nondum est, non est Ecclesiæ satisfactum, ac proinde Ecclesia delinquentem à se expellit, ut adeo judicari, & puniri possit ob omnia delicta à se commissa. 217

Sed Covar. *l.* 2. *var. cap.* 20. *num.* 15. *coroll.* 24. Gutier. *pract. qq. Civil. l.* 3. *quæst.* 1. *num.* 18. Jordan. *l.* 11. *tit.* 3. *num.* 337. Bonacin. *D.* 3. *quæst.* 7. §. 4. *fin.* Pal. *tr.* 11. *D. un. p.* 9. *num.* 23. Delben. *cap.* 16. *dub.* 19. *sect.* 10. *num.* 1. Haun. *tom.* 6. *tract.* 1. *num.* 213. probabiliùs indicant delictum in Ecclesia factum solùm privare Immunitate pro se, ita, ut pro aliis delictis reo stet Immunitas illibata. *Rationem dant*; quia pœnæ extendendæ non sunt ultra casus Jure expressos; atqui nullo Jure constat, delinquentem in Ecclesia privari Immunitate quoad alia delicta commissa extra Ecclesiam; ergo &c. 218

Dub. 9. an, qui in una Ecclesia deliquit, & postea fugit ad aliam, gaudeat hujus Immunitate? Resp. negativè; cùm enim una sit per Orbem universalis Ecclesia, licèt multæ sint particulares, qui facit injuriam uni Ecclesiæ, omnes offendisse censetur. Sylv. *V. Immunitas.* 3. *quæst.* 2. Ambrosin. *de Immun. cap.* 5. *num.* 3. Farin. *Append. Immunit. cap.* 16. *num.* 219. Guazzin. *reor. defens.* 1. *cap.* 38. *num.* 17. Barbosa *l.* 2. *Jur. Eccl. cap.* 3. *num.* 110. Pal. *p.* 9. *num.* 9. Haun. *tom.* 6. *tract.* 1. *num.* 201. Schambog. *hic num.* 28. Pirh. *num.* 23. & apud hos *Covar. Azor, Decian. Fill. Bonacin.* Notat tamen Sylv. *loc. cit.* de consuetudine in quibusdam locis contrarium servari, quasi una Ecclesia utatur privilegio suo contra aliam, sicut minor contra alium minorem. Sed nunc *Const. Innoc. cit.* observari in puncto hoc debet, quæ §. *insuper* Reos homicidii perpetrati in Ecclesia non illius tantùm Ecclesiæ, quam violarunt, sed cujuscunque etiam alterius Ecclesiæ Immunitate gaudere nequaquam posse, aut debere expressè declarat, decernitque §. *cæterùm*, nullam deinceps habendam rationem cujuscunque Praxis, à quibuslibet Curiis, aut Tribunalibus introductæ. 219

Dub. 10. quis Judex crimen in Ecclesia commissum punire possit? Resp. cum distinctione; nam si delictum Ecclesiasticum sit, aut saltem delinquens sit Ecclesiasticus, solùm à Judice Ecclesiastico puniri potest; quia tum extra Jurisdictionem Judicis Sæcularis est. At si delictum sit Sæculare, & delinquens Laicus, utrumque forum sortitur: Ecclesiasticum quidem, quia delictum commissum est in loco Sacro; Sæculare autem, quia huic & persona, & delictum subest. Delben. *cap.* 16. *dub.* 19. *sect.* 10. *num.* 3. *& duob. seqq.*

Quæritur 6. quis dicendus sit *Homicida Proditorius*? Controversia hæc magnis partium studiis est agitata, quæ ortum suum ex eo trahit, quòd multi DD. velint homicidii Proditorii reum esse, & consequenter Sacra Asylia excludi eum, qui per insidias etiam inimicum suum incautum occidit: contrà alii contendant, ad hoc, ut homi- 220

homicidii proditorii reus aliquis efficiatur, præter insidias requiri etiam, ut illud fiat sub specie amicitiæ. Priorem sententiam defendunt Covar. *lib.* 2. *var. cap.* 20. *num.* 7. *vers. tandem*. Placha *Epitom. lib.* 1. *cap.* 21. *num.* 2. *vers. ipse tamen*, Gambacurta *lib.* 5. *de Immunit. cap.* 28. *num.* 3. Gomez. *tom.* 3. *var. cap.* 3. *num.* 5. *vers. animadvertendum*. Decian. *tract. crim. l.* 6. *cap.* 28. *num.* 15. Suar. *tract.* 2. *de Relig. lib.* 3. *cap.* 11. *num.* 12. Sanch. *Conf. l.* 6. *cap.* 1. *dub.* 8. *num.* 26. Farin. *prax. crim. quæst.* 18. *num.* 24. Mar. Ital. *lib.* 1. *de Immunit. cap.* 5. §. 4. *n.* 3. Lauren. Matthæucc. *de re crim. controvers.* 30. Pignatell. *tom.* 1. *consultat.* 48. *num.* 4. Hyppolitus Grassetus *Anatom. Nec. Proditor* §. 9. & apud hunc plures alii, qui tamen non omnes, ut ostendit Sperell. *decis.* 185. *à numer.* 5. sub castris illius militant.

221 *Probant* hanc suam sententiam 1. ex optimis Linguæ Latinæ Scriptoribus, Tito Livio, Cornelio Tacito, Tullio Cicerone, juxta quos *proditio*, & *insidiæ*, etiam hosti factæ, pro Synonymis sunt, 2. ex Jure Civili *leg. cujusque* 4. *ff. ad Leg. Jul. Majest.* ubi ista teneri asseritur, *cujus dolo exercitus populi Romani in insidias deductus*, *hostibusque proditus erit*, & *insidiæ*, ac *proditio* pro eodem sumuntur, 3. ex jure Ecclesiastico, immo Divino *cap. siquis* 1. *de homicid.* cujus verbis, quæ ex *Libro Exodi* desumpta sunt, is, qui *per industriam occiderit proximum suum*, & *per insidias*, *jubetur ab altari evelli*, *ut moriatur*, & tantùm *insidiarum*, non verò *amicitiæ*, vel *inimicitiæ* habetur ratio. Cui consonat textus *Deuter. cap.* 19. *v.* 1. & 12. ibi, *Siquis odio habens proximum suum*, *insidiatus fuerit ejus vitæ*, *surgensque percusserit illum*, & *moriatur -- eripiant eum de loco effugii*, & *moriatur*. 4. ex Constitutione Gregoriana ipsamet; fatetur enim ibidem Pontifex, quod ea Constitutione non velit jus antiquum corrigere, & casus illo exceptos diminuere, sed potiùs *ad terrorem delinquentium & coercenda illorum facinora ultra id*, *quod prisca illa Majorum disciplina*, & *vetus Sacrorum Canonum norma præscripserat*, *in quibusdam casibus*, *congrua moderatione adhibita*, *aliquid permittere*, atqui diminuisset casus jure antiquo exceptos, si Asylo non excluderetur ille, qui inimicum per insidias incautum occidit; nam hunc *cap. siquis cit.* aperte Asylo privat: ergo &c. 5. ex ratione; quia in proposita Ecclesiasticæ Immunitatis materia nomen *Proditio* potiùs latè accipiendum est, prout includit etiam occidentem per insidias, ut evitetur correctio juris antiqui, quæ fieret, si acciperetur strictè pro occidente sub specie amicitiæ, aut non inimicum: ergo &c. 6. ex communi usu loquendi; communiter enim pro Homicida proditorio habetur, qui per insidias, vel insidiosam industriam, incautum, & de retro, ac nihil sibi præcaventem, adeoque sublata omni defensione, occidit.

222 Sed distinguendum est inter duplicem Homicidii Proditorii acceptionem, quarum una est lata, & impropria, altera stricta, & propria. *Priori* proditoriè occidisse dicitur, quicunque proximi, etiam inimici, vitæ clandestina ejus circumventione, vel occulta machinatione quacunque insidiatur, eumque nihil mali præcaventem, adeoque ad sui defensionem hic & nunc impotentem aggreditur, & necat. *Posteriori*, ille duntaxat, qui non præcisè per insidias, & dolum, sed sub specie amicitiæ, nullo præcedente rancore, vel per reconciliationem sublato, incautum, nihilque mali præcaventem, aut suspicantem occidit, ut olim Joab Abner, & Amasam *lib.* 3. *Reg. cap.* 3. & 20. Adeoque ad Homicidium Proditorium, hoc secundo modo acceptum, requiritur 1. ut fiat per insidias, & per dolum; hoc enim indicat textus *cap. siquis* 1. *de homicid.* ibi per *industriam*, -- & *per insidias*: & clariùs patet ex Originali Hebræo, ubi legitur, *Siquis proximum suum occiderit in astutia*; & ex versione Septuaginta, quæ habet, *Si autem aliquis aggressus fuerit proximum*, *ut occidat eum in dolo*; item in Vatabli versione, ubi habetur, *Si verò aliquis volens*, & *callidè machinatur proximo suo necem*, 2. requiritur, ut illud Homicidium fiat sub specie amicitiæ, nam qui inimicum occidit etiam per insidias, & dolum, dici non potest incautum occidisse; cùm enim sciverit, quòd inimicus ejus esset, occisus debuisset sibi ab illo præcavere, & saltem vel pacem petere, vel apud Judicem de fidejussione de non offendendo instare: quodsi non fecit, sibi imputare hoc debet, quòd occisus fuerit: neque enim sua culpa, & sua ignavia potest efficere, ut alter evadat proditor. Certè si ad proditorium homicidium sufficeret occisum esse quomodocunque nihil tale præcaventem, proditoriè occidisse dici deberet, qui furem inermem in fragranti deprehensum occidit.

Immò ut Pignatell. *tom.* 2. *consultat.* 37. *numer.* 15. & 223
seqq. pluribus *citat.* contendit, non sufficit sola amicitia, sed requiritur ejus species, seu ut sub specie amicitiæ rancor internus tegatur: hinc quando inter occisum, & occidentem datur vera, & solida amicitia, vult Author *citat.* homicidium præsumendum esse casuale potiùs, ac improvisum, quod ex nova alia, & inopinata causa, inter ipsos tunc contingente, contigerit. Communior tamen DD. est sufficere ad homicidium proditorium solam amicitiam cum negativa rancoris præcedentis, & structis insidiis, quæ ipsæ præmeditationem indicant. Et quidem amicitia hæc probabiliùs non debet esse particularis, sed sufficit communis, quam homo homini, & maximè fideles inter se debent. Et hinc, qui per insidias, aut à tergo occidit proximum suum, cum quo nullas antecedenter inimicitias habuit, licet cum eo etiam non habuerit amicitiam aliquam particularem, jam censebitur homicidii proditorii reus. *Ratio est*, quia, ut Sperell. *decis.* 185. *numer.* 20. notat, natura inter homines, & Lex Christi inter Christianos jus cognationis constituit, juxta illud Apostoli: *Unum corpus sumus in Christo*, *singuli autem alter alterius membra*. Rom. 12. *Vers.* 25. quo fit, ut amicitia ista communis regulariter præsumatur, ut multis *citt.* notat Sperell. *loco citat. numer.* 21. cons. eo ipso, quòd inter duos nulla adest inimicitiæ occasio, alter de altero, uti de præsumpto amico confidit. His notatis, ad quæstionem *numer.* 220. propositam

Doctores alii hactenus docuerunt, utroque nunc ex- 224
plicato modo acceptum crimen Proditorii Homicidii esse crimen atrocissimum, & suppliciis gravissimis dignum, Asylo tamen excludere solùm secundo modo acceptum. Ita Joan. Gerson *part.* 2. *Sermon. de Can. Domin.* Clar. §. *Homicidium numer.* 10. Peregrin. *de Immun. cap.* 7. *numer.* 2. M. Ant. Genuens. *cap.* 76. *numer.* 2. Vincent. de Franch. *decis.* 713. Ambrosin. *de Immunitat. capit.* 6. *numer.* 3. & 4. Jordan. *lib.* 11. *tit.* 3. *numer.* 342. Villagut. *de Extens. Leg. capit. fin. numer.* 16. *fin.* Guttier *tract. qq. civil. lib.* 1. *quæst.* 2. *numer.* 9. Farin. *Append. Immunitat. capit.* 9. *numer.* 137. ubi mutavit opinionem suam. Guazzin, *reor. defens.* 1. *capit.* 38. *numer.* 40. Delben *de Immunit. capit.* 16. *dub.* 20. *sect.* 5. *numer.* 1. Sperell. *decis.* 23. *à numer.* 6. & *decis.* 185. *per totam*, Fagnan. *in capit. inter alia* 6. *hoc titul. numer.* 49. & *seqq.* Barbosa *ibid. numer.* 46. & *lib.* 2. *Jur. Eccles. capit.* 3. *numer.* 91. Haun. *tom.* 6. *tract.* 1. *numer.* 214. Pignatell. *tom.* 9. *consult.* 5. *à numer.* 1. ubi recantat antecedenter à se dicta. Monacell. *Append. ad part.* 1. *fol.* 287. *numer.* 6. Marthæucc. *Offic. Eccles. capit.* 24. *numer.* 12. Zœs. *hic numer.* 28. Konig. *ibid. numer.* 10. Vviestner *lib.* 5. *titul.* 12. *numer.* 122. Magnif. P. Schmier *part.* 3. *de Jur. Eccles. capit.* 4. *numer.* 35. & 4. *seqq.* Illustris. D. Præposit. Frising. *tom.* 1. *consult.* 22. *numer.* 6. & *seqq.* tenentque sententiam istam, ut fatetur pars adversa, ex Canonistis, & TT. ferè omnes; ex Legistis ejusdem Patronus Sperellus *decis.* 185. *citat. à numer.* 44. & *numer.* 80. enumerat plusquam sexaginta, ut adeo P. Vviestner *loc. citat.* cum aliis concludat, sententiam istam omnino esse certam, nec in dubium ampliùs revocari posse, cùm tot DD. suffragiis corroborata sit.

Probant 1. authoritate Clementis VIII. qui ad ca- 225
sum Panormitanum, cùm quatuor illorum, qui Nobilem quemdam suum inimicum per insidias ex fenestris tormenti bellici brevioris ictu occiderant, & ad Ecclesiam confugerant, peteretur extraditio, Brevi Apostolico die 6. Februarii 1597. desuper edito disertè declaravit, omnes istos Ecclesiastica Immunitate gaudere, & frui debere, licèt duos illorum ex rationabilibus causis animum suum moventibus voluerit Curiæ Sæculari tradi. Neque movere debent, quæ in contrarium de mente istius Summi Pontificis scripsit Mar. Ital. *lib.* 1. *cap.* 5. §. 4. *numer.* 1. & *seqq. in discurs.* sed potiùs credendum Farinacio, qui, ut ipse *loc. cit. num.* 143. scribit, præsens eundem Pontificem oretenus informavit, & ore proprio respondentem audivit, ac propterea censuit à nostra Sententia in judicando nullatenus recedendum, cùm utique Legislator, & Successor ejusdem Legem suam explicare, & interpretari mentem illius possit.

2 Declarationibus Sac. Congregat. Episc. & Regular. 226
Immunit. & Concilii, quæ, ut Sperell. *decis.* 185. *cit. num.* 93. testatur, hanc sententiam secuta est, & sequatur semper, dum constanter in Declarationibus ejusdem negatur Proditor esse ille, qui sclopo occidit inimicum

cum etiam per insidias à tergo, & ad probationem Homicidii Proditorii requiritur amicitia præcedens, ut videre est *in Regiensi* 12. *Oct.* 1602. *in Consentina.* 8. *April.* 1603. & *alia* 16. *April.* 1611. *in Melevitan.* 2. *Aug.* 1619. *in Bojanensi* 6. *April.* 1622. *in Beneventana* 18. *Aug.* 1637. *&c.* quibus, cùm uniformiter emanarint, si non Jus, saltem Stylus, qui instar juris custodiendus est, meritò inductus fuisse credendus est. Certè hujusmodi Decreta Congregationum, cùm saltem vim interpretandi SS. Canones authoritativè habeant, accedente præsertim consensu Canonistarum, & TT. ferè unanimi, non modicè majorem fidem merentur, quàm mereatur authoritas DD. adversæ sententiæ, qui præterquam quòd longè pauciores sint, nequaquam tot Argumentorum momentis fulciuntur.

227 3 Constitutione Gregoriana *cit.* ubi Pontifex non juris antiqui terminis, *Siquis per industriam, & per insidias &c.* sed aliis, & clarioribus utitur, nempe istis, *Qui proditoriè proximum suum occiderint*: quæ verba in sensu proprio, & Urbis, Orbisque usu recepto, ut P. Vviestner *tit.* 12. *cit. num.* 129. *& seqq.* latè ostendit, necem non per qualescunque insidias, sed per amicitiæ simulationem proximo consciitam significant: debent autem Legum humanarum verba, cùm possunt, secundùm propriam, & communi usu approbatam significationem accipi, ut Regulæ instar sumitur ex *c. inter* 2. *vers. sed neque. de translat. Episc. l. librorum* 52. §. *quod tamen* 4. & *l. non aliter* 69. *ff. de Legat.* 3. Imò si proditoriè occidisse in sensu Constitutionis Gregorianæ dicendus esset, qui per insidias quomodocunque occidit, frustra Pontifex præter Homicidas Proditorios mentionem fecisset de Latronibus publicis, & Assassinis; nam & isti occidunt ex insidiis, ut ex illorum Definitionibus patet.

228 4 Praxi Curiarum, juxta quam passim in eos solùm, qui proximum, amicitiæ specie deceptum, occidunt, tanquam in Homicidii Proditorii reos proceditur, prout de supremo Senatu Castellano, & Curia Neapolitana testatur M. Ant. Genuens. *Prax. Neapol. c.* 94. *num.* 2. & Haun. *tom.* 6. *de J. & J. tr.* 1. *n.* 219. de Urbis Romanæ, cæterisque Italiæ, imò Christiani Orbis plurimis Tribunalibus *Covar. Bajard. Decian.* apud Sperell. *decis.* 23. *n.* 1. & *decis.* 185. *num.* 72. Imò Gizzanell. *decis.* 16. *num.* 3. testatur fuisse conclusum, quòd disputare super hoc articulo esset supervacaneum, & potiùs pertinacia, seu magis impertinentia, cùm usque ad annum 1600. per modum Legis universalis fuerit junctis Tribunalibus canonizata sententia *Bartoli*, quòd verè inter inimicos non possit cadere delictum proditorium.

229 5 Ratione: quia cùm causa Immunitatis sit favorabilis Ecclesiæ, semper sumenda est illa interpretatio, quæ privilegium istud potiùs extendit, quàm restringit; ita extenditur, si nomen Homicidii Proditorii sumatur in sensu stricto. Imò hoc sensu acceptum est verè, & propriè proditorium; nam ut Bartol. *in l. perspyciendum.* 11. §. *delinquitur* 22. *ff. de pœnis* advertit, Proditor ille propriè est, & dicitur, qui unum in actibus externis, aliud in corde gerit, ut patet exemplo Judæ, qui animo cum Judæis, corpore, & ore cum Christo fuit, & ideo, quia specie amicitiæ, dando osculum, eundem tradidit, *Proditor* appellatur: & sic juxta *Bartolum* Homicida Proditorius, acceptus in sensu proprio, ille dumtaxat erit, qui sub specie amicitiæ, societatis, officii, fidei de non offendendo datæ occidit proximum. *Bartolo* consentiunt Igneus *in L. & si percussor* 6. §. *si unus* 2. *ff. ad Silanian. p.* 2. *n.* 14. *&* 15. Joan. Andr. *in c.* 1. *pr. de homicid. in* 6. Cœvall. *opin. comm. q.* 817. Gomez. *l.* 3. *var. cap.* 3. *num.* 5. Guazzin. *reor. defens.* 1. *cap.* 38. *num.* 48. Gratian. *discept. forens. c.* 619. *num.* 23. Sperell. *decis.* 23. *num.* 4. & omnes cæteri *num.* 224. allegati.

230 *Ex quo sequitur* 1. quòd Homicidii Proditorii reus, & conf. Asyliæ tutela exclusus sit, qui parentem, conjugem, dominum, familiarem, contubernalem, commilitonem, socium mensæ, vel itineris &c. nulla inter eos præcedente rixa, aut inimicitia, atque adeo nullam metuendi causam habentes deliberatò occidit. Ambrosin. *de Immunit. c.* 6. *num.* 3. Farin. *Append. Immunit. c.* 9. *num.* 138. Jordan. *l.* 11. *tit.* 3. *num.* 342. *&* 343. Guazzin. *reor. defens.* 1. *c.* 38. *num.* 40. Barbosa *l.* 2. *Jur. Eccl. c.* 3. *num.* 95. *&* 96. Delben. *de Immunit. c.* 16. *dub.* 20. *sect.* 2. *num.* 5. & hoc teste declaratum est à *S. Congr. Trid. Interpp.* modò insidiæ intervenerint; nam proditio sine insidiis non fit. Haun. *tom.* 6. *de J. & J. tr.* 1. *n.* 219. Imò his intervenientibus, non est necessaria amicitia specialis, sed sufficit communis, quam homo homini debet, si homicidium fiat in iis circumstantiis, ut occisus sibi ab occidente præcavere non potuerit, vel debuerit, ut insinuavi *n.* 225. & indicat Haun. *l. cit. num.* 213. dum ait, ad Homicidium Proditorium non requiri, ut occidens cum occiso habuerit amicitiam Philosophicè sumptam, cujus effectus est communicatio omnium bonorum.

2 Homicida Proditorius est, qui proximum, cum quo nullus præcessit rancor, & inimicitia manifestata, occidit veneno. Ita Bald. *in l. nemo C. de Summ. Trinit.* Gomez *l.* 3. *resol. c.* 3. *num.* 7. Suar. *tom.* 2. *de Relig. l.* 3. *c.* 11. *num.* 12. Peregrin. *de Immunit. c.* 3. *num.* 6. Farin. *Append. Immunit. cap.* 9. *num.* 142. Laym. *l.* 4. *tr.* 9. *cap.* 3. *num.* 8. Barbosa *l.* 2. *Jur. Eccl. c.* 3. *num.* 94. *& in cap. inter alia* 6. *h. tit. num.* 47. Vvagnereck *ibid. V. nisi Latro publicus. not.* 2. *cas.* 3. Pal. *tr.* 11. *D. un. p.* 9. *num.* 30. Haun. *tom.* 6. *tr.* 1. *numer.* 215. Pignatell. *tom.* 9. *consult.* 37. *num.* 13. Matthæucc. *Offic. Eccl. c.* 24. *numer.* 12. Pirh. *hic num.* 28. Schambog. *ibid. num.* 33. estque testibus Pignatell. & Matthæucc. *l. citt.* declaratum à S. Congreg. Concil. 3. *Dec.* 1632. & à S. Congreg. Immunit. 24. *Nov.* 1651. & colligitur *arg. l. cùm aliter* 1. §. *quod siquis* 18. *ff. de S. C. Silanian.* & *l... plus est* 1. *C. de malefic.* ubi dicitur, *Plus est hominem extinguere veneno, quàm occidere gladio*: clarissimè verò habetur in *Const. Gregor. cit.* ubi casus iste nominatim exprimitur. Dixi, *cum quo nullus præcessit rancor &c.* nam siquis occidat inimicum veneno, non dicitur propriè Homicida Proditorius, & idcircò Asylo gaudet, quia cùm, stante inimicitia, habuerit occisus fundamentum sibi præcavendi, poterat, & debebat is præcavere sibi, unde si non fecit, sibi imputare debet. 231

3 Homicida Proditorius est, & conf. Asylo privatur, qui per insidias, & industriam, nulla præcedente inimicitia, occidit Infidelem, ut contra Ambrosin. *de Immunit. cap.* 7. *num.* 12. Dian. *p.* 4. *tract.* 1. *resolut.* 46. Bonacin. *D.* 3. *q.* 7. *p.* 6. §. 3. *num.* 6. rectiùs docent Peregrin. *de Immunit. cap.* 7. *num.* 15. Jordan. *l.* 11. *tit.* 3. *num.* 346. Farin. *Append. Immunit. cap.* 8. *num.* 120. Pal. *tr.* 11. *D. un. p.* 9. *num.* 3. Delben. *c.* 16. *dub.* 20. *sect.* 4. *num.* 1. Haun. *tom.* 6. *tr.* 1. *num.* 217. *Ratio est*; quia, licèt ille in fide, in Sacramentis, in Ecclesia &c. nobiscum non communicet, tamen etiam ipse proximus noster est, & ad eum, tanquam ad illum, qui eandem nobiscum naturam participat, præceptum de diligendo proximo verè extenditur. Accedit, quia alias etiam Homicida Proditorius non esset, qui occideret Hæreticum, cùm nec ipse in Fide, & Charitate nobiscum conveniat. 232

4 Homicidii Proditorii reus est, qui inimicum reconciliatum occidit. Farin. *l.* 2. *consf.* 168. *n.* 75. Delben. *c.* 16. *dub.* 20. *sect.* 3. *n.* 1. Pignatell. *tom.* 1. *consult.* 102. *n.* 4. *& seqq.* Vviestner *l.* 5. *tit.* 12. *n.* 136. Sed hoc intelligendum est de eo inimico, cum quo reassumpta est stricta amicitia per cohabitationes, comessationes, & alia constantis reconciliationis indicia; nam alias inimicus reconciliatus habendus adhuc est pro inimico, & conf. talem occidens homicidii proditorii reus non efficitur. An reconciliati animi sufficiens signum sit promissio, aut fidejussio facta de non offendendo, controversum est apud DD. Affirmant *Decian. Peregrin. Curtell. Farin.* apud Delben. *sect.* 3. *cit. n.* 1. Sed eodem Delben. teste *n.* 5. satis probabiliter negant Anton. de Marinis *resolut. quot. cap.* 174. Dian. *p.* 4. *tract.* 1. *resol.* 33. & *V. Immunitas num.* 28. Pignatell. *tom.* 2. *consult.* 53. *n.* 16. Præposit. Frising. *tom.* 1. *consf.* 22. *n.* 8. nam adhuc se tueri debebat occisus, & præsumere perseverantiam odii. Quod maximè verum est, si nova offensionis causa post reconciliationem ita factam accessit. Delben. *l. cit. num.* 7. 233

5 Similiter Homicidii Proditorii reus est, qui procurat abortum fœtus animati, ut vult Remig. de Gonny *de Immun. fallent.* 14. & matres, quæ exponunt, vel occidunt proprios suos partus, ut putat Farin. *Append. c.* 9. *num.* 139. ex ratione, quòd ejusmodi fœtus, & infantes impiæ Matris, vel scelesti Patris insidias nec prævidere, nec præcavere valeant. Sed utrumque negant Franc. Leo *Thesaur. for. Eccl. p.* 1. *c.* 13. *n.* 25. Bonacin. *D.* 3. *q.* 7. *p.* 6. §. 3. *num.* 8. Dian. *p.* 3. *tr.* 1. *resol.* 72. Haun. *tom.* 6. *tr.* 1. *n.* 215. *fin.* Vviestner *l. cit. num.* 139. & teste Delben. *dub.* 20. *cit. num.* 4. satis probabiliter; quia, ut *num.* 222. dixi, proditoriè is propriè occidisse dicitur, qui per insidias, seu dolum id non prævidentem occidit; atqui infans non potest propriè dici occidi per insidias, & per dolum, colus enim est fraus ad aliquem decipiendum adhibita; conf. in infantem ille non cadit, qui ut decipere, ita & decipi non potest propriè, cùm deceptio propriè 234

sit

sit in illum, qui dolum cognoscere, & præcavere aliqua ratione potest.

235 Contra Homicidii Proditorii reus non est 1. qui corrivalem, competitorem, æmulum, casu occurrentem, repentè aggreditur, aut ex insidiis occupatum necat; quia vel præmeditatio, vel species amicitiæ, ad homicidium proditorium requisita, deficit. P. Vviestner *tit.* 12. *cit. n.* 140.

2 Qui inimicum, etiam per insidias, etiam dormientem, vel alio modo incautum v. g. à tergo, vel ex fenestra cum sclopo occidit: & hoc verum est, etiamsi hoc fiat in propria ipsius occisi, vel occidentis domo, ad quam vel occisus, vel occidens venit necessitate officii, aut debiti exigendi, vel alterius negotii transigendi gratia; quia hujusmodi Homicidium, etsi sæpe præmeditatum sit, non tamen perpetratum est sub specie amicitiæ, vel reconciliationis. Card. de Luca *Theatr. V. & J. de Immunit. discurs.* 9. *n.* 8. Delben. *dub.* 20. *cit. sect.* 5. *n.* 1. Vviestner *l. cit. n.* 141.

236 3 Qui quemcunque, etiam contubernalem, amicum, consanguineum, commilitonem, socium occidit in rixa subitò orta, vel commotus ad iracundiam ob injuriam verbo, vel facto illatam, ex defectu sufficientis, & ad proditorium homicidium requisitæ præmeditationis. Farin. *prax. crim. q.* 18. *n.* 73. Pignatell. *tom.* 2. *consult.* 37. *n.* 17. Vviestner *l. cit. num.* 142. Estque perinde sive id fiat in ipsa rixa, sive paulò post, quamdiu præsumi, vel rationabiliter timeri potest, quòd conceptus ex injuria justus dolor, & iracundiæ impulsus adhuc in offenso duret. Quamdiu verò istud præsumi possit, non conveniunt DD. Aliqui apud Menoch. *de arbitr. cas.* 301. *n.* 20. putant extendi hoc tempus posse usque ad 30. dies, ita, ut si intra illos factum sit homicidium, factum censeatur durante eodem impetu iracundiæ; sed quia aliis sententia hæc videtur esse laxior æquo, ipse tandem designationem temporis relinquit arbitrio Judicis, qui id definiet, quod circumstantiæ personarum, loci, temporis &c. suaserint.

237 4 Qui occidit, etiam non inimicum, per industriam, sed non per insidias; quia ad Homicidium Proditorium requiruntur insidiæ, ut pater ex *n.* 222. & sumitur ex *c. si quis* 1. *de homicid.* ubi copulativè dicitur, *Per industriam, & per insidias. Neque refert*, quòd, ut opponunt Adversarii, hoc modo satis fuisset: si Pontifex posuisset duntaxat voces *Per insidias*, omissis illis *per industriam*; quia particulæ istæ adducuntur ad majorem declarationem priorum; nam sensum faciunt, *Si quis per industriam insidiosam occiderit proximum.* Argumentum tangit etiam Authores suos; sequitur enim quòd etiam particulæ *Per insidias* frustra appositæ sint; cùm enim Homicidium, per insidias factum, non possit non esse factum per industriam, positis particulis *Per industriam*, jam exclusum fuisset homicidium factum per insidias, Delben. *dub.* 20. *cit. sect.* 7. *n.* 7.

238 5 Qui occidit provocatum ad Duellum, ut contra Ludov. Correa *in relect. ad c. inter alia p.* 3. *n.* 19. Barbos. *l.* 2. *Jur. Eccl. c.* 3. *n.* 101. & Mar. Ital. *l.* 1. *c.* 3. §. 4. *n.* 42. *& seqq.* probabiliùs docet Ambrosin. *de Immunit. c.* 8. *n.* 12. Farin. *Append. c.* 7. *n.* 117. Dian. *p.* 4. *tr.* 1. *resol.* 46. Delben. *dub.* 20. *cit. sect.* 6. *nu.* 1. Haun. *tom.* 6. *tr.* 1. *num.* 218. Engl *hic n.* 15. Vviestner *lib. cit. num.* 143. *Neque obstat*, quod ex Trid. *sess.* 25. *cap.* 19. duellantes excommunicationem incurrant, & privationem Ecclesiasticæ Sepulturæ; quia secundùm dicta *numer.* 156. etiam Excommunicati Asylo gaudent, & privatio Sacræ Sepulturæ adeptionem Asyliæ non inducit.

6 Qui per insidias fraude deducit aliquem ad locum, in quo prævidet, eum ab alio occidendum; Ita contra *Remig. de Gonny. & Peregrin.* probabiliùs docent. Bonacin. *de Excomm. partic. extra Bull. Cœn.* §. 8. *n.* 1. Dian. *p.* 6. *tr.* 1. *resol.* 12. *fin.* Delben. *dub.* 20. *cit. sect.* 8. *n.* 1. Vviestner *n.* 146. Ratio est, quia ex dictis Asylo solùm excluditur, qui propriè, & physicè committit Homicidium proditorium; at qui deducit aliquem, ut ab alio occidatur, ille non occidit propriè, & physicè, sed tantùm moraliter: ergo &c.

239 7 Qui proximum proditoriè vulnerat, aut ei venenum porrigit animo necandi, si mors non consequatur. Ita contra *Navar. Covar. Curtell. Farin. Bobadil.* docent Suar. *l.* 3. *c.* 11. *n.* 14. Decian. *l.* 3. *cons.* 18. *& tr. crim. l.* 6. *c.* 28. *num.* 17. Bonacin. *D.* 3. *q.* 7. §. 4. *n.* 16. Farin. *Append. c.* 9. *n.* 145. in hoc se corrigens Jordan. *l.* 11. *tit.* 3. *n.* 347. Barbos. *l.* 2. *Jur. Eccl. c.* 3. *nu.* 90. Haun. *tom.* 6. *tr.* 1. *n.* 220. Zoes. *hic n.* 31. Pirh. *ibid. n.* 28. Vviestner *l. cit. n.* 145. & alii apud Delben. *dub.* 20. *cit. sect.* 9. *n.* 1. quia *Constitutio Gregoriana cit. & c. si quis* 1. *de Homicid.* utuntur verbo *Occiderit*, quod est temporis præteriti perfecti, denotat actum perfectum, & consummatum.

8 Et multo magis Immunitate gaudet, qui ex proposito, & sub specie amicitiæ propriè proditoriè alapam impingit viro Nobili, vel eum fustibus percutit, ut contra *Bobadill. Villadieg. Curtell. Joan. de Hevia* meliùs docent Decius *l.* 1. *cons.* 54. *n.* 1. Ambrosin. *de Immunit. c.* 1. *n.* 14. Peregrin. *c.* 6. *n.* 24. Dian. *p.* 4. *tr.* 2. *resol.* 45. Delben. *dub.* 20. *cit. sect.* 10. *n.* 1. *Neque obstat*, quòd à Viro Nobili honor æstimetur magis, quàm vita; nam in hac materia non valet Argumentum à paritate, vel majoritate rationis, quia versamur in odiosis, & contra Immunitatem Ecclesiasticam, quæ, utpote favorabilis, potiùs ampliari, quàm restringi debet, præsertim ob particulam taxativam *Tantùm*, quam Pontifex Gregorius XIV. in sua *Constit.* addidit.

240 Argumentis *num.* 221. in contrarium allatis sæpiùs secundæ sententiæ Patroni putant se congruè satisfacere. *Ad* 1. Livius, & Tacitus non de quibuscunque insidiis, sed cum simulatione amicitiæ conjunctis loquuntur, ut latè declarat P. Vviestner *Tit.* 12. *cit. n.* 115. Quod ex Cicerone additur, malè intelligunt Adversarii Verbum *Prodere* ab eodem in *Orat. pro Milone* usitatum: nam ibi idem est, quod *nominare, renuntiare, constituere*, ut patet ex ejusdem verbis, ibi, *Scire potuit illo ipso die Lanuvii à Dictatore Milone prodi Flaminem necesse esse. Ad* 2. si verba Legis *citat.* prout ab Adversariis adducuntur, in sensu copulativo *Hostiiusque* sumenda sunt, meritò proditionis scelus inde arguitur; nam is, cujus insidiis exercitus proditus ibi dicitur, dicitur esse ejusdem Dux, vel miles sub signis merens, cons. insidiæ ponuntur esse conjunctæ cum specie amicitiæ. Ob similem amicitiæ speciem aliæ Leges *citt.* ab Adversariis *Proditionis* utuntur nomine, ut cum Servus denuntiat, vel insidiatur Domino suo *l. capitalium* 28. §. *igni* 11. *ff. de pœn. l. servum* 6. *& duab. seqq. C. de Delatorib. &c.* nam servus, cùm tanquam domesticus censeatur affectus Domino suo, si sub hac specie eidem insidietur, meritò Proditoris crimen incurrit. *Ad* 3. textus illius propter ignorantiam, qua mente illum Decretalibus inseruerit Pontifex, tam varias explicationes DD. afferunt, ut tanquam ambigui sensus ad causarum decisionem adduci nequeat, ut cum aliis notat Sperell. *decis.* 185. *num.* 14. Ut evitetur correctio Juris verba illa, *Et si per insidias* intelligi debent de Homicidio proditorio; nam hoc solum exceptum Pontifex voluit ab Asylo: & quidem non Proditorium solùm latè, sed strictè cum simulatione amicitiæ; sic enim declarasse censetur Clemens VIII. in Brevi suo, cujus memini *num.* 225. ubi pronuntiat gaudere Asylo reos homicidii per insidias in inimico, cons. proditorie in minùs stricto sensu perpetrati; est autem cujusque Legislatoris Leges suas declarare in dubio, & ubi talis declaratio datur, non est ampliùs locus DD. opinionibus, cùm authoritate D. Petri cedere debeant. Ad id, quod additur ex *Deuter.* præterquam quòd vi Juris *Deuteron.* defensi Asylo fuerint soli Homicidæ Casuales, Lex illa tantùm Judicialis fuit, quæ Christi morte expiravit, neque Jure Ecclesiastico, aut alio resuscitata est. *Ad* 4. patet ex *numer.* 227. quæ fuerit mens Gregorii XIV. Si corrigere non voluit Jus antiquum, saltem voluit illud interpretari; & hac interpretatione standum est. *Ad* 5. Proditionis nomen potiùs accipiendum est strictè, cum versemur in re odiosa, & exclusione à privilegio. *Ad* 6. Communis ille loquendi modus, quem allegant Adversarii, vulgaris est; ego illi oppono usum communem loquendi non vulgi, sed Doctorum, à quibus *Proditor* communiter habetur is, qui sub specie amicitiæ, vel officii aliquem interimit, pro quo Sperell. *decis.* 185. *n.* 42. citat *Bald. Remig. Gonny. Gutier. Guidop. Bonacurs. Gizzanell. Catalan. Joan. Bapt. de Leonardis, Vincent. Franch. &c.*

Hanc sententiam, quæ solos Homicidas Proditorios, extra Ecclesiam, & Cœmeterium occidentes, à Privilegio Asyli excludit, in prima editione tenui, secutus authoritatem DD. & Rationes à *num.* 224. allatas. Nunc verò muto sententiam, & dico, etiam eos, qui per insidias inimicum, nihil ejusmodi præcaventem, occidunt, privari Asylo Sacro, non quidem, quasi isti Homicidii verè Proditorii rei sint (eatenus enim valent Argumenta hujus secundæ sententiæ) sed quia tale Homicidium committi solet animo præmeditato, & deliberato, cujus reos nuperrima *Constit. Innoc.* sæpius allegata §. *excludimus cit.* ab hujus Asyli favore expressè excludit, sublatis quibuscunque in-

interpretationibus DD. ſuper Bullam Gregorianam antea factis, praxi Curiarum, & Tribunalium, & ipſis etiam Declarationibus S. Congr. Cardd. Immunitati Eccleſiaſticæ præpoſitorum, quatenus dictæ Conſtitutioni adverſantur: idque meritò, ut ſic *delinquentium audacia, ac ejuſmodi delictorum frequentia* (ut in dicta *Conſtit. Innoc.* dicitur, & multi hactenus deſiderabant) *quantum fieri poteſt, coerceretur.*

241 Quæritur 7. quinam ſint *Aſſaſſini*, & propterea Aſylo Sacro priventur? Reſp. *Aſſaſſini* olim dicebatur populus infidelis, Phœnici adſitis montibus, & ſcopulis circumdatus, cujus Religio, & fidei dogma præcipuum erat, obſervare Principis ſui nutus, & imperia, præſertim in trucidandis Principibus, & Magiſtratibus Chriſtianis. Hodie, translato ab ipſis vocabulo, & ſignificatione extenſa, Aſſaſſini vocantur quicunque tam fideles, quàm infideles, qui pecunia, aut alia re pretio æſtimabili data, vel promiſſa conducti, aliquem cujuſcunque ſtatus, vel conditionis Chriſtianum, non præcaventem occidunt, vel etiam occidi mandant; utrique enim Aſylo privantur. Gutier. *prax. l.* 3. *q.* 7. *num.* 4. Ambroſin. *de Immunit. c.* 7. *n.* 2. *& ſeqq.* Farin. *Append. Immun. c.* 8. *num.* 128. Laym. *l.* 4. *tr.* 9. *c.* 3. *n.* 9. Guazzin. *reor. defenſ.* 1. *cap.* 38. *nu.* 41. Barboſ. *l.* 2. *Jur. Eccl. c.* 3. *num.* 97. Delben. *de Immunit. c.* 16. *dub.* 21. *ſect.* 1. *n.* 1. *& ſeqq.* Vvagnereck *in c. inter alia V. niſi publicus Latro caſ.* 4. *not.* 2. Pignatell. *tom.* 9. *conſult.* 43. *n.* 4. Engl *hic n.* 13. *V. Aſſaſſinos.* Vvieſtner *l.* 5. *tit.* 12. *num.* 149. Præpoſit. Friſing. *tom.* 1. *conſ.* 22. *n.* 33. Sicque deciſum eſt in *Conſt. Innocentian.* ſæpius allegata §. *adhæc.*

242 *Et extenditur* etiam ad eos, qui Aſſaſſinum receptaverint, vel defenderint, vel occultaverint, ut ea receptatione, defenſione, occultatione verè cauſa fuerint necis per illum illatæ. Ita *l. citt.* Gutier. *nu.* 57. Farin. *n.* 124. Barboſ. *n.* 97. Pignatell. *n.* 16. Vvieſtner *n.* 153. & approbat Haun. *tom.* 6. *tract.* 1. *num.* 229. Delben. autem, ut bene Pal. *tr.* 11. *D. un. p.* 9. *n.* 41. notat, ſic auxiliantes cognoſcere, quòd ii, quos ita juvant, Aſſaſſini ſint, & iis, quatenus tales ſunt, præſtare auxilium; aliàs pœnas evitabunt.

243 Dub. 1. quid requiratur, ut Aſyliæ privatio incurratur per Aſſaſſinium, & verus Aſſaſſinus dici aliquis poſſit? Reſp. 1. requiritur, ut interveniat pretium, vel alia res pretio æſtimabilis; nam qui ſine pretio, aut ſine prævia pretii promiſſione aliquem interficit, ut alteri rem gratam præſtet, Aſſaſſinium non committit, cum non dicatur occidere accepto, vel promiſſo pretio. Covar. *l.* 2. *var. cap.* 20. *num.* 10. Jordan. *lib.* 11. *tit.* 3. *num.* 364. Ambroſin. *l. cit. num.* 8. *&* 9. Farin. *n.* 130. Guazzin. *n.* 42. Engl *verſ. Aſſaſſinos c.* Et quidem non ſufficit, ut quomodocunque delinquat circa pretium, quia etiam milites hoc modo Aſſaſſini forent: ſed neceſſe eſt, ut ſuſcipiat mandatum occidendi hominem pretio convento, ut cum *Alciato* notat Ambroſin. *l. cit. num.* 7. Et hinc Aſſaſſinus non eſt, qui propriam injuriam ulciſcitur, ſociis pecunia conductis. Ambroſin. *n.* 10.

244 2 Ut promiſſio pretii facta ſit ante ſcelus patratum, & pro ipſo ſcelere; nam qui alterum necat ſolùm ipſe præmii obtinendi à mandatore, Aſſaſſinii reus dici nequit. Stephan. Gratian. *diſcept. for. c.* 298. *n.* 12. Sperell. *deciſ.* 102. *à n.* 7. Ambroſin. *l. cit. n.* 8. Farin. *n.* 129. Guazzin. *num.* 42. Delben. *num.* 15. Haun. *num.* 224. Vvieſtner *n.* 155. Præpoſ. Friſing. *num.* 34. Idem dicendum de eo, qui poſt ſcelus patratum accepit præmium à mandante, vel ante ſcelus pecunias pro expenſis itineris; nam pretium accipi debet pro ipſo homicidio, & quidem ex condicto, & pacto facto. Jordan. *n.* 358. Ambroſin. *n.* 9. Farin. *n.* 127. Delben. *num.* 14. Non eſt autem neceſſarium, ut mandatarius defacto acceperit pretium, ſed ſufficit, ſi ei promiſſum ſit, & ipſe promiſſionem acceptarit; nam promiſſio hæc acceptata æquivalet perceptioni pecuniæ. Pal. *tr.* 11. *D. un. p.* 9. *n.* 34. Delben. *l. cit. n.* 8. Haun. *num.* 223. & patet ex *Conſtit. Innoc. cit.* §. *adhæc*, ex cujus præſcripto in ordine ad incurrendam privationem Aſyli ratione Aſſaſſinii, à Mandantibus, & Mandatariis incurrendam, nihil refert, *quamvis promiſſio nullum habuerit effectum, dummodo Aſſaſſinium reipſa patratum fuerit.* Secus foret; ſi promiſſio acceptata non fuiſſet; nam promiſſio non acceptata, cùm non pariat obligationem, non eſt pretio æſtimabilis; & ſic non æquivalet pecuniæ. Delben *n.* 13.

245 3 Ut promiſſio ſit certa, & ſpecifica; nam ſiquis ad promiſſionem alterius tantum vagam, & generalem, e. g. quod mandans mandatario dicat, ſe nunquam defuturum ipſius neceſſitatibus, occidat, cum talis promiſſio obligationem nón pariat, occidiſſe gratis præſumitur, prout docent Bald. *conſ.* 383. Bajard. *ad Clar.* §. *Aſſaſſinium num.* 7. Jordan. *l. cit. num.* 359. *&* 365. Ambroſin. *n.* 9. Farin. *n.* 131. Barboſ. *n.* 97. Guazzin. *n.* 42. Pignatell. *tom.* 2. *conſult.* 58. *n.* 7. *Præſumitur*, inquam; nam ſi revera tali promiſſione ad occidendum alterum mandatarius inducatur, hoc Homicidium verè Aſſaſſinium eſſe dicendum eſt, & præſumptio cedere veritati debet. Vvieſtner *l. cit. n.* 159.

4 Ut promiſſio, & præſtatio ſit in notabili, & tali quantitate, ut credi poſſit mandatarius ea inductus 246
ad occidendum; nam ſi pro occiſione rem parvæ admodum quantitatis, vel pretii accepit, non cenſetur per eam eſſe inductus ad crimen adeo enorme patrandum. Capyc. *deciſ.* 155. *n.* 4. Dian. *p.* 6. *tr.* 1. *reſol.* 22. Jord. *n.* 357. Quod tamen procedit in dubio, quando non conſtat de contrario; nam ſi de contrario conſtat, & mandatarius illius rei promiſſione, vel præſtatione inductus ad occidendum eſt, quantumcunque exigui valoris fuerit; quod eſt promiſſum, vel datum, ad Aſſaſſinium, & privationem Immunitatis ſufficit: imò pretii levitas delictum potiùs auget, quàm minuit, quòd majorem malitiam, & crudelitatem arguat in occidente. Pal. *p.* 9. *cit. n.* 35. Delben. *n.* 10. Haun. *n.* 222. Vvieſtner *n.* 158. Præpoſ. Friſing. *n.* 34.

5 Ut pretii datio, ſive promiſſionis executio ſit in 247
poteſtate promittentis, vel ſaltem ut iſte conferre operam ſuam poſſit, ut ſicarius rem promiſſam obtineat. Hinc ex probabiliore ad Aſſaſſinium conſtituendum ſufficit, ſi mandans promiſit interfectori nuptias ſuæ filiæ, & ea promiſſione iſte ad occidendum inductus eſt, quia etiam talis promiſſio pretio æſtimabilis eſt, & promittens vi talis promiſſionis, ſecuta nece, obligatur ad conatum, diligentiam adhibendam, ut Matrimonium filiæ cum interfectore perſuadeat. Pal. *p.* 9. *cit. n.* 34. Delben. *n.* 12. Vvieſtner *n.* 159.

Dub. 2. utrum Aſſaſſinii crimen committat, qui 248
pretio conductus occidit infidelem? Affirmant Decian. *tr. crim. l.* 6. *c.* 28. *num.* 18. Mar. Ital. *de Immun. l.* 1. *c.* 5. §. 4. *n.* 20. Bonacin. *tom.* 2. *D.* 3. *q.* 7. *p.* 6. §. 5. *num.* 9. & alii apud Delben. *c.* 16. *dub.* 21. *ſect.* 2. *n.* 2. dicentes, ad crimen Aſſaſſinii per accidens eſſe, ſive occiſus fidelis ſit, ſive ſit infidelis; nam 1. ſecundum dicta *n.* 232. etiam infidelis eſt verè noſter proximus, 2. In *Conſtit. Gregor.* Chriſtiani non fit mentio, 3. Proditoriè occidens infideles etiam privatur Aſylo.

Sed probabilius, ſpectato rigore Juris, negatur ab 249
hoc committi Aſſaſſinii crimen, ſaltem tale, quod Aſylo privet. Ita Covar. *l.* 2. *var. c.* 20. *n.* 10. *verſ. quinto.* Gutier. *pract. qq. Civil. l.* 3. *q.* 7. *n.* 8. Clar. §. *Aſſaſſinium verſ. bene verum eſt.* Jordan. *l.* 11. *tit.* 3. *n.* 361. Ambroſin. *de Immunit. cap.* 7. *num.* 12. Guazzin. *reor. defenſ.* 1. *cap.* 38. *n.* 42. Pal. *tr.* 11. *D. un. p.* 9. *num.* 33. Haun. *tom.* 6. *tr.* 1. *n.* 225. Monacell. *Append. p.* 1. *fol.* 287. *n.* 8. Præpoſit. Friſing. *conſ.* 22. *n.* 35. Et ex hoc capite recte Cornco *l.* 1. *conſ.* 249. *num.* 21. evaſit Prælatus quidam, qui fuerat accuſatus de Aſſaſſinatus crimine, quòd in libello deductum non fuerit, eum, quem occiderat, Chriſtianum fuiſſe. Sumitur ex *c. pro humani* 1. §. *Sacri* 2. *de Homicid. in* 6. ubi pœnæ in Aſſaſſinos feruntur, & extenduntur ad eos tantum, qui *quempiam Chriſtianum per dictos Aſſaſſinos interfici fecerint*, igitur per Argumentum à ſenſu contrario; qui infidelem pretio conductus interfecit, vel interfici fecerit, eas pœnas, conſ. privationem Aſyli non incurrit. Intellige, ex vi præcisè criminis Aſſaſſinii; nam aliunde ratione Homicidii, animo præmeditato, & deliberato commiſſi, nunc poſt noviſſimam *Conſtit. Innocent.* ejuſdem Aſyli beneficio privatus cenſeri debet, qui ita occidit Infidelem.

Porro cùm dubitatur, utrum ſic occiſus fuerit fi- 250
delis, vel infidelis, quid præſumendum ſit, non omnino conveniunt DD. Communius cum Delben. *c.* 16. *dub.* 21. *ſect.* 2. *n.* 7. diſtinguunt: Vel enim Homicidium factum eſt in territorio Chriſtianorum, vel in territorio Infidelium. *Si primum*, niſi forſan appareat, fuiſſe infidelem, ut quia eſt circumciſus, præſumi potiùs debet, quòd occiſus fidelis fuerit; quia præſumptio deſumi debet ex communiter contingentibus. *Si ſecundum*, præſumendum eſt potiùs fuiſſe infidelem, niſi contrarium, ſaltem ex communi hominum opinione, probatum fuerit.

Ad Argumenta contraria facilis eſt reſponſio. *Ad* 1. non pro cujuslibet proximi occiſione hæc pœna incurritur, ſed pro occiſione proximi Chriſtiani. *Ad* 2. non refert, quòd in *Conſtit. Gregor.* Chriſtiani non fiat mentio; quia, ut Haun. *n.* 225. notat, Pontifex præ-

præsumendum est accepisse Assassinum in sensu *cap. pro humani cit. Ad* 2. negatur paritas, quia in Homicidio proditorio pœna privationis Asyli non fuit limitata ad proximum Christianum, sicut in *c. pro humani cit.* limitata est in Assassino.

251 Dub. 3. an ad Assassinii crimen, & privationem Asyli incurrendam necessarium sit, ut occisus non fuerit inimicus mandantis, vel occidentis? Resp. distinguendo: Vel enim occisus fuit inimicus mandantis tantùm, vel mandantis simul, & occidentis. *Si hoc secundum*, neque occidens, neque mandans est Assassinii reus, & neuter Asylo privatur, etsi occisio facta sit accepto, vel constituto pretio; quia tali casu non occiditur incautus, quippe cùm homo semper habeat causam præcavendi sibi ab inimico suo, & si non facit, sibi imputare debet. Covar. *l.* 2. *var. c.* 20. *nu.* 9. *fin.* Peregrin. *de Immunit. c.* 7. *nu.* 45. Farin. *Append. Immunit. c.* 8. *num.* 132. Delben. *c.* 16. *dub.* 21. *sect.* 3. *n.* 2. & alii apud ipsum.

Si primum, est Assassinium, & tam mandans, quàm mandatarius incurrit privationem Asyli; quia occiditur incautus. *Excipitur*, si mandatarius inimicum mandantis occidat, præsente ipso mandante; tunc enim occisus præcavere sibi debebat à mandante inimico præsente, tanquam præcipuo occisore. Gabriel. *cons.* 180. *num.* 11. *l.* 1. Ambrosin. *de Immunit. c.* 7. *num.* 7. Farin. *loc. cit. num.* 133. Delben. *num.* 2. & apud hunc plures. Verùm hæc doctrina nunc post novissimam *Constit. Innocent.* locum non habet, cùm juxta istam ad privationem Asyli sufficiat, si etiam inimicus animo præmeditato, & deliberato occidatur.

252 Dub. 4. an privetur Asylo, qui pecunia conducitur, non ad occidendum, sed ad vulnerandum, deformandum, mutilandum duntaxat? Resp. non privari, ut contra Alex. *l.* 6. *cons.* 166. *num.* 5. advertunt Gutier. *pract. qq. Civil. l.* 3. *q.* 7. *num.* 59. Jordan. *l.* 11. *tit.* 3. *num.* 370. Ambrosin. *c.* 7. *num.* 11. Farin. *Append. c.* 8. *num.* 134. Guazzin. *reor. defens.* 1. *c.* 38. *num.* 42. Barbos. *l.* 2. *Jur. Eccl. c.* 3. *num.* 97. Haun. *tom.* 6. *de J. & J. tr.* 1. *num.* 227. Vviestner *hic num.* 161. Præposit. Frinsing. *tom.* 1. *cons.* 22. *num.* 36. & aperte decisum extat à S. Congr. Episcop. & Regul. 25. *Jun.* 1601. & additur ibi ratio; quia tales impropriè dicuntur Assassini. *Excipitur*, nisi mandatum esset vulnus quod sine propinquo periculo necis infligi non potest; tunc enim in consequentiam videtur mandare, quidquid secuturum est ex tali vulnere. Haun. *n.* 215.

253 Dub. 5. utrum ad incurrendam privationem Asyli ex causa Assassinii requiratur, ut in effectu mors sit secuta? Resp. distinguendo inter mandantem, & mandatarium. *Mandans* privatur Asylo, etsi in effectu mors non sit secuta; nam ita expressè habetur *c. pro humani* 1. §. *sacri de homicid. in* 6. & aliis *citt.* notat Delben. *c.* 16. *dub.* 21. *sect.* 5. *n.* 1. *&* 2. *Mandatarius* non privatur, ut contra *Gutier. Peregrin. Gambacurt. Curtell. Barbos. Bonacin. Lezan.* & alios apud Delben. *c.* 16. *dub.* 21. *sect.* 4. *n.* 2. *&* 4. meliùs docent Gomez. *tom.* 3. *var. c.* 3. *n.* 11. *&* 30. Laym. *l.* 4. *tr.* 9. *c.* 3. *num.* 9. Dian. *p.* 1. *tr.* 1. *resol.* 18. Sperell. *dec.* 102. *à num.* 25. Pignatell. *tom.* 9. *consult.* 43. *num.* 11. Matthæucc. *Offic. Eccl. c.* 24. *num.* 13. Vviestner. *l.* 5. *tit.* 12. *n.* 156. & colligitur ex *Constit. Gregor. cit.* quæ crimina aliqua excipiendo semper ad supremum eorum gradum respexisse videtur, etiam antiqua Jura, & communes DD. opiniones corrigendo, & nulli alteri delicto, nisi consummato, Sacræ Asyliæ suffragium adimit. Accedit, quia universali non tantùm Italiæ, sed Christiani Orbis totius usu Assassino, etiam cùm ad actum proximum devenit, non ordinaria, sed mitior pœna extra ordinem imponitur, teste Gomez *num.* 11. *citt.* Farin. *Append. c.* 8. *num.* 123. Vviest. *num.* 156. *cit.* & aliis apud istum.

254 Dub. 6. an privatur Asylo tanquam Assassinus ille, qui pecunia conductus falsum deponit in Judicio, vel Judex, qui similiter pecunia, vel alio æquivalente corruptus innocentem ad mortem damnat? Resp. si mors consequatur, privantur Asylo, ut contra Bonacin. *D.* 3. *q.* 7. *p.* 6. §. 3. *n.* 8. meliùs docent Mar. Ital. *l.* 1. *c.* 5. §. 4. *&* 5. *n.* 114. *& seqq.* Curtel. *l.* 1. *quæst.* 19. *n.* 14. *&* 15. Peregrin. *c.* 7. *n.* 42. *Neque obstat*, quod ejusmodi testis, & Judex non occidant propriè, & physicè: quia hoc in crimine Assassinii non requiritur; aliàs enim etiam mandantes, receptores, defensores &c. Assassinorum assassini non forent, & Asylo non privarentur.

255 Quæritur 8. Quid requiratur, ut propter *crimen læsæ Majestatis* aliquis privilegium Asyli perdat? Resp. 1. requiritur, ut crimen tale patratum sit in personam Principis: quo nomine in ordine ad hunc effectum veniunt, qui Superiorem in sua Jurisdictione nullum agnoscunt, ut cum aliis Clar. §. *læsæ Majestatis n.* 2. Decian. *tr. crim. l.* 7. *c.* 32. *n.* 7. Ambrosin. *de Immun. c.* 9. *num.* 5. Mar. Ital. *c.* 6. §. 7. *n.* 18. Farin. *Append. c.* 14. *num.* 188. Jordan. *l.* 11. *tit.* 3. *num.* 387. Bonacin. *D.* 3. *q.* 7. *p.* 6. §. 6. *num.* 2. Barbos. *in c. inter alia* 6. *h. tit. n.* 10. Delben. *c.* 16. *dub.* 23. *sect.* 1. *n.* 34. Engl *hic n.* 16. Konig *n.* 10. Vviestner *n.* 126. notant. Tales sunt imprimis Pontifex, Imperator, Reges, Duces, Marchiones, Comites, Barones; sed ex his non indiscriminatim quicunque, sed illi solùm, qui plenum jus in territorio suo obtinent, & in suo foro lites subditorum suorum terminant.

2 Ut deliquens sit Principi, cujus personam læsit, subjectus vel ratione originis, vel ratione domicilii, ut clare constat ex *Clem. Pastoralis* 2. §. *denique, & §. seq. de sent. & re judic.* & docent Clar. *l. cit. num.* 7. Gomez. *tom.* 3. *de Delict. c.* 2. *num.* 10. Diaz *pract. c.* 119. *n.* 8. Ambrosin. *c.* 9. *cit. num.* 6. Mar. Ital. §. 7. *cit. n.* 48. *& seqq.* Farin. *num.* 191. Jordan. *num.* 389. Delben. *sect.* 2. *n.* 42. Haun. *tom.* 6. *tr.* 1. *n.* 232. Vviestner *hic n.* 129. *Neque obstat*, quòd quis forum sortiatur, ubi deliquit, & cons. ratione illius delinquens fiat subditus Principi, in cujus territorio personam ejus offendit; nam hoc tantùm probat, quòd talis puniri possit, si non defendatur Asylo, sicut ob alia delicta. *Ex quo sequitur*, quòd si Infidelis, vel Judæus machinatus sit aliquid in necem Papæ, si huic nec ratione originis, nec ratione domicilii subjectus sit, non sit reus læsæ Majestatis. Delben. *sect.* 2. *num.* 9. Vviestner *hic num.* 129. 256

3 Ut crimen commissum sit in personam ipsiusmet Principis. Hinc sequitur, Immunitate non privari eum, qui offendit Regis, aut Principis conjugem, filium, ministros, oratores, statuam &c. etiamsi hoc faciat in odium Principis; quamvis enim hic committat crimen læsæ Majestatis, non tamen in ipsam personam Principis immediatè, de quo *in Constit. Greg.* sermo est. Clar. *l. cit. n.* 3. Ambrosin. *n.* 7. Mar. Ital. *n.* 20. *& seqq.* Farin. *n.* 183. *&* 192. Jordan. *n.* 385. 386. *&* 388. Bonacin. *p.* 4. *num.* 22. Delben. *sect.* 4. *nu.* 1. Engl *n.* 16. & alii apud istos. Idem, ut vult Bonacin. *loc. cit.* intelligendum de eo, qui offendit Episcopum, vel Nuntium Summi Pontificis: aliud juxta quosdam est de Cardinalibus, qui æquiparantur Regibus, & principes Romanæ Ecclesiæ appellantur: quod tamen ipsum *loc. cit. num.* 195. *&* 192. negat Farinacius: quia non sunt verè Principes, licèt Regibus, & Principibus æquiparentur. Addit tamen idem *Farinacius*; in tali casu certiorem de re ista faciendum Summum Pontificem, & interea reum cautè servandum. 257

4 Ut persona Principis læsa fuerit à delinquente, actionem aliquam positivam in ejus damnum, vel offensam exercendo, v. g. occidendo, vulnerando, percutiendo, conjurando, machinando, hostiliter insequendo, cum hostibus prodendo, vel tales actiones mandando, consensu, vel consilio promovendo, aut eas exercentibus auxilium, & favorem præstando. Farin. *num.* 186. Haun. *n.* 234. Vviestner *n.* 127. Sufficit autem, etiamsi ejusmodi actionem positivam effectus, v. g. cædes, vulneratio, percussio, captivitas non sequatur; quia his etiam non secutis, jam est exercita actio positiva, ad ejus personæ læsionem tendens, ac proinde commissum crimen læsæ Majestatis in personam Principis. Clar. *l. cit. num.* 16. *vers. scias autem.* Peregrin. *c.* 10. *n.* 7. *& c.* 11. *num.* 1. Farin. *prax. crim. quæst.* 112. *n.* 91. Delben. *dub.* 23. *sect.* 1. *n.* 3. *vers. an autem* Vviest. *hic n.* 128. 258

An autem immunitate Ecclesiæ privetur etiam ille, qui novit conjurationem, conspirationem, vel machinationem, in personam Principis, & non revelat sive antè, sive post crimen commissum, dubiæ quæstionis est. Affirmant Curtell. *quæst.* 7. *num.* 41. *&* 42. Mar. Ital. *l.* 1. *c.* 5. §. 7. *num.* 52. Farin. *Append. c.* 13. *n.* 186. Probabilius negant Peregrin. *c.* 10. *n.* 11. Bonacin. *D.* 3. *q.* 7. *p.* 7. *n.* 11. Dian. *p.* 6. *tr.* 1. *resol.* 18. Ghilin. *Summ. V. crimen. læsæ Majestatis n.* 1. *lit. C.* Delben. *sect.* 5. *n.* 5. quia licèt talis aliquo modo committat crimen læsæ Majestatis in personam Principis, & sic morte sit dignus, illud tamen solùm committit omittendo, non autem committendo, quod ultimum requiri videtur in *Constit. Greg. cit.* ubi Pontifex utitur Præpositione *In*, quæ idem valet, ac *Contra*, & importat actionem in personam Principis, & non omissionem. Idem dicendum de ratum habente: quia ratihabitio est posterior facto, & in crimen non influit. Delben. *sect.* 1. *n.* 3. *vers. an autem.* 259

Quæritur 9. an præter casus *n.* 186. positos, & in ultra-

utraque *Const. Gregor. & Innocent.* comprehensos, excepta sint alia adhuc Crimina, memoratos casus excepta sint alia adhuc crimina? Gambacurt. *l.* 5. *de Immunit. c.* 18. Portell. *dub. Regul. V. Ecclesiæ Immunitas n.* 15. Curtell. *in leg. Martini Regis c.* 17. *n.* 5. & *de Immunit. Eccl. q.* 2. & 21. *lib.* 1. Sap. *de Jur. Asyl. c.* 5. *fol.* 55. apud Delben *c.* 16. *dub.* 24. *sect.* 1. *n.* 3. existimant addenda quævis alia, quæ sunt graviora enarratis in *Constit. Greg. Fundantur* 1. textu *Novell.* 17. *c.* 7. ubi Homicidæ, adulteri, Virginum raptores jubentur ex templis extrahi, ut vindicta de ipsis sumatur, 2. Lex etiam pœnalis ad similes, & graviores casus extensionem admittit, quando in his etiam militat ratio, expressa in ipsa dispositione; atqui pro aliis criminibus æquè gravibus, vel gravioribus sæpe eædem, & aliquando etiam graviores rationes militant, ut est adulterium, Sodomia &c. 3. alioquin daretur improbis occasio liberiùs vivendi, & gravia crimina perpetrandi, igitur ne Ecclesiæ immunitas, quæ in honorem DEI introducta est, in ejus injuriam cedat, dicendum est, quòd ex identitate, vel majoritate rationis privatio Asyli ad crimina æquè gravia, vel graviora extendi debeat.

261 Sed dicendum, nisi per contrariam consuetudinem, videntibus, & consentientibus Prælatis Ecclesiæ, aliud constet, nullum esse aliud crimen, quod Immunitate Ecclesiæ delinquentem privet. Ita Guttier. *pract. qq. l.* 3. *q.* 1. *n.* 3. & *q.* 4. *n.* 12. Peregrin. *de Immunit. c.* 6. *n.* 23. & 24. Azor. *p.* 2. *l.* 9. *c.* 9. *q.* 9. *verf. quid verò.* Leo *Thesaur. for. Eccl. p.* 1. *c.* 13. *n.* 27. Farin. *Append. Immunit. c.* 1. *n.* 85. Pal. *tr.* 11. *D. un. p.* 10. *n.* 4. Delben. *c.* 16. *dub.* 24. *sect.* 1. *numer.* 1. & *seqq.* Sperell. *decis.* 22. *num.* 8. Haun. *tom.* 6. *tract.* 1. *num.* 235. Monacell. *Append. ad p.* 1. *fol.* 287. *num.* 11. Præposit. Frising. *tom.* 1. *conf.* 22. *num.* 53. Fagnan. *in c. inter alia 6. h. tit. nu.* 53. Vvagnereck *ibid. V. nisi publicus latro not.* 2. *cas.* 5. *num.* 4. Barbos. *n.* 3. & *seqq.* Gonzal. *n.* 2. Zoes. *hic n.* 20. Engl *num.* 8. Pirh. *n.* 19. *verf. Excipitur* 2. Schamb. *n.* 37. Konig. *num.* 20. Vviestner *nu.* 130. Sumitur ex *c. inter alia cit.* ibi, *Quantumcunque gravia maleficia perpetraverit, non est violenter ab Ecclesia extrahendus.* Et *confirmatur* ex *Constit. Gregor. cit.* ubi Pontifex casus exceptos referens, apponit particulam exclusivam *Tantum*, quæ de natura sua impedit extensionem in non exceptis. Clariùs adhuc demonstratur ex *Const. Innoc.* §. *universos*, ubi Sanctissimus Episcopos, Archi-Episcopos &c. universos, & singulos hortatur, ut *in Reliquis Casibus, in hac sua, & Gregoriana Constitutione non exceptis, nihil de Immunitate Ecclesiastica iminui permittant, neque SS. Juribus labem ullam irrogari patiantur, sed ea pari Zelo, atque constantia tueri curent.*

Atque hinc Immunitate Ecclesiæ gaudent 1. *Raptores Virginum*, & adulteri *can. de Raptoribus* 3. *caus.* 36. *q.* 1. ubi propterea statuitur, Raptori concedendam mortis, & pœnarum immunitatem, si ad Ecclesiam confugerit: Ita cum *Host. Archidiac. Alberic. Abb. Sylv. Angel. Tabien.* & reliquis tum Canonistis, tum Casistis Farin. *Append. c.* 6. *n.* 88. Guazzin. *reor. defens.* 1. *c.* 37. *n.* 72. Delben. *dub.* 24. *c. sect.* 6. *num.* 1. Sperell. *decis.* 59. *n.* 32.

2 *Sodomitæ*, ut contra *Rodriq. Curtell. Mar. Ital.* & alios notat Bonac. *D.* 3. *q.* 7. *p.* 5. *n.* 14. Farin. *l. cit. n.* 98. Delben. *sect.* 7. *n.* 1. & alii apud istos. Estque hoc verùm, etiamsi Sodomiæ crimen commissum sit in Ecclesia, ut bene advertit Novar. *Summ. Bullar. tit. de Immunit. Eccles.* quia *in Constitut. Gregor.* excipitur tantùm homicidium, & mutilatio commissa in Ecclesia.

3 *Rei furti sacrilegi*, vel *alterius sacrilegii*, ut contra *Gutier. Decian. Curtell. Tholosan.* docent Ambrosin. *de Immunit. c.* 5. *n.* 9. Bonacin. *p.* 4. *n.* 3. & *p.* 5. *cit. n.* 7. Farin. *n.* 99. Delben. *sect.* 8. *n.* 1. qui hoc extendunt, etiamsi fur sacrilegus, confugiens ad Ecclesiam, rem sacram furto sublatam, in Ecclesia contrectet.

4 *Blasphemi*, in Deum, & Sanctos, ut contra *Boer. Decian. Martam, Curtellium* verius sentiunt Ambrosin. *c.* 8. *n.* 10. Bonacin. *p.* 5. *cit. n.* 13. Delben. *sect.* 9. *n.* 1. & communior aliorum. *Excipitur*, nisi Blasphemia Hæreticalis sit; tunc enim hujus reus Asylo excluditur, non quidem qua blasphemus, sed qua Hæreticus, vel qua de Hæresi suspectus, ut notat Delben *loc. cit. n.* 5.

262 5 *Simoniaci*, nisi Simonia conjuncta sit cum errore intellectus: quia tunc ejus reus fit Hæreticus, & sic exceptus *in Constit. Gregor.* atque ita contra Decian. *lib.* 6. *cap.* 26. *num.* 5. ex communi docet Farin. *c.* 13. *n.* 177. Peregrin. *c.* 12. *num.* 17. Barbos. *l.* 2. *Jur. Eccl. c.* 3. *n.* 126. Delben. *sect.* 10. *n.* 1.

6 *Perjuri*, & *falsi testes*, nisi hi deponendo falsum in Judicio causa sint, ut quis innocens damnetur ad mortem; quia tunc tanquam homicidæ proditorii Asylo excludentur. Decian. *l.* 6. *c.* 28. *p.* 121. Farin. *c.* 9. *n.* 140. Peregrin. *c.* 12. *cit. n.* 15. Bonacin. *p.* 5. *n.* 11. Delben *sect.* 12. *n.* 1.

7. *Incendiarii*, & *violatores Ecclesiarum*. Suar. *l.* 3. *c.* 8. *n.* 3. Farin. *c.* 6. *n.* 105. Bonacin. *p.* 6. §. 1. *n.* 6. Delben *sect.* 15. *num.* 1. & *seqq.* *Neque refert*, quod *can. omnes* 17. *q.* 4. & aliis Juribus à limitibus Ecclesiæ jubeatur pelli, & indignus pronuntietur ejusdem præsidio, qui illam violat; nam indignus est, si attendatur ejus delictum, non verò, si attendatur Matris Ecclesiæ pietas, alias nullus delinquens gauderet immunitate. Circa alia crimina consulatur Delben. *dub.* 24. *cit.* ubi *per totum* materiam hanc latè exequitur, cujus doctrinam, quatenus per novissimam *Constit. Innocent.* non limitatur, tuto etiamnum hodie sequi possumus. 263

Quare instar Regulæ esse debet, quòd, ut *n.* 186. dixi, Immunitate locali defendi debeant omnes, & quicunque Rei cujuscunque criminis, si hoc specialiter in Jure non sit exceptum. Quod tamen intelligendum est non de quibuscunque, etiam minimis, sed de iis solùm, quibus naturalis, aut civilis mors, membri mutilatio, aut pœna sanguinis à Jure sancita est, ut bene Fagund. *lib.* 4. *cap.* 4. *n.* 48. Ratio est, quia in minoribus delictis Ecclesia malefactores non vult defendere, ut patet ex *tot. Tit. præsenti.* 264

Argumenta *num.* 260. allata vim non habent. *Ad* 1. Constitutio illa per Jus Canonicum correcta est, ut de Raptoribus constat ex *can. fin. caus.* 36. *q.* 1. & notat *ib.* Gloss. *V. vel pœnarum.* Ratio universalis est; quia in hac materia Immunitatis, cùm sit fori Ecclesiastici, non Legibus Civilibus, sed Canonicis sanctionibus standum est. *Ad* 2. in pœnalibus non est considerandа similitudo rationis; nam pœnæ locum non habent, nisi in casibus expressis: & esto, quòd aliquando talis extensio fiat ad casus similes, id tamen non procedit, quando agitur de præjudicio causæ favorabilis, prout est in nostro casu Immunitas Ecclesiastica. *Ad* 3. Si aliquod crimen in aliqua Provincia pessimo publico invalesceret, vel alia causa valde gravis extractionem suaderet, posset pro ea recurri ad Sedem Pontificiam, à qua in hujusmodi casibus, & specialiter, ut Cardin. de Luca *Theatr. V. & J. p.* 4. *l.* 14. *disc.* 9. *num.* 7. notat, in casu præmeditati homicidii licentia extrahendi sæpe conceditur. 265

§. VI.

De effectibus Immunitatis Localis.

S U M M A R I U M.

285 286 *An ex Asylo extradi valeat reus consentiens?*
287 *An ligari, vel alia via custodiri interim à Judice Saeculari possit, dum examinatur, utrum Asylo gaudeat?*
288 *Deciditur negativa.*
289 *Satisfit Argumentis contrariis.*
290 *Quæ in hoc casu sint partes Rectoris Ecclesiæ?*
291 *An pendente dubio, utrum Asylo gaudeat, Judex Laicus Episcopi nomine eum ponere possit in carcere Saeculari?*
292 293 *An, & qua pœna affici possit confugiens ad Asylum?*
294 295 *Utrum ex hoc, quòd semel confugerit ad Ecclesiam, semper gaudere Immunitate debeat, licèt postea ex illa egrediatur?*
296 297 298 *An, & quomodo Reus, & Ecclesia resistere possint Judici volenti reum extrahere?*
299 300 *Ad quid teneatur Judex, qui reum ab Ecclesia violenter extraxit?*
301 302 *A quo confuga alendus sit in Asylo?*

266 Quæritur 1. qui sint Effectus, quos secum trahit Immunitas Localis? Resp. Effectus hujus Immunitatis sunt privilegia, quibus Rei ad Sacra Loca confugientes gaudent: cujusmodi non pauca; nec contemnenda sunt. Nam

1 Rei ad ea confugientes recipiendi sunt, nec repelli possunt. Haun. *tom. 6. de J. & J. tr. 1. num.* 274. Vvagnereck *in c. inter alia 6. V. sibi obtinere not.* 2. Konig *hic num.* 14. Vviestner *ibid. n.* 134. & sumitur ex *can. definivit* 35. *caus.* 17. *q.* 4. *c. inter alia cit. & l. pateant* 3. *pr. C. de his, qui ad Eccl. confug.* ibi, *Pateant Summi DEI templa timentibus*. Excludentes ab Asylo incurrunt Excommunicationem reservatam. *Ex tr. etsi Dominici* 3. *int. comm. de pœn. & remiss.*

267 2 Rei recepti, nisi criminis excepti rei sint, extrahi inde, vel extradi inviti nequeunt *can. miror* 8. *can. reum* 9. *can. frater* 10. *can. definivit* 35. *caus. & quæst. cit. c. inter alia & Constit. Gregor. cit.* quibus textibus concordant Jura Civilia *l. pateant cit. l. fideli* 2. *l. præsenti* 6. *C. eod.* Abb. *in c. inter alia cit. num.* 3. *&* 9. Laym. *l.* 4. *tr.* 9. *c.* 3. *num.* 13. Delben *cap.* 16. *dub.* 25. *sect.* 1. *n.* 1. Illsung. *tr.* 5. *D.* 2. *num.* 264. Vvagnereck *l. cit. not.* 1. Fagnan. *in c. inter alia cit. n.* 1. *&* 9. Pirh. *hic n.* 42. Schambog. *n.* 47. Konig. *n.* 16.

268 3 Ad Ecclesiam confugiens nequit in illa capi, incarcerari, ligari vinculis, aut alia vis eidem inferri, *can. definivit cit.* ubi *quodcunque nocibilitatis, vel damni inferri eidem prohibetur*: concordat *l. præsenti citt.* & DD. præsertim Covar. *l.* 2. *var. c.* 20. *n.* 17. *coroll.* 50. Tusch. *pract. V. Ecclesia concl.* 10. *num.* 12. Suarez *l.* 3. *c.* 12. *num.* 2. Farin. *Append. Immunit. c.* 19. *n.* 297. Layman *num.* 13. *cit.* Delben. *dub.* 27. *num.* 1. Zoes. *hic n.* 38. Pirh. *n.* 46. Schambog. *n.* 49. Konig *num.* 15. Vviestner *n.* 150. Ratio est, quia hoc esset ex loco Sacro carcerem facere, & Jurisdictionem exercere in loco, à Jurisdictione Sæculari exempto.

269 4 Magistratus Sæcularis prohibere, vel impedire non potest, quo minùs victus, vestitus & reliqua vitæ necessaria ad reum in Ecclesia deferantur *can. definivit, & l. præsenti cit.* Host. *in c. inter alia cit.* §. *si liber.* Joan. Andr. *ibid. n.* 5. Covar. *n.* 17. *coroll.* 31. Clar. §. *læsæ majestatis n.* 21. Azor. *p.* 2. *l.* 9. *c.* 8. *q.* 9. *n.* 14. Suar. *c.* 12. *n.* 4. Delben *dub.* 28. *num.* 1. Layman *n.* 13. Fagnan. *num.* 20. Vvagnereck *not.* 1. *cit.* Zoes. *nu.* 38. Pirh. *num.* 48. Engl *n.* 20. *concl.* 6. Schambog. *num.* 52. Vviestner *n.* 152. Ratio est, quia hoc esset aperta coactio, quæ tanta esse posset, ut reus vel se tradere, vel fame mori in Ecclesia cogeretur.

270 5 Bona, quæ delinquens ad Ecclesiam secum tulit, si propria ejusdem sint, auferri eidem nequeunt *can. definivit cit. & can. sicut antiquitus* 6. *caus. & quæst. cit.* Suar. *c.* 12. *n.* 3. Farin. *c.* 19. *num.* 300. Bonacin. *D.* 3. *q.* 7. *p.* 5. Barbos. *l.* 2. *Jur. Eccl. c.* 3. *num.* 54. Laym. *n.* 13. *cit.* Delben. *dub.* 30. *num.* 1. Illsung *n.* 264. Honor. *hic n.* 5. Pirh. *n.* 49. Schambog. *n.* 53. quibus accedit Declaratio *S. Congr. sup. Controv. Jurisdict.* quæ teste Delben. *l. cit.* 13. *Jan.* 1632. declaravit, adversùs eos, qui confugarum bona, atque etiam arma auferunt, sicut adversùs Immunitatis violatores procedendum esse. Dixi, *si propria sint*; nam aliena, & injustè detenta, saltem de licentia Prælati Ecclesiastici, auferri eidem possunt, cum illi hæc auferendo nulla fiat nocibilitas, ut *l. citt.* notant *Suar. Laym. Delben. Pirh. Schambog. &c.*

271 6 Non potest reus, dum in Ecclesia existit, per sententiam Judicis damnari ad mortem, vel aliam pœnam corporalem, & gravem *can. reum* 9. *can. id constituimus* 35. *caus.* 17. *q.* 4. *c. inter alia cit.* Gloss. *ibid. V. puniendus*. Abb. *ad idem cap. n.* 3. *&* 9. Azor. *p.* 2. *l.* 9. *c.* 9. *q.* 12. Suar. *l.* 3. *c.* 12. *num.* 5. Farin. *c.* 21. *n.* 335. Laym. *c.* 3. *num.* 13. Jordan. *tit.* 3. *n.* 265. Bonacin. *q.* 7. §. 5. *vers. quartus*. Pal. *tr.* 11. *D. un. p.* 11. *n.* 9. Delben. *dub.* 32. *n.* 1. Vivian. *in c. inter alia cit. vers. nec debet*. Fagnan. *ibidem num.* 1. *&* 11. Vvagnereck *not.* 1. *cit.* Haun. *tr.* 1. *n.* 248. Zoes. *hic n.* 38. Honor. *n.* 5. Pirh. *num.* 47. Schambog. *num.* 50. Konig *num.* 16. Vviestner *n.* 155. Dixi *gravem*, ut servitutis, triremium, exilii; quia hæc capitalibus æquiparantur, & quasdam corporales excedunt. *Suar. cap.* 16. *n.* 6. Potest tamen reus fugiens ad Ecclesiam detrudi in Monasterium ad agendam ibi pœnitentiam *arg. can. si Episcopus* 7. *dist.* 50. *& Auth. sed hodie C. de Adult.* Vel etiam alia pœnitentia ipsi invito imponi potest pro salute animæ, si peccatum sit publicum, & ad tollendum scandalum ita videatur necessarium; quia Immunitas non censetur concessa in præjudicium salutis animæ, dummodo reus ab Ecclesia non extrahatur. Abb. *in cap. inter alia numer.* 12. Suarez *cap.* 12. *num.* 6. *fin.* Pithing *hic numer.* 47. Schambog. *ibid. num.* 51.

7 Si Reus extra casus exceptos ab Ecclesia extractus fuit, ante omnia restitui Ecclesiæ debet *can. sicut antiquitus, & can. miror cit.* Abb. *in cap. inter alia* 26. Sylv. *V. Immunitas* 3. *num.* 11. *qu.* 7. Tusch. *pract. V. Ecclesia conclus.* 10. *num.* 20. Clar. §. *fin. q.* 30. *n.* 5. Farin. *c.* 19. *n.* 301. Jordan. *tit.* 3. *cit. n.* 267. Delben *dub.* 33. *n.* 1. Fagnan. *n.* 10. Barbosa *num.* 34. Haun. *n.* 251. Engl *n.* 20. *concl.* 3. Pirh. *n.* 51. Schamb. *n.* 55. Konig *n.* 17. Vviestner *n.* 147. Rationis loco est generalis Regula de spoliato ante omnia restituendo *c. item cum* 6. *c. conquerente* 7. *&c. de restit. spoliat.* Neque ab hac restitutione excusatur Judex, qui illum extraxit, etsi Juramentum præstet, & cautionem, vel securitatem exhibeat, quòd corporali pœna in eum non velit animadvertere; quia priùs satisfacere debet Ecclesiæ, quam spoliavit: at debitam satisfactionem non præstat, nisi priùs ei faciat actualem restitutionem. Delben. *l. cit. num.* 4. cum aliis, quos allegat. Idem dicendum, etsi reus qui fuit violenter extractus ab Ecclesia, & deductus ad carceres sæculares, ibi renunciet privilegio Immunitatis; quia tale privilegium, licèt secundariò, & indirectè in favorem Rei, principaliter tamen, & directè in favorem Ecclesiæ introductum est; cons. reus illi renuntiare non potest, sicut non potest renunciare Clericus privilegio fori & Canonis. Farinac. *n.* 304. Pal. *p.* 11. *n.* 5. Delben. *n.* 3. 272

8 Exactio, & totus processus post extractionem à Judice sæculari institutus nullus omnino, & irritus est, *Constit. Gregor. cit.* Quod adeo verum est, ut Reus sic extractus etiam propter crimina, post extractionem, dum in Curiæ sæcularis manibus esset, commissa, ab hac detineri, vel puniri nequeat. Peregrin. *capit.* 15. *num.* 25. Genuens. *prax. c.* 17. *num.* 5. Mar. Ital. *l.* 1. *cap.* 6. §. 2. *n.* 49. Farin. *Append. cap.* 2. *n.* 49. Bonacina *q.* 7. *p.* 4. *n.* 13. Lezan. *V. Immunitas num.* 19. Diana *p.* 6. *tr.* 1. *resol.* 32. Delben. *dub.* 33. *n.* 2. Haun. *n.* 254. Schambog *n.* 55. Pirh. Illsung, Konig, Vviestner *loc. citt.* Ratio est, quia sic extractus habet jus, ut restituatur Ecclesiæ, ac per consequens, ut nihil contra ipsum agatur; & Judex semper in obligatione est, ut injuriam factam Ecclesiæ compenset, & sic statim, ac potest, compensare illam tenetur. *Neque obstat*, quòd per delicta post extractionem commissa Judex Sæcularis acquisiverit jus puniendi delinquentem; hoc enim jus est solummodo incompletum, & conditionatum, nisi aliqua causa reum à Judicis sæcularis potestate excipiat, ipsaque Ecclesia est prior in tempore, ut adeo debeat etiam esse potior in Jure, cùm non sit conveniens, ut ipsa propter extractionem injustam in sua Immunitate patiatur detrimentum. 273

9 Denique Judici volenti reum extrahere è loco Sacro, ultra casus permissos, resistere potest & reus, & Ecclesia, cùm sic utrique Judex injuriam faciat, & ex alio capite vim vi repellere, & Ecclesiasticam Immunitatem tueri liceat. Farin. *Appendix c.* 2. *num.* 46. Mar. Ital. §. 2. *n.* 45. *fin.* Suarez *l.* 3. *c.* 13. *n.* 4. Layman *l.* 4. *tr.* 9. *c.* 3. *n.* 14. Bonacina *D.* 3. *q.* 7. *p.* 5. *pr.* Dian. *p.* 6. *tract.* 1. *resol.* 32. Delben. *Dubit.* 32. *n.* 1. & alii *suprà*, & colligitur ex *l. prohibitum* 5. *C. de Jur. Fisc.* ubi Officiali injustè exequenti licitè de facto resistitur. 274

Quæritur 2. quo modo procedi debeat cum reo confugiente ad Ecclesiam? Resp. verbis Canonum, & Legum diligentius inspectis, dicendum 1. Rectoribus Ecclesiarum incumbere, servare vitam, & membra confugæ, ut dicitur *cap. inter alia* 6. *h. tit.* ibi, *Rectores Eccle-* 275

Ecclesiarum sibi obtinere debent membra, & vitam: quod fiet, si pro ipso studeant apud Magistratus Sæculares impetrare veniam, & remissionem pœnæ temporalis. Engl *hic n.* 20. *concl.* 1. Intelligendum autem hoc est, quando crimen non est exceptum; nam quando exceptum est, ita, ut ejus reus indignus Asylo sit, Magistratus sæcularis post extraditionem animadvertere in eum potest pœna Legibus taxata, etiam capitali, quamvis etiam tunc, ne videatur concurrere velle ad pœnam sanguinis, deceat, ut Rector Ecclesiæ, ad quam confugit, pro ipso intercedat, ut Judex sæcularis pœnam remittat, vel saltem mitiget.

276 2 Clerici tamdiu servare debent reum, nec eum ad examen, vel inquisitionem Judicis sæcularis tradere prius, quàm ipse etiam jurato de impunitate Rei promiserit, prout habetur *can. id constituimus* 36. *caus.* 17. *quæst.* 4. Debetque eo casu fides servari Reo, & Ecclesiæ ita, ut sub tali promissione egressus Asylo nec capi, nec puniri possit, sed remitti debeat ad Ecclesiam, propter jus, quod Reus habet ad Immunitatem Ecclesiæ, & Ecclesia ad custodiendum Reum, cui juri nec Ecclesia, nec Reus cessit, nisi pro securitate à Judice promissa: & hinc si Judex sæcularis fidem servare nolit, poterit ille per Episcopum etiam Censuris cogi, ut reum restituat; alias acta, & totus processus adversus reum ita exeuntem institutus erit nullus, cùm renunciatio privilegii Immunitatis sit tantùm conditionata. Ita Navar. *Man. cap.* 25. *n.* 22. *fin.* Farin. *Append. c.* 19. *n.* 301. Curtell. *l.* 1. *q.* 27. *n.* 11. Barbos. *l.* 2. *Jur. Eccl. c.* 3. *num.* 54. Delben. *dub.* 24. *sect.* 5. *num.* 13. Engl *l. cit. concl.* 2.

277 3 Cum sit enixa voluntas Canonum, & Legum, ne reus, ad Ecclesiam confugiens, damnum in vita, & membris sustineat, ideo Judices Sæculares non tantùm salva Justitia poterunt, sed etiam tenebuntur confugæ, si crimen exceptum non sit, pœnam corporalem remittere, ne hoc privilegium Immunitatis inutile sit reo, aut Ecclesiis onerosum, si eundem tamdiu servare debeant. Quodsi inferior Judex recuset pœnam corporalem remittere, apud Superiorem ejus per Rectores Ecclesiarum instandum erit: nam istis *cap. inter alia cit.* absolutè injungitur, ut vitam confugientis obtinere studeant. Imò non videtur facilè acquiescendum promissioni alicujus Judicis inferioris, qui ex consuetudine, vel privilegio, & Jure Regalium jus aggratiandi, seu remittendi pœnam ordinariam non habet, sed protinus Superior ejusdem adeundus foret. Cæterùm etsi Judex Sæcularis defacto recuset remittere pœnam corporalem confugæ, non videtur tamen propterea in eum ferenda Censura, cùm Jura solùm innuant, ut negantibus impunitatem, negetur etiam Rei extraditio. Engl *conclus.* 3.

278 Quæritur 3. quid Juris sit in casu, quo reus deseruit Asylum? Resp. hic distinguendum, an spontè, & nulla causa cogente egressus Asylo sit, vel id fecerit alia causa impellente. *Si primum*, videtur ultro deserere privilegium Locale; cons. beneficio illius non ampliùs muniri *can. id constituimus* 36. *caus.* 17. *q.* 4. ibi: *Quodsi -- ipse reus de Ecclesia discesserit, ab Ecclesiæ Clericis non quæratur*, Gonzal. *in cap. inter alia n.* 3. Zoes. *hic n.* 38. Engl *n.* 20. *conclus.* 4. & ratio est, quia Immunitas hæc est favor, quo uti nemo tenetur.

279 *Si secundum*, distinguendum est, ex qua causa discesserit ab Ecclesia. Nam 1. Si ex necessitate naturali egressus sit, statim regressurus, gaudere pergit Privilegio Asyli, ita, ut extra Ecclesiam nec capi, nec puniri possit; quia in tali casu non censetur moraliter egressus è loco sacro, ut præter alios docent Fagund. *de præcept. Eccl. lib.* 4. *cap.* 4. *n.* 65. Curtell. *de Immunitat. Eccles. lib.* 1. *q.* 26. *n.* 11. Bonacina *D.* 3. *q.* 7. *p.* 5. *n.* 1. *effect.* 2. Delben. *cap.* 16. *de Immunit. dub.* 25. *sect.* 2. *n.* 1. & patet ex *can. definivit* 35. *caus.* 17. *q.* 4. Sed hoc intelligendum duntaxat est de spatio 30. passuum circa Ecclesiam, ut ex *canon. citat.* colligitur, & notat Delben. *n.* 2. nam ultra hoc spatium egredienti non prodest excusatio.

280 2 Similiter Asylo gaudet, qui per metum injustè illatum, & non vanum, sed fundatum egressus est; quia tali casu moraliter non tam egredi, quàm per violentiam extrahi ex Ecclesia censetur. Farin. *Append. de Immunit. cap.* 2. *num.* 55. Lexan. *V. Immunit. num.* 28. Delben. *sect.* 4. *num.* 1. Et hoc certum est, si metus proveniat ex ipso conatu, quo Judex sæcularis incipit confugam vi extrahere, e. g. si iste audiat, jam effringi januam Ecclesiæ, ut notat, ac probat Marinis *l.* 2. *resol. c.* 197. apud Gonzal. *in c. inter alia n.* 4. Quodsi metus proveniat solum ex verbis injuriosis, & minis à Judice intentatis, an Asylo adhuc gaudeat confuga, & restitui egressus, à sæculari potestate interceptus, debeat, controvertitur inter DD. *Abbas*, *Sylvester*, & alii apud Peregrin *c.* 14. *n.* 2. videntur negare, ex ratione, quòd Immunitas solùm violetur per violentam extractionem, vel cooperationem ad illam: & hinc negant à tali Judice Excommunicationem incurri. *Sed melius* cum prioribus defenditur affirmativa; nam & hoc casu confuga Asylum coactus deserit, & talis metus moraliter extractio est.

3 Si vis, aut metus non intercessit, sed blanditiis 281
tantùm persuasus reus Asylum deseruit, interest, an blanditiis tantum absque dolo, & fraude inductus sit, an verò dolus, & fraus intervenerit. *Si prius*, ita egressus amittit Beneficium Immunitatis, dum sua facilitate ob blanda verba audita seipsum decepit, & induxit ad exeundum: unde eo casu nec ipsi reo infertur injuria, cùm non sit involuntarius; nec Ecclesiæ, quia non extrahitur, sed ipse egreditur; potest enim egredi, invitis Clericis. Pignatell. *tom.* 1. *cons.* 100. *n.* 4. *Si posterius*, considerandum est, an ad egrediendum inductus sit fraude, & dolo ipsius Judicis, aut hujus authoritate; spondentis impunitatem, an verò alterius cujusdam, mentientis e. g. quòd expedita sit fuga. *Si ab ipso Judice, aut hujus authoritate*, immunis ab hujus Jurisdictione est confuga, acsi adhuc existeret in Ecclesia. Navar. *Man. c.* 25. *n.* 22. Farin. *Append. cap.* 19. *n.* 302. Suar. *l.* 3. *c.* 13. *n.* 17. Laym. *l.* 4. *tr.* 9. *c.* 3. *n.* 13. *fin.* Barbos. *l.* 2. *Jur. Eccl. c.* 3. *n.* 54. *& in c. inter alia cit. n.* 34. Vvagnereck *ibid. v. sibi obtinere not.* 1. *v. denique*. Gonzal. *ad idem c. n.* 4. Pal. 11. *D. un. p.* 11. *n.* 2. Haun. *tom.* 6. *tr.* 1. *n.* 242. Pirhing *hic n.* 42. Konig *n.* 17. Vviestner *n.* 138. *Neque obstat*, quòd vim apertam non intentet; nam dolus in hac re pro vi habetur.

Si verò dolo alterius privatæ personæ suasus egressus 282
est confuga, nec Judex fuit deceptionis particeps, ex doctrina *citt.* DD. cui adstipulatur Delben. *sect.* 5. *n.* 25. poterit Judex sic deceptum, si eundem invenerit extra Ecclesiam, capere, & contra illum procedere. Addo tamen cum P. Vviestner *n.* 139. valde probabilem esse *Dianæ* sententiam, existimantis, etiam talem saltem si decipiens fuit homo fide dignus, Ecclesiæ restituendum; tum quod talis viri verba dolosa æquiparentur violentiæ; tum verò quòd hæc opinio favorabilis sit Immunitati; imò pro ea stat duplex Decretum Sac. Congr. *in Aquapendii* 24. *Jan.* 1668. *& in Anagnin.* 10. *Maji* 1670. teste Pign. *tom.* 1. *consult.* 100. *n.* 4. *& tom.* 2. *consult.* 37. *num.* 38.

Quæritur 4. an Judici Sæculari Judex Ecclesiasticus 283
licentiam possit concedere extrahendi reum invitum, etiam in casibus non exceptis? Sylv. *V. Immunitas* 3. *q.* 4. Suarez *l.* 3. *c.* 13. *n.* 3. Curtell. *de Immunit. Eccl. l.* 1. *q.* 32. *n.* 24. *& seqq. & q.* 40. *n.* 4. Layman *l.* 4. *tr.* 9. *c.* 3. *n.* 13. Pirh. *hic n.* 44. putant posse licentiam ejusmodi concedi, saltem accepto priùs Juramento de impunitate delinquentis quoad vitam, membra, & omnem pœnam corporalem: quod etiam colligitur ex *can. reum* 9. *can. id constituimus* 36. *caus.* 17. *q.* 4. *& c. inter alia* 6. *h. tit. Rationem dant*; quia licet talis Judex inferat vim reo, non tamen Ecclesiæ, cui directè hoc Immunitatis privilegium concessum est. Unde juxta hos AA. non tenebitur Ecclesia Rei consensum exquirere, vel spectare, sed si Judex Ecclesiasticus expedire judices, aut prudenter censeat, nullam inde injuriam, aut damnum reo timeri posse, poterit Sæculari Magistratui eum etiam invitum tradere, & sic data licentia iste illum extrahere sine peccato.

Sed dicendum, hodierno Jure spectato, probabilius 284
esse, reum criminis non excepti invitum consignari Curiæ Sæculari, illum exposcenti, non posse sine licentia Papæ, vel alterius ab eo habentis potestatem ejusmodi licentiam concedendi, qualem habere solent Legati Apostolici, ad Principes Christianos, & gubernandas Provincias missi, pro casibus, quibus eisdem videbitur justa, & rationabilis adesse causa permittendi extractionem. Decian. *tr. crim. l.* 9. *c.* 22. Guazzin. *reor. defens.* 1. *c.* 29. *n.* 3. Delben. *de Immunit. c.* 16. *dub.* 26. *n.* 5. Haun. *tom.* 6. *de J. & J. tr.* 1. *num.* 243. Vviestner *hic n.* 141. & colligitur satis clare ex *Const. Gregor. cit.* ubi facultas extradendi reos conceditur Prælatis Ecclesiasticis solùm in casibus exceptis: igitur in non exceptis, si de vita & mutilatione agatur, eo ipso negatur.

Hinc patet ad textus allegatos in contrarium; dicendum enim iis locum fuisse antiquo Jure. *Ad Rationem* adjectam dico, non esse locum Argumento ex ratione, ubi contrarium jus disposuit.

Quæritur 5. an ex Asylo extradi valeat reus consen- 285
tiens? Affirmant Archidiac. *in can. frater* 10. *V. reluctan-* *tem*

tem cauſ. 17, *q.* 4. & Turrecrem. *V. eod. n.* 2. exiſtimantes, hujuſmodi extractione Immunitatem à Curia Sæculari non violari: & ratio eſt; quia Immunitas hæc eſt favor, & privilegium, quo uti nemo tenetur.

Sed dicendum, ejuſmodi reum ex Aſylo quidem egredi ſponè poſſe, & ſic egreſſum apprehendi à Magiſtratu Sæculari, ut dictum eſt *n.* 278. & probat allata ratio; at verò extrahi eundem etiam volentem non poſſe ſine conſenſu Eccleſiæ. Decian. *tr. crim. l.* 6. *c.* 26. *n.* 12. Farin. *Append. Immun. c.* 19. *n.* 304. Guazzin. *reor. defenſ.* 1. *c.* 36. *n.* 2. Pal. *tr.* 11. *D. un. p.* 11. *n.* 5. Jordan. *l.* 11. *tit.* 3. *n.* 259. Delben. *dub.* 26. *n.* 7. Vvieſtner *hic n.* 142. Ratio eſt, quia Immunitas hæc eſt favor publicus, cui renunciari privatorum pactionibus, & ceſſionibus nequit *c. ſi diligenti* 12. *de for. compet. & l. Jus publicum* 38. *ff. de pact.*

286 Hinc, ne Immunitas Loci Sacri violetur, debet in caſibus non exceptis concurrere conſenſus delinquentis, & Eccleſiæ; non enim ſufficit conſenſus ſolius delinquentis.

Proceditque hoc, etſi renuntiatio talis facta fuiſſet à confuga cum juramento; quia tale juramentum eſſet præjudicioſum loco Sacro. Delben. *n.* 7. *cit. Item procedit*, etiamſi facta fuiſſet per publicum Notarium; nam & hæc invalida eſt, ſi ipſe confuga poſtea pœnitens exire nolit ab Eccleſia, vel ſi hujus Rector repugnet. Farin. *c.* 19. *cit. n.* 304.

287 Quæritur 6. an reus ligari, vel alia via cuſtodiri interim à Judice Sæculari poſſit, dum ab Ordinario examinetur cauſa, an gaudere Immunitate debeat? Affirmant Clar. §. *fin. q.* 30. *Verſ. quæro modo*. Sarpus *de Jur. Aſylor. c.* 6. *fol.* 65. Farin. *prax. crim. q.* 28. *n.* 10. & videtur favere *Conſtit. Gregor. cit. Ratio eſſe* poteſt, quia dum examinatur cauſa, dubium eſt, cujus Juriſdictionis delinquens futurus ſit: igitur ut Judex ſæcularis ſe ſervet indemnem, delinquentem ligare, & cuſtodire poteſt, ne aufugiat.

288 Sed vera eſt negativa, quam magno conſenſu tenent Decian. *tr. crim. l.* 6. *c.* 29. *n.* 2. Peregrin. *de Immun. c.* 16. *n.* 29. Suarez *l.* 3. *c.* 12. *n.* 2. Farin. *Append. c.* 19. *n.* 297. Fagund. *l.* 4. *c.* 4. *n.* 55. Bonacina *D.* 3. *q.* 7. *p.* 3. *n.* 2. Pal. *tr.* 11. *D. un. p.* 11. *n.* 6. Dian. *p.* 6. *tr.* 1. *reſol.* 29. Delben. *dub.* 27. *n.* 2. Vvieſtner *hic n.* 151. & ſumitur 1. ex *can. definivit* 35. *cauſ.* 17. *q.* 4. ubi cavetur, ne ſic confugientibus ab Eccleſia aliqua vis, aut nocibilitas, damnumve inferatur, quin poſſint per 30. paſſus ab Eccleſia exire: ergo ſupponitur ibidem ligari non poſſe, 2. quia Eccleſia eſt locus exemptus à juriſdictione Sæculari: igitur in ea judex illam exercere non poteſt, quod tamen fieret, ſi reum in illa ligaret, vel alia via cuſtodiret, 3. quia Eccleſia tali caſu eſt in poſſeſſione, vel quaſi poſſeſſione ipſius Rei recepti: igitur illa non debet dejici, donec de veritate, & qualitate criminis legitimè conſtet.

289 Neque contrarium probatur ex *Conſtit. Gregor. cit.* quia hæc non loquitur de alligatione facta in Eccleſia, ſed in carcere Eccleſiaſticæ juriſdictionis: quod locum habet in caſu, quo confuga crimen exceptum commiſit, & Epiſcopus ex traditione ejus facere recuſavit; tunc enim, ut *n.* 309. dicam, Magiſtratus Sæcularis eundem extrahere etiam per vim poteſt, non tamen abſtrahere illum poteſt ad carceres Sæculares, ſed deferre illum debet ad carcerem juriſdictionis Epiſcopalis, ubi eundem, ſi ita opus fuerit, per Miniſtros ſuos cuſtodire poterit, dum articulus, an ſic extractus Immunitate gaudeat, deciſus fuerit, ut à S. Congr. Epiſc. & Regul. 30. *Sept.* 1616. declaratum eſt, teſte Delben *loc. citt. n.* 9. *Ad Argumentum ex Ratione* dico, non eſſe modum ſervandi ſe indemnem mittere falcem in meſſem alienam. Ne autem reus interea elabatur, fuga ei præcludi poteſt, & ſolet à cuſtodibus, & militibus, qui ejus egreſſum non in ipſa Eccleſia, vel Cœmeterio, ſed extra iſta in profano loco præſtolentur, ut contra Pignatell. *tom.* 1. *conſult.* 127. *n.* 4. cum communi Suar. *l.* 3. *c.* 12. *n.* 4. Laym. *lib.* 4. *tr.* 9. *c.* 3. *n.* 13. Farin. *Append. c.* 19. *n.* 299. Caniſ. *in cap.* 1. *h. tit. n.* 24. Delben *dub.* 28. *n.* 7. Vvagnereck *in cap. inter alia V. ſibi obtinere not.* 1. Haun. *tom.* 5. *tr.* 1. *n.* 245. Pirh. *hic n.* 48. Konig *ibid. n.* 15. advertunt; neque enim hoc eſt obſidere locum Sacrum, ſed obſervare locum profanum, & ipſi delinquenti inſidiari, ut ſi iſtum exire contigerit, ad carceres abſtrahatur: quod nullo jure prohibitum eſt; neque enim Immunitas confugam à pœna omnino liberat, ſed tantùm defendit à violentia, quamdiu exiſtit in loco Sacro.

290 Quæritur 7. utrum Rector Eccleſiæ, ad quam confugit reus, caſu, quo dubitatur, an ille Aſylo gaudeat, teneatur confugientem cuſtodire, ne fugiat? Affirmat Farin. *Append. c.* 19. *n.* 298. qui proinde cum *Claro* notat, confugientes ad Eccleſiam ſaltem debere teneri cum bona cuſtodia, donec fuerit cognitum, an gaudere Aſylo debeat, vel non: additque caſu, quo reus fugerit, Prælatum ſeu Rectorem Eccleſiæ teneri de culpa. Sed hoc mihi probabile non videtur; quia eſſet Eccleſiam mutare in carcerem; & ex Clericis facere Satellites, & Lictores: habetque Judex Sæcularis aliud ſufficiens medium, quo fugam impediat, nempe apponendo cuſtodes extra Eccleſiæ fines, vel petendo ab Epiſcopo, ut interea confuga transferatur ad carcerem juris Eccleſiaſtici. Sed hinc oritur

Dubium, an caſu, quo carcer juris Eccleſiaſtici videtur eſſe minùs tutus, judex Laicus nomine Epiſcopi reponere reum poſſit in carcere Sæculari, ut ibi tutius cuſtodiatur? Affirmant aliqui ex ratione; quia in tali caſu, cùm nomine Epiſcopi detineatur ibidem reus, cenſetur ille reponi in carcere Curiæ Eccleſiaſticæ. Sed meliùs cum aliis negat Delben. *dub.* 27. *n.* 10. ob *Conſt. Greg.* textum ſatis clarum, quæ jubet reum reponi in carcere Eccleſiaſtico. *Proceditque hoc*, etſi judex Sæcularis cautionem dare velit de immunitate in ſuis carceribus: & verum etiam eſt, etſi Reus velit cedere juri ſuo; cedere enim iſti non poteſt validè, ut dictum eſt *num.* 285. 291

Quæritur 8. an, & qua pœna affici poſſit confugiens ad Aſylum? Negant nonnulli cum Gloſſ. *in cap. inter alia cit.* ulla pœna confugientem poſſe affici, dum eſt in Aſylo: & ita colligi videtur ex *c. cit.* verbis ibi: *Neque damnari debet ad mortem, vel pœnam*. 292

Sed diſtinguendum eſt inter pœnam pecuniariam, & corporalem. *Corporalis*, dum confugiens in Aſylo eſt, de jure communi in eundem ferri non poteſt ſecundùm dicta *n.* 271. *De Jure communi*, inquam; nam de conſuetudine, teſte Clar. §. *fin. q.* 30. *n.* 23. Farin. *prax. crim. q.* 28. *n.* 77. *in fin.* Delben. *dub.* 31. *num.* 11. Haun. *tom.* 6. *tr.* 1. *n.* 249. Vvieſtner *hic n.* 157. receptum alicubi eſt, ut Curia Sæcularis contra eum, qui ad Eccleſiam confugit, per inquiſitionem, citationemque procedat; & ſi non compareat, poſt legitimam delicti probationem ſententiam proferat: quo caſu tamen iſta, ſi capitalis ſit, Immunitate obſtante, dari executioni nequit.

Pecuniariâ pœna idem reus poteſt affici, ut contra Gloſſ. *loc. cit.* & Joan. de Viſchis *tr. de Immunit. n.* 57. *Verſ. nunquid* docent Abb. *in c. inter alia n.* 3. *&* 9. Azor. *p.* 2. *lib.* 9. *c.* 9. *q.* 12. Suarez *l.* 3. *c.* 12. *n.* 5. Barboſa *l.* 2. *Jur. Eccl. c.* 3. *n.* 56. *& in c. inter alia cit. n.* 36. Vivian. *ibid. in Ration. verſ. fallit*. Fagnan. *n.* 16. Gonzalez *n.* 5. Vvagnereck *V. ſibi obtinere not.* 1. Delben *dub.* 31. *num.* 15. Haun. *tom.* 6. *tract.* 1. *num.* 248. Engl *hic n.* 4. Pirh. *n.* 47. Konig *n.* 16. Rationem dant, tum quia *c. inter alia cit.* & reliqua Jura ſolùm loqui videntur de pœna corporali, non verò de pecuniaria, tum verò quia hoc pacto non agitur contra ipſum ratione Refugii, ſed ratione delicti, propter quod Lex pœnam injungit. Et hinc ex iſtorum DD. ſententia reus tali caſu citari poteſt ſub confiſcatione bonorum, promiſſa tamen impunitate quoad corpus, & vitam; & ſi citatus coram Judice vel per ſe, vel per Procuratorem in cauſa Civili negligat comparere, bona ipſius, quæ extra Eccleſiam habet, poterunt addici fiſco. 293

Quæritur 9. utrum Reus, ex hoc, quòd ſemel confugerit ad Eccleſiam, ſemper gaudere Immunitate debeat, licèt poſtea ex illa egrediatur, ita, ut de Jure ob delictum ſuum non poſſit ampliùs puniri corporaliter, ſed tantùm pœna pecuniaria? Ita quidem ſentiunt apud Delben. *dub.* 31. *n.* 13. cum aliis *Sylv. Angel. Armill. Abb. Boſſ. Decian. Oldrad Azor, Fagund. Perſicus*. Sed hoc, ut *cit.* Delben. *n.* 14. notat, ſolùm procedit in quatuor caſibus. 1. quando reus, dum in Aſylo erat, modo, quo ſuprà dictum eſt, condemnatus jam eſt ad pœnam pecuniariam; quia de eodem delicto non debet ſæpiùs quæri. 2. quando fuit extractus ab Eccleſia in caſibus non exceptis, in quibus ſcilicet Immunitate gaudet. 3. quando fuit extractus in caſibus etiam exceptis, ſed ſine licentia Epiſcopi. 4. quando fuit conſignatus ab Epiſcopo in caſibus ſimiliter exceptis cum cautione impunitatis quoad vitam, membra, & alias pœnas corporales. Sed huic ultimæ exceptioni, ut idem Delben. *l. cit.* cum *Ambr.* notat, jam non ampliùs locus eſt poſt *Conſtit. Gregor.* juxta quam in caſibus exceptis reus Curiæ Sæculari libere puniendus traditur. 294

Ex quo ſequitur, quod Immunitas Eccleſiæ non violetur, ſi reus, qui ex Eccleſia, ad quam confugit, translatus fuit in carcerem Juris Epiſcopalis, & antequam decideretur, an immunitate gaudeat, ex illo carcere fugit, & poſtea à Judice Sæculari capitur, mortique traditur, 295

ante-

antequam ab Episcopo super dubio Immunitatis feratur sententia, modo non sit captus in loco sacro, quia sibi imputare Reus debet hoc damnum, quod patitur ratione fugæ. Vide Decian. *tr. crimen. l. 6. c.* 29. *num.* 7. Farin. *Append. Immunit. capit.* 19. *num.* 306. Mar. Ital. *l.* 1. *cap.* 6. §. 2. *num.* 28. Delben. *dub.* 31. *cit. num.* 17.

296 Quæritur 10. an, & quando Curiæ Sæculari, si hæc criminis non excepti reum Asylo velit extrahere, resisti valeat? Satis convenit inter DD. 1. quòd resisti eidem possit; quia ita extrahendo vim injustam infert Ecclesiæ, & ipsi reo in ista recepto; atqui vim injustam inferenti, etsi Justitiæ minister sit, licet resistere *l. ut vim* 3. *ff. de J. & J. l. scientiam* 45. §. *qui cùm* 4. *ff. ad Leg. Aquil. l. prohibitum* 5. *C. de Jur. fisc.* 2. certum est vim vi repellere, & securitatis suæ jus propugnare posse reum Laicum, si necesse sit etiam armis; quia ita defendere se potiùs videtur, quàm offendere. Delben. *dub.* 32. *n.* 3. 3. non minùs certum est, quòd Ecclesia Immunitatis suæ jus tueri valeat etiam fores occludendo, & adhibendo alia media idonea, & ab Ecclesiastico statu non aliena, ad vim externam impediendam. Delben. *l. cit. n.* 4.

297 *Dubium* in eo positum est, an Clericis tali casu liceat arma sumere, & uti bello activo ad defendendum reum à se receptum? *Ratio dubitandi* est, quia Ecclesia videtur Jure id facere posse ex illo principio, quòd vim vi repellere à natura concessum sit omnibus.

298 Sed contrarium verius est; & ita docent Covar. *l.* 2. *var. cap.* 20. *n.* 18. *fin.* Suar. *l.* 3. *cap.* 13. *num.* 5. Fagund. *l.* 4. *cap.* 4. *num.* 59. Bonacin. *D.* 3. *q.* 7. *p.* 3. *num.* 3. Laym. *l.* 4. *tr.* 9. *cap.* 3. *num.* 14. Delben. *dub.* 32. *cit. n.* 5. Haun. *tom.* 6. *tr.* 1. *n.* 250. Pith. *hic n.* 50. Vviest. *n.* 144. Ratio est; quia per se prohibitum est Clericis arma sumere sine speciali dispensatione, quæ in hoc casu non conceditur, nec regulariter necessaria est; potest enim Ecclesia Judicem Laicum compellere per Censuras, ut à vi abstineat, vel si eam inferendo reum extraxit, ut rursum restituat. Denique potest, ut *supra* dixi, vim impedire sine bello activo claudendo ostia, & quælibet alia media apponendo.

Quæ si non sufficiant, Pastores Ecclesiæ interdum uti auxilio Laicorum ad Ecclesiam defendendam poterunt: quod tamen rarissimè expediet fieri; quia sequi scandala magna possunt, quæ majoris momenti sunt, & magis vitanda, quàm unius Ecclesiæ violatio. Si magna esset necessitas, & grave, vel commune Ecclesiæ damnum timeretur, id fieri potest, interveniente maximè authoritate Summi Pontificis. Suar. *cit. n.* 5. Pith. *n.* 50.

299 Quæritur 11. ad quid teneatur Judex, qui reum ab Ecclesia violenter extraxit? Resp. ante omnia illum debet restituere Ecclesiæ, ut dictum est *n.* 272. Idque verum est etiamsi ita extractus dein in potestate Judicis Sæcularis permanere velit; nam, ut *ibidem* ostendi, reus privilegio huic renuntiare non potest. Et procedit etiam tunc, quando Judex Sæcularis illum extraxit in casu excepto, si formam in *Const. Gregor.* præscriptam non observavit. Delben *dub.* 33. *num.* 4. An eidem Ecclesiæ restitui debeat, ex qua est extractus, controversum est inter DD. Jordan. *l.* 11. *tit.* 3. *n.* 269. & 270. Pal. *tr.* 11. *D. un. p.* 11. *n.* 13. Delben *dub.* 34. *num.* 11. Haun. *tom.* 6. *tr.* 1. *n.* 252. Vviestner *hic n.* 148. & alii quidam putant, restitutionem fieri posse etiam alteri Ecclesiæ, Monasterio, vel etiam Episcopo, aut ejus Officiali, seu Vicario Generali, dummodo saluti confugæ, ejusque commodis æquè prospectum sit. *Ratio* illorum est, quia Privilegium Immunitatis unicum omnium est, ut ad eo sicut injuria per violentam extractionem uni Ecclesiæ illata, sic etiam satisfactio, Reique extracti restitutio omnibus Ecclesiis sit communis. Sed eidem Ecclesiæ restituendum, ita, ut alteri non possit nisi de licentia Summi Pontificis, sæpiùs decrevit S. Congreg. Immunit. *in Ferrariens.* 1632. apud Barbosa *lib.* 2. *Jur. Eccl. c.* 3. *n.* 54. *in Januens.* 8. *Dec.* 1632. & 29. *Nov.* 1634. apud Pignatell. *tom.* 2. *consult.* 37. *n.* 36. *in Mediolan.* 28. *Nov.* 1634. & *in Cujacens.* 30. *Nov.* 1640. apud Matthæucc. *Offic. Eccles. c.* 24. *num.* 20. & ratio est; quia ipsa est spoliata.

300 3 Tenetur Judex reparare Reo omnia damna inde consequentia; nam per extractionem hujusmodi fit vera injuria reo contra Justitiam Commutativam, cùm Judex talis exerceat non actum jurisdictionis, sed Tyrannidis, & meram violentiam. Suarez *l.* 3. *c.* 13. *n.* 9. 10. & 15. Layman *l.* 4. *tr.* 9. *c.* 3. *n.* 14. Jordan. *l.* 11. *tit.* 3. *n.* 245. Delben *dub.* 24. *n.* 6. Vvagnereck *in cap. inter alia V. sibi obtinere not.* 2. *fin.* Haun. *tom.* 6. *tr.* 1. *n.* 255. Pirh. *hic n.* 51. & alii *passim.*

3 Omnes actus Judiciales postea facti circa hujusmodi reum ipso Jure sunt nulli: Suarez *n.* 14. Laym. *n.* 14. *V. denique*, Delben *dub.* 34. *n.* 1. Vvagnereck *not.* 2. Pithing. *n.* 51. *fin.* nam si fundamentum est nullum, necesse est omnia, quæ in illo fundantur, frustranea esse; sed omnes illi actus subsequentes fundantur in captura, & quasi possessione Rei: ergo cùm hæc nulla sit, cætera omnia erunt irrita.

Quæritur 12. à quo Reus in Asylo sit alendus? Respond. distinguendo: Vel enim habet bona propria, ex quibus alatur, vel non habet. *Si primum*, alimenta ipsi præstari debent ex bonis propriis, vel si illa præstò non sint, tenebitur quidem Ecclesia defectum supplere, ipse tamen confuga manebit obstrictus ad compensandos sumptus in alimenta factos. Sylv. *Vers. Immunitas* 3. *q.* 3. Abb. *in c. inter alia n.* 28. Azor *p.* 2. *l.* 9. *c.* 9. *q.* 13. Guazzin. *reor. defens.* 1. *cap.* 32. *num.* 4. Delben *dub.* 28. *n.* 4. Haun. *tom.* 6. *tr.* 1. *n.* 247. Pith. *hic n.* 49. Vviestner *ib. n.* 153. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de Jur. Eccles. c.* 4. *n.* 55. Ratio est, quia tali casu Ecclesia præsumitur præsenti solùm necessitati subvenire, non autem absolutè donare. 301

Si secundum, ad ejus sustentationem tenentur consanguinei, & si hi non possint, Ecclesia: quo casu tamen confuga compelli poterit ad serviendum Ecclesiæ, & in istius commodum laborandum, saltem si hoc possit, & solitus sit. Ita cum *citt.* Farin. *Append. Immunit. c.* 19. *n.* 296. Ranbeck *Panopl. Immunit. D.* 4. *c.* 5. *n.* 43. Scambog. *hic n.* 54. Et quidem quòd in defectum alimenta confugæ debeat subministrare Ecclesia, clarum est; quia alias ex defectu istorum reus compelleretur excedere Asylo, & Sæculari Curiæ se consignare. Quòd verò ad laborandum adigi possit, ratio est, tum ut ne detur eidem occasio otiandi, tum quia æquum est, ut cùm Ecclesia alimenta eidem præstet, ipsa ista labore suo compenset. 302

§. VII.

De licita Extractione Confugæ ex Asylo in casibus exceptis.

SUMMARIUM.

303 *In casu non excepto non potest confuga extradi Judici Sæculari ad pœnam.*
304 *Et extradens, si mors, vel mutilatio sequatur, incurrit Irregularitatem.*
305 *Modus extradendi Reum in casibus exceptis.*
306 *An Judices Laici sic confugientem ad Ecclesiam in casibus exceptis extrahere ab Ecclesia possint non requisita licentia Episcopi, vel hujus Officialis?*
307 308 *Respondetur negativè.*
309 *Si tamen Episcopus, vel Officialis illius culpabiliter extradere illum recusaret, posset iste ipso invito extrahi.*
310 *Observanda in tali extractione.*
311 *Ad quem Judicem pertineat cognitio, an casus sit exceptus?*
312 *Statuitur pertinere ad Ecclesiasticum.*
313 *Respondetur ad Rationem dubitandi.*
314 *Similiter ad Judicem Ecclesiasticum pertinet cognoscere, an locus, ad quem reus confugit, Asylo gaudeat?*
315 *Asserti ratio.*
316 *An cognitio in dubio de Asylo ad Ecclesiasticum Judicem spectet privativè?*
317 *Defenditur Affirmativa.*
318 *Solvuntur Argumenta contraria.*
319 *Cui Judici Ecclesiastico competat cognitio in isto dubio?*
320 *An etiam Prælatis inferioribus Episcopo?*
321 *Quid si duo Episcopi sint proximi loco nullius Diœcesis.*
322 *Qualis probatio requiratur, ut reus ex Asylo transferri possit in carcerem juris Ecclesiastici?*
323 *Ut omnino extradi Judici Sæculari possit, requiritur plena probatio.*
324 *Ratio Assertionis.*
325 *An Judex Ecclesiasticus in cognitione istius dubii teneatur stare processui Judicis Sæcularis?*
326 *An possit illo stare?*
327 328 329 *Quomodo procedere in cognitione causæ Episcopus debeat?*
330 331 332 *An si aliquando sententiam tulit, admittatur ab hac Appellatio?*

Quæ-

Quæritur 1. an in solis Casibus exceptis extractio, & extraditio Rei Laici ad Ecclesiam confugientis sit licita? Sylv. *V. Immunitas* 3. *n.* 4. Azor *part.* 2. *l.* 9. *cap.* 9. *quæst.* 10. Peregrin. *de Immunit. cap.* 12. *n.* 9. Curtell. *l.* 1. *quæst.* 32. *num.* 24. *& seqq.* & alii apud Delben. *de Immunit. c.* 16. *dub.* 39. *num.* 1. putant, quòd Prælatus illum possit, & debeat Judici Sæculari puniendum tradere, obtenta tamen priùs cautione de Impunitate Rei quoad vitam, membra, & omnem pœnam corporalem, juratoria quidem, si credatur Judex Sæcularis non violaturus Juramentum, fidejussoria autem, si dubium sit, an illud sit servaturus.

Sed melius alii cum Farin. *Append. Immunit. c.* 22. *num.* 344. Bonacina *tom.* 2. *D.* 3. *quæst.* 7. *p.* 7. *num.* 3. Gambacurt. *l.* 8. *cap.* 11. *&* 12. *num.* 4. Delben *l. cit. num.* 2. negant ejusmodi Reum invitum, in casu non excepto ad pœnam extradi Judici Sæculari posse, quamvis iste securitatem quamcunque de ejusdem impunitate præstet. Patet ex *Const. Greg.* ubi dum extractio, & extraditio solùm conceditur in casibus exceptis, ea in casibus non exceptis hoc ipso virtualiter denegatur. *Ratio est*, quia Immunitas, qua reus in dictis casibus gaudet, in hoc ipso consistit, ut non possit invitus ex loco Sacro extrahi, & judicari.

304 Quod adeo verum est, ut Rector Ecclesiæ, qui hujusmodi reum in casu non excepto Curiæ Sæculari tradidit, vel extrahendi licentiam dedit, si Reo tradito inde sequatur mors, vel mutilatio, Irregularitatem contrahat; quia Curiæ Sæculari eum tradendo censetur cooperari ipsius morti vel mutilationi. Delben *num.* 9. Idque ex probabiliori DD. sententia verum est, etiamsi traditio fiat, præmissa cautione, & protestatione impunitatis circa vitam, & membra Rei: quia protestatio hæc est contraria facto, conf. non relevat extradentem. Delben. *n.* 13.

Eandem Irregularitatem, ut vult Bonacina *de Irregul. D.* 7. *q.* 4. *p.* 1. *num.* 19. incurrit etiam Prælatus, vel Rector Ecclesiæ, qui confugam permittit extrahi, & extrahentibus non resistit, nec reum defendit; quia tenetur ex officio, & sic ex justitia tueri Immunitatem Ecclesiasticam. Sed quia talis Prælatus negativè se tantùm habet, nec positivè influit, prout ad contrahendam Irregularitatem juxta Canones necessarium est, ideo negativa opinio, teste Delben *num.* 12. satis adhuc probabilis est.

305 Quæritur 2. quis modus tenendus sit, cùm delinquens in Casibus exceptis tradendus est Curiæ Sæculari? Resp. Modus iste præscribitur *in Const. Innocent.* sæpius allegata, vi cujus, quando Curia Sæcularis à Curia Ecclesiastica petit, ut Laicum aliquem à loco immuni extrahi, ac sibi consignari faciat, considerandum est 1. an super delicti excepti qualitate, ac personæ reitate subministrata, vel acquisita sint indicia, quæ ad capturam declarandam sufficere videantur. 2. Talibus indiciis habitis, Curia Ecclesiastica ad ejusdem delinquentis extractionem ab Ecclesia, aliisque locis immunibus ope, ac medio suorum executorum, implorato etiam, quando opus fuerit, brachii sæcularis auxilio, & cum interventu personæ Ecclesiasticæ, ab Episcopo deputandæ, procedere teneatur. 3. Non tamen illico ex solis suprà dictis indiciis tradi delinquens debet potestati Laicali, sed curandum à Curia Ecclesiastica, ut extractus ad suos, i. e. Juris Ecclesiastici, Carceres asportetur, ibique sub tuta custodia tamdiu detineatur, donec ex processu informativo desuper conficiendo constet de Crimine excepto, ac insuper adversùs eundem extractum talia resultent indicia, ut Crimen ab eo fuisse patratum moraliter credi possit. 4. Habitis hujusmodi indiciis, & quidem talibus, quæ juxta regulas juris vocantur ultra torturam, tum demum idem extractus Ministris, & Officialibus Curiæ Sæcularis tradi, & consignari potest, ac debet, exacta tamen, receptaque priùs ab ipsis obligatione, in forma Juris valida, eundem extractum Ecclesiæ sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, Pontifici reservatæ, restituendi in casu, quo idem extractus indicia, contra ipsum acquisita, in suis defensionibus purgaverit, ac diluerit. 5. Quod verò dicta indicia extractus minimè purgaverit, & verè delinquens repertus fuerit, tum demum Curiæ Sæculari in ipsum, ut Juris esse censuerit, agere, ac procedere permissum erit: quæ omnia habentur in dicta *Const.* §. *quotiescunque*.

306 Quæritur 3. an Judices Laici sic confugientem ad Ecclesiam in casibus exceptis extrahere ab Ecclesia possint, non requisita licentia Episcopi, vel hujus Officialis? Affirmativam tuentur Covar. *l.* 2. *var. cap.* 20. Suarez *lib.* 3. *cap.* 13. *num.* 1. Canis. *in capit.* 1. *h. tit. num.* 34. Pirhing. *hic num.* 43. qui ajunt id in praxi, & moribus Christiani Orbis receptum esse. *Rationem* dant, quia tunc ipsum Jus dat facultatem: ergo non est necessarium illam ab homine petere, vel obtinere, & cum Ecclesia tunc confugientes ad loca Sacra non tuetur, nec tutari velit, nulla fiet ipsi injuria per extractionem etiam violentam.

Sed in negativam magno numero consentiunt DD. 307
atque in his M. Ant. Genuens. *prax. c.* 18. *n.* 5. Riccius *p.* 5. *collect.* 1792. Fill. *tom.* 1. *tr.* 15. *c.* 6. *n.* 154. Ambrosin. *de Immunit. c.* 11. *num.* 1. Farin. *Append. cap.* 22. *num.* 359. Jordan. *lib.* 11. *tit.* 3. *num.* 291. Zypæus *Analys. ad hanc Rubr. num.* 12. Guazzin *reor. defens.* 1. *c.* 31. *n.* 4. *& c.* 32. *n.* 1. Delben. *dub.* 40. *sect.* 1. *num.* 5. Barbosa *l.* 2. *Jur. Eccl. c.* 3. *n.* 157. Fagnan. *in c. inter alia n.* 97. Haun. *tom.* 6. *de J. & J. tr.* 1. *n.* 261. Illsung. *tr.* 5. *D.* 2. *n.* 265. Matthæucc. *Offic. Eccles. cap.* 24. *num.* 3. Zoes. *hic num.* 39. Honor. *num.* 7. Engl *n.* 20. *concl.* 7. Scambog. *num.* 48. Wiestner *num.* 173. Patet ex *Constit. Gregor. cit.* ubi §. *volumus*, §. *occurrente*, *&* §. *quodque delinquentes* ad legitimam extractionem, & incarcerationem licentia Episcopalis, & personæ Ecclesiasticæ interventus expressè requiritur. Et confirmatur ex novissima *Constit. Innoc.* §. *præterea*, ubi extractio reorum ex loco immuni quibuscunque Magistratibus, & Ministris Sæcularibus sub pœna, à Sacris Canonibus, & Constitutionibus Apostolicis adversùs eos, qui Jurisdictionem Ecclesiasticam quoquo modo lædunt, ac violant, inflictis severissimè interdicitur. *Ratio* esse potest; quia Ecclesia non est de territorio Judicis Sæcularis: ergo non potest iste ex hac reum extrahere; quia exerceret Jurisdictionem extra territorium suum.

Et hoc verum est, etiamsi notorium sit, reum com- 308
misisse crimen exceptum; quia licentia Episcopi requiritur ad formam, & præteriri non potest. Jordan. *numer.* 291. *cit.* Delben *num.* 3. *&* 4. *Neque obstat*, quòd Episcopus in hisce casibus non possit denegare licentiam extrahendi, nam etiam denegare non potest Regularibus licentiam prædicandi in suis Ecclesiis, quam tamen petere Regulares debent.

Ad Rationem in contrarium allatam dico, in his casibus Jus quidem dare licentiam extrahendi, sed in forma à Jure præscripta, ad quam juxta DD. pro negativa allegatos pertinet licentia Episcopi, & interventus personæ Ecclesiasticæ.

Quæritur 4. an casu, quo Episcopus, aut ejus Offi- 309
cialis, vel Vicarius Generalis culpabiliter recusarent delinquentem tradere, extrahi delinquens isto invito possit? Resp. probabiliter posse. Ita Farin. *append. Immun. cap.* 22. *num.* 359. Bonacina *Disp.* 3. *quæst.* 7. *p.* 7. *n.* 7. Jordan. *lib.* 11. *tit.* 3. *n.* 292. Pal. *tr.* 11. *Disp. un. part.* 4. *n.* 4. Guazzin *reor. defens.* 1. *c.* 31. *n.* 4. Sperell. *decis.* 104. *n.* 6. Delben *dub.* 40. *n.* 9. Sed tunc tria hæc observari debebunt.

1 Ut casus sit clarè exceptus: nam si dubium sit, an sit exceptus, vel non, nequaquam possunt Judices Laici sic tutatum à loco sacro expellere; quia dum non constat illum ab Immunitate esse exclusum, ea gaudet, cùm hæc concedatur omnibus delinquentibus extra casus exceptos.

2 Ut memores reverentiæ, locis sacris, & Ecclesiis 310
debitæ, prædictos delinquentes minori, quo fieri potest, scandalo, & tumultu extrahant.

3 Ut eundem ad Carcerem Curiæ Ecclesiasticæ, non Sæcularis deferant, & ibi reponant, apposita etiam, si opus fuerit, custodia, quousque per Episcopum, aut ejus Superiorem cognoscatur, quòd delinquens non debeat gaudere Immunitate.

Quæritur 5. ad quem Judicem pertineat cognitio, 311
an casus sit ab Immunitate exceptus, vel non? Castro *de Manu Regia part.* 1. *cap.* 10. *n.* 1. Olibanus *de Jur. fisc. c.* 11. *n.* 12. & alii potestatem cognoscendi hoc casu adstruunt Curiæ Sæculari, quòd cujusvis Judicis sit cognoscere, an sua sit Jurisdictio, prout de Judice Ordinario constat ex *l. si quis ex aliena* 5. *ff. de Judic. l. ex quacunque* 2. *ff. si quis in jus vocatus non ierit &c.* de Delegato autem decernitur *c. pastoralis* 14. & *c. super litteris* 20. *fin. de Rescript.*

Sed dicendum, ejus dubii cognitionem ad Judicem 312
Ecclesiasticum pertinere. Ita Ant. de Butrio *in cap. cæterum* 6. *de Judic.* Cavar. *practic. cap.* 33. *à num.* 1. Peregrin. *de Immunit. c.* 3. *n.* 1. Mar. Ital. *lib.* 1. *cap.* 5. §. 14. *n.* 7. Stephan. Gratian. *Discept. for. cap.* 180. *à num.* 11. Farin. *Append. c.* 22. *n.* 366. *&* 367. Barbosa *lib.* 2. *Jur. Eccl. cap.* 3. *num.* 154. Guazzin *reor. defens.* 1. *cap.* 31. *num.* 3. Delben *cap.* 16. *dub.* 41. *num.* 1. Oliva *for. Eccl. p.* 1. *quæst.* 26. *num.* 21. Canis. *in cap.* 1. *hoc tit. num.* 35. Gonzal. *in cap. inter alia* 6. *eod. numer.* 2.

Haun. *tom.* 6. *de J. & J. tract.* 1. *num.* 266. Pignatell. *tom.* 5. *consult.* 5. *num.* 77. Honor. *hic n.* 7. Engl. *n.* 20. *Vers. praeterea.* Vviestner *n.* 160. estque hæc, teste *Oliva loc. cit.* omnium ferè DD. sententia, & constat apertissimè ex *Const. Gregor.* ibi, *Nisi cognito prius per Episcopum, vel ab eo deputatum, an delinquentes verè crimina excepta commiserint.* Quod ipsum confirmat Sanctissimus D. N. Innocentius XIII. in *Constitutione* sua novissima sæpius allegata, ubi §. *praeterea* per expressissima verba *quibuscunque Magistratibus, Officialibus, & Ministris Saecularibus, necnon quibusvis aliis personis, cujuscunque gradus, & conditionis existant, etiamsi Imperiali, Regia, Ducali, aut alia quavis mundana Dignitate, aut authoritate praefulgeant: districtè interdicitur, ac inhibetur, ne hujusmodi Caussis vel conficiendo Processus, vel inquisitos extrahendo à locis immunibus, vel declarando Crimina ab eis admissa esse de exceptis in Gregoriana, aut in praesenti sua Constitutione, ullo pacto sese ingerant, aut immisceant: quodsi verò secus quidquam attentare praesumpserint, ex nunc omnia in contrarium praemissorum gerenda, irrita, atque inania, nulliusque roboris, vel momenti* perpetuò fore, ipsosque attentantes in Censuras, & alias pœnas à Sacris Canonibus, & Constitutionibus Apostolicis adversùs eos, qui jurisdictionem Ecclesiasticam quoquo modo lædunt, ac violant, inflictas incurrere decernit, & declarat. Ratio est, quia cognitio causæ Ecclesiasticæ non potest, nisi ad Judicem Ecclesiasticum spectare per *c. Ecclesiae* 10. *de Constit.* atqui causa præsens apertè Ecclesiastica est; agitur enim de jure Ecclesiasticæ Immunitatis; ergo &c.

313 *Ad argumentum contrariae sententiae* dico, judicem Sæcularem tum solùm cognoscere posse, an sua sit Jurisdictio, quando materia temporalis est, & profana, & reus conventus Laicus; quia in tali causa, & persona Jurisdictionem fundatam habet: at si materia, aut reus conventus Ecclesiasticus sit, immiscere sese non debet; quia tum intentionem in Jure fundatam habet solus Judex Ecclesiasticus *c. decernimus* 2. *capit. quando* 3. *de Judic. c. tuam* 3. *de ordin. cognit. c. lator* 5. *c. causam* 7. *qui fil. legit. c. si Judex* 12. *de sent. Excommun. in* 6.

314 Quæritur 6. ad quem Judicem pertineat cognoscere, an locus, quò se recepit confuga, privilegio Ecclesiasticæ Immunitatis gaudeat? *Videtur* de hoc posse cognoscere Judex Sæcularis; quia est quæstio facti, cùm dependeat ab eo, an talis locus sit consecratus ab Episcopo, vel Ecclesiastica authoritate ad Divina deputatus.

Sed dicendum etiam hanc causam ad Judicem Ecclesiasticum pertinere. Ita Peregrin. *de Immunit. c.* 13. *numer.* 18. Farin. *Append. capit.* 22. *num.* 366. Novar. *Summ. Bullar. titul. de Immunit. Eccles. numer.* 95. Jordan. *lib.* 11. *tit.* 3. *num.* 293. Lezan. *Summ. qq. Regul. V. immunitas num.* 28. Barbosa *l.* 2. *Jur. Eccl. c.* 3. *n.* 156. Delben *dub.* 41. *num.* 1. Haun. *tom.* 6. *tr.* 1. *num.* 273. Pignatell. *tom.* 9. *consult.* 22. *n.* 30. Vviestn. *hic n.* 162.

315 *Ratio est*, quia ad dubium hoc decidendum necessarium est cognoscere non tantum de consecratione, vel deputatione talis loci ad servitium Divinum, sed etiam de validitate talis consecrationis, vel deputationis; conf. quæstio ista quæstionem Juris involvit, quæ merè Spiritualis est, & sic Jurisdictionem Sæcularem excedit; igitur de hac quæstione connexa necessariò cognoscere debet Judex Ecclesiasticus. Si autem de ista, etiam de quæstione facti, quæ illam involvit, ne causarum continentia dividatur; ergo &c.

Accedit commune Principium, quòd cùm facti quæstio ad eum, de quo agitur, effectum non sufficit, de ea frustra cognoscat, & pronuntiet Judex Sæcularis *arg. cap. dilecti* 8. *de Except. l. ad probationem* 21. *Cod. de Probat.* Jason. *in l. quoties* 3. *Cod. de Judic. num.* 8. Bald. *in Auth. & qui jurat C. de bon. auth. Jud. possid. num.* 27.

316 Quæritur 7. an casu, quo dubitatur, num confuga Asylo gaudeat, cognitio hujus dubii pertineat ad Judicem Ecclesiasticum privativè, & excluso Judice Sæculari? Volunt nonnulli cum Remig. de Gonny *de Immunit. quaest.* 6. *num.* 6. de hoc dubio cognoscendum ab utroque tam Ecclesiastico, quàm Sæculari Judice, & moventur gemina ratione; Nam 1. dicunt in dubio de qualitate criminis agi causam mixti fori; atqui in causis mixti fori valde conveniens, & in Jure fundatum est, ut cognitio diversorum Judicum sit simultanea; sic enim *Auth. si verò Cod. de Judic.* Episcopo, vel Archi-Episcopo adjungitur Judex Sæcularis, & *cap. per hoc* 17. *de Haeretic. in* 6. de Hæresis crimine simul cognoscunt Inquisitor Apostolicus generaliter delegatus, & Ordinarius. 2. In causis, in quibus agitur de præjudicio utriusque Curiæ, Ecclesiasticæ, & Sæcularis, conveniens, & Juri consentaneum est, ut de eo uterque Judex simul cognoscat *arg. Reg. quod omnes tangit* 29. *in* 6. *& l. concedendo* 7. *ff. de aqu. pluv. arcend.* atqui in præsentis quæstionis dubio agitur de præjudicio utriusque Curiæ; quia Sæcularis prætendere potest delinquentem Immunitate non gaudere, Ecclesiastica autem hoc asserere.

Sed explorati Juris est, quòd ejusmodi dubii decisio Ecclesiastico Judici soli competat. Ita *Boerius decis.* 109. Gutier. *pract. qq. l.* 3. *q.* 1. *num.* 5. Farin. *prax. crim. q.* 28. *num.* 76. Guazzin. *reor. defens.* 1. *cap.* 31. *num.* 3. Sperell. *decis.* 103. *num.* 26. Barbosa *l.* 2. *Jur. Eccles. cap.* 3. *num.* 155. Oliva *for. Eccl. part.* 1. *q.* 27. *num.* 17. Vviestner *hic num.* 165. Clari sunt textus Juris Canonici *can. ad Episcopos* 11. *& can. metuentes* 33. *caus.* 17. *q.* 4. *cap. si Judex* 12. *de sent. Excommun. in* 6. & præsertim *Constit. Gregor. cit.* ibi, *Nisi cognito prius per Episcopum, vel ab eo delegatum, an delinquentes verè crimina excepta commiserint --- Curiae Saeculari consignari possint.* Ratio est, quia Judex Sæcularis respectu causæ Ecclesiasticæ, qualis est Immunitatis, est prorsus incompetens. *Conf.* à pari cum Legibus concernentibus Immunitatem; nam has condere potest solus Judex Ecclesiasticus, non Sæcularis ob defectum Jurisdictionis; ergo ob eundem defectum etiam non poterit cognoscere de causis, quibus de eadem Immunitate agitur. 317

Neque contrarium probant Argumenta opposita. *Ad* 1. imprimis nulla Lege, vel ratione evincitur, quòd cognitio in dubio de Immunitate sit causa mixti fori: deinde si mixti fori esset, non propterea Judex Ecclesiasticus, & Sæcularis simul de ea deberent cognoscere, sed hoc ad eum pertineret, qui alterum prævenisset. *Neque obstant* textus in *Conf.* allati: prior quidem; quia in eo casu Judex Ecclesiasticus, & Sæcularis simul cognoscunt, non tanquam Ministri potestatis Ecclesiasticæ, sed Sæcularis, & ex commissione Imperatoris, vel alterius Principis. Vviestner *hic numer.* 167. Posterior autem; quia in casu *capit. cit.* Judex Ordinarius, & Inquisitor Apostolicus uterque sunt Judices Ecclesiastici, conf. uterque capax est. *Ad* 2. Sæcularis Judex interesse cognitioni, qua agitur, an reus Asylo gaudeat, potest, non tamen, ut judicet, sed ut de suo Jure tanquam pars dicat. Vviestner *loc. cit.* 318

Quæritur 8. qualis Judex Ecclesiasticus cognoscere possit, an crimen, quod confuga commisit, exceptum sit? Resp. 1. cognoscere de hoc dubio potest Episcopus, prout planum est ex *can. ad Episcopos* 11. *can. si quis contumax* 20. *caus.* 17. *quaest.* 4. *& Constit. Gregor. cit.* ibi, *Nisi cognito prius per Episcopum &c.* 2. Capitulum, sede Episcopali vacante: quia ad hoc transit omnis administratio, & Jurisdictio Episcopalis Ordinaria, nisi specialiter prohibita reperiatur *capit. his quae* 11. *& cap. cùm olim* 14. *de majorit.* atqui cognitio de criminis exceptione ad Episcopum spectat ex Jurisdictione Ordinaria; ergo &c. 3. Vicarius Generalis utriusque; quia generaliter, si aliquo Juris textu habetur, quòd aliquid ad Episcopi, vel Diœcesani potestatem pertineat, id etiam pertinet ad Vicarium Generalem, nisi speciale mandatum exigat. Mandos. *ad Reg.* 24. *Cancell. quaest.* 6. *num.* 3. Garz. *de benef. p.* 5. *cap.* 8. *num.* 65. Laym. *in cap. licet* 2. *de Offic. Vicar. in* 6. *num.* 1. Vviestner *hic num.* 171. atqui ejusmodi cognitio dubii, ut paulò antea dixi, pertinet ad Episcopum, & speciale mandatum exigi nullo Jure est cautum: imò contrarium potiùs colligitur ex *Constitut. Gregor. cit.* ubi potestas ista asseritur Officiali sine mentione specialis mandati. *Excipitur*, nisi alicubi cognitio ejusmodi accenseretur causis arduis, aut ex consuetudine mandatum speciale ad hoc requireretur. 319

An autem potestatem istam cognoscendi de dubio immunitatis, & dandi licentiam extrahendi reum ex Asylo in casu excepto habeant etiam Prælati inferiores Episcopo, dubium moveri potest. Sed communis cum Ambrosin. *de Immunit. cap.* 11. *num.* 1. Jordan. *lib.* 11. *tit.* 3. *num.* 295. Delben. *cap.* 16. *dub.* 40. *n.* 6. *& seqq.* responsio DD. est, potestatem istam competere solis Episcopis, horumque Officialibus, non verò aliis Prælatis Episcopo inferioribus; sive Regularibus, sive Sæcularibus; & hoc verum est, etiamsi Ordinarii isti sint; vel nullius Diœcesis, vel Conservatores à Sede 320

Apostolica specialiter, vel generaliter deputati. Et hinc si casus contingat, ut delinquens se recipiat in locum exemptum, & nullius Diœcesis, licentia extrahendi petenda est ab Episcopo, vel ejus Officiali, i. e. Vicario Generali viciniore, & non ab alio Prælato, qui sit Episcopo inferior, etiamsi ipse Ordinarius, & nullius Diœcesis sit; quia nomine Episcopi intelligitur hic verus Episcopus, ut DD. *citt.* & patet ex *Bulla Gregor. cit.* Quam Bullam confirmat novissima *Constitutio Innocentiana*, ubi §. *præterea*, postquam refertur, *sæpedictum Gregorium Prædecessorem in sua Constitutione optimo jure sanxisse, ut soli Episcopi, & non alii Episcopis inferiores, etiamsi locorum Ordinarii sint, aut nullius Diœcesis, aut Conservatores à Sede Apostolica specialiter, vel generaliter deputati, cognoscere, & declarare valeant, an delicta, pro quibus Inquisiti ad loca immunia confugerunt, & in eis se receperunt, sint, necne, de numero exceptorum*, circa finem dicti §. *præterea* expressè mandatur, quòd *omnimoda cognitio, atque judicium de Criminibus, in Gregoriana, & hac Innocentiana Constitutione exceptis: ad Episcopos tantum, privativè quoad omnes alios, perpetuo spectet, atque spectare debeat; & donec ipsi in occurrentibus casibus declaraverint, delictum esse de exceptis, & cætera omnia ibidem constituta adimpleverint, Inquisitos Ecclesiæ, vel alterius Loci Sacri, ad quem confugerint, Immunitate gaudere tuto debere, ac in ea conservandos, & manutenendos esse.*

321 Quodsi duo Episcopi sint vicini, seu proximi, sed unus proximus quoad Diœcesim, non verò quoad habitationem, alter proximus quoad habitationem, non verò quoad Diœcesim, licentia extrahendi, ut Delben *loc. cit. num.* 11. advertit, petenda est ab Episcopo viciniore quoad habitationem, modò etiam ipse proximam habeat Diœcesim; quia Gregorius XIV. *in Constitutione* sua principaliter respexit personam Episcopi, secundariò Diœcesim: & hinc non dixit, *Ad Episcopum vicinioris Diœcesis*, sed *ad Episcopum viciniorem* devolutum iri in tali casu cognitionem dubii. Accedit, quia sic occurritur incommodis, quæ aliàs sequi possent, si adeundus esset Episcopus existens in remotiori loco.

322 Quæritur 9. quomodo Episcopus cognoscere debeat delictum esse exceptum, ut extradere confugam ex Asylo possit? Resp. distinguendo: Vel enim agitur de extradendo illo, ut retineatur tutò in carcere Juris Ecclesiastici, donec probetur delictum; vel contrà agitur de eo extradendo, ut consignetur Curiæ Sæculari, ex merito delicti puniendus.

Ut primum fiat, non requiritur certitudo delicti, sed sufficit dubium, neque est necesse, quòd talis opinio, vel dubium resultet ex notitia Judiciali, sed sufficit extrajudicialis, etiam, quæ resultat ex Processu Judicis Laici juxta Declarationes Sacr. Congregat. Episcop. *in Neapolitana* 13. *Aprilis* 1602. *in Messanensi* 4. *Maji* 1604. & iterum *in Neapolitana* 1. *Julii* 1622.

323 *Contra ut fiat secundum*, & Reus remittatur, seu consignetur Curiæ Sæculari, requiritur, ut Episcopus cognoscat, quòd delictum sit exceptum, per probationem concludentem, nec sufficit, si præsumptionibus & conjecturis probabilis fiat. Ita Ambrosin. *de Immunit. cap.* 11. *num.* 4. Mar. Ital. *de Immunit. cap.* 6. §. 1. *num.* 80. *& seqq.* Bonacin. *Dist.* 3. *quæst.* 7. *p.* 7. *num.* 8. Pal. *tract.* 11. *Dist. un. part.* 13. *num.* 8. Jordan. *lib.* 11. *tit.* 3. *num.* 301. Delben. *cap.* 16. *dub.* 42. *num.* 1. *& seqq.* Dian. *p.* 3. *tract.* 1. *resol.* 38. *& p.* 4. *tract.* 1. *resol.* 112. Sperell. *dec.* 101. *num.* 17. Barbosa *l.* 2. *Jur. Eccl. cap.* 3. *num.* 168. Guazzin. *reor. defens.* 1. *cap.* 31. *num.* 9. Pignatell. *tom.* 2. *consult.* 37. *num.* 1. *& seqq.* Haun. *tom.* 6. *de J. & J. tr.* 1. *n.* 268. Matthæucc. *Offic. Eccl. cap.* 24. *num.* 3. Præposit. Frinsing. *tom.* 1. *cons.* 21. *num.* 4. & teste Pignatell. *lib. cit.* censuit S. Congr. *in Cremon.* 24. *Febr.* 1612. *&* 27. *Jul.* 1618. præcipuè verò *in Laudens.* 7. *Nov.* 1651. Ex quo sequitur, quòd ubi dubium fuerit inter DD. an delictum gaudear Immunitate, Judex Ecclesiasticus debeat judicare pro Reo, ut gaudeat. Farin. *Append. c.* 8. *n.* 113. *fin.* Marant. *p.* 2. *respons.* 36. *n.* 11. *& respons.* 51. *num.* 12. Giurba *cons.* 10. *n.* 25. *fin.* Sperell. *decis.* 60. *n.* 13. Delben. *c.* 16. *dub.* 46. *n.* 1.

324 *Ratio est* 1. quia Ecclesia habet jus tutandi omnes delinquentes ad se fugientes nisi in casibus exceptis, ipsique delinquentes habent jus, ne ultra illos casus extrahantur: ergo dum Prælato Ecclesiastico non constat casum esse exceptum, injustè Ecclesiam, & delinquentem jure suo privat. at per præsumptiones, & conjecturas non sufficienter constat; quia hæ non vincunt præsumptionem ortam ex possessione Immunitatis, & jure fundato, quippe ad quam vincendam, ut Baldus *in lib. Judices* 2. *n.* 2. *C. de Judic.* habet, requiritur plena probatio: ergo &c. 2. Præsumptio stat in favorem delinquentis; nam pro eo stat præsumptio, pro quo stat possessio, & qui pro se habet regulam, dicitur etiam pro se habere Juris præsumptionem *l. ab ea parte* 5. *ff. de probat.* ergo præsumptionibus contra Reum agi non potest, 3. Pontifex requirit, ut verè constet de delicto excepto: sed quod per conjecturas solùm, & præsumptiones cognoscitur, illud non dicitur cognosci verè, sed præsumi, & putari; illa enim dicuntur sciri, aut verè constare, quæ propriis oculis inspicimus, vel aliàs indubitanter novimus.

Quæritur 10. an casu, quo constat ex Processu facto à Judice Sæculari, an crimen sit exceptum, vel non, Judex Ecclesiasticus stare debeat Processu isto in hujus causæ cognitione? Resp. non obligari. Ita contra Giurb. *cons.* 50. *n.* 2. *& cons.* 100. melius docent Clar. §. *fin. quæst.* 30. *vers. ultimò quæro.* Ambrosin. *de Immunit. cap.* 11. *num.* 3. Farin. *Append. can.* 22. *num.* 373. Jordan. *l.* 11. *tit.* 3. *numer.* 298. Bonacin. *D.* 3. *quæst.* 7. *p.* 7. *numer.* 9. Pal. *tract.* 11. *D. un. p.* 13. *numer.* 9. Guazzin. *reor. defens.* 1. *cap.* 31. *num.* 7. Delben. *cap.* 16. *dub.* 43. *sect.* 1. *num.* 1. *& seqq.* Pignatell. *tom.* 1. *consult.* 128. *num.* 7. Præposit. Frising. *tom.* 1. *cons.* 22. *num.* 2. *&* alii ab his *citt.* Nituntur triplici ratione, 1. Quia acta instructoria unius Judicii in alio non probant, nisi inter easdem personas, & in iisdem causis, & ad eundem effectum fiant, hoc non fit in casu nostro; quia forum Sæculare respicit reum ut Sæculari Jurisdictioni subjectum, & ut taliter puniendum pro delicto; forum Ecclesiasticum autem respicit Immunitatem Ecclesiæ, quam defendere procurat: quæ sunt causæ, & personæ omnino diversæ; 2. Gregorius in *Bulla sua* dat Episcopo facultatem cognoscendi, an delictum exceptum sit; sed cui delegatur cognitio alicujus causæ, illi delegatur etiam potestas sumendi probationes convenientes tali cognitioni; ergo poterit suas probationes facere Episcopus in casu præsenti; neque tenebitur acquiescere probationibus factis à Judice Sæculari, 3. Probationes, quæ sine citatione partis fiunt, vim habere non possunt *c. in nomine* 2. *de test. & attest.* sed Sæcularis Judex cùm probationes facit de delicto Rei, non citat Ecclesiam, neque citare potest, utpote sibi non subjectam; ergo probationes illæ contra Ecclesiæ Immunitatem valere non possunt. 325

Dixi autem, *non obligari*. Hinc oritur novum dubium, an stare possit his probationibus, si velit, Judex Ecclesiasticus? Quo in dubio judico distinguendum cum Farin. *Append. cap.* 22. *num.* 375. Bonacin. *tom.* 3. *de Cens. D.* 2. *quæst.* 3. *part.* 11. §. 12. *numer.* 98. Jordan. *lib.* 11. *tit.* 3. *numer.* 300. Pal. *tractat.* 11. *D. un. part.* 13. *numer.* 9. Delben. *sect.* 1. *cit. numer.* 7. Et quidem si Processus formatus sit à Judice Sæculari, antequam Reus ad Ecclesiam confugerit, præmisso brevi testium examine, Judex Ecclesiasticus acquiescere poterit illi processui, & reum Judici sæculari remittere; quia tum nulla apparet suspicio falsitatis. At si processus formatus est, postquam reus confugit ad Ecclesiam, non immeritò suspicio haberi potest de sinceritate processus, cùm exhibeatur in causa propria ipsius Judicis Sæcularis, contendentis de Jurisdictione sua. Imò, ut ex *Constit. Innoc.* §. *præterea* patet, talis processus, formatus à Judice Sæculari, est omnino irritus, & *nullius roboris, vel momenti.* 326

Quæritur 11. quomodo procedere in cognitione causæ Episcopus debeat? Resp. 1. citanda est Ecclesia, seu nomine illius Ecclesiæ Promotor Fiscalis, cui Jura Ecclesiæ defendere competit; nam directè de ejus præjudicio agitur. Farin. *append. c.* 22. *num.* 376. Delben *c.* 16. *dub.* 44. *sect.* 1. *n.* 1. Haun. *tom.* 6. *de J. & J. tr.* 1. *n.* 271. 327

2 Audiendus etiam est Reus, ut contra *Remig. Gonny, Stephanum Gratianum, Giurbam, Novarium* probabiliùs docent Farin. *n.* 376. *cit.* Peregrin. *de Immunit. cap.* 3. *num.* 9. *& seqq.* Bonacina *D.* 3. *q.* 7. *part.* 7. *num.* 10. Diana *part.* 4. *tr.* 1. *resol.* 112. Delben *sect. cit. num.* 2. quia cùm judicialiter tunc agat Episcopus, Juris formam servare debet; ad hanc autem requiritur citatio Rei: ergo &c. *Neque obstat*, quòd primò, & principaliter privilegium Immunitatis concessum sit Ecclesiæ; nam etiam de delinquentis præjudicio directè agitur; at quoties de alicujus præjudicio directè agitur, ejusdem citatio ad illum condemnandum requiritur: ergo &c.

3 Concedendæ tum Ecclesiæ, tum delinquenti sunt Dilationes, quæ necessariæ ipsis fuerint ad defendenda Jura sua; hoc enim de Jure naturali est, neque per hoc tolli potest, quod judicio, & arbitrio Episcopi sit commissa probatio, Delben. *dub.* 45. *n.* 4. Haun. *loc. cit. n.* 272.

4 Ut contra Guazzin. *reor. defens.* 1. *cap.* 31. *n.* 19. probabilius docent Ciarlin. *Contr. for. cap.* 10. *n.* 150. Delben. *dub.* 44. *cit. sect.* 3. *n.* 1. testes examinati in Processu informativo, postea citato, & audito Fisco Ecclesiastico, & ipso Reo, sunt repetendi, nisi forsan habeantur pro repetitis; quia repetitio testium multùm Ecclesiæ, & Reo cum rei veritate prodesse potest, cùm testes repetiti sæpe dictis suis quid addant, vel minuant, vel alio modo se declarent, ut quod priùs Ecclesiæ, & Reo erat noxium, incipiat esse utile, & proficuum.

5 Facto processu, publicatio fieri ejusdem debet, ne delinqueneti, & Ecclesiæ tollatur defensio, & potestas allegandi in sui Juris favorem, siquid habeant. Delb. *dub.* 45. *n.* 6.

329 Libellus, & Litis contestatio hoc casu non est necessaria; quia non agitur in pœnam delicti, sed ad illius qualitatis cognitionem, & quidem ex officio, nullo interveniente accusatore, & arbitrio Episcopi decisio causæ commissa est, ipsaque causa summariè, & extra Juris ordinem tractari potest: in quibus omnibus non requiritur Libellus, & litis contestatio.

330 Quæritur 12. an si aliquando Episcopus sententiam tulerit, admittatur ab hac Appellatio? Non conveniunt DD. nam Peregr. *de Immunit. c.* 16. *num.* 33. Ciarlin. *cap.* 10. *num.* 155. Sperell. *decis.* 65. *per totam* Barbosa *lib.* 2. *Jur. Eccles. c.* 3. *num.* 169. contendunt lata sententia super remissione confugæ sive ad Curiam Sæcularem, sive ad Ecclesiam, nec reo, nec Fisco Sæculari licitum esse appellare, sed sententiam super hoc emanatam executioni mandandam, non attenta appellatione, etiam quoad effectum devolutivum, ob *Constitut. Gregor.* verba, *Quacunque Appellatione postposita.*

331 Contrà alii cum Bonacina *part.* 7. *num.* 11. distinguunt: & casu quidem, quo sententia lata est in favorem fori Sæcularis, negant Appellationem admitti, cùm eandem Gregorius in *citt.* Bullæ verbis expressè excluserit. *Excipit* Delben. *dub.* 42. *sect.* 3. *numer.* 1. quando notoriè, vel satis fundatè de latæ sententiæ injustitia constat; quia clausula illa, *Appellatione remota*, non prohibet Appellationem à sententia notoriè injusta.

332 At si lata Sententia sit in favorem Rei, existimant Appellationem competere; quia hæc semper conceditur ipso naturæ Jure, quando aliud non exprimitur in Jure positivo; atqui *Const. Greg.* solùm exprimitur casus primus, non verò hic secundus: ergo &c. Neque in hac quæstione licet argumentum à primo casu ducere ad secundum; quia ratio; ob quam Pontifex fuit motus ad negandam Reo appellationem, fuit, quod aliàs iste semper appellaret, ut Laicam potestatem eluderet, quæ præsumptio non est contra partem, Reo contrariam, seu Fiscum.

§. VIII.

De Pœnis violantium Immunitatem Localem.

SUMMARIUM.

333 *Extrahentes reum ex Asylo committunt culpam Sacrilegii, & injustitiæ.*
334 *Jure Civili incurrunt pœnam capitalem.*
335 *Jure Canonico imponitur ipsis pœna pecuniaria, & publica pœnitentia.*
336 *Et incidunt in Excommunicationem.*
337 *Quæ antiquo Jure erat ferendæ sententiæ.*
338 *Et secundùm aliquos etiam Jure novo.*
339 *Quod tamen communius DD. negant.*
340 *Hanc incurrunt Ministri Curiæ Sæcularis reum extrahentes.*
341 *Judex mandans extractionem, vel extractum non restituens.*
342 *Quod extenditur etiam ad privatas personas.*
343 *Et ad eos, qui de mandato Judicis Laici reum in Asylo occidunt.*
344 *Ratam habens extractionem, liber ab Excommunicatione est.*
345 *Sufficit autem ad eam incurrendam attentatio, etsi effectus non sit secutus.*
346 *In foro conscientiæ saltem ab ea excusat ignorantia.*
347 *Probabile est evitare Censuram illum, qui post extractionem statim, ac requisitus est, extractum restituit.*
348 *Quis absolvere ab Excommunicatione hac possit; Argumenta sententiæ docentis esse reservatam Summo Pontifici.*
349 *Argumenta eorum, qui asserunt ab ea absolvere posse quemvis Ordinarium.*
350 *Responsio ad Argumenta prioris Sententiæ.*
351 *Decisio Quæstionis.*

Quæritur 1. quam culpam committant, qui reum invitum, extra casus Jure, vel consuetudine exceptos, per vim è loco Sacro, aut Ecclesia extrahunt? 333
Resp. Committunt gravissimam culpam Sacrilegii, & injustitiæ: *Sacrilegii* quidem; quia in re gravissima faciunt contra Sanctitatem Ecclesiæ, vel loci Sacri, illique injuriam inferunt atrocissimam *can. frater* 10. *caus.* 17. *q.* 4. ibi, *Qui ad injuriam SS. Locorum prosiluisse probantur*; continet enim hæc extractio gravem vilipensionem Religiositatis, quæ Ecclesiis, & locis Sacris debetur. *Injustitiæ autem*; quia violant jus Ecclesiæ quod ipsa ad Reum defendendum habet, & Rei, quo petere potest, ut in Asylo retineatur. Jordan. *l.* 11. *tit.* 3. *n.* 273. & 274. Pirh. *hic n.* 51. cum aliis. *Neque obstat*, quòd Canones solùm dicant, eum, qui hoc facit, committere peccatum Sacrilegii, agunt enim de hoc peccato, ut benè *l. cit.* advertit *Pirhing*, quatenus illud ipsis Canonibus contrarium est: ex eo tamen non sequitur, quòd exclusam velint aliam malitiam injustitiæ, si ad priorem consequatur.

Quæritur 2. quam pœnam incurrat, qui reum indebitè extrahit è loco Sacro? Resp. Jure Civili incurrit pœnam capitalem, & ultimo supplicio afficiendus est *l. fideli* 2. & *l. præsenti* 6. *pr. C. de his, qui ad Eccl. confug.* quia reputatur crimen istud crimen læsæ Majestatis; nam si læsæ Majestatis crimen committit is, qui Majestatem terrenam offendit, multo fortiùs, qui offendit cœlestem. Suarez *l.* 3. *c.* 13. *n.* 7. Farin. *Append. c.* 20. *n.* 309. Ambrosin. *de Immunit. c.* 15. *n.* 5. Barbosa *l.* 2. *Jur. Eccl. c.* 3. *num.* 160. Delben. *de Immunit. c.* 16. *dub.* 35. *sect.* 1. *n.* 3. Canis. *in c.* 1. *h. tit. n.* 25. Gonz. *in c.* 6. *eod. n.* 14. Haun. *tom.* 6. *de J. & J. tr.* 1. *n.* 258. Zoes. *hic n.* 56. Pirh. *n.* 52. Scamb. *num.* 56. Verùm hæc pœna, ut *Suar. Pal. Delben. Pirh. &c.* advertunt, non videtur esse usu recepta: & ratio esse potest; quia tam in puniendo; quàm in judicando hoc crimen non Juri Civili, sed Canonico standum est. 334

2. Jure Canonico propter hoc delictum imponitur pœna pecuniaria, & publica Pœnitentia *can. siquis contumax* 20. & *can. seq. in fin. caus.* 17. *q.* 4. Pœna pecuniaria, ut Host. *sum. h. tit. n.* 14. Ambrosin *c.* 15. *cit. n.* 1. & 2. Farin. *n.* 317. Barbosa *n.* 161. & *seqq.* Delben. *n.* 6. Gonz. *n.* 14. Engl. *hic num.* 21. Pirhing Scambog. *l. cit.* advertunt, aliquando esse 30. librarum argenti examinati, aliquando 900. solidorum: Sed Judex eam potest pro arbitrio suo, spectata delicti qualitate, & conditione delinquentis, imminuere. Sunt quidem nonnulli DD. qui cum Clar. §. *fin. q.* 68. *pr.* & Decian. *tr. crim. l.* 6. *c.* 28. *n.* 4. volunt, pœnam hanc pecuniariam antiquatam esse. Sed contrarium constat ex Trid. *sess.* 25. *c.* 20. & *Bull. Greg. sæpius cit.* ubi omnes pœnæ, antiquis Canonibus latæ adversùs Immunitatis violatores, innovantur. Ratio congrua hujus pœnæ potest esse; quia sic efficaciùs satisfit Ecclesiæ pro injuria ipsi illata, si in ejus usum pecunia applicetur, quemadmodum etiam de jure est applicanda. 335

3. Denique sic extrahentes incurrunt pœnam excommunicationis majoris, à qua absolvi non possunt, nisi extractum restituant *can. sicut antiquitus* 6. *can. miror.* 2. *can. frater* 10. *can. definivit* 35. &c. *caus.* 17. *quæst.* 4. & præsertim *Constit. Gregor. citat.* De ista ulteriùs. 336

Quæritur 3. utrum Censura ista sit ferendæ sententiæ, an verò latæ, conf. facto ipso incurrenda? Olim ferendæ solùm sententiæ fuisse secundùm Canones *citt.* docent Sylv. *V. Immun.* 3. *q.* 8. Zerola *prax. V. Immun. v.* 24. Suar. *tr.* 2. *de Relig. l.* 3. *c.* 13. *n.* 7. Farin. *Append. c.* 22. *n.* 312. 337

An etiam hoc dicendum sit Jure moderno, controversia est inter DD. Affirmant Socin. *in cap. nuper* 29. *de sent. Excomm. n.* 5. & alii apud Farin. *loc. cit.* quia *Constitutione Gregoriana* antiqui juris pœnæ, quæ omnes per sententiam infligendæ erant, renovatæ sunt, sine mutatione Juris quoad modum, quo contrahuntur. 338

Sed dicendum, esse latæ sententiæ. Ita Farin. *loc. cit. n.* 313. 339

num. 313. Lezan. *V. Immunitas num.* 12. Mar. Ital. *de Immun. lib.* 1. *cap.* 6. §. 2. *num.* 29. Jordan. *lib.* 11. *tit.* 3. *num.* 281. Diana *p.* 6. *tract.* 1. *ref.* 34. Barbosa *l.* 2. *Jur. Eccl. c.* 3. *num.* 166. Pal. *tr.* 11. *D. un. p.* 12. *num.* 3. Delben. *c.* 16. *de Immunit. dub.* 35. *sect.* 1. *n.* 10. Haun. *tom.* 6. *tr.* 1. *n.* 256. Illsung. *tr.* 5. *Dist.* 2. *n.* 255. Matthæucc. *Offic. Eccles. cap.* 24. *num.* 22. Vviestner *hic n.* 179. sicque declaratum est à *Clem. VIII. Paulo V. & Sac. Congreg.* Constat apertè ex *Bull. Gregor. cit.* ibi, *Declaramus*, *eum ipso facto Censuras*, *& pœnas easdem incurrere*: quæ verba, si hodiedum requireretur Sententia condemnatoria ad incurrendam Censuram istam, planè otiosa forent; quia expressa plus non operaretur, quàm omissa.

340 Quæritur 4. quinam sint, ad quos extendi debeat Excommunicatio ista? Resp. extendi debet ad omnes, qui extrahunt, vel extrahi faciunt reum, non observata forma *Bullæ Gregor. XIV.* atque adeo eam excommunicationem incurrunt.

1. Ministri Curiæ Sæcularis, si extrahant reum absque licentia Episcopi, vel cum licentia quidem Episcopi, sed absque interventu personæ Ecclesiasticæ; quia in utroque casu non servatur forma præscripta in *Bull. Greg.* Et hoc verum est 1. etiamsi confuga notoriè commiserit crimen exceptum; quia in *Bulla citat.* absolutè & indistinctè prohibet Pontifex reum extrahi absque licentia Episcopi. Delben. *dub.* 35. *sect.* 1. *num.* 13. *& seqq.* 2. procedit, si in casu, quo notorium est crimen esse exceptum, & Episcopus renuit eum extrahere, ipsi eundem extrahant cum magno scandalo, quem alioquin sine magno scandalo extrahere potuissent; quia similiter in hoc casu non servatur forma præscripta *in Bulla* Delben. *n.* 16. 3. procedit, si Episcopo renuente extraditionem, in crimine excepto eundem extrahant, & reponant in carceribus sæcularibus; quia juxta præscriptum *Bullæ* reponi deberet in carcere Juris Ecclesiastici, donec examinetur, an reus Asylo gaudeat, vel non. Delb. *n.* 17. Item si in carcere Juris Ecclesiastici positum, extrahant, indecisa causa super dubio Immunitatis, vel decisa quidem, sed sine authoritate Episcopi, quæ vi *Bullæ Gregor.* requiritur. Delben *n.* 20. *&* 21.

341 2. In eandem Censuram incidit Judex, qui extractionem mandat, vel à privatis Personis, etiam ipso inscio, extractum, in carcerem conjicit, vel non restituit: tenetur enim illum restituere, & si non restituat, satisfacere pro damnis inde consecutis. Farinac. *Append. cap.* 20. *n.* 324. Delben. *n.* 24. *&* 25. & apud hos alii. Ratio est, quia qui legitimè ab Ecclesia extractus non est, adhuc revera gaudet Immunitate, atqui is, qui Immunitate Asyli gaudet, sine Censura carcere attineri non potest: ergo &c. Imò sub eadem Censura prohibentur etiam Judices Laici confugam in Ecclesia, vel loco Sacro perquirere; tum quia hoc est actus affectatæ Jurisdictionis in loco Sacro; tum quia perquirendi munus spectat ad Oeconomum Ecclesiæ, non ad laicalem Jurisdictionem *l. præsenti* 6. *fin. Cod. de his*, *qui ad Eccles.* ibi, *Confugientium personas*, *causasque incessanter conquirant &c.* Farinac. *l. cit. num.* 327.

342 3. Eadem Censura afficiuntur quælibet aliæ personæ privatæ, ut consanguinei, vel amici ipsius occisi, si reum aliquem ab Ecclesia extrahant, vel ad id aliquo modo juvent, ut colligitur ex *can. reum* 9. *can. definivit* 35. *caus.* 17. *q.* 4. & docent Suar. *l.* 3. *c.* 13. *n.* 17. Peregrin. *de Immunit. c.* 14. *n.* 10. Mar. Ital. *l.* 1. *c.* 6. §. 2. *n.* 38. *&* 39. Genuens. *prax. c.* 26. *n.* 7. Farin. *Append. c.* 20. *n.* 324. Delben. *dub.* 35. *sect.* 1. *num.* 24. Jordan. *l.* 11. *tit.* 3. *n.* 285. Ratio est, quia *Bulla* generaliter loquitur de facientibus aliquid contra, vel præter formam in ea præscriptam. Et locum habet Censura ista, etiamsi extractio fiat ad bonum finem, puta, ad finem componendi pacem, & evitandi scandala, cùm *Constitutio cit.* eam prohibeat pro quavis causa. Farin. *n.* 325.

343 4. Et multo magis Excommunicationem istam incurrunt, qui de mandato Judicis Laici occiderent in Ecclesia reum. Jordan. *n.* 284. Delben. *dub.* 37. *sect.* 1. *n.* 1. *& seqq.* Haun. *n.* 260. nam etsi Lex de hoc expressè non meminerit, ratio tamen Legis, quæ anima Legis est, clarè hos comprehendi; mens enim Pontificis dantis Immunitatem fuit, ut caveret reverentiæ Ecclesiarum: atqui magis violatur Ecclesia per occisionem, quàm per extractionem confugæ: ergo &c. Accedit, quia si occidentes in loco Sacro non incurrerent Excommunicationem, Judices ad hanc vitandam reos non extrahi, sed occidi mandarent in Ecclesia, & sic finem suum Lex lata non obtineret. *Neque obstat*, quòd Lex sit pœnalis; & Lex pœnalis ultra casus expressos extendi non debeat; quia non tantùm pœnalis est, sed privilegium Ecclesiæ datum continet, atqui privilegia Ecclesiis data sunt amplæ interpretationis. ergo &c.

Contrà Excommunicationem hanc non incurrit, 344 qui solùm ratam habet extractionem Rei; quia cùm ratihabitio sit posterior facto, is, qui ratam illam haber, non dicitur attentare, sed approbare factum: & hinc ut Excommunicatio *can. si quis suadente* comprehenderet eum, qui ratam habet percussionem Clerici suo nomine factam, explicuit Legislator. Delben. *sect.* 2. *n.* 7. Similiter ab Excommunicatione hac liberi sunt, qui extrahunt res ex Ecclesiis, & locis Sacris. Fagn. *in cap. inter alia* 6. *h. tit. n.* 102. quia *Constitutio Gregoriana* solùm loquitur de extrahentibus personas, ideoque pœna hæc non debet extendi ad extrahentes res.

Quæritur 5. quid requiratur, ut Excommunicatio 345 hæc incurratur ab extrahentibus, vel extrahere attentantibus? Resp. 1. etsi ad eam incurrendam non requiratur, ut extractio reipsa in effectum data sit, sed sufficiat attentatio, ut notant Gloss. *in l. fideli* 2. *V. tentaverit C. de his*, *qui ad Eccl.* Decian. *tr. crim. l.* 6. *cap.* 27. *num.* 5. Ambrosin. *de Immunit. cap.* 15. *num.* 6. Farin. *Append. cap.* 20. *num.* 322. Pal. *tr.* 11. *D. un. p.* 12. *num.* 5. Jordan. *l.* 11. *tit.* 3. *num.* 283. *&* 289. Delben. *dub.* 36. *num.* 1. Haun. *tom.* 6. *de J. & J. tr.* 1. *num.* 259. Vviestner *hic num.* 180. quod etiam colligitur ex *Constit. Gregor.* ibi, *Quidquam præter*, *aut contra tenorem hujus Constitutionis attentare præsumpserit*; necesse tamen est, attentatio hæc in opus externum, & actum consummationi proximum digressa sit: & talis Palao, & Delbene testibus censetur, si dedisti mandatum extrahendi, & mandatarius acceptavit; si Ecclesiam clausam tentasti aperire, ut inde reum extraheres, etiamsi ob resistentiam non potueris &c.

2. Requiritur pro foro saltem conscientiæ, ut ex- 346 trahens, vel extrahere tentans habeat veram scientiam, & verè sciat se per hujusmodi extractionem, vel attentationem incursurum Censuram: & hinc in eodem foro, ut Delben. *loc. cit. num.* 3. & alii apud ipsum docent, à Censura ista excusat ignorantia etiam culpabilis, & crassa, ac affectata; quia in *Bulla* Pontifex utitur verbo *Præsumpserit*, quòd scientiam veram indicat. Dixi *in foro saltem conscientiæ*; nam in foro externo excusatio hæc difficulter admittetur, ut cum Farin. notat Delben. *num.* 4. quia cùm constet *Bullam* prædictam publicatam esse, & Pontificem simul intendisse quemlibet obligare, acsi personaliter intimata eidem fuisset, sequitur præsumptionem esse pro Lege; & ignorantiam ejus in foro externo allegari vix posse.

3. Non improbabile est, quod docet Delben. *num.* 5. 347 Excommunicationem non incurri eo ipso, quòd extractio attentetur, vel etiam actu perfecta sit, sed solùm si qui extraxerunt, vel extrahere attentarunt, Ecclesiæ non satisfaciant, & reum non restituant; quia ut cum eodem Delbene advertit Suar. *l.* 3. *cap.* 13. *num.* 7. *circa fin.* Excommunicatio hæc, licèt, ut *n.* 339. dictum est, ipso facto incurratur, non tamen lata est pro tali delicto commisso, nisi quatenus pendet in futurum, cùm tractum habeat successivum, quoad emendationem. Et hinc si sic extrahentes, statim, vel saltem mox, ut requisiti sunt, restituant, & Ecclesiæ satisfaciant, juxta eundem Delbene evitabunt Censuram.

Quæritur 6. quis absolvere ab Excommunicatione 348 hac possit? Absolutionem hoc casu ab Excommunicatione reservatam esse summo Pontifici, contendunt Farinac. *Append. cap.* 20. *num.* 315. Graff. *Conf. un. de Immunit.* Quarant. *Summ. Bullar. V. casus reservati fol.* 203. Mar. Ital. *cap.* 6. *cit.* §. 2. *num.* 3. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 15. *cap.* 6. *num.* 155. Thesaur. *prax. V. Immunitas cap.* 1. Jordan. *l.* 11. *tit.* 3. *num.* 282. Barbos. *l.* 2. *Jur. Eccles. cap.* 3. *num.* 167. Dian. *part.* 6. *tract.* 1. *resol.* 34. Matthæucc. *Offic. Eccles. cap.* 24. *numer.* 22. Fundantur 1. *Extravag.* 3. *int. commun. de pœnit. & remiss.* ubi Paulus II. inter casus Sedi Apostolicæ reservatos apponit offensam Ecclesiasticæ libertati factam. 2. Clemens VIII. in Decreto suo, quod deinde innovavit Paulus V. prohibuit quibuscumque Confessariis absolutionem à violatione Immunitatis Ecclesiasticæ in terminis Constitutionis Gregorianæ. 3. Gregorius in sæpius *cit. Bulla* adversus Violatores Immunitatis decernit pœnas, quæ in Bulla Cœnæ latæ sunt contra violatores libertatis Ecclesiasticæ, sed ad-

versus istos in Bulla Cœnæ lata est Excommunicatio reservata. ergo &c.

349 *Altera sententia* vult Excommunicationis istius absolutionem competere locorum Ordinariis, seu Episcopis, & de horum licentia cuilibet alteri Confessario. Ita Genuens. *prax. cap.* 22. *à numer.* 3. Riccius *prax. part.* 2. *resolut.* 333. *numer.* 2. Nald. *V. Casus reservatus numer.* 1. Gratian. *Discept. forens. cap.* 414. *numer.* 14. Bonacin. *D.* 3. *quæst.* 7. *part.* 6. *num.* 8. Curtell. *de Immunit. l.* 1. *quæst.* 41. Pal. *tract.* 11. *D. un. part.* 12. *numer.* 2. Zypæus *Analys. hoc tit. num.* 13. Delben. *aub.* 38. *sect.* 1. *num.* 1. Gonzal. *in cap.* 6. *h. tit. num.* 14. *fin.* Haun. *tom.* 6. *de Just. & Jur. tract.* 1. *num.* 262. & alii apud istos. *Ratio est*, quia Episcopis regulariter competit potestas absolvendi ab Excommunicatione Jure lata & non reservata juxta *cap. nuper vers. in secundo de sentent. Excommun.* ubi ratio redditur, *quia Conditor Canonis, eo ipso, quòd ejus absolutionem sibi specialiter non retinuit, concessisse videtur facultatem aliis relaxandi*; atqui Excommunicatio, Asyli Sacri violatione contracta, non legitur reservata vel à Gregorio, vel à Successoribus ejus. ergo ab Episcopo, hujus Vicario, & aliis de horum licentia relaxari poterit.

350 Ad Argumenta *primæ sententiæ* respondent isti DD. commodè. *Ad* 1. dicunt casum nostrum in *capitul. citat.* non contineri: nam sub Ecclesiastica libertate in rigore Immunitas non continetur; Immunitas enim ad Loca Sacra, Libertas Ecclesiastica ad personas refertur. *Ad* 2. in Bulla illa Pontifex non adimit Episcopis potestatem absolvendi, sed solùm Confessariis aliis privilegia sua restringit, ne illorum virtute absolvere possit à Casibus reservatis Summo Pontifici, & Ordinario. *Ad* 3. etsi pœna sit eadem, non tamen inde fit, ejusmodi Censuras etiam qualitatem reservationis sibi annexam habere, quæ in Bulla Cœnæ habetur; nam, ut bene Pal. *l. cit. n.* 7. Delben. *num.* 7. Vviestner *hic n.* 183. advertunt, Reservatio non censetur facta, nisi exprimatur.

351 His perpensis, judico utramque Sententiam esse probabilem, addo tamen cum P. Vviestner *l. citt. num.* 185. priorem in praxi tutiorem esse. 1. quia pro ipsa stat Declaratio Card. Trid. Interpp. apud Barbos. *l. cit.* 2. Curiæ Romanæ praxis, & Stylus Pœnitentiariæ. 3. Responsum ipsius S. Congr. Immunit. 1632. redditum Vicario Generali Capuano, & relatum à Delben. *sect.* 2. *numer.* 12. Quæ omnia confirmantur per *Constit. Innoc.* §. *quotiescunque*, ubi Excommunicatio, quæ vi ejusdem *Constitut.* incurritur ab iis, qui, postquam Extractus, & Judici Sæculari consignatus, indicia, contra ipsum acquisita in suis defensionibus purgaverit, ac diluerit, eundem contra fidem à se datam non restituunt, Pontifici expressè reservatur. Juvat ad meliorem notitiam eorum, quæ in hac nova Constitutione decreta sunt, illam ex integro hìc annectere.

Benedictus Episcopus Servus Servorum DEI ad perpetuam rei memoriam.

Ex quo, Divina disponente Clementia, ad supremum universi Christiani populi regimen assumpti fuimus, considerantes debitum, quo obstringebamur, Ecclesiarum, Sacrorumque Locorum Immunitatem fartam tectam, inviolatamque ubique custodiendi inter graviores suscepti Apostolici Ministerii curas meritò recenseri, diu, multumque rationes, ac media Nobiscum expendere non omisimus, quibus ipsa Immunitas in omnibus Orbis Catholici Regionibus ita observaretur, quemadmodum prisca illa Majorum Nostrorum disciplina, & vetus Canonicarum sanctionum norma præscripsit. Dum hæc sollicito animo revolveremus, in oculos primùm incurrit celebris illa Constitutio à fel. rec. Gregorio Papa XIV. Prædecessore Nostro edita, quæ incipit *Cùm aliàs*, qua quidem Constitutione idem Gregorius Prædecessor pro Pastorali Zelo suo hunc ipsum in scopum intendens, facultates, & Indulta à quibusdam Romanis Pontificibus, ac præsertim à S. Pio V. & Sixto etiam V. Prædecessoribus itidem Nostris, hunc suis, concessa aliquibus Principibus, eorumque Officialibus, & Magistratibus extrahendi, ac abducendi ab Ecclesiis, aliisque locis immunibus certorum criminum reos, & delinquentes, reformarit, moderatusque fuit; simul autem delictorum frequentia, unde publica tranquillitas maximè perturbatur, occurrere volens, ac impedire, quantum licebat, ne aliqua graviora à pravis hominibus patrarentur sub certa impunitatis spe, quam ex confugio ad loca immunia sibi parabant, nominatim expressit, & explicavit Crimina, & Casus, in quibus Laicos delinquentes Ecclesiastica Immunitate nequaquam gaudere voluit, & decrevit; ac insuper Judices constituit, qui in occurrentibus casibus, an delictum esset, necne in eadem Gregoriana Constitutione exceptum, cognoscere, & declarare deberent; certamque demum formam in extractione prædictorum delinquentium à Locis immunibus observandam mandavit, quemadmodum in dicta Constitutione anno Incarnationis Dominicæ 1591. non. Kalend. Jun. promulgata uberiùs continetur.

Quoniam verò post editam hujusmodi Constitutionem ob varias Doctorum eam interpretantium sententias, & variam itidem Curiarum Ecclesiasticarum in illius extensione praxim, multiplices contentiones super vero, rectoque ejus sensu inter Ecclesiastica, & Sæcularia Tribunalia exortæ fuerunt; quamplures Romani Pontifices, ac præsertim piæ memor. Clemens IX. Clemens X. & Clemens XI. Prædecessores similiter Nostri de præfatis contentionibus dilucida Casuum exceptorum explicatione submovendis non semel, sicut accepimus, deliberarunt, facilioremque insuper eos probandi, & declarandi methodum, ut ejusdem Gregorii Prædecessoris mens pleniùs executioni demandaretur, Curiis Ecclesiasticis præscribere cogitabant; sed ab aliis abstracti curis, ac interim morte præventi, destinata perficere nequiverunt.

Hinc igitur est, quod Nos omnino expedire arbitrantes, ut ejusmodi controversiis finis aliquando imponatur, eorundem Prædecessorum pio, atque salubri proposito inhærentes, motu proprio, ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, hac Nostra perpetuò valitura Constitutione, in primis providam memorati Gregorii Prædecessoris Constitutionem cum omnibus, & singulis in ea contentis, atque dispositis amplissimè confirmamus, & approbamus, atque innovamus, & quatenus opus sit, criminum in illa exceptorum reis, & delinquentibus Immunitatem Ecclesiasticam suffragari nequaquam debere iterum, ac de novo decernimus, & declaramus. Præterea non absque gravi animi nostri dolore animadvertentes ob auctam, atque in dies invalescentem perversorum hominum malitiam sæpe, ac sæpius nonnulla alia Crimina perpetrari, quæ non minùs, quàm illa in Gregoriana Constitutione, ut præfertur, excepta, publicam quietem perturbant, proindead delinquentium audaciam, ac ejusmodi delictorum frequentiam, quantum fieri poterit, coercendam, pro Apostolici muneris Nostri debito ea, quæ inferiùs explicabuntur, statuenda censuimus.

Cùm itaque prædicta Gregoriana Constitutione cautum sit, ut publicis Latronibus, viarumque Grassatoribus, qui itinera frequentata, vel publicas stratas obsident, aut viatores ex insidiis aggrediuntur, Immunitas Ecclesiastica minimè suffragetur; non levis autem inter Doctores emerserit Controversia, an quis ex unico actu publicus Latro, & Grassator dici possit, vel plures ad id actus requirantur: Nos ejusmodi Controversiam dirimere intendentes, unicam tantùm Grassationem, in via publica, aut vicinali admissam, sufficere ad hoc, ut quis publicus Latro, & Grassator dici valeat, dummodo tamen grassati mors, aut membrorum mutilatio secuta fuerit, tenore præsentium definimus, & declaramus.

Insuper ab Ecclesiasticæ Immunitatis beneficio excludimus, atque repellimus, & pro exclusis, atque repulsis haberi volumus nedum eos, qui homicidia, aut mutilationes membrorum in Ecclesiis, earumque Cœmeteriis committere audent, quemadmodum in Gregoriana Constitutione sancitum est; verùm etiam eos, qui stantes in Ecclesia, vel Cœmeterio, interficiunt stantes extra Ecclesiam, vel Cœmeterium, aut ipsis membrum mutilant: Necnon eos, qui stantes extra Ecclesiam, aut Cœmeterium, occidunt stantes intra Ecclesiam, vel Cœmeterium, aut iis membrum mutilant: ac eos tandem, qui confugientibus vim inferunt, atque ipsos ab Ecclesia, aliove loco immuni violenter extrahunt, & abducunt: Declarantes, in quatuor præmissis casibus ejusmodi reos non illius tantum Ecclesiæ, quam violarunt, sed cujuscunque etiam alterius Ecclesiæ Immunitate gaudere nequaquam posse, aut debere.

Adhuc in Crimine Assassinii non modò Mandatarios, qui in ipsamet Gregoriana Constitutione apertè excipiuntur, sed etiam Mandantes, qui certum præmium, aut mercedem sive in pecunia, sive in aliis rebus

rebus tradiderint, aut promiserint, quamvis promissio nullum habuerit effectum, dummodo Assassinium re-ipsa patratum fuerit, ab Ecclesiasticæ Immunitatis beneficio excludimus, ac pro exclusis perpetuò haberi volumus, & mandamus.

Excludimus pariter, repellimus, atque privamus ejusdem Immunitatis privilegio Interficientes proximum suum animo præmeditato, ac deliberato: falsificantes Litteras Apostolicas: Ministros Montis Pietatis, vel alterius publici Telonii, aut Banci pro Depositis Principis, privatarumque personarum destinati, factum, aut falsitatem in prædictis locis committentum, tes, cujus ratione Arca pecuniaria ita minuatur, ut pœnæ ordinariæ locus sit: Conflantes, adulterantes, vel tondentes quascunque Monetas aureas, vel argenteas, etiam Principum exterorum, quotiescunque in loco, aut Provincia, ubi crimen admittitur, liberum habeant usum, & commercium: vel ipsas Monetas conflatas, adulteratas, aut detonsas scienter ita expendere, & erogare præsumentes, ut fraudis conscii, atque participes censeri possint: illos demum, qui sub nomine Curiæ sese introducunt in alienas domos animo ibidem perpetrandi rapinas, easque reipsa committunt cum homicidio, aut mutilatione membrorum alicujus ex domesticis earundem ædium, vel etiam extranei, quem ibi fortè reperiri contigerit, dummodo homicidium, vel membrorum mutilatio sequatur.

Cæterùm cùm diuturna experientia compertum fuerit Curias Ecclesiasticas in casibus, qui hactenus evenerunt, difficulter probare, ac consequenter declarare potuisse delictum, pro quo quis ad Ecclesiam confugerat, fuisse comprehensum in numero exceptorum propter variam earundem Curiarum praxim, & varias pariter opiniones Doctorum, qui antedicti Gregorii Prædecessoris mentem quoad normam ab eo præscriptam recipiendi probationes, & procedendi ad Declarationem criminum exceptorum, interpretari voluerunt: statuimus, præcipimus, & mandamus nullam in hoc de cætero haberi rationem cujuscumque interpretationis ejusdem Gregorianæ Constitutionis, quæ à quocunque Doctorum prodierit, neque Praxis à quibuslibet Curiis, aut Tribunalibus invectæ, imò nec quarumcunque declarationum, quæ ab hujus Almæ Urbis Nostræ Tribunalibus, sive etiam à Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Immunitati Ecclesiasticæ præpositorum emanaverint, quatenus præsenti nostræ Constitutioni adversentur; sed in occurrentibus casibus normam hìc à Nobis præscribendam inviolabiliter ab omnibus observari volumus, & sancimus.

Quotiescunque igitur Curia Ecclesiastica à Curia Sæculari fuerit requisita, ut Laicum aliquem delinquentem è loco immuni extrahi, ac illi consignari faciat, eaque super delicti excepti qualitate, ac personæ reitate subministrata, vel acquisita sint indicia, quæ ad capturam decernendam sufficere videantur; tunc Curia Ecclesiastica ad ejusdem delinquentis extractionem ab Ecclesia, aliisve locis immunibus, ope, ac medio suorum Executorum, implorato etiam, quatenus opus sit, brachii Sæcularis auxilio, & cum interventu Personæ Ecclesiasticæ, ab Episcopo deputandæ, procedere teneatur, extractumque ad suos Carceres asportari, ac ibi sub tuta custodia detineri curet, & faciat. Ubi verò ex Processu informativo desuper conficiendo constet de Crimine excepto, ac insuper adversus eundem Extractum talia resultent indicia, ut Crimen ab eo fuisse patratum moraliter credi possit (quæ quidem indicia juxta regulas Juris vocantur ultra torturam) eo tandem casu præfatum Extractum Ministris, & Officialibus Curiæ Sæcularis tradere, & consignare possit, debeat, exacta tamen, receptaque priùs ab ipsis obligatione in forma Juris valida restituendi Extractum Ecclesiæ, sub pœna Excommunicationis latæ sententiæ, Nobis, ac pro tempore existenti Romano Pontifici reservatæ, quatenus idem Extractus indicia, contra ipsum acquisita, in suis defensionibus purget, ac diluat. Quodsi ea minimè purgaverit, & verè delinquens repertus fuerit, Curiæ Seculari in ipsum tali casu, ut juris esse censuerit, agere, atque procedere liceat.

Præterea considerantes sæpedictum Gregorium Prædecessorem in sua Constitutione optimo quidem jure sanxisse, ut soli Episcopi, & non alii Episcopis inferiores, etiamsi locorum Ordinarii sint, aut nullius Diœcesis, aut Conservatores à Sede Apostolica specialiter, vel generaliter deputati, cognoscere, ac declarare valeant, an delicta, pro quibus Inquisiti ad loca immunia confugerunt, & in eis se receperunt, sint, necne de genere, ac numero exceptorum: Nos providam ejusmodi dispositionem approbantes, & confirmantes eique inhærentes, motu, scientia, ac potestatis plenitudine similibus, tenore præsentium quibuscumque Magistratibus, Officialibus, & Ministris Sæcularibus, necnon quibuscunque aliis personis cujuscunque gradus, & conditionis existant, etiam Imperiali, Regia, Ducali, aut alia quavis mundana Dignitate, aut authoritate præfulgeant, districtè interdicimus, ac inhibemus, ne hujusmodi causis vel conficiendo Processus, vel Inquisitos extrahendo à Locis immunibus, vel declarando Crimina ab eis admissa esse de exceptis in Gregoriana, aut in præsenti nostra Constitutione, ullo pacto sese ingerant, aut immisceant. Quodsi secus quidquam attentare præsumpserint, ex nunc omnia in contrarium præmissorum gerenda irrita, & inania, nulliusque roboris, vel momenti perpetuo fore, ipsosque attentantes in Censuras, & alias pœnas à SS. Canonibus, & constitutionibus Apostolicis adversùs eos, qui Jurisdictionem Ecclesiasticam quoquo modo lædunt, ac violant, inflictas incurrere decernimus, & declaramus: volentes, intendentes, ac expressè mandantes, quod omnimoda cognitio, atque judicium de Criminibus in Gregoriana Constitutione exceptis, & à Nobis superiùs explicatis, tum etiam de aliis, quæ in præsenti nostra Constitutione adjicienda, & similiter excipienda duximus, quemadmodum, ut præfertur, adjecimus, & excepimus, ad Episcopos tantùm, privativè quoad omnes alios, perpetuò spectet, atque spectare debeat; & donec ipsi in occurrentibus casibus declaraverint delictum esse de exceptis, & cætera omnia à Nobis superiùs constituta adimpleverint, Inquisitos Ecclesiæ, vel alterius loci Sacri, ad quem confugerunt, Immunitate gaudere tutò debere, ac in ea conservandos, & manutenendos esse statuimus, præcipimus, & mandamus.

Universos demum, & singulos Venerabiles Fratres Nostros Patriarchas, Primates, Archi-Episcopos, & Episcopos, quos hujus Nostræ Constitutionis Executores deputamus, in visceribus Domini Nostri JESU Christi hortamur, & paterna charitate admonemus, ut quanti momenti sit hoc negotium, seriò cogitantes, in occurrentibus casibus qualitatem testium, & probationum pondus summo studio, ac vigilantia scrutentur, omnemque fraudem, & dolum procul arceri satagant; quin etiam Sacerdotali pectore, quotiescunque opus fuerit, iis omnibus obsistant, qui ejusdem præsentis Constitutionis executionem, ac observantiam quomodocunque temerario ausu impedire præsumerent. In reliquis porro Casibus tam in hac nostra, quàm in Gregoriana Constitutione non exceptis memores, quàm acriter semper, & quàm eximia, ac prorsus singulari animi fortitudine Majores nostri pro Ecclesiastica Libertate, ac Immunitate pugnaverint, nihil de illa imminui permittant, neque Sacris Juribus labem ullam irrogari patiantur, sed ea pari sanè zelo, atque constantia tueri curent: ab omni tamen tumultu, ac perturbatione caventes, ne jactantiæ causa potiùs, quàm miserationis, & Justitiæ titulo, Ecclesiastica Privilegia asserere velle videantur.

Decernentes eadem præsentes Litteras, & in eis contenta quæcunque semper valida, firma, & efficacia existere, ac fore, suosque integros, atque plenarios effectus ubique sortiri, & obtinere, ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit quomodolibet in futurum, inviolabiliter, & inconcussè observari; sicque, non aliter in præmissis per quoscunque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuntios, aliosve quoslibet quavis præeminentia, & potestate fungentes, ac functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, ac authoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si quid secus super his à quoquam quavis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus quibuscunque Cancellariæ nostræ Apostolicæ Regulis, necnon quorumcunque Prædecessorum Nostrorum Litteris Apostolicis, Privilegiis, Indultis, & facultatibus, quibusvis Personis, etiam speciali mentione dignis, & quavis quantumcunque sublimi dignitate, & authoritate fulgentibus, & ex quibusvis etiam gravibus, ac urgentissimis causis, sub quibuscunque tenoribus, & formis, & cum quibusvis

busvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis Decretis, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter, ac aliàs quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio facienda; aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores, formas, & occasiones, ac alia etiam speciali expressione dignas præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, inserris, ac servatis respectivè habentes, hac vice dumtaxat, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expressè derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Ut autem præsentes Litteræ ad omnium notitiam faciliùs deveniant, & nemo illarum ignorantiam allegare valeat, volumus illas, seu earum exempla ad valvas Ecclesiæ Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum, necnon Cancellariæ Apostolicæ, Curiæque generalis in Monte Citatorio, ac in Acie Campi Floræ de Urbe, ut moris est, affigi, & publicari; sicque publicatas, & affixas omnes, & singulos, quos illæ concernunt, perinde arctare, & afficere, acsi unicuique eorum nominatim, & personaliter intimatæ fuissent: utque earum præsentium Litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus Personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in Judicio, quàm extra illud, ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum &c. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vigesimo quinto, sexto Idus Junii, Pontificatus Nostri anno secundo.

TITULUS L.

Ne Clerici, vel Monachi sæcularibus negotiis se immisceant.

SIcut in Ecclesiis, quia Domus DEI sunt, profani actus exerceri nequeunt, ita neque exerceri possunt à Personis Ecclesiasticis, quòd in sortem Domini vocatæ, curis longè sublimioribus occupentur: & ideo non deceat illas negotiis Sæcularibus implicari, juxta illud Apostoli: *Nemo militans DEO implicat se negotiis Sæcularibus.* 2. Timoth. 2. v. 4. Videndum igitur hoc Titulo, quænam negotia sint prohibita Clericis, & aliis Personis Ecclesiasticis.

§. I.

De Negotiatione prohibita Clericis, & aliis Personis Ecclesiasticis.

SUMMARIUM.

1 2 3 *Negotii triplex acceptio.*
4 *Duplex Acceptio Negotii Sæcularis.*
5 *Negotia Sæcularia Religiosis interdicta sunt.*
6 *Ratio prohibitionis.*
7 *Definitio Negotiationis.*
8 *Ejus prima divisio.*
9 *Divisio secunda in Oeconomicam, Politicam, & Lucrativam.*
10 *Oeconomica Clericis, & Religiosi est licita.*
11 *Si lucrum non intendatur.*
12 *Clericus successor Conductoris Laici potest continuare conductionem usque ad tempus præfinitum.*
13 *Politica Negotiatio Clericis, & Religiosis prohibita est.*
14 *Exceptio.*
15 *Lucrativa, qua res non mutata cariùs venditur, pariter non licet Ecclesiasticis.*
16 *Exceptio.*
17 *Fructus propriorum fundorum possunt Ecclesiastici vendere.*
18 *Non possunt vendere Res emptas, etiam arte, vel industria mutatas, si hoc fiat quæstus dumtaxat gratia.*
19 *Possunt, si eas emant ex alio honesto fine.*
20 *An possint Religiosi vendere Pharmaca, quæ ipsi sua industria, & arte conficiunt?*
21 *Defenditur affirmativa sententia.*
22 *Solvuntur Argumenta contraria.*
23 *Utrum Clerici, & Religiosi negotiationem sibi prohibitam exercere possint per alios?*
24 25 *An sic exercendo Negotiationem peccent?*
26 *Præsertim, si curæ partem sibi reservent?*
27 *An omnibus Clericis sit prohibita Negotiatio?*
28 *An etiam Clericis Minorum Ordinum non Beneficiatis?*
29 *Quibus Religiosis illa prohibita sit?*
30 *An etiam Novitiis?*
31 32 33 *Pœnæ Clericorum Negotiatorum.*
34 *An his pœnis afficiantur etiam Religiosi Negotiatores?*

QUæritur 1. quid sit *Negotium*? Resp. *Negotium*, 1
si vim vocis spectemus, quasi *Otii negatio*, apud peritos Juris, atque in ipso communi, vulgarique sermone ad varia trahitur; nam 1. significat occupationem, quæ non nisi cum labore, & molestia exerceatur: & in hoc sensu *negotium facessere*, & *molestiam creare* Synonyma sunt: contrà nullo negotio præstare aliquid dicitur, qui illud nullo labore, & absque molestia præstat: & in hoc sensu Cicero *ad Attic. l. 4. Cato*, inquit, *Siciliam nullo negotio tenere potuit;* & *l. 8. Jurabat*, ait, *ad summum, quòd nullo negotio faceret, amicissimum mihi Cæsarem esse debere.*

2 Accipitur Negotium pro Contractu, sive tracta- 2
tu ultro citroque habito, quem Græci Synallagma vocant, in quo sensu Negotium opponitur nudæ conventioni, prout ex *l. 5. ff. de præscript. verb.* ibi, *Conventio ista non est nuda, sed habet aliquid negotii.* Et hinc in Jure solemnis loquendi modus est, *Negotium contrahere* pro *contractum de aliqua re inire*, ut videre est *l. in negotiis 5. ff. de R. J.* ubi Paulus, *In negotiis contrahendis*, inquit, *alia causa habita est furiosorum, alia eorum, qui fari possunt, quamvis actum rei non intelligerent; nam furiosus nullum negotium contrahere potest, pupillus omnia tutore authore agere potest.*

3 Negotium sumitur pro ipsa quæstione, & con- 3
troversia, quæ de re aliqua movetur, aut pro ipsa re, de qua disceptatur. Hinc movere alicui negotium idem est, quod alicui litem intendere. Et in hoc sensu Cicero *l. 7. ad Attic. Video*, inquit, *mihi cum homine audacissimo, paratissimoque negotium esse.* Nec aliter JCti loquuntur, prout patet ex *l. eundem 16. ff. de Legation.* ubi Modestinus, *Ante legationem susceptam*, inquit, *sicubi negotium moveatur, etiam absens defendi debet;* & *l. Imperatores 36. ff. Jur. fisc.* ubi Macer, *Obtinendum est*, ait, *ut hi, quibus negotia fiscalia moventur, ad defensiones causæ, bona fide veniant.*

Quæritur 2. quotupliciter accipi possit *Negotium* 4
Sæculare? Respond. *Negotii Sæcularis* nomen, ut Abb. *in Rubr. hoc titul.* Fagnan. *in capit. Multa 1. eod. num. 18.* Pirhing. *hic in princ.* Scambog. *num. 2.* Reiffenstuel *numer. 2.* & alii passim advertunt, in duplici significatione sumitur, strictè, & largè. *In latiori sensu* Negotia Sæcularia appellantur omnia illa, quæ Sæculum, h. e. mundum, & carnem, sive carnalem concupiscentiam magis sapiunt, quàm Spiritum, sive dictamen rectæ rationis, quorum plura referuntur *cap. multa cit.* & pleraque etiam Laicis fugienda sunt.

2. *In sensu strictiori, & magis proprio* Negotii Sæ- 5
cularis nomine veniunt ea, quæ etsi secundùm se licita sint, Ecclesiasticis Personis tamen interdicuntur, quòd ad Reipublicæ statum Sæculare potiùs, quàm Ecclesiasticum spectent: & de hujusmodi negotiis procedit textus Apostoli: *Nemo militans Deo implicat se negotiis Sæcularibus;* & *l. placet 17. C. de Episc. & Cler.* ibi: *Nihil commune Clerici cum publicis actionibus, vel ad Curiam pertinentibus, cujus corpori non sunt annexi, habeant.*

Plura sub hoc nomine *Sæcularis Negotii* prohi- 6
bentur Clericis, & aliis Personis Ecclesiasticis, ut in decursu videbimus; præsertim verbum *Negotiatio*: idque jure meritissimo ex duplici capite. 1. quia aliena est à Statu Clericorum, & Religiosorum: nam vi sui Status specialiter obligantur ad conversationem cum Deo, & exhibendum ipsi Cultum, ac Mysteria Divina obeunda, à quibus mentem hominis hujusmodi Negotiationes mirum in modum distrahunt. 2.

quia suspicionem præbet avaritiæ, & obnoxia est periculis fraudum, injuriarum, perjuriorum &c. à quorum etiam specie abhorrere Clerici, & Religiosi debent, ita monente Apostolo, 1. *Thessalonic.* 5. *vers.* 21.

7 Quæritur 3. quid sit *Negotiatio*, & quæ ejus species? Resp. *Negotiationis* nomen à *Negotio* derivatur, & sæpiùs cum illo confunditur, fortè ideo, quia cùm plerumque ad lucrum ordinetur, maximam requirit sollicitudinem, & ideo valde onerosum negotium est. Gibalin. *de Negotiat. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 1. *art.* 1. *num.* 4. Aliquando sumitur valde generaliter, ita; ut si actiones, quæ sub nomine hoc comprehenduntur, considerentur, omnes homines, ut Author Imperfecti operis *in Matth. Homil.* 38. notat, dici negotiatores possint. Hinc idem *Author* Negotiatorem dicit solummodo illum, qui rem comparat, ut eam non mutatam, sed integram lucrandi causa vendat: quæ est strictissima Negotiationis acceptio. Nos hìc illam accipimus medio modo, prout idem cum commercio est, quod juxta *Ulpianum* est *emendi*, *vendendique jus invicem*.

8 *Divisio* Negotiationis, quæ huc spectat, maximè duplex est; nam 1. Negotiatio *alia* est rerum absolutè, sive dominii, & proprietatis rerum acquirendarum, vel transferendarum; *altera* non rerum absolutè, sed usus, & fruitionis ipsarum rerum. *Ad primam* spectant omnes Contractus propriè commutativi, ut permutationes, & venditiones propriè, & absolutè sumptæ, quarum majoris facilitatis gratia nummus, forma publica percussus, inventus est *l. origo* 1. *ff. de contrah. empt.* *Ad Secundam* spectant Contractus, quos à suo effectu Successivos vocat *Molina*, ad habendum usum, seu fruitionem rei alienæ, nullo modo commutatæ, vel alienatæ, vel non in totum, aut non perpetuò alienatæ, ex quibus oriuntur obligationes non momentaneæ tantùm, ut in priore specie, sed successivæ, ut contingit in Locationibus, Emphyteusibus &c. in quibus obligatio annua, semestralis &c. prout conventum est, ad pensionem, canonem &c. solvendum inducitur.

9 2 Dividitur Negotiatio in Oeconomicam, Politicam, & Lucrativam. *Prima* est, qua quis emit res ad sui, & familiæ suæ sustentationem necessarias, vel utiles, & superfluas eo pretio, quo tempore illo valent, divendit. *Secunda*, qua idem facit ad politiæ, sive Civitatis necessitates. *Tertia*, qua lucri capiendi causa res aliqua emitur, & cariùs venditur. Quod fieri duplici modo potest. *Uno*, cùm lucri, seu quæstus faciendi causa res v. g. vinum, frumentum, victualia, & merces aliæ emuntur, vel alio titulo oneroso comparantur, ut non mutatæ, nec in aliam formam redactæ vendantur cariùs; quæ Negotiatio etiam *Mercatura* appellatur: *Altero*, quando ex eadem lucri causa res emuntur, ut arte, vel industria, & labore in aliam formam mutatæ, aut meliores redditæ vendantur, ut cùm emitur ferrum, & inde fit gladius, cùm emitur lana, & ex hac conficitur pannus &c. estque negotiatio hæc opificum; & hinc *Artificium* dicitur ad prioris distinctionem. Molin. *tract.* 2. *D.* 339. *n.* 2.

10 Quæritur 4. quænam Negotiationis Species prohibeatur Religiosis, & Clericis? Circa hanc quæstionem juxta distinctionem *num. præced.* datam, varia formari dubia possunt.

Dub. 1. an Clericis, & Religiosis sit licita *Negotiatio Oeconomica*, qua emuntur res ad propriam, & familiæ sustentationem, & quæ ex his superflua sunt, pretio currente venduntur? Resp. esse licitam, quia per se non distrahit, nec impedit, quò minùs DEO, & Divinis vacare possint. Fagnan. *in cap. multa* 1. *h. tit. num.* 24. Gonzal. *in cap.* 6. *eod. num.* 6. *circa med.* Pignatell. *tom.* 2. *consult.* 34. *num.* 16. Emman. Correa *Idea Consiliarii D.* 6. *num.* 1832. Reiffenstuel *titul. de Vit. & Honest. num.* 131. Et hinc casu, quo Clericus aliquid pro se, vel suorum necessitate, aut utilitate emit, si uti illo ex quacunque causa non velit, vel non possit, aut post usum aliquid remanserit, sine metu incurrendi pœnas, Clericis negotiatoribus constitutas, vendere illud pretio etiam majori, si tale tunc currens sit, potest. Molin. *tractat.* 2. *de J. & J. D.* 342. *num.* 14. Laym. *l.* 3. *tract.* 9. *cap.* 17. §. 7. *num.* 37. Pal. *tract.* 12. *D. un. part.* 9. *num.* 16. Gibalin. *de Negotiat. tom.* 1. *lib.* 1. *c.* 3. *art.* 2. *n.* 9. *fin.* Vviestner *hic n.* 5. Gonzal. Pignatell. Correa *l. citt.* Ratio est, quia si hoc non liceret, Clerici, & Religiosi sæpe res suas perdere, aut abjicere magno suo damno deberent.

Proceditque hoc, etsi, quæ Clericus ita emit, & postea vendit, superflua non sint; sufficit enim, quòd ea emerit pro suo aut suorum usu, sine animo revendendi. Et hinc si postea animum istum mutet, & vel pretio rei, quod interea auctius factum est, illectus, vel ex alio accidente persuasus, cariùs eam vendat, sperans se alio tempore, vel loco empturum viliùs, per hoc Negotiator non constituitur. Sylv. *V. Excommunicatio* 9. *n.* 46. Gutier. *de Gabell. q.* 93. *n.* 23. Molin. *D.* 334. & 672. Bellet. *de Exempt. Cleric. c.* §. 4. *num.* 5. Suar. *de Censur. D.* 33. *sect.* 4. *n.* 21. Graff. *l.* 2. *c.* 120. *n.* 15. Pignatell. *tom.* 2. *consult.* 34. *n.* 20. & *tom.* 5. *consult.* 85. *n.* 32. Emman. Correa *D.* 6. *cit. n.* 1832. ex S. Th. 2. 2. *q.* 77. *art.* 4. *ad* 2. quia in hoc casu abest animus revendendi, qui in ipso emptionis initio adesse debet, & est veluti forma negotiationis illicitæ Ecclesiasticis, utpote in qua secundum communem loquendi modum, ut Correa *l. cit.* notat, attendi debet ad finem, quo quis movetur ad rem primò emendam, scilicet ut emptam cariùs vendat. 11

Unde etiam sequitur, quòd Clericus Successor ejus, qui agrum alienum non negotiandi animo, sed ad se, & familiam suam sustentandam conduxerat, continuare usque ad tempus præfinitum conductionem possit sine periculo incurrendi pœnas negotiationis prohibitæ, etiamsi non habeat eandem necessitatem sustentationis, sed causa dilationis hanc prosequatur. Ratio est, quia in casu hoc animus revendendi in principio emptionis non adfuit. Accedit, quia, ut Correa *n.* 1835. advertit, ad mercaturam requiritur, ut idem sit, qui emit animo vendendi. Clericus autem in casu dato non fecit conductionem, sed à testatore, qui illam licitè fecit, factam adimplet ex vi Testamenti, & tanquam onus hæreditatis, quam propter hoc recusare non tenetur. Bonacin. *D.* 1. *quæst.* 19. *part.* 3. *num.* 6. Pignatell. *tom.* 5. *consult.* 85. *n.* 32. Correa *l. cit.* 12

Dub. 2. an licita Clericis, & aliis Personis Ecclesiasticis sit *Negotiatio Politica*, emendo necessaria exercitui, & civibus? Resp. Negativè; quia à gubernatione, & negotiis Sæcularibus esse debent alieni, juxta *cit.* Apostoli textum: *Nemo militans Deo implicat se negotiis Sæcularibus*. Concordat *can. Episcopus* 3. *dist.* 88. qui ex Canonibus Apostolorum desumptus est, ubi præcipitur, ut neque Episcopi, neque Sacerdotes, aut Diaconi Sæculares suscipiant curas; alioquin dejiciantur, seu deponantur. Similia habentur *can. pervenit* 1. & *seqq. caus.* 21. *q.* 3. 13

Excipitur, si Reipublicæ, & communi bono tantùm interesset, ut charitas exigeret cum Ecclesiastico dispensari, ut similibus rebus vacare possit; tunc enim urgeret illud præceptum naturale, conf. cessaret prohibitio, quæ solùm Jure positivo Ecclesiastico introducta est, ut cum aliis notat Pellizar. *Man. Reg. tom.* 1. *tr.* 6. *c.* 10. *n.* 1. Ob eandem rationem Clerici, & Religiosi curare possunt, ut tempore famis subveniatur personis miserabilibus, & pro his, ac reliqua communitate emantur aliunde, & asportentur necessaria, præsertim si per solos Laicos hæc sufficienter non fierent; nam tali casu hoc facere opus pium est, quod & Jura permittunt, & Charitas postulat. Molin. *tr.* 2. *de J. & J. D.* 242. *n.* 15. 14

Dub. 3. an iisdem Personis Ecclesiasticis permissa sit *Negotiatio Lucrativa*, qua quæstus faciendi causa res emitur, ut non mutata vendatur carius? Resp. hoc negotiationis genus apertè prohiberi *can. consequens* 2. *can. negotiatorem* 9. *can. fornicari* 10. *dist.* 88. *cap. fin. de Vit. & Honest.* & *Trid. sess.* 22. *cap.* 1. *de reform.* idque sub pœna Excommunicationis *cap. secundum* 6. *hoc tit.* Ex quo DD. communiter inferunt, Ecclesiasticum, qui hujusmodi Negotiationem exercet, nisi parvitas materiæ, vel ratio necessitatis excuset, peccare mortaliter. Molin. *tract.* 2. *D.* 342. *num.* 2. Filliuc. *tr.* 35. *num.* 20. Laym. *lib.* 3. *tr.* 9. *cap.* 17. *num.* 39. Pal. *tr.* 12. *D. un. p.* 9. *num.* 16. Fagnan. *in cap. multa* 1. *h. tit. num.* 11. & *in cap. secundùm cit. n.* 8. Haun. *tom.* 4. *de J. & J. tract.* 10. *num.* 281. Gibalin. *de Negotiat. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 3. *art.* 2. *num.* 4. Correa *Idea Consiliarii D.* 6. *num.* 1847. Pirh. *hic n.* 9. Scamb. *num.* 6. Reiffenstuel *tit. de Vit. & Honest. num.* 133. Sumitur ex qualitate pœnæ; nam major excommunicatio non debet inferri, nisi propter mortale crimen, & contumaciam, ut constat ex *can. nemo* 41. & *can. seqq. caus.* 11. *q.* 3. 15

Dixi, *nisi parvitas materiæ, & ratio necessitatis excuset*; nam 1. ratione parvitatis materiæ excusari debet, qui semel, atque iterum tantùm negotiationem exercuit, secluso scandalo; quia Negotiator non ab uno, vel 16

vel altero, sed frequentatis actibus dicitur. Pal. *n.* 16. *fin.* Pellizar. *Man. Regul. tom.* 1. *tract.* 6. *capit.* 10. *num.* 6. Barbosa *in cap.* 6. *hoc tit. n.* 2. Pirh. *hic n.* 3. Scambog. *n.* 5. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 134. Gibalin. Haun. *loc. citt.*

Excipitur 2. casus necessitatis, si Clericus non haberet, unde aliter viveret; cùm enim necessitas Legem non habeat, ea ad negotiationem exercendam adactus, non peccaret; deberet tamen hoc casu Clericus priùs ad artificium, vel laborem manuum, quàm ad negotiationem exercendam recurrere *arg. can. Clericus* 2. *& seqq. dist.* 91. *& can. nunquam* 32. *de consecr. dist.* 5. Sanct. Thom. 2. 2. *quæst.* 187. *art.* 3. Gloss. *in can. negotiatorem cit.* Abb. *in cap. secundùm* 6. *hoc tit. n.* 1. Navar. *l.* 3. *cons.* 3. *num.* 2. *de Vit. & Honest.* Vivian. *in cap. secundùm cit. pr.* Fagnan. *ibidem num.* 9. Barbosa *num.* 4. Pellizar. *tom.* 1. *tr.* 6. *cap.* 10. *num.* 11. Pignatell. *tom.* 2. *consult.* 34. *n.* 5. Zoes. *hic n.* 1. Pirhing *n.* 3. *except.* 2. Scambog. *n.* 5.

Excipitur 3. secundùm plerosque DD. si Clerici, vel Religiosi negotiationem hujusmodi exerceant non per seipsos, sed per alios; de quo quid judicandum, vide *infra n.* 23. *& trib. seqq.*

17 Quæritur 5. an Clericis, & Religiosis prohibita sit etiam illa Negotiationis species, qua res per artificium, laborem, industriam in aliam formam immutata lucri intentione venditur? Respond. solutionem istius dubii dependere ex eo, an res, ex quarum distractione lucrum quæritur, sint fructus propriorum fundorum, an verò aliunde coemptæ, vel comparatæ fuerint.

Si primum, sicut ipsos fructus licitè vendere, & distrahere possunt Religiosi, & Clerici, ita arte, & industria sua immutatos possunt cariùs vendere, ut nemo inficiatur. Atque hinc 1. possunt habere furnum, & ex frumento, quod collegerunt ex agris propriis, pinsere panes, eosque pretio currente vendere, dummodo non per seipsos id faciant. Pellizar. *Man. Reg. tom.* 1. *tract.* 6. *cap.* 10. *num.* 18. Matthæucc. *Offic. Eccles. capit.* 33. *num.* 15. Pignatell. *tom.* 2. *consult.* 34. *numer.* 3. *&* 4. 2. possunt habere tabernam vinariam, in qua per ministros, servos, parentes &c. vendant vinum in propriis prædiis collectum; idque sive ad plenum, sive ad minutum, ut teste Matthæucc. *loc. cit. num.* 18. resolvit Sacr. Congregat. *in Auximan.* 9. *Septemb.* 1670. *& in Martyranens.* 10. *Januar.* 1671. Pellizar. *cap.* 10. *cit. num.* 21. Neque obstat *Clem.* 1. *de Vit. & Honest.* ubi usus tabernæ vinariæ prohibetur Clericis; nam ibidem solùm prohibetur, ne Clerici per seipsos officium Tabernarii exerceant. Matthæucc. *n.* 16. qui proinde monet discrimen faciendum inter Cauponam, & Tabernam: Caupona est, in qua vina empta bibuntur; Taberna, in qua vinum proprium minutim venditur; primi generis tabernæ prohibentur Clericis, non verò secundi, modò id faciant non in domo propria, aut per seipsos, sed per servos &c. Pignatell. *loc. cit. num.* 5. 3. possunt ex propriis salinis salem per famulos conductos conficere, illumque vendere; quod etiam dicendum de vena ferri, vel alterius metalli, in fundo suo inventa; nam cusum per famulos ferrum vendere ipsos nil prohibet. Sylv. *V. Excommunicatio* 9. Navar. *Man. capit.* 27. *numer.* 128. Lazarte *cap.* 19. *num.* 62. Pellizar. *tom.* 1. *tr.* 6. *cap.* 10. *num.* 2. Emman. Correa *Consiliar. D.* 6. *num.* 1836. Pignatell. *loc. cit. n.* 9. Imò nihil illiciti faciunt, si emant agrum, in quo est vena ferri, & inde ferrum per artifices conductos fabricatum distrahant. Pelliz. *loc. cit. n.* 4. possunt ex hordeo, vel tritico, collecto ex agris suis, coquere cerevisiam, ex propriarum olearum baccis exprimere oleum, illudque, & similia collecta ex proprio patrimonio, vel Beneficio vendere. Matthæucc. *n.* 9. & hoc reste Sacr. Congregat. *in Melphitan.* 15. *Dec.* 1603. 5. possunt cum foliis suarum arborum in propriis ædibus arti sericæ operam dare, vel idem opus alteri ad dimidietatem committere, ut lucrum, quod ex bombycibus proveniet, inter utrumque dividatur. Matthæucc. *n.* 3. *& ibi* Sacr. Congreg. 6. possunt animalia, etiam aliunde empta, pabulo ex iisdem suis fundis proveniente saginare, & hæc cariùs juxta pretium currens vendere. Pal. *tr.* 12. *D. un. p.* 9. *num.* 16. Pellizar. *tom.* 6. *tr.* 6. *cap.* 6. *c.* 10. *num.* 13. Haun. *tom.* 4. *tractat.* 10. *num.* 283. Gibalin. *tom.* 1. *l.* 1. *c.* 3. *art.* 2. *n.* 2. Pignatell. *tom.* 5. *cons.* 85. *n.* 32. Correa *loc. cit. num.* 1834. 7. possunt ex urgenti necessitate subministrare alicui triticum ad seminandum, ea conditione, ut cum isto participent de messe. Pignatell. *tom.* 2. *consult.* 34. *n.* 11. Matthæucc. *n.* 10. & apud hunc Sacr. Congregat. Concil. 14. *Novembris* 1618. 8. possunt locare prædia sua, & jumenta, sed non idcirco emere jumenta, ut ea locent aliis pro pensione; quia id genus negotiationis est, teste Molin. *D.* 342. *n.* 17. *concl.* 5. Layman *lib.* 3. *tr.* 4. *c.* 17. *n.* 40. *v. excipitur*. Quorum omnium ratio est, quia hujusmodi rerum venditarum pretium, & ejus incrementum fructus naturæ, & huic accedentis industriæ potiùs, quàm emptionis præcedentis est.

Si secundum contingat, & res hujusmodi aliunde coemptæ, vel comparatæ sint, & non ex fundis, aut prædiis propriis, considerari intentio debet; nam si res tales lucri, seu quæstus duntaxat intentione coemantur, ut immutatæ, vel melioratæ vendantur cariùs, extra casum necessitatis hoc prohibetur Clericis, & Religiosis. Molin. *tractat.* 2. *D.* 342. *num.* 6. Laym. *lib.* 3. *tractat.* 4. *capit.* 17. *num.* 40. Pellizar. *tract.* 6. *cit. capit.* 10. *num.* 2. Pirh. *hic n.* 4. Vviestner *num.* 7. & reliqui *suprà*, propter textus allatos *num.* 15. & rationes propositas *num.* 6. quia licèt rerum sic immutatarum venditio propriè negotiatio non sit, si tamen quæstus duntaxat causa exerceatur, ad negotiationem propriè dictam accedit proximè, ideoque non decet personas Religiosas; ut proinde cùm in eadem urgeant rationes, quæ contra negotiationem propriè dictam militant, præsenti prohibitione per Epichiam comprehensa censeri debeat. Quare illicitè Ecclesiastici agunt 1. si dicta lucri intentione uvas emant, ut per famulos, aut ministros ad id conductos vinum ex iis conficiant, quod postea vendant. 2. si emant hordeum, & lupulos, ut cerevisiam, lanam, ut pannus, ferrum, ut gladii, secures, vomeres ex iis fiant, & distrahantur. 3. si emant boves, & pabulum, ut isto saginati cum lucro vendantur. Quorum omnium ratio est, quia esto, res ita empta in aliam formam mutata sit, illa mutatio facta est à ministris conductis, ac proinde est fructus emptionis laboris ministrorum. Simili ratione illicitè conducunt aliena animalia, prædia, & fundos, si hoc faciant non ad sui, suorumque sustentationem, sed lucri causa, ut fructus inde collecti vendantur, & reportetur lucrum. Abb. *in cap. secundùm* 6. *hoc tit. numer.* 2. Molin. *tractat.* 2. *D.* 342. *num.* 6. *&* 7. Pal. *tractat.* 12. *D. un. part.* 9. *numer.* 16. Fagnan. *in cap. multa* 1. *hoc tit. num.* 29. Barbosa *ibidem numer.* 4. Gonzal. *in capit.* 6. *cit. numer.* 7. *circa medium*. Dian. *part.* 11. *tractat.* 6. *resol.* 10. Pellizar. *Man. Regul. tom.* 1. *tract.* 6. *cap.* 10. *numer.* 2. 13. *&* 14. Gibalin. *tom.* 1. *l.* 1. *cap.* 3. *art.* 2. *num.* 9. Pignatell. *tom.* 2. *consult.* 34. *n.* 10. Emman. Correa *Consiliar. D.* 6. *numer.* 1834. Pirh. *hic num.* 6. Konig. *num.* 8. Vviestner *num.* 9. estque decisum in *Concil. Calced. can.* 3. *Cartag.* 3. *cap.* 15. *& cap. secundùm* 6. *hoc tit.* Imò, ut vult *Navarrus* cum aliis quibusdam, exercere negotiationem prohibitam dicendus est Clericus, qui venam ferri, vel alterius metalli in fundo alieno emit, ut ferrum inde per famulos conductos extractum vendat: quamvis contrarium asserant Molin. *D. citat. numer.* 9. Gibalin. *n.* 9. Correa *n.* 1836.

19 At si non lucri mero studio, sed ex alio honesto fine res emant Clerici, & Ecclesiastici, arte, & industria sua immutatas possunt cariùs vendere. Molin. *tr.* 2. *D.* 342. *n.* 16. Less. *de Just. l.* 2. *c.* 21. *n.* 5. Laym. *l.* 3. *tr.* 4. *c.* 17. *n.* 40. *vers. excipitur*. Fagnan. *in cap. multa* 1. *h. tit. n.* 46. *& seqq. & in cap. secundùm eod. n.* 10. Pellizar. *c.* 10. *cit. n.* 2. *prope finem*. Gibalin. *n.* 7. *&* 8. Pignatell. *tom.* 5. *consult.* 84. *n.* 13. Gonzal. *in c. multa cit. n.* 9. *& in c.* 6. *eod. n.* 7. *post. med.* Honor. *hic n.* 3. Pirh. *n.* 7. Scambog. *num.* 5. Vviestner *num.* 8. cum S. Thom. 2. 2. *quæst.* 77. *art.* 3. Ratio est, quia ut negotiatio sit prohibita Clericis, & Religiosis, requiruntur duo: *unum* est, ut hujusmodi res ematur, & vel immutata, vel non mutata vendatur; *alterum*; ut ematur gratia lucri, seu quæstus ex ea cariùs vendita deinde quærendi. Et hinc 1. non est negotiatio prohibita Clericis, & Religiosis, si emant res necessarias ad artificium non sordide, & mero lucri studio, sed ut olim, Monachi, texendo retia, corbes, storeas, vel ut S. Paulus scenofactoriam exercendo. *Act.* 18. *v.* 3. ad victum parandum, otium fugiendum, castigandum corpus, Eleemosynas faciendas &c. & tali fine iis horis, quibus à Spiritualibus functionibus remittunt, elaborata vendant. Vviestner *loc. citat.* 2. possunt Clerici, & Religiosi pro necessario culturæ usu emere boves, & alia animalia, & pro sustentatione illorum animalium pascua necessaria comparare, ipsarumque terrarum fructus, & animalium fœtus justo pretio, & honesta ratione vendere. Molin. *tr.* 2. *D.* 342. *num.* 17. Gibalin. *art.* 2. *cit. n.* 9. Matthæucc. *num.* 3.

num. 3. Pignatell. *tom.* 2. *consf.* 34. *numer.* 9. & hoc teste sæpiùs decidit *Sacra Congregatio* 3. Similiter Monasterium licitè emit agrum plenum fructibus maturis, & ex his sibi superfluos postea vendit, ut contra *Lassarte* meliùs tenet Molin. *D. citat. numer.* 10. quia qui tale prædium emit, per se emit prædium, ut & fructibus illius anni, & sequentium potiatur, superfluosque vendat; per accidens autem est, quòd fructus maturi sint, neque illos postea vendit tanquam partes rei emptæ, quam emeret, & revenderet, sed tanquam fructus perceptos, & collectos ex agro effecto jam suo: quare appellari illud non potest negotiatio.

20 Quæritur 6. an Religiosi licitè vendant Pharmaca, quæ ipsi sua industria, & arte conficiunt? *Negativam* tuentur Monacell. *part.* 2. *form.* 4. *titul.* 14. *numer.* 17. & Matthæucc. *Offic. Eccles. capitul.* 33. *numer.* 31. pro qua etiam militare videntur sequentia Argumenta. 1. quia hæc venditio videtur sapere Negotiationem Clericis, & Religiosis prohibitam; emunt enim aromata, herbas &c. & hæc vel eadem in specie, vel per confectiones suas immutata cum lucro vendunt. 2. non est licitum Clericis, & Religiosis uvas, lanam, frumentum &c. emere, & per conductos famulos conficere vinum, pannos, panes &c. ac lucri causa prædicta vendere, ut dictum est *num.* 18. atqui par est ratio in nostro casu; sicut enim in priori emuntur uvæ, ut vinum ex iis confectum vendatur, ita in nostro emuntur Species, ut cum lucro vendantur Pharmaca inde confecta. 3. non est licitum Clericis conducere aliena animalia, vel fundos, ut fructus inde collectos vendant, quamvis hujusmodi animalium, & fundorum cultura, utpote quam Clerici per famulos conductos exercent, non multùm ipsos à servitio Divino avocet, igitur multo minùs licebit emere Species, & pharmaca inde confecta vendere; cùm in his parandis Pharmacopæo plurimus subeundus sit labor, & distractionum diversarum offeratur occasio. 4. Negotiatio lucrativa, ut *num.* 6. ostendi, per SS. Canones ex hac causa prohibetur Clericis, & Religiosis, quia per eam animus infinitas in partes distrahitur, mergiturque in plurimorum inutilium desideriorum, & avaritiæ barathrum, quæ omnia Clericos, & maximè Religiosos, ut qui paupertatem profitentur, summè dedecent; atqui hujusmodi distractionibus, & curis non minùs obnoxia est comparatio specierum, Pharmacorum ex his confectio, & confectorum venditio; ergo &c. 5. Urbanus VIII. *Constitut. sua* 49. prohibuit FF. Minoribus de Observantia, ne res suarum Aromatariarum venderent externis. Imò generaliter Religiosis, & aliis Personis Ecclesiasticis Sacr. Congregatio Concilii *Decreto edito* 1637. *& confirmato* 7. *Septembris &* 16. *Decembr. in Consistorio* 1647. prohibuit, ne cuiquam venderent etiam prætextu amicitiæ, seu familiaritatis pharmaca, & medicamenta, exceptis Theriaca, Hiacyntho, & aliis vulgò dictis Chymicis, non obstantibus privilegiis quibusvis Ordinum Regularium cujusvis Instituti, etiam Societatis Jesu, quibus eadem Congregatio authoritate Papæ expressè derogavit, ut testis est Matthæucc. & Monacell. *loc. citt.* qui ultimus de hac re etiam adjungit Decretum novissimum ejusdem Sacr. Congregat. *in Camerinens.* 28. *Februarii* 1693. 6. Eadem venditio non videtur posse exerceri à Regularibus, nisi cum maximo præjudicio Pharmacopæorum Sæcularium, à quibus lucrum avertitur ad Religiosos, quòd isti viliori pretio Pharmaca sua vendant, & possint vendere, cum non premantur oneribus, quibus Sæculares premuntur, utpote qui in arte hac addiscenda magnos sumptus faciunt, numerosam sæpe familiam alunt, & insuper tributis, aliisque oneribus Civilibus subjecti sunt. 7. Hanc ipsam Pharmacorum venditionem ægerrimè ferunt Pharmacopolæ Sæculares, qui propterea, ut indemnitati suæ prospiciant, frequenter litem Regularibus in Judicio movent, & eorum famam apud alios passim convellunt, non sine populi scandalo, quo fit, ut labes non modica inferatur Religionis nomini, & sic quod iidem Regulares una manu in Cathedris, & Sacris Tribunalibus ædificant, altera per hanc Pharmaceuticam negotiationem destruant. 8. Venditio hæc Pharmacorum specialiter repugnare videtur Instituto Societatis Jesu, in cujus *Congregat.* 2. *can.* 25. *& Congregat.* 7. *Decret.* 8. ordinatur, ut Religiosi ejusdem abstineant etiam ab iis, quæ speciem Negotiationis habent; atqui certum est venditionem hanc Pharmacorum habere saltem speciem Negotiationis; ergo &c.

Sed dicendum, venditionem Pharmacorum, arte 21
sua paratorum, prout defacto illa à Regularibus fieri solet, nequaquam iisdem prohibitam esse. Ita Lezan. *vol.* 2. *qq. Regul. V. negotiatio numer.* 6. *& vol.* 1. *capit.* 9. *numer.* 39. Pellizar. *Man. Regul. tom.* 1. *tract.* 6. *capit.* 10. *numer.* 16. & reipsa favent omnes illi, quos *numer.* 19. allegavi. *Deducitur* 1. ex dictis *num.* 18. *&* 19. ubi dixi, casu, quo res empta, per industriam, vel artem mutata, divenditur, inspiciendam esse intentionem vendentium, & eam quidem prohibitam esse Clericis, ac Religiosis, si ejusmodi res lucri tantùm causa emantur, ut mutatæ vendantur cariùs, contra si non mero lucri studio, sed ex alio honesto fine hoc fiat, venditionem prohibiti nil continere; atqui Religiosi Pharmacopæi primariò, & per se non conficiunt pharmaca lucri causa, sed pro necessitatibus suorum Fratrum ægrotantium, & quod his superest, vendunt eo præcisè fine, ut officinam Pharmaceuticam novis medicamentis pro eadem suorum necessitate instruant; ergo &c. 2. Religiosi, ut *n.* 10. dictum est, licitè emunt res ad propriam, & familiæ sustentationem necessarias, easque, si quid superfit, pretio currente divendunt; hoc faciunt, quando ex speciebus coemptis parant medicinas, & has divendunt; cùm enim resciri nequeat, in qua quantitate, vel qualitate opus habituri medicamentis sint, utpote quod ab incerto majoris, vel minoris numeri infirmorum eventu pendet, hinc prudens consilium incunt, si in compositione, quæ semel in anno, vel statutis temporibus fit, in tuto se ponant, atque faciant provisiones potiùs excrescentes, poterunt igitur, quibus ipsi non indigent, aliis vendere. 3. possunt Ecclesiastici, ut *n.* 19. dictum est, emere res necessarias ad honestum aliquod artificium exercendum, & confecta inde arte facta vendere; possunt emere animalia culturæ fundorum suorum necessaria, & vendere illorum fœtus, lac, lanam; possunt emere venas ferri, saltem unà cum fundo, & per famulos ferrum eruitum, ac ferramenta inde confecta, prout libet, distrahere; igitur poterunt etiam emere species, & ex his conficere medicamenta sibi necessaria, & quæ usu suo supersunt, divendere aliis, cùm omnino videatur urgere paritas. 4. licentia parandi medicinas sibi necessarias, quam passim Regularibus concedit *Sacr. Congr.* non debet iisdem plus afferre damni, quàm commodi; hoc fieret, si quibus ipsi non indigent, Medicinas non possent extraneis vendere; cùm enim hujusmodi confectiones diu conservari nequeant, & vertente anno, vel statuto tempore parandæ sint novæ, antiquas oporteret projicere, cum maximo damno Oeconomiæ illorum. 5. ipsa Sacr. Congregat. Episcop. & Regul. *in Neapolitana* 26. *Maji* 1602. *& in una Dominicarum* 11. *Octobris* 1647. teste Pignatell. *tom.* 5. *consult.* 85. *n.* 23. *fin.* declaravit permitti posse Regularibus, & Monialibus præsertim pauperibus, ut vendant Medicinalia suæ Aromatariæ, ea renovandi gratia, maximè pretiis moderatis: quòd verò ex hoc fine, non lucri studio illas divendant, patet ex eo, quia totum, quod inde habetur, lucrum ferè in alios usus non convertunt, quam ut parentur confectiones novæ, quibus denuo tum Religiosorum suorum ægrotantium necessitati succurrant, tum etiam aliorum pauperum, nullo ab his, vel exiguo admodum pro medicamentis petito pretio. 6. Religiosi, qui hujusmodi Officinas Pharmaceuticas habent, pharmaca à se confecta passim divendunt, non tantùm in variis Provinciis, sed etiam in Italia, ipsaque Urbe, consentientibus non solùm Superioribus eorum Regularibus, sed etiam Prælatis Ecclesiæ, ipsoque Summo Pontifice sciente, & non contradicente; atqui si ejusmodi venditio Sacris Canonibus repugnaret, nec Superiores Regulares consentire possent, nec Prælati Ecclesiæ, ipseque Pontifex contradicere dissimularet; ergo &c.

Argumenta *n.* 20. in contrarium allata non diffi- 22
cilem Responsionem admittunt. *Ad* 1. *Neg. ant.* nam ut *n.* 19. monui, ut negotiatio sit prohibita Clericis, & Religiosis, requiruntur duo: *unum* est, ut hujusmodi res ematur, & vel immutata, vel non mutata vendatur: *alterum*, ut ematur gratia lucri, & quæstus ex ea cariùs vendita deinde quærendi; & quidem intentio hæc, ut *num.* 11. docui, in ipso emptionis initio adesse debet, cùm sit quasi forma negotiationis prohibitæ Clericis; atqui, ut ex dictis *n. præc.* patet, intentionem istam Pharmacopæi Regulares non habent, quippe quorum venditionis præcipuus finis est, ut Medicinalia sua renovent, & Officinam suam conservent. *Ad* 2. Negatur paritas; nam in illa confectione vini ex uvis emptis, pannorum ex lana pretio comparata, lucrum

lucrum per se, & directè intenditur; at verò Pharmacopæi Religiosi primariò, & per se lucrum non spectant, sed eorum in emenda materia, & parandis Pharmacis primarius finis est succurrere necessitatibus domesticis, ac suorum Fratrum conservare, & reparare sanitatem: quod sine magno Monasterii dispendio consequi non possunt, nisi in omnem eventum plus emanr, quàm ordinaria ipsius Monasterii indigentia exigit, & illud, quod redundat, extraneis vendant. *Ad* 3. paritas tunc foret, quando Religiosi non principaliter pro monasterio, sed ad quæstum faciendum Officinam Pharmaceuticam aperirent: id enim, præsertim si per conductos homines pharmaca conficerent, illicitum omnino foret, & Negotiatio talis, qualem *n.*18. dixi, prohibitam esse Ecclesiasticis. *Ad* 4. imprimis, ut in Societate nostra contingit, Pharmaceutica ut plurimum non exercetur à Religiosis Sacerdotibus; & si exerceatur, ut in aliis Ordinibus Religiosis sæpe contingit, illa à Sacerdotum Statu tam parum aliena est, quàm parum eundem dedecet præesse culinæ, vel cellæ, & Monasterii redditus administrare; imò labor aliquis manualis in Religiosis Ordinibus præcipuè Sancti Benedicti peculiari Regula injungitur, ac olim Clericis universis fuit præceptus, ut patet ex *can. Clericus* 3. *& can. seq. dist.* 91. aliisque textibus. *Ad* 5. Venditio Pharmacorum meritò prohibita fuit FF. Minoribus de Observantia, quia speciem aliquam administrationis pecuniarum, & retentionis redditᵘum habet, quarum utraque puritati Instituti illorum repugnat. Decretum Sacræ Congregat. cum Declaratione ibidem allegata combinari debet cum Decreto ejusdem Congr. *n. præc. Prob.* 5. allato, scilicet, ut venditio Pharmacorum non sit licita, nisi in finem illa ex pretio inde redacto reparandi. *Ad* 6. Argumentum hoc nimium probat; probat enim, quòd Religiosi, & Clerici etiam non possint vendere imagines à se pictas, distrahere vinum expressum ex uvis suarum vinearum, Scientias, & artes Liberales aut gratis, aut pro pretio docere; quia etiam dum hoc faciunt, aliquid lucri decedit Laicis, qui ista factitant. Quòd verò Religiosi ab oneribus Civilibus exempti sint, & ideo pharmaca sua vilius possint vendere, favor, & effectus favoris est, quo utendo injuriam alteri nemo infert. *Ad* 7. justitia querelarum hujusmodi, & scandalum inde ortum sufficienter tollitur, si Religiosi venditionem pharmacorum suorum sic moderentur, ut Sæcularibus Pharmacopæis lucrum suum non subtrahatur, & ipsi Religiosi, quas ex venditione hac redigunt, pecunias, in quantum pro novis Pharmacis comparandis, & conservandis opus iisdem non habent, non in usus Monasterii (nisi ipsum indigeat) sed in subsidia pauperum, aliasque pias causas expendant. *Ad* 8. in illis Decretis non intelligitur venditio, de qua in præsenti sermo est, sed negotiationes, & negotiationi affines contractus, quibus lucrum præcipuè spectatur; neque enim, si alia mens Congregationum dictarum fuisset, hujusmodi mendicamentorum venditio in tot Congregationibus postea subsecutis toleratus fuisset. Existimarunt nimirum Patres ad eas convenientes, venditionem hanc, si moderatione hactenus præscripta fiat, omni labe vacare.

23 Quæritur 7. utrum Clerici, & Religiosi negotiationem sibi prohibitam exercere possint per alios? Videtur non posse ex communi, & recepta Regula, quia aliàs illud, quod quis per seipsum non potest facere, neque per alium potest. *Reg.* 72. *in* 6.

Sed affirmativam defendunt Turrian. 2. 2. *tom.* 2. *D.* 59. *d.* 2. *n.* 3. Molin. *tr.* 2. *de J. & J. D.* 342. *n.* 13. Less. *lib.* 2. *de Just. c.* 21. *num.* 6. *vers. quartò*, Laym. *l.* 3. *tract.* 4. *c.* 17. *n.* 46. *vers. propterea.* Pellizar. *Manual. Regul. tom.* 1. *tract.* 6. *c.* 16. *num.* 9. Haun. *tom.* 4. *de J. & J. tract.* 10. *num.* 285. Gibalin. *tom.* 1. *de negot. lib.* 1. *cap.* 3. *art.* 2. *num.* 5. Pignatell. *tom.* 2. *cons.* 34. *n.* 4. Pirh. *hic num.* 3. *except.* 3. Emman. Correa *Consiliar. D.* 6. *num.* 1838. & hoc teste paucis exceptis DD. communiter, qui omnes dicunt Clericum sic negotiantem effugere pœnas in Clericos negotiatores per Jus sancitas, utpote quæ latæ duntaxat sunt in eos, qui per seipsos negotiantur, ut colligitur ex *Clem.* 1. *de Vit. & Honest.*

24 An verò sic per alium negotiationem prohibitam exercens Clericus etiam evitet culpam, major Doctorum discordia est. Omnes ferè in hoc conveniunt, hunc negotiandi modum non esse decentem, seu convenientem statui Clericorum, ideoque id fieri non debere, nisi justa aliqua causa, videlicet necessitas rei familiaris excuset, vel consuetudo Regionum permittat. Quam indecentiam nonnulli putant continere peccatum saltem veniale, & aliquando ingravescere etiam posse usque ad mortale ratione scandali. Alii distinguunt, an ille tertius, per quem negotiatio exercetur, sit solùm administer, & quasi famulus, ita, ut partem curæ, & sollicitudinis reservaverit sibi Clericus, quam exerceat sollicitando, dirigendo, instruendo, & quasi superintendendo, an verò totam curam Clericus ipsi commiserit, ita, ut iste tertius habeat rationem causæ principalis.

Si hoc secundum, absolvunt Clericum etiam à culpa veniali, saltem contra prohibitionem Juris positivi; quia, ut dixi, hoc solùm prohibet Ecclesiastico negotiationem per seipsum; & hinc dicunt licitè posse Clericum inire societatem cum Campsore, ita, ut hic conferat totam operam, Clerico pecuniam subministrante, quòd eo casu ratio prohibitionis cesset, cùm talis negotiatio non ita distrahat animum; nec peccata, quæ commiserit is, per quem fit negotiatio, imputabuntur Clerico, modò pecuniam solùm dederit ad negotiationem licitam, ut contra *Molin. & Gutier.* resolvit Theophil. Raynaud. *Discept. de Relig. Negotiat. fol.* 124. & approbat Gonzal. *in cap.* 6. *hoc tit. num.* 7. *circa princ.* Correa *Consiliar. D.* 6. *num.* 1839. Imò negotiator hoc casu non poterit nuncupari Clericus, quippe cùm hoc fieri videamus à viris nobilissimis, qui tamen propterea pro negotiatoribus non habentur. 25

Si verò primum contingat, & partem curæ, ac sollicitudinis Clericus sibi reservet, *Dian. & Card. de Lugo* apud Corream *D.* 6. *cit. n.* 1840. putant posse peccari venialiter, non tantùm ratione indecentiæ (ratione cujus peccatum saltem veniale raro evitatur, etiam, cùm tota cura negotiationis transfertur in tertium) sed etiam contra prohibitionem Juris Ecclesiastici; quia tunc videtur Clericus aliquo modo negotiari per seipsum. Imò, ut idem Correa *loc. cit.* notat, pars curæ, & sollicitudinis, quam sibi reservavit, tanta esse potest, ut peccet mortaliter. 26

Si explicatæ Conclusioni non potest obesse Regula pro Ratione dubitandi allata; quia hæc præcipue locum habet in iis, quæ sunt intrinsecè mala; in illis verò, quæ sunt ex prohibitione extrinsecè mala, solùm procedit in casu, ubi ratio prohibitionis non cessat, quando res prohibita fit per alium, cessat autem in casu præsentis quæstionis; nam ratio præcipua prohibitionis est indecentia, & distractio à Divinis, quæ omnino cessat, si negotiatio non per Clericum, sed per alium exerceatur; translata in hunc universa cura. *Correa num.* 1841. *Conf.* nam etsi Clericus Officium macellarii, tabernarii, & venationem clamorosam exercere per seipsum nequeat ob prohibitionem *Clem.* 1. *de Vit. & Honest. & Clem.* 1. *de stat. Monach.* potest tamen hæc facere per alium *arg. c. significante* 69. *de Appellat.* 27

Quæritur 8. an omnibus Clericis interdicta sit *Negotiatio? Certum est* prohibitam esse Clericis constitutis in Ordine Sacro, item constitutis in Minoribus tantùm Ordinibus, si Beneficium Ecclesiasticum habeant.

Aliis non Beneficiatis non esse prohibitam docent Abb. *in c. multa* 1. *hoc tit. num.* 12. Ugolin. *de Offic. Episc. cap.* 12. §. 16. *num.* 1. Less. *lib.* 2. *de Just. c.* 21. *num.* 4. quod deducunt ex *cap. multa cit.* ubi Negotiatio prohibetur tantùm *Ministris Altaris Domini*. *Et confirmant arg. cap. Clerici* 1. *de postuland.* ubi Clerici in Minoribus prohibentur esse Advocati coram Judice Sæculari, *si stipendiis Ecclesiasticis sustententur*; ergo à sensu contrario, si hujusmodi stipendia, adeòque Beneficium Ecclesiasticum nullum habeant, possunt esse Advocati; si Advocati, etiam Negotiationem exercere; ergo &c.

Sed probabilius est oppositum, quod docet Ant. de Butrio *in cap. multa cit. num.* 14. *vers. quæro*. Fagn. *ibidem num.* 83. *& seqq.* Pirh. *hic num.* 8. tum quia SS. Canones indistinctè, & generaliter Negotiationem prohibent Clericis omnibus, sive sint Beneficiati, sive non; tum quia ratio prohibitionis etiam procedit in Clericis minorum Ordinum, non Beneficiaris, quia scilicet *nemo militans Deo implicat se negotiis Sæcularibus*; atqui etiam Clerici non Beneficiati, sed Clericali saltem tonsura initiati, sunt milites Cœlestis Militiæ *can. Christianis* 12. *caus.* 11. *quæst.* 1. *& ibi* Gloss. *V. cœlestem militem*; ergo etiam illis prohibita est negotiatio, modò congruam sustentationem habeant aliunde. 28

Ad Argumentum contrarium dico, etiam Clericos minorum Ordinum esse Ministros Altaris Domini, licèt

non sint ita proximi, & immediati, sicut ii, qui in Sacris sunt. *Ad Conf.* Argumentum ab Advocatione ad Negotiationem non valet; quia munus advocandi valde utile est Reipublicæ, Negotiatio verò non ad publicam utilitatem, sed privatum lucrum plerumque ordinatur. Fagnan. *loc. cit. num.* 93. *&* 96. Pirh. *n.* 8. *cit.*

29 *Dubitatur*, quos Religiosos prohibitio Negotiationis afficiat? Resp. affici ea prohibitione Religiosos omnes; & sic 1. ea prohibitio stringit etiam *promotos ad Episcopatum*; quia licèt ad observantiam Regularem non ampliùs teneantur, tenentur tamen ut Ecclesiasticæ personæ ab hujusmodi negotiatione se abstinere. 2. *Ejectos*; quia & ipsi manent Personæ Ecclesiasticæ, & ex præcepto *Sacræ Congregat.* quod refert Pellizar. *Man. Regul. tom.* 1. *tractat.* 6. *capit.* 10. *numer.* 7. *&* *tract. de privil. capit.* 8. *sect.* 2. *quæst.* 19. tenentur in Sæculo deferre habitum, imò & subsunt Jurisdictioni Ordinarii loci, in quo commorantur; ut adeo nulla sit ratio illos excludendi à prohibitione generaliter facta Ecclesiasticis. 3. *Fratres Laicos*; quia hi in favorabilibus veniunt nomine Monachorum, & Clericorum; est autem præsens prohibitio favorabilis, quippe quæ inducta est in bonum Spirituale Religionum, & ad vitanda peccata, ut constat ex dictis *n.* 6. quæ ratio sine dubio probat etiam *Moniales* comprehendi sub ista prohibitione, licèt aliàs non sint capaces omnium pœnarum, quæ latæ sunt contra Religiosos negotiantes, ut patet de suspensione, ac Depositione, cui tamen subjacent Religiosi negotiantes. Pellizar. *n.* 7. *cit.*

30 Excipiuntur *Novitii*; nam hi prohibitione ista non adstringuntur, nisi ex gravi quadam decentia. Pellizar. *Man. Regul. tom.* 1. *tract.* 6. *capit.* 10. *numer.* 8. Ratio est, quia prohibitio ista, licèt favorabilis toti Religioni sit, est tamen odiosa Religiosis in particulari, maximè ratione pœnarum, quas habet annexas; atqui in odiosis Novitii non veniunt nomine Religiosorum, nec procurare ita strictè bonum Religionis, onera in hujus favorem inducta suscipiendo tenentur, sicut illud tenentur Professi; ergo non censebuntur prohibitione hac comprehensi. Addidi, *Nisi ex gravi quadam decentia*; cùm enim Novitii participent de bonis Spiritualibus, & temporalibus Religionis, & sint aliquo modo membra illius, par est, ut sentiant etiam illius onera, & consequenter abstineant ab iis, quæ alioquin Religiosis prohibentur; tenebuntur ergo ex decentia, & æquitate abstinere à Negotiatione, sed plerumque, ut Pellizar. *loc. citat.* notat, solùm sub peccato veniali, scandalo gravi secluso. Et hinc etiam à pœnis in Religiosos negotiantes decretis liberi erunt, quippe quæ solùm afficiunt illos, qui transgrediuntur prohibitionem Ecclesiæ.

31 Quæritur 9. quæ sint pœnæ Negotiationis prohibitæ? Resp. 1. qui prohibitionem istam transgrediuntur, idque sæpiùs (quia, ut *num.* 16. dixi, Negotiator non ab uno, sed à frequentatis actibus dicitur) incurrunt Excommunicationem majorem secundùm dicta, & textus *n.* 15. allatos: quæ tamen excommunicatio non latæ, sed ferendæ sententiæ est, nec ulli reservata *c. secundùm* 6. *h. tit.* Pellizar. *tom.* 1. *Man. Regul. tract.* 6. *c.* 10. *n.* 3.

2 Clerici negotiatores possunt suspendi ab Officio: imò etiam deponi à gradu, & Ordine Clericali *can. Clerici* 1. *caus.* 14. *q.* 3. & *cap. sed nec* 4. *h. tit.* ubi additur Religiosos graviùs esse puniendos. Pelliz. *n.* 3. *cit.* Pirh. *hic n.* 9.

32 3 Perdunt immunitatem à vectigalibus, & portoriis; nam ista, ut Laici, tenentur solvere, prout sumitur ex *Clem.* 1. *de Censib.* ubi dum ii, qui ab Ecclesiasticis tributa exigunt, compesci jubentur excommunicationibus, additur Limitatio ad res, *quas non negotiandi causa deferunt, aut deferri faciunt.* igitur à contrario sensu ex rebus, quas deferunt negotiandi causa, potest tributum exigi ab Ecclesiasticis. Discrimen tamen faciendum est quoad res negotiationi subjectas, aut per eam acquisitas, & quoad res alias Clericorum proprias. Ut quoad *posteriores* amittant privilegium immunitatis à Gabellis &c. necessarium est, ut ter moniti ab Episcopo non abstinuerint, *c. fin. de Vit. & Honest.* & quidem ita, ut inter unam, & alteram monitionem intercedant aliquot dies, nec sufficit esse unam instar trium. Filliuc. *tract.* 35. *n.* 28. Dian. *p.* 3. *tract.* 1. *resol.* 44. Pellizar. *tom.* 1. *Man. Regul. tract.* 6. *cap.* 10. *num.* 23. Gibalin. *tom.* 1. *de negot. l.* 1. *cap.* 3. *art.* 2. *num.* 2. Pignatell. *tom.* 1. *conf.* 85. *n.* 24. Quoad *priores*, ut ex iis teneantur Gabellam solvere, non est necessaria admonitio; quia nec Ecclesia, nec Principes Sæculares intenderunt, quoad res istas eximere Clericos à solvendis Vectigalibus, ac tributis in Negotiatione ipsis Jure Canonico prohibita, & quæ ex natura rei eos non decet: adeoque nunquam fuerunt immunes ab hujusmodi tributis, neque eos Ecclesia in hac parte defendit, ut constat ex *Clem. præsenti* 3. *de Censib.* & notant Molin. *D.* 342. *n.* 5. Pellizar. *l. cit. n.* 23. Pirh. *hic n.* 9.

4 Omnia bona, per hujusmodi negotiationem acquisita, quæ post ipsorum obitum extant, etiamsi, facultate testandi accepta, testati fuerint, tanquam spolia ad Fiscum Ecclesiæ, sive Cameram Apostolicam pertinent ex *Const. Pii IV.* incipit *Decens editam Nonis Novembris* 1560. Azor *p.* 2. *l.* 8. *c.* 2. *q.* 8. Pellizar. *l. citt. n.* 31. Vviestner *hic n.* 6. *Excipitur*, si non tantùm illicitè, sed etiam injustè acquisita sint: hæc enim non veniunt nomine Spoliorum, sed restitui iis debent, quibus adempta sunt; quia Papa, seu Princeps non censetur tollere velle jus quæsitum alteri, imò nec potest sine causa. Redoan. *de Spoliis Clericorum*, *q.* 2. *n.* 93. *&* 101. Azor *c.* 2. *cit. q.* 7. Pirh. *hic n.* 10. Imò etiam de iis, quæ non injustè, sed illicitè ex negotiatione acquisita sunt, probabilius est, quòd ea Personæ Ecclesiasticæ, vel Successores earum, priusquam illis per sententiam Judicis condemnatoriam priventur, retinere in foro conscientiæ possint; tum quia privatio hæc est pœna delicti, scilicet negotiationis illicitæ, quæ in conscientia non debetur, nisi post condemnationem Judicis. *c. cùm secundùm* 19. *in fin. de Hæretic. in* 6. tùm quia, quod acquisitum est hac ratione, non est acquisitum contra Leges Justitiæ specialis, scilicet Commutativæ, ex qua oritur obligatio restituendi, sed contra alias Virtutes morales, quæ non obligant ad restitutionem. Ugolin. *de Offic. Episcop. c.* 13. §. 17. *n.* 3. Pirh. *hic num.* 10. licèt contrarium teneat Azor *p.* 2. *l.* 8. *c.* 2. *q.* 3. In dubio verò non debent præsumi acquisita esse à Clericis ex illicita negotiatione; quia dolus non præsumitur, nisi probetur *l. meritò* 51. *ff. pro socio.* Ugolin. *n.* 5. Azor *q.* 11. Pirh. *n.* 10. *fin.* 33

Dubitatur, an istæ pœnæ etiam afficiant Religiosos Negotiatores? Quòd pœna excommunicationis, Suspensionis, & Depositionis, imò etiam graviùs puniri possint, patet ex *c. sed nec.* 4. & *c. secundùm* 6. *h. tit.* Similiter Suar. *tom.* 8. *de Relig. tract.* 8. *l.* 3. *c.* 2. *num.* 30. probabile putat, bona, ab ipsis per Negotiationem illicitè acquisita, post mortem ipsorum spectare ad spolia, ubicunque ea reperiantur, sive extra, sive intra Claustra; quia Pontifex in *Constitut. citat.* indistinctè dicit, bona illicitè acquisita à Clericis tam Sæcularibus, quàm Regularibus, post mortem eorum pertinere ad Cameram Apostolicam tanquam Spolia, non distinguens, an inveniantur extra, vel intra Claustra. Circa tertiam pœnam amissionis privilegii quoad immunitatem à Tributis, & Vectigalibus aliter loquendum de Clericis sæcularibus, & aliter de Regularibus. In prioribus est adhibenda distinctio, an talis Clericus sæcularis negotietur de bonis Ecclesiæ suæ, an de bonis propriis: si secundam faciat, quoad illas res amittit privilegium; secus, si primum, cùm delictum ejus personale non debeat nocere bonis Ecclesiæ. At Clericus Regularis, cùm nihil habeat proprii, sed quidquid acquirit, Monasterio suo acquirat, semper censetur negotiari de rebus Monasterii sui: conf. istud quoad res illas nunquam amittet privilegium; cùm non sit æquuum, ut ex Religiosi sui delicto gravamen sentiat in suis Juribus, & Immunitate. *Excipitur*, si negotietur de bonis alicujus personæ Laicæ; cùm enim tunc personam sustineat Laici, sicut iste immunitate non gaudet in suis bonis, ita nec ille debet gaudere, ne alioquin Ecclesia censeatur fovere ejus delictum, Pellizar. *c.* 10. *cit. n.* 24. 34

§. II.

De aliis Actibus, qui Personis Ecclesiasticis prohibentur.

SUMMARIUM.

35 36 *Quinam actus alii præter Negotiationem prohibeantur Ecclesiasticis?*
37 *Quid Clerici, & aliæ Personæ Ecclesiasticæ possint circa Judicium sanguinis?*
38 *An authoritativè eidem possint interesse?*
39 *An illud delegare?*
40 *Quomodo delegare illud possint?*

41 *Ad*

41 *Ad quem appellandum ſit à ſententia hujuſmodi Delegati?*
42 *An Judicium ſanguinis prohibeatur etiam Clericis, qui in minore Ordine conſtituti ſunt?*
43 *An iſti Ordines ducere, & pugnare in bello poſſint?*
44 *Quomodo, & ex qua cauſa Religioſi, & Clerici bello intereſſe poſſint?*
45 *An Religioſi, & Clerici exercere Chirurgiam ſaltem ſine inciſione, vel aduſtione poſſint?*
46 *Reſpondetur etiam hoc prohibitum eſſe.*
47 *Exceptio.*
48 *Solvuntur Argumenta oppoſita.*
49 *An, & quatenus Clerici, & aliæ Perſonæ Eccleſiaſticæ Procuratores Laicorum eſſe poſſint in Judicio?*
50 *Vel extra illud?*
51 *Cum qua limitatione hoc ſit prohibitum?*
52 53 54 *Quibus Clericis interdictum ſit Officium Tabellionatus?*
55 56 57 *In quibus cauſis, & caſibus iidem exercere hoc poſſint?*
58 &c. *An valeant Inſtrumenta, à Clericis, vel Religioſis Notariis confecta?*
63 64 *An gubernationem Civitatis, Provinciæ &c. ſine diſpenſatione Pontificia gerere poſſint Clerici non Sacerdotes?*
65 *An, & quomodo Perſonæ Eccleſiaſticæ poſſint eſſe Conſiliarii Principum Sæcularium?*

35 Quæritur 1. quinam alii Actus prohibeantur Eccleſiaſticis? Reſp. præter Negotiationem, de qua hactenus, prohibetur iiſdem 1. *agitatio judicii ſanguinis*, ut habetur *c. Clericis* 5. & *c. ſententiam* 9. *hoc titul.* idque ſub pœna excommunicationis, & loci, ſeu ut Abb. *in c. Clericis cit. num.* 2. Gonzal. *ibid. num.* 2. Pirh. *hic num.* 11. explicant, Officii, & Beneficii privatione.

2 *Ordinatio aciei*, & directio militum in pugna *can. eos qui* 3. *cauſ.* 20. *quæſt.* 3. *can. quicunque* 4. & *ſeqq. cauſ.* 23. *quæſt.* 8. & *cap. ſententiam cit.* ibi, *Nullus quoque Clericus ruptuariis, vel balliſtariis, aut hujuſmodi viris ſanguinum præponatur:* iterum ſub pœna Anathematis, ſeu excommunicationis majoris *can. eos qui cit.*

3 *Exercitium Artis Chirurgicæ* per inciſionem, & aduſtionem *c. ſententiam cit.* & *c. tua nos* 19. *de Homicid.* fiuntque hanc exercentes, ſi mors, aut mutilatio ſubſequatur, Irregulares.

36 4 *Procurationes*, & *Adminiſtrationes* in rebus Laicorum in, & extra Judicium, ſub pœna depoſitionis ab Eccleſiaſtico Miniſterio, ſeu Officio *c. Sacerdotes* 2. & *c. ſed nec* 4. *h. tit.*

5 *Officium Tabellionis*; nam qui id ſuſceperit, punitur per Beneficiorum ſubtractionem, Appellatione poſtpoſita *c. ſicut te* 8. *h. tit.* & *c. ut officium* 11. *v. verum* 1. *v. ad conſcribendas de Hæretic. in* 6.

6 *Officium Vice Comitis*, & Præpoſiti Sæcularis, ſive Gubernatoris alicujus Provinciæ, vel Civitatis, & Præſidis Curiæ, ſive Cancellariæ Principis *c. Clericis cit. v. jubemus*, ſub interminatione Anathematis, ſeu excommunicationis, ſi Officium tale ſine diſpenſatione Papæ ſuſcipiant.

37 Quæritur 2. quid Clerici, & aliæ Perſonæ Eccleſiaſticæ poſſint circa judicium criminale? Reſpond. diſtinguendo, an agatur de pœna ſanguinis imponenda, an verò de alia, ex qua mors, & mutilatio non conſequatur, e. gr. detruſionis in arctum Monaſterium &c. In judicio criminali, in quo non imponitur pœna ſanguinis, ſed alia cognoſcere tam Epiſcopus, quàm alius Clericus vice Epiſcopi poteſt *c. tuæ* 6. *de pœn.* Abb. *in cap. Clericis* 5. *num.* 11. *hoc titul.* Pirh. *hic n.* 13. *not.* 4. Honor. *n.* 7. Scambog. *num.* 7. Reiffenſtuel. *n.* 14.

Circa Judicium criminale, ubi ſanguinis pœna imponitur, immediatè, & per ſe Clericus nihil poteſt, adeo, ut nec dictare, nec ſcribere ſententiam ad hujuſmodi pœnam ipſi liceat, neque conſilium, vel auxilium ad mortem, vel mutilationem dare, vel etiam hujuſmodi actibus authoritativè intereſſe; alioquin Irregularitatem incurret, ſi ex tali facto mors, vel membri detruncatio, ſive mutilatio ſequatur, & deponi debeat ab officio, & Beneficio, ut conſtat ex *capitul. Clericis cit.* & *ibi* Gloſſ. *V. aut judicent*, & *c. ſententiam* 9. *eod. junct.* Gloſſ. *V. ſanguinis*, Abb. *ibid. num.* 2. 3. & 11. Pirh. *num.* 13. *hic*. Scambog. *n.* 7. Reiffenſtuel. *num.* 12. idque Jure Eccleſiaſtico ſtatutum eſt propter horrorem; quia Clerici à Chriſto electi ſunt in miniſterium ſalutis, unitatis, & manſuetudinis *can. ſæpè* 29. *cauſ.* 23. *quæſt.* 8. ideo judicium ſanguinis eorum ſtatum, & conditionem non decet. Abb. *l. cit. n.* 2.

38 Dixi 1. *quòd non poſſint authoritativè intereſſe judicio ſanguinis*; Nam ſi Clericus ei tantùm interſit, ſine ulla cooperatione, non fit ideo Irregularis, ita, ut deponi debeat; quamvis alia ratione debeat puniri, quia interfuit contra præceptum SS. Canonum. Gloſſ. *in c. ſententiam cit. V. ſanguinis in fin.* Abb. *ibid. n.* 6. Pirh. *n.* 13. *not.* 1. Reiffenſtuel. *n.* 21.

Dixi 2. *immediatè*; nam ſuffragium dare pro Lege criminali condenda Clerici poſſunt: nec propterea Irregulares fient, quamvis ex tali Lege pœna mortis aliquis puniatur. Barboſa *in c. Clericis cit. n.* 3. Paſſerin. *in c. fin. eod. in* 6. *n.* 6. & alii apud iſtos.

39 Dixi 3. *per ſe*; nam Epiſcopus, vel Prælatus alius, qui Juriſdictionem temporalem in aliquo loco obtinet, delegare cauſam etiam ſanguinis poteſt alteri, eique injungere, ut veritatem inquirat, & juſtitiæ debitum exequatur *cap. fin. h. tit. in* 6. Gloſſ. *ibid. V. Epiſcopus*, & *V. ſuper hoc*. Vivian. *ibid. pr.* Paſſerin. *n.* 1. Barboſa *in cap. Clericis cit. num.* 8. Pirh. *hic num.* 14. & 15. Scambog. *num.* 7. Idque procedit, ſive tales Prælati, vel Clerici habeant juriſdictionem temporalem ratione Eccleſiæ, ſive ratione Patrimonii. Franc. *in c. fin. cit. num.* 2. Honor. *n.* 7. Pirh. *num.* 15. Ratio eſt; quia aliàs inanis foret juriſdictio, & facultas corrigendi, ſi ejuſmodi cauſas non poſſet delegare Superior. Unde hic caſus eſt ſpecialis, in quo quis poteſt per alium, quod non poteſt per ſeipſum. Gloſſ. *in cap. fin. cit. in notat.* Pirh. *num.* 15. *cit.* & licita ſunt quædam in genere, quæ non licent in ſpecie, ſi nimirum deſcenſus ad ſpecialia occaſionem mali inducat *arg. cap. ſi Sacerdos* 2. *junct.* Gloſſ. *V. nominatim de Offic. Jud. Ordin.* Gloſſ. *in c. Clericis citat. V. aut judicent.*

40 *Dubitatur* 1. quomodo delegare cauſam ſanguinis Eccleſiaſticus, juriſdictionem temporalem obtinens, debeat? Reſp. Delegatio hæc non debet determinatè fieri ad imponendam pœnam mortis vel mutilationis; ſic enim cenſeretur jam ipſe delegans ex ſe ſententiam ſanguinis protuliſſe, & ſolam executionem pœnæ commiſiſſe alteri: unde non vitaretur irregularitas. Paſſerin. *in capit. fin. cit. num.* 3. *Excipitur*, ſi ita deleget alteri, ut hic proferat ſententiam ſanguinis in caſu, quando Juſtitia ſic exegerit; quia commiſſio iſta non eſt directè, & abſolutè, niſi ad juſtitiam: & aliàs, qui committeret cauſam homicidii cum juſſione faciendi juſtitiam, jam incurreret Irregularitatem; quia hæc commiſſio imbibitam habet hanc conditionem, ut delegatus reum damnet ad pœnam Sanguinis, ſi id petat juſtitia. Conſultum tamen omnino eſt, ut Epiſcopus, vel alius Prælatus, habens juriſdictionem temporalem, non ſpecialiter, ſed generaliter committat alicui Laico poteſtatem cognoſcendi Cauſas ſanguinis, & faciendi vindictam de omnibus malefactoribus. Gloſſ. *V. aut judicent cit.* Abb. *ibid. n.* 12. Pirh. *n.* 15. Reiffenſtuel *n.* 14.

41 Dub. 2. ad quem appellandum ſit à ſententia hujuſmodi Delegati? Reſp. appellari debet ad ipſum Epiſcopum, vel Prælatum delegantem, qui deinde cauſam appellationis iterum cognoſcere per alium debet. Gloſſ. *in c. Clericis cit. V. aut judicent*, & *in c. fin. cit. V. Epiſcopus*. Neque hoc caſu, etſi Judex delegatus ad pœnam ſanguinis contra juſtitiam proceſſerit, id Epiſcopo, vel Prælato deleganti imputabitur ad culpam; quia is mandavit juſtitiam fieri. Gloſſ. *in cap. fin. cit. V. Juſtitia mediante*, Paſſerin. *ibid. numer.* 8. Pirh. *n.* 15. *cit.*

42 Dub. 3. in quibus Clericis prohibitio hæc pœnalis locum obtineat? Reſp. locum obtinet non ſolùm in Clericis conſtitutis in Ordine aliquo majore, ſed etiam in iis, qui Ordine ſolùm minore initiati ſunt, ut patet ex *c. ſententiam* 9. *h. tit.* ubi univerſaliter dicitur, *Nec quiſquam Clericus --- dictet &c.* qui autem generaliter loquitur, neminem excludit. Abb. *in cap. cit. n.* 8. Pirh. *n.* 13. *not.* 2.

43 Quæritur 3. an ordines ducere, & contra hoſtes pugnare armati poſſint ſaltem Clerici in minoribus conſtituti, & Religioſi Laici? Affirmant aliqui cum Covar. *in Clem. ſi furioſus p.* 2. §. 3. *n.* 2. allegantes pro ſe conſuetudinem. Sed verior eſt negativa, ſi Beneficium habeant, & fori privilegium retinere, atque in Clericatu perſeverare velint. Vvieſtner *hic n.* 12. Ratio eſt, quia Canones hoc prohibentes inter Clericos, & Monachos non diſtinguunt. Accedit, quia etiam in his pugnat ratio, ob quam Clericis, qui in Sacris conſtituti ſunt, iſta prohibentur, cùm etiam ipſi ſint Mili-

tiæ Christi adscripti, ac proinde Christo, non sæculo militare debeant *can. reprehensibile* 19. *caus.* 23. *quæst.* 8. *Excipitur* casus gravissimæ necessitatis publicæ *capit. pervenit* 2. *de Immunit.* Et de hoc casu intelligenda est consuetudo ab Adversariis allegata; nam extra hunc valdè dubium est, an ulla consuetudine legitima receptum sit, ut Clerici, etiam in Minoribus constituti, si animum perseverandi in Clericatu retineant, ducere ordines, & pugnare contra hostes armati possint.

44 Dixi, *ducere ordines, & pugnare*; nam ex alio fine Religiosi, & Clerici, etiam in Sacris constituti, bello piè, & laudabiliter intersunt, ut scilicet functiones suas Spirituales erga milites ibi exerceant, hisce lebrent Sacrificium Missæ, & cætera Divina administrent, eosque consolentur: Imò si bellum sit justum, animare illos ad pugnam possunt, dummodo eos expressè, & specialiter non incitent ad occisionem, vel mutilationem hostium, quos servare sine suo discrimine possunt; quia hoc eorum statui non adversatur. Vviestner *hic n.* 13. & sumitur ex *can. omni* 9. & *can. seq. caus.* 23. *quæst.* 8.

Neque obstat *cap. quod in dubiis* 5. *de pœnis*, ubi Innocentius III. Sacerdotes, qui ad conflictum milites incitarent, secundum veterum Canonum rigorem deponendos asserit; nam hoc intelligendum est de incitatione ad pugnam injustam, & ad determinatam hostilium personarum occisionem, vel mutilationem, Gloss. *in cap. cit.* Suar. *D.*47. *de Censur. sect.* 6. *n.*10. Gonzal. *in cap. fin. de homicid. n.* 14. *in fin.* Vviest. *hic n.* 13.

45 Quæritur 4. an Clerici, & Religiosi Chirurgiam exercere valeant saltem sine incisione, vel adustione? Affirmant Covar. *in Clem. si furiosus p.* 2. §. 4. *n.* 2. *vers. sic &*, ex ratione quòd nullo jure prohibeantur. *Et confirmat* ex *c. ad aures* 7. *de ætat. & qualit.* ubi Canonicus ab Irregularitate immunis pronuntiatur, qui mulieri medicinam porrexit, licèt hac sumpta, mortua fuerit, ex causa, quòd ipse Chirurgicæ, & Medicæ artis peritus, juxta ejus artis præcepta Medicinam paraverit.

46 Sed dicendum, Clericis, & Religiosis Chirurgicæ, & Medicæ artis exercitium generaliter interdictum esse. Ita Sylv. *V. Medicus q.*2. Abb. *in c. sententiam* 9. *h. tit. num.*22. Navar. *Man. c.*15. *num.* 110. Suar. *D.* 47. *Censur. sect.* 6. *n.* 18. Sanch. *l.* 6. *mor. c.* 14. *à num.* 18. Pellizar. *Man. Regul. tom.* 1. *tr.* 6. *c.* 14. *n.*33. Mendo *de Jur. Acad. l.*2. *q.*80. *num.*364. Barbosa *in c. fin. h. tit. n.* 3. *fin.* Zoes. *hic n.* 4. Pirh. *num.* 21. *not.* 3. Vviestner *num.* 14. Reiffenstuel. *n.* 16. Ratio est, quia harum artium exercitium pertinet ad negotia sæcularia, quæ ipsis generaliter prohibentur *c. multa* 1. *h. tit.* & *c. Clericis* 15. *de Vit. & Honest. Proceditque hoc* etiam de Clericis, qui in minore duntaxat Ordine constituti sunt, si Beneficium ad sustentationem sufficiens habeant. Abb. *in c. sententiam cit. num.* 22. Navar. *Comment. de Regul. num.* 28. Sanch. *l.*6. *moral. c.* 14. *num.* 15. Pirh. *num.* 21. *cit. not.* 2. Vviestner *n.* 14. *cit.*

47 *Excipitur*, si hujusmodi artem erga personas miserabiles, aut cognatas exerceant causa pietatis; nam ex hac causa susceptum artium istarum exercitium, cùm negotium Sæculare non sit, Clericis, & Religiosis permissum est, modò absque incisione, & adustione fiat. Sanch. *n.* 34. Mendo *n.* 366. Pirh. *n.* 21. *not.* 4. Vviestner *n.*15. Reiffenstuel *n.*16. Dixi, *Modò absque incisione, & adustione fiat;* nam Chirurgiam per incisionem, & adustionem exercentes nec causa pietatis à culpa excusat, & si mors sequatur, Irregulares fiunt. Abb. *in c.*19. *de Homicid. n.*5. Ant. de Butrio *ibidem n.*4. Vviestner *n.* 14.

48 Ex quo patet ad Argumentum Covar. *n.* 45. allatum. *Ad Conf.* sumptam ex *cap. ad aures cit.* dico, ideo Canonicum ibi ab Irregularitate pronuntiari liberum, quia Chirurgicæ artis exercitium Clericis prohibetur, non ob periculum mortis, vel mutilationis, sed potiùs ob indecentiam, ut cum aliis advertit Vviest. *hic n.* 15.

49 Quæritur 5. an, & quatenus Clerici, & aliæ Personæ Ecclesiasticæ Procurationem, vel Administrationem pro Laicis in se possint suscipere? Respond. distinguendo inter Procurationem in Judicio, & extra illud. Coram Judice Ecclesiastico Procuratores Laicorum esse possunt, saltem in causis Ecclesiasticis; quia id non prohibetur ullo Jure. At coram Judice Sæculari esse non possunt, nisi ex Charitate, vel amicitia, aut ob causam pietatis, & ad unum, vel alterum negotium, non autem quoad omnia negotia *can. fin. dist.* 86. Abb. *in c. Sacerdotes* 2. *h. tit. n.* 2. & 4. Pirh. *hic n.* 17.

Extra Judicium Procuratores, & Administratores Laicorum iterum esse non possunt, nisi ex causa pietatis & *c. Sacerdotes cit.* & *c. sed nec* 4. *h. tit.* Quod si autem, postquam ab Episcopo ei publicè denuntiatum fuerit, nihilominus facere hoc præsumpserint, & occasione talis Administrationis in re pecuniaria deprehendantur in fraude, Ecclesia eis non subvenit pecunia, vel alio modo *c. Sacerdotes cit.* quia fecerunt se indignos auxilio Ecclesiæ, contraveniendo ipsius prohibitioni. Gloss. *ibid. V. ab Ecclesia*, Vivian. *ibid. vers. quodsi contrà fecerint*, Barbosa *num.* 1. Pirhing *n.*16. & alii passim. Non tamen propterea tales Clerici amittunt privilegium Clericale fori, ita, ut ratione fraudis, in Administratione Laicorum commissæ, à Judice Sæculari capi possint, vel ad forum Sæculare trahi, sed conveniri adhuc coram Judice Ecclesiastico debent. *Ratio est*, quia ad amittendum fori privilegium Jura requirunt trinam monitionem; ideoque illa monitio Episcopi, etsi publica sit, sola non sufficit *c. fin.* junct. Gloss. *V. tertiò de Vit. & Honest.* Abb. *ibid. num.* 7. Vivian. *in c. Sacerdotes cit. vers. quodsi contrà*, Barbosa *ibid. num.* 4. Gonzal. *num.* 4. *circa fin.* & *n.*6. *circa med.* Honor. *hic n.* 5. Pirhing *ibid. n.*16. Konig. *n.*5.

Extenditur prohibitio hæc etiam ad Clericos non Sacerdotes, si in Sacris constituti, aut Beneficiati sint, ut tradit Abb. *l. cit. not.* 1. Et verum est, ut neque possint esse Ministri Laicorum, aut famuli domestici illorum. Pirhing *num.* 17. aut suscipere qualiacunque illorum negotia Sæcularia, cum duplici tamen limitatione. *Una* est quoad personas Sæculares miserabiles, uti sunt pauperes, pupilli, viduæ, & similes; harum enim tutelam, & defensionem Clerici non tantùm licitè, sed & laudabiliter suscipiunt *can. fin. dist.* 86. Fagnan. *in c. multa* 1. *h. tit. n.* 5. Gonzal. *ibid. num.* 5. Zoes. *hic num.* 2. Engl. *num.* 3. Reiffenstuel *num.* 4. *Altera* limitatio facienda est quoad Prælatos Ecclesiasticos, qui sub Imperatore, vel alio Principe terras, & bona temporalia possident, ratione quorum non secus, ac alii Domini Sæculares ad Comitia, & Consilia vocantur, & ibidem diversa Officia suscipiunt; cùm enim talia Officia maximè cedant in utilitatem Ecclesiarum, in quarum præjudicium sæpe aliàs per Dominos Sæculares multa inducerentur, ideo non est verisimile, quòd ista SS. Canones prohibere voluerint, sed potiùs illa, quæ in se suscipiunt Ecclesiastici causa privatæ avaritiæ cum neglectu Divini servitii, ut colligitur ex *can. fin. cit.* & notant Engl. *n.*4. Reiffenstuel *n.*5. 51

Quæritur 6. quibus Clericis interdictum sit Officium Tabellionatus? Resp. distinguendo, an habeant competens Beneficium Ecclesiasticum, vel non. *Si primum*, Officium hoc interdictum est omnibus, prout de Clericis, qui in SS. Ordinibus consistunt, patet ex *c. sicut* 8. *h. tit.* ibi, *In Sacris constituti*: de Clericis autem, qui in Minoribus solùm sunt, probat ratio; nam ideo Officium Tabellionatus prohibetur Clericis, quia est officium quoddam publicum, Sæculare, & speciem quandam negotiationis habet; atqui etiam Clerici minores arcentur ab Officiis publicis, & quæ speciem quandam negotiationis habent, ut patet ex dictis *n.* 6. ergo &c. Fagnan. *in c. sicut cit. num.* 22. Honor. *hic n.*18. 52

Si secundum, probabilius est, quòd exercere Officium Tabellionis possint etiam constituti in Sacris *arg. c. sicut cit.* quod, dum iis Officium Tabellionatus prohibet sub pœna subtractionis Beneficiorum, supponit ipsos habere Beneficium; igitur à sensu contrario, si non sint Beneficiati, exercere id poterunt. *Ratio est*, quia Clerici, etiam in Majoribus constituti, si egeant, honestam negotiationem exercere non prohibentur, ut dictum est *n.* 16. conf. nec Officium Tabellionis interdici iisdem debet, ut post *Host.* docet Joan. Andr. *in c. sicut cit. n.* 4. Abb. *ibid. n.* 8. Fagnan. *n.* 23. Pirh. *hic n.* 25. 53

Excipitur, si Clericus ejusmodi careat quidem Beneficio, sed habeat, unde commodè vivat, ex bonis Patrimonialibus; nam huic non est licitum negotiari, conf. nec exercere officium Tabellionatus. Fagn. *n.*25. Pirh. *n.*25. *Neque obstat*, quòd Clericis non obtinentibus Beneficium, non possit interdici hoc Officium per subtractionem Beneficiorum, ut habetur *cap. sicut cit.* quia poterit id illis interdici per alias pœnas, quæ SS. Canonibus, & Generalibus Conciliis contra Clericos Negotiatores, sive Sæcularia negotia exercentes sunt decretæ, quas innovavit Trid. *sess.* 22. *c.* 1. *de reform.* 54

Dub. I.

55 Dub. 1. in quibus causis, & casibus Clerici exercere Officium Tabellionatus possint? Resp. 1. exercere illud Clerici, & Religiosi possunt favore Fidei in causa Hæresis *cap. ut officium* 11. §. *Verùm* 1. *vers. ad conscribendas de Hæret. in 6.* Vivian. *in cap. sicut* 8. *h. tit. fin.* Fagnan. *ibid. num.* 67. Barbosa *num.* 5. Gonzal. *n.* 2. *fin.* Vvagnereck *in Exeges.* Honor. *hic n.* 27. Reiffenstuel *num.* 6.

2 Clericus, etiam in Sacris constitutus, & Beneficium Ecclesiasticum habens potest esse Notarius Papæ, & in Curia Romana hoc Officium exercere propter tacitum consensum Summi Pontificis, qui eum tunc habilem reddere censetur, & propter tantæ Curiæ dignitatem. Abb. *in cap. sicut cit. num.* 6. Covar. *pract. cap.* 19. *num.* 8. *concl.* 1. Fagnan. *loc. cit. num.* 62. Barbosa *num.* 7. & 8. cum *citt.*

56 3 Secundùm aliquos non prohibetur Clericus, etiam in Sacris constitutus, exercere Officium Notariatus, etiam extra Curiam Romanam coram Judice Ecclesiastico, & in causis Ecclesiasticis, saltem si non habeat Beneficium Ecclesiasticum competens. Abb. *n.* 6. *cit.* Ugolin. *de offic. Episc. cap.* 13. §. 7. *except.* 7. Vvagnereck *loc. cit.* Sed hoc, ut Gloss. *fin. in cap. citat.* Covar. *concl.* 2. Pirh. *num.* 27. & alii censent, solummodo verum est, quando talis Clericus omnino eget. Secus, si aliunde habeat, unde vivat, secundùm dicta *num.* 54. Ratio est, quia *cap. sicut cit.* simpliciter, & nullo discrimine inter causas temporales, & Ecclesiasticas, præcipitur Clericis interdici hoc Officium.

57 4 Si alicubi vigeat consuetudo, ut Clerici, etiam in Sacris constituti, & Beneficium habentes, Officium Notariatus exercere in causis Ecclesiasticis possint. Laym. *l.* 1. *tract.* 5. *p.* 5. *cap.* 8. *num.* 4. Barbosa *in capit. sicut cit. num.* 9. Pirh. *num.* 27. *fin.* Reiffenstuel *num.* 6. quia Officium Tabellionatus in causis Ecclesiasticis absolutè non dedecet Clericos, neque in specie illis prohibitum reperitur in iis causis. igitur per contrariam consuetudinem induci potest, ut in illis causis possint id exercere.

58 Dub. 2. an valeant Instrumenta à Clericis, & Religiosis Notariis confecta? Satis convenit inter DD. quòd Religiosus, qui in Sæculo Tabellio fuit, etiam post Professionem possit complere, & signare Instrumentum, quod ante Professionem, vel ingressum in Religionem ab eodem in cujus Protocollo conscriptum, & coram ipso à contrahentibus in perfectam conventionem deductum fuit. Gloss. *in c. ut Officium* 11. *V. præmissa de Hæretic. in* 6. Pirh. *hic num.* 28. *vers. porro.*

59 *Difficultas* est de iis Instrumentis, quæ in Sæculo, vel ante susceptionem Clericatus nondum inchoata fuerunt, neque negotium in Protocollum ab eo relatum. Communiter distinguunt DD. inter Religiosos, & Clericos Sæculares. Novum Instrumentum, à *Religioso* sine licentia Abbatis sui confectum, ipso Jure nullum est, ob defectum potestatis; quia in Religiosis major est prohibitio, quàm in Clericis Sæcularibus, ut colligitur ex *c. sed nec* 4. *fin. h. tit.* Covar. *pract. c.* 19. *n.* 8. *concl.* 4. *vers. Monachus verò*, Pirh. *vers. porro cit.*

60 Quoad *Clericos Sæculares* altera distinctio est adhibenda; nam si talis Clericus Instrumentum confecit, antequam ipsi interdiceretur Officium Tabellionatus, Instrumentum, licèt illicitè hoc modo fiat, factum tamen valet, & fidem nihilominus facit. Host. *in c. sicut* 8. *h. tit. col.* 2. §. *è converso.* Joan. Andr. *ibid. n.* 3. Abb. *num.* 10. & 11. Sylv. *V. Tabellio q.* 3. *dict.* 5. Covar. *pract. c.* 19. *num.* 8. *concl.* 4. *vers. quodsi Sacerdos.* Sanch. *l.* 6. *Mor. c.* 13. *num.* 48. Vivian. *in c. sicut cit. fin.* Fagnan. *num.* 34. Barbos. *n.* 3. & 4. Gonzal. *num.* 2. *fin.* Honor. *hic num.* 19. Engl *n.* 5. Zoes. *n.* 3. Pirh. *n.* 28. *pr.* Konig *n.* 19. Reiffenstuel *num.* 5. & colligitur ex *c. sicut cit.* ubi dicitur interdicendum hoc Officium Clericis. ergo per Clericatum supervenientem illud non perdiderunt; aliàs frustra ipsis interdiceretur. *Ratio est*; quia Instrumenta sic confecta nullo jure sunt irritata; ac proinde valida censeri debent, præsertim cùm eorum ita confectorum nullitas non conficienti, sed partibus, inter quas gestum negotium est, damnosa sit.

61 Quodsi verò Instrumentum confectum à Clerico Sæculari est, postquam jam interdictum est ei, ne conficiat Instrumentum, tertia adhibenda distinctio est. Vel enim publicè, & per Edictum solemniter promulgatum id ipsi est interdictum, vel non palàm, & publicè hoc factum est. *Si primum*, non valent Instrumenta postea ab ipso confecta; quia gesta ratione publici Officii post interdictum Superioris non tenent *c. veritatis* 8. & *capit. fin. de dol. & contum.* sicut etiam contractus initi à Prodigo, postquam ei per Judicem bonis est interdictum, non valent. *l. is cui* 6. *ff. de V. O.* Ita DD. *citt.*

Si secundum, tenet quidem Interdictum in præjudicium Clerici, cui factum est, ut propterea privari Beneficio possit, gesta tamen valent ratione publici officii, saltem quoad partes ignorantes. Abb. *in c. sicut cit. n.* 10. & 11. Covar. *c.* 19. *cit. n.* 8. *concl.* 4. *vers. quodsi Sacerdos.* Fagnan. *n.* 37. & *seqq.* Pirh. *n.* 28. *cit.* 62

Neque dicas, prohibitionem solemnem tum factam, quando constitutio *c. sicut cit.* est promulgata; nam ea constitutione nulla fit verè, & actu prohibitio, sed tantùm exercitium Tabellionatus mandatur prohiberi per Superiorem. *Accedit*, quia interdictum Judicis plus efficit, quam interdictum Legis. igitur priusquam hoc à Judice fiat, Clericus toleratur videtur in Officio Tabellionatus; ideoque valere debent gesta ratione publici Officii, licèt, si illud exerceat, puniendus sit. Bartol. *in l. universo* 15. *n.* 2. *C. de Decurion.*

Quæritur 7. an gubernationem Civitatis, Provinciæ &c. sine dispensatione Pontificia gerere possint saltem Clerici non Sacerdotes? Resp. non posse licitè, prout omnes advertunt. 63

Dubium 1. est, an eam absque Pontificis dispensatione gerentes Excommunicationem incurrant, quam ipso facto incurrunt Sacerdotes *cap. Clericis* 5. *vers. jubemus* junct. Gloss. *fin. ibid.* Abb. *in cap. cit. num.* 14. Navar. *Man. c.* 27. *num.* 117. Suar. *de Censur. D.* 23. *sect.* 3. *n.* 22. Vviest. *hic n.* 19. & alii passim. Affirmant Sylv. *V. Excommunicatio* 9. *num.* 28. Abb. *l. cit. n.* 8. *arg. can. de crimine* 1. *caus.* 15. *q.* 5. ubi qui principio Diaconus, sub finem compellatur Sacerdos; & *c. si quisquam* 2. *de cohabit. Cler. & mul.* ubi in terminis habetur, Sacerdotis nomine etiam Diaconum, & Subdiaconum comprehendi.

Sed dicendum, Clericos non Sacerdotes (idem de Episcopo sentiendum) hujusmodi gubernationem suscipiendo, & gerendo ipso facto Excommunicationem non incurrere. Ita Suar. *de Censur. sect.* 3. *cit. nu.* 21. Henriq. *l.* 12. *c.* 5. *n.* 5. Filluc. *tr.* 14. *c.* 7. *q.* 4. *n.* 106. Barbos. *in c. Clericis cit. n.* 6. Vviest. *hic n.* 20. Ratio *de Episcopo* est, quia hic generali Constitutione, Censuram infligente, non afficitur, nisi ipsius expressa mentio habeatur *c. quia periculosum* 4. *de sent. Excomm. in* 6. *De cæteris Clericis*; quia *c. Clericis cit.* latam à se Censuram ad Sacerdotem solùm restringit; conf. de hoc solo, quia Constitutio pœnalis est, intelligi debet. 64

Hinc ruit Argumentum oppositum.

Dub. 2. an, & quatenus Prælatus, vel alius Clericus possit esse Consiliarius Principis Sæcularis? Resp. posse illum esse Consiliarium talis Principis, patet ex praxi: vitare tamen debet, ne consilium, & mentem suam dicendo circa causam criminalem Irregularis fiat. Hinc si ab eo quæratur consilium de imponenda pœna mortis, vel mutilationis membrorum ob delictum aliquod, consulere quidem potest, ut reus absolvatur, non autem, ut condemnetur ad talem pœnam; modò in causa absolutionis non immineat periculum pœnæ talionis inferendæ Actori; nam Irregularitas contrahitur etiam ex consilio *can. siquis* 8. *dist.* 50. junct. Gloss. *V. consilio.* Quòdsi agatur solùm de levi pœna corporali infligenda, potest consilium dari citra periculum Irregularitatis. Host. *in c. Clericis cit.* §. *jubemus* Abb. *ibid. n.* 9. & 10. Barbos. *n.* 4. Pirh. *n.* 19. *not.* 3. 65

§. III.

De Studiis quibusdam, quæ Personis Ecclesiasticis prohibentur.

SUMMARIUM.

66 *Clericis, & Religiosis prohibetur Studium Legum, & Medicinæ.*
67 *Sub pœna Excommunicationis ipso facto incurrendæ.*
68 *Nec possunt ad hoc dare licentiam Superiores Regulares.*
69 *Ratio prohibitionis.*
70 71 72 73 *Requisita, ut pœnam hanc incurrant Religiosi.*
74 *Requisita, ut eam incurrant Clerici Sæculares.*
75 *Quinam Clerici immunes à pœna hac sint?*
76 *An Religiosi, & Clerici prohibeantur etiam docere Leges, & Physicam?*

66 QUæritur 1. quænam Studia prohibeantur Religiosis, & Clericis Sæcularibus? Resp. prohibetur ipsis Studium Physicæ, i. e. Medicinæ, & Legum Mundanarum, sive Juris Civilis *c. non magnopere* 3. & *c. fin. vers. quia verò h. tit.* adjecta pœna Excommunicationis in Religiosos, qui ad hæc Studia exierint è Claustro, & ad illud infra duorum mensium spatium non redierint & adjungitur, ut in nulla causa, si patrocinium præstare voluerint, audiantur; reversi autem in Choro, Capitulo, mensa, & cæteris omnibus ultimum locum inter Fratres habeant, & spem omnis promotionis amittant, nisi misericordiam Sedis Apostolicæ fuerint consecuti, sive cum illis fuerit dispensatum: quæ pœna confirmatur, & declaratur *c. fin. cit.* ubi eadem Excommunicatio etiam extenditur ad Clericos Sæculares.

67 Incurritur autem Excommunicatio ista ipso facto, ut constat ex *c. non magnopere cit.* ibi, *Sicut Excommunicati ab omnibus evitentur;* non tamen est reservata Papæ: unde ab illa absolvere potest Episcopus proprius, & ille, in cujus Diœcesi stud:nt, & ubi deliquerunt, ac pro tempore versantur, saltem quod attinet ad Clericos Sæculares. Abb. *in c. fin. h. tit. n.* 11. Pirh. *hic n.* 36. *not.* 4.

68 Neque possunt ad hoc Superiores Regulares iidem Religiosis suis dare licentiam; tum quia inferiores Papa non possunt dispensare in Legibus Canonicis, præsertim in Decretis Concilii Generalis, nisi specialiter id eis concessum sit; tum quia *in cap. non magnopere cit.* dicitur, *Nulli omnino -- permittantur exire*, per quam vocem omnis omnino dispensatio videtur prohiberi. Abb. *in c.* 3. *h. tit. n.* 5. Suar. *de Censur. D.* 23. *sect.* 3. *n.* 13. Pirh. *n.* 33. *not.* 5.

69 *Ratio prohibitionis* duplex refertur: una *c. non magnopere cit.* ne viri Spirituales occasione scientiæ mundanis rursum actionibus involvantur; altera *c. fin. cit.* ne cupiditate discendi Scientias tam honorificas, & quæstuosas avertantur à SS. Theologiæ studio, prout factum est tempore Constitutionis *c. fin.* relatæ. Sub Theologia autem hoc loco comprehenditur etiam Jus Canonicum; quia Scientia Canonica est pars Divinæ *c. qualiter* 24. *de Accusat.* & æquè utilis est Ecclesiæ Dei, quàm Theologia. Abb. *in c. fin. cit. numer.* 7. Fagnan. *in c. non magnopere cit. num.* 15. Pirh. *num.* 35.

70 Quæritur 2. quibusnam sit vetitum audire Medicinam, & Leges Civiles? Resp. 1. & ante cæteros id prohibetur Religiosis *c. non magnopere* 3. & *c. fin. h. tit.* 2. Archidiaconis, Decanis, Plebanis, & similibus Clericis, Dignitatem, vel Personatum obtinentibus *c. fin. cit.* & *c. statutum* 1. *eod. in* 6. 3. Præsbyteris quibuscunque *c. fin. cit.*

71 Ut Religiosi pœnas his Juribus statutas incurrant, tria debent concurrere. 1. ut talis sit verè Religiosus, seu adstrictus Votis substantialibus: quod innuitur per verba, *Post Votum Religionis, & post factam in aliquo loco Religioso Professionem.* Estque perinde, sive talis Religiosus sit Professus, sive ligatus solùm Votis simplicibus, ut in Societate Jesu sunt Scholastici approbati. Pirh. *n.* 31.

2. Etiam requiritur, ut vel hac intentione egrediatur è Monasterio, vel ex alio fine egressus, extra illud perseveret animo navandi operam Medicinæ, & Juri Civili. Abb. *in c. non magnopere cit. n.* 8. Suar. *de Censur. D.* 23. *sect.* 3. *n.* 15. Pal. *tr.* 29. *D.* 3. *p.* 32. *n.* 4. Filliuc. *tr.* 14. *c.* 8. *q.* 2. *n.* 127. Pirh. *hic n.* 31. *not.* 2. Vviestner *ibid. n.* 22. Quare si non exeant, sed intra Claustra sua Jus Civile, vel Medicinam audiant, aut eis studeant privatim, non incurrunt Excommunicationem, aliasque pœnas statutas; quia Constitutio pœnalis non debet extendi ultra propriam verborum significationem, sed potiùs restringi. Innoc. *in c. fin. cit. pr.* Abb. *ibid. n.* 3. Vivian. *in Ration. in fin.* Fagnan. *n.* 22. & 35. Barbos. *num.* 3. Mendo *de Jur. Acad. l.* 2. *q.* 30. *n.* 355. Pellizar. *Man. Regul. to.* 1. *tr.* 6. *c.* 14. *num.* 13. Pirh. *hic n.* 31. *not.* 2. Reiffenstuel *n.* 9. *ibid.* Vincent. Petra *tom.* 4. *Comment. fol.* 356. *num.* 7. Probabile etiam est, ab Excommunicatione, & aliis pœnis per Jura allegata latis, immunem esse Religiosum, qui exit quidem è Monasterio ad audiendas has scientias, sed extra Claustrum non moratur, quia solùm publicam Accademiam accedit, ita tamen, ut quotidie ad Claustrum redeat; quia verba illa textus, *Si ad Claustrum suum intra duorum mensium spatium non redierint*, indicant, quòd debeant exire ad audiendum, ita, ut habitent extra Claustrum, & duobus mensibus extra illud versentur: quod non fit, si solùm exeant ad audiendum, & quotidie ad Claustrum revertantur, debent autem verba Legis pœnalis accipi in sensu proprio. Ita Suar. *sect.* 3. *cit. n.* 11. & 12. Barbos. *in c.* 3. *h. tit. n.* 6. Pirh. *n.* 32. *not.* 3. Schamb. *n.* 10. 72

3. Requiritur, ut postquam è Claustro suo egressus Religiosus est, & ad Disciplinarum illarum studium adjecit animum, intra duorum mensium spatium ad Monasterium suum non sit reversus. Abb. *in c. fin. cit. numer.* 8. Suar. *sect.* 3. *cit. n.* 16. Bonacin. *de Censur. D.* 2. *q.* 8. *p.* 7. *num.* 11. Hinc si hujusmodi Religiosi ante elapsum hoc tempus reversi fuerint, non incurrent Excommunicationem, & alias pœnas. Pirh. *n.* 31. *not.* 2. *fin.* & *nu.* 32. *not.* 4. *fin. Neque obstat*, quòd in *c. non magnopere cit.* dicatur, Excommunicationem ipso facto incurri; nam hoc intelligi debet, non quòd ipso facto incurratur post exitum è Claustro, sed post elapsum tempus bimestre; ut ex contextu satis patet. Fagnan. *in c. fin. cit. n.* 45. Pirh. *n.* 33. *not.* 6. Debet autem bimestre hoc computari à tempore exitus è Claustro ad audiendas istas Disciplinas, & non à tempore, quo illas cœperunt audire; quia potest incurri Censura hæc, etiam antequam eas audire cœperint, *ut infrà n.* 88. dicetur. Abb. *in c. fin. cit. n.* 8. Suar. *n.* 16. *cit.* Barbos. *in c. non magnopere cit. n.* 10. Fagnan. *ibid. n.* 9. & *in c. fin. n.* 46. Honor. *hic n.* 11. Pirh. *not.* 6. *fin.* Vincent. Petra *tom.* 4. *cit. fol.* 356. *n.* 7. 73

Ut pœna Excommunicationis incurratur à Clericis Sæcularibus, sufficit, ubivis audiant Leges, vel Medicinam, etiam in propriis domibus; nam eis, qui Regulares non sunt, & Clausuram non habent, aptari non possunt verba illa textus *de Claustris exeuntes.* Fagnan. *in c. fin. cit. n.* 33. Petra *l. cit. n.* 8. Debetque tempus duorum mensium in his computari ab eo tempore, quo incipiunt audire hujusmodi facultates, cùm computatio aliunde incipere non possit, ut patet ex modò dictis. Suar. *sect.* 3. *cit. n.* 19. Pirh. *n.* 35. *not.* 2. Petra *n.* 8. cum aliis. 74

Immunes inter Clericos Sæculares à pœna sunt. 1. Rectores Ecclesiarum Parochialium, nisi Presbyteri sint, aut Ecclesiæ, quas regunt, Plebaniæ sint, habentes sub se Capellas minores, quibus Vicarii perpetui præponantur; tales enim, uti & cæteri Parochiarum Rectores, si Dignitatem, vel Personatum ex dispensatione obtineant, Leges audire etiam ipsi prohibentur, non quidem ratione suarum Ecclesiarum Parochialium, sed ratione Dignitatis, vel Personatus *c. statutum* 1. *h. tit. in* 6. junct. Gloss. *ibid. V. ratione.* 2. Clerici inferiores, & Diaconi, vel Subdiaconi, & multo magis in Ordinibus Minoribus constituti, qui Dignitatem, & Personatum non habent; nam ad hos *c. statutum cit.* §. *quia verò* nulla fit extensio: ac proinde Leges, & Medicinam audire possunt. Ugolin. *de Offic. Episc.* §. 13. *except.* 1. Suar. *sect.* 3. *cit. n.* 19. Pirh. *n.* 35. *except.* 2. Schambog. *n.* 11. 3. ii Clerici, qui à Papa licentiam obtinuerunt audiendi Jus Civile, vel Medicinam, quam solus Papa dare potest. Ugolin. *l. cit. except. ult.* Pirh. *except.* 4. 75

Quæritur 3. an *c. non magnopere*, *c. fin.* & *c. statutum citt.* dicti Clerici, & Religiosi etiam prohibeantur Phy- 76

Physicam, & Leges docere? Affirmant Host. *in c. fin. cit. n.* 3. Ancharan. *ibid. n.* 3. Sylv. *V. Excommunicatio 9. n. 26.* Rebuff. *de nomin. t. q.* 5. *à n.* 18. Menoch. *de arbitr. caf.* 425. *n.* 33. Gambar. *de Offic. Legat. tit. de var. Ordin. nom. n.* 288. Mandos. *de Signatur. Grat. tit. de Dispens. ad audiend. Leg.* Pellizar. *tom.* 2. *Man. Regul. tr.* 8. *c.* 5. *sect.* 2. *n.* 46. & alii, id desumentes ex *c. non magnopere cit.* ibi, *Ne ad Physicam, Legesve mundanas legendas permittantur exire.* Rationem dant, quia ratio contra docentem eadem militat, quæ contra discentem; nam docendo, & discendo Spirituales mundanis negotiis involverentur.

77 Sed magis recepta doctrina cum Abb. *in c. fin. cit. num.* 16. Navarr. *Man. c.* 27. *n.* 126. *vers.* 6. Suar. *de Censur. D.* 23. *sect.* 3. *nu.* 17. Tolet. *Summ. l.* 1. *c.* 38. *n.* 16. Bonacin. *tom.* 1. *tr. de Clausur. p.* 7. *n.* 9. Mancin. *Sacr. Jur. contr. dissert.* 27. *per totam*, Mendo *de Jur. Academ. l.* 2. *q.* 30. *n.* 360. & *q.* 31. *n.* 378. Barbos. *l.* 3. *Voto* 88. *à num.* 7. & *in c. non magnopere cit. n.* 5. Gonzal. *ibid. n.* 5. Vincent. Petra *tom.* 4. *comment. fol.* 359. *n.* 20. Pirh. *hic n.* 37. *fin.* Schambog. *num.* 12. Wiestner *n.* 25. Reiffenstuel *n.* 10. docet posse Clericos, & Regulares per se, & spectato Jure communi docere Medicinam, & Jus Civile. *Ratio est*, quia in jure communi nulla de hoc extat prohibitio; neque propter infrequentiam casus apparet ratio specialis hoc prohibendi: ac proinde locus est *arg. can. consuluisti* 20. *caus.* 2. *q.* 5. & *can. fin. caus.* 31. *quæst.* 1. Accedit, quia discere Leges, & Medicinam Clericis, ac Religiosis publicè prohibitum est ob rationem, quia tempore, quo Honorius III. Constitutionem *c. fin. cit.* relatam edidit, frequentissimè ad istas audiendas convolabant, & sic SS. Theologiæ Studium negligebant, quod ea Constitutione Pontifex ampliatum voluit: atqui hæc ratio non pugnat in docentibus, cùm qui Legum scientiam ad docendum sufficientem privato studio comparent in Religione, vel ante comparatum ad hanc ferant, paucissimi sint, ut probè advertit Fagnan. *in c. cit. à n.* 43.

78 Dixi *ex se, & spectato Jure communi;* nam has scientias docere publicè Clericis, & Religiosis ex aliis capitibus illicitum reddi potest, si scilicet id Clericis prohibeatur Statuto Diœcesano, vel Religiosis per Constitutiones peculiares sui Ordinis: unde in hoc consulendæ sunt Constitutiones cujusque Religionis, & Prælatorum præcepta, ac consuetudines præscriptæ. In communi autem loquendo, ut Mendo *q.* 30. *cit. n.* 361. notat, id videtur saltem consuetudine prohibitum, ut Religiosi Medicinam, & Jus Civile non doceant, nec Cathedras in his Scientiis moderentur, cùm eorum non sit proprium ejusmodi studium, nec aptum ad finem, qui in Religionibus intenditur; & aliquam indecentiæ speciem respectu Habitus Religiosi præferat, quòd quis hujusmodi Scientiis, maximè Medicinæ, & Chirurgiæ edocendis incumbat.

79 Argumentum sumptum ex *c. non magnopere cit.* verbo *Legendas* leve est; quia ut *l. cit.* explicant *Mancinus, Mendo, Barbosa, Gonzalez*, & alii apud istos, verbum *Legendas* hìc idem sonat, quod *Audiendas*, vel *discendas*, prout clarè desumitur ex *c. fin. cit. pr.* ubi Honorius disertè asserit, in *Concil. Turonens.* cujus Decretum *c. non magnopere cit.* continet, prohibitum fuisse exitum è Claustris *ad audiendum Leges, vel Physicam:* quod verum non esset, si in priori textu Verbum *Legendas* non alium sensum, quam sonum haberet, & non discendo, sed docendo legentes denotaret. *Ad Rationem* adjectam jam ostensum est, diversitatem esse inter docentes, & audientes, cum hi fuerint frequentissimi, illi paucissimi. Accedit, quia docentes non ita implicantur negotiis Sæcularibus, ut discentes, qui plerumque malo, ut fori negotiis implicentur, illi bono Zelo ad scientiam adeo Reip. necessariam communicandam moveantur.

80 Quæritur 4. utrum Clerici, & Regulares recipere possint Gradum Doctoratus in Jure civili, & Medicina? Negat *Rebuffus* relatus à Pellizario *Man. Regul. tom.* 2. *tr.* 8. *c.* 5. *sect.* 2. *num.* 57. sed contra torrentem Doctorum; nam posse ad Gradus hos promoveri Clericos, & Religiosos, si scientias has ante Clericatum, vel Professionem didicerint, istos quidem cum licentia suorum Prælatorum, illos verò etiam sine licentia sui Ordinarii cum *Felin. Calder. Salzed. Emman. Rodriq.* & communi DD. concedunt Sanch. *l.* 6. *mor. c.* 14. *n.* 45. Pellizar. *n.* 57. *cit.* Mendo *de Jur. Acad. l.* 2. *q.* 30. *n.* 360. & *q.* 31. *nu.* 379. Fagnan. *in c. non magnopere cit. n.* 8. Barbos. *in c. fin. cit. n.* 4. Wagnereck *ibid. not.* 3. Pirh. *hic n.* 38. Vincent. Petra *tom.* 4. *comment. fol.* 360. *n.* 22. Sequitur ex dictis *num.* 77. si enim docere has disciplinas possunt, etiam Gradum ex iis recipere poterunt, utpote qui præstat publicum testimonium sufficientiæ, & habilitatis ad docendum. Addit tamen Mendo *num.* 382. licentiam suscipiendi Gradum Doctoratus ex Jure Civili, & Medicina à Superioribus Regularibus non, nisi raro eventu, & specialibus concurrentibus circumstantiis, quæ actionem honestent, posse tribui; quia omnes illæ rationes, ob quas *supra n.* 78. docui, quòd Regularibus de facto non liceat docere Jus Civile, & Medicinam, quamvis à Jure non prohibeantur, pariter probant, non licere, ut à suis Prælatis concedatur licentia docendi, & cons. nec assumendi Gradum Doctoratus in præfatis Facultatibus, cum Gradus, ut paulò ante innui, ad docendum ordinetur.

An verò Gradus Litterarius, à Religioso sine licentia Superiorum suorum susceptus, validus sit, dubium moveri potest. *Rationem dubitandi* facit, quod ex *Emman. Rodriq.* Mendo *l. cit. nu.* 384. affert, Decretum Innocentii VIII. statuentis, ut nullus Frater Ordinis Prædicatorum Reformatorum, sive de Observantia Provinciæ, sive Congregationis Hispaniæ, nisi per Capitulum dictæ Congregationis sit expositus, præsumat ad Gradum Magisterii in Theologia promoveri, & secus agens pro non promoto habeatur, & censeatur, inhabilisque fiat ad Gradum prædictum. 81

Sed dicendum cum Mendo *n.* 383. & aliis, licèt talis Religiosus, Gradum Doctoratus recipiens sine licentia Superiorum suorum, illicitè operetur, ipsum tamen Gradum susceptum esse valide, dummodo nullum desit essentiale requisitum. *Ratio est*, quia valor Gradus non constituitur ex licentia Prælati, utpote quæ ad valorem actûs nunquam requiritur, nisi ubi expressè hoc constitutum est. Patet istud ex pluribus exemplis obviis; sic enim validè suscipit Ordines, & Confessiones audit Religiosus aliunde ad istas audiendas approbatus, licèt hoc faciat absque licentia sui Prælati, vel etiam contra prohibitionem istius, &c. 82

Ad Rationem dubitandi per illud Decretum appositum fuit requisitum essentiale ad valorem Gradus, quod cùm pœnale sit, ad alios Regulares, in quibus simile Decretum irritans non habetur, extendi non debet: & procedit hoc etiam in iis Regularibus, qui cum Ordine Prædicatorum laudato communicant in privilegiis; quia communicatio in favorem Ordinum concessa est, atque adeo Ordines cæteri communicant solùm in favoribus, & non in pœnis. Unde ut etiam in istis susceptio Gradus, sine licentia facta, valore careat, opus est, ut simile habeatur Decretum irritans, & quidem Pontificium; cùm enim potestas concedendi Gradus dimanet à Pontifice, & à Supremo Principe, Prælatus Regularis subditos suos ad illum accipiendum non potest reddere incapaces, ut notat Mendo *l. cit. n.* 386. 83

Quæritur 5. an Juribus hactenus allegatis prohibeatur etiam illa Legum auditio, quæ fit ad SS. Canones meliùs intelligendos? Affirmant aliqui moti generalitate textuum, indistinctè prohibentium auditionem Legum Clericis, & Religiosis. Negant. Host. *in c. fin. h. tit. n.* 3. Abb. *ibid. n.* 8. Barbos. *n.* 7. Konig. hic *n.* 6. Rationem dant; quia Clericis, & Religiosis valdè conveniens, imò necessaria est scientia SS. Canonum: undè cum permisso uno, etiam permissum censeatur id, sine quo illud comparari non potest, permisso studio Canonum, etiam permissum censebitur studium Legum Civilium; quia per harum scientiam illud facilius comparatur, imo sine illo ritè comparari nequit, juxta illud Baldi *in Proœm. Decret.* ubi, *Leges*, inquit, *sine Canone valent parum, Canones sine Lege nihil.* Alii distinguunt, & quamvis negent posse Clericos, & Religiosos audire Leges publicè, concedunt tamen, quod ad meliùs intelligendos SS. Canones possint Juri Civili studere privatim. Abb. *in c. fin. cit. n. ult.* Fagnan. *ibid. num.* 32. & 36. Zoes. *hic n.* 3. *fin.* Engl *ibid. n.* 6. Pirh. *n.* 35. *except.* 3. Schambog. *n.* 11. Rationem dant, quia Canones hactenus *citt.* pœnales sunt, cons. extendi non debent ad eos, qui privatim student, sed non publicè in Scholis audiunt. *Neque obstat* verbum *Student* positum *in c. fin. cit.* quia intelligi debet de publicè studentibus, adeoque de his, qui student in Scholis audiendo, prout indicant illa verba, *In quorum Diœcesibus hujusmodi student &c.* 84

Quidquid sit de Jure scripto, summa Legum utilitas, vel necessitas ad ritè intelligendos SS. Canones occasio fuit pluribus Universitatibus concessi Privilegii Apostolici, quo audire Leges in iisdem etiam Clerici, ac Religiosi possunt: & tale Privilegium habet Archigymna- 85

gymnasium Sapientiæ Romæ, teste Vincent. Petra tom. 4. *comment. fol.* 398. *n.* 13. & apud hunc S. Congreg. Concil. *in Romana, seu Nicoterensi Legati* 14. *Febr. &* 30. *Maji* 1699. Studium Patavinum, & Senarum teste Lotter. *de re Benefic. q.* 27. *n.* 207. Universitates Salmantina, Pisana, Pictaviensis, teste Gonzal. *in c.* 3. *h. tit. num.* 4. Lovaniensis teste Zoesio *h. tit. n.* 4. Salisburgensis teste Engl *ibid. n.* 6. nostra Ingolstadiensis teste Vviestner *n.* 27. & aliæ apud alios. Quæ privilegium istud non habent Indulto Apostolico, istud in Germania nostra acquisivisse videntur consuetudine, cùm in hac Clerici, & Religiosi ad utriusque Juris Studium passim admittantur.

86 Addidi *in Germania nostra*, nam in aliis Provinciis, & Regnis, in quibus similis consuetudo non viget, ut in Universitatibus Clerici, & Religiosi cuivis Studiorum Facultati liberè vacare possint, necessariè petitur licentia à S. Congr. quæ tamen difficulter illam concedit. Certè Petra *l. cit. num.* 16. testatur, ejusmodi Supplicationes, se Secretario, semper fuisse rejectas, præsertim quoad Religiosos, in quibus eodem teste nunquam dispensari solet, ut in publicis Universitatibus Leges, & Physicam, seu Medicinam audire possint.

87 Quæritur 6. an hujusmodi Privilegiis seclusis, Excommunicationem *c. citt.* latam incurrat etiam Religiosus, qui ad Leges, vel Physicam audiendam egressus est Monasterio, sed ob interveniens impedimentum Disciplinis illis non vacat? Negant Cajetan. *in Summ. V. Excommunicatio c.* 50. & Filliuc. *tr.* 14. *c.* 8. *q.* 2. ex ratione; quia Religiosis *citt.* textibus prohibitus est egressus è Monasterio non propter se, sed propter Legum, seu Medicinæ Studium, ac proinde Excommunicatio iis lata sine illarum studio non incurritur.

88 Sed tenenda est Sententia affirmativa, quam etiam defendunt Abb. *in c. non magnopere* 3. *h. tit. n.* 8. Suar. *de Censur. D.* 23. *sect.* 3. *n.* 14. Bonacin. *tom.* 1. *tr. de Clausur. p.* 7. *n.* 6. Pal. *tr.* 29. *D.* 3. *p.* 32. *n.* 4. Barbos. *in c.* 3. *cit. n.* 9. Pirh. *hic n.* 32. *not.* 4. Vviestner *ibid. n.* 27. Ratio est, quia *citt.* textibus Religiosis prohibitus est egressus è Monasterio animo audiendi Leges, vel Medicinam, si intra bimestre non revertantur: quod totum in casu proposito verificatur, saltem si talis Religiosus intra duorum mensium spatium animum dandi operam Scientiis illis non mutavit.

89 Aliud est, si Religiosus post egressum è Monasterio mutavit propositum audiendi Scientias prohibitas; tum enim, etsi foris maneat ultra duos menses, ut audiat scientias permissas, v. g. Jus Canonicum, vel Theologiam, aut etiam ut liberè vagetur, probabile est non incurrere Excommunicationem, aliasque pœnas textibus *citt. latas*. Abb. *in c. fin. h. tit. n.* 9. Suar. *de Censur. D.* 23. *sect.* 3. *n.* 15. Pirh. *not.* 4. *cit.* Ratio est, quia verba Legis, præsertim pœnalis, cum effectu intelligi debent *l. hoc edictum* 1. §. *hac autem ff. quod quisque Juris &c.* atqui Religiosus in casu proposito revera non audit Disciplinas profanas sibi prohibitas, etiamsi non redeat ad Monasterium. ergo &c.

90 Addidi *Excommunicationem, aliasque pœnas textibus citt. latas*; nam si sine Prælati licentia, & consilio Conventus egressus Monasterium sit ad studendum, & extra Claustra Religionis suæ moretur, etiam Habitu non dimisso, Excommunicationem incurrit ipso facto, latam *c. ut periculosa* 2. *h. tit. in* 6. *Proceditque hoc*, etsi in Disciplinas etiam alias permissas, ut Theologiæ, vel Juris Canonici incumbat, si ad ea se Religiosus conferat extra Claustra in alium locum ad habitandum; quia textus expressè dicit *Ad quævis studia*. Sanch. *l.* 6. *mor. c.* 8. *n.* 73. Pirh. *n.* 44. *hic*. Dixi *extra Claustra in alium locum ad habitandum*; nam si egrediatur quidem extra Claustra ad audiendum, & non ad habitandum extra illa, vel proficiscatur quidem aliò ad studia, sed habitaturus in Conventu sui Ordinis, pœna hujus textus eum non tangit; quia non habitat extra Claustrum suæ Religionis, in quod factum duntaxat pœna Excommunicationis *c. ut periculosa cit.* lata est.

91 Quare, ut Excommunicatio hujus *capit.* incurratur, tria requiruntur 1. ut Religiosus egressus sit extra Claustra suæ Religionis non tantùm ad ibi audiendas Disciplinas qualcunque, sed etiam ad ibi habitandum, ut *n. præc.* dictum est 2. ut egressus sit sine licentia Prælati sui: ubi quis Prælatus dare licentiam istam possit, colligendum est ex particularibus Religionum Statutis; nam alicubi licentia proficiscendi ad habitandum extra Claustrum est reservata Generali, vel Provinciali. 3. Ut accedat etiam consensus Conventus, si licentiam habitandi extra Claustra studiorum causa concedat Prælatus immediatus, ut notant Sanch. *c.* 8. *cit. n.* 82. Barbos. *in c.* 2. *cit. n.* 12. Pirh. *n.* 44. *cit. not.* 2. *Neque obstat*, quod *in c. citt.* non fiat mentio consensus Capitularis; quia saltem fit mentio consilii, & Conventus in hoc, sicut in aliis rebus arduis exequendis est collega, & particeps Officii Prælati. quando autem consilium est petendum ab aliquo, tanquam Collega, & participe Officii, illud idem est, quod consensus; nam necessario sequendum est. ergo &c.

Quæritur 7. quæ sit pœna Doctorum, & Magistrorum, qui Religiosos, habitu dimisso, Leges, vel Medicinam audientes, scienter docent, aut in Scholis suis retinere præsumunt? Resp. ipso facto incurrunt Excommunicationem, prout habetur *c. ut periculosa cit. in fin.* Ut verò Excommunicatio hæc incurratur, requiritur 92

1. Ut Religiosi tales audiant Leges, vel Medicinam; secus, si alias scientias non prohibitas. Pirh. *hic n.* 45. *pr.*

2 Ut habitu dimisso, his Studiis vacent; nam si habitu retento, audiant has Disciplinas, Excommunicatio *c. cit.* statuta à Magistris docentibus non incurritur, sed alia lata *c. nuper* 29. & *c. concubinæ* 55. *de sent. Excomm.* contra participantes cum Excommunicato. Barbos. *in c. cit. n.* 19. Pirh. *l. cit. requis.* 1.

3. Ut Magistri scienter Religiosos doceant, vel retineant; quia in *c. cit. fin.* requiritur scientia, & præsumptio, ac proinde, si ex ignorantia, etiam culpabili, & crassa, modò non sit ita affectata, aut ita crassa, ut ingens temeritas dici possit, hoc fiat, non incurrent hanc Excommunicationem. Suar. *de Censur. D.* 23. *sect.* 4. *n.* 39. Sanch. *l.* 6. *mor. c.* 8. *n.* 100. Barbos. *l. cit. n.* 18. Pirh. *requis.* 2. 93

4. Ut doceant, vel retineant, positivè concurrendo, puta rogando, consulendo, defendendo sua authoritate, vel favore, aut violentia aliqua cogendo, ut in Scholis Religiosus permaneat. Suar. *sect.* 4. *cit. n.* 36. Filliucc. *tr.* 14. *c.* 4. *q.* 11. *n.* 63. Mendo *de Jur. Acad. l.* 2. *q.* 30. *n.* 356. Barbos. *in c.* 2. *cit. n.* 17. Non autem tenetur ipse Doctor Religiosum per vim expellere, nisi sit Rector Universitatis, cui ex officio incumbit expellere, vel aliunde sit Jurisdictione præditus: nec tenetur ideo intermittere officium suum docendi, si non exeat, sed potest eum tolerare, & permissivè se habere. Suar. *n.* 40. Sanch. *n.* 97. *&* 98. Barbos. *n.* 17. *cit. & n.* 22. Pirh. *num.* 46. *requis.* 3.

5. Quamvis docentes sine limitatione, sive in Scholis, sive extra scholas hoc faciant, incurrant Censuram istam, ut patet ex textu, ut tamen ii, qui non docent, sed retinent tantum, propterea Excommunicatione hac afficiantur, necesse est, ut Religiosos ejusmodi retineant in Scholis. Franc. *in c.* 2. *cit.* §. *fin. n. ult.* Sanch. *n.* 39. Suar. *n.* 40. Pirh. *l. cit.* 94

6. Denique ii, qui sic retinentur, vel docentur, debent esse Religiosi; nam qui Leges, vel Medicinam docent, aut in Scholis hujusmodi retinent Clericos Sæculares, Excommunicationem hanc non incurrunt: quia in *c.* 2. *cit.* sermo est de solis Religiosis, & Lex pœnalis extendi non debet ad personas non expressas. *Neque obstat*, quod alias Lex pœnalis loquens in uno ex casibus Jure antiquo æquiparatis debeat extendi ad alterum, in quo est eadem ratio; quia hoc solum intelligendum est, si in utroque casu sit eadem qualitas, in qua æquiparantur; quod non contingit in casu præsenti. Franc. *in* §. *fin. cit. not.* 1. Sanch. *num.* 91. Pirh. *n.* 46. *cit. vers. denique.*

Quæritur 8. quam pœnam incurrant, qui Habitum Regularem dimittunt? Resp. incurrunt Excommunicationem ipso facto *c. ut periculosa* 2. *h. tit. in* 6. Ad quod requiritur. 95

1. Ut Religio, quam profitetur talis Religiosus, habeat certum Habitum. Hinc ut Sanch. *l.* 6. *mor. c.* 8. *n.* 70. Pirh. *n.* 41. *coroll.* 7. notant, Religiosi Societatis Jesu non incurrunt hanc Excommunicationem, etiamsi Habitu dimisso, induant Sæcularem, etiam sine causa sufficiente; quia *c. cit.* loquitur de Professis dimittentibus Habitum suæ Religionis, & sic supponit, quod Religio proprium Habitum habeat. talem autem non habet Societas, sed utitur Habitu communi Clericali.

2. Ut Religiosus exiens è Monasterio Habitum deponat. Hinc qui eo retento fugit è Monasterio, quamvis Apostata fiat, hanc tamen Excommunicationem non incurrit; quia hæc non in Apostatas, & fugitivos, sed in eos lata est, qui Habitum temere dimittunt, etiam sine animo apostatandi. Less. *l.* 2. *de Just. c.* 41. *n.* 109. Sanch. *c.* 8. *cit. n.* 45. *&* 46. Barbos. *in c.* 2. *cit. n.* 5. *coroll.* 2. Pirh. *coroll.* 1.

96 3 Ut tempus, ad quod Habitum deponit, non sit admodum breve; quamvis enim ad incurrendam Excommunicationem hanc non requiratur, ut ille deponatur in perpetuum, sed sufficiat, si ad tempus, ut patet ex *c. 2. cit.* excommunicantur, qui habitum dimittunt in Scholis, quæ non solent esse perpetuæ: debet tamen hoc tempus esse tantum, ut moraliter loquendo censeri possit Religiosus dimisisse Habitum; alias non incurretur Censura ista, licèt exuatur Habitus ex causa turpi, e. g. ut fornicetur, ut clam furetur &c. Azor. *p. 2. l. 10. c. 17. q. 9. verf. si roges.* Sanch. *n.* 56. & 57. Barbos. *n.* 8. Pirh. *coroll.* 2.

4. Ut habitus totus dimittatur; nam si dimittatur tantum pars aliqua, modo per partem, quæ retinetur, satis adhuc cognosci Religiosus possit, Excommunicatio hæc non incurritur. Suar. *D.* 23. *de Censur. sect.* 4. *n.* 28. Pirh. 40. Contra illam incurrit, qui Habitum quidem retinet, sed ita occultat sine justa causa, ut exterius nullo modo appareat, neque cognosci possit, cujus Ordinis Religiosus sit; quia moraliter, & in effectu idem est, acsi illum dimisisset. *Neque obstat*, quòd hæc Lex pœnalis sit; nam etiam Leges pœnales extendi debent, quando alias elusoriæ forent; imò tunc non est extensio, sed tacita inclusio. Azor. *l. cit. q.* 10. Suar. *num.* 34. Sanch. *num.* 63. Barbos. *coroll.* 3. Pirh. *coroll.* 4.

97 5. Ut dimissio Habitus sit temeraria. Hinc Excommunicationem non incurrit, qui Habitum mutat ex justa causa: imò qui etiam ex ignorantia culpabili, eaque crassa, modò non sit affectata; quia temeritas dicit præsumptionem, & quasi contemptum Legis. Suar. *num.* 29. Sanch. *num.* 43. Barbos. *num.* 8. Pirh. *n.* 40. *requis.* 2. Et propterea aliqui apud Barb. *n.* 8. *cit. fin.* excusant illum, qui deposito Habitu Religionis suæ, assumit Habitum alterius, ad quam vult transire, sed malè; nam etsi transire ad Ordinem saltem strictiorem liceat, ante actualem tamen transitum habitum Religionis, in qua actu quis Religiosus est, non potest deponere.

Quæritur 9. quomodo puniendi sint Religiosi incorrigibiles? Respond. de hoc ita statutum habetur *c. relatum 7. h. tit.* Monachi, qui sæculariter vivunt, & alios exemplo suo corrumpunt, ad observantiam Regularem, appellatione remota, compelli debent. Quodsi ausu temerario restiterint, illis ejectis, Fratres alterius Ordinis (si non potest Monasterium ex Religiosis ejusdem Ordinis reformari) in illud inducendi sunt, ut vel in perpetuum ibi maneant, si priores Monachi in perpetuum sint expulsi; vel ad tempus solùm, donec illi, qui ob incorrigibilitatem ejecti sunt, rubore tandem perfusi, ad sui Ordinis observantiam revertantur. Ita Alexander III. *in c. relatum cit.* Porro quis ordo in reformatione Domuum Religiosarum observari debeat, dictum satis est *supra tit.* 36. *n.* 26. quem tamen ordinem, ut *ibidem n.* 27. addidi, observare Papa non obligatur. 98

Finis Libri III. Decretalium.

INDEX

INDEX
RERUM, ET VERBORUM.
Numerus major Titulum, minor numerum Tituli indicat.

Quid

Bo-

An

Tem-

Po-

Ad

Quo-

Quar-

A quo;

Pro-

Vita

Omnia ad Majorem Dei, DeiparæqueVirginis Gloriam, & Honorem.